Mercuj. in. A. Thom. c.

A
18-35

6 a-1-2.

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Ante: 18
35

Nº a
18-35

1954496

del Colegio de la Compañía de Jesus de Granada R 5442

LVDOVICI

MÆRATII

TRECENSIS

E SOCIETATE IESV

DISPVTATIONVM

IN SVMMAM THEOLOGICAM S. THOMÆ

TOMVS SECVNDVS.

COMPLECTENS QVATVOR TRACTATVS:
Primum de Gratia: Secundum de Fide, Spe, Charitate: Tertium de Justitia & Jure: Quartum de Verbi Incarnatione.



BIBLIOTECA

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, sub Ciconiis.
M. DC. XXXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISS.

LVDOVICO
EMINENTISSIMO S. R. E.
CARDINALI
DE LA VALETTE.

QVOD amplissimæ dignitati tuæ nostra se consecrat Theologia,(Cardinalis Eminentissime) facit exemplo tui, qui te iampridem ei consecrasti. Quòd facilem accessum ad te, perhumanúmque à te sperat occursum, id expectat ab illa tua comitate, gratiaque mirabili, quæ te non priùs oculis visum, quàm animis reddit imperantem. Quòd autem audacior, &

ſine rubore purpuram tuam oſculatur, hoc, quia ſe ſplendorem illius auxiſſe putat, ſuo iure ſibi vendicauit. Expectauit illa, fateor, nimium diu, poſtquam ad reponendam gratiam tuo beneficio prouocata eſt. Sed nimirum pluribus annis indigebat, vt ſe perpoliret, ornaret, perficeret, tibique ſe tam gratam ſiſteret, quàm iucundus illi tu, & perfectus ab ea receſſeras. Quòd ſi tamen nondum ea cura & arte elaborata, iis exculta virilibus, ea forma, totiuſque oris maieſtate ſpectabilis, quæ tuam decet Eminentiam, accedit, noli propterea ſupplicem aſpernari, noli repellere placere ſtudentem: ſed gratulare primùm Sacro Numini, cuius es, quantus es: deinde quod reliquis hominibus tua ſingularis humanitas & facilitas impertit, illi ne de-

nega. Tu illam olim pene naſcentem, incomptam, debilem non tantùm oculis aſpexiſti fauentibus, non tantùm auidis auribus loquentem audiſti, ſed etiam animo penitus complexus es. Tu illam non ſolùm priuatim & tuis in ædibus coluiſti, ſed etiam publicè commendaſti, exornaſti, contra vim & impetum exercitatorum & valentium aduerſariorum, non minùs cautè quàm ſtrenuè impugnantium, non minore tua gloria quàm eruditione defendiſti. Tune modò eandem maturam, eam confirmatam annis & viribus, eam quo potuit apparatu atque cultu viſendam reiicies? Moratur, vt vides, hæret aduoluta, hæret affixa tuæ purpuræ, expectatque vocem illam, qua vt olim ſe propugnatam gloriatur, ita nunc am-

bit protegi. Nempe redeunt illi in memoriam feſtæ voces, congeminati plauſus, gratulationes publicæ, honores tibi delati, poſtquam illam magnis ingenii viribus tueri dignatus es. Reuoluit animo diem illum, quo in percelebri & verè regio HENRICI MAGNI *Gymnaſio, frequentiſsima corona, te in arena de eius gloria dimicante, te vincente, de ſuis aduerſariis triumphabat: quo, te procul erroris & ignorantiæ tenebras diſſiciente, clarior emicabat, quo tuis elogiis & titulis cælo propior aſſurgebat. Præcipuè verò magnificam illam vocem cogitando replicat, qua vir ætate grauis, illuſtris genere, ſapientia clarus, ſacra dignitate venerandus, cum tui certaminis ſpectator adfuiſſet, coniectaque ab æmulis tela vel à te occupa-*

ta, vel in ipſos retorta validiùs miraretur, palam teſtatus eſt, ſi ſperaret hanc facultatem & diuinarum rerum ſcientiam labore atque induſtria ſe poſſe adipiſci, incluſurum ſe rurſus antiquo ludo, & in iis ſtudiis reliquum ætatis traductrum. Et verò optabile fuit, vnicuique ſpectantium, te longo interuallo ſubſequi, quòd reconditiſsima huius ſacræ facultatis feliciter erueres, quòd panderes arcana myſteria, quòd obſcuriſsimis controuerſiis lucem dicendo affunderes, quòd ſummè arduas & intricatas quæſtiones oratione non minùs ſubtili quàm dilucida, non minore ingenii facilitate & felicitate, quàm omnium voluptate & admiratione diſſolueres. Sed quid ego vnius hominis, quamquam inſignis, quid aliorum com-

plurium prædicationem accerſo? Meminit, meminit hæc noſtra Theologia, ſæpiuſque hoc ſecum ſuauiſſimè reguſtat, cùm tu fretus illius opibus Romam ingreſſus, Religionis arcem, Sacrarium pietatis, ingeniorum cotem, diſciplinarum omnium atque in primis diuinarum domicilium, ſic in eo vniuerſi orbis theatro effulſiſti, vt non ſolùm priuati cuiuſque laudes, nec tantùm publici augustiſsimique Senatus præconia, ſed etiam ampliſsimum ſupremi Hierarchæ teſtimonium, & vocem Oraculo proximam retuleris. Sic enim accepimus, non neſcio quo rumore nuntio, ſed certiſsima commemoratione grauiſſimorum hominum, qui Romæ tum temporis adfuerunt, cùm illi tu purpuratorum Patrum, aliorumque omni ge-

nere doctrinæ, ſacræ præſertim, exculti-ſimorum hominum conſeſſui, qui Sacri Officii nominatur, ex voluntate Summi Pontificis frequens & aſsiduus intereſſes, in eóque de rebus Theologicis tanta iudicii maturitate, tanta dicendi copia, tanta reconditæ ſolidæque doctrinæ vbertate diſſerere ſoleres, vt inter Eminentiſsimos vnus emineres, exclamaſse tandem ſummum illum vniuerſi Chriſtiani orbis Paſtorem & parentem, niſi Gallia te vendicaret ac repeteret, te ſuum futurum, te Romæ ſuo iuſsu ad pertractanda cœli terrarumque negotia detinendum. O vocem pulcherrimam! O dignum tanto capite atque ore præconium! O glorioſiſsimam & illi & tibi tui nominis prædicationem! illi quidem, quia tam ſapienter & tan-

ta ex æquitate iudicauit: tibi verò, quia sic ab illo de te iudicatum est. Hi sunt veræ laudis tituli, quibus in te, ac per te (Cardinalis Eminentissime) Theologia nostra gloriatur. Scit te nobilissimum, familiæ tuæ maximum decus, & antiquissimi generis illustrissima stemmata non ignorat, te videt in Romana purpura fulgentem, Gallico torque conspicuum, amplissimæ prouinciæ Gubernatorem: sed hæc tamen ornamenta, quia extra te posita sunt, internis animi tui dotibus & præclaris virtutibus longè postponit. Ob quas & Christianissimo Regi eximiè charus es, & vniuersa Gallia te summis viris, summa dignitate, summo ingenio, summa sapientia, summa rerum gerendarum facultate atque prudentia præditis parem

cenſet, & ſuſpicit. Hæc ſunt vera decora, hæc tua, hæc æterna, hæc non tempori, non fortunæ, non inuidiæ, non ipſi vnquam morti ceſſura. Atque his vt diutiſsimè perfruaris in terris, quò te tandiu perfruatur vniuerſa & Gallia, & Eccleſia, precatur

Eminentiſsimæ A. T.

Deditiſsimus,
LVDOVICVS MÆRATIVS
è Societate IESV.

TRACTATVS
DE GRATIA.

TRACTAT *de gratia ſanctus Thomas hac prima ſecundæ à quæſtione* 109. *ſuámque de ea tractationem ſex quæſtionibus abſoluit, quarum hæc ſumma eſt. In prima, quæ reducitur ad quæſtionem, an eſt, ſeu qua rei de qua tractatio inſtituitur exiſtentia quæritur, diſſerit de neceſsitate gratiæ, in eaque inueſtigat vtrùm gratia, quando, quomodo, & ad quos effectus neceſſaria ſit. In ſecunda quidditatem ſeu eſſentiam gratiæ explicat. In tertia varias eiuſdem diuiſiones & membra, ac veluti ſpecies tradit. In quarta de cauſis ipſius agit. In quinta de formali einſdem effectu qui eſt peccatorum remiſſio & iuſtificatio. In ſexta denique de merito quod eſt effectus ipſius in genere cauſæ efficientis.*

Quibus quæſtionibus contentam doctrinam explicare eodem ordine aggrediemur, ſtatim atque prænotauerimus, eum qui ſancti Thomæ quæſtionibus titulos præfixit, quæſtioni 109. *quæ prima de gratia eſt, non rectè poſuiſſe titulum, vt bene Gab. Vaſq. obſeruauit: hunc enim poſuit,* De exteriori principio actuum humanorum, ſcilicet de gratia Dei, *cùm tamen gratia, de qua quæſtione hac & ſequentibus agitur, ſit potiùs intrinſecum principium, ſicque nuncupetur à Patribus & Conciliis, quo diſtinguatur à doctrina legis, & externa prædicatione, quæ gratia quidem eſt, ſed exterior, quam admittebant ipſi quoque Pelagiani, quamuis gratiæ Dei, nimirum eius quæ interior eſt, hoſtes eſſent infenſiſſimi. Quod optimè ſciens S. Doctor tractatum hunc & quæſtionem de gratia ab his verbis exorſus eſt:* Conſequenter conſiderandum eſt de exteriori principio humanorum actuum, ſcilicet de Deo, prout ab ipſo per gratiam adiuuamur ad rectè agendum. *quibus verbis non gratiam, ſed ipſum gratiæ authorem Deum, vocat principium exterius humanorum actuum, quale reuera principium eſt, cùm tamen ipſa gratia cuius author eſt, ſicut intrinſeca nobis eſt, vt ex dicendis conſtabit, ita noſtrorum actuum intrinſecum principium ſit.*

DISPVTATIO PRIMA.

De Gratiæ neceßitate.

SECTIO PRIMA.

Quid hic nomine Gratiæ intelligatur?

I.

SANCTVS Thomas hac 1. 2. quæstionis 110. articulo 1. tres affert gratiæ acceptiones, quarum prima est, vt gratia sit idem quod interior dilectio & beneuolentia vnius erga alterum: quo sensu dicimus nos alicuius gratia facere quod facimus, cùm ob eius amorem facimus. Secunda est, vt gratia idem sit quod beneficij compensatio ex virtute gratitudinis, quæ solet etiam gratia nuncupari, vnde grati homines gratiam habere & referre dicuntur. Tertia denique, vt idem sit quod beneficium seu donum collatum ex pura beneuolentia & gratis, vnde & gratiæ appellationem accepit. Ex his tribus gratiæ acceptionibus nos hic gratiam in sola tertia considerabimus, non tamen omnem quę iuxta tertiam hanc acceptionem gratia recte nominari potest. Etenim creationis & conseruationis beneficium vera hoc tertio sensu gratia est, cùm sit donum ex pura Dei beneuolentia & gratis, id est, nullis nostris præcedentibus meritis, nobis à Deo concessum, neque tamen à Theologis hîc gratię nomine comprehenditur, sed illud solum Dei beneficium quod ob Christi passionem & mortem seu merita nobis confertur, quale non est prædictum donum creationis & conseruationis, cùm, vt rectè D. Augustinus epist. 105. *Christus non pro nullis vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus sit, vt iustificarentur.*

II.

III.

Atque cùm gratiæ quæ ob Christi merita nobis tribuitur, tria soleant à Doctoribus membra constitui, quorum primum comprehendit eas gratias quæ gratis datæ vocantur, de quibus aliquid dicemus ad quæst. 111. secundum verò formam illam qua formaliter emundamur à peccato & sanctificamur, tertium denique actualia ad bene viuendum auxilia: nos cum cæteris Theologis in hac de necessitate gratiæ disputatione de solis his duobus posterioribus gratiæ membris agemus, vtpote de quibus solis aliqua dubitandi ratio esse potest, vtrùm necessaria sint ad ea vel fugienda, vel facienda, vel cõsequenda quæ figillatim sequentibus sectionibus proponemus: gratias enim gratis datas, quæ dicuntur, ad illa minimè esse necessarias & consentiunt omnes, & constabit euidenter ei qui quid his gratiis intelligatur nouerit, quod ex citata quæstione 111. cognoscet.

IV.

Agemus autem potissimùm de tertio membro ex illis duobus posterioribus, tum quia præcipuæ grauioréque quas postea proponemus quęstiones nullam nisi de eo solo dubitationem & difficultatem habent: tum quia de hoc solo aut præcipuè, aut etiam tantùm S. Augustinus, aliique temporis præsertim illius Patres, cum Pelagio Pelagianisque necessitatem gratiæ ad superandas tentationes, benè viuendum, beatitudinem consequendam, negantibus disputarunt, contendentes è contrario illam ad ea esse omnino necessariam, vt constat ex Conciliis Palæstino & Mileuitano coactis contra Pelagium, & eodem S. Augustino epistola 95. & innumeris aliis locis.

A

V.

Nomine autem actualis auxilij, quo tertium illud membrum constituitur, sufficiat nunc cõfusè scire, significari aut solum aut præcipuè bonas quasdam cogitationes mentis, & bonos aliquos motus voluntatis, quibus excitamur, allicimur, & adiuuamur ad peccatum declinandum, bonumque faciendum. Ex his licet paucis cùm satis constet quid gratiæ nomine intelligẽdum sit, dum de eius necessitate disputatur, solum hoc addendum est, nos hic de ipsius necessitate disputaturos considerato homine in statu naturæ lapsæ, in quo reipsa est.

B

VI.

Verùm, quia, vt in Tractatu de peccatis, de originali peccato agentes docuimus, homo in hoc statu naturæ lapsæ non differt à se ipso in statu puræ naturæ, nisi sicut nudus, & qui nunquam fuit vestitus, à nudato & spoliato vestibus, & in vtroque statu per consequens easdem per se siue vires siue infirmitates habet: ideo quod de necessitate gratiæ ad malum fugiendum bonúmque prosequendum respectu status vnius definiemus, censeri quoque debebit respectu status alterius definitum. Vbi etiam declarabimus, an in statu naturæ integrę seu innocentiæ, in quo appetitus rationem minimè prę-

C

VII.

ueniebat, homo vel nullis vel minoribus gratiæ auxiliis indiguisset ad prædicti mali fugam, & boni prosequutionem: vnde tandem intelligetur, quantam humana natura, in quocunq; demum sit statu, necessitatem gratiæ habeat ad rectè viuendum: quamuis enim præter tres enumeratos status alij à nonnullis recensеantur, omnes tamen, saltem quantum spectat ad diuinæ gratię necessitatem ad benè agendum, ad tres prædictos reuocantur, si præsertim status alterius vitæ excipiantur, qui ad præsentem considerationem minimè pertinent.

SECTIO II.

An gratia Dei necessaria sit homini ad cognitionem cuiuscunque veritatis?

D

VIII.

COMMVNIS & vera Theologorum sententia negat, propter eas veritates naturales, quarum notitia ex iis quæ in sensus incurrunt, naturali aliquo discursu haberi potest: ad hanc enim earum notitiam comparandam luce clarius est non esse necessariam gratiam formaliter sanctificantem. Quòd autem neque necessaria sit actualis gratia, probatur duobus argumentis, quorum primum ducitur ab authoritate sancti Augustini libro 1. ad Simplicianum, quæstione 2. sic scribentis: *Non habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius quæstionis aliqua cogitatione præmittor, nisi vel mains ingenium,*

vel minora peccata, vel vtrumque : addamus etiam si placet honestas vtilésque doctrinas. quæ omnia cùm S. ille Pater verbis immediatè sequentibus expressè neget fuisse Deo causam aut occasionem eligendi hominem ad gratiam, ex consequenti voluit, illa eadem omnia in homine priora fuisse, aut esse potuisse gratia, nec proinde ad ipsa necessariam fuisse gratiam, quæ si ad ea necessaria fuisset, prior illis haud dubiè esse debuisset. Inter illa autem omnia quæ enumerauit vnum est prædictarum veritatum naturalis cognitio & scientia, ad hanc ergo non minus existimauit gratiam minimè necessariam esse, quàm ad ingenij naturalem bonitatem, & ad ipsa peccata, quæ simul cum præfata scientia recensuit, in eodémque ordine posuit: ad quæ gratiam Dei, de qua hîc agimus, necessariam esse nemo dixerit. I. A

Secundum argumentum est, quòd ad ea sola gratiæ Christi actuale auxilium necessarium est, propter quæ nobis tribuenda Christus ipse in mundum venit, & mortuus est, non venit autem, neque mortuus est, vt nobis prædictarum veritatum scientia tribueretur. Si enim, vt ex S. August. epistola 105. suprà retulimus, mortuus non est, vt qui nulli erant crearentur, sed vt impij iustificarentur, multò minus mortuus erit, vt homines Philosophiam, aut similem cognitionem merè naturalem consequerentur. II. B

Verùm hîc diligenter obseruanda sunt quatuor. Primum est, dum gratiæ Christi non tribuo prædictam naturalium veritatum cognitionem, me de sola cognitione purè speculatiua loqui, per quam hîc intelligitur ea quæ mouere & allicere non potest voluntatem ad affectum aliquem veræ virtutis concipiendum, siue ea cognitio circa res, seu veritates quæ speculatiuæ dici solent versetur, siue circa eas quæ practicæ : qualis esset illa cognitio qua quis attenderet ad hanc aut illam propositionem practicam, Virtus amplectenda est, peccatum fugiendum est, nihil aliud in eis considerans, quàm quod sint aut non sint propositiones seu veritates notæ ex terminis : quòd habeant, aut non habeant medium à priori quo in demonstratione probentur, aut similia : hoc enim loco illa similísque cognitio purè speculatiua à Theologis dicitur, quòd voluntatem mouere & allicere nequeat ad honestum aliquem affectum concipiendum. Vnde speculatiuæ huic cognitioni practica quæ opponitur, ea sola est, quæ ad huiusmodi affectum voluntatem mouere per se & allicere potest, de qua quid sentiendum sit, vtrùm scilicet in Christi gratiis numeranda sit, an secus, idem iudicium esse debet, quod de ipso affectu honesto ad quem mouet : de quo affectu grauis inter Theologos contentio est, vtrùm ex Christi meritis & gratia sit, an non. qua de re postea fusè disputabimus. III. C IV. D

Secundum est, me ita gratiæ Christi non tribuere prædictam hanc naturalium veritatum cognitionem purè speculatiuam, vt non negem affectum, quo quis incumbere potest in hanc illarum veritatum cognitionem, esse ex Christi gratia, & hanc ad illum esse necessariam, si nimirum affectus ille sit veræ virtutis, vt studiositatis, cuius est modum ponere in affectu sciendi, aut alterius similis acquisitæ & naturalis : sed de hoc affectu quæstio hîc non est, de eóque fusè suo loco tractabimus. V.

Tertium est, etsi gratiæ Christi non sit ascribendum, vt probauimus, quòd quis præfatam rerum naturalium cognitionem habeat, quantacunque ea sit, & quantumlibet perfecta ac erroribus vacua, esse tamen tribuendum gratiæ Dei, & quidem si accuratè loqui velimus, distinctæ à dono creationis & conseruationis, propterea quòd ordo rerum à quibus scientiam haurimus, cum variis infinitísque modis à Deo disponi potuerit, eo disponi modo potuisset, quo si fuisset dispositus, intellectus noster in earum veritatum notitiam quas nunc cognoscit nunquam deuenisset, sed potiùs in iis addiscendis errasset, vt plerisque iam reipsa contigit, vel certè se nunquam ad eas addiscendas applicuisset, vt hoc ordine rerum qui iam est stante quamplurimis item contingere videmus. Vnde non potest illa prædictarum rerum quantacunque scientia comparata ab iis in quibus est non referri in peculiarem Dei prouidentiam, atque adeo in speciale beneficium, & quidem, vt dixi, à dono creationis conseruationísque diuersum, cùm futurum esset, vt natura penitus integra & illæsa persisteret, etiamsi Deus non hunc sed alium rerum ordinem instituisset, in quo talis cognitio acquisita nunquam fuisset : quod tamen beneficium quia ad solum naturæ commodum & bonum spectat, non verò ad bene honestéque viuendum, meritò ad donum creationis quo naturam ipsam à Deo accepimus reuocatur. Vbi aduerte, rationem qua probaui totam quam quis habet naturalium rerum speculatiuam scientiam collectiuè sumptam esse speciale Dei beneficium, idem quoque euincere de particulari cuiuslibet veritatis diuisiuè acceptæ simili scientia. VI. VII.

Quartum est, quod hactenus diximus de speculatiuis scientiis, intelligendum esse de solis speculatiuis merè naturalibus. Nam quòd Theologiæ nostræ scientiam, etiam purè speculatiuam, nec idoneam excitare vllum veræ virtutis affectum, habeamus, gratiæ Christi tribuere debemus, cùm quælibet Theologica nostra scientia nitatur principiis per fidem diuinam creditis, quam fidem habere non possumus nisi per Christi gratiam, vt sequenti sectione probabimus. Ex quo concluditur, quòd licet ex Christi meritis non sit, quod Philosophi, vel Oratores, vel Poetæ simus, est tamen quòd Theologi sumus. VIII.

Iam obiicies, vt probes omnem cuiuslibet veritatis etiam naturalis scientiam speculatiuam donum esse gratiæ Dei per Christum, primò Apostolum epistolæ 2. ad Corint. cap. 3. dicentem, *nos non esse sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* Secundò Mileuitanum Concilium can. 4. expressè definiens *esse gratia Christi tribuendum, & scire quid agere debeamus, & diligere vt impleamus.* Tertiò Concilium Arausicanum secundum can. 9. dicens,

Diuini muneris esse cùm rectè cogitamus. Et can. 22. statuens *neminem habere de suo nisi mendacium, si quis autem habet homo veritatem ex gratia Dei habet.* vbi proculdubio de gratia Dei per Christum loquitur.

Respondeo tribus prioribus Scripturæ & Conciliorum locis agi non de cognitione quæ I. A purè speculatiua est, sed quæ est practica, & vim habet mouendi alliciendíque voluntatem ad pium aliquem affectum: quam cognitionē non negaui hactenus esse inter Christi gratias numerandam. Neque dum Concilium Mileuitanum citato canone ait, *Absurdum esse ad scientiam quæ inflat gratiam ponere, & non ad charitatem quæ ædificat*, vult eam quoque scientiam, non modò quæ non mouet ad affectum virtutis, & quæ proinde speculatiua est, sed etiā quæ ad superbiæ mouet affectum, ex gratia Christi esse: satis enim ibidem indicat se Christi gratiam requirere ad eam solam scientiam quæ ad virtutis affectum allicit, cùm citatis verbis adiunxit hæc: *Vt ædificante caritate scientia non possit inflare.* Vnde verbis istis addens hæc alia: II. B *Cùm vtrumque sit donum Dei*, per istud vtrumque, non debet intelligi & scientia inflans, & caritas ædificans, sed scientia practica qua scimus quid agere debeamus, & dilectio qua facimus id quod faciendum per scientiam practicam cognouimus.

Ad quartum denique ex canone 22. Arausicani Concilij obiectum dico, in eo per veritatem, non intellectus cognitionem, sed honestum voluntatis affectum dicendi quod verum est significari, sicut ibidem per mēdacium intelligitur praua voluntas dicendi quod falsum est, & ipsa externa dictio, quæ mendaci contra veracitatem peccatum est. Quod si quis per veritatem ibi cognitionem intellectus vellet intelligi, concedi posset de cognitione, non III. C quæ pure naturalis esset & speculatiua sensu prædicto, sed quæ practica, & quæ mouendi voluntatem ad honestum aliquem affectum vim haberet.

SECTIO III.

Vtrùm homini ad salutem, vtque per fidem & dilectionem conuertatur ad Deum sit necessaria gratia?

QVÆSTIO est de sola gratia interioris auxilij actualis: ad hanc autem quæstionem breuiùs & clariùs explicandam referendus est circa eam tum Pelagij Pelagianorumque, tum Semipelagianorum error, quem alia occasione prima parte ad quæstionem 23. disputat. 38. sectione 2. de Deo tractantes retulimus. Pelagius ergo Pelagianique tria dicebant. Primum est, hominem per naturales suas vires, & nulla præsuppositā gratia, nisi IV. D creationis, conseruationis, & externæ doctrinæ legis, Euangelicæque prædicationis, posse de condigno mereri vitam æternam, credere, sperare, diligere, pœnitentiam agere, iustificari, & in iustitia vsque in finem perseuerare. Secundum, iuuari nihilominus hominem actuali gratia internæ inspirationis ad hæc ipsa præstanda, & proinde ad salutem consequendam, verùm gratiam hanc ad ea minimè necessariam esse, sed solùm vtilem, tantùmque tribuere ad opera illa exercenda facilitatem. Tertium, hanc eandem internæ inspirationis gratiam dari hominibus ex condignis liberi eorum arbitrij meritis. V.

Et quidem quòd in his tribus ita senserit errarítque Pelagius, constat ex epist. 90. apud August. 95. 105. duabúsque sequentibus: ex Cōcilio Mileuitano can. 4. & 5. ex Africano quoque coacto circa tempora Bonifacij I. can. 80. & 97. quæ tria damnata sunt prædictis locis, præsertim autem in præfato Mileuitano Concilio can. 3. 4. & 5. & prædicta epistola 90. inter Augustinianas, quæ est Concilij Carthaginensis ad Innocentium Papam.

Nec quemquam mouere debet, quòd Pelagius in Concilio Palæstino (cuius, vt hoc obiter moneam, articuli, qui ad Pelagianam hæresim intelligendam vtilissimi sunt, habentur apud Baronium ex collectione Cresconij tomo 5. ad annum Christi 415. & nōnulli etiam VI. apud D. August. epistola 106. circa finem, & libro 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 11.) quòd Pelagius, inquam, fassus vltro sit, ad singula opera bona, & proinde ad credendum, sperandum, diligendum, ad agendam pœnitentiam, & quod consequens est, ad promerendam & consequendam de condigno vitam æternam, gratiam Dei non modò vtilem, sed etiam simpliciter necessariam esse: fassus enim reuera est, sed fraudulenter, & contra mentem Patrum in Concilio illo coactorum, intelligens nomine gratiæ beneficium creationis & conseruationis, vt author est sanctus Augustinus epistola 105. in principio, & Patres Mileuitani Concilij apud eundem Augustinum epistola 95. non verò eam gratiam de qua Patres Palæstini loquebantur, quæ est gratia actualis interior collata per Deum ob Christi merita, quam VII. Patres Mileuitani dicunt eam esse quæ in Scriptura commendatur, & gratiæ nomine significatur, non verò beneficium creationis & conseruationis: quod etsi non negent gratiam appellari posse, mirum tamen est, inquiunt, si ita appellatum in vllis legitimis, Propheticis, Euangelicis, Apostolicíque literis, legimus.

Iam verò Semipelagiani, qui sic dicti sunt, quòd in aliquibus cum Pelagio sentirent, in aliis ab eo dissentirent, etsi cum Catholicis contra Pelagium existimarent actualem gratiam internæ inspirationis non modò vtilem, sed etiam simpliciter necessariam esse ad promerendam de condigno vitam æternam, & consequendam, eandemque gratiam non dari ex condignis humani liberi arbitrij meritis: in VIII. hoc tamen communiter cum Pelagio sentiebant, & errabant, quòd existimabant hanc interiorem gratiam conferri nobis à Deo ex occasione & intuitu alicuius præuij nostri boni operis per naturæ vires eliciti: quo bono opere quidam ex illis comprehendebant vigilias, orationes, ieiunia, præceptorum obseruationes, aliquem de præteris peccatis dolorem & pœnitentiam, actum quoque fidei, & similes, licet ex iisdem Semipelagianis alij non tantùm naturæ nostræ tribuerent, vt eam hæc

omnia per suas naturales vires posse dicerent, sed ei solùm bonam aliquam voluntatem ex naturalibus viribus, vt velle credere in Deum, velle à peccato emundari, concederent, vt declarauí fusiùs, & probaui in Tractatu de Deo sectione 2. citatæ disputationis, cuius in sectione tertia hunc Semipelagianorum, pariterque
I. illum Pelagij errorem Scripturæ, Conciliorum. A
Patrúmque testimoniis, insuper etiam ex ratione petitis argumentis, quæ, quia nimis longum esset, nolo hîc repetere, refutaui: ex quibus non potest non esse euidens fide Catholica credendum esse, neminem posse per solas naturæ vires sine gratiæ interioris auxilio vel æternam salutem promereri, & consequi, vel in Deum per fidem dilectionémve conuerti. Quare sufficiet hîc solùm ex doctrina contra prædictos errores ibi tradita quatuor colligere & ponere Catholicas propositiones.

Prima est, gratiam quæ datur hominibus ad credendum, sperandum, diligendum, benè operandum, & vitam æternam consequendam, esse distinctam à beneficio creationis, & conseruationis, & externæ doctrinæ
II. legis, Euangelicæque prædicationis. Secunda, nos nullo opere nostro bono præuenire vnquam gratiam hanc, sed è contrario nos ante omne bonum opus ab hac gratia semper præueniri. Tertia, hanc eandem gratiam non modò vtilem, sed etiam necessariam esse ad benè operandum, & proinde ad credendum, sperandum, diligendum, vitámque æternam promerendam, & consequendam. Quarta, hanc necessariam ad rectè viuendum gratiam non tribui hominibus propter aliqua liberi eorum arbitrij merita, sed purè gratis, & ex sola Dei misericordia.

Circa quam postremam propositionem aduerte, in ea non negari, gratiam quamlibet homini necessariam tribui ipsi ex quibusdam
III. præcedentibus meritis, reuera enim aliquæ C
tribuuntur, communi Theologorum omnium consensu, & ipsa inter cæteras gratia sanctificans, seu remissionis peccatorum, ex Augustini epistola 105. sed hoc solùm negari, collectionem omnium auxiliorum diuinæ gratiæ ex antecedente aliquo merito nostro conferri: quod ideo saltem verum est, quia ante primum diuinæ gratiæ auxilium nullum boni operis meritum esse potest, cùm quodlibet boni operis meritum, atque adeo primum ex præuio aliquo gratiæ auxilio esse debeat: quod impedit quidem, ne ex solis liberi nostri arbitrij viribus esse possit opus aliquod quod vllam gratiam diuinam mereatur, non impedit autem, quominus ex iisdem viribus non
IV. solis, sed præuentis & adiutis per auxilium D
gratiæ possit aliquod bonum opus exerceri, quod alicuius alterius gratiæ meritorium saltem de congruo sit.

Atque ita explicata quarta illa propositio definita fuit in Concilio Palæstino coacto contra Pelagium, vt constat ex huius Concilij actis, & ex S. Augustino epist. 106. Eandem quoque definitam fuisse asserit Leo Papa ep. 86. alias 84. circa initium, & Prosper libro 1. contra Collatorem cap. 6. huius autem ratio à priori ducitur ex natura gratiæ, declarata paucis ab Apostolo cap. 11. epistolæ ad Rom. verbis illis: *Si gratia, non ex operibus, alioquí gratia iam non est gratia:* quibus significatur de natura gratiæ esse, vt non ex præcedente operum merito, sed purè gratis detur; quo fit, vt si ex præuiis meritis vel condignis vel congruis daretur, esset gratia, & non esset: esset quidem, V.
quia ita supponitur, & affirmatur: non esset autem, quia gratis non daretur, sed propter præuium meritum congruum vel condignum boni operis. quod argumentum fusè prosequutus sum in Tract. de Deo disput. & sect. citatis.

Terria quoque propositio definita fuit in Conciliis Mileuitano can. 5. Africano can. 80. Arausicano II. can. 7. Trident. sess. 6. can. 2. & in epistola Cœlestini Papæ ad Episcopos Galliæ cap. 10. quibus locis anathemate percellitur, qui dixerit *gratiam Dei hominibus tribui, vt quod facere iubentur per liberum arbitrium, per eam gratiam facilius implere possint*: & præterea dicitur *is hæretico falli spiritu, qui asserit posse hominem per naturæ vigorem bonum aliquod ad salutem æternæ vitæ pertinens cogitare, aut eligere, seu Euangelicæ prædicationi consentire absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti.* Qua definiVI.
B
tione haud dubiè statuitur, neminem sine hac Spiritus sancti gratia posse per fidem & dilectionem ad Deum conuerti, quandoquidem certum est hos dilectionis & fidei actus esse opera bona ad æternæ vitæ salutem pertinentia. Ratio autem à priori tertiæ illius propositionis ducitur à sancta cogitatione, quam debere necessariò præcedere quemlibet bonum affectum liberum nostræ voluntatis, quámque inter Christi gratias reponendam esse, probaui efficaciter in prædicto de Deo, Tractatu, disput. & sect. iam sæpiùs citatis.

Atque hac etiam ratione, & superiore ducta ex natura gratiæ, probaui ibidem à priori secundam quam hic posui propositionem, multisque præterea Scripturarum, Conciliorum, VII.
& Patrum testimoniis: quam etiam nunc confirmo ex can. 14. Concilij Arausicani secundi, in quo definitur, *Neminem ab vlla miseria liberari, quem misericordia Dei non præuenerit*: & ex 18. in quo sic dicitur: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur præcedit, vt fiant.* Item ex Prospero lib. 2. de Vocat. gentium cap. 26. aliàs 9. in quo ait, gratiam in omni iustificatione præeminere suadendo, incitando, monendo, hominis autem voluntatem subiungi ei atque coniungi. Ex Gregorio lib. 16. Moral. cap. 10. alias 11. vbi sic loquitur: *Superna pietas prius agit aliquid in nobis sine nobis, vt subsequente nostro arbitrio bonum quod appetimus agat nobiscum.* Bernardo denique opusculo de
VIII.
gratia & libero arbitrio circa finem, vbi sic ait, *Gratia liberum excitat arbitrium, cùm seminat, cogitatum*, & paulò pòst dicit gratiam in primo præuenire, vt iam deinceps voluntas in cæteris comitetur.

Prima deniq; propositio, qua parte dicit gratiã quæ datur ad credendum, sperandũ, &c. esse diuersam à dono creationis & conseruationis, cõfirmatur primò ex Ioan. 6. vbi cùm Christus dixisset, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eũ*, vt significaret tractione hac donum aliquod Dei cõtineri, occasione sumpta

ex quibusdam qui ad ipsum per fidem non veniebant, sed increduli ab ipso recedebant, adiunxit, propterea se dixisse priùs neminem venire ad se, scilicet per fidem, nisi cui à Patre tribueretur. Quibus verbis manifestè declarauit eos qui ad se credendo venerant, venisse, &
I. credidisse, ratione peculiaris alicuius doni, A quod aliis in incredulitate permanentibus datum à cœlesti Patre non fuerat. Quare cùm beneficium creationis & conseruationis commune sit omnibus tam incredulis quàm credentibus, consequens est aliud ad fidem habendam, & proinde ad salutem obtinendam, beneficium interuenire.

Confirmatur secundo ex his Christi verbis Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, quibus loquitur haud dubiè Christus de honestis & fructuosis operibus ad æternam salutem consequendam, vt exponit Concilium Mileuitanum can. 5. constatque præterea ex his parabolæ quam ibi proponit verbis: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum* (Pater scilicet meus:) *& omnem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat.* Et paulò
II. pòst: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert* B *fructum multum.* Iam verò quod velit Christus hæc honesta opera & fructuosa pendere ab aliquo auxilio quod ipse conferat, distincto à dono creationis & conseruationis, alióque omni quod ad illud reuocari posset, vt est concursus Dei generalis omni agenti necessarius, patet, tum ex eo quòd loquitur de speciali quodam auxilio requisito non indifferenter ad quæuis opera, etiam mala, & inutilia, sed ad honesta & æternæ vitæ fructum proferentia: at tam ad illa priora quàm ad hæc posteriora æquè requiritur beneficium creationis, conseruationis, & concursus diuini generalis: tum quia agit de auxilio quod eripitur iis qui in
III. Christo non manent, vt colligitur ex his sub- C sequentibus verbis, *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet*, quia nimirũ illo de quo ibi agitur priuatus auxilio nullos amplius fructus profert, vt nec palmes à vite, & ramus à radice præcisus: auxilium autem quod illis eripitur non est creationis, aut conseruationis, concursusve Dei generalis.

Confirmatur tertiò ex hac ratione, quòd videlicet & gratia illa quæ ad credendum, sperandum, & cætera quæ diximus facienda datur hominibus, sit sancta cogitatio, seu interior illuminatio & inspiratio, vt Scripturæ, Concilia, Patresque loquuntur, quam Christus passione & morte sua ipsis promeruit: qui sicut passus & mortuus non est vt ipsi crearentur, vt suprà ex
IV. S. Augustino & Africanis Patribus diximus, constatque ex epist. 95. inter Augustinianas, ita neq. passus & mortuus est, vt aliquid ad creationis donum pertinens ipsis tribueretur: qui proculdubio ab eo cuius opera perfecta sunt, acceperunt quidquid ad illud donum pertinet, à quo & creati sunt.

Et sanè cùm sancta illa cogitatio illuminatioque & inspiratio non pertineat ad solum naturæ commodum, quod solum spectat creatio, qua ipsum naturæ bonum & nihil aliud accipitur, sed conducat ad finem æternæ beatitudinis, cùm etiam nobis minimè insit à natura, aut ex ipso creationis beneficio, quia hoc stante prorsus integro & illæso, stante quoque nostra rerúmque omnium naturalium natura penitus integra & illæsa, sic omnia ordinari potuissent, vt prædicta cogitatio nunquam nobis V. in mentem veniret, non potest gratia sanctæ huius cogitationis in creationis conseruationísque beneficio numerari, vel ad ipsum meritò reuocari.

Postremò secunda primæ prædictæ propositionis pars, in qua dicitur, præfatam gratiam esse quoque diuersam à dono externæ doctrinæ legis, & Euangelicæ prædicationis, confirmatur primò ex can. 4. Concilij Mileuitani, ex 79. Africani, ex 16. Arausicani secundi, in quibus definita est. Confirmatur secundò ex iam relatis Christi verbis Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* ex quibus, vt suprà etiam diximus, colligitur peculiare gratiæ beneficium datum fuisse venientibus per fidem ad Christum, quod datum non est iis qui incredduli ab eo recesserunt. Atque vt hoc peculiare VI. beneficium non potest esse creationis, quia hoc tam incredulis quàm credentibus commune est, ita non potest esse Euangelicæ prædicationis, quia tam illi quàm hi gratiæ huius fuerant facti participes.

Confirmatur denique ex cap. 3. epistolæ ad Rom. ex 3. item secundæ ad Corint. & ex 2. ad Galat. aliísque omnibus locis, in quibus ait Apostolus, ex lege neminem iustificari posse, legè operari iram, literam, id est, legem exteriùs sonantem, occidere: his enim omnibus locis ipse vult, ex lege, eiúsque cognitione præcisè neminem potuisse olim, & nunc posse legem ipsam implere, seu bene & iustè operari, sed ad id necessarium semper fuisse præter legem eiúsque cognitionem spiritum interioris gratiæ: quem spiritum cùm lex ipsa legísque cognitio non VII. daret, sed solus Christus merito passionis & mortis suæ, daret autem eadem lex cognitionẽ multorum non faciendorum, & multorum aliorum faciendorum, inferrétque proinde obligationem & hæc faciendi, & illa non faciendi, hinc dixit Apostolus, legem operari iram, & occidere, id est, occasionem solùm esse mortis & iræ, quatenus nullius alterius rei causa est quàm cognitionis quam habemus de rebus agendis, & non agendis: qua cognitione præsuppositа, dum agenda non agimus, & non agenda agimus, peccamus, & proinde ira Dei & æterna morte digni sumus.

Atque hoc ex epistola ad Galat. petito testimonio vsum est Arausicanum Concilium can. 16. & illo sumpto ex cap. 3. epistolæ ad Romanos S. Augustinus vsus est libro de gratia Christi cap. 8. & libro de spiritu & litera cap. 13. 14. & 17. ad illud ipsum probandum quod hìc cõfirmandum susceperamus. Ex quo, simúlque ex cæteris in confirmationem quatuor suprà positarum propositionum allatis, satis constat, ad quæstionem sectionis huius tertiæ titulo propositam affirmatiuè esse respondendum. VIII.

SECTIO IV.

An possit homo sine gratia sanctificante, sine item Dei dilectione ac fide bonum aliquod opus exercere?

I. A DE tribus hîc quæstio est: de primo, nempe de gratia sanctificante error Lutheri fuit, ab homine peccatore, ac proinde extra statum gratiæ sanctificantis existente nullum bonum opus exerceri posse. De secundo, videlicet de dilectione censuit Michaël Baius, vt Recentiores communiter referunt, posse quidē opus aliquod bonum ab homine in statu peccati existente fieri, nullum tamen esse tale, nisi simul procedat à vera & Theologica virtute caritatis.

De eodem secundo fuit opinio Gregorij Ariminensis in 2. sentent. dist. 39. quæst. 1. art. 2. vt actus aliquis bonus sit, necessarium esse, vt sit vel expressa & formalis dilectio Dei, vel ad ipsum referatur vi prioris alicuius eiusmodi dilectionis, itavt formalis illa & explicita II. B Dei dilectio præcedere debeat, & habere rationem intentionis, cætera verò opera bona quæ exercentur rationem electionis, aut mediorum electorum ad placendum Deo per priorem illum dilectionis actum amato. Verùm Gregorius dilectionis nomine non intelligit ipsam Theologicam virtutem caritatis quæ supernaturalis est, sed vel hanc, vel saltem aliquem naturalem Dei amorem, in quo differt à Michaële Baio, qui ad opus bonum illam Theologicam caritatis virtutem requirebat.

De tertio denique, nempe de fide, eiusdem Gregorij loco citato sententia fuit, sine fide nullum bonum opus ab homine exerceri posse, nomine autem fidei intellexit non solam Theologicam fidei virtutem quæ supernaturalis est, III. C sed quamcunque vnius veri Dei cognitionem, qualis est etiam in hæreticis, in Iudæis, fuitque olim multis in Philosophis.

Quod ad Lutherum attinet, relatus eius error à Tridentino Concilio sess. 6. can. 7. expressè damnatus est. Refellitur quoque efficaciter ex Danielis cap. 4. in quo Nabuchodonosori regi extra statum gratiæ sanctificantis existenti dicitur, *Peccata tua eleemosynis redime.* quæ sanè redimi non posse, vel quoad pœnam solùm temporalem, peccatis aliis, aut indifferentibus operibus, at solis bonis & honestis per se notum est. Præterea ex S. Augustino docente epistola 105. remissionem peccati non fieri sine aliquo adulti cui peccata remittuntur merito, & proinde sine prævio aliquo eius actu bono: cui enim alteri ipsius actui quàm bono & honesto potest inesse vis aliqua merendi peccati remissionem? IV. D

Denique ex naturali ratione, qua euidens est statum peccati magnum quoddam malum esse, & proinde non posse non esse per se bonum & honestum velle de peccati statu exire, & redire cum Deo in gratiam, quandoquidem eandem aut persimilem bonitatem & honestatem per se habet malum seu inhonestum odio habere, ac contrarium bonum & honestum amore complecti. Quòd si potest peccator eos actus qui ad procurandam peccati remissionem fiunt, honestè exercere, & proinde sic vt illi ab habituali peccati malitia, in qua manet donec formaliter iustificetur, non inficiantur: pari iure poterit & alios omnes ex obiecto & circunstantiis bonos exercere honestè, itayt ij nullam ab illa habituali malitia maculam contrahant. V.

Quod spectat ad Michaëlem Baium, refutatur primò eo quòd aut sibi manifestè contradicit, aut existimat Theologicam virtutem caritatis esse aliquando cum mortali peccato coniunctam: si enim putat nunquam cum eo contungi, sequitur eum qui in hoc peccato est illa caritate carere, & proinde nullum vnquam opus bonum exercere posse, quandoquidem vult nullum opus bonum esse posse, nisi procedat ab illa caritate: sibi ergo repugnat asserens ab homine in statu peccati existente bonum aliquod opus esse posse. Quòd si existimat Theologicam caritatis virtutē aliquando cum peccato mortali consistere, repugnat communissimæ non modò Theologorum, sed etiam totius Ecclesiæ, doctrinæ quæ contraria est, VI. quámque Tridentinum Concilium sessionis 6. cap. 7. declarauit, confirmauitque, dum asseruit homines iustificari seu à peccatis emundari, cùm ex Christi meritis caritas in eorum cordibus diffunditur.

Refutatur secundò ex citato cap. 4. Danielis, in quo cùm suaderet prædicto Regi Daniel eleemosynis peccata redimere, suadebat exercitium non Theologicæ caritatis, sed virtutis misericordiæ quæ ab illa caritate distinguitur, & cum peccato stare potest, & proinde esse sine illa caritate, cùm hæc nunquam cum peccato consistat.

Refutatur tertiò duplici ratione, qua pariter falsitatis conuincitur opinio Gregorij, quātum ad id quod suprà retulimus ipsum sentire de dilectione seu caritate. Prima, & à priori VII. est, quòd ad actum virtutis seu moraliter bonum sufficiat ipsum ferri in honestum gratia ipsius honestatis, vt ex doctrina Philosophi docuimus hac prima secundæ in Tract. de bonitate & malitia actuum humanorum disput. 1. sect. 3. vt autem feratur vel in honestum in genere, vel in aliquod honestum particulare, vt Iustitiæ, Misericordiæ, Temperantiæ, aut alterius similis specialis à caritate distinctæ virtutis, minime necessaria sit caritas, sed sufficiat vel sola potentia voluntatis, vel certè simul instructa habitu particularium illarum virtutum.

Secunda, & à posteriori est, quòd ex relata Michaëlis & Gregorij opinione sequatur vix vlla opera bona exerceri à quantumuis iusto homine, cùm perrarum sit vt hic actu aliquo VIII. veræ Dei dilectionis siue naturalis siue supernaturalis omnia opera sua sic ad Deum referat, vt ea vi huius relationis exerceat, cuius tamen vi exerceri esset necessarium, vt aliquam ab illa vel naturali vel supernaturali Dei dilectione moralem bonitatem acciperent, vt constat ex dictis eodem Tract. disput. octaua sect. 1.

Denique idem Gregorius, quantum ad id quod suprà diximus ipsum de fide censuisse, refellitur primò ex S. Augustino, qui libro de

gratia Christi cap. 14. concedit in Assuero rege infideli fuisse bonum aliquod opus & veræ virtutis, quod tamen monet, non ex solis naturæ viribus, sed à gratia profectum esse. Idipsumque expressiùs adhuc asserit epistola 150. de quodam Polemone item infideli, qui temulentus scholam Xenocratis philosophi ingressus
I. eius oratione ad meliorem frugem se recepit.

Secundò ex Pio Papa V. qui hanc Michaëlis Baij propositionem condemnauit, Omnia opera infidelium sunt peccata: quæ damnatio Gregorium quoque ipsum inuoluit, cùm infidelium nomine illi maximè intelligantur, qui vnius veri Dei cognitionem non habent, quorum tamen opera omnia Pontifex non vult esse peccata, sed potiùs aliqua moraliter bona. Tertiò hac ratione à priori, quòd nimirum absque vnius veri Dei cognitione possit haberi cognitio honestatis moralis, in quam dum fertur actus voluntatis, gratia ipsius honestatis, actus moraliter bonus est, vt suprà docuimus.

Iam pro Gregorio obiicies S. Augustinum pluribus locis significantem in infidelibus nulII. la esse opera bona, vt libro de continentia circa finem, lib. 4. contra Iulianum cap. 3. & lib. 5. de Ciuitate cap. 12. & 13. vbi Romanorum virtutes affirmat vitia fuisse, quòd ex fine inanis gloriæ omnia agerent: quod ibidem confirmat ex his Apostoli verbis ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Obiicies item ad opus moraliter bonum esse necessarium, vt expressè referatur in Deum, non posse autem in eum sic referri absque aliqua cognitione veræ diuinitatis.

De S. Augustino respondeo, ipsum locis illis tantùm velle, raro fieri vt ab infidelibus exerceantur opera omni ex parte bona, & quæ non aliqua vitiosa circunstantia finis præsertim indebiti inquinentur. Quæ expositio conformis est iis quæ habet libro de spiritu & litera cap.
III. 27. quæque alia occasione postea inter argumenta ex authoritate Patrum nobis obiecta referemus. Quod autem ex Apostolo allatum est, quamuis sanctus ille Pater passim intelligere videatur de fidei virtute, certum tamen est ex Apostoli contextu intelligi debere de conscientia, sensumque esse, omne quod contra reclamantis conscientiæ iudicium fit peccatum esse, quod pro Gregorij sententia nihil omnino facit.

Ad obiectam rationem dico falsum esse, vt opus aliquod habeat moralem bonitatẽ Temperantiæ, Misericordiæ, aut similis specialis virtutis à caritate distinctæ, necessariam esse expressam eius in Deum relationem, sufficere vt referatur in specialem illam honestatem gratia ipsius honestatis.

IV. Denique pro eodem Gregorio, simúlque pro Michaele Baio, obiicies primò varia dicta S. Augustini, quæ ad tria genera reduci possunt. Primum est eorum quibus expressè ait quod non fit ex caritate non bene fieri. Ita loquitur libro de gratia & libero arbitrio cap. 15. libri primi Retract. cap. item 15. & epist. 106. Secundum est eorum quibus inquit omnia bona hominis referenda esse in summum bonum, nempe in Deum. Ita ipse libro de Moribus Ecclesiæ cap. 14. Tertium eorum quibus dicit virtutes dum propter se expetuntur superba esse vitia, quo modo loquitur libro 19. de Ciuit. cap. 25. quibus ex duobus posterioribus colligitur virtutes virtutúque actus propter Deum expeti & fieri debere, quod sine charitate esse non potest.

A Obiicies secundò & rationem hanc, quòd nimirum nulla creatura sit quæ propter se amari debeat, opera verò honesta, vt restituere alienum, subleuare miseriam pauperis, & similia, quædam creaturæ sint, quæ proinde non propter se, sed propter Deum diligi debent, quod sine caritate fieri non potest.

Respondeo S. Augustinum nomine caritatis sæpissimè, nominatimque locis in obiectione citatis, intelligere non præcisè virtutem illam qua ferimur actu dilectionis in Deum, sed quemlibet amorem veræ virtutis quo Dei lex obseruatur. Cuius appellationis ratio est, quòd diuinæ legis obseruatio contineatur quibusdam actibus, qui sunt vel circa ipsum Deum, vel circa nos, vel circa proximum, ac proinde
B qui habent aliquid aliquo modo dilectionis vel Dei, vel nostri, vel proximi. Sic aperte sumpsit libri secundi contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9. in quo *quid est*, inquit, *boni cupiditas, nisi charitas?* Et libro de spiritu & litera cap. 32. dum sic ait: *Hæc est fides quæ per dilectionem operatur, non per timorem formidando pœnam, sed amando iustitiam*: vbi dilectionem & amorem iustitiæ pro eodem accipit: hanc autem dilectionem immediatè post caritatem nominat. Libri item 4. contra Iulianum cap. 3. in fine, vbi actum coniugij licitum, factum non voluptate libidinis, sed voluntate propaginis, & ob filiorum propagationem, amorem Dei nuncupat.

Hoc eodem modo Concilium Mileuitanum can. 14. charitatis vocem vsurpauit, dum, vt suprà retulimus, dixit donum Dei esse scire quid
C agere debeamus, & diligere vt faciamus: hanc enim dilectionem postea caritatem nominat, pro eodem proinde vsurpans caritatem & operum præceptorum dilectionem. Patet autem ex hac caritatis acceptione non posse concludi quod volunt prædicti Michael & Gregorius, nimirum sine Theologica virtute caritatis, aut sine Dei naturali vel supernaturali dilectione nullum opus bonum ab homine posse exerceri.

Iam ad obiectum ex libro de Moribus Ecclesiæ testimonium dico, omnia quidem bona ad Deum referenda esse, sed hoc esse intelligendum, non de sola illa relatione quæ expresse formalique actu supernaturalis aut naturalis dilectionis Dei fiat, sed de ea etiam qua ob id præcisè opus aliquod in Deum referri dicitur, quòd secundùm eius voluntatem eíque gra-
D tum sit: quod habet omnis actus veræ virtutis quicunque ille sit, qui propterea dici rectè potest per se tendere & ordinatus esse in Deum, non ordinatione aliqua extrinseca, quæ fiat per aliquem actum ab eo actu qui ordinatur distinctum, sed intrinseca, & ad ipsam actus honesti naturam pertinente.

Quòd autem ait idem Augustinus loco citato de Ciuitate, virtutes dum per se appetuntur superba esse vitia, nihil fauet aduersariis: ibi enim Stoicos insectatur qui censebant vltimum

finem hominis in virtute positum esse, & hanc vt finem vltimum esse amplectendam: quo sanè modo virtutem dicit non esse virtutem, sed superbum vitium, vtpote quæ sibi arrogat excellentiam finis vltimi soli Deo debitam: quod non impedit quin honestè virtus appeti propter se possit, vt particulare aliquod & creatum I. bonum, natura sua relatum & ordinatum ad obsequium & honorem summi & increati boni, nimirum Dei, in quo solo consistit rationalis creaturæ felicitas.

Vnde ad rationem quæ secundo loco nobis obiecta est, dico creaturam aliquam non modo sine peccato, sed etiam honestè & meritorie diligi & appeti posse propter se, dummodo creatura illa sit bonum aliquod honestum quod ametur & appetatur non vt finis vltimus, sed vt particulare aliquod bonum, quod natura sua ordinatum est in finem vltimum, qui est solus Deus.

SECTIO V.

II. *An possit homo sine gratia seruare omnia collectiuè naturalis legis præcepta, atque adeo omnem collectiuè contra legem hanc tentationem vincere.*

QVÆSTIO hic primò est de auxilio gratiæ interioris actualis, non de habitualis, de cuius necessitate ad hæc ipsa, quæ hoc loco proposuimus adimplenda, postea disputabimus. Secundò de homine qui ratione libertatéque sic vtitur, aut vti potest, vt si tentationi succumbat, & contra naturæ legem faciat, peccet. Neque tam hoc loco de homine ita spectato quæritur, vtrùm possit sine interiori actuali gratia exercere bona opera moralis virtutis acquisitæ, qualia sunt omnia aut pleraque quibus III. naturæ lex obseruatur, nam hac de re sectione 8. ex professo tractabimus, quàm vtrùm possit vitare omne collectiue peccatum contra legem illam, & proinde omnem contra eam tentationem collectiue sumptam superare, siue vitet & superet per exercitium actus boni & meritorij de condigno vitæ æternæ, siue per exercitium actus boni quidem, sed minime sic meritorij, siue denique absque actus boni exercitio.

Vnica assertio. Non potest homo omnia legis naturalis præcepta collectiuè sumpta sine gratiæ auxilio seruare, nec proinde potest omnes contra legem illam tentationes collectiue sumptas vincere, itavt contra eam non aliquando peccet. Ita communiter Theologi omnes, paucis recentioribus exceptis, qui licet contrarium asserant, se tamen in errore Pelagianorum minimè esse putant, quod dicant IV. Pelagium necessitatem gratiæ ad omnia præcepta collectiue seruanda reiicientem, non de solis naturalibus, sed de supernaturalibus quoque loquutum esse. Quod etsi verum sit, probo tamen contrariam nostræ assertioni doctrinam non omni errore vacare, ostendendo nostræ assertionis veritatem primùm ex tribus Scripturæ testimoniis, secundò ex duobus Mileuitani Concilij decretis.

Primus Scripturæ locus est apud Apostolum epistolæ ad Rom. cap. 3. vbi postquam dixit ex operibus legis non iustificari vllum hominem coram Deo, statim eius rei rationem reddens addit, *per legem enim cognitio peccati*: quæ verba idem valent ac si diceret, cùm ex lege nihil aliud habeamus, quàm notitiam eorum quæ A facienda quæque fugienda sunt, non autem vires ad ea obseruanda, nullus hominum potest V. ex operibus legis, seu ex iis operibus quæ ex sola præsupposita legis notitia faceret per naturæ vires, non subministrato simul interioris gratiæ spiritu, quem Apostolus ea tota epistola commendat, iustus esse coram Deo: qui tamen si absque hoc spiritu seruare per naturales vires naturæ legem posset, seu quod idem est opera legis facere ex sola eius præsupposita notitia, posset quoque ex operibus legis coram Deo iustus esse, cùm dicat Apostolus, eiusdem epistolæ c. 2. *non auditores legis, sed factores iustos esse apud Deum.* Ex quo sequitur euidenter neminem absque interioris gratiæ spiritu opera legis facere seu naturæ legem seruare posse, vt etiam ex hoc ipso loco rectè concluserunt B Patres Mileuitani Concilij cum Augustino epi- VI. stola 95. inter Augustinianas, & idem ipse Augustinus libri de spiritu & litera cap. 13. & 14. libri de gratia Christi cap. 8. libri de gratia & libero arbitrio cap. 11. ac 12. & epistola 57.

Neque dicas Apostolum docentem ex operibus legis neminem iustificari coram Deo, per legem intelligere præcepta non naturalia seu moralia, sed ceremonialia & iudicialia quæ lex illa vetus comprehendebat. Neque confirmes ex eo quod cap. 2. eiusdem epistolæ ait Apostolus, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, quod non videtur nisi de præceptis ceremonialibus & iudicialibus, quę Christi morte abrogata fuerunt intelligi. Ne, inquã, id dicas, nam legis nomine reuera scriptam Decalogi legem naturalia præcepta cõtinentem C intelligit, vel solam, vel saltem quatenus pars VII. erat veteris legis ambitu suo comprehendentis tam scriptam illam Decalogi seu naturæ legem, quàm præcepta alia quæ ceremonialia & iudicialia dicebantur, vt patet ex his Apostoli cap. 2. verbis, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Vbi legis nomine nulla alia præcepta quàm Decalogi seu naturæ, quæ cuiuis homini naturale rationis lumen dictat, intelligi possunt.

Vnde ad confirmationem respondeo horum Apostoli verborum, *Arbitramur*, &c. hunc esse sensum, hominem iustificari per fidem sine operibus legis, id est, sine operibus debitis ex vi legis Mosaicæ, vt pote quæ tota per Christum abrogata est, quamuis remanserit obligatio seruandi naturalia seu moralia præcepta Decalo- D go contenta, at non vt data per Moysem fue- VIII. runt, sed vt sunt purè naturalia seu moralia, vel etiam vt sunt per Christum in Euangelica lege renouata: quæ est expositio Toleti in eum locum. Vel sine operibus legis, id est, factis ex sola præsupposita legis notitia absque spiritu interioris gratiæ: quam expositionem D. Augustinus loco illo de spiritu & litera amplectitur. Vel denique sine operibus legis, quia, vt interpretatur S. Anselmus, ad iustitiam coram Deo consequendam, necessarium absolutè non

est, vt legis opera præcesserint, cùm tamen necessariò præcedere debeat fides, quia sine fide impossibile est placere Deo, vt ait Apostolus ad Hebr. cap. 11.

Secundus locus habetur eiusdem epistolæ ad Rom. cap. 7. vbi cùm dixisset Apostolus, I. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* quibus verbis non petit solui hoc mortali corpore, & exire de vita, sed à concupiscentiis carnis liberum fieri, sic saltem vt iis interior homo seu ratio non succumbat, statimque respondisset, *Gratia Dei per Iesum Christum*, sub initium capitis sequentis adiunxit, *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus filium suum, vt iustificatio legis impleretur in nobis:* id est, vt legem quæ iusta erat & sancta, quæque à nobis ob infirmitatem carnis impleri non poterat, implere possemus, & reipsa impleremus. Quam legis adimpletionem cùm dicat impossibilem fuisse legi, sequitur nos eam legem ex sola eius præsupposita notitia adimplere non posse, nisi submINISTRATO simul interioris gratiæ spiritu, quem II. vt haberemus Christus in hunc mundum venit, & mortuus est. Vnde clarissimè verissimèque S. Fulgentius libri de Incarn. & gratia Christi cap. 16. ad hunc Apostoli locum respiciens, postquam dixit neminè à peccato liberari posse, nisi per Agnum Dei Christum, rationem reddit verbis istis: *De corpore enim mortis huius non liberum hominis arbitrium, neque legis sanctum mandatum, sed sola nos liberat gratia Dei per Iesum Christum.*

Neque quispiam hîc comminisci potest, Apostolo ibi de lege loquenti sermonem non esse de naturali quæ Decalogo continebatur, cùm, vt exposuimus, postulet se liberari à concupiscentiis carnis, quarum victoriam dicit impossibilem fuisse legi, haud dubiè illi contra quam militabant, quæ certè est naturalis: contra eam III. enim aut solam aut præsertim concupiscentiæ illæ militant: cùm etiam addat Deum misisse filium suum, vt nos per eius gratiam implere legem possemus, quam per carnis infirmitatem non poteramus: qui si de nobis in Euangelica lege viuentibus loquitur, nomine legis sola naturalia seu moralia præcepta procul dubio intelligit, cùm vt ceremonialia & iudicialia, quæ antiqua lex præter moralia comprehendebat, obseruaremus, Christus in mundum non venerit, sed potiùs vt ea non obseruaremus, quandoquidem eorum obseruationem nobis prohibuit: si verò loquitur de viuentibus in lege Mosaica, sanè cùm dicit Apostolus Deum decreuisse mittere filium suum, vt illi per gratiam propter eius præuisa merita datam legem obseruarent, legis nomine non est quod excludi IV. moralia seu naturalia dicantur præcepta, sola autem ceremonialia & iudicialia comprehendi.

Tertius Scripturæ locus petitur ex epistolæ 2. ad Corinth. cap. 3. in quo sic ait Apostolus, *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu: litera enim occidit, spiritus autem viuificat.* Quo loco literæ nomine speciatim intelligitur lex Decalogi lapideis tabulis insculpta, vt & docet S. Augustinus lib. de spiritu & litera cap. 14. & aperte deducitur ex his consequentibus Apostoli verbis, *Quòd si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria,* &c. ex aliis quoque antecedentibus, quibus earundem lapidearum tabularum mentio fit: quæ litera seu lex nequaquam ab Apostolo diceretur occidere, neque eius promulgandæ officium vocaretur ab eodem *ministratio mortis*, & iterum, *ministratio damnationis*, si absque interioris gratiæ spiritu, quem Paulus intelligit hoc ipso loco *spiritus viuificantis* nomine, seruari ab homine posset per solas naturæ vires, ex sola præsupposita huius ipsius literæ seu legis notitia: reuera enim non aliam ob causam sic ab eo nominatur, quàm quòd ipsa tribuens vna quidem ex parte cognitionem rerum quæ faciendæ, quæque fugiendæ sunt, ex altera verò non afferens secum spiritum interioris gratiæ ad illa quæ præscribit facienda fugiendaque necessarium, nam hunc solus Christus merito suæ passionis & mortis tribuit, nullius alterius rei occasio est, quàm spiritalis mortis & damnationis, quam incurrent ij, qui accepta per legem rerum faciendarum fugiendarúmque notitia, eas minimè facient, aut fugient, nisi necessarium interioris gratiæ spiritum cum VI. ea pariter accipiant, quem tamen ipsa suppeditare non potest, sed solus Christus, vt iam dixi.

Vnde toto illo quem hîc tractamus loco, Apostoli mens est, comparationem instituere inter Mosis ministerium & Apostolorum, hósque illi in eo præferre, quòd ille promulgauerit legem exteriùs sonantem, & occidentem, eo sensu quo iam explicui: hi verò legem Euangelicam prædicauerint, & spiritum interioris gratiæ quem illa continet, vt & Christum, qui vtriusque author est, quod certè munus illo longè præstantius est. Hunc autem spiritum viuificare dicit Apostolus, huiúsque prædicandi officium vocat *iustitiæ ministerium*, quòd hic spiritus sit occasio & causa vitæ spiritalis, & iustitiæ quam consequuntur ij qui illo impulsi VII. adiutíque legem obseruant, quámque illo destituti nunquam obseruarent, aut obseruare possent.

Venio iam ad Concilium Mileuitanum, cuius in can. 4. damnatur, qui dixerit *gratiam Dei per Christum ideo tantùm iuuare nos ad non peccandum, quia per ipsam scimus quid appetere aut fugere debeamus, non autem vt quod faciendum nouimus facere valeamus.* Ex qua Concilij definitione manifestum est mentem eius esse, gratiam Dei quæ per Christum tribuitur homini, tribui ipsi, vt possit non peccare contra diuina mandata, qua proinde gratia destitutus non posset hæc mandata collectiuè saltem sumpta seruare, sic vt non aliquando contra ipsa peccaret. In canone item 5. damnatur, qui dixerit *gratiam iustificationis ideo nobis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, quasi etsi gratia minimè daretur, non quidem facilè, sed tamen possemus implere diuina mandata.* Vbi nota per gratiam iustificationis intelligi non formaliter sanctificantem seu iustificantem, quam Patres contra Pelagium scribentes vocare solent gratiam remissionis peccatorum, sed intelligi interiorem actualem excitantem & iuuantem ad rectè viuendum, tentationésque superandas, de qua

sola fuit illis cum Pelagio controuersia, quæque à S. Augustino passim ac Concilio Carthaginensi circa tempora Bonifacij cap. 78. à Cœlestino Papa epistola 1. cap. 10. aliisque sanctis Patribus ita appellatur, quia illâ mouemur & iuuamur ad veram sanctitatem & iustitiam obtinendam, & iam obtentam adaugendam.

I.

Hîc fortè dicet aliquis Concilium vtroque in canone mandatorum nomine, quæ collectiuè seruari non posse sine interiori actuali gratia definiuit, comprehendisse non sola naturalia legis naturæ seu Decalogi præcepta, sed etiam supernaturalia fidei, spei, charitatis, & similia, hincque proinde probari non posse gratiam hanc ad seruanda collectiuè sola legis naturalis seu Decalogi præcepta esse necessariam, quod tamen in assertione nostra diximus, probandúmque suscepimus. Verum hoc purum commentum & effugium certò existimabit, qui perpendet dubitari iure non posse, quin illius Concilij Patres canonibus illis Pelagij doctrinam condemnâtes damnare voluerint, quod S. Augustinus, qui magna pars eiusdem Concilij fuit, & alij Patres contra Pelagium scribentes, in ipso tanquam doctrinæ Catholicæ repugnans reprehenderunt: quod autem hoc reprehenderint, nempe vel ipsam solam naturæ legem, vt purè quid naturale vetat aut præcipit, seruari posse ab homine sine interioris gratiæ spiritu, manifestum est in primis ex Patribus Concilij Carthaginensis epistola ad Innocentium Papam, quæ est 90. inter Augustinianas, in qua satis ante medium tanquam Pelagij errorem redarguunt, dicere propria voluntate seruari posse ab homine legem Dei, *siue naturaliter*, inquiunt, *in corde conscriptam*, *siue in literis datam*, quæ sanè est lex naturalis Decalogi scripto data, & cuiusuis hominis intellectui naturaliter insculpta.

II.

Deinde ex Innocentio Papa ad prædictos Patres rescribente epistola inter Augustinianas 91. & post eius medium dicente, *Deum quotidiana præstare beneficia*, id est, auxilia, *quibus nisi freti, nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores*: & postea hæc addente, *Necesse est enim vt quo auxiliante vincimus, eo non adiuuante vincamur*. Quibus verbis haud dubiè loquitur de peccatis contra naturæ legem, quandoquidem ea sunt ad quæ non committenda quotidiana nobis præbentur auxilia, cùm vt præcepta sacramentorum & alia supernaturalia, quæ pauciſſima sunt, non nisi rariſſimè obligant, ita non simus quotidie in periculo peccandi contra ipsa, nec proinde quotidiana nobis auxilia præbeantur, ne contra ea peccemus.

III.

Denique ex S. Augustino epistola 95. ad eundem Innocentium, quam scripsit cum quatuor aliis Mileuitanis patribus, in qua satis post medium sic de Pelagio loquitur, *Siue gratiam dixerit esse liberum arbitrium, siue remissionem peccatorum, siue legis præceptum, nihil eorum dicit quod per subministrationem sancti Spiritus pertinet ad concupiscentias tentationésque vincendas*. Quibus extremis verbis satis aperte significat, errorem Pelagij fuisse, ad vincendas concupiscentias, quæ sanè contra naturæ seu Decalogi præcepta militant, non esse necessarium actuale interioris gratiæ auxilium, contrariúmque ipsi fuisse

IV.

A

B

C

D

fatendum, vt censeri posset Catholicus. Post quæ paucis interiectis hæc subiungit ipse Augustinus. *Vnde satis apparet quod ad non peccandum, id est, ad non malefaciendum*, (haud dubiè contra legem illam contra quam nostræ concupiscentiæ militant, quarum proximè ante mentionem fecerat) *quamuis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen eius potestas non sufficit, nisi adiuuetur infirmitas.*

V.

Atque huius nostræ assertionis quam probauimus hactenus veritas, duabus proximè sequentibus à fortiori præterea probabitur: si enim, vt in prima duarum istarum ostendemus, aliquæ sunt in particulari tentationes contra naturæ legem, quas sine interioris gratiæ auxilio superare non possumus: imò si, quod in secunda probabimus, nullam ne leuissimam quidem possumus, certè consequens euidenter est, nos multò minùs posse superare omnem collectiuè. quod huius quintæ sectionis assertione diximus.

SECTIO VI.

VI.

An possit homo sine gratia seruare diuisiuè quodlibet naturalis legis præceptum, atque adeo quamlibet diuisiuè contra legem hanc tentationem vincere?

QVÆSTIO hæc, vt & ea quam sequenti sectione proponemus, intelligenda est eodem sensu de gratia, & homine, quo præcedente sectione propositam intelleximus, quem sensum eius initio declarauimus. De ea autem quam hac sectione proponimus, sit

Vnica assertio. Non potest ab homine sine gratia superari quælibet diuisiuè sumpta contra naturæ legem tentatio, nec proinde seruari quodlibet diuisiuè sumptum legis huius præceptum, itavt contra illud non aliquando homo peccet. Ita præter eos quos pro sequente assertione cùm ad eam venero, citabo, Bonau. in 2. distinct. 28. artic. 2. quæst. 2. Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 21. Vega Opusculo de iustificatione quæst. 12. & Medina hic 1. 2. quæst. 10. artic. 1. qui licet existiment hominem posse sine gratiæ auxilio superare tentationes aliquas, nimirum eas quæ leues sunt, quod sequenti sectione refutabo: simul tamen docent esse aliquas alias certas & determinatas in individuo seu singulariter acceptas, quas non potest toto saltem quo continuè durant tempore, quod aliquando maius, aliquando minus est: & huius generis esse omnes graues, & vtcunque notabiles quæ occurrere possunt in quauis peccati specie.

VII.

VIII.

Probatur huius doctrinæ veritas in primis ex Scriptura & Patribus. Et ex Scriptura quidem ex his Christi verbis ad Apostolos Matth. 26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* per quæ significare voluit imminere ipsis singularem aliquam tentationem quam absque gratię auxilio superare non poterant. Nam propterea non solùm dixit, *Vigilate*, sed & addidit, *Orate*, vt scilicet oratione impetrarent necessarium ad imminentis tentationis victoriam

gratiæ auxilium, vt rectè expenderunt Patres Concilij Carthaginensis epistola ad Innocentium Papam, quæ est 90. inter Augustinianas, & ipse D. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4. Præterea ex his Sapientiæ 8. *Scimi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*: quo loco Sapiens continentiæ nomine castitatem intelligit, vt est communis expositio Patrum quam S. Augustinus perpetuò amplectitur, nominatim epistola 89. quæst. 2. & alij cum ipso Africani Patres epistola 95. Prosper quoque libro 2. de Vocat. gentium cap. 28. alias 9.

I.

Ex Patribus autem habemus pro eadem veritate luculetum ipsius Prosperi testimonium, qui libro contra Collatorem cap. 33. & 34. tanquam Pelagianum errorem in Cassiano reprehendit, quòd Iobi cum diabolo certamen, & reportatam de eo victoriam, impellente ad impatientiam & blasphemiam contra Deum, vt significant hæc eiusdem diaboli verba, *Nisi in faciem benedixerit tibi*, ad naturalem ipsius Iobi facultatem retulisset, & non ad diuinam gratiam, sine qua tam grauem tentationem superari, & illam ab eo reportari victoriam non potuisse disertè pronuntiat, qui relatis Cassiani verbis quibus eam naturali ipsius Iobi facultati virtutíque ascribit, sic caput 33. exorditur. *Quis hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet, nisi quæ in collucutionibus domesticis sæpe defensa sunt, etiam scripta legerentur?* Et paulò post sic ipsum Cassianum alloquitur: *Cur inuictissimæ veritatis arce deserta, gradatim ad præcipitia Pelagiana decurris?* Sequenti capite contra eundem sic concludens: *Si ergo hac magnitudine animi quam illata per singulos omnésque artus tot mortium pœna non superat, nihil inter Sanctorum palmas memorabilius, nihil inuenitur illustrius, eamque asseris ex humana tantùm virtute subsistere, quid erit laudis & meriti, quod inter studia quietis ac pacis nequeat arbitrij obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis de suis viribus coronasti?*

II.

III.

Habemus præterea S. Augustini aliud non minus efficax lib. de bono perseuerantiæ cap. 14. non procul à fine, scribentis continentiam, & ipsammet etiam coniugatorum castitatem ex Apostoli sententia primæ Corinthiorum 7. non humanarum esse virium, sed diuinæ gratiæ, dum sic ait: *Cum Apostolus ad pudicitiam coniugalem coniuges hortaretur, vellem, inquit, omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autem sic. Vbi satis ostendit non tantum continentiam donum Dei esse, sed coniugatorum etiam castitatem.*

Habemus denique tertium, vt alia multa omittam, Celestini primi summi Pontificis epistola 2. ad Episcopos Galliæ cap. 6. vbi sic loquitur: *Nemo etiam baptismatis gratia renouatus idoneus est ad superandas diaboli insidias, & euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adiutorium perseuerantiam bonæ conuersationis accipiat.* Ex quo loco non solùm colligitur ad seruandam totam collectiuè legem, superandasque omnes collectiuè contra eam tentationes, esse necessariam gratiam, sed etiam ad multas singulares diuisiuè sumptas, cùm dicat Pontifex, nos idoneos non esse ad tentationes & concupiscentias vincendas, nisi per quotidianum Dei auxilium: quod quotidianum appellat, vt significet, quòd sicut quotidie & quodammodo assidue concupiscentiis & tentationibus appetimur, ita quotidie & prope continuo Dei auxilio indigemus, ne succumbamus, & peccemus. Vnde sequitur euidenter, quòd si die aliquo certo nobis illud auxilium deesset, certas & determinatas singularésque diei illius tentationes superare minimè possemus, alioqui sine quotidiano Dei auxilio ad tentationes & concupiscentias vincendas idonei essemus, quod expressè negat Pontifex.

IV.

A

V.

Probatur secundo ex duobus absurdis quæ contraria ex sententia sequuntur. Primum est gratiam quæ datur ad superandas tentationes nunquam dari tanquam ad hoc necessariam, sed solùm tanquam vtilem, nimirum vt faciliùs id per eam fiat, quod per solas naturæ vires licet difficilius, absolutè tamen fieri potuisset. Quod absurdum esse constat ex relato, superiori assertione & sectione, canone 5. Mileuitani Concilij, in quo hoc damnatum disertè videtur. Sequi autem ex contraria sententia patet, eo quòd auxilium gratiæ non in genere vel in confuso datur, sed in singulari certis determinatisque temporibus ad alicuius particularis præcepti quod occurrit obseruationem, singularisque alicuius tentationis vehementis (nam de hoc solo tentationum genere hac sectione & assertione agimus) victoriam. Vnde sic disputo: Aut potest eiusmodi tentatio tùc, cùm gratia ad eam superandam datur, sine gratia superari, aut non potest: si secundum, consequens est tunc esse necessariam gratiam ad particularis alicuius tentationis victoriam, & singularis alicuius præcepti obseruationem, quod hîc solùm probare contendimus: si primum, sequitur non fuisse tunc datam tanquam necessariam, sed tantùm tanquam vtilem. quod est absurdum primum quod ex contraria sententia sequi dicimus.

B

VI.

C

VII.

Alterum quod ex eadem sequitur est, hominem posse sine gratiæ auxilio superare omnes contra naturæ legem tentationes collectiuè sumptas, atque adeo totam hanc collectiuè legem seruare, itavt contra eam nunquam peccet. quod falsum esse, imò Pelagianum superiori sectione tribus Scripturę testimoniis, & duobus Concilij Mileuitani decretis ostendimus. Sequi autem hinc probatur, quòd tentationes omnes quæ tota vita contra prædictam legem superandæ occurrunt, sicut non occurrunt simul omnes, sed successiuè vna post aliam, ita non omnes simul, sed successiuè tantùm vna post aliam superandæ sunt: quoties autem quis ex aliqua collectione seu numero quamlibet diuisiuè partem sumere, aut consumere successiuè potest, toties & ipsam totam collectionem seu cumulum exhaurire potest. Et ratio euidens est, quòd ad totum tandem cumulum exhauriendum, alia vis non requiritur, quàm ea quæ sufficit ad singulas eius partes diuisiuè sumptas successiuè consumendas, cùm necesse prorsus sit ex singularum successiua vnius post aliam, secundæ post primam, tertiæ post primam & secundam, & ita de cæteris, consumptione, ipsam totam collectionem & cumulũ consum-

D

VIII.

tandem

tandem & exhaurири. Imò ſi quis eſt, qui vim habere dicatur ad totam aliquam collectionem conſtantem ſucceſſiuis partibus, ideo vim ad eam habere dicitur, quia vim habet ad eius ſingulas partes quando ipſæ exiſtunt: poſſe enim totum aliquod ſucceſſiuum facere, aliud nihil I. eſt, quàm poſſe ſingulas eius partes facere eo tempore quo ſingulæ vnæ poſt alias faciendæ ſunt: vnde eo ipſo præcisè quo intelligitur dari à Deo alicui hæc ad ſingulas partes faciendas vis & poteſtas, ſimul quoque intelligitur dari ad faciendam ipſam totam collectionem ſucceſſiuis partibus conſtantem, neque hæc ad ipſam totam collectionem poteſtas aliter dari concipitur, quàm quia datur ad ſingulas ſucceſſiuè partes.

Quod ſic confirmo: ſupponamus cum Pelagio hominem vim habere ſine gratia ad ſuperandas omnes collectiuè tentationes, quæ tota vita occurrunt non ſimul, ſed ſucceſſiuè, & reipſa ſuperare collectiuè omnes: certè ſicut dum potentiam ſuam ad actum ſecundum reducit, & omnes collectiuè ſuperat, nihil aliud quàm ſingulas ſucceſſiuè, ſecundam poſt primam, & II. tertiam poſt primam & ſecundam, & ita de cæteris, ad extremam vſque ſuperat: ita eius potentia ſuperandi collectiuè omnes alia non eſt quàm potentia ſuperandi ſucceſſiuè ſingulas, nec aliunde vim habet ad omnes collectiuè ſuperandas, quàm quia habet ad ſingulas diuiſiuè & ſucceſſiuè ſumptas.

Ex quo cõcluditur primò, ſi vis homini conceditur abſque gratiæ auxilio ſuperandi ſucceſſiuè ſingulas, concedendam quoque eſſe ſuperandi collectiuè omnes: quod eſt abſurdum ſecundum, quod contra aduerſarios intulimus. Concluditur ſecundò, cùm hæc vis ad omnes collectiuè ſuperandas concedi non debeat, vt ſuperiore ſectione probauimus, neque concedi debere ad diuiſiuè & ſucceſſiuè ſingulas, & proIII. inde eſſe certas aliquas & ſingulares quæ ſine gratia vinci nequeunt. quod in hac ſectione expreſsè defendimus.

At obiiciunt aduerſarij, vt oſtendant hoc ſecundum abſurdum ex ſua ſententia minimè ſequi, multa in primis exempla, in quibus vis ad ſingula diuiſiuè reperitur, non tamen ad ipſam totam collectionem. Primum eſt hominis ægri, qui cùm vno die ex duodecim leucis quamlibet diuiſiuè conficere pedibus poſſit, non tamen poteſt collectiuè duodecim omnes quas ſanus potuiſſet. Secundum eſt athletæ, qui cùm ſingulos aduerſarios proſternere poſſit, non tamen poteſt omnes collectiuè, nec tantum ſimul, vt nec ſimul collectiuè cum omnibus luctatur, ſed etiam ſucIV. ceſſiuè. Tertium talorum luſoriorum, quibus qui numerus vno vel duobus tribúſve prioribus iactibus ex artis peritia redditus eſt, non idem conſequentibus omnibus reddi poteſt.

Deinde dicunt hominem ex aſſidua cum tentationibus & concupiſcentiis lucta tædio affici, indéque fieri, vt quamuis poſſit vincere diuiſiuè ſingulas, non tamen poſſit omnes collectiuè. Tertiò & poſtremò nobis obiiciunt nos ex potentia vincendi diuiſiuè ſingulas, concludentes potentiam vincendi collectiuè omnes, argumentari à diuiſis ad coniuncta, ſeu a diſtributiuo ad copulatiuum. quod genus argumentandi inualidum eſt, iuxta Dialecticæ regulas.

Verùm illis exemplis tantum abeſt vt infirment doctrinam noſtram, ſuam confirment aduerſarij, euadantque ſecundum illud abſurdum A V. in quod eos incurrere diximus, vt è contrario ſuam infirment, noſtram confirment. Si enim æger ille vel athleta poſſet vno die ex duodecim leucis primam conficere, & ex centũ verbi cauſa (nam nihil refert quis conſtituatur numerus, modò certus aliquis conſtituatur) aduerſariis cum quibus ſucceſſiuè congredi debet, vnum proſternere, & ex hypotheſi vel proſtrati primi, vel confectæ primæ leucæ ſi poſſet adhuc ſecundam conficere, & ſecundum proſternere: & ex hypotheſi primæ ſecundæque confectæ conficere tertiam, ex hypotheſi poſtrati primi & ſecundi tertium proſternere, & ita ſemper vſque ad duodecimam leucam, & centeſimum aduerſarium, ſi ex hypotheſi confectarum iam ſucceſſiuè vndecim leucarum, & proſtratorum no- B VI.
naginta nouem aduerſariorum, poſſet adhuc centeſimum proſternere, & duodecimam leucam conficere, quis tam impudens reperiri poſſet, vt negaret ægrum illum poſſe duodecim leucas vno die ſucceſſiuè conficere, & athletam iſtum centum aduerſarios collectiuè ſumptos ſucceſſiuè proſternere?

Cùm ergo dicant aduerſarij ex tentationibus quæ tota vita poſſunt homini occurrere, quæque procul dubio finito aliquo numero cõprehenduntur, quem ſupponamus eſſe centeſimum: cùm, inquam, dicant hominem ſine gratia poſſe ſuperare primam, & ex hypotheſi primæ ſuperatæ poſſe adhuc ſecundam, & ex hypotheſi primæ ſecundæque deuictæ poſſe adhuc tertiam, & ita de cæteris vſque ad centeſimam, & ex hypotheſi denique ſuperatarũ iam C VII.
ſucceſſiuè nonaginta nouem poſſe adhuc centeſimam, qua fronte negare poſſent illum eundem hominem poſſe ſine gratia ſuperare collectiuè omnes illas centum tentationes, & proinde omnes tota vita occurrentes? quod eſt ſecundum abſurdum, in quod illos incidere, probare hactenus voluimus.

Quare ſicut illis omnibúſque aliis dicendum eſt, ſi non poteſt æger, aut athleta ille, vel duodecim leucas, vel centum aduerſarios collectiuè conficere, ideo non poſſe, quia vel nullam ex iis duodecim leucis leucam diuiſiuè, nullum ex iis centum aduerſariis hominem conficere & ſuperare poteſt, vel ſi quem poteſt, deueniendum tandem eſt ad certum & determinatum aliquem, quem ex hypotheſi præcedentium decem v. c. pluriúmve aut VIII.
D pauciorum ſuperatorum non poſſit ſuperare, quòd in his decem præcedentibus ſuperandis totas ſucceſſiuè vires ſuas conſumpſerit, ſic vt nullæ ei ſuperſint, vel ſaltem non ſufficientes ad ſuperandum vndecimum: ita fatendum omnibus eſt, qui nobiſcum contra Pelagium defendũt hominem non poſſe ſine gratia ſuperare collectiuè omnes quæ tota vita occurrunt tentationes, ideo non poſſe, quia vel nullam diuiſiuè poteſt, vel ſi quam poteſt, ex hypotheſi tamen quòd iam aliquas deuicerit,

deuenitur tandem ad determinatam aliquam & singularem quam sine gratia superare non potest. quod fateri, est illud ipsum nobis expresse concedere, quod hic nostra assertione probandum suscepimus.

Et hinc etiam respondeo ad tertium de lusoriis talis exemplum, ac dico lusorem ideo non I. posse collectiue centum v. c. vicibus non interruptis eum numerum reddere quem primo secundoque iactu reddidit, quia post primum, secundum aut tertium, aliumve similem finito numero comprehensum talorum iactum, non potest iactu proximè sequenti reddere numerum quem precedentibus reddidit: ideo autem hoc non potest, quia iactus ille quartus aut quintus v. c. fit eo certo determinatoque tempore, quo habita ratione omnium circumstantiarum lusor naturaliter non potest eum numerum reddere quem desiderat: si enim posset, cùm quantum ex se est velit efficaciter, & conetur reddere, cur re ipsa non redderet? cur facultas eius exequutiua, tunc ipsius voluntati non obsequeretur ad desideratum numerum reddendum, sicut anteà cùm reddidit obsequuta est?

II. Quòd autem illud non possit pro certo illo determinatoque tempore, quo quartus quintusue aut similis alius iactus fit, licet idem tempore precedente potuerit, ratio à priori est, quòd spiritus naturales & vitales, eorumque variæ commotiones quibus homo alteratur, & indiget ad externa opera, non subiiciuntur eius liberæ potestati: hinc enim efficitur ipsum aliquando certis determinatisque temporis momentis non habere sufficientia principia, illásque omnes conditiones quæ necessariæ sunt, præter industriam & peritiam artis, vt eum determinatè numerum exhibeat quem intendit, in quibus proinde momentis si talos iacit nihil efficiet, quantumuis ab eadem tali parte iactum inchoet, aliáque omnia appositè faciat quæ ars III. & experientia facienda esse docuerunt ad optatum numerum exhibendum.

Iam ad illud quod secundo loco nobis opposuerunt aduersarij, dico tædium, quo afficitur homo ex diuturna vel assidua cum tentationibus lucta, efficere non posse vt valeat singulas diuisiuè, non tamen collectiuè omnes, quod sic euidenter ostendo. Sumo hominem, cui, postquam solis liberi arbitrij viribus restitit tentationibus aliquot, superuenit aliqua singularis & determinata tentatio coniunctum habens prædictum tædium, & de isto homine quæro, possitne ex hypothesi quòd iam precedentes vicerit, hanc quoque superuenientem sine gratia superare, an non possit? si hoc secundum, habemus IV. intentum, & sibi non constant aduersarij: quod enim intendimus, est, dari singularem aliquam & determinatam tentationem quam homo sine gratia superare non potest, vnde manifestè sequitur ipsum non posse quamlibet diuisiuè vincere, quod hac responsione nobis vltrò conceditur: sibi autem non constant, quia sicut dicebant hominem sine gratia superare potuisse, & reipsa superasse precedentes tentationes, quòd arbitrij libertatem haberet qua posset eis, si vellet, vel succcumbere, vel resistere, ita dicere nunc deberent, ex hypothesi quòd precedentes illas superarit, posse adhuc & superuenientem hanc cum tædio coniunctam sine gratia superare, cùm adhuc retineat eandem ad ei vel resistendum vel succumbendum arbitrij libertatem, quæ non minuitur multóque minùs consumitur ex pugna victoriáque precedentium. Quòd si primum illud dicant, V. cùm ea superata, de sequenti, quæ superueniet & cum tædio coniuncta item erit, eadem quæstio fieri possit, eademque dari responsio debeat, & rursus de alia, & sic deinceps de cæteris: consequens euidenter erit, hominem posse sine gratia superare omnes collectiuè quæ tota vita occurrent tentationes. quod absurdum esse, imo Pelagianum, suprà probauimus.

Ad tertium denique quod nobis ab iisdem aduersariis obiectum est, dico nos minimè argumentari à diuisis ad coniuncta, seu à suppositione distributiua ad copulatiuam, eo modo quo Dialectici ab illa ad hanc argumentari verant, qui eandem ob causam qua argumentationem ab illa ad hanc factam inualidam esse dicunt, asserunt quoque argu- VI. mentationem ab hac ad illam esse vitiosam, qualis ista est, Astra errantia sunt septem, ergo quodlibet astrum errans est septem. Cuius rei ratio est, quòd prædicatum conueniens collectioni ob hanc ipsam collectionem, non possit verè tribui singulis huius collectionis partibus, vtpote quæ singulæ non sunt ipsa collectio: nec vice versa, quæ singulis partibus diuisiuè sumptis conueniunt ob hanc ipsam præcisè diuisionem, &, vt ita dicam, singularitatem, non possunt verè tribui collectioni, vtpote quæ non est ipsa diuisio & singularitas.

Quod licet ita sit, bona tamen est hæc illatio, homo potest vincere collectiuè tentationes omnes, ergo potest diuisiuè singulas, VII. nec proinde procedit à suppositione copulatiua ad distributiuam: vnde concludo & hanc è conuerso illationem bonam esse, homo potest superare diuisiuè singulas, ergo potest collectiuè omnes, quæ proinde non procedit à suppositione distributiua ad copulatiuam, vt procedere aduersarij nobis obiiciebant. Cuius etiam vltimæ illationis bonitas ex prædicti ægri hominis & athletæ exemplis, quæ contra eos retorsimus, euidens est.

Atque hactenus nostram assertionem probauimus, pro qua à fortiori facient argumenta, quibus proximè sequente ostendemus nullam ab homine ne leuissimam quidem tentationem superari posse sine gratia, ex quo sequitur euidenter nec posse diuisiuè quamlibet VIII. immo vllam grauem, quod in hac nostra assertione solùm diximus, à qua priusquam ad sequentem transeamus duo obseruatione digna adnotabimus.

Primum est, ex ea sequi esse tentationes aliquas graues, quas homo superare non potest sine gratia, non modò toto eo tempore quo durant, sed nec vlla vel minima parte temporis illius, quibus proinde simul atque exortæ sunt resistere non posset, si auxilio gratiæ desti-

tueretur, soliſque naturæ ſuæ viribus relinqueretur: ſi enim ad aliquam tentationem grauem ſuperandam toto ſaltem tempore quo durat, quod tempus aliquando ſaltem ſatis breue eſt, neceſſarium eſt homini gratiæ auxilium, vt hac noſtra aſſertione probauimus, erit quoque neceſſarium ad aliquas alias graues ſuperandas ſimul atque exortæ ſunt, cum dubium non ſit, quin tantum creſcere poſſit tentationis grauitas & vehementia, vt non minoris difficultatis ſit ei reſiſtere quamprimùm exorta eſt, quàm alicui alteri minùs vehementi toto quo durat tempore.

I. A

Secundum eſt, tentationem grauem cenſendam eam, non quæ allicit ad peccatum graue, ad peccatum enim quodlibet poteſt allicere tentatio grauiter & leuiter, ac proinde grauis & leuis: neque etiam eam cui reipſa conſentit voluntas, multi enim reſiſtunt grauibus, vt Ioſ, Ioſeph, Tobias: alij verò multi conſentiunt leuibus: ſed eam quæ vehemens eſt, id eſt, quæ magna aliqua ratione boni propoſita voluntatem ad peccatum inuitat, aut contra, magna ratione mali eam ab exercitio actus boni reuocat, dummodo tamen ea ratio boni vel mali, non tenui & remiſſa, ſed forti viuidáque cogitatione ſeſe menti obiiciat. Vnde leuis e contrario tentatio erit, quæ aut à bono actu exercendo reuocat, aut ad malum committendum impellit, ex paruo ſolùm bono aut malo propoſito, vel ſi ex magno, non tamen niſi remiſsè leuitérque apprehenſo.

II. B

SECTIO VII.

An poſsit homo ſine gratia vincere vllam vel leuiſsimam tentationem contra præceptum vllum legis etiam naturalis?

III. C

VNICA aſſertio. Non poteſt homo tentationem vllam etiam leuiſſimam contra præceptum vllum legis etiam naturalis ſine gratia vincere. Ita Capreol. in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 3. Gregorij contra 4. concluſionem, Gregorius ipſe eadem diſt. 42. art. 1. Marſilius in 1. quæſt. 20. art. 3. concluſione 4. & 5. Petrus Sotus libro de Inſtit. Sacerdotum, quæſt. 16. de pœnitentia, Abulenſis quæſt. 178. in caput 19. Matthæi, Gabr. Vaſq. diſput. 189. cap. 4. vbi & alios refert, & Bellarminus lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 7.

Probatur primò ex can. 9. 14. & 22. Concilij Arauſicani ſecundi, quod in nono ſic ait, *Diuini muneris eſt, cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia tenemus*: quod ſecundum quoniam toties fit quoties tentationi homo non ſuccumbit, quæcunque demum ea ſit,

IV. D

propterea toties Dei gratiæ non ſolis naturæ viribus tribuendum eſt, quoties homo tentationi vel leuiſſimæ reſiſtit: qua proinde gratia deſtitutus, ſuiſque ſolis viribus relictus, tentationi cuilibet etiam leuiſſimæ ſemper ſuccumberet. Vnde rectè concluditur ipſum ne ſuccumbat, atque adeo vt reſiſtere valeat, auxilio gratiæ indigere.

In canone autem 14. ſic loquitur, *Nullus miſer de quamcunque miſeria liberatur, niſi qui Dei gratia præuenitur*: dubitare vero nemo poteſt quin in aliquo peccandi periculo verſari, quod cuilibet tentationi coniunctum neceſſariò eſt, miſeria aliqua ſit, à qua proinde quicunque liberatur vel tentationi reſiſtendo, vel aliter, non per naturæ vires, ſed per auxilium gratiæ liberatur. Non eſt ergo vllius vel leuiſſimæ tentationis victoria, quæ eſt veriſſima à prædicta miſeria liberatio, naturæ viribus tribuenda, ſed diuinæ gratiæ.

V.

Denique in 22. ſic inquit, *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*: Atqui reſiſtere tentationi etiam leuiſſimæ, nec mendacium eſt, nec peccatum: ergo hoc homo de ſuo non habet, ſed diuino munere. Nec dicat hic aliquis Concilium tantùm voluiſſe hominem ex ſuis viribus non habere vlla opera æternæ vitæ meritoria, hoc enim purum commentum eſt, cùm non ideo actio aliqua peccatum dici debeat, quòd æternæ vitæ meritoria non ſit, ſi modo ex obiecto & circunſtantiis moraliter bona ſit, cùm tamen illic appelletur peccatum quidquid homo de ſuo habet.

VI.

Probatur ſecundò ex Patribus, ac in primis ex S. Auguſtino, qui epiſtola 106. procul à fine, notat Pelagium in ſcriptis ſuis varium, & ſibi minimè conſtantem videri, eoque nomine ipſum reprehendit, quòd aliquando dicat poteſtatem voluntatis, id eſt, naturales liberi arbitrij vires per ſe aliquid ad non peccandum valere, ſubiungens diſertis verbis, *Sine gratiæ adiutorio ad non peccandum nihil valere liberum voluntatis arbitrium*: quod ſanè ſine ea valeret aliquid ad non peccandum, ſi abſque ipſa valeret aliquid per ſe ad tentationi alicui etiam leuiſſimæ reſiſtẽdum. Deinde ex Proſpero libro contra Collatorem cap. 35. in quo reprehendens Caſſianum, quòd aſſeruiſſet ſanctum Iob propriis naturæ viribus dæmonis impetus quos Scriptura refert ſuſtinuiſſe, & ſuperaſſe, aperte docet, non modo in his tam arduis & periculoſis,

VII.

ſed etiam in leuioribus, vt loquitur, cauſis & tẽrationibus ſemper ex gratiæ auxilio eſſe quod non ſuccumbimus: vnde libro Epigrammatum in cap. 84. epigrammate octo conſtante diſtichis, ſic de Deo ſcribit diſticho quarto:

In quo vno ſemper ſuperat qui non ſuperatur,
Quo dignante manum ſubdere nemo cadit.

Quod ſi ſemper qui non ſuperatur tentatione, habet ex Deo ſeu diuina gratia vt non ſuperetur, & non ex ſe ſeu naturæ ſuæ viribus, ergo etiã in quibuſlibet vel leuiſſimis tentationibus.

VIII.

Præterea ex Innocentio primo epiſtola 93. apud Auguſtinum dicente circa eius medium voluntatem nihil poſſe cœleſtibus deſtitutam præſidiis, nimirum ad vitãdos diaboli laqueos, vt conſtat ex verbis antecedentibus & conſequentibus, quæ profectò poſſet aliquid ad eos vitandos, nec parum, ſi per ſe ſine gratiæ auxilio poſſet leuioribus tentationibus reſiſtere. Denique ex Cœleſtino item primo epiſt. 1. cap. 9. in quo ex Zozimo Papa refert, quod & ipſe probat, nullum eſſe tempus quo Dei adiutorio non egeamus, ideóque in omnibus actibus, cogitationibus, motibus eum adiutorem & protectorem inuocandum eſſe: quod ſanè falſum eſſet, ſi aliquo, vel eo omni tempore quo leuioribus tentationibus impetimur, ad vincendum Dei adiutorio non egeremus.

Hîc afferre possem duas Theologicas rationes, & tertiam à priori, quæ veritatem huius nostræ assertionis duarumque præcedentium pariter demonstrarent: sed quia parem vim habent ad confirmandam doctrinam quam sequenti sectione trademus, nobis idem dicere cogamur, eas in illum locum differemus, vt & obiectiones quæ hîc fieri possent, quod eæ quoque contra doctrinam sequenti sectione tradendam non minus militent, quàm contra traditam hac ipsa sectione, & duabus præcedentibus. Vnde restat hic solùm referendum, quot modis superari tentatio possit, vt in qua tentationis victoria agnosci gratia Dei debeat, declaretur.

I.

Dico autem non nisi quinque modis superari posse tentationem aliquam, quæcunque demum ea sit, siue grauis, siue leuis. Primus est, per exercitium actus meritorij æternæ gloriæ. Secundus, per exercitium actus boni moraliter, non tamen meritorij huius gloriæ, defectu conditionis alicuius ad hoc meritum necessariæ. Tertius, per exercitium actus alicuius in indiuiduo indifferentis, supposito quod dentur aliqui huiusmodi actus, qua de re dixi in Tractatu de bonitate & malitia actuum humanorum, disput. 5. Quartus, sine exercitio vllius actus, homine mere negatiue se habente, quo modo se habere posse in Tractatu de peccatis docuimus. Quintus est, cùm homo tentationi non succumbit ex affectu alicuius alterius vitij, sicque per vnum peccatum quod admittit, aliud deuitat ad quod committendum tentatione impellebatur.

II.

Et in hoc quidem postremo superandi tentationem modo non est agnoscenda gratia, quod & aperte colligitur ex doctrina S. Augustini libri 21. de Ciuit. cap. 16. dum ait, *si lex iubens adsit, & spiritus iuuans desit, per ipsam prohibitionem desiderio crescente atque vincente peccati etiam reatum præuaricationis accedere, vt nonnunquam sint apertissima vitia, quæ aliis vitiis vincuntur occultis, quæque putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* Et ex eo patet, quòd in auxilium gratiæ nullum peccatum referendum est: alioqui cùm omnis gratia quæ nobis ad superandas tentationes datur, detur ex merito passionis & mortis Christi, ideóque passus & mortuus ipse sit vt daretur, si quæ gratia tribueretur ad hoc modo superandam tentationem, & proinde ad peccandum, Christus vere dici posset passus & mortuus vt peccaremus, quod absurdum & impium est.

III.

In primo verò modo gratiam Dei agnoscendam esse certius est quàm vt probari debeat. In secundo autem, tertio & quarto agnosci quoque debere, & satis constat ex dictis, ex quibus habemus ad non peccandum nihil valere per se sine gratia liberum voluntatis arbitrium, quod sane ad non peccandum per se valeret, si tentatione pulsante posset aliquo trium illorum modorum tentationem sine gratia vincere, cùm in nullo eorum peccet: habemus item neminem ab iniustitia continere pedes

IV.

A

suos nisi per Dei gratiam, quos sanè ab ea continet, qui de committenda iniustitia seu peccato tentatus, aliquo trium prædictorum modorum tentationem superat, cùm, vt iam dixi, in nullo eorum peccet: & constabit præterea ex sectione sequenti, in qua probabimus nullum opus bonum moraliter posse exerceri sine gratia, vnde sequitur euidenter nec posse superari sine gratia tentationem vllam per exercitium alicuius actus boni moraliter: cuius doctrinæ illa sectione tradendæ ratio à priori quam postea afferemus, euincet quoque in tribus illis de quibus agimus tentationem superandi modis gratiam Dei agnoscendam esse.

V.

Nec obiicias primò D. Augustinum citato cap. 16. libri 21. de Ciuit. aperte supponentem victoriam tentationis non esse Deo seu diuinæ gratiæ ascribendam, nisi cùm ex Dei amore, id est, affectu veræ virtutis (sic enim ipsum sumere frequenter nomen amoris Dei & caritatis suprà monuimus) obtinetur, & proinde tunc solùm cum primo secundóque modo superatur. Dico enim ipsum tertij modi non fecisse mentionem, quia nullos videtur agnoscere actus indifferentes in indiuiduo, vt citata disput. quinta, sect. tertia diximus: neque etiam fecisse quarti, quia vix vnquam homo superat tentationem quarto illo modo, cùm vix vnquam, aut absolutè nunquam circa rem vllam ad quam faciendam vel non faciendam inuitatur, mere negatiue se habeat.

B

VI.

Neque iterum obiicias, secundo, tertio, & quarto modo tentationem superandi hominem nihil aliud facere quàm tentationi resistere: at non de ea victoriam reportare, iuxta modum loquendi S. Thomæ in 2. distinct. 28. quæst. 1. artic. 2. ad 6. vbi tum solùm de tentatione victoriam reportari ait, cùm superatur exercitio actus æternæ vitæ meritorij: eundem autem S. Doctorem ibidem docere, tum solùm gratiam esse necessariam ad superandam tentationem, cùm ita ei resistitur, vt etiam de ea victoria reportetur. Ex qua doctrina consequens est, non esse gratiam necessariam ad secundum, tertium & quartum modum quem assignauimus. Respondeo enim falsum esse hoc consequens, & malè colligi ex illa S. Thomæ doctrina: ipse enim requirens gratiam tum solùm cùm victoria de tentatione prædicto sensu reportatur, atque adeo cùm tentatio primo à nobis assignato modo vincitur, loquitur de sola gratia habituali sanctificante, vt ex illius loci contextu manifestum est: nos autem ad tres sequentes modos gratiam requirentes, non de habituali, sed de actuali loquimur, quam si vel illo loco, vel aliquo alio negaret S. Doctor esse necessariam ad superandam tentationem vllo trium prædictorum modorum, tam de grauibus, imò grauissimis tentationibus negaret, quàm de leuissimis, quod de tam Catholico sanctóque Doctore cogitare nefas est.

C

VII.

D

VIII.

SECTIO VIII.

Vtrùm possit homo bona virtutis moralis acquisitæ opera sine gratiæ auxilio exercere?

I. PRIMA sententia est affirmans, cuius tot esse possunt diuersi affirmandi modi, quot superioribus sectionibus retulimus, vt nimirùm vel affirmetur posse omnia collectiuè huius generis opera quæ in præcepto sunt, vel si non omnia collectiuè, singula tamen diuisiuè, quantumcunque ardua & heroica sint: vel denique si non possit hæc illustriora & difficiliora, posse nihilominus ea quæ leuiora & faciliora sunt. Ita sentiunt quoad hæc leuiora Magister in 2. dist. 26. capite vltimo, Bonauentura distinct. 29. artic. 2. quæst. 2. & 3. Richardus artic. 1. quæst. 1. Caietanus & Conradus ad artic. 2. huius 109. quæstionis, Molina in Concordia disput. 5. & Suarez lib. 2. de prædestinatione cap. 12. tribúsque sequentibus. Secunda sententia quæ negat vllum vel minimum bonum opus virtutis moralis exerceri posse ab homine sine diuinæ gratiæ auxilio probabilior est, eámque tuentur Alensis 3. parte quæst. 69. memb. 1. artic. 2. Gregorius in 2. distinct. 25. quæst. 1. artic. 1. Hispalensis distinct. 28. quæstione vnica art. 1. & 3. Capreolus dist. 29. quæst. 1. art. 1. conclusione 4. Petrus Sotus in instit. Sacerdotum, lect. 16. de pœnitentia, & plures alij tum veteres tum recentiores, quos refert & sequitur Gab. Vasq. hîc disp. 190.

II. Probatur primo authoritate sancti Thomæ, qui quæst. 24. de veritate artic. 14. in Corpore, postquam dixit sine gratia habituali posse fieri aliquod bonum opus virtutis, statim adiungit: *Sed si velimus gratiam Dei dicere non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum salutem, sic nec vllum bonum potest homo facere sine gratia Dei.* Quibus verbis manifestè docet ad omnem actum bonum requiri auxilium actuale gratiæ intérius mouentis & excitántis, quod nos hîc probandum suscepimus, licet nõ requiratur gratia habitualis, quam nos etiam minimè requirimus. Nam à S. Doctore per illud quod ab habituali dono distinguit intelligi concursum generalem causæ primæ causis omnibus secundis ad agendum necessarium, nulla probabilitate dici potest: tum quia illud appellat simpliciter gratiam Dei, item misericordiam Dei interius mentis motum operantis, quibus nominibus ille concursus non solet appellári: tum quia illud ait esse à Deo vt dirigente homines ad æternam salutem, quod nec illi concursui conuenit: tum denique quia illud intelligit quod à S. Augustino lib. de natura & gratia quem citat intellectum est, dum dixit capite 11. Deum multipliciter in cordibus hominum operari, cuius operationis nomine S. Augustinum non intelligere concursum illum generalem, sed actuale gratiæ interioris auxilium, indubitatum est. Neque quod S. Thomas obiter ibidem addidit, nempe gratiæ nomen communiter pro dono aliquo habituali iustificante sumi, quidquam, vt patet, detrahit de huius testimonij robore, estque illud additum intelligendum solùm de communi temporis illius loquendi more. Nam qui ad Patres contra Pelagium agentes attendet, nihil tam frequenter in eorum libris reperiet, quàm gratiæ vocem vsurpatam pro interiori illo actualique auxilio, quod Deus quotidie nobis ad superandas tentationes & honestè operandum tribuit.

III. Deinde idem S. Doctor in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. ad 1. dicit hominem sine gratia superaddita posse facere multa opera bona, nullum autem sine gratia gratis à Deo data, per superadditam gratiam haud dubiè intelligens habitualem quæ in entitate supernaturalis est, cùm in articuli Corpore illam sæpiùs habitum gratiæ nominet: & per gratis à Deo datam, actuale gratiæ auxilium gratis homini collatum, cùm nihil aliud possit intelligere, nisi forte generalem Dei concursum, quem tamen non intelligit, cùm intelligat id quod Magister quem citat intellexit docens gratiam dici dupliciter: vno modo, donum gratuitum, id est, vt exponit S. Thomas, habituale gratiæ, quæ principium est merendi vitam æternam: altero, ipsum Deum gratis dantem, per quem haud dubiè Magister generalem ipsius Dei concursum non intellexit.

IV. Præterea 2. 2. quæst. 136. art. 3. ad 2. expressè ait bonum politicæ virtutis esse commensuratum humanæ naturæ, ideóque voluntatem in illud posse tendere sine auxilio gratiæ gratum facientis, quæ est habitualis illa qualitas quæ formaliter peccatum delet & sanctificat, *Licet*, inquit, *non absque auxilio gratiæ Dei*, nimirùm actualis, quam proinde necessariam esse vult ad quodlibet opus virtutis acquisitæ moralis: per hanc enim gratiam procul dubio non intelligit auxilium causæ primæ sine quo causæ secundæ nihil agere possunt: eam enim certissimè intelligit, de qua secundo quod sibi obiecerat, & cui respondet argumento agebat, concludens Gentiles aliquos multa mala patienter tolerasse *absque auxilio gratiæ*, quod sanè concludere noluit de auxilio causæ primæ quod creaturis omnibus ad agendum necessarium est. Atque cùm loquatur ibi vniuersè de propriis patientiæ acquisitæ actibus, inter quos multi sunt nec heroici nec admodum difficiles, non est quòd quisquam ipsum loqui dicat de solis heroicis, aut non parum difficilibus.

V. Denique hac ipsa quæstione 109. art. 2. ad finem Corporis loquens de iisdem actibus acquisitæ virtutis dicit hominem in statu naturæ siue integræ siue corruptæ indigere diuino auxilio, vt ab ipso moueatur ad bene agendum: quo diuini auxilij nomine non intelligi ab ipso prædictum generale cuiuis creaturæ ad agendum necessarium, sed speciale aliquod, quod ex parte cogitationis præcedere debet, vt voluntas feratur in bonum, patet ex responsione ad 1. in qua manifestè indicat esse peculiare Dei donum, allegans ad hoc propositum Aristotelis testimonium libro septimo Moralium ad Eudemum, capite 18. scribentis initium bonæ consultationis esse à bona fortuna, hoc est, vt ipse sanctus

Doctor ibidem explicat, à Deo, immittente, scilicet vel per se, vel per Angelos, vel per res externas prouidentia sua congruenter ad id dispositas, bonas in intellectum nostrum cogitationes.

Cæterùm nihil haberi apud S. Thomam hac
I. vniuersa quæstione 109. quod sit nostræ opinioni, quam ipsius quoque esse palam fecimus, contrarium, pulchre ostendit Vasquez, disputationis 190. cap. 3. Hoc vnum tantùm obseruandum moneo, S. Doctorem, dum de humanis actionibus agit, & auxilij Dei mouentis & gratiæ superadditæ mentionem facit, intelligere per hanc gratiam habitum supernaturalem naturali potentiæ additum: per illud verò auxilium intelligere peculiare auxilium quod intermedia sancta cogitatione voluntatem ad bonũ mouet, siue simul intelligat aliquando generale quod cuilibet creaturæ ad agendum necessarium est, siue nunquam. Ex hac autem obseruatione poterunt facilè varia eius dicta exponi, & inter sese conciliari.

Probatur secundò ex Conciliis & Patribus,
II. ex quibus duo præcipuè testimoniorum genera peti possunt. Primum est eorum quibus vniuersim asseritur omnia opera bona requirere gratiam, quod expressè definiit Concilium Palæstinum à Pelagio contendens vt fateretur gratiam Dei ad singulos actus bonos dari, eamque non tribui secundùm merita nostra: quod, vt supra monui, vafer ille hæreticus confessus est fraudulenter, per gratiam beneficium creationis intelligens, cùm Palæstini Patres per eam intelligerent distinctum ab hoc beneficio donum, & quod ex Christi meritis confertur. Arausicanum quoque secundum can. 9. in quo postquam dixit, *diuini muneris esse cum rectè cogitamus, & pedes nostros ab iniustitia tenemus*, hanc statim rationem adiungit: *Quoties enim bene agimus,*
III. *Deus in nobis atque nobiscum vt operemur operatur.*

Ambrosius item epist. 84. procul à principio, vbi tanquam alienum à Catholica veritate reiicit, *hominem in quadam actionum suarum parte auxilio Dei egere, in quadam autem non egere: quasi*, inquit, *sit vllum tempus, vllúmve momentum, quo illi perniciosum esse non possit, si ab eo Spiritus sanctus defuerit.* Quæ verba, paritérque alia quæ ibidem habet, arguunt eum non loqui de generali Dei auxilio quod nulli creaturæ vnquam deest, sed de speciali quod in interiori illuminatione & inspiratione Spiritus sancti positum est, ac proinde actionum nomine non intellexisse nisi bonas, quod etiam constat aperte ex tota eius consequente oratione. Denique Cœlestinus Papa supracitata epist. 2. cap. 9. in quo ait,
IV. *omnem sanctam cogitationem, pium consilium, omnemque bonæ voluntatis motum ex Deo esse:* quod statim confirmat ex Zozimo Papa, quem refert dixisse id quod suprà de ipso citauimus, nimirum nullum esse tempus quo non egeamus auxilio Dei, ideóque in omnibus actibus, causis, cogitationibus & motibus adiutorem & protectorem Deum inuocandum esse.

Secundum est eorum quibus opera bona quæ homo exercet, ita Deo tribuuntur, vt homini non nisi mala ascribantur. Ita diser-

A

B

C

D

tè Concilium Arausicanum secundum can. 22. verbis istis, *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum: si quis autem homo habet veritatem ac iustitiam, ab illo fonte est*, &c. quod desumpsit Concilium ex D. Augustini Tract. 5. in Ioannem, cuius Tractatus initio relatis his Christi verbis, *Qui loquitur mendacium de suo loquitur*, sic ipse prosequitur: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum: si quid autem homo habet veritatis atque iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, & in hac peregrinatione interim consolati, ne deficiamus in via, venire ad eius requiem satietatémque possimus.* Idem quoque Augustinus sermone 13. de verbis Apostoli procul à fine, loquens de auxilio Dei & Spiritus sancti per Christum, contra Pelagianos dicentes illud dari solùm ad faciliùs agendum: *Prorsus*, inquit, *si defuerit, nihil boni agere poteris: agis quidem illo non adiuuante libera voluntate, sed malè: ad hoc idonea est voluntas tua quæ vocatur libera, & male agendo fit damnabilis ancilla. Cùm dico tibi,*
V. *sine auxilio Dei nihil agis, nihil boni dico, nam*
VI. *ad malè agendum habes sine adiutorio liberam voluntatem.* Denique Prosper, vt alios omittam, libro contra Collatorem, cap. 24. cùm hanc Cassiani sententiam retulisset, *cauendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi quod malum atque peruersum est humanæ ascribamus naturæ*, his eum verbis reprehendit: *Quid euidentius, quid expressius secundùm Pelagij commentum ab vllo discipulo potuit definiri?* Proximè autem sequentibus duplicem illa sententia contineri *blasphemiam* asserit, quarum vna est, *gratiam Dei secundùm merita nostra dari*: altera, *gratiam Dei non ad singulos actus dari*: Imò etiam triplicem & quadruplicem: relatis enim multis absurdis sententiam illam consequentibus, sic ad finem capitis de il-
VII. la loquitur, *Ecce iam in ista paucorum breuitate verborum, non duarum tantùm, sed multarum impietatum numerosa connexio est.*

Ad hæc similiaque Conciliorum & Patrum testimonia duplex ab aduersariis affertur responsio. Prima est, his agi de generali Dei auxilio. Verùm hęc tolerari nullo modo potest, cùm non modò nequeat S. Ambrosio accommodari, vt obseruaui dum eius verba retuli, verùm etiam Cõciliis Palæstino & Arausicano, S. item Augustino, aliisque citatis Patribus, cùm certissimum sit eos loqui de gratia Dei per Christum, quæ sicut non comprehendit donum creationis, quandoquidem ex citata iam sæpius Augustini epistola 105. *Christus mortuus est non pro nullis vt conderentur, sed pro impiis vt iustificarentur*, ita nec generale Dei auxilium, quod
VIII. illo creationis dono comprehenditur.

Secunda responsio est, locis quidem illis sermonem esse de auxilio gratiæ per Christum, & proinde distinctæ à beneficio creationis, ad illúdque minimè pertinentis: sed ita tamen, vt operum nomine quæ dicuntur ex gratia illa esse, eiúsque auxilium necessariò requirere, non quælibet opera bona intelligantur, sed ea sola quæ aliquo modo pertinent ad iustificationem æternámque gloriam, qualia non putant esse omnia quæ sunt bona moraliter.

Reiicitur primò, eo quòd teſtimoniis primi generis adaptari minimè poteſt, cùm iis vniuerſaliſſimè dicatur omne opus bonũ gratiam Dei prærequirere, quale eſt omne opus moralis virtutis, ſiue omne pertineat aliquo modo ad æternã vitam, ſiue non. Atque vt concederetur
I. poſſe iis vtcumque adaptari, haberíque ex verbis Conciliorum & Patrum citatorum anſam & occaſionem aliquam (cùm tamèn reuera nulla habeatur) reſtringendi propoſitiones eorum tam vniuerſales ad ea ſola opera bona quæ aliquo modo ad vitam æternam pertinent (ſi tamen omnia quæ moraliter bona ſunt non pertineant:) vt hoc, inquam, concederetur, valere tamen non poſſet illa reſponſio, ad exponenda ſecundi generis teſtimonia, quibus expreſsè dicitur hominem ſine gratiæ auxilio nihil habere niſi peccatum, nihil poſſe agere boni, non poſſe agere niſi malè: nullus enim audeat vlla virtutis moralis acquiſitæ opera, etiamſi ſupponantur ad æternam vitam nihil conducere, peccata appellare, aut in malis operibus numerare.

II. Reiicitur ſecundò ex eo quòd ſi Concilia & Patres, dum docent ad bene agendum neceſſariam eſſe Dei gratiam, nihil aliud vellent, quàm neceſſariam eſſe ad opera conducentia ad æternam beatitudinem, talia autem non eſſe omnia quæ ſunt virtutis moralis acquiſitæ: ſequeretur, illis nullo modo repugnaturum eum, qui aſſereret totam legem naturalem etiam collectiuè ſeruari poſſe ſine gratia, ex ſolo tamen motiuo ſeu fine moralis virtutis acquiſitæ: omnes item tentationes contra legem illam tam collectiuè quàm diuiſiuè ſumptas ex eodem motiuo ſeu fine poſſe ſuperari, neque hoc Pelagianum eſſe. quod conſequens nemo Catholicus auderet, vt opinor, admittere.

III. Neque opponas S. Auguſtinum, alióſque de eius ſchola, dum de gratiæ neceſſitate agunt, aliud nihil docere, quam requiri neceſſariò ipſam ad omnia veræ pietatis & religionis opera, vt ipſimet loquuntur, hoc enim verum eſt: at verbis iis & ſimilibus nolunt inter opera bona diſtinguere, & ſignificare, ad aliqua ex ipſis eſſe neceſſariam gratiam, & non ad alia, ſed ita loquuntur, quia omnia opera moraliter bona exiſtimant, vt facilè colligitur ex dictis in Tractatu de Deo diſput. 38. ſect. 3. ad æternam vitam aliquo modo pertinere, atque adeo veræ pietatis & religionis opera meritò appellari poſſe: pertinere autem, quòd elicita ab homine licet peccatore præparent eum & diſponant aliquo modo ad accipiendam à Deo peccati remiſſionem, vt & faciunt actus fidei ac ſpei.

SECTIO IX.

IV. *Eadem ſecunda ſententia vna ratione probatur.*

PROBATVR tertiò hac efficaci ratione. Sunt aliqua opera ſolius virtutis moralis acquiſitæ ad quæ exercẽda gratiæ auxilium neceſſarium eſt: ergo ad omnia quoque eſt neceſſarium. Antecedens certum eſt de heroicis operibus, imò vtcunque inſignibus, nec dubitationem vllam habere poteſt apud eos qui tenent, vt tenere omnes debent, non poſſe ſine gratia ſuperari graues ſaltem tentationes.

Adde quod conſtat euidenter ex duobus S. Auguſtini teſtimoniis petitis ex libri primi de gratia Chriſti cap. 24. & epiſtola 130. Illo enim capite concedens in Aſſuero Rege infideli opus
A aliquod bonum, moneri illud ab auxilio gratiæ proceſſiſſe, dum ait, *Deum conuertiſſe & transtuliſſe* Regis huius *indignationem in lenitatem* erga Reginam Eſther, quam primò inflammatis ira oculis erat intuitus: & ab hoc exemplo concludit omnibus *intelligendum atque fatendum, non lege atque doctrina ſonante ſenſibus, ſed interna atque occulta mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* In hac verò epiſtola idem de Polemone item infideli, cui Xenocratis oratio ſobrietatem perſuaſit, dicit his verbis: *Xenocrates Polemonem de fruge temperantiæ diſputando, non ſolùm ebrioſum, verumetiam tunc ebrium ad mores alios repente conuertit. Quamquam ergo ille non Deo fuerit acquiſitus, ſed tantùm à dominatu*
B *luxuriæ liberatus, tamen ne idipſum quidem quod melius in eo factum eſt, humano operi tribuerim, ſed diuino.* Et nonnullis interiectis: *Polemo ergo ſi ex luxurioſo continens factus, ita ſciret cuius eſſet hoc donum, vt eum abiectis ſuperſtitionibus gentium piè coleret, non ſolùm continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret, quod ei non tantùm ad præſentis vitæ honeſtatem, verùm & ad futuræ immortalitatem valeret.*

V. VI.

Quæ ſanè bona opera, tum in homine iſto, tum in Rege illo, cùm fuerint ſolius virtutis moralis acquiſitæ, & ſaltem cùm nulla S. Auguſtino fuerit ratio ſuſpicandi, ipſa ex ſupernaturali aliqua virtute ortum habuiſſe, neque id vnquam ipſe vel leuiter ſignificarit: ſequitur, ipſum aſſerentem opera illa ex auxilio gra-
C tiæ proceſſiſſe, exiſtimaſſe, aut ad omnia prorſus, aut ad heroica ſaltem & inſignia virtutis acquiſitæ opera, qualia poſſet aliquis dicere fuiſſe illa Polemonis & Aſſueri, auxilium gratiæ eſſe neceſſarium: hoc enim niſi exiſtimaſſet, quid cauſæ fuiſſet, cur bona prædictorum Polemonis & Aſſueri opera ſolius acquiſitæ virtutis tribueret potius gratiæ, quam ſolis liberi arbitrij viribus?

VII.

Iam probo conſequentiam ex eo quòd eadem eſt quoad gratiæ neceſſitatem ratio operum omnium virtutis acquiſitæ quæ inſignium. quod ſic euinco. Illud omne opus, ad quod exercendum eſt neceſſaria Chriſti gratia, ſpectat & conducit aliquo modo ad vitam æternam, ſic nimirum, vt ſit vel de condigno meritorium ipſius, vel ſi non eſt, vt eſſe non
D poteſt cum à peccatore exercetur, ſit ſaltem aliqualis diſpoſitio ad peccati remiſſionem per infuſionem gratiæ ſanctificantis obtinendam, aut aliquod imperfectum & impetratorium huius gratiæ meritum, quod à Theologis congruum appellatur: ergo cùm ad opera inſigniora virtutis acquiſitæ exercenda neceſſarium ſit gratiæ Chriſti auxilium, vt in antecedente diximus, & probauimus, quodlibet eiuſmodi opus ad æternã vitam aliquo modo pertinebit: At ſi inſignia acquiſitæ virtutis opera

VIII.

ad æternam vitam aliquo modo pertineant, idem quoque habebunt alia omnia etiam minima eiusdem virtutis acquisitæ opera : ergo ad omnia & singula, siue sint ex insignibus, siue non sint, exercenda necessaria erit Christi gratia.

I. Hic discursus ad consequentiæ probationem factus duplici veluti antecedente constat, & duplici consequentia. Primi antecedentis veritas, qua parte dicit omne opus ad quod Christi gratia necessaria est pertinere aliquo modo ad vitam æternam, hinc liquet, quòd Christus sicut mortuus non est pro hominibus vt conderentur, ex S. Augustino epistola 105. vel vt magni Philosophi Oratoresve essent, aut alij aliis maius ingenium haberent, vt ex hac relata superiùs eiusdem Augustini sententia, *Non habeo quod intuear in eligendis hominibus*, &c. aperte collegimus, ita nec sit mortuus, vt alia quàm quæ ad æternam vitam faciunt ipsi haberent : quod epistola illa non obscure declarauit, dum postquam dixit Christum non esse

II. mortuum pro nullis vt conderentur, adiunxit, *sed pro impiis vt iustificarentur.*

Eiusdem verò primi antecedentis veritas, qua parte ait, opus bonum ad æternam vitam pertinens, eo modo pertinere debere, quo in illo antecedente declaratum est, à nemine negari potest : quo enim alio si non eo modo pertineret? Cum præsertim sicut opus bonum virtutis acquisitæ quid positiuum est, ita si aliquo modo ad æternã vitam pertinet, pertinere positiue debeat, & non solùm negatiue, quo modo carẽtia peccati alicuius dici posset pertinere, in quantum si contrarium peccatum adfuisset, aliqua forte gratia collata non fuisset, ex cuius tamen collatione vel proximè vel remotè vita æterna sequuta est. Prima autem consequentia

III. illi primo antecedenti subiuncta euidenter bona est, vt intuenti per se patebit.

Sequitur secundum veluti antecedens, cuius ego veritatem hinc ostendo manifeste, quòd opera omnia virtutis acquisitæ sint eiusdem rationis & generis, & vt eandem habent moralis bonitatis rationem, sic & valoris ac meriti habeant : quo fit vt si aliqua ex ipsis de congruo meritoria sint auxiliorum gratiæ, aut ad ipsa aliquo modo disponant, cætera quoque omnia idem habeant, hoc solùm discrimine, quòd insigniora sicut meliora erunt, sic disponent melius ad auxilia illa, eorúmve magis de congruo meritoria erunt : alia autem non tam insignia vt minùs bona erunt, sic minùs bene disponent, minúsve erunt de congruo meritoria.

Nec dicas primò, insignia habere hanc dispositionis & meriti rationem, quòd à gratia procedant quæ ad illa necessaria esse conceditur, alia autem non habere ob contrariam causam:

IV. Ne, inquam id dicas, cùm hic sermo non sit de gratia sanctificante habituali, sed de actuali interna inspirationis & illuminationis impellentis ad affectum veræ virtutis concipiendum, à qua hic affectus vt bonitatem moralem non haberet, si alias eam non habuisset, ita nec prædictæ dispositionis aut meriti rationem.

Nec dicas secundò, si quælibet opera virtutis acquisitæ hanc meriti dispositionisque rationem sibi vendicarent, consequens fore iustificationem non semper à fide exordium capere, contra expressam Tridentini Concilij doctrinam sess. 6. cap. 6. quia fidem opera aliqua bona acquisitæ virtutis præcedere possunt, vt sect. 4. dictum est. Ne, inquam id dicas, tum quia hinc pariter efficeretur, opera insignia virtutis A acquisitæ nullam habere posse prædicti meriti dispositionisque rationem, cùm etiam fidem possint præcedere, vt reipsa in Polemone, de quo suprà, præcesserunt : tum quia absurdum non est iustificationem sumere exordium ab aliquibus operibus moralis & acquisitæ virtutis fidem præcedentibus, elicitis ex præuenientegratia seu inspiratione Spiritus sancti. Neque Tridentinum loco citato huic nostræ doctrinæ repugnat, solùm enim ibi voluit assignare iustificationis exordium omnibus omnino necessarium, quod est fides, sine qua sicut impossibile est placere Deo, ad Hebr. 11. sic iustificari coram ipso, non verò vllum opus moralis virtutis acquisitæ illam antecedens, licet antecedere aliquod possit, & dum reipsa ante- B cedit, disponat aliquo modo ad iustificationem obtinendam.

V.

VI.

Superest secunda & vltima consequentia, cuius bonitas, & consequentis per eam illati veritas euidens ex eo est, quòd si aliquod opus pertinens ad æternam vitam disponensque aliqualiter ad iustificationem, & eius respectu rationem aliquam congrui meriti habens, quale in probatione secundi antecedentis ostendimus esse quodlibet etiam leuissimum opus acquisitæ virtutis, si, inquam, posset ex solis liberi arbitrij viribus proficisci, nec prærequireret necessariò auxilium gratiæ, posset quoque ex nobis dari aliquod initium, imò meritum gratiæ & prædestinationis, quod falsum esse, imò Semipelagianum & hæreticum, fusè in Tractatu de Deo, disput. 38. probatum est.

SECTIO X.

Eadem sententia duabus præterea Theologicis rationibus probatur.

VTRAQVE, sicut & illa à priori quam sequenti sectione proferemus tam sectionis octauæ quàm trium præcedentium doctrinam simul confirmabimus. Prima ducitur ab oratione, qua petimus, aut petere possumus à Deo per Christi merita gratiam pro quibuslibet tentationibus non modò collectiuè, sed etiam diuisiuè siue grauibus siue leuibus superandis, & pro quouis exercendo opere bono virtutis etiam solius acquisitæ, siue insigne sit, siue non, siue sit imperatum per præceptum aliquod, siue non sit : quod etiam orare solet Ec- D clesia, vt de Scriptura nihil dicam, quæ plena est hoc orationum genere, vt patet ex oratione quæ in festo sancti Martini recitatur, & ex ea quæ dicitur Dominica secunda in quadragesima, denique ex illa, vt alias multas omittam, quæ sub finem Litaniarum habetur, cuius initium est, *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni & adiuuando prosequere.* Qua postrema oratione patet implorari ab Ecclesia gratiam Dei per Christum ad quodlibet virtutis

VII.

VIII.

opus exercendum, ſicut & duabus præcedentibus ad quamlibet tentationem ſuperandam.

Iam verò quòd ex oratione qua gratiam à Deo per Chriſtum ad res prædictas petimus, colligatur efficaciter neceſſariam eſſe hanc ad eaſdem res gratiam, docent omnes Patres contra Pelagium diſputantes, nominatímque S. Auguſtinus, & alij quatuor Epiſcopi Mileuitani epiſtola 95. inter Auguſtinianas, quorum doctrinam mirificè commendat Innocentius Papa ſequenti epiſtola apud eundem Auguſtinum. Qui Epiſcopi quatuor poſtquam cum Auguſtino citata epiſtola docuerũt Chriſtum his orationis dominicæ verbis, *& ne nos inducas in tentationem*, &c. tradidiſſe, vt peteremus à Deo gratiam non ſuccumbendi tentationibus, inde ita colligunt: *Vnde ſatis appareret quod ad non peccandum, id eſt, ad non malefaciendum, quamuis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen eius poteſtas non ſufficit, niſi adiuuetur infirmitas.* Auguſtinus præterea epiſtola 89. in principio dum ſic ait: *Fruſtra rogantes Deum dicimus, & ne nos inferas in tentationem, ſi hoc in noſtra poſitum ſit facultate, vt nullo eius adiutorio id valeamus adimplere.*

Proſper quoque lib. 2. de vocat. Gentium cap. 28. aliàs 9. dum relatis his Chriſti ad diſcipulos verbis, *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*, ſic proximè adiungit: *Si de vigilando tantùm, non etiam de orando diſcipulos admoneret, ſolas liberi arbitrij vires videretur hortatus: ſed cùm addidit, & orate, ſatis docuit ſuperni futurum muneris, vt eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret.* ac proinde non eſſe in ſolis noſtri liberi arbitrij viribus id quod oratione à Deo petimus.

Innocentius denique ſuprà memoratus, vt alios omittam, epiſtola 91. apud Auguſtinum circa medium, vbi perpendens familiarem Dauidi orandi modum hunc, *Deus in adiutorium meum intende, ad adiuuandum me feſtina, Adiutor meus eſto, ne derelinquas me*, & ſimiles quas ad Deum ſolitus erat fundere orationes, expreſsè dicit ipſum Dauidem, ſi gratia ad ſuperandas tentationes neceſſaria non eſt, *aut orationis ignarum fuiſſe, aut naturæ ſuæ neſcium*, vtpote qui tam frequenter & ardenter à Deo poſtularet quod habere ipſe per ſe poſſet. Quibus relatis ſanctorum Patrum teſtimoniis patet non modò benè colligi ex oratione qua gratia petitur gratiæ neceſſitatem, ſed etiam cauſam cur benè colligatur, nempe quòd nemo oratione poſtulet, quod ipſe in ſua poteſtate ex ſe habet: quam cauſam expreſſit apertiſsimè D. Auguſtinus libri de natura & gratia cap. 18. verbis iſtis concludens: *Nam quid ſtultius, quàm orare vt facias, quod in poteſtate habeas?*

Nec hîc quiſpiam dicat, multa nos à Deo poſſe, imò ſolere petere, ex quibus non licet colligere gratiæ neceſſitatem, vt ſerenitatem aeris, pluuiam, & ſimilia: hoc enim ad infirmandam illam Patrum ratiocinationem nullum robur habet, imò valet potiùs ad confirmandam, quia pluuia, ſerenitas, & ſimilia ideo à nobis poſtulantur à Deo, quòd in noſtra poteſtate non ſint, oratióque qua res illas poſtulamus, manifeſtum argumentum eſt & impotentiæ noſtræ, & neceſſitatis quam habemus alicuius miſericordiæ ſeu beneficentiæ diuinæ. Quamquam fateor, nos ex oratione qua res illas temporales temporale ſolùm commodum ſpectantes à Deo petimus, non poſſe colligere neceſſitatem gratię Chriſti: at non mirum, cùm eas etiam à Deo per Chriſtum non petamus, nec petere debeamus, niſi quando & prout aliquo modo ad probitatem vitæ animæque ſalutem expediunt, quo caſu in Chriſti merita cadunt. Verùm ſicut ex petitione harum rerum per ſe nihil ad æternam vitam conducentium, rectè colligimus neceſſitatem alicuius diuinæ gratiæ, diſtinctæ quidem à beneficio creationis, ſed quæ tamen ad illud reuocatur, quia nihil aliud quàm naturale bonum & commodum ſpectat, vt & creatio, ita ex oratione qua per Chriſtum petimus aut petere rite poſſumus à Deo cuiuſlibet tentationis victoriam, & operis boni exercitium, neceſſitatem gratiæ Chriſti ad eas res omnes & ſingulas ſancti Patres rectè collegerunt.

Secundum argumentum Theologicum ducitur à gratiarum actione: hæc enim non minus efficax teſtificatio eſt acceptæ gratiæ, quàm oratio accipiendæ: gratias autem agere tam poſſumus & debemus Deo per Chriſtum, id eſt, ipſi quoque Chriſto, prout non modò Deus, ſed etiam homo eſt, pro ſingulis tentationibus ſuperatis, & factis bonis operibus, quàm ipſum orare pro ſuperandis & faciendis.

Quòd autem ſicut ex oratione qua gratia accipienda petitur, ita ex gratiarum actione quæ pro accepta refertur, benè colligatur gratiæ neceſſitas, conſtat ex S. Auguſtino libro de bono perſeuerantię cap. 2. in quo, vt probet perſeuerantiam non eſſe noſtrarum virium, ſed diuinæ gratiæ, vtramque cauſam orationis & gratiarum actionis coniungens ſic ait, *Ne ſit irriſoria petitio eſt*, qua ſcilicet à Deo perſeuerantia petitur, *cùm id ab eo petitur, quod ſcitur ipſum non dare, ſed ipſo non donante eſſe in hominis poteſtate? ſicut irriſoria eſt etiam illa gratiarum actio, ſi eò hoc gratiæ aguntur Deo quod non donauit ipſe, nec fecit.* Et epiſtola 107. procul à principio, vtriuſque rurſum cauſæ mentionem faciens, ſic loquitur: *Prorſus non oramus Deum, ſed orare fingimus, ſi nos ipſos non illum credimus facere quod oramus: prorſus non agimus gratias Deo, ſed agere fingimus, ſi vnde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus.* Quibus ex locis patet, ne irriſoriè aut fictè Deo gratias agamus, eſſe aſcribenda Dei gratiæ non ſolis naturæ noſtræ viribus omnia pro quibus ipſi gratias agimus: agimus autem, aut agere iure poſſumus pro omnibus & ſingulis ſuperatis tentationibus, & elicitis bonis operibus.

Dicet hîc aliquis primò, nos pro ſingulis gratias agere, non quòd ad ſingula gratia Dei interuenerit, ſed quia cùm aliquando interueniat, ignoramus ad quæ interuenerit, & ad quæ minimè. Refellitur primò, quia pro iiſdem rebus vt acceptis à Deo iure poſſumus ipſi Deo gratias agere, pro quibus vt accipiendis ipſum orare poſſumus, poſſumus autem orare pro ſingulis, imò frequenter orat Eccleſia, vt ſuprà vidimus. Secundò, quia ſi ad ſingula gratia Dei

I. A V.

II. B VI.

III. C VII.

IV. D VIII.

non interueniret, nō tamen deberemus propter ignorātiam qua nescimus ad quæ interueniat, & ad quæ non, gratias absolutè agere Deo pro singulis sicut facimus, aut facere meritò possumus, sed potiùs hac in agendis gratiis vtendum formula ad ipsum esset: Quandoquidem Domine Deus mihi certum est te ad aliquas tentationes superandas, & ad aliqua opera bona exercenda cōferre gratiam, incertum autem vtrùm contuleris ad hoc opus bonum quod nunc exercui, aut ad istam tentationem quam modo superaui, quia non soles ad omnia & singula conferre, propterea si contulisti, gratias ago. Quod genus gratiarum actionis quis non ridiculum & arrogans iudicaret?

I.

Dicet aliquis secundò, ex dictis hoc secundo Theologico argumento aliud nihil haberi, quàm gratiam tribui ad singulas tentationes superandas, & singula virtutis opera exercenda: at non haberi, ad id ipsam esse necessariam. Reiicitur primò, quia qui hoc dicet, magnam aperiet Pelagianismo ianuam, nimirum gratiā dari vt faciliùs fiat id cuius causa datur, non vt simpliciter fieri queat. Secundò, quia sine fundamento dicet ad quasdam actiones virtutis moralis acquisitæ exercendas, & ad quasdam contra naturæ legem tentationes superandas, esse necessariam gratiam, ad quasdam verò alias non esse, cùm postea ostensuri euidenter simus, rationem quam adferre possunt aduersarij, vt probent necessariam ad aliquas non esse, idem omnino de omnibus collectiuè, & diuisiuè de singulis euincere: è contrario autem rationem à priori quam allaturi mox sumus, vt probemus ad aliquas esse necessariam, idem de singulis etiam leuissimis efficaciter concludere.

II.

Tertiò, quia si gratia ad aliquid necessaria non est, nulla sufficienti ratione vel authoritate asseri potest ipsam ad illud dari: & ad illud si datur, hinc cum sanctis Patribus concludendum est, ipsam ad illud ipsum necessariam esse. Hoc enim colligere solent ex iis Scripturæ locis, quibus significatur gratiam ad opus aliquod datam fuisse, etsi in his non dicatur nec indicetur ipsam ad illud fuisse necessariam, præsupponentes nimirum ad id quod per naturæ vires fieri poterat, & futurum erat, Deum non superaddere gratiæ auxilia, sed ad id solum quod sine ea nunquam futurum erat, nec per consequens esse poterat, prout explicabitur in solutione rationis à priori quam contra nos proponunt aduersarij. Ita autem collegit Concilium Arausicanum secundum can. 25. ad fidem esse necessariam gratiam ex his Apostoli verbis ad Philipp. cap. 1. *Vobis datum est vt in eum credatis.* Huicque illationi multæ sunt aliæ similes in Conciliis Carthaginensi & Mileuitano, & in sæpius suprà citatis Innocentij & Celestini Pontificum epistolis.

III.

IV.

SECTIO XI.

Eadem sententia ratione à priori probatur.

VLTIMA hæc & à priori ratio duo quæ certa sunt præsupponit. Vnum est, hoc differre rationales creaturas à rationis expertibus, quòd illæ in quauis agendi occasione, qua vt rationales acturæ sunt, indifferentes seu indeterminatæ sint ex natura sua ad hoc aut ad oppositum agendum, vel certè ad hoc agendum aut non agendum: hæ verò contrà, sint semper ad vnum determinatæ: ex quo efficitur, vt hæ postulent natura sua & tanquam sibi debitum, ex præsuppositio creationis conseruationisque beneficio, concursum Dei determinatum, ignis v.c. ad calefaciendum, lapis sursum positus ad descendendū: quibus si Deus determinatum hunc concursum negaret, violentiam afferre, & contra earum naturam facere videretur: illæ verò, nempe rationales, propter indifferentiam suam & indeterminationem ad hanc & illam partem contrarietatis aut contradictionis, non magis postulent concursum Dei ad vnam partem quàm ad alteram, si per se & secundum propriam naturam considerentur.

A

V.

Alterum est, Deum scire certissimè non modò futura quæ reipsa erunt, sed etiam quid quibuslibet positis euenturum esset, vt in Tractatu de Deo disput. 28. fusè probauimus: & quia homini quolibet tempore, in qualibet agendi occasione tum exteriùs variæ res, tum interiùs variæ cogitationes occurrere possent, à quibus diuerso modo afficeretur, Deum quoque id optimè scire, atque ita scire verissimè eum qui nunc male agit acturum fuisse benè, & è contrario eum qui nunc benè agit acturum fuisse malè, si quod ei potuisset occurrere, reipsa occurrisset. Quæ consideratio S. Franciscum adducebat, vt diceret se omnium hominum deterrimum esse, non quod putaret se grauiora cæteris hominibus admisisse peccata, sed quòd cogitaret, si constitutus fuisset in iisdem aut similibus peccandi occasionibus & illecebris in quibus homines illi fuerunt, qui sunt omnium deterrimi, se quoque parem illis in nequitia futurum, aut fortè etiam superiorem: quod quilibet nostrum de se meritò sentire potest, cùm dubium esse non debeat, quin potuerit Deus ita disponere res, vt nos in his peccandi occasionibus & illecebris constituti essemus, ex quib. euaderemus reipsa peiores his omnibus qui hactenus fuerunt erúntve in futurum pessimi.

B

VI.

VII.

Quibus duobus sic præsuppositis hanc conficio ratiocinationem. Cùm vna quidem ex parte homo ex naturæ suæ conditione sit indifferens ad vtramque partem contrarietatis aut contradictionis, vt patet ex primo quod præsuppositimus, ex altera verò ipse his vel illis occurrentibus, quæ vt occurrant in eius potestate non est, cùm omnem eius deliberationem libertatisque vsum præueniant, sit impleturus præceptum, tentationem superaturus, bonum aliquod virtutis acquisitæ opus facturus, aut nihil istorum omnium, sed contraria omnia effecturus, vt constat ex secundo quod item præsuppositimus: sanè quòd occurrant reipsa quæ præsciuit Deus si occurrerent causatura præcepti obseruationem, tentationis victoriam, operis boni virtutis acquisitæ exercitium, non verò occurrant alia quæ occurrere potuissent, & quæ si occurrissent, præuiderat Deus futurum vt causarent violationem præ-

C

VIII.

D

cepti, consensum in tentationem, actus boni omissionem, non potest non esse ex aliquo Dei dono & beneficio: quod cùm nec sit creatio, nec conseruatio ipsius hominis, vt patet, neque ad illud reuocari iure queat, vt ex dictis suprà iam sæpius intelligi satis potest, & ex paulò pòst dicendis clarè intelligetur, non est quòd I. negetur esse ex Christi meritis, & quin proinde gratiæ Christi tribuatur, quòd præceptum quodlibet seruemus, siue negatiuè nos habendo, siue positiuè per exercitium actus boni, vel etiam indifferentis, quòd denique bonum aliquod opus etiam minimum acquisitæ virtutis exerceamus, cum in nostra potestate non sit, vt non occurrant ea, quæ si occurrissent, hoc minimum bonum non exercuissemus, leuissimam illam tentationem non superassemus, vel negatiuè nos habendo, vel positiuè, sed contra ei per actum peccati succubuissemus: cùm item in nostra potestate non sit, vt occurrant ea, ex quibus quòd occurrerint factum est vt opus bonum etiam minimum exerceretur, vt tentatio II. siue positiuè siue negatiuè se habendo superaretur, quæ nisi occurrissent præuiderat Deus futurum vt illi tentationi etiam leuissimæ per actum peccati consensus daretur, & illud minimum acquisitæ virtutis opus omitteretur: cùm denique quòd hæc occurrant, & quòd illa alia minimè occurrerint, Christi meritis iure ascribatur, vtpote quibus tribui debet omne donum quod ad beneficium creationis conseruationisque non pertinet, quale istud esse iam monuimus.

At hoc vnum ad vim huius rationis labefactandam dicunt aduersarij, nimirum ad creationis conseruationisque beneficium pertinere reuocarique, & quòd aliquando non occurrat ea cogitatio, quæ si occurrisset, exercitium boni alicuius operis impediuisset, aut consensus III. in tentationem causa fuisset: & quòd è contrario occurrat ea cogitatio, cuius efficacitate leuis aliqua tentatio superatur, aut exiguum aliquod virtutis acquisitæ opus exercetur: ex ipsoque vniuersi ordine, qui absque vi rebus creatis illata impediri minimè valeat, sequi naturaliter, vt hæc occurrat cogitatio, & illa alia minimè occurrat.

Verùm hoc refellitur. Primò, quia hinc consequens est, ad creationis conseruationisque beneficium reuocandum esse, quòd insignia virtutis acquisitæ opera exerceamus, quódque graues contra naturæ legem tentationes superemus: quod tamen quàm falsum sit, & à Conciliorum Patrúmque doctrina alienum, constat ex supra dictis: pari enim iure dici poterit, ex ordine vniuersi per Deum constituto fieri naturaliter, vt occurrant nobis eæ cogitationes, quarum vi & efficacitate opera illa in- IV. signia exercentur, & hæ graues tentationes superantur, & non occurrant quædam aliæ, quæ exercitium operum illorum, & victoriam harum tentationum impedirent: cùm præsertim sicut necesse non est congruam & efficacem cogitationem ex qua sequitur exercitium alicuius exigui operis boni, aut victoria cuiusdam leuis tentationis in entitate supernaturalem esse, ita nec sit necessarium, eam congruam & efficacem, ex qua victoria grauium tentationum, & exercitium insignium virtutis operum tanquam ex causa proficiscitur, in entitate esse supernaturalem.

Secundò, quia sicut per creationis conseruationisque beneficium nihil aliud quàm natura & naturale naturæ bonum seu commodum accipitur, ita ad illud beneficium nihil reuocandum est, nisi quod ad idem commodum purè pertinet: ergo quod ad æternam vitam pertinet, ad illud reuocandum non est: atqui cuiuslibet tentationis victoria, cuiusvis operis boni exercitium pertinet aliquo modo ad vitã æternam, vt constat ex supradictis, nominatim ex ratione præcedente duas Theologicas, qua nona sectione vsi sumus: ergo hæc ad illud reuocanda non sunt, ergo nec cogitationes congruæ & efficaces ex quibus hæc sequuta sunt: nam si hæ ad illud deberent reuocari, deberent quoque & ea quæ ex his sequuntur, cùm præsertim hæc sint in entitate merè naturalia, sicut & illæ cogitationes: vnde etiam habemus hæc dona à creationis conseruationisque beneficio distincta Christi meritis esse tribuenda, cùm quidquid ad æternam vitam aliquo modo conducit, ipsis ascribendum sit.

Tertiò refellitur ex eo quòd non videtur à quoquam posse negari, salua rerum omnium creatione, & absque miraculo, seu vi naturis rerum creatarum illata, fieri potuisse, vt alicui nostrum nõ occurreret quod occurrit aliquando, & iuuit ad tentationis alicuius victoriam, & operis boni exercitium: eadem autem est ratio cæterorum omnium quę cuilibet occurrunt & iuuant ad vincendam tẽtationem, & bonum opus exercendum, cùm cætera eiusmodi omnia non minùs subiecta sint diuinæ prouidentiæ, & indebita naturæ nostræ, atque illa quæ alicui nostrum occurrerunt, & ad res prædictas ipsum adiuuerunt.

Et sanè cùm extra dubitationem sit, multos iam esse qui pauciſſima opera bona exercent, & VII. hoc accidere salua rerum omnium creatione, absque miraculo, & vi rebus ipsis creatis illata, imò cùm non desint graues authores, qui non omnino improbabiliter putent Antichristum tota vita sua nullum vnquam virtutis etiam acquisitæ actum exercturum, quod si erit, procul dubio erit absque miraculo, & vi vlla rei vlli creatæ illata: quis negare iure potest, potuisse salua rerum omnium creatione, concessis cuilibet rei creatæ omnibus quæ sunt ei naturaliter aliquo modo debita ex præsuppositio creationis conseruationisque beneficio, ac proinde sine miraculo ac vlla vi illata rei vlli, potuisse, inquam, sicà Deo disponi omnia, vt & homines illi qui pauciſſima opera bona exercent, ne ipsa quidem exercerent, & proinde nulla, & nos quoque non plura quàm illi exerceremus? Quòd si ita disponi omnia potuerunt, profectò quòd ita non sint disposita, sed aliter, & eo modo, quo factum est vt & aliquod bonum opus exerceremus, & tentationem aliquam superaremus, non potest non tribui gratiæ Dei distinctæ prorsus à beneficio creationis & conseruationis.

SECTIO XII.

Solauntur argumenta ex authoritate Scripturæ petita contra doctrinam septem præcedentibus sectionibus traditam.

I. OBIICIVNTVR contra eam tria præsertim Scripturæ testimonia. Primum sumitur ex Deuter. cap. 30. verbis illis, *Mandatum hoc quod præcipio tibi hodie, non supra te est:* quibus postremis verbis significatur, non esse supra propriam hominis facultatem mandatum illud de quo ibi mentio est, quod est lex Decalogi data populo per Moysem. Respondeo primò, si hinc concludi potest hominem posse sine gratia per solas naturæ vires obseruare legem, & pari iure exercere bonum aliquod opus virtutis acquisitæ, tentationésque contra insurgentes superare, id æquè concludi posse de lege, bonis operibus, tentationibus collectiuè sumptis, atque diuisiuè. Respondeo secundò,

II. eo loco verè significari posse quemlibet seruare totam illam legem etiam collectiuè per naturæ vires, non tamen solas, sed adiutas gratia, quæ cuique præsto est.

Secundum petitur ex his Apostoli verbis cap. 2. epist. ad Rom. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt:* quo loco sermo est de gentilib. totam collectiuè legem, aut saltem maiorem illius partem obseruantibus: nam si minorem legis partem implerent, eamque in cæteris omnibus violarent, de his nunquam diceret, nec dicere deberet Apostolus, ipsos ea quæ legis sunt facere: dicendum enim potius esset illos ea quæ legis sunt non facere, cùm ex potiori parte tribuenda sit denominatio. Quare cùm dicat eosdem naturaliter, id est, naturæ viribus facere ea quæ legis sunt,

III. sequitur hominem posse sine gratia totam etiã collectiuè legem seruare. Respondeo primò iis qui nobis hunc Apostoli locum obiiciunt, aduertendum fuisse ad id quod scripsit S. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. 25. in principio, neminem eo vnquam fuisse vsum, præter eos qui gratiæ contradicunt, contendentes intelligendum esse de gentilibus adhuc incredulis.

Respondeo secundò, loco illo verè agi de his gentilibus qui totam collectiuè legem obseruabant: at cùm Pelagianum sit dicere, posse totam legem seruari sine gratia, non est quod quisquam putet Apostolum hoc docere voluisse: qui reuera ex communi Patrum interpretatione, Augustini lib. de spiritu & litera c. 26. Prosperi lib. contra Collatorem cap. 22. Fulgentij loco paulò antè citato, Ambrosij, Anselmi, Bedæ, S. Thomæ in illud caput Apostoli, de gentilibus loquitur veri Dei cultoribus, absque circuncisione tamen, & aliis scriptæ legis ceremoniis operantibus benè, & totam legem obseruantibus ex vera fide in Deum & auxilio gratiæ, quales fuerunt Melchisedech, Iob, & alij: quam interpretationem illis ipse Pauli contextus qui eam aperte præ se fert suppeditauit. Quare cùm ibidem ait Gentiles illos ea quæ legis sunt facere naturaliter, istud *naturaliter* non est sic exponendum, vt idem sit, atque naturæ viribus, sed sic, vt vel significet per naturam, nõ quidem solam, at gratia renouatam & reformatam', vt citati Augustinus & Prosper exponunt: vel vt iuxta citatum S. Anselmum nihil aliud significet, quàm naturali lege suadente, vt loquitur, absque beneficio scriptæ legis, & exterioris doctrinæ ministerio, quod datum fuerat Iudæis, propter quod se suprà cæteras nationes tantopere efferebant, quod non impedit quin ex spiritu interioris gratiæ profecta fuerit integra illa legis obseruatio, vt ibidem expresse pronuntiat idem Anselmus, dicens eam *non esse nisi per gratiam & fidem, quæ renouat naturalem imaginem Dei in homine scriptam, sine qua renouatione malè operatur, & damnatur.*

Tertium sumitur ex his eiusdẽ epistolæ verbis cap. 4. *Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Vbi nomine operum intelligi nõ possunt ea quę bona & honesta sunt, fiuntque ex spiritu gratiæ, quandoquidem vna ex parte certum est

VI. huiusmodi operibus homines sicut iustificari apud Deum, ita habere apud ipsum gloriam: ex altera verò negat Apostolus iis operib. de quibus loquitur Abrahamũ vel iustitiam, vel gloriam coram Deo fuisse consecutum. Oportet igitur vt operum nomine intelligantur quæ ex solis naturæ viribus profecta sunt: quæ quidem cum bona & honesta esse debuerint, quandoquidem dicit Apostolus Abrahamum illis operibus & iustitiam & gloriam coram hominibus esse adeptum, id est, ab iis reputatum propter illa fuisse iustum: sequitur euidenter hominem posse per naturæ vires sine gratia bonum aliquod virtutis opus exercere.

Respondeo prædictorum verborum varias esse expositiones. Toletus in illum locum sic exponit, ac si dicat Apostolus: Si Abraham pater

VII. noster secundum carnem non ex fide quæ per dilectionem operatur iustificatus est, sed ex operibus seu obseruatione legis naturalis quæ postea per Moysem scripto tradita est, consequutus quidem est iustitiam aliquam & gloriã, sed apud homines solùm, apud quos iusti habẽtur qui iusta & iustè operantur, at non apud Deum, apud quem nemo iustus est, nisi qui emundatus est ab omni peccato lethali, quod nõ deletur per obseruationem legis, sed ex sola fide quæ per dilectionem operatur. Ex qua interpretatione colligi nõ potest in Abrahamo fuisse opera aliqua bona per solas naturæ vires elicita: nam etiam illa quibus iustitiam ab hominibus & gloriam reportauit, vt omni ex parte bona & honesta fuisse concedantur, nihil tamẽ cogit concedere ortum habuisse ex solis naturæ

IV. viribus, & non ex auxilio interioris gratiæ. VIII.

Gabriel autem Vasq. disp. 190. c. 16. aliam expositionem affert, & textui Græco satis conformem, & quam Origenes, Theophylactus atque S. Anselmus in eum Apostoli locum, vt ipse verè refert, & legenti clarum erit, non obscurè indicant: est autem hæc, Apostolum habere pro absurdo, existimare Abrahamum opera bona quæ exercuit legem obseruando, exercuisse non ex spiritu fidei & gratiæ, sed ex solis naturæ viribus, quod alioqui sequeretur eum potuisse

iure

iure in seipso & non in Deo gloriari, quod concedendum non putat Apostolus, cùm alibi dicat, eum omnem qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino debere gloriari: sequeretur autem, nam cùm per opera iusta & accuratam legis obseruationem homo verè vir bonus & iustus sit etiam coram Deo, corâ quo, I. A V. vt eadem epistola dicit idem Apostolus, *non auditores legis, sed factores iusti sunt*, si quis opera illa honesta exerceret, si legem obseruaret per naturæ vires, & non ex auxilio Dei, posset de hac sua iustitia meritò in se gloriari, & non in Deo: quod appellat Apostolus hoc loco habere gloriam non apud Deum, sed apud seipsum. Ex qua interpretatione (quæ vt maximè solida est, ita verissima mihi videtur, vt & nuper visa est nostro Petauio hanc Pauli ad Romanos epistolam publicè in hoc Parisiensi Collegio prælegenti, & Scripturarum accurato in primis ac fideli interpreti) patet tantum abesse, vt quidquam possit ex hoc ipso loco contra nos concludi, vt è contrario nostra superiùs tradita doctrina ex eo efficaciter colligatur. II. B VI.

Quòd si prætermissis his expositionibus, concedamus vltro quod obiectio à nobis extorquere vult, nempe Apostolum ibi operum nomine intelligere ea quæ per solas naturæ vires elicita sunt: minimè tamen consequens erit, eumdem Apostolum admittere aliqua opera ex omni parte bona & honesta, quæ per solas naturæ vires producta sint: vt enim Abrahamus, aut quiuis alius iustificetur apud homines, id est, iusti nomen & gloriam reportet, satis est opera eius exteriùs, cùm homines sola externa videant, mala non esse, sed potiùs apparere bona & iusta, licet reipsa mala sint, vel quod in finem malum referantur, vel defectu alicuius alterius circunstantiæ humanos oculos fugientis.

III. C VII.

SECTIO XIII.

Soluuntur deprompta ex authoritate Conciliorum contra eandem doctrinam argumenta.

SEx potissimùm ea sunt. Primum ducitur ex Tridentino sess. 6. Can. 1. cuius hæc verba sunt: *Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Christum gratia posse iustificari, anathema sit.* Quibus verbis videtur Concilium supponere hominem posse solis naturæ viribus absque vlla gratia, nisi forte externa doctrinæ legis & prædicationis, exercere aliqua opera bona, etsi contra Pelagium definiat iis operibus illum iustificari non posse. IV. D VIII.

Secundum sumitur ex Can. 3. eiusdem sessionis in quo sic habetur: *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quibus etiam verbis supponi videtur à Concilio hominem absque Spiritus sancti inspiratione & adiutorio, atque adeò sine gratia, per naturæ vires posse credere, sperare, & similes bonos actus exercere, non tamen sicut oportet ad iustificationis gratiam accipiendam, id est, quibus tamen bonis actibus, vtpote sine gratiæ auxilio factis, nulla vis inerit aut meriti aut dispositionis respectu gratiæ iustificationis.

Tertium petitur ex can. 6. Concilij Arausicani secundi, qui eandem penitus doctrinam continet quam relatus Tridentini tertius, in quo proinde videtur idem quod in isto tertio supponi.

Respondeo in nullo canonum istorum supponi quid quam eorum quæ in ipsis supponi dicuntur: & primo quidem canone damnari Pelagium, cuius hæc erat doctrina, hominem suis operibus, vel per naturæ vires, vel per legis doctrinam factis absq. diuina per Christũ gratia, posse iustificari: quam doctrinam Concilium ait falsam esse & hæreticã, de cætero neq. affirmãs, neq. negans posse hominem solis naturæ virib. exercere aliqua opera bona, quibus tamen iustificari nequeat. Duobus autem aliis relatis canonibus dico damnari Semipelagianos, asserentes hominem sine præueniente Spiritus sancti inspiratione & adiutorio posse credere, sperare, diligere, pœnitere sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur. Quam doctrinam Concilia illa falsam & hæreticam esse pronuntiant, de cætero neque affirmando, neque negando posse ab homine sine sancti Spiritus inspiratione & adiutorio elici actum aliquem bonum fidei, spei, vel similem, qui tamen talis non sit, qualem oporteret esse, ad gratiam iustificationis obtinendam.

Quartum sumitur ex can. 7. Tridentini Concilij eadem sessione, in qua damnatur qui dixerit omnia opera quæ fiunt ante iustificationem esse peccata. Verùm cùm hic canon conditus sit contra Lutherum, non quidem dicentem posse exerceri sine auxilio gratiæ opera aliqua bona, sed non posse vlla omnino ante iustificationem, id est, peccati remissionem, exerceri, & quæcunque illo antecedente tempore exercentur esse peccata: patet ex hoc canone nihil aliud posse concludi, quam ante iustificationem, id est, peccati remissionem, posse ab homine adhuc peccatore exerceri opera aliqua quæ peccata non sint, imo quæ sint bona & honesta, profecta tamen ex auxilio interioris actualis gratiæ, quod vltro concedimus.

Quintum depromitur ex his eiusdem sessionis cap. 8. verbis, *Ideo gratis hominem iustificari, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promereatur*: quibus verbis supponi videtur, ante ipsam gratiam iustificationis, per quam intelligitur non sola peccati remissio, sed totus ad hãc progressus, qui inchoatur à prima gratia vocationis, dari fidem aliquam, aliqua opera bona ipsam quidem iustificationis gratiam non promerentia, sed tamen per naturæ vires facta absque gratiæ auxilio, quandoquidem ipsum primum gratiæ auxilium antecedunt.

Respondeo illud à Cõcilio minimè supponi, sed cùm ab illo per gratiam iustificationis intelligatur id quod in obiectione dictum est, iuxta communem loquendi morem sanctorum Patrum contra Pelagium disputantium, vt suprà obseruauimus, per iustificationem verò ipsa

formalis sanctificatio & peccati remissio, nihil ex citatis verbis aliud concludi potest, quàm dari fidem aliquam, & aliqua opera bona, quæ iustificationem præcedant, id est, formalem hominis sanctificationem & emundationem à peccato, quod vltro concedimus: de quibus operibus recte Concilium asserit, his hominem nō promereri gratiam iustificationis, quod verissimum est: & ratio euidens est, quod per gratiā hanc intelligatur, vt dixi, totus progressus gratiarum à prima vocatione inclusiue vsque ad formam quæ formaliter sanctificat, & emundat a peccato, quo progressu cùm ipsa quoque fides, & alia omnia opera vtcunque conducentia ad peccati remissionem obtinendam comprehendantur, imò cùm etiam præsupponant aliquam Dei gratiam, nimirum eam actualem cuius impulsu elicita sunt, quæ gratia illo ipso progressu pariter comprehenditur, non mirum si totum hunc progressum per iustificationis gratiam significatum non mereantur, nec mereri valeant, cùm ne quidem istam actualem cuius impulsu sunt elicita mereri possint, vtpote quæ totius meriti quod in iis est principium est.

I.

II. Sextum petitur ex his capitis vndecimi eiusdem sessionis verbis: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis*: quibus videntur aperte distingui duo præceptorum operum genera: vnum eorum quę possumus absque gratiæ auxilio exercere, alterum eorum, quæ sine illo non possumus, ad quæ proinde exercenda oratione indigemus, qua diuinam gratiam, vt facere ipsa possimus, & vt reipsa faciamus, necessariam impetremus. Respondeo falsum esse distingui duo illa præceptorum operū genera, sed solùm declarari quoduis præceptū, simpliciter & absolutè loquendo, posse à nobis obseruari, ita tamen vt ad hanc obseruationem interuenire aliquid debeat quod nostrę potestatis non est, quódque propterea precibus a Deo impetrare debemus, éstque donum diuinæ prę-

III. uenientis & adiuuantis gratiæ ad præceptum obseruandum. Non vult autem Concilium, nos hoc auxilium debere aut posse petere, antequā præuenti simus aliqua gratia præueniente & excitante ad petendum, alioqui contra Concilij Arausicani II. can. 3. definitionem, inuocationi humanæ gratia subiungeretur, non verò gratia inuocationem seu orationem hominis precederet. Vnde sensus prædictorum verborum est, Deum imperādo significare rem quam imperat esse simpliciter in nostra potestate, alias enim eā non imperaret, sed quia tamen nobis solis relicti, nec eius excitati adiutique gratia, nunquam reipsa faciemus quod imperatum est, eo ipso

IV. admoneri nos, vt eam precibus à Deo postulemus, quæ cum ab ipso data fuerit, nos ad operis imperati exercitium adiuuabit.

SECTIO XIV.

Soluuntur petita ex authoritate Patrum contra eandem doctrinam argumenta.

EX eorum numero obiicitur in primis sanctus Gregorius homil. 27. in Euangelia, in qua distinguit duplicem proximorum dilectionem, vnam *quæ sponte impenditur naturæ*, alteram *quæ præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ*: quarum priorem illam vult exerceri sine gratia, cùm dicat sponte impendi, & tamen putat esse actum virtutis moralis, quando quinem ibidem ait *illi sacra eloquia non contradicere.* Respondeo priorem illam dilectionem non existimari à S. Gregorio actum virtutis, alioquin eam non distinxisset ab illa quæ præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientię, cùm hoc loquendi modo non aliud intelligat, quàm quoduis opus à virtute procedens, sumptis videlicet caritate & obedientia generaliter, vt virtutes omnes comprehendunt. Licet autem non agnoscat illam priorem dilectionem vt actum virtutis, meritó tamen ait ei sacra eloquia non contradicere, vel quia illa peccatum non est saltem ex obiecto seu sua specie, sed actus ex obiecto & secundùm speciem indifferens, cùm sit ex affectu cognationis & carnis, vt loquitur: vel quia existimat dari aliquos actus indifferentes in indiuiduo, & illam in eorū numero collocat. A V.

Secundò S. Hieronymus dialogo 3. contra Pelagianos post medium, vbi sub nomine Attici concedit posse hominē breui aliquo tempore B VI. non peccare, perpetuitatem autem impeccantiæ soli Verbo Incarnato conuenire: vnde sequitur posse quoque hominem breui illo tempore tentationem aliquam quæ tunc occurret superare, alioqui si nō posset tunc superare, ne tunc quoque posset non peccare. Respondeo S. Hieronymi mentem esse, posse quidem hominem breui aliquo tempore non peccare, túncque occurrentem aliquam tentationem superare, sed ex gratiæ adiutorio, non ex solis naturæ viribus, licet cum gratia etiam quæ communiter hominibus datur non semper id possit, seu toto vitæ tempore, cùm nemo sit qui non peccet aliquando venialiter, exceptis iis paucis, quos singulare gratiæ priuilegium ab omni peccato immunes effecit.

C VII.

Tertiò S. Chrysostomus ad initium homiliæ 24. in primam ad Corinthios sic scribens, *Suntne ergo tentationes quas sufferre non possumus? & quænam sunt illæ? omnes, vt ita dicam*: quæ postrema verba limitationem quandam continet, indicantque vocabulum, *omnes*, pro penè omnibus positum fuisse, ac proinde esse tentationes aliquas licet paucas quas sine gratia superare possumus. Verùm quia S. ille Pater loco illo aperte significat, velle se, neç graues, nec leuiores vllas tentationes posse superari sine gratia, imò & hanc Apostoli esse doctrinam ait, vt legenti clarum erit, dicendum est, ipsum postremis his verbis, *Omnes, vt ita dicam*, idem significare, atque si respondisset hoc modo, possumus dicere omnes, quòd reuera nullæ absque gratia superari possint.

D VIII.

Quartò sanctus Augustinus libro primo ad Simplicianum quæstione secunda, cuius circa finem agnoscit in homine esse ante electionem ad gratiam, & proinde ex solo naturæ dono, vt ingenium melius, ita honestas vtilesque doctrinas. Verùm non appellat honestas, quasi aut addiscere quisquam eas possit ex affectu veræ virtutis sine gratia, aut absque ea causare possint in voluntate verum aliquem virtutis affectum, sed quia sunt

homine dignæ, eumque decent & ornant: quod habent etiamsi prauo fine addiscantur. Quo ferme modo explicandus est etiam Prosper lib. contra Collatorem cap. 26. concedens homini absque gratia nonnulla ad honestatem vitæ pertinentia: concedit enim ea sola quæ pertinent ad honestatem vitæ præsentis inter homines, qui recta & honesta putat ea quæ exteriùs mala non sunt, aut etiam apparent bona, licet praua intentione fiant, nec proinde sint simpliciter bona moraliter & honesta. I. A

Iterum idem sanctus Augustinus lib. de perfectione iustitiæ responsione ad tertiam ratiocinationem, dicens parum esse ad non peccandum liberum voluntatis arbitrium, nisi Dei gratia adiuuetur per Christum: quòd si parum est, ergo aliquid est, ergo aliquam leuissimam saltem tentationem superare sine gratia potest. Verùm vocem hanc *parum* ibi posuit haud dubiè pro *nihil*, cùm epistola 106. & sæpè alibi disertè doceat, vt supra vidimus, liberum arbitrium nisi gratia adiuuetur nihil omnino valere ad non peccandum. Nec malè parum pro nihil vsurpauit, cùm in communi sermone soleamus dicere id parum valere ad quidpiam quod ad illud nihil prorsus valet. Quamuis autem eiusdem libri cap. 19. videatur concedere posse aliquem sine gratia ducere vxorem ex affectu virtutis, reuera tamen non concedit, sed Celestio hæretico asserenti gratiam Dei nõ esse necessariam ad currendam viam mandatorum Dei, idque probare volenti ex eo quòd Apostolus in prima ad Corinthios epistola ait, *quod vult faciat*, loquens de matrimonio contrahendo, respondet his verbis: *Quasi pro magno habendum sit velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosius disputatur*: quibus solùm vult, quòd etsi concederetur hominem ex naturæ suæ viribus sine gratia posse ex affectu virtutis vxorem ducere, parum tamen hoc esset ad negandam in cæteris difficiliorib. gratiæ necessitatem, sicut Celestius ille cum Pelagianis negabat. II. B III. C

Quòd autem non concedat honestum ex vera virtute ducendæ vxoris affectum solis naturæ iuribus, imò attribuat gratiæ, non obscurum est ex verbis relata proximè consequentibus, plurimísque quæ subiicit Scripturæ locis, quibus hæc simili modo quo Apostolus illo ad Corin. loco loquitur, nec tamè Dei gratia ab operib. illis excluditur, de quib. iis in locis agitur.

Denique idem ipse Augustinus lib. de spiritu & litera cap. 27. & sequenti, vbi postquam dixit in impiis, id est, in infidelibus (sic enim solet eos appellare, vt è contrario veram fidem, pietatem, quo item modo Prosper aliíque eius discipuli loquuntur) esse aliqua opera *quæ vituperare non possumus, sed rectè laudamus, licet si discutiantur quo fine fiant, vix inueniantur quæ debitam iustitiæ laudem mereantur*, rationem reddit, ob quam impij illi possunt nihilominus habere opera aliqua bona, & quædam diuinæ legis præcepta seruare, hàncque esse ait, quòd *non vsque adeo in humana anima imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, vnde dici possit eos etiam in impietate vitæ suæ facere aliqua legis*: qua sanè ratione concedit illis aliqua opera bona profecta ex innata ipsis potentia ad virtutem, ac proinde non ex gratia. IV. D

Hic Augustini locus plene nequit intelligi, nec proinde ductum ex eo argumentum penitus dissolui, nisi perlectis iis quæ habet à capite 20. in quo aggreditur explicare veteris & noui Testamenti differentiam hanc, quòd vetus legem scriptam haberet in tabulis lapideis, nouum autem, quod est gratiæ, habeat scriptam in tabulis cordis, hac videlicet gratia dante vires, & faciente vt ipsa legis præcepta opere impleantur, quas vires ipsa lex vetus per se non dabat, nec dare poterat. Vnde ait ad nouum testamentum pertinuisse omnes etiam lege scripta priores, qui legem hanc suis mentibus insculptam obseruarũt, vtpote quam non nisi ex spiritu gratiæ obseruare potuerunt: de quorum numero fuisse ait eas Gentes, quas Apostolus dixit naturaliter ea quæ legis sunt fecisse, nec Apostolum per eas alios intellexisse quàm in Christum credentes, qui non vt Iudæi præmissa sibi lege, vt loquitur, ad fidem veniunt. Qua horum Apostoli verborum explicatione ex proprio sensu allata, adiungit sub finem capitis 27: quòd si cui placet hæc aliter interpretari, & per eos qui naturaliter ea quæ legis sunt faciũt intelligere etiam impios seu infideles, quorum aliqua sint opera bona, non ex gratia Christi, sed ex humanę naturæ viribus profecta, ob eam quàm in se retinet Dei imaginem, impietate detritam quidem, non tamen prorsus abolitam, manebit tamen firma & inconcussa quæ relata superiùs est vetus inter & nouum Testamẽtum differentia. Vnde patet ad obiectum nobis S. Augustini testimonium respondendum, eum absolutè non admittere in vllo homine vllum veræ virtutis opus ex solis naturæ viribus, sed sub hac solùm conditione loqui, quòd etsi aliquod in aliquo admitteretur, staret nihilominus, vel vt loquitur, *non perturbaretur illa differentia qua distat à vetere testamentum nouum, eo quòd per nouum scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est: hoc enim illic scribitur per renouationem, quod non omnimodo deletum est per vetustatem. Nam sicut ipsa imago Dei renouatur in mente credentium per testamentum nouum, quam non penitus impietas abolerat (nam remanserat vtique id quod anima hominis nisi rationalis esse non potest:) ita etiam ibi lex Dei non ex omni parte deleta per iniustitiam, profectò scribitur renouata per gratiam.* V. VI. VII.

Quinto & postremo Bulla Pij quinti, in qua hæc vicesima nona Michaelis Baij propositio condemnata est: *Pelagianus error est dicere liberum arbitrium valere ad peccatum vitandum.* Et tricesima ista: *Fures & latrones y sunt, non solùm qui Christum viam & ostium veritatis esse negant, sed etiam quicumque aliunde quàm per Christum ad aliquam iustitiam conscendi posse dicunt, aut tentationi vlli sine gratia ipsius adiutorio resisti posse.* Denique hæc tricesima sexta: *Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit*: quæ omnia videmur cum ipso Baio sentire, cùm supra docuerimus nullum bonum opus exerceri, nullam tentationem vinci posse sine gratia, & liberum arbitrium absque ea nihil omnino valere ad non peccandum. VIII.

Verum in primis respondeo propositiones quæ Bulla illa condemnantur, condemnari tanquam vel erroneas, vel temerarias, vel scandalosas, respectiuè, vt illic dicitur, itavt earum aliquæ habeantur erroneæ, aliæ temerariæ, aliæ scandalosæ, idque non simpliciter & absolutè, sed secundum sensum quo I. A à Baio defendebantur: sensus autem Baij negantis ex solis naturæ viribus sine gratia Christi vllum bonum opus fieri posse hic erat, nullum scilicet fieri posse absque vera & supernaturali Dei dilectione nobis per Christum data, vt patet ex iis quæ de ipso sect. 4. diximus, à quo sensu nos longissimè absumus, vt ex eadem sectione clarum est.

Deinde dico tres relatas propositiones damnatas fuisse tanquam scandalosas, præcisè propter censuram qua contentam his doctrinam notabat Baius, quo modo nunc condemnaretur, imò in excommunicationis sententiam incideret, qui beatam Virginem in originali peccato conceptam fuisse vel non fuisse sentiens, quod cuique nunc liberum est sentire, diceret II. B suam ea de re sententiam ad fidem pertinere, contrariamque pro hæretica haberi debere. Quare cùm nos ita doceamus nullam posse sine gratia tentationem superari, nullum opus bonum exerceri, liberum arbitrium absque ea nihil omnino valere ad non peccandum, vt erroris non damnemus contrarium opinantes, nos illi Bullæ nulla in re aduersamur, nec illa nobis. Nec dicat quisquam nos sententiam nostram ex Patribus, Conciliis, & Scriptutis probasse, & proinde putare ad fidem pertinere, & quod consequens est contrariam erroneam esse: nam & qui B. Virginem in peccato originis vel non fuisse conceptam vel fuisse nunc sentiunt, quamuis ex Scriptura, Conciliis, Patribus probent, non propterea tamen sententiam suam de fide esse sentiunt, aut contrariam erroris insimulant. III. C

SECTIO XV.

Soluitur primum ex ratione petitum contra eandem doctrinam argumentum.

PRIMVM omniumque præcipuum dictum à priori ex natura humanæ libertatis argumentum istud est. Pure naturalis est homini libertas, cuius vsum nulla res creata quocunque modo voluntati proposita impedire potest, quandiu non perturbatur iudicium rationis: ergo cùm libertas sit potestas agendi vel non agendi, occurrente tentatione poterit homo ex natiua sua libertate id ad quod impellit tentatio agere, vel nō agere, atque adeo IV. per solas suas naturales vires vt tentationi succumbere, sic resistere, eámque superare. D

Confirmatur. Supponamus hominem aliquem tentari de peccato aliquo committendo, & ab eo semoueamus omne gratiæ auxilium, quod submoueri reipsa posset, cùm à Deo liberè tribuatur, & quidem gratis, etiam ex præsupposito creationis conseruationisque beneficio, iam sic argumentor. Vel hominis illius tentati voluntas, suppositā tentatione, libera manet, vel non: hoc secundum dici non potest, tum quia supponimus tentatione non perturbari iudicium rationis: tum quia alioqui tentationi succumbens non peccaret. Quòd si primum dicitur, cùm libertas, vt dixi, sit potestas agendi vel non agendi, poterit seclusa gratiâ per solas arbitrij vires vt tentationi succumbere & succumbendo peccare, sic resistere & eam vincere. V. Atque hoc eodem modo facilè quis argumentari potest, vt probet hominem posse per solas naturæ vires exercere bonum aliquod opus virtutis acquisitæ: vel enim occurrente occasione alicuius huiusmodi operis exercendi, vel etiam supposito præcepto obligante sub peccato ad illud opus exercendum, manet in homine, à quo omne gratiæ auxilium semouetur, libertas seu libera potestas exercendi aut non exercendi, vel non manet: hoc secundum dici non posse patet ex proximè antè dictis: ex primo verò sequitur euidenter hominem posse sine gratia per vires solius liberi arbitrij bonum opus acquisitæ virtutis exercere.

Neque dicat hîc quisquam in homine secundùm naturalia præcisè spectato non esse vim liberam naturalem sufficientem in actu primo VI. ad producēdos actus bonos acquisitæ virtutis, vt neque est ad infusæ: hoc enim falsum esse constat primùm ex discrimine quod est inter hos & illos actus, quòd nimirum hi sint supernaturales in entitate: vnde non mirum si potentia naturalis vim sufficientem naturalem ad eos eliciendos non habeat, illi verò sint in entitate merè naturales, eiusdem cum ipsa potentia ordinis, quæ propterea tam habere potest & debet vim naturalem sufficientem ad eos producendos, quàm ignis ad calefaciendum, aut sol ad illuminandum. Secundò, quia sequeretur in nobis non esse nisi vim obedientialem respectu actuum acquisitæ virtutis, sicut nō est respectu eorum qui sunt virtutis infusæ: vnde consequenter dicendum esset, quòd sicut hi actus exerceri nequeunt à nobis nisi Deo vel super- VII. naturalem nobis habitum infundente, vel supplente absentiam huius habitus, ita neque illi possent, quod nemo concesserit.

Ad hoc argumentum priusquam directè respondeam, dico eo æque concludi, vt intuenti patebit, posse hominem sine gratia quamlibet grauem tentationem vincere, quodlibet quantumuis insigne virtutis acquisitæ opus exercere, atque leuem aliquam, aut paruum aliquod: imò tam posse omnem collectiuè tentationem vincere, & totam collectiuè naturæ legem seruare, quàm diuisiuè quamlibet, cùm supra euidenter ostenderimus, ex potentia vincendi & seruandi primam, & supposita prima vel tentationis victoria, vel legis obseruatione, ex potentia vincendi seruandique secundam, & ita de cæteris quæ toto vitæ tempore successiuè vin- VIII. cendæ seruandæque occurrunt, rectè & necessariò colligi potentiam superandi seruandique omnes collectiuè.

Iam vt ad illud directè respondeam, præmitto duplicem distinctionem, vnam necessitatis, quæ diuiditur in antecedentem, & consequentem, quas fusè in Tractatu de Deo disput. 29. sect. 2. explicui, & quarum priorem ostendi repugnare libertati, posteriorē verò cum ea rectè cōsistere, itavt quod necessariò fit necessitate

antecedente non fiat liberè, quod verò neceſſariò neceſſitate conſequente, libere fiat, poſſitque non fieri: alteram potentiæ liberæ aliquid faciendi vel non faciendi, quæ item diuiditur in potentiam ſufficientem inefficacem, & in ſufficientem efficacem, quarum illa nunquam habet aut habitura eſt adiunctum effectum, hæc ſemper habet aut habitura eſt, quæ efficax potentia nihil aliud eſt, quam ipſa libera voluntas, prout monetur tali cogitatione intellectus, cui non modo potens eſt conſenſum dare, ſed etiam in iis agendi occaſionibus in quibus conſtituta eſt conſenſum reipſa libere dabit, cùm illa altera potentia ſit eadem libera voluntas, prout ita potens eſt libere operari, vt tamen in his agendi occaſionibus in quibus conſtituta eſt, non ſit de facto operatura.

I.

His præmiſſis, dico propoſito argumento rectè concludi, ſecluſa omni gratia ad donum creationis conſeruationiſque non pertinente, adhuc in homine eſſe liberam potentiam ſufficientem inefficacem ad vincendas omnes & ſingulas tentationes contra naturæ legem, & ad totam hanc legem etiam collectiuè ſeruandam, ad omne item & quodlibet acquiſitæ virtutis opus exercendum: at non concludi, eſſe ſufficientem efficacem ad vllam vel leuiſſimam tentationem vincendam, aut ad aliquod quantumuis exiguum virtutis acquiſitæ opus exercendum: proinde ſecluſa gratia neceſſitatem ſuccumbendi tentationi non eſſe antecedentem, ſed conſequentem tantùm, quæ neceſſitas vt non obſtat libertati, ita non impedit quominus actus malus qui ex ea fit, verè peccatum ſit.

II.

Ex quo etiam fit vt neceſſitas gratiæ, qua hæc neceſſaria dicitur ad tentationes ſuperandas quæ legi naturali repugnant, & ad bonum virtutis acquiſitæ faciendum, non ſit antecedens, ſed conſequens tantùm, quæ tamen ſufficit, vt verè dicatur gratia homini ad hoc neceſſaria, vt tentationes vincere, vt legem ſeruare, vt bonum opus acquiſitæ virtutis exercere poſſit, non quidem potentia ſufficiente inefficaci, quam habet per ſe ſine gratia, ſed potentia ſufficiente efficaci, quam non habet niſi per gratiam: quandoquidem, vt ſuperioribus ſectionibus probauimus, nullam vel leuiſſimam tentationem vincet de facto, nullum vel exiguum acquiſitæ virtutis opus exercebit vnquam, niſi Deus per gratuitam ſuam miſericordiam collato ſemel creationis conſeruationiſque beneficio ſuperadditam has & illas auertat ab ipſo cogitationes, & peccandi occaſiones, has aut illas ipſi offerat benè agendi occaſiones, & immittat in eum cogitationes, quas niſi auertiſſet, obtuliſſet, immiſiſſet, præuiderat eum & bonum opus acquiſitæ virtutis non facturum, & tentationi conſenſurum, atque adeo peccaturum: vt autem auerterentur, offerrentur, immitterentur, non erat in hominis libera poteſtate, cùm omnem humanæ libertatis vſum præueniant, vt etiam ſuprà docuimus.

III.

IV.

Neque verò quod hominis libertati non ſubſit, vt hæ & illæ occaſiones cogitationéſque auertantur, offerantur, immittantur, ſine quibus auerſis, oblatis, immiſſis, nunquam bene aget, aut tentationi reſiſtet, ſequitur gratiam eſſe ipſi neceſſariam neceſſitate antecedente: ſi enim ſine illis auerſis, oblatis, immiſſis non poſſet bene agere, tentationémque vincere potentia antecedente, eſſet quidem illi neceſſaria gratia antecedente neceſſitate: at cùm ſine illis hoc poſſit potentia antecedente, quæ eadem eſt cum ſufficiente inefficaci, ſola autem potentia conſequente, quæ eadem eſt cum ſufficiente efficaci, illud ipſum non poſſit, hinc fit, vt gratia ipſi ſola neceſſitate conſequente neceſſaria ſit.

A V.

At hinc merito ſumet aliquis occaſionem quærendi, cur cùm hîc concedamus homini ſecluſa gratia potentiam antecedentem ad bonum naturalis ordinis agendum, tentationeſque contra naturæ legem ſuperandas, ſolam autem conſequentem negemus: cur, inquam, ſuperioribus ſectionibus non æquè dixerimus hominem propter illam antecedentem potentiam poſſe ſine gratia ſuperare quaſlibet, & omnes contra naturæ legem tentationes, ſeruare totam hanc legem, & opus acquiſitæ virtutis exercere, atque propter potentiam conſequentem diximus ipſum minimè poſſe? Reſpondeo, licet vtrumque verè dici potuerit, hoc tamen poſterius dicendum fuiſſe, non illud prius, ne videremur homini tribuere ſine Chriſti gratia potentiam antecedentem bene agendi, tentationeſque ſuperandi, talem quæ reipſa aliquando ad praxim reduceretur: qualis potentia ſi concederetur, ſequeretur exerceri aliquando ab homine actiones aliquas virtutis & tentationes aliquas ſuperari, pro quarum exercitio & victoria nullas ipſe Chriſto deberet gratias, quod vt ſignificaremus falſum eſſe, Chriſtique gratiam pro qua grates ipſi debemus, agnoſcere nos debere, dum aut tentationi alicui etiam leuiſſimæ reſiſtimus, aut bonum aliquod virtutis vel exiguum opus exercemus, propterea diximus, nos nihil horum ſine Dei per Chriſtum gratia poſſe, potentia ſcilicet conſequente: de qua etiam, non autem de antecedente loquendum nobis fuit, cùm non de hac, ſed de illa & ipſi inter ſe Theologi diſputent, & olim ſanctis Patribus fuerit cum Pelagianis & Semipelagianis diſputatio, his illam in homine ad vincendas tentationes, & ad bona opera exercenda ſine Dei per Chriſtum gratia admittentibus, illis è contrario negantibus.

B VI.

C VII.

SECTIO XVI.

Soluuntur alia quatuor ex ratione deſumpta contra eandem argumenta.

D VIII.

SECVNDVM ordine argumentum iſtud eſt: victoria omnium tentationum contra naturæ legem, obſeruatio huius vniuerſæ legis, exercitium cuiuſlibet operis virtutis acquiſitæ, nullam ſupernaturalem entitatem continet, ſed ſolius ordinis naturalis: igitur proficiſci poteſt à ſolis naturæ viribus, non tantùm ſi ſermo ſit de potentia naturali antecedente, ſed etiam conſequente. Reſpondeo negando conſequentiam, cogitationes enim illæ & actiones quas

niſi Deus ſuccurreret, immitteret, offerret, nunquam bene operaremur, vel vllam tentationem vinceremus, vt ſuprà dixi, etſi ſint in entitate merè naturales, cùm tamen debitæ non ſint naturæ noſtræ, etiam ex præſuppoſito creationis conſeruationiſque beneficio, vt ſuprà
I. probauimus, ſunt dona gratiæ Dei, & quidem A per Chriſtum, vt ibi quoque oſtendimus. Quare quòd non niſi ab iis eorumque efficacitate oritur, aut oriri poteſt, potentia ſcilicet conſequente, nempe victoria tentationis, legis obſeruatio, operis boni exercitium, licet ſit quid in entitate merè naturale, non debet tamen tribui ſolis naturæ noſtræ viribus, ſeu ſoli noſtræ potentiæ naturali, ſiue antecedenti, ſiue conſequenti.

Tertium eſt: homo naturaliter & abſque vlla gratia cognoſcit non eſſe agendum ſecundum vitium, & agendum eſſe ſecundùm virtutem: ergo ſine gratia poteſt naturaliter non agere ſecundùm illud, atque adeo non peccare, tentationemque vincere, & agere ſecundùm iſtam, atque adeo virtutis acquiſitæ opus exer-
II. cere. Probatur antecedens: niſi enim illud na- B turaliter cognoſceret, naturaliter capax peccati non eſſet, cùm hac remota cognitione nullus eius actus peccatum eſſe poſſit. Conſequentia patet ex libera poteſtate quæ in voluntate eſt faciendi vel non faciendi quod intellectus ipſi vt faciendum vel non faciendum repræſentat.

Reſpondeo primò hoc argumento concludi pariter, hominem poſſe ſine gratia quamlibet grauiſſimam tentationem vincere, quodlibet heroicum virtutis opus exercere, imò poſſe collectiuè totam ſeruare naturæ legem, & omnem tentationem ſuperare. Reſpondeo ſecundo conceſſo antecedente, & eius probatione,
III. quæ bona eſt, diſtinguendo conſequens: vel enim in eo ſermo eſt de libera faciendi poteſtate antecedente, ſeu quæ ſufficiens & inefficax eſt, C vel de poteſtate conſequente, ſeu quæ ſufficiens & efficax eſt: ſi de priori illa ſermo eſt, bona eſt conſequentia, & verum conſequens, ac bene probatum in probatione conſequentiæ: ſin de iſta poſteriore, mala eſt conſequentia, falſumque conſequens, neque eius probatio aliud euincit, quàm in homine habente liberam voluntatem eſſe potentiam agendi antecedentem, quod vltro concedimus.

Aduerte autem circa antecedens huius tertij argumenti, cognitionem boni vt faciendi, & mali vt fugiendi, quam abſque gratia & merè naturaliter deberi & ineſſe homini conceſſi, eſſe pure ſpeculatiuam, ſumendo ſpeculatiuum prout ſumpſi ſectione 2. Nam quæ practica eſt, id eſt, quæ mouet voluntatem ad affectum virtutis reipſa concipiendum, gratia Dei per
IV. Chriſtum eſt, & quidem efficax: quæ autem D non mouet quidem ad ipſum actu concipiendum, mouere tamen per ſe apta eſt, & reipſa moueret, niſi per ipſam liberá voluntatem ſtaret, gratia quoque Dei per Chriſtum eſt, ſed ſufficiens, prout ſufficiens à Theologis efficaci opponitur: dummodo tamen illa ſpeculatiua cognitio maior non ſit ea mali bonique cognitione, quæ ſimpliciter neceſſaria eſt vt in voluntate ſit & conſeruetur libera poteſtas agendi vel non agendi, & ſine qua cognitione nulla eſſet in ea huiuſcemodi poteſtas: nam illa boni malique cognitio quæ ſimpliciter ad hoc neceſſaria eſt, tam naturaliter abſque Chriſti gratia homini ineſt, quàm ipſa libertas.

Quòd ſi quis quærat, quanta eſſe debeat illa boni malique cognitio ſimpliciter neceſſaria
V. ad vſum libertatis circa bonum aut malum, aut proſequendum, aut fugiendum? Reſpondeo, ſi dari aliqua minima poteſt qua non poſſit dari minor, hanc neceſſariam eſſe, vt patet, atque etiam ſufficere, quòd per ipſam ſufficienter voluntati proponatur bonum vt proſequendum, malum vt fugiendum, ita vt per eam ſolam poſtea ſtet, quominus reipſa iſtud fugiat, & illud proſequatur. Quòd ſi nulla minima dari poteſt, ſed quælibet poteſt eſſe remiſſior & remiſſior in infinitum, dico nullam tam paruam dari poſſe, quæ tota ſit neceſſaria: quælibet enim eius pars ſufficeret, quia quælibet ſufficienter bonum vt proſequendum, & malum vt fugiendum voluntati repræſentaret, hácq. repræſentatione poſita, per
VI. ipſam ſolam ſtaret, quominus vnum reipſa fugeret, alterum appeteret: quare quod ſupra minimam erit, ſi dari minima poteſt, gratiæ Dei tribuendum erit, cùm naturæ non ſit neceſſarium, nec proinde naturaliter debitum: ſi verò nulla minima eſſe poteſt, nulla erit in qua aliquid diuinæ gratiæ agnoſcendum non ſit: erit enim in qualibet intenſio aliqua & perfectio cognitionis, quæ tota non erit neceſſaria ad ſeruandum circa boni & mali vel proſequutionem vel fugam vſum libertatis, nec proinde tota naturaliter debita: vnde meritò aliquid ipſius in diuina gratia numerabitur.

Quartum: ſi homo in ſtatu puræ naturæ creatus fuiſſet, bene aliquando egiſſet. Reſpondeo, ſi egiſſet, futurum ex adiutorio gratiæ: hoc enim euincit ratio à priori, qua ſuprà probauimus hominem nunc nunquam agere bene
VII. niſi ex gratiæ auxilio. Dices fore vt hac gratia extraheretur à ſtatu puræ naturæ, & in alio cõſtitueretur. Reſpondeo id concedi poſſe, nec habere quidquam abſurdi: negari tamen poteſt, dicendo ſtatum puræ naturæ à Theologis accipi, non vt opponitur omni gratiæ Dei, ſed ei tantùm quæ eſt in entitate ſupernaturalis quam homo habeat, aut ad quam habendam ordinatus ſit.

Quintum: aliquando difficilius eſt malè agere quàm bene: quis enim neget eſſe difficilius enecare ſe fame, quàm comedere quantum oportet ex affectu temperantiæ? mortem Idoli cauſa ſuſtinere, quàm leuem eleemoſynam facere ex affectu miſericordiæ? atqui illa difficiliora fiunt ſine gratia, cùm ſint peccata,
VIII. ad quæ committenda nec tribuitur, nec tribui à Deo gratia poteſt: ergo hæc faciliora opera quæ bona ſunt & honeſta fient ſine gratia. Neganda eſt hæc conſequentia: non eſt enim diiudicandum præcisè ex rei difficultate vel facilitate vtrum gratia detur, necne, cùm hæc non detur ad facilius operandum, ſed vt ſimpliciter fiat quod ea non data factum non fuiſſet, & erat impoſſibile fieri, non quidem poteſtate antecedente, ſed conſequente. Et certè ſi hoc argumentum rectè probaret illa faci-

liora virtutis opera sine gratia exerceri posse, euinceret quoque posse quælibet insignia & heroica: pari enim iure diceretur, non minùs esse difficile mortem, verbi causà, pro idolo, aut alicuius vitij amore, quàm pro Deo per naturale lumen cognito, vel pro honestate virtutis
I. alicuius sustinere.

SECTIO XVII.

Soluitur vltimum ex ratione depromptum contra eundem argumentum.

SEXTVM ducitur ex quibusdam incommodis quæ sequi videntur ex nostra sententia. Primum est, humanam naturam fore cæteris imperfectiorem, cùm hæ possint operari conformiter naturæ suæ sine gratiæ auxilio, illa vero non possit. Respondeo tantum abesse, vt propterea imperfectior sit, vt è contrario tribuendum sit eius supra cæteras corporeas creaturas excellentiæ, quòd cùm hæ possint naturaliter sine gratia beneficio creationis & conseruationis superaddita ferri in bonum sibi conueniens & proportionatum, illa non possit tendere in bonum honestum sibi proportionatum
II. & conueniens absque gratia superaddita prædicto creationis conseruationisque beneficio. Id enim oritur ex eo quòd non est ad vnum determinata, sicut cæteræ illæ creaturæ, ex quo fit, vt opus habeat regi speciali Dei, cuius illæ aliæ non sunt capaces, prouidentia, in hoc consistente, vt auertantur, offerantur, immittantur à Deo ipsi occasiones illæ & cogitationes, de quibus suprà dixi, sine quibus auersis, oblatis, immissis, nunquam præeligeret bonum malo, quásque auerti, offerri, immitti ei, non est situm in eius libera potestate, cùm, vt iam dixi sæpius, libertatis eius vsum præueniant.
III. Quod quamuis ita sit, dicere tamen possumus istam specialis huius prouidentiæ indigentiam oriri ex imperfectione nostræ naturæ rationalis, non quidem comparatæ cum creaturis rationis expertibus, quibus ob prædictam indifferentiam suam longè præstat, sed cum Deo, qui ita liber & indifferens est, vt tamen ex natura sua ad verum bonum determinatus sit.

Secundum est, nullum ex doctrina Conciliorum & Patrum desumi posse argumentum, ad probandum aliquos actus, vt fidei, spei, & caritatis, similésque esse in entitate supernaturales. Cùm enim Concilia & Patres de iis actibus nihil aliud doceant quàm ad ipsos exercendos auxilium gratiæ necessarium esse, sanè si auxilium istud ad omnes omnino bonos actus
IV. necessarium est, vt esse docuimus, patet ex illa eorum doctrina colligi non posse aliquos potiùs quàm alios in entitate esse supernaturales.

Respondeo primò, si aduersarij velint ex gratiæ auxilio necessario ad aliquos actus bene concludi eos esse in entitate supernaturales, debere ex consequenti dicere gratiam necessariam non esse ad vllum quantumuis insignem & heroicum virtutis acquisitæ exercendũ, ad quantumuis graúem tentationem contra naturæ legem superandam, & ad hanc legem non modo diuisiuè, sed etiam collectiuè totam obseruandam, quod tamen Pelagianum esse supra ostendimus.

Respondeo secundò, præcisè ex necessitate gratiæ ad actus fidei, spei, caritatis, & similes, non posse colligi efficaciter eos in entitate supernaturales esse. Quare si verum est quod in obiectione supponitur, nimirum Concilia & V.
Patres de his actibus nihil aliud docere, quàm ad eos gratiam esse necessariam, concedendum ex consequenti est, nullum ex eorum doctrina sumi posse efficax argumentum, ad probandum dari aliquos actus in entitate supernaturales. Vtrùm autem nihil aliud de his doceant, eo loco examinandum est, in quo ex professo disputatur, vtrùm aliqui actus in entitate supernaturales admittendi sint.

Tertium est, ad exercitium cuiuslibet virtutis acquisitæ nullam esse admittendam gratiam præuenientem in voluntate receptam, posita enim in intellectu congrua cogitatione & illuminatione, consensus voluntatis ad quod-
VI. uis opus acquisitæ virtutis sequi potest, etiamsi nulla præuia motio in ipsa voluntate antecesserit. Respondeo primò, hac eadem vel simili posita in intellectu cogitatione, sequi posse consensum voluntatis in quodvis opus virtutis infusæ seu supernaturalis in entitate: proinde ad exercitium actuum virtutis huius, neque etiam admittendam esse gratiam præuenientem in voluntate receptam, si ad acquisitæ actus exercendos admittenda non est.

Respondeo secundo, ad actus virtutis & acquisitæ & infusæ admittendam esse: tum quia solet cogitatio, quæ vtcumque idonea est ad impetrandum à voluntate consensum, simul atque in intellectu est, excitare vi sua in ipsa voluntate motum aliquem repentinum vel suauitatis, vel timoris, vel similem alium, qui motus simul cum illa cogitatione voluntatem impellens ad bonum aliquem actum exercendũ, præ-
VII. ueniens Dei gratia per Christum est: tum quia si cogitatio hunc motum non semper excitat, vel quia non semper habet per se vim ad illum excitandum, vel ratione alicuius alterius defectus & impedimenti, Deus tamen illum excitare solet, præsupposita tanquam conditione prærequisita cogitatione & illuminatione qua in intellectum immisit. Quòd si quis dicat aliquando contingere vt voluntas consentiat in actum bonum, siue naturalis, siue supernaturalis ordinis, ex sola præuia intellectus cogitatione congrua, nullo in ipsa præcedente motu vel suauitatis, vel timoris, vel simili, is meo iudicio nihil dicet rationi doctrinæve Patrum &
VIII. Conciliorum repugnans, debebitque concedere præuenientem gratiam aliquando in sola intellectus illuminatione esse positam, quod non videtur Conciliis, Patribus aut rationi repugnare.

Quartum & postremum est, præter gratiam doctrinæ legis & externæ prædicationis, quam Pelagiani admittebant, nullam aliam esse necessariam ad omnem tentationem vincendam siue diuisiuè siue collectiuè contra naturæ legem, & ad hanc totam legem etiam collectiuè seruandam: præter hanc enim nihil requirimus nisi cogitationem congruam, quæ motum dulcedinis, aut timoris, aut similem in voluntate exci-

tare solet, hanc autem cogitationem ingenerare per se & vi sua potest externa doctrinæ legis propositio & prædicatio, aliæque res similes externæ, vt sanctorum imagines.

Respondeo negando hoc, quod reuera absurdum, imo Pelagianum est, sequi ex nostra sententia: vnde nego externam doctrinæ legis propositionem, prædicationem, & res similes externas, habere præcisè per se vim excitandi in intellectu cogitationem illam congruam, aut aliam quàm pure speculatiuam, prout speculatiuum sectione 2. sumendum esse docuimus. Vbi tamen non inficior, Deum, qui aliquando immediatè per se, vel per Angelos immittit in intellectum nostrum sanctas cogitationes & congruas, & in voluntatem bonos timoris, & suauitatis, & similes motus, vti aliquando, imo vt plurimum externarum rerum ministerio ad has sanctas & congruas cogitationes in nobis efficiendas, & his mediantibus prædictos in voluntate motus: verùm quoties id accidit, toties non ab ipsis rebus externis, sed à Deo id prouenire dicendum est, quia motus hi & illæ cogitationes non ex ipsa præcisè rerum illarum externarum vi & efficacitate nobis ingenerantur, alioquin omnibus quibus eædem res externæ applicantur ingenerarentur, & quidem toties quoties applicarentur, sed ingenerarentur nobis per illas externas res nobis ex speciali Dei prouidentia applicatas eo tempore, eo modo, in his aut illis agendi occasionibus, in his aut illis corporis animique dispositionibus, in quibus si applicarentur, præuiderat Deus futurum vt tunc mentem nostram ferirent cogitationes aliqua, quæ vi & efficacitate sua consensum à voluntate impetraret, quæ est gratia efficax, aut saltem impetrare per se apta esset, & aptior cognitione illa boni & mali quam suprà homini inesse naturaliter diximus, quæ est gratia sufficiens.

I. II. III.

Atque cùm hæc sancta cogitatio, per res illas externas immissa nobis, ex speciali prouidentia Dei, omnia præparantis & disponentis necessaria ad hanc in nobis ministerio rerum illarum habendam, valde diuersa sit, vt patet, ab ea cogitatione, quam eædem externæ res seiunctæ ab illo ordine specialis Dei prouidentiæ immittere per se & vi quouis tempore & in quemlibet possent, meritò illam vt distinctam ab externa gratia doctrinæ legis, & prædicationis, aut alterius rei similis gratiam agnoscimus: quam cùm ad cuiuslibet tentationis victoriam & operis boni exercitium necessariam esse velimus, consequens euidenter est, nos ad bene agendum, & tentationes superadas, aliam præterea gratiam requirere, quàm externam doctrinæ legis, & prædicationis.

IV.

De hac alia gratia ministerio rerum illarum externarum immissa loquens D. Augustinus libro de Prædest. Sanctorum cap. partim 7. partim 8. ait, *multos audire verbum veritatis, alios credere, alios contradicere: sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum esse, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Item esse quandam *valde remotam à sensibus carnis scholam, in qua Pater auditur, & docet vt veniatur ad filium. Cùm igitur Euangelium prædicatur, quosdam credere, quosdam non credere, sed qui credunt, prædicatore forinsecus sonante, intus à patre audire, & discere: qui autem non credunt, foris audire, intus non audire, neque discere, hoc est, illis dari vt credant, illis non dari.* De hac eadem gratia sic loquitur Gregor. Magnus homil. 30. in Euangelia, relatis his de Spiritu sancto, *Ipse vos docebit omnia*, Christi Domini verbis, *Nisi idem spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo Doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat.* Et paucis interiectis: *Cùm ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia? nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior qui de vocis intelligentia quosdam specialiter monet.* Eiusdem gratiæ mentio fit Actorum cap. 16. in quo refertur ad fidem conuersio mulieris, nomine Lydiæ, cui Pauli prædicationem audienti Deus dicitur, *aperuisse cor, intendere iis quæ à Paulo dicebantur.*

A B C D

V. VI. VII. VIII.

SECTIO XVIII.

Vtrùm absque habituali gratia sanctificante naturæ legem seruare quisquam possit?

QVÆSTIO primùm est de præceptis solius legis naturalis, nam si de supernaturalibus ageretur, res esset extra controuersiam. Cùm enim ex iis aliqua sint, quorum debita obseruatio gratiam illam sanctificantem præsupponit, vt sumendæ Eucharistiæ: alia verò sint, quorum item obseruatio eandem sanctificantem gratiam secum affert, vt suscipiendi baptismi, pœnitentiæ, perfectæ contritionis exercendæ, patet sine gratia sanctificante habituali hæc & similia præcepta supernaturalia non posse seruari, licet quædam alia sint quæ absque ea obseruari possunt, vt præcepta credendi, sperandi, & similia, quorum obseruatio nec præsupponit sanctificantem gratiam, nec secum inuehit.

Quæstio secundò est de præceptis solius legis naturalis collectiuè sumptis: certum enim est gratiam sanctificantē ad cuiuslibet naturalis præcepti obseruationem minimè necessariam esse: si enim, vt hîc modò dixi, aliquod supernaturale præceptum sine ea seruari potest, multò magis aliquod naturale poterit. Quod etiam constat ex sectione 3. in qua probaui posse in peccatoribus, imò & infidelibus esse opera aliqua veræ virtutis.

De posita autem quæstione prima sententia est Bonau. in 2. distinct. 28. artic. 1. quæst. 2. Durandi quæst. 3. & 4. Gabrielis quæstione vnica artic. 2. & Marsilij quæst. 18. artic. 2. affirmantium posse hominem absque gratia, de qua hîc agimus, seruare multo tempore præcepta omnia legis naturalis. Secunda, quæ id negat, probabilior est, defenditúrque à Caietano, Conrado, Medina ad artic. 4. huius 109. quæstionis, Vega quæst. 13. de iustificatione conclus. 6. Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 22. conclus. 2. Henrico quodlibeto 5. quæst. 20. Richardo in 2. distinct. 25. artic. 2. quæst. 2. Scoto distinct. 28. quæst. 1. Gabriel Vasquez disputat. 196. cap. 3. cæteríque ferme omnibus recentioribus.

Probatur primò authoritate S. Thomæ citato artic. 4. expresse docentis non posse seruari totam legem sine gratia sanante: vbi nomine legis solam naturalem intelligit, vt communiter eius interpretes exponunt, nec obscurum est, tum ex eiusdem verbis in articuli corpore, I. tum ex primo quod sibi obiicit, & postea soluit argumento: gratiæ autem sanantis nomine sanctificantem habitualem quæ à peccati morbo & morte liberat. & artic. 8. in quo eandem ferme difficultatem tractat, quam superiore isto artic. 4. diserte affirmantis hominem non posse non peccare sine gratia sanante habituali: & paulò inferius, sine gratia iustificante qua voluntas reparatur.

Probatur secundò ex his Apostoli verbis ad Roman. 2. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quo loco cùm legis nomine significet Apostolus naturalem communem Iudæis & gentibus, vt cõstat ex his consequẽtibus verbis: *Cùm enim Gentes quæ legem nõ habent.* &c. per verbum autem, II. *iustificabuntur*, intelligat veram animæ sanctitatem, quæ cum peccatorum remissione, si quæ præcesserunt, coniuncta est, quandoquidem eo capite loquitur de hominibus, qui vel legem nõ seruant, ideóque damnantur, vel seruant, & salutem æternam consequuntur, quam sanè nemo sine præuia vera animæ sanctitate consequi potest, cùm hæc, inquam, ita sint, colligitur ex relatis Apostoli verbis ipsum velle neminem esse qui se in omnibus obseruatorem legis exhibeat, diúque vitet omne contra eam peccatum mortale, quin coram Deo iustus sit, seu in statu gratiæ gratum facientis.

Probatur tertiò ex S. Augustino lib. de spiritu & litera, cap. 26. paulò post medium, vbi hæc Apostoli verba, *factores legis iustificabuntur*, sic intelligenda ait, *vt sciamus aliter eos non esse factores legis, nisi iustificentur, vt non iustificatio factoribus accedat, sed vt factores legis iustificatio* III. *præcedat.* Quem illorum Apostoli verborum sensum declarat & illustrat his proximè consequentibus verbis. *Si enim ita loqueremur, vt diceremus, homines liberabuntur, hoc vtique intelligeretur, eis qui iam homines essent accedere liberationem: si autem diceremus, homines creabuntur, non vtique intelligeretur eos creari qui iam homines erant, sed ipsa creatione homines fieri. Ita si dictum esset, factores legis honorabuntur, non recte acciperemus, nisi honorem illis qui iam essent factores legis accedere: cùm verò dictum est, factores legis iustificabuntur, quid aliud dictum est, quàm iusti iustificabuntur? factores enim legis vtique iusti sunt. Ac per hoc tantundem est, ac si diceretur, factores legis creabuntur, non quia erant, sed vt sint.* Quibus verbis manifestè non modò docet, neminem posse esse saltem diu obseruatorem totius legis, qui non iustificetur, sed etiam qui IV. non prius sit iustus, quàm sit diu saltem totius legis obseruator: quod non diceret, nisi existimaret, nunquam contingere, vt quis diu vitet omne mortale peccatum contra legem, seruetque longo tempore præcepta omnia ad hanc pertinentia toties quoties seruanda occurrunt, quod necessarium est vt quis possit dici simpliciter & absolutè factor legis, quin iustificetur, & quidem ante exactum totum illud tempus, post quod, si nullum eo labente lethiferum peccatum contra legem admisit, si omnia & singula eius præcepta quoties occurrerunt seruanda seruauit, potest meritò denominari simpliciter factor legis.

Huius autem rei atque adeo nostræ sententiæ alia ratio non est, quàm quòd Deus, quæ est A eius erga homines bonitas, spiritum veræ compunctionis, qui secum sanctificantem gratiam, vel per alicuius sacramenti susceptionem, vel extra sacramentum affert, semper tribuat iis quos videt auxilio gratiæ suæ excitantis bene vsos aliquandiu fuisse, vincendo tentationes naturali legi repugnantes, & huius legis præcepta omnia & singula obseruando toties quoties obseruanda occurrerunt. V.

Ex quo concluditur, neminem esse qui notabili tempore viuat extra statum gratiæ sanctificantis, qui intra tempus illud non incidat in nouum aliquod lethale peccatum naturali legi repugnans: si enim toto illo tempore in nullum incideret, seruaretque proinde omnia legis naturæ præcepta sub mortali peccato B obligantia, toties quoties seruanda sese offerunt, eo elapso, imò vt supra vidimus, ante totum illud elapsum acciperet infallibiliter à Deo prædictum compunctionis spiritum, per quem peccatorum remissionem cum gratia sanctificante simul consequeretur. VI.

Cæterùm quantum debeat esse tempus illud, quo de facto potest & debet peccator omnes se se offerẽtes tentationes vincere, & occurrentia omnia legis naturæ præcepta seruare, antequam iustificetur, non potest ab vllo mortalium definiri, & videtur in aliquibus maius esse, in aliis minus, pro ratione scilicet maiorum aut minorum peccandi occasionum, grauiorum aut leuiorum, plurium aut pauciorum tentationum quæ se se offerunt, & superandæ sunt.

C At obiicies primò, sanctos Patres docentes VII. contra Pelagium gratiam esse necessariam ad superandas tentationes, & seruandam legem naturalem, tentationúmque victoriam, & legis huius obseruationem non naturæ viribus sed gratiæ tribuendam esse, de sola gratia actuali sanctæ cogitationis & inspirationis esse loquutos, non verò etiam de habituali gratia sanctificante, sine qua proinde etiam diu & tentationes omnes illi legi repugnantes superari, & legem illam seruari ab homine posse putauerunt.

Obiicies secundò, obseruationem totius illius legis etiam toto humanæ vitæ tempore, & victoriam tentationum omnium contra illam militantium, cùm sint res in entitate meré naturales, non posse per se prærequirere tanquam D quid necessarium principium aliquod super- VIII. naturalis ordinis, nec proinde gratiam habitualem sanctificantem.

Respondeo vtraque obiectione solùm euinci, & ex mente doctrinaque Patrum, & ex rei veritate, habitualem gratiam sanctificantem ad tentationum victoriam, & legis obseruationem etiam longo imò toto vitæ tempore non esse necessariam ex parte principij efficientis, sed sufficere facultatem hominis naturalem prævenientem & adiutam actuali gratia sanctæ

cogitationis & inſpirationis, quod vltro concedimus. De qua ſola gratia reuera loquuti ſunt ſancti Patres contra Pelagium, gratiæ neceſſitatem ad obſeruationem legis & victoriam tentationum aſtruẽtes, & meritò quidem, quia ipſis cum eo contentio erat de principio efficiente victoriæ & obſeruationis rerum prædictarum, quod Pelagius ſolas naturæ vires dicebat eſſe, illi verò defendebant eſſe præterea interiorem gratiam, per hanc haud dubiè ſolam actualem prædictæ cogitationis & inſpirationis intelligentes, quòd hæc ſola ſit cum naturali hominis facultate principium efficiens & victoriæ tentationum, & obſeruationis legis naturalis, neque gratia habitualis tale principium per ſe eſſe queat, cùm per ſe dare vires homini non poſſit ad agendum, nec voluntas, niſi ſancta cogitatione & inſpiratione excitetur, operari valeat, etſi homo ſit in ſtatu gratiæ, valeat autem, quoties inſpiratione illa & cogitatione excitatur, etiamſi gratia ſanctificante homo careat. Quamuis autem, vt vltro fatemur, hæc ſanctificans gratia non ſit ex parte principij efficientis neceſſaria ad ea quæ diximus, non impedit tamen quominus ſit neceſſaria, & neceſſariam eſſe putauerint ſancti Patres, eo ſenſu quo hic eſſe neceſſariam & ratione & authoritate probauimus.

I. A

II. B

Obiicies tertiò: ſi gratia hæc aliquo tandem modo & ad omnes tentationes longo tempore vincendas, & ad totam naturæ legem ſeruandam neceſſaria eſt, conſequens erit eſſe aliqua in particulari peccata naturali legi repugnantia, quæ homo in ſtatu peccati mortalis exiſtens vitare non poterit, niſi iuſtificetur: hoc conſequens S. Thomæ repugnat, igitur & antecedens. Conſequutio Maioris probatur, ſicut enim ſuprà ex eo quòd auxilium gratiæ neceſſarium eſſe diximus ad totam collectiuè naturæ legem ſeruandam, concluſimus eſſe particulares aliquas & determinatas contra eam tentationes, quas homo ſine auxilio iſto ſuperare non poteſt, & proinde eſſe certas aliquas & ſingulares occaſiones, in quibus abſque eodem legem illam ſeu certum aliquod eius præceptum ſeruare nequit: ita ex eo quòd habitualis gratia ſanctificans neceſſaria dicitur ad totam naturæ legem longo aliquo tempore ſeruandam, vincendáſque omnes toto illo tempore inſurgentes contra eam tentationes, rectè concluditur, debere eſſe aliquas ſingulares & determinatas peccandi contra prædictam legem occaſiones, aliquas particulares tentationes ad peccandum contra eam incitantes, quas ſine gratia illa ſuperare homo non poterit. Minoris veritas conſtat ex articulo 8. quæſtionis huius 109. in quo S. Doctor ait ſine gratia (habitualem intelligit) vitari poſſe ſingula peccata, ſed non omnia.

III. C

IV. D

Reſpondeo conceſſa Maiore, eiúſque probatione, quæ optima eſt, dummodo in ea ſermo ſit, vt eſt, de impoſſibilitate ſuperandi tentationem aliquam non antecedente, quæ liberam agendi poteſtatem eripit, ſed conſequente, quæ libertati non officit, negando Minorẽ. D. enim Thomas, cùm dicit ſine habituali gratia poſſe vitari ſingula peccata, loquitur de poſſibilitate antecedente, de qua nos non loquimur, cùm aſſerimus eſſe ſingularia aliqua peccata quæ ſine illa gratia vitari nequeunt: cùm verò ait non poſſe omnia, loquitur de impoſſibilitate conſequente, de qua nos item loquimur, dum idem aſſerimus, & dum ex eo quòd vitari non poſſunt omnia, colligimus aliqua eſſe particularia quæ vitari nequeunt.

V.

Vnde non aliud vult, neque nos, quàm eum qui eſt in ſtatu peccati mortalis, niſi iuſtificetur, nunquam accepturum auxilia actualis gratiæ efficacia ad vitandum omne mortale peccatum contra legem naturalem diuturno aliquo tempore, & proinde nunquam toto illo tempore ſeruaturum legem hanc vniuerſam, ſed intra tempus illud prolapſurum in nouum aliud peccatum, qui lapſus liber erit ſimpliciter & abſolutè, licet dicatur eſſe neceſſarius, & ad vitandum impoſſibilis, quia non alia neceſſitate aut impoſſibilitate quàm conſequente impoſſibilis & neceſſarius eſt, neque ad illum euitandum habitualis gratia ſanctificans alia neceſſitate quàm conſequente neceſſaria eſt, cum qua, vtpote minimè repugnante libertati, quidquid fit, ſimpliciter liberum eſt.

VI.

SECTIO XIX.

Vtrum homo in ſtatu gratiæ ſanctificantis exiſtens poſſit abſque nouo gratiæ auxilio mereri augmentum ſanctitatis & gloriæ, bene operari, tentationes vincere, & ſic in finem vſque perſeuerare?

QVæ hactenus dicta ſunt, de homine dicta ſunt vt exiſtente in ſtatu peccati & naturæ lapſæ: quamquam etiam intelligenda ſunt de eo vt exiſtente in ſtatu puræ naturæ, cùm hic ſtatus ab illo naturæ lapſæ ſtatu differat eo ſolùm modo qui in Tract. de peccatis diſput. 15. declaratus eſt, qui modus efficere non poteſt, vt non ſit eadem omnino ratio hominis ſiue in hoc ſiue in illo ſtatu exiſtentis, quoad gratiæ neceſſitatem ad bene operandum, vincendas tentationes, cæteráque de quibus ſuprà egimus. Nunc de homine dicemus vt exiſtente in ſtatu ſanctificantis gratiæ, ſiue ſpecteturin ſtatu naturæ lapſæ, in quo nunc omnes ſumus, ſiue in ſtatu naturæ integræ, in quo fuit Adamus antequam peccaret. Licet enim ſtatus naturæ integræ, in quo ipſe fuit ante peccatum, per ſe aliud non requirat, quàm ſubiectionem partis inferioris ſub ſuperiori, plenúmque dominiũ rationalis appetitus in ſenſitiuum, quod abſolutè eſſe poſſet abſque ſanctificante gratia, aliiſque donis in entitate ſupernaturalibus, quia tamen hic ſtatus nunquam extitit, quin homo ſimul habuerit ſanctificantem gratiam, cæteróſque ſupernaturales habitus quos nunc iuſti habent, propterea ſtatum naturæ integræ conſideramus hîc, vt cum illa ſubiectione hos quoque ſupernaturales habitus includentem.

VII.

VIII.

Prima aſſertio: homo in ſtatu gratiæ ſanctificantis exiſtens non poteſt abſque nouo gratiæ auxilio ea opera exercere, quibus ſanctitatis & gloriæ augmentum mereatur. Probatur primò ex duobus Conciliis, Palæſtino ſcilicet & Tridentino: in illo enim cùm propoſitione

ſua ſeptima dixiſſet Pelagius, gratiam Dei & adiutorium non ad ſingulos actus dari, iuſſus eſt eam retractare, confiterique gratiam Dei ad ſingulos actus dari: quorum actuum nomine, non dubium eſt quin hi ſaltem intelligantur, quibus quis ſanctitatis & gloriæ augmentum
I. meretur, ad quos gratia Dei, quæ a Concilio A
prærequiſita dicitur, eſt procul dubio actualis, cùm nulla de habituali vel de alia quàm actuali contentio ipſi cum Pelagio fuerit.

In huius verò ſeſſione 6. cap. 16. de iuſtorum operibus Deo gratis & gloriæ meritoriis dicitur, *Chriſtum tanquam caput in membra, & tanquam vitem in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter influere virtutem, quæ bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur.* Vbi nomine virtutis non intelligitur habitualis gratia, ſed actuale auxilium, ſanctæ videlicet cogitationis & inſpirationis, vt concedunt omnes, & ſatis conſtat ex duplici illa ſimilitudine capitis & membrorum, vitis & palmitum: & præterea ex particula, iugiter, quæ rectè illi actuali
II. gratiæ, non autem pariter habituali accom- B
modatur. Vnde cùm ibidem dicat Concilium, virtutem de qua loquitur talem eſſe, vt opera hominis iuſti quæ ab ipſa non procedunt, nequeant eſſe Deo grata & meritoria, ſequitur euidenter homini in ſtatu gratiæ ſanctificantis exiſtenti, præter habitualem gratiam, per quam in hoc ſtatu conſtituitur, eſſe nouam aliquam neceſſariam ad exercendum opus meritorium augmenti gloriæ & ſanctitatis.

Probatur ſecundò ratione à priori, quæ eſt, quòd licet homini in ſtatu gratiæ ſanctificantis exiſtenti inſint ſupernaturales habitus, qui poſtea cum voluntate concurrunt ad exercitium actuum ſupernaturalium, quibus homo meretur augmentum gratiæ & gloriæ, tamen habitus illi, ſicut & omnes alij naturales, vo-
III. luntatem ad operandum non determinant, ſed C
æquè atque antequam infunderentur liberam relinquunt, eiúſque arbitrio ſubiiciuntur: vnde quantum ante gratiæ ſanctificantis cæterorumque ſupernaturalium habituum infuſionem actualis gratia bonæ cogitationis & inſpirationis erat neceſſaria ad exercendum bonum opus, tantum eſt poſtea poſt hos habitus infuſos.

Tertiò & poſtremò, quia ſi quæ ratio eſt dicendi non eſſe neceſſariam nouam gratiam diſtinctam ab infuſa gratia ſanctificante ad exercendum opus meritorium augmenti gratiæ & gloriæ, hæc haud dubiè eſt, quòd ſancta cogitatio & inſpiratio, quæ neceſſaria eſt ad huius operis exercitium, videtur tribui tanquam naturaliter debita ſtatui gratiæ ſanctificantis in
IV. quo homo eſt, ſicut igni tribuitur concurſus ad D
calefaciendum neceſſarius eius naturæ debitus: vnde ſicut hic concurſus non reputatur vt beneficium Dei prorſus diſtinctum à dono creationis & conſeruationis, ita nec debebit illa ſancta cogitatio & inſpiratio reputari vt donum gratiæ diuerſum ab ipſo ſtatu gratiæ ſanctificantis. Verùm hæc ratio nulla eſt, licet enim formis operatiuis Dei concurſus ad agendum connaturaliter debeatur, quando omnia ad actionem prærequiſita poſita ſunt, non tamen illis debetur, vt ea ponantur quæ ad agendum prærequiruntur: exempli cauſa, quamuis igni debitus ſit naturaliter concurſus ad comburendum lignum ſufficienter approximatum, & debitè applicatum, tamen ei non debetur vt hoc ipſi ſufficienter approximetur, & debitè applicetur: vnde pari modo dico ſtatui gratiæ ſanctificantis non deberi connaturaliter ſanctas V.
cogitationes & inſpirationes, quæ ſunt quidam prærequiſitum ad hoc vt voluntas ſuis habitibus ſupernaturalibus vti poſſit, per eóſque producere ſupernaturales actus augmenti gratiæ & gloriæ meritorios, licet his poſitis cogitationibus & inſpirationibus ſit connaturaliter debitus voluntati concurſus Dei neceſſarius ad exercendos actus illis habitibus proportionatos, cum eos ipſa exercere voluerit.

Atque quod hac aſſertione aſſeruimus, intelligendum eſt de homine exiſtente in gratia ſanctificante, non modò in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ſed etiam integræ: hic enim ſtatus ab illo non differt, niſi quod ille ſupponit peccatum, & emundationem à peccato per ſanctifi-
cantem gratiam, includítque carentiam ſubie- VI.
ctionis appetitus ſenſitiui ſub rationali, hic verò oppoſitam ſubiectionem habebat, omníque peccato carebat: quæ differentia non impedit, quominus ſit eadem ratio hominis, ſiue in hoc, ſiue in illo naturæ ſtatu exiſtentis, quantum ad neceſſitatem nouæ gratiæ diſtinctæ à ſtatu habitualis gratiæ ſanctificantis, ad exercendos actus meritorios augmenti gloriæ & ſanctitatis, vt etiam oſtendunt rationes quibus ad noſtræ aſſertionis probationem vſi ſumus. Solùm obſeruandum eſt, nouam illam gratiam, quam neceſſariam in vtroque ſtatu dixi, & conſequentibus aſſertionibus dicam, in hoc quidem ſtatu naturæ lapſæ eſſe gratiam Dei per Chriſtu, ſeu Chriſti, in illo verò naturæ integræ forenō Chriſti, ſed Dei ſolius, ſuppoſito, quod ex tertia parte ſuppono, gratiam datam primis VII.
parentibus ante peccatum, & dandam, ſi non peccaſſent, non fuiſſe ex Chriſti meritis, ipſúmque Chriſtum non venturum, ſi primus parens non peccaſſet.

SECTIO XX.

Secundam de propoſita quæſtione aſſertionem continens.

SECVNDA aſſertio. Neque etiam poteſt homo exiſtens in ſtatu gratiæ ſanctificantis vllum opus bonum cuiuſcunque virtutis exercere, vllamve tentationem vincere abſque peculiari gratiæ auxilio. Hæc aſſertio intelligenda quoque eſt de homine ſpectato ſiue in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ſiue in illo naturæ integræ, VIII.
quòd huius ab illo ſtatu differentia paulò ante declarata nullum quoad rem præſentem afferre diſcrimen queat, vt patebit attendenti ad propriam vtriuſque ſtatus naturam, & ad ea quibus hanc noſtram aſſertionem probabimus.

Quam probamus primò ex eo quòd non poteſt homo iuſtus ſine nouo gratiæ auxilio exercere vllos actus meritorios augmenti gratiæ, vt ſuperiori aſſertione probatum eſt: vnde concludo nec poſſe vllos etiam acquiſitæ vir-

tutis, cùm, vt infrà in materia de merito, & in Tractatu de charitate agens de eius augmento ostendam, quilibet actus virtutis ab homine iusto profectus sit augmenti gratiæ & gloriæ meritorius. Vnde sequitur, nec posse ab illo superari leuem vllam tentationem sine nouo gratiæ adiutorio, tum saltem cùm victoria de tentatione reportatur per elicitum aliquem actum veræ virtutis. I.

Secundò, eadem ratione à priori quam sectione 11. produximus, pari enim efficacitate euincit hominem in statu gratiæ existentem, siue spectetur in statu naturæ integræ, siue lapsæ, tam non posse sine speciali gratiæ auxilio vllum etiam acquisitæ virtutis actum exercere, vllam etiam leuem tentationem vincere, quàm eadem sine illo non posse hominem in statu peccati & naturæ lapsæ existentem, quod ibi asserebamus. Constat enim ex illa ratione hominem, quocunque demum in statu sit, non posse tentationem vllam vincere, vllum virtutis actum exercere, nisi Deo auertente has occasiones & cogitationes, ac offerente & immittente illas alias, quas nisi auertisset, obtulisset, immisisset, præuiderat certò futurum vt nec virtutis actus exerceretur, neque tentatio superaretur. II.

Atque vt ibidem dicebamus non posse non tribui speciali gratiæ quòd prædictæ cogitationes & occasiones auertantur, offerantur, immittantur, & quidem à dono creationis conseruationisque distinctæ, quòd eas auerti, offerri, immitti, nec sit in hominis libera potestate, nec creatio conseruatióque naturæ hoc per se exigat: ita nunc dico, quòd ab homine in gratia existente, siue spectato in statu naturæ lapsæ, siue integræ, illæ ipsæ occasiones, & cogitationes auertantur, quòd ipsi offerantur, quod in eum immittantur, non posse non ascribi peculiari gratiæ beneficio distincto à statu gratiæ sanctificantis, in quo supponimus hominem esse, quòd hic status nec per se vi sua eas auertere, offerre, immittere valeat, nec per se tanquam quid sibi consequenter & connaturaliter debitum eas auerti, offerri, immitti postulet. Vnde sicut ibidem concludebamus, cuiuslibet operis boni exercitium, cuiusuis tentationis victoriam esse gratiæ Dei diuersæ à beneficio creationis & conseruationis tribuendam: ita nunc concludo, speciali Dei gratiæ distinctæ à statu gratiæ sanctificantis esse ascribendum, quòd homo in hoc statu existens tentationem aliquam etiam leuissimam superet, aut minimum aliquod virtutis opus exerceat. III.

Tertiò, si quæ ratio esse posset, suspicandi hominem in statu naturæ integræ posse sine speciali gratiæ beneficio acquisitæ saltem virtutis actum aliquem exercere, aut tentationem aliquam ab extrinseco prouenientem vincere, est, quòd in eo statu nullam ab inferiori sui parte molestiam pateretur, haberétque ipsam sibi perfectè subiectam: at hæc ratio nulla est, tum quia subiectio ista partis inferioris non tollit ab eo, vt patet, necessitatem prædictarum occasionum & cogitationum auertendarum, offerendarum, immittendarum ad vincendam tentationem, & bonum opus exercendum, atque adeo necessitatem gratiæ distinctæ à statu iustitiæ & sanctitatis, cùm hic status, etiam vt coniunctam habens perfectam partis inferioris subiectionem, eas occasiones & cogitationes nec per se auertere, offerre, & immittere valeat, nec per se postulet auerti, offerri, immitti: tum quia sequeretur, hominem in hoc A statu naturæ lapsæ, imò & peccati existentem posse aliquod virtutis opus exercere, & tentationem aliquam vincere, sine gratiæ auxilio, quod ex superioribus falsum esse constat, cùm aliquando contingat ipsum in alicuius tentationis ab extrinseco prouenientis victoria, aut boni operis exercitio nullam ab inferiori parte molestiam pati: neque enim adeo continua est sensuum rationisque pugna, vt nullum vel breuissimum tempus ab ea vacuum sit. V.

Postremo accedit S. Thomæ authoritas hac 109. quæst. art. 9. expressè dicentis, hominem iustificatum non indigere nouo auxilio habituali ad bene viuendum, cùm ex hypothesi iam habeat omnes virtutum (intelligè supernaturalium) habitus, sed tamen indigere alio gratiæ auxilio, vt scilicet, inquit, *moueatur a Deo ad rectè agendum*. Quem sancti Doctoris locum accurate Gabr. Vasq. expendit, & à quibusdam prauis interpretationibus verba D. Thomæ detorquentibus ad alium quàm ad nostrum sensum rectè defendit disp. 193. cap. 1. B VI.

Neque dicat hîc quisquam, S. Doctorem id dicere solùm de homine iusto in statu naturæ lapsæ existente: esto enim ita sit, idem tamen certissimè sentit de homine existente in statu naturæ integræ, cùm, vt suprà dixi, differentia status huius ab illo nullam in re præsenti diuersitatem facere possit, & ratio, quæcunque ea ut, qua S. Doctor agnoscit necessarium gratiæ beneficium distinctum à sanctificante gratia, ad bene operandum, cogat etiam agnoscere homini in statu naturæ integræ existenti necessarium ad bene agendum, & vincendas tentationes gratiæ auxilium diuersum ab huius C status beneficio. VII.

At obiicies primò Canonem 25. Concilij Arausicani secundi, in quo dicitur, *peccato primi parentis ita fuisse attenuatum liberum arbitrium, vt nullus postea posset Deum diligere, aut propter ipsum operari, nisi eum gratia & misericordia diuina præueniat*. Vnde videtur colligi necessitatem præuenientis gratiæ ad bene operandum originem ducere ex peccato primi parentis, & proinde non futuram in homine ante peccatum, seu in statu naturæ integræ. Verùm facilè respondeo Concilium loqui non de quacunque gratia, sed redemptionis, seu per Christum, & velle, neminem post primi parentis lapsum posse Deum diligere, aut propter ipsum operari, absque illa redemptionis D seu per Christum gratia: cùm tamen primus parens ante peccatum absque ea id perficere posset, quamuis non absque aliqua alia Dei gratia, diuersa à statu naturæ integræ & iustitiæ originalis in quo erat. VIII.

Dicit autem hoc sensu Concilium (vt istud interim adiungam, ad solutionem obiectionis minimè quidem necessarium, sed scitu dignum & perutile) liberum arbitrium fuisse peccato primi parentis ita attenuatum, vt nullus postea, &c. quod nimirum, si quæstio sit de dile-

ctione Dei, quæ est actus caritatis Theologicæ virtutis, nullus hominũ post Adami peccatum habeat gratiæ auxilium quo diligat Deum nisi per gratiam Christi redemptoris, quia auxilium illud includit aliquid in entitate supernaturale, sicut & ipse caritatis actus in entitate supernaturalis est, nihil autem in entitate supernaturale habeat homo post Adami peccatum, nisi per gratiam Christi redemptoris, cùm tamen Adamus ipse in statu innocentiæ auxilium illud haberet, absque Christi redemptoris gratia.

I. A V.

Sin autem quæstio sit de dilectione Dei, quæ significat quemlibet actum veræ virtutis, (quo modo caritatem & dilectionem Dei sæpe sumi à sancto Augustino aliisque Patribus sect. 4. monui & probaui, & nunc etiam existimo accipi à Concilio, dicente neminem posse propter Deum operari, id est, vllum virtutis actum exercere, quia sicut quælibet veræ virtutis actio est aliqua erga Deum dilectio, ex modo loquendi prædictorum Patrum, ita est & aliqua propter ipsum operatio) si, inquam, quæstio sit de dilectione sumpta pro quolibet actu virtutis, dico hoc sensu Concilium dicere liberum hominis arbitrium ita fuisse attenuatum, vt nullus ampliùs quidquam boni agere possit sine præueniente Dei gratia, quòd nimirum supposito peccato, & non intellecta Christi redemptoris gratia, statim intelligatur, nullum hominem in eo in quo est lapsæ naturæ statu quidquam vnquam boni acturum, cùm illa gratia non intellecta, maneat omnis & quilibet homo cum solis naturæ suæ & liberi sui arbitrij viribus, cum quibus solis nihil vnquam à quoquam boni fit: cùm tamen Adamus, ex eo quòd non intelligeretur habere gratiam Christi redemptoris quam modo habemus, non statim intelligi debuerit nihil vnquam boni acturus, quandoquidem etsi gratia illa carebat, non tamen cum solis liberi arbitrij naturæque viribus remanebat, sed alias Dei gratias habebat, & quidem distinctas à beneficio status innocentiæ & naturæ integræ in quo erat, sanctas videlicet cogitationes & inspirationes, cum quibus bene operari, si volebat, valebat, & reipsa bene operari saltem aliquando supponi meritò & intelligi poterat.

II. B VI.

III. C VII.

Est & alia causa, propter quam liberum arbitrium dici iure potuit à Concilio viribus attenuatum per peccatum primi parentis, quòd scilicet ob rebellionem appetitus sensitiui, quam ex eius peccato contraximus, fiat, vt in iis occasionibus, in quibus caro de facto concupiscit aduersus spiritum, nunc cæteris paribus robustiore gratia opus sit ad resistendum tentationibus, & bene operandum, quàm fuisset in statu naturæ integræ, in quo hæc rebellio non fuisset. Vbi enim plura sunt impedimenta resistentia, & plures hostes aggredientes, ibi maior vis ad vincendum necessaria est. Hinc S. Augustinus libri de Correpț. & gratia, cap. 2. initio, dixit Adamum in innocentia lætiori potitum fuisse gratia, quia nimirum nulla tunc erat in ipso carnis & spiritus lucta, sanctos verò in hoc statu naturæ lapsæ, potentiore.

IV. D VIII.

Verùm etsi ob hanc causam illud à Concilio dici meritò potuerit, vt iam monui, tamen non tam propter hanc, quàm ob præcedentem illud ipsum dixisse putandum est, quia prædictus Canon 25. extenditur etiam ad casum, in quo pars hominis superior ab inferiore nihil molestiæ accipit, quod aliquando reipsa contingere suprà dixi, & in quo proinde nihil est opus ob inferioris partis rebellionẽ potentiore gratia, cùm vniuersaliter in eo Canone dicatur per peccatum primi parentis sic fuisse attenuatum liberum arbitriũ, vt nullus ampliùs quidquam facerẽ propter Deum possit absque præueniente eius gratia, quod vniuersaliter dictum vniuersaliter accipiendum est, & proinde etiam tum verum est, cum hominis pars inferior nullum superiori ad boni operis exercitium impedimentum affert.

Obiicies secundò Canonem 3. Mileuitani Concilij, in quo dicitur, gratiam in qua iustificamur non solum valere ad remissionem peccatorum antea commissorum, sed etiam ad adiutorium vt alia non committantur: quòd si gratia sanctificans, quæ eadem est cum ea in qua iustificamur, vt Concilium loquitur, valet dátque auxilium vt peccata non committantur, nõ est ad hoc necessarium distinctum gratiæ ab illa sanctificante beneficium. Verum illo Canone sermo non est de habituali gratia sanctificante, sed per gratiam in qua iustificamur intelligitur, sicut iam sæpius dictum est, tota series auxiliorum gratiæ Dei per Christum, quibus paulatim perducimur ad peccati remissionem, & veram animæ sanctitatem accipiendam, acceptámque conseruandam, & augendam. Vnde particulæ, *in qua*, ibi positæ non significant causam formalem, sed efficientem, adeo vt gratia in qua iustificamur idem sit atque per quam aut ex qua iusti reddimur, & non qua formaliter iusti sumus.

SECTIO XXI.

Tertiam de eadem quæstione assertionem continens.

TERTIA assertio. Non potest homo in statu gratiæ sanctificantis existens perseuerare hoc in statu vsque in finem absque nouo gratiæ auxilio, siue spectetur in natura lapsa, siue in integra. Probatur primò, si enim, vt superioribus assertionibus probatum est, non potest homo iustus existens in statu naturæ vel lapsæ vel integræ vllam tentationem vincere, vllum virtutis opus exercere, absque peculiari gratia, distincta à statu sanctitatis, in quo supponimus hominem esse, certe nec poterit in accepta iustitia vsque in finem perseuerare, cùm perseuerantia hæc obtineri nequeat, nisi per exercitium bonorum operum obligantium sub mortali peccato, & victoriam tentationum occurrentium post obtentam sanctificantem gratiam.

Probatur secundò, hac ratione. Homo in statu sanctitatis perseuerare non potest solis naturæ suæ viribus, sed ad hoc indiget aliqua gratia, vt consentiunt Catholici omnes, contra Pelagianos hoc negantes ex S. Augustino variis locis, præsertim epistola 94. vt etiam nominatim ipse S. Augustinus clarissimè docet, lib. de Correp. & gratia cap. 11. &

Concilium Arauſicanum II. can. 19. quæ paulò pòſt referemus: atqui gratia hæc non eſt ipſa habitualis ſanctitas, aut vllus alius habitus, aut etiam ipſa complexio donorum omnium habitualium, vel quodammodo habitualium, quæ ſtatus iuſtitiæ & ſanctitatis, ſiue in natura lapſa, ſiue in integra, comprehendit. I. Igitur ad perſeuerandum indiget aliqua gratia diſtincta à ſtatu iuſtitiæ & ſanctitatis, iuxta ſpectetur vt exiſtens in natura integra, ſiue vt in lapſa. Sola Minor probanda eſt, hinc autem probatur, quod ad perſeuerandum hoc ſolum vel præcipuè requiritur, vt tentationibus ad peccatum allicientibus reſiſtatur, ad hoc autem ſola habitualia dona non ſufficiunt: ſicut enim tentationes voluntatem ad peccatum non alliciunt niſi mediante actuali cogitatione bonum aliquod vtile vel delectabile repręſentante, ita nec vincuntur vnquam abſque contrariis actualib. cogitationibus congruis a malo efficaciter reuocantibus, quę cogitationes congruę efficaces nec oriri poſſunt ab ipſis habitualibus donis, cùm hæ eorum vſum præcedant, imo ad ipſis habitibus vtendum hominem moueant, nec per ſe debitæ ſunt ſtatui iuſtitiæ & ſanctitatis, complexionique donorum omnium habitualium, vel quaſi habitualium, quæ hic ſtatus vel in lapſa natura vel in integra complectitur, alioqui nemo ſemel iuſtificatus à iuſtitiæ ſtatu excidere poſſet, niſi Deo præternaturaliter & per miraculum denegante aliquid homini iuſtificato, quod iuſtificationis ſtatui debitum eſſet connaturaliter. II.

Probatur tertiò & poſtremò authoritate in primis Celeſtini Papæ capite ſexto primæ ſuæ epiſtolæ, in qua ſic loquitur: *Nemo etiam baptiſmatis gratia renouatus idoneus eſt ad ſuperandas Diaboli inſidias, niſi per quotidianum Dei adiutorium perſeuerantiam bonæ conuerſationis accipiat.* Deinde Concilij Arauſicani ſecundi can. 10. in quo ſtatuitur, *adiutorium Dei etiam renatis & ſanctis eſſe ſemper implorandum, vt ad finem bonum peruenire, & in bono poſſint opere perdurare.* Præterea Tridentini ſeſſ. 6. can. 22. cuius hæc verba ſunt: *Si quis dixerit iuſtificatum vel ſine ſpeciali adiutorio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Quæ tria teſtimonia, cùm id quod hîc docemus euincant de homine exiſtente in gratia in ſtatu naturæ lapſæ de quo loquuntur, quæ ſequuntur idem euincunt de homine iuſto exiſtente in ſtatu naturæ integræ. III.

Primum eſt Gelaſij Papæ duabus in epiſtolis contra Pelagianos, quarum in priore poſt medium dicit Adamum in ſtatu innocentię perſeuerare non potuiſſe *ſine diuino ſuffragio*, intelligens haud dubiè hoc ſuffragij nomine aliquod auxilium gratiæ, & quidem diuerſum à ſtatu innocentiæ, ob rationem qua id ſupra probauimus. Item ait eundem Adamum excidiſſe à beatitudine ſtatus innocentiæ, *quòd confideret ſolo naturali bono quod acceperat.* Vbi per naturale bonum intelligit quæcunque collata ei fuerunt à principio creationis, quòd per ipſam quaſi creationem data fuerint, ſicut & natura, quæ eſt id quod primò & per ſe per creationem datur. Quibus ex verbis euidens eſt ipſum Gelaſium Papam voluiſſe, fuiſſe Adamo præter dona omnia gratiæ quæ à principio acceperat, aliam adhuc neceſſariam ad perſeuerandum gratiam. Quod clariùs inſuper ſignificauit in epiſtola ſecunda verbis iſtis ante medium: *Illa primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tanquam eo qui condiderat non egeret, nec de conſeruandis quæ ſumpſerat, poſcit auxilium, nec ad eum etiam pulſata tentatoris acceſſu deuota concurrit, ſuæque ſe credit inter proſpera voluntati, facile ſine præſidio creatoris patuit deceptoris inſidiis*, &c. IV.

Secundum eſt Concilij Arauſicani ſecundi canone 19. in quo diſerte aſſeritur, *humanam naturam in ea integritate in qua condita eſt, conſtitutam non potuiſſe abſque Dei gratia conſeruare ſalutem quam acceperat:* quæ ſunt verba ſancti Auguſtini epiſtola 106. Vbi cùm ſalutis nomine intelligatur vel ſolùm vel præcipuè habitualis gratia ſanctificans, vel complexio donorum habitualium aut quaſi habitualium Adamo collatorum, non poteſt Concilium, per Dei gratiam, cuius mentionem facit, intelligere ipſam habitualem ſanctificantem, aut prædictam complexionem: alioqui ſenſus canonis eſſet, neminem poſſe ſine gratia habituali aut aliis donis habitualibus, quæ Deus in illo conſeruet iugi continuatóque influxu, in illa ipſa gratia, doniſque illis habitualibus perſeuerare: qui ſenſus, vt non dicam ridiculus, eſt procul dubio à mente Concilij alienus: vnde reſtat vt per Dei gratiam intelligat actualem, quam manifeſtè diſtinguit ab ipſa gratia integritatis ſeu ſtatus naturæ integræ & innocentiæ, cùm hanc, nonniſi per illam tanquam effectum per cauſam conſeruari poſſe dicit. V.

Supereſt vt ad aliquot obiectiones reſpondeamus. Priùs tamen nota, quod hac aſſertione & præcedente dictum eſt de neceſſitate gratiæ, tam in ſtatu naturæ lapſæ, quàm integræ, ad vincendas tentationes, & ab bonum opus acquiſitę virtutis exercendum, perſeuerandumque in ſtatu iuſtitię acceptę per victoriam tentationum, & exercitium bonorum operum prædictæ virtutis, intelligendum eſſe de neceſſitate non antecedente, ſed conſequente, ob eandem cauſam, ob quam ſectione 15. diximus de eadem intelligi debere quod docuimus, nempe hominem in ſtatu peccati vel puræ naturæ exiſtentem non poſſe ſine gratia tentationem vllam vincere, aut vllum opus acquiſitæ virtutis exercere. VI.

Iam obiicies primò S. Thomam articulo 4. quæſtionis 109. dicentem hominem in ſtatu naturæ integrę potuiſſe obſeruare totam naturæ legem, videlicet ſine gratia, vt colligitur ex ſequentibus: & articulo octauo potuiſſe ſimiliter abſque ea non peccare, præter quæ nihil aliud ad perſeuerantiam requiri poteſt. Verùm tantum abeſt vt in præſenti materia nobis aduerſetur ſanctus Doctor, vt è contrario multum faueat, cùm illo articulo quarto expreſsè dicat hominem de quo agimus non potuiſſe mandata ſeruare ſine auxilio Dei mouentis, nempe per ſanctam cogitationem; ſicut articulo tertio dixerat non potuiſſe diligere Deum abſque eodem auxilio, quamuis dixiſſet potuiſſe abſque ſuperaddito VII. VIII.

dono gratuito. Vnde dico illum hîc per gratuitum donum, & illic per gratiam, intelligere habitualem, solúmque velle, hominem in sola naturæ integritate productum, id est, cum perfecta subiectione partis inferioris, licet habituali gratia, aliòque omni dono habituali secundùm entitatem supernaturáli caruisset, adhuc potuisse Deum super omnia diligere, totam legem seruare, & vitare peccatum: ex quo non sequitur, vt hoc potuerit absque gratia actuali diuersa à beneficio status naturæ integræ.

I.

Obiicies secundo, S. Augustinum libro de bono perseuerantiæ, cap. 7. in quo postquam dixit eum qui non infertur in tentationem non discedere à Deo, ac proinde perseuerare in accepto bono, addit: *Non est hoc in viribus liberi arbitrij quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet.* Quæ verba supponunt primum parentem priusquam peccaret habuisse vim ad perseuerandum, si non præcisè per solius liberi arbitrij facultatem, at saltem sine gratia superaddita donis habitualibus quæ à principio creationis acceperat.

II.

Verùm cùm D. Augustinus tot locis manifestè pro nobis sit, vt ex dictis hactenus nimis certum est, constatque præterea ex sequenti capite eiusdem libri, in quo gratiam ad perseuerandum requisitam, in sanctis cogitationibus & inspirationibus constituens, ait, ideo ex nobis ipsis perseuerantiam esse non posse, quòd in nostra potestate non sit cor nostrum, & nostræ cogitationes: quæ ratio euincit ex nobis perseuerantiam esse non posse, siue spectemur in statu naturæ lapsæ, siue integræ, cùm illæ nostræ cogitationes in potestate nostra non sint, siue in hoc siue in illo statu simus, siue hic status integræ naturæ solam peccati carentiam, & perfectam partis inferioris subiectionem contineat, siue præterea habitum sanctificantis gratiæ, aliósque supernaturales complectatur: Cùm,

III.

inquam, S. ille Pater tam aperte tot locis pro nobis sit, dicendum est illum capite illo 7. tantùm velle, perseuerantiam nunc in hoc statu naturæ lapsæ non esse in potestate liberi arbitrij, nisi per gratiam Christi redemptoris, cùm ante peccatum in statu naturæ integræ & innocentiæ esset in liberi arbitrij potestate sine gratia ista, quamuis non absque alia, & quidem distincta à beneficio huius status. Cuius expositionis veritas constat ex his eius verbis, ea quæ nobis obiecta sunt, proximè consequentibus. *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiã suam*

IV.

Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo in quo sortem consecuti sumus: qui est haud dubiè Christus, quem paulò post & filium hominis, & Adam nouissimum nominat, per quem fieri ait vt non discedamus à Deo, vt per primum Adam factum est, vt à Deo discederemus. Quo etiam modo intelligendus est auctor hypognosticon initio libri tertij, dicens *neminem posse per se sibi, id est, per liberum arbitrium, sufficere implere quod velit, proreplastum solum id potuisse, cùm voluntas liberi arbitrij fuisset sana eidem ante culpam.*

A

Obiicies tertio, contingere aliquando, vt homo, postquam Deo reconciliatus est à peccato per infusionem gratiæ sanctificantis, nullam habeat occasionem peccandi ante mortem, vt patet de eo qui morti proximus ratione iam sopita per sacramenti virtutem iustificatur, tunc autem perseuerãtiam non posse esse distinctum gratiæ donum ab ipsa gratia iustificationis. Respondeo etiam tunc perseuerantiam esse distinctum ab ipsa iustificatione gratiæ donum. Quod vt meliùs percipiatur, sciendum est homini à Deo perseuerantiam tribui duobus modis. Primo, per externam protectionem remouendo occasiones & tentationes, quæ si occurrissent, facta fuisset iactura acceptæ iustitiæ & sanctitatis. Secundo, permittendo quidem occasiones male agendi, & tentationes, sed donando simul interiorem gratiam sanctæ cogitationis & inspirationis efficacem ad resistendum

V.

B

his occasionibus, & tentationibus. Iam vero etsi perseuerantia hominis iustificati eo tempore, quo nullæ occurrere ampliùs ipsi possunt malè agendi occasiones, & tentationes, non includat, præter gratiam formaliter iustificantem, donum gratiæ ab eo diuersum, quod est interior cogitatio & inspiratio efficax, includit tamen illud quod est prædicta externa protectio: neque dubitari potest, quin duplex gratia conferatur alicui, eo ipso quo & peccatum ei remittitur, & eo tempore remittitur, quo non est ampliùs periculum in aliud recidendi.

VI.

SECTIO XX.

Quomodo possint iusti vel non possint vitare omnia peccata venialia?

VII.

C

QVÆSTIO non est, an possit quilibet vitare illa omnia peccata absque nouo gratiæ dono distincto à statu iustificationis, satis enim constat ex præcedentibus non posse, imò nec posse omnia mortalia, quæ tamen faciliùs quàm illa vitantur, quòd præ illis habeant, vt committi nequeant absque perfecta rationis aduertentia. Neque etiam quæstio est, an cuilibet iusto possit Deus tot & tanta gratiæ auxilia communicare, vt eorum beneficio totam vitam ducat absque vllo veniali peccato? Certissimum enim est posse, imò reipsa in beata Virgine factum esse sentit Ecclesia Catholica, vt patet ex canone vigesimo tertio sessionis sextæ Tridentini Concilij, & fusè probant Vega libro decimo quarto in Tridentinum, & Suarez tomo secundo,

VIII.

D

in tertiam partem, disputatione quarta, sectione 4. Sed quæstio est, vtrùm possint iusti cum his gratiæ auxiliis quæ communiter iustis dantur ita viuere, vt tota vita nunquam reipsa peccent venialiter?

Qua de re dico primò posse potentia antecedente, quod euidens est ex superioribus sectionibus, iis præsertim quibus propriam huius potentiæ notionem declarauimus, ostendimúsque cuilibet inesse potentiam antecedentem ad con-

sentiendum tentationi, aut non consentiẽdum, non modò diuisiue cuilibet, sed etiam omni collectiue, ex eoque præcisè hanc inesse, quo cuiuis inest antecedens potentia resistendi huic singulari tentationi, & proinde vitandi hoc determinatè peccatum, suppositaque huius peccati fuga, & tentationis victoria, iterum resistendi secundæ, ac suppositа huius secundæ victoria, adhuc resistendi tertiæ, & ita de cæteris toto vitæ decursu successiuè occurrentibus.

I.

Dico secundò non posse, sed potentia consequente, seu quæ aliquando reducatur ad actum, idque secundùm Catholicam fidem certum esse debere. Constat id ex canone 6. 7. & 8. Mileuitani Concilij, & clarissimè ex 23. iam citato Tridentini, in quo damnatur qui dixerit iustificatum vitare posse peccata omnia venialia absque speciali gratiæ priuilegio. Vtitur autem ad idipsum probandum S. Augustinus epistola 89. quæst. 1. & iterum idem ipse cum quatuor aliis Africanis Episcopis epist. 95. sub finem, his orationis Dominicæ verbis, *Dimitte nobis debita nostra*, & meritò sanè. Cùm enim Christus hâc orandi formam omnibus proposuerit, oportet illam etiam iustis communem esse, atque adeo quemlibet iustum, cui saltem speciale gratiæ priuilegium communicatum non est, habere aliqua peccata quæ postulet sibi à Deo dimitti. Vnde sic idem Augustinus priore loco loquitur: *Omnibus necessaria est oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit, vt vnusquisque Deo dicat, dimitte nobis debita nostra. Cui enim hæc in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato viuere pronuntiandus est. Quales si aliquos futuros Dominus præuideret, meliores vtique quàm extiterunt eius Apostoli, aliam orationem illos doceret, qua non peterent dimitti sibi peccata, quibus in baptismo fuerant omnia iam dimissa.* Posteriore autem sic: *Nullus in Ecclesia Dei fidelium reperitur in quolibet profectu, excellentia, atque iustitia, qui sibi audeat dicere non necessariam precationem orationis Dominicæ, dimitte nobis debita nostra, & dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat, & veritas in eo non sit.*

II.

III.

Concilium quoque Mileuitanum proximè citatum, sicut & Augustinus priore illo loco ad eandem primam quæstionem respondens, hoc altero Scripturæ primæ Ioannis primo iure optimo vtitur, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quorum verborum Concilium vim expendens sapienter obseruauit, iis non dici, & humilitas in nobis non est, quasi fieri posset, vt qui id diceret, verum quidem diceret, at superbè de se sentiendo diceret: sed dici, *& veritas in nobis non est*, vt significetur neminem quantumlibet iustum & sanctum, cui speciale priuilegium factum non est, id posse nisi falsò dicere.

IV.

Neque vim habet contra nos quod eadem epistola cap. 3. dicitur, *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit*: vel enim ibi per peccatum intelligitur solum mortale, sensúsque est, eum quem Deus in filium adoptat per infusionẽ gratiæ sanctificantis non peccare mortaliter, imò nec posse sic peccare, sicut ibi dicitur, quòd hæc gratia cum peccato illo consistere nequeat, eóque ipso ab ea quisque excidat quo mortaliter peccat: vel si quoduis peccatum intelligitur, dico eum qui natus est ex Deo, secundum id non peccare quo ex Deo natus est, seu ex ipsa gratia adoptionis tanquam ex radice & principio: quo modo locum hunc exponunt Gelasius Papa in decreto contra Pelagianos, cuius exordium est, *De Pelagianis*, &c. S. Augustᵘˢ & alij Patres Africani citata epistola 95. sub finem his verbis: *Profectò illud quod scriptum est, qui natus est ex Deo non peccat, secundum ipsam charitatem dictum est, quæ sola non peccat. Ad natiuitatem quippe quæ ex Deo est augenda & perficienda pertinet charitas, non ea quæ minuenda est & consumenda cupiditas, quæ tamen quandiu est in membris nostris, lege quadam sua repugnat legi mentis.*

A

V.

At vt probes prædictam doctrinã de fide non esse, oppones primò eundem Gelasium initio decreti istius sic dicentem, *Sin verò quisquam non possibilitate facultatis humanæ, sed per diuinã gratiam hoc* (nempe nullum prorsus peccatũ committere) *asserit in vita quibuslibet sanctis posse conferri, bene quidem facit, (nam dono Dei cuncta possibilia sunt) talia confidenter opinari, & sperare fideliter.* Verum his verbis aliud nihil velle videtur, quàm per absolutam Dei potentiam tot & tanta gratiæ auxilia posse cuilibet iusto conferri, vt iis munitus in tota vita nunquam peccet: quod nobis non repugnat: & quidem hue sensum indicat hæc parenthesis quam interserit (*nam dono Dei cuncta possibilia sunt*) neque verbis consequentibus existimandus est dare libertatem cuilibet iusto sperandi se hoc à Deo cõsecuturum, vt nũquam venialiter peccet, sed hoc tantùm velle, nimirum debere quemlibet credere Deum id cuiuis posse concedere, sumpto scilicet sperandi vocabulo pro credendi, quo pacto frequenter apud profanos & sacros authores sumitur.

B

VI.

C

Oppones secundò, S. Augustᵘˢ lib. 2. de peccatorum meritis cap. 5. extremo dicentem, asserentibus *hominem posse esse in hac vita sine peccato, non esse continuò incauta temeritate obsistendum*: & epistola 95. id sentire non esse *diabolicam impietatem, sed humanum errorem*, nisi diceretur hominem id posse absque gratiæ Dei auxilio. Denique lib. de spiritu & litera cap. 2. non esse *perniciosum errorem*. Respondeo S. Augustᵘˢ primò loco ex tribus obiectis nihil aliud velle, quàm absoluta Dei potentia fieri per eius gratiã posse, vt homo tota vita nunquam peccet etiam venialiter, quod verũ est, & nos suprà docuimus. Duobus autem sequentibus aut loqui comparatiuè, itavt sensus sit, illud dicere, non esse nisi humanum errorem, si comparetur cum diabolico errore Pelagianorum asserentium hominem posse absque gratia nunquam peccare: aut nihil aliud docere, quàm non esse pernicioſum errorem asserere aliquos ex hominibus esse, qui per Dei gratiam nunquã peccarint venialiter: quod profectò sentire & dicere non est perniciosè errare, cùm de fide non sit ex puris hominibus soli B. Virgini concessum hoc fuisse gratiæ priuilegium, quòd nunquam peccarit venialiter.

VII.

D

VIII.

Hinc quæret aliquis, an priuilegium istud sit reipsa concessum alteri quàm B. Virgini? Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 9. & Catha-

rinus lib. 2. de eximia Christi prædestinatione communicatum etiam fuisse putant S. Ioanni Baptistæ. Verum nulla solida ratione, cùm vna quidem ex parte Scripturę loquutiones peccatum aliquod cuiuis puro homini attribuentis generales sint, & ex altera nullus sanctorum Patrum eum excipiat: imò D. Augustinus aliquando priuilegium illud soli Christo concedere videatur: nominatimque citato cap. 2. libri de spiritu & litera, & epist. 89. sub finem primæ quæstionis: quanquam etiam concedendum esse sanctissimæ Virgini eius matri supra probauimus, & concedit quoque idem ipse Augustinus libri de natura & gratia capite 36. monens, se dum agit de peccatis B. Virginem Christi matrem semper excipere, cuius quoniam verba sicut plurima sic præclarissima sunt, & ita Beatam Virginem excipiunt, vt nullum alium excipiendum personent, hîc ea referam, rem gratam vt opinor, Lectori facturus. Refellens igitur S. August. quemdam, qui multos commemorabat Sanctos, quos nunquam peccasse asserebat, sic loquitur: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionem. Vnde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? vtrùm quod iste dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. An illud humilius responderent fortasse quam verius? Sed hinc placet, & recte placet laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.*

Atque cùm iuxta regulam eiusdem S. Augustini lib. 5. contra Iulianum ad finem capitis noni, is qui in adulta ætate peccatum non fecit, nullum quoque in infantili contraxerit, ex eo enim quod Apostolus Petrus de Christo dixit, *qui peccatum non fecit*, dicit esse recte consequens, vt nullum in se vnquam peccatum habuerit, additque: *Profecto enim peccatum etiam maior feciſſet, si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu*: sanè oportet, aut S. Ioannem Baptistam originis peccatum non contraxisse, si adultus nunquam peccauit, aut si contraxit, vt communis omnium Doctorum, imò totius Ecclesiæ consensus est, necesse est dicere eum in adulta ætate peccatum aliquod veniale saltem admisisse. Neque quod de eodem Ioanne canit Ecclesia, nempe desertum petiisse, ne leui saltem maculare vitam famine posset, nescium quoque fuisse labis niueum pudorem inquinantis, suadere meritò potest ipsum tota vita peccato prorsus caruisse: facilè enim exponi potest non de omnimoda impeccantia, sed de summa quæ esse potest in hac vita, spectata propria humanæ naturæ conditione.

Potro cùm Deus alicui concedit nunquam peccare etiam venialiter, id non aliter facit, quàm partim auertendo ab eo peccandi occasiones beneficio protectionis externæ, partim in singulis peccandi occasionibus dando cogitationes & inspirationes congruas quibus à peccatis venialibus reuocatur, vt & à mortalibus: hoc solùm discrimine, quòd cui gratia datur ad nunquam peccandum venialiter, ei speciale gratiæ priuilegium conceditur, quia per paucis & raro tribuitur: cui autem datur gratia ad nunquam peccandum mortaliter, non censetur concedi gratiæ speciale priuilegium, quia multis & frequenter id tribuitur.

Ex doctrina hactenus tradita, quòd nimirum nullus iustus possit cum auxiliis gratiæ quę communiter iustis dantur, seu quod idem est, absque speciali gratiæ priuilegio vitare omnia collectiue peccata venialia, colliges esse aliquas singulares peccandi venialiter occasiones in quibus iustus hoc speciali priuilegio carens necesse habet venialiter peccare, necessitate tamen consequente, quæ vt libertatem non eripit, ita non impedit quo minùs libere exerceatur ille venialis peccati actus, qui necessitate consequente necessarius dicitur. Sicut enim supra ex eo quòd quis non possit totam collectiuè legẽ seruare, omnésque tentationes etiam ad mortale peccatum allicientes collectiuè vincere, rectè consequens esse ostendimus, dari determinatas aliquas occasiones, in quibus is certam aliquam & singularem legem obseruare, & tentationem superare non potest: ita ob eandem rationem quod hîc dixi rectè sequitur ex eo quòd quis vitare nequeat omnia peccata venialia sumpta collectiuè.

Atque hæc de necessitate gratiæ dicta sint, à quibus antequam ad sequentia gradum faciamus, tria breuiter placet adiungere, ne quid ad plenam præsentis quæstionis intelligentiam deesse videatur. Primum est, quod suprà docui, nempe hominem in statu vel naturæ lapsæ, vel integræ, vel peccati, vel gratiæ, non posse absque nouo gratiæ auxilio vllam vel leuissimam tentationem vincere, vllúmve etiam minimum acquisitæ virtutis opus exercere, & in bono perseuerare, habere quoque locum in Angelis creatis in statu vel puræ naturæ, vel gratiæ. Ratio enim à priori petita ex necessitate sanctæ & congruæ cogitationis quæ immittatur, & contrariarum malarum quæ auertantur, hæc non magis de hominibus quàm de Angelis euincit.

Secundum est, quod item suprà dixi, nempe hominem etiam absque gratia sanctæ cogitationis & inspirationis posse naturali potentia antecedente sufficiente licet inefficaci quemlibet virtutis actum exercere, omniáque præcepta diuisiuè & collectiuè seruare, proindéque gratiam ad hæc facienda ipsi necessariam non esse antecedente necessitate, sed sola consequente, accipiendum quidem etiam esse de Angelis, sed ita vt præceptorum nomine sola naturalia, & per quemlibet actum virtutis sola virtutis acquisitæ opera intelligatur. Si enim de

I. A V. II. B VI. III. C VII. IV. D VIII.

præceptis ſupernaturalibus, & propriis virtutum in entitate ſupernaturalium actibus ſermo ſit, conſtat & in hominibus & in Angelis etiam præuentis gratia ſanctæ cogitationis & inſpirationis non eſſe ad hos actus exercendos, & ad illa præcepta ſeruanda potentiam antecedentem ſufficientem, ſed ſolùm obedientialem, & I. proinde vtriſque eſſe neceſſariam antecedente neceſſitate ad hæc facienda gratiam, & quidem diſtinctam a gratia ſanctæ cogitationis & inſpirationis: quandoquidem hac ſuppoſita vis faciendi ea quæ dixi, quam habet ex ſe homo vel Angelus, obedientialis ſolùm eſt, & proinde incompleta & inſufficiens.

Tertium eſt, ita me tota hac diſputatione doctrinam à S. Thoma hîc quæſtione 109. traditam defendiſſe, vt ſimul ingenuè confitear eſſe nonnulla quæ ab ipſo in ea docentur, quorum ego veritatem ſatis videre non poſſum. Atque in primis eiuſmodi eſt quod habet articulo 3. in quo admittens quemdam Dei amorem naturalem & virtutis acquiſitæ, dicit hominem in ſtatu naturæ integræ, id eſt, carentis rebellione ſentientis appetitus, potuiſſe ſine habituali II. gratia diligere Deum amore illo naturali, non tamen abſque auxilio gratiæ mouẽtis ſeu actualis: at in ſtatu naturæ lapſæ, præter hoc auxilium, indigere etiam gratia habituali, vt amore illo naturali diligere Deum poſſit: non enim video, cur in hoc ſtatu naturæ lapſæ naturalis illa Dei dilectio non poſſit exerceri cum ſolo gratiæ mouentis auxilio æque & perinde ac in illo ſtatu integræ naturæ.

Eandem quoque difficultatem patior in eo quod ait, art. 4. videlicet hominem in ſtatu naturæ integræ potuiſſe ſine gratia habituali, non tamẽ abſque gratiæ actualis auxilio totam collectiuè naturæ legem ſeruare: at in ſtatu naturæ lapſæ ipſum hoc non poſſe cum ſola gratia actuali, ſed requiri præterea habitualem: neque III. enim intelligo quæ ſit in hoc ſtatu potiùs quàm in illo ad id præſtandum huius habitualis gratiæ neceſſitas: aut cur, ſi hæc ad id quod dixi neceſſaria in hoc ſtatu eſt, vt eſſe ſuprà ſectione 18. docui & probaui, non ſit quoque eadem ratione & modo in illo altero ſtatu.

Denique duo quæ docet articulo 8. ſatis à me nequeunt intelligi. Vnum eſt, hominem in ſtatu naturæ lapſæ non poſſe vitare peccata omnia mortalia ſine gratia Dei, non modò actuali, ſed etiam habituali, quod verum eſſe ſectione illa 18. dictum & probatum eſt: at hoc potuiſſe in ſtatu naturæ integræ ſine hac habituali gratia, cum ſola illa actuali, quod qua ratione verum ſit non video, ſi, vt ſuppono, verum eſt illud prius: maximè cùm ratio qua neceſſitatem gratiæ habitualis in ſtatu naturæ lapſæ ad vitandum omne mortale peccatum oſtendimus, IV. eandem euincere videatur in ſtatu naturæ integræ ad eundem effectum. Alterum eſt, hominem in ſtatu naturæ lapſæ non poſſe item ſine gratia & actuali & habituali vitare omnia peccata venialia: at in ſtatu naturæ integræ id potuiſſe ſine hac habituali, cum illa ſola actuali. Cuius diſcriminis, reſpectu huius & illius ſtatus, mihi certè non apparet ratio: imò ſi quæ ratio concludit, ad hunc vnum eundemque effectum gratiam habitualem vno in ſtatu eſſe neceſſariam, vel non eſſe, idem quoque pari efficacitate concludere de altero ſtatu videatur.

DISPVTATIO II.

De gratia gratum faciente.

AGIT de ea S. Thomas hac 1. 2. quæſtione 110. cuius articulo 1. docet hanc eſſe quid intrinſecum & permanens in anima. Artic. 2. eſſe qualitatem quandam & habitum. Artic. 3. diſtingui realiter à virtutibus tam infuſis quàm acquiſitis, tam Theologicis quàm purè moralibus. Artic. 4. in eſſentia animæ tanquam in ſubiecto immediato recipi, de quibus fusè dicetur ſequentibus ſectionibus.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit gratia gratum faciens?

HÆRETICI huius temporis ferme omnes ſentiunt gratiam qua formaliter iuſti & Deo grati ſumus, nihil eſſe in nobis intrinſecum & inhærens, ſed eſſe vel purè extrinſecam imputationem iuſtitiæ Dei, aut Chriſti, vel mere extrinſecam non imputationem peccatorum quæ commiſimus, & quibus reipſa maculati ſumus, vel vtrumque ſimul. Vt hæc hæreſis refutetur, & Catholica doctrina declaretur, probetúrque, ſit

Prima aſſertio. Gratia qua formaliter iuſti gratique Deo ſumus, eſt aliquid nobis intrinſecum & inhærens. Eſt de fide. Probatur primò ex ſacris literis, epiſtolæ ad Rom. cap. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt, per vnum Ieſum Chriſtũ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.* Vbi notãda ſunt verba hæc, *abundantiam gratiæ & iuſtitiæ accipientes*, & iſta, *iuſti conſtituentur multi*. His ſiquidẽ, & illis manifeſtè declaratur iuſtitiæ & gratię gratũ facientis intrinſecæ & inhærẽtis infuſio.

Primò, quia comparat Apoſtolus Chriſtum Adamo, illius obedientiam & meritum cum huius inobedientia & demerito, obedientiæ fructum in nos deriuatum, cum damno ex Adami inobedientia in genus humanum propagato: ſicut ergo ex huius inobedientia iniuſtitiam contraximus intrinſecam & inhærentem ſinguliſque propriam, vt in Tract. de peccatis, diſputantes de peccato originali probauimus, ita ex Chriſti obedientia iuſtitiam accipientes & gratiam, non aliam quàm intrinſecam & inhærentem cuique propriam accipiemus: maximè cũm ſicut repugnat nos ipſo peccato primi parentis nobis extrinſeco fuiſſe coram Deo peccatores & iniuſtos, vt citato loco probauimus, ita repugnet nos purè nobis extrinſeca Chriſti iuſtitia formaliter eſſe iuſtos, quia perinde repugnat aliquem aliena prorſus iniuſtitia & malitia malum & iniuſtũ ac pœna dignum eſſe, atque aliena penitus & extrinſeca iuſtitia iuſtum & bonum ac præmio dignum eſſe, & vice verſa.

Secundò, quia iustum constitui, quo modo loquitur Apostolus, non est iustum reputari, aut declarari, sed reipsa effici veram accipiendo iustitiam, ex qua fiat vt postea iusti reputemur à Deo & declaremur. Quare Caluinus & Kemnitius hunc Apostoli locum pessimè interpretantur, dum constitui iustum idem esse ac declarari asserunt. Neque id rectè probant ex eo quod inquiunt Apostolum iustificationi condemnationem, cuius ibidem meminit, opponere: non enim hanc illi formaliter opponit, sed iniustitiam ex Adamo contractam, quam sequitur ad pœnam æternæ mortis condemnatio, iustitiæ, quæ in nos ex Christo deriuatur: quæ iustitia, sicut & illa iniustitia, nobis intrinseca est. Et quemadmodum condemnari ad pœnas, est quidem reum declarari, sed hæc declaratio non facit reum, sed præsupponit: ita iustum declarari præsupponit iustum, non facit: quam iustitiam, si vera iustitia est, non posse non esse homini iusto intrinsecam, ex dictis clarum est.

I.

II. Præterea eodem eiusdem epistolæ cap. 5. sic habetur: *Spes non confundit, quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Vnde sic possumus argumentari. Caritate illa quam dicit Apostolus diffusam esse in cordibus nostris sumus iusti, Deóque chari & grati: atqui illa caritas est aliquid in nobis intrinsecum & inhærens, ergo id quo sumus iusti & Deo grati, est aliquid intrinsecum nobis & inhærens. Maior probatur, caritate enim Dei, id est, qua Deum diligimus, iusti & Deo grati sumus, vt constat ex iis omnibus Scripturę locis, quibus dicitur ratione caritatis in nobis existentis nos à Deo diligi, filios Dei esse, in Deo manere, Deum in nobis mansionem facere, & similia, quæ sanè ratione caritatis de nobis dici non possent, nisi ratione eiusdem iusti Deóque grati redderemur: hîc autem dicta est ab Apostolo caritas Dei, vt explicat S. August. libro de spiritu & litera cap. 32. *non qua nos ipse Deus diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur: & Domini salus, qua nos saluos facit: & fides Iesu Christi, qua nos fideles facit.* Et reuerà ea dilectio quæ est immanens in Deo, & qua nos diligit, non potest verè dici diffundi in cordibus nostris, cùm non sit in illis, imò prorsus extra ea sit. Minor certa est, tum quia caritas illa diffunditur in cordibus nostris, quod nisi de re intrinseca & inhærente verum esse non potest: tum quia caritas illa, vt probaui, est ea qua Deum diligimus, omnis autem nostra dilectio aliquid nobis intrinsecum est & inhærens.

III.

IV. Probatur secundò ex his Tridentini Concilij verbis sess. 6. cap. 7. *Demum vnica formalis causa* (nostræ scilicet iustificationis, cuius ibi causas omnes enumerat) *est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed etiam verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes*, &c. quam etiam paulò inferiùs iustificatis inhærere asserit. Existis præterea Can. 11. eiusdem sessionis: *Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia & caritate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iustificamur esse tantùm fauorem Dei, anathema sit.*

V. Probatur tertiò ex Patribus, tam Græcis quàm Latinis, quorum in verbis referendis non immoror, partim quia referuntur à nostris, Canisio lib. 3. de B. Virgine cap. 5. Bellarmino lib. 2. de iustificatione cap. 8. & Gregorio à Valentia hîc disput. 8. quæst. 2. puncto 1. partim quia hæc eorum communis de iustitia nobis intrinsecùs inhærente doctrina, tam explorata est non modò Catholicis, sed ipsis etiam hæreticis, vt Caluinus lib. 3. instit. cap. 11. §. 15. & Kemnitius prima parte examinis Tridentini Concilij, non dubitent confiteri illos suæ hac in parte sententiæ aduersari.

VI. Quod iidem obiiciunt ad Romanos 4. & ad Galat. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*, non probat Abrahamum fuisse iustum per extrinsecam tantummodo iustitiæ à Deo imputationem, sed significat eum ex fide veram iustitiam esse consecutum, vnde factum est vt iustus ab ipso etiam Deo haberetur & reputaretur.

VII. Nec maiorem vim habet quod præterea opponunt, plurimis Scripturæ locis Christum dici factum nobis redemptionem, iustitiam, & sanctificationem, seu quod idem est, esse nostram sanctitatem, atque iustitiam: reuera enim eo tantùm sensu nostra iustitia dicitur, quo nostra resurrectio, vita, sapientia, primæ ad Corinthios primo. Quare sicut nostra sapientia, vita, & resurrectio est, non quòd simus formaliter sapientes, viui, resurgentes per ipsius Christi sapientiam, vitam, & resurrectionem, sed quia merito suo causa est nostræ sapientiæ, vitæ, & resurrectionis: sic nostra sanctitas & iustitia est, non quòd eius eíque intrinseca sanctitate & iustitia formaliter iusti & sancti simus, sed quia merito suo causa est nostræ nobísque intrinsecæ iustitiæ & sanctitatis.

VIII. Denique nullius est momenti quod aiunt, iustitiam qua iusti dicimur, plerunque dici iustitiam Dei: est enim verè iustitia Dei, sicut caritas qua Deum diligimus ad Romanos cap. 5. caritas Dei dicitur, quia scilicet à Deo nobis donatur, vt exponit Tridentinum Concilium sessionis 6. capite 7. & sanctus Augustinus libro de spiritu & litera cap. 32. iam citato, & cap. 9. vbi explicans illud ad Romanos 10. *Iustitia Dei manifesta est*, notat Apostolum non dixisse *iustitiam hominis, vel iustitiam propriæ voluntatis* (neque enim eam homo à se seu ex propriis naturæ & voluntatis suæ viribus habet) *sed iustitiam Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem cùm iustificat impium.*

Secunda assertio. Gratia qua formaliter iusti & Deo grati sumus, non modò est quid intrinsecum, & nobis inhærens, sed etiam permanens. Est de fide. Probatur primò ex Ioannis epistolæ 1. cap. 3. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*: nomine enim seminis intelligitur ab omnibus, nec

Intelligi aliud potest, quàm diuina gratia quæ omne mortale peccatum excludit, quod hîc peccati nomine simpliciter appellatur, & quæ proinde hominem iustum & Deo gratum efficit: quæ his verbis, *in eo*, intrinseca esse significatur in iusto, & vocabulo, *manet*, esse quid permanens clarè dicitur. & Ioannis 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: sicut enim Deus, seu Spiritus sanctus ad nos non dicitur venire, vel mitti, nisi ratione doni alicuius quod nobis communicatur, ita neque permanere, nisi ratione doni permanentis. Et secundæ ad Corinth. 1. *Deus dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Pignus enim nullum est, nisi maneat apud ipsum cui datur: quibus ex locis etiam constat gratiam de qua agimus esse quid nobis intrinsecè inexistens, vt intuenti per se patebit.

I.

Probatur secundò ex Trident. Concilio sess. 6. can. 24. definiente iustitiam acceptam in nobis augeri, & conseruari per bona opera, quod proprium est rei permanentis. Tertiò ex S. Basilio libri de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 26. cuius in principio sic clarissimè loquitur: *Quemadmodum ars est in eo qui nactus est illam, sta gratia spiritus in eo qui recepit eam semper quidem est præsens, at non perpetuo operans.*

II.

Denique hac ratione. De fide est tam pueros quàm adultos per sacramentum à peccatis emundari, & iustitiam Christianam in se recipere, eámque non amittere nisi per mortale peccatum: ergo tandiu permanet, quandiu peccatum mortale non committitur: certum autem est multum aliquando tempus intercedere inter gratiam per sacramentum acceptam, eiúsque per peccatum amissionem, & patet in pueris ab ortu recens baptizatis, qui non nisi adulti peccare possunt, & proinde gratiam amittere: ergo etiam certum esse debet gratiam esse ex se naturæ permanentis.

III.

Tertia assertio. Gratia qua formaliter iusti & Deo grati sumus, est aliquis habitus. De fide etiam est. Probatur, illud est habitus, quod est forma aliqua realis intrinseca, inhærens, & realiter permanens, subiectum in quo est bene afficiens: atqui talis est prædicta gratia, vt fide certum est. Igitur est habitus. Maior certa est: illud enim omne quod tale est rectè habitus aliquis appellatur, quia statum habitus obtinet. Minor probatur, tum quia ex superioribus assertionib. constat gratiam hanc esse quid intrinsecum inhærens & permanens, non rationis, aut negatiuum, vt manifestum est ex citatis Scripturarum, Conciliorum & Patrum testimoniis: ergo reale, quod haud dubiè bene hominem in quo est afficit, cùm eius maxima perfectio sit, eúmque Dei filium ac hæredem regni cœlestis efficiat, vt constat passim ex Scripturis, & Conciliis: tum quia fide diuina certum est, iustitiam intrinsecam inhærentem & permanentem conferri tam pueris quàm adultis per sacramentum, ergo actualem aut habitualem, alia enim nulla est: non actualem, quia pueri capaces non sunt actus quo formaliter iustificentur: adulti verò etsi capaces sint, certum tamen est aliter eos vi sacramenti iustificari, cùm sæpe saltem dum per sacerdotem à peccatis absoluuntur, & proinde iustificantur, nullum actum caritatis exerceant, vt experientia constat, quo tamen solo iustificari possunt, si aliquo actu possunt: & præterea valide fructuoséque absoluantur ægroti dum in amentia sunt, aut mortis vicinitate extra vsum rationis, vt communis & certa Theologorum in materia de pœnitentiæ sacramento doctrina est, quo tamen in statu capaces non sunt vllius actus quo formaliter iustificari possint: ergo habitualem, ergo prædicta iustitia & gratia habitus quidam est.

A

V.

Hîc tria aduertenda sunt. Primum est, me dixisse hanc assertionem tertiam, sicut & secundam præcedentem, esse de fide, quia scilicet vt certum suppono quod in Tractatu de Deo, disput. 2. sectione vltima probaui, omnem conclusionem Theologicam de fide esse: est autem Theologica conclusio omnis illa propositio quæ in bona argumentandi forma deducitur, vel ex duabus præmissis fide diuina certis, vel ex vna saltem sic certa, & altera per naturale lumen ac rationem euidente, qualis hæc nostra assertio est, vt intuenti patebit.

B

VI.

Secundum est, dú dico, de fide esse, iustitiam seu gratiam de qua agimus esse habitũ, nolle me asserere esse de fide hanc esse propriè habitum illum, qui in prima qualitatis specie à Philosophis ponitur, reuera enim id de fide non est, quia nec sic expressè alicubi definitum est, neque ex vllo vel Scripturarum vel Conciliorum loco concludi certo & euidenter potest: vnde hæreticus non esset, qui prædictam iustitiam propriè qualitatem esse negaret, eámque quandam relationem categoricam esse diceret, non secus ac aliqui recentiores de sacramentali charactere dicunt, eatenúsque solum habitum dici, quatenus habet statum habitus, quòd sit forma aliqua intrinseca, inhærens, realiter manens etiam in eo qui nihil operatur: quo modo nomen habitus in assertione sumpsimus: aut qui admittens eam qualitatem esse formaliter, negaret ad primam qualitatis speciem pertinere, sed ad aliam spectare diceret.

C

VII.

Tertium est, etsi de fide sit aliquam gratiam gratum facientem esse habitum, de fide tamen non esse omnem formam, qua formaliter iusti & Deo grati sumus, habitum esse: id enim etiam actui caritatis erga Deum conuenire permulti celebréseque Theologi probabilissimè defendunt, vt infrà ad quæstionem 113. videbimus.

SECTIO II.

An gratia gratum faciens distincta sit ex natura rei à virtute Theologicæ caritatis?

D

VIII.

PRIMA sententia est affirmans, cuius primus author est S. Thomas, eam aperte tradens citatæ quæstionis 110. artic. 3. & 4. quam & communiter tuentur iam eius discipuli. Secunda negans, quam amplectuntur Alex. 3. parte quæst. 69. memb. 2. art. 4. Henricus quodlib. 4. quæst. 10. Albertus in 2. dist. 26. art. 3. Richardus artic. 1. quæst. 4. Durandus quæst. 1. numero 7. Gabriel quæst. 1. art. 2. concluſ. 4.

Scotus distinct. 27. quæst. 1. Maior quæst. 1. in quodam dubio sub finem quæstionis, Marsilius quæst. 17. artic. 1. conclus. 1. & 2. Vega lib. 7. in Trident. cap. 25. & Bellarminus tomo 3. lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 2. multique alij recentiores, probabilior est. Probaturque primò ex eo quòd non est inuehenda sine necessitate distinctorum entium multitudo, nulla autem necessitas est gratiam à caritate distinguendi, tum quia nullo argumento vel ex authoritate, vel ex ratione perito hæc necessitas probari potest, vt ex obiectionum solutione constabit: tum quia nihil est quod gratiæ tribui possit, aut de facto tribuatur à Scriptura, Conciliis, Patribus, & Theologis, quod ipsum caritati tribui non possit, aut etiam reipsa eidem ab illis tribuatur.

I. A

Vnde probatur secundò hac ratione. Illa forma non est distinguenda ab altera, cuius formalis effectus, & quiuis alius ab huius effectu formali & quouis alio non distinguitur: atqui gratiæ formalis effectus & quiuis alius non distinguitur ab effectu formali caritatis, & quouis alio ipsius effectu: ergo & gratia à caritate distinguenda non est. Maior certa est: si quæ enim ratio est distinguendi formam vnam ab altera, certè ea maxime est, quòd vtriusque non sit idem formalis effectus, nec vtrique eadem conuenire possint, sed aliqua vni, alia alteri: quòd tum saltem verum est, dum nec ex rei natura certum per se & euidens est, nec vlla firma ratione aut authoritate constat vnam ab altera esse actu distinctam: quo modo se habent gratia & caritas, quas haud dubie per se notum non est ex rei natura distingui, nec vllo firmo constat argumento, vt ex eorum solutione patebit: tunc enim sane si quid mouere debet ad inducendam inter illas formas distinctionem, est prædicta formalium effectuum aut quorumlibet aliorum diuersitas: quare cùm nulla talis inter illas formas diuersitas cernitur, non debet vna ab altera distingui. Minor probatur: omnis enim effectus siue formalis, siue quis alius qui gratiæ tribuitur, aut est quòd formaliter sanctificet iustificétque, aut propterea ei tribuitur, quia formaliter iustificat & sanctificat, cuiusmodi effectus sunt expellere peccatum, seu ab eo emundare, facere eum in quo est carum & gratum Deo, filium Dei, dignum æterna gloria, perfectè vnitum cum Deo, manentem in Deo, & Deum in illo, promerentem de condigno singulis suis bonis operibus augmentum gratiæ & gloriæ, & similes, qui non possunt ei non tribui ex hypothesi quòd formaliter iustificet sanctificétque, quique non possent ei tribui, nisi formaliter iustificaret & sanctificaret. Iam verò caritati omnes hi aliique eiusmodi effectus tribui meritò possunt & debent, cùm caritas per se sumpta sit ex se suáque natura forma sanctificans formaliter & iustificans, vt inferiùs ad citatam quæstionem 113. fusè tam authoritate D. Thomę quàm Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, ac præterea ratione probabitur: vnde etiam nunc effectus enumerati, aut alij similes passim à Scriptura, Conciliis, Patribus non minùs caritati quàm gratiæ reipsa tribuuntur.

II. B

III. C

IV. D

Neque dicas hos omnes effectus tribui posse & debere caritati actuali, ex hypothesi quòd hæc formaliter sanctificet & iustificet, hoc tamè minimè impedire quin & habituali tribuãtur, sintque caritas habitualis & actualis duæ formæ formaliter sanctificantes à parte rei inter sese distinctæ: pari proinde iure posse eosdem omnes effectus caritati & gratiæ tribui, ia vt hæ sint duæ formæ tã reipsa diuersæ, quàm caritas habitualis & actualis diuersæ sunt. Ne, inquam, id dicas: non est enim par ratio, nam hi effectus actuali caritati tribuuntur per modum actus, habituali verò per modum habitus, aliunde verò constat in nobis caritatis & habitum & actum admittendum esse, & hunc ab illo reipsa distingui. At si idem effectus gratiæ & habituali caritati tanquam duplici formæ à parte rei distinctæ tribuantur, eodem omnino modo tribuentur, nempe vtrique per modum habitus: aliunde verò neque vlla authoritate, neque ratione constat efficaciter hanc habitualem formam ab illa esse distinguendam, imò proposita ratio euincit distinguendam non esse, quandoquidem inter earum vel formales vel alios effectus nulla omnino apparet diuersitas, quæ sola nobis esse posset sufficiens argumentum distinctionis inter formas illas, vt in probatione Maioris propositionis ostendimus.

V.

VI.

Probatur tertiò authoritate Concilij Tridentini, & sancti Augustini, huius quidem libro de natura & gratia cap. 70. dicentis caritatem esse ipsam iustitiam qua formaliter iusti sumus, & proinde gratiam gratum facientem, cùm sit vna eadémque forma gratia gratum faciens, & prædicta iustitia. Sic enim illo loco loquitur: *Caritas inchoata, inchoata iustitia est, caritas prouecta, prouecta iustitia est, caritas magna, magna iustitia est, caritas perfecta, perfecta iustitia est.* quibus verbis vt totam iustitiam in caritate ponit, ita illius augmentum & complementum in huius incremento complementóque constituit. Illius verò sess. 6. cap. 7. sic statuentis dum iustificationis causas enumerat: *Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit.* Atque vt explicet quid sit hæc iustitia qua Deus nos iustos facit, sic immediate subiungit: *Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhæret.* Ecce iustitiam qua ex mente Concilij Deus nos iustos facit, nempe caritatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum diffusam: atqui aliunde & ex mente definitionéque eiusdem Concilij, & omnium Theologorum, imò totius Ecclesiæ consensu certum est iustitiam qua iusti sumus, esse gratiam gratum facientem: ergo ipsa caritas est gratia gratum faciens.

VII.

VIII.

Deinde Concilium immediate post citata verba enumerans ea quæ accipit homò à Deo dùm iustificatur, nulla facta mentione gratiæ vt à caritate distinctæ sic ait: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem, & caritatem*: gratiæ

autem vt à caritate diuersæ mentionem facere debuisset, cùm ex professo declararet in quo posita esset iustitia qua nos Deus iustos facit, & omnia ad eam etiam integrè ac completè sumptam pertinentia dona enumeraret, ad quam procul dubio tanquam potissima & nobilissima eius pars gratia gratum faciens pertinet, si hæc à caritate distincta est. Adde quod cap. 10. eiusdem sessionis de huius iustitiæ quam cap. 7. descripserat incremento loquens sic ait: *Hoc vero iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, spei, & caritatis augmentum.* Quòd si alium habitum ad iustitiam eiúsve augmentum præter tres enumeratos Concilium necessarium esse putasset, certè in eius quoque incremento iustitiæ incrementum constituisset.

I.

SECTIO III.

Multiplex aduersariorum responsio refertur, & refellitur.

II. AD hoc argumentum respondent aduersarij primò, à Tridentino Concilio, & S. Augustino caritatis nomine vel non intelligi habitum illum virtutis Theologicæ quo formaliter constituimur Dei dilectores, sed alium quendam quo sumus Deo cari & dilecti, quique propterea caritas appelletur: vel certè nomine caritatis intelligi vtrumque habitum tanquam adæquatum vinculum amicitiæ quæ Deum inter & nos intercedit, quæ sicut esse non potest nisi Deus nos diligat, & eum ipsi vicissim diligamus, ita consistere nequit, nisi sit in nobis habitus quo formaliter simus Deo chari dilectíque, & est gratia gratum faciens, & alius quo simus formaliter eius dilectores, estque caritas virtus Theologica.

III. Verùm hæc responsio nullo modo ferri potest, tum quia purum commentum est caritatis nomine citatis locis non intelligi virtutem Theologicam qua Dei dilectores formaliter constituimur: huius enim peruersæ interpretationis nullum vel leuissimum ex illis locis indicium haberi potest, imò contrariù euidenter habetur: siquidem capite illo 7. sessionis 6. eam caritatem quam dixerat Concilium in cordib. nostris diffundi per Spiritum sanctum dum iustificamur, statim annumerat duab. aliis virtutibus Theologicis, cùm ait: *Vnde in ipsa iustificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & caritatem.* Et, *Fides, nisi ad eam accedat spes, & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.* Et paulò post: *In Christo Iesu neque circuncisionem aliquid valere, neque præputium, sed*

IV. *fidem quæ per caritatem operatur.* Quæ autem obsecro est caritas quæ Theologicis virtutibus annumerari solet per quam fides operatur, nisi virtus Theologicæ caritatis? tum quia purè ad placitum absque causa asseritur nomine caritatis vtrumque habitum, gratiæ scilicet gratum facientis, & virtutis Theologicæ qua Deum diligimus intelligi. Vbi enim caritas vnquam hoc sensu vsurpata est? aut quo vel leui indicio probari potest a prædictis authoribus locis citatis caritatem eo sensu accipi? maximè cùm nomine caritatis à Scriptoribus, imò ab omnibus communiter nihil aliud soleat intelligi, quàm virtus Theologica, quæ est principium nostræ erga Deum dilectionis.

A

Nec vim habet quod aiunt huius responsionis quam refutamus authores, per eam significari amicitiæ vinculum inter nos & Deum existens, quod prædictos duos habitus complectitur: hoc est enim quod dico falsum esse, caritatem scilicet & hoc amicitiæ vinculum significare, si hoc prædictos habitus contineat: reuera enim significat solùm hanc amicitiæ partem qua Deum diligentem nos diligimus, sicut amor noster erga hominem non est ipsa amicitia quæ nos inter & illum intercedit, nec eam significat, sed eam solùm amicitiæ nostræ partem qua eum diligentem nos diligimus, cùm amicitia directè vtriusque mutuum amorem significet: quo fit, vt si quis aliquem amet à quo non redametur, neutra ex parte amicitia sit, sed ex parte amantis amor duntaxat. V.

B

Neque verò necesse est ad amicitiam inter nos & Deum constituendam duos in nobis habitus ponere, satis est in Deo esse erga nos amorem, qui est actio immanens ipsius Dei, & in nobis esse habitum caritatis quo formaliter eum dilectorem nostrum diligimus: cuius diuini erga nos amoris si quis habitus in nobis existens terminus esse debet, quo simus ipsi Deo cari & dilecti, non debet esse necessariò alius quàm prædictus charitatis, cùm si quis alius esse deberet, maximè prædicta gratia gratum faciens, eo quòd est forma formaliter sanctificans, caritas autem qua Deum diligimus fit per se suáque natura huiuscemodi forma, vt hîc obiter probauimus, multóque fusiùs ad quæstionem 113. probabimus, vbi iterum de prædictis Tridentini Concilij & S. Augustini testimoniis dicemus. VI.

C

Respondent secundò, Concilium hoc citato cap. 7. mentionem bis fecisse gratiæ gratum facientis. Primò dum dixit: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum simul hæc omnia*, & cætera quæ suprà retulimus: per remissionem enim peccatorum volunt à Concilio intellectam fuisse gratiam gratum facientem qua formaliter peccata delentur, & hanc à caritate distinxisse, cùm postea caritatem cum fide & spe recensuerit. Secundò cùm ait nos iustificari, dum merito passionis Christi per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus nostris. Etenim per Spiritum sanctum intelligunt gratiam gratum facientem, quia donum est Spiritus sancti, ratione cuius doni caritas in cordibus nostris diffunditur. Quod confirmant ex his Apostoli verbis ad Roman. quinto, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris* VII.

D

per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Spiritus enim sanctus, inquiunt, non datur nisi ratione doni alicuius quod nobis communicatur: cùm ergo per Spiritum sanctum nobis datum, id est, per donum aliquod diuinum collatum caritas Dei diffundatur in cordibus nostris, oportet hoc donum à caritate esse diuersum, aliud autem non est quàm gratia gratum faciens. VIII.

Verùm etsi Concilium nomine remissionis peccatorum formam illam comprehenderet

qua formaliter peccata delentur, colligi tamen nullo modo potest illud eam à caritate quam cum fide & spe statim adnumerauit distinxisse, maximè cùm caritati vis insit formaliter iustificandi, ac proinde peccata delendi, vt iam diximus, in eaque vim ad hunc effectum non minorem esse, quàm in gratia, etsi hæc ab illa distingueretur, ad præfatam quæstionem 113. fusè probaturi simus: solum enim dixit in iustificatione quæ est hominis regeneratio, cum remissione peccatorum simul hæc hominem accipere, fidem, spem, & caritatè per Iesum Christum cui inseritur, & cuius viuum membrum fit: vnde colligi non potest hanc remissionem non fieri per aliquam virtutem ex enumeratis, fidei scilicet, aut spei, aut caritatis: sicut si quis diceret in generatione ignis ex ligno materiam ligni cum expulsione frigoris accipere siccitatem, calorem, leuitatem, colligi non posset nec deberet, frigus expelli per formam à calore distinctam. Adde quòd si rectè colligunt Aduersarij formam qua peccata delentur à caritate esse diuersam, quia post recensitam peccatorum remissionem caritas ponitur, pari iure colligant formam qua inserimur Christo à forma delente peccata, & à fide, spe, caritatéque distingui, cùm post relatam peccatorum remissionem, & fidei, spei, ac caritatis enumerationem, Christo nos inseri Concilium dixerit.

I.

II.

Neque verò meliùs ex his Concilij & Apostoli verbis, *Caritas Dei diffusa est*, &c. colligunt aduersarij gratiam à caritate distingui: falsum enim est ibi per Spiritum sanctum intelligi donum quod sit gratia gratum faciens à caritate distincta: vel enim Spiritus sancti nomine nullum ipsius donum significatur, sed ipsi tantùm per appropriationem tribuitur sanctificatio nostra quæ per caritatem fit tanquam authori omnis sanctitatis, sicut opera potentiæ per appropriationem tribuuntur Patri: sapientiæ, filio: vel si aliquod eius donum intelligitur, illud est auxilium gratiæ præuenientis, & omnis dispositio qua ad formalem iustitiam recipiendam disponimur, vt intellexit D. August. lib. de gratia Christi cap. 30. quem locum paulò pòst fusiùs explicabimus, ratione cuius auxilij & dispositionis nobis à Spiritu sancto collatæ cùm hic incipiat nobis dari, & in nobis aliquo modo habitare, tum demum plenè perfectéque nobis datur, & in nobis inhabitat, cùm caritas Dei cordibus nostris infunditur, & eo ipso datur ille inhabitatque, quo hæc infunditur.

III.

Oppones nos perperam per Spiritum sanctum intelligere auxilia gratiæ præuenientis, & dispositiones quibus ad iustitiam disponimur, quia Concilium loco citato agit de iustitia quâ in baptismo recipimus: huius enim instrumentalem causam baptismum esse ait, eamque nos recipere dicit, dum per Spiritum sanctum caritas Dei in cordibus nostris diffunditur: at iustitia baptismalis non datur ex præuiis auxiliis gratiæ excitantis, aliisve dispositionibus, cùm hæc etiam pueris conferatur, qui non sunt capaces vllius eiusmodi gratiæ aut dispositionis.

IV.

Verùm qui hoc nobis opponunt, non aduertunt Concilium sess. 6. cap. illo 7. iam sæpè citato agere quidem de gratia seu iustitia quæ per baptismum confertur: at non pueris, saltem solis, sed adultis quoque, qui capaces sunt prædicti auxilij & dispositionis, imo illis necessaria est ad iustitiam per baptisinum accipiendam: quod manifestu est tum ex verbis quibus Concilium, postquam capite 6. citatæ sessionis dispositiones ad hanc iustitiam consequendam A enumerauit, caput septimum sic inchoat: *Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur.* & paucis interiectis: *Huius iustificationis causæ sunt, finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens, misericors Deus: meritoria, Iesus Christus: instrumentalis, baptismus: demum vnica formalis, iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit.* Tum ex istis quæ duabus lineis interiectis adiungit, *iustitiam in nobis recipientes vnusquisque secundùm suam mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Quòd si, vt euidens est, agit ibi Concilium de collata per baptismum iustitia ex præuiis dispositionibus, inter quas capite 6. recenset auxilia gratiæ præuenientis, B actum fidei, spei, & aliqualis erga Deum dilectionis, patet nullam esse vim factæ oppositionis, quæ tota eo vno nitebatur, quòd gratia quę per baptismum ibi conferri dicitur, daretur pueris, & proinde sine vllis gratiæ præuenientis aut aliis dispositionibus præuiis.

V.

VI.

Dices, siue Concilium ibi loquatur de gratia quæ per baptismum solis adultis confertur, siue non, saltem verè dicere possumus de gratia nobis pueris in baptismo collata, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: At tunc Spiritus sancti nomine intelligi non potest auxilium gratiæ præuenientis, aut alia præuia ad iustitiam dispositio, ratione cuius præuiæ dispositionis Spiritus sanctus nobis datus dici possit, cùm in pueris nulla huiusce modi dispositio esse possit: ergo C per Spiritum sanctum qui tunc nobis datus est aliud donum intelligendum, quàm prædictæ gratiæ præuenientis, & præuiæ dispositionis. Respondeo, cùm agitur de iustificatione adultorum tam in sacramento, quàm extra, recte per Spiritum sanctum posse prædicta gratiæ & dispositionis dona intelligi, vt ex supra dictis constat: cùm verò agitur de iustificatione paruulorum, reuera intelligi non posse, & proinde citatorum verborum sensum esse, per Spiritum sanctum, tanquam per authorem & causam efficientem omnis sanctitatis, caritatem qua formaliter iustificantur, in cordibus eorum diffundi, & ratione caritatis huius in iis diffusæ ipsum authorem caritatis Spiritum sanctum datum eis & communicatum esse: quorum verborum hic idem sensus optimè esse potest, dum sermo est de adultorum siue in sacramento siue extra iustificatione, cùm reuera eis, D perfectè etiam, detur Spiritus sanctus, eo ipso quo iisdem datur forma formaliter sanctificans, qualis est caritas, vt postea fusè probabimus.

VII.

VIII.

Ex dictis concludes gratiam gratum facientem non in alio subiecto immediato esse quàm in voluntate, cùm à caritate non distinguatur, vt probauimus, quæ proculdubio in voluntate est.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta contraria ex authoritate petita.

I. SVPERÈST vt aduersariorum argumentis respondeamus: multa petuntur ab authoritate Scripturæ, Conciliorum, & Patrum: Scripturæ quidem, quia ad Galat. 5. caritas fructus spiritus dicitur, vbi nomine spiritus gratia gratum faciens intelligitur, cuius caritas fructus esse non potest, nisi hæc ab illa distinguatur, vt effectus à causa.

Conciliorum verò, quia Viennense sub Clemente quinto, in Clementina de summa Trinitate & fide Catholica definit in baptismo conferri informantem gratiam, & virtutes: vbi manifestè virtutes, de quarũ numero est haud dubiè caritas, distinguit à gratia informante, quæ non est alia quàm gratum faciens. & Tridentinum sess. 6. can. 11. gratiam à caritate distinguit, dum dicit anathema ei, qui dixerit, hominem
II. iustificari per solam vel imputationem iustitiæ B Dei, vel peccatorum remissionem, exclusa gratia, & caritate. & cap. 7. dum ait iustificationem esse renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.

Patrum denique, quia D. Dionysius libri de Eccles. Hierar. c. 2. scribit hominem non posse operari diuina, nisi priùs esse diuinũ acceperit: atqui caritas qua Deũ diligimus operatio quædam nostra diuina est: ergo priùs oportet nos accepisse esse diuinum, quod cùm non accipiamus nisi per gratiam gratum facientem, priùs oportet nos hanc habere gratiam, quam caritatem, eamq. proinde ab hac theologica virtute distingui. S. item Augustinus lib. de gratia Christi cap. 30. sic loquitur: *Istam gratiam qua iustificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, in Pelagij & Cœlestij scriptis nunquam eos inuenimus, quemadmodum confitenda est confiteri.*
III. quibus verbis gratiam qua iustificamur, quæ sanè est gratia gratum faciens, distinguit à caritate, cùm ex illa tanquam ex causa hanc veluti effectum dicat in cordibus nostris diffundi.

Respondeo ad citatum ex Scriptura locũ, ex eo colligi non posse caritatẽ habitualem, de qua hic sermo est, cùm agimus de caritatis à gratia distinctione, à gratia tanquam fructum à radice proficisci, alioquin etiam pari iure concluderetur, gaudium, pacem, & cæteros fructus spiritus quos Apostolus ibi recẽset, esse habitus à gratia deriuatos, quos certũ est saltem omnes non esse habitus. Deinde dico, nomine spiritus eo loco non intelligi gratiam gratum facientem, sed vel
IV. auxilium gratiæ actualis excitantis, quo Spiritus sanctus per habitualẽ caritatem inhabitans D mouet ad opera bona caritatis, aliarúmq. virtutum: vel vt Vasq. hic explicat disp. 198 c. 5. & supra disp. 189. cap. 4. spiritum fidei hominem excitantis ad omnia opera bona, eáque nominatim quæ citato loco recenset Apostolus, quæque ei tanquam fructus radici tribuit.

Ad authoritatem Concilij Viennensis dico, Concilium quidem ibi statuere secundum probabiliorem opinionẽ infundi in baptismo gratiam, & virtutes, nec addidisse, Theologicas, vt rectè obseruauit Andreas de Vega lib. 7. in Trident. c. 27. & quamuis addidisset, non esset consequens gratiam ab omnibus & singulis Theologicis virtutibus re differre, sed solùm præter eã dari virtutes Theologicas ab ipsa distinctas, A quod vltro fatemur, qui fidem & spem ab ea V. distinguimus, multóque magis alias virtutes infusas quæ Theologicæ non sunt, quas Concilium virtutum nomine comprehendit.

Ad primum ex Tridentino citatum locũ dico, Concilium gratiam & caritatem canone illo non distinxisse tanquam duos habitus, sed eundem numero habitum gratiam appellasse, quatenus est id quo grati Deo sumus: & caritatem, quatenus est id quo eum diligimus. Vnde, vt rectè obseruauit Vega loco citato, Concilium, cùm hæc verba dixisset, *excluſa gratia & caritate*, statim adiecit, *quæ in cordibus eorum diffunditur, atque illis inhæret*, loquens in singulari, non in plurali, diffunduntur, inhærent, ne videretur gratiam & caritatem tanquam res multas, & nõ vnicam ac singularem recensere. Et sanè si quia Concilium diuersis gratiæ caritatísq. nominib. VI. vtitur, dum de iustificatione differit, rectè colligeretur gratiam esse formam à caritate ex natura rei diuersam: pari iure sequeretur hanc eãdem gratiã & iustitiam qua formaliter iusti sumus, esse duas formas re diuersas, quod tamen aperte falsum est, Tridentinóque certissimè repugnat, vt ipsi aduersarij vltro fatentur: sequeretur, inquam, quia sæpè iustificationis mentionem faciens, modò gratiam, modò iustitiam illam appellat. Quare sicut iustitia à gratia non distinguitur, nisi conceptu inadæquato nostri intellectus, eadémque forma iustitia dicitur, quatenus per eam formaliter iusti coram Deo sumus, dicitur & gratia, quatenus per eandem sumus formaliter Deo grati: ita eadem appellatur caritas, quatenus per eam formaliter Deum diligimus. VII.

Ad secundum ex eodem Tridentino obiectũ locum respondeo, loqui Concilium de iustificatione adultorum ex præuia dispositione, vt & supra probauimus, & manifestè constat ex verbo, *voluntariam*, dum ait eam iustificationem fieri *per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, nec his verbis gratiam à caritate distinguere, aut caritatem inter dona numerare, sed fidem duntaxat & spem, cæteráſque virtutes, quæ caritatis seu gratiæ gratum facientis infusionem comitantur.

Ad obiectam D. Dionysij authoritatem respondeo in primis, non posse aduersarios ex ea concludere contra nos quod intendunt, quin simul aliquid contra se cõcludant: si enim quia priùs habere debemus esse diuinum, quàm operari diuina, priùs saltem natura in nobis esse VIII. debet gratiæ gratum facientis habitus, quam caritatis actus, quomodo verum esse potest quod ipsi docent, actum hunc esse vltimam ad illum habitum dispositionem de congruo meritoriam illius? Nam si est, ergo naturæ ordine prior illo habitu est, & quidem in genere causæ efficientis, cùm ad hanc causa meritoria pertineat, tantum abest vt ille habitus isto actu prior natura sit in efficientis causæ genere. Præterea sequetur illum habitum priorem quoque fore

naturæ

naturæ ordine fidei, & ſpei actibus, cùm hi ſint operationes quædam ſupernaturales & diuinę, vtpote Deum immediate tanquam obiectum etiam formale attingentes: quod tamen contra fidem eſt, & expreſſam Tridentini Concilij doctrinam cap. 6. ſeſſionis 6. numerantis inter prę-
I. uias ad gratiam ſanctificantem recipiendam A diſpoſitiones, non modò natura, ſed etiam tempore communiter præcedentes, illos ipſos fidei ac ſpei actus.

Reſpondeo ſecundò, quo iure aduerſarij per eſſe diuinum, de quo D. Dionyſius loquitur, intelligunt habitum gratiæ gratum facientis ſeu formaliter ſanctificantis, eodem nos intelligere poſſe habitum caritatis, cùm hic habitus ſit in noſtra ſententia ipſiſſima gratia habitualis gratum faciens ſeu ſanctificans, quem caritatis habitum actu priorem natura in nobis eſſe debere, pari facilitate dicemus, qua id illi dicunt de gratiæ gratum facientis habitu quem ab habituali caritate diſtinguunt.

Reſpondeo denique, mentem S. Dionyſij loco qui nobis obiicitur, hanc eſſe, vt totum illud
II. caput ſecundum legenti certò conſtabit, quòd B quemadmodum priuſquā operemur humana, id eſt, quæ humanæ noſtræ naturæ conſentanea ſunt & propria, priùs oportet nos accepiſſe eſſe humanum, quod quidem naturali generatione accipimus, ita priuſquam & per intellectum & per voluntatem (nam de vtriuſq. facultatis actu expreſsè loquitur) operemur diuina, priùs oportet nos accipere eſſe diuinū, quod ſupernaturali per baptiſmum, quem illuminationis nomine eo loco intelligit, regeneratione cōſequimur: ex quo cōcluditur quidem ſpiritalis per baptiſmi ſacramentū regenerationis neceſſitas, vt mente & voluntate operari diuina poſſimus, at non gratiæ gratum facietis ab habituali charitate diſtinctio: neceſſitas, inquam, licet non
III. tanta ad diuinas illas operationes exercendas, C quanta eſt eſſe humani ad humana operanda, cùm ad hæc iſtud eſſe humanum ſimpliciter & abſolutè neceſſariò prærequiratur, ad illas autem operationes illud eſſe diuinum non ſit abſolutè ſimpliciterque neceſſariò prærequiſitū.

Quod deniq. ſpectat ad D. Auguſtinū nobis obiectū, dico primò, fateri me eum gratiam iuſtificationis à caritate diſtinguere: ſed ſecundò dico, inde colligi non poſſe, illum gratiam gratum facientem à caritate diſtinxiſſe. Nam gratia iuſtificationis, ſeu qua iuſtificamur, nō eſt apud ipſum gratia gratum faciens, & emundans formaliter à peccato, quam vocat gratiam remiſſionis peccatorum, vt cōſtat ex epiſtola 105. ſed eſt collatum à Spiritu ſancto donum gratiæ excitantis, & vires dantis ad rectè viuendum, & ſuperandas tentationes, qua paulatim diſponimur
IV. ad iuſtificationem ſeu formam formaliter D iuſtificantem, vt patet ex epiſtola 90. 95. & 105. & multis aliis eius locis: vnde propterea gratia iuſtificationis ſeu qua iuſtificamur ab ipſo dicitur: quo etiam ſenſu Concilium Mileuitanum gratiam qua iuſtificamur ſæpiùs vſurpat, vt patet ex can. 3. & 5.

Confirmant hanc expoſitionem verba Diui Auguſtini dicentis loco in obiectione citato gratiam qua iuſtificamur nuſquam in Pelagij & Cœleſtij ſcriptis reperiri. Nunquam enim ipſe S. Auguſtinus, aut alij Patres cum Pelagio contenderunt de gratia gratum faciente qua formaliter peccata delentur, quámq. paſſim idem D. Auguſtinus docet adultis dari à Deo propter præuium fidei meritum de congruo illam impetrantis, ſed de quadam alia, quam dicebāt ad ſingula bona opera dari, & non ex noſtris V. præcedentib. meritis, ſed ex Dei miſericordia, negabatque Pelagius, qui naturæ viribus effici opera bona quibus ad gratiam gratum facientem diſponimur, hæreticè contendebat. Cùm ergo S. Auguſtinus citato in obiectione loco cum Pelagio contendat de gratia qua iuſtificamur, eiúſque confeſſionem nuſquam in illius ſcriptis, vt oportēret, reperiri dicat, certè per illam gratiam non intelligit gratum facientem, ſed eam quam dixi eſſe collatum nobis à Spiritu ſancto donum gratiæ excitantis, & ad iuſtitiam diſponentis, cùm de ea ſola cum Pelagio ipſi cæteríſque Patribus contentro fuerit.

Quòd ſi quis velit eum loco citato per hanc vocem, *iuſtificamur*, intellexiſſe formam formaliter iuſtificantem ſeu emundantem à peccato, dicito verbis conſequentibus, *id eſt, qua charitas*, VI. &c. declarari ſolùm quæ ſit illa forma formaliter iuſtificans, & aperte dici eſſe caritatem, nec proinde aſſeri à S. Aug. ex forma qua formaliter à peccato iuſtificamur, tanquam ex cauſa oriri caritatem, & ſic ruere totam vim obiectionis quæ id ſupponebat, totiúſque relatæ ſententiæ ſenſum hunc eſſe: In Pelagij ſcriptis non reperiri illam gratiam, quæ eſt actualis bona cogitatio, & inſpiratio, nullis præuiis meritis nobis à Spiritu ſancto conceſſa, & ad bene operandum neceſſaria, ex qua tanquam ex radice & cauſa profluit in nos, dum illi liberè cooperamur, forma qua formaliter emundamur à peccato ſeu iuſtificamur. Ex qua huius ſententiæ expoſitione aliud nihil colligi poteſt, quàm gratiam illam quæ eſt cauſa formæ iſtius formaliter iuſtificantis eſſe ab hac ipſa forma diſtinctam, quod vltro concedimus: ſed cùm illa gratia ab hac forma diſtincta, nō ſit gratia gratum faciens, ſed aliqua alia prior, hinc concludi non poteſt gratiam gratum facientem eſſe reipſa à caritate diſtinctam, quod tamen obiectio probare contendebat. VII.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta ex ratione deprompta.

PRIMVM iſtud eſt. Forma quæ dat eſſe naturale, diſtinguitur ab ea quæ dat vim proximam operandi naturaliter: ergo à pari, forma quæ dat eſſe ſupernaturale, diſtinguetur ab ea quæ dat proximam vim operandi ſupernaturaliter: huiuſmodi autem eſt caritas habitualis, quæ eſt proxima vis effectiua ſupernaturalium caritatis actuum: erit ergo aliqua alia forma quæ det eſſe ſupernaturale, quæ quidem alia non erit quàm gratia gratum faciens. Reſpondeo negando primam conſequentiam: diſpar enim eſt ratio formæ naturalis dantis eſſe naturale, & ſupernaturalis dantis eſſe ſupernaturale: illa enim cùm ſit ſubſtantialis, vt forma ignis, quæ dat igni eſſe ignis, neceſſariò diſtinguitur à forma quæ tribuit vim proximam operandi, vt calefaciendi, quia hæc eſt VIII.

aliquod accidens, à quo ſubſtantia non poteſt non diſtingui: hæc verò quæ tribuit eſſe ſupernaturale, cùm non poſſit eſſe ſubſtantialis, ſed ſolùm accidentalis, vt in Tractatu de Deo diſp. 15. probatum eſt, non neceſſariò diſtinguitur à forma ſupernaturali quę dat vim proximam operandi ſupernaturaliter: vnum enim idémque I. accidens ſupernaturale vtrumque præſtare poteſt: dare quidem eſſe ſupernaturale, quatenus informando nos ſe nobis ſuúmq. eſſe communicat quod ſupernaturale eſt: dare verò proximam vim operandi, quatenus eſt qualitas operatiua proximè attingens effectum ſuum qui ſupernaturalis eſt.

Inſtabis: priùs ordine naturæ oportet habere eſſe naturale, quàm vim operandi naturaliter: ergo etiam priùs habere eſſe ſupernaturale, quàm vim operandi ſupernaturaliter, ac proinde alia forma eſt qua eſſe ſupernaturale habemus, alia qua vim ſupernaturaliter operandi, ſiue vtraque forma ſit accidentalis, ſiue non. Reſpondeo, negando rurſus conſequentiam, ratio diſcriminis iam allata eſt: ideo enim priùs II. oportet habere eſſe naturale quàm vim proximam operandi, quia iſtud eſſe habemus per formam ſubſtantialem, à qua tanquam à cauſa profluunt proximæ operandi potentiæ: at cùm eſſe ſupernaturale habere poſſimus ab eadem forma accidentali, à qua vim proximam operandi, nihil eſt neceſſe nos priùs habere eſſe ſupernaturale, quàm proximam vim operandi ſupernaturaliter: ſicut quia idem calor dat igni vel aquæ in qua eſt eſſe calidi, & vim proximam calefaciendi, non debet priùs naturâ ignis vel aqua habere eſſe calidi, quàm vim proximam calefaciendi habeat.

Secundum. Gratiam præſupponit charitas, ergo hæc non eſt gratia. Conſequentiæ bonitas euidens eſt. Antecedēs probatur, de ratione virtutis, qualis haud dubiè eſt charitas, eſt vt ſit III. diſpoſitio perfecti ad optimum, ex Philoſopho lib. 7. Phyſ. text. 17. id eſt, bona habitudo qua ſubiectum in aliqua natura perfectum bene diſponatur ad operationes optimas, id eſt, naturæ maxime conuenientes: vnde ſequitur virtutem præſupponere aliquam naturam, cùm de illius ratione ſit eſſe diſpoſitionem ad operationes tali naturæ conſentaneas: ergo charitas præſupponit naturam aliquam, at non quæ ſit ordinis pure naturalis, hoc enim virtutū naturaliū proprium eſt, quę naturam humanam vt humana eſt, & proinde vt eſt merè naturalis ordinis, præſupponunt, cùm inclinent ad operationes tali naturæ, vt talis eſt, congruentes: ergo quæ ſit ſupernaturalis ordinis, creatura autem rationalis in ſupernaturali ordine non eſt niſi per IV. formam aliquam ſupernaturalem, ergo prior in ea erit forma aliqua ſupernaturalis, per quam in ſupernaturali ordine ſit, quàm virtus charitatis, quæ ſanè forma alia non erit quàm gratia gratum faciens.

Reſpondeo primò facilè poſſet, ſi ex tradita à Philoſopho virtutis definitione rectè ſequeretur quod in obiectione concluditur, Philoſophi definitionem ſolis virtutibus naturalibus conuenire, húncque, cùm nullas alias cognoſceret, eas ſolas definiſſe: cæterum de ratione virtutis in genere ſolùm hoc eſſe, vt ſubiectum in quo eſt diſponat ad operationes honeſtas: quod non minùs conuenit charitati, cęteriſque virtutibus ſupernaturalibus, quàm naturalib. Verùm cùm ex illa definitione admiſſa non neceſſariò ſequatur quod in obiectione concluditur, Reſpondeo ſecundò, charitatem quidem cùm ſit virtus preſupponere naturam aliquam, A V. & diſponere ad operationes huic naturæ conformes, ſed nego debere aliā naturam præſupponere ab ea quam præſupponunt virtutes naturales: reuera enim eandem præſupponit naturam rationalem vt rationalis eſt, quam illæ, cùm ſicut hæ, ſic illa diſponat ad operationes naturæ rationali, quà talis eſt, maximè conuenientes. Nec in eo differunt virtutes naturales à ſupernaturalibus, quod illæ naturam ordinis naturalis præſupponere debeant, hæ ſupernaturalis, ſed in eo quòd naturales naturam rationalem ſolùm perficiunt naturaliter, cùm ſint principia operationum duntaxat naturalium: ſupernaturales verò ſupernaturaliter, cùm ſupernaturalium operationum principia ſint.

Tertium. Vel impoſſibilis eſt qualitas aliqua ſupernaturalis faciens hominem formaliter gratum Deo à virtute charitatis diſtincta, vel B VI. non: primum dici non poteſt, quia nulla appareret contradictio ob quam ſit impoſſibilis: ſi ſecundum, iam de facto admittenda eſt, cùm tam ſæpè Scripturæ, Concilia, Patres mentionem gratię faciant, nec ſolùm charitatis. Reſpondeo primò, etſi nulla contradictio ob quam ſit impoſſibilis appareat, non propterea de facto iam admittendam eſſe: cùm enim qualitatem eiuſmodi à charitate diſtinctam habere non poſſimus, niſi Deus ea dare voluerit, vt aſſeramus reipſa dediſſe, nō ſufficit, quòd non videatur impoſſibile Deū eā producere, ſed oportet prętereā vt cōſtet aliquo argumento vel authoritatis vel rationis eum reipſa illam dare voluiſſe, & dediſſe, quod non conſtat, vt ſuprà oſtendimus.

Reſpondeo ſecundò retorquendo argumentum, & quidem efficaciùs: vel eſt impoſſibile VII. gratiam gratum facientem nobis à Deo reipſa iam datam a charitate non diſtingui, vel non eſt: primum dici non poteſt, quia nec vlla appareret contradictio ob quam id impoſſibile ſit: ſi ſecundum, dicendum eſt reipſa non diſtingui, cùm nullum, vt ſupra oſtendi, argumentum habeamus, quo cognoſcere poſſimus, Deum aliam nobis gratiam gratum facientem dare voluiſſe, quàm charitatem. Cæterùm ex hypotheſi quod charitatis habitus, & proinde actus, ſit per ſe ſuáque natura forma tam formaliter ſanctificans, repugnanſque proinde omni peccato mortali, quàm eſt ille gratiæ gratum facientis habitus qui ab aduerſariis à charitate diſtinguitur, vt ex noſtra ſententia reipſa eſt, & eſſe fuſe infrà ad quæſtionem 113. probabitur, dicendum eſt, hunc gratiæ habitum à charitate diſtinctum ex eadem cauſa eſſe impoſſibilem, ex qua videtur ipſis quoque aduerſariis impoſſibilis alius gratiæ gratum facientis habitus, ab eo quem iam dari aſſerunt ſpecie diſtinctus: qui enim alium poſſibilem admitteret, plures & plures in infinitum poſſibiles ſpecie diſtinctos admittere deberet, cùm nulla ſit potior ratio duorum quàm trium, & trium, quàm quatuor, & ita plurium in infinitum. VIII.

DISPVTATIO III.

De gratiæ diuisione.

I. GRatiæ diuisiones aliquot affert & explicat S. Thomas hac prima secundæ quæstione III. circa quam, disputationẽ hanc, & aliquot sequentes instituimus. Diuidi potest gratia generalissimè sumpta primò in increatam seu æternam, & creatam seu temporalem: illa est immanens in Deo volitio gratuita libera, qua nobis donum aliquod conferre decernit, vt prædestinatio: hæc est ipsum donum creatum nobis in tempore à Deo conferendum gratis, aut collatum: quam gratiæ diuisionem adæquatam esse, & essentialem, seu in membra specie differentia, per se notum est. Cæterum cùm gratiæ creatæ nomine intelligi possit omne beneficium nobis a Deo liberali & gratuita voluntate collatum, vt est donum creationis, & cætera prorsus naturalia, hic tamen a Theologis illo nomine solùm intelligitur donum speciale, quod est aut æterna gloria, aut nos ad eam ordinat, & disponit.

II. Atque hoc pacto sumpta gratia diuiditur generaliter in externam, & internam. In externa gratia numerantur miracula, supplicia à Deo de improbis sumpta, præmia iustis in hac vita reddita, concionatoris ad audiendum Dei verbum, sacerdotis ad suscipienda sacramenta copia, bona proximorum exempla, aliaque eiusmodi externa motiua, quatenus vim habent ad nos aut à peccato retrahendos, aut ad bonum impellendos: quæ tamen gratia, quia nec à malo nos retrahere per se, nec ad bonum impellere potest, sine gratia interiùs inhærente, ideo Theologi gratiæ creatæ nomine communiter

III. solam internam intelligunt, de eaque sola hic disputant.

Hæc vniuersè diuiditur in habitualem, & actualem: habitualis est habitus, actualis est actus: quæ diuisio adæquata est, & essentialis: adæquata quidem, quia nulla est interna gratia quæ non sit habitus aliquis aut actus noster, vt ex hac tota de gratia tractatione perspicuum fiet: essentialis verò, quia traditur per membra specie differentia: omnis enim actus ab habitu specie distinguitur, & vice versa. Habitualis autem gratia habitum gratiæ gratum facientis, & omnes infusos virtutum tam Theologicarum quàm purè moralium habitus, complectitur: actualis verò comprehendit omnes actus bonos, quib. aut Deum tanquam finem vltimum attingimus, aut ad eius consequutionem disponimur.

IV. Hæc de gratiæ diuisionibus generalioribus, nunc ad magis contractas & speciales cum D. Thoma veniamus. Articulo ergo primo quæstionis huius III. ait gratiam rectè diuidi in gratum facientem, & gratis datam. Vbi notandum in primis est, S. Doctorem per gratiam gratum facientem intelligere eam quam superiori quæstione docuit esse formam in essentia animæ sedem habentem, à caritatis habitu distinctam, vt interpretes communiter exponunt, & ex solutione ad primum patet. Secundò nomine gratiæ gratis datæ non intelligi quamcunque gratiam nobis a Deo collatam, cùm tamen omnis eiusmodi gratia gratis data dici possit, quatenus liberaliter ex gratuita Dei voluntate confertur, sed eam solam quæ nobis datur ex primaria intentione, non ad nostram, sed ad alienam vtilitatem & salutem procurandam & promouendam. De gratia gratum faciente superiore disputatione diximus. De gratiis gratis datis hæc tantum dicam. Primum, has gratias non esse habitus, sed actus quosdam nostros-aliorum saluti deseruientes, vt est donum prophetiæ quo futura cognoscuntur, & prædicuntur: donum fidei, non illius habitualis quæ in Theologicis virtutibus numeratur, sed certæ actualis, qua firmiter quis credit Deum exempli gratia hoc aut illud miraculum facturum, aut quid simile. Secundum, omnes has gratias, aut saltem præcipuas ab Apostolo fuisse commemoratas primæ ad Corinth. cap. 12. sic scribente: *Aly per spiritum datur sermo sapientiæ, aliy autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, aliy gratia sanitatum, aly operatio virtutum, aliy prophetia, aly discretio spirituum, aliy genera linguarum, aliy interpretatio sermonum.* Tertium, S. Doctorem artic. 4. harum gratiarum naturam & numerum ab Apostolo traditum pulchra ratione colligere, tamque clarè & breuiter explicare, vt clariùs à nobis dici non possit. Quartum est, eundem rectè docere gratiam gratum facientem gratis datis multò esse præstantiorem, tum quia illa cum Deo fine vltimo immediatè perfecteque coniungit, hæ solùm disponunt ad istam coniunctionem: tum quia hæ in hominibus mortali peccato contaminatis esse possunt, illa in solis iustis, cùm formaliter omne lethiferum peccatum expellat.

V. VI. VII.

Ex dictis sequitur primò, gratiam quæ citato articulo 1. est diuisum, esse non habitualem, aut actualem, sed aliam habituali actualique generis instar communem, cùm huius membrum vnum & species sit habitus, alterum actus. Secundò hanc esse diuisionem generis in species, cùm per habitum & actum tradatur, qui semper specie differunt. Tertiò non esse adæquatam: præter has enim gratias dantur & aliæ, quæ ex primaria Dei intentione ordinantur ad eius vtilitatem & salutem cui tribuuntur, vt sunt eæ quibus excitamur ad bene operandum, & disponimur ad iustificationem consequendam.

VIII. Articulo secundo docet idem S. Thomas gratiam rite diuidi in operantem & cooperantem. Articulo tertio in præuenientem & subsequentem. Circa quas diuisiones notandum est primo, his non diuidi membrum aliquod diuisionis articulo primo traditæ, sed gratiam in genere, sicut eodem articulo primo: neque enim vel sola gratia gratum faciens, vel gratis data in operantem & cooperantem, aut in præuenientem & subsequentem diuiditur, vt ex textu perspicuum est.

Secundò, etsi gratia habitualis gratum faciés aliquo sensu, & secundùm eas considerationes quas in textu affert Diuus Thomas, dici possit

operans, & cooperans, præueniens, & subsequens, atque adeo possit in operantem & cooperantem, in præuenientem & subsequentem diuidi, communiter tamen & à Patribus qui de gratia contra Pelagium disputarunt, & à Theologis, his gratiis solam actualem aliquam intelligi, & proinde solius actualis gratiæ esse proprium immediatè in hæc membra distribui.

I. A V.

Tertiò has à D. Thoma gratiæ diuisiones allatas articulo secundo & tertio non esse adæquatas, nec essentiales: non adæquatas quidem, quoniam, vt diximus, in his articulis gratia sumpta in genere non secus ac articulo primo diuiditur, cuius haud dubiè omnes species non afferuntur, cùm præter has sint etiam gratia gratum faciens, & gratis datæ: nec essentiales quoque, quia ex dicendis constabit vnam eandémque non modò specie, sed etiam numero gratiam dici posse vno respectu operantem & præuenientem, alio cooperantem & subsequentem. Est & alia subdiuisio gratiæ operantis seu præuenientis, quæ eadem est, in sufficientem, & efficacem, cuius hîc mentionem non fecit S. Doctor, & de qua nos postea disputaturi sumus.

II. B VI.

DISPVTATIO IV.

De gratia operante, cooperante, subsequente.

SECTIO PRIMA.

Quid sit gratia operans?

III. C VII.

RECTE definitur hæc gratia, quilibet motus tam intellectus quàm voluntatis in nobis à Deo sine nobis productus, quo nos excitat tam ad bonum liberè prosequendum, quàm malum fugiendum. Ita Suarez libro 3. Opuscul. cap. 4. & 5. à Valent. hîc disp. 8. quæst. 3. punc. 3. Vasq. hîc disput. 185. cap. præsertim 6. 7. & 8. communiterque alij. Dicitur primò *motus*, quia non est habitus, sed aliquis actus, vt & constat ex paulò ante dictis, & ex mox dicendis præterea constabit. Dicitur secundò *motus intellectus*, quia reuera intellectus actus est, nempe sancta cogitatio. Constat hoc primùm ex doctrina D. Augustini passim, qua contra Pelagianos & Semipelagianos disputans tanti facit sanctam cogitationem repente sine libertate nostra in nobis exortam, vt cùm nihil credere, sperare, diligere, aut velle possimus, nisi priùs cogitatum, in ipsa statim cogitatione Christi gratiam agnoscat, & inde concludat efficaciter initium nostræ salutis non ex nobis esse, sed ex Deo, vt prima parte tractans de Deo fusiùs docui, dum disput. 38. de prædestinatione agerem. Quòd si hæc cogitatio gratia Dei est per Christum, certè non alia erit quam operãs: non enim est cooperans, aut subsequens, quæ semper comitantur aut subsequuntur nostrum actum seu consensum liberum, cùm tamen illa cogitatio eum antecedat, vtpote quæ ad liberè consentiendum voluntatem inuitat.

IV. D VIII.

Constat deinde ex Conciliis Arausicano II. can. 7. & Tridentino sess. 6. c. 5. quæ operantem gratiam de qua loquimur *illuminationem* appellant, quo illuminationis nomine actum aliquẽ intellectus certissimè intelligunt. Constat insuper ex aliis eiusdem gratiæ appellationib. quas Ecclesiastici scriptores passim vsurpant, nominatímque ex iis quibus modò excitatio, modò gratia excitans, modò admonitio dicitur. Nam & voluntas quæ torporis aut peccati somno tenetur, excitari non potest nisi præuia aliqua actuali boni prosequendi seu mali fugiendi cogitatione, & admonitio ad facultatem intelligentem pertinet, eiusq. proprius actus est: quo admonitionis nomine gratiam illam vocauit S. Aug. lib. 83. quæst. in 68. & lib. de spiritu & litera c. 34. Cyrillus quoque lib. 4. in Ioan. c. 6. & Bernardus Opusculo de gratia & libero arbitrio, & libro de interiori domo cap. 68. vbi ait *in nobis manere quidem ad quærendam salutem arbitrij libertatem, sed admonente priùs Deo, & inuitante ad salutem.* Quod totidem verbis dixerat antea auctor lib. de Ecclesiasticis dogmatibus apud Augustinum cap. 21.

Accedit deniq. in eiusdem veritatis confirmationem testis experientia, qua quilibet hominũ certissimè experitur aliquando occurrere sibi repentinas præter omnẽ animi deliberationem cogitationes de vita meliùs instituenda, de peccato relinquẽdo, de bono aliquo prosequẽdo, voluntatem ad id excitantes & impellentes, & nonnunquam nõ mediocriter, quas dubiũ non est ad aliquam Dei gratiam pertinere, nec ad aliam quàm operante, cùm nõ ad cooperantem, aut subsequẽtem, ob allatã superiùs rationem.

Dicitur tertiò *motus voluntatis*: comprehẽdit enim gratia operans nõ solas sanctas cogitationes, sed etiã repentinos nostræ voluntatis actus terroris, delectationis, tristitiæ, & similes, vt cõstat in primis ex citato can. 7. Concilij Arausicani secundi, quo definitur *neminem Euangelicæ prædicationi posse consentire absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnib. suauitatem in credendo, & consentiendo veritati.* Vbi Concilium illuminationi quæ actus intellectus est, inuitanti ad credendum & consentiendum veritati, adiungit suauitatem ad idem inuitantem, quæ facultatis appetitiuæ seu voluntatis actus est.

Cõstat deinde ex S. Augustino multis locis, vt Tractatu 26. in Ioan. satis post initium, vbi explicans hæc Christi verba, *Nisi Pater meus traxerit eum*, ait hanc tractionem fieri absque vlla vi, quia voluntas suauitate & voluptate ad cõsentiendum trahitur, iuxta istud Poetæ quod allegat: *Trahit sua quemque voluptas.* Libro item primo ad Simplicianum quæst. 2. vbi sub finem scribit, animum, si non occurrat ei quidpiam quod ipsum delectet & inuiter, moueri nullo modo posse, hoc autem vt occurrat, non esse in hominis potestate: quod proinde cùm omnem eius deliberationem & industriam antecedat, spectat ad præuenientem, seu operantem, quæ eadem est, Dei gratiam. Libro similiter secundo de peccatorũ meritis cap. 17. vbi sic primùm lo-

quitur: *Nolunt homines facere quod iustum est, sine quia latet quod iustum sit, siue quia non delectat:* tum paucis interpositis adiungit. *Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratia Dei est.* quam delectationem, dum est ad impetrandum voluntatis consensum efficax, *victricem delectationem* nuncupat
I. eiusdem libri cap. 19. quam & dicit iustis nonnunquam subtrahi, *vt*, inquit, *cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem qua illuminantur tenebræ eorum, & suauitatem, qua dat fructum suum terra eorum.*

Constat denique ex Prospero, vt alios Patres omittam, qui libro secundo de Vocatione Gentium cap. 26. ad præuenientem seu operantem Dei gratiam pertinere ait terrores, & affectus quosdam suscipiendæ fidei, qui voluntatis actus sunt. Qui præterea libro contra Collatorem cap. 6. scribit Deum trahere infidelem ad fidem *illuminatione & obediendi delectatione in ipso generata.* Quos delectationis, terroris, & similes indeliberatos voluntatis motus, excitatos media illa cogitatione & illuminatione quam Deus in intellectum immisit, & hominem
II. ad bonum liberè prosequendum malumque fugiendum excitantes ac inuitantes, vt certissima testis experientia est, ad operantem Dei gratiam pertinere, non ad cooperantem, aut subsequentem, eadem ratione constat, qua idem de prædicta illa cogitatione & illuminatione probauimus.

Dicitur quartò motus illos intellectus & voluntatis in nobis à Deo produci, quia reuera Deus illos in nobis efficit, non solum quatenus in eos influit per veram actionem physicam, sed & quia soli Deo tribuendum est quod in nobis exorti sint, cùm in nostra potestate non fuerit eos habere, & ex sola gratuita Dei erga nos misericordia ita prouidente & disponente factum sit vt reipsa exorirentur. Hinc est
III. quod Scripturæ, Concilia, & Patres illos motus soli Deo tribuunt, nullo modo nobis, 2. ad Timotheum 1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra*: vocatio enim diuina, omnium Conciliorum, Patrum, Theologorúmq; communi consensu, prædictis sanctæ cogitationis & affectionis motibus in intellectu & voluntate repente exortis continetur.

De his motibus loquens Concilium Arausicanum II. can. 20. qui est apud D. Augustin. lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. sic ait: *Multa in homine bona dicuntur fieri quæ non facit homo.* & can. 9. sic definit, *Quoties enim bona operamur, Deus in nobis, atque nobiscum operatur.* Vbi notandum est bis tribui Deo operari, semel nobis: nobis quidem, cum reipsa
IV. vocationi diuinæ consentientes volumus id ad quod volendum sumus à Deo excitati, tuncque Deo cooperari dicimur: semel verò Deo, cum nobis liberè vocationi consentientibus cooperatur, cooperari enim non potest nisi operando: & hæc diuina cooperatio significatur his Concilij verbis, *nobiscum operatur*, & tunc solùm est dum nostra ei coniungitur: iterum autem Deo tribuitur operari, cùm operatur in nobis sanctam cogitationem, & repentinum motum voluntatis, vt velimus, id est, in eum finem, vt ei vocanti, per consensum liberum respondeamus: hæcque operatio, quæ est gratia operans, priùs saltem natura est, & sæpè tempore priùs quam velimus, quia nos excitat vt velimus, nec semper statim volumus ac excitati sumus: eadémq; operatio soli Deo tribuitur, non nobis, his Concilij verbis, *Deus in nobis*, supple operatur: quod verbum licet semel positum sit, bis tamen intelligendum est, semelque coniungendum cum particulis istis, *in nobis*, iterùm verò cum vocabulo *nobiscum*. V.

Ita etiam S. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio cap. 17. cùm sic de Deo ait: *Vt velimus*, id est, in eum finem vt velimus, *sine nobis operatur*, id est, gratia sua præueniente nos excitat ad volendum, *cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum operatur, tamen sine illo operante vt velimus, & cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Vbi Deũ bis quoque operari dicit, vt patet, primamque Dei operationem, quæ significatur his verbis, *sine nobis operatur*, & iterum istis, *sine illo operante vt velimus*, éstque gratia Dei operans, ita Deo tribuit, vt in illa Dei operatione nullam nostri
VI. faciat mentionem, quia nimirùm eam ipsi soli concedit, cùm tamen secundæ eius operationi, quæ denotatur his verbis, *nobiscum operatur*, istis quoque, *vel cooperante cùm volumus*, adiungat nostram cooperationem, significatam verbis his, *cùm volumus*.

Et clarissimè lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. verbis istis: *At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quòd benè volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur*: est autem, vt suprà monui, vocatio idè penitus quod gratia operans, ergo gratia hæc non nobis, sed soli Deo tribuenda est: qua in quæstione, cùm sic idem S. Pater de Deo loquitur, *vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo*, non est sibi
VII. contrarius, suisque verbis his paulò antè relatis, *vt velimus sine nobis operatur*: quia his particula *vt* causam finalem significat, illis autem pro *quod* ponitur: vnde cùm horum verborum, *Vt velimus sine nobis operatur*, sensus sit, Deum solum dare gratiam operantem seu vocantem, sed in eum finem dare, vt velimus, sensus illorum aliorum, *vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum*, hic est, quòd velimus, id est, quòd illi vocanti per cõsensum liberũ respondeamus, non soli illi sed nobis quoque esse tribuendum: quod verissimũ est, cùm consensus noster liber, eo ipso quo liber est, nobis tribui debeat, sed nihil habet prioris sententiæ repugnans, vt patet.

Dicitur quintò præfatos intellectus & voluntatis motus in nobis sine nobis fieri, non vt
VIII. existimauit Vega lib. 6. in Trident. cap. 8. quod Deus solus ad eorum in nobis productionem physicè concurrat, intellectus autem & voluntas hominis merè passiue in iis recipiẽdis se habeant, sed quia fiunt in nobis physicè quidem & vitaliter in eos influentibus in genere causæ efficientis, sed sine libertate operantib. Quod hi motus fiant sine nostra libertate, patet & experientia, qua constat in nostra potestate non esse ne hi motus sæpe exoriantur, licet postea liberũ nobis sit, cũ eos aduertimus, ipsos vel cõtinuare,

vel interrumpere. Constat & ex Conciliorum Patrumque iam citatis testimoniis, & præterea ex D. Gregorio lib. 16. Moral. cap. 10. aliàs 11. ex Hieronymo Dialogo 3. contra Pelagium, ex Augustino libro 1. ad Simplic. quæstione 2. & sæpè alibi, ex Prospero libri 2. de vocatione Gentium cap. 26. Denique ex Anselmo in illud primæ ad Cor. 15. *sed gratia Dei mecum*: quorum verba non refero, partim quia refert Vasq. disp. 185. c. 6. & 7. partim quia superiùs à nobis ex Conciliis & Patribus relata sufficiunt.

I. Iam verò quòd iidem motus fiant à nobis efficienter & physicè, cõstat ex eo quòd aut dicendum est omnes & singulos motus primò primos in nobis fieri sine nobis ad eos efficienter concurrentibus, aut id de prædictis motib. non est negandum. Constat enim experientia non aliter nos habere, cùm hi motus gratię operantis concitãtur in nobis, quàm cùm alij motus primò primi: quare si nemo negat hos à nobis efficienter & physicè fieri, non est quod à quoquã idem de illis motib. negetur. Deinde cùm in intellectu & volũtate sit aliqua vis effectiua physica ad illos motus efficiendos, quod Vega non negat, & negare nemo potest, quandoquidem nihil aliud sunt quàm cogitatio & volitio aliqua: certè tantum miraculum, quòd nimirum sine nobis effectiuè concurrentibus fiant, sed à solo Deo, asserendum non est sine forti ratione, at nulla nisi debili Vega nititur.

II. Nam quod ait S. Augustin. & Concilium Arausican. II. sæpè dum gratiam operantem describũt, dicere esse illam quam Deus in nobis sine nobis operatur, non est intelligendũ prout intelligit, quasi *sine nobis* idem significet ac sine nobis physicè & effectiuè concurrentibus: id enim reuera non significat, sed solùm, sine nobis libere agentibus: quæ enim à nobis & per nos physicè ac efficienter fiunt, rectè dicuntur fieri sine nobis, quando sine nostro libero concursu

III. fiunt, quia cùm proprium sit hominis, vt homo est, esse agens liberum, & hoc solo distinguatur ab agentib. naturalibus seu necessariis, rectè operationes illæ quæ non fiunt ab ipso liberè, dicuntur non fieri ab homine, & proinde sine homine, quatenus scilicet homo est. Et ita loquutus est Apostolus ad Rom. c. 7. de motib. primò primis appetitus, sic inquiens: *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, id est, concupiscentia, quæ cur peccatum dicatur alibi exposuimus.

Nec maiorem vim habet quod ait citatum Concilium can. 20. dicere, multa scilicet bona in homine fieri quæ non facit homo: hæc enim postrema verba eodẽ prorsus modo intelligenda sunt, quo hæc S. Augustini, *Deus in nobis sine nobis operatur*, exposuimus. Denique nullius

IV. momenti est, quòd hi motus non tribuantur homini, sed soli Deo: licet enim homini tribui possint vt causæ efficienti necessariò agenti, sicut eidem tribuuntur, vt causæ materiali eos recipienti, soli tamen Deo rectè tribuuntur, quia in potestate hominis non est vt exoriãtur, & quòd exoriantur ex sola speciali Dei erga homines prouidẽtia & misericordia proficiscitur.

Hinc refutatur opinio Cõradi, Caietani, aliorũmq. recentiorum S. Thomæ interpretum ad art. 2. quæst. 111. qui gratiam operantem consistere dicunt in primo motu voluntatis circa finem, etiam libero, qui nihil aliud est quàm intentio ipsius finis, ex quo mouetur voluntas ad electionem mediorum, & ad exercitium actionis exterioris, & in hac electione atque exercitio gratiam cooperantem primò reperiri. Reuera enim hæc sententia nec rationi conformis est, V.
A nec doctrinæ Conciliorum & Patrum: rationi quidem, quia, vt suprà probatum est, de ratione gratiæ operantis, vt operans est, & à cooperante distinguitur, est, vt fiat in nobis, sine nobis, non quidem physicè nihil agentibus, sed sine libertate concurrentibus: at primus ille motus voluntatis circa finem fit in nobis, & physicè & liberè operantibus, vt etiam ij quos impugnamus docent.

Nec satisfacit eorum responsio, dum dicunt illud in nobis fieri sine nobis, ad quod efficienter quidem & liberè concurrimus, sed non ex præuio aliquo actu libero voluntatis, qualis est primus ille motus liber circa finem, ad quem exercendum voluntas non se mouet vi
B præcedentis alterius actus liberi, quòd tunc VI.
tantummodo homo proprie se moueat & applicet ad operandum, & proinde operetur quatenus homo est, quando ex vna volitione libera & vi eius gradum facit ad exercitium alterius liberæ volitionis, aut externi operis. Non, inquam, satisfacit, quia falsum est quod supponunt, nempe illud solum propriè ab homine quatenus homo est fieri, quod fit ab ipso vi alicuius præcedentis actus liberi: verè enim homo tunc agit vt homo est, & se mouet ad agendum, quando eo modo agit qui proprius homini est, quatenus homo est, & à cæteris agentibus naturalibus distinguitur: at quotiescunque liberè agit, eo modo agit, qui proprius est homini quatenus homo est: sicut enim hominis ita considerati nihil magis proprium est quàm ratio & libertas, ita illius sic
C spectati nulla magis propria operatio est, VII.
quàm quæ fit cum libertate & aduertentia rationis: ergo cùm primus ille voluntatis circa finem motus sit liber, ex consensu etiam aduersariorum, homo propriè dicitur illum facere vt homo est, & ad illum se mouere: non poterit ergo dici fieri in homine, sine homine quatenus homo est, quod tamen de omni actione quæ propriè gratia operans est, dicendum est, vt ex antè dictis constat.

Confirmatur: primus motus liber voluntatis circa finem peccatum esse potest, quia cùm liber sit, æquè in malum ac in bonum finem tẽdere potest: ergo ad primum motum liberũ voluntatis circa finem homo se mouere potest, eúmque operari quatenus homo est. Probatur hæc consequentia: nullus enim est peccati actus
D quem homo non dicatur facere quatenus ho- VIII.
mo est, ad eúmque se mouere.

Iam verò quòd eadem sententia doctrinæ Conciliorum, Patrúmq. minimè sit conformis, perspicuũ est ex suprà citatis eorũ testimoniis, ex quib. constat eos agnoscere gratiã operãtem in ipsa bona cogitatione, & bono motu voluntatis antecedente nostrum consensum liberũ, & ad hunc eliciendum excitante: cooperantẽ verò gratiam agnoscere in hoc ipso libero consensu: quod verum non esset, si gratia operãs admittẽ-

da tũ solùm esset, cùm est hic noster consensus: gratia verò cooperans, cùm medium aliquod ex præuia finis intentione eligimus, aut actum aliquem externum exercemus.

Neque nobis obiiciatur authoritas D. Thomæ citato artic. 2. reuera enim noluit asserere aliam non esse gratiam operantem quàm primum illum motum liberum circa finem, aut hunc ad illam gratiam ita pertinere, vt nullo modo pertineat ad cooperantem, & hanc primò reperiri in electione mediorum ad finem, aut in exercitio operis externi: sed tantùm docuit isti primo motui libero circa finem conuenire rationem aliquam gratiæ operantis, ob similitudinem quam habet cum hac gratia: sicut enim hæc fit in nobis sine nobis, eo sensu quo suprà exposuimus, & præterea excitat ad aliquem vlteriorem actum liberè exercendum, sic primus ille motus circa finem fit in nobis sine nobis aliquo sensu, id est, nobis nos minimè mouẽtibus per præcedentem actum liberum, & præterea excitat ad vlteriorem aliquẽ actum liberum eliciendum, quatenus mouet ad electionem mediorum, & ad opus externum efficiendum.

Denique in definitione dicitur, Deum per sanctam cogitationem & motum indeliberatum voluntatis excitare nos ad bonum liberè prosequendum, aut malum fugiendum: quod certissimum est. Excitat quidem, quia ipsa gratia operans est incitatio aliqua & impulsio per modum exhortationis & consilij, vnde etiam excitatio seu gratia excitans communiter dicitur: ad malum verò fugiendum, aut bonum prosequendum, quatenus in eum finem à Deo datur: liberè denique, quia de fide est, constatque ex Conciliis & Patribus passim gratiam operantem non inferre necessitatem nostræ voluntati, sed in eius libera potestate esse gratiæ illi vel acquiescere, vel resistere.

SECTIO II.

Quid sit gratia cooperans?

IAM quod ad cooperantem gratiam attinet, sex sunt de quibus quæri potest, an huius gratiæ rationem obtineant: primum Deus: secundum habitus: tertium qualitas aliqua, quæ nec sit noster actus nec habitus: quartum gratia operans: quintum influxus quo Deus ad nostros actus concurrit: sextum ipse noster actus, vt est tum nostri, tum diuini influxus terminus: rem totam totidem assertionibus definiemus.

Prima assertio. Etsi Deus aliquo sensu dici possit gratia cooperans, simpliciter tamen loquendo non est. Prima pars constat partim ex eo quòd nomen gratiæ Deo potest tribui, vt de facto tribuitur, dum gratia generalissimè sumpta in increatam & creatam diuiditur: partim ex eo quòd Deus cooperatur nobis per modum principij extrinseci efficienter influentis nobiscum ad operationes nostras supernaturales, & quidem influxu non solùm generali causæ primæ, sed etiam speciali, quo potentiam nostram obedientialem actiuam adiuuat ad supernaturalem effectum producendum.

Secunda pars probatur, tum quia si vt simpliciter Deus dicatur gratia cooperans, sufficit quòd sit principium efficienter nobiscum concurrens ad supernaturales nostras operationes, pari iure, imò potiori, dici poterit gratia operans, (cùm tamen nunquam dicatur) quia est principium effectiuum in nobis sine nobis sanctæ cogitationis, & motus indeliberati in voluntate, excitantis nos ad liberè & bene operandum: tum quia cùm de gratia vel operante vel cooperante in hac materia simpliciter loquimur, non alio eam modo sumere debemus, quam quo Concilia, Patres & Theologi hactenus sumpserunt: at hi semper eam pro effectu aliquo creato acceperunt: Idque patet ex Concilio Arausicano secundo, can. 4. vbi gratiam infusionem & operationem Dei in nos appellat: & ex Tridentino sessionis 6. cap. 5. in quo dicitur hominem à Deo moueri, vt per eius excitantem & adiuuantem, seu, quod idem est, cooperantem, gratiam se disponat ad iustitiam accipiendam: quibus verbis manifestè Concilium nomine gratiæ excitantis seu operantis, & adiuuantis seu cooperantis quidpiam à Deo distinctum intelligit. Denique ex S. Augustino lib. 1. de Prædest. Sanctorum, cap. 10. vbi constituit discrimen inter prędestinationem & gratiam, quòd illa sit æterna gratiæ præparatio, hæc verò ipsa in tempore facta donatio: quo loco donationem rei nobis ab æterno per prædestinationem decretæ vocat gratiam, quæ res haud dubiè quidpiam creatum est: quod clarissimè indicat ibidem, cùm expresse ait gratiam esse ipsius prædestinationis effectum, Deus enim prædestinationis effectus esse non potest.

Secunda assertio. Supernaturalis habitus numerari rectè potest in gratiis cooperantibus, aliquid tamen aliud præterea quod cooperantis gratiæ rationem habeat admittendum est. Prima pars probatur: illud enim rectè gratia cooperans dicitur, quod est donum aliquod supernaturale, ortum habens vel mediatè vel immediatè ex pura Dei misericordia, & efficienter concurrens vel physicè vel moraliter ad operationes nostras supernaturales, quas vt eliceremus, gratia Dei operante præuenti & excitati sumus, habitus autem supernaturalis talis est, vt nullo negotio intelligi potest ex iis quæ hactenus hoc Tractatu de gratia dicta sunt. Aduerte autem me dixisse, *vel physicè, vel moraliter*, non quòd dubitem supernaturales habitus, vt fidei, spei, & similes, esse causas efficientes physicas suorum actuum, sed vt significem gratiam gratum facientem, si ab habituali caritate distinguitur, adhuc posse numerari inter gratias cooperantes, quia licet physicè nihil influat in supernaturales actus, vt pote qualitas ex essentia sua non operatiua, moraliter tamen in eos influit valorem & dignitatem qua digni sunt præmio augmenti gratiæ & gloriæ, qua dignitate carerent, si sine prædicta gratia exercerentur.

Secunda pars probatur, quia Patres in Conciliis, aut scriptis suis contra Pelagium, de gratia tam cooperante, quàm operante disputantes, nunquam hanc vel illam pro habitu sumpserunt. Ratio est, quia gratiam eo modo sumere debebant, quo Pelagius qui eam negabat,

vt ipsum erroris conuincerent: hanc autem ille pro habitu non accipiebat, sed pro actualibus gratiæ auxiliis, vt patet ex epistola S. Augustini 105. Quare cùm Concilia & Patres aliam gratiam cooperantem quàm supernaturalem habitum agnouerint, certum esse debet, aliquid
I. aliud præter hunc habitum habere rationem A gratiæ cooperantis.

Tertia assertio. Gratia cooperans non est qualitas aliqua, quæ nec sit habitus, nec noster actus, media inter gratiam operantem & consensum nostrum liberum. Est contra Gregorium in 2. distinct. 28. art. 3. ad 12. argumentum, admittétem talem qualitatem, quam cùm neget esse aliquem actum nostrum, ideo negat esse habitum, quia naturæ est non permanentis, sed transeuntis cum actu nostro, cuius exercendi causa nobis à Deo infunditur, eamque vocat impulsum quendam & applicationem ad libere bene operandum. Hanc opinionem impugnat Scotus in 2. dist. 37. quæst. 1. §. *Ad solutionem istorum*: & in 4. dist. 49. quæst. 6. §. *Dico ergo*, aliíque multi: quæ reiicitur etiam à
II. nobis, primò quia qualitas ista superflua est, B posita enim gratia excitante, id est, pia cogitatione in intellectu, & motu indeliberato in voluntate, potest sequi consensus liber voluntatis absque vlla intermedia qualitate.

Secundò, quia qualitas ista vel habitus quidam est, vel eripit libertatem, cùm tamen vtrumque neget Gregorius: vel enim talis est, vt ea posita voluntas non possit non consentire, vel adhuc libera est vt consentiat aut non consentiat. Si primum, euertitur libertas: quoties enim aliquid fit vel in homine vel extra, independenter ab eius libero arbitrio, quo facto non potest non sequi operatio aliqua ipsius, ea summè necessaria est: hoc autem hîc accideret, poneretur enim in voluntate hominis
III. aliqua qualitas independenter ab eius libero C arbitrio, quia non potest voluntas efficere vt qualitas ista ponatur, vel impedire ne ponatur, cùm id totum pendeat ex libera Dei voluntate, & hac qualitate posita non posset voluntas non consentire. Si secundum, nihil erit causæ cur dicatur ista qualitas esse transiens, & non habitus: si enim hac qualitate posita voluntas potest consentire & non consentire, ergo hæc qualitas natura sua prior est operatione voluntatis, & ab ea independens, potéstque esse in eo qui reipsa nō cooperabitur. Quod si ita est, certe non potest esse talis naturæ, vt transire cum voluntatis actu debeat, cùm possit esse in eo qui potest non elicere actum, imò forte reipsa non eliciet: vnde proprie erit habitus: tum quia si non sit natura sua fluens, & cum actu transiens, erit natura sua permanens: tum quia
IV. subiicietur quoad vsum liberæ potestati volun- D tatis, eaque voluntas vtetur ad operandum si & quando voluerit, quod est proprium habituum in voluntate sedem habentium.

Tertiò, quia repugnat ista qualitas doctrinæ sanctorum Patrum: illius enim assertores dicunt neminem sine ea posse Deo vocanti consentire, vnde sequitur sanctam cogitationem intellectus, & motum indeliberatum voluntatis à Deo immissum non dare vim sufficientem homini ad consentiendum Deo vocāti: at contra Patres tantā in ea cogitatione & motu vim esse asserunt, vt possit à nobis elicere cōsensum, & sæpè reipsa eliciat. Hi autem sunt Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 26. Anselmus in illud 1. ad Corinth. 15. *Sed gratia Dei mecum.* Bernardus Opusculo de gratia & libero arbitrio, non procul à fine, Augustinus epistola V.
107. post principium, & libro primo de prædestinatione Sanctorum cap. 19. quorum testimonia ad verbum refert Vasquez disput. 185. cap. 6. & 7.

Proferam ego vnum aut alterum ex huius sancti Patris lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. in qua sic in primis de Deo loquitur: *Vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo*: quibus verbis explicans qua ratione Deus causa sit vt velimus, id est, quod ipsi vocanti consentiamus, nihil aliud ex eius parte adfert quàm vocationem. Post quæ verba paucis interiectis ait, non ob aliud dictum esse ab Apostolo, *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei*, quam quia vocatio bonam voluntatem præcedit, cùm tamen etiam
ratione intermediæ illius qualitatis quam VI.
Deus imprimeret, quáque voluntatem ad consensum applicaret, id, & quidem præcipuè, dicendum esset, si qualitas ista admitti deberet. Eius hæc verba sunt: *Nam si propterea solùm dictum est*, ab Apostolo scilicet ad Rom. cap. 9. *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit vt iuste rectèque viuamus, nisi adiuuetur misericordia Dei, potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur: At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur: illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus: si enim Deus miseretur, etiam volumus: ad eandem quippe misericordiam*
pertinet, vt velimus. *Deus enim est qui operatur* VII.
in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nam si quæramus vtrùm Dei donum sit bona voluntas, mirum si negare quisquam audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quòd bene volumus, nobis verò tribui non potest quòd vocamur. Non igitur ideo dictum est putandum, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potiùs, quia nisi eius vocatione non volumus.

Nec obiiciatur nobis idem Diuus Augustinus ibidem, & libro de gratia & libero arbitrio cap. 16. & sequenti: his enim & aliis locis quibus consimili modo loquitur, non agnoscit aliud in nobis initium boni operis, id est, VIII.
consensus nostri liberi, quàm gratiam vocationis: nec aliam ob causam tribuit Deo quòd ipsi vocanti consentiamus, quàm ob hāc, quòd nimirum ad hunc consensum nos impellat per ipsam gratiam vocationis, quam sensu superius explicato ipse in nobis sine nobis operatur, & quæ gratia, vt sæpe iam dixi, sola sancta intellectus cogitatione & indeliberato voluntatis motu continetur.

Quarta assertio. Gratia operans habet ali-

quando veram rationem gratiæ cooperantis, tunc scilicet quando sic allicit voluntatem ad consentiendum vt reipsa consentiat. Probatur primò, gratia quæ efficienter, siue physice, siue moraliter, causat consensum nostrum liberum, est gratia cooperans: atqui talis est aliquando gratia operans, ergo etiam aliquando est gratia cooperans. Maior certa est, ad cooperantem enim gratiam nihil ampliùs requiri potest, quàm vt sit gratia, & nobiscum operetur, operatur autem nobiscum quando nobis consentientibus, & proinde consensum operantibus, eundem etiam consensum efficienter causat. Minor probatur, primo enim gratia operans, vt satis ex antedictis liquet, vera gratia est, præterea causat consensum nostrum liberum, quia omnis impulsio, exhortatio, incitatio, vi cuius voluntas sic allicitur ad aliquid liberè volendum, & faciendum, vt reipsa velit, & faciat, est causa moralis efficiens ipsius volitionis, & operis quod fit. Hinc enim appetitus sentientis motus inordinatos rationem præuenientes, & ad peccatum allicientes, hinc suggestiones dæmonis, hinc consilia & suasiones hominis alium ad bonum aut malum opus impellentis causas peccati vel boni operis esse dicimus, quando iis motibus, suggestionibus, consiliis, voluntas liberè consentiens bene vel male operatur: certum autem est, & ex supradictis constat, gratiam operantem esse veluti consilium, admonitionem, impulsum, quo Deus nos ad bonum opus liberè volendum & faciendum impellit.

I. A

II. B

Probatur secundò authoritate S. Augustini consensum nostrum liberum gratiæ operanti tanquam causæ eum efficienti ascribentis, & per eam Deo: si enim hæc est illius causa efficiens, erit haud dubiè, vt antè ostendi, gratia cooperans. Sic enim habet lib. 1. de prædest. Sanctorum cap. 19. circa medium: *Nec quia credimus, sed vt credamus vocamur: atque illa vocatione quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur & peragitur, vt credamus.* Et in fine: *Deus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum vt non inaniter audiant, sed eo audito conuertantur.* Libro autem de dono perseuer. cap. 16. sub finem de gratia præueniente, quæ eadem est cum operante, sic scribit: *Præuenit ergo & fidem gratia, alioqui si fides eam præuenit, procul dubio præuenit & voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse: si autem gratia præuenit fidem, quoniam præuenit voluntatem, profectò præuenit omnem obedientiam*) id est omnem bonam liberam hominis voluntatem) *præuenit etiam caritatem, qua vna Deo veraciter & suauiter obeditur, & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cuius hæc omnia præuenit, operatur.* Denique libri de gratia & libero arbitrio cap. 17. vt multa eius alia testimonia omittam, sic de Deo loquitur: *Vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo.* Vbi particula, *vt*, significare non potest causam finalem, sed idem valet atque *quod*, vt iam suprà monuimus, & constat ex sequentibus verbis, *suum esse voluit*, &c. iis enim significatur aliquod velle esse nostrum, & Dei pariter, idemque subsequi vocationem diuinam tanquam causam, aliud autem non est quàm actualis illa volitio quam exercemus & Deus nobiscum, & qua liberè vocationi illi consentimus.

III. C

IV. D

Quo loco duo aduertenda sunt. Primum est, me non agnoscere alium influxum gratiæ operantis in consensum nostrum liberum, quàm moralem: physicum enim quem aliqui ipsi concedunt non recipio, quia gratia operans est actus partim intellectus, partim voluntatis, consensus verò noster liber est semper actus voluntatis, actus autem intellectus nullam habet efficientem vim physicam in voluntatis actum, & vnus voluntatis actus in alium, vt ex Philosophia præsuppono. Secundum est, etsi dicam eandem gratiam esse operantem, & cooperantem, me tamen hæc duo non confundere, quasi sit idem esse gratiam operantem, & cooperantem: volo enim tantùm eandem entitatem gratiæ dici nunc posse operantem, nunc cooperantem, varia consideratione: operantem quidem, quatenus est gratia quam Deus in nobis sine nobis operatur, vim habens in actu primo efficiendi consensum liberum nostræ voluntatis, siue eum efficiat in actu secundo, siue non: cooperantem vero, quatenus reipsa moraliter in eum influendo ipsum simul nostra cum voluntate causat & efficit.

V.

VI.

Quinta assertio. Influxus supernaturalis, quo Deus physicè nobiscum concurrit ad consensum nostrum liberum, est vera gratia cooperans. Probatur primo, illud est proprie gratia cooperans quod est donum Dei gratuitu per quod Deus nos adiuuat ad agendum, & nobiscum agit: atqui prædictus Dei influxus talis est: cùm enim sit supernaturalis, nec proinde naturæ nostræ debitus, gratuitum Dei donum est: per ipsum etiam Deus nos ad agendum adiuuat, & nobiscum agit, quia influxus iste actio Dei est, à qua formaliter agens denominatur, cui cùm actio nostra coniungatur, fit vt per eam nobiscum agat, sicut per nostram nos illi cooperamur.

VII.

Probatur secundò, supernaturalis ille Dei influxus gratia aliqua est, vt modò ostendimus, ergo vel operans, vel cooperans, vel subsequens, nulla enim alia est species gratiæ internæ actualis: non operans, quia hæc nostrum consensum antecedit, hic verò non antecedit etiam natura, vt nec in effectis naturalibus actio Dei actione causæ secundæ prior est: non etiam subsequens, cùm non sit posterior nostro consensu, sed eum comitetur, vt etiam in naturalibus effectis actio Dei non est actione causæ secundæ naturâ posterior, ergo est cooperans.

VIII.

Sexta assertio. Consensus noster vt terminus actionis tam nostræ quàm diuinæ dici proprie non potest gratia cooperans, si comparetur cum gratia præueniente & adiuuante vi cuius factus est. Ratio est, quia sic spectatus est proprie effectus gratiæ operantis & cooperantis, non verò gratia cooperans, cùm nec per modum principij efficientis physicè vel moraliter, nec per modum causalitatis seu actionis formaliter quidquam causet & efficiat. Dixi, si comparetur, &c. Nam si conferatur cum aliis nostris liberis actibus qui eum subsequi possunt, habere potest rationem aliquam gratiæ & operantis, & cooperantis, quatenus antecedit eos actus, mouétque sæpe & allicit voluntatem ad

eos eliciendos, cuius hæc natura est, vt ex vna volitione sæpe moueatur in alteram, vt ex intentione finis in electionem mediorum, in quo relucet aliqua ratio gratiæ operantis, sicque reipsa mouet & allicit eam aliquando, vt vi eius de facto ipsa eos eliciat: quod dum accidit, sanè influit in eos moraliter modo assertione 4. explicato, & sic habet rationem gratiæ cooperantis. I.

SECTIO III.

Quid sit gratia subsequens?

NOTANDVM nomine subsequentis gratiæ intelligi gratiam aliquam internam, & actualem: internam, vt excludatur externa, qualis est ea qua Deus peculiari sua prouidentia remouet impedimenta quæ occurrere possent, & quibus bonum nostrum de re aliqua facienda propositum debilitari aut frangi posset: vel qua præbet opportunitatem implendi boni operis quod iam desiderio concepimus: actualem verò, quia sic eam acceperunt olim Concilia & Patres contra Pelagium de gratia disputantes: eam enim de qua cum illo contenderunt, diuiserunt in operantem, cooperantem, & subsequentem: at de habituali cum eo non disputarunt, vt constat ex S. Augustini epistola 105. quia eam hæreticus ille non negabat, sed de actuali interna quam non admittebat. II.

Prima assertio. Gratia subsequens nihil in re differt ab operante vel cooperante. Probatur, omnis gratia actualis interna in re est operans, vel cooperans: ergo gratia subsequens, quæ est interna aliqua actualisque gratia, nihil in re differt ab operante vel cooperante. Consequutio euidens est. Probatur antecedens, tum quia omnis gratia actualis interna est actus noster, qui aut fit in nobis à Deo vt velimus, id est, in eum finem vt velimus, & libere consentiamus, & sic est operans, vt ex antè dictis constat: aut cùm volumus, seu cùm libere operamur, & sic est cooperans, vt etiam ex suprà dictis certum est. Tum quia omnis interna gratia actualis, cum sit aliquis noster actus, aut fit in nobis sine nobis, non quidem physicè, sed libere concurrentibus, aut non: si primum, est gratia operans, vt ex eius definitione suprà explicata patet: si secundum, ergo fit in nobis non sine nobis, sed cum nobis libere concurrentibus, in eo autem omni reperitur gratia cooperans, cùm ex doctrina Patrum & Conciliorum antè relata nihil agere possimus libere ad salutem aliquo modo conducens, sine Deo operante, vt velimus, & cooperante dum libere volumus, & facimus. III.

IV. Secunda assertio. Etsi ita sit vt superiori assertione dictum est, rectè tamen gratia subsequens ab operante seu præueniente, quæ eadem est, sic a Theologis distinguitur, vt præueniens dicatur ea, non quæ præuenit consensum nostrum liberum in singulis bonis operibus quæ liberè volumus & exercemus, siue ante, siue post iustificationem, sed quæ præcedit iustificationem hanc, & quæ nobis sine nobis, sensu supra explicato, datur à Deo in eum finem vt à peccato mundemur, & formaliter iustificemur: subsequens verò dicatur quælibet alia, quæ nobis datur post iustitiam seu sanctitatem obtentam, excitans nos ante consensum nostrum liberum ad bonum liberè faciendum, vt in accepta iustitia crescamus, perseueremus, & ad gloriam perueniamus. Ratio est, quia præterquam A quod patet nihil esse incommodi sic gratiam præuenientem & subsequentem accipere, ita sumpserunt olim sancti Patres, vt Augustinus libri de natura & gratia, cap. 31. his verbis, *Præuenit* (scilicet gratia Dei) *vt sanemur*, id est, in eum finem, vt à peccatis per iustitiam & sanctitatem postea emundemur: *subsequitur*, ipsam scilicet à peccatis emundationem, *vt sanati vegetemur: præuenit, vt vocemur*, ad sanctitatem videlicet & iustitiam: *subsequitur, vt glorificemur*, perseuerantes scilicet in accepta iustitia. Et Fulgentius, libri 1. ad Monimum, cap. 11. dum de eadem Dei gratia sic clarissimè loquitur, *Præuenit impium, vt fiat iustus: subsequitur iustum, ne fiat impius: præuenit elisum vt surgat, subsequitur eleuatum ne cadat.* V.

B Tertia assertio. Aliter etiam rectè distinguitur in eo gratia subsequens ab operante seu præueniente, & à cooperante seu adiuuante & comitante, quòd operans seu præueniens ea dicatur, quæ per singula opera consensum nostrum liberum præuenit: cooperans seu adiuuans & comitans ea, quæ simul est cum consensu nostro libero, eúmque nobiscum simul efficit: subsequens, quæ subsequitur consensum nostrum liberum, nosque vel excitat oblata operis quod facere proposuimus implendi opportunitate ad illud reipsa implendum, vel iuuat cùm de facto implemus. Ratio eadem est quæ superioris assertionis: nam præterquam quod patet posse commodè sic respectu consensus nostri liberi gratias has inter ipse distingui, ita etiam Tridentinum Concilium, sess. 6. cap. 16. vsurpauit, dum de virtute seu gratia *quâ Christus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in iustificatos iugiter influit*, quæ sanè alia non est quam actualis, habitualem enim non iugiter in eos influit: sic loquitur. *Quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* VI.

C VII.

Vsurparunt quoque antè citati Patres Augustinus, & Fulgentius: ille in Enchiridio, cap. 32. verbis his, *Præcedit bona voluntas hominis multa dona Dei, sed non omnia: vtrumque legitur in sacris eloquiis: & misericordia eius præueniet me: & misericordia eius subsequetur me: nolentem præuenit, vt velit, volentem subsequitur, ne frustra velit*, id est, vt opere impleat quod proposuit. Hic verò libro 1. ad Monimum, cap. 7. sic de Deo loquens: *Ipse donat gratis indigno gratiam qua illuminetur munere bonæ voluntatis, &* D *facultate bonæ operationis, vt præueniente misericordia bonum velle incipiat, & subsequente misericordia bonum quod vult facere valeat.* & cap. 11. *Præuenit Deus donans homini bonam voluntatem, subsequitur bene volentem operando in illo boni operis facultatem.* Quibus locis constat sanctos hos Patres gratiam subsequentem & præuenientem respectu nostri consensus in eo distinguere, quòd hæc consensum nostrum liberum præcedat, illa subsequatur: hæc detur vt consentiamus, illa vt bonum quod per consensum VIII.

facere propoſuimus, reipſa impleamus. Atque cùm relatis Patrum teſtimoniis communiter vtantur recentiores, ad id probandum quod ſecunda noſtra, & tertia aſſertione diximus, iis ego adiungam vnum eiuſdem S. Fulgentij teſtimonium deſumptum ex libro ſecundo operis recens editi de veritate prædeſtinationis & gratiæ, circa medium ſecundi illius libri, cuius teſtimonij prioribus verbis præueniẽtem & ſubſequentem gratiam ſanctus ille Pater vſurpat eo ſenſu quo ſecunda noſtra aſſertione, poſterioribus quo tertia vſurpari poſſe diximus. Eius hæc verba ſunt. *Præuenit nos miſericordia Dei, dum propitius ſit Dominus omnibus iniquitatibus noſtris: ſubſequitur nos, dum ſanat omnes languores noſtros*, id eſt, infirmitates ex peccatis etiam per iuſtificantem gratiam iam deletis relictas. Quibus verbis prædictus illa ſecunda aſſertione ſenſus exprimitur, vt his immediate conſequentibus alter ille qui tertia declaratus eſt. *Præuenit miſericordia liberum hominis arbitrium, dum in nondum bene volente ſola operatur exordium bonæ voluntatis: ſubſequitur, dum bene volenti ſubminiſtrat auxilium, vt bene operando perueniat ad bonæ voluntatis effectum. Ad miſericordia igitur præueniens cooperaturam ſibi hominis voluntatem ſola præparat: ſubſequens autem cooperantem ſibi voluntatem iuuat.*

I. II.

Atque ex hactenus dictis conſtat etiam quomodo inter ſeſe concilianda ſint hæc Scripturæ loca, pſalmo 87. *Mane oratio mea præueniet te:* pſal. 118. *Præueni in maturitate, & clamaui:* pſal. 58. *Miſericordia eius præueniet me:* pſal. 22. *Miſericordia eius ſubſequetur me.* Præuenimus enim Deum, quia bonum aliquod noſtrum opus ex gratia Dei profectum prius eſt aliqua gratia quæ opus noſtrum ſubſequitur: præuenit autem nos Deus, quia aliqua eius gratia prior eſt opere noſtro bono, nimirum ea qua nos excitat ad bonum aliquod volendum, aut poſtquam voluimus, opere exercendum.

III.

SECTIO IV.

Vni de gratia operante, cooperante, ſubſequente quæſtioni reſpondetur.

AT cùm hactenus de gratia operante, cooperante & ſubſequente dixerimus, quæret hîc quiſpiã, an omnis huiuſcemodi gratia, aut ſaltem aliqua ſit in entitate ſupernaturalis? Reſpondeo primò, cùm ſubſequens ſit ſecundùm entitatem eadem cum operante, vel cooperante, vt probauimus, idem de illa quod de hac aut iſta quoad ſupernaturalitatem eſſe ſentiendum.

Reſpondeo ſecundò, cùm præcedente ſectione ſex enumerauerimus, de quibus quæri poteſt, an rationem gratiæ cooperantis obtineant, tria ex illis eſſe, quæ & hanc rationem obtinent, & in entitate ſupernaturalia ſunt: primum ſupernaturalis habitus: ſecundum influxus quo Deus nobiſcum in noſtrum ſupernaturalem actum libere à nobis elicitum influit: tertium hic noſter actus: reliqua tria cùm ſint ipſe Deus, ipſa gratia operans, & qualitas inter hanc gratiam & conſentium noſtrum liberum media, quæ nec ſit habitus, nec aliquis actus noſter, de primo trium iſtorum probauimus in Tractatu de Deo diſputat. 15 ipſum non eſſe proprie in entitate ſupernaturalem: de ſecundo quid ſit ſentiendum mox dicemus: de tertio citata ſectione diximus & probauimus, nec admitti, nec in gratiis cooperantibus numerari debere.

IV. A V.

Reſpondeo tertio, cùm gratia operans ſit actus partim noſtri intellectus, partim noſtræ voluntatis, vt ex dictis prima ſectione certum eſt, ſi de actu intellectus ſermo ſit, aut hunc eſſe ſimplicem apprehenſionem, aut eſſe iudicium aliquod vel enunciatiuum vel diſcurſiuum: ſi ſimplex apprehenſio ſit, nulla gratia operans ex parte intellectus ſe tenens eſt in entitate ſupernaturalis. Ratio eſt, quòd in hac vita nullam habeamus ſimplicem mentis apprehenſionem in entitate ſupernaturalem. Primò, quia omnis huiuſmodi apprehenſio fit per proprias rerum materialium & ſenſibilium ſpecies ab intellectu hauſtas ex ipſis obiectis materialibus & ſenſibilibus, hæ autem ſpecies nullam ſimplicem apprehenſionem in entitate ſupernaturalem poſſunt producere, cùm non poſſint producere niſi apprehenſionem, aut ipſarum rerum materialium & ſenſibilium quarum ſunt propriæ ſpecies, aut rerum quidem aliarum, ſed ad inſtar & ſimilitudinem iſtarum, cuiuſmodi apprehenſionum nulla in entitate ſupernaturalis eſt.

B VI.

Secundò, quia cùm omnis ſimplex apprehenſio per ſpeciem aliquam fieri debeat, ſane ſi quam huiuſcemodi apprehenſionem in entitate ſupernaturalem haberemus, hæc per ſpeciem aliquam ſimiliter ſupernaturalem fieri deberet: at nullam habemus in hac vita ſpeciem in entitate ſupernaturalem: tum quia nullas nunc habemus ſpecies niſi hauſtas à ſenſibus & obiectis ſenſibilibus, quarum nulla eſſe poteſt in entitate ſupernaturalis: tum quia ſi quam haberemus infuſam in entitate ſupernaturalem, illa non modò efficeret propriam quidditatiuam rei cuius eſſet propria ſpecies cognitionem, ſed etiam natura ſua pertineret ad ſcientiam per ſe infuſam, eiuſque proinde propria operatio eſſet à ſenſu & phantaſmate independens: at nullam habemus in hac vita propriam quidditatiuam vllius rei niſi ſenſibilis cognitionem: nam cætera quæ per intellectum cognoſcimus, pure abſtractiue & duntaxat ad inſtar & ſimilitudinem rerum ſenſibilium cognoſcimus: nullam quoque intellectus cognitionem niſi natura ſua à ſenſu & phantaſmate dependentem.

C VII.

Quòd ſi ſit iudicium diſcurſiuum, nulla quoque gratia operans in huiuſmodi iudicio conſiſtens erit in entitate ſupernaturalis, quia nullum diſcurſiuum iudicium ſupernaturale in entitate eſſe poteſt, vt in Tractatu de Deo diſput. 2. ſect. tertia probatum eſt. Quòd ſi denique ſit iudicium enunciatiuum, diſtinguendum eſt: hoc enim iudicium vel eſt de propoſitione euidenter nota ex ſola terminorum apprehenſione, vel de propoſitione quæ ex hac ſola apprehenſione euidens eſſe non poteſt. Si primum, omne huiuſcemodi iudicium in entitate naturale neceſſariò eſt, ob eandem rationem, ob quam id citata ſectione de diſcurſiuo probaui-

D VIII.

mus, & ita nulla gratia operans in hoc iudicio consistens est in entitate supernaturalis.

Si secundum, iudicium quidem illud in entitate supernaturale est, quia nulli rationali creaturæ naturale esse potest assentiri sine discursu propositioni quæ ex terminis nota nō est, I. & cui assensus non nisi ex præuia terminorum A apprehensione dandus est. At nos nullum nunc habemus huiusmodi iudicium, nisi vnicum, nempe diuinæ fidei actum, hic autem actus gratia operans non est, cùm hæc fiat in nobis sine nobis ad eam libere concurrentibus, omnis autem diuinæ fidei actus fiat in nobis à nobis liberè in ipsum influentibus, ex certissima Conciliorum & Patrum omnium doctrina, qui quoties de illo nostro actu agunt, toties liberum nobis agnoscunt, nec vllum vspiam agnoscunt in nobis sine nobis à Deo productum, seu quàm à nobis liberè elicitum. Vnde Trident. Conc. sess. 6. cap. 6. describens modum quo adulti ad iustificationem præparantur, sic ait: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè* II. *mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata sunt.* Et S. August. lib. de bono perseuerantiæ, cap. 16. vt superiore sectione retulimus, ait vniuersim gratiam præuenire fidē, quoniam præuenit omnem bonam voluntatem liberam, fides autem sine præuia bona & libera voluntate non est. Vnde & S. Thomas, quæst. 27. de Veritate, art. 2. obiiciens sibi hoc secundum ex authoritate S. Augustini citato lib. & capite argumentum, *quòd illud Dei beneficium quo voluntas hominis præparatur & præuenitur est fides*, respondet his verbis: *Ad secundum dicendu, quòd fides dicitur esse gratia præueniens, in quantum in motu fidei primo apparet gratia præuenientis effectus.* Idem autem S. Doctor, 1. 2. quæst. 56. art. 3. in corp. diserte ait, *moueri intellectum ad assentiendum his quæ sunt fidei ex imperio voluntatis, nullus enim credit nisi volens.* Ex quibus III. aperte concluditur, nullam gratiam operantem C ex parte nostri intellectus se tenentem esse in entitate supernaturalem.

Iam quod ad eam attinet, quæ ex parte voluntatis se tenet, éstque motus eius aliquis indeliberatus, vt sect. 1. vidimus, dico, cùm nullus actus nostræ voluntatis sit in entitate supernaturalis, nisi sit proprius alicuius virtutis, aut Theologicæ, aut purè moralis per se infusæ, nullam gratiam operantem ex parte voluntatis se tenentem esse in entitate supernaturalem, nisi sit actus huius aut illius virtutis. Existimo autem nunquam contingere, vt gratia operans sit aliquis huiusmodi actus, quia nullū huiusmodi actum exercemus in hac vita nisi liberè, gratiam autem operantem Deus in nobis sine nobis ad eam liberè concurrentibus operatur. IV. Et quemadmodum eius gratia operans ex parte intellectus se tenens nunquam est ipse diuinæ fidei actus, sed aliquis alius ad illū liberè exercendum excitans, vt paulò antè vidimus, ita nec ea quæ se tenet ex parte voluntatis est actus aliquis aut Theologicæ virtutis, aut purè moralis per se infusæ, sed aliquis alius ad huiusmodi virtutis actum liberè exercendum excitans: nulla enim ratio est existimandi Deum in nostra potius voluntate aliquem huiusmodi actum sine libero nostro concursu, quā in intellectu diuinæ fidei actu absque simili cōcursu producere.

Restat hîc vnum obseruandum, nempe nos, etsi solùm ex professo de gratia operante, cooperante, & subsequente disputauerimus, omnes tamen gratiæ species explicuisse in quas gratia actualis interna diuidi solet: aliæ enim gratiæ V. actuales, quarum passim in Scripturis, Conciliis, & Patribus mentio fit, nihil in re differunt ab explicatis. Non comprehendo tamen inter eas sufficientem & efficacem, propterea quòd in has non solet diuidi gratia interna actualis sumpta in genere, sed species aliqua illius, nempe operans, seu præueniens.

DISPVTATIO V.

De gratia sufficiente.

SECTIO PRIMA.

Quid sit gratia sufficiens?

GRATIÆ sufficientis, vt duplex est apud Theologos acceptio, ita duplex definitio. VI. Primo accipitur pro quadam gratia quæ tanquam genus de gratia efficaci & inefficaci veluti de speciebus prædicatur. Secundo pro ipsa specie gratiæ inefficacis, cui nomen genericum gratiæ sufficientis appropriatur: sicut nomen animalis, quod genus est respectu hominis & bruti, peculiariter brutis animatibus tribuitur, vtpote imperfectiori speciei: sicut etiam nomē gratiæ gratis datæ, cùm sit genericum respectu eius gratiæ quæ ad propriam recipientis iustificationem ordinatur, & vno verbo gratia iustificationis nuncupatur, & illius quæ ad aliorum salutem tota refertur, huic posteriori speciei peculiariter accommodatur, vt etiam docet hîc VII. S. Thomas quæst. 111. art. 3.

Primo modo accepta gratia sufficiens rectè definitur gratia, quæ vires sufficientes homini præbet ad agendum honestè & laudabiliter: dumque ita sumitur, ab efficaci non differt, nisi tanquam genus à specie, vt animal ab homine: quo fit vt quemadmodum homo verè appellatur animal, ita gratia efficax verè sufficiens nuncupetur. Sic nominatur 2. ad Corinth. 12. *sufficit tibi gratia mea*: à Prospero item, qui libri 2. de vocat. gentium, cap. 16. ab his verbis exorditur: *Adhibita semper est vniuersis hominibus quædam superna mensura doctrinæ, quæ etsi partioris occultioríque gratiæ fuit, sufficit tamen sicut Dominus iudicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium: vt non dubiè, sed euidenter appareat, quòd nisi vbi abundauit peccatum, superabundaret & gratia, nunc quoque vniuersum genus humanum similis obcæcaret impietas.* Cùm VIII. enim dicit hanc gratiam de qua agit quibusdam suffeciſſe ad remedium, significat eos huius gratiæ beneficio remedium reipsa & salutem obtinuisse, & proinde efficacem in iis extitisse.

Secundo modo sumpta gratia sufficiens rectè sic definitur, gratia quæ cū sufficientes præbeat homini vires ad operandum, nunquam tamen infert operationem, non quidē defectu virtutis

sufficientis ad eam inferendam, sed ratione creatæ voluntatis, quæ cum libera sit, ei non vult cooperari. Probatur definitio, primò quia nomine gratiæ sufficientis hoc secudo modo sumptæ omnes intelligũt eam gratiam quæ efficaci è diametro opponitur: at hæc illi non opponitur in eo quòd vires sufficiẽtes præbeat homini ad operandum, cùm vtrique hoc conueniat, sed in eo tantùm quòd efficax ita sufficiat ad operandum, vt reipsa actu operationem inferat, sufficiens ita sufficiat, vt tamen reipsa eam actu non inferat. Ergo tradita sufficientis gratiæ secundo modo sumptæ definitio legitima est, cùm & complectatur genus quod habet commune cum gratia efficaci, & differentiam per quam primò ab ipsa differt.

I. A

Secundò, quia fide diuina certum est esse quadam gratiam cui possunt homines cooperari, & reipsa liberè non cooperantur. Id constat ex his omnibus Scripturæ locis, quibus dicitur Deus vocare peccatores ad pœnitentiã, de iisque conqueri, quòd eam agere renuant: quod sanè immeritò faceret, nisi illa ad agendam pœnitentiã

II. B

diuina vocatio seu gratia excitãs sufficientes ad id vires eis præberet. Certũ item eâdem fide est quandam esse gratiam cum qua homines non modò bene operari possunt, sed etiam actu bene operantur: quod constat ex iis omnibus Scripturæ Conciliorumque testimoniis, quibus definitur neminem sine gratia posse bene operari, multósque reipsa bonis suis operibus mereri gratiam, & gloriam, ac consequi: ergo gratiam illam ab ista rectè distinguimus: at illam sufficientem nominamus, istam efficacem dicimus, ergo datur aliqua gratia sufficiens quæ ab efficaci distinguitur: illius autem vt ab hac distinctæ alia definitio esse non potest quam quæ à nobis tradita est, vt rem consideranti per se patebit.

III. C

Probatur tertiò ex S. Augustino definiente gratiam hanc sufficiẽtem eodem prorsus modo quo definiuimus, lib. de Correpț. & gratia c. 11. circa medium his verbis: *Istam gratiam nunquã habuit primus homo qua nũquam vellet esse malus, sed sanè habuit in qua si permanere vellet nunquam esset malus.* Et paulò post: *Tale quippe erat adiutorium quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet.* Et nonnullis interiectis: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat rectum. Dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet, vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio: posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adiutorium per quod posset, & sine quo non posset bonum perseueranter tenere quod vellet.* Et initio cap. 12. eiusdem libri, *Primo itaque hominis, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse bonum ipsum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset.*

IV. D

Quibus in verbis tria notanda sunt. Primum est, quod ait S. Augustinus, sine tali gratiæ adiutorio primum hominem non potuisse cum libero arbitrio, id est, per naturales huius arbitrij vires bonum velle, & in bono perseuerare: vbi creatæ voluntatis infirmitas, & diuinæ gratiæ necessitas declaratur. Secundum, quòd eundem dicit cum eodem gratiæ adiutorio potuisse si vellet bonum agere, & in bono perseuerare: vbi manifestè significatur gratiam hanc dare vim sufficientem homini ad bonum agendum, & in bono perseuerandum, soliusque voluntatis humanæ libertati ascribi debere, si cum ea bonum actu nõ velit, nec in bono perseueret. Tertium, quod inquit, gratiam illam eam non fuisse qua reipsa vellet nunquam esse malus, quàque de facto in bono perseueraret. Vbi clare dicitur isti gratiæ non coniungi actualem hominis cooperationẽ, nec proinde hanc inferre actu eius operationem, non defectu virtutis & viriũ ad eam inferendam, cùm per eam possit homo si voluerit bonum agere, & in bono perseuerare, sed ratione volũtatis humanæ liberè nolentis in actu secundo facere id ad quod faciendum hæc gratia & sufficientes vires præbet, & excitat, impellitque. Qua sancti huius Patris doctrina, gratiæ sufficientis, vt ab efficaci distinguitur, tradita à nobis definitio manifestè tota continetur.

V.

Cæterùm vtrùm gratia sufficiens, vt sufficiẽs est, & quatenus ab efficaci distinguitur, constituatur in ratione talis gratiæ formaliter & præcisè per ipsam negationem cooperationis voluntatis creatæ, an per negationem aliquã priorem congruentiæ & contẽperationis cum libero arbitrio, aut per aliquam aliam eiusmodi, intelligetur ex iis quæ sequenti disputatione dicemus, dum declarabimus per quid gratia efficax in ratione efficacis formaliter & præcisè constituatur: per oppositam enim negationem illius sufficiens in ratione sufficientis seu ineffacis constituetur.

VI.

Ex dictis colligitur primò, probandũ non esse quod nõnulli recentiores Theologi dicunt, sufficientem gratiam sufficere quidẽ vt homo possit agere, at non vt agat: siue, vt loquuntur, sufficientem solùm esse ad posse operari, at non ad reipsa operãdum. Etenim cùm quælibet actiua potentia spectet immediatè actionem suam, in eamque feratur, implicat contradictionem dari potentiam actiuam sufficientem, quæ non sit sufficiens ad reipsa agendum, repugnatque proinde dari formam vllam, quæ informando subiectum suum tribuat ei formaliter vim actiuam sufficientem, quę non eidem ad reipsa agendum sufficiat, & eo ipso ad hoc sufficiat, quo vim illam tribuit, vt certissima inductione constat in intellectu, voluntate, calore, frigore, cæterisque omnibus, quæ eò ipso quo subiecto suo tribuunt vim seu potentiam sufficientem actiuam respectu propriæ operationis, intellectionis scilicet, volitionis, calefactionis, frigefactionis, ad reipsa & in actu secundo intelligendum, volendum, calefaciendum, frigefaciendum sufficiunt. Adde quòd gratia dicitur sufficiens per respectum ad id quod nobis præcipitur, & propter quod nobis à Deo datur, at illud non est vt possimus bene operari, sed vt reipsa bene operemur.

VII.

VIII.

Nec obiiciant S. Augustinum libro 1. ad Simplic. quæst. 2. sic scribentem: *Ad alios vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit qua moueri non possent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* Si enim ex his verbis colligunt, gratiam sufficientem, quæ procul dubio vocationis nomine significatur, non sufficere ad

operandum, quia dicit S. Augustinus ea vocatione vocatos moueri non potuisse, pari imò potiori iure colligant nec sufficere ad posse operari, cùm istud clariùs quàm illud illa verba significent: neutrum autem reuera significat, sed solùm vocationem illam talem fuisse, cui vocati reipsa non consenserunt, seu cooperati non
I. sunt, & cui non nisi dimicillimè cooperari & consentire potuerunt: frequenter enim etiam in Scriptura impossibile pro difficili ponitur, vt Genes. 37. Eccles. 7. Ioan. 12. ad Hebr. 6. aut certè non potuerunt, sed impossibilitate consequente, ex hypothesi videlicet præscientię Dei, præuidentis fore, vt ei, cùm possent absolutè consentire & cooperari, de facto tamen ex sua libertate non consentirent, nec cooperarentur: quæ necessitas, vt præsupponit liberam hominis non cooperationem, eiúsque præuisionem, ita liberam antecedentem cooperandi potestatem auferre non potest.

Colligitur secundò errare contra fidem hæreticos illos nostri temporis, qui docent, vt refert Bellarm. tom. 3. Controu. libri 1. de natura & gratia cap. 15. & libri 2. cap. 1. eum qui à
II. Deo non mouetur interiùs non posse bene operari, eum autem omnem qui mouetur non posse non benè operari: hinc enim manifestè sequitur nullam esse gratiam sufficientem, prout hæc ab efficaci distinguitur: quod contra fidem esse ex dictis certum est. Confirmatúrque ex his ipsius Dei Apocal. 3. verbis, *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum*: quæ posteriora verba indicant non omnes ad quorum conscientiæ ianuam pulsat per gratiam suam Deus aperire, cùm tamen illa priora clarè significent esse in omnium potestate vt aperiant, aut certè insipientiæ arguatur Deus ad cordis ostium pulsans, cùm nemo sapiens ad domus ostium pulset, si sciat nullum intus esse qui aperire possit.

III. Colligitur tertiò non minùs grauiter errasse olim Semipelagianos illos, qui traditam sæpiùs à S. Augustino gratiæ diuisionem in sufficientē & efficacem improbabant. Tradidit enim nominatim libro de Correpț. & gratia cap. 12. vt paulò pòst ex Hilario videbimus: & libro 83. quæstionum ad quæst. 68. satis procul à fine quęstionis de cœna Euangelica sic inquiens: *Ad illam cœnam quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi, qui venerunt venire possent nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera potestate: vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea etsi quispiam sibi tribuit quòd vocatus venit, non potest sibi tribuere quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicij cùm vocatus venire neglexerit.*
IV.

Improbabant autem illi, vt testis est Hilarius epistola ad eundem S. Augustinum, quæ præmissa est ipsius libro de prædest. Sanctorum, sic de illis loquens: *Molestè ferunt ita diuidi gratiam* (vt citato cap. 12. ipse Augustinus diuiserat) *quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perseuerantiam* (id est, adiutorium perseuerantiæ, vt cap. illo 12. S. Augustinus loquitur) *non qua fieret vt perseueraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseuerantiæ detur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possent, verùm etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. his verbis sanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicant quandam desperationem hominibus exhiberi.*

At immeritò hoc dicebant, ob eámq. causá diuisionem illam improbabant, quòd ex ea sequi dicerent, esse quosdam qui perseuerare non possent, salutémque proinde consequi, eos nimirum qui carent illa gratia, qua qui donantur fiunt in actu secundo perseuerantes, sicque eosdem in salutis desperationem illa diuisione coniici: alios autem esse qui non possent non perseuerare, videlicet eos qui gratiam illam accipiunt qua non nisi perseuerantes sunt. Neutrum enim reuera sequitur, nam & qui carent ea gratia, qua qui donantur, sunt in actu secundo perseuerantes, possunt nihilominus perseuerare, quia gratiam accipiunt, cuius ope perV. VI. seuerare possunt, licet reipsa non perseuerent, non defectu virtutis sufficientis in gratia ad reipsa perseuerandum, sed cooperationis liberæ creatæ voluntatis quæ ei non vult cooperari. Qui verò eam gratiam accipiunt, qua in actu secundo perseuerantes fiunt, possunt non perseuerare, quia liberum eis est eam respuere, vel admittere, vt sequenti disput. probabimus: quoniam tamen ei libere cooperantur, ideo semper cum ea perseuerantes in actu secundo fiunt.

Colligitur quartò, eam gratiam quæ tanquam proximum genus in has duas veluti species distribuitur, esse operantem seu præuenientem. Vtraque enim gratia, sufficiens scilicet & efficax, est aliqua gratia præueniens: per hanc VII. enim intelligimus motionem aliquam actualē antecedentem consensum nostrum liberum, nósque ad libere consentiendum excitantem, id autem totum sufficienti & efficaci gratiæ conuenit, in eóque solùm hæc ab illa differt, quòd per hanc sic præueniamur & excitemur, vt reipsa libere consentiamus: per illam verò sic vt ei non consentiamus, quia nolumus.

Confirmatúrque primùm ex S. Augustino, qui paulò ante relatis ex libro 83. quæstionum verbis vtramque gratiam vocationem appellat, quod & passim alibi facit: vocatio autem gratia præueniens est, vt ex antè dictis, & omnium consensu certum est: quo fit vt hæc gratia frequenter gratia vocationis appelletur. Secundò ex eo quòd gratia cooperans non rectè diuideVIII. retur in sufficientem & efficacem, cùm semper sit efficax: vnde concluditur gratiam quæ in has diuiditur esse operantem, cùm ex sectione 3. præcedentis disputationis constet nullam esse internam gratiam actualem, quæ secundùm rem non sit aut operans, aut cooperans. Vnde etiam sequitur prædictam gratiæ operantis diuisionem esse adæquatam, omnis enim gratia operans aut infert in actu secundo consensum nostrum liberum, aut non infert: si primum, est efficax: si secundum, sufficiens.

SECTIO II.

An omnibus & semper det Deus gratiam sufficientem ad salutem consequendam?

I. SERMO est de solis adultis, sicut enim soli capaces sunt consensus liberi, ita & gratiæ sufficientis interiùs excitantis ad consensum liberum. Sermo etiam est de gratia sufficiente, non prout efficacem comprehendit, quæ nonnunquam sufficiens dicitur, vt præcedente sectione notauimus, hanc enim certum est nec omnibus, nec semper dari, sed iis solis qui ei liberè cooperantur, & tum solùm cum cooperantur: nec prout efficaci opponitur, hanc enim etiam certum est non omnibus dari, sed iis solis qui ei liberè non cooperantur, & eo duntaxat tempore, quo non cooperantur: sed de ea sermo est, prout ab efficaci & inefficaci abstrahit, nihilque aliud est quàm gratia, quæ dat homini vim sufficientem ad benè operandum, siue sit reipsa ex vi eius benè operaturus liberè, siue non sit.

II. Omisso autem errore Caluini, lib. 3. Instit. cap. 22. & 24. aliorumque hæreticorum, asserentium eos solos habere sufficientem gratiam, qui reipsa bene operantur, & salutem consequuntur, vnde manifestè sequitur, non omnibus à Deo gratiam sufficientem dari, cum certum sit non omnes benè operari, & salutem consequi, quem errorem superiore sectione refutauimus: Prima sententia est Armacani libro 9. de quæstionibus Armenorũ, quæst. 27. esse aliqua hominum peccata, quæ secundum ordinariam Dei legem remitti in hac vita non possunt: vnde sequitur euidenter, iis qui talia peccata commiserunt, non dari ordinariè auxilium sufficiẽs ad agendam de iis pœnitentiam, & salutẽ consequendam: nam si daretur, sicut illam agere possent, ita & peccati remissionem per gratiam

III. sanctificantem accipere, & ex consequenti vitam æternam.

Secunda est Henrici quodlib. 8. quæst. 5. Gregorij in 1. dist. 46. quæstione vnica, Abulensis in caput 4. Exodi quæst. 12. & quorundam aliorum affirmantium, etsi Deus det ordinariè omnibus sufficientem gratiam, extraordinariè tamen eam aliquibus denegare nonnunquam, ob ingentia quædam ab ipsis admissa crimina. Tertia est S. Thomæ libri 3. contra Gentes, cap. 159. Alensis 3. parte quæst. 69. memb. 5. artic. 4. Alberti in 2. dist. 28. art. 1. Bonav. eadem dist. art. 1. quæst. 3. Scoti in 1. dist. 46. quæst. vnica ad primum, Dominici Soti lib. 1. de Natura & gratia cap. 18. Vegæ lib. 13. in Trident. Gregorij à Valent. hîc disput. 8. quæst. 3 punc. 4. Bellarm. lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 6. Gabr.

IV. Vasq. 1. parte disput. 97. & communis iam inter Theologos, quam sequentibus assertionibus declarabimus, & probabimus.

Prima assertio. Deus omnibus in hac vita dat sufficientem gratiam ad salutem consequẽdam. Probatur primò ex iis omnibus Scripturæ locis, quibus Deus omnes peccatis irretitos hortatur ad pœnitentiam, & curam suæ salutis, vt Ezechielis 18. cum ait, *Conuertimini, & agite pœnitentiam, nolo mortem morientis, conuertimini, & viuite*: & Matthæi 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis*, peccatorum scilicet sarcinâ, *& ego reficiam vos*. Item iis quibus dicitur Deus omnium peccatorum expectare pœnitentiam, & velle salutem, vt 1. ad Timot. 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire*. & 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiã reuerti.* V. Quæ similiáque Scripturæ testimonia non significant quidem affectum absolutũ & efficacem, quo Deus omnium peccatorum pœnitentiam velit, & salutem, alioquin omnes & illam agerent, & hanc consequerentur, cùm efficaci absolutæque Dei voluntati nullus resistat, aut possit resistere: sed nec significant eum simplicem & inefficacem, ex quo nihil fiat rei volitæ procurandæ gratia, cùm tamen ex rei natura haberi possit affectus ad rem aliquam simplex & inefficax, absque eo quòd vi illius quidquam fiat ad huiusce rei consequutionem promouendam: sed eum certissimè significant, omnium Interpretum consensu, ex quo quidpiam in hominibus facit, quo eos ad agendam de peccatis pœ-

B nitentiam, & ad habendam suæ salutis curam excitat; quod quidem aliud esse non potest, VI. quàm gratiæ suæ auxilium saltem sufficiens.

Probatur secundò authoritate, S. Fulgentij in primis epist. 7. cap. 8. verbis his: *Sicut medico nostro nulla est incurabilis plaga, ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cœlestis potest deficere medicina.* Cap. item 7. & 9. quibus ait omne tẽpus vitæ præsentis cuiuslibet peccatoris cõuersioni à Deo deputatum esse: quod multis Scripturæ testimoniis confirmat. Deinde Prosperi libro 2. de Vocatione Gent. cap. 26. vbi postquã præmisit *gratiam Dei in omni iustificatione principaliter præeminere, suadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, aperiendo, & illuminando, & fidei affectionibus imbuendo, vt voluntas hominis prædictis excitata præsidiis diuino in*

C *se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum,* VII. *quod superna suscepit ad studium*; hæc verba subiungit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia: quòd autem à multis suscipitur, ex gratiæ est diuitiis, & voluntatis humanæ.* Qui etiam S. Patercapite 25. distinguẽs inter generalia diuinæ gratiæ dona quæ à Deo communicantur omnibus, & inter specialia quæ multis quidẽ, sed non omnibus, caput istud sic cõcludit. *Placuit Deo & hanc multis tribuere* (nempe specialem gratiam) *& illam à nemine submouere*, (sufficientem scilicet & generalem) *vt ex vtraque appareat non negatam vniuersitati quod collatum est portioni, sed in aliis præualuisse gratiam, in aliis resiluisse naturam.*

D Præterea Pauli Orosij qui S. Aug. fuit coætaneus, imò discipulus, vt eum Bellar. lib. de Script. VIII. Ecclesiast. nominat, in Apologia de arbitrij libertate, longè ante medium, vbi sic habet: *Mea semper hæc est fidelis atque indubitata sententia, Deum adiutorium suum non solùm in corpore suo quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ sua dona largitur, verùm etiam vniuersis in hac mundo gentibus, propter longanimem sui æternamque clementiam, subministrare, non vt tu asseris cum discipulo tuo Celestio, cui iam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura*

contusa est, in solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter vniuersis vnam gratiam contribuam, sed speciatim quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis & singulis ministrare. Quam suam sententiam de diuinæ gratiæ adiutorio assiduè subministrato cunctis & singulis hominibus, etiam infidelibus, probat ibidem multis argumentis ex Scripturæ etiam authoritate petitis. Origenis denique libro 3. Periar. cap. 1. ad finem, vbi affirmat posse hominem malum æquari dæmonibus in malitia, omnes tamen peccatores quandiu sunt in hac vita posse reparari. I.

Ex hac assertione sequitur, quoties aliquod præceptum seruandum est, quod sine gratia seruari non potest, toties Deum præbere sufficientem ad illud seruandum gratiam: nisi enim præberet, sufficientem ad salutem consequendam gratiam non præberet, cùm præceptum de quo loquimur, sit, vt supponimus, huiusmodi, sine cuius obseruatione salus obtineri nō potest, seu cuius volūtaria violatione meritò salus amittitur. Ex quo consequens itē est, quoties occurrit aliqua tentatio superanda ad mortale peccatum alliciens, quæ sine gratia superari non potest, toties Deum dare sufficientem gratiam ad illam superandam: nisi enim tunc daretur à Deo gratia sufficiens, certè nec daretur toties, quoties præceptum aliquod seruandum est, quod sine gratia seruari non potest, & cuius obseruatio ad salutem necessaria est: cùm vt tētationi succumbere nemo potest nisi peccando, & proinde faciendo contra præceptum aliquod, quia omne peccatum contra præceptum aliquod est, ita tentationem vincere nullus possit nisi vitando peccatum aliquod, & proinde seruando præceptum illud, contra quod peccaret qui tentatur, si tentationi succumberet. Vtrùm autem ad omnis omnino præcepti obseruationem & tentationis victoriam gratia necessaria sit, disp. 1. definiuimus. II. III.

Secunda assertio. Etsi ita res habeat, vt præcedente assertione dictum est, Deus tamen non dat omnibus & singulis momentis gratiam sufficientem, aut ad agendam de peccatis pœnitentiam, aut ad præceptum aliquod implendū, aut in genere ad bonum agendum, nec per consequens ad vitam æternam obtinendam. Ratio assertionis euidens ducitur ex natura gratiæ sufficientis suprà declarata, certissimáque experiētia. Cùm enim gratia hæc tota consistat ex supradictis & probatis in actu aliquo vitali nostri intellectus & voluntatis, excitante vel ad malum aliquod fugiendum, vel bonum prosequendum, sanè si singulis momentis tali gratia nos Deus præueniret, semper & continuè in nobis essent tales actus: at sæpè non sunt, vt certissima constat experientia, vt dum dormimus, dum iis occupationibus & cogitationibus detinemur, in quibus nihil minùs quam de agenda pœnitentia, vel de aliis bonis operibus exercendis cogitamus. IV.

Dicunt nonnulli Thomistæ, etsi non semper in nobis sint actus illi vitales, quibus à malo reuocamur, & ad bonum impellimur, esse tamen semper in nobis motionem aliquam seu qualitatem quam Deus continuè producit, quáque nos ad bonum excitat, & vim sufficientem præbet benè operandi. Verùm & hæc qualitas iam superiùs refutata est, dum contra Gregorium præcedente disput. sect. 2. egimus, & refellitur præterea ex eo quòd etsi daretur ista qualitas, non posset tamen esse gratia sufficiens ad bene operandum: sufficere enim ad operandum non potest, nisi hominem ad agendum excitet, non excitat autem, nec excitare potest, cùm non sit aliquis ipsius actus vitalis: solus enim vitalis actus formaliter excitat & excitare potest hominem ad agendum, respectu earum actionum, quæ non nisi per voluntatem liberè fieri debēt, quales haud dubiè sunt eæ ad quas eliciendas præueniente Dei gratia excitamur. A V.

Id constat in primis experientia. Secundò ratione, quia nimirum quandiu res aliqua non cognoscitur, tandiu voluntatem hominis mouere non potest ad sui vel odium, vel amorem, vel fugam, vel desideriū. Tertiò à simili, sicut enim non dicitur homo hominem excitare ad aliquid agendum, quantumcunque alte in aures eius inclamet, aut ob eius oculos obiectum aliquod ponat, aut eum hinc illinc ve trahat & exagitet, si nihil ille videat, audiat, sentiat, sed tunc solùm cùm vitaliter audit, videt, aut sentit: ita nec illa qualitas nos ad bene operandum excitabit, nisi dum in nobis vitalem aliquem, quo formaliter excitemur, actum causabit, quem cùm non continuè causet, vt experientia certum est, sequitur non semper & continuè habere nos à Deo sufficientem gratiam ad agendam pœnitentiam, aut bonum aliud opus exercendum, & proinde ad salutem consequendam. B VI.

SECTIO III.

Soluuntur deprompta ex Scripturæ, Concily Tridentini, & multorum sanctorum Patrum authoritate argumēta contra primam præcedentis sectionis assertionem.

QVæ pro relata Armacani sententia proferri possent ex Scripturis loca, quibus significari videtur aliqua esse hominum peccata, quæ de lege Dei ordinaria remitti in hac vita non possunt, hic à me omittentur: reperientur enim omnia aut certè præcipua fusè explicata in nostro de Pœnitentia Tractatu partim disput. 1. sect. 2. partim disput. 7. sect. 1. ex quorum explicatione clarum erit nihil ex iis posse rectè concludi contra doctrinam à nobis prima superioris sectionis assertione traditam. C VII.

Pro secunda quam retulimus sententia, contra tertiam, quæ nostra est, opponi possunt tria Scripturæ testimonia. Primum ex Euangelij Ioannis cap. 12. vbi de Iudæis sic dicitur, *Non poterant credere, quia dixit Isaias, excæcauit oculos eorum*, &c. Secundum ex Ecclesiastæ cap. 7. vbi sic habetur: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Quòd si nec hi corrigi possunt, nec illi credere potuerunt, ergo sufficiente ad fidem & correctionem gratia destituti sunt: nam si eam haberent, sicut iis ad hanc & illam sufficeret, ita ex ea corrigi possent, & credere. D VIII.

Ad vtrumque respondeo impossibilitatē cuius in vtroque mentio fit, non significare omnimodam & antecedentem impossibilitatem, sed solùm aut maximam rei faciendæ quæ dicitur

impossibilis difficultatem, aut impossibilitatem consequentem, ortam ex præscientia Dei præuidentis, fore quod & miraculis exteriùs & gratiis interiùs vocati & excitati ad fidem, atq; ad vitæ emendationem, minimè tamen crederent & emendarentur ex peruersa sua liberaque voluntate: quæ impossibilitas vt non tollit libertatem, cùm eam inuoluat & præsupponat, ita non eripit liberam operis potestatem. Sic exposuit relata ex Ioanne verba S. August. tract. 57. in Ioannem sic scribens: *Propterea non poterant credere, quia hoc Isaias dicit, hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum præscivit. Quare autem non poterant? cito respondeo, quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem præscivit Deus.*

I. A V.

Tertium testimonium sumitur ex cap. 14. libri Actuum Apostolicorum, in quo dicit Apostolus Deum *in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas*, id est, abire post prauas suas cupiditates: quod non diceretur Deus fecisse, si per auxilium gratiæ sufficientis eas à via prauitatis in rectam iustitiæ semitam reuocasset. Verùm illis Apostoli verbis nihil aliud significatur, quam Deum Gentibus ante Christi aduentum non dedisse specialia illa gratiæ dona quæ Iudæi per legem, & Prophetas habebant, & vtrique post Christum per publicam Euangelij promulgationem habuerunt: & subtraxisse non gratiam sufficientem ad malum fugiendum, & bonum agendum, sed efficacem, hácque subtractione permisisse vt cupiditatib. suis obtemperarent. In quam sententiam, occasione verborum quę ex Apostolo retulimus, sic loquitur S. Prosper lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 4. *Sicut ista gratiæ largitas quæ in omnes nouissimè influxit* (promulgatio scilicet Euangelio) *non euacuat eam quæ super vnam Israel sub lege rorauit, nec præsentes diuitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati: ita nec de illa cura Dei quæ Patriarcharum filiis propriè præsidebat, coniiciendum est gubernacula diuinæ misericordiæ cæteris hominibus fuisse subtracta. Qui quidem in comparatione Electorum videntur abiecti, sed nunquam sunt à manifestis* (nimirum ordinis ac pulchritudinis huius adspectabilis mundi Dei creatoris sui gloriam prædicantis) *occultisque beneficiis* (interiorum videlicet inspirationum) *abdicati.*

II. B VI.

III. C VII.

Ex Tridentino Concilio vnicum depromitur argumentum, ex hisque sessionis 6. cap. 11. verbis, *Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Vnde sic licet argumentari: Deus iustificatos gratia sua non deserit, nisi prius ab eis deseratur: ergo ex mente Concilij si deseratur deserit; atqui certum est à multis aut fidei negatione, aut aliis grauissimis peccatis deseri: ergo etiam multos deserit, & sua gratia destituit. Respondeo primò negando primam consequentiam, ex antecedente enim non recte ducitur: sicut ex hac propositione, Petrus non occidet eos nisi à quibus fuerit lacessitus iniuria, aut ex ista, Deus non condemnabit ad mortem æternam nisi eos qui lethaliter peccauerint, non bene concluditur, aut Petrum occisurum aliquem ex iis à quibus erit iniuria lacessitus, aut Deum condemnaturum ad æternam mortem aliquem ex iis qui lethaliter peccauerint. Si enim ex illa antecedente propositione id de aliquo rectè concluderetur, pari iure rite etiam colligeretur de omnibus & singulis qui aut iniuria lacesserent, aut mortaliter peccarent. Quare sicut his propositionibus certò tantùm asseritur eos non occidendos, aut damnandos, qui iniuria non lacessent, nec lethaliter peccabunt, non verò affirmatur eos occidendos, aut damnandos, qui peccabunt, aut lacessent: ita illa Concilij propositione certò solùm asseritur iustos, gratiæ sufficientis auxiliis non destituendos qui Deum per lethale peccatum non deserent, non autem affirmatur eos de facto destituendos qui deserent: aut certè si hoc affirmaretur, sequeretur omnes qui lethaliter peccant gratia sufficiente postea destitui, nec proinde posse iterum iustificari: quod tamen & contra expressam ipsius Concilij doctrinam multis locis, & contra fidem certissimè est.

IV. D VIII.

Respondeo secundo, si conceditur Deum eos à quibus lethaliter peccantibus deseritur, deserere, & gratia sua destituere, vt reuera prædictus Concilij loquendi modus indicat, licet non prorsus euincat, vt ostendi, Concilium intelligendum esse non de quacunque gratia sufficiente, immò nec de quacunque efficaci, cùm multi per mortale peccatum à statu iustitiæ lapsi multa opera bona exerceant, iterúmque iustificentur, quod non nisi efficacis gratiæ beneficio consequuntur, sed de specialibus quibusdam diuinæ gratiæ donis & auxiliis, quæ Deus non cessat communicare iustis, vt quod in eis cœpit bonum promoueat, atque perficiat, quæque illis quos deserere dicitur communicasset, nisi per lethale peccatum Deum deserendo se iis indignos reddidissent. Quæ responsio maxime conformis est his eiusdem Concilij verbis citatæ sessionis cap. 13. *Deus enim, nisi ipsi* (id est, iusti) *illius gratiæ defuerint,* (cui deesse, est ipsi Deo deesse, ipsúmque proinde aliquo modo deserere) *sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.*

Denique ex sanctis Patribus opponuntur nobis Gregorius Magnus lib. 11. Moralium cap. 5. vbi ait Cain potuisse quidem admoneri diuina voce, moueri tamen non potuisse. Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 15. vbi *Nonnulli*, inquit, *ita à Deo deseruntur, vt deplorare sua mala non possint, etiamsi velint.* Ambrosius in illud Psalmi 45. *Deus reppulisti nos*, vbi eodem ferme modo loquitur. & Prosper libro ad obiectiones Vincentianas cap. 15. vbi sic scribit: *Nemini Deus correctionis adimit viam, neque quemquam boni possibilitate despoliat, quia qui se à Deo diuertit, ipse & velle quod bonum est, & posse sibi abstulit.* Libro præterea 3. de Vita contemplatiua cap. 2. vbi postquam multa dixit de maioribus Adami viribus ad non peccandum, quàm nostris, hæc adiungit: *Illum peccare fecit sola peccandi voluptas* (aliter, *voluntas*) *nos etiam cogit plerunque peccati iam facta necessitas:* quibus verbis significari videtur aliquos destitui gratia sufficiente & ad malum euitandum, & ad bonum agendum.

Verùm hæc & similia sanctorum Patrum ver-

ba minimè hoc significant, exponenda enim sunt eodem omnino modo quo duo priora Scripturæ testimonia quæ retulimus, cum eodem modo quo hæc illi loquantur. Et quidem quod ad S. Prosperum attinet, quē nostræ sententiæ diserte suffragari præcedente sectione clare vidimus, dubitandum non est quin posterioreloco ex duobus relatis solùm velit, interdum contingere, vt diuturna peccandi consuetudo, peccatorúmque frequens repetitio tantam homini propensionem ad vitium & peccatum afferat, vt pene impossibile ei sit à peccato abstinere, quia admodum difficile: ratione cuius tantæ difficultatis dixit similiter priore loco eum qui se à Deo diuertit, non posse velle bonū & agere, licet absolutè possit, & ad illud volendum agendúmque excitetur subinde sufficiente gratia, licet pro numero meritóque peccatorum suorum tam debili, vt maximam illam boni volendi agendique difficultatem relinquat, quæ moralis quædam impossibilitas est, & vocari solet. I.

SECTIO IV. II.

Soluuntur argumenta contra eandem assertionem ex authoritate sancti Augustini petita.

AT opponitur præterea nobis S. Augustinus plurimis locis, quæ ad quinque capita reuocabimus. Primum est eorum in quibus ait Deum neminem deserere nisi priùs deseratur, multos tamen desertores suos ad se conuertere. Id dicit libro ad articulos sibi falsò impositos, art. 7. Secundum eorum quibus inquit aliquos à Deo non vocari: si enim non vocantur ad pœnitentiam aut fidem, non possunt ad eam venire, nec proinde ad salutem peruenire. Id autem inquit libro de bono perseu. cap. 8. III. Tertium eorum quibus dicit aliquos sic vocari, vt tamen vocatione moueri non possint. Ita lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. quòd si moueri non possunt, ergo illa vocatio non est gratia sufficiens vt ad bonum libere moueantur, & per consequens salutem adipiscantur. C

Quartum illorū quibus expressè asserit gratiam Dei non omnibus hominibus dari. Ita loquitur epistola 107. ad Vitalem, & libro de bono perseuerantiæ, cap. 12. Imò, quod amplius est, libri de natura & gratia, cap. 9. non obscurè significat auxilium gratiæ sufficiens deesse omnibus qui de Christi fide & Euangelio nihil audiuerunt. Vnde in iis aliud nihil agnoscit, quàm legem naturalem, & liberum voluntatis arbitrium, quæ sufficere ad iustificationē iure optimo negat. Quin addit insuper illos non ideo iniustos esse quia volunt, sed quia iusti esse non possunt. IV. In libro autem de corrept. & gratia, cap. 11. scribit hominem & Angelum dum creati sunt non fuisse peccaturos, si auxilium illud, quod nunc aliquibus negatur ob peccata præcedentia, & eorum pœna est, datum eis minimè fuisset, quòd nimirum auxilio illo sine quo stare non poterant, absque vlla sua præcedente culpa caruissent. Eius hæc verba sunt: *Si autem hoc adiutorium vel Angelo vel homini quamprimum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent, adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est, quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum: & tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verùm etiam tantum ac tale sit, vt velimus.* A V.

Quintum denique eorum quibus affirmat hominem nonnunquam sic à Deo deseri, vt ei non imputetur, si Deo tunc temporis non obtemperet. Ita in expositione quarundam propositionum epistolæ ad Romanos, cap. 62. his verbis: *Non ergo hoc illi* (Pharaoni scilicet) *imputatur quod tunc non obtemperauit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate.* Cui non absimili modo de eodem Pharaone loquitur, quæst. 18. super Exodum, dum sic ait: *Quòd non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat, diuinæ dispensationis fuit, qua tali cordi non tantum iusta, sed etiam euidenter iusta pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur.* Quod si eo tempore quo Rex ille Deo non obtemperabat, sed resistebat, habuisset gratiæ præuenientis auxilium sufficiens ad obtemperandum, meritò sanè tunc temporis non obtemperare, ad peccatum imputatum illi fuisset. B VI.

Ad primum respondeo, S. Augustinum eodem sensu dicere Deum neminem deserere, nisi à quo priùs ipse deseritur, quo superiori sectione Tridentinum Concilium hæc eadem verba vsurpans exposuimus: quo etiam exponendi sunt Prosper & Fulgentius eadem vsurpantes, ille in responsione 7. ad obiectiones Vincentianas, hic libro 1. ad Monimum cap. 13.

Ad secundum, dico D. Augustinum ibi non asserere Deum aliquos non vocare, sed tantùm affirmare, non vocare ea vocatione, qua fiat vt vocanti per consensum liberum respondeant: vnde concludi solùm potest Deum aliquibus negare gratiam efficacem, non verò sufficientem. Cùm enim ibidem dixisset, *Cui ista ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem non vocetur*, quasi corrigens hæc postrema verba, statim addit, *aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Tertium nobis hic obiectum locum sectione 1. disputationis huius circa medium retulimus ad verbum, & exposuimus, nec ex eius allata expositione quidquam colligi contra nos posse manifestum est. VII.

Ad quartum dico, gratiam quam S. August. citata epistola, citato quoque cap. 12. dicit non omnibus dari, non esse eam quæ sufficiens dicitur, & ab efficaci distinguitur, sed esse vel ipsam efficacem, vel iustificantem. Dum autem libro de natura & gratia non agnoscit in infidelibus, qui nihil vnquam de Christo audiuerunt, sufficiens gratiæ auxilium ad iustificationem, & salutem, intelligi debet de auxilio quod proximè ad id sufficiat, quod quidem illi non habent, cùm iustificari nemo possit nisi credat in Christum, credere autem non possit, qui de eo nihil audiuit. D VIII.

Quare cùm ibidem in illis solam agnoscit

cum libero eorum arbitrio naturalem legem, non excludit interioris actualis gratiæ auxilium ad eam seruandam sufficiens, sed illud solum quod proximè necessarium est ad credendum in Christum, quo reipsa illi carent, quod nihilominus haberent, si ex prædicto illo sufficiente quod habent, naturæ legem, vt possunt, obseruarent. Vnde quod ibidem adiungit, eosdem non ideo iniustos esse, quia volunt, sed quia iusti esse non possunt, sensus est, non ob id solùm iniustos esse, quia volunt, sed etiam quia non possunt iusti esse, præsupposito scilicet eo statu in quo sunt, & in quo non habent auxilium gratiæ proximè sufficiens & necessarium vt in Christum credant, & ad ipsum conuertantur, licet quòd non habeant, imputare sibi suisque præcedentib. peccatis debeant, quia certissime de eo Deus illis prouidisset, si cum illo sufficienti quod habuerunt, naturæ legem obseruassent, & nunc etiam prouideret, si cum illo quod iam habent, obseruarent.

I.

II. Denique relato libri de corrept. & gratia loco, cùm hæc vsurpat verba, *Nunc autem quibus deest tale adiutorium, pœna peccati est*: Dico negari quidem non posse, quin de gratia sufficiente loquatur, cùm de ea loquatur quam Adamus in statu innocentiæ habuit, vt in eo perseueraret, quæ non fuit efficax, quandoquidem reipsa non perseuerauit, sed ab illo per peccatum excidit: nego tamen illis verbis absolutè significari aliquos esse qui reipsa isto gratiæ adiutorio destituantur: sic enim commodè exponi possunt, vt dicatur S. Augustinus loqui solum quasi ex concessione, vt nimirum ostendat Adamo in statu innocentiæ existenti istud gratiæ adiutorium deesse non potuisse, esto concedatur aliquibus nunc deesse, quia si quibus nunc deest, in pœnam peccati præcedentis deest, Adamo autem in pœnam peccati tunc deesse non potuit, cùm nihil adhuc peccasset.

III. Quare verborum illorum, *Nunc autem quibus deest tale adiutorium*, idem sensus est qui istorum: Nunc autem si quibus deest, &c. Et certè satis credibile non est, S. Augustinum existimasse quemquam mortalium gratiæ sufficientis auxilio penitus destitui, si de Pharaone, quem in praua voluntate omnium qui aliquando vixerunt obstinatissimum Scriptura pronit, id minimè sensit, non sensit autem: licet enim dubitasse videatur, fuit tamen in contrariam partem propensior, vt constat ex libri de prædestinatione & gratia cap. 14. in quo cùm quædam præmisisset, quibus vilus erat significare Regem illum obstinationis suæ merito fuisse omni diuinæ gratiæ auxilio spoliatum, hæc deinde corrigens, subiunxit: *Ad hæc forsitan, si piè de Deo sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus?* Quod & probat consequentibus verbis, quæ paulò pòst referemus.

IV.

Quinti capitis quæ retulimus testimonia tam ad explicandum difficilia putat Vasquez prima parte disput. 97. cap. 2. & 6. vt concedere malit sanctum Augustinum in contraria nostræ fuisse sententiæ: ea tamen à Valent. hic disput. 8. quæst. 3. puncto 4. Bellarm. tomo 4. libri 2. de libero arbitrio cap. 8. & alij recentiores in bonum sensum interpretantur, & quidem duplicem: quorum prior est, ideo dici non imputatum fuisse Pharaoni post indurationem quòd Deo non obedierit, sed inflexionem quòd Deo non obedierit, sed inflexionem quòd eius tunc temporis inobiliter restiterit, quòd eius tunc temporis inobedientia leue peccatum fuerit, non absolutè secundum se consideratum, nam sic graue erat, sed comparatione prioris infidelitatis, qua dignũ se prædicta indurationē, & maioris quod antè habuerat diuinæ gratiæ auxilij priuatione reddiderat. Ideo autem tunc temporis leue hoc sensu peccatum fuisse, quòd post indurationem illam tam exiguo debilique, licet adhuc sufficienti, gratiæ auxilio moueretur ad obediendum, tanta autem tamque potenti in contrarium inclinatione traheretur, vt non posset non esse ei difficillimum obedire, ac proinde moraliter impossibile.

A

V.

Posterior est, dici Pharaonē Deo obtēperare non potuisse, impossibilitate non antecedente libertatem, sed consequente, nec proinde illam euertente, ex hypothesi scilicet quòd induratus esset, & in malo proposito nō dimittendi populum Israeliticum se ex libera penitusque voluntate obfirmasset, & eatenus tantùm illi non fuisse imputatam inobedientiam ad peccatum, quatenus obedire illi impossibile iam erat. Verùm cùm id non esset impossibile simpliciter, sed tantùm ex hypothesi indurationis, & obfirmatæ malæ voluntatis, ex hac etiam solùm hypothesi non fuisse hoc ipsi imputatum ad peccatum, simpliciter tamen & absolutè fuisse.

B

VI.

Videbuntur, vt facilè suspicor, expositiones hæ coactæ nonnihil & violentæ, sed aduertat qui eas recipere refugiet, esse sibi necessariò confitendum, S. Augustinum hac in parte sibi ipsi repugnasse. Alijs enim & multis locis clarissimè asserit Pharaoni etiam obdurato liberum fuisse Dei mandato obtemperare, & Israeliticum populum dimittere, ac proinde illi ad peccatum imputatum fuisse, quòd non obtemperauerit. Vt sermone 88. de Tempore, vbi ex instituto refellit eos qui dicebant Pharaoni non fuisse imputandum ad peccatum, quod Deo non pareret, nec prædictum populum dimitteret, eo quòd induratum à Deo cor haberet, & sic loquitur: *Quid ad nos Deum cur Pharaonem induraſſe, aut solum Latium, sed etiam aliquibus Clericis solet scrupulum generare: dicunt enim intra se, cur iniquum illa Pharaoni imputatur, cùm Dominus cor illius obduraſſe referatur? Diligenter attendite qualiter obdurationem illam debeatis accipere.*

C

VII.

Quem obdurationis modum explicans docet eam factam non fuisse per Dei potentiam, quasi fuerit Pharaoni simpliciter & absolutè necessarium Deo non obedire, sed potius per eiusdem Dei patientiam, qua ipse Pharao abutebatur. Quem obdurationis modū cùm multis Scripturæ testimoniis probasset, concludit his verbis: *Ista testimonia ideo insinuare volui, vt intelligatis, quia & obduratio non Dei potentia compellente perficitur, sed Dei remissione vel indulgentia generatur, ac sic Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia credenda est obdurasse.* Qui modus indurationis cùm certissimè nullam afferat necessitatem oppositam libertati,

D

VIII.

& eo modo induratum Pharaonem agnoſcat S. Auguſtinus, manifeſtum eſt eum aut ſibi repugnaſſe, aut cùm dixit illum obdurato corde non potuiſſe obtemperare, ſed inflexibiliter reſtitiſſe, ideóque eius inobedientiam illi ad peccatum imputatam non fuiſſe, non eſſe loquutum de impoſſibilitate libertatem ad obediendum eripiente, & antecedentem neceſſitatem afferente.

I.

Qui præterea libro de Prædeſtinatione & gratia cap. 14. de eodem Pharaone ſic loquitur: *Patientia Dei ei valere debuit ad ſalutem, qua differens meritum iuſtumque ſupplicium miraculorum verbera crebra denſabat. Nunquid non potuit ſicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tanta virtutis authorem agnoſcere?* Cuius loci vim Vaſquez diſput. citatæ cap. 3. fruſtra infirmare nititur, dum ait, non ſatis conſtare, vtrùm S. Auguſtinus, cùm dicit Pharaonem libere potuiſſe Deum agnoſcere, ac populum dimittere, de toto illo tempore loquatur quo fuit induratus, ac miraculis & flagellis admonitus, an de ea ſolùm temporis parte in qua nondum ſufficiente Dei auxilio deſtitutus poterat obtemperare. Reuera enim cùm id dicit, loquitur, vt ex relatis verbis ſatis conſtat, de eo tempore quo Deus differens ſupplicium quo tandem illum in mari obruit, miraculorum verbera crebra denſabat, & quo flagellis cæſus Pharao populum expulit, eóque tempore dicit huic Regi liberum fuiſſe Deum agnoſcere, eique obtemperare: at tempus illud non eam ſolam temporis partem comprehendit quo miraculis à Deo flagellari cœpit: nondum enim Deus tunc miraculorum verbera crebra denſabat, ſed ſolùm flagellare incipiebat: neque tunc Pharao populum expulit, ſed tantùm poſt acceptas omnes enumeratas in Exodo plagas, & proinde poſt totum tempus miraculorum & obdurationis: ergo etiam vult S. Auguſtinus illum eo toto quo fuit obduratus tempore potuiſſe liberè Deum agnoſcere, eique obtemperare: quod cum ſine ſufficiente gratiæ auxilio non poſſet, fatendum eſt illud ei tunc minimè defuiſſe.

II.

III.

Declarat hoc ipſum diſertè idem ſanctus Pater eiuſdem libri cap. 15. hac egregia ſententia, qua Nabuchodonoſorem & Pharaonem inter ſeſe comparat: *Quantum ad naturam, ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo Reges, quantum ad cauſam, ambo captiuum populum Dei poſſidentes, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fuit eorum fecit eſſe diuerſos, niſi quòd vnus magnum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libere contra miſericordiſſimam Dei veritatem pugnauit arbitrio?* Vbi cùm dicit Nabuchodonoſorem poſt flagella ingemuiſſe, Pharaonem autem flagellis à Deo correptum libere contra eum pugnaſſe arbitrio, clarè ſignificat, liberum fuiſſe Pharaoni Deo obtemperare, populumque dimittere, non modò antequam à Deo flagellis cæderetur, ſed etiam poſtquam cæſus eſt, & proinde eo ipſo tempore quo erat induratus.

IV.

Et ſanè cùm poſtquam Exodi cap. 7. dictum eſt induratum fuiſſe cor Pharaonis, nec audiuiſſe Moyſem & Aaronem, cap. 8. hæc ad illum habeãtur verba: *Hæc dicit Dominus Deus, Dimitte populum meum, ſi autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam*, &c. Cap. autem 9. iſta: *Quòd ſi adhuc renuis, & retines eum, ecce manus mea erit*, &c. Denique cap. 10. hæc: *Vſquequo non vis ſubiici mihi? Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi: ſin autem reſiſtis, & non vis dimittere eum, ecce ego inducam*, &c. his autem verbis clariſſimè ſignificetur in Pharaone obdurato libera poteſtas obediendi Deo, vt & reſiſtendi, dicere non poſſumus S. Auguſtinum non agnouiſſe in illo Rege hanc liberam arbitrij poteſtatem, quin ex conſequenti dicamus eundem non modò ſibi repugnantem, ſed & in re notiſſima ignorantem.

A

V.

SECTIO V.

Soluuntur duo deprompta ex ratione contra eandem aſſertionem argumenta.

PRIMVM iſtud eſt. Multæ gentes nunc carent, & olim caruerunt cognitione myſteriorum noſtræ fidei, ſine qua ſalus obtineri non poteſt, ergo & auxilio ſufficiente ad ſalutem conſequendam. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam: habuerunt enim & habent modò ſufficientia gratiæ præuenientis auxilia ad peccatum declinandum, & bonum morale faciendum, quibus ſi correſponderent modò, aut olim correſpondiſſent, Deus illas tandem ad prædictam cognitionem & ad iuſtificantem gratiam & adduceret nunc, & olim adduxiſſet: quod ſufficit vt dicantur habuiſſe olim, & nunc habere gratiæ auxilium ſufficiens ad ſalutem. Ita S. Thomas, quæſt. 14. de Verit. art. 11. ad 1. ſic ſcribens: *Si aliquis nutritus in ſyluis ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè tenendum eſt, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea quæ ſunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Qui poſterior habendæ rerum credendarum notitiæ modus ordinarius eſt & communiſſimus, prior ille extraordinarius & rariſſimus, teſte S. Auguſtino libri de bono perſeuerantiæ cap. 19. dicente *paucoſſimis eſſe donatum, vt nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum, vel per Angelos cœlorum doctrinam ſalutis accipiant, multis verò, vt Deo per homines credant.*

B

VI.

Secundum: fieri poteſt, nec ita raro euenit, vt quis ſtatim poſt lethale peccatum admiſſum aut in amentiam inſanabilem incidat in qua moriatur, aut aliquo caſu mortem ſubitò obeat: ergo Deus illi non præbet ſufficientem gratiam vt conuertatur, & ſalutem obtineat. Reſpondeo hoc argumento probari ſolùm noſtram ſecundam aſſertionem, nempe Deum non omnibus momentis ſeu continuè præuenire gratia ſufficiente homines, & excitare ad agendam de peccatis pœnitentiam, & proinde ad ſalutem obtinendam. Verùm etſi contingat hominem poſt mortiferum peccatum admiſſum ita repente emori, vt nulla ſufficiente gratia ſit excitatus à Deo, aut excitari potuerit ad concipiendum de peccato dolorem, non tamen inde conſequens eſt, priùs à Deo non fuiſſe

C

VII.

D

VIII.

communicatam illi sufficientem gratiam, qua salutem posset consequi. Vel enim ante peccatum, quo patrato statim moritur, iustus fuerat, vel non: si primum, patet datam illi à Deo ante fuisse gratiam necessariam ad salutem: si secundum, ea saltem gratiæ sufficientis auxilia acceperat quæ gentilibus communicantur ad peccata fugienda, bonúmque prosequendum: quod satis est, vt sicut isti, sic ille gratiam sufficientem ad salutem accepisse dicatur.

I. A

At dices, quid si paulò postquam ad adultam peruenit ætatem, & sufficiente Dei gratia præuentus ac excitatus bis tér ve fuisset, eique correspondisset, antequam vllum actuale peccatũ admitteret, repente moreretur, nondum excitatus iis gratiis sufficientibus quæ sunt proximæ ad obtinendam iustificationem dispositiones? Respondeo vel casum impossibilem esse, suppositâ doctrinâ quam multi Theologi tradunt, nullum adultum cum solo originali peccato mori posse, eo quòd Deus pro huiusmodi homine nullum post mortem locum destinarit, quo fit, vt ad eius prouidentiam spectet, impedire ne quis in eo statu moriatur: vel si possibilis est, distinguendum est: aut enim aliqua sua vel suorum vel aliorum industria potuit baptismum suscipere antequam moreretur, vel non potuit: si primum, patet illi fuisse sufficienter à Deo prouisum de medio ad salutem necessario: si secundum, dicendum est eius eandem esse rationem quæ infantium qui in maternis vteris aut simili casu moriuntur, quo possibile naturaliter non fuit illis baptismi conferre remedium: quibus Deus etsi sufficienter prouiderit de medio necessario ad salutem, quatenus ex affectu salutis ipsorum, sicut & cæterorum hominum, filium suum in Redemptorem dedit omnibus, & ex huius pro omnibus mortui meritis baptismi sacramentum, aliúdque ante legem Euangelicam originalis culpę remedium pro omnibus instituit, cui vim iustificandi contulit, eatenus tamen non prouidit, quatenus causas secundas ex voluntate sua sic disposuit, vt possibile naturaliter non fuerit illis hoc remedium actu applicare, sine cuius tamen actuali applicatione vt salutem actu non consequuntur, ita sine possibili applicatione non possunt consequi.

II. B

III. C

Cæterùm quod diximus, adulti alicuius hoc in negotio posse eandem esse rationem quæ infantis, non repugnat primæ nostræ assertioni, qua asserimus dari adultis omnibus auxilium ad salutem sufficiens: intelligenda enim est de iis adultis qui aliqua notabili temporis parte viuunt, & pro qualibet notabili periodo vitæ ipsorum, qua volumus eos subinde sufficiente Dei gratia præueniri, non pro quolibet momento vitæ eorundem, vt expressè secunda nostra assertione statuimus. Quod autem hîc dicimus, alicuius adulti eandem esse posse quæ infantis rationem, intelligendum est de eo adulto, qui non nisi breuissimo tempore fuisset adultus: nam si aliquo notabili fuisset, aut ante mortem in lethale peccatum incidisset, & sic sufficienti Dei gratiæ præuenienti non respondisset, suáque culpa careret vlterioribus auxiliis ad salutem necessariis, vt modo Ethnici: aut si omne graue saltem peccatum vitasset excitantibus Dei gratiis respondendo, iustificatus haud dubiè ante mortem fuisset.

IV. D

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta contra secundam positam secunda sectione assertionem. V.

PRIMVM Apocal. 3. dicitur Deus ad ostium stare, & pulsare: at hoc verum minimè esset, nisi continuè nos per sufficientem gratiam excitaret. Respondeo Minorem hanc falsam esse: licet enim Deus semper & continuè stet ad ostium cordis nostri per voluntatem præparatam nos opportunis temporibus præueniendi auxilio gratiæ sufficientis, non tamen semper pulsat actu, sed gerit se instar eius qui ad alienas fores stans vt ingrediatur ita pulsat, vt post primum pulsum expectet aliquantum, vt qui in domo sunt ad aperiendam ianuam veniant, antequam secundum & sequentes repetat.

Dices hanc responsionem nostram contrariam, esse Senonensi Concilio definienti in decreto 15. ne momentum quidem præterire, in quo Deus non stet ad ostium & pulset. Sed nego contrariam esse, quia Concilium verbis illis aliud nihil vult, quàm Deum continuè pulsare sancta cogitatione & inspiratione animum nostrum, non quidem Metaphysicè rem accipiendo, sed moraliter, quo modo continuè idem est ac frequentissimè. VI.

Atque hinc soluitur secundum, quod ex illorum Patrum authoritate petitur, qui cum Orosio superius citato videntur dicere Deum per momenta etiam & per atomos sufficiente gratia prævenire homines, & ad bonum excitare. Nam Patres illi tantùm volunt, Deum, etsi non continuè penitus, nec absque aliqua interruptione nos illa gratia præueniat, id tamen tam crebrò facere, vt nulla sit nostræ vitæ particula saltem notabilis, in qua subinde nos illius gratiæ dono non afficiat, & præueniat. VII.

Tertium sumitur ex communi Theologorũ axiomate, quod & habetur in Concilio Lateranensi cap. firmiter. de summa Trinitate, quemlibet viatorem quandiu est in via per pœnitentiam posse conuerti, tandiu autem in via est, quandiu est in hac vita, in hac autem est singulis momentis, & continuè eo toto quo viuit tempore: ergo eo toto & singulis eius momentis conuerti per pœnitentiam potest: atqui id non potest sine sufficiente gratiæ præuenientis auxilio, ergo illud ei à Deo tribuitur. Respondeo axioma illud intelligendum esse de viatore, non pro singulis viæ & vitæ eius momentis, sed absolutè pro toto quo viuit tempore, & qualibet notabili parte huius temporis. Etenim nec prædicti Concilij Patres, nec Theologi volunt ita singulis momentis posse quemlibet per pœnitentiam ad Deum conuerti, vt id etiam possit dùm dormit, aut vigilat quidem, sed nihil minùs quàm de Deo, agendáque pœnitentia cogitat. VIII.

Instabis primò, erit ergo subinde aliquod saltem breue tempus quo conuerti ad Deum homo non poterit. Respondeo id absurdum non esse, imo singulis & omnibus iis momentis

actemporis partibus, quibus à Deo sufficiente gratia non excitatur, id eum minimè posse.

Instabis secundò: si Deus peccatorem non continuè excitat ad agendam pœnitentiam, dabitur aliqua vltima excitatio, cui si peccator tunc non respondeat, salutem ampliùs cõsequi non poterit: at hoc absurdum videtur, fieri enim poterit vt is post hanc vltimam excitationem aliquandiu viuat, quo sanè tempore conuerti poterit, cùm, vt docet S. Thomas tertia parte quæst. 86. art. 1. error sit dicere aliquem dum adhuc viuit non posse conuerti. Respõdeo illud rectè sequi, sed absurdum non esse, imò quotidie euenire in multis qui in mortali peccato moriuntur: datur enim in illis ordinarie aliqua vltima cogitatio de confessione peccatorum instituenda, aut contritione elicienda cui non respondent, post quam aliquandiu viuunt nihil ampliùs ea de re cogitantes distracti aliis cogitationibus, quibus dum detinentur, aut rationis vsu priuantur, aut morbi vi subitò extinguuntur: quo fit vt ab illa vltima cogitatione, quæ fuit postrema gratia excitans, reliquo tempore quo viuunt ampliùs per pœnitentiam ad Deum conuerti nequeant.

Neque nobis aduersatur S. Thomas: vult enim tantùm, quod nos non negamus, errorem esse dicere quemlibet viatorem non posse conuerti, vel toto vitæ suæ tempore collectiuè sumpto, si aliquantum diuturnum sit, vel qualibet parte notabili huius temporis in qua capax est gratiæ præuenientis, cuius sanè capax non est dum in amentia aut simili statu est.

DISPVTATIO VI.

De gratia efficaci.

SECTIO PRIMA.

Declaratur prima de natura gratiæ efficacis sententia.

DOMINICVS Bannes & Franciscus Zumel partim ad quæstionem 14. 19. & 23. primæ partis, partim ad 110. & 111. primæ secundæ, quos satis multi recentiores sequuti sunt, docent gratiam efficacem esse motionem quandam & impulsum, quo creata voluntas sic ad agendum impellitur, vt ab eius vi physice prædeterminetur ad opus, nec possit ei resistere. Atque vt hæc eorum opinio meliùs intelligatur, ipsiúsque refutationi planior via sternatur,

Notandum in primis est, prædictos Authores velle motionem, in qua ratione efficacis gratiæ constituunt, esse ex se &, natura sua efficacem, seu talem, vt ea posita non possit voluntas ei resistere: ex se, inquam, & natura sua, id est, efficacitatem ei motioni conuenire non per modum prædicati alicuius accidentalis, minimè necessariò cum ea coniuncti, sed potiùs per modum prædicati essentialis necessariam prorsus cum ea connexionem habentis.

Notandum secundò, eosdem velle huius motionis efficacitatem proficisci ex vi quadam reali quam habet prædeterminandi voluntatem ad operandum, prædeterminãdi, inquam, id est, priùs natura quàm ipsa voluntas se per actionem suam determinet ad effectum producendum, eodem modo quo beatifica visio in intellectu posita beati voluntatem ad amorem Dei determinat prius natura, quàm ipsa voluntas se formaliter & in actu secundo per actionem suam determinet: vnde sicut hac visionis vi physica prædeterminandi voluntatem ad amandum Deum, fit vt hæc non possit non amare, nec sit indifferens vt amet vel non amet, ita prædicta motione fieri, vt voluntas non possit non operari, nec sit indifferens vt operetur, vel non operetur.

Notandum tertiò, illos præterea docere istud auxilium gratiæ vi sua formaliter prædeterminantis esse ita necessarium ad operandum supernaturaliter, seu aptè ad æternæ vitæ consequutionem, vt voluntas nullum possit opus ad eam conducens exercere, nisi ad illud prædicto auxilio determinetur. Imò nullum omnino opus à causa secunda fieri posse, dempto forte actu peccati, nisi prima ad illud physicè prædeterminet, propter essentialem subordinationem, qua quælibet causa secunda in suis operibus primæ subiicitur.

Notandum quarto, nomine præmotionis istius efficacis physicè nos ad operandum prædeterminantis intelligi posse, vel aliquid nobis extrinsecum, nempe decretum efficax diuinæ voluntatis absolutè & antecedenter, id est, non præsupposita & præcognita à Deo nostra determinatione & operatione libera, prædefinientis nostras actiones, seu decernentis vti nostra voluntate ad producendum actum naturalem, aut supernaturalem: vel quidpiam nobis intrinsecum, nimirum aut actualem Dei influxum, quo nobiscum reipsa concurrit ad effectus productionem: aut qualitatem aliquam in nostra voluntate à Deo productam, priùs saltem natura tam influxum Dei, quam nostrum in opus antecedentem, & ad illud physicè prædeterminantem. Etsi autem nomine prædictæ motionis hæc intelligi possint, hoc tamen postremum communiter à prædictis authoribus intelligitur, quando agunt de nostris operibus conducentibus ad vitam æternam, & ad ea prædeterminari nos dicunt motione gratiæ efficacis.

Notandum quintò, etsi iidem authores asserant nos prædeterminari per efficacem gratiam ad operandum, sic vt eius motioni resistere minimè valeamus, nec possimus non operari, eos tamen simul asserere per eam nostræ voluntati nullam imponi ad agendum necessitatem oppositam libertati, sed hanc mere libere operari: propterea quod, inquiunt, necessitas, qua necessarium est posita gratia efficaci voluntatem operari, non est necessitas absolutè & simpliciter, seu in sensu diuiso, sed solùm ex hypothesi gratiæ efficacis, seu in sen-

ſu compoſito, hæc autem non repugnat libertati, eamve eripit, ſed illa ſola quæ ſimpliciter & in ſenſu diuiſo dicitur. Atque vt hæc neceſſitatis diſtinctio intelligatur,

Notandum ſextò, cùm Theologi dicunt aliquid eſſe neceſſarium, vel non neceſſarium, poſſibile, vel impoſſibile, in ſenſu compoſito, aut diuiſo, eos huiuſmodi vocibus ſignificare compoſitionem vnius cum altero, aut certè diuiſionem & ſeparationem ab illo. Exempli cauſa, dum dicunt hanc propoſitionem, homo ſedens poteſt currere, eſſe falſam in ſenſu compoſito, veram in diuiſo, ſignificant hominem compoſita ſeu coniuncta cum eo forma ſeſſionis, ipſaque retenta, non poſſe currere, poſſe autem in ſenſu diuiſo, id eſt, diuiſa & ſeparata ab eo illa forma ſeſſionis currere poſſe, quod certum eſt. Vnde fit, vt quod in ſenſu compoſito poſſibile vel impoſſibile dicitur, dicatur etiam tale ex hypotheſi, ſeu ex ſuppoſitione formæ exiſtentis & remanentis in ſubiecto: quod autem in ſenſu diuiſo dicitur poſſibile vel impoſſibile, dicatur tale ſimpliciter, id eſt, ſine vlla hypotheſi formæ alicuius exiſtentis aut remanentis in ſubiecto.

Et quoniam fieri poteſt, & ſæpè fit, vt in aliquo ſubiecto ſit duplex forma accidentalis, vna mediante altera, hinc etiam fieri poteſt, & reipſa ſæpè fit, vt ſenſus compoſitus ſit duplex, aut etiam magis multiplex, pro multitudine diuerſarum formarum in eodem ſubiecto exiſtentium: v. g. quoniam in corpore ſubſtantiali poteſt eſſe quantitas, & figura rotunda ſimul mediante quantitate, hinc fit, vt huius propoſitionis, corpus quantum rotundum poteſt eſſe quadratum, ſit duplex ſenſus compoſitus, vnus ex compoſitione ſeu coniunctione quantitatis cum corpore, alter ex compoſitione rotunditatis cum corpore quanto: & primo quidem in ſenſu vera propoſitio eſt, quia corpus quantum retinens quantitatem habere figuram quadratam poteſt: in ſecundo falſa, ſed in ſenſu diuiſo vera, quia corpus quantum retinens figuram rotundam non poteſt habere quadratam, retinens autem quantitatem, ſed abiiciens rotunditatem, quadratam figuram habere poteſt.

Iam vt hæc ad propoſitum noſtrum accommodemus, dicunt authores initio relati componi cum homine ſeu coniungi certam motionem, & motionis huius efficacitatem, impoſſibile autem eſſe voluntatem non agere ex hypotheſi compoſitionis ſeu coniunctionis huius motionis cum homine, quia impoſſibile eſt illi coniungi motionem hanc, quin coniungatur & eius efficacitas, cùm hæc ſit natura ſua tam connexa cum motione illa independenter à noſtra libertate, vel libera operatione, quàm rationalitas cum homine. His prænotatis, impugnanda iam eſt relata ſententia, quod quo clariùs & efficaciùs fiat, in ſequentes ſectiones noſtra contra eam argumenta diſtribuemus.

I. A

II. B

III. C

IV. D

SECTIO II.

Relata ſententia Scripturæ authoritate refellitur.

DVo dicunt illius ſententiæ authores. Primum, gratiam efficacem acceptam ſecundum entitatem ſuam ita prædeterminare voluntatem ad faciendum id cuius cauſa datur, vt eam non relinquat indifferentem vt faciat vel non faciat. Secundum, poſita tali gratia voluntatem ei non poſſe reſiſtere, ſeu non poſſe non operari: quæ duo ſic inter ſe connexa ſunt, vt vno poſito ponatur neceſſariò & alterum, ſublatoque tollatur. Quod præmonere volui, vt ſignificarem ea omnia argumenta, ſiue ex authoritate, ſiue ex ratione petita quæ vnum ex duobus illis euertunt, euertere ſimul & alterum. Vtrumque ergo euertemus primo noſtro argumento ducto à quadruplici authoritate, Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Doctorum Scholaſticorum, quorum aliqua teſtimonia expreſsè repugnant phyſicæ illi prædeterminationi, aliqua alteri parti, nempe ei qua dicunt aduerſarij poſita motione gratiæ efficacis voluntatem non poſſe non operari, omnia autem implicitè vtrique, quandoquidem ſic vna pars cum altera connexa eſt, vt prior euerti non poſſit ſine poſteriore, nec poſterior ſine priore.

V.

VI.

Libri Num. cap. 30. *In arbitrio viri erit vt faciat, ſiue non faciat.* Ioſue 24. *Seruite Domino: ſin autem malum vobis videtur vt Domino ſeruiatis, optio vobis datur.* Primi Paralip. 21. *Trium tibi optionem do, vnum quod volueris elige.* Eccleſiaſtici 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui: adiecit mandata & præcepta, ſi volueris mandata ſeruare, ſeruabunt te.* Et ibidem: *Appoſui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Quibus omnibus locis cum euidentiſſimè declaretur indifferentia voluntatis humanæ vt faciat vel non faciat, aut etiam contrarium faciat, manifeſtè falſum videtur eam ſic à Deo prædeterminari ad vnum faciendum, vt indifferens non ſit ad oppoſitum. Et ſane ridiculus & mendax eſſet ille ſuperior, qui ſuis inferioribus diceret, permittere ſe vt ex duobus quod vellent eligerent, facerent vel non facerent, qui tamè ex iiſdem duobus vnum eis faciendum ita præſcriberet, vt ad illud phyſicè prædeterminaret, ſic vt non poſſent aut omittere, aut contrarium facere.

VII.

Præterea epiſtolæ 2. ad Corinth. cap. 6. *Exhortamur vos* (ait Apoſtolus) *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: Ergo præſupponit poſſe in vacuum recipi, & poſſe non in vacuum recipi: quid autem eſt in vacuum recipi, niſi ei reſiſtere, ſeu non cooperari? quid non in vacuum recipi, niſi eidem conſentire & cooperari? ſicut ipſe Paulus primæ ad Corinth. 15. explicat cùm ait: *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laborani, non ego, ſed gratia Dei mecum.* Quòd ſi ei reſiſtere non cooperando poſſumus, & ei cooperando conſentire, ergo talis natura ſua non eſt vt ad vnum prædeterminet, ita vt ei reſiſtere non poſſimus.

VIII.

Denique sic Matth.11. Christus loquitur. *Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Ex his enim verbis manifestè colligitur, gratiam quæ data fuit hominibus istis, non fuisse in eis
I. efficacem, cùm eorum consensum & conuersionem ab ipsis non impetrauerit: in Sidoniis autem & Tyriis futuram fuisse efficacem, cùm illam impetratura fuerit: ergo in his talis natura sua non fuisset, vt ei non possent resistere, & vim haberet voluntatem eorum physicè ad vnum prædeterminandi: si enim talis natura sua fuisset, cuicunque data fuisset, sicut suam in eo naturam retinuisset, ita eandem vim & virtutem in illum habuisset, cùm tamen in prædictos homines quibus reipsa data est non habuerit.

Tria respondere possunt aduersarij, nempe his Scripturæ locis vel significari tantùm libertatem voluntatis in consensu præbendo gratiæ, vt iis quæ relata sunt ante citatum ex secundæ ad Corinthios cap. 6. locum: vel non agi de gratia interna per illuminationem & in-
II. spirationem internam intellectus & voluntatis, sed de solo auxilio externo per prædicationem, & miraculorum exhibitionem, vt postremo loco quem ex Matthæo retulimus: vel si de interna gratia agitur, agi de sufficiente, vt relato ex secunda ad Corinthios testimonio, non autem de efficaci, cùm tamen huic soli vis physicè prædeterminandi tribuatur. Sed contra, nam locis omnibus citatis ante locum ex secunda ad Corinthios epistola manifestum est tribui voluntati non solum libertatem in operando, sed etiam indifferentiam ad operandum vel non operandum, quæ indifferentia stare non potest cum physica ad vnum prædeterminatione, etiam ex consensu aduersariorum.

Præterea falsum est loco illo Matthæi agi solùm de auxilio externo per prædicationem, &
III. miracula: agitur enim de eo gratiæ auxilio quo conuerti poterant ad fidem in Christum, & pœnitentiam homines de quibus ibi sermo est, & cum quo Tyrij & Sidonij erant reipsa conuertendi: at hi conuertendi non erant, nec illi conuerti poterant per auxilium solum externum prædicationis, & miraculorum, nisi accederet interna gratia mentem illuminans, & voluntatem impellens: hæc enim erat hæresis Pelagij quam refutat S. Augustinus epistola 107. & nos hoc de gratia Tractatu disput. 1. refutauimus, asserentis solam externam gratiam prædicationis sufficere ad credendum, & agendam pœnitentiam, hácque posita, esse in libera potestate voluntatis absque alia gratia consensum præueniente & excitante credere, & pœnitentiam agere: ergo agitur de interna gratia il-
IV. luminationis interioris & inspirationis, non verò de sola externa miraculorum & prædicationis.

Denique falsum est, si de interna gratia agitur, agi de sola sufficiente, non de efficaci. Primò, quia vel agitur de gratia quæ dat in actu primo vim sufficientem ad agendum, itavt nihil requiratur ex parte principij actiui necessariũ ad actionem, supposito, vt supponimus, in Deo decreto præbendi concursum voluntati necessarium ad liberam eius operationem: vel de gratia quæ non dat huiusmodi vim, sed cui aliquid deest ex parte principij actiui ad actionem necessarium: si primum, concedere debent aduersarij agi de gratia efficaci: hanc enim talem esse volunt, vt ex parte principij actiui sit ad agendum penitus necessaria, quandoquidem asserunt neminem sine ea posse operari, V.
quòd causa, eáque maximè quæ est ad agendum indifferens, agere nihil possit nisi ad vnum ex multis quæ indifferenter respicit prædeterminetur: si secundum, frustra & immeritò Christus Corozaitas & Bethsaiditas reprehendit quòd conuersi non fuerint: frustra Corinthios hortatur Apostolus vt gratię Dei cooperentur: falsò toties in Scriptura dicitur optionem nobis dari, nostro arbitrio consilióque relinqui vt faciamus hoc aut illud, vel non faciamus, si non habemus omnem ex parte principij actiui vim necessariam ad actionem, sine hac enim agere nullo modo possumus.

Secundò, quia vel Apostolus exhortans Corinthios ne Dei gratiam in vacuum recipiant, agit de ea gratia quæ vim habet prædeterminandi voluntatem, itavt hæc ei non possit non VI.
consentire, vel non agit, sed de alia: si primum, agit de efficaci, & frustra eos hortatur, cùm periculum non sit ne ei resistant, si per eam sic prædeterminantur ad consentiendum, vt non possint non consentire: si secundum, non aget quidem de efficaci, sed frustra eos hortabitur, vt ei cooperentur, quandoquidem sine gratia prædeterminante, ex mente aduersariorum, cooperari gratiæ nemo potest.

Tertiò, quia idem Apostolus eosdem Corinthios exhortans ne in vacuum gratiam Dei recipiant, agit haud dubiè de ea gratia, quam dicebat primæ Corinthiorum 15. se non in vacuum recepisse, & quam sperabat à Corinthiis saltem aliquibus non in vacuum recipiendam, & proinde efficacem in ipsis futuram, sicut in se fuerat, & quam moraliter cer-VII.
tum est in aliquo Corinthiorum fuisse reipsa efficacem, cùm credibile non sit nullum ex iis exhortationi Apostoli acquieuisse, & gratia esse cooperatum: agit ergo de gratia efficaci.

Denique, quia Christus Dominus illo Matthæi capite de gratia agit, quæ si fuisset data Tyriis & Sidoniis, ab iis conuersionem ad pœnitentiam impetrasset, & proinde efficax extitisset: agit ergo etiam de gratia efficaci, quæ tamen in Bethsaiditis & Corozaitis efficax actu non fuit, quia ei noluerunt actu cooperari, sed esse potuit, quia cooperari potuerunt, & reipsa fuisset, si fuissent reipsa cooperati: ex quibus satis manifestum meo iudicio relinquitur in gratia efficaci nullam esse vim ad vnum physicè prædeterminandi. VIII.

SECTIO III.

Eadem sententia Conciliorum authoritate refellitur.

ACCEDIT ad Scripturarum authoritatem Conciliorum authoritas, qua relata superiùs sententia præterea refellitur.

Atque

Atque in primis Concilij Senonensis, quod celebratum fuit anno 1528. paulò ante Tridentinum, cuius in decreto fidei 15. sic habetur: *Nec tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit* A *ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo, nec denique tale sit huiuscemodi trahentis auxilium, cui resisti non possit.* Quibus verbis manifestè dicitur posse resisti ei gratiæ de qua hic mentio est, ea autem efficax est, vt his certis indiciis cuiuis constare satis potest. I.

Primum est, quòd Concilium agat de gratia trahente, per hanc autem Patres omnes & Theologi efficacem intelligunt: imò etiam ipsi aduersarij, qui hæc Christi verba, *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum*, interpretantur cum Patribus & cæteris Scholasticis Doctoribus de auxilio gratiæ efficacis, ex eoque concludunt, gratiam hanc vim prædeterminandi physicè habere, eique non posse resisti: quod tamen ab eis malè concludi constabit postea ex obiectionum solutione. B II. Secundum est, quòd Concilium agat de gratia, qua non tantùm trahi possumus, sed etiam reipsa trahimur, seu ad Deum per consensum nostrum liberum venimus, & vt idem Concilium loquitur, *currimus*. paulò enim post sic ait: *Trahit quidem, sed in odorem eius currimus, non vt vnco raptamur*: ea autem est gratia efficax: nam eo ipso quo in actu secũdo trahimur, seu libere venimus, aut currimus, efficax est. Tertium, quòd eius gratiæ fiat mentio, quæ videtur & dicitur ab hæreticis præiudicare libero arbitrio, eique agendi necessitatem imponere, nec tamen reuera præiudicat aut imponit, qualis sanè non est ea cui actu resistimus, sed ea sola cui reipsa consentimus, & cooperamur, & quæ proinde efficax est.

Deinde Tridentini sess. 6. cap. 5. in quo sic C III. statuitur: *Itaet tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest.* Et can. 4. his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiue se habere, anathema sit.* Quibus verbis aperte asseritur posse hominem alicui gratiæ resistere, ei dissentire, eam abiicere. Probo autem hæc dici de gratia efficaci his argumentis.

Primum est, quòd citato cap. 5. de eadem gratia, quam dicit Concilium ab homine abiici IV. posse, immediatè antè dixit, adultos ei liberè D assentiendo disponi ad suam ipsorum iustificationem: omnis autem gratia, cui liberè quis assentitur, efficax est.

Secundum est, quòd Concilium dicat eã gratiam à nobis abiici posse cui reipsa liberè cooperamur, & quæ proinde est efficax: hanc enim cooperationem nostram affirmat, dum capite illo quinto negat nos hanc gratiam recipientes nihil agere, id est, ei non cooperari assentiendo, vt citato can. 4. loquitur, & hanc eandem cooperationem nostram liberam esse asserit, dum addit, *quippe qui illam abiicere possit.* His enim verbis continetur, vt patet, alicuius rei ratio quam Concilium reddit, non ratio quòd gratiam recipiamus: hæc enim cùm fiat in nobis sine nobis libere concurrentibus ad eius productionem, adhuc in nobis reciperetur, etiamsi eam abiicere non possemus: nec ratio quòd receptâ gratiâ aliquid agamus, id est, ei cooperemur: si enim ei necessariò cooperamur, adhuc cooperabimur, etiamsi abiicere eã non possimus: imò si cooperamur necessariò, male Concilium id probat ex eo quòd abiicere gratiam possimus, id est, ei non cooperari, sed resistere: non est enim argumentum necessariæ operationis potestas nõ operandi, sed potiùs libertatis in operando oppositæ necessitati. Ergo prædictis verbis continetur ratio, cur cooperatio nostra libera sit, quæ sanè optima est, cùm, vt dixi, potestas non operandi, dum operamur, sit euidentissimum argumentum libertatis quam habet facultas operans, eiusque operatio. V.

Tertium est, quòd Concilium citato canone quarto dicat ei gratiæ dissentire nos posse si volumus, cui reipsa cooperamur assentiendo, & quidem liberè, cum hac cooperatione disponi nos asserat ad gratiam iustificantem obtinendam, ad quam sanè, omnium Theologorum, etiam aduersariorum consensu, nunquam nostris actibus disponimur, nisi bonis & liberis: omnis autem gratia, cui liberè cooperamur, efficax est. VI.

Quartum, quòd Concilium canonem illum cõdiderit contra nostri temporis hæreticos, asserentes diuinam gratiam qua ad credẽdum, & in genere ad bonum agendum impellimur, talẽ esse, vt necessitatem nobis imponat operandi: contra quos sanè nullam vim haberet, dum sub anathemate definit gratię nos posse dissentire si volumus, & proinde non necessario ei consentire, nisi de eadem gratia loqueretur, de qua hæretici loquuntur, cùm eã nobis imponi agẽndi necessitatem aiunt: hoc autem non dicunt de alia quàm de ea quæ reipsa consensum à nobis impetrat & elicit, quæque proinde efficax est: ergo de efficaci Concilium etiam loquitur. VII.

Quintum, quòd capite illo 5. & sequenti describat totum ordinem & progressum omnium gratię effectuum ab exordio primæ vocationis, vsq. ad complementum gratiæ sanctificantis: ex quo clarum est ipsum de vocatione seu gratia efficaci, non de sola sufficiente agere. Atque hinc manet refutata prima aduersariorum responsio ad hæc Conciliorum testimonia, videlicet iis agi de sola sufficiente gratia.

SECTIO IV. VIII.

Duæ aliæ ad eadem responsiones referuntur, & refutantur.

SECVNDA responsio est, quando relata Concilia dicunt nos posse resistere & dissentire gratiæ, loqui de gratia non in sensu composito, sed diuiso, id est, posse nos antequam à Deo per gratiam moueamur resistere Deo mouenti, non autem quando ab eo mouemur, & suppositâ in nobis motione gratiæ. Refellitur hæc responsio,

primò quia Tridentinum Concilium cap. illo 5. euidenter de gratia in sensu composito loquitur: dum enim ait hominem inspirationem recipientem aliquid agere, & liberè agere, item illam abiicere posse, loquitur procul dubio de homine composita seu coniuncta cum eo gratia inspirationis, non verò antequam inspiratio ei insit, alioqui falsò doceret hominem aliquid agere conducens ad iustificationis gratiam consequendam, antequam diuina gratia inspiretur, cùm hæc fuerit Pelagij & Semipelagianorum hæresis. I. A

Secundò, quia canone illo 4. expressè definit liberum arbitrium, non antequam à Deo moueatur & excitetur, sed à Deo motum & excitatum, aliquid cooperari, & dissentire posse si velit: quod est apertissimè loqui de gratia non in sensu diuiso, sed composito. Et sane nemo cooperatur motioni gratiæ in sensu diuiso, id est, antequam hæc motio communicetur, sed tantùm quando communicata est: quare cùm dicat Concilium hominem aliquid motioni gratiæ cooperari, loquitur certissimè de motione gratiæ communicata homini, & proinde in sensu composito: cumque immediatè pòst addat, II. B eidem gratiæ posse dissentire si voluerit, cui reipsa cooperatur, procul dubio etiam tum de gratia in sensu composito loquitur.

Tertiò, quia prædicta Concilia dicunt posse nos resistere, posse dissentire gratiæ Dei: ergo supponunt gratiam hanc de facto iam nobis datam & inexistentem, ac proinde de ea in sensu composito loquuntur. Antecedens certum est ex relatis eorum testimoniis. Consequutio bona est, sicut enim nemo nisi inepte dicitur resistere tentationi, antequam ea actu pulsetur, aut dissentire consilio antequam ei reipsa consilium detur, sic nemo resistere Deo aut dissentire per gratiam vocanti, antequam reipsa vocetur.

Postremò, quia eadem Concilia, maximeque Tridentinum, his verbis vsa sunt ad damnandum errorem hæreticorum nostri temporis, asserentium nos Dei gratiæ non posse resistere, seu dissentire, & hanc proinde nobis agendi necessitatem imponere: illi autem non asserunt nos non posse resistere Dei gratiæ antequam ea nobis communicetur, sed dum communicata iam est: ergo dum Concilia definiunt nos posse Dei gratiæ resistere, agunt de iam communicata nobis gratia: nisi enim de eadem gratia asserant nos ei posse resistere, de qua hoc hæretici negant, nihil contra eos definiunt: atque si tantùm volunt ei posse resisti antequam ea nobis à Deo tribuatur, hæretici vltro consentiunt, qui de sola gratia quæ iam data est, resisti ei non posse asserunt. III. C

Tertia responsio est, loqui Concilia de sola motione gratiæ excitantis, quæ est actus aliquis noster vitalis & necessarius, priùs etiam tempore saltem aliquando in nobis productus, quàm ei demus aut negemus assensum, & hanc motionem esse natura sua talem, vt voluntatem ad consentiendum physicè non prædeterminet, & proinde vt relinquat indifferentem ad vtrumlibet, quò fit vt possit etiam in sensu composito dissentire, aut consentire: at non loqui de motione gratiæ efficacis quæ non est aliquis actus noster, sed est IV. D certa quædam qualitas in nobis à solo Deo effectiuè producta, applicans voluntatem ad agendum, & physicè prædeterminans, solo instanti naturæ eius operationem seu consensum antecedens, quæque proinde non ad gratiam vocantem seu excitantem, sed potiùs ad adiuuantem pertinet.

Verùm hæc responsio impugnatur primò, quia duo falsa supponit. Primum est, gratiam efficacem non esse gratiam aliquam vocantem & excitantem, contrarium enim superioris disputationis sectione prima probatum est. Confirmatúrque ex sancto Augustino lib. 1. ad Simplicianum, quæstione secunda, vbi ait *non esse in potestate hominis vt Deus frustra eius misereatur*: quibus verbis intelligi, etiam aduersariorum consensu, gratiam efficacem certum est: atqui sanctus Augustinus gratiam vocationis intellexit, ergo ex eius mente gratia efficax ad gratiam vocantem pertinet. Minor probatur, rationem enim reddens, cur in hominis potestate non sit, vt frustra Deus eius misereatur, sic immediatè pòst ait: *Quia si vellet Deus misereri, posset ita vocare quomodo aptum esset.* Et infrà: *Nullius frustra Deus miseretur, cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* V. VI.

Adde quod idem S. Pater lib. de prædestin. Sanctorum cap. 16. sic ait: *Est certa quædam vocatio electorum propria, de qua intelligitur illud, Non ex operibus, sed ex vocante, non quacunque vocatione, sed qua vocatione sit credens.* Et inferius: *Ad hanc vocationem omnes qui pertinent sunt docibiles, nec potest quisquam dicere, Credidi vt sic vocarer: præuenit enim eum misericordia Dei qua sic vocatus est, vt crederet.* Vbi cum manifestè agat de gratia efficaci, quia & eam electorum dicit esse propriam, & per eandem fieri credentes & consentientes eos qui illam accipiunt, cumque eam gratiam vocationem appellet, sanè censet gratiam efficacem ad vocantem seu excitantem gratiam pertinere. VII.

Secundum est, dari qualitatem aliquam mediam inter consensum nostrum liberum & gratiam vocantem seu excitantem, quod falsum esse tum sanctorum Patrum authoritate, tum ratione disputat. 4. sect. 2. probauimus. Neque fauet aduersariis Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de adoratione in spiritu & veritate, dum circa medium libri huius mystico sensu exponens quod habetur Genesis 19. nempe Loth Angelos tanquam peregrinos hospitio excepisse in domum suam, eósque ipsius, & vxoris, ac filiarum eius manum apprehendisse, vt Sodomis omnes educeret, distinguere videtur auxilium efficax quo fit vt à peccato recedamus, ab exhortationibus internis & inspirationibus, quæ ad excitantem seu vocantem gratiam pertinent, & sic loquitur: *Indicium tibi sit valdè manifestum, dum no solu verbis nos exstimulat, & adhortationibus menti immissis, vt discedamus à peccato, sed tantam benignitatem nobis etiam exhibet vniuersorum saluator Deus, vt efficaci subsidio adiuuet, secundu quod scriptum est, Apprehendisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me. Nam quoniam hominis natura non valdè generosa est, neque satis idonea vt malum effingere queat, si-* VIII.

mul quodammodo nobiſcum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, perſuadens admonitionibus vt ſubſidium inueniamus, & fortius illud præſtans, quàm vt malum præſens & violentum præualere poſſit. Neque enim verbis his S. hic Pater efficacem gratiam ſic diſtinguit ab internis exhortationibus de quibus loquitur, vt neget illam gratiam eſſe aliquam internam exhortationem, ſed inter has ipſas exhortationes ſeu gratias vocantes & excitantes diſtinguit, aliaſque aliis potentiores agnoſcit, ſic vt plerunque quæ ſatis virium habuit vt hominem ad bonum aliquod volendum & proſequendum afficeret, eum in concepto boni propoſito conſtantem non retineret, vrgente violenta tentatione, & offerente ſe malè agendi opportunitate, niſi tunc potentiore gratia excitante homo præueniretur, & præcedens gratia iſtâ ſubſequẽte cumularetur.

I. A

Impugnatur ſecundò eadem reſponſio ex eo quòd ſi Tridentinum Concilium ſeſſione 6. a cap. 5. vbi de gratia agit, & docet nos ei poſſe reſiſtere ac diſſentire ſi volumus, non facit vllam, vt aduerſarij dicunt, mentionem motionis illius prædeterminantis, euidens indicium eſt nullam dari huiuſcemodi motionem: hanc enim ſi Tridentinum dari putaſſet, & prorſus neceſſariam, quod iidem aſſerunt, eſſe exiſtimaſſet ad conſentiendum, & ſanctificantem gratiam reipſa conſequendam, eius certè mentionem facere non omiſiſſet, cùm ex inſtituto deſcriberet totum progreſſum & ordinem iuſtificationis, incipiendo à prima gratia vſque ad vltimam diſpoſitionem, quam formalis ſanctitas & iuſtitia ipſa conſequitur.

II. B

Tertiò, quia idem Concilium canonem illum quartum ſuprà relatum condidit ad condemnandum errorem Lutheri & Caluini, aſſerentium nos Dei gratiæ non poſſe reſiſtere, & proinde per eam nobis imponi ad agendum neceſſitatem: de eadem ergo gratia aſſeruit nos ei poſſe reſiſtere, & diſſentire, de qua id negabant prædicti hæretici: ſi enim id de alia dixiſſet, nihil contra illos definiuiſſet: at hoc aiebant illi de ſola gratia efficaci, ergo de illa quoque id Concilium ſtatuit, quacunque demum in re hæc poſita ſit, ſiue in gratia excitante, ſiue in aliquo alio: nihil enim hoc refert vel ad mentem hæreticorũ, qui nihil aliud à nobis contendunt, quàm vt concedamus diuina motione ſic nos prædeterminari, vt ei reſiſtere non poſſimus: vnde concludunt tolli libertatem, ſiue illa motio ſit aliquis actus noſter, ſiue aliqua alia qualitas: vel ad eorum refutationem, qui efficaciter refelluntur, ſi ſub anathemate ſtatuitur gratiam illam, quam ſic efficacem eſſe dicunt vt ei reſiſtere non valeamus, eſſe quidem efficacem, quandoquidem ei conſentimus, ſed non eſſe talem cui diſſentire ſeu reſiſtere non poſſimus.

III. C

IV. D

SECTIO V.

Eadem ſententia ſanctorum Patrum authoritate refellitur.

EX Latinis Patribus profero in primis S. Auguſtinum libro de ſpiritu & litera cap. 34. vbi ſic habet: *Miſericordia Dei præuenit nos, conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, noſtræ voluntatis eſt.* Atque vt conſtet ipſum de ea gratia agere cui ſaltem aliqui conſentiũt, & proinde efficax eſt, paulò pòſt addit: *Cur illi ita ſuadeatur, vt perſuadeatur, alteri autem non ita, duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat, ô altitudo diuitiarum! &, Numquid iniquitas apud Deum? cui reſponſio iſta diſplicet quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptores.* Cùm ergo de gratia quæ non modò ſuadet, ſed etiam perſuadet, ſeu conſenſum à nobis impetrat, & quæ proinde efficax eſt, dicat ei nos poſſe conſentire, vel ab ea diſſentire, manifeſtè repugnat prædeterminationi phyſicæ, qua fieri dicitur, vt voluntas efficaci gratiæ reſiſtere nequeat.

V.

Idem libri 1. retract. c. 23. loquens de poteſtate bene operandi quam per gratiam habemus, de eaque gratia quam vocat fortem, & qua dicit fortiter à Deo præparari noſtram voluntatem, præparatámque facilè facere opus pietatis, quæ gratia proculdubio efficax eſt, ait in poteſtate nihilominus hominis eſſe facere fructus bonos, aut malos: ergo ſentit poteſtatem bene operandi quam habemus per gratiam etiam efficacem non eſſe talem vt natura ſua prædeterminet voluntatem ad bene operandum, ita vt non poſſit non bene operari: ſi enim talis eſſet, ea poſita non eſſet in hominis poteſtate facere fructus malos, id eſt, gratiæ reſiſtere, ſed tantùm bonos, id eſt, ei conſentire.

VI.

Profero deinde B. Proſperum libri 2. de vocat. Gentium cap. 25. & 26. vbi vniuerſè loquẽs de gratia, & expreſsè complectens abundantiorem illam quæ non datur omnibus, quámque docet non eſſe violentam, ſubdit, voluntatem hominis ſubiungi debere, & ſubſequi poſt gratiam: *Quæ voluntas*, inquit, *de ſua habet mutabilitate, ſi deficit, de gratiæ vero opitulatione, ſi proficit: & quòd à multis refutatur gratia, ipſorum eſt nequitiæ: quòd à multis recipitur, gratiæ diuinæ eſt & voluntatis humanæ.* Et cap. 28. de Deo ita loquitur: *Qui ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem quæ poteſt nolle non auferat.* Quibus verbis primùm aperte docet quoſdam gratiæ aſſentiri, quoſdam alios diſſentire. Deinde eos qui diſſentiunt: ſuæ ſolùm malitiæ aſcribere debere quòd non conſentiant, cùm poſſint æquè conſentire ac diſſentire. Denique eos qui conſentiunt, quique proinde gratiam efficacem accipiunt, aſcribere conſenſum ſuum debere non ſuæ ſoli voluntati, ſed etiam diuinæ gratiæ, per quam Deus ipſum velle donat, id eſt, facit quòd velint & conſentiant, ſic tamen vt cùm donat velle, non auferat mutabilitatem qua poſſunt nolle, id eſt, liberam poteſtatem qua eorum voluntas poteſt velle aut nolle, conſentire aut reſiſtere.

VII.

VIII.

Præterea S. Anſelmum, qui in caput 6. Matt. ad illa verba, *fiat voluntas tua*, docet eos qui iuſtificantur poſſe reſiſtere motioni gratiæ, & hãc poteſtatem etiã in D. Paulo fuiſſe quãdo vocatus eſt. Eius hæc verba ſũt: *In Paulo videtur cogẽs Dei voluntas, ſed non eſt, quia licet ſit percuſſus, tamen voluntate erat libera vt reſiſteret, ſi vellet.* Quibus verbis quid clarius contra aduerſarios, cum gratia qua Paulus cõuerſus ad Deum eſt, fuerit haud dubiè efficaciſſima, & nihilominus talis,

vt ei resistere libera voluntate potuerit, vt ait S. Anselmus.

Qui etiam libro de Concordia Prædestinationis cap. 2. docet, quando quis vrgetur comminatione, & periculo mortis propositæ, vt in peccatum aliquod consentiat, non necessitari voluntatem, *quia sola*, inquit, *voluntas determinat quid teneat*, id est, an peccatum tendendo committat, an resistendo non peccet & vincat. Atqui huiusmodi tentatio tam grauis superari sine gratia non potest, vt ex dictis in hoc de gratia Tractatu disp. 1. certum est: ergo gratia ad eam vincendam datur, & quidem efficax, quando vincitur: dicítque nihilominus S. Anselmus, solam voluntatem determinare quid teneat: ergo dum voluntas determinat vt peccatum fugiat, non ab aliqua motione gratiæ antecedente ipsam voluntatis determinationem prædeterminatur ad non peccandum, sed ipsa sola se determinat. I.

Denique S. Bernardum qui Opusculo de interiori domo cap. 68. in fine ait *nos quidem salutis initium Deo miserante habere, acquiescere autem salutiferæ inspirationi nostræ esse potestatis*, quod est nos eam ita recipere, vt etiam repudiare possemus. II.

Ex Græcis Patribus duos tantùm produco, Chrysostomum scilicet & Damascenum, quorum ille homilia 81. in caput 26. Matthæi post medium sic scribit: *Dei vocatio nullum cogit, nec mentem eorum qui virtutem volunt contemnere vllo modo violentat, sed hortatur quidem ac consulit, & omnibus modis bonos esse persuades: si verò aliqui reluctentur, nullo modo cogit.* Et homilia 46. in caput 6. Ioan. non procul à fine: *Non enim vi & necessitate quadam Deus bonos facere consueuit: neq. electio eius violenta est, sed suasoria. Vt enim intelligas no cogare vocationem, multos vocatos perire continget. Quamobrem constat in nostro esse arbitrio, an saluemur, an perdamur.* Quib. verbis agit apertè de gratia quæ in aliquibus non habet effectum, cùm posset habere, in iis scilicet qui reluctantur & virtutem contemnunt, in aliis habet, & quæ proinde in iisdem est efficax, asseritque hanc in nostra libera potestate esse relictam vt ei consentiamus aut resistamus: non existimat igitur esse talem, vt physicè prædeterminet voluntatem ad consensum, ita vt ei resistere non valeamus. III. C

Hic verò lib. 2. de fide cap. vltimo: *Scire*, inquit, *oportet Deum omnia præscire, sed non omnia prædeterminare: præscit enim ea quæ in nostra potestate sita sunt, non tamen ea prædeterminat.* Atqui consensus noster gratiæ dandus in nostra potestate est, quia nobis liber est, etiam ex mente aduersariorum, qui nolunt vi illius imponi nobis agendi necessitatem oppositam libertati; ergo ad hunc consensum Deus nos physicè non prædeterminat: IV. D

Nec fauet aduersariis quod S. Thomas prima parte quæst. 23. art. 1. ad 1. citans hoc D. Damasceni testimonium sic explicat, vt dicat hunc S. Patrem prædeterminandi vocabulo quo vtitur solùm velle Deum non imponere necessitatem agentibus liberis. Vt enim nihil aliud velle concedamus, hinc nihilominus efficaciter concludimus, prædeterminationem illam physicam quam aduersarij admittunt, esse mentu & doctrinæ D. Damasceni repugnantem, quoniam si daretur, nobis agendi necessitas imponeretur, vt inferius ostendemus.

SECTIO VI.

Eadem sententia & S. Thomæ & Doctorum aliorum authoritate refellitur. A V.

A Divngo sanctis Patribus Doctores Scholasticos, ac in primis omnium principem S. Thomam, qui tribus potissimum locis tractans ex instituto ea de re de qua nunc agimus, explicansque quomodo ex efficacia diuinæ voluntatis, & motione gratiæ non impediatur vsus libertatis, clarè semper supponit voluntatem non prædeterminari ad vnum, sed manere indifferentem ad multa, ipsamque se ad vnum per actionem suam in actu secundo determinare, & motioni gratiæ posse resistere.

Primus locus habetur prima parte quæst. 19. art. 8. in quo docet diuina voluntate non tolli rerum contingentiam, sed potùs hanc ex efficacitate diuinæ voluntatis ortum habere, quoniam Deus facit nō solùm vt res sint, sed etiá vt sint cū contingentia, cū qua vult illas esse: quod quomodo assequatur recte explicat, dicēs Deū, qui effectib. quos vult esse necessariò præparat causas necessarias & indefectibiles, pro effectib. liberis & contingentib. præparare causas contingentes & defectibiles: atqui potissima causa quam Deus prædestinatione sua præparat, vt sit consensus noster disponens ad sanctitatem in hac vita, & gloriam in futura, est gratia, quæ non modò suadet, sed etiam persuadet, & quæ proinde efficax est: ergo hæc est natura sua defectibilis, talis autem non esset, si voluntatem ad vnum sic prædeterminaret, vt ei resistere no valeret: tunc enim reuera esset prorsus indefectibilis, taliſque ea causa à D. Thoma dicitur quæ non potest non habere effectum. VI. VII.

Secundus habetur 1. 2. quæst. 9. artic. 6. ad 3. vbi sic ait: *Deus mouet voluntatem sicut vniuersalis motor, sine qua motione nihil potest velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc aut illud, quod est verum bonum, aut apparens.* Vbi particula aduersatiua, *sed*, manifestè declarat motionem causæ primæ diuersam esse à determinatione, & hanc tribui soli voluntati creatæ, illam verò motionem, Deo.

Tertius eadem parte quæst. 19. artic. 4. in quo quærit vtrum voluntas ex necessitate moueatur, & respondet non moueri, quia Deus mouet omnia secundùm conditionem naturæ suæ, ideòque cùm voluntas non sit determinata ad vnum, sed indifferenter ad multa se habeat, *sic Deus*, inquit, *eam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens.* VIII.

Nec dicant aduersarij S. Doctorem negare solùm voluntatem à Deo ea determinatione ad vnum determinari quæ libertatem eripiat. Primùm enim ei repugnant, dū asserunt voluntatem sic à Deo moueri, vt ad vnum prædeterminetur, & motioni resistere non possit, siue cum tali prædeterminatione possit consistere libertas, siue non: D. enim Thomas contrarium hîc late docet, inquiens Deum mouere omnia, &

proinde voluntatem, iuxta conditionem naturæ suæ, & hanc non esse ad vnum determinatam, sed indifferenter ad multa se habere: hinc enim euidenter sequitur, à Deo sic moueri voluntatem, vt maneat indeterminata ad vnum, & ad multa indifferenter se habeat, quod è diametro aduersariorum doctrinæ opponitur.

I. Deinde ideo concluſit idem S. Thomas, Deũ voluntatem creatam non determinare ad vnum ex neceſſitate: quia exiſtimauit, quod veriſſimum eſſe quarto noſtro argumento oſtendemus, ſublata indifferentia voluntatis ad multa, & poſita per Dei motionem antecedentem ordine cauſalitatis noſtrum conſenſum ad vnum prædeterminatione noſtræ voluntatis, ſic vt non poſſit non operari, imponi ei operandi neceſſitatem. Cur enim voluntatis libertatem oppoſitam neceſſitati explicuit per indeterminationem ad vnum, & indifferentiam ad multa, niſi quia putauit per prædeterminationem voluntatis ad vnum, & negationem indifferentiæ ad multa, tolli libertatem, & imponi neceſſitatem? quam cùm admittere nolit, & nemo ſine hæreſi velle poſſit, conſequens eſt eum non admittere prędeterminationem illam phyſicam
II. quam admittunt ij contrà quos agimus.

Idem docent ex celebrioribus Thomiſtis Caietanus ad citatum articulum 8. primæ partis, & ita clarè, vt Bannes eodem loco dicat ipſum, quem pro ſua ſententia citat, ſibi contradixiſſe: præterea prima ſecundæ ad art. 2. quæſtionis 111. §. *Ad hoc dicitur*, aſſerens actum voluntatis qui eſt circa finem, quique eſt effectus gratiæ operantis, procedere effectiuè à voluntate, & eſſe liberum, *quia poteſt*, inquit, *ab eo diſſentire*: quibus verbis aperte loquitur de gratia efficaci, cùm agat de actu libero voluntatis qui eſt effectus gratiæ.

Ferrarienſis quoque libri 3. contra gentes c. 159. §. *Ad huius euidentiam*, vbi poſtquam diuiſit auxilium Dei in habituale & actuale, dixitq, actuale eſſe motionem Dei & hanc omnib. tribui, vt ea vtentes præparent ſe ad ſuſceptionem
III. gratiæ habitualis, hæc verba ſubiungit: *Quia diuina prouidentia vnumquodque ſecundùm naturæ ſuæ conditionem gubernat, & mouet, homo autem eſt liberi arbitrij, poteſtque diuinã motionem ſequi, & non ſequi, inde eſt, quòd aliqui diuinam hanc motionem ſequentes ſe ad gratiam præparant, aliqui verò non ſequentes non ſe præparant, ſed magis illi impedimentum præſtant peccando.* Quibus verbis & de gratia efficaci loquitur, cùm dicat eam ſequentes prępararе ſe ad habitualem gratiam, & negat habere vim prædeterminandi phyſicè, cùm affirmet hominem ex libertate ſua poſſe eam ſequi, & non ſequi.

Præterea Dominicus Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 16. cuius in principio loquens de operib. gratiæ, reſpondénſque obiectioni quam ex Lutheranorum doctrina proponit his verbis, *Si quando Deus vel ad bonum vel ad malum nos mouet, in noſtra poteſtate eſſet non moueri, motio Dei non eſſet efficax*: dicit in primis Deũ conſtituiſſe mouere cauſas aliquas naturaliter, alias liberè, & cum ſingulis modo ipſis proprio concurrere: tum ſubdit, quando cum homine concurrit, quia non vult quidquam ab eo fieri niſi ſalua eius libertate, ipſum illi poſſe reſiſtere: & paulò poſt tanquam abſurdum reputat ad voluntatis operationem quidpiam prærequiri, quo poſito non ſit in eius poteſtate ſicut operari, ita non operari. Idem rurſus in explicatione quarundam ſuarum opinionum, quas ad finem libri 4. ſententiarum adiecit, vtramque earum confirmans ex his Chriſti verbis Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum*, clarè pronuntiat, in noſtra poteſtate eſſe Deo trahenti conſentire, aut diſſentire, & proinde gratię efficaci, quæ tractionis illius nomine omnium conſenſu ſignificatur. V.

Capreolus denique, vt alios Thomiſtas omittam, in 2. diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. contra 2. concluſionem, vbi poſtquam dixit Deum ad actus bonos cum voluntate concurrere, nõ ſolùm coefficiendo, quo modo ait eum concurrere & ad malos, & ad quaſcunque naturalium agentium actiones, ſed etiam faciendo vt voluntas faciat, nempe pręueniendo liberum voluntatis actum bonum, & ad eum alliciendo per motionem gratiæ excitantis, tum hæc verba ſubiungit: *In qua tamen motione non neceſſitatur, ſed ſicut inſtrumentum liberum exiſtens, in*
VI. *cuius poteſtate eſt ſequi motionem agentis, mouetur, ita vt agat ea quæ non ſic adiuta nequaquam agere potuiſſet*: quibus verbis & clariſſimè loquitur de motione gratiæ efficacis, cùm loquatur de bonis actibus ex motione gratiæ factis, & ſignificat in libertate voluntatis eſſe poſitum illam non ſequi, ſicut & ſequi: quæ etiam à ſe dici maximè conformiter doctrinæ S. Thomæ in hac materia de gratia ibidem aſſerit.

Ex aliis idem etiam docent Alenſis parte 1. q. 26. quæ de diuina prouidentia eſt, memb. 4. art. 3. vbi tribuens Deo eam circa res naturales prouidentiam, quam *ſecundùm acceptionem* vocat, eamque circa res hominis voluntati ſubiectas, quam *ſecundùm conceſſionem* nũcupat, & hoc inter vtramque diſcrimen ponens, quòd illa verſetur in iis in quibus nulla reſiſtentia eſt, hæc è
VII. contrario ſolum in iis in quibus huiuſcemodi reſiſtentia & contradictio eſſe poteſt, non obſcurè ſignificat humanam voluntatem cuiuis motioni gratiæ poſſe reſiſtere. Vnde & ibidem diſertè ait, Deum liberi arbitrij poteſtati reliquiſſe vt conſentiat, vel diſſentiat, nec illud coegiſſe, ſed permittere vt quidquid vult faciat, licet in bono ipſum adiuuet inſtinctu gratiæ, quod in malo non facit.

Scotus quoque in 2. diſt. 37. quæſt. 1. §. *Ad ſolutionem*. & in 4. diſt. 49. quæſt. 6. § *Dico ergo*. Gabriel in 2. citata diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. notabili 1. Gregorius diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. Ochamus in 1. diſt. 38. q. 1. littera I. Catharinus opuſc. de præſcientia Dei, cap. vlt. Valdenſis lib. 1. doctrinalis fidei cap. 25. Abulenſis
VIII. in caput 19. Matthæi quæſt. 175. littera I. Ruardus Taperus artic. 7. pagina præſertim 306. & 312. vbi rectè diſtinguit Dei motionem ab eius intentione, aitque voluntatem creatam illi motioni poſſe reſiſtere, etſi iſti intentioni non poſſit. Alphonſus à Caſtro verbo *gratia*, hæreſi prima, & verbo *libertas*, hæreſi item prima in reſponſione ad 2. Lutheranorum obiectionem, vbi ait, Deo nos attrahente in noſtra nos relinqui libertate vt acquieſcamus illi vocanti & trahenti, aut vt audita eius voce cor da noſtra

obdúremus. Omitto Bellarminum lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 12. multosque alios recentiores.

Qui supra citati & Doctores & Patres, si dicantur ab aduersariis loqui de sola gratia vocationis, non verò de ea quæ est media inter cõsensum nostrum liberum & prædictam gratiã, quæq. sola vim habet voluntatem physice prædeterminandi, ita vt resistere nõ possit, vere quidem dicentur, sed hinc aperte concludemus, illam intermediam aduersariorum motionem communi & Patrum & Doctorum Scholasticorum doctrinæ esse repugnantem, cùm hi tam sæpe de gratia efficaci egerint, nec eam vnquam in ista intermedia motione constituerint, aut vllam huius mentionem fecerint.

I. A V.

SECTIO VII.

Secundum & tertium contra eandem sententiam argumentum.

II. B VI. SECVNDVM istud est. Repugnat illa sententia certissimæ Scripturarum, Conciliorum, Patrumque doctrinæ, quæ est, dari etiam reprobis sufficientem gratiam ad bene operandum, cuius beneficio potentes sunt bene agere, ita vt per eos solummodo stet, si reipsa bene nõ agant: ergo falsa est. Quod repugnet, sic probo. Illa gratia non est sufficiens ad operãdum, quæ non dat vim sufficientem operandi, seu quæ nõ cõstituit hominem in actu primo plene potentem ad agendum: atqui gratia quæ datur reprobis talis est, ergo non est sufficiens. Maior ex terminis nota est. Minor probatur. Illud non dat vim sufficientem, nec constituit hominem in actu primo potentem simpliciter ad agendũ, cui aliquid necessarium deest vt possit agere, quod & per se constat ex terminis, & inductione per agentia omnia creata, quæ non censentur habere simpliciter vim agendi, quandiu carent re aliqua necessaria vt possint agere, vt oculus specie coloris, intellectus lumine gloriæ, vt possit hic Deum, ille colorem cernere: atqui ei gratiæ quæ datur reprobis deest aliquid necessarium vt possint bene operari, deest nimirũ motio illa gratiæ physicè prædeterminantis, quam si haberent, cum ei voluntas non possit resistere, bene procul dubio operarentur, nec proinde reprobi essent, quámque sic esse necessariam ad bene operandum aduersarij docent, vt asserant neminem sine ea posse bene operari, vt & sine prædeterminatione naturali causæ primæ nulla causa secunda quidquam naturale operari simpliciter potest, vt iidem asserunt.

III. C VII.

Prima ad hoc argumentum responsio est, gratiam quæ dicitur sufficiens non dici sufficientẽ ad velle, seu ad operari, sed tantùm ad posse velle, seu ad posse operari, gratiam autem physicè prædeterminantem, & proinde efficacem, non esse necessariam ad posse velle, & operari, sed tantùm ad velle, & ad operari, ideóque duo hæc sibi nõ repugnare, quòd scilicet detur gratia reprobis quæ sit sufficiens vt possit velle & operari bene, quódque nihilominus careant auxilio necessario ad volendum & operandum bene.

IV. D VIII.

Refellitur hæc responsio primò, quia aduersariorum ipsorum doctrinæ repugnat: docent enim gratiam efficacem esse motionem quandã voluntati impressam ipsique inhærentem, quæ est veluti complementum vltimum virtutis necessariæ ad agendum, sine quo vis actiua voluntatis, imò etiam ipsius caritatis habitualis in voluntate existentis, est, vt iidem aiunt, incompleta & insufficiens ad actum amoris eliciendũ, perinde atque vis visiua oculi incompleta est sine specie coloris, & vice versa vis speciei sine virtute visiua oculi: ergo sicut vis visiua oculi completa non est & sufficiens sine specie, non modò vt actum visionis exerceat, sed etiam vt possit exercere: ita gratia quę dicitur sufficiens, incompleta erit & insufficiens sine auxilio gratię prædeterminantis, non modò vt homo actu operetur bene, sed etiam vt possit bene operari. Refellitur secundò ex eo quòd impossibile est aliquid sufficere ad posse velle, & operari, quod non sufficiat ad ipsum velle & operari, vt disput. 5. sect. 1. probauimus.

Secunda responsio est, esse in potestate hominis habentis auxilium sufficiens habere etiam efficax, quo nunquam quis caret nisi ex aliqua libera resistentia sua: ideóque reprobos, aut eos qui gratiæ sufficienti non cooperantur, habere absolutè vim sufficientem, nõ solùm vt possint agere, sed etiam vt agant, sicut ij qui præter sufficientem gratiam, motionem physicè prædeterminantem accipiunt, habent absolutè vim sufficientem ad agendum, licet eo instanti naturæ non habeant in actu secundo influxum Dei ad agendum prorsus necessarium, quia illum habere possunt, eíque ipse præparatus est, quem nisi habere possent, non censerentur, posita etiam prædeterminatione gratiæ efficacis, vim ad agendum sufficientem habere.

Verùm hæc responsio hac efficaci ratione refellitur. Motio gratiæ efficacis in hominis potestate non est, nisi quia aut illam immediate per actionem suam liberam efficere in se potest, aut certè quia libere aliquam in se dispositionem potest ponere, quam Deus expectat, vt ea posita conferat motionem gratiæ efficacis: atqui neutro modo in eius potestate est, ergo nullo. Maior certa est: nullus enim alius probabilis modus assignari potest, nec ab aduersariis alius assignatur. Confirmatúrque à simili de gratia habituali, quæ in nostra potestate esse dicitur, non aliter quàm quia libere dispositiones ad eam in nobis producimus, cùm ipsam immediatè per actionem nostram efficere non possimus. Probatur Minor, ac primo quidem modo gratia efficax in hominis potestate non est: certum enim est, consentientib. etiam aduersariis, eam à nobis immediatè non produci per actionem nostram liberam, quacunque demum in re hæc gratia sita esse dicatur: nec etiam secũdo, si quæ enim dispositio ad gratiam efficacem in nostra libera potestate est, erit haud dubiè aut positiua, aut negatiua, neutrũ autem dici potest.

Et quidem non positiua, dispositio enim positiua libera esse tantùm potest per aliquem nostrum actum liberum, at nullus noster actus liber potest esse dispositio ad gratiam de qua hic sermo est. Is enim aut erit bonus moraliter, aut non: si no, sanè non erit dispositio ad gratiam, præsertim tantam quanta est efficax: si bonus,

erit aut ordinis merè naturalis, id est, qui sine gratiæ auxilio elici per naturæ vires poterit: aut supernaturalis, id est, qui non poterit elici per vires naturæ nisi adiutæ auxilio gratiæ: dici non potest ordinis merè naturalis, qui enim hoc diceret, incideret in hæresim Pelagij & Semipelagianorum asserentium posse nos aliquid per naturæ vires facere, quo disponamur, & moueatur Deus ad auxilium gratiæ nobis conferendum. Si supernaturalis, quæro an ille actus bonus ex auxilio gratiæ elicitus, fuerit elicitus ex auxilio necessario gratiæ efficacis physicè prædeterminantis, an non? Si secundum, ruit aduersariorum tota doctrina, affirmantium nullum actum bonum supernaturalis, sensu prædicto, ordinis à nobis fieri posse sine auxilio gratiæ physicè prædeterminantis: atque si semel concedant ad aliquem gratiam hanc minimè necessariam esse, idem pari iure de multis aliis, imò de omnibus concedere debebunt. Si primum, quæro rursus, an gratia prædeterminans ad actum illum disponentem ad aliam gratiam prædeterminantem accipiendam fuerit in nostra potestate, an non? si non fuit, neque etiam fuerit quod ex illa sequutum est, nec proinde gratia illa alia prædeterminans quæ hanc dispositionem sequitur & præsupponit, vt dicunt aduersarij, quādoquidem hæc, eorum etiam consensu, in nostra potestate non est, nisi ratione dispositionis quæ illam antecedit: si fuit, fuerit haud dubiè altero ex duobus modis initio argumenti allatis, nec primo, propter eam rationem quam ibi attulimus: nec secundo, quia oportuerit actum aliquem bonum supernaturalis, sensu prædicto, ordinis à nobis exerceri, quo nos ad eam gratiam disposuerimus, & ad illum actum exercendum aliam priorem gratiam prædeterminantem dari, & ita dabitur processus infinitus in gratiis prædeterminantibus, & actibus bonis ad hanc gratiam habendam disponentibus.

I. II. III. IV.

Aduerte autem hunc quoque processum sequi ex sententia aduersariorum, etiamsi dicatur hunc actum bonum liberum qui est dispositio ad gratiam physicè prædeterminantem esse ordinis merè naturalis. Cùm enim velint, nos nihil posse agere boni etiam naturaliter, nisi prædeterminati simus auxilio aliquo ordinis naturalis, quærendum ab iis est, an illa prædeterminatio naturalis in nostra potestate sit, nec ne? si non est, neque illud erit quod ex ea sequitur: si est, erit altero ex duobus modis initio allatis: non primo, ob rationem ibi allatam: nec secundo, quoniam oportebit aliquo nos ad illam prædeterminationem naturalem disposuisse nos per actum bonum naturalem, quem præcedere debuerit alia naturalis prædeterminatio, & hanc alius actus bonus naturalis, & hunc alia prædeterminatio naturalis, & ita debebit admitti progressus in istis actibus & prædeterminationibus infinitus.

Neque etiam negatiua, quam tamen ex aduersariis nonnulli admittunt, dicentes esse in potestate hominis habere gratiam physicè prædeterminantem, non aliquid physicè faciendo, sed mere negatiuè se habendo, & sic sinendo se moueri efficaciter à Deo. Quæro enim quænam illa sit negatio libera, ratione cuius homo dicitur sinere se à Deo moueri efficaciter? Certè cùm sit negatio libera, debet esse alicuius actus liberi negatio, nisi enim actus liberi negatio sit, non potest intelligi quomodo sit libera negatio. Atqui actus cuius est negatio, liber non esset, is enim non esset in potestate voluntatis, quia volunt aduersarij omnem actum voluntatis esse à prædeterminatione physica, antecedente ipsum actum, & proinde tollente libertatem, vt sequenti sectione probabimus: quod si actus liber non esset, nec libera negatio est: quod si libera non est, nec gratia prædeterminans, hanc negationem vt dispositionem consequens, erit in nostra potestate, quandoquidem, vt antè dixi, & aduersarij consentiunt, hæc in nostra potestate non est, nisi quia dispositio ad illam prærequisita in nostra potestate est.

A B C D

V. VI. VII. VIII.

Confirmatur, quemadmodum si ille actus fieret, ideo fieret, quia Deus ad eius exercitium prædeterminaret, ita quod non fiat, & proinde quod eius in homine carentia sit, ideo est, quia Deus ad eius exercitium non prædeterminat: & sicut in hominis potestate non est vt Deus ad actum prædeterminet, nisi sit in potestate hommis illa Dei prædeterminatio, vel immediatè secundùm se, vel secundùm aliquam dispositionem ad ipsam, ita nec in hominis potestate erit vt Deus non prædeterminet, nisi hæc non prædeterminatio sit in hominis potestate, vel secundùm se, vel secundùm aliquam dispositionem ad ipsam: certum autem est non esse secundùm se, quia nulla negatio secundùm se attingi immediatè per actionem liberam potest: nec secundùm aliquam dispositionem, hæc enim dispositio erit vel positiua, vel negatiua: non positiua, tum ob allatam superiùs rationem: tum quia ridiculum est ad dispositionem negatiuam prærequirere positiuam: nec negatiua, quia hæc erit vel libera, vel non: si secundum, quod ex ea sequetur non erit liberum, nec proinde erit in libera potestate habere gratiam physicè prædeterminantem quæ sequitur istam dispositionem, vt iam dixi sæpius: si libera, redit argumentum, & admittitur progressus infinitus in dispositionibus negatiuis, & non prædeterminationibus physicis, sicut suprà in positiuis dispositionibus & physicis prædeterminationibus admittebatur.

Præterea concedamus actum, cuius negatio erit dispositio ad efficacem Dei motionem recipiendam, esse liberum, & proinde liberam etiam esse eius negationem, negatio illa erit actus aut naturalis, aut supernaturalis, aut boni, aut mali: non supernaturalis & boni, ridiculum enim est asserere disponi nos ad gratiam efficacem per omissionem actus boni & supernaturalis: nec etiam naturalis & mali: vel enim ad puram illam omissionem efficax gratiæ auxilium prærequiretur, vel non: si primum, quæro, an auxilium illud in nostra sit potestate, nec ne? si non est, nec erit etiam id quod ex eo sequitur, nec proinde ipsa gratia efficax quæ hanc sequitur dispositionem: si est, vel secundùm se, & hoc minimè, vt antè probatum est: vel secundùm aliquam dispositionem ad ipsam, neque hoc quoque, quia dispositio hæc erit aut positiua, aut negatiua, & sic redeunt argumen-

ta quibus vtraque pars huc vsque impugnata est. Si secundum, id est, si ad huius actus naturalis & mali puram omissionem nullum gratiæ auxilium necessarium est, sed mere per naturæ vires actus ille omitti potest, illa negatio non
I. poterit esse vera ad gratiam dispositio: si enim ad eam dispositio non est actus realis bonus mere naturalis, id est, per solas naturæ vires elicitus, ne cogamur alioquin initium aliquod gratiæ ex nobis cum Semipelagianis admittere, multo minùs erit pura negatio actus mali naturalis, qui mere per solas naturę vires omittetur, nisi forte dicatur hæc negatio dispositio pure remouens prohibens, nempe peccatum, quod mox refutabitur. Adde quòd ex dictis in Tract. de Deo, disput. 38. sect. 6. & in hoc ipso de gratia Tractatu disput. 1. sect. præsertim 7. clarum est, nullius actus mali puram omissionem solis naturæ viribus esse ascribendam, sed semper alicui etiam diuinæ gratiæ.

Affinis maximè est illi secundæ responsioni hactenus refutatæ hæc tertia, hominem acceII. pturum à Deo certissimè gratiæ efficacis seu physicè prædeterminantis auxilium, nisi huic impedimentum per peccatum obiiceret: atque vt potest non peccare, ita posse illud à Deo gratiæ auxilium accipere. Sed refellitur in primis ex eo quòd cùm homo nunquam peccet, aut fere nunquam, mere negatiuè se habendo, sed semper positiuum aliquem & realem peccati actum exercendo, etiam dum peccat peccato omissionis, commissionis autem peccare nequeat nisi hunc actum exerceat, non poterit non peccare, si vera est illa quam impugnamus sententia. Nam qua ratione concludit, esse in creatura libera necessariam aliquam antecedentem prædeterminationem vt bene agat, concluditur pariter, aliquam esse necessariam vt positiuum & realem peccati actum exerceat, &
III. proinde vt formaliter peccet, cùm formale peccati cum illo materiali non possit non esse coniunctum: istud autem illa ratione pariter concludi & infra ostendemus, & ex aduersariis physicæ prædeterminationis authoribus qui melius philosophantur, vt Dom. Bann. vltro consentiunt, vnde & physicam ad materiale peccati prædeterminationem admittunt. Quòd si hac posita prædeterminatione physica tam fit vt non possit non peccare creatura rationalis quæ sic prædeterminatur, quàm vt simili prædetermination ad bonum actum posita non possit non bene agere, manifestè ruit allata responsio, cùm eius tota vis in eo posita sit, quòd sicut potest homo non peccare, ita potest gratiæ physicè prædeterminantis auxilium à Deo accipere.

Deinde hac ratione refellitur. Peccati impe-
IV. dimentum cuius in ea mentio fit, vel est peccati præteriti quod gratiæ prædeterminantis negatione dignum adhuc sit, vel præsentis, seu quod admittitur eodem ipso instanti vel tempore quo data fuisset illa gratia prædeterminatio: neutrum autem dici potest. Non primum, tum quia oportuisset Angelos & primos nostros parentes ab accepta sanctificante gratia nunquam per peccatum excidere, oportuisset enim eos gratiam ad bonum physicè prædeterminantem semper à Deo accipere, cùm nullo peccato primum quod commiserunt antecedente digni esse possent huius gratiæ prædeterminantis negatione: tum quia oporteret peccatores à peccatorum suorum maculis semel iustificatos nunquam amplius ab hac iustificante gratia per mortale peccatum excidere,
A cùm propter has maculas, vtpote iam remissas, V.
digni amplius non essent negatione gratiæ prædeterminantis ad seruanda præcepta omnia quæ deinceps seruanda occurrent, & ad superandas omnes quæ contra insurgent tentationes: vnde & illam gratiam semper acciperent, quia nullum ratione peccati præteriti ei impedimentum obiicerent. Quòd si dicas, adhuc obiicere, quia propter peccati commissi maculam licet iam remissam adhuc digni sunt aut esse possunt huius prædeterminantis gratiæ negatione, vt & pœna aliqua temporali: Respondeo, eo saltem casu, quo peccator à peccato iustificatur pro eo plenè satisfeciisset, omnémque quam contraxerat pœnæ luendæ dignitatem extinxisset, futurum vt à gratia per peccatum
B ampliùs excidere non posset, quòd tamen certissimè falsum est. VI.

Neque etiam secundum, tum quia oporteret hominem, quoties non peccat, toties accipere à Deo prædeterminantem gratiam, & proinde bonum aliquem actum exercere: quod procul dubio sæpissimè non fit, nec fieri necesse est, cùm & mere negatiuè habere se possit, & opus aliquod in indiuiduo indifferens exercere, vel reipsa, seu spectata rerum natura, vel ex opinione saltem conscientiáque probabili, quod in præsenti negotio sufficit: tum quia oporteret quoque Deum priùs videre hominem non peccaturum in aliquo instanti, vel tempore, quàm pro illo ei prædeterminantem gratiam decerneret, quod tamen falsum est: cùm è contrario, si de peccatis omissionis agitur, vt nihil modò dicam de commissionis, priùs oporteat
C abesse id, quod si adesset, exerceretur actus præ- VII.
cepto imperatus, quale est gratiæ prædeterminantis auxilium, quàm peccatum omissionis admitti, illiúsque rei absentiam priùs necessariò videat Deus, quàm videre possit hominem omittere actum imperatum, ac proinde per omissionem peccare.

Tertium argumentum, quod ex illo secundò præmisso totam vim suam obtinet, ducitur à multis absurdis eam contra quam agimus sententiam consequentibus. Vnum est, nullam esse gratiæ in sufficientem & efficacem diuisionem, traditam nihilominus à sanctis Patribus, receptam communiter à Theologis, ipsísque etiam aduersariis, & recipiendam ab omnibus, vt ex dictis sectione prima præcedentis disputat. notum est: sola enim gratia efficax est suf-
D ficiens, vt illo nostro secundo argumento eui- VIII.
cimus.

Secundum, neminem saluari posse præter eos qui reipsa saluantur, quod tamen Scripturis aduersatur, omnibus salutem tanquam rem cuique possibilem proponentibus: sequitur autem ex prædicta sententia: soli enim illi saluari possunt, qui sufficientem gratiam ad salutem consequendam accipiunt, sola autem efficax est ad eam sufficiens, vt probauimus: quisquis autem efficacem accipit saluatur,

quisquis non saluatur, caret efficaci.

Tertium, neminem vnquam deesse diuinæ gratiæ, quod communi totius Ecclesiæ sensui doctrinæque repugnat, quã præsupponit haud dubiè & Apostolus 2. ad Corinth. 6. sic eos alloquens: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* & Tridentinum Concilium sess. 6. I. cap. 13. dum de iustificatis ita loquitur: *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum ita perficiet, operans velle & perficere.* Nullus enim deesse potest prædeterminanti gratiæ, vtpote quæ non potest non sortiri effectu: aut alteri voluntatem non prædeterminanti, cùm iuxta relatam quam impugnamus sententiam, nulla sit quæ seiuncta à motione gratiæ prædeterminantis sortiri effectum valeat.

Quartum, Deum frustra præuenire sanctis cogitationibus & bonis motibus eos quibus non tribuit insuper auxilium prædeterminans, cùm illis vti absque hoc auxilio nunquam possint, nec quidquam agere, vnde istud auxilium à Deo accipiant, vt ostendimus.

Quintum, iustos etiam homines, dum bene II. non operantur, tum bene operari non posse: nam tunc temporis vel habent gratiam prædeterminantem ad bene operandum, vel non habent: si habent, bene operantur, cùm ex ea non possint non bene operari: si non habent, bene operari non possunt, cùm absque ea nullum bonum opus ex aduersariorum sententia possit fieri.

Sextum, eum qui omittit actum præcepto imperatum non peccare omittendo: qui enim omittit actu quem simpliciter non potest exercere, non peccat omittendo, omnis autem omittens actum imperatum omitteret actum quem simpliciter exercere non posset, careret enim gratia ad eius exercitium prædeterminante, hanc enim si haberet non omitteret, sed è contrario exerceret, absque hac autem gratia actus III. ille exerceri simpliciter non potest, vt iidem asserunt. Nec dicant in omittentis hominis, vt & in illorum iustorum de quibus proximè diximus, potestate esse illam habere, ac proinde non omittere, sed exercere, & bene operari: Non est enim, nisi possint aut eam in se producere, aut se ad eam disponere per dispositionem aliquam positiuam aut negatiuam: neutrum autem posse, secundo nostro argumento probauimus.

Vnde septimum infertur, nempe Deum frustra queri de peccatoribus, quòd ad ipsum à peccatis per pœnitentiam non conuertantur, quòd bene non operentur, cùm sic operari nequeant & conuerti, vt pote carentes ad id necessario prorsus auxilio gratiæ prædeterminantis, & ita carentes, vt in eorum libera IV. potestate non sit illud habere, ob rationem quam proximè indicauimus, & illo secundo argumento fusè declarauimus.

SECTIO VIII.

Quartum contra eandem sententiam argumentum.

DVCITVR argumentum hoc ex libertate nostræ voluntatis, & vsu huius ipsius libertatis, hoc modo. Ex prædeterminatione physica quam inuehunt ij contra quos agimus, sequitur consensum quem damus efficaci gratiæ prædeterminanti non esse liberum, sed simpliciter & absolutè necessarium: atqui falsum consequens, igitur & antecedens. Minor est A diuina fide certissima, definita nouissimè contra nostri temporis hæreticos in Tridentino Concilio, sess. 6. cap. 5. & can. 4. Consequutio Maioris probatur. Ille actus nullo modo liber est, sed simpliciter & absolutè necessarius, qui fit à potentia actiua priùs naturâ quam agat ad vnum determinata tam quoad specificationem quàm quoad exercitium: atqui posita prædicta prædeterminatione talis esset consensus noster gratiæ efficaci datus: ergo nullo modo liber esset, sed simpliciter necessarius. Huius consequentiæ bonitas euidens est. Maior & Minor probandæ sunt. V.

Probatur illa primùm inductione per omnes causas naturales, quarum actiones dicuntur simpliciter necessariæ: illuminatio enim quæ à Sole, calefactio quæ ab igne, & ita de reliquis, B omnium consensu necessaria prorsus est tam quoad specificationem quàm quoad exercitium, nec aliam ob causam, quam quia oritur à causa priùs natura quàm agat determinata per lumen aut calorem ad certam speciem, & ad exercitium actionis, itavt non possit aut ab actu cessare, aut oppositum specie actum exercere. Secundo inductione per causas omnes liberas, quarum actiones dicuntur, siue quoad specificationem, siue quoad exercitium liberæ: illas enim omnes inueniemus esse liberas quoad alterutrum, aut quoad vtrumque, quia oriuntur à principio natura sua priusquam agat indeterminato ad agendum aut non agendum, aut ad vnum agendum, & ad eius oppositum, itavt possit priùs natura quàm agat agere vel non agere, agere hoc vel con- VII. C trarium.

Tertiò ratione à priori, quæ petitur ex differentia quæ est inter facultatem actiuam liberam, & necessariam, seu libertatem inter & necessitatem: nulla enim hactenus aliata est, nec afferri alia potest quàm ista, quòd hæc necessitas sit in causa priùs natura quàm agat determinatio ad vnum, vel quoad speciem tantùm, si sit sermo de sola necessitate specificationis: vel etiam quoad exercitium, si sermo sit de necessitate contradictionis: illa verò libertas, sit indifferentia quædam seu indeterminatio in principio actiuo priùs natura quam agat vel ad agendum & non agendum, si sermo sit de libertate contradictionis, seu quoad exercitium, vel ad vnum agendum & contrarium, si sit sermo de libertate contrarietatis, seu quod idem est, specificationis. VIII. D

Iam probatur Minoris veritas. Posita prædicta prædeterminatione, per eam voluntas, quæ est actiua potentia, priùs natura quàm agat determinatur ad vnum faciendum, scilicet ad consentiendum, itavt dissentire non possit, imò itavt non possit non consentire: & hoc ex aduersariorum expressa doctrina, qui prædeterminationem illam in voluntate ponunt, seu respectu potentiæ actiuæ volendi esse asserunt, vnde hanc ab illa prædeterminari ad agendum

dicunt, & prius quidem natura quàm agat, quandoquidem volunt hanc eius prædeterminationem eam constituere in actu completo principij actiui ad agendum, antecedere actum qui elicitur, eumque causare.

I. Prima eorum ad hoc argumentum responsio est, duplicem esse determinationem ad vnum, seu necessitatem, siue quoad speciem tantùm, siue etiam quoad exercitium, alteram simpliciter, alteram ex hypothesi: & illam quidem repugnare libertati, eiusque vsui, hanc minime: prædeterminationem autem qua voluntas per motionem gratiæ efficacis prædeterminatur ad consentiendum esse secundi generis. Verùm impugnatur hæc responsio hac efficaci ratione. Dum hoc illi respondent, vel volunt omnem omnino determinationem ad vnum ex hypothesi, quæcunque demum sit illa hypothesis, siue antecedat vsum liberi nostri arbitrij, siue non, id est, siue sit in potestate nostra libera, siue non sit, non repugnare libertati eiúsque vsui: vel id intelligunt de ea sola prædeterminatione ex hypothesi quæ in libera nostra

II. potestate est. Si primũ, repugnant S. Anselmi doctrinæ quam communiter omnes Theologi recipiunt & tuentur, lib. de Concordia prædestinationis, cap. 1. & 2. & lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. distinguentis duplicem hypothesim seu suppositionem, vnam antecedentem liberi nostri arbitrij vsum, alteram eum inuoluentem aut consequentem, & asserentis, hanc quidem, etsi inferat necessariam consequentiam operationis, itavt facultas hac hypothesi posita non possit non operari, non repugnare tamen libertati, eiúsque vsui, illam vero destruere vsum hunc, & istam libertatem funditus.

III. Præterea falsum aperte dicunt, ignis enim non necessitatur ad calefaciendum, sol ad illuminandum, nisi ex hypothesi caloris aut luminis, & tamen calefactio & illuminatio simpliciter ipsis necessaria est: beatorum item voluntas non necessitatur ad amandum Deum nisi ex hypothesi beatificæ visionis, & tamen hic amor simpliciter necessarius est. Denique quia dubium non est, quin Deus necessitare possit voluntatem ad aliquid volendum, quod alioqui libere velle posset, quod & expresse docet S. Thomas quæst. 22. de Veritate artic. 8. assignans etiam modum quo id à Deo fieri potest: at hoc facere ipse non potest, nisi posito aliquo vel intrinseco voluntati, vel extrinseco, vi cuius hæc ad agendum simpliciter necessitetur: quandiu enim Deus nihil penitus faciet, sed voluntatem naturæ suæ relinquet, non necessitabitur ad agendum circa illud obiectum, circa quod libere ex natura sua versari potest, ergo necessitare non potest nisi ex hypothesi

IV. alicuius extrinseci vel intrinseci, ergo necessitas ex hypothesi aliqua esse potest, quæ sit vera necessitas prorsus repugnans libertati, eiúsque vsui.

Sin autem secundum, verum quidem dicunt, sed propositæ rationi non satisfaciunt, nisi ostendant illam prædeterminationẽ quam efficaci gratiæ tribuunt esse consequentem, seu esse in nostra libera potestate, quod ostendere non possunt, vt constat ex supradictis, præsertim superiore sectione, in qua probauimus hypothesim gratiæ efficacis prædeterminantis in libera nostra potestate non esse, nec secundùm se, nec secundùm vllam ad ipsam dispositionem vel positiuam vel negatiuam.

Quæ etiam est expressa S. Augustini de gratia efficaci doctrina, passim asserentis, nominatímque libri de Spiritu & litera cap. 34. & lib. de A V.
bono perseuer. cap. 8. nullam esse causam, præter misericordem Dei voluntatem, cur ita quispiam vocetur, vt vocanti obtemperet, donetúrque proinde munere gratiæ efficacis, cuius profectò causa etiam esset ipsius hominis voluntas, si id ex eius libera potestate penderet. Quod si ita est, habemus efficax argumentum ad probandum prædeterminatione euerti penitus libertatem, & eius vsum: si enim, vt antè dixi, necessitare voluntatem Deus potest necessitate libertati repugnante, respectu alicuius actus, quem alioqui naturæ suæ relicta libere eliceret, & id aliter facere non potest, quàm aliquid intrinsecum voluntati vel extrinsecum faciendo independenter ab eius libero arbitrio, cuius tamen intrinseci vel extrinseci vi & efficacitate non possit non operari, certe cum idem penitus fiat per prædeterminationem physicam de qua loquimur, vt ex hactenus dictis satis liquet, sequitur per eam reipsa iam necessitari voluntatem necessitate libertatem eiúsque vsum euertente. B VI.

Atque hinc refellitur alia responsio verbis solum à præcedente differens, quæ determinationem ad vnum & necessitatem operandi in sensu diuiso ait repugnare libertati, non autem in sensu composito, & huiusmodi esse illam qua voluntas prædeterminatur & necessitatur ad consentiendum per auxilium gratiæ efficacis. Refellitur, inquam, quia cùm indeterminatio vel determinatio, necessitas vel libertas in sensu composito sit prorsus eadem cum ea quæ est ex hypothesi, id est, ex suppositione formæ C VII.
alicuius compositæ & coniunctæ cum principio actiuo quod necessariò vel libere operari dicitur, sane si aliqua necessitas ex hypothesi repugnare potest libertati, potest aliqua in sensu composito, & reipsa quoties necessitas ex hypothesi eidem repugnabit, toties etiam repugnabit in sensu composito. Quare cùm suprà ostenderimus necessitatem prouenientem ex hypothesi gratiæ efficacis physicè prædeterminantis euertere libertatem, tam specificationis, quàm exercitij, consequens quoque est eam totam euerti per eandem gratiam sumptam in sensu composito.

Secunda responsio est, tunc solùm actum esse necessarium necessitate libertati repugnante, quando oritur à principio actiuo, quod in actu primo & priùs natura quàm agat est ex se & omni ex parte determinatum ad vnum, consensum autem nostrum gratiæ efficaci datum talem non esse, quia oritur à principio non ex se D VIII.
& omni ex parte ad vnum determinato, oritur enim à duobus principiis partialibus, quorum vnum est gratia efficax, alterum voluntas, hæc autem ex se determinata non est ad consensum eliciendum, licet illa gratia ad hoc determinata sit: & proinde oritur à principio ex aliqua tantùm parte ad vnum determinato, scilicet ex parte gratiæ efficacis.

Refellitur, gratia enim efficax quæ ad vnum, nempe ad consensum efficiendum, ex natura sua determinata dicitur, quãdo voluntati coniungitur, aut eam relinquit indifferentem, sic vt in eius libertate sit agere vel non agere etiam ex hypothesi talis gratiæ in ea positæ, aut non relinquit. Si primum, concedo facilè consensum

I. A

fore simpliciter liberum, nec mirum, quia gratiæ efficacis influxus in consensum, siue physicus, siue moralis, subdetur vsui libero voluntatis, quæ causa est ob quam actus caritatis, spei, religionis, cæterarúmque virtutum qui eliciuntur à voluntate harum virtutum habitibus instructa sunt simpliciter liberi, cùm tamen habitus à quibus hi actus tanquam à causa partiali efficiuntur sint natura sua ad hos actus efficiendos determinati, quia nimirum eorum actiua vis & influxus in effectum subditur imperio & libero arbitrio voluntatis, non verò vi sua infert eius concursum, itavt hæc illum continere non possit: sed hoc aduersarij concedere non possunt, nisi sibi manifestè repugnare velint, contrarium enim mordicus defendunt. Si secundum, consensus erit simpliciter

II. B

necessarius necessitate libertati repugnate, quia orietur à principio actiuo quod erit ex omni parte determinatum ad vnum, scilicet ad consentiendum: orietur enim à gratia efficaci quæ ex propria sua ratione ad id determinata est, & à voluntate, quæ talis erit naturæ, vt posita in ipsa independenter ab eius libero arbitrio gratia efficaci physicè prædeterminante, nullam habeat indifferentiam ad agendum aut non agendum, sed summam ad vnum, videlicet ad consentiendum, determinationem.

Nec vim facias in eo quòd voluntas secundùm se spectata, & præscindendo à gratia efficaci, non sit ad consentiendum prædeterminata: hoc enim tantùm probat voluntatem in sensu diuiso, id est, antequam insit ei, aut in-

III. C

esse concipiatur gratia efficax, esse liberam & indifferentem: at non in sensu composito, seu ex hypothesi huius gratiæ, quam tamen hypothesim, vt pote antecedentem omnem vsum libertatis, & inferentem vi sua influxum voluntatis in consensum, libertati repugnare antea ostendimus. Et sanè si quia voluntas ex se, præcisa gratia efficaci, determinata non est ad consentiendum, ideo consensus liber esset, pari iure amor beatificus liber esset, quia oritur à voluntate, quæ ex se, & præcisa beatifica visione, non est determinata ad amandum Deum, sed indifferens vt amet, vel non amet. Imò impossibile esset Deum voluntatem creatam necessitare ad rem aliquam efficiendam, ad quam determinata non esset ex se suáque natura, & præciso omni alio superaddito, vel intrinseco, vel extrinseco: non enim illud potest nisi aliquo huiuscemodi superaddito, etsi autem superadderet, non propterea ei necessitatem afferret.

IV. D

Tertia responsio est, indifferentiam quæ ad libertatem requiritur, petendam non esse ex indeterminatione potentiæ ad agendum hoc vel illud, vel etiam ad non agendum, sed ex parte obiecti per intellectum cogniti & propositi voluntati, itavt voluntas tunc dicatur libere amare vel refugere quod amat aut refugit, etsi non possit quoad exercitium non amare vel refugere, quando hoc illi proponitur ab intellectu cum indifferentia aliqua amandum aut refugiendum, id est, quando illi repræsentatur non vt bonum necessarium necessariò diligendum, aut vt malum necessarium necessariò fugiendum: quo fit, inquiunt, vt amor beatorum sit

V. A

simpliciter necessarius, quia nimirum Deus per intellectum clarè visus repræsentatur voluntati vt bonum necessarium necessariò diligendum: etsi autem consensus quem damus efficaci gratiæ, non possit à voluntate non fieri posita in ea hac gratia, ei tamen ab intellectu non repræsentari consensum hunc, aut huius consensus obiectum, tanquam bonum necessarium, & proinde eum adhuc liberè exerceri.

Refellitur in primis, eo quòd ex illa sequitur, Deum ad nullum bonum creatum amandum necessitare posse voluntatem, quod tamen communi Theologorum iudicio repugnat, & eo saltem casu certissimè falsum est, quo creaturæ antecedenter impeccabili siue per visionem beatificam, siue per hypostaticam cum diuina persona vnionem, imponeret præceptum

VI. B

aliquod imperans aliquem huiuscemodi actũ, non solùm quoad substantiam, sed etiã quoad omnes eius circunstantias: vel etiam quo decerneret & prædeterminaret efficaci & antecedenti decreto similem aliquem actum à creatura rationali eliciendum, sic vt illius actus & substantia & circunstantiæ omnes illo decreto prædefinirentur. Sicut enim nullum bonum creatum necessarium est, & necessariò ex parte boni huius diligendum: ita nec potest Deus vllum ex his bonis verè repræsentare per intellectum voluntati tanquam bonum necessarium necessariò diligendum.

Secundò, quia sequitur nullum à nobis actum nunc sine libertate exerceri, præter eum quo voluntas fertur in obiectum aliquod sibi repræsentatum ab intellectu tanquam bonum

VII. C

necessarium necessariò amandum, aut malum necessariò fugiendum: at hoc falsum est, omnes enim motus primò primi voluntatis omnium iudicio necessarij sunt: vnde & formalis peccati malitiæ semper expertes: omnes item motus gratiæ excitantis in voluntate existentes sunt simpliciter necessarij, vt ex dictis disp. 4. sect. 1. certum est, & tamen illorum actuum obiectum voluntati tanquam bonum aut malum necessarium necessariò vel amandum, vel fugiendum non proponitur.

Tertiò, quia falsum est indifferentiam quæ ad libertatem requiritur non esse petendam ex indeterminatione potentiæ actiuæ ad vnum: repugnat enim hoc Philosopho libri 3. Ethic. cap. 5. libertatem describenti per potestatem agendi & non agendi: repugnat & S. Thomæ

VIII. D

quæst. 6. de malo, articulo vnico in corpore, affirmanti destrui omnia moralis philosophiæ principia, si negetur indifferentia voluntatis ad vtrumlibet in electione libera, & inducatur eius ad vnum determinatio: & in 2. distinct. 28. quæst. 1. art. 1. asserenti hominem non futurum liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio suæ voluntatis pertineret: & tertia parte quæst. 18. art. 4. ad 3. docenti voluntatem Christi circa bonum liberam fuisse, nec huius rei rationem hãc afferenti, quòd scilicet bona quæ amabat, non

repræsentaretur illi per intellectum vt bona necessaria necessariò diligenda, sed quòd indeterminata esset circa hoc aut illud bonum, ideoque ad eam pertineret eligere per liberum arbitrium.

I. Repugnat quoque multis sanctis Patribus, nominatim Hilario in illa psalmi secundi verba, *Qui habitat in cœlis*, Gregorio Nazianz. oratione 1. satis procul à principio, & Damasceno lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 26. libertatem per indeterminationem voluntatis & indifferentiam in agendo vel non agendo describentibus. Vnius Damasceni referre verba, quæ clarissima sunt, sufficiet: sunt autem hæc, citati capitis initio. *In nostra potestate sunt ea quæ liberum est nobis vel facere, vel non facere.* Et sub medium: *Hæc igitur arbitraria ac nobis libera sunt, quæ in vtramque partem æquè contingere possunt, velut moueri, vel non moueri, mentiri & non mentiri, tribuere, & non tribuere*, &c. Repugnat præterea Conciliis Tridentino sess. 6. cap. 5. & can. 4. & Senonensi in decreto fidei 15 eadem libertatis descriptione vtentibus, dum vt explicent eam quæ manet in homine libertatem, præsupposita præueniente & efficaci gratia, dicunt illum huic ita consentire, vt dissentire possit, ac resistere.

II.

Repugnat denique rationi, quia inde ex opposito petenda est libertas voluntatis, vnde petitur necessitas agentis naturalis, cùm nihil tam opponatur agenti libero, vt liberum est, quàm necessarium, & necessario, vt necessarium est, quàm liberum. Atqui agens naturale necessarium dicitur, non cui per cognitionem proponitur actio quam elicit, aut obiectum circa quod agit tanquam bonum necessarium, cum pleraque naturalium agentium omni cognitione careant, sed quod priùs naturâ quàm agat, ita determinatum est ad agendum, vt positis omnibus ad actionem ex parte principij actiui

III. prærequisitis non possit non agere: ergo libertas petenda est ex opposita indeterminatione, qua causa libera priùs natura quàm agat ita indifferens & indeterminata est, vt positis omnibus ex parte principij actiui ad agendum necessariis possit agere, vel non agere, possit agere hoc, vel contrarium.

SECTIO IX.

Quintum contra eandem sententiam argumentum.

IV. QVINTVM hoc argumentum sic à me proponitur. Si voluntatem physicè prædeterminaret Deus ad actus bonos, prædeterminaret & ad malos: falsum consequens, igitur & antecedens. Maioris consequutio ex eo probatur, quòd qua ratione concludunt aduersarij necessariam esse illam physicam Dei ad actus bonos prædeterminationem, ideóque hanc dari quoties illi exercentur, eadem pari efficacitate concluditur necessariam quoque esse ad actus malos, ideóque dari toties quoties hi eliciuntur. Illorum enim hæc, si non vnica, saltem præcipua ratio est, quòd illa physica ad actus bonos prædeterminatio requiratur ex parte diuini concursus qui causis secundis præfertim liberis & indifferentibus vt agere possint necessarius est, nec earum circa hos actus indifferentia proximè ad agendum expedita sit, nisi præuia causæ primæ motione prædeterminante coarctetur quodammodo seu determinetur, & ad agendum applicetur. At hæc ratio locum habet, vt patet, in malis actibus æquè ac A in bonis, cùm tam ad illos quàm ad hos sit causæ secundæ necessarius causæ primæ concursus, nec causa secunda sit minùs circa illos quàm circa hos libera & indifferens. V.

Quapropter Dominicus Bannes, & insignis è D. Thomæ Schola Theologus, & physicæ prædeterminationis propugnator egregius, multò meliùs constantiúsque quàm Franciscus Zumel loquitur, dum hoc physicam Dei prædeterminationem ad actus bonos admittente, ad malos negante, ad vtrosque æqualiter admittit, 1. parte quæst. 14. art. 3. §. *sed arguit quisquam*, & eiusdem partis quæst. 19. artic. 10. dubio 1. §. *primum est*. Minorem probo, quia Scholasticis Doctoribus, sanctis Patribus, Tridentino Concilio, sacræ Scripturæ, rationi de-

B nique repugnat physica illa Dei ad actus malos prædeterminatio. quæ singula sigillatim ostendenda sunt. VI.

Et quidem ex Scholasticis Doctoribus, quorum numerus vt prope infinitus est, ita non nisi nimia prolixitate recenseri hîc à me posset, duos tantùm proferam cæterorum principes, vnum ex Dominicana familia S. Thomam, alterum ex Franciscana S. Bonauenturam. Quorum ille hac prima 2. quæst. 9. art. 6. ad 3. dicens, quod iam alia occasione suprà retuli, nempe voluntatem creatam determinare se ad hoc aut illud particulare bonum volendum, id disertis verbis dicit de eo quod non est verum bonum, sed duntaxat apparens, quodque proinde est obiectum actus mali moraliter. Vbi & addit, Deum quidem mouere nonnunquam voluntatem ad

C eligenda quædam specialia bona, (motione tamen eam non prædeterminante, sed suam illi determinationem relinquente) at hoc tantùm fieri in iis quos mouet per gratiam, quam certum est ad solos actus bonos dari, non item ad malos. Hic verò in 2. dist. 37. artic. 1. quæst. 1. cùm postremo loco sibi obiecisset, si Deus ad actum peccati concurreret, fore vt ipse creatum arbitrium ad eius exercitium excitaret moueretque, respondet negando hoc sequuturum, addítque, ad opera quidem meriti admittendam esse excitationem præmotionémque præuenientis gratiæ, ad mala verò, etiam prout actus sunt, Deum nihil aliud facere quàm cooperari libero arbitrio, absque vlla prorsus præuentione, siue antecedente eiusdem liberi arbitrij ad illa opera exercenda motione. VII.

D Ex Patribus profero in primis S. Anselmum libro de casu diaboli, cap. 27. vbi præmissa distinctione actionis à malitia, quam negat à Deo esse vllo modo, quamuis ab eo voluntatis actio dependeat, quærit, quæ fuerit in Angelo peccante (cuius & hominum eadem est in re præsenti ratio) causa talis voluntatis, respondétque nullam aliam quàm volùtatem ipsam quâ velle potuit, & voluit, tum in hæc verba concludit: *Nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam quâ impelleretur aliquatenus, aut attra-* VIII.

heretur

heretur, sed ipsa sibi efficiens causa fuit, si dici potest, effectus: multò ergo minùs habuit pro causa voluntatem diuinam qua physicè prædeterminaretur.

Deinde S. Leonem Papam serm. 16. de passione dicentem Deum non fuisse authorem criminum admissorum ab iis qui Christum crucifixerunt, *quia non egit vt vellent, sed cessit vt possent.* Quòd si eos ad materiales illorum criminum actus physicè prædeterminasset, profectò tam verè propriéque egisset vt vellent, quàm dum nos gratia sua efficaci præmouet ad bonum volendum, agit vt velimus.

I. A V.

Præterea S. Fulgentium libro 1. ad Monimũ cap. 17. disertè pronuntiantem, Deum non prædefiniuisse vt operâ mala essent, nec facere vt fiant: faceret autem tam verè ac propriè vt fierent, si ad eorum entitatem realem physicè prædeterminaret, quàm facit verè propriéque vt opera bona fiant, dum ad eorum realem entitatem physicè prædeterminat.

Prosperum insuper libro responsionum ad obiectiones Vincentianas in responsione ad decimam, sic concludentem: *Non ergo casus euentium, nec malignitas iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitauit, aut suasit, aut impulit.* (quæ verba omnia sumpsit ex D. August. libro ad articulos sibi falsò impositos, responsione ad articulum decimum) multò ergo minus physicè prædeterminauit, cùm prædeterminatio hæc sit excitationis & suasionis & impulsus genus efficacissimum.

II. B VI.

Denique ipsum S. Augustinum, cuius libro illo respondentis ad hunc articulum 13. *Quòd omnes fideles illi & sancti qui ad æternam mortem prædestinati sunt, qui ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo id facere videntur, sed ipsius vitij causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates*, hæc verba sunt: *Nefas est Deo ascribere causam talium ruinarum, qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet quid vnusquisque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest aut necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo a iustitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus sanctus: nec in tali negotio quidquam diuinæ voluntatis interuenit, cuius ope scimus multos ne laberentur retentos, nullos autem vt laberentur impulsos.* Ergo nec physicè prædeterminatos, cùm vt dixi, prædeterminatio hæc efficacissimus impulsus sit. Adde quòd si hæc eadem ex parte diuinæ voluntatis interuenit, nihil ne in prædicto negotio diuinæ voluntatis interuenit? aut non infert Deus ad materiale delicti prædeterminans, delinquendi voluntatem?

III. C VII.

IV. D VIII.

Idem ibidem ad 14. articulum respondens sic loquitur: *Ad prævaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscũque peccati, nulla est omnino prædestinatio Dei, nec fieri potest, vt per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in sanctitate viuitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestũ est munus Dei, sine quo nullus boni operis fructus acquiritur: si autem ab his receditur, & ad vitia atque peccata transitur, nihil ibi Deus male tentationis immittit, & recessurum non deserit antequam deserat, & facit plerunque ne deserat, aut etiam si discesserit, vt redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum inuestigare, cùm scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & non esse ab illo quod ruitur.* At profectò, si ad entitatem realem malorum illorum physicè prædeterminat, ab illo æquè erit quòd in ea mala ruitur, atque est quòd statur, aut ab eis surgitur, cùm eò ipso vera causa sit standi surgendíque, quo ad realem actum quo statur & surgitur physicè prædeterminat. Deinde dum ad vitia atque peccata transitur, nihil ne Deus malæ tentationis immittit, si ad realem peccatorum illorum atque vitiorum entitatem immittit aliquam physicam prædeterminationem? aut hæc prædeterminatio non appellaretur à S. Augustino mala tentatio, cùm efficacior sit, & proinde peior, quacunque mala tentatione, alliciente quidem ad patrandum realem vitij & peccati actum, non tamen prædeterminante?

Adiungo vnum eiusdem S. Patris testimoniũ, non minus præcedentibus efficax, sumptum ex libri primi ad Simplicianũ quæst. 2. vbi docens alio modo verũ esse illud epistolæ ad Romanos cap. 9. *Deus cuius vult miseretur*, & illud eiusdem loci, *& quem vult indurat*, idque colligens ex illatione Apostoli sic eo loco inferentis, *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, cùm tamen non similiter inferat, non est volentis, sed Dei obdurantis, in eo modi diuersitatem ponit, quòd Deum obdurare nihil aliud sit quàm nolle misereri, itavt ab eo non proueniat quidquam quo fiat homo deterior, sed tantùm non proueniat aliquid quo fieret melior, vt semper dum miseretur prouenit. Quòd si ita est, sane Deus hominem peccantem ad materialem peccati actum physicè non prædeterminat: nam si prædeterminaret, præmotione illa reali quam ponunt aduersarij, non tantum obduraret nolendo misereri, seu dare quidpiam, quod si daret, fieret homo melior, sed etiam positiuè volendo facere aliquid, & reipsa faciendo, quo fit homo deterior.

Ex Tridentino Concilio vnicum produco canonem 6. sessionis 6. cuius hæc verba sunt: *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, itavt bona Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiam proprie & per se, adeo vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Hoc enim canone damnatur inter cætera propositio hæc, Deus vt bonorum, ita etiam malorum operum proprie causa est, & non permissiuè solùm. Ergo & physica Dei ad hæc opera prædeterminatio: quisquis enim ad exercitiũ alicuius operis physicè prædeterminat, non potest non esse eo ipso proprie causa operis illius, multóque plus in illud quã solum permissiuè influit.

Dices id quidem verum esse de reali entitate operis: at non de formali eius malitia, de ea autem sola relatum canonem intelligendum esse, seu de opere malo vt formaliter malum est, dum eo definitur, Deum circa hoc opus non aliter quàm permissiuè se habere, idque verissimum esse, quantumuis voluntatem ad materialem & realem eius entitatem physicè prædeter-

minet, hácque prędeterminatione huius entitatis propriè, nec tantùm permissiuè causa sit.

Sed refellitur hæc responsio, primò quia Concilij menti repugnat, quæ fuit eo canone condemnare Caluinum, asserentem Deum non tantùm permissiuè. sed etiam proprie malorum operum causam esse, cùm tamen id assereret, nõ
I. de ipsa formali malitia, seu de iis operibus vt formaliter mala sunt, sed vt materialiter reales quidam actus sunt: vt clarum est ex eius in Antidoto verbis, vbi se quantum potest illi canoni, quo se perstrictum & damnatum sentiebat, opponens, multáque ad illius reprehensionem congerens, hæc habet inter cætera: *Nec verò iure reprehenditur quod scribit Augustinus, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, idquè iudicio suo interdum aperto, interdum occulto, semper autem iusto, si quidem addatur exceptio* (quam statim addit, quámque proinde ipse quoque Caluinus assertioni suæ, qua dicit Deum malorum operum propriè, nec solùm permissiuè causam esse, vult adhiberi) *malitiam non ipsius esse opus*. Quod & antea clarissimè docuerat in Instit. lib. 1. cap. 18. §. 2. 3. & 4. formalem peccati malitiam ab eius entitate reali
II. distinguens, illámque perfidiæ nomine intelligens, negánsque hanc in Dei voluntatem aut causalitatè cadere, licet illa entitas cadat. Quòd si Caluinus eo sensu asserens Deum non permissiuè solùm, sed etiam proprie causam esse malorum operum, damnatur illo canone efficaciter, vt haud dubie sic damnatur, consequens aperte est, hunc ipsum canonem non de sola formali peccati malitia, sed de eius materiali etiam & reali entitate esse intelligendum.

Deinde refellitur eadem responsio, tum quia si Deus prædeterminare dicitur ad realem peccati entitatem, huiusque propterea sic spectati
III. propria esse causa asseritur, nulla superest legitima causa dicendi permittere solùm peccatum sumptum formaliter, seu solam eius formalem malitiam: quia cùm malitia hęc illum realem actum cum aduertentia rationis elicitum necessitate naturæ sequatur, nec quo minus sequatur impedire possit Deus, qua quæso ratione eam dum sequetur permittere vere censebitur? tum quia ratio, ob quam & sancti Patres, & Scholastici Doctores dicunt Deum peccata permittere, ipsum quoq. peccatum sumptum materialiter secundùm realem quam habet entitatem comprehendit, imò in eo solo propriè locum habet: ratio enim illa est, vt plenum nobis atque integrum libertatis vsum in malorum præ bonis electione relinquat, libertas autem propriè est
IV. circa actum vt est realis entitas, cùm formalis malitia, vt modo diximus, eum qui malus est sequatur necessariò ex ipsa rei operisque natura, quando cum rationis aduertentia exercetur.

Cæterùm causa ob quam Deus solùm permittere peccatum dicitur, seu peccati actum permissiue operari, licet huius actus entitas realis absque physico eius influxu esse nequeat, eadem est cum illa, ob quam, etsi ad hanc entitatè physicè concurrat, nullo tamen modo formalis eius malitiæ propriè causa est: quæ causa à nobis in Tract. de peccatis ad quæst. 79. disput. 11. sect. 11. & 12. fusè explicata est.

Ex Scriptura cùm permulta proferri possent testimonia, vnum tantùm aut alterum profero. Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Nam quomodo non ex Deo quoque perditio nostra esset, & quidem magis quàm ex nobis, imò etiam ex ipso solo, si A V.
nos ad realem peccati entitatem physicè prędeterminaret? cùm vna quidem ex parte isti entitati, dum aduertente ratione exercetur, adiuncta sit inseparabiliter malitia moralis, quæ est causa meritoria æternæ perditionis: ex altera verò, si detur illa prædeterminatio, nec proueniat ex aliqua antecedente causa quam Deus in nobis inuenerit: vt non prouenire clarum est, si agitur de primo peccato, siue Angelorum, siue primorum parentum, siue nostro, post plenam perfectámque à prędecedentibus iustificationem: nec voluntas ei positæ possit deinde reluctari & resistere. Deinde quomodo item nõ tam ex Deo nostra illa perditio quàm auxilium esset, cùm licet ipse mala prohibeat, bona imperet, aut suadeat, hęc tamen aliáque quibus à malo reuocamur, & ad bonum incitamur, nobis, iuxta eam
B VI.
quam impugnamus sententiam, prodesse non possint absque motione prædeterminante, quã ad malos æquè ac bonos actus necessariã dicit, talémque, vt simul atque est, non possit voluntas cohibere actum ad quem præmouet?

Præterea Ecclesiastici 15. *Non dicas, ille* (nempe Deus) *me implanauit*, vel vt S. August. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 2. refert, *Ille me induxit*: Nam qui prædeterminat, inducit quãmaximè, tantóq. magis id facit quàm alter qui solùm suadet, quanto certiùs & ineuitabiliùs actio physicam prædeterminationem quàm simplicem suasionem sequitur. Deus itaque hominem qui peccat, magis & fortiùs ad malum induceret, quàm quiuis alius alium possit inducere, imò etiam quàm Diabolus, cùm ne hic quidem aliud in hoc negotio possit, quàm suadere, VII.
physicè autem prædeterminare, nullo modo.

Nec refert, quòd Deus dum voluntatem ad realem peccati actum prædeterminat, formalẽ huius actus malitiam non intendat: nam nec qui peccat eam intendit, cùm tamen verissimè ibi causa ruinæ sit: vix quoque reperitur vllus hominum qui eandem intendat, dum alium ad peccandum inducit, sed vnus vtilitatem, alius delectationem spectat: concupiscentia quoque, à qua certissimum est hominem ordinariè ad peccandum induci, nunquam fertur in formalem actus mali malitiam, sed in solam boni vel commodi vel delectabilis rationem.

Nec minùs certum est ex his D. Iacobi verbis cap. 1. *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, vnusquisque verò tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus*, concupiscentiam hanc nos peculiari quodam modo in peccatum inducere, qui D VIII.
Deo conuenire non potest: hic autem modus non est tendẽdo in formalem peccati malitiam, sed solùm est alliciendo inclinandóq. voluntatem in realem actum cui hæc malitia coniuncta est: ergo licet Deus malitiam hanc non intendat, nihilominus nos in eam vere & propriè inducet, si voluntatem nostram ad illum realem actum sic moueat, vt etiam mouendo prædeter-

minet,imò tantò magis inducet quàm concupiſcẽtia, quantò prędeterminatio ſuaſione potentior eſt,cùm huic reſiſti poſſit,illi non poſſit.

Deniq; quòd phyſica Dei ad actus malos prædeterminatio rationi repugnet,ſic oſtendo. Voluntas poſita ſufficienti cognitione obiecti nulla alia re indiget,vt exercere poſſit actiones ordinis merè naturalis,& prędertim malas,de quibus hîc ſpeciatim agimus, quàm generali Dei tanquam cauſæ primæ concurſu,vt nec agentia naturalia aliud, vt agant,requirunt,quàm concurſum hunc,dum ſcilicet materiam debitè applicatam habent: atqui ad generalem hũc concurſum phyſica illa voluntatis prædeterminatio non pertinet: igitur eâ non indiget voluntas ad prædictas actiones exercendas. Maioris veritatem vtpote perſpicuam aduerſarij concedunt,Minorem negant, eam autem ſic probo.

I. A

Id non poteſt eſſe generalis cauſæ primæ concurſus, ad eúmve pertinere, quod non datur cauſæ ſecundæ ex aliqua eius exigentia: at illa prædeterminatio eiuſmodi eſt. Quod vt oſtendam, ſumo, exempli cauſa, hominem cogitantem rationem boni delectabilis inexiſtentem alicui illicitæ delectationi, & contrariam honeſtati malitiam quam eadem delectatio habet, ſpectóque hominem hunc in priori rationis, quàm vel illi delectationi conſentiat, vel prædeterminetur à Deo ad conſentiendum, & quæro, quid aſſignari in hoc homine poſſit, ratione cuius exigat prædeterminari ad hunc conſenſum potiùs, quàm ad fugam eiuſdem turpitudinis, aut ſaltem quàm alius homo,qui ſimilem habens cogitationem vel poſitiuè auerſatur turpitudinem hanc, vel ſaltem non dat illi conſenſum? ſanè nihil video dici poſſe, niſi illum prædeterminari ad conſentiendum, quòd conſenſum ſit prædictæ delectationi daturus: at hoc inepte diceretur, ſenſus enim eſſet, vel eum conſenſurum etiamſi non prædeterminaretur, vel conſenſurum, dummodo prædeterminetur: quorum illud primum ſi dicatur, manifeſtè ſequetur prædeterminationem ſuperfluè induci ad exercitium actus mali, neque ad id neceſſariam eſſe: iſtud verò ſecundum dici non poteſt, cùm etiam quilibet alius ſimilem conſenſum dediſſet, ſi ad eum prædeterminatus fuiſſet, & oppoſitum actum bonum exercuiſſet, ſi prædeterminatio ad illum ipſi data fuiſſet.

II. B

Ex hac ratione nouum & efficax ſuppetit nobis argumentum ad eiuſdem noſtræ minoris propoſitionis, cuius in probatione hactenus verſati ſumus,confirmationem:iſtud nimirum, quod ſi voluntatem prædeterminaret Deus ad entitatem realem actus mali, eſſet propriè & per ſe author & cauſa formalis huius malitiæ, ſeu peccati ſumpti etiam formaliter,quod contra & fidem & rationem eſt. Si enim ille peccati ſic ſumpti author & cauſa propriè & per ſe eſt, qui moraliter determinat ad peccandum voluntatem alterius, id eſt, qui conſulit,hortatur, iubet, aut ſimili modo mouet ad exercendum actum realem cui formalis peccati malitia coniuncta eſt, multò magis erit Deus, ſi non modò ſic moraliter determinat, ſed etiam phyſicè prædeterminat, itavt huic motioni ita prædeterminanti reſiſtere voluntas nequeat. Vnica enim hæc poterat eſſe legitima ratio vindicandi Deum ab hac erga peccatum formaliter ſumptum cauſalitate, nonobſtante iſta phyſica ad realem eius entitatẽ prædeterminatione, quod nimirum illius cauſa nõ ſit, nec eſſe poſſit,dum ad hanc entitatem eo ſolùm concurſu concurrit qui generalis eſt, & cauſæ primæ proprius, cauſiſque ſecundis eum exigentibus debitus, quæ vera cauſa eſt,ob quam author peccati formaliter ſumpti non eſt, & ſi ad totam eius entitatem realem tam phyſicè & immediatè concurrat, quàm creatura quæ peccat, vt in Tract. de peccatis citata diſput. & ſect. oſtendi: at rationem hanc Deum à prædicta cauſalitate vindicandi excluſimus illa noſtra ratione, quandoquidem ea euicimus, phyſicam Dei ad actus malos prædeterminationem nec eſſe generalem cauſæ primæ concurſum, nec ad eum pertinere.

III. C

Et ſanè cùm S. Leo loco ſuprà citato dicens Deum non fuiſſe authorem criminis Iudæorum Chriſtum occidentium, quia non egit vt vellent, loquatur certiſſimè de crimine ſumpto,non modò materialiter pro realiactus entitate, ſed etiam formaliter pro formali peccati malitia: ſanè ſignificat futurum authorem eius ſic ſumpti, ſi egiſſet vt vellent, egit autem vt vellent, ſi ad realem actus quo voluerunt entitatem phyſicè prædeterminauit: ſicut & veriſſimè agit vt bonum velimus,ſi nos phyſicè prædeterminat ad entitatem actus quo bonum volumus.

IV. D

Idem etiam clarè intelligitur ex ſanctis Auguſtino,& Proſpero,quorum hic libro reſponſionum ad obiectiones Vincentianas, reſponſione ad vndecimam, ille verò libro ad articulos ſibi falsò impoſitos reſpondens articulo 11. qui hic erat. *Quia quando inceſtant patres filias, vel matres filij, vel quando ſerui dominos occidũt, ideo fiat, quia ita prædeſtinauit Deus vt fieret*, ſic loquitur: *Si diabolo obiiceretur, quòd talium facinorum ipſe author, ipſe eſſet inuentor, puto quòd aliqua ratione excnerare ſe hac poſſet inuidia, & talium ſcelerum patratorem de eorum voluntate vinceret: quia etſi delectatus eſt furore peccantium, probaret tamen ſe non intuliſſe vim criminum. Qua ergo inſipientia, quáve dementia definitur,ad Dei referendum eſſe conſilium, quod nec diabolo in toto aſcribi poteſt, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus eſt eſſe generator?* Quæ Auguſtini verba omnia & ſingula Proſper citato loco vſurpauit: quibus cùm vterque, criminum, ſcelerum, facinorum vocabulis,loquatur haud dubiè de ipſa quoque formali peccatorum malitia, clariſſimè autem ſignificet fore vt peccata ſic ſumpta diabolo multò magis eſſent aſcribenda tanquam eorum authori & cauſæ quàm verè ſint, ſi ipſe prædictarum voluntatum non ſuaſor tantùm eſſet, ſed etiam generator, Deus autem verè ſit generator, ſi ad earum realem entitatem phyſicè prædeterminet, conſequens euidenter eſt, ex hypotheſi prædeterminationis iſtius, eadem peccata, eo quo dixi modo ſumpta, ipſi tanquam authori & cauſæ potiùs quàm diabolo, ſanctorum Auguſtini & Proſperi iudicio eſſe aſcribenda.

V. VI. VII. VIII.

SECTIO X.

Sextum contra eandem sententiam argumentum.

I. SEXTVM hoc & vltimum argumentum ab inductione hoc modo ducimus. Si quid est quod voluntatem ad gratiæ consentiendũ physicè prædeterminet, illud est aut impressus nobis quidam habitus, aut aliqua alia qualitas à Deo indita nobis ad eam passiuè solùm concurrentibus, aut aliquis noster actus, aut decretum efficax diuinæ voluntatis prædefinientis consensum nostrum, aut influxus quo Deus in eum nobiscum influit quando reipsa consentimus: atqui nihil horum voluntatem physicè prædeterminat ad consensum, ergo nihil. Maior certa est, tum quia nihil aliud ab aduersariis assignatur: tum quia nihil aliud probabiliter assignari potest. Minorem probo.

II. In primis enim non habitus, quia cuiuis habitus facultati cui inhæret aut dat primam vim operandi, aut non dat, sed solum facilitatem ad agendum & promptitudinem: neuter autem voluntatem physicè ad agendum prædeterminat, cùm omnis eiusmodi habituum actio, tam ex communi Philosophorum omnium Theologorúmque consensu, quàm certa per omnes vtriusque generis habitus inductione, & experientia, subdatur imperio & vsui libero voluntatis: vnde vulgatum axioma, Habitibus vtimur quando volumus: non subderetur autem, si physicè prædeterminaret, itavt voluntas resistere non posset: tunc enim è contrario habitus subderet sibi voluntatem eiúsque actionem, quatenus eam vi sua necessariò sic inferret, vt voluntas non posset non agere. Deinde nec aliqua alia qualitas, omnem enim eiusmodi qualitatem & authoritate & III. ratione supra disput. 4. sect. 2. assertione 3. & disput. huius sect. 6. efficaciter refutauimus.

Præterea nec aliquis actus noster, tum quia dabitur alioquin infinitus in nostris actibus progressus: cùm enim ex eorum contra quos agimus sententia nullum actum exercere possimus nisi ad eum prædeterminati, oportebit nos ad illum actum esse prædeterminatos per alium actum, & ad hunc per alium, & ita in infinitum: tum quia actus ille erit aut liber, aut necessarius: si primum, erit aliquis noster consensus, omnem autem nostrum consensum debet antecedere motio prædeterminans, ex prædicta sententia, ergo alius erit admittendus prior actus ad istum liberum prædeterminans: qui prior actus si dicatur liber, alius insuper eo prior erit admittendus, & ita dabitur IV. processus in actibus liberis infinitus. Quòd si idem prior actus dicatur necessarius, hoc pari iure primo loco dici potuit, & debuit.

Si secundum, erit motus aliquis ad gratiam excitantem pertinens, quia erit actus aliquis noster quem Deus operabitur in nobis, sine nobis ad eum libere concurrentibus, quo nos impellet ad bonum libere volendum agendumque: atqui nullus motus gratiæ excitantis physicè voluntatem ad consensum prædeterminat: primò, quia ita docet Trident. Concilium sess. 6. cap. 5. & can. 4. vbi generaliter ait, Deo tangente cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, quam antea gratiam excitantem appellauerat, posse hominem inspirationem illam abiicere, & ei cooperari si voluerit, imò aliquid eidem cooperari, sic tamen vt dissentire A possit, si velit. V.

Secundò, quia ita etiam definit Senonense Concilium citato superiùs decreto fidei 15. cùm ait, necessitatem gratiæ non præiudicare libero arbitrio, quia tale non est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit: quæ duo Concilia loqui de gratia saltem excitante certissimũ est, imò loqui etiam de efficaci suprà ostendimus.

Tertiò, quia ita sentiunt sancti Patres, gratiæ excitanti seu præuenienti liberam nostram consentiendi dissentiendíve facultatem, imo & actualem consensum aut dissensum nostrum immediatè subnectentes, vt ex quamplurimis eorum testimoniis in hac materia iam relatis perspicuum est, ex iisque præterea quæ refert Suarez libri 3. de auxiliis cap. 9. num. 6. & 7.

Postremò, quia omnis actus noster ad gratiã excitantem pertinens est aut cognitio aliqua B nostri intellectus, aut motus aliquis repentinus VI. gaudij, vel tristitiæ, vel timoris, aut similis in voluntate excitatus, vt constat ex illius gratiæ definitione quam disput. 4. sect. 1. tradidimus: at nec illa cognitio, nec iste motus vim habet physicè prædeterminandi voluntatem ad consensum: non quidem cognitio, tum quia cognitio etiam Dei rerúmque supernaturalium quæ supernaturalis est, vt per fidem diuinam, hãc vim non habet, vt experientia certum est, ergo multò minùs habebit illustratio aliqua intellectus ad gratiam excitantem pertinens, quæ haud dubiè nunquam est illa cognitione perfectior, ordinariè autem, imò semper est imperfectior, vtpote in entitate merè naturalis, vt constat ex dictis citatæ disput. 4. sect. vltima: tum quia nunC quam hæc cognitio intellectus voluntatem ad VII. consensum aliquem simpliciter & absolutè liberũ determinat, nisi ex vi alicuius liberi actus, ex quo alius necessariò sequitur, vt cùm est in voluntate efficax intentio libera alicuius finis, & intellectus proponit voluntati vnicum medium ad illum assequendum, tunc voluntas ab illa cognitione medij determinatur ad eius electionem, sed non ex vi illius cognitionis: at ex vi efficacis intentionis ex qua necessariò sequitur medij electio.

Neque etiam prædictus motus voluntatis, tum quia simplicis complacentiæ affectus, cuiusmodi semper aut ordinariè saltem est prædictus motus, non habet vim physicè prædeterminandi voluntatem ad consensum plenum & absolutum, vt & experientia constat, & ratione, D quòd nimirum actus tam imperfectus ad alterũ VIII. tam perfectũ prædeterminare physicè nequeat: tum quia nullus actus voluntatis eam ad alterum determinat, nisi inter vtrumque necessaria connexio sit, nulla autem huiusmodi est inter motum voluntatis pertinentem ad excitantem gratiam, & inter consensum qui isti gratiæ tribuitur, vt nec inter affectum simplicem & inter efficacem absolutamque voluntatem. Et sanè si inter hos actus necessaria esset connexio, consensus noster minimè liber esset, sed simpliciter

necessarius, quia motus voluntatis qui est gratia excitans simpliciter necessarius est, vt ex citata sectione 1. disputationis 4. notum est: quod autem necessariò sequitur ex aliquo prorsus necessario, illud quoque simpliciter necessarium est.

I. Neque etiam est decretum efficax diuinæ voluntatis consensum nostrum prædefinientis, nullum enim aliud admitti debet in Deo decretum circa hunc actum nostrum, vt & circa quélibet alium liberum, quàm decretum concurrendi cum causa secunda ad propriam eius operationem: hoc autem decretum non est prædeterminans, tum quia conditionatum est, non absolutum, vt in Tract. de Deo disp. 26. sect. 3. fuse probauimus: omne autem decretum prędeterminans absolutum est: tum quia, vt ibidem diximus, cùm Dei concursus necessarius sit ad omnem entitatem & modum ac circunstantiam actus qui à creatura fit, si diuinum cum ea concurrendi decretum prædeterminans esset, illa omnia prædeterminaret, nullóq; proinde modo actus ille liber esse posset, quoniam vna quidem ex parte vi talis decreti non posset non exerceri, alioqui posset absolutum & efficax Dei II. decretum irritum fieri, quod repugnat: ex altera verò non esset in libera creaturæ potestate facere vt Deus tale decretum haberet, nec ipse illud conciperet ex libero illius consensu, quia in illo suo decreto hanc huius liberi consensus conditionem non inuolueret eo ipso quo absolutum & prædeterminans esset, neque aliunde creatura quidquam præuiæ dispositionis instar posset libere ponere, ad hoc vt in Deo tale decretum existeret: hęc enim pręuia dispositio aut positiua esset, aut negatiua, neutra autē esse potest: non positiua, omnem enim realem creaturę actionem sicut antecedere debet diuinum ad eā concurrendi decretum, ita & decretum prædeterminans, quandoquidem istud concurrendi III. decretum prædeterminans esse dicitur: neq; etiam negatiua, hæc enim dispositio alia esse non potest quàm negatio alicuius actus liberi siue boni siue mali, hanc autem negationem talem dispositionem esse non posse sectione 7. fuse probatum est.

Quòd si quis forte dicat, decretum Dei consensum nostrum prędeterminans esse aliud à diuino nobiscum ad eum concurrendi decreto, & præsupponere decretum hoc diuinum, præuisúmque iam à Deo per scientiam saltem conditionalium futurum illum consensum, & futurum libere, quandoquidem in illo priori nihil est quod eius eliciendi necessitatem voluntati afferat: is in primis absque causa vlla tale in Deo decretum prædeterminans admittet: deinde illud dicens aperte fatebitur hoc decretum ad eliciendum consensum minime esse necessarium, IV. quandoquidem eum priùs videt Deus futurum, quàm tale in se decretum habeat. Denique libertatem in eius exercitio destruet, nec Deus in illo priori quo per scientiam conditionalium eum à voluntate exercendum viderit, viderit exercendum libere, vt nec viderit exercendum necessariò, quia pro illo priori nondum videbit, vtrùm aliquid postea superuenturum sit, quod vi sua voluntatis in eliciendo illo consensu libertati repugnet, an nihil. Ideo autem illius facultatis in huius consensus exercitio libertatem destruet, quia subiunget prædictæ conditionalium scientiæ decretum Dei hunc consensum prædeterminans, vi cuius hic consensus non poterit non elici à voluntate, quæ aliunde non potest impedire quominus ipse decretum istud concipiat. Quam doctrinam nostram qui pleniùs volet cognoscere, consulat ea quæ diximus in Tract. de Deo disp. 41. sect. 6. vbi eius veritatem duobus clarissimis exemplis confirmatam videbit. V.

Nec dicat hic quispiam decretum diuinum non posse afferre necessitatem voluntati, quòd ei sit penitus extrinsecum: quid enim refert vtrum intrinsecum sit, an extrinsecum, dummodo tale sit, vt eo posito voluntas non possit non operari, ponatur autem independenter ab eius libero arbitrio? quasi verò quod intrinsecum est, & necessitatem affert, ideo afferat, quia intrinsecum est, & non ideo præcise quia tale est, vt eo posito non possit voluntas non agere, aliunde verò independenter ab ea eiúsque libertate ponitur. Quid quod clara Dei visio, licet intrinseca homini, voluntati tamen prorsus extrinseca, vtpote ei intrinsecè non inhærens, sed VI. intellectui, eam non minus ad amandum Deum necessitat, quàm si ipsi intrinsecè inhæreret?

Postremò nec concursus influxúsq. quo Deus nobiscum in consensum nostrum influit. Illud enim quo formaliter agens aliquod ad agendū prædeterminatur, ordine naturæ & causalitatis eius actionem antecedit: atqui prædictus Dei concursus non antecedit ordine causalitatis & naturæ actionem qua voluntas agit dum consentit: ergo per illū Dei concursum formaliter ad agendum non prædeterminatur. Maior vera est, tum quia quod formaliter prædeterminat agens ad agendum, causa est cur agens agat, ergo naturæ & causalitatis ordine eius actionem antecedit: tum quia agens quod ad agendum prædeterminatum est, est ad actionem determinatū VII priùs natura quàm agat, si enim non priùs esset determinatum ad agēdum quàm in actu secundo ageret, non esset prædeterminatum ad agendum, sed solùm ad agendum actione sua determinaretur, quod non est prædeterminari, cùm omni agenti siue libero siue necessario commune sit determinari ad agendum in actu secundo per actionem suam, sicut commune est agere, prædeterminari autem proprium sit soli agenti determinato ad agendum priùs natura quàm agat, vt particula *præ* significans antecessionem aliquam satis indicat. Quòd si agens prædeterminatum ad agendum, priùs natura quàm agat ad actionem determinatum est, ergo vt prædeterminatum est, illam naturæ ordine antecedit, ergo etiam forma per quam formaliter ad agendum prædeterminatum est. Minorem probo, VIII. concursus quo concurrit Deus ad consensum voluntatis nostræ nihil aliud in re est quàm actio Dei transiens, hæc autem actio eadem in re est cum actione nostræ voluntatis: ergo cùm actio voluntatis ordine naturæ & causalitatis antecedere non possit eiusdem voluntatis actionem, alioquin antecederet seipsam, certe nec actio Dei actionem voluntatis prædicto ordine antecedet, alioquin etiam idem antecederet seipsum, & subsequeretur.

Dices primò, etsi actio Dei & creaturæ, sit vnica numero actio, posse tamen eam considerari primò vt præcise est à Deo tanquã à principio à quo pendet essentialiter: secundò vt est à voluntate creata vt à principio à quo item essentialiter dependet: & illo primo modo consideratam esse naturâ priorem seipsa considerata secundo, & in illo priori naturæ quo voluntatis actionem antecedit, vt actio voluntatis est, posse habere vim physicè determinandi voluntatem ad agendum, & proinde etiam prædeterminandi. Verùm etsi concedam actionem Dei & creaturæ posse his duobus modis seu conceptibus inadæquatis concipi, nego tamen eam primo modo consideratam priorem esse natura & causalitate eâdem consideratâ secundo, & proinde in aliquo priori posse vim habere physicè prædeterminandi voluntatem ad agendum. Ratio est, quia inter actionem primo & secundo modo consideratam nulla à parte rei distinctio est, sed hæc tota distinctio considerationis fit per intellectum & præcisionem mentis: quoties autem inter aliqua duo nulla est distinctio nisi beneficio rationis præscindentis, nullus quoque est inter ea ordo prioris aut posterioris naturâ, saltem qui in causalitate fundetur, quia vbi nulla est in re distinctio, ibi nulla reipsa causalitas esse potest, aut certe idem reipsa causaret seipsum.

I.

II.

Dices secundo actionem Dei & creaturæ non esse eandem numero actionem, sed diuersas, & proinde posse actionem Dei priorem esse natura & causalitate actione creatæ voluntatis, & in illo priori vim habere voluntatem ad agendum physicè prædeterminandi. Verùm hîc duo dicuntur, quæ nullo modo probari ab iis à quibus dicuntur possunt: primum est, actionem Dei & creaturæ re & numero distingui, quod vt gratis concedamus, secundum certè quod dicitur, nempe actionem Dei esse priorem natura & causalitate actione creatæ voluntatis, non modò probari firma ratione non potest, sed etiam impugnatur ex eo efficaciter, quòd etsi primum verum esset, non tamen esset consequens hoc secundum, imò id impossibile est. Vt enim aliqua actio prior esset altera ordine naturæ & causalitatis, oporteret vnam causare alteram: at vna actio per aliam non causatur, nec causari potest, sed seipsa causatur à causa à qua progreditur, solus terminus actionis est qui per actionem ab agente causatur.

III.

Nec vt actio Dei dicatur prior ordine naturæ & causalitatis actione creaturæ, sufficit quòd creaturæ actio non sit ex se sufficiens, vt effectus existentiam in rerum natura accipiat, nisi ei actio Dei adiungatur: hoc enim si ad id sufficeret, pari iure sufficeret, vt actio causæ secundæ diceretur ordine naturæ & causalitatis prior actione causæ primæ, quia hæc ex se ad id quod dixi, sufficiens etiam non est, nisi actio causæ secundæ ei coniungatur. Quòd si actio causæ primæ, etsi concedatur numero distincta à causæ secundæ actione, in nullo priori naturæ & causalitatis hanc antecedit, certè nec in vllo potest voluntatem ad agendum physicè prædeterminare.

IV.

SECTIO XI.

Soluuntur argumenta quæ pro refutata sententia ex Scripturis petuntur.

A IN referendis in posterum pro ea quam refutauimus hactenus sententia argumentis, non distinguam ea quibus prædeterminatio physica directè concluditur, ab iis quibus Dei per gratiam efficacem motio talis probatur, vt ei voluntas resistere non possit: quo enim argumento vnum ex istis duobus explicite concluditur, implicite saltem concluditur & alterum, propter necessariam, vt initio secundæ sectionis monui, vnius cum altero connexionem. Sunt autem decem præsertim Scripturæ testimonia, quæ partim ad hoc, partim ad illud probandum, & proinde ad vtrumque, ab illius sententiæ authoribus proferuntur.

V.

Primum, Esther 13. *Non est qui possit Dei resistere voluntati.* Secundum, Prouerb. 21. *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* Tertium, Sap. 8. *Attingit a fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Quartum, Hieremiæ 10. *Non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis diriguntur.* Quintum, Ezechielis 11. & 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: spiritum meum ponã in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Sextum, Lucæ 14. *Compelle eos intrare.* Septimum, Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Octauum, ad Roman. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Nonum, eiusdem epistolæ cap. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Decimum, ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Neque hîc breuitatis causa refero aduersariorum argumentationem, qua ex singulis hisce testimoniis concludunt vnum illorum duorum quæ dixi, tum quia facile est intellecta eorum sententia tam fusè hactenus declarata videre quomodo ex quoque loco argumentari possint ad id concludendum: tum quia nostra ad singula responsione argumentationem hanc insinuabimus.

B

VI.

C

VII.

Ad primum ergo concedo quidem eo euinci, neminem posse resistere decreto absoluto efficaci quod Deus vel ex seipso concipit, id est independenter à nobis & actu libero nostræ voluntatis, quale est decretum quod habuit de mundo condendo, vel sumpta aliqua occasione ex nobis, id est, ex præsuppositio aliquo nostro actu libero, quale est decretum de damnãdo eo quem videt moriturum in statu peccati mortalis. At nego eodem Scripturæ testimonio significari, omne decretum Dei, illúdque nominatim quo nostras actiones prædefinit, id est, quo ad eas nobiscum concurrere decernit, nam non aliter eas reipsa prædefiniuit, esse eiusmodi efficax & absolutum decretum. Et tale reuera non esse, sed conditionatum esse, constat ex Tract. de Deo, disput. 26. sect. 3. in qua id fusè probatum est: vnde etiam facile intelligitur, quomodo eiuscemodi decreto, cùm conditionatum sit, resistere possimus, id est, quomodo possimus non obstante hoc eodem

D

VIII.

decreto, ipsóque præsupposito, facere adhuc vel non facere id quod à Deo per decretum illud constitutum est, & reipsa sæpè non faciamus.

Ad secundum dico, cor Regis esse in manu Dei, & quocunque voluerit, illud inclinare posse duobus modis. Primo, prædefiniendo eas eius actiones quas ab ipso vult fieri, prædefiniendo, inquam, decreto antecedente vsum liberi eius arbitrij, antecessione non modò temporis, sed etiam causalitatis. Secundo, eas illi cogitationes & illustrationes in intellectu, & motus in voluntate immittendo, quibus potest resistere, quos tamen si immittat, præuidet futurum, vt cùm resistere posset, reipsa non resistat, sed consentiat: atque hoc solùm posteriori sensu vult Sapiēs Deum iam de facto inclinare corda Regum in eam partem in quam eos ire desiderat: nam si priori eorum corda inclinaret, eis quoque libertatem in agendo saltem quoad specificationem eriperet, vt suprà probauimus: quod tamen de Deo sentiendum non est, vtpote qui creaturas suas eo modo gubernat, qui ipsarum naturis consentaneus est, sinendo necessarias agere necessariò, liberas liberè.

I. A

II. B

Ad tertium dico per hanc vocem, *fortiter*, non significari, nos sic à Deo præmoueri ad agendum, vt prædeterminemur, nec resistere valeamus: & per illam alteram, *suauiter*, non indicari, non obstante illa præmotione forti nos adhuc liberè agere: vtrumque enim simul sumptum esse impossibile suprà ostendimus: sed eo loco tantùm significatur Deum nos ad agendum ea vi mouere, cui licet possimus resistere, sumus tamen reipsa consensuri, & proinde mouere fortiter & suauiter simul: fortiter quidem, quia motio effectum & finem suum

III. C

consequitur: suauiter verò, quoniam licet effectum reipsa consequatur, liberam tamen resistendi potestatem non adimit, nec proinde violenter cogit, seu necessitat voluntatem.

Ad quartum respondeo eo loco Hieremiæ sermonem esse de via per quam in vitam æternam tenditur, vt exponit sanctus Augustinus libri 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 17. & significat D. Hieronymus comment. in Hieremiam, & vere dici hanc viam in homine non esse, seu in potestate hominis, quia naturæ suæ viribus illam homo tenere & insistere non potest, declinando peccata, & exercendo opera bona conducentia ad æternæ vitæ consequutionem, sed ad id indiget præueniente Dei & cooperante gratia, quam dum ab eo accipit, gressus eius à Domino dirigi dicuntur. Sed hinc concludi tantùm potest diuinæ gratiæ necessitas ad bene operandum, quam vltro concedimus, non verò vis eius aliqua physicè

IV. D

prædeterminans, ita vt ei resistere non possimus.

Ad quintum dico Deum facere vt in eius præceptis ambulemus, non prædeterminando antecedenti decreto nostram præceptorum obseruationem, sed communicando gratiam, quam si communicaret, præuidit futurum, vt quamuis ei possemus resistere, reipsa tamen ex libertate nostra consentiremus: eiusdémque gratiæ beneficio auferre à nobis cor lapideum, & dare carneum, id est, auferre duritiam cordis nostri, & illud emollire, quatenus per illam gratiam facit vt cùm resistere possemus, reipsa tamen consentiamus.

Ad sextum respondet Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 15. num. 10. variásque huius loci interpretationes affert, quarum nulla fauet aduersariis, concludítque proprium & literalem eius sensum esse, futuram fuisse magnam in Ecclesia vim Euangelicæ prædicationis ad commouendos homines ad idem, vt exponit Iansenius in Concordia cap. 91. commotionémque illam & compulsionem non futuram physicam aliquam prædeterminationem, sed moralem tantùm adductionem, per exteriorem prædicationem, & interiorem diuinæ gratiæ excitationem persuadentem.

V.

Septimum idem Author eiusdem libri 3. cap. 11. à num. 7. ad 11. fusè explicat. Dico breuiter, non posse ex eo concludi physicam gratiæ prædeterminationem, aut istius prædeterminationis necessitatem, sed solùm Dei præuenientem & excitantem gratiam esse necessariam, vt

VI.

quis per fidem aut pœnitentiam ad Christum veniat: & cum omnem qui venit, a Patre audiuisse, didicisse, tractum esse, id est, illuminationem & inspirationem accepisse, qua factum est vt reipsa veniret, licet potestatem non veniendi absolutè relinqueret.

VII.

Ad octauum respondeo primò, homines dici agi, non solùm tunc cùm ad aliquid agendum physicè prædeterminātur, sed etiam dum moraliter impelluntur: præueniente autem Dei gratia, etsi non physice prædeterminentur ad agendum, moraliter tamen impelluntur. Respondeo secundò, homines non sic dici spiritu Dei agi, quasi ipsi nihil agant; vt enim rectè S. Augustl-lib. 1. de gratia Christi cap. 25. *vt agant quod bonum est* (per consensum scilicet liberum) *ab eo aguntur*, (nempe per gratiam excitantem) *qui bonus est*. Et sermone 13. de verbis Apostoli: *Dicet mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus: imò agis, & ageris, & tunc bene agis, si à bono ageris: spiritus enim Dei qui te agit agentibus adiutor est, ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia tu ipse aliquid agis.* Quibus ex eius verbis intelligimus nos spiritu Dei agi, non tantùm ratione gratiæ excitantis, sed etiam adiuuantis: quod clariùs significat dum statim addit, nos spiritu Dei agi, *spiritu*, inquam, *exhortante, illuminante, adiuuante*.

VIII.

Ad nonum dico primò, si dictum est ab Apostolo, *Non est volentis, nec currentis*, propter efficacem & antecedentem consensus nostri prædeterminationem, hinc manifestè concludi, esse quoque ab eodem definitum, consensum nostrum simpliciter necessarium esse: si enim de hac prædeterminatione agit, cùm dicat eam nō esse volentis, nec currentis, certe statuit hāc in libera nostra potestate non esse: aliunde verò cùm quod necessariò sequitur ex hypothesi quæ in nostra potestate non est, sit simpliciter necessarium, vt concedūt etiam aduersarij, qui propterea, vt suprà vidimus, confugiunt ad dispositionem aliquam nostram positiuam, aut negatiuam, ratione cuius hæc prædeterminatio in nostra potestate sit, consequens est, consensum nostrum, qui ex hypothesi huius præde-

terminationis sic necessariò sequitur vt non possit non sequi, simpliciter esse necessarium. Dico secundò id reuera dictum ab Apostolo esse ob excitantem gratiam quam Deus in nobis sine nobis operatur, eo sensu quo exposuimus disput. 4. sect. 1. & quæ proinde in nostra
I. libera potestate non est: cuius secundæ responsionis veritas ex eiusdem 4. disput. sect. 2. certa & clara est.

Hinc ad decimum respondeo, Deum solum dici in nobis operari ipsum velle, & perficere, non quòd nostrum non sit & Dei simul velle & perficere, quando volumus & perficimus, quatenus ille nobis per gratiam adiuuantem cooperatur, & nos illi, sed quia ab ipso solo est gratia præueniens & excitans qua fit vt velimus, & perficiamus. Adiungi poterat his Scripturæ testimoniis & istud 1. Corinth. 4. *Quis te discernit?* in quo non modicam vim faciunt aduersarij, sed quoniam de eo infra commodiùs & abundè dicturi sumus, modò nihil dicemus.

II. ## SECTIO XII.

Soluuntur argumenta pro eadem sententia ex authoritate Conciliorum & sanctorum Patrum deprompta.

EX Conciliis obiiciuntur nobis duo, Arausicanum secundum can. 4. & Tridentinum sess. 6. can. item 4. quorum in priore sic dicitur: *Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui sancto*, &c. In posteriore verò definitur liberum arbitrium à Deo moueri ad consentiendum priusquam consentiat. Verùm nihil est quod ex his Conciliis in suæ sententiæ
III. confirmationem colligere possint aduersarij: Arausicanum enim citato can. aliud nihil vult, quam docere contra Semipelagianos Deum in conferenda nobis primæ vocationis gratia, qua ad peccati remissionem & iustitiam vocamur, non expectare liberam nostram volũtatem qua iustificari velimus, sed hanc conferre nobis nullo præuio nostro actu bono tanquam merito, vel tanquam aliqua ad eam habendam dispositione, sed è contrario voluntatē illam nostram esse effectum illius primæ vocationis. Ex qua doctrina concludi nullo modo potest physica illa prædeterminatio quam suprà refutauimus.

Et sanè si hæc rectè ex eo concluderetur quod Concilium dicit, Deum non expectare voluntatem nostram, sequeretur eum non ex-
IV. pectata nostra voluntate prædeterminare nos, nec proinde ex vlla nostra libera positiua vel negatiua dispositione ad hanc prædeterminationem: dispositionem enim istā si expectaret, nostram haud dubiè voluntatem expectaret. Quod si ex nulla nostra dispositione libera nos prædeterminat, nec proinde hæc eius prædeterminatio in libera nostra potestate est, consequens est, consensum nostrum gratiæ prædeterminanti datum esse simpliciter necessarium, ob allatam huius rei superiùs rationem, & paulò antè memoratam.

A

Tridentinum verò ait quidem liberum nostrum arbitrium à Deo moueri priusquam consentiat, sed moueri per gratiam vocationis, non verò physicè prædeterminari. Quod profectò Concilium, si dum statuit liberum arbitrium à Deo motum aliquid cooperari Deo mouenti, per hanc vocem, *motum*, intelligeret physicè V. prædeterminatum, cùm immediatè post addat, idem liberum arbitrium à Deo motum posse dissentire si voluerit, & resistere, sequeretur ex mente Concilij posse nos resistere diuinæ gratiæ etiam physicè prędeterminanti, quod huius prædeterminationis assertores constanter negant.

Ex Patribus duo item nobis opponuntur, Bernardus vno loco, Augustinus plurimis: Bernardi in fine Tractatus de gratia & libero arbitrio hæc verba sunt: *Deus author est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.* Verùm huius applicationis nomine nō potest meritò intelligi physica voluntatis prædeterminatio, sed intelligenda solum est motio gratiæ præuenientis & excitantis ad opera bo-
B na & meritoria, de quibus eo loco S. Bernar- VI. dus loquitur: quod applicationis & motionis genus voluntatem ad agendum non magis physicè prædeterminat, quàm consilium & suasio ad ea agenda quæ consuluntur, & suadentur.

S. autem Augustinus libri in primis de gratia & libero arbitrio cap. 16. sic habet: *Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Quæ vires efficacissimæ quid aliud esse possunt quàm gratia physicè prædeterminans?

Deinde libri de corrept. & gratia cap. 12. cùm dixisset primo homini ante peccatum fuisse datum donum quo perseuerare posset, non quo perseueraret, addit, nunc sanctis maius adiutorium conferri, illud nimirum quo non modò perseuerare possunt, sed etiam reipsa perseue-
C rantes fiunt, & quidem *indeclinabiliter & insuperabiliter*, vt ibidem circa finem capitis loquitur: quæ aduerbia duo quid aliud significant VII. quam maiori illi adiutorio humanam voluntatem non posse resistere?

Eiusdem libri cap. 14. diserte sic pronuntiat: *Deo volenti saluum facere nullum liberum resistit arbitrium, sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.*

Præterea libri 1. ad Simplic. quæst. 2. sic scribit: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur si homo nolit, quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quo modo illis aptum esset vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* Qua sententia manifestè significat esse aliquod vocationis seu gratiæ genus, quod non potest frustra
D concedi, id est, absque assequutione effectus à VIII. Deo intenti, qui effectus est noster consensus, cui proinde gratiæ voluntas non potest resistere.

Denique libri de spiritu & litera cap. 34. sic loquitur. *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quispiam nos coarctet, cur illi ita suadetur, vt persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim quæ respondere placet, O altitudo diuitiarum! &, Nunquid iniquitas apud Deum?*

At ex nullo locorum illorum physica voluntatis prædeterminatio meritò concluditur. Vnde ad primum dico, vires illas efficacissimas quas Deus præbet voluntati, & quibus facit vt velimus, esse gratiam præuenientem & excitantem, non quidem physicè prædeterminantem ad consentiendum, itavt resistere non possimus, sed magnam vim habentem ad impetrandum à voluntate consensum, quamque Deus præsciuit impetraturam reipsa consensum hunc, si eam daret.

I.

Ad secundum dico similiter, illud maius adiutorium quod nunc Deus dat multis hominibus, & cuius ope bene operantur, ac in bono perseuerant indeclinabiliter & insuperabiliter, non esse gratiam physicè ad bonum prædeterminantem cui resisti minime possit, sed esse prædictam excitantem, de qua per scientiam conditionalium præsciuit Deus eam effectum habituram, si ipsam tribueret, seu hominem liberè ei & ad finem vsque vitæ consensurum, etsi eadem libertate qua consentiet dissentire posset: hac enim ex hypothesi humanæ liberæ cooperationis, & eius à Deo præuisionis, est indeclinabiliter & insuperabiliter effectum habitura; quia quod futurum est, & futurum à Deo præuidetur, ex hypothesi quod futurum sit, & tale à Deo præuideatur, euenit insuperabiliter & indeclinabiliter, imò non potest non euenire: quæ tamen necessitas seu impossibilitas, cùm inuoluat & præsupponat vsum humanæ libertatis, ei non potest repugnare. De qua item necessitate seu impossibilitate intelligendus est idem sanctus Augustinus, cùm ait eo loco quem explicamus, Sanctos sine dono quo perseuerantes fiunt non posse perseuerare: tantum siquidem vult non posse ex hypothesi quod sine huiusmodi dono perseueraturi reipsa non fuissent, & præuideret Deus eos absque illo non perseueraturos.

II.

Tertij & quarti loci eadem expositio est, nec alterutro vel vtroque vult idem S. Pater dari gratiam aliquam physicè prædeterminantem cui liberum arbitrium nequeat resistere, sed solùm vult, non posse resistere ei gratiæ, cui præuidit Deus ipsum consensurum: non posse, inquam, ex hypothesi futuri huius consensus, eiúsque à Deo præuisionis. Quod clare significauit quæstione illa 2. ad Simplicianum, dum explicans, quare Deo volenti aliquem saluum facere, seu, quod idem est, alicuius non frustra misereri, nullum liberum arbitrium possit resistere, dixit, ideo Deo hoc volenti neminem posse resistere, quia nullius creaturæ libera voluntas impedire potest, quominus eum quem saluare vult Deus, vocet ea vocatione congrua, qua si vocaretur, præuidit fore vt vocantem sequeretur.

III.

Ad quintum respondeo primò, aduersarios ex eo malè nos impugnare: aut si rectè, non minùs contra se quàm contra nos agere. Si enim ex admiratione sancti Augustini, cur ex duobus vocatis vnus credat, alter non credat, magnum aliquod & profundum mysterium in vnius & alterius vocatione rectè colligunt, vt faciunt: & præterea si rectè contra nos dicunt, nullum fore talę mysterium, si gratia talis sit, vt ei quilibet vocatus possit consentire vel dissentire, quia facile respondebitur, quod iste credat, factum esse, quia vocatus ad credendum voluit credere, quod hic alius non credat, factum esse, quia vocatus ad credendum noluit credere, dico eos contra se agere non minus quàm contra nos. Etenim eorum prædeterminatione posita non minus sequitur nullum fore tale mysterium. Nam facillimè quoque respondebitur, nihil mirum esse quòd vnus credat, alter non credat, quia qui credit, ad credẽdum prædeterminatus est, ita vt non posset non credere: qui autem non credit, prædeterminatus non est ad credendum, sine qua tamen prædeterminatione non potest credere.

IV.

Respondeo secundò mysterium, quod miratur sanctus Augustinus, esse, non quod vnus credat, alter non credat: hoc enim secundum in solam peruersam hominis voluntatem referendum est, illud verò primum in gratiam Dei simul & liberam hominis voluntatem: sed quòd vnus vocetur à Deo ea vocatione, cui præsciuit eum consensurum, si eam daret, alter verò ea vocatione, cui præsciuit eum non consensurum, cùm tamen non minùs hunc quàm illum ea vocatione vocare posset, cui consensurum, si daretur, præuidebat: nec magis minúsve illum quàm hunc ea vocatione posset vocare, cui non consensurum præuiderat: nec denique magis vni quàm alteri vocationis huius aut illius debitor esset, quod certè omni admiratione dignum est.

V.

His ego relatis explicatísque sancti Augustini testimoniis vnum ex eo præterea hìc seorsim adiungo, quòd clariùs quàm præcedentia omnia prædeterminationem physicam sonare videatur: depromitur autem ex libro de prædestin. Sanctorum cap. 10. in quo agens de fide Gentium Abrahæ à Deo promissa sic loquitur: *Quando promisit Deus Abraha in semine eius fidem Gentium, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit: promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt vt ipse faciat quod promisit, alioquin vt Dei promissa compleamur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* Quibus verbis videtur agnoscere prædeterminationẽ ad actum saltem fidei, consequenterque ad cæteros ad eundem gratiæ ordinem pertinentes, cum omnium eadem quoad hoc ratio sit.

VI.

At reuera non agnoscit, sed solùm docet cõtra Massilienses & aliorum Semipelagianorum errorem, fidem ex naturæ nostræ viribus non esse, sed ex dono diuinæ gratiæ, cuius nobis conferendæ diuina voluntas prædestinatio ad fidem est. Quam ideo negat in nostra potestate esse, quòd eam per naturæ nostræ vires habere non possimus, nec quidquam per easdem facere, quo aut illam mereamur, & à Deo impetremus, aut ad habendam nos disponamus: è contrario autem in Dei solius esse potestate, non quòd ei nos ad fidem vocanti per excitantem & præuenientem gratiam consentire libere non possimus, vt & dissentire ac resistere, sed quia nos ipse solus ea gratia præuenit & excitat, quam præsciuit à nobis impetraturam esse consensum, quaque nisi nos gratui-

VII.

VIII.

to & misericorditer præuenire voluisset, nihil vnquam in nobis esse potuisset quo ad fidem perduceremur. Et sanè cùm de ea re loquatur, quam expressè dicit esse extra nostræ voluntatis potestatem, si de prædeterminatione physica loqueretur, hanc in nostra potestate non esse aperte diceret, ex quo consequens esset, consensum nostrum ex ea ortum habentem esse simpliciter necessarium necessitate repugnante libertati, vt ex dictis clarum est.

I.

SECTIO XIII.

Soluuntur argumenta pro eadem sententia ex authoritate S. Thomæ desumpta.

EX Angelico Doctore sex præsertim testimonia contra nos proferuntur, quorum tria priora vim habere videntur ad probandum causam primam omnes secundas etiam liberas prædeterminare physicè ad proprias quas exercent actiones: tria posteriora ad idem concludendum de eadem causa prima respectu

II. secundæ liberæ & bonarum quas ex motione gratiæ elicit actionum.

Primum ex illis tribus prioribus petitur ex prima parte quæst. 105. artic. 5. in Corp. & ad 3. Secundum ex libri 3. contra Gentes, cap. 70. quo vtroque loco eandem omnino doctrinam tradit, quæ est, Deum esse omnium actionum & effectuum, qui à causis secundis proficiscuntur, causam efficientem tribus modis. Primo, producendo formas, & agendi virtutes per quas illæ causæ agunt. Secundo, eas indesinenter conseruando. Tertio, easdem mouendo & applicando ad actionem.

III. Tertium ex quæst. 3. de potentia artic. 7. in Corp. & ad 7. vbi eandem doctrinam explicans vberius quartum adiungit modum his verbis: *Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum eius virtute omnis alia virtus agit.* Quam Dei virtutem, motionem, & applicationem causæ secundæ ad propriam actionem, nihil aliud esse posse, quàm physicam eiusdem prædeterminationem, contenduntij qui nobis hæc S. Doctoris testimonia obiiciunt: quorum communis, & in iis testimoniis fundata ab illis doctrina, est, generalem Dei concursum ad omnes causarum secundarum actiones & effectus necessarium in duobus consistere. Vnum est, motio quædam realis & entitas quam Deus solus causæ secundæ imprimit, tum vt eius actiuam virtutem, quæ alioquin inchoata tantummodo atque incompleta remaneret, compleat: tum vt ad exercitium actionis applicet.

IV. Alterum, immediatus influxus, quo in ipsum eiusdem causæ secundæ effectum simul cum ipsa influit. Quem proinde generalem Dei concursum volunt partim in ipsa causa secunda recipi, ratione scilicet motionis illius & entitatis realis quæ in ea sola recipitur: partim in eius effectu, eo videlicet modo quo actio dici potest esse in termino qui per eam efficitur.

Atque cùm illam motionem entitatémque realem dicant à S. Thoma significatam fuisse modis illis paulò ante relatis à primo secundóque distinctis, quibus omnis causæ secundæ actio effectúsque Deo vt causæ efficienti merito tribuitur, propterea dicunt item communiter causas secundas nunquam agere nisi motas à prima, háncque prius naturæ ordine agere quàm illæ agant, quòd hæc motio ad generalem Dei concursum, vt dixi, pertineat, priùs autem natura a Deo in causa secunda producatur, quàm hæc agat: quamquam & ex iis nonnulli id verum etiam esse asserunt ratione immediati influxus diuini, quem priorem naturæ ordine esse volunt influxu causæ secundæ: quod tamen verum esse non potest, nisi hic & ille influxus inter se à parte rei distinguantur: nam naturæ prioritas & posterioritas realis est, nec intercedere inter alia potest, quàm inter ea quorum non vna natura seu entitas reipsa est, sed diuersa: non distingui autem à parte rei hos influxus, qui nihil aliud sunt quam ipsa Dei & causæ creatæ actio, & communior meliórque, & expressa D. Thomæ doctrina est citatæ quæst. 105. art. 5. ad 2. & libri 3. contra Gentes cap. 70.

A

V.

B

VI.

Nunc vt ad illa eius obiecta nobis testimonia respondere aggrediar, omittámque dicere, quòd si citatis locis nomine prædictæ motionis, & applicationis, virtutísque, intelligitur illa realis entitas, quæ à prima causa secundæ imprimi dicitur priùs natura quàm hæc agat, quartus modus, quo prima illa causa efficienter omnes huius secundæ actiones & effectus, à tertio distingui non potest, cùm tamen ex relatis D. Thomæ verbis clarum sit eum tam distinxisse quartum à tertio, quàm tertium à primo & secundo: Dico in primis, responderi posse cum Suare lib. 1. Opuscul. cap. 11. S. Doctorem, per motionem applicationémque qua Deus causas secundas ad operandum mouet, & applicat, intelligere actualem influxum, quo

C immediatè cum iis in proprios earum effectus influit, per virtutem autem cuius mentionem facit quartum modum distinguens à tertio, prædictam realem entitatem: sed id postea tacitè retractasse, cùm citatis ex prima parte & lib. 3. contra Gentes locis, quæ postrema eius opera fuisse censentur, tractans ex professo modos quibus causarum secundarum effectus à prima dependent, nullam huius quarti mentionem fecit.

VII.

Dico secundo, minimè esse necessarium ad hanc tacitam sancti Thomæ retractationem confugere, sed hunc aliter commodè exponi posse: nimirum sic, vt citata quæstione 3. de potentia per tertium modum quem retulit, intellexerit præuiam actioni causæ secundæ motionem, qua agens per motum localem aut locali similem debitè applicatur patienti, in eóq. situ

D cóstituitur, in quo vim actiuam suam in ipsum exerere & exercere potest: per quartum autem quem subiunxit, intellexerit ipsam causæ primæ actionem, qua simul cum causa secunda in huius effectum immediatè influit, qua sola in actione, vt à Deo dependet, generalem eius concursum positum esse existimamus.

VIII.

Et certè cùm vna quidem ex parte quodlibet naturale agens ad exercitium suæ actionis debitam sui cum re in quam agit præuiam applicationem requirat, hæc autem motu aliquo lo-

cali, vel persimili ei qui localis est, perficiatur, cuius Deus ea saltem ratione immediata causa est, qua cæterorum omnium entium: ex altera verò operatio effectúsque naturalis agentis debitè applicati rectè ascribatur ei à quo applicatur, etiamsi nihil aliud ad hunc effectum quam
I. hunc applicationis motum conferat, vt clarum A est exemplo eius qui ignem domui applicat, eámque propterea incendere verè dicitur, rectè quoque S. Doctor hunc modum aliis quibus Deus ad omnes naturalium agentium operationes concurrit annumerare potuit, quem tamen, quoniam præsupponit eundem Deum in omnes causarum secundarum effectus immediatè influere, cur enim potiùs in illam applicationem quàm in hos effectus immediatè influeret? citatis ex prima parte & lib. 3. contra Gentes locis recensere neglexit, tres tantùm enumerare contentus, quorum duo priores iidem sunt cum primo & secundo quos citata de potentia quæstione recensuit, & tertius cum quarto.

II. Et quidem quòd iste tertius illis duobus prio- B ribus locis recensitus, de actione Dei qua immediatè omnes causarum naturalium effectus attingit, sit intelligendus, certum ex eo debet esse, quòd alioquin aut S. Doctor non agnouisset Deum immediatè cum causis secundis agere, quod tamen dici non potest, cùm citatæ quæstionis 105. art. quinto in solutione secundi argumenti doceat insuper vnam eandemque numero esse causæ primæ & secundæ in effectum actionem: aut doctrinam plurimùm mancam tradidisset. Cùm enim illic ex professo examinaret & traderet modos, quibus effectus causarum secundarum tribui possunt & debent Deo vt causæ primæ efficienti, nisi concursus & influxus immediati quem causis illis præbet mẽtionem feciſſet, insignem modum omisisset, ra-
III. tione cuius iure optimo omnes illarum causa- C rum effectus illi tribuuntur: nullam autem mentionem fecerit, nisi tertio illo modo eum intellexerit, quandoquidem duobus aliis prioribus certissimè non intellexit.

Atque hæc ratio pariter euincit eundem S. Doctorem citata quæstione de potentia, tertio, aut quarto modo quem retulit intellexisse illum ipsum immediatum Dei in omnes causarum secundarum effectus influxum, cùm hunc primo & secundo, qui cum prædictis illis aliis duobus iidem sunt, non intellexerit. Quod autem hunc non tertio sed quarto intellexerit, hinc probo, quòd si quid aliud isto quarto intellexit, certè motionem illam & entitatem realem, quam dicunt ij contra quos agimus imprimi à causa prima secundæ antequam agat: alterutrum enim necessariò intelligendum est,
IV. quia nihil aliud intelligi potest: at entitatem il- D lam & motionem non intellexit, vt ex eo clarum est, quòd virtutis nomine ibi à se vsurpato, dum quartum illum modum referens sic scripsit, *& in quantum eius virtute omnis alia agit*, ipsam increatam Dei potentiam operantem intellexit, cùm & ibidem expresse dicat omne agens creatum esse instrumentum illius virtutis operantis, quod falsum esset, si per hæc prædicta realis entitas & motio intelligeretur: & insuper adiungat, Deum esse illã ipsam virtutem, quod dici de nulla re creata & extra ipsum Deum existente verè potest. Dicit autem, verissimè S. Doctor, & eius virtute omnem aliam virtutem agere, quæ ipsius immediato influxu vt agat indiget: & omne agens creatum eiusdem virtutis instrumentum esse, sed latè sumendo nomen instrumenti, prout nimirum V. comprehendit quidquid alterius influxu ad agendum opus habet, eíque in agendo subordinatum est vt inferius superiori, quod cuilibet creaturæ comparatione Dei conuenit.

Vera igitur ad obiecta nobis ex S. Doctore testimonia responsio est, eum nihil in iis dicere quod physicam causarum secundarum à prima prædeterminationem ad proprios earum effectus significet, solùm docere, causas illas agere non posse, nisi primò agendi virtutem à Deo accipiant: nisi secundò virtutem hanc illis ipse conseruet: nisi tertiò eas cum eo, in quod agere debent, debitè coniungat: nisi denique eadem immediato suæ virtutis seu omnipotentiæ influxu ad agendum moueat & applicet.

At in primis dices, intelligi non posse, quo- VI. modo Deus dici verè possit per hunc influxum suum mouere causas secundas, & applicare ad agendum. Verùm id Suarez loco citato rectè, nec difficili ad intelligendum modo explicat, dum ait, causam secundam actione sua formaliter applicare se & mouere ad effectum quem producit, actionémque proinde qua producit esse formalem applicationem motionémque qua ad eum applicatur & mouetur. Et quoniam hæc actio non à sola creatura est, sed etiam à Deo cuius ab actiua virtute essentialiter dependet, rectè dici hac actione, quæ verè Dei actio est, causam secundam à Deo moueri & applicari ad agendum, id est, non ad actionem, sed ad effectum qui est immediatus terminus actionis.

Nec dicas pari iure dici posse causam secun- VII. dam mouere primam & applicare ad agendum, quia etiam actio causæ primæ essentialiter à causa secunda est. Dispar siquidem est ratio. Nam licet Deus & causa secunda in eo conueniant, quòd actio qua simul agunt, pendeat ab hac & illo essentialiter, causa tamen secunda primam non dicitur mouere, sed prima secundam, quia mouere superioris est, moueri inferioris: mouere proprium est causæ independentis ab altera, eámque sibi subordinantis, qualis est Deus: moueri proprium causæ dependentis, & subordinatæ, qualis est causa secunda respectu Dei.

Quòd si cui placet, Deum actione sua formaliter mouere & applicare causam secundam, non ad effectum tantum qui terminus actionis est, sed ad ipsam quoque actionem, licet huius & illius actio vna eademque numero sit, is non VIII. aliam ob rationem id tueri potest, quam ob prioritatem rationis, qua illa actio, vt Dei est, prior est seipsa vt creaturæ est: quæ prioritas alia non est, quàm ea quæ rebus magis vniuersalibus conuenit, à quibus non valet ad alia minus vniuersalia existendi consequentia: quæ proinde illis essentialiter subordinantur vt inferiora superioribus, quo modo se habet rationalitas respectu animalitatis, & actio creaturæ respectu actionis Dei: sicut enim non

sequitur, animal est, ergo rationalis, at sequitur è contrario, rationalis est, ergo animal: ita non sequitur, actio Dei est, ergo & creaturæ, sequitur autem, actio creaturæ est, ergo & Dei.

Dices secundò, etsi id ea ratione recte explicetur, non esse tamen ad mentem S. Doctoris explicantis illam causarum secundarum à prima motionem applicationémque ad agendum
I. comparatione instrumentorum artis, quæ nisi ab artifice moueantur ad opus artificiosum & applicentur, illud actiua sua virtute nequeunt efficere: hæc autem artificis motio & applicatio non est immediatus eius in illud opus influxus, sed quidpiam hunc influxum antecedens.

Verùm hæc comparatio non euincit id quod diximus menti S. Doctoris consentaneum non esse. Etenim ea non vtitur, vt significet, causas secundas, præter formam & agendi virtutem quam habent, accipere debere præterea in se qualitatem aliquam, per quam ad agendum applicentur: sicut instrumenta artis præter vim naturalem quam habent scindendi, aut similis
II. alterius operis faciendi, accipere præterea debent motum aut impetum à principali agente, vt effectum artis cum eo producant: neque enim in comparationibus omnimoda similitudo requiritur, sed ideo vtitur, vt significet, quòd sicut artis instrumenta, etsi vim aliquam naturalem agendi habeant, agere tamen nequeunt, nisi ab artifice ad opus moueatur, ita nec causæ secundæ, etsi formam actiuam, vt calorem, frigus, intellectum, voluntatem, aut similem vim agendi naturalem habeant, agere
III. quidquam possunt, nisi à Deo per influxum suum immediate concurrente adiuuentur in agendo, & ad agendum proinde quodammodo moueantur & applicentur. Hoc enim applicationis & motionis genus improprium esse satis ipse S. Doctor agnouit, dum citato primæ partis articulo 5. in Corpore particulam, *quasi*, adhibuit sic scribens: *Deus mouet res ad operandum quasi applicando formas & virtutes rerum ad operationem.* Atque hactenus de tribus prioribus ex eo depromptis testimoniis.

Iam primum ex tribus aliis posterioribus sumitur ex huius primæ secundæ quæst. 112. art. 3. vbi sic loquitur: *Si ex intentione Dei est vt homo cuius cor mouet gratiam* (habitualem scilicet qua formaliter peccati remissio fit) *consequatur, infallibiliter ita fiet, cor sequitur, secundùm illud Ioannis 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Secundum habetur quæstione 10. eiusdem partis art. 4. ad 3. vbi sic ait: *Si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic motioni* (id est, ea præsuppositâ) *quòd voluntas ad illud non moueatur, non est tamen impossibile simpliciter: vnde non sequitur quòd*
IV. *voluntas à Deo ex necessitate moueatur.* At reuera neque hoc, neque illo loco, physica hominis, vel ad habitualem gratiam, vel ad consensum actuali efficaci dandum, prædeterminatio significatur, sed vtroque vnum hoc significatur, hominem non posse non consentire motioni gratiæ præuenientis & excitantis, & mediante hoc suo consensu disponere se ad habitualem gratiam, eamq. accipere, ex hypothesi quòd Deus eum moueat ea motione, cui per scientiam conditionalium præuiderat eundem liberè consensurum, si eam dare decerneret, & daret: quæ impossibilitas seu necessitas non est simpliciter, quia non est ex hypothesi antecedente liberam hominis operationem, huiusque liberæ operationis præuisionem, sed consequente.

Tertium habetur quæstione præcedente art. 6. ad 3. vbi cum S. Doctor dixisset, voluntatem moueri à Deo sicut à motore vniuersali, hominem verò per rationem determinare se ad volendum hoc aut illud bonum, addidit, *interdum tamen Deum mouere specialiter aliquos ad aliquid determinatè volendum, sicut in his quos mouet per gratiam.* Quem locum citans Franciscus Zumel physicæ prædeterminationis defensor acerrimus, vt ei maiorem pro sua sententia vim conciliaret, loco verborum istorum, *specialiter Deus mouet aliquos*, retulit, *specialiter Deus determinat*, satis quidem ingeniosè, at non satis fideliter. Sed neque tertij huius testimonij maius est contra nos quam duorum præcedentium robur: verus enim eius sensus est, Deum, vt est vniuersalis motor, in eo a seipso
B differre, vt particularis motor est, nempe per gratiam, quòd priore modo spectatus moueat causas secundas nõ ad aliquid determinatè, sed indifferenter ad quamlibet partem contradictionis, aut contrarietatis, quatenus scilicet concurrit, & paratus est ad omnes effectus concurrere, ad quos producendos vel ex necessitate naturæ determinatæ sunt, vel ex libertate se determinabunt, & proinde tam ad actũ indifferentem, aut malum moraliter, quam ad bonum: at verò posteriore consideratus non mouet nisi determinatè ad bonum honestum, quia gratia præueniente qua mouet, nunquam impellit nisi aut ad bonum agendum, aut ad malũ declinandum, quæ motio & impulsio non est voluntatis ad hoc physica prædeterminatio, vtpote cui etiam in sensu composito resistere
C potest, vt ex suprà dictis notum est.

V. VI. VII.

SECTIO XIV.

Soluuntur argumenta quæ pro eadem sententia ex ratione petuntur.

PRIMVM ducitur ex ratione primæ causæ, quæ Deus est: ideo enim prima dicitur, quia priùs in effectus ad quos causæ secundæ concurrunt quàm vlla earum influit: vnde est istud Authoris libri de causis apud Aristotelem propositione prima: *Causam primam priùs influere in causatum quàm secundam.* Quòd si priùs quàm hæc influit, ergo hanc ad agendum prædeterminat: in illo enim priori sicut illius influxus vi sua huius influxum infert, quoniam absque hoc ille esse non potest, ita hanc ad in-
D fluendum determinat, in aliquo autem priori determinare prædeterminare est.

VIII.

Respondeo, vnam quidem ex causis ob quas Deus prima causa dicitur, esse quòd priùs in prædictos effectus influat, sed prioritatem hãc, vel ex rei veritate, vel ex mente citati Authoris, nec esse temporis seu realis durationis, vt certum omnibus est, nec naturæ & causalitatis, vt ex dictis sect. præsertim 10. clarum est, sed solius maioris vniuersalitatis,

de qua

de qua proximè præcedente sectione dictum est: quæ prioritas ad physicam vnius ab altero prædeterminationem non sufficit. Nam quod physicè alterum prædeterminat, prius eo naturæ & causalitatis ordine est: quod autem sola illa maioris vniuersalitatis prioritate prius est, neque naturâ neque causalitate prius est: hæc enim causalitatis & naturæ prioritas realis est, & inter ea sola reperiri potest, quorùm vna non est à parte rei natura seu entitas, sed diuersa: at illa maioris vniuersalitatis prioritas solius rationis esse potest, intercedítque etiam inter ea quæ sunt vna eadémque à parte rei entitas, solâ autem per intellectum ratione distinguuntur, vt inter animalitatem & rationalitatem, símiléfque gradus vniuersaliores comparatos cum minùs vniuersalibus, qui ex communiori probabiliorique Philosophorum sententia solam inter sese rationis distinctionem habent.

I.

Secundum sumitur ex essentiali subordinatione qua causæ secundæ subordinantur primæ, quæ subordinatio ab aduersariis in eo ponitur, quòd illæ nihil agere possint, nisi ab hac ad agendum priusquam agant applicentur, quæ præuia earum actioni applicatio physica earundem prædeterminatio est. Respondeo primò, essentialem hanc subordinationem in eo esse positam, quòd causa secunda nihil queat agere, nisi à prima vim agendi accipiat, vt lumen ad illuminandum, calorem ad calefaciendum: nisi deinde prima hanc eius vim iugiter conseruet, & debitè cum eo in quod agere debet coniungat: nisi denique immediatè cum ea in omnem eius effectum influat: in quibus omnibus etiam collectiuè sumptis non includitur illa specialis causæ secundæ per primam motio & ad agendum applicatio, quæ ab aduersariis physica prædeterminatio dicitur.

II.

Respondeo secundò, quòd etsi concederetur ad essentialem illam subordinationem pertinere specialem hanc motionem, quæ esset realis aliqua entitas impressa causæ secundæ à prima antequam ageret, & eius actiuæ virtutis incrementum aliquod ac complementum: meritò tamen negaretur hac speciali motione voluntatem sic ad agendum determinari, vt cohibere non posset amplius actionem suam: diceretur enim hæc motio similis motioni gratiæ præuenientis, quæ necessaria quidem est ad exercitium actus boni conducentis ad vitam æternam: at voluntatem ad hoc non ita determinat, quin ipsũ possit omittere. Nec refert, quod hæc motio nullo modo pertineat ad generalem Dei concursum causis secundis debitũ, illa autem altera, si datur, pertinebit: hinc enim tãtùm erit consequens, aliquid ad generalem Dei concursum pertinens in causa secunda libera ponitum eam ad agendũ non determinare: & quod dici solet, causam secundam semper eo tẽpore agere, quo Deus illi suũ concursum in actu secũdo præbet, erit intelligendum vel de solo cõcursu qui actualis influxus in causæ secũdæ effectum est, vel de totali concursu, qui non illam solam præuiam motionẽ in causa receptam, sed & hunc quoq. actualem influxum, ex aduersariorum etiam expressa doctrina, comprehendit.

III.

Tertium petitur ex natura causæ secundæ liberæ & ad vtrumlibet indifferentis, hoc modo: Ab huiusmodi causa nunquam egreditur aut egredi potest actio, nisi priùs ab alio ad vnũ ex oppositis circa quæ est ex natura sua indifferens determinetur: atqui ille alius solus Deus est: ergo ab hoc illa priusquam agat, ad vnum determinatur: atqui hæc actionem præcedens determinatio, prædeterminatio est, ergo prædeterminatur. Vtraque consequentia cuidens est. Propositionis subsumptæ veritas ex terminis clara est. Minor ex eo constat, quòd si quis est à quo creata voluntas circa multa indifferens determinari ad vnum debeat antequam agat, certè Deus: quis enim alius? Maior expressam S. Thomæ doctrinam continet prima parte quæst. 19. artic. 3. in quo docens Deum velle aliqua libere, sic quinto loco sibi obicit: *Ab eo quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum: si ergo voluntas Dei se habet ad vtrumlibet, sequitur quòd ab aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habet aliquam causam priorem.* tum ita respondet: *Dicendum quòd causa quæ ex se est contingens, oportet quòd ab aliquo exteriori determinetur ad effectum: sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.*

A V.

B VI.

Respondeo negando Maiorem, cuius falsitas certa est ex discrimine causæ liberæ à necessaria, in eo consistente, quòd hæc ex naturæ suæ principiis ad vnum determinata est priusquam agat, hæc contrà indeterminata, positis etiam omnibus ex parte principij actiui ad actionem prærequisitis, nec ab alio quàm à se suaque libertate ad agendum potiùs quàm non agendum, aut ad hoc potiùs quàm ad illud agendum determinatur. Cui receptæ communiter verissimæq. doctrinæ non aduersatur citato loco S. Doctor, qui relatis verbis hoc solum discrimen ponit inter creatam voluntatem ex se contingentem, cùm necesse non sit eam in rerum natura existere, & inter diuinam, quæ per se est ens tam necessariò existens quàm ipse Deus, à quo reipsa non distinguitur, quòd illa determinare se nequeat ad agendum, seu ad vnum ex oppositis circa quæ est ex natura sua indifferens, nisi præsupposita aliqua re sibi extrinseca, quæ tam abesse potest quàm adesse, hac nimirum aut illa intellectus cognitione, à qua propterea inclinari ad hoc seu determinari dicitur, non tamen physicè, sed moraliter: hæc verò id possit absq. aliqua huiusmodi re præsupposita, quia etsi ferri non possit in incognitum, cognitio tamen quam prærequirit ab ipsa nõ distinguitur, nec deesse illi potest quæcunq. necessaria est vt quidlibet libere velit, & efficiat.

C VII.

Quartum. Nisi Deus voluntatem creatam ad omnes eius actus physicè prædeterminaret, ipse cum ea fortuitò solùm & casu ad illorũ productionẽ conueniret: atqui falsum cõsequens, igitur & antecedẽs. Maioris sequela probatur: conueniret enim, dum creata voluntas ageret: non conueniret, dum illa nõ ageret: nisi autem dum agit esset ad agendum prædeterminata, mere contingenter ageret, ac proinde casu & fortuitò. Respon. negando sequelam Maioris: vt enim Deus non casu nec fortuitò cum ea

D VIII.

IV.

conueniat ad productionem actuum quos cum illa producit, sufficit vt distinctè & clarè cognoscat quidquid entitatis ab illa producitur, & ad illud omne velit expresse ac determinatè concurrere, reipsáque concurrat. Ad illius autem sequelæ probationem dico, voluntatem quidem dum agit, cùm ad agendum prædeterminata non sit, merè contingenter agere, id est, ita liberè, vt æquè contingere potuerit illam non agere, atque contigit agere: nec propterea tamen agere casu & fortuitò, quia ex præuia distinctaque cognitione id quod agit operatur, & ad illud agendum ipsa se per se suámque libertatem determinat.

I. A

Quintum. Deus habet in potestate sua volũtates hominum magis quàm eas ipsi habeant, teste S. Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. 14. Ergo ad eas ipsos homines prædeterminat. Consequutio hæc probatur: hi enim voluntates suas in sua potestate non habent, nisi quia se ad eas determinare possunt, & reipsa dum easdem eliciunt determinant: Deus igitur illas magis in sua potestate non habebit, nisi quia homines ad eas magis determinabit, ac proinde prędeterminabit. Respondeo concesso antecedente, negando Consequentiam: causa enim propter quam illud & à S. Augustino dictum est, & verissimum est, ista est, quòd in hominum potestate vniuersim non est eas habere cogitationes, & eas ponere res antecedentes eorum liberas volitiones & actiones, quæ si ponerentur & haberentur, hi vel illi liberi voluntatis actus interni externique ab ipsis certissimè exercerentur, vt habeantur autem & ponantur, semper in Dei potestate est: qui dum facit vt ponantur reipsa & habeantur, non propterea physicè prædeterminat, quia ex his habitis & positis ita voluntatis actus sequitur, vt nõ sequi potuerit.

II. B

Ad probationem autem consequentiæ dico, hominem quidem in potestate sua habere suæ voluntatis actus liberos, quia positis omnibus ad eorum exercitium prærequisitis, ipse se ex sua libertate determinat vt exerceat, vel omittat: at tantum abesse, vt hinc concludi possit physica Dei ad eos dum exercentur prædeterminatio, vt è contrario concludatur efficaciter negatio huius ipsius prædeterminationis: nam si ad eos physicè prædeterminata esset humana voluntas, ipsa se ex sua libertate ad eosdem non determinaret, quare cùm determinet, prædeterminata non est.

III. C

Sextum. Si resistere quis posset motioni gratiæ efficacis, posset & diuinæ voluntati: atqui istud nemo potest, ergo neque illud. Minor probatur hac clarissima S. Augustini sententia in Enchirid. ad Laurentium cap. 95. *Deus autem noster in cœlo sursum, in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit. Quod vtique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit, & quod indignius est, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit.* & cap. seq. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Maioris consequutio hinc constat, quòd libera Dei voluntas qua vult consensum hominis, nihil aliud à parte rei est, quàm diuina essentia, prout est principium efficacis illius motionis, qua facit vt reipsa homo consentiat: sicut enim hinc efficitur, vt si quis isti motioni actu resisteret, illi quoque diuinę voluntati resisteret, ita si quis eidem motioni possit resistere, possit & huic voluntati.

IV. D

Respondeo ad Maiorem cum distinctione: duplex enim in Deo est distinguenda libera voluntas: vna qua vult illam efficacis gratiæ motionem in homine producere: altera qua vult, ex illa motione prę suppositа, ad liberum eius consensum cum ipso concurrere: priori illi voluntati non potest homo resistere, quia absoluta est, vnde nec impedire potest quo minus illa à Deo motionem in se recipiat: isti posteriori potest, quia non absoluta, sed conditionata est, vt in Tract. de Deo disp. 26. sect. 3. fuse probauimus. Quare si de priori Maior intelligitur, falsa est: sin autem de posteriori, vera: sed Minor intellecta de eadem diuina voluntate falsa erit. Nec S. Augustinus locis citatis repugnabit, qui vel de sola voluntate diuina absoluta loquitur, dum negat eius effectum per creaturæ voluntatem posse impediri: vel si etiam de conditionata, ac proinde de effectu dependenter à libera creaturæ voluntate futuro, id ait ex hypothesi quòd eum futurum Deus præuiderit, si motionem illam tribueret: quod non impedit, quin absolute, & sepositа hypothesi futuri huius effectus, & eius à Deo prę uisionis, potuerit non esse futurus, suppositа etiam illa motione, & quin proinde creata voluntas ei resistere potuerit. Ex his patet falsum esse quod in Maioris probatione dicitur, nempe voluntatem liberam qua Deus vult consensum hominis, aliam non esse ab ea qua vult illam in eo motionem producere, est enim altera hanc rationis ordine consequens, ea nimirum conditionata qua vult ad consensum eius cum ipso concurrere, si consentire voluerit.

V.

VI.

Septimum. Nisi Deus motione suæ gratiæ efficacis voluntatem ad consensum prædeterminaret, non posset de consensu absolutè futuro certus esse eo ipso quo hanc gratiam dare decerneret: falsum consequens, igitur & antecedens. Maioris consequentia hinc patet, quòd consensus ille tam posset esse non futurus absolutè, quàm futurus, nisi motio illa voluntatem ad eum prędeterminaret. Minor probatur, Deus enim alioqui cæco quodam modo suæ gratiæ dona distribueret, voluntate saltem, & æterno distribuendi in tempore decreto: decernens enim nesciret qualem gratiam decerneret, vtrum efficacem, effecturámque consensum an e contrario inefficacem. Respondeo distinguendo Maiorem: si enim eius sensus sit, Deum ex illa præcisè gratia cognita, & præterea ex cognito illius conferendæ decreto, non posse deuenire in certam futuri consensus notitiam, vera est Maior, & ex eo rectè probata, quòd his duobus præsuppositis, potest adhuc consensus tam non esse futurus actu, quàm actu futurus: sin autem sensus sit, de futuro illo consensu certum nullo prorsus modo esse posse eo ipso quo gratiam illam dare decernit, & hoc decretum suum intuetur, falsa est: præsuppositа enim conditionalium scientia, qua certissimè præsciuit voluntatem consensuram, si hæc gratia illi decerneretur, & qua proinde præui-

VII.

VIII.

dit hunc consensum sub ista conditione futurum, dum postea decernit hanc illi conferre gratiam, & hoc suum decretum intuetur, iam videt eo ipso hunc eundem consensum absolutè futurum, & eam quam decernit gratiam esse efficacem: ex quo patet falsum esse, quod in Minoris, quæ supposita Maioris in prædicto sensu

I. falsitate verissima est, probatione dicitur.

Octauum. Nisi creata voluntas motione gratiæ efficacis prædeterminaretur ad consensum, sequeretur dari aliquam posse ita in malo obfirmatam, vt eam Deus ad bonũ nullius suæ gratiæ vi posset conuertere: absurdum consequẽs, igitur & antecedens. Minor probatur: illud enim repugnat omnipotentiæ qua potest Deus hominum voluntates quocunque voluerit inclinare & flectere, salua etiam & illæsa eorum libertate. Maioris consequutio hinc constat, quòd non admissa gratiæ prædeterminatione possit creata voluntas cuilibet motioni gratiæ resistere: quòd si potest, quid prohibebit aliquã dari quæ reipsa resistat, aut supponatur resistere cuilibet quæ dabitur, aut dari poterit? dum

II. enim id supponetur, id solùm supponetur actu B facere quod potest facere, possibile autem ponere in actu nihil habet absurdi, ex Philosopho lib. 1. Poster. cap. 12.

Respondeo negando consequutionem Maioris, cuius ad probationem dico, ea quidem euinci creatam voluntatem cuiuis motioni gratiæ resistere posse potentia antecedente, quandoquidem nulla est quæ physice prædeterminat, seu quæ voluntati liberam resistendi potestatem eripit: nec absurdi quidquam fore, si spectata præcisè gratiæ & liberæ voluntatis natura supponeretur hæc voluntas id in actu secundo per hanc potentiam antecedentem facere quod potest, ac proinde cuilibet motioni gratiæ semper de facto resistere: at non euinci illud posse potentia consequente, cuius

III. consequentis potentiæ ab illa antecedente distinctio disp. 1. sect. 15. fusè declarata est. C

Ratio autem ob quam illud hac consequente potẽtia non potest, petenda est partim ex creatæ voluntatis mutabilitate & flexibilitate ab vno in contrarium, partim ex infinita gratiarum quas habet Deus in thesauris suis multitudine, & diuersitate, quarum aliæ alias excedunt, siue in intensione, siue in attemperatione cum inclinatione & ingenio cuiusuis creaturæ rationalis, siue in huiusmodi aliis, ex quibus augetur eius vis ad ei persuadendũ reipsa quod suadet, eiusq. consensum impetrandũ. Quo fit vt nulla sit aut esse possit creata voluntas tam in malo obdurata, de qua nõ præsciat certissime Deus, eam in actu secundo emolliendã & conuertendam ad oppositum bonum, si ipsam tali vel tali, tãta vel tanta gratia excitante præuenerit, quia

IV. reuera nulla est quæ conuertenda non sit, & huius gratiæ vi atq. virtuti cessura atque consensura, licet absolute resistere posset potentia illa antecedente, seu sufficiente inefficaci quæ eadem est, de qua citata sectione dictũ est. Quòd si nulla est, aut esse potest creata voluntas tam in malo pertinax, quæ præuenta his & illis Dei gratiis sit de facto restitura, sanè ex hypothesi non futuræ actu huius resistentiæ, vere dicitur non posse resistere, potentia scilicet hanc non futuram resistentiam consequente: sicut è contrario ex hypothesi quod alicui alteri diuinæ gratiæ resistat, aut restitura sit, verè dicitur non posse non resistere, nempe potentia præsentem hanc aut futuram resistentiam consequente.

Nonum & vltimũ est, Deum decreto absoluto & efficaci antecedente præuisionem futuræ nostræ liberæ cooperationis prædefinire eas saltẽ nostras actiones bonas quæ in entitate supernaturales sunt: ergo & ad eas voluntatem prædeterminare per physicam gratiæ motionem in ea productam. Probatur antecedẽs ex eo, quòd ad eas exercendas non habemus actiuam potẽtiam nisi obedientialem, quæ cum solo generali Dei concursu, decretóque præbendi concursum hunc, illas exercere non potest, sed cum solo vberiori, qui per aliud diuinum decretũ decerni debet, quod quidem aliud non est quàm prædeterminans. Consequentia hinc probatur, quòd nisi voluntas per eiusmodi motionem prædeterminaretur, illarum nostrarum actionum per Dei decretum prædefinitio certa non esset & infallibilis, quia motioni illi tam resistere posset voluntas, quàm consentire. V. VI.

Respondeo primò concesso gratis antecedente, negãdo consequentiam, cuius ad probationem dico, vt illa diuina prædefinitio certa esset & infallibilis, satis fore, si Deus ad prædefinitos actus exercendos voluntatem moueret ea gratia, cui etsi resistere absolutè posset, non resistet tamen, sed consentiet, præuiditque certa & infallibili conditionalium scientia consensuram, si eam tribueret. Addo & superfluam fore illam physicam per motionem gratiæ prędeterminationem, etsi possibilis esset: si enim daretur, ideo tantùm daretur, vt voluntas non posset non exercere actum qui diuino decreto prædefinitus est: at id iam habet ex vi decreti istius, eo ipso præcisè quo illius actus efficax & absoluta prædefinitio est. VII.

Respondeo secundò negando antecedens, & quidem ob eandem prorsus causam, ob quam negandum est Deum prædefinire vllas nostras liberas actiones in entitate naturales, siue bonas, siue malas, siue indifferentes: non enim minùs liberi sumus in illis supernaturalibus exercendis, quàm in his naturalibus: sicut autem si hæ prædefinirentur, à nobis libere non exercerentur, ita neque illæ exercebuntur, si prædefiniantur. Et ratio vniuersim est, quòd vna quidem ex parte vi decreti diuini absoluti & efficacis non potest non sequi actus prædefinitus, eo ipso quo decretum absolutum & efficax est, ex altera verò, conciperetur à Deo independenter à nobis & nostro libero arbitrio, quandoquidem antecederet præuisionem omnem futuræ nostræ liberæ cooperationis, eo ipso quo esset decretum prædefiniens. Ad probationem autem antecedentis concedo quidquid in ea dicitur, dempta postrema parte, qua asseritur, illud aliud diuinum decretum præbendi concursum specialem & vberiorem generali esse prædeterminans: non minùs enim conditionatum est, quàm decretum dandi concursum generalem, nec proinde magis est quàm istud prædeterminans. D VIII.

SECTIO XV.

Refertur refellituꝛque ſecunda & tertia de natura gratiæ efficacis ſententia.

I. SECVNDA de natura gratiæ efficacis primæ hactenus refutatę maximè affinis, ideoque proximè ei ſubiungenda ſententia, eſt, efficacitatem gratiæ conſiſtere in aliqua ipſi intrinſeca vi voluntatem ad conſenſum attrahendi infallibiliter. Refellitur hac ratione. Nulla poteſt eſſe vis intrinſeca in vlla re infallibiliter ex ſe voluntatem attrahens ad agendum, quæ non illam phyſicè prædeterminet: atqui in gratia efficaci nulla eſt intrinſeca vis phyſicè prædeterminandi voluntatem: igitur nec vlla vis intrinſeca infallibiliter ex ſe eam ad agendum attrahendi. Conſequentiæ bonitas euidens eſt. Minoris veritas ſuprà probata eſt. Maiorē probo: vis intrinſeca quæ ex ſe effectum aliquem infallibiliter per aliud infert, ita infert, vt non II. poſſit hic effectus per illud aliud non inferri: ergo ſi gratia efficax ex aliqua intrinſeca vi ſua conſenſum voluntatis infallibiliter infert, ita eum infert, vt non poſſit per voluntatem non fieri: quod aliud nihil eſt quàm eam ad conſentiendum phyſicè prædeterminari, vt manifeſtum eſt ex ſuprà fusè declarata notione phyſicæ prædeterminationis. Antecedens ſolum probandum eſt, ſic autem probo.

Effectum ſeu conſenſum quem gratia efficax ex intrinſeca vi ſua per voluntatem infert, vel ex ſe ſic infert, vt is poſſit non inferri, maneátque voluntas indifferens & libera vt eum eliciat, aut non eliciat: vel eum ex ſe ſic infert, vt non poſſit non inferri, ſeu, quod idem eſt, à voluntate non elici. Si primum, infallibile non eſt ex vi intrinſeca gra- III. tiæ vt inferatur, quandoquidem in libera voluntatis poteſtate eſt, poſita tota illa intrinſeca gratiæ vi, eum actu elicere, vel non elicere: quod enim ex aliquo ſequi poteſt & non ſequi, non eſt ex eo ſeu ratione eius infallibiliter ſequuturum potiùs quàm non ſequuturum, aut vice verſa: quòd ſi infallibile non eſt ex illa intrinſeca vi gratiæ ſeu ratione illius ſequuturum conſenſum, certè nec illa vis attrahendi voluntatem ad conſentiendum ex propria ſua ratione eſt infallibilis, imò fallibilis eſt, quia effectu ſuo fruſtrari poteſt, & fruſtrabitur reipſa, ſi poteſtate diſſentiendi quam habet voluntas vti ſupponatur, vt ſupponi meritò poteſt, quoniam, vt ſuprà ex Philoſopho retulimus, poſſibile in actu ponere abſurdum non eſt. Si ſecundum, facile quidem intelligitur vis infallibilis in gratia effi- IV. caci attrahendi voluntatem ad conſenſum, ſed inde manifeſtè ſequitur vis eam phyſicè ad eundem prædeterminandi: tunc enim voluntas ad agendum phyſicè prædeterminatur, quando ex aliqua vi naturæ ordine antecedente actionem, quæ vis in eius poteſtate non eſt, ſic ad agendum determinatur, vt non poſſit non agere.

Tertia ſententia eſt, gratiæ efficacitatem poſitam eſſe in vi aliqua intrinſeca prædeterminandi moraliter voluntatem ad conſenſum. Antequam refellatur notandum eſt, hoc differre vim phyſicè prædeterminandi à virtute prædeterminandi moraliter, quòd illa vis ſi antecedat omnino vſum liberi arbitrij, repugnet libertati, quia tollit omnem indifferentiam & poteſtatem phyſicam ad oppoſita, V. ſiue contradictorie, ſiue contrarie: hæc verò virtus, etſi omnem liberi arbitrij vſum præcedat, non repugnet libertati, eo quòd relinquit voluntatem ſimpliciter & phyſicè indifferentem, vt conſentiat aut non conſentiat, imò vt diſſentiat & reſiſtat, licet eam tam vehementer vnam in partem inclinet, nempe in conſenſum, vt non niſi difficulter poſſit reſiſtere, & moraliter loquendo non poſſit non conſentire: vnde etiam vis prædeterminandi moraliter nuncupatur.

Quo poſito refellitur illa ſententia. Primò ab experientia, qua certiſſimè conſtat nos plerunque Dei gratiæ excitanti conſentire, & proinde efficaci, licet non ita vehementer inclinemur in conſenſum, vt mora- VI. liter loquendo reſiſtere non poſſimus, aut etiam vt multò magis ad conſentiendum propendeamus, quàm in contrarium, ob difficultates quas plerunque ſecum affert res ad cui conſentiendum per gratiam excitamur.

Secundò, quia ad conſentiendum vel neceſſaria eſt gratia tam vehementer in conſenſum nos inclinans, vt moraliter prædeterminet, vel non eſt. Si ſecundum: ergo poteſt intelligi conſenſus noſter datus gratiæ excitanti non moraliter prædeterminanti, & proinde efficaci abſque morali prædeterminatione: vnde ſequitur efficacitatem gratiæ in hac vi moraliter prædeterminandi non conſiſtere: ſi enim conſiſteret, intelligi non poſſet conſenſus noſter datus gratiæ non mora- VII. liter prædeterminanti, cùm nunquam detur niſi gratiæ efficaci. Primum dici non poteſt, in primis quia gratia efficax non aliter mouet & impellit ad conſenſum, quàm per modum exhortationis & conſilij, vt ex ſuprà dictis ſatis conſtat: vt autem detur conſenſus exhortationi conſilioque alicui, neceſſe non eſt eius eſſe tantam vim, vt voluntatem multò vehementiùs in vnam partem propendere faciat quàm in contrariam: ſatis eſt, ſi paulò ampliùs, multóque minùs neceſſarium eſt vt moraliter prædeterminet, itavt non niſi difficulter poſſit reſiſtere, & moraliter loquendo non poſſit non conſentire.

Secundò, quia ſequeretur, gratiam minorem ea quæ moraliter ad conſenſum prædeterminat, non eſſe ſufficientem ad conſen- VIII. ſum eliciendum: atqui hoc falſum eſt. Maior probatur: illa enim ſola gratia dicitur ſufficiens, quæ ſatis eſt ad effectum reſpectu cuius ſufficiens dicitur: ſi ergo maior gratia eâ quæ moraliter non prædeterminat, neceſſaria ad conſenſum eſt, certè minor eâ non eſt ſatis, aut ſi ſatis eſt, maior neceſſaria non eſt. Minoris veritas hinc conſtat, quòd alioquin eſſet conſequens, omnes qui non habent gratiam tantam vt moraliter prædeterminet, nō habere

sufficientem, quod falsum esse ex eo certum est, quòd omnes homines communiter gratiam sufficientem habent, vt aut credant, aut pœnitentiam agant, aut simile bonum opus exerceant quo ad sanctificantem gratiam & gloriam consequendam disponantur, neque tamen omnes communiter ad hoc moraliter prędeterminantur. Cùm enim id, ad quod faciendum moraliter prædeterminamur, semper, aut ordinariè saltem faciamus, rarissimèque omittamus, tam sæpè autem omittant homines aut credere, aut pœnitentiam agere, aut bonum agere ad quod agendum diuina gratia excitantur, euidens argumentum est gratiæ sufficiente qua à Deo donantur non prædeterminari moraliter ad credendum, aut aliud bonum opus exercendum.

I.

Nec dicas, quòd sicut hæc prædeterminatio gratiæ physica non est, sed moralis, ita necessaria non est ad consensum physicè & simpliciter, sed tantùm moraliter, atque ita homines qui non habent tam fortem gratiam, vt ea moraliter prædeterminentur, habere nihilominus sufficientem, quia cum minori habent simpliciter & physicè potestatem operandi, seu consentiendi. Ne, inquam, id dicas: hinc enim sequitur, eos qui minorem gratiam habent ea quæ moraliter prædeterminat ad consentiendum, licet habeant simpliciter & physicè sufficientem, non habere tamen moraliter. Si enim illa gratia moraliter prædeterminans, non quidem simpliciter & physicè, sed moraliter, est ad agendum necessaria, sanè quælibet eâ minor moraliter sufficiens non est: sicut si eadem illa physicè esset necessaria, quælibet eâ minor physicè sufficiens non esset, vt antè probatum est. Non est autem admittendum, gratiam minorem ea quæ moraliter prædeterminat, non esse moraliter ad agendum sufficientem: hinc enim sequeretur, omnes qui non credunt, qui pœnitentiam non agunt, qui similia opera bona non exercent, licet à Deo excitentur ad credendum, & exercendum, non posse tamen moraliter credere, & exercere, licet simpliciter & physicè possint. Quod in primis multum detrahit de virtute gratiæ sufficientis qua Deus homines prævenit. Deinde multùm extenuat culpam eorum qui peccant, qui non credunt, nec pœnitentiam agunt, cùm tamen tam sæpe támque grauiter ob eam rem tanquam ob grauem culpam à Deo in Scripturis arguantur. Denique valde alienum est ab effusa illa Dei erga homines bonitate, ardentique ac sedula salutis eorum voluntate, quam toties in iisdem Scripturis præ se fert, vt cùm dicit: *Quoties volui congregare filios tuos*, &c. *Quid est quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* similibusque verbis vtitur.

II.

III.

IV.

Duo nihilominus hîc concedo: primum, aliquando gratiam qua prævenitur peccator vt credat, aut pœnitentiam agat, ita esse sufficientem, vt moraliter non sufficiat, non quidem per se, seu ex propria ipsius gratiæ prævenientis imperfectione, sed per accidens ex maxima indispositione subiecti ita in peccatis obdurati, vt ratione resistentiæ tam prauæ diuturnæque peccandi consuetudinis, voluntas eius nequeat, moraliter loquendo, moueri & flecti ea gratia, qua cæteroquin etiam moraliter moueri flectique potuisset. Secundum est, non repugnare dari gratiam excitantem moraliter ad consensum prædeterminantem: si enim aliquo ex capite repugnaret, certè ex nostræ libertatis quæ violari videretur, at, vt antè vidimus, tota, etiam ex hypothesi huius prædeterminationis, seruatur libertas tam quoad speciem quàm quoad exercitium, quia prædeterminatio hæc relinquit voluntatem simpliciter & physicè potentem, vt hoc agat, vel contrarium: vt agat, vel non agat.

A V.

SECTIO XVI.

Refertur, refellitúrque quarta de eadem re sententia.

QVARTA sententia est, efficacitatem gratiæ positam esse in contemperatione quadam & congruitate cum ingenio, affectionibus & dispositionibus hominis qui consentit. Quæ hoc in primis argumento refellitur. Gratiæ efficaci vt efficax est, resisti non potest: atqui gratiæ prædicto modo congruæ vt sic congrua est, resisti potest: ergo gratiæ efficacitas in prædicta congruitate sita non est. Maior ab omnibus Theologis admittitur, qui propterea docent, etsi possimus resistere gratiæ efficaci, etiam in sensu composito ex voluntate hominis, & entitate gratiæ quæ denominatur efficax, non tamen in sensu composito ex hominis voluntate, entitate gratiæ, & eiusdem efficacitate. Minor probatur, gratiæ prædicto modo congruæ vt sic congrua est, vel dissentire potest voluntas, vel non potest: si potest, habetur intentum, eo enim ipso quo potest dissentire, potest resistere, sicut eo ipso quo dissentit, resistit: si non potest, euertitur libertas, & voluntas ad consentiendum simpliciter necessitatem patitur. Vt enim supra fuse probauimus, quotiescunque voluntas ex hypothesi aliqua, quę in eius libera potestate non est, priùs natura quàm agat sic ad agendum determinatur, vt non possit non agere, agit necessariò simpliciter: hoc autem in præsenti contingeret, si ex hypothesi prædictæ congruitatis in gratia non posset dissentire, seu non posset non consentire: hac enim hypothesi, vtpote naturæ ordine priori consensu voluntatis, priùs natura quàm ageret voluntas ita ad agendum determinaretur, vt non posset non agere, & hæc hypothesis non esset in eius potestate, quia sicut in libera nostra potestate non est, sed à solo Deo pendet, vt hanc aut illam, tantam aut tantam gratiam nobis conferat, ita etiam vt conferat prædicto modo congruam, vel non ita congruam.

B VI.

C VII.

D V III.

Refellitur deinde hoc altero argumento. Vel hęc congruitas in gratia necessaria est ad consentiendum, vel non est: si primum, nulla erit gratia sufficiens nisi hanc habens congruitatem: quod eadem ratione patet, qua superiori sectione probatum est, si gratia moraliter prædeterminans ad consentiendum esset necessaria, nullam fore gratiam sufficientem præter eam quæ moraliter prędeterminaret. Illud autem falsum est, alioquin omnes qui

Dei gratia excitantur, vt, verbi causa, credant, aut peccata declinent, nec tamen faciunt, sufficienti gratia ad faciendum carerent, quia carent gratia prædicto modo congrua: hanc enim si haberent, facerent, cùm ex Authoribus huius quartæ sententiæ ij soli credant, aut peccata declinent, qui gratiam sic congruam ad hoc accipiunt, & eo ipso quo aliqui id non faciunt, infallibile argumentum sit, eos gratiam ita congruam non accepisse, & è contrario eo ipso quo eadem alij faciunt, non dubium sit eos accepisse ita congruam. Si secundum, ergo potest dari consensus gratiæ prædictam congruitatem non habenti, & ita potest, vt meritò supponi possit actu datus, aut dandus, vt in re simili sæpius iam ex Philosophi axiomate probauimus. Ergò potest esse & intelligi actu efficax absque prædicta congruitate: eo enim ipso quo consensus dari illi potest, potest esse efficax, sicut eo ipso quo datur actu, est actu efficax. Quòd si efficax absque illa congruitate esse potest, ergo eius efficacitas in ista congruitate posita esse nequit: sicut si homo rationalis aut risibilis sine candore potest esse, eius rationalitas aut risibilitas in candore posita esse non potest.

I. A

II. B

At videtur sanctus Augustinus efficacitatem gratiæ in hac congruitate posuisse, efficacem gratiam passim per gratiam congruam describens, vt libri 1. ad Simplic. qu. 2. in qua distinguens duplicem vocationem, vnam efficacem, alteram inefficacem: illam per prædictam congruitatem explicat, hanc verò per negationem huius congruitatis, dum sic loquitur: *An fortè illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt illud verum sit, Multi vocati, pauci electi, vt quamuis multi vno modo vocati sint, quia tamen non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verum sit, Non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis qui sequuti sunt vocationem?* Quæ quidem ita per interrogationem dicit, vt certissimè velit habere sensum definitiuum: quod & subsequentia planum faciunt, quibus absolutè sic pronuntiat de iis qui vocatione inefficaci vocati sunt, efficaci autem vocari potuissent: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset vt mouerentur.* De iisdem autem, & aliis efficaci vocatione vocatis sic affirmat: *Verum est, Multi vocati, pauci electi: Illi enim electi qui congruenter vocati, illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quamuis vocati.*

III. C

IV. D

Respondeo S. Augustinum rectè efficacem gratiam per congruam describere, nec propterea velle eius efficacitatem in ista congruitate formaliter esse positam. Illud quidem rectè facit, quia & semper aut ordinariè gratia efficax illam congruitatem adiunctam habet, quæ autem efficax non est, illa ipsa congruitate caret, licet aliquam minorem habeat, & semper sufficientem, vt ei consentire possit, & actu consentiat, si velit, is cui datur, alioqui non esset gratia sufficiens: & præterea ideo efficax est, seu consensum à voluntate impetrat, quia congruitatem illam habet: nam si careret, nunquam, aut vix vnquam consensum ab ea, reipsa impetraret, & proinde efficax esset, licet impetrare tamen posset, & proinde eo non obstante esse efficax. Istud autem non propterea vult, quia reuera non sequitur, vt si eadem gratia quæ efficax est sit congrua, eius efficacitas sit formaliter ipsa congruitas: vt neque sequitur, si idem qui rationalis est sit risibilis, vt eius rationalitas sit formaliter ipsa risibilitas, licet hæc non minùs ideo insit homini quia rationalis est, quam gratiæ ideo inest efficacitas, quia prædicta congruitate congrua est.

V.

SECTIO XVII.

Quinta sententia refertur, & refellitur.

VI.

QVINTA sententia præcedenti plurimum affinis, est, gratiæ efficacitatem in prædicta congruitate consistere, non præcisè tamen, sed vt subest scientiæ Dei cognoscentis, si detur hoc vel illo tempore, cum his aut illis circunstantiis, homini sic vel sic disposito, eam reipsa effectum habituram, seu consensum ab eius voluntate impetraturam. Cuius proinde sententiæ Authores volunt gratiam in ratione gratiæ efficacis constitui, & saltem compleri, per prædictam Dei scientiam, hac ratione nixi, quòd gratia efficax ea dicatur, quæ certo & infallibiliter est consensum elicitura, hanc autem certitudinem infallibilitatémque non habeat, nisi à scientia Dei cognoscentis quid vel absolutè vel sub conditione futurum sit: quæ scientia cùm certa sit & infallibilis, illa res meritò dicitur ab ea certò & infallibiliter operatura, vel non operatura, de qua cognoscit Deus eam operaturam esse, vel non esse operaturam.

VII.

Refellitur hæc sententia hac efficaci ratione. Gratiæ efficacitas prædictam Dei scientiam antecedit, ergo per eam gratia constitui aut compleri non potest in ratione gratiæ efficacis. Consequutio hæc euidens est, tum inductione per omnia: quod enim posterius est rationalitate hominis, aut risibilitate, constituere eum vel complere non potest in ratione rationalis, aut risibilis: tum ratione, quia prius in suo esse prioris constitui complerive non potest per posterius. Antecedens probatur: Consensus liberè per voluntatem futurus antecedit præfatam Dei scientiam, ergo & gratiæ efficacitas: huius consequentiæ bonitas ex eo clara est, quòd simul atque intelligitur gratia cum effectu seu consensu quoad existentiam ei coniuncto vel præsenti vel futuro tempore, intelligitur quoque gratia efficax, & proinde efficacitas qua formaliter in ratione efficacis constituitur: si ergo prior est, & prius à nobis intelligitur gratia cum consensu futuro, quàm prædicta Dei scientia, certè prior erit, & prius à nobis intelligetur gratia efficax vt efficax, & proinde eius efficacitas, quam illa Dei scientia.

VIII.

Solum ergo superest probandum hoc postremum antecedens, sic autem facilè probo. Scientia illa Dei est vel visionis qua cognoscitur

consensus absolutè futurus, vel alia qua cognoscitur futurus sub conditione, sub hac nempe, si gratia prædicto modo congrua tribuatur, vtraque autem scientia consensum vt futurum præsupponit: illa quidem vt absolutè futurum, hæc verò vt futurum sub conditione. Et

I. ratio est, quia Dei scientia, non secus ac creata, obiectum suum tanquam rationis ordine prius præsupponit, & ab eo aliquo etiam modo causatur, vt loquuntur permulti Patres, quos in Tract. de Deo disput. 29. sect. 1. retuli, qui omnes asserunt, quod & docent Theologi communiter, ideo liberas nostras actiones a Deo præsciri futuras, quia futuræ sunt, non è contrario esse futuras, quia præsciuntur, in nostraque potestate esse, vt Deus ab æterno aliquid præsciat, aut non præsciat, quia nimirum in nostra potestate est, vt illud vel absolutè, vel sub conditione futurum, aut non futurum sit.

Nec vim habet proposita aduersariorum ratio: malè siquidem dicunt gratiam efficacem per gratiam quę certo & infallibiliter effectum habet. Cùm enim hæc gratiæ certitudo &

II. infallibilitas sit posterior diuina scientia, vtpote denominatio quædam desumpta ab illa scientia, gratiæ autem efficacitas vt clarè ostendimus, prædicta Dei scientia prior sit, sanè certitudo & infallibilitas quæ hanc scientiam sequitur, pertinere non potest ad rationem gratiæ efficacis vt efficax est. Quòd si forte iidem aduersarij velint, certitudinem & infallibilitatem, quam efficaci gratiæ tribuunt, respectu effectus quem dicunt ab ea certò & infallibiliter futurum, non esse petitam à scientia Dei, eamve præsupponere, sed esse intrinsecam ipsi gratiæ, & esse vim quandam certò ac infallibiliter operandi, seu voluntatem ad consensum attrahendi, incidunt in secundam sententiam quam

III. præcedente sectione 15. refutauimus.

Atque vt id quod hactenus contra quintam diximus plenius innotescat, & certius, aduertendum est, aliud esse gratiæ efficacitatem, aliud efficacitatis certitudinem & infallibilitatem: efficacitas enim inest gratiæ independenter à diuina scientia, certitudo autem efficacitatis & infallibilitas non nisi dependenter à certa & infallibili scientia, cuiusmodi diuina est. Et quidem cùm soli actuali cognitioni insit formaliter & intrinsecè certitudo & infallibilitas, vt & opposita incertitudo, & fallibilitas, sola enim cognitio actualis est formaliter & intrinsecè certa, vel incerta, fallibilis, vel infallibilis, quidquid aliud certum, vel incertum, fallibile, vel infallibile esse dicitur, non nisi dependenter ab aliqua actuali cognitione formaliter certa, vel incerta, fallibili, vel infallibili tale est, & denominatur.

IV. Quòd autem gratiæ insit efficacitas independenter à diuina scientia, clarum ex eo est, quod vt gratia sit efficax, solùm requiratur, vt sit reipsa effectum habitura, perinde autem habitura sit, siue à Deo cognoscatur habitura, siue non cognoscatur: cùm etiam sit rationis ordine prius habituram esse, quam à Deo cognosci habituram, vt iam dictum est: sicut & consilium vnius hominis alteri homini datum plerunque non minùs efficax est, quam diuina gratia, quia non minùs effectum obtinet, perinde autem efficax est, cúmque obtinet, siue tale ab homine consulente cognoscatur, siue non, vt ordinariè non cognoscitur. Vnde etsi per impossibile nulla esset in Deo futurorum vel absolutè vel sub conditione scientia, non minus essent eius gratiæ efficaces quàm modò sint,

A quia non minus consensum liberum à voluntate impetrarent, quàm modò impetrent, cùm modò non impetrent, eo quòd impetraturæ à Deo cognoscuntur, & voluntas non ideo libere consentiat, quia sic consensura ab eo cognoscitur, sed quia ab illis gratiis tam potenter & suauiter ad consentiendum allicitur, vt se ad dandum eis consensum ex sua libertate determinet. V.

Quare qui gratiam efficacem ad scientiam Dei vt ad causam referunt, rectè quidem faciunt, si de ipsa præcisè eius efficacitatis certitudine & infallibilitate sermo sit: malè autem, si de eiusdem efficacitate præcisè: de qua sola profectò quæstio est, dum à Theologis quæritur, per quid gratia efficax, vt efficax est, & ab inefficaci distinguitur, in ratione efficacis formaliter constituatur: de qua etiam sola re gra-

B uis & tota difficultas est: nam per quid sit eius efficacitas certa & infallibilis, difficultatem non habet, cùm clarum sit, non per aliud esse posse, quàm per certam aliquam formaliter infallibilémque scientiam, à qua per extrinsecam denominationé certa & infallibilis denominetur. VI.

Quod si quispiam dicat, loqui se de gratiæ efficacis & eius efficacitatis certitudine ac infallibilitate, non formali, sed obiectiua: dico ego obiectiuam hanc infallibilitatem & certitudinem aliud esse non posse, quàm gratiæ efficacitatem, quæ est obiectum certæ formaliter & infallibilis cognitionis, qua certò & infallibiliter cognosceretur illa gratia esse efficax vt efficax: at perspicuum est hanc efficacis gratiæ certitudinem & infallibilitatem deriuari non pos-

C se à diuina scientia vt à causa, cùm obiectum eius sit, & proinde rationis ordine ea prius, consequenterque eam causet potiùs quàm ab illa causetur. Imò cùm ipsa gratiæ efficacis, vt efficax est, obiectiua certitudo, & infallibilitas nihil sit aliud quàm ipsa eiusdem gratiæ efficacitas, quia hæc, vt hæc, est obiectum certæ formaliter & infallibilis cognitionis, necesse prorsus est illam gratiam per idem formaliter constitui in ratione certæ & infallibilis obiectiua ista infallibilitate & certitudine, per quod in ratione efficacis formaliter constituitur. Quare cùm in hac ratione per diuinam scientiam non constituatur, vt clarè probauimus, nec per eandem in illa altera ratione constituetur. VII.

At S. Augustinus efficacitatem gratiæ referre videtur ad diuinam scientiam, tanquam

D ad id quo constituitur, & saltem completur in ratione gratiæ efficacis, cùm hanc gratiam plerunque per diuinam scientiam describat & explicet, vt citata superiùs quæst. 2. libri 1. ad Simplic. vbi vocationem efficacem ac proinde gratiam sic describit & explicat: *Nullius Deus frustra miseretur, cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Sed respondeo S. Augustinum, etsi ita describat, non propterea velle gratiam VIII.

efficacem in ratione efficacis constitui completíve per diuinam scientiam qua scit eam esse vel fore efficacem, sicut nec vult constitui aut compleri formaliter in ratione congruæ gratiæ per eandem scientiam qua etiam scit eam esse congruam. Imò quæ ratio facit, vt in ratione
I. congruæ compleri non possit per illam scientiam, quia nimirum eius congruitas obiectum illius est, ac proinde quid illa prius, eadem facit, vt per illam ipsam scientiam in ratione efficacis compleri non possit. Ideo autem efficacem gratiam rectè per scientiam illam describit ex parte atque explicat, tum quia nunquam à Deo reipsa decernitur & datur, nisi ex præuia, certa & infallibili scientia efficacitatis eius, & futuri ex ea consensus: tum vt explicet causam, ob quam gratia efficax semper est specialis Dei misericordia facta homini cui datur, & singulare beneficium eidem præstitum, quæ causa, est illa diuina scientia, vt inferius iterum dicetur, & vberius explicabitur.

II. ## SECTIO XVIII.

Sexta sententia refertur, & refellitur, cui vera subiicitur, & probatur.

SEXTA sententia est, gratiam efficacem in ratione efficacis constitui formaliter per consensum liberum, quem simul cum voluntate efficit, ita vt hic consensus, qui est illi gratiæ extrinsecus, sit forma à qua per extrinsecam denominationem illa efficax denominatur. Refellitur hac ratione. Consensus iste duobus tantùm modis sumi potest, primo præcisè pro actione per quam fit terminus in voluntate immanens qui consensus eiusdem voluntatis vocari solet: secundo pro ipso præcisè termino:
III. sicut intellectio sumitur aliquando pro ipsa præcisè actione qua fit terminus in intellectu immanens qui verbum mentis dicitur, secundo pro hoc præcisè termino seu verbo: atqui neutro modo sumptus consensus potest esse forma per quam gratia efficax in ratione efficacis formaliter constituatur: non quidem secundo, tum quia priùs est efficax quàm sit consensus sic spectatus, cum hic sit eius vt efficacis effectus, & proinde ea vt efficaci posterior: tum quia gratia efficax in ratione efficacis per id formaliter constituitur, per quod primò differt à sufficiente seu inefficaci vt inefficax est: atqui consensus illo secundo modo consideratus non est id per quod primò differt gratia efficax ab inefficaci vt inefficax est, datur enim aliquid eo prius per quod illa iam ab hac differt, nempe actio vt actio ab illa gratia tanquam a causa siue physice siue moraliter egrediens per quam fit consensus vt terminus: eo
IV. enim ipso præcisè quo actionem hanc ab illa egredientem intelligimus, eam verè efficacem dicimus, & ab ineffieaci distinguimus, vtpote à qua nulla huiusmodi actio egreditur.

Neque enim primo, ob eadem causas. Nam in primis hæc ipsa actio eiusdem gratiæ vt efficacis effectus aliquis verè & propriè est, sicut actio vt actio qua Deus cælum, terram, hominem, aut similem terminum producit, verè & propriè eius effectus est, cùm vt sic creatura sit, omnis autem creatura vere & propriè Dei dicatur effectus, & sit. Deinde cùm gratia efficax in ratione efficacis constituatur per id solùm per quod primò à sufficienti seu inefficaci distinguitur, consensus pro prædicta actione sumptus non potest esse id per quod illa in ratione
A efficacis constituitur, quia non est id per quod V.
primò illa ab ista distinguitur: datur enim aliquid rationis ordine prius, nempe ipsa gratiæ entitas, prout est id à quo illa actio egreditur: eo enim ipso præcisè quo hunc de illa conceptum formamus, verè efficacem dicimus, & ab inefficaci distinguimus, vtpote cuius entitas non est id à quo vlla actio egreditur, seu, quod eodem recidit, est id à quo nulla actio egreditur.

Nec dicat hic aliquis, in hoc conceptu nostro inuolui etiam conceptum actionis: hoc enim verum est, quia concipere non possumus entitatem aliquam vt est id à quo actio, quin pariter actionem concipiamus: sicut & in conceptu actionis inuoluitur conceptus termini, quia concipere non possumus productionem alicuius rei, quam significat actio vt actio, quin
B concipiamus simul rem quæ vt terminus a- VI.
ctionis producitur. Sed quemadmodum hoc non obstante alius est formalis conceptus actionis, alius termini, nec actio in ratione formali actionis per terminum constituitur: ita & alius est formalis conceptus entitatis, prout est id à quo actio, alius actionis ipsius: támque repugnat entitatem illam in illa formali ratione constitui per actionem ipsam formaliter, quam hanc ipsam actionem esse id à quo actio. Quare cùm gratia efficax in ratione efficacis formaliter constituatur per ipsam gratiæ entitatem, vt est id à quo prædicta actio, vt mox probabimus, sanè per hanc actionem in illa formali ratione non constituitur.

Atque iam hinc elucescere incipit septimæ & nostræ sententiæ veritas, quæ est, gratiam effi-
C cacem in ratione efficacis constitui formaliter VII.
per ipsammet gratiæ entitatem, prout est id à quo tanquam a causa nostræ voluntatis libera operatio egreditur in aliqua differentia temporis: quæ est sententia Bellarmini lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 12. Suaris lib. 2. de auxiliis c. 14. Gab. Vasq. tomo 2. in primam secundæ disput. 88. 98. & 99. & inter Theologos maximè cómunis, vtpote eorum omnium qui gratiam efficacem eam esse dicunt quę effectum habitura est, seu consensum à voluntate impetratura, sic tamen vt velint hunc consensum neutro modo sumptum ex duobus supra relatis esse formam per quam formaliter constituatur in ratione efficacis, sed aliquid eum rationis ordine antecedens.

Cuius sententiæ clariùs & efficaciùs probandæ gratia præmitto breuiter duo, quorum
D VIII.
vnum est, hic agi solùm de gratia efficaci vt efficax est, & a sufficiente seu inefficaci, prout sufficiens tantum & inefficax dicitur, tanquam speciesa specie distinguitur. Alterum est, efficacitatem eius in nulla re posse consistere, quæ sit ei cum gratia sufficiente seu inefficaci communis. Cum enim gratia efficax per solam efficacitatem suam ab inefficaci differat, nec vlla species ab altera differre possit per id quod ei commune cum ea est, aut esse potest, conse-

quens aperte est, gratiæ efficacitatem in nulla re sitam esse posse, quæ sit ei aut esse possit cum inefficaci communis.

Iam probatur nostra sententia hoc argumento. Gratia efficax in ratione efficacis per id formaliter constituitur, per quod primò differt à sufficiente seu inefficaci vt inefficax est: atqui I. A gratiæ entitas, prout est id à quo libera nostræ voluntatis operatio vt à causa egreditur in aliqua differentia temporis, est id per quod primo ab inefficaci differt: ergo est id per quod in ratione efficacis formaliter constituitur. Consequentia hæc euidens est. Maior & ex terminis, & per omnia inductione est certissima. Minorem ex eo breuiter & clarè probo, quòd gratia efficax ab inefficaci per illam entitatem sic spectatam differt haud dubiè, & præterea primò differt, quia nihil aliud assignari potest quo priùs differat: quidquid enim aliud assignari potest quo differat, illam ipsam entitatem eo quo dixi modo spectatam aut antecedit, aut subsequitur: si subsequitur, etsi per illud differat, non tamen primò differet: si antecedit, per II. B illud non differet, quia illud omne ei est aut esse potest cum gratia inefficaci commune.

Nam ei omni aut potest resistere voluntas, aut non potest: si non potest, ab ea re physicè ad consensum prædeterminabitur, quia non poterit non consentire ex hypothesi rei illius in ea positæ, ponetur autem independenter ab eius libero arbitrio, sicut & ipsa gratia quam illa ipsa res comitabitur: si potest, ergo ei cum gratia inefficaci communis est, aut esse potest. Imò cùm id quod possibile est, supponere in actu positum aut ponendum meritò possimus, ex certissimo relatoque iam sæpius Philosophi axiomate, possit autem voluntas illi omni rei antecedenti resistere, si supponatur in actu secundo resistere, vt supponi iure potest, erit illa gratia cum omni huiuscemodi re antecedente reipsa sufficiens tantùm & inefficax. III. C

Confirmatur huius argumenti vis, ex eo quòd efficacitas per quam gratia efficax vt efficax ab inefficaci vt sic primò differt, aut est efficacitas in actu primo, aut in actu secundo: non illud primum, ergo istud secundum. Et quidem quod non illud primum, hinc constat, quòd efficacitas in actu primo, seu gratia in actu primo efficax nihil sit aliud quam gratia vim habens agendi seu causandi voluntatis consensum: at per hanc efficacitatem ab inefficaci non distinguitur: nam huic inest huiuscemodi efficacitas eo ipso quo est gratia sufficiens. Et quamuis in efficaci maior semper aut plerunque vis illa sit quàm in inefficaci, quia tamen illa vis maior tota huic inesse posset, vtpote cui maiori vi potest æque consensus à voluntate negari, atque IV. D dari, cùm eam ad consentiendum non prædeterminet, hinc est, quòd per illam vim maiorem non potest efficax ab inefficaci distingui.

Iam verò cùm gratia efficax in actu secundo, sit gratia non tantùm vim habens efficiendi consensum voluntatis, sed etiam eum reipsa efficiens, esse autem efficientem reipsa, nihil sit aliud, quam esse entitatē à qua egreditur actio quæ est illius consensus effectio, per hanc autem solam in actu secundo efficacitatem gratia efficax ab inefficaci primò differat: consequens euidenter est, id quo primò illa ab hac differt, esse ipsam gratiæ efficacis entitatem, prout est id à quo prædicta actio tanquam à causa egreditur in aliqua differentia temporis.

Nec dicas, si gratiam esse efficacem vt sic, & vt ab inefficaci distinguitur, sit esse gratiam in actu secundo efficientem consensum voluntatis, consequens fore, vt forma per quam formaliter erit efficax, sit eius actio qua hunc consensum efficit, quia forma à qua causa efficiens denominatur formaliter efficiens, seu, quod idem est, agens, est eius actio. Ne, inquam, id dicas: falsum enim est hoc fore consequens, & ad rationem qua consequens fore probatur, dico causam efficientem denominari posse efficientem seu agentem, & respectu actionis quæ immediatè ab ea egreditur, & respectu termini qui per hanc intermediam actionem efficitur: nam & hic terminus & illa actio ab ea est vt à vera causa, nec qualibet, sed efficiente: si respectu termini denominetur efficiens seu agens, concedo denominationem hanc sumi posse formaliter ab actione, quæ est forma qua formaliter & hunc terminum facit, & hic terminus V. fit: at si respectu actionis, non ab alia forma denominari potest efficiens seu agens quàm à sua entitate, prout est id à quo hæc actio egreditur. VI.

Quod expresse docuit Philosophus, dum lib. 2. Physic. causam efficientem definiuit id vnde motus, qui motus nihil aliud à parte rei quàm actio est: tam enim clarum est, actionem seu motum non posse esse formam à qua causa efficiens denominetur formaliter id vnde motus, quàm euidens est, motum non esse id vnde motus, sed esse ab alio quod eius actiua & actualis origo est, & proinde causa efficiens. Et quoniam causa hæc est id etiam vnde terminus ipsius motus, propterea respectu huius quoque termini denominari à sua formaliter entitate potest causa efficiens, sicut & ab eadem vere dicitur esse id vnde hic ipse terminus. VII.

SECTIO XIX.

Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedente sectione traditam.

PRIMVM: forma per quam gratia efficax in ratione efficacis formaliter constituitur, vel antecedit operationem liberam nostræ voluntatis, vel comitatur, vel subsequitur: primum dici non potest, nec tertium, ergo secundum: atqui nihil aliud est quod eam comitetur, quam eadem operatio prout à gratia tanquam à causa est: ergo per eam sic spectatam hæc in ratione efficacis formaliter constituitur. Maior est per se euidens. Minor quoad posteriorem eius partem non minùs euidentem habet veritatem: quod enim liberam nostræ voluntatis operationem subsequitur, gratiam vt iam in ratione efficacis constitutam præsupponit, cùm in illo priori quo gratia cum hac operatione coniuncta intelligitur, iam sit efficax, & esse concipiatur. Quoad priorem autem hinc probatur, quòd alioqui gratia efficax voluntati nostræ necessitatem ad consentiendum libertati repugnantem afferret: cùm enim gratiæ efficaci vt efficax est, seu ex hypothesi effica- VIII.

citatis eius, non possit non consentire nostra voluntas, sanè si hæc hypothesis seu efficacitas in aliquo liberam eius operationem antecedente consisteret, non posset non consentire ex hypothesi aliqua independente ab eiusdem libero arbitrio, ac proinde necessariò necessitate repugnante libertati consentiret. Subsumptæ denique propositionis veritas hinc certa est, quòd nihil aliud assignari potest liberam nostram operationem concomitans, quo gratia efficax in ratione efficacis constitui possit. I.

Respondeo negando Minorem quoad priorem eius partem, cuius ad partis probationem dico, illud antecedens prædictam operationem multiplex esse posse, & vniuersim duplex: aut enim est entitas gratiæ prout est id vnde seu à quo egreditur hæc operatio in aliqua differentia temporis, aut aliquid hanc entitatem sic spectatam rationis ordine præcedens: si hoc secundum, fateor in eo gratiæ efficacitatem sitam esse non posse, ob allatam in illa probatione rationem: sin autem illud primum, nego, non obstante ratione hac, vt pote quæ nullam contra illud vim habet, quia nimirum tam clarum est, prædictam hypothesim, seu gratiæ efficacitatem non poni nisi dependenter à libero nostræ voluntatis arbitrio, quàm certum est, gratiam non esse nisi partialem nostræ operationis causam, nostram voluntatem esse partialem alteram, nec entitatem gratiæ esse id à quo hæc operatio vt à causa egreditur, nisi dum nostra quoque voluntas est id à quo eadem simul egreditur: esse autem in libera nostræ voluntatis potestate sicut entitati & motioni gratiæ dissentire æquè, ac consentire, sic efficere vt tam à se quàm ab illa gratia egrediatur hæc operatio, vel non egrediatur, & proinde vt gratia hæc sit vel efficax, vel inefficax. II.

Quamquam dum facit modò efficacem, modò inefficacem, aliter & aliter facit: nam inefficacem facit per se, seu per solas naturæ suæ vires, per has autem solas non facit efficacem, cùm non faciat efficacem nisi bene agendo, non agat autem bene per se solasve naturæ vires, sed præuenta gratiæ excitantis auxilio à quo ad bene agendum impellitur, & bene agendi vim accipit, sine qua bene non ageret. III.

Neque vero dum efficacitatem illam, qua gratia efficax vt efficax ab inefficaci distinguitur, facimus prædicto sensu à voluntate nostra dependentem, Scripturis, aut Patribus repugnamus, qui gratiam efficacem eiusque efficacitatem ad solum Deum vt ad causam referre videntur: vt Hieremiæ cap. 10. *Scio Domine quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* IV.

Quibus Scripturæ testimoniis hæc S. Augustini & Fulgentij consentanea sunt: illius quidem libri primi ad Simplicianum quæst. 2. circa medium, dum ait, *Quòd voluerimus*, ea videlicet quæ ad salutem pertinent, *solum Deum præstare.* Huius verò libro 1. de veritate prædestinationis & gratiæ non procul à fine, dum sic loquitur: *Sola gratia in nobis bonam voluntatem facit, sola fidem ipsi voluntati tribuit.* Et lib. 2. circa medium, dum sic scribit: *Præuenit misericordia liberum hominis arbitrium, dum in nondum bene volente sola operatur exordium bonæ voluntatis.* Et paulò post: *Misericordia igitur præueniens cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat.* Itémque postea de Apostolo Paulo loquens: *Vt esset igitur ex infideli fidelis, sola gratia operata est.*

A Nam primi ex Scriptura relati testimonij duplex sensus esse potest: prior, non posse hominem absque diuinæ gratiæ auxilio, cuius collatio à sola Dei misericordia pender, efficere vt à recta iustitiæ via non aberret. Posterior, non esse in hominis potestate vt præueniatur illa Dei gratia cui consensum dabit, quod verissimum est, cùm earum gratiarum præuenientium quibus vel consentiet vel dissentiet electio sit solius Dei: quódque sufficit, vt quilibet hominum vero quodam sensu possit dicere, non habere se in potestate sua vias suas, licet alio vero sensu eas habeat, dum scilicet gratia iam præuentus est, & habeat eo ipso, quo pro arbitrio vel consentire ipsi vel resistere potest. V.

Secundi autem ex Apostolo relati sensus est, B vt ex S. Augustino citata ad Simplicianum quæst. disput. 4. sect. 2. vidimus, in operis boni exercitio aliquid interuenire, quod solius diuinæ misericordiæ opus est, estque gratia præueniens ad prædicti boni operis exercitium necessaria, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Quem etiam sensum habent ea S. Augustini verba quæ subiunximus. VI.

S. autem Fulgentius, dum primo & vltimo loco ex quatuor relatis soli gratiæ tanquam causæ ascribit actum bonum & liberum humanæ voluntatis, non vult excludere huius ipsius voluntatis cooperationem, quam expressè tertio loco asserit, sed solùm omnia antecedentia merita, ob quæ gratiam illam efficacem acceperit, cùm eam nullis præcedentibus meritis, sed purè gratis acceperit. Secundo autem & tertio verissimè soli diuinæ misericordiæ seu gratuito Dei erga hominem amori tanquam C causæ tribuit excitantem gratiam datam homini, quæ gratia & præparatio & exordium est omnis actus boni qui à voluntate postea libere elicitur. Quod si cui placet, his duobus locis nomine misericordiæ non internum diuinæ voluntatis actum intelligere, sed effectum huius interni actus, nempe præuenientem gratiam, horum duorum locorum idem sensus erit, qui duorum præcedentium, sed secundo loco per exordium bonæ voluntatis intelligetur primus actus bonus quem voluntas liberè elicit. VII.

Secundum argumentum. Gratiæ efficacitas in eo constituenda formaliter est, in cuius negatione est formaliter posita gratiæ sufficientis inefficacitas: atqui hæc in negatione operationis nostræ liberæ formaliter posita est: ergo & illa in operatione nostra libera formaliter constituenda est. Maioris veritas certa est, cùm gratia inefficax vt sic opponatur priuatiuè efficaci, sicut insufficiens vt sic sufficienti. Minor ex eo probatur, quòd & in nullius alterius rei quàm prædictæ operationis negatione reponi potest, & in hac negatione commodè potest: in hac quidem potest commodè, quia eo ipso quo negationem hanc intelligimus, illam gratiam inefficacè esse verè dicimus. Non potest autem D VIII.

in alterius rei negatione, huius enim alterius rei negatio vel præcederet illam noſtræ liberæ operationis negationem, vel comitaretur, vel ſubſequeretur: non hoc tertium, prius enim gratia eſſet inefficax, cùm eo ipſo ſit inefficax, quo negationem illam habet adiunctam. Neque ſecundum, quia nihil eam concomitatur in I. quo potiùs quàm in ea conſtituenda ſit gratiæ inefficacitas. Neque primum, alioquin illi gratiæ non poſſet conſentire voluntas, cùm vna quidem ex parte, non poſſit conſentire gratiæ inefficaci vt inefficax eſt, ſeu ex hypotheſi inefficacitatis eius, ſicut e contrario non poteſt diſſentire efficaci vt efficax eſt, ſeu ex hypothe ſi efficacitatis ipſius: ex altera verò, gratia inefficax, etiam vt inefficax, independenter ab eius libero arbitrio in ea poneretur, quandoquidem illius inefficacitas omnem eiuſdem liberam operationem & liberæ operationis negationem antecederet.

Reſpondeo negando Minorem, cuius ad probationem dico, falſam eſſe vtramque eius partem: ſecundam quidem, quia in prædicta II. liberæ noſtræ operationis negatione non poteſt reponi gratiæ inefficacitas, cùm in ea ſola negatione reponi debeat, per quam primò differt ab efficaci vt efficax eſt, per illam autem negationem non primò differat, ſed per aliquam priorem, entitati gratiæ inefficacis adiunctam eo ipſo, quo hæc entitas non eſt id à quo tanquam à principio actiuo egrediatur actu operatio: quæ negatio principij actiui & actu agentis in illa gratia tam concipi debet prior negatione operationis, quàm aut in gratia efficaci entitas eius, prout eſt id à quo tanquam à principio actiuo actu egreditur operatio, concipi debet prior hac operatione, aut vniuerſim in cauſa efficiente eſſe id vnde motus prius hoc ipſo motu concipiendum eſt. Primam autem, quia in prædicta negatione priore III. gratiæ ſufficientis inefficacitas formaliter reponenda eſt, ſicut & gratiæ efficacitas poſita formaliter eſt in eius entitate, prout eſt id à quo tanquam à cauſa egreditur actu operatio, vt ſuprà probatum eſt.

Neque verò prior illa negatio voluntati neceſſitatem afferet diſſentiendi, ſeu conſentiendi impoſſibilitatem ſimpliciter, quia non niſi dependenter ab eius libertate ponitur: quod tam certum eſt, quam gratiam nec eſſe efficacem niſi coagente voluntate, nec inefficacem niſi ea nihil agente: in libera autem eiuſdem poteſtate eſſe, vt poſita gratiæ excitantis motione nihil agat, ſicque nihil ipſa quoque gratia, hæcqûe proinde ſit inefficax.

Contra hanc reſponſionem oppones, ex ea eſſe conſequens gratiam inefficacem tam habere ex ſe quòd ſit inefficax, quàm habeat ex IV. ſe gratia efficax quòd efficax ſit, contra expreſſam ſanctorum Patrum doctrinam, efficacitatem gratiæ non ſoli voluntati creatæ, ſed ipſi quoque gratiæ tanquam concauſæ aſcribentium, eius autem inefficacitatem ad ſolam illam voluntatem vt ad totalem cauſam referentium. Vnde eſt illud Proſperi lib. 2. de Vocat. gentium cap. 26. *Quod gratia à multis reſpuitur, ipſorum eſt nequitiæ: quod verò ſuſcipitur, gratiæ diuinæ, & voluntatis humanæ.* Et iſtud alterum ad capitula Gallorum cap. 5. *Quod ergo prædicatus Chriſtus crucifixus Iudæis erat ſcandalum, & Gentibus ſtultitia, humanæ voluntatis facibat auerſio: quod verò ipſis vocatis Iudæis & Græcis Chriſtus erat Dei virtus, & Dei ſapientia, diuinæ gratiæ præſtabat operatio.*

A Sed reſpondeo diſtinguendo illud conſequens: ſi enim ſenſus ſit, gratiam inefficacem tam habere vel eſſe entitatem ex qua nulla in actu ſecundo oritur operatio, quàm gratia efficax habet entitatem, vel eſt entitas ex qua oritur, ſic concedo, ſed nego repugnare ſanctis Patribus, & relatis S. Proſperi verbis. Sin autem ſenſus ſit, quòd ex illa priore gratia nulla oriatur, tam in cauſa eſſe ipſam gratiam, quàm in cauſa eſt ipſa gratia efficax quòd ex illa aliqua oriatur, ſic concedo repugnare prædictis verbis, & communi ſanctorum Patrum doctrinæ, ſed nego eſſe ex noſtra reſponſione conſequens. Ideo autem ſola humana voluntas cauſa dicitur inefficacitatis gratiæ, quia gratia hæc ex ſe ſufficientem vim & virtutem habet ad efficiendum cum voluntate eius conſenſum, B & ad hunc eam quantum poteſt inclinat, ea autem ſola illi eius inclinationi & ſufficienti virtuti ex ſua libertate reluctatur: at è contrario non ſola voluntas, ſed ipſa quoque gratia cauſa eſt efficacitatis ſuæ, quia non modò ſufficientem ex ſe vim habet ad efficiendum prædictum conſenſum, ſed etiam illum per hanc ſuam vim reipſa efficit: imò cauſa eſt cur voluntas ſimul efficiat, quatenus eam tam potenter támque ſuauiter ad coefficiendum inclinat, & mouet, vt vi motionis iſtius & inclinationis reipſa coefficiat.

Ex his duobus argumentis ſolutis nullo negotio ſoluitur tertium, quod ſic proponitur. Eo modo philoſophandum eſt de ratione gratiæ efficacis & inefficacis vt ſic, quo in rebus humanis de admonitione ſeu conſilio efficaci vel C inefficaci, dum vnus alterum monet de re aliqua agenda, & vt agat ipſi conſulit: tum quia gratia efficax vel inefficax qua nos Deus præuenit, aliud verè nihil eſt, quàm admonitio qua nos monet bonum proſequi, & malum fugere: tum quia non aliter ea gratia nos mouet & impellit ad conſentiendum, quàm per modum exhortationis & conſilij moraliter alliciendo voluntatem vt conſentiat. Atqui conſilium hominis ſeu admonitio non eſt efficax aut inefficax formaliter, niſi per operationem liberam voluntatis hominis qui monetur, & cui conſulitur, aut per huius operationis negationem.

Patet enim ex ſolutione duorum illorum argumentorum, conceſſa huius tertij argumenti Maiore, negandam eſſe Minorem, dicendumque idem de efficacitate vel inefficacitate huius humanæ admonitionis & conſilij, quod de diuinæ gratiæ efficacitate & inefficacitate diximus, & proinde formam à qua formaliter denominatur illud conſilium & admonitio efficax vel inefficax, eſſe ipſius admonitionis & conſilij entitatem, prout vel eſt, vel non eſt id ex quo oritur actio. Quamquam ſi dum non oritur, ſufficientem nihilominus habet vim ad impetrandum à voluntate conſenſum, quòd non oriatur, quódque proinde ſit inefficax.

V. VI. VII. VIII.

causa erit sola voluntas non consentiens : dum autem orietur, & proinde erit efficax, quod oriatur, causa erit non sola voluntas, sed illa quoque admonitio & consilium, ob eandem omnino rationem, ob quam proximè idem de gratia efficaci & inefficaci diximus.

I. Supereſt quartum argumentum, quod ſic propono. Si forma per quam gratia efficax in ratione efficacis formaliter conſtituitur, eſſet ipſa gratiæ entitas, prout eſt id vnde oritur actio, ſequeretur gratiam hanc eſſe per ſe efficacem : atqui non eſt per ſe efficax : ergo forma illa non eſt prædicta entitas. Sequela Maioris probatur, habet enim per ſe illam entitatem. Minor hinc conſtat, quòd quidquid per ſe tale eſt, non poteſt non eſſe tale: at gratia efficax poteſt non eſſe efficax, cùm ei poſſit voluntas reſiſtere. Reſpondeo diſtinguendo conſequens Maioris, multis enim modis vnum alteri per ſe conuenire poteſt : primo tanquam quid ad eius eſſentiam pertinens : ſecundo tanquam naturalis eius & ab eo inſeparabilis proprietas : tertio

II. tanquam cauſæ cauſalitas in ordine ad actionem & effectum. Iam verò gratiæ eſſe efficacem non conuenit per ſe primo illo & ſecundo modo, ſed ſolùm iſto tertio, nec aliud euincit quod in ſequelæ Maioris probatione dictum eſt.

De quo tertio modo ſi Minor eiuſdem argumenti intelligatur, falſa eſt, & ad eius probationem dicendum, quod per ſe tale eſt primo & ſecundo modo ex tribus relatis, non poſſe quidem non eſſe tale, gratiam autem efficacem neutro modorum illorum eſſe per ſe efficacem: at quod per ſe tale eſt tertio, poſſe non eſſe tale, quia id quod per ſe cauſa eſt alicuius actionis & effectus dum reipſa cauſat, vt & cauſare per vim ſibi propriam & naturalem poteſt, impediri aliquando poteſt ne actu cauſet, vel ex propria quam habet cauſandi aut non cauſandi

III. libertate, vel ex defectu cauſæ partialis ad eandem actionem & effectum neceſſariæ, vel ex obſtaculo quod aliunde iſti actioni poteſt obiici: vt clarum eſt de lapide, qui per ſe cauſa eſt motus ſui deorſum, dum ſic mouetur, ſurſum tamen poteſt violenter detineri : de pictore qui eſt cauſa per ſe imaginis quam pingit, ex ſua tamen libertate aliquando non pingit : de igne qui per ſe eſt cauſa combuſtionis dum comburit, ex defectu tamen concurſus cauſæ primæ nolentis cum eo concurrere, coniectos in fornacem babylonicam pueros non combuſſit: quo modo gratia efficax, quæ per ſe cauſa eſt conſenſus voluntatis humanæ dum eum actu cauſat, impediri poteſt ab hac voluntate ne eum cauſet, ac proinde ne ſit efficax.

Ex dictis facilè intelligitur gratiam efficacem

IV. in ſtatu & abſoluto & conditionato per idem in ratione efficacis formaliter conſtitui, nempe per entitatem ſuam prout eſt id vnde oritur actio : hoc ſolo diſcrimine, quòd ſicut in ſtatu abſoluto abſolutè ponitur hæc gratia, ita eſt abſolutè id vnde reipſa oritur actio in aliqua temporis differentia : ſicut autem in conditionato ponitur ſolùm conditionatè, ita eſt conditionatè duntaxat id ex quo prædicta actio oritur, id eſt, ex quo oriretur, ſi daretur hæc gratia, ſeu ex quo orietur, ſi dabitur. Et quoniam prior eſt ſtatus conditionatus quàm abſolutus, réſque proinde quæ in vtroque ſtatu eſt, priùs eſt in conditionato, quàm in abſoluto: ſequitur gratiam priùs in ſtatu conditionato eſſe efficacem, quàm ſit in abſoluto, háncque proinde quam in ſtatu conditionato habet efficacitatem priùs à Deo cognoſci, quam cognoſcatur ea quam habet in abſoluto. V.

SECTIO XX.

Alterum gratiæ efficacis ab ineſficaci diſcrimen affertur, & probatur.

VNVM iam vnius ab altera diſcrimen attulimus, dum propriam vtriuſque differentiam, qua in ratione gratiæ efficacis & inefficacis vt ſic conſtituitur, aſſignauimus : alterum diſcrimen eſt, quòd gratia efficax ſemper eſt maior gratia in ratione gratiæ, ſeu doni ac beneficij, quàm inefficax. Quod probo primùm ex communi omnium iudicio, quorum nullus eſt, qui, præſuppoſitis iis omnibus quæ ex parte dantis requiruntur, vt res quam dat rationem doni ac beneficij obtineat, & modò maioris, modò minoris, modò æqualis, vt eſt perfecta rei donatæ pretiſque eius cognitio, liberalis & beneuolus in donando animus, quæ Deo danti gratiam deeſſe non poſſunt: qui, inquam, non exiſtimet certiſſimè illud donum ſemper eſſe maius in ratione doni ac beneficij, quod quis omnibus rite perpenſis prudenter anteponeret alteri, mallétque ſibi conferri : quilibet autem omnibus rectè conſideratis anteponeret haud dubiè gratiam cui reipſa conſenſurus eſt, ei cui non eſſet conſenſurus, illámque longè mallet quàm iſtam ſibi conferri. VI.

Probo ſecundò hoc argumento. Ille gratiæ auxilium maius in ratione gratiæ ſeu doni ac beneficij accipit, qui, præſuppoſitis iis ex parte dantis quæ iam dixi, accipit gratiam vtiliorem: atqui is qui gratiam efficacem accipit, ſemper accipit vtiliorem: ergo ſemper accipit gratiæ auxilium maius in ratione gratiæ ſeu doni ac beneficij. Minor certa eſt, longè enim vtilior eſt gratia quæ non tantùm dat vt conſentire poſſimus, ſed etiam vt reipſa conſentiamus, eâ quæ ſolùm dat vt poſſimus. Maior probatur, magnitudo enim gratiæ vt gratia eſt, ſeu donum ac beneficium, non ſolùm æſtimanda eſt ex phyſica quantitate ſeu perfectione rei quę datur, ſed ex aliis etiam circunſtantiis, & maximè ex vtilitate quam ex ea reportat is cui confertur : imò propter hoc ſolum caput vtilitatis ſit plerunque, vt res longè minoris in entitate phyſica perfectionis aut valoris ſint maiora dona & beneficia, rebus in entitate phyſica longè nobilioribus aut pretioſioribus, vt homini fame propemodum emorienti dare panem vnum, quàm multos lapides pretiosos: aut fugienti hoſtes inſequentes celerem equum, quàm multa aureorum millia. VII. VIII.

Tertiò illud eſt maius donum Dei in ratione doni & beneficij, in cuius collatione Deus hominis magis miſeretur : ſicut enim omnis collata alicui miſericordia donum & beneficium eſt, ita maior miſericordia maius donum ac beneficium : atqui Deus magis miſeretur

illius cui gratiam efficacem confert, quam eius cui solam inefficacem. Quod ita verum sanctis Augustino & Prospero visum est, vt simpliciter & absolutè pronuntient, Deum misereri solius illius cui efficacem gratiam tribuit, imò donationem huius gratiæ ascribant singulariter diuinæ misericordiæ tanquam causæ, solius autem sufficientis & inefficacis, non misericordię, sed diuino iudicio.

I. A V.

Hinc idem D. August. citata sæpius ad Simplicianum quæst. 2. habet hæc verba, quæ superiùs alia occasione retulimus: *Nullus Deus frustra miseretur, cuius autē miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Ibidemque de iis loquens qui solam sufficientē seu inefficacem gratiam accipiunt, sic ait: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt moverentur.* Et paucis interiectis hæc de Deo subiungit, *etiàsi multos vocet, eorum tantùm miseretur, quos ita vocat, quomodo eis aptum est, vt sequantur.* Libri autem de Prædestin. Sanctorum, cap. 6. sic loquitur: *Audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt illi, quis hoc ignoret? sed cùm alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de iudicio.* Vbi non præparationem voluntatis à Deo, per negationem scilicet gratiæ cui consensurus esset homo si daretur, & incredulitatem quæ hanc negationem sequitur, iudicio Dei tribuit, præparationē autem voluntatis per collationem gratiæ efficacis, & ipsum fidei assensum qui hanc præparationem sequitur, diuinæ ascribit misericordiæ. Et cap. 8. agens de schola in qua Deus Pater eos de amplectenda Christi filij sui fide erudit, qui in ipsum reipsa crediturí sunt, sic interrogat: *Cur non omnes docet vt veniant ad Christum, nisi quia quos docet, misericordia docet, quos autem non docet, iudicio non docet?* Non docentur autem hi,

II. B VI.

III. C VII.

quia sola gratia sufficiens & inefficax eis communicatur: illi verò docentur, quia communicatur efficax.

Vnde & ad finem huius octaui capitis clarè iterum professus vocationē ad fidem cui homo consentit esse speciale gratiæ beneficium ipsi ab æterno Patre collatum, sequentis capitis initio diserte dicit pœnā peccati esse quòd idem omnibus non conferatur, cùm sic ait: *Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes esse in condemnationem, sine dubitatione iustissimam, it aut nulla Dei esset iusta reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur.* Hinc statim in hæc verba concludens: *Vnde constat magnam esse gratiam quòd plurimi liberantur, & quid sibi deberetur in eis qui nō liberantur, agnoscunt: vt qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in domino glorientur.* Quibus plenè consonat hæc S. Prosperi lib. ad excerpta Genuensium responsione ad 4. dubium sententia: *Nunquid dubium est, cùm verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? sed cùm illorum cor Deus aperuerit, horum autem non aperuerit, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de iudicio.*

IV. D VIII.

At obiicies, eo saltem casu gratiam efficacem non fore maiorem in ratione gratiæ seu doni ac beneficij, quo cætera omnia tum ex parte sui tū ex parte hominis cui dabitur habebit paria cum inefficaci, hoc vno dempto, quòd isti homo ex sua libera voluntate non consentiet, illi verò consentiet, & proinde quòd erit vna efficax, altera inefficax: quemadmodum si diues quispiam æqualem in aliquot æqualiter pauperes eleemosynam eroget, æquali eos beneficio afficiet, etsi postea contingat, vt erogata eleemosyna quibusdam cedat in perniciem, aliis in emolumentum, quòd illi ea male, hi bene ex sua libertate vtantur.

Respondeo negando eo etiam casu non fore maiorem, licet iste diues æquale pauperibus his beneficium conferat: ratio disparitatis inter illum & Deum est, quòd ille non est præscius futuri ex erogata à se eleemosyna euentus, Deus autem est secuturi ex gratia à se donata effectus certissimè præscius, antequam eam det, & dare decernat, vt & cuiusuis alterius futuri sub conditione, vt in Tract. de Deo disput. 28. sect. 1. fusè probauimus. Vnde quemadmodum si diues ille certam & infallibilem prædicti euentus præscientiam haberet antequam eleemosynam in præfatos pauperes erogaret, & erogare decerneret, maiori beneficio afficeret eos quibus præsciret magis profuturam, dummodo saltem eam daret ex affectu maioris illius vtilitatis cōiuncto illi certæ & infallibili de hac maiori vtilitate præscientiæ: ita cùm Deus illam efficacem gratiam tribuat ex certa & infallibili secuturæ ex ea vtilitatis præscientia, & ex intentione huius ipsius vtilitatis, maiori haud dubiè beneficio eos afficit quibus illam tribuit, quàm alios quibus tribuit inefficacem, quam præsciuit certo & infallibiliter nullum effectum habituram, si eam tribueret. Quam proinde certam & infallibilem futurorum sub conditione præscientiam qui Deo denegant, tueri non possunt in proposito casu maius Dei erga vnum quàm erga alterum beneficium: sed vtrum hic casus sit possibilis, nunc videndum est.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm ex duobus æquali gratia præueniente donatis contingat aliquando aut contingere possit vnum consentire altero non consentiente, & proinde vnam efficacem esse, alteram inefficacem?

SECTIO PRIMA.

Nonnulla prænotantur.

NOTANDVM primò, ex gratiæ donis quædam esse consensum voluntatis antecedentia, quædam concomitantia, quædam subsequentia, vt ea quorum ipse consensus causa est, cuiusmodi est peccati remissio, gratiæ augmentum, & id genus alia, de quibus hîc nihil dicemus, quia nihil ad definiendā præsentem controuersiam pertinent. Antecedentia sunt ea, quæ consensum ipsum præueniunt, in eúmque causalitatem aliquā exercere apta sunt. Concomitantia, quæ consensui ipsi identificantur, vt sunt diuinus concursus, quem in operi-

bus saltem supernaturalis ordinis inter gratiæ dona numerari debere extra dubitationem est.

Norandum secundò, æqualitatem horum gratiæ donorum duplicem esse posse: vnam in entitate seu perfectione physica ipsius gratiæ consistentem: alteram in formali ratione beneficij ac beneuolentiæ positam: primo modo ea
I. gratiæ præuenientis auxilia æqualia sunt, quæ secundùm entitatem suam physicam considerata sunt æqualis ex se perfectionis & actiuitatis ad efficiendum cum voluntate consensum: inæqualia, quæ inæqualis: secundo modo æqualia vel inæqualia sunt, quæ sunt æquale vel inæquale Dei beneficium, & ex quibus proinde æqualis vel inæqualis Dei beneuolentia erga eos quibus conferuntur colligitur. Quæ beneficij ac proinde beneuolentiæ æqualitas vel inæqualitas metienda non est ex sola rei donatæ secundùm entitatem & perfectionem physicam æqualitate vel inæqualitate, cùm vna eadémq. res secundùm hanc inuariata sit eo tempore maius cæteris paribus beneficium, quo magis vtilis aut necessaria est, minus autem illo, quo
II. minùs: cùm etiam ad rationem beneficij requiratur ex parte donantis valoris rei donatæ cognitio, & præterea liber ac liberalis in ea donanda animus, vnius autem eiusdémque rei valor modò magis modò minùs perfectè cognoscatur ab homine, & hæc ipsa res modò lubentiori & liberaliori animo donetur ab eo, modò minus lubenti & liberali, ac proinde modò maius modò minus cæteris paribus beneficium sit.

Notandum tertiò, æqualem priori modo gratiam dari posse duobus hominibus æqualiter omninò vel inæqualiter corpore aut animo affectis atque dispositis, & æqualia penitus vel inæqualia consentiendi illi æquali gratiæ adiumenta aliunde aut impedimenta habentibus. Iam verò dubium non esse, quin is qui consentit, eo ipso semper aut plerunque saltem habeat
III. maiorem in entitate physica gratiam, si gratiæ nomine comprehendamus tam comitantia cōsensum quàm antecedentia dona, cùm hunc ipsum consensum habeat, atque adeo collatum sibi actualem Dei concursum ad illum, quo caret alius non consentiens, qui concursus tum saltē distinctum ab antecedentib. gratiæ donum est, cùm supernaturalia in entitate opera exercētur. Vnde de solis antecedentib. diuinę gratiæ donis, quibus homo præuenitur, & ad consentiendum allicitur, præsens controuersia est: de quibus etiam certum esse debet hæc semper maiora esse in consentiente, quàm in eo qui nō consentit, si spectentur in ratione gratię seu doni ac beneficij, cùm id præcedente sectione efficaciter probauerimus. Quare proposita à nobis quę-
IV. stio de solis antecedentib. gratię donis secundū entitatem & perfectionem physicam consideratis intelligenda est.

De qua tres reperio Theologorum sententias: Prima vniuersim negat, éstque eorum tantummodo qui physicam voluntatis ad bonum agendum prædeterminationem admittunt: aiunt enim ex duobus qui Dei gratia prę ueniuntur, vel vnum tantùm habere prædeterminantem physicè gratiam, vel vtrumque, vel neutrum: si primum, hunc habere maiorem altero gratiam: sin autem æqualem habeant, & secundum dicitur, vtrumque consensurum: sin autem tertium, neutrum consensurum esse, tamque impossibile esse, vt vno consentiente alter non consentiat, quam est impossibile, aut eum consentire qui ad consensum physicè prædeterminatus non est, aut eum non consentire qui sic prædeterminatus est. V.

Secunda illi è diametro opposita vniuersim affirmat, estq. Driedonis libro de Capt. & Redempt. generis humani, Tract. 5. pag. 101. cuius hæc clarissima verba sunt: *Quemadmodum ex duobus tam æqualiter iustis contingit alterum libero arbitrio à gratia deficere, consentiendo desideriis carnis suæ, alterum eodem libero arbitrio innixo Dei auxilio perseuerare, sic ex duobus impijs æqualiter indignis, æqualiter diuinis instinctibus pulsatis atque admonitis aut ad fidem, aut ad cordis pœnitentiam, contingit alterum non reluctari, sed dare locum pulsanti Deo, alterum verò resistere, & permanere in obstinatione suæ voluntatis.* Est etiam Ruardi Taperi art. 7. contra Lutherum p. 307. Bellarmini lib. 6. de libero arbitrio cap. 15. Molinæ in Concordia disp. 12. Suaris lib. 3. de auxiliis cap. 20. quibus annumerari debent ij qui docent eos qui æquali gratia præueniente donantur, cui respondent, non semper respondere æqualiter, sed alios magis, alios minùs. Sunt autem inter cęteros Bonau. in 4. dist. 16. 1. parte distinctionis art. 4. quæst. 1. in corp. sic scribēs: *Motus contritionis feruentior esse potest secundùm cooperationem liberi arbitrij: vnde ex æquali gratia aliquando magis feruens elicitur motus, aliquando minùs, secundùm cooperationem liberi arbitrij.* Dionysius Cistercienſis in 2. dist. 27. art. 3. Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 16. circa medium, & Vega lib. 6. in Tridentinum cap. 9. VI.

Tertia inter vtramque media est Gab. Vasq. 1. parte disput. 98. cap. 3. & sequentibus, distinguentis & affirmantis quidem, si gratia secundùm entitatem & perfectionem physicam in duobus æqualis, in vno minora consentiendi impedimenta reperiat, in altero maiora, contingere aliquando vt in illo sit efficax, in isto inefficax: at negantis istud posse contingere, si vtriusq. eadem omnino vel æqualia prorsus impedimenta sint, semper enim vtrumque eo casu consensurum, vel neutrum. Nos quid nobis videatur probabilius sequentibus sectionibus aperiemus. VII.

SECTIO II.

Vnum de proposita quæstione asseritur, & probatur.

IAM pro secunda sententia contra primam hoc in primis asserо, posse contingere, & reipsa nonnunquam euenire, vt ex duobus æquali prorsus secundùm entitatem & perfectionem physicam gratia donatis vnus consentiat, alter minimè. Probatur primò ex his Matthęi 11. de Christo verbis: *Tunc cœpit exprobrare ciuitatib. in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissēt pœnitentiam: Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Quæ Christi verba & certā infallibilemque prędictionem continent, teste D. V III.

Aug. lib. de bono perſeu. c. 9. & expreſsè ſignificant futurum vt Tyrij & Sidonij pœnitentiam agerent, ſi eandem aut æqualem gratiam accepiſſent ei quam acceperunt Corozaitæ & Bethſaiditæ, ex qua tamen hi illam non egerunt.

I. Prima reſpõſio eſt, Chriſtum egiſſe ſolùm de æquali externa miraculorum gratia, non de interna illuminationis & inſpirationis. Verũ hoc certiſſimè falſum eſt: nam & ſupradictis hominibus exprobrat quòd pœnitentiam non egerint ex gratia quæ data eis fuerat, & dicit Tyrios ac Sidonios ex eadem illam acturos, quod de ſola gratia externa nequit intelligi, cùm ex ea nemo poſſit ad fidem aut pœnitentiam, aut bonum aliud conuerti, niſi accedat interna, nec proinde verè de Tyriis & Sidoniis Chriſtus dicere potuerit, eos ex ſola miraculorum viſorum gratia accepta pœnitẽtiam acturos, nec meritò exprobrare illis aliis, quod ex eadem illam non egerint, cùm ex ea ſola nemo illam poſſit agere.

II. Secunda eſt, Chriſtum egiſſe quidem tam de interna illuminationis & inſpirationis, quã de externa miraculorum gratia, ſed hos homines illis aliis non æquaſſe in interna illa, ſed in hac ſola miraculorum externa gratia. At ſi ita eſſet, immeritò Chriſtus prædictis hominibus exprobraſſet cor impœnitens ex comparatione ipſorum cum Tyriis & Sidoniis, niſi æqualem ſaltem in vtriſque internam gratiam præſuppoſuiſſet: ſi enim Sidoniis & Tyriis maior erat danda quàm illis aliis data ſit, facilè hi Chriſto dicere potuiſſent, etſi probro digni eſſent, quòd tam abundanti gratia interna & externa vocati ad pœnitentiam, eam agere recuſaſſent, nihil tamen eſſe cauſæ cur ex pœnitentia quam egiſſent Tyrij & Sidonij augeret probrum & dedecus ſuæ ipſorum impœnitentiæ, quandoquidem illi ad pœnitentiam agendam moti fuiſſent vberioribus & potentioribus gratiæ auxiliis quàm ipſi accepiſſent: ſicut Dux quiſpiam vni ſuo militi deuicto ab aduerſario exprobraret immeritò amiſſam victoriam, & probrum augeret ex alterius ſui militis & iſtius commilitonis de aduerſario victoria, ſi victori equum & egregia arma ad pugnam dediſſet, quorum beneficio victoriam reportaſſet, victo autem nihil horum contuliſſet, vnde factum eſſet vt vinceretur.

III. Quòd multò potiori iure iidem homines Chriſto dicere potuiſſent, ſi defectu gratiæ phyſicè ad pœnitentiam prædeterminantis, qua caruerunt, eam non egiſſent, Tyrij autem & Sidonij acturi fuiſſent ea ſola de cauſa quòd hanc prædeterminantem gratiam eſſent accepturi, quam & ſimiliter egiſſent illi, ſi ſimiliter accepiſſent. Nec dicas Tyrios & Sidonios accepturos hanc fuiſſe, quòd nullum huic accipiendæ

IV. impedimentum obiecturi fuiſſent, aut certè nõ tantum, quantum Corozaitæ & Bethſaiditæ obiecerunt, qui propterea non acceperunt, hoc enim diſput. præcedente ſect. 7. in refutatione primæ & ſecundæ ad propoſitum ibi argumentum reſponſionis copiosè refutatum eſt.

Probatur ſecundò authoritate Tridentini Concilij ſeſſionis 6. cap. 5. definientis Deo tangenti cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem & inſpirationem, hominem aliquid liberè cooperari, & ideo libere, quia gratiã hanc cui conſentit abiicere poteſt, eique diſſentire. Quòd ſi poteſt eidem numero gratiæ cui conſentit, eo tempore quo conſentit, diſſentire, & ita poteſt, vt eadẽ libertate qua conſenſum loco diſſenſus reipſa poſuit, diſſenſum loco conſenſus æquè ponere potuerit, & reipſa poſuiſſe meritò cogitare de illo & ſupponere poſſimus, profecto poterit ex duabus gratiis phyſicè prorſus æqualibus vni vno tempore conſentire, alteri diſſentire altero, ita vt tam vno tempore ponatur reipſa diſſenſus, quàm conſenſus alio reipſa ponitur. Quòd ſi hoc vnus idémque homo poteſt, pari ſaltem iure poterunt duo, quorum vni vna gratiarum illarum data fuiſſet, altera alteri.

Probatur tertiò authoritate D. Auguſtini tribus præſertim locis. Primus habetur libri de prædeſtinatione & gratia cap. 15. in quo ſic de Pharaone & Nabuchodonoſore loquitur: *Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad cauſam, ambo captiuum Dei populum poſſidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid igitur fines eorum fecit eſſe diuerſos, niſi quia vnus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra miſericordiſſimam Dei veritatem pugnauit arbitrio?* Reſpõdet Vaſq. loco ſupracitato S. Auguſtinum his verbis duos illos reges pares omnino feciſſe in prodigiis, ſignis, aliiſque huiuſcemodi externis gratiis: at non in interna illuſtrationis & inſpirationis. Verum ego non video, cur ex eo quod dicit S. Auguſtinus Nabuchodonoſorẽ & Pharaonem fuiſſe homines, reges, populum Dei captiuum poſſidentes, & flagellis admonitos, concedat Author ille ſanctum hunc Patrem eos æquaſſe in natura, in poteſtate regia, in ſignis & prodigiis quibus à Deo flagellati ſunt, & non etiam in vocationis interna gratia, quandoquidem ſimiliter ibidẽ & proximè ante relata verba ait vnum eis ab vno eodémque medico Deo medicamentum fuiſſe adhibitum, quo nomine non ſolam miraculorum & flagellorum exteriorem gratiam, ſed interiorem etiam illuminationis & inſpirationis comprehendit, cùm addat illud vni ad ſalutem valuiſſe, ad quam nihil valuiſſet, aut valere potuiſſet, niſi cum hac interiore gratia fuiſſet coniunctum, vt ex certiſſima fidei doctrina quam diſput. 1. probauimus notum eſt.

Deinde niſi medicamentum quod vni eorum valuit ad ſalutem, alteri ad interitum, vt loquitur, æquale ſaltem in hoc poſteriore fuiſſet, aut fuiſſe ſuppoſuiſſet, huic à ſe propoſitæ quæſtioni, cur vni medicamentum hoc ad ſalutem, alteri ad interitum valuiſſet, malè reſpondiſſet, dum adiunxit, *Niſi quia vnus manum Dei ſentiens*, &c. Siquidem particula *niſi* quæ excluſiua eſt, omnem aliam rationem huius diuerſi euentus excludit, præter eam quæ ipſi ſubiungitur: aliam autem, & quidem optimam, quiuis afferre potuiſſet, ac dicere, ideo Dei medicamentum valuiſſe Nabuchodonoſori ad ſalutẽ, Pharaoni verò alterum eiuſdem medicamentum minimè, quia illud maius erat & potẽtius, iſtud minus & imbecillius: ſicut ſi duo homines corpore ægri ſanandi ſunt, & vni vnum medicamentum efficacius applicatur quo reipſa conualeſcat, alteri

V. VI. VII. VIII.

alterum infirmius quo minimè sanetur, quæratúrque, vnde factum fuerit, vt ille conualuerit, *non iste*, rectè respondebitur, quia illi melius & potentius medicamentum adhibitum est, isti minoris bonitatis & virtutis, nec nisi falsò responderetur, non aliunde factum esse, quàm quia vnus medicamento cooperatus est, vel animos sumendo, vel alio modo, alter minimè.

I.

Secundus locus præcedente multò efficacior ad id concludendum quod probandum suscepimus, petitur ex libri primi ad Simplic. quæst. 2. ante medium, vbi hæc habet verba, quæ sicut & paulò ante relata alia iam occasione suprà retulimus. *An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt & illud verum sit, Multi vocati, pauci electi, vt quamuis multi vno modo vocati sint, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei?* Cuius loci hæc nominatim verba notanda sunt, *vno modo vocati*, & ista, *non omnes vno modo affecti*: his enim aperte significat, contingere aliquando, vt ex multis æqualem physicè interioris vocationis gratiam à Deo accipientibus, aliqui vocationi consentiant, alij resistant, ob inæqualem eorum affectionem ac dispositionem, quæ in quibusdam melior, in aliis peior est.

II.

Tertius omnium efficacissimus sumitur ex libri 12. de Ciuit. cap. 6. in quo ex duobus ab eadem externa pulchritudine visa ad libidinem prouocatis, ad eámque pari tentationis impetu & eodem prorsus modo à dæmone impulsis, facit vnum tentationi resistentem, alterum succumbentem: ex quo certissimè concluditur, eum etiam existimasse, fieri similiter posse, vt ex duobus qui æquali gratiæ præuenientis motione ad bonum impelluntur, vno resistente alter consentiat. Et quoniam valet hic locus non

III.

ad id tantùm probandum, sed etiam quiddam amplius quod sequente sectione asseremus, propterea propria eius verba referre in sectionem hanc differemus.

Probatur quartò rationibus aliquot. Prima petitur ab exemplo rerum naturalium, in quibus euenire quotidie cernimus, vt æqualis impulsus corporibus impressus non æqualiter ea moueat, ob inæqualem eorum ad motũ dispositionem, & maiora vnius quàm alterius ad eum impedimenta: imò quædam vix aut nullo modo moueat, ob maiorem illa vi motrice corporis impulsi resistentiam: ergo nec æqualis physicè gratiæ motio posita in duobus corpore & animo inæqualiter affectis atque dispositis æqualem semper in eis effectum habebit, sed aliquando nullum in vno, licet aliquem in altero

IV.

habeat, cùm certissima constet experientia, alios aliis, ratione variæ complexionis naturalis, & bonarum aut malarum animæ inclinationum, similibúsve de causis, habere longè maiora ad virtutem impedimenta, multóque esse cæteris paribus difficiliorem iniuriarum condonationem iracundis & naturæ feruentioris hominibus, quàm mitibus & moderatis: castitatem iuuenibus, quibus est sanguis calidior, quàm senibus, quibus est multò frigidior: emendationem vitæ iis qui peccandi magnas adhuc illecebras habent, quàm quibus omnes ferme ereptæ sunt peccandi occasiones: pœnitentiam denique bene valentibus, & qui diuturnam sibi vitam pollicentur, quàm iis qui breuissimum vitæ tẽpus sibi reliquum esse vident. Quæ tantæ difficultates non patiuntur dubitare nos, contingere

A

plerunque, vt ij qui illis premuntur, resistant gratiæ cui alij consentiunt, non modo physicè æquali, sed maiori etiam ac potentiori.

V.

Secunda hæc est. Fieri potest vt ex duobus æqualem physicè gratiam recipientibus vnus ei magis cooperetur, alter minùs: ergo etiam vt vnus consentiat, alter resistat. Consequentiæ huius bonitas hinc constat, quòd qui minùs cooperatur, habet negationem vberioris illius & intensioris consensus quem alter magis cooperans elicit: quòd si hæc negatio in illo est, non obstante illa physica gratiæ æqualitate, quid obstare potest, quominus in eodem absoluta consensus negatio sit? Antecedentis veritas superiore sectione S. Bonau. expresso testimonio, & multorum aliorum Theologorum

B

authoritate probata est: confirmatúrque tum

VI.

ex Hugone de S. Victore in annotationibus in caput 9. epist. ad Romanos, docente modum illum operandi liberi agẽtis proprium esse: tum ex doctrina & praxi virorum sanctissimorum, qui ad retinendam humilitatis virtutem, ei qui singularia gratiæ dona à Deo accepit, considerandum esse dicunt, multos perdite viuere, qui si pares ab eo gratias accepissent, essent meliores & sanctiores. Qua consideratione perpetuò vsum fuisse S. Franciscum ad humilitatem in tanto virtutum fastigio conseruandam refert idem S. Bonauentura in eius vita. Idem quoque de sancto Ioanne Columbino refertur in ipsius vita, exhortatione ad humilitatem. Idem denique de S. Ignatio nostræ Societatis parente refert Petrus Ribadeneira libri 5. vitæ eius cap. 1.

Tertia & à priori ratio petitur ex natura gra-

C

tiæ præuenientis, quæ voluntatem hominis ad

VII.

consensum physicè non prædeterminat, sed eã relinquit prorsus indifferentem vt consentiat, vel non consentiat. Quòd si hoc habet quælibet gratia præueniens, ergo etiam æqualis physicè in duobus. Quòd si hæc istorum hominum quemlibet relinquit indifferentem omnino ad consensum aut dissensum, quid obstare potest, quominus vno ob hanc indifferentiam suam dissentiente, alter ob similem suam consentiat, aut vice versa, vt isto dissentiẽte ille consentiat?

SECTIO III.

Alterum de eadem quæstione asseritur, & probatur.

D

VENIO nunc ad alterum quod pro prædicta secunda sententia contra tertiam affero, & est, posse contingere, vt ex duobus hominibus non modò æquali physicè gratia præueniente donatis, sed etiam æqualiter omnino corpore & animo affectis, æqualiáque omnia consentiendi vel adiumenta vel impedimenta consensum antecedentia habentibus, vnus consentiat, alter dissentiat. Probatur primò ex relatis superiore sectione Christi verbis, quibus exprobrat Corozaitis & Bethsaiditis, quòd pœnitentiam non egerint

VIII.

& probrum augeret ex comparatione eorum cum Tyriis & Sidoniis qui eam acturi fuissent, si Dei gratia sicut illi ad eam vocati fuissent. Ex qua probri augendi ratione, sicut ibi concluſimus, non minorem fuisse communicatam hominibus illis externam internamque gratiam ea ex qua hi sibi communicata pœnitentiam egissent, ita rectè concluditur, non minora in his agendæ pœnitentiæ impedimenta fore quà in illis actu fuerint. Nam si minora futura fuissent, non mirum si illam egissent, illis eam ob maiora non agentibus. I.

Nec refert quod vitio fortè suo hæc maiora impedimenta habuerint: nam hoc etiam concesso, non ita conuenienter Christus probrum impœnitentiæ & dedecus auxisset ex prædicta ipsorum cum Tyriis & Sidoniis comparatione, sicut nec satis aptè quispiam iuueni ex vitiosa corporis complexione naturæ præferuidæ & iracundæ exprobrans iram qua se abripi passus esset, probrum augeret ex eius comparatione cum altero, sed ob bonam corporis compositionem naturæ lenis & moderatæ, quem diceret tentationis & iræ victorem fuisse futurum, si pari iniuria fuisset lacessitus, & æqualiter ad irascendum prouocatus ac tentatus: aut homini diuturnam peccandi contra castitatem, exempli causa, consuetudinem habenti exprobrans admissum libidinis peccatum, augeret probrum ex eius comparatione cum altero, sed castissimo, nullas antea huiuscemodi tentationes passo, aut superare semper solito, quem similiter diceret fuisse tentationi & libidini minimè consensurum, si æquali contra castitatem tentatione pulsatus fuisset. II.

Probatur secundò ex relata ibidem Tridentini Concilij sess. 6. cap. 5. doctrina, quæ est, hominem prævenienti Dei gratiæ, cui reipsa consentit, posse dissentire. Vnde sic licet argumentari: Qui certo aliquo temporis instanti vel tempore consentit gratiæ, dum consentit, habet certam & determinatam gratiam, certam & determinatam corporis & animi affectionem dispositionémque, certa & determinata consentiendi impedimenta, eadémque omnia retinens potest illi ipsi gratiæ dissentire, alioquin eo tempore quo consentit dissentire non posset, contra expressam Concilij doctrinam, & ita potest, vt eâdem libertate qua consensum posuit loco dissensus, dissensum loco consensus ponere potuerit, posuisseque reipsa, concipere meritò de illo, & supponere possimus: ergo hic idem homo, easdem aut æquales corporis & animi dispositiones, eadem aut æqualia impedimenta diuersis temporibus retinens, & in his æquali penitus gratiæ prævenientis motione excitatus, vni vno tempore consentire poterit, altero dissentire alteri, ita vt tam vno tempore dissensus ponatur reipsa, quàm consensus alio reipsa ponitur. Quòd si hoc potest vnus & idem homo, poterunt pari saltem iure duo, æquales animi corporisque dispositiones, æqualia penitus impedimenta habentes, quorum vni vna gratiarum illarum æqualium, altera alteri data fuerit. III.

Probatur tertiò ex his S. Augustini verbis libri 12. de Ciuit. cap. 6. *Si aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore videant vnius corporis pulchritudinem, qua visa vnus eorum ad illicitè fruendum moueatur, alter in voluntate pudica stabilis perseueret, quid putamus esse causæ, vt in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quam illa res fecit in quo facta est? Neque enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus: quandoquidem amborum non dispariliter occurrit affectibus. An caro intuentis in causa est? cur non & illius? an verò animus? cur non & vtriusque? ambos enim & animo & corpore æqualiter affectos fuisse prædiximus. An dicendum est, alterum eorum occulta maligni spiritus suggestione tentatum? quasi non eidem suggestioni, & qualicunque suasioni propria voluntate consenserit? Hanc igitur consensionem, hanc malam quam malè suadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit quærimus. Nam vt hoc quoque impedimentum ab ista quæstione tollatur, si eâdem tentatione ambo tententur, & vnus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat perseueret, quid aliud apparet nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Vnde nisi propria voluntate, vbi eadem fuerat in vtroque corporis & animæ affectio, amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo, amborum pariter institit occulta tentatio?* Ex quibus certissimè concluditur, pari facilitate euenire posse reipsa, vt ex duobus æquali physicè gratia prævenientis, æqualiter animo & corpore affectis, æqualia boni illius agendi ad quod excitat illa gratia impedimenta habentibus, vnus ei consentiat, alter resistat, qua contingit iisdem, vt vnus eidem tentationi resistat, alter succumbat. IV.

Respondet Vasq. loco sub finem sectionis 1. citato S. Augustinum hîc quidem videri nostræ fauere sententiæ, sed pluris esse facienda multa alia eius testimonia, quib. ei aduersatur: sed nullo aduersari contendimus, & quid iis velit quæ nobis obiiciuntur, sequenti sectione declarabimus. Addit idem author, eum ne relatis quidem verbis voluisse duos illos homines de quibus agit æqualem gratiam prævenientem à Deo accepisse: sed contrarium non obscurè colligitur, primùm ex eo quòd supponit eos æqualiter esse non solùm corpore, sed etiam animo affectos, quo sane non essent æqualiter affecti, sed inæqualiter, si vnius mens maiori illustratione, & voluntas vehementiore motu quam alterius à Deo ad bonum impelleretur. V.

Secundò, quia nisi supposuisset æqualem in vtroque gratiam prævenientem, æqualiter vtrumque ad seruandam castitatem excitantem, non admodum difficilem ad soluendum quæstionem proposuisset, cur ex illis duobus vnus tentationi resisteret, alter succumberet? facile enim quiuis dixisset illum vicisse, quia maius Dei auxilium ad vincendum accepit: hunc victum esse, quia minus. VI.

Tertiò quia inter cæteras illius diuersi euentus causas quas reiicit, est vehementior vnius quàm alterius à dæmone oppugnatio, vnde supposuit vtrumque eodem obiecto proposito, æqualiter ad rem illicitam alliciente, æqualiter etiam à dæmone ad peccandum impelli, & proinde vtrumque quoque æqualiter Dei gratia præveniente ad resistendum excitari: cur enim potiùs illam quàm hanc æqualitatem supposuisset? Et sanè quemadmodum VII.

VIII.

nisi illam supposuisset, mirum non fuisset, si vnus tentationi & peccato resisteret, is scilicet quiminùs à dæmone impugnabatur, alter consentiret, is nempe qui vehementiùs: ita nisi hanc quoque supposuisset, mirum etiam id ob eandem causam non fuisset.

I. At erit fortè quispiam (vt hoc obiter interseram, quod non erit inutile) qui ex relatis S. Augustini verbis colliget, soli voluntati creatæ tanquam causæ ascribendum esse, quòd è duobus æqualiter tẽtatis, & quoad cætera omnia se similiter habentibus, vnus tentationi resistat, alter consentiat, cũ id expresè verba hæc, *quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* & ista immediatè sequentia, *vnde nisi ex propria voluntate?* significare videantur. Verùm id minimè ex illis colligendum est, quia minimè significatur: quod enim voluit S. Augustinus, hoc tantùm est, nihil esse quod vtriusque euentûs communis causa sit præter voluntatem: quod verissimum est, quia ipsa sola, & non etiam gratia, quæ à malo semper reuocat, & quantum ex se potest reuocat

II. efficaciter, causa est consensus in malum, licet oppositi dissensus non ipsa sola causa sit, sed etiam gratia, vt & suprà probauimus, & passim à S. Augustino doceri multis ex eo superius relatis testimoniis clarè vidimus.

Probatur denique eadẽ à priori ratione, qua sub finem præcedentis sectionis vsi sumus: hic enim eandem vim habet, cùm præsupposita in duobus hominibus omnimoda æqualitate, non solùm gratiarum, sed etiam quorumlibet aliorum antecedentium liberum voluntatis consensum, neutrius voluntas ab vlla huiuscemodi re antecedente physicè ad illum prædeterminetur, sed relinquatur indifferens vt consentiat aut dissentiat: quo fit vt sicut vterque potest consentire, vterque dissentire, ita possit vnus con-

III. sentire dissentiente altero, aut hoc consentiente ille dissentire. Quæ ratio etiam probat euenire posse, vt qui prius est dispositus, & maioribus impedimentis implicatus consentiat, altero resistente, non modò cum æquali gratia, sed etiam cum minori: cùm & minor gratia sit ad consentiendum per se sufficiens, & peior dispositio, maioraque impedimenta non eripiant libertatem, nec eius vsum absolutè possint impedire.

Nec dicas, id quidem, quod hac ratione probauimus, fieri posse, si voluntatis liberæ natura præcisè consideretur: at impossibile esse ex hypothesi scientiæ diuinæ, qua cognoscit Deus id nunquam euenturum: nam vnde quæso habere quis potest Deum hoc cognoscere? sanè cùm hæc diuina scientia præsupponat ordine rationis priorem liberam nostræ voluntatis determi-

IV. nationem ad consentiendum, aut dissentiendũ, videre non potest Deus hoc futurum, vel non futurum, nisi priùs ordine rationis futurum vel non futurum sit: probandum ergo priùs est ita semper futurum, vt vno prædictorum duorum hominum consentiente alter quoque consentiat, dissentiente dissentiat, quam asserendum Deum id cognoscere. Probari verò non posse, præterquam quod iam satis constat ex dictis, constabit etiam mox amplius ex sequentium argumentorum solutione.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta contraria ex authoritate deprompta.

A PRIMVM petitur ex his Apostoli verbis epist. 1. ad Corinth. cap. 4. *Quis te discernit?* quibus significatur hominem in negotio salutis non discernere se ab alio, sed à Deo discerni: si contingeret autem ex duobus æquali gratiæ dono præuentis vnum consentire non consentiente altero, ille se ab isto discerneret. Vnde & consequens esset, vt idem ille in se gloriari iure posset, vtpote qui non maiori quàm iste alter donatus gratiæ munere, ferret ex se suâque libera voluntate boni operis fructum, nullum ferente isto altero: quod tamen consequens, est certissimè contra mentem eiusdem Apostoli eodem loco docentis, neminem in iis quæ ad salutis negotium pertinent posse in se meritò gloriari. V.

Respondeo distinguendam esse duplicem discretionem qua homo vnus ab alio discernitur: vnam quæ à solo Deo est: alteram quæ ab homine simul & Deo, quæque priorem illam semper sequitur, & necessariò præsupponit. Prior illa in eo posita est, quòd Deus nullis antecedentibus hominis meritis, aut operibus bonis, ex pura misericordia decernit ei ab æterno, & in tempore confert gratiam, quam per scientiam futurorum sub conditione præuiderat impetraturam ab eius voluntate consensum, si eam conferret, cùm perinde posset aliam decernere, conferréque, quam per eandem scientiam præuidebat illum non impetraturam, & sine vllo bono effectu mansuram. Posterior consistit in bona hominis operatione consen- B VI.
tientis præuenienti gratiæ, quam sicut libera sua voluntate exercet, sic ipse se ab altero non C
consentiente discernit: sed vt huius liberæ & VII.
bonæ operationis non ipse solus homo causa est, sed etiam & quidem præcipuè Deus, vt pote sine quo operante vt velimus, & cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus, vt suprà ex Concilio Arausicano II. & sanctis Patribus retulimus, ita posterior hæc discretio non ab homine solo, sed à Deo simul est. Iam verò vt isti homini iure optimo dicatur illud Apostoli, *quis te discernit?* sufficit haud dubiè quod ne hac quidem posteriore discretione discernatur ab alio per se solum, sed per Deum quoque, & quidem tanquam præcipuam huius discretionis causam: & quòd hæc discretio sequatur ex illa priore, quæ ex solius Dei pura misericordia est.

Nec dicat hic aliquis, absurdum esse ascribere homini tanquam causæ etiam partiali ef- D VIII.
fectum, quem Apostolus soli Deo tanquam causæ attribuit: hoc enim verum quidem est, sed id minimè facimus, qui solam posteriorem discretionẽ homini vt causæ partiali ascribimus, quam soli Deo nunquam ascripsit Apostolus: priorem autem cum eodem Apostolo soli Deo attribuimus.

Et verò multa alia sunt, quæ Scriptura soli Deo tanquam causæ vno sensu verissimè ascribit, quæ & alio sensu verè attribuit homini-

bus, vt causis partialibus, vt notauit S. August. libro de gratia & libero arbitrio cap. 15. verbis his: *Meminerimus Deum dicere, Conuertimini, & viuetis, cui dicitur, Conuerte nos Deus. Meminerimus Deum dicere, Proiicite à vobis omnes impietates vestras, cùm ipse iustificet impium. Meminerimus ipsum dicere, Facite vobis cor nouum & spiritum nouum, qui dicit, Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo vobis. Quomodo ergo quod dicit, Facite vobis, hoc dicit, Dabo vobis? Quare iubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est? Nisi quia dat quod iubet, & adiuuat vt faciat cui iubet? Semper autem in nobis est voluntas libera, sed non semper est bona: gratia autem Dei semper est bona, & per hanc fit vt sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ.* Quibus posterioribus verbis explicat causam, ob quam hæc & similia nunc soli Deo, nunc homini tanquam causæ partiali tribuantur: vúltque soli Deo tribui, ratione gratiæ præuenientis quæ ab ipso solo est: tribui autem homini simul & Deo, ratione liberæ cooperationis, quæ & ab humana voluntate simul & diuina gratia tam operante quàm cooperante est.

I.

II.

Ex quibus patet, non esse ex nostra doctrina consequens, posse quempiam contra mentem Apostoli loco citato in se meritò gloriari: hic enim ibi solùm vult, non posse hominem in vlla re ad æternæ salutis negotium spectante gloriari, quasi eam non diuinitus acceperit: vnde remouere vult eam solam gloriationem, qua quis sibi soli bona sua superbè arrogaret, vt constat ex his eiusdem eodem loco verbis: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quæ verba sanctus Augustinus explicans epistola 106. sic ait: *Hoc non ideo dixit Apostolus, vt homo non glorietur, sed vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* De qua non in seipso, sed in Domino gloriatione, idem Apostolus loquens epist. 2. ad Corinth. cap. 12. aiebat: *Si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam:* quæ verba S. Ansel. sic exponit: *Etiamsi voluero pro me gloriari, id est, meritum meum quod apud Deum habeo profiteri, non ero insipiens in hac gloriatione, licet quibusdam esse videar: non enim falsa loquar, sed veritatem de meipso dicam, & ideo non in meipso, sed in ipsa veritate quæ superior me est, humiliter & veraciter gloriabor.* Clarum autem est ex iis quæ diximus, neminem iure posse in se & non in Deo gloriari, seu sibi soli bona sua arrogare, cùm à solo Deo gratiam præuenientem & ad bona opera excitantem habeat: horum autem operum, sicut non ipse solus causa est, sed etiam per operantem & cooperantem suam gratiam Deus, ita hæc opera non à se solo habeat, sed à Deo etiam accipiat. Vnde pulchrè sic S. Prosper libro ad excerpta Genuensium responsione ad 4. dubium: *Nunquid potest vllus dicere, habere se quod non accepit, aut quasi de non accepto gloriari? quod si non accepisset, vtique non haberet?*

III.

IV.

Secundum argumentum sumitur ex variis aliis Scripturæ, & sanctorum Patrum, nominatímque Augustini testimoniis, quibus suam sententiam confirmat Gabriel Vasquez, & nostram impugnat citatæ ex prima parte disput. 98. cap. præsertim 3. & 4. Verùm illa vt summum probant gratiam efficacem esse semper maiorem inefficaci in ratione gratiæ seu doni ac beneficij diuinæque misericordiæ, quod vltro fatemur, & suprà docuimus. Semper item aut ordinariè vocationem electorum, ac proinde efficacem, vocatione reproborum, ac proinde inefficaci, esse maiorem in ratione etiam vocationis & auxilij: & tam ob hanc quam ob illam causam esse peculiarem gratiam peculiariter soli Deo tribuendam, quod non negamus, sed ex quo concesso concludi non potest id fieri non posse, quod nostra secunda & tertia sectione docuimus, si comparentur inter se duæ vocationes aut duorum reproborum, aut duorum electorum, aut vnius electi & alterius reprobi, respectu alicuius particularis operis boni, vt eleemosynæ faciendæ, aut tentationis alicuius superandæ.

A

B

C

D

V.

VI.

VII.

Instabis, vocationem efficacem esse ex concessis inefficaci maiorem in ratione gratiæ seu beneficij, ergo & in ratione vocationis seu auxilij: sed negatur hæc consequentia. Nam cùm sit alia formalis ratio vocationis & auxilij vt sic, alia gratiæ vt gratia est seu donum ac beneficium, non sequitur, vt quod secundum hanc rationem maius est, secundum illam quoque maius sit. Imò cùm quantitas seu magnitudo vocationis & auxilij vt sic, petenda sit ex quantitate seu magnitudine virtutis actiuæ quam habet ad consensum nostrum efficiendum, quia auxiliũ & vocatio vt sic significat solum quidpiam quod per modum actiui principij datur ad bene operandum, tunc tantum auxilium, seu vocatio vna dicetur alterâ maior in ratione vocationis & auxilij, quando maiorem vim actiuam habebit ad consensum in nobis efficiendum. Quare cùm fieri possit, vt duæ vocationes seu gratiæ præuenientes æqualem vim actiuam respectu huius nostri consensus habeant, licet vna sit alterâ maior in ratione beneficij, ob allatam sectione vltima præcedentis disputationis rationem, fieri quoque potest, vt hoc non obstante vna non sit maior altera in ratione vocationis seu auxilij.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta ex ratione petita.

PRIMVM. Gratia magis congrua maior est in ratione vocationis & auxilij eâ quæ minùs congrua est: atqui omnis accipiens efficacem gratiam magis congruam accipit, accipiens autem inefficacem, accipit minùs congruam: ergo ille semper isto maiorem in ratione vocationis & auxilij accipit. Maioris veritas hinc constat, quòd gratia quæ maiorem vim habet ad eliciendum à voluntate consensum maior est in ratione vocationis & auxilij, vt ex antè dictis notum est: quo autem gratia magis congrua est, eo maiorem hanc vim habet, quia quo magis est congrua, eo maiorem habet cum ingenio & dispositionibus hominis cui datur proportionem & contemperationem, in hac enim contemperatione & proportione eius congruitas formaliter posita est: quo autem maiorem hanc contemperationem habet, eo magis

VIII.

eum cæteris paribus ad assentiendum mouet,& proinde maiorem vim habet ad assensum à voluntate eliciendum. Minor probatur, tum quia quisquis gratiæ consentit, eo ipso efficacem accipit, ideo autem consentit altero non consentiente, quia magis congruam quàm iste accipit: I. tum quia passim sanctus Augustinus gratiam efficacem per congruam describit, inefficacem per incongruam seu carentem illa maiori congruitate quæ in efficaci est.

Respondeo primò concessa Maiore, & eius probatione, negando Minorem, quia licet ita plerunque contingat, non est tamen perpetuum, & quamuis ita semper contingeret, non esset tamen necessarium, fierique posset, vt è duobus æqualiter congruam accipientibus, vnus consentiret, alter minimè. Vnde ad primam Minoris probationem dico, fieri quidem ordinariè, vt qui gratiæ consentit altero non consentiēte, ideo potiùs quàm iste consentiat, quia magis congruam quàm ipse accepit: at contingere nonnunquam, & saltem posse contingere, II. vt probauimus, vt qui minus congruam accipit, consentiat nihilominus, non secus atque ille qui magis congruam accepit. Ad secundam dico S. Augustinum illa gratiæ efficacis & inefficacis descriptione tantùm significare, semper aut vt plurimùm euenire reipsa, vt qui gratiam efficacem habet, habeat magis congruam, quam is qui habet inefficacem, quod verissimum putamus, sed nostræ doctrinæ non repugnat.

Respondeo secundò, sumpsisse me hactenus gratiæ congruitatem pro prædicta cum ingenio hominis & dispositionibus attemperatione, prout in argumenti propositi maiori propositione, & eius probatione sumebatur: nam si dicatur gratia congrua ex eo præcisè, quòd conuenienter & feliciter cedit libero arbitrio à quo consensum impetrat, siue maiorem illam III. attemperationem habeat, siue æqualem, siue minorem, incongrua autem ex eo præcisè, quòd non ita conuenienter ac feliciter cedat eidem libero arbitrio, à quo consensum non impetrat: dicendum est, omnem quidem gratiam efficacem esse hoc sensu congruam, omnem inefficacem esse incongruam, sed quæ hoc ipso sensu congrua est, posse esse etiam minorem in ratione vocationis & auxilij eâ quæ incongrua dicitur.

Secundum. Illud gratiæ auxilium quo non solùm excitatur homo ad cōsensum, sed etiam ab eo remouentur impedimenta consensus, maius est in ratione auxilij eo auxilio quo excitatur quidem, at hæc impedimenta non remouentur: atqui gratiæ efficacis auxilium tale est, vt vtrumque illud præstet, inefficacis autem IV. primum tantùm præstat: ergo gratia efficax in ratione auxilij semper inefficaci maior est. Maioris veritas certa est: remotio enim impedimētorum facit vt voluntas promptiùs faciliùs, & intensiùs operetur, & proinde gratia quæ impedimenta remouet, quatenus hæc remouet, dat vim voluntati operandi promptiùs, faciliùs & intensiùs. Exempli causa, qui eam cogitationem in intellectu, & eum delectationis motum in voluntate à Deo accipit, ex quibus fit vt intellectus minùs attendat, & voluntas minùs afficiatur ad eas res, quibus retardari posset aut reuocari prorsus à consensu, maiorem haud dubiè consentiendi vim accipit, quàm is qui eam intellectus cogitationem, & eum voluntatis motum accipit, quibus non impeditur, quo minus attendat & afficiatur ad ea, quorum affectu & consideratione à consensu re- A tardatur. Minor probatur, tum quia nisi remouerentur impedimenta non consentiret, cùm ergo consentiat, vt supponimus, remouentur: tum quia si à consentiente non magis hæc remouerentur quàm à dissentiente, cur ille potiùs quàm iste consentiret? V.

Respondeo concessa Maiore, eiúsque probatione, negando Minorem, & dico fieri posse, aut etiam aliquando contingere, vt non minora sint impedimenta consentiendi ei qui consentit, etiam præsuppositā gratia vocationis, quàm illi qui non consentit, & proinde per auxilium huius gratiæ saltem aliquando non magis remoueri à consentiente impedimenta consensus, quàm à non consentiente remoueantur. Ad primam autem Minoris probationē dico, falsum B esse, eum qui consentit non consensurum nisi VI. consensus impedimenta remouerentur: consentit enim, quia non obstantibus his impedimentis gratia vocationis dat ei sufficientem vim consentiendi, & impedimenta in contrarium trahentia superandi, hāncque vim operandi ad actum secundum operationis reuocat pro sua libertate cum adiutorio Dei cooperantis. Ad secundam dico, æqualibus in vtroque impedimentis posita vocationis gratia remanentibus, vnum consentire, alterum minimè, quia vnus cùm possit agere, non vult: alter cùm possit æquè non agere atque agere, agere vult.

Instabis, gratiam eo minùs actiuam esse cæteris paribus, quo maiora sunt agendi impedimenta ei cui datur: ergo illam æqualem in ratione auxilij esse non posse saltem in duobus, C quorum consentiendi impedimenta inæqualia VII. sunt, minor enim erit in eo cuius maiora sunt. Respondeo falsum esse antecedens: sicut enim duo medicamenta, æqualis omnino in se virtutis & efficacitatis ad sanandum, adhibita duobus ægris inæqualiter corpore malè affectis, non dicuntur inæqualia in ratione medicamenti & auxilij præstiti ad sanandum, licet vnum in peiùs affecto maiorem resistentiam inueniat ad sanitatis restitutionem, alterum minorem in minùs malè dispositō: sicut item æquales impetus impressi duobus lapidibus, quorum vnus longè maior est altero, & proinde magis motui resistit, non ideo sunt inæquales in ratione impetus & motiuæ virtutis, quòd vni lapis vnus magis resistat, alter alteri minùs: ita si duobus æqualis illustratio intellectus, æqualis D inspiratio voluntatis conferatur, & proinde VIII. æqualis gratia vocationis, non ideo erit inæqualis in ratione auxilij seu virtutis ad consensum efficiendum, quod in vno maiora sint impedimenta, & proinde maior resistentia, in altero minora, & proinde minor.

Tertium & vltimum. Fieri non potest, vt ex duobus æqualiter affectis & dispositis, de eodem obiecto eodem penitus modo cogitantibus, vt de fide amplectenda vel respuēda, vnus vocationi consentiat, alter dissentiat, manente

cogitatione prorsus inuariata: ergo si vnus consentit altero non consentiente gratia vocationis meliorem in illo excitat cogitationem, id est, aut intensiorem, aut clariorem, aut alio denique simili modo perfectiorem: cogitatio autem hoc modo melior, maior gratia est in ratione vocationis & auxilij cogitatione minus prædicto modo bona, quia magis mouet voluntatem ad consentiendum, & proinde maiorem vim ad eliciendum consensum habet: ergo qui consentit, semper accipit vocationem in ratione vocationis & auxilij maiorem, quam is qui non consentit. Antecedens probatur tum ex Philosopho lib. 3. Ethic. cap. 1. & ex S. Thoma 1. 2. quæst. 77. artic. 2. qui docent defectum in operatione voluntatis semper supponere defectum aliquem considerationis: tum ex D. Augustino qui lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 17. & 19. causam ob quam homines Deo vocanti non consentiunt, ait esse, quia deest illis aut ex parte cognitionis ea attentio, aut ex parte voluntatis ea delectatio quam accipiunt ij qui reipsa consentiunt: tum denique quia non potest voluntas nostra præponere vnum alteri, nisi distinctiùs, aut quodam alio modo melius ab intellectu cognoscatur: quandiu ergo manebit eadem vtriusque cognitio, aut semper vnum præponet voluntas alteri, aut nunquam: ergo dum in duobus erit æqualis illa vtriusque cognitio, vterque aut semper vnum alteri præponet, aut nunquam, sicque nunquam continget vnum consentire non consentiente altero.

I. A

II. B

Respõdeo negando antecedens, simul tamen concedendo euenire reipsa vt plurimùm, eos qui consentiunt, aut clariorem, aut intensiorem, aut alio simili modo perfectiorem cogitationem intellectus, aut vehemẽtiorem quendam motum in voluntate, aut magis delectantem accipere, & proinde maiorem gratiam in ratione etiam vocationis & auxilij.

III. C

Ad primam Antecedẽtis probationem dico primò, nullum defectum considerationis per se necessariò requiri, vt voluntas peccet, licet semper aliquis reperiatur quoties peccat, vt probaui in Tractatu de peccatis ad quæstionem D. Thomæ 78. disput. 10. vbi hoc posteriore sensu intelligendum esse citatum ex Philosopho locum dixi, quo etiam modo ipse S. Thomas intelligendus est.

Dico secundò, etsi aliquis semper necessariò requireretur, non tamen inde posse concludi quod in antecedente dicitur: quamuis enim nullus excitanti Dei gratiæ posset resistere, nisi præuio aliquo defectu considerationis in intellectu, fieri tamen posset, vt eodem defectu in intellectu duorum existente vnus consentiret, alter minimè, quia defectus hic nec remouet considerationem quæ ad consensum sufficit, alioqui cogitatio habens annexum huiusmodi defectum non esset gratia sufficiens, nec eripit voluntati libertatem, qua potest, præsuppositio etiam tali defectu, vel consentire, vel oppositum.

IV. D

Ad secundam dico, S. Augustinum loco citato assignare solùm ordinariam causam, ob quam reipsa homines Dei gratiæ resistunt: quam admitto quoque esse communiter defectum aliquem cognitionis in intellectu, aut delectationis in voluntate, qui si abfuisset, & contraria qua priuat perfectio adfuisset, sequuta non esset resistentia, sed consensus.

V.

Ad tertiam respondeo primò, negari meritò posse quod in ea dicitur, eo saltem casu quo est æquè distincta & perfecta vtriusque in intellectu cognitio. Quod confirmare licet in primis ex Deo retinente semper eandem & inuariabilem rerum omnium cognitionem, ex eaque præuia volente quædam libere, alia nolente, sic vt fieri potuerit vt vellet ea quæ non vult, & nollet ea quæ vult, absque vlla præcedente cognitionis varietate. Secundò ex supra relata Tridentini Concilij doctrina sess. 6. cap. 5. docentis hominem diuinæ gratiæ libere cooperari, quippe qui illam abiicere potest, vt loquitur: quæ verba clarè significant hominem eo tempore quo consensit gratiæ, potuisse non consentire, & proinde etiam retenta eadem inuariata cognitione, nulla noua accedente: cùm hæc inuariata remanens, nec vllam aliam adiunctam habens, ei necessitatem consentiendi non afferret, sed indifferentiam ad consensum & dissensum relinqueret.

VI.

Respondeo secundò, esto verum sit quod negari posse dixi, inde tamen non effici, vt ex parte cognitionis debeat esse diuersitas, ad hoc vt in idem bonum duobus propositum vnus positiuo actu feratur, alter minimè, sed vt summum ad hoc, vt vnus positiuè auersetur & odio habeat illud ipsum bonum, ad quod alius positiuè afficitur. Quod non diffitetur ipse Vasquez argumentum cui respondemus nobis obiiciens: concedit enim vltro, quod salua libertate negare non potuit, intellectu melius apprehendente rationem boni honesti, exempli causa, quàm delectabilis oppositi, posse voluntatem non amplecti bonum illud honestum: etsi addat, non posse etiam illi bono præferre bonum istud delectabile, quandiu nulla erit in cognitione variatio. Vnde concludo similiter fieri posse, vt è duobus hominibus eadem obiecta eodem omnino modo & æquali perfectione cognitionis apprehendentibus, vnus suspendat actum consensus in bonum honestum, altero ei positiuè consentiente, licet iuxta doctrinam prædicti Authoris concedatur esse necessarium, vt antequam vllus ex eis contrario bono delectabili positiuè consentiat, aliqua mutatio in cognitione contingat.

VII.

VIII.

DISPVTATIO VIII.

De causa gratiæ.

SECTIO PRIMA.

De ea S. Thomæ doctrina explicatur.

I. AGIT de causa gratiæ sanctus Thomas huius partis quæst. 112. cuius articulo primo cõcludit Deum solum causam esse gratiæ, hoc nomine solam habitualem intelligens, vt constat ex articuli Corpore, ex argumentis quæ sibi obiicit, & eorum solutione: sicut & causæ nomine solam efficientem intelligit, & quidem principalem, cùm, vt patet ex primi & secundi argumenti solutione, Christi humanitas, & sacramenta sint eius causæ instrumentales. Quo loco duæ quæstiones proponi poterant. Prima, quo genere actionis producatur II. à Deo gratia habitualis, vtrùm creationis, an alio? Secunda, An possit aliqua res creata vim habere naturalem saltem instrumentalem efficiendæ gratiæ? naturalem inquam, prout naturalis est, & ab obedientiali distinguitur, quam solam obedientialem habere possunt sacramẽta, & Christi humanitas: sed de priori in Tractatu de sacram. in genere, disput. 4. sect. 4. de posteriori partim eadem disput. sect. 5. partim in Tractatu de Charitate disput. 42. sect. 1. fusè dictum est.

Articulo secundo quærit idem S. Doctor, vtrùm requiratur aliqua dispositio ad gratiam ex parte hominis? Distinguit autem primò gratiam in habitualem sanctificantem, & in actualem, animam ad bonum impellentem. Secundò III. dicit, si de habituali illa sermo sit, requiri aliquam gratiæ præparationem ad illam. Vbi obseruatione dignum est, eum ad propositã quæstionem non respondere affirmando, ad illam habitualem gratiam requiri præparationem aliquam ex parte hominis, ne videretur cum Pelagio & Semipelagianis asserere, posse nos ad iustificationem ex propriis liberi arbitrij virib. aliquo modo præparari: hoc enim significare videtur illud, *ex parte hominis*, & ita etiam illud ipse sumit, vt patebit ex eo quod paulò pòst dicemus, sed affirmando ad prædictam habitualem gratiam requiri aliquam præparationem gratiæ, id est, requiri quidem aliquam dispositionem liberi arbitrij, sed non ex solis eius viribus, verùm etiam ex auxilio gratiæ præuenientis & comitantis prouenientem. Dicit tertiò, si gratia sumatur pro actuali nos ad bonum IV. mouente & impellente, non requiri ad eam vllam præparationem ex parte hominis, quasi opus aliquod nostrum factum ex propriis liberi arbitrij viribus gratiæ actualis auxilium antecedat, & ad hanc gratiam nos disponat, sed potius quamcunque præparationem nostram ad gratiam esse effectum gratiæ Dei nos mouentis ad bonum, nec proinde solis naturæ viribus opus nostrum ad habitualem gratiam nos disponens esse factum à nobis, sed ex gratiæ præuenientis & concomitantis auxilio.

A Articulo tertio docet facienti quod in se est ad consequendam gratiam, necessariò, id est, infallibiliter ex voluntate & ordinatione diuina, dari gratiam. Vbi duo notanda sunt. Primum est S. Thomam agere de gratia habituali, ad quam superiore articulo docuit esse necessariam aliquam gratiæ præparationem. Secundum est, propositionem hanc, facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, admitti ab eodem S. Doctore, de eo solo intellectam, qui facit quod in se est, non ex propriis naturæ viribus, sed ex auxilio gratiæ actualis: docet enim expresè nullum opus quatenus procedit à libero arbitrio sufficere ad habendam gratiam, nisi etiam procedat ab auxilio gratiæ interiùs nos ad bonum mouentis. Et verè eadem propositio intellecta de eo qui facit quod potest ex solis naturæ viribus, Semipelagiana est, ponítque nostræ iustificationis & prædestinationis initium esse ex nobis, cùm tamen ex solo Deo sit, vt in Tractatu de Deo disput. 138. sect. 3. fusè probatum est. V.

B Articulo quarto ait habitualem gratiam sanctificantem esse in vno intensiorem quam in alio: cuius inæqualitátis proximam causam dicit esse maiorem & meliorem vnius ad huius gratiæ susceptionem præparationem quàm alterius: quò enim meliùs & perfectiùs se ad eam suscipiendam quis præparat per actus studiosos, consentiendo excitanti Dei gratiæ eíque cooperando, eò intensiorem illam habitualem gratiam recipit: primam autem inæqualitatis causam accipiendam esse ex parte Dei, qui diuersimodè suæ gratiæ dona dispensat, id est, diuersa dona gratiæ præuenientis elargitur, & vni vberiora quàm alteri, quo fit vt vnus perfectiùs cooperetur præuenienti gratiæ quàm alius, & proinde meliùs ad habitualem gratiam præparetur. VI.

C Denique art. quinto quærit, vtrùm homo scire possit se habere gratiam? habitualem scilicet sanctificantem, de qua certissimè loquitur, & ad hanc quæstionem triplici conclusione respondet. Prima est, hominem peculiari reuelatione certum esse posse se esse in gratia, vt aliquibus aliquando reuelatum à Deo est. Secunda, hominem ex seipso ea de re certum esse non posse. Tertia, posse nihilominus id per coniecturas aliquas cognoscere, quod accuratiùs discutiemus, & copiosiùs sequente sectione explicabimus. VII.

SECTIO II.

Vtrùm homo certus esse possit se sanctificantem gratiam esse consequutum?

D DE hac quæstione, prima Lutheri articulo 10. 11. & 12. Caluini in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6. & libro Institut. cap. 2. §. 16. 17. & 18. aliorumque nostri temporis hæreticorum sententia est, iustos omnes non solùm posse, sed etiam debere certitudine fidei diuinæ credere se iustos esse, peccatorúmque remissionem, ac proinde sanctificantem Dei gratiam esse consecutos: imò quod longè mirabilius est, hac ipsa fide seu firma persuasione, qua quis VIII.

certò credit & firmiter, sibi per Christum remissa esse peccata, remissionem hanc & iustificationem fieri: quod postremum ex eo patet esse impossibile, quòd cognitio non sit causa veritatis seu existentiæ actualis obiecti sui, sed eam vt priorem naturæ ordine præsupponat.

I. Secunda sententia est Catharini in opusculo A de certitudine gratiæ assertione 6. affirmantis, quemlibet iustificatum, sine speciali reuelatione diuina, posse assensu fidei diuinæ non quidem Catholicæ, sed priuatæ, certò credere se peccatorum remissionem à Deo accepisse, iustúmque proinde & in gratia sanctificante esse. Quæ sententia vt plenè intelligatur, aduertẽdum est, ea supponi quod in Tractatu de Deo disput. 2. sect. vltima docuimus, nempe non ea sola credi diuina fide posse quæ explicitè & immediatè à Deo reuelata sunt, sed etiam quæ ex rebus sic ab eo reuelatis euidenter concluduntur, etiam priusquam de iis quidquam ab Ecclesia definiatur: quam fidem Catharinus diuinam vocat, quia diuino testimonio tanquam formali motiuo nititur, sed priuatam, quod res

II. quæ per illam creditur non fuerit ab Ecclesia B ad credendum proposita, sed eam quisque sibi priuatim sufficienter vt à Deo reuelatam proponat, & proinde credendam: quomodo ait quemlibet iustificatum de sua iustitia certum esse posse, cum de fide sit, inquit, omnem perfectè contritum, aut qui debitè sacramentum suscipit iustificari, posse autem id quisque de se per experientiam certò cognoscere, & proinde diuina fide credere se iustificatum esse.

Tertia est Dominici Soti in Apologia contra Catharinum cap. 2. & Andreæ de Vega lib. 9. in Trident. cap. 46. & sequenti, asserentium, etsi nemo possit diuina fide vel Catholica vel priuata certus esse sibi esse dimissa peccata, & proinde se iustum ac in gratia esse, posse tamen interdum aliquos in hac vita talem ac tantam

III. habere ea de re certitudinem humanæ fidei, vt C pellat omnem de opposito formidinem, non secus ac certitudo humanæ fidei innixa qua tenemus esse Romam aut Constantinopolim omnem de contrario timorem excludit. Quarta S. Thomæ citato articulo quinto, communisque Theologorum ac vera sententia præcedentium refutatione declarabitur, & probabitur.

Prima prædictorum hæreticorum refellitur in primis censurâ Vniuersitatis Parisiensis, & Louanienſis: illius quidem, cùm de ista Lutheri propositione: *Pessimè docent Theologi, cum dicunt nos nescire, quando simus in gratia*, sic censuit: *Hæc propositio, intelligendo nescire certitudine fidei, de qua loquitur scribens, est falsa, sacris Doctoribus dissona, & intelligentiæ sacræ Scri-*

IV. *pturæ*. Huius verò cùm sic statuit: *Fides qua* D *quis firmiter credit, & certò statuit per Christum sibi esse remissa peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis testimonium, imò iisdem aduersatur*. Secundo ex Tridentino Concilio sess. 6. can. 13. & 14. quibus tam expressè damnatur, vt non possit expressiùs.

Eadem hæreticorum simúlque Catharini sententia refutatur primùm hoc Scripturæ testimonio Ecclesiastæ 9. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta*. Quo loco sermo non est de impiis hominibus, sed de sapientibus & iustis quorum opera bona sunt, nec proinde de impiis dicitur, nescire eos, vtrum amore, an odio digni sint, reuera enim sciunt se odio dignos esse, cum certissimè sciant plerunque saltem se in mortali peccato esse, sed de his solis id dicitur: qui si nesciunt, vtrum odio, an amore digni sint, profectò certi esse non possunt certitudine fidei diuinæ vel Catholicæ vel priuatæ se in gratia esse: hoc enim si certò scirent, certi ex consequenti essent se dignos non esse odio, sed amore. V.

Atque his extremis relati testimonij verbis, *sed omnia in futurum seruantur incerta*, excluditur in primis quorũdam hæreticorum responsio, dicentium, Ecclesiastem aliud nihil velle, quàm non posse quemquam ex euentis & exteriori diuinæ prouidẽtiæ forma scire, sitne odio, an amore dignus, eo quòd vniuersa æquè eueniunt iusto atque impio, vt ibidem dicitur. Excluditur secundò quod respondet Catharinus, VI. inquiens illic tantùm negari hominem suis solis viribus eam cognitionem consequi posse, non verò etiam ex medio diuinæ reuelationis, applicato per aliquem actum experientiæ circa rem illam, quam nouimus ex Dei reuelatione semper esse cum iustificatione & caritate coniunctam: hæc, inquam, excluduntur, inepte enim dixisset Ecclesiastes omnia in futurum incerta seruari, si à iustis hominibus, quos dicit nescire, vtrum amore, an odio digni sint, excluſisset vnum tantùm aut alterum medium habendæ ea de re certitudinis, & non omnia prorsus media, vt per se patet.

Refutatur secundò hac expressa Tridentini Concilij definitione sessionis 6. cap. 9. vbi postquam dixit Concilium contra Lutherum, *nemini fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti* VII. C *peccata dimitti*: & præterea *non esse asserendum, oportere eos qui vere iustificati sunt absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, déque Christi mortis & resurrectionis efficacia dubitet*, concludit caput his verbis: *Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum suámque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum*. Vbi obseruandum est, non dixisse Concilium, fidei Catholicæ, sed *fidei cui non potest subesse falsum*, vt, quemadmodum notat Vega lib. 9. in Trident. cap. 8. non solùm excluderet certitudinem fi- VIII. dei Catholicæ, sed & quamlibet aliam fidei diuinæ, etiam priuatæ.

Refellitur tertio ex decreto Innocentij tertij cap. vltimo de purgatione canonica, in quo cùm quidam Episcopus Bisuntinus vt ab obiectis sibi criminibus purgaret se se, iurasset se ab iis immunem esse, & hac verborum forma vsus esset quæ ambigua erat, vtpote qua significare poterat, vel se nunquam illa commisisse, vel etsi commiserit, se ab illis per pœnitentiam emun-

daſſe, ait ſummus ille Pontifex, ſi Epiſcopus hic ea iurandi formula voluit tantùm affirmare, ſe immunem eſſe ab obiectis criminibus tanquam pœnitentiâ iam elutis, iuramentum non parum temerarium eſſe, ſubiungitque cauſam his verbis, *cùm nullus ſcire poſſit, an ſimplex ſit, vt dicitur lac. 9.* id eſt iuſtus, & in gratia. At ſi poſſet quiſpiam ſine ſpeciali reuelatione credere certitudine fidei diuinæ, vel Catholicæ, vel priuatæ, vel etiam humanæ, omnem de oppoſito formidinem excludente, ſe iuſtum & in gratia eſſe, poſſet is ſanè cum iuramento aſſerere ſe immunem eſſe ab omni omnino crimine, nec quiſquam iuramentum hoc tanquam temerarium poſſet improbare.

I.

Refellitur poſtremò hac ratione. Omnis quæ in hac vita contingit iuſtificatio fit vel in ſacramento, vel extra: atqui de neutra certi eſſe poſſumus certitudine omnem formidinem excludente. Maior certiſſima eſt. Minor probatur primùm quoad eam quæ in ſacramento fit: nemo enim de ea certus eſt prædicta certitudine, niſi ſic certus ſit de intentione miniſtri conferentis ſacramentum, & de bona ſua ad eius ſuſceptionem diſpoſitione: at de illa ſaltem intentione, quæ non modò ad effectum ſacramenti, ſed ad eius etiam ſubſtantiam neceſſaria eſt, ſic certus eſſe non poteſt, extra ſpecialem & extraordinariam reuelationem, quod ſufficit, vt de ſua per ſacramentum iuſtificatione certus prædicta certitudine eſſe non poſſit.

II.

Ex quo redarguitur obiter falſitatis quod ait loco citato Catharinus, nempe eum qui videt ſacerdotem eleuantem hoſtiam quam conſecrauit, debere fide diuina credere, Chriſtum eſſe in illa ſingulari hoſtia quæ eleuatur: nam etſi id diuina fide certiſſimum ſit de hoſtia qualibet à ſacerdote debita cum intentione conſecrata, certum tamen mihi eſſe non poteſt hanc ſingularem hoſtiam quæ eleuatur talem eſſe, cùm mihi certò conſtare non poſſit adfuiſſe conſecranti debitam illam intentionem, & proferentem verba conſecrationis eſſe verè ſacerdotem: quo ex capite ne ipſe quidem conſecrans certus omnino eſſe poteſt in ea quam conſecrauit hoſtia eſſe Chriſtum, etſi de ſua debita conſecrandi intentione ſit certiſſimus: ſecus autem iudicandum eſt ſi de infantis per baptiſmum iuſtificatione agitur, baptizans enim de ea habere poteſt genus illud certitudinis, cùm vna quidem ex parte certus eſſe poſſit habuiſſe ſe debitam baptizandi intentionem, ex altera verò, quilibet ex Chriſti inſtitutione independenter ab alterius intentione habeat, vt ſit idoneus baptiſmi validè conferendi miniſter.

III.

Addo, nec eum qui per ſacramentum iuſtificatur certum eſſe præfata certitudine poſſe de bona ſua ad ſacramenti ſuſceptionem diſpoſitione, hæc enim eſt attritio, quæ eſt certus quidam dolor formaliter honeſtus ex motiuo veræ virtutis & præueniente Dei gratia conceptus: nullus autem eſt qui certitudine omnem formidinem excludente dignoſcere poſſit, vtrũ verè concipiat hũc dolorem, an aliquem alium ei ſimilem, quod & experientia notum arbitror. Vnde & Tridentinum citato cap. 9. dixit, quemlibet, dum ſe ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, poſſe merito de ſua gratia formidare, de qua ſanè propter ſuam indiſpoſitionem formidare iure non poſſet, ſi certus eſſet de bona ſua diſpoſitione certitudine quæ omnẽ formidinem excluderet.

IV.

Probatur deinde eadem Minor quoad eam iuſtificationem quæ fit extra ſacramẽtum, quæ quidem fieri non poteſt niſi per actum perfectæ contritionis & dilectionis Dei ſuper omnia: de quo tam eminenti támque per ſe difficili actu nemo prædicta certitudine certus eſſe poteſt, cùm nemo ſic certus eſſe poſſit, ſe eo formali motiuo, & non alio ſimili vel affini, reipſa moueri, quod ad illius actus ſpeciem & exercitium neceſſarium eſt: quod & experimur, opinor, omnes, qui dolorem de peccatis noſtris concipientes, nunquam omnimodam illam habere certitudinem poſſumus, quod hic noſter dolor ſit perfecta contritio, Deique ſuper omnia dilectio. Confirmaturque ex eo quod proximè antè diximus, nempe nos certos omnino eſſe non poſſe de noſtra bona ad ſacramenti ſuſceptionem diſpoſitione, quæ longè imperfectior eſt actu perfectæ contritionis & Dei dilectionis: vnde concluditur nos multò minùs habere de hoc actu poſſe eam certitudinem de qua hîc loquimur.

A V. B VI.

Atque hac eadem ratione, prædictóque Innocẽtij Papæ decreto refellitur efficaciter relata Soti & Vegæ ſententia, vt intuenti per ſe patebit. Refellitur inſuper ex ſupracitato Tridentini Concilij teſtimonio cap. 9. qua parte ait Concilium, quelibet, dum ſe ſuamque infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, poſſe de ſua gratia formidare: Si enim quis tantâ de ea certitudinem haberet, quantam habemus quòd ſit Roma, vel Conſtãtinopolis, profectò ſicut prudenter ſaltem formidare non poſſumus de huius aut illius vrbis exiſtentia, ita nec is poſſet prudenter ſaltem de ſua gratia formidare, quod contra Concilium eſt.

Nec dicas, ipſum verbis illis excludere tãtùm voluiſſe certitudinem fidei diuinæ, eo quòd immediatè ſtatim adiunxit, *Cum nullus ſcire valeat certitudine ullum non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum*: reuera enim excludere voluit omnem certitudinem excludẽtem omnem formidinem, quandoquidem dixit, poſſe quemlibet de ſua gratia formidare: de ea autem formidare non poſſet, ſi de eadem certitudinem fidei humanæ tantam haberet, quantam de Roma vel Conſtantinopoli, licet certitudine fidei diuinæ careret: quandoquidem etiam cauſam huius iuſtæ formidinis dixit eſſe conſiderationem ſuiipſius, ſuæque propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis: quæ cauſa non minùs adducit nos in timorem excludentem prædictam certitudinem fidei humanæ, quã diuinæ, vel Catholicæ, vel priuatæ. Atque cùm ex propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis conſideratione quemlibet poſſe prudenter de ſua gratia formidare docuiſſet, id rectè confirmauit his ſequentibus verbis, *cùm nullus ſcire valeat*, &c. quibus ſignificare voluit, nullam nos habere poſſe de noſtra gratia certitudinem excludentem omnem formidinem, niſi ex fide diuina, cui ſubeſſe falſitas non poteſt, & proinde cùm iſta certitudine careamus, nos ſemper in timore meritò eſſe poſſe.

C VII. D VIII.

Ex quibus concluditur, neminem in hac vita

habere

habere posse sine speciali Dei reuelatione tam vehementes coiecturas aut rationes, quib. sibi persuadeat se in gratiæ statu esse, atque habemus, quòd sit Roma, vel Constantinopolis, quandoquidem absq. speciali reuelatione quilibet de sua gratia formidare prudenter potest, vt definit Concilium, nec de ea re possit esse prudens formido, de qua tanta est certitudo, quanta de prædictarum vrbium existentia.

I.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM petitur ex his Apostoli ad Rom. 8. verbis: *Ipse sp ritus reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filij Dei*: ex quibus sic licet argumentari: spiritus testimonium est certum certitudine fidei diuinæ: atqui testificatur nobis nos esse Dei filios, ac proinde in gratia: ergo id diuinæ fidei certitudine certum est. Duplex huius loci explicatio est, quarũ neutra fauet aduersariis. Prior est, per hæc verba, *testimoniũ reddit*, non significari testificationẽ qua Spiritus sanctus reuelãdo dicat nos esse filios Dei, seu iustos & in gratia, sed sensum esse, Spiritum sanctum testificari, id est, facere vt testificemur nos esse Dei filios, sicut & paulò post dicit idem Apostolus, eundem Spiritum sanctum *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est, facere vt postulemus. Facit autem vt testificemur nos esse Dei filios, hoc est, adoptatos à Deo in filios, quatenus mouet nos ad orandum Deum, & eum nomine Patris appellãdum, dum oramus, & vt loquitur Apostolus, *dum clamamus, Abba, pater*. Eo enim ipso quo Spiritu sancto impellente, non vana ducti præsumptione, Deum patrem nostrum appellamus, nos eius esse filios testificamur. Quem Apostoli verborum sensum tradit S. Chrysost. homilia 14. in epist. ad Rom. hæc ipsa verba explicans.

II.

III.

Posterior est, etsi verbis his, *testimonium reddit*, significetur testimonium aliquod quod reddat ipse Sp. sanctus, non tamen significari testimoniũ Dei intus reuelantis, cui subesse falsum non potest, & quo fides nostra Theologica nititur, sed testimonium nostrorum bonorum operum, quæ opera dicuntur testimonium Dei, quia ita sunt nostra, vt sint etiam Dei, eiusque magis quàm nostra, eo quòd, vt suprà ex Conciliis & Patribus retulimus, ea ipse in nobis per gratiam suam & nobiscum operatur, per eademque testificatur nobis nos esse in gratia, id est, dat nobis aliquod signum nostræ à peccatis nostris iustificationis: magnum enim acceptæ iustitiæ argumentum est exercitatio bonorum operum: quod tamen cùm non sit prorsus infallibile, fit vt non obstante hoc diuino testimonio, meritò, vt Tridentinum Concilium citato loco loquitur, de nostra gratia formidare possimus. Ex qua vtraque explicatione patet esse negandam propositi argumenti Maiorem, & Minorem, eo quòd in vtraque propositione supponitur agi relatis ex Apostolo verbis de testificatione Spiritus sancti intus reuelantis, quod falsum est: aut si de alia testificatione vel Maior illa vel Minor intelligitur, nullam esse consequentiam.

IV.

A

B

C

D

Secundum sumitur ex his eodem cap. verbis: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro*. Duplex item horum verborum expositio est, quarum etiam neutra aduersariis fauet. Prima est, hæc vocabula, *certus sum*, non significare certitudinem vel diuinæ vel humanæ fidei excludentem omnem omnino formidinem, sed insignem quandam confidentiam: sic explicant Ambrosius in eum locum, & Hieronymus in epistola ad Algasiam: quem eundem sensum habent eadem verba *certus sum*, Roman. 15. & Lucæ 20. fauétque vox Græca πεπεισμαι quæ hîc ponitur, idémque significat, quæque ad Hebræos 6. rursum vsurpatur, & Latinè redditur *Confidimus*, cùm ait Apostolus, *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora*. Secunda est, hunc loqui de seipso, & significare se diuinæ fidei certitudine certum esse de sua gratia, in eaque perseuerantia, quòd de ea peculiarem à Deo reuelationem accepisset: quam & eum reipsa accepisse docet Vasq. hîc disput. 200. cap. 5.

V.

VI.

Tertium. Ex vna propositione certa fide diuina, & altera, vel naturæ lumine, vel aliunde quàm per fidem diuinam certò cognita, consequens quod in bona argumentandi forma deducitur certum est fide diuina: atqui ex vna propositione certa fide diuina, & altera aliunde certò cognita potest deduci in bona argumentandi forma nos esse in gratia: ergo potest istud consequens esse certum fide diuina. Respondeo concessa Maiore negando Minorem: nullam enim habemus propositionem aliunde quàm ex fide diuina certò cognitam, ex qua cum altera per eandem fidem certa possimus in bona argumentandi forma deducere nos esse in gratia: hæc enim propositio non fide diuina, sed aliunde certa, si sit sermo de gratia per sacramentum accepta, continere debebit certitudinem intentionis ministri, & nostræ bonæ dispositionis: sin autem de gratia accepta extra sacramentum, certitudinem nostræ perfectæ contritionis: de hac autem contritione, vt & de illa dispositione ac intentione certi omnino esse non possumus, vt ex suprà dictis constat.

VII.

Quartum est, consequens ex nostra sententia esse, hominem semper peccaturum mortaliter conficiendo aut recipiendo sacramenta quę viuorum appellantur, id est, quæ ex institutione sua supponunt eum qui illa suscipit in statu gratiæ sanctificantis præexistere, quia quicunque ea conficit aut suscipit cum dubitatione, an sit in peccato mortali, peccat mortaliter: quilibet autem ea de re dubitabit, aut dubitare iure poterit, si quilibet caret, quòd in gratia sit, certitudine omnem timorem expellente.

VIII.

Respondeo negando illud esse ex nostra sententia consequens: cuius ad consequentis probationem, concedo quidem, eum omnem qui cum prædicta dubitatione sacramenta illa conficit, aut suscipit, peccare mortaliter: at nego eum omnem, qui certus omnino non est quòd in gratia sit, habere dubitationem illam, aut habere iure posse: aliud enim est dubitatio, aliud formido seu timor: quare etsi hunc habeat, aut habere meritò

possit, non tamen illam, quæ tunc tantùm habetur, cùm ita suspensus animus est & vacillans circa vtramque partem contradictionis, vt de neutra determinato assensu ac iudicio quidquam affirmet aut neget: quo in statu non est omnis qui de sua gratia formidat, hac enim cum formidine potest plerunque etiam prudentissimè determinato iudicio & assensu affirmare se in gratia esse, quia probabiles habet & sufficientes ita iudicandi affirmandique rationes, quæ tamen quoniam non sunt prorsus infallibiles, locum aliquem formidini relinquunt: licitum autem est cum ista formidine coniuncta illi determinato prudentique iudicio conficere & suscipere prædicta sacramenta, quamuis cum illa dubitatione nunquam liceat, vt & nunquam licet id omittere vel committere, de quo, non dico formidinem, sed dubitationem habemus, an eius omissio vel commissio peccatum sit.

I. A

Atque hinc faciliùs soluitur quintum & vltimum argumentum, quod ex authoritate multorum sanctorum Patrum ducitur, sed reuera inefficaciter, quia qui ex iis de statu iustitiæ & gratiæ loquuntur, non tribuunt homini omnimodam de huiusmodi suo statu certitudinem: qui autem de hac agunt certitudine, de alterius rei certitudine quàm prædicti status loquuntur.

II. B

Ex priorum numero sunt Chrysost. citata homilia 14. in relata ex Apostolo verba: *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro.* solam enim ambiguitatem seu dubitationem excludere vult, aut etiam inficiationem, seu contradictionem, non verò formidinem, cum ipsa ambiguitatis & dubitationis & contradictionis vocabula vsurpet, dicens: *Quanam relinquitur ambiguitas, quis ambiget* (& vt alia versio habet, *quis dubitare audebit*) *quis sustinebit contradicere?* Cyrillus qui lib. 10. in Ioan. cap. 3. dicens *Christum non solum cognitione communi amicis se suis manifestaturum, sed excellentiore quodam fulgoris modo*: & paulò pòst, eos *qui omni virtute mentem suam purgarint, aptos iam ad maiora factos spiritus illuminatione recepta oculis animi inhabitantem in ipsis Deum visuros*, tribuit solùm his hominibus clariorem, ac proinde certiorem id cognoscendi modum, quam cæteris, quos ibidem *rudiores* appellat, *& ab impio idolorum cultu ad cognitionem Dei vocatos solummodo per fidem discere* asserit: at minimè tribuit omnis expertem formidinis. Cyprianus quoq. qui initio libri de mortalitate, excludere tantùm vult à iustis hominibus nimiam & cum animi anxietate coniunctam de sua iustitia solicitudinem, quali laborare solet scrupulosa conscientia, at non omnem penitus formidinem: vsurpat enim expresse verba *anxietatis & solicitudinis*, cui *locum* vllum esse debere negat. Basilius denique in regulis breuioribus q. 12. & 296. qui de sola certitudine intelligendus est, quam parere possunt maximè probabiles coniecturæ, quæ certitudo vi sua omnem formidinem non potest excludere. Vtraq. enim quæstione interrogans, qua ratione quis certus esse possit, quòd a peccatis sit purgatus, respondet certum fore, *si in ipsius affectionem animi animaduerterit, similem illius, qui dixit, Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*: de quo perfectæ abominationis & odij actu suo nemo certus omninò esse potest, vt ex antè dictis certum est.

III. C

Ex posteriorum numero sunt Dionysius libri diuinorum nominum cap. 7. homini fideli tribuens quidem omnimodam certitudinem: at non qua certus sit esse se iustum & in gratia, sed quòd ea cui adhæret fidei doctrina verissima sit, licet à multis tanquam falsa improbetur. Hilarius in caput 5. Matthæi, canone quinto, loquens de certitudine spei consequendi promissum nobis à Deo regnum cælorum, vt clarum est ex his eius verbis: *Regnum cælorum Dominus noster vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari, alioqui institificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua.* Quæ quidem spei certitudo, qua parte promissione Dei, quam per fidem credimus, nititur, omnimoda est, licet ex omni parte non sit, quia diuina illa promissio conditiones aliquas à nobis ponendas exigit, & inuoluit, statum scilicet iustitiæ, & finalem in ea perseuerantiam, quibus de rebus certi non sumus certitudine omnem formidinem excludente. Gregorius Nazianzenus oratione 15. satis procul à fine, dicens quidem sibi certum & exploratum esse, Deum remissurum peccata verè pœnitentibus: at non asserens quemquam certum omnino esse posse de obtenta peccatorum remissione, aut de sua sufficiente ad hanc remissionem pœnitentia. Augustinus denique lib. 8. de Trinit. cap. 8. concedens quidem nos in nobis certo prorsus experimento deprehendere aliquem affectum erga Deum, & proximum: at non simul affirmans, vt totum hoc caput legenti perspicuum erit, nos certos esse hunc affectum nostrum à nobis ex illo formali motiuo concipi, quod requiritur, vt sit affectus veræ erga Deum & proximum charitatis: quod tamen nisi certo nobis constet, certi ob illum affectum quem in nobis certissimè experimur, de nostra iustitia & gratia non erimus. De cuius gratiæ formali effectu, qui est iustificatio, nobis nunc ad quæstionem S. Thomæ 113. agendum est.

IV. D

V.

VI.

VII.

VIII.

DISPVTATIO IX.

Vtrùm gratia iustificans per se suáque natura formaliter deleat peccata mortalia, absque vllo alio extrinseco Dei fauore ei superaddito.

SECTIO PRIMA.

Sententia affirmans Tridentini Concilij authoritate probatur.

PROPOSITÆ quæstionis partem negantem amplexi sunt Bonau. in 1. dist. 17. 2. parte distinct. quæst. 3. Durandus quæst. 10. numero 4. Gregor. quæst. 1. artic. 2. Gabriel quæst. 4. art. 3. dub. 3. conclusione 3. Richardus in 3. distinct. 31. artic. 1. quæst. 1. Scotus in 4. dist. 16. quæst. 2. §. *Respondeo.* Ochamus

quæst. 3. Ioannes Medina codice de pœnitentia quæst. 12. quibus subscribit Suarez passim, præsertim autem in materia de pœnitentia disputat. 9. & Tractatu de gratia lib. 7. cap. 19. & 20. Affirmantem tuentur sanctus Thomas 2. 2. quæst. 24. artic. 10. Caietanus ibidem, Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 18. & quotquot cum iis asserunt expelli mortale peccatum per gratiam, & hanc per illud, non tantùm meritoriè, sed etiam physicè. Præterea Aureolus in primo distinct. 17. quæst. 1. artic. 1. Capreolus ibid. quæst. item 1. artic. 3. ad argumenta Gregorij contra primam & secundam Conclusionem. Ruardus Tapperus artic. 8. §. *Occurrit hic*, quibus suffragatur Gabriel Vasquez citatæ disputat. cap. 2. & sequentibus.

Quæ posterior sententia non modò mihi semper illa priore multò probabilior visa est, sed etiam meo iudicio defendi deberet ab iis omnibus, si constanter loqui vellent, qui permoti authoritate Scripturarum, Conciliorum, & Patrum, affirmant Sacramenta nostra esse gratiæ causas instrumentales physicas.

II.

Quibus enim locis id Scripturæ, Concilia, Patres asserere videntur, multò expressiùs de remissione peccati, quàm de gratiæ infusione loquuntur: vnde pariter significant prædicta sacramenta remissionis huius esse causas physicas, quod verum esse non potest, nisi gratia quam physicè producunt, peccatum physice per se, suáque natura formaliter deleat.

Nam si sic ipsum illa non delet, sed solus adiunctus illi Dei fauor extrinsecus, sacramenta nec immediatè nec mediatè remissionis peccati causæ physicæ dici poterunt: non quidem immediatè, quia non nisi mediante gratiæ productione quam physicè producunt, illud delere physicè possunt: nec mediatè, quia gratia quam physice producent, illud formaliter delendi vim physicam non habebit, sed ex

III.

sola ordinatione Dei, quæ non sufficit, vt qui vnum physicè ponit, alterum ei sola extrinseca Dei voluntate connexum tollere physicè dicatur, quantumuis rei physicè positæ natura talis esse affirmetur, vt istud sibi per extrinsecam Dei voluntatem connecti connaturaliter postulet: alioquin quotiescunque aliqua duo sic inter sese per extrinsecam Dei voluntatem coniuncta erunt, qui vnius causa physica erit, erit & alterius, quod tamen certissimè falsum est, vt patet ex nobis ipsis, qui procul dubio sumus causæ physicæ bonorum actuum, & quibus proximè disponimur ad habitualem gratiam, & quibus de condigno eius augmentum meremur, cuius gratiæ infusio bonis illis actibus ex sola Dei extrinseca ordinatione coniuncta est, nec minùs connaturaliter, habita ratione naturæ bonorum illorum actuum, quàm peccati remissio eidem gratiæ, habita ratione naturæ gratiæ ipsius, nec tamen huius ipsius gratiæ causæ physicæ dici verè possumus, vt nec ab vllo dicimur.

IV.

Iam probo posteriorem hanc sententiam authoritate Tridentini Concilij multis argumentis, quæ ducuntur omnia ex sess. 6. cap. 7. Primum istud est: Postquam capitis huius initio peccatoris iustificatio descripta à Concilio est verbis istis: *Quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, proximè subiungitur: *Huius iustificationis causæ sunt, finalis quidem, gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus: meritoria, Dominus noster Iesus Christus: instrumentalis item, sacramentum baptismi: Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit.* Quibus ex verbis euidens est assignari à Concilio causam formalem eiusdem iustificationis, cuius causæ finalis, efficiens, meritoria, instrumentalis assignatæ sunt: illam autem iustificationem, cuius hæ causæ assignantur, esse eam, quæ & peccatorum remissio est, & sanctificatio ac renouatio interioris hominis per gratiæ donorúmque susceptionem: at iustificationis istius, ac proinde remissionis peccatorum, vnica formalis causa dicitur esse iustitia Dei, non qua

B

ipse iustus est, sed qua nos iustos facit: per hanc autem iustitiam intelligitur sola gratia quam susCipimus, non verò vllus præterea alius Dei fauor extrinsecè illi coniunctus: nihil enim aliud intelligitur, quàm quidpiam nobis intrinsecè & physicè inexistens, cuiusmodi est illa gratia, & non iste fauor ei coniunctus, cùm nihil aliud sit quàm liber diuinæ voluntatis actus, quo ad præsentiam gratiæ illius vult nobis peccata remittere, & remittit.

VI.

Quòd autem nihil aliud intelligatur, constat primùm ex his verbis, illa quæ retulimus immediatè consequentibus: *Qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed vere iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam secundum mensuram,*

C

quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. Vbi quot verba, tot illius rei quam asserimus argumenta: nam & iustitia qua à Deo donamur, non alia quàm nobis intrinseca est: & qua renouamur spiritu mentis nostræ, ac proinde interius, nihil aliud quàm intrinsecum nobis esse potest, vt nec illa quam in nobis recipimus, & à qua in nobis recepta non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus.

VII.

Quod adhuc certiùs & clariùs indicant verba proximè sequentia: Nam Dei fauor extrinsecus gratiæ adiunctus quo in peccatoris iustificatione peccata mortalia deleri formaliter ab aduersarius dicuntur, non

D

adiungitur gratiæ magis aut minùs, prout cuiusque maior aut minor est dispositio & cooperatio, ac mensura quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, sed ipsa sola gratia & iustitia physicè ac intrinsecè nobis inhærens, quæ sicut est naturâ suâ remissionis & intensionis capax, ita plus aut minùs à Deo donari, & à nobis participari potest, & reipsa donatur, ac participatur, prout nostra ad eam dispositio

VIII.

ac cooperatio maior reipſa, aut minor eſt, cùm mortalium peccatorum omnium remiſſio omnibus qui iuſtificantur æqualiter conferatur, æqualiterque proinde extrinſecus ille Dei fauor gratiæ quæ in iuſtificatione infunditur adiungatur, ſiue parua infundatur, ſiue magna, hominiſque qui iuſtificatur ſiue maior, ſiue minor diſpoſitio ac cooperatio ſit. Vnde eſt illud Cyrilli Hieroſolymitani loquentis de effectu baptiſmi, Catecheſi 1. & Damaſceni lib. 4. de fide cap. 20. *Munda vas tuum, vt gratiam capiat abundantiorem: remiſſio enim peccatorum ex æquo omnibus datur: communicatio autem Spiritus ſancti ſecundùm fidei cuiuſque proportionem donatur.*

I. A

Conſtat deinde ex cauſa propter quam Concilium definiuit prædictæ iuſtificationis vnicam cauſam formalem eſſe iuſtitiam Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit: quæ cauſa fuit, vt excluderet ſententiam eorum ſuperioris ſæculi hæreticorum, de quorum numero fuerunt Bucerus, vt refert Bellarminus lib. 2. de iuſtificatione cap. 1. & Kemnitius, cuius verba profert Tiletanus in Apologia pro Concilio Tridentino, capite *de Iuſtitia qua iuſtificamur*, qui dicebant noſtræ iuſtificationis duplicem eſſe formalem cauſam: vnam intrinſecam nobis, nempe receptam in nobis, fidem, ſpem, & charitatem: alteram extrinſecam, qua prior illa tanquam inchoata ſolum & imperfecta compleretur, perficeretúrque, ipſam ſcilicet Chriſti, Deíve iuſtitiam nobis ab eo imputatam: vnicam enim eſſe Concilium voluit nobis intrinſecam & perfectam, mímirum illam iuſtitiam quam in nobis, vt loquitur, recipimus: at ſi gratia non delet formaliter vi ſua phyſicâ peccata mortalia, erit ſimiliter noſtræ iuſtificationis hanc remiſſionem vt ſui partem includentis duplex cauſa formalis, vna intrinſeca, nempe ipſa gratia, altera Dei fauor extrinſecus, quo formaliter illa peccata delebuntur, & quo proinde illa ipſa gratia tanquam inchoata & imperfecta iuſtitia in ratione iuſtitiæ complebitur & perficietur, cùm perfecta iuſtificatio non niſi perfectæ iuſtitiæ formalis effectus eſſe poſſit, perfecta autem iuſtificatio ex Concilij expreſſa doctrina, & peccatorum remiſſionem, & interiorem renouationem hominis ac ſanctificationemc omprehendat.

II. B

III. C

Reſpondebis, etſi ſolo extrinſeco Dei fauore peccata remittantur, non ipſa formaliter entitate gratiæ, non fore tamen duas iuſtificationis cauſas formales, quia ille Dei fauor extrinſecus, remiſſionis peccatorum non erit cauſa formalis, ſed efficiens. At refellitur hæc reſponſio, primùm ex eo quòd erit ille fauor remiſſionis huius cauſa formalis, tum quia nulla alia forma ponetur, quæ ſit cum præexiſtente peccati macula formaliter incompoſſibilis, & ad eius poſitionem proximè & immediatè illa delenda; tum quia idem erit, peccatum eſſe remiſſum, ac eſſe condonatum, nam idem erit eius remiſſio quod condonatio: tam autem dicetur per extrinſecam denominationem condonatum à condonatione ſoli condonanti intrinſeca tanquam à forma ſeu cauſa formali, quàm paries viſus dicitur per extrinſecam denominationem a viſione ſoli videnti intrinſeca tanquam à forma ſeu cauſa formali, prædictus autem Dei fauor extrinſecus eſt ipſiſſima Dei peccatum condonantis condonatio: erit ergo ille ipſe fauor, forma à qua per extrinſecam denominationem peccatum condonatum ſeu remiſſum dicetur, erítque proinde condonationis huius ſeu remiſſionis cauſa formalis.

IV. D

V.

Secundò, quia ſiue fauor ille remiſſionis iſtius dici vere aliquo ſenſu poſſit efficiens cauſa, ſiue non, vel eſt eiuſdem cauſa formalis, vel non eſt. Si primum, ruit funditus allata reſponſio. Si ſecundum, ergo ſola gratia quæ phyſicè à Deo infunditur, erit eiuſdem cauſa formalis: erit enim iuxta reſponſionem hanc ſola cauſa formalis noſtræ iuſtificationis, atque adeo remiſſionis peccatorum quæ in iuſtificatione includitur: at gratia remiſſionis iſtius cauſa formalis eſſe non poteſt, niſi phyſicam ex rei natura cum peccato quod formaliter remittit, repugnantiam habeat. Nulla enim res cauſa formalis eſſe poteſt deſitionis alterius rei, niſi ſibi phyſicè & ex natura rei repugnantis, ſic vt illa cum hac ſimul conſiſtere naturaliter ſaltem nequeat, vt certiſſimum eſt inductione per omnes formas, ſiue poſitiuas, ſiue negatiuas, ſiue naturales, ſiue ſupernaturales, quæ in genere cauſæ formalis quarundam aliarum deſitionem inferre dicuntur, & quarum proinde deſitio illarum formalis effectus eſt.

VI.

Vnde manet refutata altera quorundam reſponſio, dicentium remiſſionem peccatorum, quam iuſtificatio tanquam ſui partem includit, tribui gratiæ tanquam cauſæ formali, non quòd hæc cum illis vllam per ſe ſuáque natura repugnantiam habeat, ſed quia poſtulat connaturaliter adiungi ſibi fauorem illum Dei extrinſecum, quo formaliter illa delentur: hoc enim dicere, eſt dicere remiſſionem peccatorum eſſe formalem effectum ſolius iſtius fauoris extrinſeci, tanquam cauſæ formalis, non item gratiæ, cùm peccatum cum hoc ſolo fauore, non autem cum gratia phyſicam & formalem repugnantiam habeat, cùm præſertim fauor iſte, quantumcumque connaturaliter à gratia poſtulari dicatur, ſit nihilominus ab ea per liberam Dei voluntatem ex natura rei ſeparabilis, ſicut & per eandem ei reipſa coniungitur.

VII.

Quo fit, vt gratia non magis dici poſſit cauſa formalis expulſionis peccati, quàm calor in aquam introductus cauſa formalis expulſionis denſitatis, quæ aquæ connaturalis eſt, licet illum ex rei natura comitetur raritas, cuius hæc expulſio formalis effectus eſt.

VIII.

Adde quòd eadem ratione qua peccati expulſio gratiæ tanquam cauſæ formali tribueretur, omnis huius gratiæ formalis effectus & primarius & ſecundarius tribui

deberet noſtris bonis actibus tanquam cauſis formalibus, qui vel proximè ad eam diſponunt, vel eius augmentum condignè merentur: non enim minùs connaturaliter hanc illi ſibi adiungi poſtulant, quàm hæc extrinſecum illum Dei fauorem ſibi coniungi connaturaliter poſtulet.

I.

SECTIO II.

Eadem ſententia duobus aliis ex eiuſdem Concilij authoritate depromptis argumentis probatur.

SECVNDVM argumentum ſumitur ex his Concilij verbis ea quæ ſupra retulimus immediatè conſequentibus: *Quamquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus* (iuſtitia ſcilicet illa, de qua proximè antè locutum eſt, & quam vnicam formalem iuſtificationis cauſam eſſe dixit) *niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur, id tamen* (nempe quòd Chriſti merita communicentur, ſeu applicentur) *in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret.* Quibus verbis ſicut clarè dicitur neminem iuſtificari, ac proinde peccatorum remiſſionem, quam peccatoris iuſtificatio eſſentialiter includit, conſequi, niſi cui merita paſſionis Chriſti applicantur: ita non obſcurè ſignificatur, eo ipſo hanc illorum applicationem fieri, quo propter illa merita gratiæ dona infunduntur, quæ intrinſecè in nobis & phyſicè recipimus, nec aliam fieri nobis in noſtra iuſtificatione meritorum illorum, quàm in iſta donorum gratiæ phyſica infuſione, applicationem. A II.

III. Quod & antè docuerat eiuſdem ſeſſionis 6. cap. 3. primùm inquiens, non omnes mortis Chriſti beneficium recipere, ſed eos ſolos quibus meritum paſſionis eius communicatur ſeu applicatur: tum, vt declaret modum quo hæc illius communicatio ſeu applicatio fiat, hæc verba proximè ſubiungens. *Nam ſicut reuera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti, cum ea propagatione per ipſum, dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant: ita niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam iuſtificarentur, cùm eâ renaſcentia per meritum paſſionis eius, gratia qua iuſti fiunt illis tribuatur.* Vbi rurſus Concilium Chriſti meritorum applicationem ad ſpiritalem hominis in Chriſto renaſcentiam, ac proinde ad iuſtificationem, in ſola donorum gratiæ infuſione, agnoſcit. C

IV. Ex quibus rectè concluditur, dona hæc, aut ſaltem aliquod ex iis, pugnare ex rei natura cum peccatis mortalibus, à quibus homo iuſtificatur, eáque vi ſua delere formaliter. Nam ſi nullum ex iiſdem ea ſic delere poſſet, ſed ad hoc eſſet præterea neceſſarius extrinſecus Dei fauor, eſſet quoque præter illam meritorum Chriſti applicationem, qua illa gratiæ dona nobis infunderentur, neceſſaria altera eorum applicatio, qua fauor ille nobis fieret, cùm Chriſti merita nobis applicari nihil aliud ſit, quàm propter illa nobis à Deo aliquod gratiæ beneficium conferri, non minùs autem certum ex fide ſit, nobis ob Chriſti merita tribui remiſſionem peccatorum, & proinde fauorem illum à Deo fieri, ſi per hunc illa remittuntur, quàm ob eadem Chriſti merita nobis prædicta gratiæ dona, dum iuſtificamur, infundi. Quòd ſi gratia quæ infunditur, pugnat phyſicè cum peccatis mortalibus, eáque delet vi ſua formaliter, non erit opus alia meritorum Chriſti applicatione ad delenda peccata, quàm ad infuſionem gratiæ. Eo enim ipſo præcisè quo hæc nobis ob Chriſti merita infundetur, illa delebuntur, ob phyſicam, quam hæc cum illis habebit, repugnantiam. D V.

Tertium argumentum petitur ex Concilij verbis, iuſtificationis definitionem proximè conſequentibus: quæ definitio ſicà Concilio tradita eſt, vt dicatur iuſtificatio *eſſe non ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.* Poſt quæ verba Concilium ſic immediatè ſubiungit: *Vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus.* Quibus ex poſtremis verbis ſic argumentari efficaciter poſſumus. Forma qua formaliter homo iniuſtus & inimicus Dei conſtituitur, eſt peccati mortalis malitia formalis & macula: forma autem qua fit formaliter iuſtus & amicus, eſt illa iuſtitia, quam paulò pòſt idem Concilium ait eſſe vnicam iuſtificationis cauſam formalem, qua nos à Deo donari, & renouari ſpiritu mentis noſtræ, quam in nobis recipi dicit, ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem, cooperationem, ac menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, quæque proinde nihil niſi nobis intrinſecum & phyſicè inexiſtens ſonat, vt primo argumento vidimus, excluditque per conſequens, prædictum ſæpiùs Dei fauorem extrinſecum. Ergo inter hanc iuſtitiam & illam iniuſtitiam eſt phyſica & formalis repugnantia, in eáque mutatione qua homo de iniuſto & inimico fit iuſtus & amicus, hæc iuſtitia iniuſtitiam illam phyſicè & formaliter expellit: niſi enim ſic expellat, non verè dicetur homo fieri de iniuſto & inimico iuſtus & amicus, ſicut neque quis verè diceretur fieri de frigido calidus, niſi calor aduenies frigus in ſubiecto præexiſtens phyſicè & formaliter expelleret. VI.

Et ratio eſt, quòd vniuerſim nunquam verè dicatur fieri tranſitus ab vno ſtatu ad ſtatum alterum, niſi inter vtrumque ſtatum formalis & phyſica repugnantia ſit, & forma quæ poſteriorem ſtatum, qui aduenit, formaliter conſtituit, deſtruat phyſicè & formaliter formam quę priorem ſtatum, qui deſinit, conſtituebat. Quare cùm tam verè dicat Cõcilium peccatorem de iniuſto & inimico fieri iuſtum & amicum, quàm verè diceret homine fieri de frigido calidum, parietem de nigro candidum, aërem de tenebroſo lucidum: ſicut ad iſtarum trium propoſitionum veritatem neceſſaria eſt formalis & phyſica inter frigus & VII. VIII.

calorem, nigredinem & candorem, tenebras & lucem repugnantia, ob quam vna forma istarum alteram sibi oppositam formaliter & physicè destruat: ita ad illius præcedentis propositionis veritatem necessaria est formalis & physica inter prædictam iniustitiam & iustitiam repugnantia, ob quam hæc illam destruat physicè & formaliter. I.

Nec dicas ad veritatem hanc sufficere, vt hæc iustitia illam iniustitiam destruat intermedio extrinseco Dei fauore quem connaturaliter tanquam sibi debitum adiungi sibi postulat: Verè enim non sufficit. Nam vt certissima per omnia inductione notum est, ad veritatem quarumlibet huiuscemodi propositionum, necessarium prorsus est, vt inter formam quæ aduenit, & inter præexistentem quam destruit, si verè eam destruit, nulla mediet actio, vel quasi actio, sed vt summum desitio actionis, quâ forma quæ destruitur in rerum natura antea conseruabatur, si per aliquam antea conseruabatur, vt semper accidit, dum hæc forma ens reale est. II. Vnde est, quod cùm aqua calefit, simúlque rarescit, non verè dicitur de densa fieri calida, sicut de densa rara, de frigida calida fieri verè dicitur, quia nimirum inter raritatem quæ producitur, & inter densitatem quæ per illam formaliter expellitur, similitérque inter calorem qui inducitur, & inter frigus quod per illum formaliter destruitur, nulla mediat actio, sed tantum desitio actionis, quâ frigus aut densitas antea conseruabatur. At è contrario inter densitatem & calorem, quo adueniente illa desinit, mediat actio, nempe rarefactio, seu productio raritatis, qua sola proximè physicè, & formaliter densitas expellitur, non autem inducto calore, licet hic calor illam actionem connaturaliter & physicè sibi coniunctam habere postulet, & III. reipsa habeat. Quare cùm inter prædictam iniustitiam iustitiamque nulla quidem mediet desitio actionis, qua iniustitia illa seu præteriti peccati malitia formalis & macula in rerum natura conseruaretur, nulla enim conseruabatur, sed mediare dicatur Dei fauor extrinsecus, qui est libera eius volitio & actio, quæ est peccati condonatio, & vi cuius solius proximè physicè & formaliter peccatum destruitur: hinc est, quòd non magis dici potest hæc iustitia illam iniustitiam formaliter destruere, quantumuis istam actionem sibi connaturaliter adiungi postulet, quàm densitatem aquæ calor in eam inductus, aut homo ex iniusto fieri iustus, quàm aqua de densa fieri calida dici possit.

Et quoniam, quantumuis præteriti peccati macula actione aliqua vel physica vel morali conseruari supponeretur, hæc tamen actio non desineret proximè & physicè vi IV. præcisè gratiæ in anima productæ, sed vi solius illius liberæ Dei volitionis & actionis, quæ peccati condonatio est, hinc est, quod gratia, quantumuis hanc actionem sibi connaturaliter adiungi postularet, dicit non posset forma peccato formaliter repugnans, & huius expulsio esse illius formalis effectus, quia quæ forma alteri formaliter repugnat, eam proximè se ipsa formaliter à subiecto expellit, nulla alia intermedia actione, quàm sui in illud subiectum inductione, inférrque proinde necessariò seipsa proximè & formaliter desitionem actionis illius, qua illa forma quæ expellitur antea in subiecto illo conseruabatur: nam si non desineret illa actio, per eam adhuc forma in subiecto sicut antea conseruaretur, nec proinde ab eo expelleretur. A V.

SECTIO III.

Eadem sententia duplici ratione probatur.

VENIO nunc ad rationes, quibus eadem sententia probari efficaciter potest. Prima hæc est: vel possibile est aliquod gratiæ creatæ donum, quod absque superaddito extrinseco Dei fauore, omníque alia actione, quàm sui in animam inductione, peccati mortalis maculam vi sua formaliter ab ea deleat, vel non est. Si primum, nulla potest esse dubitandi ratio, quin talis sit ea gratia quæ iustificans seu sanctificans appellatur, & in iustificatione infunditur. Secundùm autem dici non potest. Primò, quia consequens alioquin erit, ne ipsam quidem futuræ vitæ beatitudinem, spectatam non modò essentialiter, sed etiam integraliter secundùm omnia physica entia, quæ ad sui integritatem perfectionémque requirit, excludere posse formaliter summam peccati mortalis miseriam, hàncque tam facilè cum illa posse simul consistere, quàm potest pro libertate sua Deus illi fauorem illum suum extrinsecum non adiungere: quod tamen attentè considerata & probè intellecta summæ illius beatitudinis natura non videtur credibile. B VI. C VII.

Secundò, quia cùm increata diuinitatis sanctitas vi sua formaliter non tantùm à Deo, sed etiam ab humanitate Christi, quam proximè per se formalitérque sanctificat, omnem peccati, & originis, & actionis, & mortalis, ac venialis, & actualis, & habitualis maculam excludat, nec vllam secum pati possit, per absolutam etiam Dei potentiam, eo ipso quo increata sanctitas est, id est, talis ac tanta, vt nec magis infinita, nec altioris ordinis vlla alia esse possit, vt & communiter Theologi tertia parte docent, & nos de Incarnatione tractantes disputat. 34. & 35. fusè probabimus, non potest non esse possibilis aliqua creata res, quæ sit ex essentia sua participatio aliqua increatæ illius sanctitatis, quæque proinde sit natura sua sanctitas seipsa formaliter, sine alio superaddito pugnans cum peccati saltem mortalis macula, eámque expellens ab eo cui infunditur. Nam illud increatæ sanctitatis attributum tam ab aliqua creatura participabile est, quàm diuina omnipotentia, sapientia, immensitas, æternitas, & quodlibet aliud simile diuinitatis attributum. Sicut ergo hæc participari possunt per rem aliquam creatam, quæ formaliter D VIII.

est aliqua potentia, sapientia, præsentia in spatio, intrinseca duratio, similisque perfectio, ita & increata illa sanctitas, nullam in eo quē sanctificat peccati maculam secum admittens, participari poterit per rem aliquam creatam, quæ erit aliqua creata sanctitas, aliquam saltem ab eo subiecto quod afficit peccati maculam vi sua formaliter excludens: quòd si aliquam, certè peccati saltem mortalis, vtpote quod sicut quolibet veniali grauius est, ita maiorem habet cum sanctitate formalem repugnantiā, si quam habere cum illa peccatum aliquod potest: quòd si vnius, profectò etiam omnium, cùm eadem ex causa qua sanctitas illa vnius peccati mortalis maculæ formaliter repugnabit, non possit non repugnare pariter omnibus maculis mortalium omnium.

I. A

Dices eadem ratione posse pariter concludi, possibilem esse sanctitatem aliquam creatam, quæ sit talis illius increatæ sanctitatis participatio, vt vi sua omnem etiam cuiusuis peccati maculā formaliter excludat, & deleat. Respondeo negando id posse, vt exemplo diuinæ omnipotentiæ clarum est. Qua enim ratione probatur hanc participari posse per rem aliquam creatam, quæ aliqua potentia est, probari non potest, possibilem esse aliquam potentiam creatam, quæ sit talis illius omnipotentiæ participatio, vt per hanc fieri possit illud omne quod per illam fieri potest. Addo nihilominus, quòd cùm, vna quidem ex parte, nullum sit possibile peccatum quod non sit remissibile, quia peccatum natura suâ materia remissionis est, ex altera verò, simus postea probaturi nullum remitti posse per solam extrinsecam Dei voluntatem, & proinde possit quodlibet per aliquod creatæ gratiæ donum physicum, creaturæ, cui peccati remissio fit, physicè inexistens: fatendum consequenter est, increatam illam sanctitatem sic ab aliqua creata participari posse, vt per hanc formaliter eluatur & excludatur cuiusuis peccati macula, non sic tamen, vt eadem numero sanctitas creata, quæ vnam aut alteram excludit & eluit, possit eluere & excludere quamcunque possibilem, sed sic, vt nulla sit huiusce modi macula possibilis, quæ per aliquam creatam sanctitatem excludi non possit & elui.

II.

III.

Secunda ratio nititur doctrina quam in Tractatu de peccatis, disp. 13. sect. de peccati originalis essentia tradidimus, & probauimus, ex eáque sic conficitur. Peccatum hoc essentialiter est mors animæ, vt ibi probatum est: ergo cùm mortis essentia posita sit in priuatione vitæ, forma qua formaliter priuabit illa mors, erit animæ vita: cuius consequentiæ bonitas est euidens: atqui non priuat alia quàm originali iustitia, nobis ab Adamo in ortu nostro debita, vt ex ibidem dictis notum est. Ergo hæc iustitia vita animæ est. Quæ rursus consequentia clara est: atqui vita animæ esse non potest, nisi formalem ex se suáque natura cum quolibet mortali peccato repugnantiam habeat. Etsi enim quodlibet mortale peccatum non sit ipsa formaliter animæ mors, quodlibet tamen hanc mortem sibi coniunctam necessariò habet, vnde & mortale dicitur, id est, animæ mortem afferens, & quidem tanta necessitate per se afferens, quanta eum qui mortaliter peccat, reum mortis alterius, in damnatione scilicet æterna consistentis, formaliter constituit. Iam verò cùm iustitia illa originalis non sit secundùm se totam & quamlibet sui partem animæ vita, quia multa gratiæ dona ad eam partium instar pertinentia stare posse naturaliter cum peccato mortali, & animæ morte, vt fidem, & spem, imò re ipsa frequenter simul consistere, diuina fide certum est: consequens est, vt secundum aliquam certam sui partem animæ vita sit, quæ pars alia esse non potest quàm gratia iustificans, quæ proinde est vera animæ vita, omneque per consequens mortale peccatum ab ea per se formaliter excludit.

IV.

V.

Dices, hanc quidem gratiam esse animæ vitam, at non ratione sui præcisè, sed adiuncti sibi prædicti fauoris extrinseci: at huius dicti falsitas euidens ex eo est, quòd ille fauor extrinsecus est libera Dei volitio, & actio, quæ peccati condonatio est, gratiæ autem quam in origine nostra habere debuimus, quamque re ipsa, si primus noster parens diuino mandato paruisset, habuissemus, & cuius priuatio nunc in nobis originale peccatum est, & proinde ipsa mors animæ, coniunctus non fuisset ille fauor, nec coniungi potuisset, cùm tunc nullum foret, aut esse posset peccatum, quod per hunc fauorem illi gratiæ adiunctum remitti deberet.

VI. B

Dices iterum, illam eandem gratiam ratione cuiusdam alterius diuini fauoris extrinseci sibi coniuncti, animæ vitam esse, húncque fauorem esse, illam Dei acceptationem, qua hominem illa gratia donatum acceptat ad vitam æternam. Refellitur hæc responsio, primùm quia secluſa ergo diuina illa acceptatione, nullum esse posset in nobis originale peccatum, quia sicut eâ seclusâ nulla esse posset in nobis animæ vita, ita nec vlla animæ mors: qua sola in morte peccatum originis essentialiter positum est, vt citato loco probauimus: quod tamen consequens à communi omnium iudicio certissimè alienum est.

VII. C

Secundò, quia diuina illa ad vitam æternam acceptatio, vel est efficax huius dandæ volitio, vel inefficax & simplicis complacentiæ. Si primum, sequetur duplex absurdum, vnum est, reprobos gratia iustificante præditos, omnique peccato mortali carentes, non viuere vita spirituali gratiæ, quoniam ei quam habent gratiæ coniuncta non est illa diuina ad vitam æternam acceptatio, cùm non habeat Deus efficacem eius illis dandæ volitionem. Alterum, eosdem reprobos ob eandem causam nunquam ab originali peccato liberari per gratiam quam in baptismo recipiunt: non enim ab eo quod essentialiter est mors animæ liberantur nisi per animæ vitam, gratia autem quam recipiunt vita animæ non erit, quia diuinam illam acceptationem sibi coniunctam non habebit. Si secundum, tam erit fides & spes, & quoduis aliud simile Dei donum vita animæ, quàm gratia iustificans, cùm sicut hæc, sic illud habeat adiunctam sibi diuinam illam acceptationem: quia sicut hominibus hac gratia præditis, sic aliis ea carentibus, & fidem, aut spem, aut simile donum habentibus, vult Deus inefficaci simplicique complacentia vitam æternam, cùm eam omnibus hominibus sic velit, & quidem

VIII. D

necessario, vt in Tractatu de Deo, disput. 31. probauimus.

Tertiò, quia quod per se & intrinsece vita non est, per nihil extrinsecum fieri vita formaliter potest: ex propria enim vitæ ratione est vt sit quid maximè intrinsecum ei quod verè
I. formalitérque vita est, vt & inductione certum est per ea omnia quæ certò constat esse vitam: vnde cùm forma lapidis, ignis, aquæ, vita non sit, per nihil extrinsecum fieri formaliter vita potest. Quare quemadmodum si æterna gloria non est per se suaque natura vera aliqua spiritalis & supernaturalis animæ vita, per nihil extrinsecum talis vita fieri potest: ita nec poterit gratia iustificans similis vita fieri per aliquid sibi penitùs extrinsecum, si talis vita per se non est: vnde cum certissimum aliunde sit eam animæ vitam esse, sequitur vt per se suíque præcisè ratione eius vita sit.

SECTIO IV.

II. *Triplici præterea ratione probatur.*

TERTIA ratio. Forma quæ ex se suáque natura necessariò facit eum in quo est dignum æterna vita, stare ex se non potest cum peccati mortalis macula: atqui gratia iustificans ex se suaque natura, secluso omni extrinseco Dei fauore, id necessariò facit: ergo cum macula peccati mortalis ex se stare non potest. Maioris veritas hinc constat, quòd cum mortalis peccati maculam necessario sequatur æternæ mortis dignitas, si posset hæc macula stare cum illa forma, stare simul consequenter possent dignitas æternæ mortis & æternæ vitæ dignitas, quas dignitates simul stare non posse tam clarum est, quàm non posse quemquam simul esse dignum priuatiuè vel contradictoriè
III. oppositis, qualia sunt æterna vita, & mors.

Constat præterea ex eo quòd aut non posset Deus vnicuique retribuere secùndum propriam dignitatem, aut possent duo priuatiuè vel contradictoriè opposita simul esse: nam vel non posset ei qui simul esset dignus æterna vita, & æterna morte, retribuere simul id quo dignus esset, aut si posset, possent simul esse æterna vita, & mors, quæ vel priuatiuè vel contradictoriè opponuntur.

Constat ex eo denique, quòd inde multiplex contradictio sequeretur: vna, illum hominem esse dignum æterna vita, & simul non dignum: altera, puniri simul, & non puniri. Nam qui æterna morte dignus est, non potest non esse eo ipso indignus æterna vita, qui autem indignus ea est, non dignus eadem est. Si ergo simul
IV. æterna vita dignus est, erit ea dignus simul, & non dignus, quæ prima contradictio est. Item qui patitur malum quo dignus est, punitur: Deus ergo hominem dignum æterna morte, seu priuatione æternæ vitæ, priuans hac vita, eum priuatione ista puniet: non puniet autem, quia qui patitur malum quod non pati dignus est non punitur, esset autem homo ille de quo loquimur dignus qui malum priuationis æternæ vitæ non pateretur, quandoquidem dignus esset hanc habere vitam: puniretur ergo simul, & non puniretur, quæ secunda contradictio est.

Minor probatur. Qui enim, siue infans, siue adultus, à peccato siue originali siue actuali per sacramentũ iustificatus est, æterna vita dignus est, & ideo dignus, quia gratia iustificãte præditus: hæc autẽ dignitas ortũ aliunde habere non
A potest quàm ex ipsa pręcisè gratiæ illius entitate, nã si habere aliunde potest, sanè ex adiuncto aliquo extrinseco Dei fauore, at hinc nõ potest: hic enim fauor extrinsecus, quicumq. demum ille sit, alius non potest esse, quàm libera aliqua Dei voluntas gratiæ illi & eam habenti prorsus extrinseca: at quisquis per id quod in se iam habet dignus aliqua re, siue bona, siue mala, non est, per extrinsecam alterius voluntatem dignus ea re fieri non potest, sed necessarium penitus est, vi voluntatis huius extrinsecæ fieri in ipso quidpiam, ex quo oriatur hæc dignitas, vt & per se naturæ lumine clarissimum est, & per omnia inductione certissimum. Et ratio à priori est, quòd hæc aut ad bonum aliquod
B consequendum, aut ad malum aliquod patiendum dignitas, non aliud habere proximum fundamentum potest, quàm bonitatem aliquam aut malitiam, vt etiam & inductione, & naturæ lumine notum est, nullus autem sola extrinseca alterius voluntate bonus aut malus esse potest, vt per se meridiana luce clarius est.

V.

VI.

Adde quòd quænam esset illa extrinseca Dei voluntas adiuncta iustificanti gratiæ, ratione cuius hac gratia præditus dignus esset æterna vita? Vtrùm voluntas qua directè vellet illum ea dignum esse, itavt nisi hoc vellet, quantumuis illam gratiam haberet, dignus ea vita non esset? at hoc in primis esset de non digno fieri dignum per purè extrinsecam alterius voluntatem, quod impossibile esse modò dixi, & probaui, támque certissimè impossibile est, quàm aliquem de digno fieri non dignum per purè
C extrinsecam voluntatem alterius. Deinde pari ratione dici posset, eum qui in mortali peccato est, ratione præcisè malitiæ peccati huius non esse dignum æterna morte, sed ratione diuinæ voluntatis ad hanc malitiam additæ, qua vellet illum ea dignum esse, quod absurdissimum est.

VII.

Nec dicas disparem esse rationem peccati & gratiæ, quòd peccatum sit actus, gratia, habitus, dignitas autem actus ad vitam aut mortem æternam, vt & ad quoduis aliud præmium aut supplicium, ex actu bono vel malo præcisè nascatur, dignitas autem ad æternam vitam ex solo præcise habitu nasci non possit. Ne, inquam, id dicas: nam etsi discrimen in eo sit inter propriam actus & habitus dignitatem, quòd quæ actus propria est, meritum est, quæ autem est propria habitus, non est meritum:
D nullum tamen, quantum ad rem præsentem attinet, inter vtramque discrimen est: quia sicut si quæ actus alicuius propria est, ea oriri non potest ex purè extrinseca alterius ad hunc actum adiuncta voluntate, sed ex sola huius actus, aut illo modo facti entitate & natura: ita si quæ est propria alicuius habitus, ortum habere non potest ex alterius extrinseca voluntate, ad hunc habitum addita, sed ex sola entitate atque natura huius ipsius habitus, vt paulò antè probatum est.

VIII.

Deinde peccatum originale non est actus, & tamen ipsum præcisè secundùm se consideratum sequitur necessariò æternæ mortis dignitas. Ruit ergo allata distinctio inter propriam peccati & gratiæ dignitatem, quòd illa sequatur ex actu, hæc ex habitu, quia peccatum actus
I. est, gratia habitus: cùm peccatum aliquod non A
sit actus, ex eoque nihilominus præcisè secundùm se spectato dignitas ad æternam mortem consequatur.

Vnde nouum & efficax nobis suppetit argumentum, ad probandam nostræ minoris propositionis veritatem. Nam si peccatum originale quod essentialiter est mors animæ, vt supra citata de peccatis disputatione & sectione probauimus, ex se præcisè secum adfert necessariò dignitatem ad mortem æternam, gratia iustificans, quæ ex se est animæ vita illi morti opposita, vt ex secunda nostra ratione constat, afferet ex se præcisè necessariò dignitatem ad æternam vitam æternæ morti oppositam, cùm hæc animæ vita, eo ipso quo hæc vita est, tam
II. potens sit ad æternæ vitę dignitatem procreandam, B
quàm illa animæ mors, eo ipso quo illa mors est, ad procreandam mortis æternæ dignitatem: cùm præsertim iam aliunde nobis tam certum sit ex illa gratia sequi dignitatem æternæ vitæ, quàm certum est, eum qui illa præditus est hac vita dignum esse.

Sed pergamus inuestigare extrinsecas illas Dei voluntates, quæ adiunctæ iustificanti gratiæ dici possent efficere vt hanc consequeretur æternæ vitæ dignitas. Præter illam quæ relata iam & refutata est, duæ solùm proferri posse videntur. Vna est, qua velit Deus homini, quem donat gratia, condonare mortale peccatum: quod si condonare nollet, impediret ne ex illa gratia donata & remanente in homine oriretur dignitas æternæ vitæ, quia malitiam peccati
III. mortalis non potest non sequi dignitas mortis C
æternæ, cum qua dignitate prior illa dignitas incompossibilis est. Altera est, voluntas homini gratiam illam habenti dandi vitam æternam. At neutra voluntas illud efficere potest: non quidem hæc posterior, nam voluntatem hanc habere Deus potest erga eum etiam qui gratia caret, imò qui est in mortali peccato, quique proinde æterna vita indignus est: nec mirum, cùm voluntas conferendi bonum aliquod alicui, nec præsupponat eum dignum hoc bono, nec faciat, vtpote quod etiam indignissimo conferri potest.

Neque etiam illa prior. Primò, quia qua facilitate dicitur dignitatem æternæ vitæ non oriri ex gratia, nisi adiuncta per extrinsecam Dei voluntatem condonatione peccati mortalis, quod si remaneret, sicut secum adferret
IV. necessariò dignitatem ad mortem æternam, ita D
dignitatem illam oppositam impediret: dici similiter posset, peccatum mortale non parere ex se præcisè mortis æternæ dignitatem, sed adiuncta solùm per Dei voluntatem desitione gratiæ, quæ si cum illo remaneret, sicut adferret secum necessariò dignitatem ad vitam æternam, ita impediret ne ex illo oppositа mortis æternæ dignitas oriretur. Nec dicas, quod nonnullos dicere audio, peccatum, vtpote malum, malignæ seu malignantis esse naturæ: nam sanctitas, vtpote verum & maximum bonum, benignæ seu benefacientis est naturæ, tamque proinde per se & vi sua apta & potens conferre dignitatem ad æternam vitam, & necessariò reipsa conferens, quàm mortale peccatum per se suaque vi potest parere dignitatem æternæ
V. mortis, & reipsa parit necessariò. A

Secundò, quia consequens esset, Angelos, & primos nostros parentes, dum in statu gratiæ creati sunt, dignos æterna vita vi gratiæ tunc acceptæ non fuisse, quia tunc illi adiuncta non fuit, nec adiungi potuit illa diuina voluntas, cùm hi nullum tunc peccatum, quod condonari posset, haberent. Consequens etiam esset, homines iustos qui ex sacramentis rite susceptis incrementum gratiæ recipiunt, non fieri vi gratiæ huius dignos augmento gloriæ, cùm huic gratiæ eadem illa voluntas, ob eandem causam, adiuncta non sit, nec possit adiungi. Quare sicut illud gratiæ incrementum per se suaque natura, secluso omni extrinseco Dei fauore, facit hominem dignum augmento gloriæ æternæ: ita gratia illa, dum primò infunditur, per se &
VI. natura sua, secluso omni huiuscemodi fauore, B
hominem hac gloria dignum faciet.

Quæ proponi possent ex rebus humanis petitæ similitudines ad vim huius nostræ rationis infirmandam, eam potiùs confirmabunt, dummodo diligenter obseruetur, aliud esse ius ad rem aliquam, aliud dignitatem: & illud quidem ius non modo ad rem, sed etiam in re, haberi posse per purè extrinsecam alterius voluntatem, vt cùm quis rei suæ dominium sola sua voluntate transfert in alterum, licet hæc dignitas non possit, vt probauimus. Præterea licet non possit stare dignitas rem aliquam habendi cum dignitate ea carendi, vt ostendimus, stare nihilominus facilè posse cum indignitate rem aliquam habendi, seu cum dignitate ea carendi, ius ad eandem habendam, quia ius hoc etiam
VII. indignissimis, & hoc ipso iure, & illa ipsa re, C
dari liberaliter ex rei natura potest.

Quarta ratio. Vel gratia quæ homini in iustificatione infunditur, & physicè inhæret, est se ipsa, secluso omni extrinseco Dei fauore, vera formalisque animæ coram Deo iustitia & sanctitas, vel non est. Si primum dicitur, pugnat se ipsa formaliter, illóque secluso, cum macula peccati mortalis, eámque destruit. Nam quæ potest esse vera coram Deo animæ iustitia & sanctitas, quæ non sit eo ipso vera simpliciter & absolutè eiusdem animæ puritas, mundities, innocentia, faciens eam formaliter & denominans absolutè simplicitérque coram Deo puram, mundam, innocentem? Vnde S. Dionys. lib. diuinorum Nominum cap. 12. sanctitatem definiens, *Est*, inquit, *ab omni labe* (mortali scilicet) *intemerata puritas*. Et S. Chrysostomus homil. 1. in Psal. 44. *Sanctus est*, ait, *qui est purus & mundus, & ab omni reprehensione alienus*. Denique D. Thomas, vt alios Patres omittam, 3. part. quæst. 27. art. 2. *Sanctitas*, inquit, *est perfecta munditia*. Vbi ad hoc confirmandum, relatum ex D. Dionysio locum allegat. Cum hac autem puritate, munditia, innocentia quomodo stare potest peccati mortalis macula, à qua quis absolutè & simpliciter est & denominatur coram Deo pollutus, immundus, &
VIII. D

nocens? Sanè eo ipso quo hæc macula cum illa iustitia & sanctitate stare posset, non esset vera iustitia & sanctitas, vtpote quæ hominem què afficeret, non efficeret formaliter purum simpliciter, & mundum, sed relinqueret tanquam pannum menstruatæ multis turpissimisque peccatorum sordibus & maculis fœdum simpliciter & contaminatum.

I. Secundum autem dici non potest, primò quia hæc est expressa Buceri Kemnitiique quos suprà citauimus, & aliorum eiusdem sectæ hæreticorum, sententia, admittentium quidem disertis verbis in peccatoris iustificatione renouationem interiorem per susceptionem donorum gratiæ, nominatimque fidei, spei, & charitatis, sed simul negantium hæc gratiæ dona esse veram iustitiam, qua simpliciter quis coram Deo iustus esse possit: ideoque ad illa, quæ dicunt esse aliqualem tantum inchoatam imperfectamque iustitiam, adiungentium Christi Dei ve iustitiam nobis imputatam, vt per hanc illa in ratione iustitiæ perficiatur, compleaturque, & nos iusti simpliciter coram Deo simus

II. & habeamur. B Secundò, quia vel in iustificatis nulla vera formalisque iustitia & sanctitas est, vel quæ ipsis intrinsecè & physicè inhæret per extrinsecum Dei fauorem in formali ratione iustitiæ & sanctitatis constituetur: prius illud contra certissimam Theologorum omnium, imò totius Ecclesiæ doctrinam est, quam Tridentinum Concilium passim sess. 6. cap. præsertim septimo tradit: si posterius istud dicatur, sequetur in primis aliquid in Theologia hactenus, vt opinor, inauditum, & contra eiusdem Concilij citat. cap. doctrinam, vt sect. 1. vidimus, nempe in iustificatione fieri quandam meritorum Christi applicationem, præter eam, qua gratiæ dona physicè & intrinsecè inhærentia

III. infunduntur, præter eam quoque, qua per extrinsecum Dei fauorem his donis adiunctum C peccata remitti dicuntur, illam scilicet, qua propter eadem Christi merita, hæc ipsa dona, quæ dicuntur non esse ex se vera formalisque animę iustitia & sanctitas, in formali iustitiæ & sanctitatis ratione per nouum extrinsecum Dei fauorem constituentur. Hic enim fauor tam erit ex Christi meritis, quàm ille alius, cùm tam certum sit, nos, quidquid habemus veræ formalisque iustitiæ, habere ob Christi merita, quàm ob eadem, remissionem nostrorum peccatorum accipere: nec erit idem numero fauor cum illo alio, vt patet ex Angelis, & primis nostris parentibus, qui primo suæ creationis momento iustificati sunt, per eadem gratiæ dona per quæ modò peccatores iustificantur, quibus donis adiunctus extrinsecus Dei fauor ea constituens

IV. in formali ratione iustitiæ & sanctitatis, non D fuit fauor quo peccata iis remitterentur, cùm nullum haberent. Quòd si gratiæ dona tunc iisdem collata veram ex se suaque natura, secluso omni extrinseco Dei fauore superaddito, iustitiæ & sanctitatis formalem rationem habuerunt, & in nobis nunc habebunt, cùm eadem sint.

Sequetur deinde nos per aliquid nobis purè extrinsecum constitui coram Deo formaliter iustos & sanctos, etsi nullius peccati remissio nobis fiat, vt & Angelis, & primis nostris parentibus prædicto primo momento nulla facta est, per illum scilicet externum fauorem, quo gratiæ dona nobis physicè & intrinsecè inhærentia, quæ non erunt ex se vera formalisque sanctitas ac iustitia, in ratione iustitiæ constituentur, Deo videlicet ea reputante propter A Christi merita tanquam veram formalémque iustitiam & sanctitatem, etsi re ipsa non sint: & perinde ac si essent, nobis remittente peccata nostra, nósque ad æternam gloriam acceptante: atque ita melius sentire Bucerum, & Kemnitium, aliosque eiusdem sectæ hæreticos, quà nos: quia si qua re purè nobis extrinseca iusti formaliter constituimur, melius asseritur istam rem extrinsecam esse imputatam nobis à Deo ipsius Dei, Christíve iustitiam, quàm fauorem illum, vtpote qui ex se minùs aptus est ad nos iustificandos, quàm sit illa iustitia, eo ipso quo iustitia est, & quidem in ratione iustitiæ ac sanctitatis simpliciter infinita. Quod si dicamus illum fauorem nihil aliud esse quam iustitiam hanc nobis ex beneuola Dei voluntate imputatam, idem cum hæreticis illis sentiemus, quorum tamen hæc sententia à Tridentino Concilio tanquam hæretica disertè non tantùm citato cap. 7. sed etiam eiusdem sess. can. 10. damnata est.

V. VI.

Tertiò, quia consequens erit homines iustificatos non esse verè iustos & sanctos, contra expressam eiusdem Concilij citato cap. 7. doctrinam. Nam quæ res nobis intrinsecè inhærens non est ex se vera iustitia & sanctitas, per nihil nobis extrinsecum illi adiunctum fieri verè iustitia & sanctitas potest, spectatà etiam absoluta Dei potentia, nec proinde potest nos efficere verè formaliter iustos & sanctos. Et ratio à priori est, quod sanctitas & iustitia, eo ipso quo sanctitas & iustitia est, bonitas aliqua est, eóque ipso quo quis iustus & sanctus est,

VII. bonus est: nullus autem bonus, vt nec malus, per purè extrinsecam alterius voluntatem esse potest, aut per aliquid purè sibi extrinsecum. Vnde est quod nec aliena malitia mali formaliter esse possumus, nec extrinseca nobis ipsius etiam Dei Christíve bonitate & iustitia boni & iusti, quantumuis infinita sit. Quare si nihil nobis iustificatis physicè & intrinsecè inhærens vera ex se iustitia & sanctitas est, sed per aliquid extrinsecum adiunctum sanctitas & iustitia nominatur, non sumus verè iusti & sancti, sed solùm, perinde ac si essemus, reputamur, contra expressam Tridentini Concilij citato cap. septimo sententiam: & præterea non nisi per extrinsecum Dei fauorem iustificamur, contra expressam item eiusdem can. 11. definitionem.

VIII. Postremò quia consequens etiam erit, gratiæ non esse connaturaliter debitum extrinsecum illum Dei fauorem, quo ad eius præsentiam peccata condonat, cùm tamen sic debitum aduersarij, si non omnes, plerique saltem affirment. Nam si illa non est ex se vera formalisque animæ sanctitas & iustitia, vt neque est fides, aut spes, aut aliud simile donum, cur illum fauorem adiungi sibi tanquam connaturaliter debitum postulabit potiùs quàm hæc, aut illa? Sanè ex eo quod erit hac & illâ secundùm essentiam perfectior, fiet quidem, vt sit Deo

decentius, & naturæ rerum congruentius prædictum fauorem ei potiùs quàm huic aut illi adiungere, quem tamen si vellet huic aut illi etiam decenter adiungeret : at non fiet, vt si pro libertate sua nolit adiungere, nec adiungat, id miraculosum sit, & gratiæ, habita naturæ eius ratione, violentum, vt miraculosum esset, & naturis rerum violentum, si concursum suum Soli ad illuminandum, & igni ad calefaciendum denegaret.

I. A

Et certè videre non possum, cur prædictus fauor sit gratiæ connaturaliter debitus potius quàm perfectæ contritionis & caritatis actui, si sicut hunc nolunt aduersarij esse veram & formalem animæ sanctitatem, ita illa non sit. Imò qua ratione nixi negant huic actui illum fauorem esse connaturaliter debitum, eoque actu posse deleri peccata mortalia sine distincto gratiæ beneficio ei connaturaliter non debito, eádem idem negare de gratia debent. Ratio enim illa est, quòd peccati mortalis malitia seu offensa vel actu infinita sit, vel etiamsi actu finita, superioris tamen ordinis sit bonitate actus

II. B

illius, quo fit, vt per hanc illa condignè & ad æqualitatem compensari non possit : at non magis ad æqualitatem & condignè compensari per illam gratiam poterit, cùm & finitæ perfectionis ac bonitatis sit, &, quæcunque demum sit eius bonitas, dici debeat inferioris ordinis illâ malitiâ & offensâ, ob eandè causam, ob quam idem de bonitate actus illius dicitur.

Ad vim huius quartæ rationis vnum hoc responderi posse video, gratiâ esse quidem se ipsa veram & formalem animæ sanctitatem ac iustitiam, sed physicam tantum, at non moralem, propterea que non posse se ipsa sola delere formaliter mortale peccatum, sed adiuncto solùm extrinseco Dei fauore. Verùm facilè refellitur hæc responsio. Primò, quia gratia non potest esse physica sanctitas & iustitia, quin eo ipso sit

III. C

etiam moralis, cùm vera animæ sanctitas & iustitia, eo ipso quo talis sanctitas & iustitia est, sit moralis aliqua entitas & bonitas, quod tam certum est, quàm notum omnibus, eo ipso quo quis verè sanctus & iustus est, eum esse bonum moraliter.

Secundò, quia cùm, vt in tractatu de peccatis disp. 13. sect. 6. probatum est, peccatum originale sit essentialiter mors animæ, nec in alterius doni ad iustitiam originalem pertinentis, quàm gratiæ iustificantis priuatione consistat, quam certum est illud peccatum esse malum non modò physicum ; cuiusmodi est cæcitas, surditas, aut mors corporis, sed etiam morale, tam certum esse debet gratiam illi malo & peccato priuatiuè oppositam esse entitatem aliquam & bonitatem non modò physicam, sed

IV. D

etiam moralem, forma enim & priuatio formæ sunt eiusdem generis. Vnde cæcitatem, surditatem, mortem corporis, esse puras priuationes physicas, & mala purè physica censemus, quia formæ reales iis oppositæ priuatiue, sunt entia & bona purè physica.

Tertiò, quia eo ipso quo res aliqua est vera formalisque animæ sanctitas ac iustitia, siue physica dicatur, siue moralis, pugnat se ipsa formaliter cum macula peccati mortalis, eamque destruit, vt initio eiusdem quartæ rationis probatum efficaciter est : probatio enim petitur ex natura sanctitatis & iustitiæ, prout est vera & formalis animæ sanctitas ac iustitia. Denique si gratia non est moralis sanctitas, sed physica duntaxat, nec proinde se ipsa solâ magis potest delere formaliter peccatũ mortale, quàm perfectæ contritionis & caritatis actus, ex sententia eorum contra quos agimus, cur adiungi sibi tanquam connaturaliter debitum extrinsecum Dei fauorem, quo peccatum illud remittitur, postulabit potius, quàm hic actus postulet ? cùm præsertim vel eádem vel pari ratione dici possit hic ipse actus physica animæ sanctitas, qua gratia talis sanctitas dicitur. V.

Quinta & postrema ratio hæc breuiter est. Si nullum mortale peccatum remitti potest per extrinsecum Dei fauorem gratiæ adiunctum, fatendum est, hanc seipsa sola illud posse delere formaliter : atqui verum est prius, igitur & posterius. Sequelam Maioris omnes admittunt, cùm certum sit omnibus peccata mortalia in iustificatione deleri formaliter, nec alia forma sit per quam in ea deleantur, aut deleri possint, quàm aut hæc gratia secundum se præcise considerata, aut ille fauor ei coniunctus. Antecedentis veritas ex sequenti disputatione constabit, in qua vniuersim nullum omnino peccatum per extrinsecum Dei fauorem remitti posse probabimus. VI.

SECTIO V.

Ex doctrina tradita nonnulla colliguntur.

EX dictis facilè concluditur, primò gratiam iustificantem eadem vi sua physica, qua seclusa omni extrinseco Dei fauore delet peccati malitiam & maculam formaliter, delere pariter formalem inobedientiæ, iniuriæ, & offensæ rationem, quæ in peccato est, cùm hæ formales rationes sint aliquæ malitiæ morales & inordinationes, nec aliæ a parte rei, quam ipsa formalis malitia peccati, atque macula, vt in Tractatu de peccatis disput. 18. sect. 2. probauimus, hæcque malitia & macula, nunc peccati, nunc inobedientiæ, nunc iniuriæ, nunc offensæ nomine nuncupetur, prout obiicitur variis nostris conceptibus, quos de ipsa formamus, quósque eo loco declarauimus : quo fit, vt formalis peccati ratio definere nequeat, quin & illæ aliæ formales rationes definant, eadémque proinde forma, quæ vi sua physica infert desitionem peccati sumpti formaliter, inferat & inobedientiæ, & iniuriæ, & offensæ sumptæ formaliter. Quod monere volui contra eos qui fatentes formalem peccati rationem tolli formaliter per gratiam ex natura & vi physica gratiæ ipsius, negant tamen per eam tolli formalem offensæ contra Deum rationem quæ in peccato est, háncque tolli per solum extrinsecum Dei fauorem illi gratiæ adiunctum asserunt. VII. VIII.

Qui præterea refelluntur ex eo quòd ideo peccatum offensa Dei dicitur, quia est iniuria ipsi facta, ratione cuius ipsi peccanti iure optimo infensus est, aut esse potest, & proinde ratione cuius ipse peccans est obiectum dignum abalienatione Dei à se, seu diuino odio : at de-

leta semel formali peccati malitia & macula, non remanet is qui peccauit obiectum dignum diuino odio, nec proinde in offensa Dei, vt offensa est. Vt enim verissimè dixit sanctus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. post medium, nihil odit Deus in homine, aut odisse potest nisi peccatum, & vt definit Tridentinum Concilium sess. 5. in decreto de peccato originali can. 5. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil damnationis in iis est.* Quibus autem formalis peccati malitia & macula remissa est, nihil damnationis inest, seu damnatione dignum: nihil enim præter peccatum formaliter sumptum iusta causa damnationis esse potest.

I.

Secundò concluditur duplicem in iustificatione peccatoris interuenire mutationẽ, vnam qua de peccatore fit non peccator, alteram qua de non iusto seu non grato fit iustus seu gratus: sicut in calefactione aquæ duplex mutatio interuenit, vna qua de frigida fit non frigida, altera qua de non calida fit calida: non quòd in hac aut illa duplici mutatione duplex actio interueniat, vnica enim interuenit: in calefactione quidem, productio caloris, per quam dum mutatur aqua de non calida in calidam, simul etiam mutatur de frigida in non frigidam, quia per eundem calorem frigus ab ea formaliter expellitur: in iustificatione verò, productio iustitiæ seu gratiæ, per quam dum mutatur homo de non grato in gratum, simul etiam mutatur de peccatore in non peccatorem, quia per eandem gratiam peccatum eius formaliter destruitur: sed quia sicut potest esse subiectũ aliquod non frigidum absque susceptione caloris, & fieri calidum absque expulsione frigoris, vt si nunquam in eo frigus præfuit, ita potest quis esse non peccator absque gratia iustificante, vt qui in statu puræ naturæ crearetur: & gratus Deo per gratiam absque remissione peccati, vt si nullum vnquam peccatũ habuit. Quamquam inter hanc & illam mutationem hoc discrimen est, quòd subiectum aliquod potest fieri de frigido non frigidum absque susceptо calore, per solam desitionem frigoris: at homo de peccatore non potest fieri non peccator absque susceptione gratiæ iustificantis, & quin proinde simul mutetur de non iusto seu non grato in iustum seu gratum, quia per hanc solam gratiam peccatum eius deleri potest.

II.

III.

Cæterùm sicut in aquæ calefactione prior mutatio non purè comitatur posteriorem, sed cum ea necessariò ex natura rei conexa est, quia aqua de frigida fit non frigida formaliter per calorem frigus ab ea expellentem, vnde etiã verè dicitur de frigida fieri calida: ita in peccatoris iustificatione prior mutatio posteriorẽ non purè concomitatur, sed cum ea necessariò ex rei natura connectitur, quia peccator de peccatore fit non peccator formaliter per gratiam peccatum eius destruentem: vnde etiam vere dicitur de peccatore fieri iustus, seu Deo gratus.

IV.

Tertiò concluditur mortale peccatum ita formaliter expelli per gratiam, vt hæc cum illo stare nõ possit per absolutam etiam Dei potentiam, licet per hanc calor cum frigore possit consistere: quæ enim argumenta rectè probant hanc cum illo stare non posse naturaliter, seu de potentia ordinaria, probant quoque non posse supernaturaliter, seu de potentia absoluta. Ratio est, quòd vt gratia cum mortali peccato posset absoluta Dei potestate consistere, sicut potest calor in intensis gradibus cum frigore, oporteret Deum, antequam producat in homine gratiam, actione aliqua conseruare in eo peccati maculam, & adueniente gratia, vberiori influxu concurrere ad conseruationem eiusdem maculæ quàm antea concurreret: sicut antequam producat in subiecto frigido calorem, actione sua conseruat in eo frigus, & aduenientе calore concurrit influxu vberiore ad conseruationem eiusdem frigoris, quàm antea concurreret: at Deus nulla actione conseruat in homine, aut conseruare potest peccati maculam: primò quia hæc nulla actione conseruatur, aut conseruari à quoquam potest, cùm nihil aliud sit quàm peccati actio præterita moraliter manens, & denominans eo modo, quo in Tractatu de peccatis disput. 16. sect. 2. declaratum & probatum est.

A V.

Secundò, quia etsi quiddà aliud esset, & quidem aliquod ens reale ab illa præterita actione distinctum, nulla reali actione Deus illud ens reale conseruaret, aut conseruare posset, quia vere causa peccati esset, aut esse posset, cùm illud ens sit peccatum formaliter, quâdoquidem peccati macula est: hanc autem esse formaliter peccatum, nulli dubiũ est, & citata disp. sect. 1. demonstratum est: futurum autem vt Deus esset, aut esse posset causa peccati formaliter sumpti, si ad ipsum sic sumptum aliqua actione concurreret, aut posset concurrere, licet hic concursus ab eo esse tanquam à causa prima & vniuersali diceretur, in prædicto de peccatis Tractatu disp. 1. sect. 2. probatum est, & hinc obiter fit euidens, quòd verissimè propriissiméque causa est effectuum naturalium, ad quos solo generali concursu tanquam causa prima & vniuersalis concurrit.

B VI.

Tertiò, quia etsi posset Deus ad illud ens reale, quod peccatũ formaliter est, concurrere concursu illo generali, tanquam causa prima & vniuersalis, absque eo quòd esset propterea causa peccati, quia debitum haberet illum cõcursum dandi, solus autem ille causa peccati est, qui ad ipsum concurrit, cùm non debeat concurrere; profectò non posset Deus ad peccati conseruationem vberiori concursu quam sit ille generalis, & vt causa particularis concurrere, quin causa peccati verè & propriè esset, cùm solum illum generalem causæ primæ & vniuersalis proprium causis secundis debeat.

C VII.

At dices, ex his euinci quidem gratiam non posse non expellere formaliter mortale peccatum præexistens, spectata etiam absoluta Dei potentia: at non euinci non posse per potẽtiam hanc peccatum illud præexistenti gratiæ superueniens simul cum ea consistere, cùm etsi peccati macula nullâ vel Dei vel creaturæ actione conseruetur, certissimè tamen actione Dei conseruetur illa gratia, possitque proinde ab eo conseruari vberiore influxu, dum mortale peccatum superuenit, quàm antea conseruaretur, sicut frigus superueniente calore, tamque proinde peccatum istud cum ea simul stare per absolutam eius potentiam, quàm per eandem potest calor cum frigore.

D VIII.

Sed

Sed respõdeo verum quidem esse, non eadem ratione istud posterius euinci, qua prius illud euincitur: neque nos aliud illa ratione quàm prius illud euincere voluisse: non deesse autem nobis aliam rationem, eámque non vnam, sed multiplicem, qua euincamus istud quoque posterius, quod & re ipsa euincunt supra relatæ quatuor, quarũ prima sectione 2. tertio ex doctrina Tridentini Concilij deprompto argumento continetur, tres aliæ sunt, secũda, tertia, & quarta ex illis quinque, quibus sectione partim tertia, partim quarta nostram sententiam probauimus. Euincunt enim, vt ad eas attendẽti patebit, tam implicare contradictionẽ mortale peccatum & gratiam simul in eodem consistere, quàm implicat vel eundem simul esse Deo inimicum simpliciter & amicum, inuisum & gratum: vel in eodem simul existere vitam & mortem illi vitæ oppositam, vel dignitatem ad æternam vitam, & dignitatem ad mortem æternam: vel denique eundem simul esse mundum simpliciter & immundum, innocentem & nocentem: quæ manifestam contradictionem implicant.

II. Quare non potest Deus aduenière mortali peccato cõseruare vberiori aliquo influxu in anima gratiam, vt neque potest assensum aduenientè dissensu, aut dissensum aduenientè assensu, quia sicut assensus & dissensus circa vnam eandémque propositionem sibi contradictorie repugnant, non quidem contradictione immediata, quia vnũ ex iis duobus non est negatio alterius, sed mediata, quia vnum semper & necessariò secum inuehit in subiectum suum negationem alterius: ita & eadem contradictione gratia & mortale peccatum sibi mutuò aduersantur.

III. Quartò concluditur contra Dominicum & Petrum Sotum, posse per absolutam Dei potẽtiam remitti peccatum mortale actuale absque vllo peccatoris actu bono circa Deum, aut peccatum, aut aliud obiectum. Tam enim potest Deus homini qui huiusmodi peccatum admisit, infundere gratiæ iustificantis habitũ, nullo præuio bono ipsius actu, quàm infundit infanti dum baptizatur: hæc autem gratia non potest non delere formaliter vi sua physica peccatum illud, vt suprà probauimus: dixi per absolutam Dei potentiam, nam si de ordinaria agitur, constat non posse remitti sine præuia peccatoris pœnitentia, vel formali, vel virtuali, siue in sacramentis, siue extra: egi etiam de solo peccato mortali actuali, quia originale remitti re ipsa pueris in baptismo absque vllo eorum actu bono, cuius incapaces sunt, certum est.

IV. Nec repugnat S. Thomas 3. part. quæst. 86. art. 2. in corpore sæpius inquiens, impossibile esse peccatum actuale mortale remitti à Deo sine præuia eius qui sic peccauit pœnitentia: loquitur enim de sola ordinata Dei potentia, vt Caietanus, Suarez, & alij ad hunc articulum interpretantur: quorum hæc interpretatio confirmari potest ex solutione primi argumenti, in qua non nisi de eo quod actu fit loquitur, non autem etiam de eo quod fieri potest, spectata absoluta saltem Dei potentia. Non repugnat item hac prima secundæ quæstionis 113. artic. 8. ponens hunc in iustificatione peccatoris ordinem, vt primùm sit infusio gratiæ, habitualis scilicet, deinde motus liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, tum peccati remissio, significánsque proinde nunquam hanc remissionem fieri sine præuio bono eius motu, cui peccatum remittitur: ponit enim reuera, & significat, sed vt rectè etiam ad hunc articulum Caietanus monet, loquens solùm de ordinata Dei potentia, & de eo quod semper actu fit, dum peccator adultus ab actuali mortali peccato iustificatur, non autem de eo quod possibile est per absolutam Dei potentiam.

V. Nec magis repugnat Tridentinum Concilium dum sess. 6. cap. 7. ait iustificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, & proinde non nisi interueniente aliquo bono actu voluntatis hominis qui iustificatur: loquitur enim similiter non de eo quod absoluta Dei potestate possibile est, sed de eo quod ex ordinata necessarium ad iustificationem adultorum est, & in ipsa de facto semper interuenit.

VI. At oppones primò, ad iustificationem hominis qui mortaliter propria voluntate peccauit, requiri necessariò auersionem à creatura, cui peccando adhæsit, hanc autem auersionem sine bono aliquo voluntatis motu esse non posse. Oppones secundò, omne peccatum actuale mortale esse voluntariam à Deo auersionem, hanc autem tolli non posse nisi per voluntariam ad Deum conuersionem, quia sola hæc conuersio illi auersioni opponitur: hanc autem conuersionem esse non posse sine bono aliquo motu voluntatis. Oppones tertiò, veniale peccatum deleri non posse sola infusione gratiæ habitualis, sine præuio aliquo actu bono eius qui venialiter peccauit, ergo nec mortale.

VII. Ad primum & secundum respondeo illam à creatura auersionem, & hanc ad Deum conuersionem fieri per quamcunque formam formaliter sanctificantem, siue voluntaria sit eam suscipienti, siue non sit, & proinde siue aliquem eius actum adiunctum habeat, siue nullum: eo enim ipso quo vera animæ sanctitas est, adæquat eà perfectè Deo tanquam suæ regulæ, reducitque proinde ab inordinatione & obliquitate peccati in oppositum ordinem & rectitudinem: coniungit item Deo tanquam amicum cum amico, auertítque proinde ab eo omni quod huic amicitiæ contrarium est, cuiusmodi est omne mortale peccatum.

VIII. Ad tertium concesso antecedente negatur consequentia, disparitatis manifesta ratio est, quòd veniale peccatum nullam cum illa gratia repugnantiam habeat, vt constat ex certissima fidei doctrina, quæ est, homines iustos & sanctos retenta sanctitate & iustitia peccare plerunque venialiter: habet autem mortale eo ipso quo mortale est, & illa gratia est vera animæ sanctitas, vt ex suprà dictis notum est. Quo modo autem fiat peccati venialis remissio, siue in hac vita, vel in sacramento, vel extra, siue in futura, fusè explicabitur in Tract. de pœnitentia disp. 8. 9. & 11.

Quintò concluditur contra Durandum, nos non priùs à Deo diligi speciali illo amore quo diligit iustos & sanctos, quàm iustitiam & sanctitatem nobis inhærentẽ habeamus: non enim iusti sumus & sancti nisi per hanc iustitiam & sanctitatem, vt suprà probatum est. Oporte-

ret autem nos per aliquid ab ea diuersum, eadeque anterius iustos & sanctos esse, vt priusquam illa nobis inhęrerer, ab eo speciali illo amore diligeremur. Nec refert, quòd volitio libera, qua Deus vult donare nos hac inhærente sanctitate & iustitia, sit specialis aliquissius amor erga nos, cùm & singularis boni nostri volitio sit, & eam
I. non erga omnes habeat, sitque præterea prior eadem sanctitate, cùm eius causa sit: non enim propterea nos tanquam iustos & sanctos illo speciali amore diligit, cùm volitionem illam liberam, húncque proinde specialem amorem concipiat erga nos, vel vt in pura natura conditos, quam præterea vult ornare illa supernaturali gratia, vel etiam vt peccato mortali contaminatos, suósq. per consequens inimicos, quos emundare vult & iustificare ab huius peccati macula & iniustitia per illam suam gratiam.

Quare quod in nobis illum specialem Dei erga nos amorem, quo dona supernaturalia nobis conferre vult, præcedit vt obiectum amabile, eúmque ad nos sic amandos alliciens, aliud esse non potest quàm natura nostra, & huic naturæ
II. dona connaturalia, quæ per se amabilia sunt. At dum insuper vult efficaciter nos donare æterna gloria, iam nos vt iustos & sanctos, amicósque suos diligit: hanc enim voluntatem non habet nisi erga eos in quibus præexistit hæc sanctitas & iustitia. Quamquam quia pro libertate sua habere posset erga peccatores, quos etiam iustificare vnquam nollet à peccatis, nisi per donum aliquod ad hanc gloriam pertinens, si reipsa haberet, non eos diligeret, vt iustos & sanctos, cùm iusti & sancti non essent, sed è contrario peccatores, &
III. proinde inimici, sed vt homines natura donisque naturalibus præditos, quibus præterea ex libertate sua liberaliter & benevolè vellet illam æternam gloriam, nullis priùs volitis donis aliis supernaturalibus: quorum proinde ex parte nullum huius suæ tam benevolæ erga eos voluntatis motiuum haberet, aut habere posset, præter eorundem naturam, & connaturalia ei dona, quæ, vt iam dixi, per se amabilia sunt.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta contraria.

SVPEREST vt iis quibus nostra sententia impugnatur argumentis respondeamus. Primum ex authoritate Trident. Concilij ducitur, quod sess. 6. cap. 7. duo in peccatoris iustificatione includi ait, quorum vnum est peccatorum remissio, alterum interior hominis renouatio & sanctificatio per susceptionem gratiæ & donorum: per hoc significans renouationem hanc & sanctificationem per ista gratię dona
IV. formaliter fieri, illam autem remissionem per aliquid aliud, quod non potest esse nisi fauor extrinsecus illi gratiæ adiunctus, quo Deus peccata condonat & delet.

Respondeo, istud quod de peccatorum remissione per aliquid aliud quàm per præfata gratię dona dicitur, minimè à Cõcilio significari: solũ enim statuit contra nostri temporis hæreticos, totam hominis iustificationem in sola peccatorum remissione positam esse docentes, in illa includi prædicta duo, quod æquè verum est, siue primum ex his duobus sit formalis effectus secundi ab eo inseparabilis, vt reuera est, siue non sit, ac proinde siue Deus distincta volitione & actione peccata remittat ab ea qua vult producere gratiam, & producit, siue eâdem, vt eâdem reuera remittit, sicut & eâdem volitione libera actionéq. destruit intellectus errorem, qua vult in eo producere scientiam, & producit, propter formalem, quam hæc cum illo habet repugnantiam, qua non minorem habet gratia sanctificãs cum quolibet peccato mortali, vt ex supradictis constat. V.

Secundum sumitur ex infinita actu mortalis contra Deum offensę malitia seu grauitate, quę sicut adæquari non potest per finitã actu bonitatem, quam solam habet gratia, quæ in iustificatione infunditur, ita per illam solam gratiam formaliter tolli non potest. Respondeo, illius offensæ malitiam seu grauitatem infinita actu non esse, vt ex Tract. de Incarn. disp. 3. sect. 2. & 3. liquidò constabit. Et quamuis esset, futurũ tamen vt pari facilitate gratia sanctificans eam totam formaliter tolleret, qua si finita esset, sicut & pari facilitate delet formaliter peccata multa mortalia qua vnicum, & pari infinita actu deleret, si præcessissent, qua delet finita numero quæ præcesserunt: non enim delet, quòd bonitate sua malitiã eorum adæquet, sed quòd formalem cum iis oppositionem habeat: ex formis autem oppositis qua facilitate perfectior pellit formaliter ab eodẽ subiecto imperfectiorem, pellit & imperfectior perfectiorem, propter eam quam ad inuicem habent formalẽ oppositionem, ob quam etiam fit, vt qua facilitate se mutuò expellunt, dum vtraque finita est, eâdem quoque se expelleret, si vna finita esset, altera infinita, vt finitus assensus dissensum actu in gradibus intensionis, aut etiam in essentia infinitum, similiterque finitus amor infinitum odium oppositum, finita volitio nolitionem oppositam infinitam. VI.

Tertium est, nullum inter gratiam & mortale peccatum oppositionis genus esse, cum tamen aliquod sit necessarium, vt se se mutuò formaliter ab eodem subiecto expellant: non enim opponuntur relatiuè, cùm neque hoc, neque illa sit relatio, seu putus respectus ad terminum: neque contrariè, cùm omnia contraria realia sint, sub eodem proximo genere ponantur, & se naturaliter in eodem simul subiecto remissis in gradibus compatiantur: mortalis autem peccati macula nihil reale sit in peccatore actu existens, nec idem proximum genus habeat, quod gratia, nec cum vllo eius etiam remississimo gradu possit ex nostra sententia naturaliter consistere: neque priuatiuè, aut contradictoriè, cùm vnum non sit alterius aut priuatio, aut pura negatio. VII.

Respondeo, nullum quidem inter peccatum mortale & gratiam intercedere proprie dictum oppositionis genus, vt in argumento rectè probatum est, at nullũ esse necessarium, vt sese mutuò ab eodẽ subiecto formaliter expellant: satis esse quòd de numero repugnantium sint, quæ nullam certam oppositionis legem seruant ad inuicem, nec se tamen simul in eodem subiecto ferre possunt, eo quòd vnum ex rei natura semper & necessariò secum inuehit in subiectum VIII.

suum negationem alterius, cuiusmodi sunt assensus & dissensus, error & scientia, efficax eiusdem rei volitio & nolitio, similiáque, cuius generis sunt mortale peccatum & gratia, eo quòd illud est irrectitudo & obliquitas animam à Deo deordinans: hæc, eius rectitudo & cum Deo tanquã cum regula perfecta adæquatio: illud est offensa Dei, hæc, cum ipso reconciliatio: illud hominem non potest non facere formaliter inuisum & inimicum Deo, immundum simpliciter, & æterna morte dignum, hæc non potest eundem non facere formaliter Deo gratum, & amicum, mundum simpliciter, & dignum æterna vita: quæ simul in eodem non posse consistere, sed afferre secum necessariò formæ sibi repugnantis negationem, ex propria singulorum formali ratione per se notum est.

I. Quartum ex præcedentis solutione ortũ ducens istud est. Nulla inter gratiam & peccati mortalis maculam formalis repugnantia est, ergo se mutuò expellere formaliter ab eodẽ subiecto non possunt. Probatur antecedens: primò quia nulla formalis inter eas formas repugnantia est, quæ non idem proximum subiectum habent, huiusmodi autẽ sunt peccatum & gratia, nã illud in voluntate, hæc in essentia animæ est.

II. Secundò, quia quæcunque se formaliter ab eodem subiecto pellunt, id faciunt, quia subiecti passiua potentia expletur tota vno eorum: at subiecti passiua potentia expleri non potest peccati mortalis physicè præteriti macula, cùm hæc propriè non inhæreat, quia nihil reale est actu existens: quo fit, vt videatur relinquere animam tam potentem ad sustinendam in se gratiam, quàm si deleta iam esset, aut contracta nunquam fuisset.

III. Tertiò, quia quæ sunt diuersi generis & ordinis non pugnant inter se formaliter, peccatum autem & gratia huiusmodi sunt: illud enim ens purè morale est, hæc ens physicum: illud est naturalis ordinis, hæc, supernaturalis.

IV. Quartò, quia si gratia formalem haberet repugnantiam cum peccati mortalis habitualis macula, pari saltem iure, imo potiori haberet cum actualis: at cũ hac nullam habet, non enim habitus actui formaliter repugnat: peccatum autem actuale quidam actus est, gratia, habitus.

Quintò, quia si hæc mortali peccato, siue actuali, siue habituali, formaliter repugnaret, consequens esset, vt repugnaret etiam veniali, quod eiusdem infimæ speciei cum mortali est: quæ enim formæ cum formis aliis pugnãt formaliter, pugnant quoque similiter cum omnibus eiusdem speciei indiuiduis: at gratia cum nullo peccato veniali formaliter pugnat, ergo nec cum mortali quod eiusdem speciei est, ergo nec cum vllo alio mortali, quia repugnantiæ eius cum vno, si qua est, & cum omnibus, eadem omnino ratio est.

Respondeo negando antecedens, cuius ad primam probationem dico, in ea supponi gratiam à caritate distingui, quod negari meritò posse ex dictis disp. 2. notum est. Sed vt verum esse concedatur, nobis obesse non potest: nam gratia ita proximè & physicè solam animæ substantiam afficit, vt simul moraliter afficiat & voluntatem, & totum hominem, nam & hunc & illam, sicut & animæ substantiam formaliter sanctificat: e contrario autem peccati actus & malitia ita proximè & physicè voluntatem solam afficit, vt simul moraliter afficiat & animæ substantiam, & totum hominem, nam & hunc, & illam, sicut & voluntatem, sua morali malitia formaliter inquinat, vnde & exosam Deo reddit, & æterna morte dignam: quo fit, vt non minùs sibi mutuò repugnent, in eodemque homine simul nequeant consistere, quàm si in vna eadémque hominis potentia tanquam in subiecto proximè & physicè reciperentur. A V.

Ad secundam cum distinctione respondeo: vera enim esse potest de formis quæ propriè contrariæ sunt, & se simul in eodem subiecto naturaliter compatiuntur in remissis gradibus, non item in intensis: falsa est de aliis sibi aliter oppositis & repugnantibus, vt clarum est de iis quæ priuatiuè opponuntur: nam priuatio formæ formam à subiecto in quo est non excludit formaliter, quòd eius passiuam potentiã totam expleat, cùm ne quidem huius potentiæ particulam expleat: quia sicut ex ea propriè nõ educitur, ita nec propriè in ea recipitur: forma item quantumcunque remissa priuationem sui excludit formaliter à subiecto suo, cuius tamen passiuam potentiam non explet nisi octo saltem graduum intensionem habeat: peccatum autem & gratia non contrariè, sed aliter sibi mutuò repugnant, vt ex antè dictis clarum est. B VI.

Quòd si cui placet allatam illa secunda probatione rationem de passiua subiecti potẽtia & capacitate, extendere ad formas alias, quam propriè contrarias quouis modo sibi repugnãtes: dicendum erit, minimè necessarium esse aliter vna earum expleri totam subiecti passiuam potentiam & capacitatem, quàm quia quandiu hæc in subiecto est, tandiu subiectum hoc altera ei repugnante actuari non potest: quod tamen propriè nõ tam est explere subiecti potentiam & capacitatem, quàm impedire ne capacitas hæc & potentia ab altera simul actuetur, aut possit actuari. Non expletur enim propriè, nisi dum tot in se formæ gradus intensionis sustinet, quot naturaliter potest sustinere, qui saltem octo sunt, cum tamen forma alteri aliter quàm contrariè repugnans, eam cui repugnat, excludat à subiecto suo quantumuis remississima sit: quæ quidem tam peccato mortali & gratiæ inter sese collatis, quam formis vllis sibi mutuò repugnantibus conueniunt. C VII.

Ad tertiam nego formas diuersi generis & ordinis non posse aliquo repugnantiæ genere pugnare inter se formaliter: pugnant enim aliquo quoties neutra subiectũ suum afficere potest, quin ei communicet formalem aliquem effectum incompossibilem ex rei natura cum formali effectu formæ alterius, cuiusmodi formales effectus non possunt non cõmunicare mortale peccatum & gratia, vt ex supradictis certum est, quantumcunque hæc sit supernaturalis ordinis, illud naturalis: hęc sit ens physicum, illud morale: quamquam gratia ita ens physicum est, vt simul ens morale sit, cùm sit vera animæ iustitia ac sanctitas, ac proinde moralis aliqua perfectio & bonitas. D VIII.

Nec verò desunt exempla alia, quibus clarum est ens physicum cum morali, naturale cũ supernaturali pugnare aliquando formaliter:

actus enim physicus quo debita soluitur tollit formaliter eam quæ præexistebat soluendi obligationem, quæ quiddam purè morale erat: & dominium, quod quid etiam purè morale est, desinit formaliter per physicam nolitionè possidendi rem quæ antea possidebatur: actus etiã
I. erroris circa rem aliquam, qui merè naturalis A in entitate est, destruitur formaliter per supernaturalem actum vel fidei diuinæ, vel visionis beatificæ, vel scientiæ infusæ, quo contrarium aut creditur, aut clarè cognoscitur: & si huic supernaturali in entitate actui ille naturalis erroris actus superueniret, cum formaliter pari facilitate destrueret, qua ab eo superueniente ipse destruitur.

Quare quòd moralium virtutum in entitate supernaturalium habitus non pugnent cum habitibus vitiosis, & hi cum illis, nec se mutuò ab anima excludant, sicut pugnant inter se, & sese mutuò ab ea excludunt virtutum naturalium & vitiorũ habitus, causa præcisè non est, quòd habitus illi sint supernaturales, hi verò naturales, alioqui nihil supernaturale posset excludere
II. formaliter quidpiam naturale, aut vice versa, B quod proximè relatis exemplis falsum esse clarum est, sed quia si aliquo inter se modo pugnarent, certè non alio quàm quo formæ contrariæ oppositæ, quo tamen modo pugnare non possunt, cùm sint diuersi generis & ordinis, contraria autem eiusdem generis & ordinis esse debeant.

Quibus etiam exemplis euidenter innotescit falsum esse quod nonnulli aiunt, eas formas non posse se mutuò pellere formaliter ab eodem subiecto, quarum vna in naturali eius potentia, altera in obedientiali recipitur: prædictus enim erroris actus in intellectus naturali potentia, præfati autem supernaturales actus in obedientiali recipiuntur, ab eóque nihilominus sese mutuò formaliter expellunt, sic vt in
III. eo simul esse nequeant, spectata etiam absoluta C Dei potentia: nec mirum, sicut enim contradictoria nulla virtute simul esse possunt, ita nec in eodem subiecto recipi siue naturaliter siue obedientialiter duæ formæ, quæ secum necessariò contradictionem in ipsum inferunt.

Ad quartam dico gratiam habitualem eandem habere cum mortali peccato actuali quàm cum habituali repugnantiam: nec referre, quòd in rebus aliis habitus non repugnet actui immediate saltem, sed habitui: disparitatis enim manifesta ratio est, quòd alus in rebus habitus & actus non est vna eademque numero res & entitas: at peccati mortalis actualis & habitualis eadem etiam numero malitia & macula est, vt constat ex dictis in tract. de peccatis disp. 16. in qua quid sit peccati macula declaratum &
IV. probatum est. D

Et quamuis actuale peccatum ab habituali non tantùm numero, sed etiam specie differret, sicut multa mortalia specie haud dubiè inter se differunt, pugnaret nihilominus habitualis illa gratia cum peccato mortali actuali eodem omnino modo quo cum habituali, sicut & eodem modo pugnat cum quibuslibet peccatis mortalibus, eo quod sicut quodlibet habituale, sic quodlibet actuale animam Deo simpliciter inimicam reddit, & inimicam, æternáque morte dignam, similésque formaliter effectus ei necessariò communicat, qui sunt prorsus incompossibiles cum illa gratia, & formalibus eius effectibus, eo ipso quo vera animæ sanctitas & iustitia est. Aliis autem in rebus habitus non ita immediate repugnat actui, ex propria actus & habitus natura, quæ talis est, vt nullum hic aut V. ille formalem effectum subiecto suo communicare possit, qui sit eum formali alterius effectu ex rei natura incompossibilis. Cuius generis aliquem si communicare possent, non possent aliter, quàm ad eum modum quo formæ contrariè oppositæ formales effectus contrarios subiecto suo communicant. At ad hunc modum non possunt, quia contraria non sunt, debent enim contraria eiusdem esse generis, eiusdé autem generis non sunt actus & habitus.

Ad quintam nego consequens quod infertur, & ad huius consequentis probationem dico, etsi quod in ea dicitur verum sit de formis contrariis, & quidem spectatis secundùm solos gradus intensos, non esse tamen de repugnantibus omnibus, imò & de omnibus oppositis: humanæ enim filiationis relationes omnes eiusVI. dem infimæ speciei sunt, sicut & omnes homines, certúmque nihilominus est paternitatem non opponi cuilibet huiuscemodi filiationi, sed cum aliqua consistere mere naturaliter. Quod similiter sentiendum est de habituali gratia respectu venialium peccatorum, etiam eorum quæ sunt eiusdem infimæ speciei cum mortalibus, cuius proinde formalis cum his repugnantia non petitur ex specifica eorum natura præcisè, sed ex accidentali differentia, qua in ratione grauis, seu mortalis peccati formaliter constituuntur, & a leuibus seu venialibus vt sic intra eandem speciem differunt.

Quintum argumentum. Qui hominem offendit, eíque pro offensa etiam condigne satisfecit, eget præterea nihilominus hominis offensi libera volitione & beneuolentia, vt in eius VII. amicitiam admittatur: ergo multò magis, postquam aliquis qui mortaliter Deum offenderit, habitum gratiæ in se receperit, indigebit insuper noua Dei beneuolentia & fauore, vt in eius amicitiam recipiatur, cùm illo habitu, pro commissa offensa non condigne satisfecerit. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam. Etsi enim illius condignæ satisfactionis, & huius habitualis gratiæ in eo par ratio sit, quòd sicut hæc, sic illa offensam admissam delet vi sua formaliter, in eo tamen differunt homo & Deus offensus, quòd ille pro libertate sua potest eum à quo fuit offensus non amare, imò etiam positiuè odisse, licet immeritò, memor iniuriæ olim ab eo acceptæ, quamuis condignam pro ea satisfactionem iam acceperit: hic autem non VIII. potest non diligere eum tanquam iustum & sanctum, & proinde tanquam amicum, qui à mortali quam commiserat offensa per habitualem gratiam sanctificantem formaliter emundatus est, quia est dignum huius dilectionis obiectum: sicut è contrario non potest non odisse peccatorem, quia dignum huius odij obiectum est: si enim liber esset vt vel hunc odio haberet, aut non haberet, vel vt illum diligeret, aut non diligeret, posset contradicto-

tic denominari, scilicet vel odio habens, aut non habens, vel diligens, aut non diligens, absque vlla vel in Deo, vel in creatura mutatione, quod impossibile esse constat ex dictis in Tract. de Deo, disp. 31.

Quamquam etsi liber esset hac emundatione præsuppositа vt eum diligeret, vel non diligeret, consequens quidem esset, nouam Dei volitionem liberam, nouum extrinsecum fauorem esse ei necessarium vt ab eo diligeretur, at non vt ab offensæ commissæ macula purgaretur, quoniam per illam gratiam formaliter ab ea purgatus iam esset: sicut etsi homini qui alterum hominem offendit, præsuppositа etiam condigna quam exhibuit satisfactione, necessaria sit hominis offensi noua beneuolentia vt ab eo diligatur, & vt amicus in posterum habeatur tracteturque, non tamen vt admissa offensa deleatur, quam condigna satisfactio formaliter deleuit, sicut condigna debiti solutio totum debitum formaliter extinguit, velit, nolit creditor. I.

Sextum & vltimum. Posita Christi pro peccatis nostris non modò condigna, sed etiam superabundanti satisfactione, necessaria nobis præterea fuit libera Dei volitio, qua peccata nostra condonare vellet, & reipsa condonaret: ergo multò magis erit ad hoc ipsum necessaria, præsupponta etiam in nobis habituali gratia, cùm hæc illa Christi satisfactione sit infinitis partibus inferior. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio disparitatis inter hanc gratiam & illam satisfactionem est, quòd illa satisfactio non fuerit, nec esse potuerit per modum formæ formaliter sanctificantis nos, & delentis peccata nostra, sed per modum condigni meriti, quo merebatur Christus, vt Deus nobis sanctificantem gratiam tribueret, & per hanc formaliter nostra peccata deleret: quo præsupposito licet condignissimo merito, liber manebat ipse Deus (secluſa omni promissione) vt donaret illam gratiam, vel non donaret, remitteretque proinde nobis peccata nostra, vel non remitteret, vt ex dicendis in Tractatu de Incarnatione disp. 8. melius intelligetur: hæc autem gratia est ex se suaque natura vera & formalis animæ sanctitas, delens proinde vi sua, secluso omni alio Dei fauore & actu libero, omne peccatum mortale, vt suprà fusè probauimus. II. III.

DISPVTATIO X.

An absoluta Dei potentia peccatum remitti possit per extrinsecum ipsius fauorem absque vllo physico gratiæ dono, quod in peccatore realiter & intrinsecè recipiatur? IV.

SECTIO PRIMA.

Negantis partis veritas de peccato originali defenditur, & probatur.

DVÆ de proposita quæstione sunt è diametro pugnantes Theologorum sententiæ. Prima affirmans, quam amplectuntur Scotus in 4. dist. 1. quæst. 8 & distin. 14. quæst. 1. Gabr. hac ipsa distinct. & quæst. notatione 2. & 4. Ochamus ibid. quæst. 9. ad 2. dubium. Greg. in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. Ioannes Medina codice de pœnitentia Tract. 1. quæst. 7. & 12. Suarez passim, nominatimque tom. 4. in 3. partem disp. 9. sect. 3. & 4. & lib. 7. de gratia cap. 23. multique cum eo recentiores. Secunda negans, quam tuetur S. Thomas hac 1. 2. quæst. 113. art. 2. in Corpore, inquiens, *non posse intelligi remissionem culpæ, si non adsit infusio gratiæ*: verbis his clare significans se loqui de absoluta etiam Dei potentia. Nam de iis rebus quæ per hanc fieri possunt, licet fieri nequeant per ordinatam, nemo ita loquitur, vt dicat, non posse intelligi eas fieri non posse, & si forte quis diceret, falsò diceret, quia rectè intelliguntur eæ res fieri posse, cùm sint reuera possibiles, quandoquidem per absolutam Dei potentiam fieri possunt. In responsione autem ad 1. eodem haud dubie sensu sic loquens, *Ideo licet homo antequam peccet, potuerit esse sine gratia, & sine culpa: tamen post peccatum non potest esse sine culpa, nisi gratiam habeat.* Tuentur etiam Caietanus, Conradus, & plerique alij Thomistæ recentiores in hunc artic. 2. præterea Richardus in 4. dist. 1. art. 6. quæst. 3. Dominicus Sotus ibid. dist. 15. quæst. 1. art. 2. Petrus Sotus lib. de instit. sacerd. lect. 4. de pœnitentia, & Gabr. Vasq. hîc disput. 206. capite secundo & seqq. A V. B VI. C VII. D VIII.

Vbi tamen distinguit inter peccatum originis & actionis, & istud prius ait eo casu deletum iri per solam variationem temporis, absque vllo gratiæ dono homini infuso, quo Deus statuisset, sicut pro libertate sua statuere poterat, vt Adæ posteri iustitiam originalem habere deberent per certum aliquod tempus duntaxat, eoque elapso habere amplius non deberent, quia post istud elapsum, carentia gratiæ in illis desineret esse gratiæ debitæ carentia, & proinde peccatum originis, vtpote quod non in quacunque gratiæ, sed tantummodo debitæ carentia essentialiter positum est.

Verùm ego cum cæteris secundæ sententiæ authoribus nihil inter originis & actionis peccatum distinguentibus, nominatimque cum Richardo, qui loco citato de peccato etiam originali expresse loquitur, eandem sententiam vniuersalissimè defendo de quocunq. peccato, siue originali, siue actuali, siue mortali, siue veniali, siue commissionis, siue omissionis. Cuius probationem antequàm aggrediar, præmitto breuiter duo. Primum est, propositam quæstionem intelligi de remissione peccati facta peccatori post remissum peccatum existentiam suam in rerum natura retinenti. Nam si à Deo annihilaretur, ad hanc eius desitionem desineret quoque necessariò peccati macula, qua antea contaminabatur, cùm desinente subiecto desinant necessariò omnia quæ ei inerant, quandoquidem alia sunt, vt nulla Dei actione secorsim ab illo

conseruari in rerum natura possint, cuiusmodi certissimè est peccati macula. Secundum est, hâc maculâ non esse aut dignitatem ad pœnam, aut destinationem obligationemve ad eam luendam, sed quidpiam hac & illa prius, vt in Tract. de peccatis disp. 16. probauimus, vbi etiam quid sit hæc ipsa macula declarauimus, de qua sola
I. quæstio est, dum de peccato quæritur id quod in disputationis huius titulo posuimus.

Iam probo in primis eandem esse peccati originalis quouis in casu, & actualis rationem, quoad remissionem, itavt vel neutrum vel vtrumque possit absque vllo physico gratiæ infusæ dono deleri. Sic autem probo. Si posset aliquo casu peccatum originis desinere per solam variationem temporis extrinseci absque infusione vllius doni physici, maxime eo qui paulò antè relatus est: atqui ne eo quidem potest: quæ sola Minor probanda est. Hinc autem efficacissimè, clarissimèque probatur.

Primò, quòd etsi Deus nos obligasset ad habendam certo duntaxat tempore iustitiam originalem, itavt eo elapso nullam eius habendæ
II. obligationem ampliùs haberemus, eâ autem, & toto illo antecedente tempore quo habere obligabamur, caruissemus, & isto cõsequente, quo non obligamur ampliùs, careremus: fieret quidem, vt nunc hoc præsenti tempore peccatum originis actu non contraheremus, quia eius essentia in carentia gratiæ debitæ posita est, nunc autem eam habendi debitum ampliùs non haberemus, at nihilominus illud actu tunc toto illo præcedente contraxissemus, quia eo toto illam habere continuè debuissemus: maneret igitur nunc illius originalis peccati in nobis macula, non quidem actu, sed habitu, sicut manet peccati actualis, cùm physicè præteritus est peccati actus, nec proinde ampliùs actu peccatur. Alioqui si, quia nunc illam gratiam habendi debitum non haberemus, desineret in
III. nobis nunc illius peccati quod antea contraxissemus macula, pari iure illico ab elapso tempore actus alicuius ex præcepto affirmatiuo exercendi quem tunc omisissemus, desineret in nobis huius peccati omissionis antea commissi macula, quia nunc illum actum exercendi, debitum ampliùs non haberemus, consistítque peccatum omissionis essentialiter in sola omissione actus debiti, sicut peccatum originis in sola carentia gratiæ debitæ. Quare sicut ex eo quòd omittamus hoc præsenti tempore actum aliquem quem non obligamur exercere, omiserimus autem antea dum obligabamur, fit quidem, vt nunc peccatum omissionis actu non admittamus, non fit autem, vt eius antea admissi macula nunc in nobis non perseueret: ita desinente tempore quo
IV. prædictam gratiam habere deberemus, fieret quidem, vt nunc ea carendo peccatum originis actu non contraheremus: at non fieret, vt desineret eius antea actu contracti macula, sed habitu in nobis permaneret, eodem prorsus modo quo peccati illius actualis macula in nobis actu permanet.

Probatur secundò eadem Minor, ex eo quòd esset aperte consequens, peccatum originis semel actu contractum nullam posse relinquere maculam habitu perseuerantem, spectata etiam absoluta Dei potentia: sicut enim statim atque elapsum esset totum tempus quo iustitiam originalem habere obligabamur, & quo toto ea caruissemus, desineret in nobis peccatum illud, nec vllam proinde in nobis præsenti tempore maculam relinqueret, ex eo præcisè
A capite, quòd gratiâ, quam præterito tempore habere debebamus, caruissemus: ita simul atque totius illius temporis media pars; & huius medietatis media pars, & ita in infinitum, effluxisset, desineret peccatum originale quod illa medietate contractum à nobis fuisset, nullámque proinde maculam in nobis tempore consequente relinqueret, ex eo præcisè capite, quòd tempore præcedente caruissemus gratia quam tunc habere debebamus. Ex quo manifestè sequitur impossibile futurum, vt peccatum illud in nobis vnquâ habitu perseueraret, sed solùm actu contrahi posset eo solo præsenti tempore quo habẽdæ gratiæ debitum in nobis existeret. V.

Consequens autem istud admittendum non est. Primò, quia quæ ratio est asserendi, nos ex actus debiti omissione, eo tempore quo illum
B exercere debebamus, manere maculatos post illud tempus elapsum, atque si tempus illud vnius horæ fuit, eáque tota debitum actum omisimus, posteriore temporis illius medietate manere similiter maculatos, quòd priore medietate illum actum omiserimus: eadẽ valet ad asserendum relinqui similiter in nobis maculam, post elapsum totum tempus habendæ ex obligatione gratiæ, quòd præcedente tempore, quo eam obligabamur habere, ea caruerimus, similique prorsus modo relinqui maculam in nobis secunda medietate totius illius temporis, eo quòd priore eadem caruimus. VI.

Secundò, quia quis negare audeat, post elapsum totum illud tempus iustè damnandum à Deo æterna morte hominem illum, qui præcedente ea caruit, quòd tunc caruerit? Iustè autem
C damnari non posset, nisi hac pœna dignus esset, dignus autem non esset, nisi peccati illius macula habitu in eo permaneret: aut si dicitur dignus esse, quia actu præfuit, etsi postea nullo modo ne habitu quidem sit, eripitur nobis omnis ratio defendendæ relictæ ex peccatis actualibus physicè præteritis maculæ. Dicetur enim pari iure ille qui peccauit, nec de peccatis egit pœnitentiam, propter hæc peccata dignus æterna vel temporali pœna, non quòd hæc in eo habitu perseuerent, sed quia actu præfuerunt, sicque vel nullam ex vllo peccato actu præterito relinqui maculam habitu perseuerantem, aut hanc aliud non esse quàm illam pœnæ luendæ dignitatem, quod Scotus quidem censuit, sed in tractatu de peccatis citata disputatione 16. ex communi Theo-
D logorum quibus aduersatur, doctrina refutatus est. VII. VIII.

Probatur denique eadem Minor, quia consequens etiam esset, nullum in pueris statim ab elapso primo suæ generationis instanti esse peccatum originis, contra certissimam fidei doctrinam, quæ est eos per baptismum re susceptum ab illo purgari: nos enim Deus ad habendam iustitiam originalem non nisi pro illo primo instanti obligauit. Nam si pro tempore etiam consequente obligatos esse

voluit, quæro, quàtum sit istud tempus, vtrùm totius vitæ præsentis, an partis? si partis, cuius, & quantæ? cur dicetur potius vnius horæ, vel diei, vel mensis, vel anni, quàm breuioris, aut longioris temporis? Si totius, ergo qui tota vita nunquam ab originali peccato per gratiam iustificantur, singulis vitæ suæ momentis & partibus hoc peccatum actu contrahunt, non minùs quàm actu peccat ille singulis alicuius horæ momentis & partibus, qui sciens & volens omittit ea tota actum quem ea tota exercere deberet: quod similiter eueniret, si certo vitæ nostræ tempore ad habendam illam iustitiam obligaremur. Nam qui eo toto ab illo peccato non iustificarentur, singulis huius totius temporis momentis & particulis peccatum illud actu contraherent: quod ab omnium communi sensu certissimè alienum est.

I. A

Deinde siue partis dicatur, siue totius, elapsa ea parte vitæ, vel tota vita, desineret, iuxta doctrinam authoris quem impugnamus, peccatum originis: qui ergo post hanc vitæ suæ partem elapsam baptismum susciperet, nullo prærio quo iustificari posset actu elicito, per illum ab eo purgari nō posset: omnes item ante mortui quàm ab isto peccato per baptismum aliudve remedium iustificati carēt post mortem hoc ipso peccato, & in æternum carebunt, aut si nō carent, nec carebunt, habent igitur, & habebunt etiam post mortem tota æternitate debitum habendæ etiam tunc gratiæ: quæ quàm absurda sint, quis non videt?

II. B

Sed & aliud absurdum incurratur ab eo qui alterutrum dixerit, necesse est: nempe eum, qui vel aliqua totius vitæ suæ parte, vel certe aliqua totius illius certi temporis quo ad gratiam habendam obligati dicimur, peccarit mortaliter post obtentam hanc gratiam, præter actuale mortale peccatum vel omissionis vel commissionis quod admittet, & quo gratiæ iacturam faciet, incurrutum rursus peccatum originis: tunc enim gratiam hanc habere obligabitur, eáque carebit. Quod si quis dicat, tempus, quo durat habendæ gratiæ ex diuina voluntate obligatio, terminari eo instanti, quo primum gratia hæc à nobis obtinetur, post hanc autem semel obtentam, nullam nobis amplius inesse eius habendæ tempore consequente obligationem, is quidem postremum istud absurdum euadet, sed hoc ad placitum absque causa vlla dicet, & præterea in priora absurda incidet, vt intuenti patebit.

III. C

SECTIO II.

Eiusdem partis veritas vniuersim de omni peccato probatur.

IV. D

PROBO nunc eiusdem secundæ sententiæ veritatem argumento quod vniuersim de omni peccato concludit, quādoquidem quodlibet aliquam relinquit in peccatore maculam, post elapsum tempus quo contrahebatur actu, vel committebatur, vt partim ex præcedente sectione constat, partim ex dictis in Tractatu de peccatis citata sæpius disputat. 16. Est autem huiusmodi. Nullum remitti peccatum potest sine aliqua libera Dei volitione incompossibili cum peccato quod remittitur: atqui nulla libera Dei volitio cum peccato vllo incompossibilis est, præter eam, vi cuius producitur in peccatore physicum aliquod gratiæ donum delens vi sua formaliter eius maculam. Ergo nullum remitti potest peccatum per extrinsecum Dei fauorem, absque physico gratiæ dono quod peccatori infundatur. Consequentia hæc euidens est. Maioris veritas tam certa est, quàm solius Dei miserentis esse tanquam causæ saltem principalis peccata remittere, nec vlla necessitate ad hanc remissionem ipsum adigi, alioquin omnia reipsa remitteret, cùm tamen plurima nunquam remittat, sed libera & liberali voluntate ferri, quæ si nullam haberet cum peccato incompossibilitatem, eius desitionem non inferret. Minor, in qua tota difficultas est, probabitur enumeratione aliarum omnium liberarum Dei volitionum, quibus, aut quarum aliqua videri posset remitti posse peccatum absque vllius physici doni gratiæ in peccatore productione. Vt autem in his enumerandis rem clarius & breuius conficiamus, sic progrediemur.

V. VI.

Vel vi volitionis illius liberæ cum peccato quod remitti supponitur incompossibilis, produceretur aliquid extra Deum, vel nihil. Si secundum dicitur, duobus tantum modis id intelligi potest, nempe vel Deo liberè volente subtrahere concursum suum ad conseruationem maculæ peccati, & reipsa subtrahente: vel liberè volente vt peccati macula non sit amplius, seu, quod eodem recidit, libere nolente vt sit, sic vt vi liberæ huius vel volitionis, vel nolitionis, nihil prorsus fiat, sed solùm aliquid desinat, nempe peccatum, & nihil aliud. Ex his autem duobus illud prius dici non potest, quia nullum omnino concursum dat, aut dare potest Deus ad peccati conseruationem, vt ex præcedente disputatione certum est: vnde nec vllum subtrahere potest, aut velle subtrahere.

VII.

Neque etiam istud posterius. Primò, quia vt constat ex dictis in Tractatu de Deo disput. 32. in qua natura liberæ Dei volitionis & nolitionis fusè declarata & probata est, non potest intelligi libera in Deo volitio opposita nolitioni, absque productione ad extra rei alicuius, & libera nolitio opposita volitioni, absque non productione alicuius rei quam posset velle & producere. Vnde Deum aliquid velle libere, est velle illud ad extra producere, & libere nolle, est nolle ad extra producere, cùm posset, si vellet, producere: omnis enim libertas est ad agendum aut non agendum, quia est essentialiter potestas agendi vel non agendi: & in nobis quidem qui sumus capaces mutationis, est immediatè ad producendos reales actus volitionis, aut non producendos: in Deo autem qui immutabilis est, ad nihil aliud immediatè esse potest, quàm ad producendos ad extra vel non producendos aliquos effectus: & ratio à priori est, quia non est liberè nolens aut volens per actum realem suæ voluntati & essentiæ superadditum, sicut nos, sed per hanc essentiam suam, quæ est ens summè necessarium, & improducibile. Quo fit, vt non possit intelligi Deum libere velle vt peccatum amplius non

VIII.

sit, seu nolle vt sit, nisi intelligatur aut velle ad eius conseruationem amplius non concurrere, seu nolle concurrere amplius cùm posset concurrere, quod dici non potest, vt paulò ante vidimus: aut velle aliquid producere, quo producto peccati præexistens macula desineret:
I. quòd si dicitur, non erit volitio qua nihil ad A extra fiat, sed qua fiat è contrario aliquid: aut certè nolle aliquid amplius in rerum natura conseruare, quo desinente desineret hæc quoque macula, vt reipsa eueniret, si animam peccato maculatam annihilaret. Quod si dicitur, erit quidem volitio qua nihil extra Deum fiet, sed qua etiam non solùm peccatum desinet, sed præterea quiddam aliud, cùm tamen iuxta responsionem ad secundum nostri argumenti membrum, defendi debeat, & illa volitione libera qua peccatum remittitur, nihil ad extra produci, & nihil præter peccatum desinere.

Secundò, quia etsi posset intelligi in Deo libera nolitio & volitio, absque vlla eius ad extra actione vel non actione, qua produceret aliquid, aut non produceret, cùm posset produ-
II. cere, nihilominus intelligi in eo non posset li- B bera volitio vt peccatum amplius non esset, seu nolitio vt esset, sic vt vi liberi huius actus nihil aliud ad extra sequeretur, quàm solius maculæ peccati præexistentis desitio. Et ratio à priori est, quòd nihil aliud vi præcisè liberæ voluntatis siue creatæ siue increatæ possit desinere cùm antea esset, nisi quod ab eius actu libero pendet vt primò sit: propterea enim desinere postea vi eius potest, quia vt primò esset ab eo pendebat: & sicut habuit in libera sua potestate vt primò esset, vel non esset, ita liberam potestatem retinet, vt dum primò fuit, pergat esse, vel desinat.

Quod clarum est exemplo obligationis voti sponte ab aliquo emissi, quæ desinere potest vi præcisè voluntatis diuinæ, sic vt præter eam
III. nihil desinat, neque quidquam in eo in quo C desinit producatur, quia vt primò esset, ab aliquo libero illius voluntatis actu pendebat, ita vt nisi ille actus tanquam aliqua eius causa interueniret, nullo prorsus modo esse posset: at peccati macula vt primo sit, à nullo libero diuinæ voluntatis actu dependet, aut dependere potest, sed positis omnibus ex parte creaturæ requisitis vt sit, necessariò est, independenter ab omni actu quo velit Deus vt sit, qui & actus in eo impossibilis est, vtpote cui non potest non displicere quòd sit, cùm tamen positis omnibus ex parte creaturæ vouentis necessariis, vt emisso voto obligetur, non necessariò sit obligatio, neque priùs exoriatur, quàm in Deo intelligatur aut libera volitio qua emissum votum acceptet, aut libera nolitio ipsum
IV. repudiandi, cùm repudiare posset, si vellet. D Idem est iudicium de obligatione vel actus alicuius exercendi, vel pœnæ luendæ, imposita per legem, aut sententiam latam à Deo, vel homine: quæ obligatio desinere potest vi præcise diuinæ vel humanæ voluntatis libere reuocantis legem illam aut sententiam, sicut illam primò liberè tulit, & ferendo obligationem illam intulit.

Quod si dicatur primum ex duobus initio ad probandam argumenti nostri Minorem propositis, vel illud quod producetur incompossibile cum peccato quod remittitur, erit ens aliquod purè morale, vel physicum. Prius illud dici non potest, primò quia assignari non potest quodnam sit illud ens morale à Deo immediatè volitum, & productum, formalem habès cum peccati macula repugnantiam, eámque propterea formaliter destruens. Nam si nullam habet, vi volitionis illius diuinæ & huius entis moralis voliti productíque, macula illa non desinet. V.

Secundò, quia cùm ex dictis libera in Deo volitio nequeat intelligi absque productione rei alicuius per eam volitæ, libera illa volitio terminari immediatè ad ens purè morale non potest, quia immediatè per se actione aliqua producibile non est, sed resultat necessariò vel ex alicuius entis physici immediatè per se producibilis productione, vel ex alicuius alterius iam producti physica desitione, vel ex non productione physica entis alicuius physici, quod Deus posset producere. Quo fit vt similiter ens purè morale quod iam est, cuiusmodi est pec-
VI. cati macula antequam deleatur, desinere non possit immediatè vi volitionis alicuius diuinæ ad eam primò & per se terminatæ, qua directè velit Deus vt non sit, vel nolit vt sit, sed necessariò desinere debeat vel ad productionem alicuius entis physici immediatè à Deo voliti, vel ad physicam huiuscemodi entis iam producti desitionem, vel ad non productionem physicam alicuius alterius entis physici, quod immediatè per se posset produci: vt etiam inductione certum est per entia omnia purè moralia, quorum nullum vnquam aliter aut oriri, aut desinere reperitur. Quare cùm hîc respondeatur, vi volitionis diuinæ liberæ qua ens aliquod morale producitur, peccati maculam destrui, volitionis huius assignandus est prior aliquis terminus physicus immediatè volitus, & productus, & proinde posterius ex duobus paulò ante relatis
VII. est respondendum.

Iam verò dum hoc posterius respondetur, illud ens physicum immediatè volitum à Deo & productum, (quod nisi formalem habeat cum peccati macula repugnantiam, hæc vi huius rei volitæ productæque non desinet, nec proinde vi liberæ volitionis illius) vel erit aliquid extrinsecum peccatori cui peccatum remittitur, vel intrinsecum. Primum dici non potest, primò quia posito quouis extrinseco peccati maculam deuinere impossibile prorsus est: hæc enim moralis quædam malitia est, vnde qui ea contaminatus est, eo ipso moraliter malus est: sicut autem nullus, qui moraliter bonus non est, per extrinsecam præcisè alterius voluntatem, aut rem aliam sibi similiter extrinsecam, bonus moraliter fieri potest, ita VIII. nec, si malus est, potest desinere malus esse per voluntatem aut rem sibi prorsus extrinsecam.

Secundò, quia si quid extrinsecum per diuinam voluntatem poni potest, quo posito peccati macula desinat, maximè tempus, cuius ex solius variatione desinere posse peccatum originis censet Suarez citato cap. 23. lib. 7. de gratia, censuit & Vasquez superiori sectione refutatus, posse quoque desinere peccatum actuale Ioanes Medina suprà citatus cum Nominalibus

existimauit: at per solam præcisè variationem temporis nullius peccati macula desinere potest, non quidem originalis, vt illa sectione probauimus: neque etiam actualis, in primis quia qua facilitate posset efficere Deus, vt solo lapsu temporis breuioris aut diuturnioris
I. celeriùs aut tardiùs peccati actualis macula desineret, posset etiam facere ne præterita actione peccati maneret homo vel ad punctum temporis peccato actuali maculatus: quod similiter de originali peccato posset efficere.

Deinde, quia quænam esset illa diuina voluntas, vi cuius fieret vt ob solam temporis extrinseci mutationem desineret macula peccati antea actu contracti, siue actualis, siue originalis? vtrùm ea qua Deus vellet peccati maculam toto aliquo certo tempore esse, post illud elapsum amplius non esse? Dici quidem hoc posset, si peccati maculam actione aliqua conseruaret, sed cùm minimè conseruet, dici
II. non potest. An illa potiùs qua vellet, vt ab actione & malitia peccati antea actu commissi seu contracti tàdiu denominaretur homo malus & maculatus, non diutius? at malitia peccati antea actu contracti non denominat ex se suaque natura hominem pro certo tempore, sed pro omni, neque ex Dei voluntate, sed ante omnem eius voluntatem, quia nec ab eius voluntate pendet vt sit, sicut suprà vidimus, & nulli ex se certo tempori addicta est, nec efficere potest Deus sua voluntate, vt pro sola temporis mutatione mutentur denominationes quæ necessariò sumuntur à formis aliquibus, siue physice præteritis, siue præsentibus, siue extrinsecis, siue intrinsecis, nisi vel fiat mutatio in fundamento huiusmodi denominationis, vel oppositæ denominationis fundamentum ponatur, vt inductione per omnia certum est.
III. Fundamentum autem prædictæ denominationis, qua denominatur homo peccati macula contaminatus, est actio præterita peccati actualis: si de macula huius peccati, sermo sit, vel actualis, vt ita dicam, contractio peccati originalis in eo instanti vel tempore quo haberi deberet gratia, & non habetur, si de originalis macula agatur, nulla autem fit in hoc fundamento mutatio, nec fieri potest, ob solam variationem temporis, quia semper manet eodem modo physicè præterita, nec quia præcisè tempus variatur, oppositæ denominationis fundamentum ponitur: solùm enim ex illa variatione præcisè nouum tempus ponitur, quod istius oppositæ denominationis fundamentum non est, nec esse potest per absolutam etiam Dei potentiam,

An denique illa diuina voluntas quam assignat Medina, qua nimirum Deus libere ab
IV. æterno constitueret, vt si peccator ante decem annos, exempli causa, moreretur, æternis supplicijs addiceretur, sin autem vlteriùs viueret, liber ab hac pœna esset, imò vita æterna post mortem donaretur? At etsi ita Deus constituisset, quod reuera posset, elapsis illis decem annis, quibus homo mansisset semper peccati macula inquinatus, non propterea statim desineret ea inquinari sicut prius, sed solùm fieret, vt ex Dei beneplacito non esset æterna morte vnquam puniendus, imò esset aliquando æterna vita donandus: ex quo minimè consequenter fieret, vt in peccato amplius non esset, cùm habere possit Deus erga eum qui in peccato est non tantùm habituali, sed etiam actuali, voluntatem eum nunquam æterna morte puniendi, licet sit hac pœna dignissimus, & æterna vita donandi, licet ea sit indignissimus: A V.
vt & reipsa habet erga prædestinatos etiam, dum actu peccant mortaliter.

Restat igitur vt secundum dicatur, id est, vt illud ens physicum à Deo volitum & productum, quo volito & producto peccatum remitti dicitur, & quod proinde cum eo incompossibile est, sit peccatori intrinsecum. Et quoniam istud ens physicum non potest non esse tantum saltem diuinæ gratiæ donum, quanta Dei gratia est, peccati remissio, patet tandem nostræ minoris propositionis veritas, quam probandam susceperamus, & hactenus probauimus, in qua dicebamus nullam liberam Dei volitionem esse cum peccato vllo incompossibilem, præter eam, vi cuius producatur in pec-
B VI. catore physicum aliquod gratiæ donum delens vi sua formaliter eius maculam.

Atque cùm hoc physicum gratiæ donum nec sit diuina fides, nec spes, quantumlibet virtus in entitate supernaturalis, quia de fide est vtramque frequenter inesse reipsa hominibus mortaliter etiam actu peccantibus, nec proinde aliud esse possit, quàm illud quod est vera formalisque animæ sanctitas, concluditur nullam aliam volitionem Dei liberam, nullam aliam rem creatam esse cum peccati macula incompossibilem, præter eam, qua & formaliter sanctificare vult eum qui peccato maculatus est, & reipsa sanctificat. Et quoniam qua ratione forma formaliter sanctificans, siue sit habitus, siue actus, vni mortali peccato repugnat, repugnat omnibus: quia repugnat vni, eo ipso
C VII. quo talis sanctitas est, & mortale peccatum, tale peccatum est, quæ ratio mortalibus omnibus communis est, communicantque proinde necessariò hæc & illa subiecto cui insunt formales effectus contradictorie, mediate saltem, oppositos, quos superiore disput. recensuimus, hinc fit, vt absoluta etiam Dei virtute fieri nequeat vnius peccati mortalis remissio, quin simul alia omnia remittantur.

SECTIO III.

Eiusdem partis veritas vniuersim altero argumento probatur.

PROBO denique eiusdem secundæ sententiæ veritatem altero argumento, quod si-
D VIII. cut & præcedens vniuersim de omni peccato concludit, quódque ex natura maculæ peccati hoc modo ducitur. Impossibile est delere maculam peccati, nisi ponatur in rerum natura quidpiam quod cum ea incompossibile sit: nisi enim vel in Deo, vel in creatura ponatur aliquid huiusmodi, non desinet illa macula, sed cum eo quod positum fuerit consistet, sicut antea cum iis quæ posita fuerant consistebat: quia nihil eorum cum illa incompossibilitatem habebat. Atqui nihil poni potest cum ea in-

compossibile, præter physicum gratiæ donum peccatori intrinsecum.

Quod ostendo ex ipsa maculæ peccati natura, quæcunque demum hæc esse dicatur, iuxta varias quæ probabiles videri possunt Theologorum sententias: quarum prima esse potest,
I. eam essentialiter consistere in priuatione gratiæ gratum facientis: secunda, in ente aliquo positiuo purè morali, quod sit peccatum peccatori intrinsecum, distinctumque à peccato præterito, quod actu antea commisit, aut contraxit: tertia, in relatione aliqua reali eidem peccatori intrinseca: quarta, in huiusmodi relatione, sed rationis: quinta, in denominatione extrinseca: sexta, in denominatione intrinseca à peccato actu commisso seu contracto, quam in Tractatu de peccatis disput. 16. veram esse probauimus: septima & vltima, in dignitate pœnæ luendæ, quam Scotus amplexus est. Nam octaua Michaelis Baij eam constituentis in obligatione ad hanc pœnam luendam, condemnata est in Bulla Pij quinti, in qua damnatur inter cæteras hæc illius 53. propositio. *In*
II. *peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu nihil manet nisi reatus, siue obligatio ad pœnam.*

Quæ quidem si vera esset, sanè sufficeret extrinseca Dei voluntas, absque physico dono quod peccatori infunderet ad malitiæ peccati detestationem, sicut sufficit ad obligationem hanc vel inferendam primò, vel auferendam postquam intulit: sed certissimè falsa est, vt constat non modò ex prædicta Bulla, sed etiam ex dictis citata disput. 16. probatúrque breuiter tum ex eo quod sicut in solius iudicis libera potestate est, eum qui peccauit obligare sententia sua ad luendam pœnam, vel non obligare, nec priùs hic obligatus ad eam est, quàm illa in
III. eum sententia lata sit, ita in libera Dei potestate esset, vt ex quocunque peccato quantumuis enormi semel commisso, vel nulla sequeretur macula, vel aliqua, nec priùs hæc reipsa sequeretur, quàm proferret in eum qui peccasset sententiam, qua illum ad luendam pœnam condemnaret, & obligaret: tum quia sicut non ideo formaliter & præcisè quis turpis & maculatus est, aut esse censetur, quia est ad pœnam luendam obligatus, vnde reus ad eam sententia iudicis condemnatus obligatúsque, post hanc latam non est turpior aut inquinatior quàm antea esset: ita nec ista obligatio peccati macula esse potest.

Iam verò si peccati macula in priuatione gratiæ gratum facientis sita dicitur, sanè sicut illa priuatio tolli formaliter non potest nisi per receptam hanc in peccatore gratiam, ita nec illa macula poterit, nec proinde poterit
IV. per extrinsecam aliam & liberam Dei voluntatem, quàm eam vi cuius hæc gratia producetur, qua producta, sicut erit sublata tota illa priuatio, ita & tota illa peccati macula: ad quam proinde tollendam non nisi superflue requireretur præterea aliquis alius extrinsecus Dei fauor, qui etiam ad hoc esset prorsus inutilis, cùm sicut per hunc non produceretur prædicta gratia, ita nec eius priuatio tolleretur, nec per consequens peccati macula, quæ tota in hac priuatione consistere dicitur.

Quod si dicatur in prædicto ente positiuo purè morali consistere, non poterit in primis hoc ens desinere, Deo purè volente subtrahere concursum suum ad huius entis conseruationem, & reipsa subtrahente, sicque nihil intrinsecum ei cui peccatum remittit infundente: nullum enim concursum ad huiusmodi entis aut productionem aut conseruationem potest tribuere, vt præcedente disputatione probatum est. V.

Deinde quamuis aliquem posset, & reipsa tribueret, quoniam tamen, vt ex superiore sectione constat, nullum ens purè morale terminare immediatè liberam Dei volitionem & actionem potest, nullum immediatè desinere, sed solùm ad positionem aut desitionem alicuius entis physici primò & per se terminantis diuinam voluntatem liberam, qua ipsum esse vel non esse vult, illud ens purè morale, quod peccati macula dicitur, desinere nõ posset, nisi Deo volente immediatè vel aliquid physicum esse, vi cuius formaliter desineret, vel aliquid amplius non esse, quo desinente desinere quoque
B deberet. Et quoniam istud ens physicum aut incipiens esse physicè aut desinens, si peccatori prorsus extrinsecum esset, nihil ad desitionem peccati, quo formaliter maculatus est, conferre posset, vt inductione per extrinseca omnia clarum erit, nominatímque per quaslibet temporis externi partes, quarum ex variatione præcisè fieri non posse vt vllius peccati macula desinat, ex dictis præcedenti sectione notum est: consequens manifestè est, necessariam fore physicam in peccatore mutationem, qua vel aliquod ens physicum in se reciperet, vel aliquod à se abiiceret, vt illud ens purè morale, in quo peccati macula reponitur, in eo esse desineret. VI.

Et quoniam ad nullius rei physicæ, nisi peccatoris ipsius puram desitionem, desinere posset quia cum nullius alterius rei desitione eius
C desitio connexa necessariò est, supponit autem proposita initio disputationis huius quæstio, vt ibidem monui, peccatorem, cuius peccatum deletur, retinere suam in rerum natura existentiam: necessarium prorsus ad hanc desitionem esset aliquid physicum in peccatore produci, vi cuius formaliter prædictum ens morale desineret: quod quidem eo ipso esset donum gratiæ, & quidem formaliter sanctificantis, quæ vi sua formaliter peccàti maculam deleret, vt ex dictis ad finem præcedentis sectionis clarum est. VII.

Iam verò si peccati macula dicitur posita in relatione, siue reali, siue rationis, consequens aperte est, eam non posse desinere per extrinsecam Dei voluntatem, sic vt vi voluntatis huius
D nihil physicum fiat, aut nihil aliud quàm ista relatio desinat: nulla enim relatio etiam realis (nisi forte distincta sit realiter à fundamento, & peculiari Dei actione immediatè producatur, ac conseruetur, quod de relatione quæ peccati macula erit nemo dixerit, nec dicere quisquam verè poterit, vt ex antè dictis constat) nulla, inquam, relatio etiam realis desinere potest, aut variari, nisi ad mutationem fundamenti, aut termini, vt inductione certum est. VIII.

Et ratio à priori est, quia quandiu hæc inuariata manent, sicut eodem semper modo sese habent ad inuicem, sic eodem semper modo ad inuicem referuntur. Vt ergo desinat illa relatio quæ peccati macula dicitur, erit necessaria vel fundamenti, vel termini, vel vtriusque desitio, vel aliqua alia saltem alterutrius physica mutatio: desitio fundamenti, quod est præterita peccati actio, si de macula peccati actualis sermo sit, non sufficit vt hæc macula desinat: nam simul atque illa actio physicè præteriit: istud fundamentum desiit, manétque nihilominùs peccati macula: neque vlla vllius alterius rei quàm peccatoris ipsius desitio sufficiens reperietur ad huius maculæ, quæ relatio, siue realis, siue rationis dicitur, desitionem, quia quacunque alia desitione vel re vel mente supposita, perinde remanebit: peccatorem autem non desinere, sed existentiam retinere, vt monui, supponimus: erit ergo necessaria physica mutatio, qua physicum aliquid producatur cum illa relatione seu macula incompossibile, quod quidem aliud esse non poterit, quàm intrinsecum peccatori donum gratiæ, & quidem formaliter sanctificantis: quidquid enim aliud erit, non magis habere cum ea incompossibilitatem aliquam, quam fides aut spes habeat, reperietur.

I. A

II. B

Atque hac ipsa ratione idem de peccati macula euincitur, supposito quòd hæc in denominatione vel extrinseca vel intrinseca consistat: Deus enim sola sua voluntate mutare non potest denominationes à formis vel extrinsecis vel intrinsecis petitas, nisi mutationem aliquam faciat vel in his formis quæ denominationum istarum proxima fundamenta sunt, vel in terminis qui denominantur, aut oppositæ denominationis fundamentum de nouo ponat: quandiu enim nulla fiet in albedine parieti inhærente, & in oculi visione, & in ipso pariete mutatio, tandiu ab albedine sibi intrinseca albus intrinsecè, à visione sibi extrinseca visus extrinsecè denominabitur: & vt denominetur intrinsecè niger, & extrinsecè dexter, cùm antea albus, & sinister denominetur, huius oppositæ denominationis fundamentum, quod est nigredo, aut diuersus eius aut hominis locus, aut situs, producendum est. Fundamentum autem & forma denominationis illius vel extrinsecæ vel intrinsecæ quæ peccati macula dicitur, mutari à Deo non potest. Est enim actio peccati præterita, vel quid aliud similiter præteritum, quod non potest ampliùs non fuisse tale, & non præteriisse.

III. C

Nec dicas, illam quidem actionem præteritam esse denominationis istius fundamentum, at non præcisè prout præterita est, sed prout etiam non est perfectè per aliquem actum aut habitum retractata: pendere autem à libera Dei voluntate quòd non retractetur, quia nec vult infundere habitum, nec dare auxilium ad exercendum actum quo perfectè retractaretur. Ne, inquam, id dicas, quia non denominatur homo peccati macula contaminatus ab illa libera Deo non retractatione tanquam à forma, sed à sola præterita peccati actione atque malitia. Quamquam ad illam denominationem necessaria prorsus est illa non retractatio, tanquam conditio ex parte subiecti requisita, ne tanquam à contrario illa eius denominatio impediatur: quemadmodum vt quæuis alia forma subiecto insit, ipsumque denominet, tanquam necessariam conditionem exigit, vt subiectum contrario impedimento careat. Prædictæ igitur denominationis fundamentum est sola prædicta res præterita, quæ mutari ampliùs, vt dixi, à Deo non potest: terminus autem qui denominatur est ipse peccator, qui sanè duplici mutatione physica mutari potest, vna negatiua, altera positiua: negatiua quidè, si vel ipse desinat existere, vel aliquid in eo præexistens, quo desinente desinat pariter denominari peccati macula inquinatus: at priorè mutationem negatiuam non fieri, vt iam sæpius monui, supponitur: quantumuis autem posterior & cuiuscunque rei accidat, non propterea peccati macula desinet, & homo proinde denominari maculatus, vt ex suprà dictis constat. Restat igitur vt positiua in eo mutatio fiat, susceptione rei cuiusdam, vi cuius hæc denominatio & macula desinat, quæque proinde oppositæ denominationis fundamentum sit, quæ eo ipso quo talis erit, non poterit non esse gratia formaliter sanctificans, vt constat etiam ex iis quæ suprà diximus.

IV. D

V.

VI.

Denique si peccati macula in dignitate pœnæ luendæ formaliter reponitur, cùm naturæ lumine notum sit, quòd sicut nemo potest per extrinsecam præcisè alterius voluntatem aliamve huiusmodi rem fieri dignus vel pœna vel præmio, vt nec malus esse bonusve moraliter, sed per solam malitiam & bonitatem sibi intrinsecam, in qua necessariò fundatur hæc & illa dignitas, ita non potest de digno fieri non dignus, vt nec de malo non malus, aut de bono non bonus: consequens apertè est, hominem dignum pœna, siue æterna, siue temporali, non posse per solam extrinsecam Dei voluntatem aliámve huiusmodi rem fieri de digno non dignum, vt nec de malo non malum, sed solùm per quidpiam intrinsecè in se receptum, quod formalem habeat cum illa dignitate repugnantiam, eámque propterea destruat: quod quidem aliud esse non potest, quàm forma secum afferens necessariò dignitatem ad æternam gloriam, aut huius gloriæ incrementum, ac proinde formaliter hominem sanctificans, hæc enim sola hanc secum adfert dignitatem.

VII.

SECTIO IV.

Soluuntur quatuor argumenta contraria.

VIII.

PRIMVM istud est. Peccatum & gratia non sunt extrema ita inter se opposita, quin inter ea detur medium, medius scilicet puræ naturæ status carens peccato & gratia. Ergo potest quis à peccato transire ad statum puræ naturæ, & proinde remitti peccatum sine gratia. Cuius consequentiæ bonitas probatur primùm à simili, ex ipsa gratia, à qua transitus immediatè fieri potest ad puræ naturæ statum. Secundò similitudine quorumlibet oppositorum, vt caloris, & rigoris: albedinis, & nigredinis: amoris, & odij: assensus, & dissensus: quæ quoniam non sunt extrema inter se opposita, sic vt

inter ea nullum detur medium, nempe ſubiectum capax quidem vtriuſque extremi, ſed aptum carere vtrumvl vtroque, hinc eſt, quod neceſſe non eſt ab vno fieri ſemper tranſitum ad alterum, ſed fieri poteſt ad medium quod inter vtrumque intercipitur.

I. Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Verum enim eſt nondum admiſſo vel contracto peccato: falſum, eo contracto, vel admiſſo. Poteſt enim qui nullum vnquam admiſit aut contraxit peccatum, carere gratia, & ſic dari puræ naturæ ſtatus inter hanc & illud medius: at qui contraxit aliquod, aut commiſit, ad hunc ſtatum immediatè tranſire non poteſt, quia peccati ſui remiſſionem conſequi non niſi per gratiam poteſt. Ex quo patet malam eſſe conſequentiam, & falſum conſequens. Cuius ad vtramq. probationem dico, ideo à gratia tranſiri poſſe immediatè ad ſtatum illum, à calore & frigore, & quibuſuis aliis oppoſitis ac repugnantibus poſitiuis & realibus tranſitum immediatè fieri poſſe ad ſubiectum, quod vtroque extremo careat, quia & gratia & quodlibet iſtorum extremorum, cùm ſit ens poſitiuum & reale, quod ſpeciali Dei actione conſeruatur, deſinere poteſt ſola ſubtractione huius actionis, nulla re de nouo producta, vi cuius formaliter deſinat: at peccati macula, cùm nulla Dei actione conſeruetur, aut conſeruari queat, deſinere non poteſt ſola ſubtractione actionis alicuius, qua antea conſeruaretur, ſed ad ſolam vel ſubiecti deſitionem, vel oppoſitæ formæ productionem, per quam formaliter deſtruatur.

II. Quo loco duo breuiter obſeruare non erit inutile. Primum eſt, eo ſolo in caſu poſſe à gratia ad ſtatum puræ naturæ immediatè tranſiri, quo gratia hæc habitualis eſt, nullum habens adiunctum actum hominis æternæ vitæ de cõdigno meritorium. Nam qui aliquem huiuſmodi exercuit, quantumuis poſtea nulla ſua

III. culpa ſpolietur à Deo omni habituali gratia, non propterea ad ſtatum illum redibit, ſed manebit nihilominus vi illius actus ſui ex præexiſtente illa gratia eliciti dignus æterna vita, ac proinde coram Deo iuſtus & ſanctus, cùm is ſolus ea dignus ſit, nec priùs talis eſſe deſinet, quàm peccet mortaliter.

Secundum eſt, hoc primum argumentum pari facilitate & efficacitate retorqueri à nobis poſſe contra aduerſarios, aſſerentes peccatum poſſe remitti per ſolum extrinſecum Dei fauorem, qua contra nos ab iis proponitur: ſic enim argumentari poſſumus. Inter peccatum & ſpecialem Dei fauorem, ſeu beneuolentiam, qua nihil ad extra producitur ſaltem phyſicum, medius eſt naturæ ſtatus: hic enim ſta-

IV. tus illum ſpecialem extrinſecum Dei fauorem non magis quàm gratiam ex ſe complectitur. Ergo peccator tranſire immediatè à peccato ad ſtatum illum poterit abſque fauore illo, per quem proinde peccatum non remittetur. quo argumento, ſi noſtra reſponſione non vtentur, capientur.

Secundum. Homo in pura natura conditus poſſet haud dubiè peccare etiam mortaliter, cùm reipſa peccauerint noſtri primi parentes & Angeli creati in gratia: nec vllum ab eo commiſſum in illo ſtatu peccatum irremiſſibile eſſet, quia quodlibet eſt ex ſe materia remiſſionis, & proinde remiſſibile eſt: remitti autem per gratiam in ſtatu illo non poſſet, quia eo ipſo quo hæc ſupernaturalis in entitate gratia homini illi communicaretur, deſineret ille ſta- A tus, & ab eo homo ad ſupernaturalem in quo nunc ſumus transferretur. Ergo per aliquid aliud remitteretur, quod non poſſet eſſe niſi Dei fauor extrinſecus. Reſpondeo, hoc argumento recte concludi, non poſſe hominem in ſtatu puræ naturæ remanentem peccati ſui remiſſionem à Deo conſequi, quia non poteſt niſi per id per quod ab illo ſtatu extrahetur, ſi ei communicetur: quod & fateri nobiſcum debent aduerſarij: non enim poteſt, vt exiſtimant, niſi per extrinſecum fauorem Dei peccatum condonantis, qui fauor hominem illum in puræ naturæ ſtatu non relinqueret: quia ſtatus hic, vt ipſa vox puræ naturæ indicat, nihil niſi naturam, & naturæ debita dona continet: fauor autem ille non eſſet homini illi debitus, cùm B peccati remiſſio ſit ſpecialis & ſingularis Dei gratia: imò eſſet indebitus, quia per peccatum ſuum mortale indignum eo ſe, ſicut & peccati ſui remiſſione, reddidiſſet.

V.

VI.

Tertium. Si gratia non delet vi ſua formaliter peccata mortalia, per extrinſecum Dei fauorem deleri poſſunt abſque gratiæ infuſione. Verum prius, igitur & poſterius. Minor ex eo probatur, quòd ſi ea ſic deleret, cum nullo ſtare ſimul poſſet: poteſt autem cum aliquo, nempe cum eo quod conſiſteret in priuatione vnionis hypoſtaticæ, ad quam habendam in ortu noſtro nos Deus obligaſſet, ſicut obligauit ad habendam gratiam: illa enim priuatio non niſi per hypoſtaticam vnionem tolli poſſet, vt nec vlla priuatio niſi per formam qua priuat: cum illa autem priuatione non minùs tunc habere gratiam poſſemus, quàm nunc habemus illa vnione carentes. C

VII.

Reſpondeo negando Minorem: cuius ad probationem dico primò, conſtare ex dictis in Tractatu de peccatis diſputat. 13. ſect. 6. peccatum originis, cùm ſit eſſentialiter mors animæ, in nullius alterius rei priuatione poſſe conſiſtere quàm eius quæ vita animæ eſt, & proinde vera formaliſque animæ ſanctitas, prout præcisè ſanctitas & vita ſecundùm eſſentiam eſt, non autem prout eſt hæc aut illa numero vel ſpecie, prout habitus, aut actus, prout creata, vel increata. Quare ſi vnio hypoſtatica nec ratione ſui, nec increatæ per diuinitatem ſanctificationis, quam ſecum adferat, vita animæ eſt, etſi Deus ad eam habendam nos obligaſſet, eáque careremus, priuatio tamen illius vnionis peccatum originis non eſſet, quia non eſſet D animæ mors formaliter, quandoquidem forma qua priuaret, animæ vita non eſſet. Quòd ſi è contrario vita animæ eſt, vt reuera eſt, ratione increatæ illius ſanctificationis quam neceſſariò ſecum affet, eius priuatio poterit quidem eſſe peccatum originis, quia poterit hæc priuatio eſſe formaliter animæ mors: at tale peccatum eſſe non poterit, quatenus eſt priuatio vnionis illius, aut ſanctificationis, vt talis vnio, aut ſanctificatio eſt, ſed ſolùm vt formalis animæ ſanctitas, & vita eſt: quam for-

VIII.

malem

malem sanctitatis & vitæ rationem cum habeat habitualis gratia sanctificans, per eam formaliter mors illa destruetur, ac proinde peccatum originis.

Quòd si cui fortè placet, peccatum hoc esse positum essentialiter in priuatione cuiuscunque formæ nobis in ortu ex voluntate & præcepto Dei debitæ, etsi non sit formalis animæ sanctitas ac vita, ac proinde ipsum non necessario esse formaliter mortem animæ, sed esse mortale peccatum, sicut actualia multa mortalia sunt, quia mortem hanc consequenter afferunt: Dico secundò maculam peccati originalis eo casu sublatum iri per gratiam sanctificatem, & quidem solam, sicut macula peccati actualis, vel commissionis, vel omissionis, consistentis formaliter in priuatione vel rectitudinis debitæ, vel actus debiti, per hanc gratiam & quidem solam, tolli potest: non enim potest vel per oppositam rectitudinem debitam, vel per actum oppositum debitum.

I. A

Quartum. Potest Deus sola sua purè extrinseca voluntate, absque vllius entis physici in homine cui peccati macula iam remissa est productione, tollere ab eo pœnæ luendæ dignitatem: ergo & ipsam maculam: huius enim maculæ & illius dignitatis eadem omnino quo ad hoc ratio est. Probatur autem ex eo antecedens, quòd tolli potest hæc dignitas per aliquid homini eam habenti tam extrinsecum, quàm sit illa Dei voluntas, nempe per satisfactionem, qua vir iustus pro iusto alio, siue viuente, siue mortuo, satisfacit.

II. B

Respondeo negando antecedens, cuius ad probationem dico, ne per Christi quidem satisfactionem tolli formaliter potuisse, aut posse, multóque minùs per puræ creaturæ, quantumuis eius pro alio satisfactio condigna esset, sicut haud dubiè condigna fuit Christi satisfactio, imò valoris simpliciter infiniti: esset enim solùm per modum condigni meriti, sicut & Christi fuit, eatenúsque proinde solùm satisfaceret, quatenus à Deo condignè mereretur, vt ei pro quo satisfaceret vel infunderet formam qua formaliter illa dignitas ab eo tolleretur, vel absque formæ huius infusione pœnam quàm iustè posset infligere, non infligeret: quod secundum si fieret, non propterea is cui pœna illa relaxaretur, dignus ea non esset, cùm relaxari possit ex misericordia Principis reo, qui ea dignissimus est. Cæterum qualis reipsa sit iusti vnius pro alio, seu viuo, seu mortuo, satisfactio, quótque modis fieri possit, fusè dicetur in Tractatu de pœnitentia disput. 39. ex qua & propositi argumenti inefficacitas, & nostræ ad illud responsionis bonitas clariùs apparebit.

III. C

IV. D

SECTIO V.

Quintum argumentum soluitur.

QVINTVM. Peccata venialia remitti possunt à Deo, & reipsa plerunque remittuntur absque infusione doni vllius physicam & formalem cum iis repugnantiam habentis: ergo possunt & mortalia: quo ad hoc enim horum & illorum eadem ratio est. Probatur antecedens. Sic enim de facto remittuntur & per sacramenta baptismi, pœnitentiæ, Eucharistiæ, & per martyrium. Nam gratia sanctificans quę per hæc producitur, nulli veniali peccato repugnat. Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem dico, per prædicta quidem remitti peccata venialia, sed mediante habituali gratia formalem cum iis repugnantiam habente, non quidem ex se præcise, sed ex præsuppositа de illis contritione seu attritione: quod quo modo fieri possit, & reipsa fiat, suo loco, nempe in Tractatu de pœnitentia disp. 9. fusè explicabitur.

V.

At dices, etsi per pœnitentiæ sacramentum ex Christi institutione remitti venialia peccata non possint, nisi præcesserit aliquis de iis dolor saltem attritionis, posse tamen, & reipsa remitti absque eo præuio per baptismum, & Eucharistiam, quando dignè suscipiuntur, per martyrium quoque, quando debitè sustinetur: per hoc quidem, ex S. Thoma 3. parte qu. 87. art. 1. ad 2. vbi *Passio*, inquit, *pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, & ideo purgat ab omni culpa & mortali & veniali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem.* Per Eucharistiam verò ex eodem S. Doctore eadem 3. parte quæst. 79. art. 4. in corpore, id ex eo probante, quòd, vt loquitur, *Sacramentum hoc sumitur sub specie cibi nutrientis, nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis, spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia quæ diminuunt feruorem charitatis, & ideo competit huic sacramento vt remittat peccata venialia.* Per baptismum denique ex Tridentino Concilio sess. 5. can. 5. in quo definit in renatis nihil esse quod Deus oderit, quod aliqua damnatione dignum sit, quod eos ab ingressu cœli remoretur: esset autem aliquid huiuscemodi, si essent peccata venialia, quæ & odio Dei, & aliqua damnatione digna sunt, & ab ingressu cœli remorantur, cùm nullus antequam ab iis emundatus sit, in cœlum admittatur.

VI.

VII.

Respondeo falsum esse, in ipsa reali vel martyrij perpessione, vel baptismi, vel Eucharistiæ susceptione etiam fructuosa, remitti ea peccata venialia de quibus nullus præcesserit dolor: verissima enim, sicut & communissima, Theologorum doctrina est, neminem vllius actualis peccati, & proinde propria voluntate liberè commissi, consequi à Deo remissionem in hac vita, siue in sacramento, siue extra, nisi se eadem voluntate ab eo liberè auertat per conceptum aliquem de eo dolorem, siue formalem, siue virtualem. Et id quidem de Eucharistia tractantes disput. 34. sect. 1. de ea probabimus.

VIII.

Nec allata Diui Thomæ ratio vim in contrarium habet: præsupponit enim S. Doctor debitam in eo qui hoc sacramentum suscipit, ad huius cibi spiritalis spiritaliter nutrientis effectum, qui est remissio venialium peccatorum, dispositionem, quæ est præuius aliquis de iis conceptus dolor, sicut & præsupponit debitam ad illum effectum, qui est animæ nutritio pabulo gratiæ sanctificantis, quã non conferet,

ea dispositione non præsuppositâ, licet hoc sacramentum, sicut ex institutione sua est essentialiter spiritalis animarum cibus & nutrimentum, ita nunquam possit siue digne siue indigne suscipi, quin tanquam huiusmodi cibus ac nutrimentum suscipiatur. Quamquam fateor, quòd dum hoc sacramentum eo modo remittit peccata venialia, quo præseruat à mortalibus, collatione scilicet actualis gratiæ auxilij, cuius ope & tentationes ad mortale peccatum allicientes superantur, & feruor charitatis per quem formaliter venialia delentur, concipitur, tunc præuius de his peccatis dolor non est necessarius: sed hic modus remissionis venialium peccatorum per Eucharistiæ sacramentum, plerunque non in ipsa eius susceptione fit, sed postea, dum illud gratiæ excitantis ad charitatis feruorem auxilium à Deo confertur. I.

Quòd verò ad martyrium attinet, cùm ex relatis Diui Thomæ verbis constet eum martyrio non plus tribuere virtutis ad delenda peccata venialia, quàm baptismo insit, immo tribuat illi; quia vim huius obtinet, sanè sicut huic non ineſt vis ea delendi, nisi præuio de II. B iis aliquo dolore saltem attritionis, tanquam dispositione ad hunc effectum necessaria, ita nec illi ineſt. Dum ergo sanctus Doctor illi sicut & baptismo tribuit vim ad purganda peccata omnia & venialia & mortalia, sicut non excludit necessariam ad purgationem mortalium dispositionem, imò præsupponit, ita nec excludit necessariam ad venialium, sed præsupponit.

Neque verò Tridentinum Concilium citato loco contrarium de Baptismo definit, aut indicat. In primis enim dici non improbabiliter potest, Canonem illum quintum, sicut & quartum præcedentem, de solis infantibus intelligendum esse, sic vt quarto definiatur eos recenter natos habere in se maculam originalis peccati, quam necesse sit Baptismi sacramento ablui: quinto autem eosdem ab illa macula per hoc sacramentum sic purgari, vt non radatur, sed eradicetur, non tollatur ex parte solùm, sed totaliter: sicque fiat, vt in iis ita purgatis nihil sit quod Deus oderit, quod aliqua damnatione dignum sit, quòd eos ab ingressu cæli remoretur, quod verissimum est. III.

Deinde etsi quintus hic canon de adultis etiam intelligatur, profectò sicut Concilium definiens eos per susceptum Baptismum ab omni peccato mortali etiam actuali emundari, non excludit, imò præsupponit præuiam in iis ad hunc effectum dispositionem necessariam, quæ est aliquis de peccatis omnibus actualibus mortalibus dolor: ita definiens eosdem ab omni actuali veniali per idem sacramentum purgari, non excludet, imò præsupponet præuiam in iisdem ad hunc effectum necessariam dispositionem, quæ est etiam aliquis de his omnibus peccatis dolor. IV.

Denique quamuis in renatis cum præuio de mortalibus omnibus dolore, nullo præuio de venialibus, hæc venialia remaneant, non propterea tamen aliquid in iis oderit Deus, aut iisdem merit aliquid damnationis, aut quidpiam eos ab ingressu cæli remorabitur: loquitur enim Concilium non de qualicunque Dei odio, sed de eo quod est simpliciter odium, & ratione cuius homo Deo inuisus & inimicus esse censetur, cuius odij obiectum in renatis illis nullum est, quia non est aliud quam mortale peccatum, omni autem carent: quo fit vt nihil etiam in iis damnationis sit: damnationis enim aliquid alicui ineſſe, est ex mente Concilij ineſſe quidpiam quod æterna morte dignum sit, cuiusmodi nihil est præter mortale peccatum. Nam Apostoli verba vsurpans eodem haud dubiè sensu quo Apostolus loquitur: hic autem ad Romanos 8. sic loquens: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant*, de iustis omnibus certissimè loquitur, quibus tamen ineſſe pleraque peccata venialia, catholica fide certum est. Quæ quidem etsi tum maneant in iis qui per Baptismum in Christo renati sunt, quando nullum de iis dolorem habuerunt, nihil tamen habent quod eos ab ingressu cæli remoretur: nihil enim iustos ex hac vita abeuntes ab ingressu illo nisi pœna ad tempus luenda remoratur, nullam autem renati illi luendam habent, quia Baptismus fructuosè susceptus omnem peccatis eum antecedentibus debitam relaxat. V. VI.

At vrget aduersarius: si fructuosè baptizatus non semper ex Baptismo venialium omnium peccatorum remissionem consequitur, contingere poterit vt iis solis inquinatus moriatur, erúntque illi maculæ istæ eluendæ antequam cælum ingrediatur: eritque per consequens aliquid quod eum ab ingressu cæli remorabitur. Sed negatur hoc consequens, nam eluentur in instanti separationis animæ à corpore per actum perfectæ contritionis quem de iis illa concipiet, sicut autem instans tempus non est, ita nulla mora C est, aut si aliqua, profectò tam exigua, vt nulla meritò censeri debeat, & appellari, cùm præsertim nemini mortalium certò constet, eos qui moriuntur immunes ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ, vel eo momento quo soluitur anima corpore, clara Dei visione perfrui, vel etiam priusquam in cælum beatorum domicilium reipsa translati fuerint. VII.

At vrget iterum, quæritque, quid si contingat illum hominem peccare postea mortaliter, & in hoc peccato mori, plectetúrne in inferno pœna aliqua, non solùm propter hoc mortale, sed etiam propter illa venialia, quorum remissionem nec in Baptismo, nec reliqua vita consecutus est? Sed quæro vicissim ego, vtrùm sit aliqua pœna plectendus propter illa mortalia, quorum quoad D maculam quidem remissionem per Baptismum accepit, sed non quoad pœnæ iis debitæ dignitatem, cum qua, vt suppono, mortuus est, quia nullis operibus satisfactoris eam dum viueret extinxit. Respondebit, opinor, nulla plectendum, quia Baptismus semel rite susceptus ex speciali Dei priuilegio propter Christi merita relaxat omnem peccatis antecedentibus pœnam debitam, etsi non tollat omnem eius luendæ di- VIII.

gnitatem, & nos idem ob eandem causam respondebimus.

Nec dicat baptismum semper tollere simul cum maculis omnium mortalium peccatorum omnem contractam per illa pœnæ luendæ dignitatem: nam hoc verè dici non potest, eo quòd vna quidem ex parte tam ex natura rei post elutas per baptismum peccatorum mortalium maculas, potest in homine manere dignitas ad luēdam pro iis pœnam aliquam temporalem, quàm maneat, post easdem purgatas per pœnitentiæ sacramentum, cùm ex parte hominis qui fructuosè baptizatur possit esse nec melior ad baptismum dispositio, nec vberioris gratiæ per eum infusio, quàm ex parte alterius qui pœnitentiæ sacramentum ritè suscipit: ex altera verò pœnæ luendæ dignitas per purè extrinsecam alterius voluntatem tolli non potest, vt suprà probauimus, sed solùm per formam intrinsecam ei formaliter repugnantem, quæ est vel opus virtutis condignè pro ea satisfactorium (quo modo nos in hac vita tollere à nobis eam possumus) vel condignæ pœnæ cum patientia in statu gratiæ perpessio, quo modo animæ in purgatorio eam in se formaliter destruunt, vel ipse status beatitudinis oppositam dignitatem secum necessariò afferens, vt affert gratia sanctificans oppositam dignitati mortis æternæ luendæ, quæ mortali peccato coniuncta necessariò est: quomodo destrueretur in eo, qui pœna dignus ob peccata præcedentia, repente à Deo nulla præuia satisfactione, vel pœna tolerata, beatitudine donaretur. Hæc de quinto argumento, quod vt est omnium quæ proponi possunt grauissimum, ita nos meritò diutiùs detinuit: tria quæ supersunt breuius expedientur.

SECTIO VI.

Alia tria soluuntur.

SEXTVM. Deus sola extrinseca sua voluntate potest obligationem voti, exempli causa, soluere, ergo & peccatum remittere. Respōdeo distinguendo antecedens: si enim sensus eius sit, posse absque physica eius qui ab obligatione voti soluitur mutatione, verum est: sin autem, posse absque vlla physica facta in rebus mutatione, falsum est: libera enim Dei volitio ad solum ens physicum producendum terminari immediate potest, vt ex suprà dictis constat, & in præsenti negotio ad soluendam voti obligationem necessaria vt minimum est externa locutio, qua dicat Deus se obligationem hanc remittere, tanquam terminus immediatus liberæ volitionis, qua eam remittere vult.

Nec dicas, aliud esse Deum eam remittere, aliud dicere se remittere, & in ipsa proinde remissione nullam physicam interuenire mutationem, licet in dictione remissionis aliqua interueniat, imò illud dicere supponere ipsam remissionem, Deumque proinde priùs natura votum remittere, quàm dicat se remittere. Ne, inquam, id dicas, quia Deum remittere nihil aliud est quàm dicere se remittere, & hæc proinde remissio illud dicere tanquam quid priùs minimè antecedit, imò ipsa passiua voti tanquam vinculi solutio posterior est ista actiua loquutione & remissione, quia eius effectus est. Et quemadmodum Deus voti obligationem non remittit reipsa, nisi dicendo se remittere, quia non priùs desinit illa obligatio, quàm fit hæc dictio: ita Deum velle remittere, aliud nihil est, quàm velle dicere se remittere.

At hinc inferes, non posse quidem Deum peccatum, sicut & votum, remittere sola sua extrinseca voluntate, absque physica aliqua in rebus mutatione, sed posse sine physica vlla facta in ipso peccatore, cui peccatum remittitur, Deo dicente exteriùs se hoc ei remittere, sicut remittit votum dicens exteriùs se illud remittere. Sed respondeo, malam hanc illationem esse, falsúmque quod infertur: disparitatis inter votum & peccatum ratio sect. 2. allata est, hæc nimirum, quòd sicut voti rúmque similium obligatio à libera Dei voluntate homini prorsus extrinseca pendet vt primò sit, ita etiam vt semel posita vel continuè perseueret, vel per aliquid homini purè extrinsecum desinat: at peccati macula, sicut ab extrinseca Dei voluntate non pendet vt sit, positis omnibus ex parte creaturæ ad eam necessariis, ita nec tolli per illam voluntatem, & aliquid huic creaturæ purè extrinsecum potest: sola enim illa entia purè moralia tolli possunt per extrinsecam alterius voluntatem, & aliquid homini à quo tolluntur extrinsecum, quæ ab eius extrinseca voluntate dependent vt primò sint, vt inductione per omnia certum est.

Septimum. Homo homini remittit offensam contra se commissam, absque eo quòd quidquam physicum in eo producat: ergo & Deus sic in se commissam remittere poterit. Respondeo concedendo consequentiam, dummodo non aliter eam Deus quàm homo remittat: homo enim offensam remittens nihil remittit aut remittere potest præter pœnam, quam iure ab offendente repetere posset, & huius pœnæ luendæ obligationem, si forte ad eam luendam illum iam voluntate sua & sententia condemnauerat: & ideo hanc & illam potest remittere, quia vt hæc & illa primò sit, ab eius libera voluntate dependet: at dignitatem ipsius pœnæ luendæ, formalémque illam rationem, ex qua proximè hæc dignitas oritur, quæ est ipsa formaliter offensa, seu peccati contra hominem admissi macula, non potest, quia neque hæc, neque illa vt primò sit est ab eius libera voluntate dependens.

Et quidem quòd hanc formalem offensæ rationem non remittat, dum offensam dicitur remittere, hinc manifestum est, quòd offensam eo ipso tempore quo committitur tam potest remittere, quàm postquam à longo tempore commissa est: sicut enim de hac offensa dicit, ex animo remitto, ita & dicere de illa potest eo ipso tempore quo committitur, & quo proinde est, nec remitti sic potest vt per remissionem esse desinat, alioqui simul esset, & non esset, quod impossibile est. Sicut igitur hanc offensam eo tempore quo actu committitur, & est, remittēs nihil

aliud remittit, quàm prædictam pœnam, & eius luendæ obligationem, quam si vellet imponeret: ita & dum remittit, postquam iam à multo tempore commissa & præterita est. At Deus offensam remittens, non hanc tantùm obligationem & pœnam remittit, sed & ipsam
I. formalem offensæ ac peccati maculam, à qua A perinde animam purgat, ac si ea nunquam inquinata fuisset: ac proinde concesso simpliciter antecedente neganda simpliciter consequentia est, propter hanc diuersam Dei & hominis offensæ remittendæ rationem.

Octauum & vltimum. Si peccatum remittere sola sua libera voluntate Deus non potest, absque eo quòd quidpiam intrinsecum in peccatore producat, ideo est, quia libera eius volitio ad nihil purè morale terminari immediatè potest: atqui falsum hoc est, igitur & illud. Minor probatur: libera enim Dei volitio propter infinitã suam in ratione volitionis perfectionem, qua eminenter in se continet omnes omnium creaturarum liberas volitiones, po-
II. test ad illud omne immediatè terminari, ad quod possunt hæ liberæ volitiones, dummodo B id aliunde nulli diuinæ perfectioni repugnet, possunt autem hæ ad aliquid purè morale terminari immediatè, & reipsa frequenter terminantur.

Respondeo primò negando consequentiam Maioris, tum quia ex eo quòd libera Dei volitio ad ens purè morale terminari nequeat, solùm sequitur, vt ad ens physicum producendum terminari primò debeat, siue sit intrinsecum ei, siue extrinsecum, in quo morale aliquid resultat, aut desinit. Tum quia etsi posset immediatè ad aliquod ens morale terminari, vt ad imponendam tollendámve vel præcepti, vel voti, vel similem obligationem, non tamen
III. posset ad quodlibet, nominatímque ad peccati maculam auferendam, vt nec ad ponendam, propterea quod eo non obstante tolli non pos- C set hæc macula, nisi per aliquid sibi formaliter repugnans, nihil autem ei sic repugnat præter formam formaliter sanctificantem, & proinde homini intrinsecam: sanctificari enim formaliter per nihil sibi extrinsecum potest.

Respondeo secundò, concessa gratis Maioris consequentia, falsam esse Minorem, cuius ad probationem dico, liberam Dei volitionem, quantumuis in ratione volitionis infinitè perfectam, & eminenter in se continentem omnes omnium creaturarum liberas volitiones, non posse tamen ad aliquid purè morale immediatè terminari, licet hæ possint, & ideo non posse, quia sic perfecta est: ideo enim hæ illud possunt, quia seipsis formaliter physicam in rebus mutationem faciunt, (ac proinde sufficientem vt ens aliquod purè morale vel exur-
IV. gat, vel desinat) & quidem intrinsecè in ipsa creatura volente, quia non est liberè volens per entitatem suam, sed per actum sibi superadditum re distinctum, quæ magna & creaturæ & actus imperfectio est, Deo & liberæ eius volitioni repugnans, ob infinitam quam habet hæc & ille perfectionem, ob quam neque hæc ab illo, neque ille ab hac distingui à parte rei potest. Quo fit, vt cùm ille sit liberè volens per eandem penitus entitatem necessariam & inuariatam, per quam Deus est, nec proinde liberè volendo vllam in se mutationem faciat, aut facere possit, aliunde verò vt ens purè morale in rebus exurgat, aut desinat, physica aliqua mutatio naturæ saltem ordine prior necessaria sit, vt superius probatum est, necessarium quoque sit, vt Deus libera sua volitione priùs V. aliquam physicam in rebus mutationem faciat, quam purè moralem, ac proinde vt libera eius volitio priùs ad ens aliquod physicum producendum quàm purè morale terminetur.

DISPVTATIO XI.

Quænam res formaliter hominem adoptiuum Dei filium constituat.

SECTIO PRIMA.

Quid sit sentiendum declaratur, & probatur. VI.

SVPPONIT hæc quæstio iustos homines esse Dei filios adoptiuos, quod ex Scripturis & Conciliis tam certum est, vt nulla non modò Catholicis, sed hæreticis etiam ea de re dubitatio sit. Prima autem est de proposita quæstione sententia Lessij lib. 12. de perfectionib. diuinis cap. 11. & lib. 2. de summo bono cap. 1. quem nonnulli Theologi, sed pauciſſimi secuti sunt, hominem neque gratia, neque charitate, neque re vlla creata constitui formaliter Dei filium adoptiuum, sed sola diuinitate Spiritus sancti ipsi vnita per gratiam iustificantem, tanquam per vinculum illam cum eo connectens, sicut corpus nostrum animatur & viuificatur VII. sola animâ nostrâ sibi vnitâ intermedia vnione tanquam vinculo, sic tamen vt hoc vinculum non sit forma qua viuum formaliter & animatum est, cùm non sit ipsa formaliter anima, & corporis vita, sed sola animæ substantia, quæ sola est vita corporis, sicut & sola eius anima est: sicut etiam quodlibet subiectum fit formaliter tale, vel tale, vt puta candidum, aut calidum, solo candore, aut calore sibi vnito per inhæsionem tanquam per vinculum, sic tamen vt hoc vinculum seu inhæsio non sit forma qua formaliter est & denominatur candidum, aut calidum, cùm non sit ipse formaliter candor, aut calor, sed hic solus aut calor, aut candor.

Secunda est, hominem adoptiuum Dei filium formaliter constitui sola gratia iustificante seu gratum faciente, considerata etiam VIII. secundùm suam præcisè entitatem: quam tuentur illi omnes, qui nobiscum sentiunt, gratiam hanc sic spectatam esse formalem animæ sanctitatem omni peccato mortali sic natura sua repugnantem, vt cum eo stare non possit per absolutam etiam Dei potentiam: ex aliis autem contrarium sentientibus tuetur quoque Suarez lib. 7. de gratia cap. 2. & duobus seqq.

Probatur hæc ſententia primò authoritate S. Doctoris, qui hac prima ſecundæ quæſt. 110. artic. 3. in corpore, dicit expreſsè, gratiam de qua loquimur, *eſſe naturam diuinam participatam, & ſecundùm acceptionem huiuſmodi naturæ homines regenerari in filios Dei.* Vbi Caietanus hanc S. Thomæ doctrinam explicans, & cum ipſo gratiam à charitate diſtinguens, ſic ad primum loquitur: *Falſum eſt, quod diuidere inter filios regni & perditionis æque formaliter conueniat vtrique. Nam gratia facit filium Dei formaliter, charitas autem operatiuè: illa enim eſt principium eſſendi in natura diuina participata, iſta eſt principium operandi ſecundùm naturam diuinam participatam.* Rurſus idem ſanctus Thomas ſequenti quæſtione 114. artic. item 3. de eadem gratia loquens ſic ait: *Per quam homo conſors factus diuinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo iure adoptionis.* Quo loco Caietanus iterum ad primum explicans hanc S. Thomæ doctrinam ſic clariſſimè loquitur: *Sola gratia conſtituit filios Dei ſeclusa quacunque ordinatione.*

I. A

II. B

Probatur ſecundò ex Apoſtolo, & Tridentino Concilio: ille enim ſic ad Coloſſenſes 1. loquitur: *Gratias agentes Deo Patri, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Quæ verba poſtquam Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 3. extremo retulit, ſequens ita exordiitur: *Quibus verbis iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, vt ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Per quæ verba Concilium clarè ſignificat, ipſa formaliter iuſtificatione, cùm eſſentialiter ſit tranſitus ſeu tranſlatio à ſtatu peccati ad ſtatum adoptionis filiorum Dei, nos adoptiuos Dei filios fieri. Definit autem cap. 7. ſequenti iuſtificationem nihil aliud continere, quàm remiſſionem peccatorum, & renouationem interioris hominis, & ſanctificationem, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. In hac ergo peccatorum remiſſione, & interiori per gratiæ dona renouatione ac ſanctificatione includitur forma nos formaliter adoptiuos Dei filios conſtituens, quæ quidem alia eſſe non poteſt quàm gratia gratum faciens.

III. C

Quod præterea idem Concilium indicauit eodem capite ſeptimo, verbis his iuſtificationis definitionem hanc, *quæ non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*, immediate conſequentibus: *Vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Quibus poſtremis verbis aperte ſignificat, per eandem gratiam hominem fieri hæredem regni cæleſtis tanquam paternæ hæreditatis, ac proinde adoptiuum Dei filium conſtitui, per quam fit formaliter ex iniuſto iuſtus, & ex inimico amicus, quæ ſanè alia non eſt quàm prædicta gratum faciens: per quam gratiam dixit Apoſtolus loco citato, nos transferri in regnum Dei, eodem ſenſu quo dixit hîc Concilium, nos eius hæredes fieri, id eſt, pro præſenti tempore vitæ mortalis, non quidem in re, ſed in ſpe, propter ius quod ad illud per illam obtentam in iuſtificatione gratiam acquirimus, & per quam proinde adoptiui Dei filij formaliter conſtituimur.

IV. D

Probatur tertiò ratione à priori, qua etiam primæ ſententiæ fundamentum penitus euertitur, quod eſt, neque gratiam, neque vllum aliud donum creatum ſecundum entitatem ſuam præcisè ſpectatum, repugnare natura ſua peccato mortali, ſic vt cum eo ſimul ſtare nequeat ſpectata abſoluta Dei potentia, cùm tamen adoptiua diuina filiatio talis ſit, vt cum illo non poſſit vlla vi conſiſtere: quo fit, vt quærenda ſit alia forma nos formaliter conſtituens adoptiuos Dei filios, quæ non poteſt alia eſſe quàm increata, quandoquidem nulla creata id poteſt. Eſt autem hæc ratio.

V.

Ea forma creata, quæ eſt vera formaliſque hominis ſanctitas, pugnans natura ſua cum quolibet peccato mortali, ſic vt nulla virtute cum vllo poſſit conſiſtere, facienſque hominem cui ineſt dignum æterna vita, eum formaliter adoptiuum Dei filium conſtituit. Atqui talis forma eſt gratia gratum faciens. Minoris huius veritas fuse diſp. 9. probata eſt. Maioris ex eo conſtat in primis, quod ad diuinam filiationem adoptiuam nemo requirere quidpiam amplius meritò poteſt, cùm præſertim hæreditas quam Deus Pater adoptiuis ſuis filiis dare poteſt, non ſit alia quàm æterna vita, ad eámque ius habeat quiſquis ſanctus & dignus ea eſt, & eo ipſo habeat, quo talis eſt, nec habere poſſit quin ſit filius, cùm filium eſſe, vel nihil aliud ſit formaliter, quàm tale ius habere, vel ſi quid aliud eſt, ſit quiddam cum illo iure neceſſariò connexum, illud antecedens, aut concomitans.

VI.

Conſtat deinde ab exemplo peccati mortalis, quod quia per ſe facit hominem dignum æterna damnatione, facit eundem formaliter filium diaboli, & hæredem mortis æternæ, vt communiter omnes & ſentiunt, & loquuntur, nominatimque ipſe Leſſius in appendice ad citatum caput 11. num. 2. non verò quòd peccatum illud ſit quodammodo vinculum peccatorem cum diaboli perſona & natura connectens, tanquam cum forma per quam fiat formaliter eius filius, & æternæ mortis hæres. Vnde ſaltem à pari concluditur, formam creatam, quæ talis erit natura ſua, qualis in Maiore noſtra dicitur, facturam per ſe formaliter hominem Dei filium, & hæredem æternæ vitæ, non autem quòd ſit vinculum illi copulans Spiritus ſancti perſonam & naturam, tanquam formam qua formaliter talis fiat.

VII.

Quartò hac altera ratione primæ illius ſententiæ falſitas, & ſecundæ proinde veritas demonſtratur, cùm nulla ſuperſit probabilis. Spiritus ſancti vel perſona vel natura nos non ſanctificat formaliter, ergo nec formaliter adoptiuos Dei filios conſtituit. Conſequentiæ bonitas hinc patet, quòd ea ſola res poteſt conferre formaliter creaturæ filiationem diuinam adoptiuam, quæ confert ei formaliter ſanctificationem, in qua fundatur dignitas ad æternam vitam: quod ita verum eſt, vt ne Verbi quidem perſona & diuinitas vnita Chri-

VIII.

sti humanitati hypostaticè eum vt hominem constituere potuerit Dei filium naturalem, nisi eundem seipsa formaliter sanctificaret, & sanctificando dignum æternæ vitæ hæreditate redderet, vt & communis Theologorum doctrina est tertia parte ad quæst. 23. artic. 4. & I. nos in Tractatu de Incarnatione disputat. 51. sect. 2. probabimus. Et ratio à priori est, quòd homo alterius filius titulo filiationis ius habet ad hæreditatem patris, Dei autem Patris hæreditas est æterna vita: quæcunque ergo res hominem Dei filium, siue naturalem, siue adoptiuum, formaliter constituit, conferre ei simul aut consequenter debet ius ad æternæ vitæ hæreditatem, nullum autem confert, nisi quia confert eius habendæ dignitatem: qui enim hac dignitate caret, ius ad illam vitam nullum habet: non fundatur autem hæc dignitas, nisi in formali sanctificatione: quisquis enim ea caret, potest in mortali peccato esse, dignúsque proinde æterna morte, & æterna vita indignus: debet ergo formaliter hanc conferre sanctificationem.

II. Nec respondeas prædictum ius haberi posse ex libera Dei voluntate vitam æternam promittentis, aut absolutè, aut sub conditione alicuius operis, licet huius vitæ de condigno non meritorij. Nam qui non aliud aut aliunde ius habebit, Dei filius non erit: poterit enim in peccato mortali esse & permanere: nam huiusmodi homini vitam æternam prædicto modo promittere potest Deus, cùm tamen ex consensu etiam aduersariorum diuina filiatio cum mortali peccato stare non possit.

Iam probo antecedentis veritatem, & primùm quidem ex Tridentino Concilio sess. 6. cap. 7. in quo vnica nostræ iustificationis causa formalis dicitur esse iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit: esset autem iustitia qua Deus ipse iustus est, causa formalis III. nostræ iustificationis, seu, quod idem est, sanctificationis, si nos Spiritus sancti diuinitas formaliter per semetipsam sanctificaret: per hanc enim ipse Deus iustus formaliter & sanctus est.

Deinde ex eo probo, quòd consequens esset, quemlibet iustum infinitè sanctum esse, & quidem tam infinitè sanctum, vt sanctior per absolutam etiam Dei potentiam fieri non possit, imò tam esse sanctum quàm ipse Deus est, quia per eandem numero sanctitatem sanctus esset, hoc solo discrimine, quòd Deus per se formaliter sanctus est, ille per aliud formaliter, nempe per Deum sanctus esset: sicut & Christi humanitas, eo quòd per diuinitatem vt & ipse Deus formaliter sanctificatur, tam infinitè sancta est, vt sanctior esse nulla vi possit, imò tam sancta est quàm ipse Deus, illo solo cum IV. discrimine quo dixi: quæcunque enim forma est alicui subiecto sufficienter vnita ad tribuendum ei suum primarium formalem effectum in genere causæ formalis, totum quem absolutè potest necessariò tribuit, dum præsertim est forma indiuisibilis, eiúsque proinde formalis effectus, sicut & illa, in indiuisibili positus est, vt & inductione per omnes formas certissimum est.

Et ratio est, quòd sicut primarius alicuius formæ subiecto sufficienter vnitæ ad ipsum in genere causæ formalis denominandum effectus tanta necessitate cum ea connexus est, vt nulla virtute possit separari, ita & totus eius totius primarius formalis effectus. Iam verò sanctitatis primarius effectus formalis est sanctificare formaliter, & diuinitas siue Spiritus A sancti, siue alterius personæ diuinæ est indiuisibilis sanctitas, & quidem tam infinita, vt V. nulla maior esse aut cogitari ab ipso etiam Deo possit. Nulli ergo rei sufficienter vnita esse poterit ad eam formaliter sanctificandam, quin eam reipsa sic sanctificet, & tam infinitè, vt & sanctior esse nulla virtute possit, & non possit non esse tam sancta, quam ipse Deus sanctus est, eo solo cum discrimine quod prædictum est.

Respondent aduersarij, id quidem ita futurum, si quemadmodum humanitati Christi Verbi diuinitas & persona vnione substantiali, sic Spiritus sancti iustis vniretur, at vniri tantùm accidentali & diuisibili, nempe gratia gratum faciente, hínceque fieri, vt sicut hæc modò maior, modò minor est, ita B Spiritus sancti diuinitas per hanc vnita iustis, modò magis, modò minùs eos formaliter sanctificet, nec vnquam magis quàm sit intensa gratia, qua tanquam vinculo iis vnitur & copulatur. Quod confirmare nituntur exemplo beatificæ visionis, quæ non est in beatis infinita, & tanta, quanta in Deo est, etsi habeant vnitam intellectui suo eandem diuinam essentiam instar speciei & obiecti cognoscibilis, quæ diuino sic vnita est: eo quòd licet infinita sit, non est tamen vnita creato intellectui nisi ad effectum visionis pro quantitate luminis gloriæ, quod finitum est, producendum, cui Deus illam suæ essentiæ immediatam in ratione obiecti cognoscibilis vnionem & virtutem attemperat.

At hæc responsio nullo modo satisfacit. C Quid enim refert, vtrùm formæ formalem VII. suum effectum communicantis vnio cum eo cui communicat, sit substantialis, an accidentalis, diuisibilis, aut indiuisibilis, materialis, aut spiritalis, naturalis, aut supernaturalis, distincta à parte rei, aut indistincta, dummodo talis sit, vt sufficienter illam forman vniat ad hoc, vt effectum suum formalem tribuat ei cui vnitur, ipsúmque denominet in genere causæ formalis, cùm denominatio non petatur ab vnione, sed à sola forma quæ vnitur? quæ, vt paulò antè dixi, & probaui, quoties est alicui sufficienter vnita ad tribuendum ei suum primarium formalem effectum, toties totum quem absolutè potest tribuit, dum præsertim est indiuisibilis, & tam necessariò tribuit, vt nulD la vi impediri possit: contra quam doctrinam VIII. & vniuersalissima inductione, & naturali lumine ac ratione certissimam, nihil allata responsione dicitur.

Sanè quæcunq. dicatur esse Verbi diuini cum Christi humanitate vnio, siue distincta ab extremis vnitis, siue indistincta, siue substantialis, spiritalis, supernaturalis, indiuisibilis, siue accidentalis, materialis, naturalis, diuisibilis, dummodo talis sit, vt sufficienter illud cum hac vniat ad constituendam physicè vnicam nume-

to cum ea persónam, semper hæc ab illius vnita sibi diuinitate sanctificabitur formaliter, & denominabitur eodem prorsus modo quo núc sanctificatur, & denominatur: similiterque quæcunque sit aut cogitetur & supponatur esse candoris, caloris, frigoris, & cuiusuis alterius accidentis intensionem octo v.c. graduum habentis, vnio cum subiecto, dummodo sufficiat vt subiectum candidum, aut calidum, aut frigidum formaliter fiat, & denominetur, non potest ab illo candore, calore, frigore non fieri formaliter candidum, calidum, frigidum vt octo, & denominari. Erit ergo Spiritus sancti diuinitas & persona sufficienter vnita iustis, vt eos in genere causæ formalis sanctos faciat & denominet, vel non erit. Si secundum, nullo modo faciet, & denominabit: si primum, tantum faciet, & denominabit, quantum diximus.

I. A

Ad confirmationem dico nihil omnino ad rem facere relatum beatificæ visionis exẽplum, quæ creata quidem est, finita, & diuisibilis, licet sit ab essentia diuina increata, infinita, &

II. B

indiuisibili, vnita intellectui instar speciei & obiecti cognoscibilis, sed non mirum, cùm non sit eius effectus in genere causæ formalis, sed efficientis, nec necessarius, sed liber: non sit autem necesse proprios causarum efficientium effectus tales & tantos esse, quales & quantæ sunt causæ illæ, imò plerunque prorsus impossibile sit. At sanctificatio, qua iusti sanctificari dicuntur per vnitam sibi Spiritus sancti diuinitatem & personam, eius effectus est in genere causæ non efficientis, sed formalis, nec liber, sed summè necessarius, & proinde increatus, indiuisibilis, infinitus, sicut & forma à qua tribuitur: vno verbo talis, ac tantus, qualis, & quantus ab ea esse vnquam potest, imò qualis, & quanta ipsa est.

III. C

Quòd si quis aduersariorum, inter essentiam diuinã vnitam intellectui beatorum instar speciei & obiecti cognoscibilis, & inter Spiritus sancti diuinitatem vnitam iustis sufficienter vt eos formaliter se ipsa tanquam formà sanctificet, paritatem reperire vult quam contra nos vrgeat, proferat effectum aliquem formalem ab essentia illa in eorum intellectum in genere causæ formalis prouenientem, si proferre quem potest: sed ex eo allata eorum responsio manifestè infirmabitur, nostræ autem secundæ rationis vis & eà contentæ doctrinæ veritas confirmabitur: reperietur enim tribuere talem & tantum, qualem & quantum absolutè potest, imò qualis & quanta ipsa in eo genere forma est. Quare cùm vna quidem ex parte non possit purus homo ita per diuinitatem vllius personæ diuinæ sanctificari formaliter, vt infinitè sanctus sit, & tantum, quantum diximus, ex altera

IV. D

verò non possit, vt probatum est, per eam formaliter sanctificari quin tantum sanctificetur, fit vt prorsus impossibile sit illum per hanc formaliter sanctificari, ac proinde adoptiuum Dei filium formaliter constitui, vt ex consequentiæ secundæ huius rationis initio positæ probatione notum est.

Supereſt tertia contra eandem primam sententiam ratio ducta ex natura filiationis & naturalis & adoptiuæ, quam sic propono. Vel diuinitas Spiritus sancti, alteriúsve personæ diuinæ vnita iustis formaliter per gratiam, & quomodocumque aliter quàm per hypostaticam vnionem, eos non potest facere formaliter Dei filios, vel non potest non facere filios naturales, & minimè adoptiuos. Atqui hoc secundum dici non debet, illud ergo primum dicendum est. Minoris veritas tam certa est, quàm exploratum, iustos non esse Dei filios naturales, sed adoptiuos duntaxat. Maiorem sic probo. Si facit filium per semetipsam formaliter, ideo facit quia ipsa secundùm se suamque substantiam realiter communicatur, & vnitur, vt expressa aduersariorum doctrina est. Ergo facit filium non adoptiuum, sed naturalem: quisquis enim alterius filius est, & ideo filius, quia substantiam eius & naturam sibi realiter communicatam & vnitam realiter participat, est eo ipso filius non adoptiuus, sed naturalis: in eo siquidem adoptiua filiatio à naturali distinguitur, quod qui priorem habet, solo affectu coniungitur ei à quo adoptatur, & non secundùm

V.

V I. naturam eius, seu non per realem participationem naturæ & substantiæ ipsius adoptantis: id enim significat adoptionis nomen, cum adoptare sit actus optantis seu desiderantis, vnde in filium aliquem adoptare nihil aliud est, quam optare seu velle loco filij naturalis habere eum qui sibi secundùm naturam & substantiam coniunctus realiter non est, quique ideo filius naturalis non est. Ex quo fit vt adoptatus sit adoptanti extraneus, seu reali naturæ cum eo communione non coniunctus, non solùm antequam adoptetur, sed etiam postquam iam re ipsa adoptatus est. At quisquis habet posteriorem, non solo affectu cum eo cuius filius dicitur coniunctus est, quia reali etiam naturæ ipsius & substantiæ communicatione & participatione eidem coniungitur. Quare si propter hanc communicationem & participationem

VII. filius est, profectò non adoptiuus, sed naturalis est.

Nec respondeant hîc aduersarij multiplicem esse posse realem diuinitatis Spiritus sancti, vel alterius diuinæ personæ communicationem & participationem, vnam per hypostaticam vnionem. alteram per gratiam habitualẽ aut actualem, vniuersimque vnam substantialem, seu per vnionem quæ substantialis sit, aut etiam substantia, alteram accidentalem, seu per vnionem quæ sit accidentalis, aut accidens: siue enim hoc verum sit, siue falsum, nihil prorsus ad argumentum, quo euincitur, ex relata propria filiationis adoptiuæ & naturalis essentia, quæcunque demum sit illa vnio, sicut & quæcunque actio per quam fiat, dummodo talis sit, vt ipsa realis vnius natura & substantia alteri realiter communicetur, & vniatur, & ita vt illa

VIII. communicatio atque vnio ad hunc illius filium constituendum sufficiat, filiũ hunc adoptiuum esse non posse, sed necessariò esse naturalem, cùm non solo affectu coniungatur ei cuius filius dicitur, sed reali etiam naturæ ipsius & substantiæ participatione.

Quod confirmatur, & ex omnibus hominibus qui naturales aliorum hominum filij sunt, & dicuntur, quos illa præcisè realis naturæ & substantiæ communicatio & participatio, quia

facit filios, facit naturales: & ex ipso Christo vt homine, qui vt homo Dei filius naturalis est, ob eam præcisè causam, quòd per vnionem hypostaticam participet realiter eandem numero cum Deo naturam diuinitatis, licet longè diuersa ratione & generatione ab ea qua vt homo est participat eandem cum Virgine Matre naturam, eiusque propterea naturalis filius est, ab ea quoque qua vt Deus particeps est eiusdem naturæ diuinæ cuius Deus pater, cuius etia propterea filius naturalis est: quæ triplex in vno Christo filiatio, quanquam diuersissima est, & ex diuersissima generantis actione, diuersissimoque modo communicandi realiter naturam suam exurgit, tota tamen naturalis est, propterea quod hac diuersitate non obstante sit semper realis eiusdem naturæ communicatio & participatio, quæ ad filiationem sufficit. Atque hinc facile soluitur vnum ex præcipuis primæ sententiæ contra secundam argumentis, quod propterea primo loco sequente sectione proponemus.

SECTIO II.

Soluuntur sex argumenta contraria.

PRIMVM istud est. Quisquis alterius filius est, filius eius constituitur per eiusdem realis cum illo naturæ participationem. Ergo cùm quilibet iustus sit Dei filius adoptiuus, constituitur eius filius per realem naturæ diuinæ participationem. Respondeo distinguendo antecedens. Verum enim est de filiatione naturali, falsum de adoptiua, quæ eo ipso quo adoptiua est, talis esse debet, vt solo affectu coniungat adoptatum adoptanti, excludatque proinde ab illo realem naturæ huius & substantiæ communicationem.

Instant aduersarij: debet saltem adoptantis & adoptati in filium eadem esse secundum speciem natura, alioqui posset Angelus hominem aliquem in filium adoptare, quod absurdum est. Non potest ergo Deus hominem specie à se distinctum adoptare in filium, quin illi eandem specie cum sua naturam realiter communicet, eandem autem specie communicare non potest quin communicet eandem numero: quia natura diuina non est numero multiplicabilis. Respondeo falsum esse antecedens, vt euidens est ex homine & Angelo iusto, quorum quilibet est à Deo secundùm speciem diuersissimus, & tamen Dei filius adoptiuus, nullo modo diuinitatis eius realiter particeps, cùm vnico tantùm modo possit esse, nempe per vnionem hypostaticam. Ex quo etiam patet, nihil absurdi futurum, ex specifica præcise Angeli ab homine distinctione, si hunc ille in filium adoptet, vt neque, suppositа inter Angelos secundùm speciem diuersitate, quidquam ex ea sequetur absurdi, si vnus alterum à se specie distinctum adoptet in filium, tantúmque abest, vt specifica eluorum in natura distinctio vnius ab altero adoptioni in filium impedimento sit, vt sit potiùs adiumento, cùm iuuet potiùs quàm impediat, vt alter solo affectu cum altero coniungatur, quod ad filiationem adoptiuam necessariũ est.

Secundum. Gratia non potest se ipsa formaliter hominem adoptiuum Dei filium constituere: ergo cùm homo iustus sit adoptiuus Dei filius, per aliquid aliud in huius filij ratione formaliter constituitur: quod quidẽ aliud esse non potest quàm ipsa diuinitas & persona Spiritus sancti, quæ per gratiam homini iusto vnitur. Probatur antecedens, quia iuxta probabiliorem sententiam gratia à caritate non distinguitur, caritas autem illud formaliter non potest: tum quia sicut qui perfecta beneuolentia Regem aut alium hominem diligit, à quo etiam mutuo beneuolentiæ amore redamatur, non propterea fit illico filius eius adoptiuus: ita qui similiter Deum diligit, & ab eo diligitur, non propterea statim Dei filius adoptiuus constituetur: tum quia ad filiationem adoptiuam diuinam requiritur aliqua diuinæ naturæ, vt natura est, participatio, sicut ad naturalem eiusdem naturæ, vt natura est, perfecta communicatio requiritur: at per caritatem non participatur natura diuina vt natura est, sed diuinus amor, vt amor, qui, vt sic, non natura, sed naturæ attributum est.

Respondeo negando antecedens, cuius ad probationem dico, suppositа gratiæ cum charitate identitate, qua non stante vis illius tota corrueret, charitatem adoptiuum Dei filium formaliter facere. Et ad primum quo id de ea negatur respondeo, mirum non esse, si mutua hominis erga hominem beneuolentia & amicitia vnum alterius adoptiuum filium non faciat vi sua, nec facere possit, cùm illi nec conferat per se, nec conferre possit ius vllum ad adeundam aliquando alterius hæreditatem: charitas autem adoptiuum Dei filium vi sua faciat, cùm, suppositа saltem eius à gratia indistinctione, sit per se vera formalísque hominis sanctitas, eum necessariò faciens dignum æterna vita, eíque proinde ius tribuens ad æternæ vitæ hæreditatem.

Ad secundum autem dico, etsi ad filiationem naturalem requiratur communicatio & participatio eiusdem realis & substantialis naturæ, vt natura est, & à porẽtiis distinguitur, vi generationis formaliter, ad diuinam tamen filiationem adoptiuam sufficere participationem eiusdem naturæ realiter, id est, alicuius quod realiter est ipsa diuina natura, licet non sit formaliter, quia virtute ab illa vt natura est distinguitur, éstque attributum eam in ratione naturæ iam constitutam consequens, dummodo hæc naturæ diuinæ sumptæ realiter communicatio & participatio fundet & necessariò secum afferat verum ius ad æternam vitam, quæ est Dei patris hæreditas: talis autem est charitas, est enim diuini amoris participatio: qui diuinus amor est ipsa diuina natura realiter, & talis participatio, vt participanti tribuat ius ad æternæ vitæ hæreditatem, eo ipso quo illum formaliter sanctificat, & æterna vita dignum necessario efficit.

Et quidem cùm tantum sit discriminis inter naturalem & adoptiuam Dei filiationem, quantum inter naturalem generationem & regenerationem supernaturalem, & illa per se conferat esse simpliciter, & quidem substantiale, hæc verò solum esse supernaturale, & proinde accidentale, certe dummodo vi istius esse supernaturalis & accidẽtalis accepti, simul

I. A V.

II. B VI.

III. C VII.

IV. D VIII.

accipiatur necessariò ius ad hæreditatem æternæ vitæ, simul quoque necessario adoptiua Dei filiatio accipietur. Accipitur autem illud esse supernaturale & accidentale per caritatem, quæ est supernaturale accidens, conferens, vt dixi, ius ad æternæ vitæ hæreditatem eo ipso quo formaliter hominem cui inest sanctificat, & æterna vita dignum efficit. Ex quo facile colligitur, quod si gratia habitualis à caritate distinguitur, & seorsim quælibet est forma formaliter vi sua sanctificans, quælibet seorsim vi sua hominem ea præditum adoptiuum Dei filium formaliter constituit.

I. A

Tertium. Non potest homo gratia sanctificante præditus esse hæres æternæ vitæ, absque extrinseca aliqua Dei ordinatione illi gratiæ superaddita: ergo nec potest per eam considerata præcisè secundùm suam entitatem adoptiuus Dei filius formaliter constitui. Respondeo distinguendo antecedens: de iure enim intellectum falsum est: de facto, verum: etsi autem hoc sensu verum sit, mala tamen est consequentia, falsumque consequens: vt enim quis sit verè filius, necesse non est vt patris hæreditatem de facto adeat, sufficit vt adeundi ius habeat, habet autem homo sanctificante gratia præditus vi gratiæ huius formaliter, vt ex suprà dictis constat. Quod quamuis ita sit, est tamen præterea necessaria Dei ordinatio ad æternæ vitæ hæreditatem re ipsa adeundam, liberum scilicet Dei decretum de ea filiis conferenda, siue per gratiam formaliter, siue per quiddam aliud creatum aut increatum filij constituantur, quam pro absoluto suo in omnes & in omnia dominio negare iis in æternum posset, cùm de absoluta potentia potuerit etiam eadem ex causa Christo vt homini, licet eius filio naturali.

II. B

Quartum. Quisquis est adoptiuus Dei filius, est eo ipso viuens vita supernaturali, non potest autem fieri talè viuens per aliud quam per illud quod est vita supernaturalis, talis autem non est habitualis gratia, cùm sit inanimata qualitas, non potest ergo per eam adoptiuus Dei filius formaliter fieri. Respondeo primò, hoc argumento æquè probari, non posse hominem fieri adoptiuum Dei filium per ipsam formaliter diuinitatem, aut personam Spiritus sancti, cùm hæc, etsi formaliter vita sit, non sit tamen in entitate supernaturalis, vt ex Tract. de Deo disp. 15. notum est, sumendo propriè nomen entis supernaturalis, vt hîc sumitur, & verè sumitur, dum dicitur adoptiuus Dei filius esse viuens vita supernaturali, eo ipso quo huiuscemodi filius est.

III. C

Respondeo secundo, habitualem gratiam esse essentialiter vitam animæ, vt disp. 9. sect. 3. probatum est: & quidem supernaturalem, cùm sit ipsa in entitate supernaturalis. Nec refert, quod sit inanimata qualitas: inanimata enim dicitur, quia nec est anima, seu vita aliqua naturalis animæ similis, nec per animam seu vitam naturalem viuificatur animatúrque, sicut corpus per animam, quæ est eius vita naturalis: sed hoc non obstante vita supernaturalis est essentialiter, eo ipso quo est ex essentia sua formalis animæ sanctitas, in qua necessariò fundatur ad æternæ vitæ hæreditatem dignitas, quam eo ipso formaliter viuificat supernaturaliter, quo formaliter sanctificat. Quo solum modo hominem iustum supernaturaliter viuificare formaliter posset Spiritus sancti vel persona, vel diuinitas. Sicut enim cum supernaturaliter non viuificat efficienter, nisi efficienter eundem sanctificet supernaturalem in eius anima producendo sanctitatem: ita nec supernaturaliter viuificabit formaliter, nisi formaliter ipsum sanctificet: vt nec Verbi diuinitas & persona Christi humanitatem sibi hypostatice vnitam viuificat formaliter, nisi quia formaliter sanctificat.

IV. D

Quintum. Si per gratiam formaliter posset homo fieri Dei filius, multò magis posset per vnionem hypostaticam, cùm sit longè perfectior & arctior cum Deo vnio: at per hanc non potest: si enim posset, sanè aut naturalis, aut adoptiuus, cùm nulla sit alia filiatio possibilis: non primum, quia illa vnio non est ipsa diuinitas, cuius sola communicatio & participatio naturalem Dei filium facere potest: nec secundum, homo enim aut Angelus vnitus Deo hypostatice eius filius naturalis est: ergo non adoptiuus.

V. VI.

Respondeo negando sequelam Maioris. Cuius ad probationem dico, quòd quantumuis hypostatica vnio sit hoc sensu perfectior & arctior cum Deo coniunctio quàm gratia, quia hæc hominem cum Deo coniungit solum moraliter, illa autem etiam physicè, hæc ex Deo & homine non componit vnum ens per se, illa componit, vnicam scilicet numero personam, non potest tamen facere se ipsa formaliter hominem Dei filium, cùm faciat gratia, quia hæc est ex essentia sua formalis animæ sanctitas, in qua fundatur dignitas ad æternæ vitæ hæreditatem, quæ sanctificatio in creatura ad diuinam filiationem necessaria prorsus est, illa verò non est huiusmodi sanctitas, vt ex Tract. de Incarnatione disp. partim 19. partim 38. constabit.

VII.

Sextum. Si gratia habitualis secundum suam præcisè entitatem spectata faceret formaliter iustum cui inest, adoptiuum Dei filium, faceret & Christum vt hominem, cùm illi insit: at non facit: est enim etiam vt homo, Dei filius naturalis, ergo non adoptiuus. Respondeo negando consequentiam Maioris, impeditur enim ab vnione hypostatica ne Christum vt hominem adoptiuum Dei filium faciat. Nullum autem inde aut aliunde impedimentum habet, quominus purum hominem faciat formaliter filium Dei adoptiuum: vnde & necessariò facit. Cùm enim filius adoptiuus sit solo affectu coniunctus cum eo cuius filius dicitur, adoptiua filiatio & gratia adoptionis includit in essentiali suo conceptu negationem substantialis cum eodem vnionis, seu realis participationis propriæ eius naturæ atque substantiæ, huius autem substantialis cum Deo vnionis negationem habet purus homo, eo ipso quo purus homo est: at Christus, etiam vt homo, habet è contrario vnionem hanc, eo ipso quo eius humanitas verbo vnita hypostatice est: quo fit, vt gratia creata sanctificans eum vt hominem adoptiuum Dei filium facere non possit, possit autem, & necessariò faciat, formaliter quelibet

VIII.

purum hominem, cùm in eo conditiones omnes necessarias ad hunc formalem effectum reperiat. Qua de re plura in tract. de Incarnatione disp. 51. sect. 2. in secundi argumenti solutione, qui volet reperiet.

SECTIO III.

Septimum argumentum soluitur.

I. SEPTIMVM & vltimum argumentum istud est. Dum peccator iustificatur, accipit non solum creatam gratiam, sed etiam hac mediante gratia ipsam quoque increatam Spiritus sancti diuinitatem, atque personam, simúlque Patris, & Filij, inhabitantis in se tanquam in templo in quo adoratur, & colitur. Imò cùm Spiritus sanctus per se donum sit, non modò quia secundum substantiam suam donabilis est, & quo item modo Pater & Filius doni rationem obtinent, sed etiam quia ex proprietate sua personali est donum, quo modo neque pater, neque filius donum est, donari puro homini aut II. Angelo immediatè potest, absque intermedia B vllius creatæ gratiæ donatione: siue autem intermedia aliqua gratia donetur, siue nulla, ad nullum alium effectum donatur, aut donari potest, quàm vt eum adoptiuum Dei filium per se suámque substantiam donatam formaliter efficiat, saltem ad hunc effectum æquè donatur, atque ad quemcunque alium. Ergo efficit.

Respondeo primò, siue Spiritus sancti, similitérque Patris, ac filij diuinitas & persona dari possit immediatè, nulla intermedia gratia creata, siue tantùm aliqua mediante, nunquam ad prædictum effectum dari posse, quia dari non potest ad effectum impossibilem: ille autem impossibilis est, vt suprà probauimus. Addo III. quod etsi ad hunc effectum dari posset, aut daretur, vt scilicet eum cui datur Dei filium formaliter constitueret, daretur vt constitueret non adoptiuum sed naturalem, vt suprà etiam probatum est. Quod etsi ad huius argumenti solutionem sufficiat, quæ tamen mox addentur, nec erunt extra rem, nec inutilia.

Respondeo secundò, nullam personam diuinam dari posse creaturæ immediatè, id est, absque intermedia re aliqua physica quæ in ea producatur, & absque proinde physica eius mutatione, quod expressè defendit Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 5. post Capreolum quem citat, defenduntque communiter, quotquot nobiscum sentiunt, nullam purè moralem in creaturis mutationem absque præuia physica posse contingere. Ratio autem nostræ huius responsionis est, quod cùm quælibet diuina persona IV. sit semper & necessariò in rebus omnibus creatis per essentiam, præsentiam, potentiam, nulli D de nouo dari potest, & in illa proinde incipere esse nouo aliquo modo, & titulo, quo antea non erat, nisi physicum aliquid producatur, & quidem illi creaturæ, cui de nouo dabitur, & inexistere incipiet, intrinsecum. Nam quidquid extra eam erit, reperietur insufficiens esse, vt illi dari de nouo, & inesse verè dicatur. Nisi enim aliquid libera & efficaci Dei volũtate fiat, quod antè non fiebat, non magis ei dabitur, quàm ante daretur, fieri autem ens purè morale immediatè non potest, sed solùm ad priorem aliquam alicuius entis physici effectionem, vt suprà partim ex natura liberi decreti Dei, partim ex natura entis purè moralis demonstrauimus.

A Et quoniam licet existimet Suarez, ac passim doceat, liberum Dei decretum nonnunquam ad ens purè morale posse immediatè terminari, in præsenti tamen negotio, quo libera Dei voluntate persona diuina creaturæ de nouo dari dicitur, aut ad eam mitti, videt esse necessarium aliquid fieri quod ante non fiebat, alioquin, vt dixi, nunc non magis dabitur, quàm antea daretur, nihil autem purè morale reperire potest, vt nec quisquam potest, quod sufficiat vt verè de nouo detur, & dari vel data denominetur, quod saltem in re aliqua physica de nouo producta, fundamentum non habeat, hinc est, quòd ad hanc diuinæ personæ donationem existimat necessariam aliquam in creatura cui datur physicam mutationem, & meritò existimat. V.

At dices, rem per se donabilem donari posse absque quocũque alio dono illi rei extrinseco, ne si nulla res dari possit nisi per donum ei extrinsecum, detur processus in donis infinitus: Spiritum autem sanctum & quãlibet diuinam personam per se donabilem esse, gratiam autem, & quamcunque aliam rem creatam ei esse extrinsecam: posse ergo sine vlla huiusce modi re immediatè donari. VI.

Sed respondeo Maiorem argumenti propositi tum solùm veram esse, cùm ipsa res donabilis, & actu donata facit, vel se ipsa formaliter, vel sui actuali donatione physicam in rebus mutationem, etsi nulla res producatur quæ donum sit, vt cùm quis libera sua voluntate dat alteri rem suam, hæc enim sola res donum est, C nec donatione producitur, sed actu voluntatis elicito quo donatur, eiúsque dominium in eum cui donatur transfertur, physica in rebus mutatio formaliter fit: similitérque cùm Deus nobis fidem, aut spem, aut caritatem, aut quid simile infundit, res infusa donum est, eiúsque donatio est ipsius doni physica productio, qua productione formaliter, sicut & re producta seu donata, fit in rebus physica mutatio: at persona diuina quæ donum est, dum actu datur, se ipsa formaliter nullam in rebus mutationem physicam facit, aut facere potest, nec item sui donatione, quæ sit eius productio, quia eius donatio non est eiusdem productio, quo fit, vt donari actu non possit, nisi actu quidpiam ab ea distinctum producatur, quod etiam aliquod Dei donum verè est, consequentérque vt non D possit donari, nisi simul donum aliquod ei extrinsecum actu donetur. VII. VIII.

Et sane Spiritus sancti persona non magis est per se donabilis puro homini, quàm Christi humanitati Verbi personalitas & persona, vt eam per se proximè faciat formaliter subsistentem nulla intermedia subsistentia: at quamuis ita sit huic per se donabilis, non nisi tamen intermedia vnione substantiali, quæ est ipsi verbo eiusque personalitati extrinseca: ergo licet Spiritus sancti persona sit puro homini per se donabilis, donari tamen actu non poterit, nisi

intermedia aliqua vnione accidentali, quæ est aliqua creata gratia.

Respondeo tertiò, Spiritum sanctum, simúlque alias duas personas diuinas dari eo ipso quo datur creata gratia, nec alia donatione donari, quàm ea qua hæc donatur, sic tamen vt non hæc sola donetur, sed ipsæ quoque diuinæ personæ spectatæ secundùm se suámque substantiam. Ita D. Thom. 1. parte quæst. 43. art. 3. in corpore: cuius initio postquam hæc verba præmisit, *Diuinæ personæ conuenit mitti, secundùm quod nouo modo existit in aliquo, dari autem, secundùm quod habetur ab aliquo: neutrum autem horum est nisi secundùm gratiam gratum facientem*: sub finem addit hæc: *Sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus sanctus habetur, & inhabitat hominem: vnde ipsemet Spiritus sanctus datur, & mittitur.*

I. A

Ratio autem est, quòd vna quidem ex parte certum est ex quamplurimis Scripturarum, sanctorúmque Patrum clarissimis testimoniis dari certis hominibus in hac etiam vita non solùm creata gratiæ dona, sed ipsum quoque eorum

II. B

authorem Spiritum sanctum, Patremque simul, & Filium: vnde & D. Thomas citato art. 2. in primo argumento contrariam assertionem errorem appellat: ex altera verò, si hæ diuinæ personæ non eo ipso darentur, quo creatæ gratiæ donum datur, aut alia donatione darentur, quàm ea qua istud datur, dari possent immediatè per hanc aliam donationem, etsi nullum creatæ gratiæ donum simul conferretur, quod impossibile esse paulò antè probatum est, & dum simul cum hoc dono dantur, interueniret duplex decretum Dei liberum, quorum vno daretur hoc donum, altero ipsa persona diuina: cuius proinde decreti posterioris vel nullus esset immediatus terminus, vel non nisi purè moralis, quod item esse impossibile constat ex suprà dictis.

III. C

Respondeo quartò, Spiritum sanctum, similitérque Patrem, & Filium, dari non posse inuisibiliter, nisi intermedio dono gratiæ gratum facientis. Ita idem Suarez citato cap. 5. communitérque Theologi post S. Doctorem, qui citata primæ partis quæst. 43. art. 3. tam apertè id asserit, vt non possit apertius, nec semel, sed sæpius, nominatim autem in corpore articuli, verbis his: *Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Vnde secundùm solam gratiam gratum facientem mittitur, & procedit temporaliter persona diuina. Similiter illud solum habere dicimur, quo liberè possumus vti, vel frui: habere autem potestatem fruendi diuina persona est solùm secundùm gratiam gratum facientem.*

IV. D

Ratio est, quòd vt ex vi doni creati à Deo facti alicui creaturæ, ipsa quoque diuina persona secundùm se suámque substantiam verè donari censeatur, in eáque creatura esse cui donatur, & in qua donum illud creatum existit, oportet vt ex vi huius ipsius doni creati fiat illa persona illi creaturæ localiter præsens secundùm se, suámque substantiam, adeo vt per impossibile si per immensitatem suam vbique non esset, vi tamen prædicti doni in ea esse inciperet: nisi enim hæc illius vis sit, intelligi non potest, quomodo Deus, qui rebus in omnibus æqualiter est per essentiam, præsentiam, potentiam, ratione doni illius sit in aliqua creatura secundùm se suámque substantiam nouo aliquo modo, quo alioquin in ea non esset: admissa autem illa vi istud facilè intelligitur, sicut & facilè intelligimus, personam Verbi speciali modo venire, & mitti à Deo Patre ad humanitatem Christi, in eáque esse, eo ipso quo ratione & vi vnionis hypostaticæ intelligimus fieri, vt ii per impossibile Verbum vbique non esset, in illa tamen humanitate intimè præsens secundùm suam substantiam esse inciperet. At ex omnibus donis creatis sola gratia gratum faciens illam vim habet.

V.

Et quidem quòd habeat, hinc constat, quod perfectam amicitiam inter Deum & creaturam rationalem constituit, perfectæ autem amicitiæ hæc natura est, vt amicos inter sese coniungat, non solùm affectu, sed etiam effectu, & substantiali ac inseparabili quantum fieri potest secundùm locum præsentia: faceret ergo conciliata illa per gratiam gratum facientem Deum

VI.

inter & creaturam amicitia, vt ad hanc ille veniret, eique se intimè præsentem sisteret tandiu, quandiu illa non dissolueretur, quæ per solum mortale peccatum dissoluitur, & id non faceret physica quadam necessitate, sicut facit vnio hypostatica, eo quòd ex ea vnum ens per se consurgit, quod esse non potest absque mutua & intima eorum quæ vniuntur præsentia; sed voluntatem eius tam potenter & suauiter ad veniendum & manendum alliciente, vt reipsa veniret, ac maneret licet liberè, sicut inter amicos euenire cernimus. Mutui enim amoris hæc non est vis & virtus, vt amicorum voluntates ad mutuam præsentiam possit adigere necessitate, sed solùm vt alliciat & attrahat salua libertate.

VII.

Quòd autem sola habeat, hinc ostendo, quòd si quæ res creata vim habet faciendi diuinam personam alicui loco præsentem secundùm substantiam, si per impossibile vbique non esset, vel habet faciendi necessariò, sic vt non possit non esse præsens realiter, vel solùm faciendi efficaciter, ex illius tamen libera voluntate. Primum nulla res creata facere potest, nisi sic Deum eiusque diuinitatem cum creatura coniungat, vt ex coniunctione vnum ens per se consurgat, quod solùm fit per vnionem hypostaticam, per quam dum creaturæ datur diuina persona, ad eámve mittitur, missio & donatio est visibilis, hic autem de sola inuisibili agimus.

VIII.

Secundum verò nulla res creata facere potest, nisi perfecta creaturæ cum Deo amicitia, & proinde nulla præter gratiam gratum facientem, vt primùm inductione constare potest per omnia, non dico naturæ dona, quorum nullum hanc vim certissimè habet, sed etiam gratiæ, comprehendendo sub iis quoque dona gloriæ, dummodo talia sint, vt vim formaliter sanctificandi per se non habeant, nec proinde rationem alicuius gratiæ gratum facientis obtineant: si quod enim ex his illam vim haberet, maximè ipsa beatifica visio, at præcisè qua beatifica seu intuitiua Dei visio, non habet. Qui enim longissimè ab aliquo distat a quo

clarè prout in se est cernitur, non allicitur ab hac eius visione ad se illi sistendum præsentem secundùm substantiam localiter. Secundò constat hac ratione, quod nimirum quodlibet aliud creatæ gratiæ donum stare natura sua possit cum peccato mortali, quod eo contaminatam
I. creaturam ita reddit inuisam Deo, vt ab ea ipse loco longissimè recederet, nisi per immensitatem suam vbique necessario præsens esset. A

Ex dictis tria colliguntur. Primum est, dari Spiritum sanctum, non solùm dum gratia gratum faciens primò infunditur, sed etiam quoties intenditur: huius enim augmenti eadem est ratio, quæ primæ illius gratiæ, quoad eam de qua loquimur Spiritus sancti donationem, cùm sicut est eiusdem naturæ cum illa prima gratia, ita eandem cum ea vim habeat faciendi Spiritum sanctum præsentem secundùm substantiam suam ei cuius gratia intenditur.

Secundum est, nulli creaturæ posse dari personam vnam diuinam ratione gratiæ gratum facientis, quin aliæ dentur, quia gratia hæc
II. creaturam cui datur non magis cum vna diuinarum personarum quàm cum aliis coniungit, vt nec est cum vna potiùs quàm cum aliis eius amicitia, sed cum tribus æqualiter: quanquam per appropriationem Spiritus sanctus dari potius dicitur, quam Pater, aut Filius, quia sicut Patri potentiæ opera, Filio sapientiæ, sic illi bonitatis & gratiæ specialiter attribuuntur. B

Dixi, ratione gratiæ gratum facientis, nam ratione hypostaticæ vnionis vna dari potest, & non alia, quia vnire hypostaticè creaturam cui datur potest cum vna persona, & non cum altera, vt re ipsa sola Verbi persona Christi humanitati hypostaticè vnita est.

Tertium est, effectus ad quos datur Spiritus
III. sanctus, & quælibet persona diuina, dum gratia gratum faciens datur, eos esse, qui à potentissimo, magnificentissimo, fidelissimo, & suauissimo amico in amicum possunt deriuari. C

DISPVTATIO XII.

An perfectæ contritionis actus sit ex se suâque natura vera formalisque animæ sanctitas, ac proinde cum omni peccato mortali incompossibilis.

SECTIO PRIMA.

Sententia affirmans defenditur, & Scripturarum authoritate probatur.

IV. DVo prænotanda sunt. Primum D est, hîc non quæri, vtrùm perfectæ contritionis actus expellat ab anima re ipsa, & in actu 2. mortale peccatum, ab eóque illam emundet, quanquam quid sit hac de re sentiendum ex dicendis intelligetur, sed solùm vtrùm sit vera & formalis animæ sanctitas, ac proinde forma ex se suaque natura sic peccato mortali repugnans, vt illud formaliter necessario expelleret ab anima, eámque ab illo emundaret, nisi iam priùs illud expulsum, & hanc ab eo emundatam reperiret.

Secundum est, quod ad hanc quæstionem respondentes de perfectæ contritionis actu definiemus, esse de quocunque actu dilectionis Dei super omnia intelligendum, quia ille contritionis actus vera Dei super omnia dilectio
V. est, vt in Tractatu de pœnit. disp. 18. sect. 1. probatum est, atque si sit vera formalisque animæ sanctitas, vt esse dicemus, non alia de causa sit, aut esse possit, quàm quia huiusmodi dilectio est. Quo fit, vt vice versa quidquid huic dilectioni, quatenus hæc dilectio est, conuenit, illi quoque contritionis actui conueniat, quandoquidem ille huiusce modi dilectio est.

Iam de quæstione proposita prima sententia negatiua est, quam in primis cum Suare defendunt ij, qui cum ipso sentiunt peccatum non nisi per extrinsecum Dei fauorem posse deleri formaliter. Deinde quidam alij recentiores oppositum sentientes, & asserentes per solum gratiæ sanctificantis habitum, quem ab habitu caritatis realiter distinguùt, posse deleri formali-
VI. ter mortale peccatum: ex antiquioribus autem nullus eam expressè defendit, præter eos, qui dixerunt actum perfectæ contritionis & dilectionis Dei posse per solas naturæ vires elici, ac proinde esse merè naturalem in entitate, quorum propterea hîc nulla habenda ratio est, cùm hæc eorum sententia certissimè falsa sit.

Secunda est affirmans, quam tuetur Vasquez hac 1. 2. disp. 203. à cap. 3. in quo pro ea citat tam ex antiquioribus quàm ex recentioribus Doctores Theologos viginti duos, quibus non annumero in primis Andream de Vega, & Paludanum, quòd eorum dicta nec satis clara sint, nec incommodè possint ab aduersariis explicari. Deinde Scotum, Gabrielem, Gregorium, & Ochamum, qui tamen nostræ sententiæ fauent potiùs quàm aduersariorum illorum, qui
VII. prædicto solo gratiæ sanctificantis habitu deleri posse mortale peccatum asserunt, cùm etsi negent vllum actum & habitum cum præteriti mortalis peccati macula physicè formalitérque pugnare, doceant tamen maiorem esse inter actum dilectionis Dei & mortale peccatum repugnantiam, quàm sit inter hoc peccatum & gratiam habitualem, quòd ille actus nullum mortale peccatum actuale secum ferre ex natura rei possit, possit autem hæc gratia.

Ex illis autem Doctoribus viginti duobus duodecim fuerunt ante paucos annos in Academiis Salmanticensi & Complutensi publici Theologiæ, ac plerique etiam primarij professores, ex iisque sex nominatim è Dominicana familia, & D. Thomæ schola, quos credibile non est hanc sententiam fuisse defensuros, si D.
VIII. Thomæ contrariam existimassent. Quibus omnibus citatus author postremum adiungit eiusdem sententiæ patronum è societate nostra Alphonsum Dezam suum in Theologia præceptorem, quem, vt eius verbis vtar, ait fuisse virum miræ & singularis doctrinæ laude tota in Hispania celeberrimum, sancti verò Thomæ fidelem in primis interpretem, atque indiuiduum asseclam. Addit denique sententiam hác tam esse in Hispania communem, vt passim prædictis in Academiis, in publicis disputatio-

nibus,

nibus, tam iis quæ fiunt à candidatis pro laurea doctoratus obtinenda, quàm à Religiosis viris suis in cœnobiis propugnetur.

Eandem affirmantem sententiam tuetur è societate nostra Luisius Turrianus tractatus de gratia opusc. 6. disput. 4. dub. 18. post examinata varia D. Thomæ loca concludens eum nusquam negasse perfectæ contritionis actum sanctificare formaliter, sed hoc potiùs censuisse & docuisse. Dubio autem quarto, post citatos permultos pro hac sententia authores, referens in primis Basilium Legionensem primo tomo Variar. Relect. 2. testantem hanc fuisse communem antiquorum Thomistarum sententiam. Deinde asserens eam plurimis viris doctissimis in omnibus Hispaniæ Academiis hoc tempore probari, quos ipse literis aut verbo consuluit: præterea subiungens eandem in omnibus nostræ Societatis prouinciis frequenter in publicis actionibus defendi: postremò addens, falli manifestè recentiores, qui ausi sunt dicere hanc secundam opinionem esse singularem, falli, inquam, cùm tot habeat authores & viros doctos qui eam ante multos annos vt & hac ætate docuerunt.

I.

II.

Eam nunc probo in primis ex duobus solùm Scripturæ locis, vt alia multa quæ referri meritò possent omittam. Primus habetur 1. ad Corinth. cap. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Secundus 1. Ioan. cap. 4. *Deus charitas est, qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Ex iis sic disputo. Non potest homo in statu peccati mortalis permanens vel in Deo manere, vel vnus esse spiritus cum eo, imò non potest non esse iustus, & sanctus, eo ipso quo vel in Deo manet, vel vnus spiritus est cum illo. Ergo forma per quam formaliter habet vt vel in Deo maneat, vel sit vnus cum eo spiritus, non potest ex se suaque natura consistere cum vllo mortali peccato, imò non potest non esse vera formalisque animæ sanctitas. Atqui forma ista est Dei dilectio. Ergo, &c. Vtraque consequentia euidens est, antecedentis veritas non minùs est perspicua, patetque breuiter ex eo quòd homo per mortale peccatum formaliter est auersus à Deo, separatus ab illo, longéque remotus, tantum abest vt in eo manere possit, aut vnus esse cum illo spiritus.

III.

Probatur assumptum: in primis enim certissimè loquitur Apostolus de adhæsione cum Deo per voluntatis affectum, amoremque erga ipsum, sicut & vnitas spiritus ex illa adhæsione redundans non realis & physica est, sed voluntatum & affectuum: quod præterea fit euidens ex verbis immediatè præcedentibus, *Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur*: quorum, & istorum subsequentium, *qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est*, hic haud dubiè sensus est, quòd sicut corpus viri meretricem amantis, & per amorem se corpori eius copulantis, vnum cum hoc eius corpore corpus efficitur: ita spiritus hominis Deum qui spiritus est diligentis, & se per dilectionem ei coniungentis, fit vnus cum eo spiritus. Deinde procul etiam dubio D. Ioannes dicens eum qui in charitate manet in Deo manere, vult ideo manere in Deo, quia manet in charitate, charitatémque proinde seu dilectionem Dei esse id

IV.

A per quod formaliter habet homo Deum diligens vt in Deo maneat: charitatem enim erga Deum ab hac singulari commendat excellentia, quòd per se suáque naturá faciat hominem in Deo manentem. Quod si de charitate actuali dicit, habemus intentum: sin autem de habituali, pari saltem iure, imò potiori conuenit actuali, vt & aduersarij vltro fatentur, & ex postea dicendis certò constabit.

V.

SECTIO II.

Multiplex aduersariorum responsio refertur, & refellitur.

B AT ij vt ad hæc Scripturæ testimonia, aliaque quæ postea producemus contra eos argumenta, tum ex authoritate, tum ex ratione petita, probabilius respondeant, præmittunt ex D. Thoma 2. 2. quæst. 23. art. 1. charitatem sæpe accipi pro amicitia completa, ac proinde pro amore quo & homo Deum diligit, & Deus viciſſim diligit hominem: cuius diuinæ erga hunc dilectionis terminus est gratiæ sanctificantis habitus, qui propterea illo charitatis nomine significatur pariter & comprehenditur.

VI.

Sed hoc loco D. Thomas id minimè dicit, aut leuiter significat: solùm ait ex Philosopho quem citat, non quemlibet amorem habere rationem amicitiæ, sed vt habeat duas conditiones requiri, primam, vt sit amor beneuolentiæ, secundam, vt sit amor mutuus duorum se amantium hoc amore beneuolentiæ: at non ait amorem vnius amici erga alterum sumi aliquando pro amicitia completa, seu pro duplici amore duorum amicorum sese mutuò amantium, nec proinde ait charitatem hominis erga Deum sumi nonnunquam pro duplici amore hominis & Dei sese mutuò redamantium: concludit quidem corpus articuli inquiens charitatem hominis erga Deum esse amicitiam hominis ad ipsum Deum, sed éstne propterea consequens, vt hæc charitas accipiatur aliquando pro ipsa quoque charitate seu amicitia Dei erga hominem, & proinde pro ipso quoque termino huius diuinæ charitatis, qui dicitur esse gratiæ sanctificantis habitus? Certè sicut duorum corporum similium duplex est similitudo, vna vnius, altera alterius, ita duorum amicorum duplex est amicitia, vna in vno, altera in altero. & cú ea quæ in quolibet seorsim est amicitia non sit alia quàm charitas eius erga alterum, merito veriſſiméque concludit S. Doctor, charitatem hominis erga Deum esse amicitiam eiusdem hominis ad ipsum Deum.

C

VII.

Vnde patet quàm gratis & absque fundamẽto aduersarij, dum argumentorum vi coguntur concedere charitatem hominis erga Deum esse veram animæ sanctitatem, omnique proinde mortali peccato formaliter repugnantem, respondent, charitatem hanc sumi pro amicitia completa Dei & hominis, illúdque ei conuenire ratione partis alicuius quam complectitur ad hanc completam amicitiam pertinentis, nẽpe ratione habitualis gratiæ, quæ est terminus dilectionis Dei erga hominem, quæque est vera ac formalis animæ sanctitas omni peccato mortali repugnans. Quæ etiam eorum responsio si recipienda esset, liceret vnicuique di-

D

VIII.

cere, eandem hominis erga Deum charitatem etiam actualem esse increatam, cæteraque de ea absolute affirmare prædicata, quæ increato Dei erga hominem amori conueniunt: quia charitas hæc etiam actualis sumi diceretur pro prædicta completa amicitia, eáque ei conuenire ratione partis vnius ad hanc amicitiam completam pertinentis quam complectitur, nempe ratione increatæ Dei erga hominem dilectionis, cui dilectioni illa conueniunt.

I.

Vnde etiam funditus corruit quod respondent, licitum fore ita loqui, nili periculum esset, ne quis ita absolutè loquendo videretur cum Magistro sentire, ipsam hominis erga Deũ charitatem habitualem, quæ est principium effectiuum actuum dilectionis, esse quid increatum. In primis enim Magister actualem hominis erga Deum charitatem quid creatum esse censuit, vt vere est: liceret ergo absolutè de ea dicere esse increatam, quia inde nulla erroris suspicio ingeneraretur, quod tamen certissimè falsum est. Deinde ante Magistrum quis vnquam ita loqui sibi licitum existimasset? quo tamen tempore nullum erat erroris illius ingenerandi

II.

periculum. Atque si supponamus eum illud de habituali charitate quod dixi nunquam censuisse, nemo tamen vnquam existimabit sibi licitum esse absolutè dicere, charitatem hominis erga Deum esse increatam: quia etli eo sensu quo diceret, verè diceret, satis tamen intelligit sensum hunc esse vt à propria verborum significatione longissimè remotum, ita à communi omnium intelligentia maximè alienum.

Verùm vt liberaliter concedamus id quod ex D. Thoma citato loco præmittunt, vere & rectè ab illis præmitti, videamus iam quid ad relata Scripturæ loca respondeant. Ad primum prima responsio est, eum qui Deo per amorem adhæret, ideo vnum esse cum eo spiritum, quia

III.

Deus illi viciſſim per amorem adhæret. Sed hæc responsio Apostolo haud dubiè repugnat: quis enim dubitare meritò potest, quin velit Apostolus eum qui per amorem adhæret Deo, ideo fieri vnum cum eo spiritum, quia per amorem Deo adhæret, cùm amor alterum amantis sit formalis eius cum illo vnio? Certè si Petri Paulum diligentis spiritus fit vnus cum Pauli spiritu, non ideo fit, quia Paulus eum viciſſim diligit, sed ideo præcisè quia Paulum diligit. Vnde si Paulus Petrum non redamet, hic illum amans adhuc erit vnus cum illo spiritus per vnitatem voluntatum & affectuum, quia vi amoris erga illum volet eadem quæ ille, & ad eadem omnia afficietur.

Quod confirmo efficaciter ex præcedentibus Apostoli verbis ante relatis: *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Quis enim negare potest Apostolum velle, & ita à parte rei esse, nempe viri meretricem amantis corpus vnum ideo effici cum meretricis corpore, quia per amorem

IV.

huic ille adhæret, & copulatur, non quia viciſſim meretrix illi per amorem copulatur, & adhæret: imò quis non intelligit, quod sicut viri corpus fit vnum idémque cum meretricis corpore, quia per amorem huic eius corpori conjungitur, ita viciſſim meretricis corpus fit vnum idemque cum viri corpore, quia viciſſim per amorem erga virum corporis eius copulatur: fiet ergo ex mente Apostoli statim subiungentis, *qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est*, & ex rei veritate, fiet, inquam, spiritus hominis Deo per amorem adhærentis vnus cum spiritu Dei spiritus, quia ei per amorem adhæret, non verò quia Deus ipsi viciſſim adhæret per amorem: sed hinc potiùs fiet, vt Dei spiritus vnus fiat cum spiritu hominis quem diligit.

A

V.

Refellitur denique illa responsio ad prædictum Apostoli locum, quia similis est ei, qua quis ad alterum ex Diuo Ioanne relatum responderet, eum qui manet in charitate manere in Deo, quia Deus in eo viciſſim manet: quod tamen certiſſimè falsum est, cùm ideo præcisè maneat in Deo, quia manet in charitate erga Deum: sicut ideo præcisè manet Deus in illo, quia manet in dilectione erga illum. Ratio autem vtriusque partis est, quod, vt communiter dicitur, anima amantis magis est vbi amat, quàm vbi animat.

Secunda responsio est, eum qui adhæret Deo per amorem, vnum quidem cum eo spiritum esse per amorem ipsum, sed effectiuè, at formaliter per solam habitualem gratiam, quæ est sanctitas formalis, quam amor ille in-

B

VI.

star causæ moralis & meritoriæ efficit: sicut qui adhæret meretrici per turpem erga eam amorem, fit effectiuè vnum cum ea corpus per hunc ipsum amorem, at formaliter per solam copulam carnalem, quę illius amoris effectus est. Vnde responsionis huius authores retorquendo contra nos argumentum nostrum ex Apostoli verbis depromptum sic argumentantur. Qui adhæret Deo, vnus est cum eo spiritus, sicut qui adhæret meretrici, vnum est cum ea corpus: at qui adheret meretrici, non est formaliter vnum corpus cum ea per amorem, sed effectiuè, formaliter autem per solam copulam carnalem: ergo qui adhæret Deo, non est formaliter vnus cum eo spiritus per amorem, sed effectiuè, formaliter autem per aliquid aliud, per habituale scilicet gratiam, quæ est formalis sanctitas.

C

VII.

Verùm neque hæc argumentatio, neque illa responsio vim argumenti nostri vllo modo debilitat, vtpote cuius tota vis in eo consistit, quòd, ex Apostoli mente, sicut copula carnalis viri cum muliere ex amore erga mulierem facit viri corpus vnum cum corpore mulieris, ita spiritalis coniunctio hominis cum Deo per amorem erga ipsum Deum facit spiritum hominis vnum cum spiritu Dei spiritum: ita vt quemadmodum ad illam corporum vnitatem nihil aliud intelligendum est, quàm adhæsio corporis seu carnalis copula cum corpore ex amore, quia cæteris omnibus vel re vel mente semotis resultat adhuc illa corporum vnitas, ita ad hanc spiritus hominis cum Dei spiritu vnitatem nihil aliud est intelligendum,

D

VIII.

quàm spiritus eius cum Deo per amorem ipsius Dei coniunctio: qui solus amor, etsi cætera omnia vel re vel mente remoueantur, non minus est se ipso formaliter coniunctio seu adhæsio spiritus hominis cum Deo, seu Dei spiritu, quàm carnalis copula est se ipsa formaliter coniunctio seu adhæsio corporis cum corpore. Quare cùm ex aduersariorum responsione & argumentatione, per copulam hanc corpus viri fit non effectiuè, sed formali-

ter vnum corpus cum meretricis corpore, per amorem illum spiritus hominis erit vnus cum Dei spiritu, non effectiuè, sed formaliter.

Quamquam falsum est, per copulam carnalem præcisè corpus vnius esse formaliter vnum corpus cum corpore alterius. Nam si copula ista
I. per vim fieret repugnante voluntate, illa corporum vnitas non consurgeret: vt consurgat ergo requiritur aliquid aliud, & est amor causans carnalem copulam: itavt hæc quidem sit illius effectus vt causæ efficientis, prædictæ autem corporum vnitatis causa vnica formaliter sit amor illa copula carnali consummatus, seu, quod eodem recidit, hæc copula ex amore, tanquam vnica simplex forma causans illam vnitatem formaliter. Ex quo rursum concluditur, amorem erga Deum, quo spiritus hominis tam arctè tanquam vinculo formaliter cum spiritu Dei coniungitur, quam copula carnali ex amore profecta corpus coniungitur cum corpore, esse id quo formaliter spiritus hominis fit vnus cum Deo spiritus.

II. Iam prima ad secundum ex Scriptura locum responsio est, eum qui manet in charitate in Deo manere, quia charitati gratiæ sanctificantis habitus coniungitur. At vbi, quæso, toto loco illo verbum vllum, vbi vel leuissimum indicium cogitationis alicuius vel tenuissimæ in S. Ioanne de isto habitu? Argumentum autem ex authoritate depromptum nunquam soluitur, nisi dum ad mentem authoris soluitur.

Deinde quis totum illum locum quantumuis accurate perlegens aliud deprehendere potest, quam S. Ioannis hanc esse mentem, hominem Deum diligentem vi & ratione dilectionis istius, non verò doni alterius ei coniuncti, in Deo manere? Tum quia laudat & commendat charitatem ab hac singulari excellentia,
III. quòd faciat hominem in Deo manentem, quæ laus & commendatio ei non deberetur, si non ipsa per se præcisè id faceret, sed aliud donum ei coniunctum id per se præstaret: tum quia cùm verbis his, *Qui manet in charitate, in Deo manet*, hæc immediatè præmiserit, *Deus charitas est*, significauit aperte, charitati vt charitas est, ac proinde per se, & ratione sui, non verò doni alterius ei coniuncti, conuenire, vt faciat hominem in Deo manentem: quemadmodum si dixisset, Deus gratia est, & qui manet in gratia, in Deo manet, significasset gratiæ vt gratia est, ac proinde per se, & ratione sui conuenire, vt hominem in Deo manentem efficeret, tantumque abest vt significasse dubitarent aduersarij, vt etiam illis eius verbis essent certissimè vsuri, tanquam firmissimo argumento, ad probandam sententiam suam, nempe
IV. gratiæ habitum esse per se formam formaliter sanctificantem, quandoquidem S. Ioannes hanc illi laudem concederet, vt hominem in Deo manentem faceret: quam quia charitati concessit, noluntque nihilominus hinc esse consequens, eam per se esse formam formaliter sanctificantem, coguntur dicere, nec futurum id de gratia consequens, etsi de ea illud S. Ioannes quod de caritate dixit dixisset, cùm tamen fore rectè consequens nullus esset dubitaturus.

Adde quòd si quia gratiæ sanctificantis habitus charitati semper coniungitur, & per hunc habitum homo in Deo manet, verè potuit S. Ioannes dicere eum qui manet in charitate, in Deo manere, cùm etiam idem habitus semper coniungatur cuilibet habituali virtuti infusæ purè morali, vt temperantiæ, vt fortitudini, verè dicere potuisset, eum qui in hac fortitudine aut temperantia manet, in Deo manere: quod profectò omnium communi sensu ac iudicio nunquam dixisset, etsi certissima esset harum virtutum & existentia, & cum illo habitu connexio, nec alia de causa vnquam dixisset, quam quia hanc hominis in Deo mansionem hæc aut illa virtus per se & ratione sui non posset efficere: vnde cùm dicat eam charitate effici, vult effici per ipsammet formaliter charitatem, non verò per aliud donum quod ei coniungitur. V.

Quòd si quis dicat, eum id de virtutibus illis infusis, quod de charitate dixit, nunquam reuera fuisse dicturum, quia non sunt vltima ad illum gratiæ sanctificantis habitum dispositio, sicut est charitas, de qua propterea id dixerit, refelletur: tum quia, vt monuimus, nulla de isto habitu S. Ioanni toto illo loco mentio, nulla cogitatio: tum quia procul dubio commendatur ab eo charitas ab aliqua singulari excellentia ei per se non ratione alterius conueniente, quæ est vt hominem ea præditum in Deo manentem faciat: tum denique quia si propter illam dispositionis vltimæ ad prædictum habitum rationem ab illo diceretur facere hominem in Deo manentem, pari iure dicere potuisset, & quilibet nostrum nunc posset, loquens de attritione, similive vltima ad gratiam in sacramento recipiendam dispositione, eum qui in illa manet, in Deo manere: quo modo loqui nulli vnquam in mentem venit, & vt opinor, veniet. VI. VII.

Secunda responsio est: etsi charitatis erga Deum hæc sit vis & virtus, vt per se & ratione sui hominem in Deo manentem efficiat, non esse tamen consequens, vt sit ipsa per se formalis animæ sanctitas repugnans omni peccato mortali, propterea quòd S. Ioannes verbis proximè præcedentibus ea quæ de charitate retulimus, idem de fide dixit, inquiens. *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Quo non obstante Catholica veritas est fidem per se non esse formalem animæ sanctitatem omni peccato mortali repugnantem, sed cum eo re ipsa in plerisque Christianis simul existere.

Contra responsionem hanc dico primò iuxta Iustiniani nostri expositionem in eum locum, quòd quemadmodum S. Ioannes de sola diuinitatis Christi fide & confessione loquens alia fidei nostræ mysteria noluit excludere, sed comprehendere potiùs, quia qui hæc non crederet, aut qui negaret, illud credens, & confitens, nec maneret in Deo, nec Deum in se manentem haberet: ita fidei solius mentionem faciens, & prædictam laudem ei concedens, charitatem excludere noluit, sed potiùs simul complecti: de fide proinde non mortua, sed per caritatem viua locutus est: quod vt significaret, statim fidei charitatem VIII.

adiunxit, & præmissis illis de fide & fidei confessione verbis, hæc immediatè subiecit: *Et nos cognouimus, & credimus caritati quam habet Deus in nobis: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

I. Quòd si cui placet S. Ioannem de fide secundùm se considerata locutum esse: Dico secundò, eum certissimè exponendum esse eo sensu quem præ se ferunt hæc Apostoli verba ad Ephesios cap. 3. *Christum habitare per fidem in cordibus nostris*: id est, non simpliciter, sed cum hoc addito diminuente, *per fidem*, per quam ipse Christus & Deus in nobis est tanquam in fidelibus suis, nos autem in illo sumus tanquam in eo cui credimus. At per charitatem Deus in nobis manet, & nos in illo, non secundùm quid & imperfectè, sed simpliciter & perfectissima mansione: tum quia præmisit, *Deus charitas est*, vt intelligeremus eum qui in charitate manet, in Deo manere, id est, intimè in ipsa diuinitatis substantia, quæ est charitas, habitationem habere, & mansionem facere: tum quia per charitatem manemus in illo tanquam in amico
II. super omnia dilecto, & vicissim ille manet in nobis tanquam in amicis, non secundùm quid, sed simpliciter singularitérque dilectis: cum qua illum inter & nos amicitia nullum mortale peccatum stare potest, vt ex propria tum illius amicitiæ, tum huius peccati natura infrà videbimus. Vnde sanctus Bernardus serm. 71. in Cantica ad illa Ioannis Apostoli verba respiciens, & ad hanc nostram in Deo, & Dei in nobis mansionem per charitatem attendens, sic loquitur: *Quis est qui perfectè adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominus in se traxit vicissim diligendo?* Mox de hac Dei & hominis intima coniunctione subiungens:
III. *Ergo cùm vndique inhærent sibi homo & Deus, inhærent autem vndique mutua intimáque dilectione inuicem erati alterutrum sibi, per hoc Deum in homine, & hominem in Deo esse haud dubiè dixerim.* Quam Dei hominisque vnionem per caritatem tam perfectam agnoscit, & prædicat, vt cum illa conferre audeat, qua Deus pater in filio, & filius in patre est, verbis his illa iam relata paululum præcedentibus: *Est Pater in Filio, in quo sibi semper bene complacuit, & est Filius in Patre, à quo vt nunquam non natus, ita nunquam est separatus. Porrò per charitatem homo in Deo, & Deus in homine est, dicente Ioanne. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Consensio quædam hæc vt sint duo in vno spiritu, imò vnus spiritus sint.* Postea nihilominus subdens inter vtramque discrimen aliquod, cuius ad finem sic concludit:
IV. *Hæc dicta sint ad dandam differentiam inter illam connexionem, qua Pater & Filius vnum sunt, & illam qua adhærens Deo anima vnus spiritus est: ne fortè quia legitur de homine manente in charitate, quia in Deo manet, & Deus in eo, & item de filio, quod nihilominus in Patre sit, & Pater in ipso, par prærogatiua adoptati putaretur, & vnici.*

SECTIO III.

Eadem sententia vno S. Augustini testimonio probatur.

V. PROBATAM hactenus Scripturarum authoritate sententiam probare nunc incipiam ex sanctis Patribus. Ex quibus duos solum proferre volo, D. scilicet Augustinum, & Bernardum: sed illius quinque præsertim diuersa testimonia, quorum tria refert, & expendit Vasquez citatæ disput. cap. 4. tam perspicua, vt meritò dicat eis repugnare, nihil aliud esse quam aperto Marte cum Augustino pugnare.

Primum his verbis continetur ex libri de natura & gratia cap. vlt. *Charitas inchoata, inchoata iustitia est: charitas prouecta, prouecta iustitia est: charitas magna, magna iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Quæ quidem de charitate actuali dici à D. Augustino & aduersarij fatentur, & hæc immediatè VI. sequentia verba clarè significant. *Sed charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita.* Etsi autem de habituali dicerentur, non minùs efficax ex his argumentum haberemus: quia si charitas habitualis est ipsa formalis iustitia, qua formaliter coram Deo iusti sumus, pari saltem imò potiori iure erit ipsa quoque charitas actualis, vt & iidem vltro concedunt aduersarij, & nos postea ostendemus.

Duplex est eorum ad hoc testimonium responsio. Prima, charitatem dici iustitiam non in sensu formali, sed causali, quia non est ipsa formaliter iustitia nos iustificans & emundans ab omni peccato mortali, sed est causa iustitiæ huius, quatenus nos disponit ad habitualem VII. gratiam sanctificantem, quæ est formaliter illa ipsa iustitia. Refellitur autem in primis ex eo quòd vt esset menti D. Augustini conformis, oporteret hunc sanctum Patrem aliquo saltem loco agnoscere hanc habitualem gratiam vt distinctam à charitate, nullo autem loco agnoscit, aut agnoscere se vel leuiter indicat. Deinde quia si verba quæ retulimus perpendantur, aut etiam antecedentia, & consequentia, nullum ex iis reperiri poterit indicium illius aduersariorum interpretationis, nostræ autem multiplex potiùs quàm vnicum, nec leue certissimè reperietur.

Præterea si D. Augustinus loco charitatis egisset de habituali gratia sanctificante, eámque vt distinctam à charitate clarè admisisset, & VIII. dixisset sic, gratia habitualis inchoata, est inchoata iustitia: gratia habitualis prouecta est prouecta iustitia, & cætera quæ de charitate dixit, quantum hoc tanti Doctoris testimonio exultarent aduersarij? quàm constanter & securè eo vterentur, ad probandam suam de hac habituali gratia sententiam, quòd nimirum hæc sit per se forma formaliter iustificans independenter ab vllo extrinseco Dei fauore ei adiuncto? Quare quantum ipsi reclamarent negantibus illam D. Augustini de gratia sententiam in

sensu formali accipiendam esse, sed in solo causali propter extrinsecum Dei fauorem, quo formaliter nos iustificari assererent, & cuius ipsam habitualem gratiam causam esse dicerent, quia Deus eius intuitu illum ei adiungeret, tantum nos eis reclamare iuste possumus, dum illud de charitate ab eodem S. Patre dictum, non in sensu formali, sed in solo causali accipiendum esse contendunt. I. A

Secunda responsio est, D. Augustinum loqui de caritate actuali procedente ex habituali gratia, & ex ea habente condignum æternæ vitæ meritum, quæ per hanc formaliter gratiam iustificat, & pugnat cum mortali peccato: quia loquitur de charitate, quæ est de corde puro, & proinde purgato ab omni huiusmodi peccato, quę purgatio fit per illam gratiam. Verùm vt omittam dicere, quòd vt hæc responsio esset menti D. Augustini conformis, oporteret illum in nobis agnoscere habitualem illam gratiam vt formam à charitate distinctam, per illamq. solam nos formaliter prædictam cordis puritatem consequi, quod nullibi agnoscit, vt iam monui, refellitur in primis ex eo quòd sumpsit II. B D. Augustinus verba hæc: *Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, ex Apostolo 1. ad Timoth. cap. 1. Nullus autem interpretum horum Apostoli verborum per charitatem ex corde puro intelligit charitatem procedentem ex corde puro seu purgato ab omni peccato mortali per habitualem gratiam à charitate distinctam, sed Theophylactus, Oecumenius, Caietanus, Iustinianus, Cornelius à Lapide in eum locum per eam nihil aliud intelligunt quàm veram sinceramque charitatem, non in verbis tantùm consistentem, nec procedentem ex corde vel fuco seu hypocrisi contecto, vel vitiosum aliquem & malum finem intendente, sed ex motiuo veræ honestæque dilectionis operante, qualis non est, inquiunt, dilectio qua fur furem diligit, quia ex corde praua seu furta appetente diligit, & vt se in furando adiuuet. III. C

Refellitur deinde ex eo quòd etsi per charitatem de corde puro concedamus D. Augustinum intelligere charitatem procedentem ex corde purgato ab omni mortali peccato per habitualem gratiam, ipsi nihilominus caritati, & quidem ratione sui, hanc laudem tribuit, vt iustitia sit: illi enim rei tribuit esse iustitiam, cui tribuit esse iustitiam inchoatam, prouectam, magnam, perfectam: patet autem illum hanc iustitiæ inchoatæ, prouectæ, magnæ, perfectæ rationem attribuere ei charitati quæ modò inchoata, modò prouecta, modò magna, modò perfecta dicitur: hæc autem est haud dubiè charitas prout charitas est, & proinde ratione sui, non verò gratiæ habitualis ex qua procedit. IV. D Vnde & diuisio charitatis à Theologis afferri solita, & à Diuo Thoma allata 2. 2. quæst. 24. artic. 9. qua diuiditur in charitatem incipientium, proficientium, & perfectorum, solius charitatis est, prout charitas est, & ab habituali gratia distinguitur.

Denique hinc refellitur, quòd si D. Augustinus charitatem actualem, inchoatam, aut prouectam &c. dicit esse iustitiam inchoatam, aut prouectam, &c. quia procedens ex gratia habituali condignum habet æternæ vitæ meritum, & huius gratiæ ratione pugnat cum mortali peccato, nec cum eo potest consistere, idem ob eandem causam de temperantia, fortitudine, & quacunque alia simili virtute actuali in entitate saltem supernaturali potuit dicere: quod profectò sicut de iis nunquam dixisset, quòd id illis per se & ratione sui conuenire non existimaret, ita cùm de charitate dixerit, id ei per se ac ratione sui conuenire existimauit. V.

Respondent aduersarij sanctum Augustinum id de charitate potiùs quàm de vlla virtutum istarum dixisse, quòd earum proprij actus nullam circa infusionem habitualis gratiæ causalitatem causæ efficientis exerceant ordinarie saltem, quia non habent rationem necessariæ & proximæ ad eam dispositionis eius aliquo modo meritoriæ: exerceat autem semper charitatis actus, quoniam extra sacramentum hanc proximæ necessariæque dispositionis rationem obtinet. Verùm hæc responsio nec ad Augustini mentem, nec ad rem est: ad illius quidem mentem non est, quia cum nusquam illam habitualem gratiam agnoscat vt à charitate distinctam, & quamuis alicubi agnosceret, nullo loco vel leuissimè indicet, existimare se, huius virtutis actum quandam causæ efficientis causalitatem erga illam gratiam exercere, prædictæque necessariæ dispositionis & vltimæ rationem obtinere, nullibi quoque de hac dispositione & causalitate loquatur, allata responsio esse ex eius mente non potest, imò potiùs contra eiusdem mentem est. VI.

Ad rem verò non est: quia quid refert, quòd charitatis actus sit vltima & necessaria extra sacramentum dispositio ad habitualem gratiam, eiusque causa aliquo modo efficiens, illarum autem aliarum virtutum proprij actus id non habeant, si hoc discrimine non obstante, tam hi actus quàm ille ex hac habituali gratia procedentes habeant condignum æternę vitæ meritum, ideo autem dixerit sanctus Augustinus charitatem esse iustitiam, quia ex illa gratia procedens condignum æternæ vitæ meritum habet? VII.

At iidem vt probent D. Augustinum agnouisse illam habitualem gratiam vt a charitate distinctam, eamque solam iustificandi formaliter vim habere, proferunt duplex eius testimonium: vnum ex cap. 9. lib. 1. de peccatorum meritis & remissione: alterum ex cap. 10. vbi instituitur comparatio inter Adamum & Christum, in eo posita, quòd sicut hic, præter quam quòd sanctissimè viuendo se nobis exemplum ad imitandum præbuit, communicat etiam interiorem gratiam qua paruulos adultosq. iustificat: ita ille, præterquà quòd propria voluntate peccando, peccandi nobis ad eius imitationem per propriam nostram voluntatem exemplum dedit, transfundit etiam in nos aliud peccatum, quod non imitatione, sed propagatione contrahitur. Prioris capitis hæc verba sunt: *Sicut ergo ille in quo omnes viuificabuntur, praterquam quod se ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis, sic & ille in quo omnes moriuntur*, &c. Posterioris autem ista sunt: *Nempe legimus iu-* VIII.

stificari in Christo qui credunt in eum propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritalis, qua quisquis hæret Domino vnus spiritus est, quamuis eum & imitentur sancti eius.

Verùm quí hæc, & antecedentia, & consequẽtia omnia vtriusque capitis verba legerit, ex iis
I. quidem intelliget, dari gratiam tam adultis quam paruulis intrinsecam, qua formaliter & hi & illi iustificantur: nunquam autem colligere ex S. Augustini mente & doctrina poterit, eandem esse specie gratiam qua vtrique iustificantur: itavt cum in paruulis habitualis esse debeat, quia proprij actus quo formaliter iustificari possint capaces non sunt, in adultis quoque sit similiter habitualis. Nisi forte sicut de sola paruulorum per Baptismi sacramentum iustificatione loquitur, ita de sola adultorum per idem sacramẽtum iustificatione loquatur. Quo casu concedo eandem habitualem gratiam iustificantem, quæ infunditur paruulis, infundi & adultis: quam etiam doctrinam tanquam diuina fide certam Theologi communiter recipiunt. At vbi quæso S. Augustinus hanc gra-
II. tiam ab habituali charitate distinguit? quam multi Theologi non obstante illa doctrina quam, vt dixi, recipimus, non distinguunt?

Et quamuis agnoscat habitum aliquem formaliter iustificantem, siue sit caritas, siue alius, éstne consequens, vt neget adultos extra sacramentum actu aliquo suo posse etiam iustificari? Imò probabilissima est suspicandi ratio, S. Augustinum posteriori loco ex duobus relatis per formam formaliter iustificantem de qua locutus est, intellexisse charitatem, & quidem actualem æquè saltem atque habitualẽ: de solis enim adultis ibi loquitur, cùm de iis solis loquatur qui in Christum iam credentes iustificantur, dicitque eos illa re qua formaliter iustificantur,
III. adhærere Deo, fierique vnum cum eo spiritum, vsurpans hæc relata superiùs Apostoli verba: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*: eodémque haud dubiè sensu quo ipse Apostolus, qui, vt prima sectione ostendimus, de adhæsione Deo per charitatem non habitualem tantùm, sed etiam actualem erga ipsum Deum locutus est.

SECTIO IV.

Ex duobus aliis eiusdem testimoniis eadem sententia probatur.

SECVNDVM ex eodem S. Augustino testimonium sumitur ex Tract. 9. in primam D. Ioannis Epistolam: vbi postquam hæc verba præmisit, *Timor quasi locum præparat charitati: cum autẽ cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparauit locum: quantum enim illa crescit,*
IV. *ille decrescit: & quanto illa fit interior, timor pellitur foras: maior charitas, minor timor: minor charitas, maior timor.* Quibus verbis agit apertè de timoris & amoris actibus, non verò habitibus, cùm vnus istorum habituum alterum nec expellat, nec minuat: postquam hæc, inquam, verba præmisit, ista subiungit. *Sententia de Scripturis est, qui sine timore est, non poterit iustificari: opus ergo est vt intret timor primò per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas*: à putredine scilicet & vulnere peccati de quo loquitur.

Respondent aduersarij caritatem esse sanitatem non formaliter, sed causaliter, seu efficienter, quatenus disponit ad gratiam habitualem, quæ sola est formalis à peccati vulnere A & putredine sanitas. At si ita est ex mente D. Augustini, ergo ex eiusdem mente caritas medicamentum est, sicut & timor, licet illa sit propinquius, iste remotius: quomodo ergo vnum ex iis duobus medicamentum appellat, alterum sanitatem? V.

Respondent iterum, quia timor medicamentum est asperum & dolorem afferens, charitas autem medicamentum quidem, sed lene & suaue, nec remotum vt timor, sed proximum, cum ipsa per gratiam sanitate semper coniunctum. At profectò est hæc aspera nimis & insipida illorum D. Augustini verborum interpretatio, nimiúmque ab eius mente remota, nihil eo loco distinguentis inter medicamenta dura & lenia ad sanitatem efficiendam, remota & proxima, sed tria tantùm distinguentis, morbum scilicet, siue vulnus, medi- B VI.
camentum, & sanitatem: quorum primum sicut in sensu formali dicit esse peccatum, secundum verò in eodem sensu timorem: ita & tertium in eodem haud dubiè sensu charitatem esse asserit. Et quoniam timor ex rei veritate, & expressis D. Ioannis illa Epistola verbis, pœnam habet, seu dolorem & tormentum adiunctum, ideo rectè illum comparat ferramento & sectioni medici, dolorem quidem inurenti, sed sanitatem afferenti.

Vnde tertiò respondent, charitatem quidem ab Augustino in sensu formali dici sanctitatem, sed caritatem non secundum se præcisè spectatam: at vt formatam per habitualem gratiam. Sed ne informis esset hæc responsio, ad illius S. Patris mentem esset conformanda, nullo au- C
tem modo est ei conformis, vtpote apud quem nullum vspiam vestigium aut informis secundũ se charitatis, aut formatæ per illam gratiam. VII.

Tertium testimonium ex eodem Tractatu depromitur his verbis. *Deus prior dilexit nos, & donauit nobis vt eum diligeremus, nondum diligebamus eum, diligendo pulchri efficimur: quid facit homo deformis si amet pulchram? aut quid facit fœmina deformis si amet pulchrum? Nunquid amando poterit esse pulchra? Et nunquid ille amando poterit esse formosus? Anima vero nostra fratres mei fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur: quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa caritas est animæ pulchritudo.* Vbi caritatis nomine non habitualem intelligit, sed actualem, tum quia intelligit procul dubio illum amorem D
quo dixit nos Deum amantes pulchros effici: Per hunc autem amorem, non habitum, sed actum intelligit, vt clarum est ex comparatione huius nostri erga Deum amoris, & cum eo quo ipse prior amauit nos, & cum illo quo vir deformis amat mulierem pulchram, aut deformis mulier amat virum pulchrum: quos amores constat esse actuales: tum quia quam hîc appellat charitatem, verbis paulò pòst sequentibus, quæ mox subiiciemus, dilectionem charitatis appellat. VIII.

Respondent primò more suo aduersarij, charitatem dici pulchritudinem non in sensu formali, sed causali, quia est causa efficiens pulchritudinis, quatenus disponit ad habitum gratiæ sanctificantis, qui solus est formalis animæ pulchritudo. Quam responsionem confirmant ex ipsis D. Augustini verbis: dixit enim animam nostram amando Deum pulchram effici. Quæ vox, inquiunt, causalitatem causæ efficientis apertè significat. I.

Sed hanc responsionem falsitatis efficaciter arguunt verba hæc, *quia ipsa charitas*: dum enim dicit *ipsa*, significat se per charitatem intelligere illum ipsum amorem de quo proximè antè locutus est: dum autem particulam causalem, *quia*, præmittit, rationem reddit dicti præcedentis, quo dixit nos Deum amantes amando pulchros fieri, & tantum crescere in nobis pulchritudinem, quantum crescit amor: quam rationem ait esse, quia hic ipse amor est ipsissima pulchritudo: quod de amore in sensu formali acceptum, & veritatem dicti præcedentis euidenter ostendit, & maximam huius amoris commendationem continet, simúlque rationis redditæ nec expectatæ vim, subtilitatem, saporem: quæ omnia pereunt, si in solo causali accipiantur, cùm iam satis intelligeretur ex ante dictis charitatem esse causam aliquam pulchritudinis, nec dum autem intelligeretur eam esse ipsam pulchritudinem. II.

Refellitur deinde ex eo quòd cùm dixisset Deum semper pulchrum nos fœdos dilexisse, non vt fœdos relinqueret, sed vt ex fœdis speciosos & decoros faceret, Christum quoque non habuisse speciem & decorem, vt nobis daret speciem & decorem, interrogat his verbis, *auam speciem? quem decorem?* respondet: *Dilectionem charitatis, vt amans curras, currens ames.* Quæ dilectio non in alio sensu quàm formali decor & species appellatur.

Denique ex eo quòd cùm dixerit animam nostram fœdam esse per iniquitatem, sicut per amorem Dei pulchram esse dixit, cúmque sicut dixit, quòd quantum hic amor in nobis crescit, tantum crescit pulchritudo, ita dicere potuerit, tantum in nobis crescere fœditatem, quantum crescit iniquitas, hoc si dixisset, & huius dicti causam hanc immediatè subiunxisset, quia ipsa iniquitas est animæ fœditas, quis hoc de iniquitate in sensu formali non acciperet? Ergo istud *quia ipsa charitas est anima pulchritudo* in sensu formali accipiendum est. III.

Nec refert, quòd dixerit animam amando pulchram effici: nam etiam amando dixit ibidem pulchram esse, sicut & fœdam esse per iniquitatem: & si fœdam effici dixisset, vt certè dicere potuit, vt & nos rectè dicimus parietem candore candidum, calore calidum fieri, seu effici, quis causalitatem causæ efficientis significari meritò diceret? aut certè dicatur etiam causalitatem huius causæ significasse, dum ibidem dixit amicos diligendo amicos effici, & ita fieri amicos non per ipsam formaliter mutuam dilectionem, sed tantùm efficienter, quod certissimè falsum est. IV.

Proptrea respondent secundò, charitatem dici à S. Augustino etiam in sensu formali pulchritudinem, sed charitatem, non vt præcisè charitas est, sed vt formata per gratiam formaliter sanctificantem. Cuius suæ responsionis ansam arripiunt ex eo quòd cùm dixisset: *Quantum crescit amor, tantum crescit pulchritudo*, non subiunxit, quia ipse amor est pulchritudo, sed *quia ipsa charitas est pulchritudo.* Verùm nulla responsio: tum quia paulò ante clarè ostendimus charitatem pro illo ipso amore sumptam à S. Augustino fuisse: tum quia quinto quod paulò pòst ex eodem proferemus testimonio, sic ait inter cætera: *Ipsa verò dilectio seu charitas, nam vtrius rei est vtrumque nomen.* Quibus verbis clarissimè pronuntiat, se charitatem pro dilectione seu amore sumere, hæcque charitatis & amoris seu dilectionis nomina vnam eandémque rem significare. Quod multò ante docuerat S. Dionysius lib. diu. nom. cap. 4. sic scribens: *Mihi enim videntur Theologi existimasse commune nomen esse amoris & charitatis.* Et nonnullis interiectis: *Pro eodem ponuntur à sanctis Theologis charitatis & amoris nomina ex diuinis interpretationibus.* V. VI.

SECTIO V.

Ex duobus aliis eiusdem testimonijs probatur.

QVARTVM testimonium sumitur ex Epistola 120. cap. 22. in quo de charitatis actu loquens, vt constat ex capite præcedenti, sic ait. *Hæc est iustitia Dei, hoc est quod Deus donat homini, cùm iustificat impium.* Negant aduersarij hæc à D. Augustino dici de actu charitatis, sed de bona voluntate dici aiunt, cuius immediatè antè meminerat, citans hæc Apostoli verba ex cap. 2. epist. ad Philippenses. *Deus est enim qui operatur in eis & velle & perficere pro bona voluntate.* Per hanc autem bonam voluntatem dicunt ab eo intelligi totam iustificationem includentem in se primam gratiam vocationis, omnes actus intermedios disponentes ad formam formaliter sanctificantem, & hanc ipsam formam, quam dicunt esse habitum gratiæ sanctificantis à charitatis habitu realiter diuersum: quod confirmant ex libro 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 18. & lib. 14. de Ciuitate cap. 11. vbi bonam voluntatem sic ab eo sumptam asserunt. VII.

Sed refelluntur in primis ex eo quòd qui legere voluerit ea quæ ab illius epistolæ capite 18. ad 22. occasione sententiæ istius ex Psal. 21. depromptæ: *Qui timetis Dominum laudate eum*, de Deo timendo tractantur, deque duplici timore, seruili scilicet & casto, quorum illum pellit charitas, istum asciscit, & de hac ipsa charitate disputantur, dubitare non poterit, quin supra relata capitis 22. verba de ipsius charitatis actu dicantur, non verò de bona voluntate, cuius eum immediatè antè meminisse ob eam solam causam videbit, vt ex Apostolo probaret hanc post multa de timore casto disputata conclusionem suam: *Timore itaque casto permanenti in sæculum sæculi timeat Deum omne semen Israël, timeant quem dicunt, non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo, cum timore & tremore suam ipsorum salutem operando:* VIII.

Deus est enim qui operatur in eis & velle & perficere pro bona voluntate. Verbis his postremis iustissimam causam afferens timoris illius & tremoris, quòd nimirum quidquid boni volumus & facimus, non ex naturæ nostræ viribus volumus & facimus, sed ex Dei gratia, quam
I. pro beneplacito suo quibus & quando vult A modo largitur, modo subtrahit.

Refelluntur deinde, quia illius bonæ voluntatis nomine, cuius ex citato Apostoli loco mentionem facit D. Augustinus, intelligitur non humanæ, sed diuinæ voluntatis actus seu beneplacitum, prout explicant communiter interpretes tam Græci quàm Latini, nominatim D. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Caietanus, Cornelius à Lapide, & Gabriel Vasquez in illum Apostoli locum. De actu autem diuinæ voluntatis dici non posse, quod iustitia Dei sit, idque quod Deus donat homini, cùm iustificat impium, manifestum est. Etsi autem intelligi dicatur humanæ voluntatis actus,
II. vt dicunt Iustinianus, & quidam alij quos citat, sensusque sit, vt iidem volunt, Deum per gratiam suam operari in nobis non tantùm vt B bonum velimus, sed etiam vt quod voluimus, & facere decreuimus, reipsa perficiamus: patet etiam de hac bona hominis in vniuersum volitione dici non posse, quòd iustitia Dei sit, seu qua formaliter iustificatur impius.

Denique, etsi concedatur D. Augustinum de bona voluntate, cuius ex Apostolo mentionem fecerat, dixisse verba quæ ex cap. 22. retulimus, cùm tamen per illam voluntatem, neque ipse, neque vllus interpretum aliud vnquam, quàm vel diuinæ vel humanæ voluntatis actum vnum aut multiplicem intellexerit, non verò habitum præsertim à charitate distinctum: consequens est, vt iustitiam qua Deus formaliter iustificat impium, non in habitu, sed in actu
III. sitam esse voluerit. Quòd si in aliquo humanæ voluntatis actu sita est, in quo quæso sitam dicemus, tam ex eius mente, quàm rei veritate, si de charitatis actu, de quo tam multa ibi, támque præclara dixit, negemus? C

Atque hinc patet, falsum esse quod aduersarij dicebant, nempe sanctum hunc patrem bonæ voluntatis nomine intellexisse hoc loco, quem contra eos vrgemus, totam iustificationem includentem in se ea quæ antè diximus, siue eam illo nomine locis aliis intellexerit, siue non: intellexit enim idem quod Apostolus ex quo citauit: hic autem iuxta relatam
IV. omnium interpretum, tam Græcorum, quàm Latinorum expositionem, vel solius diuinæ voluntatis actum intellexit, nec proinde iustificationem illam vel ex toto, vel ex parte: vel si D actum humanæ voluntatis, certe non alium quàm eum quo homo bene agere vult, & reipsa agit, ac proinde tantummodo partem illius iustificationis: quanquam locis illis ex lib. 2. de peccatorum meritis, & 14. de ciuitate relata eodem bonæ volũtatis nomine fuisse intellectam à D. Augustino totam illam iustificationem nullo satis probabili argumento probari potest: imò contrarium ex eo efficaciter probatur, quòd ibi per bonam voluntatem nihil aliud intellexit, vt consulenti loca illa, & verba, tam antecedentia quàm consequentia legenti perspicuum erit, quàm voluntatem quæ bonum aliquod agere vult, & agit, quæ quidem bona volitio & actio non est tota illa iustificatio, sed solummodo pars ipsius.

Quintum testimonium petitur ex cap. 18. lib. 15. de Trinitate, in quo de actuali charitate loquens, vt & consentiunt aduersarij, & clarum est ex verbis tum antecedentibus, tum consequentibus, sic ait: *Nullum est isto Dei dono excellentius, solum est quod diuidit inter filios regni aterni, & filios perditionis aternæ.* Respondent illi nullum quidem esse excellentius in actu viatoris hominis consistens: at esse excellentius consistens in habitu gratiæ sanctificantis à charitate etiam habituali distincto, quem D. Augustinus excludere noluit. At vbi quæso sanctus hic Pater illum distinctum habitum admisit aut agnouit, vt illum caritati præponeret, aut ab hac propositione tam vniuersali, qua caritatem excellentissimum donorum omnium donum esse asserit, exciperet? V.

Quare quod addunt hanc solam diuidere inter filios regni & perditionis, quia solus eius actus adiunctum infallibiliter habet illum gratiæ habitum, qui solus vt formaliter sanctificat, sic formaliter inter hos & illos perditionis & regni filios diuidit, contra mentem D. Augustini certissimè addunt, cùm & hunc habitum nullibi agnouerit, & ea quæ hîc charitati tribuit, tribuat ipsi vt charitas est, & à quocunque alio Dei dono quod non est formaliter charitas, distinguitur, vt legenti totum hoc caput 18. & præcedens clarum erit, & ad hæc pauca verba potissimùm attendenti, partim ex hoc, partim ex illo capite, in quibus ex professo de Dei dilectione differit. VI.

Spiritus itaque sanctus de quo dedit nobis (nempe Deus Pater) *facit nos in Deo manere, & ipsum in nobis, hoc autem facit dilectio.* Et, *Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistra non transfertur ad dextram, nec Spiritus propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem, quam qui non habuerit, nihil est.* Et, *Ipsa verò dilectio seu charitas (nam vnius rei est vtrumque nomen) si habeat eam qui non loquitur linguis, nec habet prophetiam, nec scit sacramenta omnia, omnemque scientiam, nec distribuit omnia sua pauperibus, nec tradit corpus suum vt ardeat, perducit ad regnum, itavt ipsam sine eam non faciat vtilem nisi charitas.* Et, *Dilectio igitur quæ ex Deo est, & Deus est, propriè Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat trinitas. Quocirca rectissimè Spiritus sanctus cùm sit Deus, vocatur etiam donum Dei, quod donum quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, & sine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum?* VII. VIII.

SECTIO VI.

Eadem sententia duobus S. Bernardi testimoniis probatur.

PRIMVM sumitur ex cap. 4. lib. de modo bene viuendi, in quo de timore Dei ex professo agens, vt titulus capiti illi præfixus ostendit, eumque multiplicem faciens, de seruili sic

ait: *In corde hominis priùs venit timor: & quare venit? vt locum charitati præparet: quanto magis charitas cœperit habitare in corde hominis, tanto magis timor decrescit: quanto maior est charitas in corde hominis, tanto minor est ibi timor. Quare? quia charitas mittit eum foras: timor priùs intrat in mentem hominis, & post timorem charitas: ideo intrat timor, vt introducat charitatem: sed postquam intrat charitas, foras mittit timorem. Timor iste sanctus est, quia in mente hominis generat sanctitatem. Timor iste sanctus est, quia introducit in mentem hominis perfectam charitatem: perfecta etenim charitas perfecta est sanctitas.* Quibus verbis loquitur haud dubiè sanctus hic pater de actu charitatis, sicut & timoris, cùm dicat vnum ab alio tolli, quod de solis actibus verum est, non autem de habitibus. Adde quod paulò ante de eadem charitate, eodémque timore loquens, sic dixerat: *Nulla res sic nos ab omni peccato custodit immunes, sicut timor inferni, & amor Dei.* Quod de timoris & amoris actibus, non autem habitibus, intelligendum esse, perspicuum est.

I. A

II. B

Respondent aduersarij primò, charitatem esse sanctitatem, non formaliter, sed efficienter, seu dispositiue ratione habitualis gratiæ quam in nobis moraliter efficit, seu ad quam proximè nos disponit, cùm timor remotè solum disponat. Sed excluditur euidenter hæc responsio, tum quia charitas ergo sanctitas est, quia generat in nobis sanctitatem, sicut & timor, hicque similiter, sicut & charitas, est sanctitas, quòd sicut hæc, sic ille nos ad sanctitatem disponat, eamque in nobis efficiat: licet ille remotè, hæc proximè. Quorsum ergo discrimen à D. Bernardo allatum, quòd ille sit non sanctitas, sed sanctus, quia generat sanctitatem, charitas verò sit non sancta, sed ipsa sanctitas? Tum quia quis non videt sanctum hunc Patrem hanc propositionem suam: *Timor iste sanctus est, quia in mente hominis generat sanctitatem*, probare ex eo quòd generat perfectam charitatem: perfecta autem charitas est perfecta sanctitas?

III. C

Propterea secundò respondent, perfectæ charitatis nomine intelligi charitatem, quæ completa amicitia est Deum inter & hominem, complectiturque præter hominis erga Deum dilectionem, Dei quoque amorem erga illum, & huius amoris terminum, qui est habitualis gratia, quæ est formalis animæ sanctitas. At refelluntur in primis eo quòd si perfectæ charitatis nomine hîc intelligunt mutuam illam Dei & hominis dilectionem, intelligant ergo similiter nomine perfectæ sanctitatis, quæ de perfecta illa charitate prædicatur, non solam hominis formalem & creatam, sed increatam quoque Dei sanctitatem, quam si quis fuisse à D. Bernardo intellectam diceret, esset haud dubiè ridiculus.

IV. D

Deinde quis dubitare potest eum nomine perfectæ charitatis intellexisse eam de qua proximè antè dixerat: *Ideo intrat timor, vt introducat charitatem: sed postquam intrat charitas, foras mittit timorem:* at charitas & quam introducit timor, & quæ introducta foras mittit timorem, nec est alia formaliter, nec ab eo alia intelligitur, quàm actualis dilectio qua homo Deum diligit.

Denique quis negare potest eundem illo perfectæ charitatis nomine intellexisse eam quæ à D. Augustino modò inchoata, modò prouecta, modo perfecta dicitur? quæ item à Theologis in charitatem incipientium, proficientium, & perfectorum solet diuidi? quæ postremò à D. Ioanne primæ epistolæ suæ cap. 4. timorem foras mittere dicitur, dum sic ait. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate.* At hanc charitatem aliam formaliter non esse quàm dilectionem hominis erga Deum solitariè ac secundùm se præcisè consideratam, certum est. Hanc ergo charitatem, cùm disertè pronuntiet esse perfectam sanctitatem, hanc formalem sanctitatis rationem illi vt charitas est, & ab illo gratiæ habitu, ac quacunque alia re distinguitur, attribuit.

V.

Secundum testimonium sumitur ex serm. 83. in Cantica, vbi exponens istud Apostoli ad Ephes. 5. *Estote imitatores Dei sicut filij carissimi, & ambulate in dilectione.* sic de ipso dilectionis actu loquitur: *Talis conformitas maritat animam verbo, cùm cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate? vere spiritualis sanctique connubij contractus est iste: parum dixi, contractus, complexus est.* Quæ cùm de charitatis actu dici perspicuum sit, & per hunc actum tanquam per formam dicatur anima Verbo maritari, spiritale autem animæ cum Verbo matrimonium formalis illius sanctificatio sit, nec proinde fiat nisi per formam formaliter sanctificantem, sequitur vt ex mente Diui Bernardi ille dilectionis actus sit forma formaliter sanctificans.

VI.

VII.

Atque vt constet ea quæ hîc de illo actu dicuntur, ei per se & ratione sui tribui tanquam formæ formaliter, non vt dispositioni ad gratiam habitualem, illiusque dilectionis seu charitatis nomine solam intelligi dilectionem, qua anima tanquam sponsa Deum vt sponsum diligit, non verò completam inter hunc & illam amicitiam, complectentem mutuum vtriusque amorem, & amoris terminum, & male proinde ad posterius istud D. Bernardi testimonium eadem quæ ad illud prius responderi, hæc quæ sequuntur obseruetur. Primum est, loqui haud dubiè D. Bernardum de eadem dilectione de qua loquebatur Apostolus his Ephesios verbis exhortans: *Ambulate in dilectione.* Eos autem non ad completam cum Deo amicitiam, sed ad huius amicitiæ partem, ad solum scilicet amorem erga Deum exhortabatur.

VIII.

Secundum est, significari aperte à D. Bernardo per eam formam maritari animam Verbo formaliter, per quam est ei formaliter per voluntatem similis & conformis: dicit autem esse conformem similémque formaliter per actum præcisè dilectionis quo Verbum ipsum diligit, non verò per actum amoris eiusve terminum, quo vicissim à Verbo diligitur, per quem & conformis ei ac similis esse non potest, vt &

paries A. ſimilis eſſe non poteſt parieti B. per candorem qui in hoc ipſo pariete eſt, ſed per eum ſolum quem in ſe habet, & quo ad parietem B. tanquam ad ſimile refertur.

Tertium eſt, actum dilectionis quo anima Deum diligit appellari contractum matrimonij cum Deo tanquam ſponſo, eodem haud dubiè ſenſu, quo & complexum eius tanquam ſponſi nominat: ergo in ſenſu formali, non verò in cauſali, quaſi ad formam qua formaliter ſpiritale cum Deo matrimonium contrahitur diſpoſitio ſit: complexus enim matrimonij iam peracti, non eſt diſpoſitio ad matrimonium, vt patet. I.

Quartum, contractum matrimonij eſſe formam qua formaliter ſponſa maritatur ſponſo: cùm ergo animæ erga Deum dilectio dicatur eſſe contractus quo ei matrimonio coniungitur, conſequens eſt, vt ſit forma qua formaliter ei vt ſponſo maritatur.

Quintum eſt, quòd etſi contractus complexúſque ſit duorum inuicem contrahentium, & ſeſe mutuò amplectentium, ſicut & ſimilitudo eſt duorum inter ſeſe ſimilium: tamen cuiuſlibet contrahentis & complectentis proprius eſt contractus & complexus ſiue actus quo cum altero contrahit, aut eum complectitur, ſicut & cuiuſlibet ſimilis propria eſt ſimilitudo qua alterum ſimile reſpicit. Clarum autem eſt, quòd cùm D. Bernardus dilectionem animæ erga Deum vocat matrimonij contractum, imò & complexum, loquitur de ſolo contractu & complexu ſeu actu qui proprius eſt animæ quo ipſa cum Deo vt ſponſo contrahit, eúmque tanquam ſponſum amplectitur. Huius ergo dilectionis nomine ſolum amoris actum quo hunc illa amat intelligit, non verò etiam mutuum illum amorem quo Deus eam redamat. Hic enim eius amor non eſt contractus & complexus quo cum eo anima contrahit, eúmque complectitur, ſed eſt contractus complexúſque quo Deus vt ſponſus cum ea tanquam cum ſponſa contrahit, eamque vt ſponſam amplectitur. II. III.

Poſtremum eſt, quod de eodem amore animæ tanquam ſponſæ erga Deum vt ſponſum loquens paulò pòſt addit: *Exigit Deus timeri vt Dominus, honorari vt pater, vt ſponſus amari: quid in his præſtat, quid eminet? nempe amor: abſque hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam: ſi per ſe ſufficit, per ſe placet, & propter ſe.* Quæ tam præclara de amore dici prout eſt amor formaliter, non vt diſpoſitio ad gratiam, aut ratione huius gratiæ, & præterea dici de amore, non vt completam inter Deum & animam amicitiam ſignificante, ſed ſolius dilectionis actum, quo anima Deum diligit, tam clarum eſt, vt in dubium reuocare nemo poſſit. Hanc autem dilectionem per ſe ſufficere, per ſe placere, & propter ſe, nunquam diceret ſanctus hic Pater, ſi eum cum peccato mortali poſſe natura ſua cõſiſtere exiſtimaret. IV.

Quæ hîc aduerſarij ad hæc omnia reſpondent, ſolùm probant, S. Bernardum citatis verbis loqui non de ſolo dilectionis actu quo anima Deum diligit, ſed de illo quoque quo viciſſim à Deo diligitur, ac proinde loqui de completa inter hunc & illam amicitia vtrumque dilectionis actum comprehendente, quod verum eſt: at non probant, ea quæ contendimus ab illo dicta eſſe de ſolo dilectionis actu quo anima Deum diligit, prout hic eius actus eſt, & à dilectione qua diligitur à Deo diſtinguitur, non de hoc ſolo actu ſic ſpectato dicta fuiſſe, ſed vt hanc quoque Dei dilectionem & dilectionis terminum complectente, quod probandum tamen eſſet vt aliquid contra nos fieret: ſed reuera probari nunquam poterit, cum tot argumentis contrarium nimis euidenter euicerimus. A V.

SECTIO VII.

Eadem ſententia ex vno Tridentini Concilij teſtimonio probatur.

DVo ſolùm ex hoc Concilio proferre volo teſtimonia ad eiuſdem ſententiæ confirmationem: quorum prius peto ex variis eius de charitate dictis, quæ habentur ſeſſionis 6. cap. 7. In primis enim poſt traditam hanc iuſtificationis definitionem, qua dicit illam eſſe, non ſolam peccatorum remiſſionem, ſed etiam ſanctificationem interioris hominis, qua fit ex iniuſto iuſtus, & ex inimico amicus, poſt relatas etiam huius iuſtificationis cauſas, nominatímque formalem, quam ait eſſe iuſtitiam Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, quamque in nobis recipimus, quibus verbis, vt patet, de forma formaliter iuſtificante & ſanctificante loquitur, iſta ſubiungit: *Quamquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur, id tamen in hac impiorum iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret.* B VI.

Quorum verborum ſenſus & vis vt perſpiciatur, ſciendum eſt quod in actis Tridentini Concilij legitur, nimirum in Epiſcoporum congregatione habita 30. Iunij fuiſſe propoſitum, vt totus iuſtificationis progreſſus explicaretur, & quo modo in ea nobis Chriſti merita applicarentur. Deinde verò ſequentibus in congregationibus communiorem Patrum congregatorum ſententiam fuiſſe, merita illa nobis applicari per aliquod gratiæ donum nobis collatum & phyſicè inhærens, vt patet ex reſponſione Epiſcopi vnius die 6. Iulij, & Epiſcopi alterius die 7. tunc quoque copioſè diſputatum fuiſſe, an præter iuſtitiam inhærentem opus eſſet noua meritorum Chriſti applicatione, ſeu iuſtitiæ eius imputatione, vt verè iuſti coram Deo eſſemus: & ex quadraginta Theologis quinque tantùm in partem affirmantem inclinaſſe, cæteris omnibus negantem defendentibus, quam proinde dubitandum non eſt Tridentinum Concilium amplexum eſſe, cùm ſoleant Concilia in explicatione rerum fidei amplecti doctrinam maioris partis Theologorum ſuorum. C VII. D VIII.

Quibus ex præmiſſis, multò certior & clarior erit vis & ſenſus verborum illorum, quæ ex Concilio paulò ante retulimus, & iſte eſt. Cum vna quidem ex parte definiuiſſet nos formaliter iuſtos eſſe per iuſtitiam nobis inhæ-

rentem, ex altera verò probè intelligeret, esse necessarium, vt quispiam formaliter iustus sit, ei Christi merita applicari, hincque consequens esse videretur, iustitiam qua formaliter iusti sumus in externa meritorum Christi applicatione seu imputatione consistere, non in dono gratiæ physicè & intrinsecùs inhærente: huic tacitè obiectioni occurrens, doctrinæ à se de iustitia nobis inhærente, qua formaliter iusti sumus, traditæ, subiungit hæc verba: *Quanquam enim nemo possit esse iustus*, &c. Quibus proinde significare voluit, nos nihilominus iustos esse formaliter per solam iustitiam nobis intrinsecam, & hanc iustitiam esse charitatem nobis inhærentem, quandoquidem non obstante quod iusti formaliter esse non possimus, nisi nobis Christi merita applicentur, hæc tamen nobis eo ipso applicantur, quo eorum intuitu iustitia nobis inhærens communicatur, alioqui non communicanda, seu, prout Concilium loquitur, quò passionis Christi merito diffunditur in cordibus nostris charitas Dei, & nobis inhæret, alioqui non diffundenda, quam proinde charitatem vult esse ipsam formaliter iustitiam nobis inhærentem qua iusti sumus.

I.

II.

Ex quo patet falsum esse quod aduersarij dicunt, Concilium particula *dum* quam vsurpauit significare nihil aliud voluisse, quàm concomitantiam temporis infusionis charitatis, & applicationis meritorum Christi in collatione formæ formaliter sanctificantis, quam negant esse charitatem, sed habitum gratiæ ab ea distinctum, qui propter Christi merita confertur à Deo eodem tempore quo charitas diffunditur. Cuius dicti falsitas, & nostræ doctrinæ veritas certius adhuc constabit ex his verbis ea quæ retulimus immediatè consequentibus: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur fidem, spem, & charitatem.* His enim vt patet continetur enumeratio donorum quibus perficitur absoluiturque illa iustificatio, quam antè definiuit, non solùm peccatorum remissionem, sed etiam sanctificationem & renouationem interioris hominis, qua fit ex iniusto iustus, & ex inimico amicus, quam proinde charitate tanquam forma formaliter sanctificante perfici vult & absolui.

III.

Quod vt clariùs adhuc significaret, immediatè verbis his ista subiungit: *Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.* Quibus verbis duo facit: in primis enim particula causali *Nam* qua vtitur, rationem reddit, cur cùm homo per iustificationem qua fit ex iniusto iustus, & ex inimico amicus, Christo inseratur, seu perfectè vniatur, & corporis eius viuum membrum fiat, debeat in iustificatione præter fidem aliquid aliud accipere: quæ ratio est, quòd fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, non possit hominem vnire perfectè cum Christo, & corporis eius viuum membrum efficere. Deinde satis aperte significat fidem accedente spe & charitate vnire cum Christo perfectè, viuúmq. corporis eius membrum efficere. Quare cùm certum sit fidem ratione spei præcisè non vnire perfectè cum Christo, aut corporis eius viuum membrum

IV.

constituere, quia virtus vtraque in peccatoribus remanet, restat vt Concilium velit eam id habere ratione charitatis, hancque proinde ex mente Concilij esse formam formaliter sanctificantem.

Quod præterea significauit, dum caput illud septimum sic concluſit. *Itaque veram & Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Iesum Christum illis donatam iubentur renati conseruare, vt eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, & habeant vitam æternam.* Dona enim in iustificatione homini cum remissione peccatorum simul infusa, fidem scilicet, spem, & charitatem, quorum immediatè ante mentionem fecerat, vocat veram Christianamque iustitiam, & stolam ei similem quam sibi nobisque primus noster parens inobedientia sua perdidit, quæ fuit haud dubiè stola sanctitatis. Vnde cùm de fide sit, fidem, & spem, non esse præcisè seu ratione sui veram ac Christianam iustitiam, seu sanctitatis stolam, restat vt Concilium hæc ei conuenire velit ratione charitatis, hancque proinde per se esse formaliter stolam illam, & iustitiam.

A

V.

VI.

B

Nec dicant aduersarij esse quidem, at non formaliter, seu ratione sui, sed causaliter, seu ratione gratiæ habitualis ad quam proximè disponit, & quæ perpetuò eam comitatur: tum quia cùm locis omnibus supra relatis Concilium charitatis expressam mentionem faciat, nullam gratiæ illius habitualis, cúmque nullibi charitatem ad illam gratiam disponere dicat, vt certò constabit ex vera interpretatione locorum quæ nobis ex illo obiiciuntur: imò cùm nusquam gratiam hanc ab illa distinctam agnoscat, non potest esse vlla legitima eis illud dicendi ratio, nobis autem est iustissima id dicendi quod dicimus: tum quia si Concilium gratiam à charitate distingueret, & de gratia locis suprà citatis affirmaret ea quæ de charitate affirmat, profectò sicut aduersarij certissimè inde probarent, & efficaciter inde se probare putarent, hanc gratiam esse formam per se formaliter sanctificantem, nec audiendos dicerent, qui esse quidem fatentur, at non præcisè ratione sui, sed extrinseci Dei fauoris ei coniuncti: ita cùm de charitate dicat, meritò de ea idem inde probamus, nec audiendos eos dicimus, cùm id de ipsa fatentur, at præcisè ratione solius gratiæ habitualis eam concomitantis.

C

VII.

Quam absque fundamento vllo meré ad placitum dicunt à Concilio significari vocabulis remissionis peccatorum quibus vtitur, quòd hæc remissio sit illius formalis effectus. Nam vocabula hæc significant quidem partem quandam iustificationis, quandoquidè hæc ex Concilij definitione non est sola peccatorum remissio, sed præterea sanctificatio & renouatio interioris hominis per dona gratiæ intrinsecùs recepta, & physicè inhærentia: at minimè significant, vtrum illa remissio sit formalis effectus alicuius formæ realis in iustificato receptæ, an non sit, & si alicuius est, cuiusnam sit. Imò si Concilium vult remissionem illam esse formalem effectum alicuius formæ realis, & hanc formam significatione prædictorum vocabulorum comprehendit, dubitari non potest, quin

D

VIII.

velit esse formalem effectum alicuius formæ ad iustificationem pertinentis, & proinde ex earũ numero quas in iustificatione infundi agnoscit, alias autem non agnoscit, quàm fidem, spem, & charitatem, quas solas enumerat: erit ergo ex eius mente formalis effectus fidei, spei,
I. & charitatis, at nõ fidei, aut spei, per se & præcisè, vt constat ex dictis: ergo charitatis: ratione cuius solius dicit Apost. ad Galat. cap. 5. fidem, & ex spiritu fidei profecta opera, valere aliquid, ad æternæ scilicet vitæ consecutionem, dum ait: *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur:* non quòd omnia opera bona elici aut imperari debeant à virtute charitatis, vt sint æternæ gloriæ de condigno meritoria, sed quòd debeant esse ab homine adiunctam suæ fidei charitatem habente, quæ si deesset, illud etiam meritum ab illis bonis operibus abesset.

SECTIO VIII.

II. *Ex altero eiusdem Concilij testimonio probatur, primáque ad illud responsio refellitur.*

POSTERIVS testimonium sumitur ex his Concilij verbis sess. 14. cap. 4. *Docet præterea* (nempe sancta Synodus) *etsi contritionem charitate aliquando perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare priusquam sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendum.* Circa quæ duo prænotanda sunt, de quibus nulla nobis cum aduersariis controuersia est. Primum est, iis agi de cõtritione, quæ ideo charitate perfecta dicitur, quia est formalis actus charitatis,
III. vt in Tractatu de pœnitentia disput. 18. sect. 1. probauimus. Secundum, votum sacramenti quod in illa includitur, non esse necessariò aliud quàm virtuale & implicitum, vt ibidem disp. 17. sect. item 1. probatum à nobis est.

Quibus prænotatis, sic ex illis Concilij verbis disputo. Non potest in actu perfectæ contritionis includi votum virtuale & implicitum suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, nisi ille actus sit ex se suáque natura forma formaliter sanctificans: atqui includitur, ergo est. Minoris veritas ex Concilio clara est. Maiorẽ sic probo. Actus ille non includit votum suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, nisi quia includit votum seruandi præcepta omnia sub mortali obligantia, de quorum numero est præceptum, quod peccatorem ad illius sacramenti susceptionem obligat: non potest autem includere votum seruandi præcepta omnia sub mortali
IV. obligantia, nisi sit ex se suáque natura forma formaliter sanctificans: ideo enim votum illud includit, quia qui actum illum elicit, dum elicit, ita vi eius dispositus est, vt non possit nolle seruare aliquod huiusmodi præceptum, imò non posset non velle positiuo voluntatis actu seruare, ex hypothesi, vel quòd tunc aliquis huiusmodi positiuus actus sit ad eius obseruationem necessarius, vel quòd habere se nolit merè negatiuè, sed positiuè circa eius violationem, aut obseruationem. Non esset autem homo vi eius ita dispositus, nisi is ex se suáque natura formaliter sanctificaret: vt enim vi eius ita sit necessariò dispositus, oportet esse formalem aliquã repugnantiam inter illius actus exercitium, & inter nolitionem seruandi præceptum sub mortali obligans, aut inter omissionem positiuæ vo-
A litionis seruandi, si hæc ad eius obseruationem necessaria est. Nulla autem repugnantia est, nisi quia hæc omissio aut illa nolitio mortale peccatum est: hoc autem stare cum actu illo ex natura rei non potest: atqui ea sola de caussa non potest, quia ille actus ex rei natura vera formalísque animæ sanctitas est, cum qua simul consistere peccatum vllum mortale ex rei natura impossibile est. V.

Ad huius argumenti vim labefactandam multa responderi possunt. Primum est, non esse hanc huius rei causam, sed aliam, nempe physicam inter actum perfectæ contritionis, & volitionem violandi præceptum sub mortali obligans repugnantiam ex obiectis circa quæ
B versantur prouenientem, qualis est inter attritionem de aliquo peccato, & volitionem illud iterum committendi, similitérque inter detestationem omnis & cuiuslibet peccati possibilis ex quocunque motiuo formali, & inter volitionem committendi peccatum aliquod etiam leuissimum. At quamuis vltro concedam, posse aliquam perfectam contritionem habere similem ex obiecto circa quod versatur cum volitione peccandi mortaliter repugnantiam, falsum tamen est omnem & quamlibet habere: ea enim non habet, nec habere potest, quæ est de certo aliquo peccato mortali vno aut multiplici, quia tale in specie seu tam graue peccatum mortale est, seu qua displicet peccatum homicidij v.c. commissum, quia talis in specie, támque grauis offensa Dei est, qui propter se placet, & propter quem hæc talis, & tanta peccati
C malitia displicet. VI.

VI. Nam si quis putat contritionem de peccato aliquo mortali, eo ipso quo perfecta est, seu propter Deum qui propter se diligitur, esse simul contritionem de omni, & quocunque, aut saltem de omni & quocunque mortali, aperte fallitur: contritio enim cùm sit essentialiter dolor de peccato commisso ab eo qui conteritur, de aliis esse peccatis quàm de commissis nõ potest, non commisit autem omnia possibilia peccata siue venialia siue mortalia is qui conteritur: aut si quis putet illam inuoluere simul odium & detestationem omnis & cuiuslibet peccati, aut saltem omnis & cuiuslibet mortalis, non minùs fallitur. Primò, quia si inuolueret omnis & cuiuslibet peccati, cum nullo perfectæ contritionis actu stare posset vllus actus peccati venialis, quod ex alibi dictis, & communi
D omnium iudicio falsum esse constat. VIII.

VIII. Secundò, quia vel ille odij & detestationis actus distinctus est à parte rei ab actu perfectæ contritionis, vel non est: si primum, de eo hîc non agimus, & cùm hunc contritionis actum non necessariò semper comitetur, illum abesse supponimus: sin autem secundum, odium istud & hæc detestatio nihil est aliud formaliter & essentialiter quàm contritio: quare sicut hæc de solis peccatis commissis potest concipi,

ita de

ita de iisdem solis potest odium illud & illa detestatio.

Quod si denique quispiam putet, prædictam perfectam cõtritionẽ, eo ipso quo perfecta est, esse contritionem seu displicentiam de peccato mortali commisso, quia offensa seu malum Dei est, aut quia mortalis offensa seu graue malum eius est, fallitur quoque: si enim esset talis contritio & displicentia, quia peccatum commissum offensa seu malum Dei est, inde consequẽs esset, cum nulla contritione stare posse actũ vllius peccati venialis. Sicut autem potest esse cõtritio & displicentia de peccato mortali commisso, absque eo quod displiceat quia in genere offensa & malum Dei est, ita potest esse absque eo quod displiceat in genere prout mortalis offensa seu graue malum ipsius est: displicebit enim aut displicere poterit tantùm, quia talis in specie mortalis offensa est, homicidij v.c. tamque graue malum eius, quàm graue peccatum illud est.

I.

Atque hoc quod hactenus contra primum illud responsum diximus, cõfirmatur efficaciter, ipsumque responsum refellitur præterea exactu amoris Dei, quo nihil aliud quàm bonum aliquod Deo propter ipsummet Deũ diligitur: hunc enim peccator eliciens, dum de suis peccatis nullo modo cogitat, iustificabitur, & in voto proinde sacramẽti, quod votum in illo amoris actu tam includitur, omniũ consensu, quàm in contritionis, dum conteritur: non includeretur autem, nisi qui eum elicit vi eius eodẽ prorsus modo dispõneretur, quo vi contritionis elicitæ disponi diximus, & proinde nisi ille amor, sicut & ista contritio, talis esset, vt stare cum volitione peccandi mortaliter ex rei natura non posset: cur autem stare non possit alia causa non est, quàm quia ille vera formalisq. animæ sanctitas est, cum ea autem mortale peccatũ ex rei natura prorsus incompossibile est. Ex obiectis enim circa quæ ille amoris & iste volitionis actus versantur, peti non potest physica illa inter eos repugnantia, cùm amor ille nullum peccatum quod auersetur pro obiecto habeat.

II.

III.

Quare tota, quam hic amoris & ille perfectæ contritionis actus habet cum quolibet & omni peccato mortali, repugnantia non aliunde petitur, quàm quia habet ex Deo tanquam ex obiecto formali à quo specificatur, vt sit actus perfectæ erga ipsum dilectionis: eo autem ipso quo talis actus est, habet vt sit vera formalisque animæ sanctitas, habetque consequenter eo ipso quo hæc sanctitas est, vt cuilibet atque omni peccato mortali repugnet: quæ proinde repugnantia in Deum tanquam in formale obiectum refundi potest, sed ita tamen, vt minimè posset, nisi ille dilectionis actus quem instar obiecti formalis specificat, esset eo ipso vera & formalis animæ sanctitas, quia eo casu quo non esset, licet à Deo eandem speciem acciperet, nullam cum quolibet peccato mortali repugnantiam haberet.

IV.

SECTIO IX.

Altera ad idem argumentum responsio refellitur.

A

SECVNDVM quod responderi potest, istud est, charitatem erga Deum, eo ipso quo est amor veræ beneuolẽtiæ erga ipsum, excludere per se & vi sua omnem voluntatem offendendi eum mortaliter, etsi supponatur non esse formalis animæ sanctitas: sicut amor beneuolentiæ erga hominem, qui certissimè non est huiuscemodi sanctitas, eo ipso quo talis erga eum amor est, excludit per se & vi sua voluntatem omnem eum offendendi tam grauiter, vt ob offensæ grauitatẽ meritò possit amicitia dissolui.

V.

B

At hoc responsum non satisfacit: ex eo enim tantùm habetur, quod & verissimum arbitror, amorem beneuolentiæ seu amicitiæ erga Deũ, eo ipso quo hic amor est, eandem habere repugnantiam cum volũtate offendendi ipsum grauiter, quam habet amor beneuolentiæ seu amicitiæ erga hominem cum voluntate eum grauiter offendendi, etsi ille erga Deum amor supponatur non magis esse formalis animæ sanctitas, quàm iste erga hominem amor est. Quare sicut hic amor excludit solùm vi sua, & formale odium erga amicum, & voluntatem offendendi eum grauiter in persona propria, vel rebus ad propriam personam pertinentibus, vt voluntatem eripiendi ei vitam, honorem, famam, fortunas, & similia, siue ex formali eius odio, siue non: ita ille alter vi sua solum excludet & formale odium erga Deum, & voluntatem eum grauiter offendendi, in rebus similiter ad ipsius propriam personam pertinentibus, & proinde voluntatem eripiendi ei, si fieri posset, diuinitatem, aut vitam, detrahendi ipsi honorem per blasphemiam, commVI.

C

mittendíque similia peccata, quibus grauiter in propria persona, propriisque eius bonis læditur, siue ex formali eius odio committantur, siue non.

VII.

At habet ille idem erga Deum beneuolentiæ seu amicitiæ amor, eandem cum quolibet peccato mortali quacunque in materia versetur repugnantiam, quam cum his offensis Dei personam propriam & propria bona grauiter lædentibus, támque excludit volũtatem quodlibet aliud mortale peccatum quàm offensas istas committendi. Cuius rei alia causa esse non potest, quàm quia est per se suáque natura formalis animæ sanctitas: quæ sanctitatis ratio cùm desit amori beneuolentiæ seu amicitiæ hominis erga hominem, hinc est, quòd non excludit voluntatem peccandi grauiter in quacunque materia, sed in ea sola qua ipse in propria sua persona, & propriis suæ personæ bonis læderetur.

D

VIII.

Dices, aliam esse huius rei causam, hanc nimirum, quòd non quodlibet graue peccatũ est grauis offensa hominis, at quodlibet grauis offensa Dei est, hincque fieri, vt cùm amor beneuolentiæ & amicitiæ erga hominem, eo ipso quo talis amor est, non possit excludere vi sua voluntatem cuiusuis peccati mortalis committendi, è contrario non possit non

excludere amor beneuolentiæ seu amicitiæ erga Deum, eo ipso quo huiusmodi amor est, etsi non sit sanctitas, sicut ille non est.

Sed contra, Peccatum mortale fornicationis, ebrietatis, furti, homicidij, & quoduis aliud simile, quo Deus nec formaliter odio habetur, nec in propria persona, bonisue propriis, vt per quædam alia mortalia peccata, læditur, non est offensa Dei, nisi quia peccatum est, nec grauis eius offensa, nisi quia graue peccatum est. Vt enim constat ex dictis in Tractatu de peccatis, disputationis 18. sectione secunda, in omni actu peccati, quod saltem prioris illius generis est, formalis offensæ ratio sequitur formalem peccati, vt peccatum est, & rectæ rationi aduersatur, malitiam, eámque essentialiter præsupponit. Actus ergo amoris beneuolentiæ seu amicitiæ erga Deum non repugnat cuicunque graui offensæ Dei, excluditque vi sua voluntatem eam committendi, nisi quia repugnat cuicunque graui peccato vt graue peccatum formaliter est, huiusque committendi voluntatem excludit, alia autem ex causa excludere & repugnare non potest, quàm quia est formalis animæ sanctitas: hîc enim ad grauem Dei offensam recurrendum non est, quandoquidem priusquam intelligatur in ratione grauis offensæ, iam intelligitur in ratione grauis peccati seu malitiæ contra rectam rationem, & cum hac graui malitia in illo priori ille actus amoris erga Deum formalem repugnantiam habere, eiusque admittendæ voluntatem excludere.

Et sanè si ille ipse erga Deum amor, eo ipso quo talis amor est, siue sit sanctitas, siue non sit, pugnat natura sua cum quolibet peccato mortali, in ea etiam materia, in qua vel solus peccans, vel solus proximus in propria persona, propriisque bonis corporis aut animæ læditur, quia quælibet huiusmodi grauis contra rectam rationem malitia grauis etiam offensa Dei est, seu radix illius iustæ offensionis, qua Deus infenso animo est erga eum qui tam grauiter deliquit, eundemque simpliciter inuisum & exosum habet ob illam grauem peccati malitiam quam contraxit, in hac enim radice formalis offensæ ratio vt offensa est posita est: consequens erit, quemlibet actum amoris beneuolentiæ erga hominem amicum, cui Deus ita dilectus erit & charus vt offensas contra personam eius admissas ferat grauiùs & molestiùs quàm commissas contra propriam suam, vt quilibet ferre meritò potest, cùm longè pluris facere Deum, multóque plus diligere quam seipsum debeat, stare non posse cum voluntate Deum ita grauiter offendendi, seu peccandi contra eum mortaliter, illámq. vi sua formaliter excludere: quod tamen certissimè falsum est, & quotidiana experientia nimis comprobatum: qua etiam constat, quòd si ille propter aliquam huiusmodi offensam ab amico suo contra Deum ita sibi dilectum & charum commissam velit omnem cum eo dissoluere amicitiam, desinátque eum in posterum diligere, diligi nihilominus ab eo poterit vero beneuolentiæ amore perinde atq. antea, aut etiam teipsa, velit, nolit, diligetur.

Vnde autem fit vt non excludat, sed cum ea stare naturaliter possit, nisi quia amor beneuolentiæ erga aliquem, siue Deum, siue hominem, eo ipso quo talis erga eum amor est, siue sit sanctitas, siue non sit, non potest excludere vi sua formaliter, nisi odium, & grauem eiusdem offensam, qua directè lęditur in persona propria, & bonis proprie ac singulariter ad eam pertinentibus? Vnde cùm amor beneuolentiæ seu amicitiæ erga Deum habeat præterea vt pugnet cum omni peccato mortali in quacunque materia, etiam ea, qua nullo modo Deus ita in propria persona læditur, excludátq. vi sua omnem huiusce modi peccati committendi voluntatem, id aliunde habere debet quàm ex formali præcisè ratione amoris illius, vt amor beneuolentię erga Deum est, aliunde autem habere non potest, quàm ex formali ratione veræ sanctitatis, quæ illi amori intrinseca, imò essentialis est, quæ eo ipso quo vera sanctitas est, repugnat omni peccato mortali, omnémque proinde eius committendi voluntatem vi sua formaliter excludit.

Atque hinc intelligitur ratio propter quam quilibet amor veræ beneuolentiæ seu amicitiæ erga Deum dicitur à D. Thoma 2.2. q. 24. art. 12. & à Theologis communiter, amor Dei super omnia, appretiatiuè scilicet, & quisquis eum hoc amore diligit, aut peccatum contra ipsum commissum perfectę contritionis actu huiusce modi amorem includente detestatur, diligere Deum super omnia, & peccatum super omnia detestari dicitur: hoc enim verè dicitur, non quòd diligat supra quæcunque bona amabilia quę amat, vel amare potest, aut detestetur super omnia mala detestabilia quæ detestatur, aut potest detestari, sed quòd diligat & detestetur super omnia bona & mala contraria, cum quibus ille amor & hæc detestatio non potest consistere: quæ quidem contraria alia non sunt quàm omnia & singula peccata mortalia, siue actu amoris & prosecutionis, siue odij & fugæ committantur, quos proinde omnes amoris & odij actus qui peccata mortalia sunt, debet ille Dei amor & illa peccati detestatio vi sua formaliter excludere, aut ad præsentiam alicuius huiusce modi actus necessariò desinere. Et quoniã hanc cum quolibet peccato mortali contrarietatem non habet ille erga Deum amor, vt præcisè beneuolentiæ amor est, sed vt prętera formalis animę sanctitas, vt ostendimus, consequens est, vt hinc solùm habeat quòd sit amor quo Deus appretiatiue super omnia diligitur.

SECTIO X.

Duæ aliæ ad illud responsiones refelluntur.

TERTIVM quod responderi potest, hoc est, in perfectæ contritionis actu non includi votum seruandi pręcepta omnia sub mortali obligantia, ac proinde suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, ratione pręcisè istius actus, sed habitualis gratię sanctificantis, cũ qua infallibilè habet ex Dei promissione aut decreto connexionẽ. Refellitur in primis, ex eo quòd in eleemosyna ergo, in oratione quoq. facta à peccatore vt par est, debitisq. cum circũstantiis, includetur votum seruandi pręcepta omnia sub mortali obligãtia, habet enim hęc & illa sic facta infallibilẽ ex Dei promissione cũ gratia in-

stificãte connexionẽ. Quis autẽ hactenus in his actib. prædictum votum admisit, aut cogitauit?

Deinde, quia consequens aperte esset, votum de quo agimus, non includi in ipso contritionis actu, contra expressa Tridentini Concilij verba, sed in solo gratiæ sanctificantis habitu.

I. Cùm enim sit virtuale tantùmodo implicitumque votũ, in ea sola re includitur, vi cuius formaliter homo sic disponitur, vt non possit non velle seruare præceptum sub mortali obligans: vi autẽ solius illius gratiæ ita disponetur, quia sicut hæc sola erit formalis animæ sanctitas, ita sola excludet ab eo volitionem omnem peccãdi mortaliter, faciétque proinde vt non possit non velle seruare præceptum quod sub mortali obligat, quia si posset id non velle, posset peccare mortaliter, & sic peccatum mortale consistere cum gratia, quod tamen impossibile est.

Nec quisquam dicat in habitu non posse formaliter includi votum virtuale, de quo loquimur: id enim certissimè falsum esse hinc constat, quòd si peccator bona fide putãs se esse

II. in statu gratiæ sanctificantis, de peccato suo mortali tantùm attritus, accedat ad Eucharistiam, ex eaque iustificetur, vt reipsa futurum multi docent, & reipsa futurum erit, si extremã vnctionem suscipiat, vt suo loco docebimus, certè in voto sacramenti pœnitentiæ iustificabitur: quia omnis à peccato mortali post baptismum commisso iustificatio fit per solum pœnitentiæ sacramentum vel in re vel in voto susceptum, hoc autem votum eius suscipiendi in eo casu de quo agimus nulla alia in re includetur, quàm in prædicto gratiæ sanctificantis habitu per Eucharistiæ vel extremæ vnctionis sacramentum collato, quia vi nullius alterius rei ita disponetur homo iustificatus, vt non possit nõ habere voluntatem illud suscipiendi, eo quòd nulla alia res formalem habebit repugnantiam

III. cum mortali peccato, ac proinde cũ nolitione qua nollet illud suscipere, aut cũ omissione volitionis illud suscipiendi, ex hypothesi quòd ad hanc volitionẽ habendã sub mortali obligetur.

Atque vt si à Tridentino aut ab alio verè dictum fuisset, hoc votum in illo habitu includi, rectè inde concluderetur, illum ex se suaq. natura esse formã formaliter sanctificantem, quia nisi sic sanctificaret, nullã ex vllo capite repugnantiam haberet cum peccato mortali, ac proinde cum volitione violãdi præceptũ sub mortali obligans, consequentérq. hominem vi sua non ita disponeret, vt non posset non velle seruare præceptum quod sic obligat: ita cum illud ipsum votũ in actu perfectæ cõtritionis includi disertè Tridentinum affirmauerit, rectè inde concluditur, illũ ex se suaq. natura sanctificare formaliter, quia nisi sic sanctificet, nullam vllo

IV. alio ex capite, vt probauimus, repugnantiã habebit cum peccato mortali, ac proinde cum prædicta volitione violandi præceptum sub mortali obligans, consequentérque nec ita vi sua disponet hominem, vt non possit non velle huiusmodi præceptum obseruare.

Ex his patet falsum esse quod ex aduersariis nonnulli quarto loco respondent, nempe dari posse aliquem actum, qui includat in se formaliter votum sacramenti pœnitentiæ, & in hoc

A voto iustificet, etsi nec ex obiecto materiali, nec ex formali, nec ex ratione sanctitatis, quia sanctitas non erit, vllam habeat cum mortali peccato repugnantiam: & proinde quantumcunq. perfectæ contritionis actus illud in se votum includat, in eóq. iustificet, non esse consequens, ipsum esse formam formaliter sanctificantem. talem autem futurum actum spei, suppositâ sacramenti pœnitẽtiæ necessitate ad salutem tali qualis nunc est, si Deus promisisset gratiã sanctificantem dandam intuitu illius actus eodem instanti temporis quo exerceretur: talem quoq. reipsa actum nunc esse sacramentum ipsum extremæ vnctionis, dũ iustificat in voto sacramẽti pœnitentiæ peccatorem, qui bona fide putãs se in statu gratiæ esse illud suscipit. Ex dictis enim, nominatímque ex supra declarata vera ratione, propter quam res aliqua votum implicitum rei alterius esse dicitur, aut in se formaliter illud includere, manifestè constat votum sacramenti pœnitentiæ neq. tunc inclusum iri in illo spei actu, neque nunc reipsa includi in ipso extremæ vnctionis sacramento, sed in sola sanctifi-

B ficante gratia quæ nunc per hoc sacramentum peccatori illi confertur, & tunc ad præsentiam actus illius à Deo conferretur, quandoquidem hæc sola, vt ostẽdimus, vi sua excluderet ab homine omnem voluntatem peccandi mortaliter, facerétque proinde vt non posset non velle suscipere sacramentum pœnitentiæ, sicut & seruare quodlibet aliud præceptum, quod similiter sub mortali obligat. VI.

At in primis opponũt actum illum spei prædicto casu iustificaturum vt votum sacramenti pœnitentiæ, quia faceret id ad quod sacramentum hoc institutum est: sed id falsum est: nam quod vt votum sacramenti iustificat, debet iustificare nõ efficienter, sed formaliter: nisi enim votum sacramenti sit, non iustificabit vt votum sacramenti: non erit autem votum sacramenti

C nisi formaliter iustificandi vim habeat, vt ex propria huius voti natura probauimus. Vnde & ipsum sacramentum cùm efficienter solùm iustificare possit, nullius alterius sacramenti votũ est, aut esse potest, ratione sui præcisè, sed ratione solius habitualis gratiæ quæ eius effectus est, quæque formaliter iustificat. Ille autem spei actus non iustificaret formaliter, sed solum efficienter: nihil enim iustificare formaliter potest, nisi quod est ipsa formalis iustitia seu sanctitas, qualem non esse vllum actum spei apud Catholicos certum est. VII.

Opponunt secundò, gratiam per sacramentum extremæ vnctionis collatam peccatori de quo locuti sumus, non posse esse votum sacramenti pœnitentiæ, eumque in hoc voto iustificare, quod sic probant. Ratio voti in vi cuius confertur aliquis effectus, debet esse prior, saltẽ

D naturâ, effectu qui confertur: atqui gratia sanctificans collata per extremæ vnctionis sacramentum non habet in priori naturæ rationem voti pœnitentiæ, quàm peccatorem cui confertur iustificet seu sanctificet, & emundet à peccato mortali, quia primarius eius formalis effectus est hominis iustificatio seu sanctificatio, consequentérque ab hoc peccato emundatio. Ergo non iustificat & emundat vt votum sacramenti pœnitentiæ. VIII.

Confirmant primò, gratia hæc est effectus sacramenti pœnitentiæ in voto: ergo non potest esse votum quod sit causa prædictæ iustificationis & emundationis, tanquam effectus. Confirmant secundò, votum sacramenti debet agere seu iustificare eodem in genere causæ in I. quo sacramentum: at sacramentum in genere causæ efficientis agit, seu iustificat, gratia autem in genere causæ formalis: ergo votum sacramenti esse non potest.

At respondeo illo argumento, primaque eius confirmatione supponi quiddam à nobis dici quod minimè dicimus, & reipsa falsum est, nempe gratiam sanctificantem, quam vere dicimus esse votum sacramenti, & iustificare in voto sacramenti, iustificare vi voti huius, itavt iustificandi vim ex hoc voto accipiat, priúsq. proinde sit naturæ ordine eã votũ illud esse, quam iustificãdi vim habere, & iustificare. E contrario enim asserimus eam per se independenter ab hoc voto iustificandi vim habere, cùm per se & independenter ab eo sit formalis animæ sanctitas, II. priúsq. proinde natura eam habere vim formaliter iustificandi seu sanctificandi, consequentérque emundandi à peccato mortali, quam rationem illius voti: tantumq. abesse vt iustificet, quia votum est, vt è contrario ideo votum sit, quia iustificat seu sanctificat: nisi enim sua vi formaliter sanctificaret, non posset esse omni peccato mortali repugnans, nec proinde posset excludere voluntatem violandi præceptum sub mortali obligans, & consequenter esse votum implicitum seruandi præcepta omnia sub mortali obligantia, atque adeo suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, quandoquidem ad illud suscipiendum sub mortali obligatur peccator, qui post baptismum re susceptum in mortale peccatum lapsus est, quantumuis ab eo sit iam iustificatus, vel beneficio alterius sacramenti susceptí, vel extra sacramentum actu perfectæ III. contritionis elicito.

Quoniam ergo gratia sanctificans collata peccatori per extremæ vnctionis aliúdve sacramẽtum à pœnitentia diuersum, quantumuis eum formaliter vi sua sanctificet, & emundet à macula cuiusuis peccati mortalis, relinquit eundẽ nihilominus obligatum sub mortali ad pœnitentiæ sacramentum suscipiendum, quod directè institutum est ad eum finem, vt iustificationem à peccatis mortalibus post baptismum admissis tribuat: hinc est, quòd vere dicitur & esse votum huius sacramenti suscipiendi, sicut & seruandi cætera omnia præcepta sub mortali obligantia, & iustificare in voto huius ipsius sacramenti, licet independenter & ab hoc sacramento, & ab illo voto vim iustificandi seu sanctificandi habeat, consequenterque emundandi animam à macula cuiuslibet mortalis peccati, sicut IV. independenter ab vtroque est per se suaque natura formalis animæ sanctitas, vt & erat antequam hoc sacramentum institueretur, eiúsque proinde votum esset, aut in se includeret.

Ad primam illam confirmationem solùm addo, gratiam collatam per extremæ vnctionis, aliúdve sacramentum, quam dicimus esse votũ sacramenti pœnitentiæ, nõ esse effectum huius sacramenti in voto, quia omnis sacramenti vt sacramentum est effectus est ex opere operato, gratia autem illa non est effectus ex opere operato sacramenti pœnitentiæ: nullus enim ex opere operato est effectus sacramenti, nisi eius quod reipsa susceptum est: antequam enim reipsa suscipiatur, ex opere operato non operatur. Est ergo eadem illa gratia effectus solius illius sacramenti per quod reipsa producta est, simili térque emundatio à macula peccati mortalis, & reconciliatio peccatoris cum Deo, quæ per hanc gratiam formaliter fit, non debet ob eandem causam dici effectus sacramenti pœnitentiæ in voto, sed effectus formalis voti sacramenti, seu eius formæ, quæ votum sacramenti est: quem effectum formalem perinde habet, siue per aliquod sacramentum à pœnitentia diuersum collata sit, siue à solo Deo extra sacramentum. A V.

Ad secundam autem confirmationem dico, falsitatem maioris propositionis euidentem esse ex iis quæ soluentes primam de actu spei oppositionem diximus.

SECTIO XI. VI.

Eadem sententia affirmans vno S. Thomæ testimonio probatur.

PRÆTER allatas hactenus ex Scripturis, SS. Patribus, & Trident. Concilio authoritates quibus nostram sententiam probauimus, multa suppetunt nobis ad eius cõfirmationem S. Doctoris testimonia, quibus in referendis vt ordine progrediar, primum profero quod habetur 2. 2. q. 23. art. 2. ad 2. vbi de charitate habituali loquens, vt & ex argumento cui respondet, & ex totius articuli doctrina, & ex cõmuni Theologorum omniũ consensu certum est, ait charitatem esse formaliter vitam animæ sicut est anima corporis. Certum autem est apud omnes, aliam animæ vitam non esse formaliter, VII. quam veram formalémque sanctitatem. C

Respondent primò Aduersarij, animam esse vitam corporis, & in genere causæ formalis, eo ipso quo corpus informat, & in genere causæ efficientis, eo ipso quo est principiũ effectiuum vitalium operationum quæ sunt vita in actu secundo: at charitatem dici à sancto Doctore vitam animæ sicut est anima corporis, non in genere causę formalis, quasi eo ipso quo informat animã, eam spiritaliter & formaliter viuificet, sicut anima in illo genere viuificat corpus eo ipso quo illud informat: sed in solo genere causæ efficiẽtis, quia est principium effectiuum actuum charitatis, qui sunt vita in actu secundo, eo ipso quo formaliter & in actu secundo sanctificant hominem, æternæque vitæ condi- VIII. gnum meritum habent. D

Sed refelluntur in primis, eo quòd merè gratis & ad arbitrium comparationem à S. Doctore institutam, eiusque verba contra propriam apertamque eorum significationem eo modo explicant, cùm non minùs claré propriéque significent charitatem esse vitam animæ in genere causæ formalis, sicut anima est corporis, quàm in efficientis.

Secundò, quia vult expresè sanctus Doctor esse vitam animæ etiam in genere causæ forma-

lis, sicut est anima corporis, vt ostendo duobus his argumentis. Primum est: vult esse vitam animæ in genere causæ efficientis, quia est principium effectiuum actuum vitalium, nempe actuum charitatis, qui sunt vita in actu secundo, vt aduersarij interpretantur: ergo vult etiam esse vitam animæ in genere causæ formalis: quemadmodum si anima est principium effectiuum quorundam actuum vitalium, seu qui sunt vita in actu secundo, rectè sequitur ipsam esse vitam corporis in actu primo, seu in genere causæ formalis. Et ratio euidens est, quòd nulla actio esse possit vitalis seu vita in actu secundo, nisi procedat à principio quod sit vita formaliter, seu in actu primo, & in genere causæ formalis.

I. A

Secundum argumentum petitur ex verbis D. Thomæ respondentis ad secundum argumentum, quo vt probaretur nullum esse charitatis habitum in anima qui esset principium effectiuum actuum charitatis, sed Deum per seipsum suamque substantiam esse vnitum animæ instar istius habitus, sic obiiciebatur: *Deus est spiritualiter vita animæ, sicut anima est vita corporis: sed anima viuificat corpus per seipsam, ergo Deus viuificat animam per seipsum: viuificat autem eam per charitatem, ergo ipse Deus est charitas.* Vbi aduertendum est Minorem huius argumenti debere necessariò intelligi de viuificatione corporis per animam in genere causæ formalis, conclusionémque similiter de viuificatione animę per Deum in eodem veluti genere causæ, vt inde rectè tandem concluderetur, nullum esse in anima charitatis habitum eam informantem, ac proinde viuificantem in genere causæ formalis, sed Deum ei vnitum esse instar & loco istius habitus. Iam verba quibus S. Doctor huic argumento respondet hæc sunt. *Ad secundum dicendum, quòd Deus est vita effectiuè & animæ per charitatem, & corporis per animam: sed formaliter charitas est vita animæ, sicut anima corporis. Vnde per hoc potest concludi, quòd sicut anima immediate vnitur corpori, ita charitas animæ.* Quibus paucis in verbis, tribus distinctè locis non obscurè significat, velle se, charitatem esse vitam animæ in genere causæ formalis.

II.

III.

Primo iis quæ vocabula hæc *sed formaliter* antecedunt: quis enim non videt eum velle Deum esse effectiuè vitam animæ per charitatem, quia est causa efficiens charitatis, quæ est ipsa formaliter animæ vita, sicut est effectiuè vita corporis per animam, quia est causa efficiens animæ, quæ est ipsa formaliter vita corporis?

Deinde consequentibus istis, *sed formaliter charitas est vita animæ, sicut & anima corporis*: particula enim aduersatiua *sed* manifestum est indicium discriminis à S. Doctore positi inter modum quo Deus est vita animæ, & quo charitas, quòd nimirum ille sit effectiuè, seu in genere causæ efficientis, at ista formaliter, seu in genere causæ formalis, sicut & anima corporis formaliter, seu in hoc ipso genere vita est. Quo discrimine posito, tota vis argumenti quod sibi S. Doctor obiecerat soluitur, non posito, remanet, vt intuenti patebit.

IV.

Denique reliquis his, *Vnde per hoc potest concludi*, &c. Quibus aperte significat se ex immediatè antè dictis colligere charitatem tam immediatè vniri animæ quàm animam corpori, consequenterq. falsum esse quod in argumento obiiciebatur, nullum esse in anima charitatis habitum ipsam informantem, seu per inhæsionem ei vnitum, sicut accidentia suis subiectis vniuntur, sed Deum per se ipsum suamque substantiam formaliter ei immediatè vnitum esse loco istius habitus: colligit autem rectè charitatem immediatè vniri animæ, sicut animam corpori, ex eo quòd sit formaliter animæ vita, seu in genere causæ formalis, sicut anima in hoc ipso genere vita corporis est: vnde & rectè colligitur esse eam immediatè vnitam corpori: male autem colligeret, si vellet tantùm esse vitam animæ in genere causæ efficientis, sicut ex eo quòd Deus sit eius vita in hoc efficientis causæ genere, malè colligeretur eum esse immediatè vnitum animæ, sicut animam corpori.

C

V.

Dicet hîc fortè aliquis, his quidem euinci charitatem habitualem esse vitam animæ tam in genere causæ formalis quàm efficientis, at id ei non conuenire ratione sui, sed solius gratiæ habitualis, quæ sicut sola est per se formalis animæ sanctitas, ita est sola per se animæ vita, quæque eo ipso quo charitatis habitum veluti informat, facit eum esse formalem animæ vitam, seu in genere causæ formalis: eo autem ipso quo similiter informat actus ab illo habitu physicè elicitos, eisque condignum æternæ vitæ meritum communicat, facit eundem esse vitam in genere causæ efficientis.

B

VI.

Refellitur primo, quia consequens erit, quemlibet habitum veræ virtutis, siue Theologicæ, siue moralis, siue acquisitæ, siue infusæ, existentem in homine prædito gratia sanctificante esse veram animæ vitam formaliter, seu in genere causæ formalis: quilibet enim perinde tunc ab illa gratia informatur, atque charitatis: esse quoque in genere causæ efficientis, quia quilibet est æquè principium actus boni, qui eo ipso quo fit ab homine illam gratiam habente eâ perinde informatur, ab eâque perinde condignum æternæ vitæ meritum accipit: sicut autem nunquam sanctus Doctor diceret virtutes à charitate distinctas, etiam morales infusas quæ perpetuò gratiam sanctificantem comitantur, esse vitam animæ, vt est anima corporis, ita cum de charitate dixerit, non illo sensu dixit, sed eo quo nos dicimus.

VII.

Secundò, quia falsò dixisset charitatem esse vitam animæ formaliter, sicut anima est formaliter vita corporis, si cùm anima sit per se ipsam vita, charitas per se non esset vita, sed potiùs per se res mortua, quæ per gratiam viuificaretur, vt corpus per animam, cuiusmodi mortua per se res erit, si per se nullam habet cum mortali peccato repugnantiam.

D

VIII.

Tertiò, quia sicut falsò dixisset Deum esse effectiuè vitam corporis per animam, seu quia est causa efficiens animæ, nisi hæc per se esset formaliter vita corporis, ita falsò dixerit Deum esse effectiuè vitam animæ per charitatem, seu quia est causa efficiens charitatis, nisi hæc per se sit animæ vita formaliter: atque vt si dixisset Deum esse effectiuè beatitudinem animæ per claram sui visionem, seu quia est causa efficiens huius visionis, conse-

quens esset, vt vellet hanc visionem esse per se formaliter animę beatitudinem, ita cùm dixerit Deum esse effectiuè vitâ animæ per charitatem, consequens est, vt voluerit hanc esse per se formaliter vitam animæ.

Denique, quia cùm S. Doctor hîc agat ex professo de charitate, spectétque ea quæ sunt ei vel essentialia, vel propria, prout est formaliter charitas, & à quocunque alio distinguitur, asserens esse formalem animæ vitam, vult esse vitam per se seu ratione sui, non verò per accidens, seu ratione alterius. I.

His argumentis conuicti ex aduersariis nonnulli coacti sunt hanc secundam excogitare responsionem, & dicere, charitatem quidem dici à S. Doctore vitam animæ in genere causæ formalis, sicut anima in huius causæ genere vita corporis est, sed in hoc ipso genere duplicem esse supernaturalem animæ vitam, vnam essentialem, alteram accidentalem: sicut & naturalis vita corporis in eodem causæ formalis genere duplex est, vna essentialis, nempe anima, altera accidentalis, nimirum connaturalis animæ facultas vitalis eam informans, propriumque vitalium operationum instrumentum. Porrò essentialem animæ vitam supernaturalem esse solam gratiam habitualem in substantia animæ immediatè sedem habentem, accidentalem autem esse charitatem: sed quemadmodum soli essentiali vitæ naturali mors viuentis opponitur, accidentali autem sola priuatio facultatis vitalis animæ connaturalis, ita soli essentiali animæ vitæ supernaturali opponi mortem spiritalem eiusdem animæ, seu peccatum mortale: charitati autem, cum sit accidentalis vita, non opponi, cum eaque proinde posse absolutè consistere. II.

Quam responsionem suam confirmant ex eiusdem S. Thomæ doctrina 1.2. quæst. 110. art. 1. ad 2. in quo ait Deum effectiuè esse vitam animæ per gratiam, hanc autem esse animæ vitam formaliter, vt est anima corporis. Quare cùm charitatem à gratia distinguat, & idem de illa 2.2. cit. art. 2. dixerit quod de ista dixit hac 1.2. cit. art. 1. consequens manifestè esse, illum admisisse duplicem formam creatam quæ sit supernaturalis animæ vita in genere causæ formalis, noluisse autem vtramque esse eodem modo supernaturalem animæ vitam, & proinde voluisse vnam, nempe gratiam, esse essentialem eius vitam spirituali eiusdem morti seu mortali peccato oppositam, alteram autem, nimirum charitatem, esse duntaxat accidentalem, nullam habentem per se cum hoc peccato oppositionem, cùm præsertim gratiam à charitate, aliisque virtutibus per se infusis distinxerit, vt animam à vitalibus eius potentiis, voluerítq. virtutes has ab illa gratia tanquam ab essentia connaturaliter ortum habere, sicut hæ potentiæ vitales ab anima tanquam ab essentia connaturaliter ortum habent. III. IV.

Refellitur hæc responsio, non modò quia tota præter mentem S. Doctoris est, quod ad eius plenam refutationem sufficeret, quandoquidem hîc de illius mente disputatio est, sed etiam quia contra mentem est. Est quidem præter mentem, quia allata vitæ animæ in essentialem & accidentalem distinctio nusquam apud eum legitur, aut vllum eius vestigium reperitur, vt nec auditum vnquam in Philosophia, vitalem animæ facultatem seu potentiam esse vitam accidentalem naturalem, vel ipsius animæ, vel corporis.

Contra mentem autem etiam est, quia est cõtra hæc eius expressa clarissimáque verba: *Deus est vita effectiue & animæ per charitatem, & corporis per animam: sed formaliter charitas est vita animæ, sicut & anima corporis.* At anima corporis vita est non accidentalis, sed essentialis. Charitas ergo animæ vita essentialis est, non accidentalis. Et sanè si voluisset esse animæ vitam, non sicut est anima corporis, sed solùm sicut est facultas vitalis animæ, tam facilè potuisset dicere charitatem esse formaliter vitam animæ, sicut facultas animæ est vita corporis, quàm dicere, sicut est anima corporis: imò illud dicere debuisset, istud non dicere: istud autem dixit sæpius, illud nunquam. Vnde quò sensu voluerit charitatem formaliter esse animæ vitam, clarum relinquitur. A V.

Nec refert primò, quòd gratiam à charitate distinxerit, & vtramque esse formaliter animæ vitam dixerit, sicut est anima corporis: hinc enim solùm concludendum est, eum magnouisse duplicem formam creatam, quarum quælibet est essentialis animæ vita, sicut anima est essentialis vita corporis, habétque proinde formalem cum spiritali animæ morte seu mortali peccato repugnantiam: quam duplicem formam ab illo tuisse admissam non magis incredibile aut mirabile videri debet, quàm à nostræ sententiæ defensoribus, imò ipsis quoque eius aduersariis saltem aliquibus, duplicem huiusmodi formam admitti, quarum vna est charitatis erga Deum habitus, altera actus, ex illorum doctrina: ex horum autem, vna, gratia habitualis, altera, clara Dei visio. Nec magis refert secundò, quòd hanc gratiam habere se voluerit ad charitatem, & quasdam alias similes virtutes per se infusas, sicut essentiam ad proprietates, & animam ad suas potentias: hinc enim tantùm sequitur, eum existimasse, vnam ex gratiæ tanquam essentiæ proprietatibus tam esse essentialem animæ vitam, quàm aut ipsa gratia est, aut anima corporis: in quo nihil repugnantiæ aut absurdi est. B VI.

Quòd si charitatis habitus ex mente S. Doctoris, vt probauimus, est per se & ratione sui animæ vita formaliter, ac proinde formalis eius sanctitas, erit etiam ex eiusdem mente & rei veritate, pari saltem, imò potiori iure actus: quia, vt post Aristotelem lib. 9. Metaph. tex. 19. docet ipse S. Thomas 1.2. quæst. 71. art. 3. bonitas actus virtutis potior est bonitate sui habitus: sicut & actus mali malitia potior est ea quæ est propria vitiosi habitus. Et ratio à priori est, quòd habitus operatiui non sunt boni vel mali, nisi quia sunt principia effectiua actuum bonorum aut malorum, quibus inest primò & per se formalis bonitas moralis, aut malitia, nec suam habent bonitatem aut malitiam nisi ex obiectis circa quæ versantur, obiectorum nomine comprehendendo etiam circunstantias, vt obiecta partialia. Circa quæ cùm versari non possint nisi mediantibus actibus, actus autem circa eadem C VII. D VIII.

immediatè verſentur, ac proinde perfectius, ab iis quoque perfectiùs hi quàm illi bonitatem aut malitiam moralem accipiunt.

SECTIO XII.

Eadem ſententia altero S. Thomæ teſtimonio probatur.

I. A SECVNDVM eiuſdem S. Doctoris teſtimonium petitur ex citati artic. 2. reſponſione ad 3. in qua poſtquam dixit charitatem operari formaliter, id eſt, eſſe formale principium effectiuum, quo tanquam inſtrumento Deus vt cauſa principalis vtitur ad proprium eius actum efficiendum, propterea que illam non eſſe infinitam, ſubiungit hæc verba: *Sed quod facit effectum infinitum dum coniungit animam Deo, iuſtificando ipſam, hoc demonſtrat infinitatem virtutis diuinæ qui eſt charitatis actor.* Quæ verba Caietanus exponens ſic ait. *Charitas quæ diuini ordinis eſt, & formaliter facit hominem ſic coniunctum Deo habitualiter, & per actum elicitum actualiter: ſic autem eſſe coniunctum Deo infinitum quiddam eſt excedens omnem efficaciam omnis agentis creati, & creabilis.*

II. B Sed vt concedamus aduerſariis id quod volunt, nempe S. Doctorem non loqui de charitate habituali formaliter, ſeu in genere cauſæ formalis hunc formalem infinitum effectum habente, qui eſt coniungere animam Deo iuſtificando ipſam, ſed effectiuè ſolùm per actum charitatis quem efficit, quo formaliter anima Deo coniungitur, & iuſtificatur, qui effectus infinitus eſt: certè hinc aperte colligitur ex mente S. Doctoris actum hunc eſſe formalem animæ ſanctitatem: niſi enim eſſet, per hunc charitas habitualis effectiuè, & hic ipſe per ſe formaliter animam Deo non coniungeret, ipſamque iuſtificaret.

III. C Nec reſponderi in primis poteſt, actum hunc iuſtificare quidem, ſed diſpoſitiuè duntaxat, tum quia modum hunc iuſtificationis, animæque cum Deo coniunctionis, qui per ſe peccatum mortale non excludit, ſed ſecum potiùs naturaliter patitur, nunquam S. Doctor infinitum effectum appellaret: tum quia loquitur de actu charitatis, cuius effectiuum principium eſt habitualis charitas, quam naturæ ordine præcedit in anima gratiæ ſanctificantis habitus, vt aduerſarij docent: actus autem charitatis ex hoc & illo habitu procedens non ſanctificat diſpoſitiuè tantùm, ſed etiam formaliter, vt eorundem expreſſa doctrina eſt.

IV. D Nec reſponderi ſecundò poteſt, charitatem quidem habitualem effectiuè per actum charitatis elicitum, & hunc formaliter ſe ipſo coniungere animam Deo, eamque iuſtificare, at non per ſe, ſeu ratione ſui, ſed ſolius habitualis gratiæ, quæ ſola eſt formalis animæ ſanctitas. Nam hæc reſponſio menti S. Doctoris aduerſatur, vt conſtat in primis ex eo quod ait hunc effectum licet infinitum non arguere quidem charitatem eſſe infinitam, vt tertium argumentum cui reſpondet inde arguebat, ſed demonſtrare infinitatem virtutis Dei qui eſt charitatis actor: hanc autem demonſtrare falsò diceret, niſi effectum illum infinitum charitati per ſe & ratione ſui attribueret: nam ſi per ſe ſoli gratiæ habituali vellet conuenire, demonſtraret quidem infinitatem virtutis Dei: at non prout eſt charitatis actor, ſed prout huius gratiæ habitualis. Adde quòd argumento illi tertio quo ex prædicto effectu infinito concludebatur charitatis infinita virtus, reſpondiſſet breuius & V. directiùs, ac reſpondere etiam debuiſſet, male id concludi, cùm id charitati per ſe & ratione ſui non conueniret, ſed per accidens tantùm, & ratione alterius.

Deinde ex eo quòd tam cuilibet virtuti pure morali per ſe infuſæ quam charitati infinitum illum effectum attribuere poſſet, cùm quælibet effectiuè per actum ſuum coniungat animam Deo, eamque ſanctificet ratione gratiæ habitualis cui coniungitur, quia quilibet huiuſcemodi actus ab illa virtute phyſice, ab hac autem gratia moraliter procedens, vt effectus a cauſa, ratione gratiæ iſtius, eſt ſe ipſo formalis ſanctitas hominem formaliter reddens ſanctiorem quam antea eſſet: vnde & maiori in cœlo dignum gloria reddit formaliter: ſicut autem VI. hoc S. Doctor de nulla virtutum iſtarum abſolute diceret, vt abſolutè de charitate dixit, ita non illo ſenſu dixit, ſed eo quo nos dicimus.

Ex quibus patet, quam abſque cauſa, quamque falsò ex aduerſariis nonnulli S. Thomam dicentem charitatem habitualem operari formaliter, exponant de charitate formata per gratiam, operante proprium actum ſuum phyſice in genere cauſæ efficientis, itavt hæc ab eo vſurpata vocabula, *charitas formaliter*, idem ſignificent quod iſta, *charitas formata per gratiam*: quo modo & ſenſu loqui nulli vnquam Theologo venit in mentem, nec venire potuit S. Doctori in prædicta ad 3. reſponſione, vtpote qui tam ineptus non erat, vt cum illo tertio argumento quod ſibi obiecerat, de ſola charitate vt charitas eſt, & à quocunque alio diſtinguitur, ageretur, de alio quam de ea ſic ſpectata reſponderet. VII.

SECTIO XIII.

Tertio eiuſdem S. Doctoris teſtimonio probatur.

TERTIVM teſtimonium ſumitur ex eadem 2. 2. quæſt. 24. art. 10. in corpore, vbi ſic loquitur S. Doctor, *Peccatum mortale totaliter corrumpit charitatem, & effectiuè, quia omne peccatum contrariatur caritati, & etiam meritorie, quia qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit, dignus eſt vt Deus ei ſubtrahat charitatem.* Atqui nulla cauſa eſſet, cur omne mortale peccatum corrumperet charitatem VIII. effectiuè, id eſt, phyſice, ſeu ex natura rei, niſi charitas eſſet formalis animæ ſanctitas, ergo eſt.

Duplex aduerſariorum reſponſio eſt: prima, effectiuè hoc loco non eſſe idem quod phyſicè, ſeu ex natura rei, quod probant duobus argumentis. Vnum eſt, quòd articulo 12. S. Doctor explicans quo pacto mortale peccatum effectiuè contrarietur charitati, eamque corrumpat, ait, *Deum ſic ſe habere in infuſione & conſeruatione charitatis, ſicut ſol in illuminatione aëris: &*

ideo ſicut lumen ſtatim ceſſaret eſſe in aëre per hoc quòd aliquod obſtaculum poneretur illuminationi ſolis, ita etiam charitas ſtatim deficit eſſe in anima per hoc quòd aliquod obſtaculum ponitur influentiæ charitatis à Deo in animam: manifeſtum autem eſſe, quòd per quodlibet mortale peccatum prædictæ infuſioni obſtaculum ponitur. Hinc enim ſic ratiocinantur. Si mortale peccatum phyſicè & ex natura rei charitatem corrumperet, in ſolo genere cauſæ formalis corrumperet, charitatis enim expulſio ab anima & interitus eſſet eius effectus formalis: at non ita corrumpit, nam corrumpit ſolùm ſicut corpus opacum interpoſitum inter ſolem illuminantem & aërem illuminatum deſtruit lumen in eo productum, at non deſtruit in genere cauſæ formalis: nec enim luminis iſtius corruptio formalis eius effectus eſt. I.

Alterum eſt, quòd ſi phyſicè, ac proinde in genere cauſæ formalis, peccatum mortale charitatem corrumperet, non poſſet corrumpere meritoriè, contra expreſſam D. Thomæ doctrinam, quia formalis effectus formæ in eius meritum cadere non poteſt. Quare dicunt S. Doctorem hoc ſolum ſenſu velle peccatũ mortale corrumpere charitatem effectiuè, quia nimirum qui mortaliter peccat, facit aliquid phyſicè ordinarie, ex quo ſequitur vt ordinariè Deus non conſeruet ampliùs phyſicè in anima charitatem. II.

Refellitur hæc reſponſio, primò quia ſi hoc ſolo ſenſu peccatum mortale effectiuè corrumpit charitatem, & non phyſicè ac ex natura rei, ſequitur vt effectiuè corrumpere non ſit aliter corrumpere quàm meritoriè, contra expreſſam D. Thomæ doctrinam, qui dum dixit corrumpere & effectiuè, & meritoriè, & propriam diuerſámque cuiuſlibet cauſam reddidit, duobus proculdubio diſtinctis modis corrumpere voluit. Vel enim poſito mortali peccato poteſt Deus ſimul cum eo charitatem in anima conſeruare abſolutè, ſeu ſpectata ſola rerum natura, vel non poteſt. Si ſecundum, ergo peccatum illud hanc corrumpit phyſicè & ex natura rei: ſi primum, ergo ſolum meritoriè: ideo enim Deus poſito illo peccato eam conſeruare cum poſſit nolet, quia mouetur ab illius peccati commiſſi grauitate & indignitate vt conſeruare nolit, illiuſque intuitu re ipſa conſeruare deſinit: quo modo charitatem à peccato mortali corrumpi, non eſt aliter corrumpi quàm meritoriè. III.

Refellitur ſecundò, quia falſum eſt effectiuè eo loco à ſancto Doctore poſitũ non eſſe idem quod phyſicè & ex natura rei, non modo quia Caietanus in illius articuli commentario ſic intellexit, & egregiè perſpicuéque mentem S. Doctoris expoſuit, ſed etiam primò quia cùm S. hic Doctor effectiuè & meritoriè diſtinxerit, per illud prius aliud nihil intelligere potuit, quam phyſicè & ex natura rei, quia ſublato hoc corrumpendæ charitatis per peccatum mortale modo, nullus alius reſtat modus quàm meritoriè. IV.

Deinde quia articulo 12. explicans modum quo effectiuè charitati peccatum mortale contrariatur, eamque corrumpit, dicensque corrumpere inſtar obſtaculi interpoſiti impedientis influxum Dei in charitatis conſeruationem, ſicut opacum corpus interiectum inter ſolem & aërem illuminatum deſtruit lumen eius, impediendo ſolis influxum in luminis à ſe ante producti conſeruationem, aperte ſignificat peccatum mortale phyſicè & ex natura rei illũ Dei influxum impedire, charitatémq. proinde phyſicè & ex natura rei corrumpere, ſicut corpus iſtud impedit phyſicè & ex natura rei ſolis influxum in conſeruationem luminis, ipſúmque proinde lumen phyſicè & ex natura rei deſtruit. Denique quia S. Doctor in vtriuſque articuli decimi ſcilicet & duodecimi corpore non modò nullum verbum habet quo vel leuiter indicet ſe effectiuè non capere pro phyſicè & ex natura rei, ſed è contrario tam multa habet quibus ſe ita capere clarè indicat, vt nemo qui legerit negare niſi ore tenus poſſit. A V.

Hinc ad primum aduerſariorum argumentum reſpondeo, parum referre quòd mortale peccatum charitatem phyſicè corrumpens in genere cauſæ formalis corrumpat: corpus autem opacum interiectum ſolem inter & aërem lumen aeris non corrumpat in iſtius cauſæ genere: ſufficere, quòd ſicut iſtud corpus hoc lumen corrumpit phyſicè, impediendo phyſicè & ex natura rei ne ſol poſſit influere in conſeruationem luminis, ita & peccatum illud charitatem phyſicè corrumpit, impediendo phyſicè & ex natura rei ne Deus poſſit influere in conſeruationem charitatis: & ad hoc ſolum oſtendendum comparationem à S. Doctore fuiſſe inſtitutam inter mortale peccatum & corpus opacum, in eóque ſolo voluiſſe eſſe inter hoc & illud ſimilitudinem. B VI.

Ad ſecundum, dico in primis, ſi verum eſt quod in eo dicitur, conſequens ſolùm eſſe, quòd D. Thomas vtrumque ſimul corruptionis charitatis modum per mortale peccatum admittere non debuerit, ſed priorem ſolum, aut ſolum poſteriorem: at ſufficere nobis, qui nunc ex ſola eius authoritate argumentamur, quòd aperte vtrumque ſimul admiſerit. C VII.

Reſpondeo deinde, ipſum rectè vtrumque ſimul modum admiſiſſe eo ſenſu quo admiſit, & explicauit. Etſi enim non poſſit omnis effectus formalis cadere in meritum formæ cuius formalis effectus eſt, nihil tamen obſtat, quominus per peccatum mortale phyſicè & ex natura rei charitatem ab anima expellens homo dignus eſſe poſſit, cui Deus charitatem ſubtrahat, etſi non poſſit non ſubtrahere: ſicut ex communi Theologorum doctrina, quam ſuo loco trademus, per condignam ſatisfactionem pro pœna temporali in purgatorio luenda, phyſicè & ex natura rei pœnæ illi eiúſque, dignitati in genere cauſæ formalis oppoſitam, homo ſatisfaciens in hac vita dignus eſt & de condigno meretur, vt Deus eum non puniat, etſi vi ſatisfactionis illius fiat, vt punire ampliùs nequeat. D VIII.

Secunda reſponſio eſt, peccatum mortale opponi quidem charitati phyſicè & ex natura rei, ſed oppoſitione mediata, in quantum ſcilicet opponitur phyſicè & immediatè habituali gratiæ, ex qua connaturaliter charitatis habitus ſequitur: hinc enim fieri, vt peccator per peccatum ſuum mereatur hoc habitu carere. Sed

refellitur hæc responsio in primis, quia quis non videt ea clarè admitti vnicum tantùm corrumpendæ charitatis modum permortale peccatum, meritorie scilicet, & hunc quidem mediatum, mediante scilicet physica huius peccati cum gratia habituali oppositione: de qua I. non loquitur S. Doctor hoc loco, cum ait peccatum mortale corrumpere effectiuè charitatem, aut hanc cum illa gratia confundit. A

Deinde quia ratio qua probat art. 10. & 12. in corpore peccatum mortale effectiue seu physicè corrumpere charitatem, manifestè euincit eum loqui de physica oppositione cum ipsius charitatis entitate & essentia, prout charitas est, & à quocunque alio distinguitur: ait enim hanc esse rationem, quia contrariatur charitati: ideo autem contrariari dicit, quia, vt in illius artic. 12. corpore loquitur, *quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati secundùm propriam rationem, quæ consistit in hoc quòd Deus diligatur super omnia.*

Respondent aliqui, contrariari quidem charitati, sed actuali, cuius nullus actus cum actu II. peccati mortalis potest exerceri: sed S. Doctorem velle contrariari habituali, & de hac sola loqui, tam certò constat, tum ex articuli titulo, qui de eadem charitate est, de qua tituli duorum præcedentium articulorum, qui de sola habituali certissimè sunt: tum ex eiusdem articuli corpore, in quo toties nomen habitus charitatis vsurpat, nunquam actus, vt illa responsione bona fide vti possit ille solus qui articulum hunc nunquam legerit. B

Denique quia si eo solo modo vellet contrariari charitati physicè, eamque corrumpere, quo in ista secunda responsione dicitur, non vellet aliter peccatum mortale opponi effectiuè charitati, quàm cuicunque virtuti purè morali per se infusæ: quælibet enim huiusmodi virtus vt proprietas habitualem gratiam connaturaliter sequitur, & cùm hæc per mortale III. peccatum ei physicè & immediatè oppositum destruatur, consequenter fit, vt homo per peccatum suum omni huiusmodi virtute carere mereatur. C

Tertia responsio affinis præcedenti, est, S. Thomam dicentem peccatum mortale expellere physicè charitatem, velle quidem illud habere cum hac immediatam etiam oppositionem, sed charitatis nomine intelligere completam Deum inter & hominem amicitiam, prout intellexit artic. 1. quæst. 23. quo modo sumpta charitas duos habitus complectitur, vnum charitatis quo Deum homo diligit, alterum gratiæ sanctificantis qui est terminus amoris Dei erga hominem, & ratione huius gratiæ prædictum peccatum opponi immediatè & physicè charitati sumptæ pro illa amicitia, quia gratiæ IV. illi sic opponitur, eámque immediatè & physicè pellit ab anima, ratione autem prioris illius habitus opponi immediatè quidem, sed solùm meritorie, quia non nisi meritorie habitum illum ab anima expellit. D

Verùm hoc respondere, nihil est aliud quàm apertissimè D. Thomæ repugnare, loquenti de solo illo charitatis habitu quo Deus ab homine diligitur, de eoque diserte affirmanti, mortale peccatum illum ab anima pellere, & non meritorie solùm, sed etiam physicè. Quod autem de illo solo loquatur citatis articulis 10. scilicet & 12. sicut & vndecimo intermedio, omnibúsque eiusdem quæstionis 24. articulis antecedentibus, imò & præcedentis quæstionis omnibus articulis à primo excluiuè, non autem de eo vt sumpto pro completa illa inter Deum & hominem amicitia: dubitare non poterit qui solos omnium illorum articulorum titulos legere voluerit, quòd si textum etiam percurreret, res erit illi solè clarior. Excluſi primum illum articulum, ne cum aduersariis disputem, quod ad rem præsentem nihil attinet, quo sensu sumat ibi S. Doctor charitatem. Quamquam satis constat ex dictis hac disput. sect. 2. initio sumere similiter pro sola charitate hominis erga Deum, quam verissimè illius erga hunc amicitiam appellat, vt certissimam fidem faciunt hæc eius verba, quibus articuli corpus concludit. *Vnde manifestum est, quòd charitas amicitia quædam est hominis ad Deum.* V.

SECTIO XIV.

VI.

Tribus aliis eiusdem testimonijs probatur.

QVARTVM ordine testimonium sumitur ex his verbis sequentis quæstionis 27. art. 4. ad 3. quibus respondens ad argumentum, quo obiiciebatur hominem à Deo disiungi per peccatum, sic ait. *Ad tertium dicendum, quòd per charitatem tollitur auersio à Deo quæ est per peccatum.* Cùm sit autem homo auersus à Deo per ipsam formaliter peccati mortalis maculam, charitas eam non tolleret, nec tollere posset, nisi esset vera formalisque animæ sanctitas.

Nec dicant primò aduersarij, id charitatem facere non per se aut ratione sui, sed solius gratiæ habitualis quam connaturaliter sequitur vt VII. proprietas: tum quia manifestè repugnabunt menti S. Doctoris, vt ex his eius verbis proximè sequentibus clarum est: *& ideo charitas est, quæ diligendo animam immediatè Deo coniungit spiritualis vinculo vnionis.* Tum quia dicere pari iure posset S. Doctor per quamcunque virtutem pure moralem per se infusam tolli auersionem à Deo quæ est per peccatum, quia quælibet huiusmodi virtus habitualem illam gratiam vt proprietas connaturaliter item sequitur, eiúsque proprius actus, sicut & charitatis, ex illa gratia procedens hominem formaliter sanctificat, condignúmque æternæ vitæ meritum habet.

Nec secundò dicant de sola charitate actuali loqui, dum ait per charitatem tolli auersionem à Deo quæ per peccatum est, id autem meritò tribui isti actui potiùs quàm vlli alteri alterius VIII. virtutis, quia ipse solus est proxima ad gratiam habitualem dispositio, per quam solam formaliter illa auersio tollitur. Ne, inquam, id dicant, tum quia tota illa quæst. 27. quæ est de actu charitatis, nominatimque in citati artic. 4. corpore, per charitatem habitum intelligit, eiúsque actum perpetuò dilectionem appellat, vt legenti textum certò constabit: tum quia postquam dixit per charitatem tolli prædictam auersionem, proximè subiungens, *& ideo charitas*

est quæ diligendo, apertè significat se loqui de charitate quæ est principium effectiuum dilectionis: nam si de ipso dilectionis actu loqueretur, perinde loqueretur ac si diceret, & ideo dilectio est quæ diligendo, &c. qui loquendi modus ineptus est, si præsertim cum illo altero
I. comparetur, quo charitatis nomine habitualis intelligetur: tum denique quia etsi charitatis nomine actum intelligeret, cùm ibi dicat expresse, eam immediatè Deo animam coniungere spiritualis vinculo vnionis, idque inferat ex eo quòd tollit hominis à Deo auersionem quæ per peccatum est, sequitur vt velit tollere immediatè: nam si non tolleret nisi mediante habituali gratia, non nisi quoque ea mediante animam antea per peccatum à Deo auersam disiunctamque cum eo coniungeret.

Quare nihil nobis obesset, aut aduersariis prodesset, etsi verum esset quod ex iis aliqui dicunt, nempe S. Doctorem vno quæstionis illius 27. loco, in citati videlicet articuli 4. argumento, *sed contra*, charitatis nomen vsurpasse pro actu potius quam habitu, cuius tamen
II. vsurpationis non est sufficiens indicium, quòd charitatem vitæ præsentis comparet cum cognitione Dei ænigmatica quam habemus in hac item vita. Nam & cognitionis huius nomine æquè habitualem atque actualem potest intelligere, cùm tam illa quàm hæc verè ænigmatica sit: & quamuis certò solam actualem intelligeret, rectè tamen habitualem charitatem cum hac actuali cognitione compararet in eo, in quo inter vtramque comparationem constituit, quòd scilicet vtraque est quidem vitæ præsentis, sed hoc discrimine, quòd hæc in sola præsenti vita manet, illa etiam in futura. Vnde colligit & alterum discrimen, quòd nimirum hæc cognitio Deum immediatè non attingit, charitas autem attingit immediatè Deum
III. per actum scilicet dilectionis quem efficit.

At iidem quærunt, quomodo potuerit velle S. Thomas charitatem habitualem tollere auersionem à Deo, seu peccati maculam delere formaliter, cùm ex eius opinione prior ordine naturæ sit habitus gratiæ sanctificantis quàm charitatis, illéque proinde eam tollat, non iste, sed iam sublatam inueniat? At nos ab iis vicissim quærimus, cùm ex eiusdem sententia prior sit eodem ordine naturæ in genere causæ efficientis idem ille habitus gratiæ sanctificantis exercitio actus perfectæ contritionis, & Dei dilectionis, quo modo potuerit velle charitatem actualem, de qua ipsum illi interpretantur, tollere auersionem illam, vel formaliter, vel efficienter moraliter, seu meritoriè, cùm eam similiter iam per illum priorem habitum sublatam reperiat? Quomodo autem de charitate
IV. tam habituali quam actuali dicere verè potuerit, eam tollere etiam formaliter illam ipsam à Deo auersionem & mortalis peccati maculam, non obstante illa gratiæ habitualis sanctificantis prioritate, clarum erit ex iis quæ postrema disputationis huius sectione dicemus.

Quintum testimonium petitur ex tertia parte quæst. 87. art. 1. 2. & 4. vbi docet Ispius, verò illam quæst. in Tract. de pœnitentia disp. 8. sect. 1. 5. & 6. vidimus, primò per charitatis actum deleri posse extra sacramentum veniale peccatum. Secundò, deleri re ipsa per quemlibet huiusmodi actum qui virtualis aut formalis de eo dolor est, prout ibidem explicatum est. Atqui actus qui vi sua delet formaliter peccatum veniale, est ex se suaque natura formalis animæ sanctitas, quia per nullam aliam formam deleri formaliter vllum peccatum potest, cùm non possit per extrinsecum Dei fauorem, vt suprà probauimus.

Respondebunt aduersarij charitatis actum vel non delere formaliter veniale peccatum, sed tantùm dispositiuè, vel si formaliter delet, non id facere vi sua, sed gratiæ habitualis cui coniungitur. At refelluntur ex eo quòd si non delet formaliter, assignanda ergo alia forma est per quam extra sacramentum formaliter deleatur. Nulla autem alia assignari potest, nam si potest aliqua, maximè gratia illa sanctificans: at non potest: vel enim esset ea quæ propter illius actus exercitium de nouo infunditur, vel ea quæ præexistebat: non ista, quia nullam habet cum eo formalem repugnantiam, vt citata disp. sect. 6. ostendimus: neque illa, quia ex S. Doctoris expressa doctrina quæst. cit. art. 2. in corpore, & ad secundum, non toties gratia sanctificans de nouo infunditur, quoties veniale peccatum remittitur: quod si prædictus actus illud peccatum formaliter delet, vi sua delebit, nec enim delere potest vi gratiæ habitualis de nouo infusæ, cum ex D. Thoma non toties de nouo infundatur, quoties illud peccatum remittitur: nec vi præexistentis gratiæ, alioqui vi eiusdem, actus attritionis etiam deleret: quod recte sequi falsúmque nihilominus esse, & citato loco ostendimus, & iterum sect. seq. ostendemus.

Sextum & postremum petitur ex eadem tertia parte quæst. 89. artic. 6. in corpore, vbi ait opera bona facta in statu peccati mortalis esse *mortua priuatiuè, quia carent vita spirituali quæ est ex charitate, per quam anima Deo coniungitur, viuitque, sicut corpus per animam*: quilocus cùm sicut iisdem constat verbis quibus primus sectione 12. relatus, sic eundem habeat sensum, de primo autem illo fusè ibi dixerimus, de postremo illo solùm hoc dicam, nihil nobis nocere, aut aduersariis fauere, quòd sanctus Doctor in istius articuli 6. responsione ad 2. dicat opera bona sine charitate facta dici mortua propter defectum charitatis & gratiæ sicut principij: hinc enim solùm colligi potest, gratiam hanc per se, sicut & charitatem, esse vitam animæ: nec magis significat S. Doctor charitatem esse vitam animæ per gratiam, quæ sola sit formaliter & per se animæ vita, quàm gratiam per charitatem, quæ sola formaliter & per se eiusdem animæ vita sit.

SECTIO XV.

Eadem sententia affirmans vnaratione probatur.

VENIO nunc ad rationes quibus nostra sententia non minùs efficaciter quàm productis hactenus authoritatibus probari potest. Prima hoc argumento contmetur. Ea forma quæ per se suaque vi ac natura purgat animam formaliter à macula peccati, venialis est per se

ſuáque natura vera formaliſque animæ ſanctitas : atqui perfectæ contritionis actus per ſe ſuáque vi ac natura purgat animam formaliter à macula peccati venialis : ergo eſt per ſe ſuaque natura vera formaliſque animæ ſanctitas. Maioris veritas & ex ſupradictis, & aduerſariorum etiam conſenſu certa eſt : ex hypotheſi enim quòd per extrinſecum Dei fauorem nullum remitti peccatum poſſit, per ſolam formam formaliter ſanctificantem poteſt, quia nulla alia ei repugnat. Minorem probo ex peccatis venialibus, cum quibus homo iuſtus moritur : hæc enim cùm poſt mortem deleantur, aſſignari debet aliqua forma vi cuius formaliter deleantur, hæc autem alia non eſt quàm perfectæ contritionis actus, quem anima à corpore ſeparata in inſtanti ſeparationis, vel poſt, antequam in cœlum euolet, concipit.

I. A

Neque enim eſt gratia ſanctificans, aut vlla alia forma inexiſtens animæ antequam è corpore excederet : alioquin propter eius formæ formalem cum illis peccatis repugnantiam deleta illa fuiſſent antequam excederet. Neque eſt

II. B

gratiæ habituális augmentum quod detur à Deo intuitu perfectæ illius contritionis ſupra condignum eius meritum : conſtat enim apud omnes nullum huiuſmodi ab eo dari gratiæ augmentum poſt mortem hominis, nec niſi in reali ſuſceptione ſacramentorum peccata venialia illo modo purgari. Nec denique eſt augmentum gratiæ habitualis ex differentia ſua numerica peccatis illis repugnantis, quod Deus merita ſupra condignum compenſans tribuat animæ à corpore ſeparatæ in compenſationem meritorum, quæ dum in corpore eſſet habuit, tum quia cùm certum omnino non ſit, Deum augmento gratiæ & gloriæ compenſare merita ſupra condignum, certum autem prorſus ſit, deleri peccata venialia poſt mortem, forma alia quærenda & aſſignanda eſt per quam deleantur : tum quia gratia illa ex differentia ſua indiuiduante peccatis venialibus repugnans admittenda non eſt, vt diſp. 9. ſect. 2. & 3. Tract. de pœnit. fusè probauimus. Tum denique quia quamuis admitti poſſet, certúmque ſimul eſſet, Deum augmento gratiæ & gloriæ poſt hãc vitam compenſare merita ſupra condignum, quia tamen augmentum gratiæ daretur tantùm propter augmentum gloriæ, ne videlicet plus haberet homo gloriæ quàm ſanctitatis, multò credibilius eſſet gratiæ augmentum eo primùm conferri tempore quo gloria conferretur, nec per illam proinde gratiam deleri formaliter peccata venialia, cùm ante gloriæ aſſecutionem deleantur.

III. C

Reſpondent primò aduerſarij, deleri quidem hæc peccata formaliter per actum perfectæ contritionis, quem anima à corpore ſeparata de iis elicit, at non ex propria vi & natura huius actus præcisè, ſed ex gratia ſanctificante à qua procedit, & procedens habet vt ſit formalis ſanctitas. Verùm huius reſponſionis falſitas patet, & à priori, & à poſteriori, ex dictis in eodem de pœnitentia tractatu partim diſput. 8. ſect. 4. in refutatione 3. ſententiæ, partim in diſp. 9. ſect. 6. ex illa enim reſponſione ſequitur illa peccata æquè deletum iri per actum attritionis atque contritionis, cùm ſicut hic

IV. D

actus, ſic & ille, ex eo quòd procedat à gratia, ſit formaliter ſanctitas. Hoc autem conſequens falſum eſſe citatis locis, & à priori, & à poſteriori euicimus.

A priori quidem, oſtendentes actum qui non eſt ex ſe ſuáque natura formalis animæ ſanctitas, quíque proinde non habet per ſe ſufficientem cum peccati macula oppoſitionem vt eam deleat formaliter, etiamſi aliquam habeat, cuiuſmodi eſt tam contritio ex aduerſariorum ſententia, quàm attritio, ab habituali grata à qua procedit, non poſſe accipere aliud genus ſanctitatis, quàm inſit ipſi gratiæ : huic autem non ineſſe ſanctitatem per ſe vlli peccato veniali repugnantem. A poſteriori autem, quia ſi attritio aliquam ex ſe ſuáque natura iam habens oppoſitionem cum peccato de quo concipitur, ex eo quòd procedat ab habituali gratia, & procedens ſit formaliter ſanctitas, delet formaliter illud peccatum, quælibet attritio ab homine iuſto viatore elicita delebit. Vnde fiet vt nullum hominis iuſti peccatum veniale deleri reipſa poſſit in actu ſecundo per pœnitentiæ ſacramentum, quod falſum eſſe illic contra Durandum oſtendimus : quia vt per illud deleatur, præmitti debet de eo ſaltem attritio, per hanc autem ſtatim & neceſſariò delebitur.

V.

VI.

Dicet forte aliquis, ex prædicta reſponſione non ſequi conſequens quòd intulimus, quia cùm perfecta contritio ex ſe ſuáq. natura multò perfectiorem habeat oppoſitionem cum peccato de quo concipitur quàm attritio, quòd ex motiuo formali multò perfectiori concipiatur, fieri poterit, vt formalis ſanctitas ex habituali gratia à qua procedit ei aduenienſ ſufficiat ad peccatum veniale delendum formaliter, ad id autem non ſufficiat ea quæ attritioni imperfectiorem ex ſe oppoſitionem habenti ex eadem gratia aduenit. Verùm huius dicti falſitas hinc patet, quòd vna quidem ex parte, non obſtante perfectiore illa contritionis cum peccato veniali oppoſitione, ſicut & formali motiuo, non eſt tamen, ex aduerſariorũ doctrina, iſta perfectior oppoſitio per ſe ſufficiens ad delendum peccatũ iſtud, vt neque per ſe eſt ſufficiens attritionis imperfectior cum eodem oppoſitio : ex altera verò ſanctitas illi contritioni ex gratia habituali aduenienſ aliud genus repugnantię habere cum eo non poteſt, quàm inſit huic ipſi gratiæ, nullum autem ineſt. Adde quòd ſi ſanctitas ex hac gratia contritioni aduenienſ ſufficeret ad deletionem peccati venialis, ideo ſufficeret, quòd ad hunc effectum aliud nihil requiri videatur, quã vt forma per quam formaliter deleri iſtud peccatum debet, ſit ſanctitas, & oppoſita iſti peccato, quod vtrumque habet iſta contritio : at habet etiam attritio, vt patet.

VII.

VIII.

Atque ex his patet falſa eſſe alia duo quæ aduerſarij ad propoſitum à nobis contra eos argumentum reſpondent. Vnum eſt, illud ipſum argumentum æquè nobis ſoluendum eſſe, quia ſi perfecta contritio de peccato veniali delet eius maculam formaliter, eo quòd eſt ſanctitas oppoſita illi peccato, delebit etiam hominis iuſti attritio, quia eo ipſo quo de eo attritio eſt, habet aliquam cum eo dem oppoſitionem, & cùm ab homine iuſto procedat, eſt formalis aliqua ſanctitas hominem formaliter ſe ipſa ſanctio-

rem reddens, dignúmque maiori in cœlo gloria.

At aperte decipiuntur ex aperto discrimine quod ponimus inter illam de peccato veniali contritionem, & hanc de eo attritionem, licet ab homine iusto elicitam. Ratione cuius discriminis sit, vt illa vim habeat delendi formaliter
I. veniale peccatum, & re ipsa deleat, hæc autem A
minimè: quod discrimen in eo positum est, quòd illa contritio per se suáque natura independenter ab habituali gratia sanctificante habet oppositionem cum peccato veniali de quo concipitur, non quamcunque, sed formaliter sanctificantem, éstque formalis sanctitas, non quæcunque, sed per se illi peccato opposita: at hæc attritio habet quidem per se & natura sua independenter ab illa gratia oppositionem aliquam cum peccato veniali, sed non sanctificantem formaliter, cùm ab homine existente in statu peccati mortalis possit elici: elicita autem ab homine iusto, & procedens ab illa gratia, habet quidem quòd sit formaliter sanctitas, sed non opposita vlli peccato veniali, quia à gratia illa aliud genus sanctitatis accipere non potest,
II. quàm quod inest illi ipsi gratiæ secundùm se B
consideratæ, huic autem nulla inest cum vllo veniali peccato oppositio: habet itaque ista attritio, & oppositionem aliquam cum peccato veniali, eo ipso quo de eo attritio est, & sanctitatem, eo ipso quo à gratia sanctificante est: at non habet sanctitatem oppositam propriissimè loquendo, quia illa eius oppositio in hac sanctitate non fundatur, ex eave non oritur, quandoquidem illam habet etiam dum à peccatore elicitur.

Alterum est, duplicis vniuersim generis attritiones de peccatis venialibus ab homine iusto elici posse: primum esse earum quæ ex formali motiuo ex quo eliciuntur habent cum iis oppositionem secundùm aliquem gradum ipsis essentialem & intrinsecum: vt dum quis de iis
III. atteritur, quia sunt contra rationem, quia sunt C
contra Dei præceptum, quia ei iniuriosa, quia fœditatem aliquam habentia, quia pœnæ illatiua, quæ motiua generalissima sunt, omnibusque peccatis communia: aut dum quis de speciali aliquo veniali peccato atteritur, vt intemperantiæ, ob specialem quam habet turpitudinem speciali virtutis temperantiæ honestati repugnantem. Secundum genus earum esse, quæ concipiuntur de peccato, non propter vllum gradum malitiæ peccato intrinsecum, sed ob rem ei prorsus extrinsecam, nempe ob pœnam quæ eius effectus est, quæ quidem nulli gradui intrinseco malitiæ existenti in peccato opponitur, sed soli bonæ habitudini commodóque pœnitentis: & prioris quidem generis
IV. attritiones ab homine iusto elicitas delere for- D
maliter peccata venialia de quibus concipiuntur, posterioris autem minime. Atque ita iusti hominis peccata venialia deleri frequenter re ipsa & in actu secundo per sacramentum pœnitentiæ, dum nimirum ea confitetur habens de iis solam posterioris generis attritionem: & iustorum animas corpore solutas posse eluere formaliter post hanc vitam suorum venialium peccatorum maculas alio actu quàm perfectæ contritionis, nimirum attritionibus, quæ sunt prioris generis.

At ex dictis euidens est, has istius generis attritiones, quæ per se seorsim ab habituali gratia consideratæ habent quidem aliquam cum venialibus peccatis oppositionem, eo ipso quo de iis concipiuntur, sed non sufficientem vt ea formaliter deleant, alioquin ea delerent dum à peccatore elicerentur, ex illa gratia à qua pro- V.
cedunt dum ab homine iusto eliciuntur, non posse accipere sufficientem ad ea delenda oppositionem, quia nihil aliud accipere possunt, quàm idem genus sanctitatis quod illi gratiæ secundùm se consideratæ inest: ex quo illa nullam habet aut habere potest cum vllo veniali peccato repugnantiam, nullúmque proinde potest delere formaliter: aut si genus hoc sanctitatis adueniens illis prioris generis attritionibus, quantumuis per se seorsim à prædicta gratia sufficientem ad venialia peccata delenda oppositionem non habentibus, sufficit, vt sufficienter sint iis ad ea delenda oppositæ, profectò ad idem etiam sufficiet adueniens attritionibus posterioris generis: atque ita nulla vnquam iusti hominis peccata venialia in pœnitentiæ VI.
sacramento delebuntur, quia aliqua de iis eius susceptionem præcedere debet attritio, per quam formaliter delebuntur, cùm his sicut & illis aduenìat illud genus sanctitatis, idémque proinde genus oppositionis, si quod inde aduenit, & sicut illæ, sic hæ per se suáque natura eiusdem generis oppositionem cum peccatis venialibus habeant, nempe non sufficientem ad hæc delenda formaliter.

Quare cùm non sit dicendum quamlibet attritionem hominis iusti delere formaliter peccata venialia de quibus concipitur, ne cogamur fateri eum in pœnitentiæ sacramento nullius vnquam sui peccati venialis remissionem posse re ipsa & in actu secundo consequi, sitque proinde dicendum nullam illa posse delere, quia vnius & omnium eandem quoad hoc rationem VII.
esse ostendimus, sequitur, animas iustorum post hanc vitam nullo attritionis tunc elicitæ actu posse formaliter eluere suorum venialium peccatorum maculas, ac proinde posse solo actu perfectæ cõtritionis: atque ita manere vim argumenti nostri integram penitus & illæsam.

Omitto relatam attritionum ab homine iusto elicitarum distinctionem in eas quæ formaliter delent maculas venialium peccatorum de quibus concipiuntur, & in illas quæ non delent, nec delere possunt, non modò nouam esse, hactenus in Theologia inauditam, & ad placitum absque vlla probabili causa excogitatã, ad euadendam vim argumenti propositi, sed etiam tam à Concilij Tridentini, omniúmque Doctorum, & Catholicorum communi doctrina atque sensu esse abhorrentem, quàm abhor- VIII.
reat eorum sententia, qui nullum veniale peccatum hominis iusti per pœnitentiæ sacramentum deleri vnquam posse putant. Ex illa enim distinctione sequitur nunquam posse, dum attritio de peccato veniali concipitur propter intrinsecam malitiam & fœditatem quam habet, spectatam, vel in genere vel in specie, quia contra rationem est, quia Deo iniuriosum, quia pœnæ illatiuum, ímilésque ob rationes ipsi peccato intrinsecas, vno solo in casu posse, nempe dum concipitur ob pœnam quæ peccati

effectus

effectus est, quod consequens non minùs quàm illa sententia à prædictorum omnium communi iudicio est abhorrens.

SECTIO XVI.

Eadem sententia altera ratione probatur.

I. SECVNDA qua probatur à nobis eadem nostra sententia ratio hæc est. Suppositа hominis per Dei voluntatem eleuatione ad eum statum, in quo possit per auxilia gratiæ præuenientis & adiuuantis exercere actum perfectæ contritionis, obligatur peccator ex iure naturali reconciliari cum Deo per huius actus exercitium: ergo hic actus aut ex natura rei vim habet reconciliandi formaliter illum cum eo, ac proinde iustificandi formaliter à peccato mortali, aut ex natura rei necessariam habebit connexionem cum forma qua formaliter fit hæc reconciliatio, & iustificatio: atqui priore illo negato, istud quoque posterius dici non potest: ergo prius illud dicendum est. Antecedentis veritas fusè à nobis tum authoritate S. Doctoris, & multorum Patrum, tum ratione in Tractat. de Pœnitentia disp. 22. probata est. Prioris consequentiæ bonitas hinc patet, quòd si neque ex

II. natura rei perfecta contritio iustificare formaliter potest, neque ex natura rei, sed ex sola positiua Dei voluntate cum forma formaliter iustificante connexa est, peccator vt reconcilietur cum Deo, non potest ex iure naturali, seu, quod eodem recidit, ex natura rei obligari potius ad perfectæ contritionis actum, quàm ad quæcunque alium, qui neutrum habet ex iis duobus: vnde si obligatur, ex solo iure diuino positiuo hæc obligatio est: quam solam obligationẽ admisit quidem Ioannes Medina, sed consentaneè falsæ isti suæ doctrinæ, quòd nimirum nullus actus, nullus habitus, nulla forma nobis intrinseca vim habet ex se iustificandi nos à peccatis, sed ex sola liberali Dei voluntate.

III. Restat probandum assumptum, facilè autẽ ex eo probo, quòd forma qua formaliter perfici dicitur ab aduersariis prædicta reconciliatio & iustificatio est gratiæ sanctificantis habitus: perfecta autem contritio si per se suaque natura iustificandi formaliter vim non habet, non potest ex rei natura necessariam cum illa gratia habere connexionem, seu ad illam instar præuiæ & vltimæ dispositionis necessariò prærequiri, vt nec attritio prærequiritur: quare si prærequiritur, ex positiua sola Dei voluntate prærequiretur: ex qua potuit etiam haud dubiè sola attritio prærequiri, sicut ex eiusdem voluntate sola, ea tanquam vltima dispositio ad gratiam illam in sacramento consequendam prærequiritur.

IV. Respondent aduersarij concesso antecedente negando primam consequentiam, & quod per eam infertur consequens. Cuius falsitatem vt ostendant, dicunt, si Deus actui fidei aut spei promisisset iustificantem gratiam, statuissétque nullum dare peccatori auxilium ad actum perfectę contritionis aut charitatis exercendũ, fore vt hic iure naturali obligaretur ad huius aut illius actus exercitium, sicque cum Deo reconciliari. Ex quo tamen non esset consequens, vt hic aut ille actus vel esset per se forma formaliter sanctificans, aut necessariam cum ea ex rei natura connexionem haberet.

Confirmant hanc responsionem suam, primò quia non tantùm iure positiuo, sed etiam naturali tenetur peccator suscipere sacramentum ante mortem, ex hypothesi, quòd aut nolit, aut non possit exercere actũ perfectæ contritionis, neque tamen sacramentum aliunde quà ex Dei liberali promissione iustificandi vim habet.

V. Confirmant 2. quia etiã nunc iure naturali in adultis obligatio est ad actus fidei & spei exercendos, ex hypothesi quòd Deus cõstituerit, vt re ipsa constituit, non dare formam formaliter sanctificantem, & vlteriorem gratiam propiùs aut proximè ad hanc disponentem, absque præuiis illis actibus, qui tamen nec formaliter sanctificant, nec necessariam ex natura rei cũ forma formaliter sanctificante connexionem habent.

Confirmant denique ex obligatione iuris naturalis, qua tenentur parentes liberis suis infantibus procurare baptismum, per quem iustificẽtur ab originali peccato, ficque cum Deo reconcilientur, cùm tamen iustificandi vim & reconciliandi non nisi ex Dei promissione habeat.

VI. Refellitur hæc responsio 1. quia quæ in ea affertur ratio ad ostendendam nostri consequẽtis falsitatem, vel efficax non est, vel ex ea pari efficacitate concludere possumus nostræ sententiæ veritatem, quòd nimirũ perfectæ contritionis actus sit ex se forma formaliter sanctificans. Vel enim, etsi Deus actui fidei aut spei promisisset iustificantem gratiam, non obligaretur peccator iure naturali ad huius aut illius actus exercitium, vt cum Deo reconciliaretur, & sic illa ratio esset inefficax, vtpote quæ contrarium tanquam verum assumit: vel si obligaretur, sanè ideo, quia actus illi essent proxima ad formam vi sua formaliter sanctificantem dispositio, quà infallibiliter ex Dei verbo coniunctam haberent: atqui iure naturali peccator obligatur ad actum perfectæ contritionis exercendũ, vt cum Deo reconcilietur: oportet igitur ex vi rationis illius actum hunc esse saltem proximam dispositionem ad habitualem gratiam vi sua formaliter sanctificantem ei infallibiliter ex Dei promissione connexã. Atqui gratia hæc est ipsa habitualis charitas, vt disp. 2. probauimus. Ergo hæc charitas est ex se suáque natura forma formaliter sanctificans: ergo & pari saltẽ iure proprius eius actus, qui est dilectio Dei super omnia, qualis est perfecta contritio: quam posteriorem consequentiam, suppositа veritate proximè præcedentis propositionis, & supra probauimus, & vltro cõceduntaduersarij: qui prædicta contra nos responsione vtuntur. Qui si dicant, nos in huius suæ responsionis refutatione præsupponere nostram de charitatis à gratia sanctificante indistinctione sententiam, concedemus quidem, sed addemus, nos hoc eodem iure facere, quo illi sua illa in responsione oppositam suam de vnius ab altera distinctione sententiam supponunt.

VII. Refellitur 2. eo quòd obligatio, quam ex iure naturali habet peccator exercendi actum perfectæ contritionis, ei ineſt, & independenter à decreto quo Deus illi actui tanquam proximę dispositioni habitualem gratiam formaliter sanctificãtem adiungere constituerit, & antequam hoc decretũ habeat, aut habere concipiatur: etsi enim non haberet, adhuc ineſſet. Patres enim aliíque quorum authoritate hanc in peccatore

VIII.

obligationem cit. disp. 22. probauimus, dùm eam in illò agnoſcunt, nullam illius diuini decreti mentionem faciunt, nullam habent cogitationem, vt nec vllam illius habitualis gratiæ, nec aliud ad obligationem illam incurrendam tanquam præuium neceſſariò requirunt, quàm mortale peccatum commiſſum, & prædicti actus exercendi poſſibilitatem, & meritò ſanè. Nam, quæ à priori ratio eſt, præceptum iuris naturalis ad exercitium actus perfectæ contritionis peccatorem obligans, non ex alia virtute quàm charitatis erga Deum obligat, vt cit. diſp. ſect. 3. probatum eſt, & Aduerſarij nobiſcum ſentiunt. Hæc autem charitas, ſicut & quæuis alia virtus, vt ad proprium ſui actus exercitium aliquando obliget, vt obligare re ipſa peccatorem ante mortem ibidem oſtendimus, non aliud neceſſariò prærequirere tanquam præuium debet, quàm huius actus exercendi poſſibilitatem, poſſibilis autem eſt perfectæ contritionis actus de peccato, eo ipſo præcisè quo & peccatum commiſſum eſt, & dat Deus peccatori gratiæ actualis auxilia neceſſaria ad illum actum exercẽdum, ſi voluerit.

I. A

II. Quòd ſi peccator ex præcepto iuris naturalis B ad charitatem erga Deum pertinente tenetur aliquando de peccato ſuo perfectè conteri, ipsúque Deum proinde actu ſuper omnia diligere, ſiue decretum ipſe habeat, aut habiturus ſit ob hunc actum dilectionis infundendi illi habitualem gratiam, ſiue non, vt teneri probatum eſt, cùm aliunde illius obligationis & præcepti finis non ſit alius, quàm eiuſdem peccatoris reconciliatio cum Deo: cõſequens eſt, vt vel huic actui vis inſit per ſe reconciliationis huius perficiẽdę, ac proinde ſanctificandi formaliter, vel ſaltem vt hic ipſe actus tam neceſſariam ex rei natura connexionẽ habeat cum forma formaliter ſanctificante, vt hæc illi non adiungi à Deo niſi per miraculum valeat (quamquam hanc habere cũ ea connexionem non poteſt, niſi per ſe ſanctificandi vim habeat, vt initio ſectionis huius dictum eſt) cuius conſequentiæ bonitas, & conſequẽtis per eam illati veritas hinc clariſſimè & efficaciſſimè cõfirmatur. Quòd cùm certum ſit, actum vel fidei, vel ſpei, neque per ſe vim habere ſanctificandi formaliter, neque neceſſariam ex rei natura habere cũ forma formaliter ſanctificante connexionem, ſi certum præterea eſſet, Deum huius aut illius exercitio non promiſiſſe formæ iſtius infuſionem, certò quoque omnibus cõſtaret, peccatorẽ non obligari ante mortem ad exercẽdum actum vel fidei vel ſpei, ex vi præcepti illius naturalis, aut ſimilis, quo ad exercitiũ actus perfectæ contritionis obligatur.

III. C

IV. Refellitur denique, quia falsò in ea dicitur hunc obligatum iri ad exercendum fidei vel ſpei actum, vt cum Deo reconciliaretur, ſi huic aut illi actui Deus infallibiliter promiſſione ſua ſanctificantem gratiam alligaſſet, ſicut nunc alligauit actui perfectæ contritionis, propterèaque ad eius exercitium obligatur. Cùm enim, vt diximus, peccatoris obligatio ſe cum Deo reconciliandi ante mortem non aliunde quàm ex præcepto iuris naturalis ad charitatem erga Deum pertinente ortum habeat, non poteſt eſſe obligatio alterius actus exercẽdi quàm ipſius charitatis: non enim magis poteſt præceptum ad Theologicã charitatem pertinẽs obligare ad actum fidei, aut ſpei, aut ad alium quàm ipſius charitatis proprium, quàm præceptum pertinens ad fidem, aut ſpem Theologicã, obligare poſſit ad actum Theologicæ charitatis, aut ad alium quàm proprium aut fidei, aut ſpei.

D

V. Vnde ad primam refutatæ reſponſionis confirmationem dico, falſum eſſe, peccatorem nolentem aut non potentem perfectè conteri obligari præcepto illo iuris naturalis ad Theologicam charitatem pertinente ſuſcipere ſacramentum, cùm eius ſuſceptio ſit actus non huius charitatis, ſed religionis. Adde quòd ſequeretur alioquin, eum dum nollet & perfectè conteri cùm poſſet, & ſacramentum ſuſcipere, peccare contra præceptum illud ad charitatem pertinens, non modò perfectam contritionem, ſed etiam ſacramenti ſuſceptionem omittendo, ſicque ſuſceptionis huius omiſſionem eſſe duplex ſpecie peccatum, vnum contra religionem, alterum contra charitatem erga Deum, præter illud aliud eiuſdem ſpeciei peccatum conſiſtens in omiſſione actus perfectæ contritionis. Ex hypotheſi enim quod eum nollet exercere cùm poſſet, obligaretur, vt in illa confirmatione dicitur, non tantùm iure poſitiuo ad religionis virtutẽ ſpectante, ſed illo etiã naturali ſpectãte ad virtutẽ Theologicę charitatis ſuſcipere ſacramentũ, quod facere omitteret, quod tamen cõſequens à communi omnium iudicio abhorret. Peccat quidem peccator duplici illo peccato, dùm in mortis periculo poſitus nec ſacramentum ſuſcipit, nec perfectè conteritur: at non quòd omiſſio ſacramenti ſit duplex illud peccatum, ſed quia peccatum contra religionem eſt: perfectæ autẽ contritionis omiſſio eſt peccatum alterũ contra Deo debitã charitatẽ.

VI.

VII. Nec dicas, peccatorem omittentem perfectæ contritionis actum, & ſacramentum ſuſcipientem, hac ſola ſuſceptione vtrique illi præcepto ſatisfacere, hancque proinde eſſe actum non ſolùm religionis, ſed etiam charitatis, eiũſque per conſequens omiſſionem fore peccatum contra hanc vtramque virtutem. Ne, inquam, id dicas, quia ſoli præcepto poſitiuo pertinenti ad religionem ſatisfacit, ſatisfaciens tamen ſoluitur conſequenter obligatione illius alterius præcepti naturalis ad charitatem erga Deum pertinentis, non quòd illi ſatisfecerit per exercitium actus imperati, quem reuera non exercuit, ſed quia mutatur obiectũ illius, quâ mutatione poſita obligare deſinit: eius enim obiectũ eſt peccator cum Deo reconciliandus, nam non alium quàm hunc ad perfectæ contritionis actum obligat: non eſt autem ampliùs is qui ſacramentum debitè ſuſcepit peccator cum Deo reconciliandus, quia vi ſuſcepti ſacramenti iuſtificatus à peccato eſt, & cum Deo reconciliatus.

VIII.

Ad 2. & 3. confirmationẽ dico, obligari quidem iure etiam naturali tam adultos ad actus fidei & ſpei exercendos, quàm parentes ad baptiſmum liberis ſuis infantibus procurandũ, vt in hac & illa dicitur: at neque hanc parentũ, neque illam adultorum obligationẽ eſſe ex præcepto ad charitatẽ erga Deum pertinente, ſed ex præceptis ad alias virtutes pertinentibus, quæcunque demùm illæ ſint, quod hîc definire nihil ad rem facit: hincq. proinde nec noſtrę rationis

vim infirmari, quæ est de solo præcepto iuris naturalis ad charitatem erga Deum spectantis, & ad solum proprium huius virtutis actũ obligantis, vt probauimus: nec relatam aduersariorum ad eam responsionem confirmari, quę erat, peccatorem illo ipso iuris naturalis præcepto obligatum iri ad actum fidei aut spei exercendum, si Deus huic aut illi actui gratiam iustificantem promisisset, & peccatori negaret auxilia necessaria ad perfectæ contritionis exercitium: quæ responsio, vt hac aut illa confirmatione vere confirmaretur, oporteret præcepta iuris naturalis ad eos actus obligantia de quibus in vtraque agitur, spectare ad eandem charitatis erga Deum virtutem: non spectant autem, vt & diximus, & Theologis omnibus, ipsis quoque aduersariis certum est.

SECTIO XVII.

Tertia ratione probatur.

TERTIA pro eadem sententia ratio petitur ex communi Theologorum nominatimque D. Thomæ doctrina, tradita & probata in Tractatu de Pœnitentia disp. 5. quòd nimirũ pœnitẽtia virtus specialis sit à cæteris omnibus distincta, quódque proprius eius actus sit intentio satisfaciendi Deo pro offensa, seu peccati in eum commissi macula, prout illa disputatione fusè explicatum est. Huius enim intentionis immediatum obiectũ est ea forma per quam Deo formaliter satisfit: hæc autem esse non potest habitus, quia sicut satisfacere est formaliter agere, ita satisfactio est essentialiter actio, debet ergo esse actio aliqua. Porrò nulla alia hominis actio potest esse vera formalisque ex rei natura satisfactio pro peccati sui macula, præter eam quæ formaliter ex se suáque natura hanc maculam destruit, aut destruere potest: quemadmodum nulla alia hominis actio potest esse vera formalisque pro pœna temporali debita peccatis quoad maculã iam remissis satisfactio, præter eam quæ formaliter huius pœnæ luendæ dignitatem destruit, aut destruere potest. Et ratio vtriusque est, quòd peracta satisfactione persona cui satisfactum est, nihil amplius retinere iuris potest ad exigendam satisfactionem: nam si retinet, ei nondum est factum satis: at quandiu remanet peccati macula, vel pœnæ pro ea luendæ dignitas, non obstante quacunque præuia actione ad satisfaciendum elicita, tandiu Deus tantundem iuris retinet ad exigendam pro hac vel pro illa satisfactionem, quantum antea habebat. Quòd si aliqua hominis actio ex se suaque natura peccati maculam destruit formaliter, aut destruere potest, quin ea sit aut sola, aut potissimùm perfecta contritio, Deíque dilectio, nullus dubitat.

Dices, vt aliqua hominis actio sit vera formalisque pro peccati macula satisfactio, nõ requiri, vt ex se suaque natura maculã hanc destruat, aut destruere possit, sufficere, vt id habeat ex gratia sanctificante ex qua elicitur: quemadmodum vt aliqua actio sit vera formalisque pro prædicta pœna temporali satisfactio, non requiritur vt ex se suaque natura huius pœnæ luendæ dignitatem destruat, aut destruere possit, sed sufficit vt id habeat ex præexistente gratia sanctificante ex qua elicitur.

At quamuis istud de satisfactione pro pœna ista verum sit, illud tamen de satisfactione pro peccati macula falsum est. Ratio est, quòd actio quæ vera formalisque pro hac macula satisfactio est, eo ipso quo satisfactio pro ea est, natura sua talis esse debeat, vt non necessariò præsupponat maculam illam per aliquid prius iam destructam, eamque proinde per se suaque vi possit destruere: atqui præsupponit necessariò, si non habet rationem satisfactionis pro illa macula, nisi quatenus ex præuia sanctificante gratia, quæ vi sua formaliter eam destruit, elicitur. Maioris autem veritas ex eo constat, quòd de natura satisfactionis in genere est, eo ipso quo satisfactio est, vt non necessariò præsupponat rem pro qua exhibetur per aliquid prius iam destructam, sed eam ipsa per se destruat, aut destruere possit, vt certum est inductione, & per satisfactiones quibus hominum alij aliis pro offensis satisfaciunt, & per eas quibus Deo pro prædicta pœna temporali satisfacimus. Et ratio est, quòd post offensam admissam, aliud ve debitum contractum, sequi ex natura rei proximè & immediatè possit pro illa satisfactio, sicut & pro isto solutio: post solutionem autem & satisfactionem sublata esse debeat offensa, sublatúmque debitum, si fuit vera solutio, & satisfactio, debeátque proinde tolli vi solutionis huius, & satisfactionis.

Nec refert, quòd actio quæ satisfactio est pro prædicta pœna temporali præsupponat in homine pro illa satisfaciente sanctificantem gratiam, ex eaque vim satisfactionis accipiat. Cùm enim satisfactio pro pœna ista præsupponat ex natura rei peccati maculam iam deletam, hæc autem deleri non possit nisi per gratiã sanctificantem, non mirum si hanc illa ex natura rei præsupponat. Deinde cùm actio qua pro ea satisfit non est ex se suáque natura forma formaliter sanctificans, vt verè pro eadem satisfactio sit, præsupponit quidem formam formaliter sanctificantem, ex eaque vim, sicut hominem sanctificandi formaliter, sic satisfactionis accipit, vt in eodem de pœnitentia Tract. disp. 36. probauimus: at per hanc gratiam nec deletur, nec deleri potest reatus seu dignitas pœnæ luendæ pro qua satisfit, sed per hanc ipsam actionem immediatè & formaliter deletur. Vnde à simili concluditur, satisfactionem pro peccati macula non necessariò præsupponere debere formam per quam hæc formaliter deleatur, cuiusmodi est gratiæ sanctificantis habitus.

Ex dictis duo concludes: vnum est, nec attritionem, nec quamcunque aliam similem hominis etiam iusti actionem bonam per se vi sua formaliter non sanctificantem, posse esse obiectum intentionis illius ad specialem pœnitentiæ virtutem pertinentis, qua intenditur satisfactio pro peccati macula: posse tamen esse illius intentionis qua satisfactio pro pœna illi quoad maculam iam remissa debita intenditur. Prioris partis ratio est, quia nulla huiusmodi actio potest esse pro peccati macula satisfactio, quandoquidem eam delere formaliter non potest. Posterioris ratio est, quia è contrario huiuscemodi actio est, aut esse potest pro pœna illa satisfactio, cùm eius luendæ

dignitatem formaliter extinguat, aut possit extinguere.

Alterum est, falsum esse quod aduersarij dicunt, prioris illius intentionis obiectum posse esse perfectam contritionem, licet per se formaliter non sanctificantem, dummodo gratia habitualis sanctificans illi ex Dei promissione infallibiliter coniuncta sit. Constat enim ex doctrina tradita, & probata, quamcunque pro quacunque re satisfactionem, sicut & quamcunque pro quocunque debito solutionem, si vera pro ea re satisfactio, & solutio est, talem natura sua esse debere, vt id pro quo satisfactio & solutio est, delere formaliter vi sua possit, & re ipsa deleat, nisi forte per aliud iam deletum inueniat.

I. A

Et sanè posset alioquin attritio, & quæcunque alia similis actio esse obiectum eiusdem prioris intentionis, cùm possit pro voluntate sua Deus tali actioni adiungere infallibiliter gratiæ sanctificantis habitum, sicut & perfectæ contritioni: quod concedere absurdum est, vtpote naturali rationi repugnans: cum id facere,

II. B

ex quo facto non tollitur id pro quo satisfaciendum est, sed liberaliter postea ab eo cui est satisfaciendum remittitur, non sit illi ex rei natura facere satis, nec proinde satisfacere: sicut & pro debito dare id ex quo dato non tollitur debitum, sed postea liberaliter à creditore remittitur, non est illud re ipsa soluere, sed è contrario non soluere est. Hoc autem contingeret, si prædictæ intentionis obiectum esse posset siue aliqua contritio, siue aliqua actio vi sua formaliter non sanctificans, cui Deus infallibiliter habitualem gratiã adiunxisset: vi enim illius actionis facte non tolleretur peccati macula pro qua Deo satisfaciendum, & tanquam pro debito soluendum est, sed eâ factâ Deus ex libera & liberali sua voluntate debitum istud seu peccati maculam remitteret, eo ipso quo gratiam illam

III. C

per quam formaliter deleretur infunderet.

At hîc iidem aduersarij à nobis quærunt, vtrùm prædictam illam intentionem satisfaciẽdi Deo pro peccati macula per actum perfectæ contritionis velimus esse intentionem satisfaciendi condignè, an congruè tantùm, an abstrahendo à cõgrua & condigna satisfactione? Primum respondere non possumus, cùm ex communi Theologorum & nostra sententia, non possit pura creatura pro mortali suo peccato condignè satisfacere: si secundum responderimus, concludunt, non esse necessarium, vt elicita satisfactio pugnet ex rei natura cum peccati macula: si tertium, inferunt ex vi intentionis illius abstrahentis à condigna & congrua satisfactione nõ esse necesse sequi determinatè condignam satisfactionem, posse sequi solam con-

IV. D

gruam, & proinde eam quæ peccati maculæ ex rei natura non repugnat.

Respondemus autem esse intentionem satisfaciendi condignè, non quidem pro toto peccato, omnique per ipsum contracto debito, de quo hic spectato accipienda est illa communis Theologorum & nostra sententia, quam in Tract. de Incarn. disp. 3. fusè probauimus: at pro ipsa præcisè peccati macula, pro qua condigna satisfactio est ipse perfecta contritionis actus, vt constat ex dictis eadem disp. sect. præsertim 7. & 10. ad quam satisfactionem necessarium prorsus est vt sit forma illi maculæ formaliter ex natura rei repugnans.

Aduerte autem hic obiter, quòd etsi ex doctrina quam in hac tertia ratione, & proximè præcedente præsupposuimus, citatisque locis probauimus, nõ prorsus necessariò sequeretur

V.

id quod ex ea sic intulimus, nempe perfectæ contritionis actum esse ex se suaque natura formam formaliter sanctificantem, tamen cùm hæc nostra de hoc actu sententia pulcherrimè cum illa doctrina conueniat, eiúsque meliùs intelligendæ ac defendendæ maximam facilitatem præbeat, iudicari saltem deberet eorum menti doctrinæque maximè consentanea, à quibus prædicta illa doctrina traditur, aut defenditur.

SECTIO XVIII.

Quarta ratione probatur.

PETITVR hæc ratio ex duobus absurdis contrariam nostræ sententiam consequentibus: quorum primum est, posse Deum odio

VI.

habere eum à quo ex toto corde diligitur. Consequentiæ bonitas patet, eo quòd vna quidem ex parte dilectio hæc nullam habet ex natura rei cum macula peccati mortalis antea commissi repugnantiam, vt expressè docent aduersarij: ex altera vero liberum absolutè Deo est peccatori à quo toto ex corde diligitur non infundere sanctificantem gratiam: qua non infusa sicut non obstante illa dilectione manebit ille in peccato mortali, ita odio haberi à Deo poterit, imò re ipsa habebitur. Consequentis autem falsitas & absurditas ex terminis clara videtur: si enim quo quisque melior est, & Deo per virtutem sanctitatémque similior, atque coniunctior, eo minùs potest illum à quo offensus est, & à quo postea toto ex corde cum perfecto de offensa

VII.

dolore diligitur, odio habere, imò non diligere, quantò minùs id poterit ipse Deus? Imò si ab humanitate prorsus alienum omnes iudicãt, indignúmque homine, hominem se toto corde vero beneuolentiæ amore diligentem non diligere vicissim, multóque magis odio prosequi, etsi licitũ alioqui nobis ex rei natura foret eum odio habere qui nos offendit, donec pro offensa satisfecerit, quantò magis id à diuinitate alienum, eáque prorsus indignum existimandum est?

Tantum autem abest, vt ex nostra sententia possit Deus hominem se toto corde diligentem odio habere, vt non possit non positiuè diligere. Eo enim ipso sic diligit, quo vult ei dilectionis actum per quem & peccati mortalis macula formaliter deletur, & dignus æterna gloria

VIII.

constituitur: imò etiamsi hunc actum dilectionis homo per se sine Dei gratia aut auxilio habere posset, non posset tamen Deum diligens non ab ipso diligi: quia quisquis Deo placet non communi illa ratione qua placent omnia entia, sed vt ipsius Dei dilector & amicus, verè ab eo perfectéque diligitur: quisquis autem Deum ex toto corde diligit, non potest non placere ipsi Deo tanquam eius dilector & amicus, quia complacentia hæc ei libera non est, vt nec est vlla alia quæ simplicis affectus

complacentia esse dicitur, vt ex Tract. de Deo disp. 31. certum est.

Nec dicant aduersarij, Deum posse velle cruciare flammis æternis eum quem vt sui dilectorem diligit: quæro enim ab iis, an possit hanc habere voluntatem erga eum quem per habitum gratiæ sanctificantis à mortali peccato emundauit, & iam vt sanctum amicúmque suum diligit? si negant posse, quia sanctus est, nos quoque negabimus, cùm illa dilectione formaliter sanctum esse contendamus: sin autem concedant, fateantúrque consequenter hanc Dei voluntatem nec esse odium hominis illius sancti, nec ex odio proficisci, sed ex supremo dominio quod Deus habet æquè in sanctos amicósque suos, atque in peccatores & inimicos, idem eis concedemus, & fatebimur. I. A

Secundum absurdum est, posse aliquem esse beatum, non modò essentialiter, sed etiam integraliter, & simul habere summam peccati mortalis miseriam. Consequentię bonitas ex eo patet, quòd vna quidem ex parte liberum Deo est peccatorem in statu peccati mortalis existentem absque gratiæ habitualis infusione transferre immediatè ad statum beatitudinis, & communicare ei claram sui visionem, amorem, gaudiúmque beatificum, quæ qui habet, beatus est, non modò essentialiter, verùm etiam integraliter: ex altera verò nullo actuum istorum à peccati macula purgabitur, si Dei dilectio per se formaliter non sanctificet. Consequentis autem falsitas & absurditas clara est ex natura beatitudinis, quæ cùm sit summum animæ bonum, talis necessariò esse debet, vt per se suáque vi summam excludat animæ miseriam, cuiusmodi est mortalis peccati macula. II. B

Respondent aduersarij negando consequentiam, dicendóque peccati istius maculam deleri formaliter per claram Dei visionem: quod vt reddant probabilius, confirmant authoritate ipsius Gabrielis Vasquez, grauissimi sui in præsenti materia aduersarij, quem 1. 2. disput. 11. cap. 10. ita expresse docere aiunt. At in primis immeritò hac confirmatione vtuntur: non enim aduertunt, vel forte potius non aduertere se simulant eum ita docere sola clara Dei visione deletum iri peccatum mortale, si per miraculum Deus impediret ne ex ea sequeretur amor beatificus, vt hanc suam doctrinam, huiusque doctrinæ rationem petat deducatque ex supposita illa altera sua nostráque sententia, quòd nimirum actus amoris Dei sit ex se suaque natura vera & formalis animæ sanctitas, vimque proinde habeat eam purgandi formaliter ab omni macula peccati mortalis, vt clarum erit legenti caput illud 10. à numero præsertim 64. III. C

Deinde refellitur illa eorum responsio, primùm ex eo quòd vel clara Dei visio per se non repugnat maculæ peccati mortalis antea commissi, vel amor beatificus per se etiam repugnabit, ac proinde amor Dei qui in præsenti vita elicitur, cùm hic eiusdem sit cum illo naturæ & rationis, omnium consensu. Cùm enim nulla forma possit esse maculæ illi formaliter repugnans, nisi ea quę est vera formalisque sanctitas, si visio illa est per se talis sanctitas, pari saltem, imò potiori iure erit hic amor, aut si hic amor non est, neque illa visio esse poterit. IV. D

Nam si amor iste non est per se vera formalisque sanctitas, sequitur vt humana voluntas nulla formâ sibi immediatè & intrinsecè inhærente sanctificari formaliter possit, ex propria vi & natura formæ huius: si qua enim forma posset, certè potissimum charitate erga Deum, omnium consensu, vtpote perfectissima, aptissimáque ad sanctificandum ex omnibus formis quæ inhærere illi possunt: quòd si non potest voluntas humana sanctificari formaliter aliqua eiusmodi forma sibi immediatè inhærente, minùs adhuc poterit intellectus: eo enim ipso quo potentia intelligendi est, seu cognoscendi, minùs ex se capax est formæ moralis sibi immediatè inhærentis, cuiusmodi est sanctitas, quàm voluntas, quæ potentia volendi est, seu appetendi. Vnde si è contrario eo non obstante capax ille est alicuius huiuscemodi formæ, vt reuera est, si clara Dei visio per se formaliter sanctificat, pari saltem, imò potiori iure erit quoque voluntas, ac proinde amor Dei talis per se forma erit, vt ex dictis constat. V.

Adde quod cùm aduersarij gratiæ sanctificantis habitum à charitate distinguant, eúmque in essentia animæ constituant, eius autem duæ tantum sint distinctæ a parte rei potentiæ, intellectus scilicet & voluntas, éstne credibile illam eius essentiam sanctificari posse formaliter per propriam formam sibi proximè inhærentem, posse intellectum per aliam sibi similiter immediatè inexistentem, solam esse voluntatem, quæ nulla huiusmodi forma sibi immediatè inhærente sanctificari possit? cùm tamen hæc, vt dixi, sit natura sua subiectum capacius formæ moralis, ac proinde sanctitatis, quàm intellectus. VI.

Secundò refellitur prædicta responsio, quia clara Dei visio non videtur esse forma formaliter sanctificans, peccatique proinde maculæ repugnans, nisi forte eo modo quem suprà citatus Vasquez admisit, quémque aduersarij non admittunt, imò tanquam falsum reiiciunt, vtpote præsupponentem amoris Dei actum esse per se formam formaliter sanctificantem, quod eorum sententiæ è diametro aduersatur. Non videtur, inquam, esse. Primò, quia quæcunque cognitio secundum se præcise considerata ens pure physicum videtur esse, nullo verò modo morale, cuiusmodi tamen est sanctitas eo ipso quo sanctitas est. VII.

Secundò, quia si clara Dei visio esset per se formalis sanctitas, multò magis visio qua Deus intuitiuè se videt, sub formali conceptu visionis istius, esset increata sanctitas Deum formaliter sanctificans, at hoc à communi omnium sensu alienũ est: nullus enim, vt opinor, fuit hactenus Theologus qui hoc de visione ista cogitauerit, quiq. sanctitatem increatam & infinitam qua Deus sanctus est, ab attributo diuinę cognitionis non distinxerit, eo modo quo varia in Deo attributa distinguimus. VIII.

Tertiò, quia sicut si charitatis actus per se formaliter sanctificat, idem de charitatis habitu, qui connaturale illius actus principium effectiuum est, dici debet, omnium etiam aduersariorum consensu, quantumuis actus sit habitu moraliter melior, vt suprà ex Diuo Thoma, & Philosopho, ac ratione probauimus:

ita si clara Dei visio sit per se formalis sanctitas, erit quoque lumen gloriæ, cùm huius visionis æquè connaturale principium effectiuum sit, quantumuis hæc visio illo lumine sit futura moraliter melior, vt charitatis actus habitu. Hoc autem de isto lumine nullus vnquam aut dixit, aut cogitauit.

I. Postremò quia si forma aliqua natura sua intellectum vt subiectum postulans potest per se sanctificare formaliter, cur dari non poterit aliqua intellectualis eiusmodi forma, siue habitualis, siue actualis, à clara Dei visione distincta, à solo mortali peccato sanctificãs, cùm hæc visio ab omni etiam veniali sanctificet, vt expressè aduersarij docent? sicut in volũtate, aut in essentia animæ ab omnibus admittitur forma sanctificans à solo peccato mortali, præter increatam diuinitatis sanctitatem sanctificantem ab omni etiam veniali naturam creatam rationalem, quam assumpserit, præter illam quoque creatam habitualem in essentia animæ immediatè residentem ex individua sua differentia peccatis omnibus etiam venialibus repugnantem, quam ex aduersariis nonnulli admittunt, licet falsò, vt in Tract. de pœnit. disp. 8. fusè probauimus.

II. At vt aduersarij probent claram Dei visionem esse formam formaliter sanctificantem, obiiciunt 1. nisi esset, consequens fore, vt posset quis esse beatus essentialiter, & simul habere summã peccati mortalis miseriam: in illa enim sola visione posita est tota beatitudinis essentia: illam autem solam visionem quispiam mortali peccato inquinatus habere poterit, Deo per absolutam suam potentiam impediente ne ex ea sequatur amor, ac cætera quæ ad beatitudinis integritatem pertinent: illud autem consequens admitti non debere, quia sicut iniustitia iustitiæ repugnat, sic infelicitati felicitas.

III. Respondeo concedendo illud ipsum consequens, sed negando absurdũ esse, vt cum essentia beatitudinis stet mortalis peccati miseria, eo casu quo Deus per miraculum impediret ne ex illa sequatur amor beatificus, per quem formaliter deleretur omnis peccati antea commissi macula: ad essentiam enim beatitudinis minimè pertinet, vt per se formaliter omnem excludat miseriam, sufficit, vt excludat per se vel formaliter vel radicaliter, formaliter autem per aliquid ad eius integritatem pertinens, ex eáque connaturaliter & necessariò consequens, quo modo clara Dei visio tristitiam excludit formaliter per gaudium quod ex ea sequitur, & peccati maculam per amorem beatificum ex eadem necessariò consequetem. Vnde patet, ad id quo consequens à nobis concessum, ab aduersariis probatur nõ concedendum, responderi debere,

IV. per felicitatẽ quæ est Dei visio, non aliã excludi posse formaliter infelicitatem, quàm quæ illi felicitati seu visioni vt Dei visio præcisè est, opponitur, cuiusmodi sicut non est tristitia, ita nec infelicitas illa, quæ non est alia, quàm ipsa formalis peccati malitia seu iniustitia.

Obiiciunt 2. Clara Dei visio est gratia adoptionis, seu videntem faciens formaliter filium Dei adoptiuum. Ergo est forma formaliter sanctificans. Antecedens probant primùm ex Apostolo ad Rom. 8. de se iustisque aliis sic loquente: *Ipsi nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes*: Per quam ipsam claram Dei visionem intelligit. Secundo ex Ecclesiæ oratione in festo Transfigurationis, in qua dicitur, adoptionem filiorum Dei perfectam fuisse præsignatam per manifestatam essentialem Christi gloriam, quia nimirum similis in sanctis futura gloria, erit eorum perfecta adoptio. Tertiò quia gloria hæc est terminus diuinæ voluntatis dandi hæreditatem, cùm sit ipsa hæreditas: voluntas autem dandi hæreditatem ei qui non est natura filius, est voluntas eum adoptãdi in filium, & ipsa hæreditatis donatio est adoptio, vt constat ex rebus humanis: eo enim ipso quo quis aliquem à se non genitum efficaciter eligit in hæredem, adoptat in filium.

Respondeo negando antecedens: cuius falsitas hac tertia probatione multò certiùs & efficaciùs probatur, quàm veritas. Cùm enim, vt in ea verè dicitur, clara Dei visio sit adoptiuorum Dei filiorum hæreditas, non est ipsa formaliter adoptiua filiatio, sed eam præsupponit: hæreditate enim formaliter vt hæreditas est, eiusque possessione nullus constituitur filius vel naturalis vel adoptiuus, sed præsupponitur, vt ex humana filiatione siue naturali siue adoptiua certissimum est.

Vnde ad primam antecedentis probationem dico Apostolum verbis his, *Ingemiscimus adoptionem filiorum Dei expectantes*, hæc proximè subiecisse, *redemptionem corporis nostri*. Quibus significauit se per hanc adoptionem non intellexisse solam clarã Dei visionem, quæ solius animæ propria est, sed etiam gloriam corporis in vitam æternam & beatam resurgentis, vno verbo æternam gloriam totius hominis, quam adoptionem filiorum Dei nuncupauit, non quod ipsa secundùm se sit formaliter noua aliqua hominis à Deo in filium adoptio, sed quia est perfectio ac consummatio adoptiuæ filiationis, quam consecuti sumus in hac vita per sanctificantem gratiam, quæ ad illam tanquam ad finem vltimum ordinatur. Tunc enim adoptiua filiatio perfecta consummatáque est, & esse ab omnibus intelligitur, quando non tantùm ab adoptante datur ius ad hæreditatem, sed ipsa quoque hæreditas, quæ finis vltimus illius est, licet hac ipsa formaliter hæreditate, vt constat, non constituatur quis filius, sed iam antea constitutus præsupponatur.

Hinc ad secundam dico, si in prædicta Ecclesiæ oratione diceretur, per manifestatam essentialem animæ Christi gloriam fuisse significatam perfectam filiorum Dei adoptionem, hácque proinde perfici per similem in filiis adoptiuis gloriam, eo sensu intelligendùm esse perfici, quo proximè antè diximus: sed hoc in illa non dici. Nam expressè dicitur perfectam illam adoptionem significatam fuisse per vocem è nube lucida delapsam, hanc scilicet: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quæ vox quomodo illud significauerit, nihil ad obiectionem, præsénsque negotium.

Ad tertiam dico, voluntatem efficacem dandi hæreditatem alicui, nec eum constituere formaliter filium, nec esse necessariò voluntatem eum filium constituendi: quisquis enim extraneum aliquem bonorum suorum hæredem

A V. B VI. C VII. D VIII.

instituit, non propterea cum adoptare vult in filium, aut reipsa adoptat. Voluntas ergo in rebus humanis aliquem in filium adoptandi est voluntas efficax alicuius externi operis faciendi quod erit ipsa actualis adoptio: istud autem opus externum est illud quo quis alteri affectu coniungitur tanquam filius naturalis patri, seu quo loco filij naturalis accipitur, ex quo externo opere locum generationis naturalis tenente, perinde sequitur ius in adoptato ad hæreditatem patris adoptantis, atque ex naturali generatione sequitur ius in genito ad hæreditatem genitoris. Quo iure præsupposito, tum primùm intelligitur in adoptante voluntas efficax dandi hęreditatem adoptato: huic enim, vt supponimus, illam dare non vellet nisi filius esset, eaque sola de causa dare vult, & dat ei potiùs quàm alteri, quia filius eius est.

I. A

Obiiciunt tertiò. Visio beatifica pugnat cum reatu seu dignitate omnis pœnæ temporalis, eámque vi sua formaliter tollit: ergo est formalis sanctitas. Respondeo primò distinguendo antecedens: verum esse concedo, si visio illa insit homini purgato ab omni macula peccati tam venialis quàm mortalis: falsum autem affirmo, si insit homini huiusmodi macula inquinato. Nam si communicaretur alicui retinenti maculam peccati illius, impediretur illa visio ab hac macula, ne dignitatem pœnæ temporalis posset formaliter tollere. Hanc enim maculam, quandiu non tollitur, tam necessariò sequitur ad pœnam temporalem dignitas, quàm peccati mortalis maculam, quandiu hæc non deletur, dignitas æternæ pœnæ consequitur. Vnde si eadem visio communicaretur homini maculam hanc retinenti, maneret homo ille non obstante visione hac dignus æterna pœna & damni & sensus.

II. B

Respondeo secundò, supposita veritate antecedentis de homine purgato ab omni peccati tam venialis quàm mortalis macula, negando consequentiam: mala enim est, & consequēs falsum, vt certò constat ex animabus purgatorio detentis, quę ipsa formaliter pœnarum perpessione tollūt à se pœnæ temporalis quam habebant antea dignitatem, nec tamen hæc passio formalis sanctitas est: poterit ergo similiter visio beatifica, etsi non sit formalis sanctitas, omnem pœnæ temporalis luendæ dignitatem tollere, & reipsa necessariò tollet, dum nullum tollendi in subiecto impedimentum ex remanente peccati macula reperiet, eoque ipso tollet formaliter, quo hominem Deum clarè videntem faciet formaliter dignum honore contrario illi inhonoratiqni, quæ vel in ipsa pœnæ inflictione consistit, vel huic necessariò coniuncta sic est, vt ab ea separari non possit: quo honore vt eum dignum formaliter efficiat, tollatque proinde hoc modo omnem illius pœnæ luendæ dignitatem, patet non esse necessarium, vt sit forma formaliter sanctificans.

III. C

IV. D

Nec dicat hic quispiam, nos dignitatem hanc à nobis in hac vita non tollere, nisi vi formæ formaliter sanctificantis: nihil enim mirum, quia non tollimus nisi satisfactoriis actibus: alij autem non sunt satisfactorij, quàm qui æternæ gloriæ de condigno meritorij, quique proinde formaliter hominem sanctiorem efficiunt, sicut & dignum maiori gloria, vt in Tractatu de pœnitentia disp. 36. probatum est.

SECTIO XIX.

Quinta ratione probatur.

V. QVINTA & à priori ratio petitur ex natura tum amoris Dei, tum peccati mortalis. In primis enim vna quidem ex parte amor Dei existens in homine est amicitia hominis erga Deum, sicut amor quo Deus hominem prosequitur, est amicitia Dei erga hominem, vt & amor Petri erga Paulum est amicitia illius erga hunc, & vice versa huius erga illum amor est amicitia eius erga ipsum. Ex altera vero peccati mortalis malitia est hominis erga Deum inimicitia. Vnde Tridentinum Concilium ait sess. 6. cap. 7. per iustificationem fieri hominem ex iniusto iustum, & ex inimico amicum; quia nimirum per illam deletur peccati mortalis macula, quæ est hominis iniustitia, & erga Deum inimicitia: atqui impossibile est simul consistere vnius eiusdémque hominis amicitiam & inimicitiam erga vnum eundémque: ergo & impossibile est simul in vno eodémque homine stare amorem Dei & peccati mortalis maculam.

VI.

Nec vim vllam habet aduersariorum responsio, dicentium peccatum mortale dici à Concilio inimicitiam hominis erga Deum, non quòd sit positiuus actus odij erga ipsum, sed quia iniustitia est, itaut nihil aliud sit esse inimicitiam, quàm esse iniustitiam. Quam explicationem suam exiis Concilij verbis confirmant, quibus dixit *peccatorem ex inimico fieri amicum, & ex iniusto iustum*. hæc enim postrema verba *ex iniusto iustum* proximè præcedentium istorum *ex inimico amicum*, explicationem esse dicunt.

VII.

At non aduertunt se Concilij textum peruerso ordine referre, sensumque proinde peruertere: non enim dixit per iustificationem hominem fieri ex inimico amicum, & ex iniusto iustū, sed dixit, ex iniusto fieri iustum, & ex inimico amicum. Vnde si posteriora verba priorum significationem explicant, non dixit inimicitiam esse iniustitiam, sed è contrario dixit iniustitiam inimicitiam esse: sed reuera non explicant, mensque Concilij certissimè est duos formales cuiusuis peccati mortalis effectus assignare, quorum vnus est hominem facere iniustum, quia vere quædam iniustitia est: alter, facere Deo inimicum, quia vera quædam Dei inimicitia est: non quòd sit positiuus odij erga Deum actus, cùm non omne mortale peccatum eiusmodi odium sit, sed quia facit per se necessariò hominem dignum obiectum odij diuini & inimicitiæ, non secus ac si esset ipsum realiter & formaliter odium erga Deum, illumque non aliter ab eo auertit, quàm positiuus odij actus auertit odio habentem ab eo qui odio habetur: quo fit, vt quantum repugnat hoc odium, & oppositum amorem ergà eundem in eodem simul consistere, seu amicitiam simul & inimicitiam, tam repugnet in eodem homine simul stare amorem Dei & peccati mortalis maculam, cùm ille vera Dei ami-

VIII.

citia sit, hæc vera inimicitia, quacunque demum in re sita sit.

Sed pergamus declarare huius peccati & illius amoris propriam naturam, vt formalis inter vtrumque repugnantia nobis adhuc certiùs innotescat. Peccatum ergo mortale cùm nos auertat à Deo, & conuertat ad creaturam, perfecta autem de eo contritio, Deíque dilectio nos auertat à creatura, & conuertat ad Deum: imo peccati mortalis malitia & macula sit ipsa à parte rei peccatoris auersio à Deo, & conuersio ad creaturam, è contrario autem perfectæ cõtritionis & amoris Dei actus sit ipsa hominis auersio à creatura, & conuersio ad Deum, profectò non poterit hæc auersio & conuersio non destruere priorem illam auersionem & conuersionem, ac proinde peccati mortalis malitiam ac maculam, si posterior hæc per contritionis & amoris actum auersio & conuersio sit multò perfectior illa priore per mortale peccatum auersione & conuersione: atqui est.

I. Qui enim mortaliter peccat, non auertitur à Deo formali expressaque auersione, seu ex formali explicitóque odio vel displicentia Dei, vel affectu simili contra ipsum, sed virtuali solummodo, quia nimirum diligit aliquid quod à parte rei ipsius voluntati grauiter repugnat: at per actum perfectæ de peccato contritionis homo auertitur a creatura quam dilexerat, non virtuali tantùm auersione, sed formali expressaque, formali scilicet expressóque eius odio ac displicentia, quatenus est contra Deum. Vnde patet hanc ab illa auersionem multò esse perfectiorem illa altera à Deo per peccatum auersione. Rursum qui peccando mortaliter se conuerterat ad creaturam, ita se ad eam ex eius amore conuerterat, vt non propterea eam super omnia amaret, aut ex formali expressóque Dei odio seu displicentia eam amare inciperet: at qui per actum perfectæ contritionis ad Deũ conuertitur, ita ex eius amore ad eum conuertitur, vt ipsum super omnia amet, & cum formali expressóque creaturæ quam antè dilexerat odio, quatenus contra Deum est, eum amare incipiat propter ipsum ex toto corde super omnia dilectum. Vnde & patet hanc ad Deum per actum contritionis conuersionem multò esse perfectiorem illa alterâ ad creaturam per mortale peccatum conuersione. Vnde tandem patet multò potentiorem esse charitatem ad nos in Deum cõuertendos, quàm mortale peccatum sit ad nos ab ipso auertendos. Quare si hoc ita tamen nos ab eo auertit, vt ei exosos & inimicos reddat, consequentérque æternâ pœnâ dignos, multò magis charitas nos ita ad eum conuertet, vt è contrario faciat ei acceptos & amicos, æternáque proinde vita dignos.

II. III. IV.

Respondent aduersarij; hoc argumento nostro probatum iri, per actum amoris Petri erga Paulum posse deleri formaliter peccatum odij concepti antea erga ipsum: quia Petrus per hoc odium formaliter erat auersus à Paulo, per amorem autem eius est ad eum formaliter conuersus, nec minùs perfectè, quàm antea auersus esset. Verum tantum abest vt hæc responsio vim argumenti nostri debiliter, vt è contrario confirmet. Sicut enim hæc Petri ad Paulum per amorem conuersio, cùm tam perfecta sit quàm præcedens per odium ab eo auersio, tollit hanc omnem ab eo auersionem formaliter, multóq. magis tolleret, si perfectior cõuersio esset quàm fuisset auersio: ita cùm Dei super omnia dilectio sit perfectior ad eum conuersio, quam fuerit antea per mortale peccatum ab eo auersio, vt probauimus, tollet hanc auersionem formaliter, & proinde peccati mortalis maculam, quę est ipsa creaturæ peccantis à Deo auersio. Neque tamen propterea Petri erga Paulum amor tollere formaliter poterit formalem odij antea concepti malitiam, quæ peccatum formaliter & offensa Dei est: huic enim malitiæ & offensæ non opponitur amor Pauli, sed Dei, quia non ille, sed hic amor vera formalísque animæ sanctitas est, per solam autem sanctitatem malitia illa & offensa tolli potest.

A V.

Denique cùm hæc amoris natura sit, & vis, vt se ipso formaliter absque vllo alio transformet amantem in rem amatam, profectò amoris Dei hæc erit natura, & vis, vt se ipso formaliter absque vllo alio vel habitu vel actu transformet amantem in Deum, ac proinde Deiformem efficiat. Impossibile autem est animam transformatam in Deum ac Deiformem manere adhuc deformem peccati mortalis macula ac turpitudine.

B VI.

SECTIO XX.

Sexta ratione probatur.

SEXTA & à priori quoque ratio hoc argumento proponitur. Cum amicitia diuina, eo ipso quo formaliter talis amicitia est, stare peccatum mortale non potest: ergo hæc vel per se ipsam totam, vel saltem per aliquam sui partem maculam peccati mortalis formaliter destruit: atqui non per se totam, ergo tantùm per aliquam sui partem: atqui pars hæc, alia non est quàm hominis erga Deum amor, ergo hic amor formaliter illam maculam destruit. Tres istæ consequentiæ per se sunt euidentes. Antecedens est certissimum, tum omnium consensu, tum manifesta ratione: quòd alioqui cum amicitia Deum inter & hominem stare simul posset inter hunc & illum inimicitia: quia peccatum mortale vel formaliter huiusmodi inimicitia est, vel eam necessariò fundat, & semper habet annexam, vt ex dictis præcedente sectione clarum est. Primum assumptum certum quoque est, aduersariorum etiam consensu, qui nec negant, nec negare possunt, peccati mortalis maculam non destrui formaliter per vitalem, increatum, & in Deo immanentem actum amoris quo prosequitur hominem, cùm tamen hic amor sic spectatus ad essentiam amicitiæ Deum inter & hominem existentis pertineat: quia de essentia amicitiæ duorum se amantium est mutuus amor eorum erga se inuicem. Secundum assumptum sic probo. Si amor hominis erga Deum non est ea prædictæ amicitiæ pars qua peccati mortalis macula formaliter destruitur, alia assignanda est ad eius essentiam pertinens, quandoquidem, vt in antecedenti diximus, cum amicitia Deum inter & hominem, eo ipso quo hæc amicitia est, stare mortale peccatum nullo modo potest: atqui assignari alia non potest.

C VII.

D VIII.

Assignant aduersarij gratiæ sanctificantis habitum, quem dicunt esse terminum amoris illius vitalis increati quo Deus hominem prosequitur. Refelluntur eo quòd ille habitus nec ad essentiam prædictæ amicitiæ pertinet, nec ad eam est necessarius: quod probo duobus argumentis. Primum est, ad veram amicitiam sufficere mutuum amorem beneuolentiæ duorum sese redamantium, erit autem mutuus huiusmodi amor, etsi non sit efficax, seu per quem aliquid ab amante in amato producatur, eive communicetur, sed simplicis tantùm complacentiæ, per quem nihil ad extra producitur. Quis enim negare potest eos verè esse amicos, quorum alter alteri viciſſim simpliciter absolutéque placet propter se, etsi neuter alteri vllum communicare bonum velit efficaciter: vel inter eos esse posse veram amicitiam, qui non possint aut non posse supponantur vllum sibi bonum communicare? Certè nos Deum vero beneuolentiæ & amicitiæ amore diligere possumus, etsi nihil possimus ei dare proprie, quo scilicet ipse fiat aut melior, aut maior, aut ditior, aut beatior: imò sic re ipsa diligimus, dum simplici complacentiæ affectu placet nobis eius diuinitas & persona propter se. Quòd si simplex huiusmodi affectus noster erga ipsum sufficit ex parte nostri ad veram in nobis erga eum amicitiam, profectò similis in eo erga nos affectus sufficit ex parte eius ad veram in illo erga nos amicitiam: qualis affectus est is quo nos, dum eum diligimus, ipsi simpliciter absolutéque placemus tanquam ipsius dilectores, ac proinde tanquam amici, quia nostra erga eum dilectio est à parte rei nostra erga eum amicitia, sicut amor Petri erga Paulum est à parte rei illius erga hunc amicitia, vt & amor Pauli erga Petrum vera erga hunc illius amicitia est.

I.

II.

Secundum argumentum est, quod etsi ad amicitiam requireretur mutuus beneuolentiæ amor efficax, per quem scilicet amorum alter alteri vellet ad extra communicare bonum aliquod efficaciter, profectò esset Deum inter & nos vera amicitia, eo ipso quo nos eum vero beneuolentiæ amore diligeremus, & ipse viciſſim nobis ex vera erga nos tanquam sui dilectores & amicos beneuolentia, efficaciter summum bonum vellet, claram scilicet sui visionem, amorem, & gaudium beatificum. Si enim amare velle bonum est, quæ potest esse maior dilectio quam summi boni efficax volitio? At Deus nobis sui dilectoribus velle posset, & re ipsa dare summum illud bonum, absque prædicto gratiæ sanctificantis, imò etiam absque luminis gloriæ, charitatis, & quocunque alio habitu, quia summum bonum beatitudo est, hæc autem formaliter non in habitu, sed in operatione consistit.

III.

IV.

Nec dicant aduersarij huius diuinæ erga nos dilectionis terminum fore claram ipsius Dei visionem, & per hanc, vtpote per veram formalémque sanctitatem, deletum iri mortale peccatum: nam 19. sectione ostendimus visionem hanc non esse formam formaliter sanctificantem: & si est, multò magis fore pariter amorem beatificum, eumque proinde etiam quo Deum in præsenti vita diligimus.

At dicunt amicitiam quæ Deum inter & hominem est peccatum excludere, ratione partis illius quæ pertinet ad actum amicitiæ qui in Deo est tanquam terminus ipsius, & est habitualis gratia sanctificans: & ad argumentum quo contrarium probauimus respondent: si actus Dei sit inefficax, non esse amicitiam hominem inter & Deum de qua nunc agimus, quæ nimirum sit formalis iustitia & sanctitas, aut sanctitatem hanc & iustitiam includat: imò requiri ad veram inter Deum & hominem amicitiam, vt actus amoris Dei sit efficax, ponátque in homine terminum gratiæ habitualis sanctificantis, ex eo probant, quòd si sufficeret inefficax, haberet nunc Deus actum amicitiæ erga omnes homines, erga etiam dæmones, cùm ipsi nunc & semper ac necessariò placeat simplici & & inefficaci affectu eos esse sanctos, & beatos.

A

V.

Verùm dum illud respondent, non euadunt vim argumenti nostri, quo concluditur vniuersim omnem, Deum inter & hominem amicitiam excludere mortale peccatum eo ipso quo amicitia est, & peccatum hoc inimicitia, includeréque proinde formalem iustitiam & sanctitatem, quandoquidem non nisi per hanc, eorum etiam ex consensu expressaque doctrina, peccatum illud excludi potest. Est ergo amicitia de qua nunc agimus, quæ nimirum sit iustitia & sanctitas, aut eam includat, si amicitia est: esse autem, nec tamen ad eam necessariò pertinere illum gratiæ sanctificantis habitum, aut vllum ex parte Dei efficacem actum, præter eum saltem quo homini dare velit & det veram sui dilectionem, & responsio illa supponit, & nos demonstrauimus.

B

VI.

Ad argumentum autem quo probant requiri ad amicitiam Dei erga hominem actum amoris efficacem, quo velit ei dare gratiæ sanctificantis habitum, & hunc actum esse ipsam Dei erga hominem amicitiam. Respondeo tantum abesse, vt velimus quemlibet actum inefficacis affectus in Deo erga hominem, eúmque nominatim quo placet ipsi omnium hominum etiam damnatorum sanctitas, & felicitas, sufficere ad veram illius erga hunc amicitiam, vt è contrario asseramus, non quemcunque efficacem sufficere, etiam eum quo vult ipsi dare formam formaliter sanctificantem, siue sit charitas, siue aliquis alius habitus.

C

VII.

Ratio euidens est, quòd actus veræ simpliciterque dictæ amicitiæ alicuius erga aliquem alium stare non potest cum vero formalique ac simpliciter dicto eiusdem odio, vt per se notum est: cum illis autem Dei actibus stare potest, & plerunque reipsa stat verum eius & formale, simplicitérq. dictũ odium. Huius enim diuini odij dignum obiectum est quisquis in peccato mortali est, imò reipsa odio habetur à Deo, pro eo tempore quo huius peccati macula contaminatus est: quo tamen tempore multis huiusmodi hominibus vult efficaciter dare aliquando sanctificantem gratiam: qui proinde efficax eius & specialis erga illos amor non est amor amicitiæ, quia non est amor amicorum, sed è contrario inimicorum, quos purgare vult & iustificare ab illius peccati macula per illam suam gratiam, sícque facere de inimicis amicos: quos proinde tum primùm diliget amore veræ simplicitérque dictæ amicitiæ, cùm prius saltè

D

VIII.

natura eos viderit habentes reipsa inhærentem sibi sanctitatem & iustitiam, vt constat etiam ex dictis sect. 5. nonæ disput. siue amor ille sit efficax, siue solùm inefficax, vt esse posse probauimus.

I. Et quoniam hoc amicitiæ amore siue efficaci siue inefficaci diligit eos omnes quos vt amicos suos diligit, sunt autem eius amici præcisè eo ipso quo sunt eiusdem verè simplicitérque super omnia dilectores, quia hæc eorum erga illum dilectio, eorundem erga eum amicitia est, sunt autem huiusmodi dilectores per ipsam præcisè charitatem absque vllo alio habitu: consequens est, vt omnes charitate præditos, etsi omni alio gratiæ dono carentes, vero illo amicitiæ amore diligat: cum qua inter hùc & illos amicitia cùm nullum peccatum mortale stare possit, vt initio dictum & probatum est, oportet illud excludi aut per hanc amicitiam, aut per aliquid ipsius: quod non est necessariò vllus habitus, aut actus à charitate distinctus, cùm per hanc solam satis constituantur Dei super omnia dilectores & amici, nec proinde aliud esse potest quàm ipsa charitas, vt ex dictis hac sect. clarum est.

II.

SECTIO XXI.

Soluuntur aduersariorum argumenta ex Scripturarum & Patrum authoritate petita.

PLVRIMA ex his & illis congerunt testimonia, omnia prorsus inefficacia, quæ quoniam referre singula & refellere prope infinitum esset, & omnino superfluum, eo quod multorum idem sensus est, eadémque solutio, comprehendam breuiter omnia, iis varias in classes distinctis.

III. In prima reponuntur ea quibus diserte negatur nos operibus nostris iustificari, quod falsum esset, si aliquo opere nostro, nempe perfectæ contritionis & dilectionis Dei sanctificaremur formaliter, & à peccatis emundaremur, aut emundari possemus. Verùm cùm illis locis quibus hoc negatur, operum nomine intelligantur ea tantummodo quæ ex sola legis notitia solis naturæ viribus exercentur, iustificationis autem vocabulo comprehendatur nò sola forma formaliter sanctificans & emundàs à peccato, sed tota series gratiarum à prima ad vltimam inclusiuè, quibus inchoatur, promouetur, & tandem absoluitur animæ sanctificatio, & à peccatis emundatio, clarum est nihil ex iis posse colligi contra nostram, de contritionis actu per auxilium gratiæ à nobis elicito, nósque formaliter sanctificante, sententiam.

IV. In secunda, ea quibus significatur remissionem peccatorum esse distinctum beneficium à contritionis actu, & vtrumque conferri nobis a Deo ex ipsius Dei misericordia: quod falsum foret, si hic actus illam remissionem pro formali effectu haberet. Sed negandum est illud propterea falsum fore: cùm enim liberatio à malo per liberam alterius voluntatem secundùm se præcise considerata sicut aliquod bonum nostrum est, ita sit collatum aliquod nobis à liberante beneficium, vere distinctum beneficium est, dum sequitur etiam necessariò ex altero bono nobis collato, quod per se solitariè consideratum, sicut alterum bonum nostrum est, ita est alterum conferentis beneficium: quemadmodum si nobis frigus per se incommodum est, & calor per se nobis commodus, Deus nos à frigore per collatum calorem liberans duplici nos beneficio afficit, etsi frigoris expulsio collati caloris formalis effectus sit. Quare cùm eo ipso magno nos beneficio afficiat, quo perfectam sui dilectionem nobis donat, etiamsi nulla intelligatur ex ea sequi peccati remissio, quia vel nullum præcessit, vel iam ante remissum fuit, profectò distincto nos beneficio afficiet, eo ipso quo per illam peccatũ à nobis expellet, etiamsi hæc expulsio illius formalis effectus sit: & vtrumque nobis ex misericordia beneficium conferet, quoniam si vellet neutrum conferret, & primum illud misericorditer conferens, consequenter & necessariò illud secundum conferet. Quòd si aduersarij velint, iisdem testimoniis significari vnum ex his beneficiis esse cum altero coniunctum non ex natura rei & necessariò, sed ex sola libera Dei voluntate, & promissione, hoc est quod negamus, & probare nunquam poterunt.

A V.

B VI.

In tertia, ea quibus nostra iustificatio perfectæ contritioni tanquam dispositioni eam meritorie seu moraliter efficienti tribuitur: sed negandum est vllum de perfecta contritione proferri huiusmodi locum posse.

In quarta, ea quibus peccatorum remissio perfectæ contritioni tanquam causæ adscribitur. Respondendum est adscribi quidem, sed tanquam causæ formali.

In quinta, ea quibus è contrario significatur nulla nostra pœnitentia peccata nostra posse deleri. Respondendum est, vel sermonem esse de sola pœnitentia ex solis naturæ viribus elicita, vel de deletione peccatorum per condignam pro iis satisfactionem. Hoc posteriore sensu D. Hieronymus explicans illud Michææ 6. *Quid dignum offeram Domino?* sic ait: *Nihil enim dignum est quod pro peccato possit Deo offerri, & nulla humilitas potest maculas eluere delictorum.* Quænam autem causa sit, ob quam, etsi perfecta contritio formaliter sanctificet, emundétque nos à peccatorum mortalium maculis, non sit tamen, nec esse possit condigna pro iis satisfactio, in Tractatu de Incarnat. disputat. 3. sect. 7. fusè dictum est. Illo autem priore sensu sic loquitur D. Chrysost. homil. 80. ad populum Antiochenum: *Ne tuæ confidas pœnitentiæ, tua namque pœnitentia tanta nequit peccata delere: si sola foret pœnitentia, iure timeres: sed postquam in pœnitentia commiscetur Dei misericordia, confide.* Cassianus quoque collatione 20. cap. 8. post assignata multa ad consequendam peccatorum remissionem remedia, sic scribit: *Etiamsi hæc omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini clementiáque deleuerit, qui exiguos parnósque conatus immensa liberalitate prosequitur.* Hi enim Patres existimarunt, vt in Tractatu de Deo, de prædestinatione disputantes docuimus, nos per opera aliqua bona solis naturæ nostræ viribus elicita, quibus ali-

C VII.

D VIII.

quam de peccatis pœnitentiam annumerabant, incipere, per eaque impetrare à Deo gratiæ auxilium, quo noſtri conatus promouerentur: quæ doctrina poſtea ab Eccleſia condemnata eſt, vt ibidem vidimus.

In ſexta, ea quibus pœnitentibus promittitur à Deo peccatorum remiſſio conferenda ex poſitiua libera & ſpeciali Dei ipſius voluntate ac miſericordia, propter pœnitentiam, tanquam ob rem qua flectitur & permouetur ad eam conferre volendam, & reipſa conferendã. Reſpondeo in primis permultis locorum illorum quæ allegantur nullam contineri promiſſionem, ſed declarari ſolummodo quidpiam pœnitentiam noſtram reipſa concomitans, aut ſubſequens, ſiue in nobis, ſiue in Deo, ſiue neceſſariò, ſiue liberè, ſiue per modum effectus formalis, ſiue aliter. Huiuſmodi ſunt hæc Pſalmi 50. verba: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Hæc quoque Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, omnium iniquitatum eius non recordabor.* & 33. *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Perfectam enim de peccatis pœnitentiam concomitatur ſemper aut ſequitur neceſſariò ab iis iuſtificatio, iuſtificatum verò hominem Deus ampliùs deſpicere non poteſt & odio habere, cùm ante propter peccatum deſpiceret, & odio haberet, imò non poteſt non diligere, magníque facere, videlicet vt verè ſanctum & amicum ſuum: punire quoque pœna æterna ampliùs non poteſt, cùm antea poſſet: vnde vi perfectæ contritionis & pœnitentiæ ſanctificantis animam neceſſario fit vt impietas impio ab impietate conuerſo non ſit in ruinam, id eſt, in pœnam æternam.

I. A

II B

Reſpondeo ſecundò, omnia aut fere omnia loca nobis obiici ſolita, quibus huiuſmodi promiſſio continetur, de ſola imperfecta pœnitentia, quæ attritio dicitur, commodè intelligi poſſe, aut etiam reipſa debere. Deus enim illi, dum certas quaſdam conditiones adiunctas habet, ſicut & eleemoſynæ, & orationi, quæ non magis per ſe ſanctificant animam formaliter quàm illa, promiſit ſpiritum perfectæ compunctionis contritioníſque, ac proinde peccatorum remiſſionem. Huiuſmodi ſunt ea quæ habentur Iſaiæ 1. Ezech. 18. & 33. Ioëlis 2. ſimiliaque quibus Deus à peccatore pœnitente præter pœnitentiam requirit ad impetrandam promiſſam peccatorum veniam, ieiunia, miſericordiæ, aliarúmque virtutum opera, quæ minimè requireret, ſi de perfecta contritione ſermo eſſet, cùm hæc, etiamſi ſola ſit, & iſtorum operum comitatu careat, illam veniam ſemper adiunctam & ſtatim infallibiliter habeat.

III. C

IV. D

Nec refert, quòd aliquibus locorum illorum conuerſionis ad Deum ex toto corde mentio fiat. Vt enim rectè Vaſquez hic obſeruat & explicat diſputat. 203. cap. 7. auerſio à peccatis, conuerſióque ad Deum per ſolum affectum attritionis, & eſſe, & dici meritò poteſt ex toto corde: nec putandum eſt ex eo quòd dicatur ex toto corde, ſignificari ſemper auerſionem conuerſionémque per dilectionem Dei ſuper omnia: quod mirum minimè videbitur reuocanti in memoriam quod in Tractatu de pœnit. diſp. 22. ſect. 3. ex D. Thoma diximus, dilectionem etiam Dei ex toto corde non ſemper ſignificare actum Theologicæ charitatis erga Deum quo ipſe ſuper omnia diligitur, nec re ipſa ſignificari verbis his præcepti iſtius generalis quod Decalogo præmittitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. ſed ſignificari tantũ præcipíque obſeruationem omnũ præceptorum Decalogi tam primæ, quam ſecundæ Tabulæ, quæ obſeruari omnia etiam collectiuè poſſunt abſque vllo actu Theologicæ charitatis.

V.

Reſp. 3. vel locis illis quibus fit à Deo promiſſio pœnitentibus perfectè cõtritis non promitti remiſſionem peccatorum, ſed quiddam aliud, vt vitam æternam, remiſſionem pœnæ temporalis, alioquin in præſenti etiam vita infligendæ, aut ſimilia: quæ pœna malitiæ etiam nomine rectè intelligitur, vt obſernat & probat Ribera in citatum caput Ioelis: vnde perperam aliquando aduerſarij vbi hoc malitiæ nomen legunt, ibi per illud peccati maculam intelligunt: vel illa loca ſic exponenda eſſe, vt Scripturæ Patreſque eo quo loquuntur modo, loquantur, ad res diuinas hominibus ad modum humanarum, quo faciliùs eas intelligant etiam rudiores, firmiúſque credant, explicandas: quod frequenter in aliis rebus faciunt, nec propterea quidquam falſi dicunt.

VI.

Quoniam igitur in rebus humanis reconciliatio fit eo qui offendit ſignificante ſibi offenſam diſplicere, ſe de ea dolere, veniam eius humiliter petente, & offenſo eam poſtea liberaliter remittente, ad id permoto ex eius à quo offenſus fuerat pœnitentia, eodem modo reconciliationem hominis cum Deo fieri dicunt: non quòd eodem prorſus modo fiat, ex eorũ etiam aduerſariorum ſententia, qui gratiæ & charitatis habitum priùs natura infundi dicunt, quàm actus perfectæ contritionis eliciatur, hunc que ab illo effectiuè produci, ſicque per illum habitum priùs à Deo remitti peccatum quàm hic actus à peccatore exerceatur: imò ex omnium ſententia, cùm offenſæ remiſſio fiat à Deo ſemper eodem inſtanti temporis quo peccator hùc actum exercet, vt omnes fatentur, homo autem homini nunquam remittat offenſam, ob eam quam præ ſe tulit de ea pœnitentiam, eo præciſè inſtanti quo de ea dolet, aut dolere incipit, aut ſe dolere ſignificat, ſed ſolùm tempore conſequente. Neque etiam quòd perfecta contritio per ſe ſola non ſufficiat ad peccati maculam penitus abſtergendam, nec denique quòd Deus eam non abſtergat (niſi fortè iam priùs per aliquid aliud abſterſerit) per illam ipſam contritionem formaliter, ſed vt intelligamus, firmiterque credamus, nos exire de ſtatu peccati per pœnitentiam poſſe, nec tamen poſſe per naturæ noſtræ vires, ſed ex ſola Dei miſericordia: ad quod vtrumque declarandum aptiſſima ſunt verba, quibus pœnitentibus promitti miſericorditer à Deo ob pœnitentiam venia dicitur. Quemadmodum quoniam in rebus humanis reus ab inferiori iudice abſolutus de ſua abſolutione tum planè ſecurus eſt, cùm lata ab hoc inferiori ſententia à ſupremo Iudice rata habetur, Patres, nominatimque Hilarius can. 16. in Matth. Cyprian. ep. 54. & Bernardus

VII.

VIII.

serm. 1. de Apost. Petro & Paulo, vt nos plenè securos reddant de remissione peccatorum nostrorum per absolutionem sacerdotis in terra latam, hanc absolutionem, præiudicatam sententiam appellant, & ratam haberi postea à Deo in cœlo significant, quamuis non priùs nos absoluat sacerdos quàm Deus, imò eadem numero sit huius & illius absolutio. I. A

In septima, ea quibus peccator pœnitens per pœnitentiam mereri peccati remissionem dicitur, quæ proinde formalis illius effectus esse nõ potest, cùm nulla forma mereri possit effectum suum formalem, & hic effectus præmium esse nequeat formæ cuius effectus est. Respondeo primò multa ex iis locis de sola attritione commodè intelligi posse, aut etiam debere, quòd in iis nihil sit, ex quo colligi debeat de perfecta contritione accipiẽda esse, aut etiam aliquid sit quod de sola attritione accipi debere suadeat: huic autem inesse congruum meritum remissionis peccatorum, seu formæ per quam hæc remissio formaliter fit. Huiuscemodi sunt D. Ambrosij lib. 2. de pœnit. c. 3. de filio prodigo pœnitente agentis verba hæc, *meruit stolam, annulum, calceamentum.* Et infrà: *Tam citò veniam meretur, vt venienti occurrat pater, stolam præbeat, quæ est vestis nuptialis.* Filium enim prodigum peccati pœnituit, non ex amore filiali erga patrem quem offenderat, sed ex odio incommodorum quæ patiebatur, & amore commodorũ quibus in paterna domo fruebatur, vt cõstat ex Lucæ c. 16. Hæc quoq. D. Augustini in Psal. 50. loquentis de Niniuitis, *De incerto pœnitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt.* Pœnitentia enim quam de peccatis egerũt ex timore pœnarum quas Propheta Ionas comminabatur fuit, vt satis ex hoc ipso Propheta intelligitur, & clare à Trid. sess. 14. cap. 4. dicitur. II. B

Respondeo 2. iis in locis in quibus de perfecta pœnitentia seu contritione agitur, & meriti nomen proprie accipitur, non dici pœnitentiam mereri peccati remissionem, sed quoddam aliud diuinæ gratiæ donum, quod in eius meritum condignum aut congruum cadere reipsa potest. III. C

Respondeo 3. si locis aliquibus & de perfecta contritione sermo est, & hæc peccati veniam mereri dicitur, meriti nomen improprie sumi, quo modo frequenter vsurpatur, vt cùm Ecclesia de peccato primi parentis canit: *O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Et dum Cyprianus lib. 3. epistolarũ in calce ep. 8. ait, *infantium ploratus & fletus diuinam misericordiam promereri:* nam his gemitibus & illi culpæ nullum inesse posse proprie meritum etiam congruum rei quam meruisse dicuntur, aut vllius alterius boni, certissimum est. Quare sicut his locis actus hominis mereri dicitur id quod ex eo sequitur, & cuius aliqua ratio seu occasio est, etsi proprie nullo modo mereatur, ita perfecta contritio dicetur mereri remissionem peccatorum, propterea quòd hæc ex illa sequitur ex natura rei tanquam effectus formalis ex causa formali, licet eam proprie loquendo nullo modo mereatur. Quamquam fateor, dum liberis & honestis actibus meritum tribuitur, non esse meriti nomen hoc improprio sensu explicandum, nisi cùm aliunde iam satis IV. D constat eam rem quam mereri dicuntur, in eorum meritum propriè cadere non posse, quod in præsenti negotio accidit.

In postrema reponitur historia quæ Luc. 7. refertur de muliere peccatrice, de qua Christus dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed licet aduersarij magnam in ea vim faciant, hæc Christi verba interpretantes de dilectione peccatorum remissionem antecedente & causante, immeritò tamen faciũt, quia interpretanda sunt de dilectione remissionem hanc consequente, exhibitáque in gratiarum veluti actionem, pro accepto remissionis peccatorum beneficio, vt & D. Augustinus lib. 50. homiliarum homilia 23. interpretatus est, & Toletus in citatum Lucæ caput, & Gabr. Vasq. 1. 2. disp. 211. cap. 5. fusè & efficaciter probat: quam eorum interpretationem Petauius noster in hoc Parisiensi Collegio, Scripturæ sacræ accuratus & fidelis interpres, illam à Luca relatam historiam ex professo nuper explicans, reiecta priore illa & refutata amplexus est, & copiosè atque erudite confirmauit. V.

Nec refert, quòd D. Augustinus facta mentione duorum illorum debitorum quibus creditor totum debitum remisit, pro his Christi apud Lucam verbis, *Quis ergo eum plus diligit?* dixerit in præterito: *quis ergo eum plus dilexit?* Non enim propterea loquitur de dilectione antecedente debiti remissionem, qua debitores illa suum creditorem dilexerint, & qua iste creditor permotus fuerit ad totum debitum eis remittendum, sed de consequente: sensúsque est, quis istorum duorum debitorum post acceptũ remissionis totius debiti beneficium tam beneficum creditorem plus dilexit? Vnde & in Græco pro prædictis Christi verbis habetur in futuro: *Quis ergo eum plus diliget?* ἀγαπήσει. VI.

Nec opponas Christum illi peccatrici mulieri post exhibita ab ea multa dilectionis signa dixisse in præsenti, *remittuntur tibi peccata tua.* Hinc enim si rectè colligi posset dilectionem illam, quæ supponitur fuisse Theologicæ erga Deum charitatis, non fuisse per se sufficientem ad peccata delenda, sed deleta tum primùm fuisse, cùm Christus ea verba protulit, rectè quoque colligeretur, quod tamen Theologis omnibus repugnat, hominem non eodem semper momento temporis iustificari à peccatis quo Deum perfectè diligere, & de peccatis cõteri incipit, sed tantùm aliquanto pòst tempore, cùm Christus non nisi aliquanto pòst exhibita illa dilectionis signa prædicta verba protulerit. In his ergo præsens pro præterito positum est, Scripturę more, quæ frequenter vnum tempus pro altero vsurpat. Vnde & in Græco præteritum ἠγάπησεν legitur. VII.

Adde quòd etsi liberaliter concederemus aduersariis prędicta Christi verba hæc, *Remittũtur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ,* intelligẽda esse de dilectione peccatorũ remissionẽ antecedente, vt ipsi intelligũt, nõ minùs verè propriéque ea possemus exponere de antecedére instar causæ formalis effectũ suum formalẽ secundariũ præcedentis, quàm propositionem hancab aliquo de re valdè frigida quæ vehementer calescit prolatam, multùm de eius frigore remittitur, quia multùm calor ipsius intenditur. VIII.

SECTIO XXII.

Soluitur primum eorundem ex authoritate Tridentini Concilij depromptum argumentum.

I. OCTO depromunt illi contrá nos ex eius authoritate argumẽta, quorum primum ducũt ex his sess. 6. can. 3. verbis: *Si quis dixerit, sine præueniẽte Spiritus sancti inspiratione atq. eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Vbi contendunt per hanc iustificationis gratiam intelligi formaliter iustificantem & sanctificantem, per illud verò *diligere, aut pœnitere*, actum perfectæ contritionis Deíque dilectionis super omnia: à Concilio autem significari actum hunc esse dispositionem præuiam ad illam iustificantem gratiam, nec proinde per se iustificare formaliter.

II. Verum hæc frustra illi contendunt: omnia enim falsa sunt: quod vt euidens fiat, sciendum est, hunc tertium canonem fuisse conditum contra Semipelagianos, sicut duos priores contra Pelagianos, desumptumque ex canone 6. Concilij Arausicani 2. contra eosdem Semipelagianos condito, vt expresse notatur ad huius tertij canonis marginem: horum autem hic error erat, posse hominem per solas naturæ suæ vires credere, sperare, diligere, pœnitere, non quidem perfecta Dei dilectione, & pœnitentia, seu contritione, sed imperfecta aliqua, hísque fidei, spei, dilectionis, & pœnitentiæ actibus per solas naturæ vires elicitis disponere se ad accipiendam eorum intuitu iustificationis gratiam, comprehendentem non modò formam formaliter iustificantem & sanctificantem, sed etiam primum gratiæ excitantis

III. auxilium, cæteráque quibus paulatim promouetur, & tandem perficitur hæc sanctificatio: quo fit, vt cùm Tridentinum canone isto 3. licut Arausicanum illo canone 6. condemnare velit hunc eorum errorem, debeat per dilectionem, pœnitentiam, & iustificationis gratiam idem quod illi intelligere, & reipsa intelligat. Vnde patet esse falsum, à Tridẽtino significari actum perfectæ contritionis & dilectionis Dei esse dispositionem ad gratiam iustificationis, id est, formaliter iustificantem: quandoquidem nec diligendi pœnitendíque vocabulis perfectam Dei dilectionem, contritionemque, nec isto gratiæ iustificationis nomine formam formaliter sanctificantem intelligit.

Quare canonis istius tertij sensus hic est: Si

IV. quis dixerit id quod Semipelagiani dicunt, nẽpe, hominem posse per solas naturæ suæ vires credere, sperare, diligere, pœnitere prout oportet ad gratiam iustificationis accipiendam à primo gratiæ auxilio & dono ad vltimum vsque inclusiuè, anathema sit. Quem loquendi modum ineptum dicere nemo aptè & verè potest. Quæ Semipelagianorum propositio cum euidenter affirmatiua sit, falsitatísque à Concilio damnata, tantùm sequitur, negatiuam ei oppositam contradictoriè veram esse, nempe non posse hominem per solas naturæ suæ vires ea quæ illi cum posse affirmabant.

Vbi aduerte, quòd etsi diligendi, pœnitendíque vocabulis isto in canone perfecta Dei dilectio, & contritio, gratiæ autem iustificationis nomine sola forma formaliter iustificans & sanctificans intelligeretur, falsum adhuc esset significari à Concilio illam dilectionem con- V.
tritionémque esse dispositionem ad hanc formam: condemnaretur enim tantum error hæreticorum asserentium hominem per solas naturæ suæ vires posse illos perfectæ contritionis & dilectionis actus exercere prout oportet ad hanc formam à Deo consequendam: atque vt hæc eorum propositio affirmatiua esset, falsitatísque à Concilio damnata, ita consequens tantum foret, negatiuam ei contradictoriè oppositam veram esse, nempe, non posse hominem id quod illi cum posse affirmarent.

Neque verò ex eo quòd Concilium neget hominem posse sine Spiritus sancti præueniente gratia eiúsque adiutorio, seu, quod idem est, per solas naturæ suæ vires credere, sperare, diligere & c. consequens est, vt affirmet cum pos- VI.
se cum Spiritus sancti præueniente gratia & adiutorio credere, sperare, diligere, pœnitere prout oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, quotunque modo sumantur ista diligendi, pœnitendi, & gratiæ iustificationis vocabula: sicut si hæreticum asserentem, hominem extra statum gratiæ sanctificantis, & cum conscientia peccati mortalis recte dispositum esse posse ad Eucharistiam sumendam, hoc canone condemnasset: Si quis dixerit, hominem sine gratia sanctificante ritè esse dispositum ad sumendam Eucharistiam, anathema sit: consequens non esset, vt propterea affirmaret, cum cum gratia sanctificante ad eam sumendam ritè esse dispositum: non esset enim, si mortaliter peccauisset, nisi post receptam per

VII. actum perfectæ contritionis sanctificantem gratiam, confessionem sacramentalem præmitteret. Ratio autem euidens, ob quam fit, vt illud prius negando non sit propterea consequens vt istud posterius affirmet, est, quòd aliquid possit ad aliud esse necessarium, nec tamen sufficiens.

At contendunt nihilominus aduersarij consequens fore, vt Concilium illud quod dixi, negans istud alterum quod subiunxi, affirmet: & ex eo probant, quòd quotiescunque quis affirmat impossibilitatem alicuius effectus ob absentiam seu defectum alicuius causæ, si verè affirmat, toties consequenter verè affirmat cum

VIII. tali causa posse effectum illum fieri. Concilium ergo ex nostra sententia prædicto canone 3. contra Semipelagianos affirmans, sine præueniente Spiritus sancti gratia impossibile esse hominem credere, sperare, diligere prout oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: & verè affirmans, consequenter verè affirmabit, cum cum illa præueniente gratia posse credere, sperare diligere prout oportet, vt eadem iustificationis gratia ei conferatur: quod tamen non nisi falsò affirmare potest, si per hanc iustificationis gratiam intelligit eam quæ primum etiam gratiæ excitantis auxilium comprehendit, vt intelligere asserimus: quam ab illo non intelligi vt confirment,

addunt, incredibile esse Concilium canone illo 3. sumere alio sensu iustificationis gratiam quàm proximè sequente canone sumpserit, non sic autem isto quarto sumpsisse, esse euidens.

Verùm hîc ego non possum non mirari vehementer aduersarios, vnde cogitent, aut inferant Concilium, vel ex nostra sententia, vel ex rei veritate, illud præfato canone 3. contra Semipelagianos affirmare, quod neque illi, neque nobis vnquam in mentem venit. Affirmant Semipelagiani se per solas naturæ suæ vires tanquam per causam posse credere, sperare, diligere, sic vt his actibus ex illa sola causa profectis iustificationis gratiam, id est, ipsum quoque primum gratiæ præuenientis auxilium mereantur. Concilium dicit anathema id affirmantibus, negátque proinde per illam causam effectum hunc posse fieri: estne consequens, vt affirmet ob defectum præuenientis gratiæ tanquam causæ, impossibile esse hominem credere, sperare, diligere, & his actibus mereri ipsam primam præuenientem gratiam, sicque cum prima gratia posse exercere opera aliqua bona, quibus primam illam gratiam mereatur? Sanè qui simpliciter negat aliquem effectum per aliquam causam posse fieri, quod alter affirmat, non propterea affirmat illum effectum ob alicuius alterius causæ defectum, impossibilem esse, aut hac causa præsente esse possibilem, cùm possit effectus ille esse simpliciter impossibilis, vt in præsenti negotio accidit: nam affirmat Semipelagianus, se per solas naturæ suæ vires, ac proinde sine vlla præuenientè Spiritus sancti gratia, posse exercere aliquod opus, quo ipsam primam præuenientem eius gratiam merebitur: negat Concilium hominem id posse, nec tamen propterea affirmat aut propter absentiam primæ gratiæ non posse hominem aliquo opere suo mereri primam gratiam, aut cum hac prima gratia posse aliquo opere suo mereri hanc ipsam primam gratiam, cùm id prorsus impossibile sit.

Ad id autem quod addunt, dico tantum abesse vt illud credibile non sit, vt contrarium sit incredibile: nam erat sapientiæ Concilij hæreticas de iustificationis gratia doctrinas & earũ authores condemnantis eam sumere eodem omnino sensu quo illi sumebant. Cùm ergo sumerent aliter Semipelagiani contra quos canonem illum tertium condidit, aliter ij contra quos condidit quartum, aliter hoc quarto, aliter illo tertio sumere debuit.

SECTIO XXIII.

Soluitur secundum ex eiusdem Concilij authoritate petitum argumentum.

SECVNDVM argumentum petunt aduersarij ex sess. 6. cap. 14. in quo Concilium ait pœnitentiam hominis lapsi post baptismum *continere peccatorum detestationem, confessionem in voto saltem, sacerdotalem absolutionem, & satisfactionem, per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia vitæ spiritalis exercitia: non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto vnà cum culpa remittitur: sed pro pœna temporali, quæ, vt sacræ Litteræ docent, non tota semper, vt in baptismo fit, dimittitur.* Hinc aduersarij contra nos sic argumentantur. Si perfecta contritio formaliter iustificaret, pœnitentia hominis post baptismum lapsi contineret satisfactionem etiam pro pœna æterna, & culpa, contra Concilium: nam ipsum sacramenti votum, nempe illa contritio, esset pro hac & pro illa satisfactio, eo ipso quo formaliter iustificaret, aut iustificandi formaliter vim haberet, delendique proinde culpæ & æternæ pœnæ reatum, cùm præsertim satisfieri possit pro culpa & pœna iam liberaliter remissa, dummodo exerceatur actus qui talis sit, vt, si culpæ maculam pœnæque dignitatem in subiecto reperiret, eam formaliter destrueret: sicut inter homines is qui alium offendit, ab eóque totius offensæ remissionem iam gratis accepit, ei nihilominus satisfacit, dum talem actum exercet, qui vi sua totam offensam deleret, si nondum remissam inueniret.

Respondeo contra Concilium non esse, dicere, perfecta contritione, ac proinde sacramenti voto satisfieri pro culpa & æterna pœna, consequentérque hominis lapsi pœnitentiam continere saltem aliquando, nempe dum perfectè conteritur, hanc pro culpa & æterna pœna satisfactionem. Imò quod reipsa contineat affirmare potiùs quàm negare, eo ipso quo ait, sacramenti voto, quod quidem est ipse perfectæ contritionis actus, remitti culpam simul & æternam pœnam. Nec referre, quòd satisfactionem, quam postremam pœnitentiæ hominis post baptismum lapsi partem numerat, dicat esse non pro culpa & æterna pœna, sed pro sola temporali: manifestum enim est ipsum loqui de sola satisfactione exhibenda ad redimendam reipsa, siue ex opere operato, siue ex operantis, pœnam, quæ remissa nondum est, & luenda remanet, & de facto luetur, nisi satisfactoriis operibus in præsenti vita redimatur, cuiusmodi non est pœna æterna, cùm iam vel sacramento, vel sacramenti voto simul cum culpa remissa sit.

Quare Concilium de pœnitentia agenda de peccatis mortalibus post baptismum admissis perinde loquitur, atque si agens de ea quæ agenda est de venialibus diceret, eam, dum in sacramento remittuntur, continere eorum detestationem, confessionem, sacerdotalem absolutionem, & satisfactionem, non quidem pro culpa quæ iam absolutione remissa est, sed pro pœna temporali ei debita: hoc enim dicens, non propterea negaret ab homine per sacramentum à culpa venialis peccati iustificato satisfieri posse postea pro hac ipsa culpa per actum perfectæ de ea contritionis, per quam etiam reipsa satisfieret, & quidem condignè, ex aduersariorum expressa doctrina: sed vt summum, de hac satisfactione nihil affirmaret, aut negaret, quia tantùm ageret de ea satisfactione per quam aliquid tollendum est in actu secundo, quod nondum sublatum est, cuiusmodi est pœna peccato veniali quoad culpam iam remisso debita.

Ex quo soluitur quod huic nostrę responsioni opponũt aduersarij, dũ aiunt, Concilii per oppositionẽ voti sacramenti cum satisfactione, innuere, per contritionem, in qua votũ illud includitur, nõ satisfieri pro reatu culpæ, & æternæ pœnæ, illãq. proinde vim iustificãdi formaliter

non habere, quia si haberet, satisfieret: vt summum enim inde cõcludi potest, satisfactionem, cui sacramenti votũ a Concilio opponi dicitur, vim delendi reatum culpæ & æternæ pœnæ nõ habere, per eamque proinde pro reatu isto satisfieri non posse, siue contritio vim illam habeat, I. siue non, sítque proinde pro eo satisfactio, siue A non sit, de quo Concilium nihil affirmat, nihil negat. Imò si votum sacramenti seu contritionem prædictæ satisfactioni opponit, cùm huic neget vim remittendi culpæ reatum & æternæ pœnæ, pro eoque per consequens satisfaciendi, contritioni concedat necesse est: nam si sicut illa, ita & hæc vim illam non habet, in eo non opponuntur inuicem, sed optimè inter sese conueniunt: nec dici possunt in eo opponi, quòd illa satisfactio vim delendi reatum pœnæ temporalis vel totius vel ex parte saltem habeat, non autem hæc contritio: nam & huic istam vim inesse certissimum est.

SECTIO XXIV.

II. *Soluitur tertium ex eiusdem Concilij authoritate argumentum.* B

TERTIVM argumentum depromitur ex eiusdem sess. 6. cap. 8. in quo sic Cõcilium loquitur: *Gratis autem iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Per quam gratiam aduersarij intelligentes formaliter sanctificatem, & quidem habitualem, concludunt actum perfectæ contritionis & dilectionis Dei non sanctificare formaliter, quia si sic sanctificaret, mereretur etiam de condigno illam sanctificantem gratiam.

Verùm vt omittam dicere, quòd etsi per gratiam iustificationis Concilium intelligeret eam quam dicunt aduersarij, non propterea sequeretur, vt actus perfectæ contritionis aut dilectionis eam de condigno vel etiam de congruo mereretur: quia vt eâ hoc vel illo meriti genere mereretur, deberet ipsam in genere causæ efficientis præcedere: sequitur autẽ iuxta D. Thomæ communemque Thomistarum doctrinam. Vt id, inquam, omittam, Respondeo primò per gratiam iustificationis à Concilio non intelligi præcisè formaliter sanctificantem, sed complexionem omnium donorum gratiæ à prima vocatione inclusiuè: alioqui falsò diceret fidem & opera iustificationis gratiam formaliter sanctificantem præcedentia non mereri gratiam hãc: merentur enim de congruo, tum ex D. Augustino certissimè multis locis, tum ex communi Theologorum etiam aduersariorum doctrina.

III. Nec dicant satis esse quòd de condigno non C IV. mereantur: id enim satis non est, tum ad rei veritatem, tum ad Concilij mentem. Nam vult apertè Cõcilium nos iustificari gratis, seu nobis à Deo conferri gratis illam gratiam formaliter iustificantem ac sanctificantem, gratis autẽ non conferetur, si conferatur ex meritis congruis, tum quia quod confertur in compensationem meriti cuiusuis non cõfertur gratis, sed vt merces operis. Tum quia D. Augustinus passim admittit gratiam remissionis peccatorum, quæ eadem est cum formaliter sanctificante, non dari gratis, quia fides eam impetrat, seu quia datur ex præuio fidei merito, licet tantum congruo: Tum quia Patres disputantes contra Semipelagianos admittentes ex nobis opera quædam bona de congruo solùm meritoria primæ gratiæ concluserunt semper hanc gratiam non fore gratiam, quia non daretur gratis, sed in compensationem meriti præcedentis: Tum denique, quia Concilium probans nobis a Deo conferri gratis gratiam formaliter iustificãtem & sanctificantem, ea probatione qua vtitur clarè significat, se excludere omne meritum etiam congruum: probat enim ex his Apostoli verbis, *Si enim gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* Constat autem apud Patres omnes & Theologos Apostolum verbis iis excludere à gratia, si vere gratia est, omne prorsus meritum etiam congruum cuius intuitu detur. Vnde & Patres, Theologíque solent contra Semipelagianos aliquod ex nobis initium aut meritum gratiæ admittentes ex hoc Apostoli loco concludere, quòd gratiam destruant, dum eam non purè gratis, sed intuitu meriti alicuius præcedentis dari affirmant. V. VI.

Ex quibus patet falsa esse duo quæ ex aduersariis nonnulli aiunt. Primum est, meritum simpliciter dictum sumi pro condigno, cùm & S. Augustinus asserens gratiam remissionis peccatorum non dari sine meritis, quia fides eam impetrat, & Patres contra Semipelagianos disputantes, ex corúmque doctrina concludentes gratiam non dari gratis, sed in compensationẽ meriti præcedentis, quorum multa testimonia Tract. de Deo disp. 38. sect. 4. fideliter ad verbũ retulimus, meritum simpliciter & sine addito vsurparint, neque tamen vnquam condignum, semper congruum intellexerint, vt Theologi omnes, ipsíque etiam aduersarij consentiunt.

Secundum est, quod datur in compensationẽ meriti congrui dari gratis, si initium illius con- VII.
C grui meriti nullis omnino præcedentibus meritis datum est: quasi verò non possit & debeat eodem iure dici, quod datur in compensationẽ condigni meriti dari gratis, si initium illius cõdigni meriti nullis omnino præcedẽtib. meritis datum est? Sicut ergo quod datur in huius condigni meriti compensationem, non potest vere dici dari gratis, si præcisè habeatur ratio operis quod eius meritum est, cuiq. tanquam merces retribuitur, tunc autem solum dici verè potest, quando coniunctim accipitur cũ prima gratia, quæ fuit initium condigni illius meriti, quęque purè gratis collata est: ita neq. id quod in illius congrui meriti compẽsationem datur, dici verè potest dari gratis, si præcisè habeatur ratio operis quod eius meritum est, cuiq. tanquam merces redditur, sed tum solum verè dicitur, cùm
D accipitur coniunctim cum prima gratia, quæ VIII. fuit radix illius meriti cõgrui, & quæ merè gratis data est. Et ratio à priori est, quòd, vt rectè dixit S. Aug. de prædest. Sanct. cap. 6. & serm. 11. de verbis Apostoli, gratis aliquid conferre sit date pro nihilo, quod autem pro aliquo datur, non detur pro nihilo, detur autem pro aliquo, quod pro bono opere datur.

At opponunt nobis iidem aduersarij; si per gratiã iustificationis intelligatur id quod diximus, Primò, ineptũ esse sensũ verborũ Cõcilij,

eo quòd illâ gratiâ fides & opera includerentur. 2. Magnam esse æquiuocationem paucis in verbis, quia per iustificationem sola forma forma liter sanctificans intelligitur. 3. Concilium actum agere, quia cap. 5. præcedenti iam docuit iustificationis gratiam non cadere in meritum. 4. Damnasse sententiam Scholasticorum asserentium Deum conferre primam gratiam intuitu futuri boni vsus gratiæ, seu operũ ex hac prima gratia procedentium, cùm tamen hæc sententia purè Scholastica sit nulli errori, aut censuræ subiecta, ex cõcessione etiam ipsius Gabrielis Vasq. 1. parte disp. 91. cap. 6. 5. Falsam fore rationem à Concilio redditam, ob quam gratis iustificari dicimur: nam & fides & opera iustificationem consequentia dici etiam possent non mereri augmentum gratiæ, quia non merentur primum gratiæ auxilium.

I.

Sed ad primum dico, vt sensus ineptus non sit, imò vt sit aptissimus, sufficere quòd gratia iustificationis præter fidem & opera includat priorem aliquam gratiam ex qua hæc sequantur, & quam proinde non mereantur. Quare dũ Concilium ait nos iustificari, id est, formaliter sanctificari gratis, quia licet hæc forma sanctificans ex meritis detur, tamen iustificationis gratia hanc formam includes gratis datur, tam apte loquitur, quàm si diceret, nos glorificari gratis, quod dixit Apostol. ad Rom. 6. inquiens: *Gratia Dei vita æterna.* Si enim gratia, ergo gratis data: ideo autem gratis data, quia licet æterna gloria detur ex meritis etiam condignis, tamen glorificationis gratia hanc gloriam includens, & præterea complexionem omnium gratiarum, quibus ad eam tandem peruenitur, gratis datur.

II.

Ad secundum, dico nullam æquiuocationem paucis in verbis esse, quia vt esset, oporteret idem vocabulum modò vnam, modò alteram habere significationem, at non habet: iustificatio enim pro sola forma formaliter sanctificante sumitur, iustificationis autem gratia pro prædicta gratiarum omnium complexione. Adde quòd cùm vnũ idemq. numero vocabulum in eadem etiam propositione diuersam habere significationem debet ad veritatem propositionis, sæpe laudabiliter etiam & eleganter in ambiguitate vocabuli luditur, vt cùm Christus dixit cuidam apud Matthæum & Lucam, *sine mortuos sepelire mortuos suos:* quem loquendi morem Christo fuisse familiarem notat alicubi Maldonatus.

III.

Ad tertium respondeo, Concilium actum non agere: nam capite illo quinto docuit iustificationis gratiam conferri gratis: hoc autem octauo docet iustificationem, id est, formam formaliter sanctificantem conferri gratis, quia iustificationis gratia gratis confertur, vt illo capite 5. docuit.

IV.

Ad quartum, dico recte ex doctrina Concilij falsitatis argui illam Scholasticorum sententiam, quod non negat Vasquez, non tamen damnari tanquam hæreticam, aut hæresi Semipelagianorum vel Pelagianorum affinem, quod solum hic author ait, & recte, cùm hi bonum opus primæ gratiæ meritorium ex solis naturæ viribus esse dicerent, illi autem Scholastici esse ex gratia faterentur.

A

Ad quintum respondeo, verissimam esse rationem illam à Concilio redditam, neq. ex hac ratione fore consequens, vt opera bona iustificationem à peccatis consequentia dici possint non mereri gratiæ augmentum. Disparitatis ratio manifesta est, quòd dum in Scripturis iustificari gratis dicimur, iustificatio quæ gratuita dicitur, non sumitur pro sola forma formaliter sanctificante, & delente mortalium peccatorum maculas seorsim à prima gratia, ex qua forma illa ortum tandem habuit, sed cum hac gratia quæ purè gratis datur coniunctim accipitur. Et quoniam hanc primam gratiam iustificationis gratia à Concilio memorata comprehendit, propterea verissimam causam attulit, ob quam gratis iustificamur, dum hanc attulit, quia neque fides, neque opera bona formam illam formaliter iustificantem præcedentia ipsam iustificationis gratiam promerentur, cùm hæc è contrario sit prima radix & fidei & bonorum operum, & cuiusuis meriti, siue condigni, siue congrui. At per gratiæ augmentum, quod opera bona iustificationem à peccatis consequentia mereri dicuntur, nunquam aliud intelligitur quàm ipsum præcisè gratiæ formaliter sanctificantis incrementum, quod non nisi falsò negari potest cadere in bonorum illorum operum meritum etiam condignum. Quòd si illius augmenti nomine comprehenderetur etiam prima gratia, quæ prima illius ipsius augmenti radix fuit, tunc eodem sensu vere diceretur istud augmentum conferri nobis gratis, quo à Scriptura gratis iustificari dicimur.

V.

B

Respondeo secundo, quòd etsi per gratiam iustificationis Concilium intelligeret formaliter sanctificantem, non tamen intelligeret habitualem potiùs quàm actualem, sed tam hanc, quàm illam. Ratio euidens est, quòd cùm mens eius sit illo capite 8. vt ex titulo capitis constat, causam reddere, ob quam vere in Scriptura dicimur & iustificari per fidem, & gratis iustificari: profectò sicut Scriptura hoc dicens vniuersim de quacunque iustificatione hoc asserit, ac proinde tam de ea quæ extra sacramentum, quàm quæ in eo fit, ita Concilium huius rei rationem explicans tam de vna quàm de altera loquitur: at licet iustificatio in sacramento fiat solo habitu, extra tamen etiam actu fit, quia charitatis actus tam formaliter sanctificat, quàm eiusdem, aut gratiæ sanctificantis habitus.

VI.

C

Nec dicant aduersarij Concilium capite isto octauo de eadem sola gratia formaliter sanctificante agere, de qua egit cap. 7. præcedente, egisse autem de sola habituali. Ne, inquam, id dicant: vel enim egit de sola iustificatione in sacramento, vel de ea quoque quæ extra sacramentum fit. Si primum, falsum est agere de eadem sola gratia, cùm cap. 8. agatur etiam de ea quæ fit extra sacramentum, vt ostendi: sin autem secundum, verum quidem est agere de eadem gratia, sed capite septimo tam de actuali quàm habituali egerit, cùm etsi quæ in sacramento iustificatio fit solo habitu fiat, ea tamen quæ extra sacramentum, actu etiam fiat, vt dixi.

VII.

D

VIII.

Hinc respondeo tertiò, quòd sicut aduersarij per gratiam iustificationis solam habitualem formaliter sanctificantem intelligentes dicunt nos ideo iustificari gratis, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam, id est, illam habitualem formaliter sanctificantem de condigno promeretur: ita nos pari iure, per gratiam iustificationis solam formaliter sanctificantem etiam actualem intelligentes, dicemus, ideo nos iustificari gratis, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, de condigno meretur ipsam iustificationis gratiam, id est, actum perfectæ contritionis & dilectionis Dei, quo formaliter sanctificamur.

I. A

SECTIO XXV.

Soluuntur alia duo ex eiusdem Concily authoritate argumenta.

II. B

QVARTVM argumentum sumitur ex eiusdem sess. 6. cap. 6. in quo Concilium amorem Dei tanquam dispositionem præuiam ad formam formaliter iustificantem numerat. Vnde sequitur vt ex eius mente non sit ipsa forma formaliter iustificans. Vera responsio est, per amorem eo loco non intelligi amorem charitatis seu benevolentiæ erga Deum, sed solùm concupiscentiæ, quem fatemur non iustificare formaliter.

III. C

Cuius rei permulta indicia sunt: primum est, verbum *incipiunt* quo Concilium vtitur, dum sic ait de Deo loquens, *Illúmque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt*: hoc enim incipiendi vocabulo imperfectum tantùm & inchoatum amorem Dei significare voluit, cuiusmodi non est is quo ipse propter se super omnia diligitur, hic enim perfectissimus est. Respondent aduersarij significare tantùm voluisse initium temporis quo Dei amor primùm incipit: at cùm huic amori præmiserit actum spei de diuina misericordia, huic actui timorem diuinæ iustitiæ, huic timori actum fidei, quo peccatores excitati diuina gratia libere mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata sunt, cur, quæso, Concilium verbum incipiendi actui dilectionis adiunxit potiùs, quàm aut spei, aut timoris, aut fidei, quos actus proximè antè recensuerat, cùm hi quoque initium temporis habeant quo primùm incipiunt?

IV. D

Respondent, eo quòd cum dilectionis actu incipiente simul iustificatio incipit, non item cum illis aliis actibus, qui longo etiam tempore eam præcedere possunt. At ex hac responsione incipiendi vocabulum ad initium iustificationis referetur, quod tamen credibile non est: tum quia nulla in verbis omnibus præcedentibus formæ formaliter sanctificantis mentio facta est, sed tantùm dispositionis ad hanc formam: tum quia forma hæc tempore postea sequente incipere dicitur capite 7. vt paulò pòst videbimus.

Secundum indicium est, quod ait Concilium dilectionem illam concipi à peccatoribus erga Deum *tanquam omnis iustitiæ fontem*: his enim verbis claré significat eos, cùm sperent Dei erga se misericordiam, incipere illum amare tanquam bonum suum, à quo remissionem peccatorum, ab eisque iustificationem sperant. Hic autem amor concupiscentiæ est: & quoniam hic amor Dei inchoatus tantùm seu imperfectus eiusdem amor est, perfectus enim est solus amor benevolentiæ quo propter se diligitur: ille autem spei actus in ratione etiam spei Theologicæ seu erga Deum, tanquam obiectum, perfectus est, sicut & actus timoris & fidei, quorum antea meminit, in ratione timoris & fidei diuinæ perfecti sunt: propterea Concilium non hos actus dixit incipere in peccatore se per eos ad iustificantem gratiam disponente, sed hunc solum concupiscentiæ amorem erga Deum dixit incipere, quia, vt dixi, in ratione amoris erga Deum, quid inchoatum duntaxat, & imperfectum est. V.

Tertium quod proximè subiungit, dum sic ait: *Ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet.* Hæc enim verba manifestè significant, ex illa Dei dilectione moueri peccatores ad istud peccatorum suorum odium ac detestationem, hæc autem detestatio, illúdve odium, cùm non sit actus perfectæ contritionis, nec illa dilectio, perfecta Dei dilectio est. Ea enim simul atque est, si peccatorum adsit recordatio, profundit ex se perfectam de eis contritionem. VI.

Quòd autem odium & detestatio cuius à Concilio mentio fit, non sit perfectæ contritionis, constat in primis ex particula diminuente *aliquod* qua vtitur. Cur enim odium perfectæ contritionis vocaret aliquod, & non simpliciter, & absque addito odium, cùm sit odium perfectissimum? Nam dicere particulam illam nihil eo loco significare, idémque valere odium aliquod atque odium, incredibile est: tum quia cùm antea mentionem fecerit fidei, & spei, non dixit fidem aliquam, spem aliquam: tum quia verbis proximè sequentibus explicat cur odium aliquod dixerit, & quodnam sit istud odium aliquod, dum subdit, *hoc est, per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet.* VII.

Quibus ex verbis constat secundò, odium de quo loquitur non esse perfectam contritionem, hanc enim præmittere baptismo non oportet, seu non est necessarium. Dices, nec etiam esse necessarium præmittere attritionem, quia si præmittatur perfecta contritio, sufficit. At licet in rigore & metaphysicè loquendo ita sit, rectè tamen Concilium de sola attritione loquens consueto inter homines loquendi more, dicit eam baptismo præmitti oportere: quia nihil vulgarius frequentiúsque dicimus, quam fieri id oportere, seu necessarium esse, quod si fiat, sufficit, & nisi saltem fiat, nihil eo minus sufficit. VIII.

Constat tertiò ex eo quòd odio & detestatione, cuius Concilium hoc capite sexto meminit, posteriorem esse tempore iustificationem dicit capite sequenti, vt mox videbimus, posterior autem non esset, si illud odium perfectæ contritionis actus esset, simul enim tempore illa cum eo inciperet.

Constat ex eo denique quod illud ipsum odium cap. 6. dispositionem esse ait ad iustificationem, cuius cap. 7. causam vnam baptismum esse dicit, vt hæc capita legenti perspicuum erit. Vnde sequitur euidenter, vt odij nomine perfectam contritionem non intelligat, sed solam attritionem : baptismus enim causa quidem est iustificationis quam attritio vt dispositio præcedit, at non illius quam perfecta contritio secum adfert. Nam hæc ante baptismum simul cum hac ipsa contritione perficitur. I.

Quartum indicium est, quod Concilium dilectione illa Dei, cuius cap. 6. mentionem fecit, iustificationem posteriorem tempore esse dicit cap. 7. quod falsum esset, si dilectionis nomine perfectæ charitatis actum intelligeret, cum hunc illa semper tempore comitetur. Quod autem dicat esse tempore posteriorem, constat ex his verbis quibus caput 7. inchoat: *hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur:* vbi dispositionis & præparationis nomine sicut complectitur omnes actus fidei, timoris, spei, dilectionis, odij, aliosque quos capite 6. cui titulum hunc præfixit, *modus præparationis*, enumerauerat: ita per verbum *consequitur* consequutionem temporis haud dubiè intelligit, quia consequentis huius iustificationis causam vnam inter cæteras dicit esse baptismum, cuius susceptio cum necessariò tempus aliquod requirat, semper est tempore præuiis illis dispositionibus posterior. II.

Quintum & postremum indicium petitur ex hoc ipso quod Concilium ait, baptismum esse causam instrumentalem iustificationis consequentis dispositiones superiori capite recensitas, ac proinde dilectionem Dei, cuius illo capite meminit: quod falsum esset, si dilectionis istius nomine perfectæ charitatis actum intelligeret: baptismus enim instrumentalis causa non est iustificationis quam hic actus secum adfert, siue eam formaliter, siue dispositiuè tantùm afferat. III.

Ex his patet inefficacitas quinti argumenti quod nobis ab aduersariis opponitur, ducitúrque ex hoc ipso cap. 6. de quo hactenus egimus, qua parte in eo dicitur à Concilio, odium peccatorum ex prædicta Dei dilectione ortum habens dispositionem esse ad iustificationem, nec proinde esse per se formam formaliter iustificantem, cuius odij nomine intelligunt illi actum perfectæ contritionis, sed male, vt paulò ante ostendimus.

SECTIO XXVI.

Soluitur sextum ex eiusdem authoritate argumentum. IV.

SEXTVM argumentum petitur ex eiusdem sess. 6. c. 7. in quo Concilium agens de causa formali iustificationis tam extra sacramentum quam in sacramento, non aliam agnoscit quam gratiam, per hanc autem solum habitum intelligit, quia in actum conuenire non possunt ea quæ de ipsa dicit. In primis enim ait iustificationem esse, non solam peccatorum remissionem, sed etiam sanctificationem & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: quæ verba purè passiuam receptionem denotant: alioqui tam improprie loqueretur, quàm qui diceret expelli ab intellectu errorem, à voluntate odium, per A voluntariam susceptionem veræ intellectionis & dilectionis. V.

Secundò dicit vnicam causam formalem iustificationis esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit: non esset autem vnica, si præter habitum gratiæ, quem certum est esse formam formaliter sanctificantem, actus quoque altera huiusmodi forma esset.

Tertiò ait, vnumquemque iustitiam in se recipere secundum propriam suam dispositionẽ & cooperationem: non recipiuntur autem in nobis actus secudum propriam nostram dispositionem & cooperationem, sed soli habitus. Denique dicit in iustificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa ab homine recipi, fidem, spem, charitatem: actus autem non infunduntur, sed habitus. B VI.

Antequam respondeam, præmitto esse quidem de fide, tam infantes quàm adultos in sacramentis iustificari formaliter habitu, seu qualitate permanente, vt disput. 2. sect. 1. probauimus: at ante Concilium Trídentinum nunquam ab Ecclesia definitum tanquam dogma fidei fuisse, iustificari adultos extra sacramentum aliquo habitu, seu aliqua huiuscemodi qualitate, aut vllum eis infundi habitum, etiam fidei, spei, & charitatis, sed vt summum id tanquam probabilius iudicatum ab Innocentio tertio in capite Maiores de Baptismo, & eius effectu, & à Clemente quinto in Concilio Viennensi, vt refertur in Clementina vnica de summa Trinitate & fide Catholica. Imo ne id quidem à Tridentino definitum tanquam fidei dogma fuisse, núncque proinde non magis esse de fide, quàm olim fuerit, C VII. vt expressè docent inter cæteros tres insignes Thomistę, Sotus lib. 2. de natura & gratia capp. 17. 18. & 19. in 4. quoque sententiarum dist. 1. quæst. 3. art. 1. Canus Relect. de sacram. 4. parte post 5. conclusionem, & lib. 7. de locis Theologicis cap. 2. & Barthol. Medina 1. 2. quæst. 51. artic. 4. è quibus Sotus qui Concilio interfuit, cap. 18. & 19. citatis, ait Concilium agens de iustificatione consultò abstinuisse nomine habitus, nolens quidquam de re inter Theologos controuersa statuere.

Et sanè si quo loco videtur istud Concilium statuisse iustificationem adultorum extra sacramentum fieri habitu, certè potissimùm sess. 6. can. 32. in quo sub anathemate definit, iustos bonis operibus verè mereri gratiæ augD mentum: quod non nisi de gratia habituali VIII. videtur posse intelligi, cùm si actus actum mereretur, admittendus esset processus infinitus in bonis actibus. Sed Vasquez 1. 2. disput. 220. cap. 7. ostendit, & necessarium non esse illius augmenti nomine gratiæ habitualis incrementum intelligere, & quamuis esset necessarium, mentem tamen Concilij non fuisse, id tanquam fidei dogma definire. Addo ego, quod etsi sic definiuisset, cùm tamen minimè definierit, aut dixerit, augmentum

istud habitualis gratiæ quod iusti bonis suis operibus merentur, dari vnquam in hac vita, ex illa eius definitione concludi non posset hominem extra sacramentum iustificari habitu.

Et quamuis istud vt dogma fidei statuisset, communis tamen & certa Theologorum doctrina est, nusquam statuisse id fieri solo habitu, & non etiam aliquando actu, imò potiùs consultò abstinuisse diligenter ab iis verbis, quibus id statuere videretur, cùm nollet controuersam ea de re inter solos Theologos quæstionem definire. Nulla enim vnquam fuit inter Catholicos & hæreticos controuersia, vtrum iustificatio fieret habitu, an actu, sed vtrum fieret per iustitiam iustificato intrinsecam, an per extrinsecam, his istud, illis illud asserentibus. Vnde mens Concilij naturam & causas iustificationis explicantis alia non fuit, ex citatis antè authoribus, quibus omnes, paucis recentioribus exceptis, Theologi consentiunt, quàm definire tanquam dogma fidei contra hæreticos, iustificationem fieri per iustitiam iustificato intrinsecam, eique inhærentem, siue hæc sit habitus, siue actus, siue tam hic quàm ille, de quo soli inter se Catholici disputant.

Hoc præmisso tria respondeo. Primum est, Concilium Tridentinum sess. 6. non agere de sola iustificatione in sacramẽto, sed de ea etiam quæ extra fit: quod probatur quidem efficaciter ex multis sessionis illius capitibus & canonibus, quibus vel in genere de iustificatione communi ei quæ & in sacramento & extra fit, certissimè agitur, vel de hac posteriori nominatim, vt legenti patebit: at non ex procemio eiusdem sessionis, in quo Concilium ait, intentionem suam esse tradere omnibus Christi fidelibus sanam veramque doctrinam ipsius iustificationis, *quam & Christus D. tradidit, & Apostoli docuerunt*. Quibus ex postremis verbis concludunt aduersarij, mentem Concilij esse tradere sanam doctrinam iustificationis tam extra sacramentum quàm in sacramento, cùm eam & Christus tradiderit, & Apostoli docuerint: sed malè concludunt, quia verbis illis extremis non vult significare Concilium, se traditurum eam omnem de iustificatione doctrinam, quam & Christus & Apostoli tradiderunt, sed eam omnem quam de illa tradet, fuisse ab his & ab illo traditam. Quare etsi tradere sanam de sola iustificatione in sacramento doctrinam voluisset, & re ipsa tradidisset, illis ipsis verbis vti potuisset, & re ipsa vsum esset.

Secundum est, cap. 7. quod nobis obiicitur egisse de sola iustificatione in sacramento, quãtumuis præcedentibus capitibus de dispositionibus egerit ad eam etiam quæ extra sacramentum fit, propterea quòd eadem dispositiones tam ad hanc quam ad illam deseruiunt. Ratio euidens est, quòd de illa sola iustificatione illo capite agit, cuius causas post eam definitam immediatè recenset, vt ex his eius verbis clarum est: *Huius iustificationis causæ sunt*, &c. pronomen enim demonstratiuum *huius* refertur haud dubiè ad eam quam proximè ante definiuit: at vnam ex illis causis, & quidem instrumentalem, dicit esse baptismum: quod falsum esset, si de iustificatione etiam extra sacramentũ ageret, cùm baptismus eius causa non sit, sed eius solius quæ reali baptismi susceptione obtinetur.

I. A V.

II. B VI.

III. C VII.

IV. D VIII.

Vnde & euidenter consequens est, non agi illo capite de quacũque iustificatione per quodlibet sacramentum, sed de ea sola quæ per solum baptismum habetur. Quare cùm iustificatio quæ ex opere operato vi baptismi aut alterius sacramenti fit, habitu perficiatur, sanè etsi concedamus aduersariis omnia quæ capite illo 7. dicuntur à Concilio de gratia seu forma formaliter iustificante, in solum habitum conuenire, patet hinc concludi non posse, actum perfectæ contritionis aut dilectionis Dei non esse per se formam formaliter extra sacramentum iustificantem.

Tertium est, etsi liberaliter hoc demus aduersariis quod volunt, nempe Concilium prædicto capite agere vniuersim de iustificatione tam extra sacramentum quàm in sacramento, falsum tamen esse, ea quæ dicit de gratia iustificante in solum habitum conuenire: quòd enim in actum etiam conueniant, facillimum est ostendere, supposito præsertim eo quod paulò ante monui, nempe nihil aliud definire voluisse Concilium, quàm iustificationem fieri per iustitiam in nobis intrinsecè receptam, siue sit habitus, siue actus, siue vterque: quæ est inter solos Theologos controuersia, quam ne definiret, verbis vti non debuit, nec voluit, quæ vel soli habitui, vel soli actui, sed quæ tam huic quàm illi conuenirent.

Vnde ad primum dico verba hæc, *per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*, significare quidem passiuam receptionem, sed non purè passiuam, qua excludatur actio subiecti recipientis circa rem quam recipit: nec tamen propterea Concilium impropriè locutum esse, quia cùm definire nollet, vtrum illa gratia & dona essent habitus, vtrum actus, eo loqui modo debuit, quo significaret aliquid tam actui quàm habitui commune, cuiusmodi est passiua receptio formæ iustificantis, & quidem voluntaria, si de adulti iustificatione agitur, vt re ipsa agitur. Nec refert, quod impropriè loqueretur, qui diceret, excludi errore ab intellectu, odium à voluntate, per voluntariam susceptionem contrariæ intellectionis, & dilectionis: quia sic loquens significare determinatè vellet formam excludentem esse actum, de actu autem determinate, illa locutio impropria est, seu à communi omnium loquendi more aliena.

Ad secundum dico, nolle Concilium significare vnicam esse specie formam quæ iustificandi formaliter vim habeat, aut qua perficiatur iustificatio, tum quia condemnasset alioquin illorum Theologorum sententiam, qui gratiam à charitate distinguunt, & hanc nihilominus, sicut & illam, repugnare per se mortali peccato asserunt: condemnasse autem incredibile est, cùm ea purè scholastica sit, imò sancti Doctoris propria, vt suprà vidimus: tum quia de completa iustificatione loquitur, quæ multas specie formas comprehendit, & saltem fidem & spem, præter eam formam quæ formaliter mortali peccato per se repugnat. Vnde ibidem ait, hominem in iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipere, fidem, spem, & charitatem, quibus

scilicet completa iustificatio continetur: cuius proinde dum vnicam causam formalem esse dicit, nihil aliud vult, quàm & excludere extrinsecum Dei fauorem, externamve nobis Dei aut Christi iustitiam imputatiuam, qua nos iustificari formaliter hæretici asserunt, & docere vnicum esse modum quo formaliter iustificamur, I. nempe per receptam in nobis iustitiam physicè & intrinsecè inhærentem.

Quod satis aperte significauit verbis his immediatè sequentibus: *Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri communicantur, id tamen in hac impy iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhæret*, &c. Sensus enim eorum est, quòd etsi iusti esse non possimus, nisi Christi merita nobis prorsus extrinseca applicentur, ac veluti imputentur, per hæc tamen nobis extrinsecùs applicata & imputata non sumus iusti formaliter, sed per interna sola fidei, spei & charitatis dona nobis inhærentia, quæ dum ex meritis II. passionis eius nobis à Deo conferuntur, illa eius merita nobis applicantur.

Ad tertium respondeo, etiam actus perfectæ contritionis & dilectionis Dei in nobis recipi secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Quis enim negare in primis potest hos actus tanto intensiores aut remissiores esse, quanto magis aut minùs gratiæ Dei ad eos excitanti & adiuuanti cooperamur? Deinde eosdem actus magis aut minùs intensos perfectosque nobis à Deo tribui, iuxta mensuram præcedentium actuum, tanquam dispositionum, quibus nos ad eos ex diuina gratia eliciendos disposuimus, itavt quo plures melioresque actus tempore antecedente præcesserint, eo vberiorem perfectiorémque compunctionis & amoris spiritum à Deo impetrent?

III. Ad postremum dico, non solos habitus, sed etiam actus infundi, infusionisque vocabulum de his quoque vsurpari: quod tam multiplici sanctorum Patrum, Conciliorum, & Ecclesiæ totius authoritate, tam efficaci præterea ratione in Tract. de fide, disput. 11. sect. 1. probauimus, vt vix vlli iam ex aduersariis ex infusione formæ qua formaliter iustificamur argumentum petant ad probandum formam hanc esse habitum.

SECTIO XXVII.

Soluitur septimum ex eiusdem authoritate argumentum.

IV. SEPTIMVM argumentum depromitur ex eiusdem Tridentini Concilij sess. 14. cap. 1. in quo sic loquitur. *Fuit quidem pœnitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria.* Vnde sic aduersarij argumentantur. Concilium de pœnitentia non virtuali, sed formali loquitur, vt sequentia verba illata significant: eius necessitatem quibuvis hominibus lapsis in mortale peccatum, quouis tempore, legis scilicet naturæ, Mosaicæ, & Euangelicæ, aperte pronuntiat, eo tamen in casu quo peccator peccati sui recordatur, cùm eo solo in casu formalem de eo dolorem concipere possit: ergo vult hanc formalem pœnitentiam esse medium necessarium ad iustitiam consequendam: atqui si charitatis actus natura sua iustificat, nusquam pœnitentia formalis in lege vel naturæ vel Mosaica vel etiam Euangelica extra sacramenti receptionem fuerit vlli homini medium necessarium ad iustitiam. Primò, quia qui charitatem habuerit, hoc ipso ex natura rei iustificabitur.

Secundò, quia etsi quis ex elicito priùs natura charitatis actu prorumpat in formalem peccati detestationem eodem instanti temporis, per illum tamen priorem charitatis actum priùs naturâ iustificabitur, peccatorúmque remissionem consequetur: vnde semper sequetur, hunc posteriorem formalis detestationis actum non esse medium necessarium ad iustitiam assequendam, quia medium debet ordine naturæ præcedere finem ad quem medium est.

Denique, quia si quis solum perfectæ contritionis actum exerceat, iustificabitur haud dubiè, nec tamen ipsa contritione formaliter: hæc enim tunc medium erit ad iustitiam, quandoquidem pœnitentia formalis medium necessarium ad iustitiam est, hócque casu peccator nullum alium pœnitentiæ formalis actum exercet quàm solius contritionis. Ergo non erit ipsa formaliter iustitia: medium enim esse non potest à parte rei eadem res cum fine ad quem medium est.

Prima responsio est, Concilium pœnitentiæ necessitatem astruens ad iustitiam consequendam loqui de sola attritione, quæ licet ex natura rei non sit ad id necessaria, sicut nec est charitatis aut perfectæ contritionis actus, cùm possit Deus solo habitu iustificare peccatorem, est tamen ex lege ordinaria ipsius Dei, quia C nemini ordinariè formam formaliter iustificantem, siue sit actus, siue habitus, communicat, qui non priùs attritus fuerit. Nec referre, quòd absolutè loquendo possint nunc aliqui, & olim potuerint per solam immediatè contritionem iustificari, imò reipsa fortè iustificati sint: Concilium enim, cùm id rarissimum sit, & citra communem legem, id minimè spectare aut curare, vtpote cui tantùm propositum est communem iustificationis modum seriémque tradere.

Cuius responsionis bonitas in re simili manifesta est & ex sacris literis, & ex Patribus, vniuersim asserentibus neminem à peccatis sine præuio aliquo timore posse iustificari, cùm tamen absolutè & extraordinariè possint omnes, reipsaque nonnulli fortè sic aliquando D iustificentur, & olim iustificati sic fuerint. Vnde hæc supra relata Diui Augustini sententia tract. 9. in 1. epist. Ioannis: *Maior charitas, minor timor: si autem nullus timor, non est qua intret charitas.* Et paulò pòst: *Nam si sine timore eris, non poteris iustificari. Sententia de Scripturis est: Qui sine timore est, non poterit iustificari. Opus est ergo vt intret timor per quem veniat charitas: timor, medicamentum: charitas, sanitas.* Quòd si iuxta hanc priorem responsionem Concilij verba nobis obiecta de sola

V. VI. VII. VIII.

attritione accipiantur, tam facile erit toti aduersariorum argumentationi, singulisque eius partibus respondere, vt hîc id facere foret superfluum.

I. Secunda responsio est, Concilium quidem, dum pœnitentiæ formalis necessitatem ad iustitiam astruit, loqui vniuersim de hac pœnitentia, prout abstrahit à perfecta & imperfecta contritione, hâncque & illam comprehendit, sed nihil aliud velle, quam ex lege seu institutione Dei tam esse sempérque fuisse necessariam connexionem, inter formalem de peccatis pœnitentiam, eorúmque remissionem per formam formaliter ab iis iustificantem, vt nullus modo possit, & olim potuerit ab ipsis iustificari, qui omni prorsus formali de iis pœnitentia caruerit, omnémque qui iustificatur ab iis modò, aut qui olim iustificatus fuerit, habere, & habuisse semper formalem aliquem de iis dolorem, siue attritionis, siue perfectæ contritionis, siue formaliter ab iis per se iustificantem, siue dispositiuè tantummodo, siue naturæ ordine præcedentem eorum remissionem, siue subsequentem, siue purè concomitantem.

II. Quare negandum est ex huius formalis pœnitentiæ necessitate esse consequens, vt Concilium velit vniuersim, pœnitentiam omnem formalem cui peccatoris iustificatio à parte rei coniungitur, esse à parte rei medium ad iustificationem hanc, sumendo proprie nomen medij, prout significat aliquid ordinatum ad aliud tanquam ad finem, ipsúmque causans & efficiens: quo modo sumunt in argumentatione sua aduersarij, vt intuenti patebit. Quæ profectò, sic sumpto medij nomine, si bona esset, euinceret quoque exillo Tridentini loco in quo versamur, damnatam à Concilio esse eorum sententiam, qui gratiæ & charitatis habitum priùs natura infundi dicunt, quam perfectæ contritionis actus eliciatur, húncque ab illo produci, per illúmque proinde priùs naturâ remitti mortale peccatum: hinc enim pari iure concludere possent, perfectam contritionem ordine naturæ posteriorem non esse medium ad huius peccati remissionem, cùm medium præcedere id ad quod medium est, ipsumque causare & efficere debeat.

III. Hinc patet, assumptum negatam à nobis primam consequentiam proximè subsequens verum esse, intellectùm de aliqua determinatè formali pœnitentia, nempe de perfecta contritione, quæ cùm sit forma per se formaliter iustificans, non est medium ad iustitiam, sumpto proprie medij nomine: quod & solùm euincunt tres probationes ad illius assumpti veritatem ostendendam factæ. Circa quarum primam hoc vnum obseruandum est, necessariam esse, vel ex natura rei, vel ex institutione Dei, ex aduersariorum etiam expressa doctrina, connexionem inter actum charitatis à peccatore peccatorum suorum memore elicitum, & inter actum contritionis de iis ab eodem tunc temporis simul eliciendum, quòd vel huncille vi sua necessariò inferat, vel Deus ad prioremillum efficaciter excitare peccatorem non decreuerit, quin simul ad hunc posteriorem efficaciter excitet: quòd diuinum decretum rectè colligitur partim ex iis Scripturæ locis, quibus

IV. significatur, hominem eodem momento temporis quo Deum verè diligit iustificari, partim ex illis, quibus ad eius iustificationem, dum peccatorum suorum memoriam habet, formalis de iis dolor & pœnitentia requiritur.

SECTIO XXVIII.

V.

Soluitur octauum ex eiusdem authoritate argumentum.

OCTAVVM & affine præcedenti argumentum sumitur ex eiusdem sess. 14. cap. 4. in quo Concilium ait, *contritionem fuisse quouis tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, & in homine post baptismum lapso præparare ad eorum remissionem consequendam.* Hinc enim sequitur euidenter, vt ipsa non sit formalis eorundem remissio. Respondeo id quidem rectè sequi de illa contritione de qua ibi Concilium loquitur, sed de perfecta contritione non loqui, vt clarum est in primis ex eo quòd ait non absolutè, sed conditionatè

VI. contritionem illam præparare ad remissionem peccatorum, si nimirum *cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua quæ ad rectè suscipiendum pœnitentiæ sacramentum requiruntur, coniuncta sit*: quæ conditio superflue & ineptè posita fuisset, si de perfecta contritione sermo esset, cum eo ipso quo perfecta contritio est, non possit non habere sibi coniunctam hanc conditionem.

VII. Deinde ex his eiusdem verbis paulò pòst sequentibus: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Vt enim omittam quod his nunc primùm verbis de perfecta contritione agere incipit, nec proinde antea egit, dum contritionis nomen vsurpauit, certè patet pronomen demonstratiuum *hanc* referri ad contritionem de qua priùs egerat, dixerátque ea quæ nobis hîc aduersarij obiiciunt: at cùm dicat hanc aliquando charitate perfectam esse, hominémque Deo reconciliare antequam pœnitentiæ sacramentum actu suscipiatur, consequens est, vt per eam non intellexerit perfectam contritionem, cùm ista contritio non aliquando, sed semper charitate perfecta sit, hominémque Deo ante realem sacramenti susceptionem reconciliet. Vnde & colligitur, per contritionem non intellexisse attritionem, cùm hæc nunquam charitate perfecta seu formata sit: de perfectione enim

VIII. seu formatione intrinseca & essentiali loqui Concilium, & alibi probauimus, & aduersarij consentiunt.

Nec refert, quòd contritionis exempla ex Scripturis proferens, ea proferat, quibus perfecta contritio significatur: profert enim, non quòd de perfecta contritione agat, sed vt probet quod probandum susceperat, nempe contritionem de qua loquitur continere non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, sed etiam veteris odium ac detestationem.

Quare loquitur ibi de contritione genericè sumpta, & communi tam perfectæ contritioni quàm imperfectæ, quæ attritio dicitur, cui sic sumptæ verè conuenit & definitio quam initio capitis illius quarti posuit, & quod de ea subiunxit, fuisse scilicet eam quouis tempore necessariam ad peccatorum remissionem, cùm I. nullus adultus peccatorum suorum memor iustificari ab iis vnquam potuerit sine aliquo elicito vel perfectæ contritionis vel attritionis actu, ac proinde sine contritione, quæ huic & illi communis est, sicut genus speciebus: & quod denique de eadem addit, ipsam scilicet valere ad impetrandam peccatorum veniam, & ad eorum remissionem præparare: quod quidem ei verè conuenit tum ratione speciei vnius per quam contrahitur, nempe attritionis quæ formaliter non iustificat, sed tantùm ad peccatorum remissionem præparat, eámque à Deo impetrat: tam ratione sui ipsius præcisè, seu prout est contritio in genere abstrahens à perfecta, per quam contrahi nondum intelligitur. Cùm enim sic spectata non iustificet formaliter, II. sit tamen honestus ac laudabilis dolor ex gratia Dei, conducátque proinde aliquid ad iustificationem, necesse est vt impetratoriè tantùm ac dispositiuè conducat.

Aduerte autem tantum abesse, vt Concilium velit perfectam contritionem impetratorie solum & dispositiuè ad peccatorum veniam remissionémque conducere, vt ab eo loco quo de ea agere cœpit, nusquam dixerit eam esse dispositionem ad illam, imò diserte asseruerit eandem reconciliare hominem cum Deo: quod etsi aduersarij velint eam dispositiuè solùm & impetratoriè facere, probare tamen ex Concilio non possunt, probabiliúsque est Concilium velle etiam formaliter, tum quia verba hæc aliáque ab eo ibidem vsurpata, & à nobis paulò III. antè relata, istud potiùs quàm illud significant: tum quia postquam de perfecta contritione dixit eam extra sacramentum reconciliare peccatorem cum Deo, de attritione immediatè posteà loquens ait, eam sine sacramento pœnitentiæ per se non posse perducere hominem ad iustificationem, sed eum ad illam in hoc sacramento impetrandam disponere, hac loquendi diuersitate significans perfectam contritionem reconciliare hominem cum Deo per se vi sua propria ac formaliter. Nam si vellet eam id facere solùm dispositiuè & impetratoriè, quia vltima ad iustificationem extra sacramentum dispositio est, nõ aliter loqui de ea debuisset quàm de attritione in sacramento, vel de hac non aliter quàm de illa, cùm hæc non minùs sit vltima IV. sufficiénsque ad gratiam in eo recipiendam dispositio, quàm illa extra sacramentum est.

Adde quòd si Concilium vellet perfectam contritionem impetratoriè concurrere ad peccatorum remissionem extra sacramentum, atque adeo ad infusionem habitualis gratiæ sanctificantis, per quam solam formaliter, ex mente aduersariorum, hæc remissio fit, consequenterque contritionem illam huius gratiæ causam efficientem moralem seu meritoriam esse, (nam eam à Deo impetrare ob propriam quam habet moralem bonitatem, est eandem mereri saltem congruè) condemnasset ergo Concilium communem S. Thomæ, & Thomistarum doctrinam, quæ est, vt suprà diximus, priorem esse in genere causæ efficientis habitualem gratiam actu perfectæ contritionis, quem peccator exercet eo momento quo extra sacramentum iustificatur: quam à Concilio fuisse condemnatam, A vt omnino incredibile est, ita verborum Concilij interpretatio aduersariorum est prorsus improbabilis. V.

SECTIO XXIX.

Soluuntur argumenta ex authoritate sancti Thomæ deprompta.

PLVRIMA eius testimonia nobis obiiciunt aduersarij, è quibus vnum primo loco referendum vim contra nos habet: habetur illud quæst. 27. de veritate art. 2. ad 1. 4. & 6. Fateor S. Doctorem ibi satis aperte significare charitati non inesse vim iustificandi formaliter: sed in Summa, quæ longè maioris authoritatis est, tot locis contrarium docuit, vt supra sect. 12. multisque sequentibus vidimus.

Secundum in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 4. quæst. 2. in corpore, vbi tria dicit. Primum est, perfectam contritionem esse dispositionem ad gratiam, eámque præcedere. Secundum, contritionem sine gratia esse informem, illámque per hanc formari. Tertium, contritionem formatam per gratiam aliter se habere in genere moris, quam se haberet informis. Respondeo primum ex his tribus dici à S. Doctore, sed pure in genere causæ materialis, non verò efficientis: ex quo nihil pro se contra nos concludere possunt aduersarij. Secundum autem ab eo quidem dici, sed eodem prorsus modo quo ibidem calor, verbi causa, sine forma substantiali ignis dicitur informis, & per hanc aduenientem formari: quæ formatio calori penitus extrinseca C sicut nullam physicam calefaciendi vim ei tribuit quam per se non haberet, ita nec illa contritionis prorsus extrinseca per habitualem gratiam formatio tribuit ei vim iustificandi formaliter quam per se non habeat. Tertium denique ideo ab eodem dici, quia contritioni coniungitur gratia, quæ ad genus moris pertinet: sicut calor formatus per formam substantialem ignis aliter se haberet in genere physico quàm informis, quia aduenire ei forma illa substantialis, quæ ad genus physicum pertinet. VII.

Tertium prima parte quæst. 62. art. 2. ad 3. vbi ait triplicem esse conuersionem in Deum, vnam quidem per dilectionem perfectàm, quæ est creaturæ iam Deo fruentis, & ad hanc requiri gratiam consummatam: aliam conuersionem esse quæ est meritum beatitudinis, & ad hanc requiri gratiam habitualem quæ est me- D rendi principium: tertiam conuersionem esse per quam aliquis præparat se ad habendã gratiam: falsum autem esset requiri gratiam habitualem ad meritum etiam condignum beatitudinis, eámque esse merendi principium, si charitatis actus per se vim haberet sanctificandi formaliter, per se enim illam condignè mereretur. VIII.

Respondeo primò S. Thomam non velle requiri aliter gratiam habitualem ad meritum VI.

beatitudinis, quàm de potentia ordinaria, ſicut etiam non niſi de potentia ordinata requiri ait ad dilectionem perfectam creaturæ Deo fruentis gratiam conſummatam, quæ habitualem haud dubiè complectitur, cùm certum ſit de potentia abſoluta poſſe creaturæ dari viſionem beatificam, ac proinde dilectionem Dei perfectam, fruitionémque abſque illa habituali gratia: quòd autem de potentia ordinata requiratur hæc gratia ad condignum meritum beatitudinis, impedire non poteſt, quominus charitatis actus per ſe formaliter ſanctificet, eamque condignè merendi vim habeat.

I. A

Reſpondeo ſecundò, eundem S. Doctorem meritò dicere gratiam habitualem eſſe merendi principium, quia prima gratia formaliter animam ſanctificans merendi principium eſt, habitualis autem gratia ex eius mente prima eſt qua anima ſanctificatur: hæc enim ordine naturæ & cauſæ efficientis præcedit infuſionem charitatis habitualis, & primum charitatis huius actum, vt conſtat ex articulo 8. quæſt. 113. in qua verſamur, conſentiuntque Thomiſtæ communiter, & ibi Vaſquez recte probat.

II. B

Quartum 1. 2. quæſt. 109. art. 7. toto, in corpore ſcilicet & in reſponſionibus ad argumenta, vbi eandem gratiæ habitualis ad merendum neceſſitatem aſtruit. Verum ibi nullam huius neceſſitatis mentionem facit: & quamuis faceret, eodem ſenſu locus hic intelligi deberet quo præcedens ex prima parte relatus.

III. C

Quintum ſeq. quæſt. 110. in qua cùm tam clarè gratiam habitualem à charitate diſtinguat, illíque gratiæ vim formaliter ſanctificandi tribuat, fruſtra ſimilem charitati tribueret. Quaſi vero aut charitas manens eſſentialiter charitas etſi diſtinguatur à gratia, non maneat etiam eadem eſſentialiter ſanctitas: aut qui formam vnam ſanctificantem in aliquo admittit, negare debeat omnem aliam in eo huiuſcemodi formam, ſi præſertim non ſit idem proximum & immediatum vtriuſque ſubiectum, vt non eſt gratiæ habitualis & charitatis, cùm hæc immediatè in voluntate, illa in eſſentia animæ recipiatur? Negent ergo aduerſarij in humanitate Chriſti gratiam habitualem, cùm eam ſanctificari beneficio vnionis hypoſtaticæ & quidem infinitè ſentiant: negent & in beatis eandem gratiam, cùm eos ſanctificati formaliter per viſionem beatificam doceant, & quidem multò perfectiùs quàm per illam gratiam, eo quòd illa vi ſua ſolum mortale peccatum excludit, hæc autem viſio quodlibet etiam veniale, vt expreſsè aſſerunt. Ij quoque qui charitatis actum ſanctificare formaliter dicunt, idem negent de habitu, aut qui de hoc habitu dicunt, negent idem de illo actu, quandoquidem vna

IV. D

forma ſanctificans in eodem homine aut Angelo ſufficit.

Sextum quæſt. ſeq. 112. art. 2. ad 1. vbi dicitur eſſe quædam præparatio hominis ad gratiam habitualem habendam, quæ ſimul eſt cum ipſa infuſione gratiæ, & talem operationem eſſe quidem meritoriam, at non gratiæ quæ iam habetur, ſed gloriæ quæ nondum habetur. Reſpondeo id intelligi debere de præparatione in genere cauſæ materialis, non efficientis, vt immediatè ſequentia verba clarè ſignificãt. Dum enim S. Thomas ait illam operationem eſſe quidem meritoriam, ſed non gratiæ, quæ iam habetur, vult haud dubiè cauſam, ob quam non eſt eius meritoria, hanc eſſe, quòd ea iam habeatur, ac proinde hæc gratia illam operationem naturæ ordine & cauſalitatis antecedat: nam ſi tantùm illam comitaretur in eadem duratione reali, id impedire non poſſet, quominus eam illa mereretur, vt reuera meretur augmentum gratiæ, quod in illius compenſationem datur illo ipſo tempore quo exercetur.

V.

Septimum quæſtione ſeq. 113. art. 2. in Corpore, vbi dicitur non poſſe intelligi remiſſionem culpæ, niſi adſit infuſio gratiæ, & quidem ſpectata abſoluta Dei potentia, vt ipſe etiam Vaſquez interpretatur, & nos quoque diſp. 10. ſect. 1. interpretandum probauimus. Octauum eodem articulo in reſponſione ad primum, in qua aſſeritur, poſt peccatum hominem nõ poſſe eſſe ſine culpa, niſi gratiam habitualem habeat: poſſet autem & intelligi remiſſio culpæ, & homo eſſe ſine culpa ſine habituali gratia, ſi charitas per ſe iuſtificandi vim haberet.

VI. B

Reſpondeo ad vtrumque, vel D. Thomam id dicere ſpectata ſola Dei potentia ordinata, vel ſpectata etiam abſoluta. Si primum, nobis id minimè aduerſari. Sin autem ſecundum, vt & Vaſquez putat, & nos putamus, intelligendum eſſe S. Doctorem, prout idem Vaſq. intellexit, non de ipſa præcisè gratia habituali, ſed de ſtatu ſanctificantis gratiæ, vt ſenſus ſit, non poſſe, per abſolutam etiam Dei potentiam, hominem eſſe liberum à peccato quo antea erat infectus, niſi ſit in ſtatu gratiæ ſeu ſanctitatis, quia ſola ſanctitas phyſicè ei inexiſtens cum eius macula formalem habet repugnantiam. Et ſanè aduerſarij D. Thomam de potentia abſoluta nobiſcum interpretantes, gratiæ nomine non poſſunt intelligere ipſam præcisè habitualem gratiam: alioqui fateri deberent, non

VII. C

poſſe remitti homini peccatum per ſolam vnionem hypoſtaticam, aut viſionem beatificam, ſpectatâ etiam abſolutâ Dei potentiâ, quod tamen expreſsè negant.

Nonum eiuſdem quæſt. artic. 4. ad 1. vbi dicitur fides formata charitate eſſe præuia ad iuſtificationem diſpoſitio. Reſpondeo nullum ibi de ea re verbum fieri. Decimum artic. 5. ad 1. Vndecimum art. 7. ad 2. vbi charitas & contritio dicuntur eſſe præuiæ ad eandem iuſtificationem diſpoſitiones. Reſpondeo verbum quoque iis locis ea de re haberi nullum.

Duodecimum art. 8. in Corpore, in quo illi charitatis & contritionis actus dicuntur eſſe diſpoſitiones priores remiſſione peccati. Reſpondeo primò, dici priores ex parte cauſæ efficientis, poſteriores ex parte cauſæ patientis

VIII. D

ſiue materialis, vt ex contextu articuli clarum eſt, & optimè Vaſquez explicat, & ante hoc tempus ſenſit tota Schola Thomiſtarum, vt teſtatur inſignis Thomiſta Sotus, quem citat & ſequitur Turrianus opuſc. 7. diſput. vnica, dub. 5. num. 2. Ob quam prioritatem ſi licet concludere, illis actibus non ineſſe formalem ex natura rei cum peccato repugnantiam, idem liceret concludere de ipſa habituali gratia, cùm eius infuſionem non modò peccati remiſſione priorem eſſe dicat, ex parte ſcilicet eiuſdem

causæ efficientis, sed etiam illis ipsis charitatis & contritionis actibus: de hac enim habituali gratia loquitur, vt & ex eiusdem articuli contextu clarum arbitror, & Vasquez disp. 211. rectè probat, sentiúntque Thomistæ communiter.

I. Respondeo secundò, illos charitatis & contritionis actus dici dispositiones ad peccati remissionem, quia per eos hæc obtinetur, etsi per eos obtineatur, vt per formas formalem cum peccati macula repugnantiam ex natura rei habentes: quemadmodum si diceretur, vt dici rectè posset, calefactionem ab agente esse dispositionem mobilis quod calefit ad expulsionem frigoris.

Decimum tertium 2. 2. q. 24. art. 12. in corpore, vbi cùm S. Doctor dicat peccatum mortale expellere charitatem meritorie, sequitur vt vicissim hæc illud meritorie expellat. Respondeo in primis, quòd cùm idem S. Doctor ibidem dicat peccatum mortale charitatem expellere etiam effectiuè, seu physicè, hæc quoque illud expellere debebit etiam effectiue, seu physicè. II. Resp. 2. malam esse illam consequentiam: vt enim charitas expellere mortale peccatum meritoriè posset, sicut hoc illam meritorie expellit, oporteret quòd quemadmodum charitatis habitus à Deo conseruatur per propriam ipsius Dei actionem, poteſtque proinde mereri peccatum vt Deus ab hac actione desistat: ita peccati mortalis macula per aliquam eius actionem conseruaretur, vt mereri charitas posset, vt Deus ab hac altera sua actione desisteret.

Decimum quartum 3. parte quæst. 86. art. 4. ad 2. vbi S. Thomas ait remissionem culpæ & pœnæ æternæ esse effectum gratiæ operantis, id est, habitualis, hanc enim passim operantem appellat: remissionem verò pœnæ temporalis qua pro peccato quoad maculam iam deleto III. satisfacimus, esse effectum gratiæ cooperantis: vnde ibidem colligit, primum esse à sola gratia, secundum verò a gratia, & libero arbitrio: quorum illud primum verum non erit, si perfectæ contritionis & charitatis actus vim habent formaliter iustificandi, ac proinde delendi peccatum quoad culpam & æternam pœnam.

Respondeo S. Doctorem commodè exponi posse de remissione peccati per sacramentum pœnitentiæ de quo loquitur, vt euidens est ex responsione ad 3. & quamuis de peccati remissione etiam extra sacramẽtum loqueretur, cùm tamen non opponat gratiam operantem actui dilectionis & contritionis qui exercetur in instanti iustificationis, dum homo extra sacramentum IV. iustificatur, sed actibus iustificationem consequentibus, quibus homo cum auxilio diuinæ gratiæ patienter pœnas tolerat, sicque pro pœna temporali satisfacit: non sequitur, vt dum soli gratiæ operanti remissionem culpæ & æternæ pœnæ attribuit, vim huius & illius formaliter remittendæ illi dilectionis & contritionis actui deneget: nam dum ait remissionem peccati esse à sola gratia, vocabulo *sola* tantum excludit pœnarum tolerantiam cum patientia, aliquáuive similem actionem iustificatione tempore posteriorem, qua cum auxilio diuinæ gratiæ pro pœna temporali satisfit.

Decimum quintum eadem 3. parte quæst. 89. art. 2. in corpore, in quo motus perfectæ contritionis, qui est in instanti iustificationis simul cum infusione habitualis gratiæ, dicitur esse vltima dispositio ad hanc gratiam. Sed dixi A iam sæpius esse ex doctrina S. Thomæ passim V. dispositionem pure in genere causæ materialis. Addo quòd etsi esset in efficientis, id minimè impediret, quo minus illa contritio esset forma per se sanctificans: imò hæc foret tanto melior perfectiórque dispositio ad illam gratiam, quanto perfectiùs per se formaliter sanctificaret.

SECTIO XXX.

Soluuntur argumenta quatuor ex ratione deprompta.

PRIMVM est. Si supernaturalis Dei dilectio iustificandi vim haberet, naturalis quoque qua Deus vt author naturæ propter se diligitur, B eandem vim haberet, sicque iustificatio a VI. peccatis per solas naturæ vires fieri posset, quia naturalis ista Dei dilectio, eo ipso quo naturalis est, solis naturæ viribus elici posset. Respondeo negando sequelam Maioris: ratio est, quòd nulla Dei dilectio qua verè propter se amore beneuolentiæ diligatur, possit esse in entitate naturalis, vt ex dictis in Tractatu de Charitate disp. 58. constat. Adde quòd si aliqua esse posset, & iustificandi vim haberet, non propterea consequens esset, vt iustificatio solis naturæ viribus aliquando fieret, aut fieri posset, potentia scilicet efficaci & consequente, quamuis posset potentia antecedente sufficiente & ineffficaci, quia dilectio illa naturalis opus esset haud dubiè veræ virtutis, nullum autem opus veræ virtutis etiam purè moralis, & in entitate naturalis sine gratia exerceri potest, vt fusè C VII. disput. 1. probatum est.

Secundum. Si perfecta contritio Deíve dilectio esset ex se suáque natura forma formaliter sanctificans, quantumvis à peccatore non liberè, sed necessariò eliceretur, sanctificaret eum nihilominus, & à mortali peccato emundaret, non secus ac gratiæ sanctificantis habitus, si ei dormienti à Deo infunderetur: atqui consequens istud falsum est, igitur & antecedens. Minor probatur: si enim verum esset, contingeret reipsa plerunque peccatores adultos sanctificari formaliter, & à peccatis mortalibus emundari, sine præuio motu libero voluntatis per actum charitatis elicitum non liberè, sed necessariò, contra communem Theologorum expressámque Tridentini Concilij doD VIII. ctrinam sess. 6. cap. 5. & seqq. quæ est, nullum adultum à peccatis iustificari sine motu libero voluntatis, quo se disponat & præparet ad formam formaliter iustificantem, quam etiam voluntariè ac liberè in se recipiat: sæpe enim contingit vt motus primò primus gratiæ operantis sit actus charitatis, sicut est semper alicuius virtutis, modo huius, modò illius: omnem autem huiusmodi motum primo primum, qui est gratia operans, siue se teneat ex parte intellectus, siue voluntatis, Deus in nobis sine

nobis ad eum liberè concurrentibus operatur, vt dispur. 4. sect. 1. probauimus. Respondeo negando Minorem, cuius ad probationem dico, nunquam contingere in hac vita exerceri ab adultis actum aliquem charitatis erga Deum nisi liberè, nunquam proinde euenire vt motus primo primus gratiæ operantis tenens se ex parte voluntatis sit actus Theologicæ charitatis, vt neque motus primò primus eiusdem gratiæ ex parte intellectus se tenens est vnquam actus fidei diuinæ, vt cit. disp. 4. sect. 4. probatum est.

I. A

Tertium est. Non est tanta bonitas actus dilectionis Dei, quanta est malitia peccati mortalis: ergo non potest hanc ille delere formaliter. Probatur antecedens ex eo quòd etsi malitia hæc sit simpliciter finita, est tamen infinita secundùm quid, & quidem duplici ex capite, nempe personæ offensæ quæ actu infinita est, & personæ offendentis, quæ comparata cum persona offensa infinitè actu vilis est, vtpote carens infinita eius perfectione & dignitate, ab eáque distans infinitè: at dilectionis actus ita simpliciter finitæ bonitatis est, vt nec ex persona diligente, nec ex ea quæ diligitur infinitam secundùm quid bonitatem accipiat. Respondeo primo, negari meritò posse antecedens concessa etiam eius probatione, hanc enim inefficacem esse ad illud concludendum quod in antecedente ponitur, multis argumentis oftèdi in Tract. de Incarnatione disp. 3. sect. 5. & 6. nunc sit satis duo breuiter dicere.

II. B

Primum est, quod si efficax esset, consequens esset in primis, vt nec vllius actus charitatis tanta esset bonitas, quanta est malitia cuiuslibet peccati venialis: quia quodlibet habet illam duplicem ex duplici illo capite malitiæ secundùm quid infinitatem, nullus autem charitatis actus duplicem ex illo duplici capite bonitatis secundùm quid infinitatem habere potest: consequens deinde esset, vt gratia habitualis delere formaliter non posset mortale peccatum, contra expressam aduersariorum sententiam, quia ita finitæ simpliciter bonitatis est, vt neutro ex capite habeat bonitatis secundùm quid infinitatem, ex quo peccatum mortale habet malitiam secundùm quid infinitam. Secundùm est, causam ob quam facilè fieri potest, vt actus bonus carens infinita secundùm quid bonitate ex vtroque illo capite, ex quo peccatum malitiam secundùm quid infinitam accipit, æquet tamen in bonitate, aut etiam superet totam eius malitiam, hanc esse, quòd hæc quantumuis multis ex capitibus secundùm quid infinita sit, tamen tota finita simpliciter est, actus autem bonus aliunde tantum

III. C

bonitatis incrementum capere possit, vt ex obiecti sui præstantia, difficultate, aliisque circumstantiis, vt exæquet absolute aut etiam superet in bonitate totam peccati malitiam ex quocunque capite deriuatam.

IV. D

Respondeo secundò, concesso etiam gratis antecedente negando consequétiam, tum quia si charitatis actus delere peccati mortalis maculam formaliter non potest, quia minor est illius bonitas quàm huius malitia, ille saltem charitatis actus, qui est virtualis aut formalis de peccato veniali contritio, peccati huius maculam delere formaliter poterit, cùm sit haud dubie maior illius bonitas quàm huius malitia. Quod si ita est, poterit ergo delere etiam maculam peccati mortalis, non obstante quòd minor sit illius bonitas quàm huius malitia: quia vt formaliter maculam peccati venialis deleat,

V.

debet esse vera formalisque animæ sanctitas, hæc autem natura sua repugnat prorsus omni peccato mortali: tum quia vt charitatis actus maculam huius peccati formaliter deleat, aut delere possit, sufficit hæc in eo bonitas, ratione cuius non possit non tribuere homini eum elicienti denominationes contradictorie oppositas eis quas peccatum mortale necessariò tribuit, eas autem non potest non tribuere, non potest enim eum non denominare amicum & acceptum Deo, sanctum, æternáque gloria dignum, cùm peccatum mortale necessariò denominet eundem inimicum & exosum, contaminatum, dignúmque pœna æternæ damnationis: quemadmodum vt in physicis calor frigus, assensus dissensum, amor odium formaliter expellat, & vice versa, non oportet vtriusque

VI.

formæ contrariæ aut repugnantis parem esse perfectionem physicam, vt nec à parte rei par est, sed sufficit eam esse cuiuslibet perfectionem, ob quam aduenies subiecto non possit vel naturaliter vel absolutè non inducere in idem subiectum formæ sibi oppositæ priuationem.

Quartum. Perfecta contritio, Deiue dilectio si vim formaliter iustificandi haberet, esset condigna pro peccato mortali satisfactio, falsum consequens, igitur & antecedens. Minor probatur. Alioquin ad condignam pro peccato primi parentis satisfactionem non fuisset absolutè necessaria Incarnatio, contra communem Patrum omnium doctrinam: pura enim creatura pro suo mortali peccato posset condignè satisfacere, sicut & actum perfectæ contritionis eli-

VII.

cere. Probatur sequela Maioris: ea enim est condigna satisfactio pro peccato, quæ tanti valoris est, vt eâ exhibitâ non possit amplius Deus pro eo satisfactionem exigere: talis autem est perfecta contritio, si peccatum formaliter deleat, quia eo deleto nullam amplius pro eo satisfactionem exigere potest, cum tantùm exigat vt deleatur. Respondeo negando sequelam Maioris, & ad eius probationem dicendo, requiri preterea ad condignam pro peccato satisfactionem, vt hæc nullam supponat essentialiter gratuitam partis debiti per peccatum contracti factam à Deo creditore remissionem, supponit autem, nempe remissionem debiti carendi gratiæ auxiliis ad contritionis actum eliciendum necessariis, vt in prædicto de Incarnatione Tractatu cit. disp. 3. sect. 7. fusè declaratum est: cuius in sectione 10. ostensum etiam copiosè est, Christi nihilominus satisfactionem pro peccatis nostris fuisse condignam, etsi concedatur præsupposuisse factam nobis à Deo gratuitam partis debiti per nostrum peccatum contracti, nempe carendi Redemptore, remissione. Quam sectionem decimam & sequentem qui conferre volet, reperiet, vt opinor, soluta omnia quę hic obiicere possent aduersarij ad hoc quartum argumentum pertinentia.

VIII.

SECTIO XXXI.

Soluitur quintum ex ratione depromptum argumentum.

I. QVINTVM est, sequi ex nostra sententia, perfectæ contritionis actum mereri de condigno primum gradum habitualis gratiæ qui peccatori infunditur in instanti quo perfectè conteritur, & à peccato iustificatur : tum quia si hunc illa contritio formaliter sanctificat, Deique proinde filium adoptiuum constituit, certe sicut eum æterna gloria dignum formaliter efficit, ita & dignum habituali gratia illi gloriæ respondente efficiet : tum quia sicut actus boni ab habitu gratiæ sanctificantis procedentes huius habitualis gratiæ incrementum de condigno merentur, quia hominem eos elicientem sanctiorem formaliter efficiunt, ita primus contritionis actus, cùm formaliter hominem sanctificet, primum quoque illius gratiæ gradum de condigno merebitur : atqui consequens illud falsum esse,

II. vtpote repugnans Scripturis, Conciliis, Patribus, & Theologis omnibus primam gratiam cadere sub meritum negantibus.

Ad hanc Minorem respondebo tria, priusquam ad Maiorem respondeam. Primum est, nusquam Scripturam, Concilia, Patres negasse primam habitualem gratiam cadere in condignum contritionis aut alterius actus ex auxilio gratiæ eliciti meritum, vt inter cæteros asserunt ostenduntque recte Turrianus opusculo 6. disput. 4. dub. 12. & Gabriel Vasquez in primam secundæ disput. 219. cap. 1. quia vt verissimè aiunt, dum Scripturæ, Concilia, Patrésque negant primam gratiam cadere in meritum, non loquuntur de prima habituali, nec de prima formaliter sanctificante, siue sit habitualis, siue actualis, per quam

III. peccata formaliter remittuntur, sed de sola omnium prima, quam de fide est non cadere in vllum meritum, sed omni merito priorem esse, ex eaque omne meritum nostrum ortum ducere. Cuius rei signum euidens est, quod respectu primæ gratiæ de qua loquuntur, negant omne prorsus meritum, non modo condignum, sed etiam congruum sat certa Patrum, nominatimque D. Augustini, communisque Theologorum doctrina est, peccatorem fide, aliisque bonis operibus primam iustificantem gratiam tempore præcedentibus mereri de congruo gratiam hanc, & reipsa plerunque à Deo impetrare. Quare si forte alicubi negant meritum siue condignum siue congruum respectu huius primæ gratiæ, de

IV. solo merito loquuntur quod ex solis naturæ viribus ortum habeat, cuiusmodi meritum etiam condignum Pelagius admittebat.

Secundum est, negatum quidem olim esse, & nunc negari multis à Theologis quos paulo post referam, perfectæ contritionis actum mereri de condigno primum habitualis gratiæ gradum, at non eo quòd putauerint illum actum non sanctificare per se formaliter, sed quòd senserint eum effectiuè oriri ab hac habituali gratia, sicque posteriorem ea esse in genere causæ efficientis, cùm tamen in hoc ipso genere priorem esse oporteret, vt eam siue de congruo, siue de condigno mereretur, quod meritum, vt meritum in genere est, causa sit efficiens, moralis saltem, præmij quod meretur.

A

Tertium est, falsum esse nullos hactenus inuentos esse Theologos, qui docuerint primum habitualis gratiæ gradum cadere in condignum meritum contritionis : id enim multi viri docti in Hispania docuerunt, vt testatur Turrianus citato dubio duodecimo. V.

Venio iam ad Maiorem, ad quam responderi potest negando sequi quod in ea dicitur: cuius rei ratio duplex à Theologis affertur : prima ab iis qui supponunt contritionis actum sanctificare formaliter, & in genere causæ efficientis priorem esse infusione primæ gratiæ habitualis, de quorum numero fuisse Alphonsum Dezam prima sectione disputationis huius citatum, aliósque viros huius ætatis doctissimos, refert Turrianus opusculo 8. dubio 9. Hi dicunt ad condignum actus boni meritum, siue gloriæ, siue gratiæ, prærequiri tanquam conditionem prorsus necessariam, sanctitatem personæ operantis, ita vt actio de condigno eius meritoria sit ab agente

B

VI. priùs naturâ sancto quàm agat : quod non habebit perfecta contritio, etiamsi formaliter sanctificet, si gratiæ sanctificantis habitu sit natura prior in genere causæ efficientis, vt per se patet.

Qua doctrina supposita, quam probat & amplectitur ipse Turrianus citato dubio nono, respondendum esset ad primum argumentum quo in obiectione Maioris sequela probata est, contritionis actum sanctificando per se formaliter hominem in illo priori naturæ quo præcedit infusionem habitus, dignum quidem eum formaliter reddere æterna gloria tanquam hæreditate paterna, ac proinde habitua-

C

VII. li gratia illi gloriæ respondente, at non tanquam præmio & mercede: sicut & ipsa habitualis gratia puerum baptizatum dignum formaliter reddit illa gloria tanquam hæreditate paterna, non tanquam mercede & præmio: dignitatem proinde contritionis illius esse similem dignitati huius habitus, & per consequens non esse proprie meritum, cui sic sumpto quod retribuitur, vere merces eius est & præmium.

Quod si quis contendat, condignum meritum gratiæ aut gloriæ proprie sumptum nihil aliud esse formaliter quàm dignitatem actus ad gratiam, aut gloriam, id negandum erit vniuersim, confirmandumque ex eo quòd si perfectæ contritionis actus à peccatore in somnis aut aliàs necessariò exerceretur, pro eo quo sic existeret tempore, non modò eum à peccato mortali

D

VIII. formaliter emundaret, sed etiam dignum gloria æterna, ac proinde habituali gratia constitueret, cùm sit tam formalis animæ sanctitas quàm gratiæ habitus, nec tamen condignum gratiæ aut gloriæ meritum haberet : quod sicut euidenti argumento est, ad meritum proprie dictũ præter dignitatem actus requiri tanquam conditionem libertatem in illius actus exercitio, ita requiri præterea dicetur ad condignum gratiæ & gloriæ meritum & hæc altera conditio, sanctitas scilicet personæ operantis priùs natura

sanctæ quàm ab ea egrediatur operatio.

Ad secundum negandum esset actus bonos ab habitu gratiæ sanctificantis procedentes esse de condigno meritorios augmenti gratiæ & gloriæ, eo ipso præcisè quo seipsis formaliter magis hominem sanctificant, sed partim ex isto capite, partim ex illo altero, quòd nimirum exerceantur ab homine priùs naturâ sancto quàm eos exerceat.

I. Secunda ratio affertur ab illis qui existimant primum perfectæ contritionis & Dei dilectionis actum, quem peccator elicit, effici ab habitu gratiæ sanctificantis priùs naturâ infuso quàm hic actus eliciatur, illumque proinde habitum ex parte efficientis & in huius ipsius causæ genere priorem isto actu esse: hi verò sunt, Maior in tertio distinct. 18. quæst. 2. ante medium, Canus relectione de pœnitentia prima parte §. *ad secundum verò*, Caietanus, Ferrariensis, Medina, Sotus, Henricus, Bannez, Aluarez, à Valentia, Vasquez, quos citat & sequitur Turrianus partim opusculo sexto, disput. quarta dubio 12. partim opusculo septimo disput. vnica dub. 1. in quo etiam addit hanc esse communem omnium Thomistarum sententiam, qui sua scripta hactenus typis mandarunt: ex quo principio colligunt efficaciter & euidenter, prædictum contritionis aut Dei dilectionis actum non posse de condigno, imò nec esse posse de congruo meritorium primæ gratiæ habitualis, cum hæc, sicut est principium effectiuum actus illius, sic & meriti totius quod in illo est, principium autem meriti cadere non possit in meritum, & vt actus ille primæ istius gratiæ meritum haberet, hæcque proinde gratia præmium eius esset, oporteret necessariò illum in genere causæ efficientis priorem ea esse, quia meritum, vt meritum, causa est efficiens præmij quod ei retribuitur, posterior autem sit, vt dictum est.

II.

III. Hanc ego posteriorem responsionem præferendam illi priori censeo, tum quia mihi videtur multò probabilius quod Richardus in 4. distinct. 17. artic. 1. quæst. 7. Vasquez hîc disput. 219. cap. 1. & alij asserunt, nempe si perfectæ contritionis actus in momento iustificationis à peccatore elicitus, prior sit naturâ in genere causæ efficientis infusione gratiæ habitualis, fore vt de condigno primam hanc gratiam mereatur, quòd ad hoc meritum sufficiat dignitas actus liberè eliciti formaliter hominem sanctificantis, nec requiratur vniuersim vt homo priùs naturâ sit sanctus, quàm actum de condigno gratiæ meritorium eliciat, sed eo tantum casu, quo hic actus per se suáque natura sanctificare formaliter non potest: tum quia continet expressam S. Thomæ doctrinam multis locis, nominatimque duobus hac prima secundæ tam apertè docentis infusionem habitualis gratiæ priorem esse in genere causæ efficientis charitatis & contritionis actibus, hisque proinde meritum non posse condignum huius gratiæ meritum, vt ea de re non modo non dubitent authores omnes antè relati idem cum eo sentientes, hancque esse certissimè eius sententiam clarè pronuntiantes, sed nec ipse etiam Molina dubitet in Concordia quæst. 14. artic. 13. licet se in contraria esse sententia vltro fateatur.

IV.

Primus locus habetur quæst. 112. artic. 2. ad primum, de quo sect. 29. diximus: secundus quæstionis sequentis artic. octauo, cuius in corpore diserte asserit, primum in iustificatione peccatoris locum, ex parte Dei mouentis, seu iustificationem ipsam efficientis, tenere infusionem gratiæ, secundum, motum liberi arbitrij in Deum, tertium, motum eiusdem in peccatum, quartum, remissionem culpæ: vbi per infusionem gratiæ non intelligit actualem sanctæ cogitationis & inspirationis, vt ex aduersariis nonnulli malè interpretantur, sed habitualem formaliter iustificantem, tum quia de hac sola gratia est hæc tota quæstio 113. sicut & præcedens 112. tum quia de eadem gratia certissimè loquitur hoc art. 8. de qua præcedentibus omnibus, his autem de habituali locutus est, vt eos percurrenti certo constabit: tum denique, quòd clarissimum est, quia quam gratiam dicit huius articuli 8. corpore ex parte causæ efficientis esse priorem prædictis in Deum & peccatum liberi arbitrij motibus, culpæque remissione, & primo inter hæc omnia loco numerat, eandem in respons. ad 1. & 2. ait ex parte passi seu causæ materialis esse liberatione à peccato posteriorem, postremoque loco ponit illam liberationem & prædictum liberi arbitrij motum in Deum & peccatum reponit, per hanc autem non potest actualem intelligere, non modò quia eam expresse iustificantem appellat, sed etiam quia ad actualem requisita ex parte subiecti recipientis dispositio non est liberatio à peccato, nec motus liberi arbitrij in Deum, & peccatum, seu perfectæ Dei dilectionis & de peccato contritionis actus, cùm è contrario vt hæc omnia & singula in adultis recipiantur, necessarium sit prius in iis gratiam actualem recipi, & hæc ordinariè etiam tempore prius in iis sit, imo in quamplurimis, in quibus illa alia nunquam sunt, quia nunquam à peccato iustificantur, aut illos actus exercent.

V. VI. VII.

Nec opponat quis ipsum S. Doctorem initio quæst. huius 113. dicentem iustificationem impij esse effectum gratiæ operantis, sicut & meritum, cooperantis: per hanc autem & illam gratiam, actualem intelligi solere: habitualem enim huius & illius gratiæ nomine ipse S. Doctor nonnunquam intelligit, vt clarissimum est ex his eius verbis quæst. 111. art. 2. in fine corporis, *Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam sanat vel iustificat, siue gratam Deo facit, dicitur gratia operans: in quantum verò est principium operis meritorij quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.*

VIII.

Nec opponat deinde quod idem ait lib. 2. sent. dist. 28. quæst. 1. art. 4. & in summa 1. par. q. 62. art. 2. ad 3. & hac 1. 2. quæst. 109. art. 3. nempe conuersionem in Deum, qua se homo ad habitualem gratiam præparat, non oriri ab vlla habituali gratia, sed à solo Dei actuali auxilio: his enim locis loquitur de solis dispositionibus ad habitualem gratiam, quæ eam tempore præcedunt, aut præcedere possunt, spectata etiam ordinata Dei potentia, cuiusmodi non sunt motus liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, quos

dicit cit. art. 8. esse gratiæ infusione in genere causæ efficientis posteriores, hæc enim simul cum illis durationereali semper est.

Nec opponat denique quod habet 3. parte quæst. 89. art. 1. ad 2. dum inquit actum primum pœnitentis, contritionem scilicet, habere se vt dispositionem vltimam ad consequendam gratiam, alios verò pœnitentiæ actus consequentes procedere iam ex gratia & virtutibus: etenim per illum primum pœnitentis actum solam attritionem intelligit. Nam cùm articulo illo toto loquatur de recuperatione virtutum per pœnitentiam vt sacramentum est, per contritionem, quam dicit esse vltimam dispositionem ad recuperandam vi sacramenti huius gratiam & virtutes antea per peccatum amissas, non potest intelligere nisi imperfectam quæ attritio dicitur: perfecta enim non est dispositio ad eas vi prædicti sacramenti recuperandas, cùm eas ipsa per se extra sacramentum secum reducat, vt & sanctificantem gratiam. Quare quod illo loco vult S. Thomas hoc solùm est, actus supernaturales, quibus homo disponitur ad recuperandos vi sacramenti gratiæ sanctificantis & supernaturalium virtutum habitus per peccatum antea deperditos, non oriri tunc ab vllo istorum habituum, alios autem iis similes sacramenti susceptionem consequentes è contrario oriri, cùm illi habitus per susceptum sacramentum iam restituti sint.

I. II.

Cæterum vt illa D. Thomæ doctrina de habitualis gratiæ prioritate in genere causæ efficientis respectu prædictarum rerum, carundémque respectu posterioritate in genere causæ materialis faciliùs intelligatur, & defendatur, obseruanda sunt tria quæ sequuntur. Primum est, doctrinam illam præsupponere quandam aliam à Philosophis communiter receptam, nempe causas esse posse sibi inuicem causas in diuerso causæ genere. Quare quàm facilè intelligi & defendi potest ignem, v. g. priùs in genere causæ efficientis inducere in materiam ligni formam substantialem ignis, quàm ab ea formam ligni expellere, cùm hanc non expellat nisi per illam quam inducit, & ideo expellat, quia inducit, priùs tamen in genere causæ materialis eandem ligni formam in materia desinere, quàm hæc formam substantialem ignis recipiat, quia illius desitio ad hanc recipiendam ipsius materiæ præparatio ac dispositio est: tam facilè potest & intelligi & defendi id quod à D. Thoma de præfatæ gratiæ prioritate & posterioritate dictum est, cùm ob eandem rationem dictum sit, ob quam illud aliud à Philosophis de formis ignis & ligni dici solet.

III. IV.

Secundum est, dum contingit aliqua esse sibi mutuò causas in diuerso causandi genere, & in quolibet istorum generum reperiuntur multa, quæ ad inuicem comparata seruare dicuntur quemdam ordinem prioris & posterioris, nunquam esse comparandum vnum genus causæ cum altero alterius causæ genere, nec ea quæ sunt vnius generis cum iis quæ sunt alterius. Vnum enim genus causæ comparatum cum altero causæ genere nec prius eo, nec posterius est: similitérque ea quæ sunt generis vnius, nec priora nec posteriora sunt iis quæ sunt alterius generis, quoniam vnius generis causalitas non exercetur erga causalitatem alterius generis, sed vtraque causalitas erga quiddam tertium quod causatur à multis causis, & à singulis in proprio causandi genere.

A

Adde quòd cùm ordo sit habitudo aliquorum ad aliquid vnum quod primum est, aut vnius posterioris ad aliud prius, & proinde in quolibet ordine sit aliquid primum, tot sint autem causarum ordines quot genera, quia vnum genus causæ eo ipso vnus ordo est, in quolibet causandi genere primum aliquid est, & quod est primum illius generis, primum etiam illius ordinis est: quo fit vt nec vnum genus comparari cum altero, nec ea quæ sunt vnius generis comparari cum iis quæ sunt alterius possint tanquam quid prius aut posterius. Nam si sic compararentur illa genera, desinerent esse diuersi ordines, efficeréntque vnicum ordinem, in quo aliquid esset primum, & aliud eo posterius: similitérque si quæ sunt diuersi generis & proinde ordinis, compararentur inter sese, desinerent esse diuersi ordinis, & efficerentur vnius, in quo daretur aliquid primum, quo posteriora essent cætera omnia, quæ seruarent ad inuicem ordinem prioris, aut posterioris, quo propiùs ab essent ab illo primo, vel remotiùs.

V.

B

VI.

Quare cùm ad genus seu ordinem causæ efficientis pertineat actio, ad materialis passio seu receptio, non est comparanda cum passione actio, cum actione passio: sed ex multis actionibus ad eundem causæ efficientis ordinem pertinentibus vna cum altera: ex multis similiter passionibus ad alterum causæ materialis ordinem spectantibus vna cum alia comparanda est: ac proinde in præsenti negotio gratiæ habitualis infusio, vtpote vera actio, cum actione quæ est amoris erga Deum

C

productio, cum ea quoque quæ est productio perfectæ contritionis de peccato: denique cum ea quæ est ipsius peccati destructio seu expulsio rectè comparatur, & vna prior, alia posterior esse dicitur, prout ex vna se mouet agens, vel ab alio agente mouetur ad aliam, non verò cum merè passiua subiecti liberatione, seu vacuitate à peccato, aut cum receptione prædictorum actuum, aut denique cum receptione præfatæ gratiæ habitualis, sed vna passionum seu quasi passionum istarum cum aliis conferenda, eáque prima omnium censenda ad quam aliæ non disponunt, & quæ ad eas dispositio est: vltima autem, ad quam aliæ disponunt, & quæ ad nullam dispositio est: cuiusmodi est ex S. Thomæ sententia, gratiæ habitualis in anima receptio, vt & ex prædictis actionibus, prima est eiusdem gratiæ à Deo productio.

VII.

D

VIII.

Nec dicas, actionem hanc esse non ex nihilo, sed ex subiecto, ac proinde dum concipitur gratiam produci, concipiendum simul esse eam in subiecto recipi, consequentérque si eius productio prior est in genere causæ efficientis prædictis illis actionibus, eiusdem etiam receptionem in subiecto priorem fore in genere causæ materialis illarum aliarum formarum receptionibus: Ne, inquam, id dicas, etsi

enim re ipsa quidem illa actio non ex nihilo, sed ex subiecto fit, & dum ab agente egreditur in subiecto recipiatur, imò idem cum ipsa subiecti passione sit: quoniam tamen vna eadémque res multis inadæquatis conceptibus concipi potest, aliusque est formalis conceptus actionis vt actio est, alius passionis vt passio est, & dum hæc aut illa prior aut posterior quibusdam aliis eiusdem secum generis & ordinis esse dicitur, quibus etiam solis prior aut posterior verè esse potest, vt constat ex antè dictis, consideranda perinde est actio absque consideratione passionis, & passio absque consideratione actionis, ac si vna non esset idem à parte rei cum altera, aut alteram sibi coniunctam reipsa non haberet: hinc fit, vt si actio aliqua sit quibusdam aliis actionibus naturæ ordine prior, non propterea passio identificata illi actioni priori sit prior passionibus quæ posterioribus his aliis actionibus identificantur, imò possit istis omnibus passionibus esse posterior, quia nimirum fieri poterit, vt agens ex illa omnium prima actione quam elicit, se moueat ad reliquas eliciendas, formæque nihilominus per has posteriores actiones productæ, & in subiecto receptæ, passiua sui receptione subiectum in quo recipiuntur præparent, & rite disponant ad receptionem formæ quæ per primam illarum omnium actionum producta est.

I. A

II. B

Tertium est, in momento quo peccator eliciens actum perfectæ Dei dilectionis & de peccato contritionis iustificatur, Deo infundente habitum gratiæ & charitatis, hunc habitum ei non infundi quia contritus est, sed vt conteratur: si enim infunderetur quia contritus est, contritio infusionem illius habitus in genere causæ efficientis præcederet, non verò subsequeretur, vt ex prædicta sancti Thomæ sententia subsequitur: esset enim eius causa efficiens saltem moralis, eo ipso quo moueret Deum, vt propter se elicitam, illum habitum infundere vellet, & reipsa infunderet: sicut & actus augmenti gratiæ & charitatis habitualis meritorius huius augmenti infusionem præcedit in genere causæ efficientis, quia est eius efficiens causa moralis, quatenus mouet Deum, vt propter sui exercitium velit illud augmentum infundere, & infundat: neque tamen inde consequens erit, peccatorem absque consensu suo iustificari, tum quia consensit in sui iustificationem per ipsum quoque gratiæ sanctificantis & charitatis habitum, eo ipso quo liberè exercuit actus eius infusionem tempore præcedentes, quibus ad eum suscipiendum se disposuit: tum quia iustificatur etiam prædictis Dei dilectionis & contritionis actibus, quos eodem momento liberè elicit, quo gratia illa infunditur: tum denique quia non habet Deus huius gratiæ infundendæ decretum, priusquam per scientiam visionis videat illi peccatori daturum se gratiæ actualis & excitantis ad actum illum perfectæ contritionis eliciendum auxilium, cui per scientiam conditionalium præuidit eum consensurum si daretur, sed dum absolute decreuit istud auxilium ei dare, decreuit pariter illum habitum simul infundere, neque tamen deo decreuit infundere, quòd eliciendum illum actum præuiderit, sed vt eliciatur, & quidem connaturaliter: sicut dum decreuit illud auxilium efficax dare, ideo dare decreuit, vt eliciatur ille ipse actus, non quòd in præuisione Dei sit iam elicitus.

III. C

IV. D

Atque cùm hæc ad faciliorem prædictæ sancti Thomæ doctrinæ intelligentiam defensionémque non parum conducant, dissimulare tamen non possum vnum in ea mihi videri mirabile, vnde nimirum S. Doctor sibi persuaserit gratię sanctificantis & charitatis habitum priùs natura à Deo infundi, quàm prædicti dilectionis & charitatis actus à peccatore eliciantur, cùm infundi priùs aut posteriùs ex sola libera Dei voluntate penderet: tam enim poterat nolle infundere nisi præsuppósito istorum actuum exercitio, quàm reipsa noluit, nisi præsuppositis quibusdam aliis actibus elicitis tanquam præuiis ad illam infusionem dispositionibus. Auget non mediocriter admirabilitatem, quòd illi habitus extra sacramentum nunquam intendantur, dum siue præfati, siue alij boni actus exercentur, nisi posteriùs ordine naturæ his elicitis actibus, cur ergo primò infundentur priùs quàm eliciantur? V. VI.

An fortè quis dicet, futurum, vt si priùs hi actus elicerentur, quàm illi habitus primò infunderentur, primam hanc illorum infusionem de condigno mererentur, sicut eorundem augmentum condignè merentur, eo quòd priùs exercentur, quàm augeantur? Sanè qui hoc dicet, fateri cogetur, existimasse S. Thomam prędictos dilectionis & contritionis actus habere per se suáque natura vim sanctificandi formaliter: si enim non habent, nullum periculum est ne condignè mereantur, etiamsi præcedant: hoc autem concesso, quòd scilicet ita existimarit, dico, etiamsi præcedant, vel non esse verè consequens, vt primam prædictorum habituum infusionem condignè mereantur, vel esse: si primum, non potuit iure timere S. Doctor ne condignè mererentur, etiamsi præcedere diceret: si secundum, quare sic mereri dicere timuit? cùm hoc dictum neque Scripturis, neque Conciliis, neque Patribus repugnet, sed solis vt summum Theologis, vt ex suprà dictis constat, quorum tamen authoritate ab hoc dicendo reuocari non potuit, cum ipse primus contrarium dixerit, & ceteris idem secum sentientibus, id & sentiendi & dicendi dux & author fuerit. VII.

Vt vt sit, vnum moneo, ei qui cum sancto Thoma sentit priùs infundi à Deo gratiæ sanctificantis & charitatis habitus, quàm primi perfectæ Dei dilectionis & contritionis actus exerceantur, hosque actus ab illis habitibus tanquam à causis efficientibus oriri, non propterea esse sentiendum, primos quoque supernaturalium virtutum mere moralium actus produci ab earum habitibus, hosque proinde habitus priùs à Deo infundi, quàm illi primi actus exerceantur: non enim hi habitus infunduntur priùs quàm habitualis gratia & charitas infundatur, ex communi Theologorum omnium sententia, proprij autem eorum actus exercentur aliquando à peccatore longo ante gratiæ huius & charitatis infusionem tempore. Quid sit autem de fidei diuinæ primo actu habituque sentiendum, VIII.

consequentérque de spei, cuius eadem in hac parte ratio est, verum scilicet actus habitum etiam tempore præcedat, an secus? in Tractatu de fide disp. 25. sect. 3. & 4. definitum est.

SECTIO XXXII.

Soluitur sextum ex ratione petitum argumentum.

I. SEXTVM & postremum argumentum ex prædicta S. Thomæ doctrina ortum ducit, éstque contritionem non delere peccatũ mortale re ipsa & in actu secundo, contra expressam Concilij Tridentini doctrinam, partim sess. 6. cap. 14. in quo ait sacramenti voto (quod quidem est perfecta contritio) pœnam æternam simul cum culpa remitti: partim sess. 14. cap. 4. in quo similiter inquit contritionem charitate perfectam hominem reconciliare Deo antequam sacramentum actu suscipiatur: non delere, inquam, quia semper per habitum gratiæ sanctificantis natura priùs infusum

II. iam formaliter deletum reperit. Duplex respõsio est: prima Gabr. Vasq. hîc disput. 203. cap. vltimo, Turriani citata disput. vnica dubio 13. aliorumque existimantium per habitum gratiæ natura priùs infusum, deleri quoque priùs ordine naturæ peccatum mortale, quàm dilectionis aut contritionis actus exerceatur. Hi fatentur hunc actum non delere quidem peccatum re ipsa & de facto, eo quòd deletum iam inueniat: asserunt nihilominus rectè dici à Concilio per eum illud remitti, peccatorémque Deo reconciliari.

Primò, quia cùm remittendi formaliter ac reconciliandi vim per se habeat, nec priùs duratione reali remissio hæc & reconciliatio fiat, quàm ille actus adueniat, remittit necessariò, &

III. reconciliat re ipsa & de facto, nisi fortè priùs per aliquid aliud iam remissum inueniat: qua sola conditione subintellecta Concilium loquitur, dum ait, per eum remitti peccatum, & hominem cum Deo reconciliari. Sicut idem Concilium sess. 5. can. 1. diserte pronuntians, primum hominem, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam in qua constitutus fuerat amisisse, cùm tamen re ipsa & de facto tunc non amiserit, quia ex communi Patrum, Theologorúmque doctrina, eam iam ante per aliud mortale peccatum tempore etiam præcedens amiserat, recte id, eo non obstãte, pronuntiat, quia vi transgressionis huius statim amisit re ipsa, nisi fortè priùs iam amissam peccatum istud adueniens inuenerit, & re ipsa statim amisisset, nisi priùs

IV. amissam inuenisset. Sicut etiam dicere omnes solemus, per absolutionem sacerdotis solui peccati vinculum, quòd cùm hoc illa soluere possit, soluit necessariò re ipsa & in actu 2. nisi fortè priùs iam solutum repererit.

Secundò, quia cùm certissimum sit per iustificationem peccata remitti, in momento autem iustificationis extra sacramentum concurrant simul infusio gratiæ habitualis, actus dilectionis Dei, & perfectæ contritionis, & hæc simul sumpta rationem habeãt moraliter vnius formæ iustificantis, & emundantis à peccatis,

A sicut & vnius moraliter mutationis qua peccator physicè mutatur in se, & mouetur ad remissionem peccatorum tanquam ad finem & terminum, vt expressis verbis ait S. Doctor hac quæstione 113. citato articulo octauo, licet hæc singula seorsim ac solitariè sumpta vim habeant remittendi peccatum formaliter, & V.
quod primum ex iis est remittat ante cætera de facto, meritò tamen contritioni hic effectus formalis potiùs quàm aliis tribuitur, tum quia notius est & certius eam in prædicto iustificationis momento quo peccata certissimè remittuntur interuenire, quàm aut actum dilectionis, aut habitum gratiæ: tum quia est vltimum quod in prælata mutatione interuenit, & quod proinde proximè illum remissionis peccatorum finem & terminum quantum ex se est attingit.

Quam similiter ob causam rectè dixit Tridentinum cit. sess. can. 2. Adamum eodem inobedientiæ & præuaricationis seu transgressionis diuini mandati peccato sibi & nobis acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam perdidisse, licet metaphysicè loquendo alio sibi, VI.
alio nobis eam perdiderit, quia nimirum superbia qua similitudinem cum Deo tanquam finem appetiit, & esus fructûs vetiti, quem tanquam medium ad illius finis consecutionem elegit, & adhibuit, licet fuerint peccata specie distincta, & per illud prius superbiæ iustitiam sibi perdiderit, nobis autem per posterius istud inobedientiæ: moraliter tamen habuerunt rationem vnius peccati totalis & integri, sicut habent in moralibus rationem vnius actus humani intentio finis alicuius, & electio, vsurpatióque medij ad hunc finem: cumque in hoc vno moraliter Adami peccato certius & notius sit interuenisse hanc inobedientiam, quàm illam superbiam, & licet vtraque interuenerit, inobedientia tamen postrema fuerit, & in ea totum eius peccatum VII.
consummatum sit, per eámque solam tam sibi quàm nobis acceptam illam sanctitatem & iustitiam amittere potuerit: propterea Concilium eius amissionem huic potiùs inobediẽtiæ quàm illi superbiæ tanquam causæ rectè adscripsit.

Secunda responsio est, non obstante prioritate naturæ qua gratiæ sanctificantis habitus prius infunditur, quàm actus dilectionis Dei & perfectæ contritionis exerceatur, hunc tamen actum tam delere formaliter re ipsa & in actu 2. mortale peccatum, quàm illa gratia deleat: quia cùm hic non minus quàm illa formaliter ei repugnet, simul autem duratione reali subiecto aduenat, tam hic quàm illa subiectum istud ab eo formaliter re ipsa & in actu secundo

D emundat. VIII.

Nec refert quòd in genere causæ efficientis prior illa sit, & ab agente in subiecto producatur: hinc enim vt summum sequitur, vt productio vnius sit naturâ prior productione alterius, & effectus formalis primarius formæ priùs productæ sit eodem naturæ ordine prior altero effectu formali primario formæ alterius productæ posterius: at non vt effectus secundarius vnius sit prior aut posterior natura effectu secundario alterius, cùm & hic effectus sit vnus idemque numero, nempe expulsio vnius eius-

démque formæ oppositæ, peccati mortalis scilicet, & inter illas formas quoad hunc effectum secundarium nullus ordo sit prioris & posterioris, sed vna alteram purè concomitetur. Quare quoad hunc effectum perinde se habent dum simul eadem duratione reali in anima producuntur, atque si vna erga alteram nullam causalitatem exerceret, nullamque proinde rationem prioris aut posterioris obtineret. Quo certè casu nemo dubitaret peccatum tam ab vna quàm ab altera formaliter expelli reipsa & in actu secundo.

Hanc ego secundam responsionem priori censeo præferendam, tum quia propriissimè explicat, vt patet, verba Concilij dicentis contritionem remittere peccatum, & reconciliare hominem cum Deo antequam sacramentum suscipiatur: tum quia expressam D. Thomæ doctrinam continet, qui citato sæpius articulo octauo ordinem naturæ constituens inter quatuor quæ simul in momento iustificationis incipiunt, primo loco ponit infusionem gratiæ habitualis, secundo actum dilectionis Dei, tertio actum perfectæ de peccato contritionis, quarto remissionem huius peccati: quam certè malè quarto loco poneret, si ipsum iam remissum & formaliter expulsum per habitum gratiæ existimaret, antequam eo posteriores dilectionis & contritionis actus exercerentur.

Atque cùm nulla sit ratio putandi, formalem huius ipsius peccati expulsionem esse effectum reipsa & in actu secundo contritionis tertio loco positæ, potiùs quam dilectionis, quæ secundo, aut gratiæ, quæ primo posita fuit, cùm hæ singulæ formæ seorsim ac solitariè sumptæ æquè formalem cum eo repugnantiam habeant, sequitur vt S. Doctor expulsionem hanc non vni potiùs quam alteri tanquam effectum attribuerit, ac proinde vt attribuerit ex æquo omnibus. Qui profectò etiam cùm sentiret habitum gratiæ sanctificantis, quem primo loco posuit, habere cum peccato mortali repugnantiam, nec cum eo posse consistere, nisi idem de actu dilectionis Dei & perfectæ contritionis existimasset, nunquam iis remissionem peccati quarto loco subiunxisset, sed immediate post gratiam posuisset, & ponere debuisset, quandoquidem hæc sola vim illud expellendi formaliter & remittendi obtineret.

Atque hæc de formali gratiæ effectu, qui est iustificatio circa quæstionem D. Thomæ 113. dicta sint: superest vt circa sequentem de altero eiusdem in genere causæ efficientis effectu, nempe de merito dicamus.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm iustorum opera bona saltem aliqua sint de condigno æternæ vitæ meritoria

SECTIO PRIMA.

Nonnulla prænotantur.

AD perfectiorem, faciliorem-que eorum omnium quæ hac & sequentibus disputationibus dicemus intelligentiam, operæpretium arbitror probè nosse veram & propriam meriti rationem seu naturam. Huius rei gratia sciendum in primis est aliud esse meritum, seu, quod idem est, valorem præmij, aliud valorem pretij: quadruplex enim inter vtrumque differentia est.

Prima, ratione subiecti: nam valor pretij non solis inest hominum actionibus, sed etiam brutorum animalium, imò ipsis animalibus, aliisq. rebus inanimatis, cùm constet equum, frumentum, vinum, pannum, aliásque huiusmodi res esse pretio æstimabiles, atque adeo valorem pretij habere: at meritum seu valor præmij solis inest creaturæ rationalis actibus humanis, id est, aduertente ratione ac libere factis, vt & patet ex D. Thoma supra tota quæst. 21. docente meritum esse proprietatem humanæ actionis, & communi omnium Theologorum consensu certum est, imò omnium hominum, vt testis est communis inter omnes loquendi modus, quo, si proprie loqui volumus, dicimus quidem equum, v.g. & vinum tanti valere, non verò tantum mereri: actionem autem humanam, si spectetur præcisè ratione honestatis aut malitiæ moralis quam habet, nunquam dicimus tanti valere, sed tantum mereri, vel demereri. Quod argumento est nos in actionibus humanis, vt bonæ vel malæ moraliter sunt, non agnoscere valorem illum qui est in vino, equo, equi vel etiam hominis colentis alienum agrum, vel quid simile facientis labore, aliisque eius actionibus in alterius commodum factis, præcisè consideratis non vt habent bonitatem vel malitiam moralem, sed vt cedunt aut cedere possunt in alterius commodum siue vtilitatem.

Secunda est, ratione proximi fundamenti: valor enim pretij fundatur in vtilitate quam res habet ad commoda vitæ humanæ: vnde quo aliqua est ad ea vtilior, eo plus valere censetur: at meritum seu valor præmij in bonitate aut malitia morali: quo fit, vt quo humana aliqua actio moraliter melior aut peior est, eo plus aut laudis aut vituperij pro præmio mereatur. Quoniam autem fieri potest vt hominis aliqua actio bona vel mala moraliter vtilis sit ad aliquod humanæ vitæ commodū, vt & alia quæ nec bona nec mala moraliter est, siue hominis, siue alterius creaturæ, rationis, aut etiam sensus & vitæ expertis: ideo actioni humanæ bonæ vel malæ moraliter præter valorem præmij seu meritum potest etiam inesse valor pretij, sed ita tamen, vt hic illi conueniat præcisè ratione prædictæ quam habet vtilitatis, ille verò præcisè ratione solius quam etiam habet, vt supponimus, bonitatis aut malitiæ moralis. Vnde & sanctus Thomas citatæ quæstionis 21. art. 3. & 4. docet humanæ actioni, in quantum

bona vel mala moraliter est, conuenire rationem meriti vel demeriti apud & homines, & Deum.

Tertia, quæ ex superiore sequitur, est, valorem pretij in iis rebus esse circa quas iustitia commutatiua per se versatur, meritum minimè, quod nullo modo per se exigit vt præmiũ quod ei rependitur, repẽdatur ex stricta iustitia, cùm non fundetur in prædicta vtilitate actionum, vt valor pretij, sed in morali honestate, vel opposita turpitudine, nec proinde sit in materia dati & accepti ad vtilitatem, quæ strictæ iustitiæ propria materia est. Vnde etiam est inter virtutes morales specialis virtus, quæ gratitudo dicitur, quæque non est subiectiua iustitiæ strictæ species, vt commutatiua, sed solùm potentialis, vt religio, pietas, & similes, ad quam remuneratio meritorum tanquam proprius eius actus pertinet.

I.

Quarta & postrema est, quòd quia pretium respondens valori pretij quem res habent, perinde est commodum & vtile ad vsus humanæ vitæ, atque eæ ipsæ res aut operationes quibus pretij valor inesse dicitur, potest vna huiusmodi res non minus esse pretium similis alterius, quàm ista altera illius. Vnde etiam antiquitus ante pecuniæ vsum quæcunque res ad humanæ vitæ vsus erant commodæ inuicem commutabantur, & vinum pro pane, bos pro equo, & vice versa dabatur: in qua permutatione vinum, v.c. erat pretium panis habentis valorem pretij, & simul idem panis erat pretium eiusdem vini valorem quoque pretij habentis: at in merito seu valore præmij & præmio nequit ita contingere, nec fieri potest vt præmium habeat rationem meriti respectu rei cuius præmium est, nec meritum rationem præmij respectu rei cuius meritum est, vt inductione certum est.

II.

Sciendum est secundò, proprium respondẽs meritis præmium esse laudem & gloriam, aut increpationem & vituperium, aliquídve laudis & gloriæ vel increpationis & vituperij aliquam rationem habens: ex eo enim quòd actio humana honesta est, meretur ab eo cuius in obsequium fit aliquid laudis quod pro remuneratione retribuatur: & ex eo quòd mala moraliter est, meretur ab eo contra quem fit aliquid vituperationis quod pro pœna rependatur: quod adeo verum est, vt & gehenna inferni rationem habeat increpationis & vituperij, vt in Tractatu de peccatis disput. 17. sect. 1. dictum est, & vita æterna laudis apud Deum, ipsæ quoque pecuniæ quæ aliquando ciui à Republ. aut militi ab Imperatore donantur pro præmio rectè factorum laudis & gloriæ rationem habeant: quo fit, vt in prædicto milite duplicem pecuniam accipiente, vnam pro pretio laborum suorum, alteram pro præmio meritorum, huius & illius pecuniæ hæc differentia sit, quòd illa non magis habeat rationem laudis, quàm quæ pro diurno labore in vinea aut simili re pretio æstimabili datur, hæc verò laudis & gloriæ rationem habeat: vnde & oritur inter vtramque pecuniam discrimen aliud, quòd nimirum illa prior ex stricta iustitia reddatur, hæc posterior ex gratitudine, cuius proprius actus est, vt iam dixi.

III.

IV.

compensatio meritorum.

Ex quibus patet, rectè definiri posse meritum, dignitatem laudis & gloriæ, aut increpationis & vituperij prodeuntem ex bonitate vel malitia morali actionis: vbi per laudem & vituperium debet intelligi quidquid aliquid laudis & vituperij rationem continet, & nomen dignitatis non debet stricte sumi, nimirum vt significat æqualitatem obsequij quod exhibetur alicui cum mercede quæ in eius compensationem redditur, sed latiùs, vt comprehendere possit meritum, quod à Theologis congruum solet appellari.

A

V.

Sciendum tertiò est, meritorum alia de condigno dici, alia de congruo: illa sunt quæ prædictam illam æqualitatem habent, hæc verò quæ eam non habent, atque adeo minùs valent valore non pretij, sed meriti, quàm id quo compensantur, vim tamen aliquam habent ad illud impetrandum. Vnde & impetratoria dicuntur, & huiusmodi sunt vt decenter illo compensari valeant ex virtute gratitudinis, cuius proprium est remunerare merita, non solùm magna, sed etiam parua, non solùm ad æqualitatem meriti, sed etiam supra.

B

VI.

Aduerte autem, cùm dicitur merita condigna habere æqualitatem cum re qua compensantur, non intelligi æqualitatem secundùm quantitatem & perfectionem physicam, & entitatiuam, quæ ne necessaria quidem est, aut reperiri semper potest in pretio quod æquale est rei habenti valorem pretij, eique ex iustitia redditur, vt patet de labore in vinea qui est actio transiens pertinens ad categoriam actionis, cui pro æquali pretio rependitur aliqua substantia, quæ est semper physicè & entitatiuè accidente perfectior, sed intelligi æqualitatem secundum perfectionem virtualem, vt scilicet eodem modo inter se comparentur meritum condignum & præmium quod ei dignè respondet, quo comparantur inter se valor & pretium eius, seu vt meritum condignum tale sit, quod licet secundùm entitatem & physicè sit quid minus præmio, non minus tamen quàm ipsum æstimetur, postulétque sibi rependi illud tanquam iustam parémque mercedem ex lege aut affectu gratitudinis.

C

VII.

SECTIO II.

Quid sit de proposita quæstione sentiendum declaratur, & probatur.

HIs præmissis de proposita hîc quæstione, primò permulti nostri temporis hæretici negant vlla iustorum opera meritoria esse de condigno æternæ vitæ: nec mirum, cùm velint omnia hominum etiam iustissimorum opera peccata esse: quo non obstante ex illis aliqui concedunt nihilominus in multis iustorũ operibus esse meritum aliquod præmij temporalis, aut etiam spiritalis, quod tamen minus sit æterna vita. Verùm cùm ex dictis ad quæst. 18. & 19. & 109. huius partis constet falsum esse omnia hominum etiam peccatorum opera peccata esse, idque doctè refutet Vega lib. 11. in Tridentinum multis capitibus, Bellarminus lib. 4. de Iustificatione à cap. 10. Vasquez hîc disp. 212.

D

VIII.

patet eos nullo fundamento niti, dum negant id quod diximus: qui etiam sibi non constant agnoscentes in iis operibus meritum aliquod præmij temporalis aut spiritalis, sed minoris æterna vita, cùm opera peccati nihil aliud apud Deum mereri quàm pœnam possint.

I. Secundo, concedunt quidem Catholici omnes opera iustorum mereri aliquo modo vitam æternam. Nonnulli tamen ex iis, inter quos sunt præcipuè Burgensis ad Psalm. 35. & Durandus in secundum distinct. 27. quæst. 2. putant ea non esse simpliciter, seu de condigno æternæ vitæ meritoria. Verùm hoc in primis indubitanter & fide diuina certò tenendum est, opera iustorum mereri vitam æternam, dummodo quod iam dico intelligatur indefinitè, tum de bonis iustorum operibus, tum de merito, abstrahendo scilicet à perfecto merito seu condigno, & ab imperfecto seu congruo, tantumque proinde significando, iustorum bonis operibus, si non omnibus, saltem aliquibus aliquam alterutrius meriti rationem conuenire. Quod ita intellectum de fide est, vt dixi, patétque ex Tridentino sess. 6. cap. 16. & can. 26. ac 32. Probatur etiam ex iis omnibus Scripturæ locis, quibus dicitur vitam æternam dandam esse hominibus secundùm opera ipsorum, eisque tanquam coronam & mercedem reseruari, vt Psalm. 55. Matth. 16. Luc. 6. ad Roman. 2. 1. Corinth. 4. Iacobi 1. Apocalyp. vlt. & sæpè alibi. Merces enim & meritum mutuò referuntur, & corona legitimè certantibus danda (nam ex Apost. 2. ad Timoth. 2. *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*) & vita æterna cuique secundùm opera distribuenda, manifestum argumentum est meriti antecedentis, quod mercedis, coronæ, vitæ æternæ donatione tanquam præmio compensabitur.

II. Secundo, certum quoque debet esse aliqua iustorum bona opera esse de condigno æternæ vitæ meritoria: quamuis enim hoc de fide esse non videatur, ideóque Tridentinum supra definiens in operibus iustorum esse meritum æternæ vitæ, nihil de condignitate statuerit: ita tamen sentiunt communiter Theologi omnes, paucis exceptis, vt suprà monui, probatúrque primò ex eo quòd Scriptura & Patres communiter dicunt opera de quibus agimus esse digna Deo, seu fruitione eius: Sap. 3. *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* 2. ad Thessalon. 1. *Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini*, ac sæpè aliàs. Quæ Patrum, Scripturæque verba in proprio sensu accipi debent, cùm nihil cogat nos ea accipere aliter, in eo autem accepta significant in prædictis operibus esse dignitatem illam ad præmium, quam nos meritum condignum dicimus. Et certè sicut dubium esse non potest, quin si Scripturæ & Patres hoc meritum condignum in iustorum operibus agnoscerent, & se agnoscere significare nobis vellent, sufficientissimè & propriissimè significarent dicentes iustos bonis suis operibus esse Deo dignos eiúsque regno: ita nec dubitari debet, quin cùm reipsa nobis ita loquantur, de facto meritum illud condignum significent.

III. Probatur secundò, ex iis aliis Scripturæ Patrúmque testimoniis, quibus æterna vita vocatur corona, merces, stipendium operum bonorum: iis enim vocibus significatur condignitas meriti collati cum præmio, & æqualitas præmij comparati cum merito. Vbi enim hæc æqualitas abest, illæ voces nec à Patribus, nec à Scriptura vsurpantur: vnde nec iustificatio vnquam appellatur corona, stipendium, merces operum bonorum fidei, spei, cæterorúmque eam antecedentium, nec conuersio peccatoris, operum quibus iustus eam impetrat, quantumuis vtraque sint de congruo meritoria illius remunerationis, vt de posterioribus omnes docent, de prioribus autem aliàs ex S. Augustino docuimus, & progressu magis constabit. Quod autem vita æterna nuncupetur corona, & merces, patet ex his Eccles. 18. verbis: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Luc. 6. *Merces vestra multa est in cœlo.* 1. Corinth. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet.* & 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.* Vbi vita æterna non modò corona dicitur, quod satis esset ad nostrum institutum, sed etiam iustitiæ, & reddenda à iusto iudice, vt magis expresse significetur æqualitas valoris eorum operum, & illius remunerationis. Quod denique etiam stipendium appelletur, certum est ex S. Augustino epist. 105. tractante verba illa Apostoli ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors*, vbi ait, ipsam quoque vitam æternam, de qua deinde cap. illo 6. dicitur, *Gratia autem Dei vita æterna*, stipendium dici potuisse, quia sicut merito peccati tanquam stipendium rependitur mors, ita merito bonorum operum à iustis hominibus elicitorum, vita æterna.

IV. Probatur tertiò ex operibus malis, quibus cùm insit condignum æterni supplicij meritum, alioqui ea Deus puniens hoc supplicio ipsa puniret supra condignum, quod de Deo cogitare nefas est, non est quod quis dubiter, quin è contrario in aliquibus saltem operibus bonis iustorum hominum sit æternæ vitæ condignum meritum, alioqui plus posset solus homo ad perditionem suam, quàm idem ipse cum Deo seu quouis diuinæ gratiæ auxilio ad salutem. Non difficulter autem intelligit, quo modo in bono iusti opere possit esse condignum meritum, qui attendit gratiam adoptionis seu formaliter sanctificantem esse semen gloriæ ex 1. Ioan. cap. 3. eâque gratia hominem constitui naturæ diuinæ consortem, ex 2. Petri cap. 1. eademque ipsa informari quodammodo actus bonos qui à iusto homine exercentur, ipsósque per hanc informationem fieri paris cum ea dignitatis, & proinde dignos æternæ vitæ præmio. Hanc enim dignitatem ad æternam vitam si non haberent, paris cum ea dignitatis non essent, cùm hæc homini inexistens ipsum formaliter dignum æterna vita constituat.

SECTIO III.

Obiectiones soluuntur.

AT obiicies primò, sæpe in Scriptura & Patribus vitam æternam vocari hæredi-

tatem, hanc autem dari filiis titulo filiationis, non meritorum. Respondeo ita reuera vocari, sed vocari quoque coronam, mercedem, stipendium, vt probauimus. Vnde concludendum est, eam habere rationem hæreditatis, & mercedis simul: illius quidem, quatenus spectat iustos vt filios: huius verò, quatenus vt bene operantes: I. & quamuis in rebus humanis hæreditas debita filiis titulo filiationis iis non proponatur merito operum acquirenda, recte tamen iustis æterna vita sic acquirenda proponitur, cùm solo titulo gratiæ adoptionis seu filiationis qua vir iustus est Dei filius, non possit obtineri tanta quanta haberi potest, semperque aliquid eius superfit acquirendum bonis operibus & condignis meritis, in humanis autem hæreditas tanta quanta esse potest, solo titulo filiationis haberi queat, & debita sit.

Obiicies 2. cap. 6. Epistolæ ad Rom. vitam æternam dici gratiam Dei: si enim gratia est, profectò non datur ex merito operum. Nam iuxta Apostolum eadem epist. cap. 11. *Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* II. Respondeo cum D. Augustino lib. de correptione & gratia cap. 13. & lib. de gratia & libero arbitrio cap. 8. epist. item 105. vitam æternam, quamuis sit merces, & quidem condigna operum, dici gratiam, non ratione ipsorũ præcise operum quibus tanquam præmium retribuitur, sed gratiæ in qua omnia opera bona & merita fundantur, quæ simpliciter gratia est, quia gratis homini confertur. Vnde etiam duobus illis prioribus locis vitam æternam non simpliciter gratiam vocat, sed gratiam pro gratia, quasi ideo solùm gratia dici debeat, quod retribuatur ei operi bono & merito cuius initium fuit ex gratia, quæ non fuit gratia pro gratia, sed simpliciter gratia, quia purè gratis collata fuit. Quod autem ait Apostolus: *si gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non* III. *est gratia*, dicitur de gratia quæ simpliciter & C purè gratia est, qualis non est æterna vita, cùm sit gratia pro gratia, vt diximus: vel si etiam ad gratiam pro gratia, & proinde ad ipsam quoque vitam æternam extenditur, dicitur ab Apostolo non esse ex operibus, non ratione suæ entitatis præcisè, secundùm quam est merces operum, vt probauimus, sed illius gratiæ in qua omnia opera bona & merita fundamentum habent, quæ reuera ex operibus non est, cùm merè gratis conferatur, nec esse potest, cùm ipsa opera antecedat, hæcque ex illa tanquam effectus ex causa consequantur.

Eodem omnino modo explicanda sunt omnia Scripturæ & Patrum dicta, quibus asseritur vitam æternam dari iustis ex misericordia: ex virtute enim misericordiæ datur respectu gratiæ collatæ gratis, atque adeo ex pura misericordia, IV. D quã gratia tanquam fundamento nituntur omnia opera bona & merita: ex virtute autem gratitudinis tanquam condigna merces operum, respectu suæ præcise entitatis, & vt est clara Dei visio & fruitio.

Atque cùm hæ duæ obiectiones probare contendant in operibus iustorum nullum omnino esse æternæ vitæ meritum, duæ sequentes de solo merito condigno id probare enitentur. Prima petitur ex his Apostoli verbis ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Sed duplex responsio est: vna Apostolum loqui de iis passionibus & operibus per se spectatis, & præcisa sanctitate & dignitate quam habent à gratia adoptionis, quo sanè modo spectata nullum habent condignum æternæ vitæ meritum: altera, de iisdem loqui etiam consideratis vt sunt à gratia adoptionis: at dum negat iis inesse condignitatem ad vitam æternam, solùm negare ipsis æqualitatem cum æternæ vitæ præmio secundùm quantitatem physicam & perfectionem entitatiuam, secundùm quam multùm superatur magnitudine præmij quod æternum & immensum est: nõ vero secundùm quantitatem & perfectionem virtualem suprà declaratam, secundùm quam illi æqualia sunt. Hanc posteriorem loci illius expositionem videtur amplexus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. extremo, & iuxta eam exponendum videtur quod dixit Deus ad Abrahamum Genes. 15. *Ero merces tua magna nimis.* Et Christus de mercede æternæ gloriæ loquens, Luc 6. *Mensuram bonam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinum vestrum*, similésque Scripturæ & Patrum locutiones. Prior tamen expositio menti Apostoli magis conformis est, eamque sequuntur Toletus, Iustinianus, Cornelius à Lapide in eum locum, post S. Augustinum, vt videtur, quia in 67. quæstione libri 83. quæstionum & lib. 5. de Ciuit. cap. 18. passiones huius temporis futuræ gloria indignas appellat, quibus hæc appellatio priore modo spectatis melius quàm posteriore conuenit.

Secunda est, commune esse Theologorum pronunciatum, Deum remunerare merita supra condignum. Verùm eo potiùs significetur in operibus iustorum esse meritum condignum vitæ æternæ, quam non esse: & reuera Theologorum illud vsurpantium mens est eo significare inesse iustorum operibus condignitatem ad gloriam, licet non ad tam intensum eius gradum, quantum Deus ex supereminenti gratitudine retribuit. Vtrùm autem hoc axioma verum sit, nec ne, similitérque istud alterum illi simile, Deum peccata reproborum citra condignum punire, nihil ad quæstionem hac disput. propositam attinet, neque de eorum veritate quidquam certi vel ex Scriptura, vel ex Patribus haberi potest, multoque minus ex ratione. cùm hoc totum ex sola Dei voluntate pendeat. Nam quod dici posset ab immensa sua bonitate moueri, vt & iustis præmia supra condignum retribuat, & reprobis supplicia infra condignum, efficax argumentum non est, vbi alia ad idem probandum argumenta desunt, cùm certum sit Deum bonitate sua multa posse facere quæ non facit, & quæ si faceret, decenter & congruè faceret. VIII.

Vt autem alia omnia quæ contra nostram doctrinam hac disput. traditam obiici ex Scriptura & Patribus possent facile soluantur, duo solùm obseruentur. Primum est, sæpe vbi negare videntur meritum nostris operibus, solùm esse sermonem de iis quæ exercerentur solis arbitrij nostri viribus. Alterum est, sæpe quoque, cùm negare videntur nostris operibus ex gratia adoptionis profectis meritum condi-

gnum æternæ vitæ, reipsa illud non negare, sed solum dicere, quòd æterna vita bonis illis operibus sit de facto reddenda, aut à Deo debita, non esse ex vi & dignitate operum illorum etiam vt ex gratia adoptionis profectorum, sed ex sola Dei voluntate, qua libere voluit ea compensare præmio gloriæ quo ex se digna erant, & qua etiam ad ea sic compensanda se nobis per promissionem suam obligauit, quod verissimum est.

I.

DISPVTATIO XIV.

Quas conditiones habere debeat opus hominis, vt sit æternæ vitæ de condigno meritorium?

SECTIO PRIMA.

Quatuor conditiones referuntur, & probantur.

II.

DE septem conditionibus controuersia esse potest: Verùm facilè consentiunt omnes Theologi quatuor has operi inesse debere: primam, vt sit liberum: secundam, vt moraliter bonum: tertiam, vt hominis iusti: quartam, vt viatoris: & primæ quidem conditionis ad omne meritum siue condignum siue congruum necessitas ex eo constat, quòd sicut per naturalia, siue ea à quibus abstinere nostræ liberæ potestatis non est, mereri non possumus pœnam aut vituperium, ex Philosopho 3. Ethic. cap. 5. & D. August. lib. de duabus naturis contra Manichæos cap. 11. sic neque laudem & præmium, cùm nulla sit causa suspicandi huius & illius meriti non esse eandem quoad hoc rationem: quam etiam vnam eandémque esse voluit D. Thomas supra quæst. 21. artic. 1. & 2. in quibus docens malum patere latiùs peccato, & peccatum culpa, diserte dicit neminem posse laudari aut vituperari nisi ob actionem quæ in eius libera potestate fuerit.

III.

Secundæ verò ad omne meritum siue condignum siue congruum necessitas ex eo patet, quòd operationes quæ moraliter malæ sunt non possunt mereri laudem & præmium, sed pœnam solùm & vituperium: si quæ autem sunt indifferentes etiam in individuo, non laudem potius quàm vituperationem, aut hanc quàm illam merentur: vnde reuera neutram merentur: ex quo sequitur solas bonas esse meritorias laudis & præmij, cùm ex dictis in Tractatu de bonitate & malitia actuum humanorum variis locis, constet præter actiones bonas, malas, & indifferentes, siue secundùm speciem, siue individuum, nullum dari aliud genus humanarum actionum. Ex quo etiam patet, quàm rectè superiori disput. dixerimus fundamentum meriti esse bonitatem moralem, & demeriti oppositam malitiam.

IV.

Iam necessitas tertiæ conditionis probatur, primùm ex authoritate Pij V. & Gregorij XIII. qui vt constat ex propositione 14. 16. 18. & 19. condemnarunt sententiam Michaelis Baij lib. 2. de meritis gratiæ, docentis opera bona facta extra statum gratiæ & adoptionis esse meritoria æternæ gloriæ. Probatur secundò, ex eo quòd homo extra statum gratiæ huius existens in peccato mortali est, in quo quandiu manet, tandiu impossibile est vt vllo opere suo de condigno mereatur vitâ æternam, cùm ratione peccati mortalis in quo manet, vt supponimus, sit dignus æterna damnatione: cum qua dignitate tam repugnat stare simul dignitatem æternæ gloriæ, quàm gloriam hanc cum illa damnatione.

A

V.

Probatur tertiò, ratione à priori ducta ex natura operis facti extra statum gratiæ sanctificantis: illud enim opus, cùm nec oriatur à supposito præhabente sanctificantem gratiam, nec sit ipsum formalis animæ sanctitas seu gratia formaliter sanctificans, alioqui non exerceretur ab homine existente, vt supponimus, extra statum gratiæ sanctificantis, non est opus amici & filij Dei, nec constituit hominem Dei amicum & filium: ergo non potest eum reddere dignum æterna gloria: hæc enim cùm sit hæreditas, quæ non datur aut debetur nisi filiis, nemo potest ea esse dignus nisi sit filius. Atque hæc ratio euincit, quòd quamuis homo extra statum gratiæ sanctificantis existens in peccato non esset, vt si creatus fuisset in pura natura, adhuc nullo opere suo bono ex quocunque gratiæ actualis adiutorio elicito, mereri de condigno posset vitam æternam.

B

VI.

Et sane cùm opus bonum à peccatore elicitum eius peccato non inquinetur, alioqui bonum non esset, non est minùs meritorium laudis & præmij etiam à peccatore elicitum, quàm si homo eliciens, & extra gratiæ sanctificantis statum existens, in peccato non esset: ergo si à peccatore elicitum non potest esse de condigno meritorium æternæ gloriæ, vt non posse esse superiori probatione demonstratum est, nec poterit esse, quantumuis eliciatur ab homine extra statum peccati existente, modò tamen, vt suppono, simul existat extra statum gratiæ sanctificantis. Quod ostendit hanc sanctificantem gratiam, siue habitualis ea sit, siue actualis, cui semper habitualis illa coniuncta est, esse ad condignum æternæ vitæ meritum necessariam, & quidem ita, vt per absolutam Dei potentiam fieri nequeat, vt opus extra statum huius gratiæ factum sit illius vitæ de condigno meritorium, quandoquidem vna ex parte tale opus, vt probauimus, ex se non potest habere illud meritum, siue fiat ab homine peccatore, siue non peccatore: ex altera verò opus quod de se dignum non est aliquo præmio, nulla vel Dei vel creaturæ promissione, acceptatione, aut fauore externo potest eo fieri dignum, vt per se notum arbitror, & hac ipsa disputatione infra ostendam.

C

VII.

D

VIII.

Neque verò quia peccatum de condigno meretur pœnam æternam ex sua propria malitia, nulla alia præsupposita in eo qui peccat indignitate, colligas è contrario opus virtutis mereri de condigno vitam æternam, absque alia dignitate & sanctitate operantis: hoc enim ex illo rectè colligi non potest: tum quia cùm

bonum fit ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus, mirumvideri non debet, ſi quemadmodum plura requiruntur ad actum virtutis quàm peccati, & proinde ad meritum laudis & præmij, quàm pœnæ & vituperij: ita & plura ad meritum æternæ vitæ, quàm damnationis. Tum quia quilibet actus peccati mortalis vi ſua & per ſe conſtituit hominem inimicum Dei, expellítque ſanctitatem & gratiam ab anima, ſi in hac illa præfuit. Vnde nec mirum, ſi quilibet eiuſmodi actus poſſit eſſe æternæ pœnæ meritorius, abſque alia quam quæ ex hoc ipſo peccati actu prouenit ſuppoſiti indignitate: at non quilibet actus virtutis vi ſua & per ſe peccatum excludit, & hominem Dei amicum facit: vnde nec fieri poteſt, vt quiuis eiuſmodi actus de condigno mereatur æternam gloriam, ſed is ſolus qui gratiam ſanctificantem coniunctam habet, cum illa gloria, vt iam dixi, rationem habent hæreditatis, qua nullus dignus eſſe poteſt niſi filius. I.

Quartæ denique conditionis neceſſitas hinc conſtat, quòd certum eſt neminem poſt hanc vitam, ſeu extra ſtatum viæ vltra mereri augmentum beatitudinis. Sed hîc tria circa conditionem hanc aduertenda ſunt. Primum eſt, ſtatum viatoris qui ad promerendam beatitudinem requiritur, non eſſe eum, quo quis quoad corpus tantùm viator eſt, ſed quo eſt quoad animam: vnde Chriſtus qui à primo inſtanti conceptionis viator quidem quoad corpus erat, ſed quoad animam comprehẽſor, & Deum clarè videbat, animæ gloriam & ſtatum comprehenſoris ſibi non meruit. II.

Secundum eſt, ſtatum viatoris requiri ad meritum beatitudinis, non ex voluntate & ordinatione Dei, ſed ex natura rei. Primò, quia ex natura rei eſt, vt qui eſt in termino aliquo, non progrediatur vltra, tendátve in terminum iſtú, omnis autem qui in beatitudine eſt, in termino viæ eſt: & in genere, quiſquis extra ſtatum viæ eſt, eo ipſo cenſetur aliquo modo eſſe in termino viæ: niſi enim aliquo modo in termino viæ eſſet, cùm ante viator eſſet, adhuc in via eſſe dici deberet, & proinde non extra ſed intra ſtatum viæ: ergo ex rei natura eſt, vt omnis qui in beatitudine eſt, & in genere, vt quiſquis extra ſtatum viæ eſt, non progrediatur vltra, tendátve in terminum: atqui terminus viæ eſt beatitudo, mereri autem beatitudinem & eius augmentum eſt verſus eam tendere, & progredi: ergo ex natura rei eſt, vt quiſquis in beatitudine & extra ſtatum viæ eſt non mereatur beatitudinem, vel augmentum beatitudinis: quare opera bona quæ à beatis in ſtatu beatitudinis exercentur, & quidem liberrimè, non habent ampliùs rationem paſſuum & progreſſus verſus beatitudinem, quam habebant dum in ſtatu viæ exercebantur, ſed partus & fructuum ipſius beatitudinis iam adeptæ. III. IV.

Secundò, quia niſi ex rei natura requireretur ad meritum beatitudinis illa conditio viatoris, oporteret, quòd opera beatorum nũc non ſint meritoria augmenti beatitudinis, ſicut in ſtatu viæ erant, omni vel ex eo quòd ex ſe non ſunt digna æterna gloria, voluntate autem Dei digna fuerunt pro hoc ſolo ſtatu viæ: vel quòd illis quantumcunque ex ſe ea dignis non promiſerit Deus eam gloriam, ſeu eius augmentum, nec ad ipſum illa acceptauerit: at primum dici non poſſe & conſtat iam ex ſuprà dictis, & ex mox dicendis conſtabit ampliùs: paulò pòſt enim oſtenſuri ſumus, opus quod ex ſe dignum præmio aliquo non eſt, eo dignum fieri non poſſe purè per externam voluntatem alterius. Secundum verò dici etiam non poteſt, cùm ſupponat requiri ad meritum beatitudinis externam Dei promiſſionem, aut acceptationem, quod hac diſput. falſum eſſe probabimus. A V.

Tertium eſt, cùm dicimus eum qui extra ſtatum viæ eſt, non poſſe mereri beatitudinem, nos loqui ſolum de merito beatitudinis, prout quiſque eam mereri ſibi ipſi poteſt: nec enim dubium quin beati nobis mereri poſſint omnia dona gratiæ, & per conſequens gloriam æternam quæ in eis fundatur, & quin reipſa mereantur toties, quoties ſuis eam precibus nobis à Deo impetrant, quod non eſt ſine aliquo merito ſaltem congruo: cùm vis impetrandi orationi inexiſtens eius meritum ſit, nec aliud eſſe poſſit: nec impetrent ſolùm ob ea merita quæ in ſtatu viæ habuerunt, ſed ob illas ipſas orationes quas in ſtatu beatitudinis faciunt, à quibus moueri poteſt Deus, & reipſa mouetur ad id concedendum quòd petitur, ſicut & ab antiquis illis meritis: alioquin & ſancti, quorum omnia merita etiam congrua compenſata iam à Deo fuiſſent, orationibus ſuis prodeſſe nobis non poſſent, quia nihil impetrare nobis ob illa ſua merita ampliùs poſſent: & pueri cum ſola baptiſmali gratia mortui nihil item orãdo pro nobis prodeſſe nobis poſſent, vtpote quorum nulla merita in ſtatu viæ fuerunt. Nec dubium denique, quin iidem beati ſibi ipſis mereri poſſint exaltationem ſui nominis, & ſimilia pertinentia ad accidentalem beatitudinem, vt boni Angeli laudem & immortales gratias ab hominibus, qui eorum cuſtodia & miniſterio ſalui fient. Ex quibus patet ſtatum viatoris non requiri ad quodlibet & cuiuſlibet rei meritum, licet omnino requiratur, vt quis ſibi æternam gloriam vel de condigno vel de congruo mereatur. B VI. C VII.

SECTIO II.

Quinta conditio quam aliqui requirunt reiicitur.

PRÆTER has conditiones quatuor, multi ſunt qui hanc quintam requirant, nimirum promiſſionem & pactum Dei de compenſando mercede æternæ gloriæ opere illo quod eius meritorium de condigno dicitur, nominatímque Alphonſus à Caſtro lib. 10. de hæreſibus, Verbo, *Meritum*. Vega opuſculo de Iuſtific. q. 5. ad 1. & 3. Scotus & Ocham. in 1. diſt. 17. qu. 2. ille *§. hîc poteſt dici*, hic *§. Ideo dico aliter*. Gregorius item & Gabriel ibidem, ille quæſt. 1. art. 2. hic quæſt. 3. art. 3. dubio 2. ſed hanc conditionem (quæ ſiue ad hoc neceſſaria ſit, ſiue non ſit, minimè deeſt, cùm dubium non ſit extare Dei promiſſionem de compenſandis mercede gloriæ bonis iuſtorum operibus) minimè eſſe neceſſariam D VIII.

ceſſariam docêt huius 14. quæſtionis art.3.ſanctus Thomas, Caietanus, & Conradus: Capreolus & Richardus in 2. diſtinct. 27. ille quæſt.1. art.3. hic art.2. quæſt.3. & alij quos citat & ſequitur Vaſquez hîc diſp. 214.cap.4. quam ego ſententiam amplector pariter, & probo hoc argumento.

I. Si pactum aliquod & promiſſio Dei requireretur, vt opus bonum libere ab homine iuſto viatore factum eſſet de condigno meritorium æternæ gloriæ, ideo requireretur, vel vt in eo opere eſſet ſufficiens dignitas ad hanc gloriam habendam, vel vt Deus obligaretur ex ſtricta iuſtitia, aliáve virtute, ad eam præmij loco reddendam, quòd ad rationem condigni meriti pertinere videatur, vt ſit dignitas præmij orta ex bonitate operis cui præmium illud debeatur, vel ex iuſtitia, vel ex alia virtute, vt fidelitate, nec ex hac vllávealia virtute obligari ad reddendum præmium poſſit Deus, niſi ratione pacti & promiſſionis ſuæ de eo reddendo: atqui non ideo requiritur: ergo nullo modo. Maior certa eſt: nullam enim aliam ob cauſam primæ ſententiæ Authores promiſſionem illam requiri putant, quàm propter alterutram ex duabus allatis. Minor probatur: non enim ob priorem cauſam, tum quia ſicut ex promiſſione, pacto, vel extrinſeca cuiuſquam acceptatione, non poteſt operi accedere bonitas moralis: ita nec præmij dignitas, ſeu condignitas, cùm hæc in illa bonitate fundetur: vnde opera bona hominis iuſti informata ſanctitate gratiæ, vel ante pactum, promiſſionem, & acceptationem Dei condigna ſunt æternæ vitæ præmio, vel ne poſtea quidem erunt, ac proinde nunquam: tum quia ſicut opera mala totam ſuam condignitatem ad pœnam habent non ex comminatione pœnæ, vel pacto, vel promiſſione de ea inferenda, & ratio eſt, quòd vt iis ex iſta promiſſione vel comminatione non poteſt accedere maior malitia, ita nec maior ad pœnam dignitas, quæ tota in illa fundatur: ſic & opera bona totam ſuam ad præmium dignitatem, non ex acceptatione Dei, vel pacto ſeu promiſſione de reddendo præmio: tum denique, quia quis non diceret principem, qui leui alicui obſequio quod ſibi exhiberetur, ingentem promiſiſſet mercedem, dum hanc poſtea rependeret, compenſare illud ſupra eius dignitatem? quod oſtendit manifeſtè ex promiſſione mercedis nullam aduenire operi ad mercedem habendam dignitatem.

II. Vnde concludes, ex Chriſti meritis, cùm hæc tam extrinſeca ſint noſtris operibus, quàm promiſſio & acceptatio Dei, nullam in hæc opera deriuari dignitatem ad præmium diſtinctam ab ea quam habent natura ſua, ſuppoſita in nobis ſanctificante gratia quam habemus ob ipſius Chriſti merita. Quare quod communiter dicitur, opera noſtra, quòd Chriſti ſanguine aſperguntur, plus valere quam alioqui valuiſſent, non ideo dici putandum eſt, quòd præter dignitatem & valorem quem habent ex gratia ſanctificante, Chriſti ſanguis & merita nouam quandam illis dignitatem & valorem præmij conferant, ſed primò quòd nulla niſi ex Chriſti merito opera bona exercemus, & quæ relicti naturæ noſtræ poſſibilitati exercuiſſemus, fuiſſent aut mala omnia, aut partim mala, partim indifferentia, nulla moraliter bona, vt diſputat. 1. probauimus. Secundò, quòd non niſi ex eiuſdem merito gratiam ſanctificantem habemus, ſine qua nullum opus æternæ vitæ de condigno meritorium eſſe poteſt, vt tertiæ conditionis neceſſitatem ſupra probantes oſtendimus. Tertiò & poſtremò, quia eius ipſius meritis tribuendum quoque eſt, quòd Deus iuſtorum bonis operibus rependere pro mercede vitam æternam ſtatuerit, & promiſerit: cur enim non hoc illis, ſicut & cætera omnia gratiæ dona, adſcribamus? maxime cùm potuerit Deus quibuſuis iuſtorum bonis operibus nihil præmij promittere, aut dare, & proinde cerritudo præmij aliquando reddendi reipſa iuſtorum meritis, non ſit ab ipſis meritis, ſed a libera Dei voluntate ac promiſſione.

III. Neque etiam ob poſteriorem cauſam: falſum enim eſt ad rationem condigni meriti pertinere, vt ad præmium, ad quod condignitatem habet, reddendum, vel ex ſtricta iuſtitia, vel aliunde obligatio ſit. Et primo quidem id euinco de ſtricta iuſtitia, eo quòd non poſſet alioquin in operibus iuſtorum eſſe condignum meritum æternæ vitæ, quod ex ſuperiori diſput. falſum eſſe conſtat, cùm nulli creaturæ Deus obligari poſſit ex ſtricta iuſtitia, vtpote qui iuſtitiæ huius capax non eſt, vt in Tractatu de iuſtitia & iure diſput.14. fuse probatum eſt.

IV. Deinde etſi ad rationem meriti condigni pertineret, vt debitum eſſet ex ſtricta iuſtitia, Deúſque proinde iuſtitiæ huius capax eſſet, quandoquidem certum eſt in operibus iuſtorum eſſe condignum æternæ vitæ meritum, non propterea tamen pactum aut promiſſio ipſius neceſſaria cenſenda eſſet, vt in operibus eorum illud meritum exiſteret: obligari enim poſſet ipſe ex ſtricta iuſtitia ad ea compenſanda mercede vitæ æternæ ante omne pactum & promiſſionem ſuam: nam ſatis ad hoc eſſet ipſum vel inuitaſſe hominem ad ea exercenda, vt fecit, vel illa dum exercentur probare & grata habere, vt habet, vel certe vtrumque ſimul: quemadmodum vt vineæ dominus teneatur ex iuſtitia condignam reddere mercedem vinitori, ſufficit quòd eum ad colendam vineam inuitarit, aut quòd colentem videat, & gratum habeat, vel quod vtrumque ſimul adiit, neque neceſſe eſt vt priùs cum illo de pretio conuenerit, aut iuſtum pretium ſe redditurum promiſerit.

V. Iam quod ſupereſt ad integram Minoris in qua verſamur probationem, oſtendo breuiter tribus argumentationibus, ad rationē meriti condigni nullo modo pertinere, vt ad præmium ad quod condignitatem habet ei reddendum ex fidelitate vel aliunde obligatio ſit. Prima eſt. Non requiritur obligatio hæc ad rationem meriti vt meritum eſt, vel condigni vt condignum eſt: ergo ad meritum condignum non requiritur. Conſequ. patet. Probatur antecedens: non ad rationem meriti vt meritum eſt, alioqui requireretur ad omne meritum, cùm tamen ad meritum congruum

non requiratur, vt constat ex oratione iusti, quæ sæpe alicuius peccatoris pro quo fit conuersionem de congruo meretur, neque tamen semper illam obtinet: quam haud dubiè semper obtineret, si Deus ad merita congrua compensanda obligatus esset, cùm deesse obligationi suæ nunquam possit. Et sanè cùm Deus, I. A suppositò quòd strictæ iustitiæ capax non sit, vt non esse paulò antè diximus, nulli creaturæ obligatus esse possit, omnium consensu, nisi ex verbo & promissione sua, cúmque merita omnia congrua compensare nunquam promiserit, sequitur vt ad ea compensanda nullam obligationem habeat. Neque etiam ad rationem condigni vt condignum est, quia ratio hæc nihil aliud dicit quàm condignitatem, seu æqualem præmio valorem, quem oriri aut pendere non posse ex promissione, acceptatione, aut voluntate vlla extrinseca, hic paulò superiùs demonstrauimus.

Secunda ducitur à simili ex operibus malis, quæ sunt de condigno meritoria supplicij, independenter ab omni obligatione ea puniendi supplicio quod condigne merentur. Vnde II. etsi Deus pœnam iis nunquam comminatus B esset, aut promisisset, eam nihilominus de condigno mererentur, eandémque quam modò merentur: neque enim ex eo quòd eam aut promiserit, aut comminatus sit, fit vt ipsam de condigno mereantur, aut vt grauiorem quàm alioqui mererentur: quin potiùs ideo tantam aut tantam minatur, & promittit, quia reuera tantam ex se & malitiæ suæ grauitate promerentur. Cur ergo pari iure opera bona informata sanctitate gratiæ, ex se independenter ab omni Dei de iis compensandis obligatione, aut promissione, non erunt præmij de condigno meritoria, cùm peccata non alio modo se habeant ad supplicium, quàm prædicta opera bona ad præmium, & vt in illis est III. condignitas & meritum supplicij, sic in istis sit C condignitas & meritum præmij?

Neque dicat quis disparem esse rationem in præsenti negotio actus mali & boni, quòd peccator actu suo malo sit obligatus ad pœnam luendam absque vlla comminatione aut promissione Dei, Deus verò ante promissionem suam nullam habeat compensandi bona iusti opera obligationem. Ne, inquam, quis hoc dicat: reuera enim antequam Deus peccatorem, aut quiuis alius iudex reum condemnet ad pœnam qua dignus est, reus hic & peccator nullam habet obligationem pœnæ luendæ, quæ sit proprie & vere obligatio: nam si quis obligationem vellet cum pœnæ dignitate confundere, fateor reum & peccatorem esse peccato præcisè suo obligatum ad pœnam, sed eodem IV. modo vir iustus opere suo bono est ante vllam D Dei promissionem obligatus ad præmium, id est, præmio dignus. Quare si sermo sit de obligatione ad pœnam quæ verè obligatio est, sicut hæc ad condignum pœnæ meritum nullo modo pertinet, potéstque hoc sine illa esse, vt patet ex mortalibus peccatis electorum, quæ sunt digna æterna pœna, ad quam tamen luendam hi nunquam sententia Dei iudicis obligabuntur, item ex peccatis mortalibus reproborum, quæ simul atque commissa sunt æternam pœnam merentur, ad quam tamen non priùs ipsi obligantur, quàm vita functi ad ipsam condemnentur: ita obligatio ista ex promissione Dei vel aliunde de compensandis condignis iustorum meritis ad hoc meritum nullo modo pertinet.

Tertia ducitur à duobus absurdis. Primum V. est, quòd alioqui sequeretur Christum non meruisse de condigno gratiam datam antiquis Patribus, cùm data hæc illis fuerit antequam Christus existeret, ipsi autem, antequam actualem in rebus existentiam haberet, Deus nihil promittere, nec vllum cum ipso pactum inire potuerit, & quod consequens est, nullam de ea gratia danda obligationem habere, quandoquidem non aliunde quàm verbo & promissione sua obligari potest, vt iam diximus, & supponunt nobiscum ij contra quos agimus.

Alterum est, quòd peccata nostra potentiora essent ad damnationem afferendam, quàm Christi opera fuerint ad nostram redemptionem, cùm illa, præciso quouis Dei pacto & comminatione, de condigno damnationis æternæ pœnam mereantur, hæc verò absque pacto VI. aut promissione Dei non fuissent meritoria de condigno redemptionis nostræ: illud autem absurdum esse patet ex epistola Caij Papæ, quæ habetur tomo 1. Conciliorum, Agapeti epistola prima, Leonis sermone 12. de Passione, & epistola 95. alias 97. cap. 2. & epistola 81. alias 83. ante medium, aliisque Patribus contrarium non obscurè significantibus, quorum expressa testimonia in tractatu de Incarn. disp. 6. sect. 2. & seq. referemus.

SECTIO III.

Obiectiones soluuntur.

AT obiicies primò. Vt sint inter homines merita, necessaria est hominis promissio. Respõdeo hoc falsum esse, quis enim neget militem qui fortiter militauit aliquid ab Imperatore meruisse, etsi nulla interuenerit promissio? Quis item non dicat eius merita non fuisse compensata, si nihil accepit, aut si multò minus accepit, quàm operis fortiter gesti magnitudo poscere videatur? VII.

Obiicies secundò. Elias & Enoch bonis operibus quæ continuè nunc exercent, non merentur augmentum gratiæ & gloriæ, alioqui maius tandem aliquando vtriusque meritum haberent, quàm habuerit vnquam vllus Sanctus, aut etiam ipsa beata Virgo, cùm intensissimè operentur, vtpote nullis retardati impedimentis, & tempus quo continuè bene operantur, tanto superet excessu omnem temporis VIII. durationem, quæ aliis Sanctis & ipsi Virgini ad merendum data est: causa autem, ob quam opera bona quæ exercent nunc non sint gratiæ & gloriæ meritoria, alia esse non potest, quàm quòd Deus iis operibus gratiam & gloriam non promiserit: ergo ad meritum promissio necessaria est.

Respondeo aliam causam esse, nempe hanc, quòd sint extra statum viæ, qui, vt ex suprà dictis constat, ad meritum gratiæ

& gloriæ ex natura rei neceſſarius eſt. Nec refert, quòd Deum nunc clare non videant: nam nec vident animæ in Purgatorio exiſtentes, nec videbant animæ priſcorum Patrum quæ erant in ſinu Abrahæ: quo tamen in ſtatu nullum gratiæ & gloriæ meritum habere poterant, vt nec modò poſſunt eæ quæ in Purgatorio ſunt. Nec magis refert, quòd nondum mortui ſint, & aliquando morituri: hoc enim non impedit, quin nunc eo ipſo ſint extra ſtatum viæ, ſecundum quod hic ſtatus ad meritum gratiæ & gloriæ neceſſarius eſt, eo, inquam, ipſo, quo diuinitus tranſlati ſunt ad locum & viuendi modum tam diuerſum à communi cæterorum qui in via ſunt: quo etiam fit, vt opera bona quæ iam exercent, non habeant rationem progreſſus & paſſuum quibus ad beatitudinem contendimus, ſed partus & fructuum ſtatus illius in quo ſunt.

Quam reſponſionem qui non recipiet, videat quid reſpondere poſſit quærenti, vnde fiat, vt opera eorum nunc non ſint digna augmento gratiæ & gloriæ: non enim dicere poteſt digna non eſſe, quòd deſit iis Dei promiſſio, cùm ſupra oſtenſum ſit, quòd etſi ad meritum requiri vtcunque poſſet promiſſio, non tamen poteſt ad dignitatem quam opus habet ad præmium. Quod ſi reſpondeat eſſe nunc digna augmento gratiæ & gloriæ, ſequetur tandem aliquando prædictos viros dignos fore maiori gratia & gloria ea tota quam habet vllus ſanctus, & ipſa B. Virgo, ob rationem antè allatam: quod conſequens ſi quis nobis negat, & nos illi pari iure negare poſſumus illud quod inferebatur, nempe ſi nunc mereantur gratiæ & gloriæ augmentum, fore vt maius tandem mereantur quàm ipſa Virgo habeat. Quòd ſi non videtur abſurdum concedere eos aliquando fore dignos maiori gloria ea quam habet vllus ſanctus, imò & B. Virgo, nec abſurdum erit admittere eos aliquando maioris gratiæ & gloriæ quàm eadem Virgo habeat meritum habituros: quod certe neque de hoc merito, neque de hac dignitate concedendum eſt, proindéque dicendum eos aut nunquam ad tantæ gloriæ meritum & dignitatem peruenturos, etſi nunc bonis operibus quæ exercent continuè mereri ſupponantur, aut quod probabilius eſt, in eorum operibus nunc nullam eſſe ad augmentum gratiæ & gloriæ dignitatem, nullum meritum, defectu conditionis ſtatus viæ, quæ ad hoc & illam ex natura rei neceſſaria eſt.

Obiicies tertiò, D. Thomam artic. 1. docere ordinationem diuinam eſſe neceſſariam ad meritum: at cùm ibidem expreſsè ordinationem illam dicat eſſe virtutem operandi, qualis virtus eſſe non poteſt promiſſio, aut acceptatio, vt per ſe notum eſt: ſequitur eum ordinationis nomine non intelligere acceptationem hanc, aut promiſſionem, ſed interiorem gratiam quam homo à Deo accipit, quæ eſt prædictæ dignitatis meritíque principium.

Obiicies quartò, Concilium Senonenſe cap. 16 requirere ad meritum gloriæ promiſſionem Dei. Reſpondeo non requirere, ſed apertiſſimè tantùm velle, quòd opera noſtra reipſa compenſentur à Deo mercede gloriæ, oriri ex promiſſione Dei, non ex noſtris præcisè meritis: quod veriſſimum eſt, vt iam antè diximus. Et hoc modo exponi poteſt quoddam Moguntinum Concilium ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo, dum in methodo de doctrina Chriſtiana cap. 8. ad meritum vitæ æternæ promiſſionem Dei exigere videtur.

Obiicies quintò, Trid. ſeſſ. 6. cap. vltimo dicere tantam eſſe bonitatem Dei erga homines, vt velit noſtra eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Quibus verbis ſignificatur, fieri potuiſſe vt opera iuſtorum non eſſent meritoria gloriæ, & quòd modò ſint, oriri ex Dei voluntate, ea ſcilicet ad gloriam acceptante. Reſpondeo nihil minùs quàm hoc ſignificari, ſed tantùm, quòd opera noſtra ſint meritoria gloriæ, proficiſci ex Dei bonitate, quatenus ab ea habemus ſanctificantem gratiam, ſine qua nullum eſſe poteſt condignum æternæ gloriæ meritum, non verò quaſi iis elicitis, & ex ſpiritu gratiæ huius profectis, ſit præterea neceſſarius nouus Dei fauor, aut beneuola ſeu acceptatio ſeu promiſſio ad hoc vt gloriam de condigno mereantur.

Quod verò ibidem Concilium habet, nempe proponendam bene operantibus vitam æternam, tanquam gratiam miſericorditer promiſſam, quo modo intelligendum ſit, patet ex iis quæ non multò antè diximus, explicantes quo ſenſu vita æterna, quæ eſt condigna meritorum remuneratio, & ex gratitudine retribuitur, dici gratia Dei poſſit, & ex miſericordia donari. Solùm aduerte, quòd ſi ex iis poſtremis Tridentini verbis colligi poſſet, non eſſe in operibus iuſtorum condignum gloriæ meritum, quia gloria dicitur ex miſericordia & gratia iis reddi, poſſet & pari iure colligi, non eſſe congruum, cùm quod propter eiuſmodi congruitatem datur, detur non ex miſericordia, ſed gratitudine, ad quam pertinet vt compenſare non ſolùm ad æqualitatem meriti, ſed ſupra, ſic etiam compenſare merita non ſolùm condigna, ſed etiam congrua.

Obiicies ſextò, de ratione mercedis eſſe vt reddatur ex debito, & proinde de ratione meriti vt ſpectet mercedem debitam: ita autem colligi ex his Apoſtoli verbis ad Roman. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Et iſtis aliis Diui Auguſtini lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 8. *Si enim ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum* (id eſt, inchoata boni cupiditas) *erit meritum, cui tanquam ex debito veniat gratia adiutorium, ac ſic gratia non gratis donabitur, ſed meritum noſtrum dabitur,* id eſt, ſecundùm meritum noſtrum retribuetur. Quare cùm gloria æterna eſſe non poſſit operibus iuſtorum debita à Deo, niſi ſuppoſita eius promiſſione, vt iam ſæpius dictum eſt, conſequens eſt, promiſſionem hanc ad meritum condignum eſſe neceſſariam. Reſp. primo, hoc ipſo diſcurſu pari iure poſſe concludi, ad meritum etiã congruum promiſſionem eſſe neceſſariam, quod tamen falſum eſſe ſuprà oſtendimus, cùm hoc meritum ſit opus cui merces

imputatur, aut imputari rectè poteſt, & quod ei tribuitur gratis dari dici nequeat, & proinde retribuatur & imputetur ſecundùm debitum, quandoquidem quod non imputatur ſeu tribuitur gratis, ſiue, quod idem eſt, ſecundùm gratiam, imputatur & retribuitur
I. ſecundùm debitum, ex Auguſtino & Apoſtolo citatis : nullum autem debitum Deus habet niſi ex ſua promiſſione, vt conceſſum iam ſæpius eſt.

Reſpondeo ſecundò, debitum duobus modis ſumi poſſe. Primo ſtrictè, quo pacto importat obligationem, quæ dici poteſt iuſtitiæ ſiue ſtrictè ſumptæ, ſiue latè, prout obligatio oritur vel ex iuſtitia ſtricta, vel ex alia virtute, vt fidelitate, & ſimili quæ late iuſtitia nuncupatur, vt & omnis virtus quæ eſt ad alterum. Secundò fusè, quo pacto nullam importat obligationem propriè, appellariſque poteſt debitum decentiæ, qua ratione dicimus proprietates eſſe debitas eſſentiis, & concurſum generalem Dei cauſis ſecundis, quòd nimirum his illum tribui, & illas illis, ſit quid conueniens
II. & rebus ipſis conſentaneum : & hoc decentiæ debitum duplex eſt, vt & meritum, vnumque reſpondet merito condigno, quod appellari poteſt debitum decentiæ condignitatis, ſeu condigni præmij : alterum merito congruo, quod dici poteſt debitum decentiæ præmij congrui. Iam verò dum Apoſtolus & Diuus Auguſtinus locis citatis debitum vlurpant, debitum decentiæ intelligunt, quod nihil nobis nocet, aut fauet aduerſariis, vtpote contendentibus ad rationem meriti requiri non qualecunque debitum, ſed quod propriè dictam obligationem importat.

Et ſane quòd debitum aliud quàm decentiæ non intelligant, ex eo patet, quòd debitum tantum accipiunt, vt opponitur ei quod gratis datur, ei autem quod gratis da-
III. tur non neceſſariò aliud debitum quàm decentiæ oppoſitum eſt, cùm negari non poſſit, quin ſi Deus bonis iuſtorum operibus gloriam nunquam promiſiſſet, & nihilominus retribueret, non gratis eam daret. Quando ergo dicunt, quod propter merita datur, dari ex debito, ac per id ſignificant meritum inferre ſecum debitum mercedis, conſentimus vltro concedentes de debito decentiæ, quod in eo poſitum eſt, vt retribuatur aliquid, quia habita ratione operis & valoris eius conſentaneum & conueniens eſt ita fieri, eaque ex cauſa rationabile vt fiat, quamuis nulla ſit obligatio faciendi, imò neque ſit irrationale futurum ſi non fiat,
IV. quia quando abeſt obligatio aliquid faciendi, quamuis rationabile ſit vt fiat, non tamen ſtatim ſequitur irrationabilem eſſe omiſſionem ſi non fiat, cùm ſubeſſe etiam poſſint iuſtæ & rationabiles cauſæ non faciendi.

Obiicies ſeptimò. Ad quid ergo neceſſaria erat Dei promiſſio de compenſandis mercede gloriæ iuſtorum operibus, ſi non erat vt hanc gloriam de condigno mererentur ? Reſpondeo primùm, vt certi eſſent futurum vt reipſa huius gloriæ mercede aliquando compenſarentur, cùm operum dignitas, vt nullam Deo adfert ipſa de facto compenſandi obligationem, vel neceſſitatem, ita de iſta compenſatione nullam ipſis adferre poſſet certitudinem. Secundo, vt Deus ad ea compenſanda obligaretur, & proinde vt hominibus debitor eſſet, non ſolum debito decentiæ, ſed etiam iuſtitiæ late ſumptæ, quæ A fidelitatem, aliáſque multas eiuſmodi virtutes, quæ ad alterum ſunt, comprehendit. V.
Ex hac enim ſola fidelitatis virtute, quæ promiſſionem neceſſariò præſupponit, Deus homini vel Angelo obligari vel debitor eſſe poteſt debito obligationem inferente.

Neque opponas S. Thomam quæſt. 111. artic. 1. ad 2. debitum à Deo excludere, D. quoque Auguſtinum dum Deo ſic loquitur 1. Confeſſ. cap. 4. *Reddis debita nulli debens.* Solum enim excludunt à Deo debitum ſtrictæ iuſtitiæ, aut aliunde ortum, quàm ex ipſius Dei promiſſione : vnde reddit Deus debita ex vi promiſſionis ſuæ, cùm nihil debeat ex ſtricta iuſtitia. Neque cùm idem ſanctus Thomas ait hac quæſt. 114. artic. 1. ad
B 3. Deum quidem debitorem eſſe æternæ vitæ VI.
reddendæ iuſtis, at non eſſe debitorem ipſis iuſtis, eorúmve meritis, ſed ſuæ ordinationi, quòd æquum ſit ipſum ſuam ordinationem implere, aliud vult, quàm obligationem qua Deus debet & obligatur vitam æternam retribuere bonis iuſtorum operibus, non ex natura ipſorum operum etiam vt in gratia factorum oriri, ſed ex ſola Dei ordinatione ſeu voluntate, qua voluit promittere, & promiſit ſe ea vitæ æternæ præmio compenſaturum : quod etiam non impedit, quominus dici recte poſſit Deus ipſis iuſtis obligatus & debitor reddendi præmij. Vnde & ita loquitur D. Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Apoſtoli ſic inquiens : *Debitor factus eſt Deus, non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo.* Quo pariter modo loquitur rurſum
C ſerm. 151. de tempore, cùm ſic ait : *Promiſſor* VII.
Deus debitor factus eſt bonitate ſua, non præro gantia noſtra.

SECTIO IV.

Alia duæ conditiones quas aliqui requirunt, reiiciuntur.

PRIMA ex duabus & ordine ſexta eſt, vt opus bonum ſit vel actus charitatis, vel alterius virtutis infuſæ & in entitate ſupernaturalis : vel ſi ſit actus ordinis meré naturalis & virtutis acquiſitæ, imperetur ſaltem ab aliqua ſupernaturali & infuſa virtute, & ad eius finem ſeu honeſtatem ordinetur ſeu referatur. At me-
D liùs ſentiunt Capreolus in 2. diſt. 40. quæſt. 1. VIII.
art. 1. concl. 2. Sotus lib. 3. de natura & gratia c. 4. Caietanus ſuprà citata quæſt. 21. art. 3. aliíque multi præſertim recentiores, aſſerentes cuiuis & omni operi bono iuſti hominis, ſiue ſit opus acquiſitæ virtutis, ſiue infuſæ, ſiue ordinis meré naturalis quoad entitatem, ſiue ſupernaturalis, ſiue denique in finem aliquem & honeſtatem infuſæ & ſupernaturalis virtutis referatur, ſiue non, conuenire rationem condigni meriti vitæ æternæ, quæ eſt etiam non obſcura

D. Thomæ ſententia q. 2. de malo art. 5. ad 3. & in 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 5 Vnde quando artic. 4. huius quæſt. 114. in reſp. ad 3. & alibi docere videtur, actus aliarum virtutum quàm charitatis, vt meritorij ſint, debere ab ea imperari, & ad eius finem ordinari, loquitur de eo imperio, & de ea ordinatione, qua eo ipſo dicitur aliquis actus à charitate imperari, & ad eam ordinari, quo elicitur ab homine habente habitum gratiæ ſanctificantis & charitatis: & proinde ſolùm vult, actus virtutum à charitate diſtinctarum, vt meritorij ſint de condigno æternæ gloriæ, prærequirere in operante gratiam & charitatem habitualem: quod verum eſt, & nos ſuprà docuimus.

I. A

Eadem ſententia probatur primò duobus Tridentini Concilij teſtimoniis. Primum petitur ex cap. 10. ſeſſ. 6. in quo Concilium ait, *iuſtificatos euntes de virtute in virtutem renouari de die in diem*, iuxta dictum Apoſtoli, *& creſcere in accepta iuſtitia*, quod eos facere dicit *mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ per obſeruationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ*. Etenim vna quidem ex parte iuſti per

II. B

hanc mandatorum obſeruationem creſcere non poſſunt in accepta iuſtitia, quin per eandem vitam æternam de condigno mereantur, omnium conſenſu: ex altera verò, hæc mandatorum obſeruatio nullum præcedentis alicuius actus charitatis aut alterius ſupernaturalis in entitate virtutis influxum aut imperium neceſſariò prærequirit.

Secundum ſumitur ex cap. 16. eiuſdem ſeſſ. in quo poſtquam dixit, *Chriſtum in iuſtificatos tanquam caput in membra, & vitem in palmites, iugiter influere virtutem quæ bona eorum opera antecedit, comitatur, ſubſequitur* (quo virtutis nomine actualis gratiæ interioris auxilium intelligit, vt diſp. 1. probauimus) ait *eſſe credendum, nihil deeſſe ipſis iuſtificatis, quo minus operibus illis*

III. C

quæ in Deo ſunt facta diuinæ legi plene ſatisfeciſſe, & æternam vitam promeruiſſe cenſeantur. Vbi cùm vna quidem ex parte operibus quæ in Deo facta ſunt, & quibus diuinæ legi plenè ſatisfit, tribuat, vt patet, meritum æternæ vitæ, ex altera verò, quolibet genere operum bonorum etiam in entitate merè naturalium plenè ſatisfieri poſſit legi illi, & opera in Deo facta non ſint ea ſola quæ ſunt in entitate ſupernaturalia, aut ad ſupernaturalem virtutem ordinata, ſed quęcunque efficiuntur illa diuina virtute, de qua Concilium loquutum paulò antè fuerat, & eſt interior, vt dixi, actualis Dei gratia, itavt particula *in* idem valeat atque *per*, iuxta vſitatiſſimum Scripturæ loquendi modum, quorum in

IV. D

operum per hanc virtutem factorum numero continentur omnes actiones bonæ, eæ præſertim quibus plenè Dei legi ſatisfit, quæ, vt monui, poſſunt eſſe merè naturales in entitate, nec neceſſe eſt ad vllam ſupernaturalem virtutem ordinari, cùm hæc, inquam, ita ſint, patet conſequens eſſe, à Concilio meritum æternæ vitæ cuiuis operi bono hominis iuſtificati concedi.

Neque dicas, poſſe nonnunquam ſatisfieri præcepto Dei per opus malum, ac proinde male nos operi tribuere meritum æternæ vitæ, quòd per illud legi Dei ſatisfiat. Ne, inquam, id dicas: non enim vlli operi tribuimus prædictum meritum, eo præciſè nomine, quòd per illud præcepto Dei ſatisfiat, ſed quòd ſit opus in Deo factum, id eſt, auxilio diuinæ gratiæ, quale non eſt vllum malum, & præterea quòd opere illo legi Dei non qualicunque modo, ſed plenè, vt expreſsè Concilium loquitur, ſatisfiat: quo modo per opus malum ei ſatisfieri non poteſt, cùm nullum ſit opus malum quo lex Dei ſaltem ex parte non violetur, eſto eadem ipſa lex eodem opere malo ex parte aliquando impleatur, hanc autem ex parte violare non ſit illi plenè ſatisfacere, vt patet. V.

Probatur ſecundò iis omnibus Scripturæ locis, quæ propè infinita ſunt, quibus aſſeritur operibus miſericordiæ & quibuſcunq. aliis bonis reddendam eſſe à Deo æternæ vitæ mercedem, quibus item ad illa miſericordię opera & quęuis alia bona exercēda inuitamur & allicimur propoſita mercede vitę illius, ſeu quibus, vt cum Apoſtolo loquar 1. Cor. 15. admonemur, *vt abundemus in opere Domini ſemper*, ſeu vt Tridentinum Concil. ſeſſ. 6. cap. 16. loquitur, *in omni opere bono, ſcientes quòd labor noſter non eſt inanis in Domino*. Quo ſententiarum & exhortationum genere pleni omnium SS. Patrum libri ſunt. VI.

Reſpondent aduerſarij primò, his ſimilibúſque locis agi de operibus miſericordiæ, aut etiam aliis bonis virtutis acquiſitæ, & factis ex amore Dei, qui eſt actus charitatis Theologicæ virtutis, iuxta illud Marc. 9. *Quiſquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo.* vel vt dicitur Mat. 10. *in nomine diſcipuli.* & iuxta iſtud Ioan. 12. *Si quis mihi miniſtrauerit*, in meis ſcilicet diſcipulis, *honorificabit eum pater meus.* Verùm hæc reſponſio nulla eſt. Etenim SS. Patres aperte docent verba illa *in nomine meo, in nomine diſcipuli*, aliáque ſimilia iis locis quibus ponuntur, poni tantùm ad excludendum prauum finem, iiſque ſignificari ad promerendam & recipiēdam vitam æternam, non eſſe ſatis id quod

VII.

alias bonum eſſet facere ad oſtentationem, aut alium malum finem, ſed fieri neceſſariò debere ex affectu virtutis: qua de re videatur Chryſoſtomus homil. 36. in Matth. Theophylactus & Euthymius in citatum locum Matthęi, præſertim autem D. Auguſtinus tract. 51. in Ioan. vbi explicans prędicta Chriſti verba: *Si quis mihi miniſtrauerit*, &c. & dicens Chriſtum verbis illis promittere vitam æternam pro exhibito ſibi miniſterio, diſerte docet eundem Chriſtum per illa verba nihil aliud exigere, quàm vt eleemoſyna v. c. quę pauperi fit, & quam pauperi factam reputat factam ſibi ipſi, procedat ex miſericordia, non ex iactantia, & aliud in ea non quęratur quàm bonum. Vnde ſubdit non Epiſcopos tantum & Clericos Chriſto miniſtrare, ſed quoſcúque alios bene viuendo, eleemoſynas faciendo,

VIII.

imò ipſos quoque patresfamilias domum adminiſtrando: quæ omnia, vt conſtat, fieri poſſunt abſque actu charitatis erga Deum: niſi fortè quis cum eodem Auguſtino bonum illud opus miniſtrandi Chriſto appellet opus charitatis, ſed per charitatem cum ipſo pariter intelligens non Theologicam illam virtutem, quę fidei & ſpei annumeratur, at miſericordiam & charitatem erga proximum, aut etiam quemlibet virtutis actum, quo modo ipſum ſępe loqui diſp. 1. ſect. 4. oſtenſum eſt.

Secunda reſponſio eſt, Scripturam, Concilia, & Patres agnoſcere quidem & docere opera miſericordiæ, temperantiæ, iuſtitiæ, & ſimilia ab homine iuſto profecta eſſe meritoria æternæ gloriæ, abſque relatione in vllum alium finem aut honeſtatem quàm propriæ virtutis: at loqui de miſericordia, iuſtitia, temperantia non I. acquiſita, ſed infuſa, ſimilibúſque aliis virtutibus infuſis quæ ſunt in entitate ſupernaturales. Verùm hæc reſponſio præcedente nihilo melior eſt. Primò, quia quamuis non negem, quin præter fidem, ſpem, & charitatem virtutes Theologicas, ſint ex moralibus aliquæ infuſæ & ſupernaturales eiuſdem nominis cum acquiſitis, tamen cùm iſta Moralium virtutum in infuſas ſiue ſupernaturales, & acquiſitas, ſiue naturales diſtinctio nunquam à Conciliis aut Patribus tradita fuerit, ſanè quod abſolutè pronuntiant opera miſericordiæ, temperantiæ, & ſimilia hominis iuſti eſſe meritoria vitæ æternæ, non poteſt ab iis eſſe pronuntiatum de ſolis infuſis & ſupernaturalis ordinis virtutibus moralibus, ſed æquè ſaltem de acquiſitis & II. naturalis ordinis, atque de illis infuſis & ſupernaturalibus: imò de his potiùs quàm de illis illud pronuntiaſſe putandi ſunt, cùm loquantur aut ſolùm aut præcipuè de operibus bonis, quæ ſunt in communi hominum vita, quæ haud dubiè ſunt multò magis acquiſitarum virtutum quàm infuſarum propria.

Secundò, quia quæ primo noſtro argumento ex Tridentino produximus, optimè quadrât in actus acquiſitarum virtutum: nam verum eſt iuſtos iis actibus mortificare membra ſeu deſideria carnis ſuæ, parere præceptis Dei, & Eccleſiæ: cùm certum ſit neminem obligari ad ea ſeruanda ex motiuo aut fine aliquo ſupernaturalis virtutis. Verum item eſt eos actus in Deo fieri, id eſt, ex auxilio gratiæ Dei, cùm ex dictis & probatis diſput. 1. tam multis ſectionibus ad III. omne opus bonum gratia hæc neceſſaria ſit: & C hoc ſaltem verum eſt de iiſdem actibus quando ſunt inſignes, & vt exerceantur notabilem aliquam difficultatem habent: qui tamen ſi in homine iuſto ſunt meritorij gloriæ, vt contendimus, erunt etiam alij minùs inſignes, & ad exercendum faciliores, cùm bonitas actuum hoc ſolo nomine differentium, quòd alij ſint aliis magis inſignes, alij minùs, eiuſdem rationis ſit, & diuerſa tantùm ſecundum magis & minus: quod facit quidem vt alij aliis maioris gloriæ meritorij ſint, ſed non vt quidam ex iis illius ſint meritorij, alij non ſint.

Atque his circa ſextam conditionem hactenus dictis non ſolùm oſtenſum eſt eam minimè eſſe requirendam ad condignum æternæ vitæ meritum, ſed ſimul etiam efficaciter probatum, IV. ſeptimam quam ad hoc ipſum requirit Dio- D nyſius Ciſtercienſ. in 3. quæſt. 3. artic. 3. nimirum vt opus bonum ſit conſilij, non præcepti, nihilo magis requiri debere: bonis enim præcepti operibus, & non ſolis conſilij, iuſti membra carnis ſuæ mortificant, plenè ſatisfaciunt legi Dei, & Eccleſiæ præcepta obſeruant, eadem opera in Deo fiunt, cùm ad hæc gratia Dei neceſſaria ſit, & quidem aliquando maior quàm ad aliqua quæ conſilij ſunt, vtpote quæ quibuſdam quæ ſunt præcepti faciliora ſunt.

Denique habent omnia quæ Tridentinum citatis locis requirit in operibus iuſtorum, vt æternæ vitæ meritoria ſint. Adde quòd cùm nihil magis proprium ſit rationali creaturæ, quàm tendere & peruenire ad ſuum finem, obſeruatione mãdatorum ſibi impoſitorum propoſiti finis conſequendi gratia, non poteſt eſſe in vllo eius opere meritum æternæ vitæ, A V. aut poteſt etiam in iis eſſe quibus mandata illa obſeruantur.

SECTIO V.

Duplici obiectioni, duplici item quæſtioni reſpondetur.

IAM obiicies primò, pro ſextæ conditionis neceſſitate tuenda, actus virtutum acquiſitarum, quibus tribuimus condignum æternæ vitæ meritum, à gratia non procedere, quod tamen ad hoc meritum neceſſarium eſt. Sed facilè reſpondeo: Si de actuali gratia ſermo ſit, falſum eſſe, vt conſtat ex dictis citata diſput. 1. B Si verò de habituali, verum quidem eſſe non VI. procedere ab ea effectiuè, quo pacto procedit actus fidei aut ſpei ab habitibus eiuſdem nominis, hocque non requiri ad meritum de quo agimus, alioqui ſolus actus charitatis qui ab ea ſic procedit (nam habitualis charitas eſt gratia ſanctificans vt 2. diſputat. probauimus) eſſet de condigno vitæ æternæ meritorius: procedere nihilominus ab ea, id eſt, à ſuppoſito eam habente, & hoc ad prædictum meritum ſufficere.

Inſtabis, vt ratio meriti de qua agimus inſit actui, oportere eum à ſanctitate perſonæ operantis affici per modum circunſtantiæ, non poſſe autem ab ea ſic affici, ſi non ab ipſa procedat hac ad illius productionem in genere cauſæ efficientis vel immediatè vel mediatè ſaltem influente. Sed reſpondeo poſſe ab ea VII. per modum circunſtantiæ affici, etiamſi ab ipſa non procedat efficienter vel immediatè vel mediatè, vt patet ex qualitate perſonæ ſacræ, quæ per modum circunſtantiæ afficit fornicationis actum, qui tamen ab illa qualitate nec mediatè nec immediatè effectiuè oritur. Quare ſicut hæc qualitas perſonæ operantis tribuit actui fornicationis malitiam ſacrilegij, licet nullo modo ſit cauſa efficiens huius actus: ita ſanctitas perſonæ quamuis ad aliquos virtutis actus nullo modo concurrat effectiuè, tribuet tamen iis condignum æternæ vitæ meritum, quod alias non haberent, quia eo non obſtante illi actus ſunt opera filij & amici Dei facta in eius obſequium, proindéque digna mercede filiorum & amicorum, quæ eſt æterna gloria. VIII.

Obiicies ſecundò, pro defendenda ſeptima conditione, Chriſtum Luc. 17. de ſeruo qui debitum obſequium Domino ſuo reddidit ſic loquentem: *Nunquid Dominus gratiam habet ſeruo illi? non puto: Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, quia ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* Verùm his verbis non vult Chriſtus, ſeruum illum, qui ea tantùm facit ad quæ obligatur, nullam propter hæc mercedem ſibi debitam

à Domino recepturum esse, sed solùm non relaturum ab ipso eam specialem gratiam, quam refert alius, qui præter ea ad quæ tenetur, alia quoque in obsequium eius facit. Ita & eum qui Dei præceptis adimplendis tantùm incumbit non caritarum quidem mercede præceptorum obseruationi debita, sed non accepturum eum peculiarem gratiæ & gloriæ gradum, quem accipit is, qui præter obseruationem mandatorum, quæ consilij sunt etiam exequitur. Monet autem Christus, vt is qui ea sola quæ præcepti sunt sectatur, seruum inutilem se nominet, non quòd nullam propriè dictam vtilitatem Deo afferat, nam nec vllam etiam talem ei afferre potest qui consilia sectatur, sed quòd multò minorem afferat, improprio scilicet vtilitatis genere, eoque quod à creatura in Deum deriuari potest, quàm is qui omnia præcepta & quæ consilij sunt simul exercet: sicut in rebus humanis seruus ille qui præter ea ad quæ facienda obligatus est nihil faceret, diceretur inutilis domino, respectu serui alterius, qui omnia ad quæ tenetur impleret, & præterea in quibuscunque aliis posset, commodum & lucrum domini sui quæreret.

Sequitur vt ad quæstiunculas duas, quæ occasione præcedentium hîc fieri possunt, respondeamus. Prima est, cur peccata quæ venialia tantùm essent, & digna pœna temporali, si fiant ab homine existente in statu peccati mortalis, atque adeo inimicitiæ Dei, non eo ipso reddantur digna pœna æterna, atque adeo mortalia sint, sicut è contrario opera bona virtutum à charitate diuersarum, quæ ex se digna non essent æternæ vitæ præmio, si exerceantur ab homine in statu gratiæ & charitatis existente, eo ipso euadent digna præmio illo? Respondeo causam esse, quòd omne opus bonum factum in gratia est opus filij & amici Dei, dignum proinde mercede filiorum & amicorum, quæ apud Deum est æterna gloria. At quamuis omne peccatum commissum ab homine in peccato mortali existente sit opus inimici Dei, cùm tamen ex natura rei sit, vt ex offensis inimicorum aliæ graues sint, aliæ leues, nam inimicus inimicum suum offendit aliquando grauiter, aliquando leuiter: ex natura quoque rei est, vt peccatoris inimici Deo peccata aliquando grauia sint seu mortalia, aliquando leuia seu venialia tantùm, & ex consequenti leuem solùm per se & temporalem pœnam mereantur.

Secunda est, cur actus qui alias boni per se essent, si ab homine peccatore exerceantur, non eo ipso fiant mali, sicut ex oppositio actus qui per se digni æterna gloria non essent, eo ipso quo ab homine iusto fiunt, digni ea gloria reddantur? Respondeo, quòd sicut opera peccati venialis quæ iustus exercet, nullam ab eius iustitia & sanctitate bonitatem hauriunt, ita & opera virtutis quæ facit peccator nullam ab eius peccato malitiam capiunt. Ratio autem est, quòd vt offensa & peccatum ex natura rei est materia remissionis, seu res cui conuenit posse remitti, ita ex natura rei esse debet, vt actu aliquo suo peccator disponere se possit ad remissionem offensæ suæ & peccati accipiendam, cùm sit maximè conueniens, vt quod propria voluntate contractum est, remittatur ex præuia aliqua propriæ voluntatis dispositione ad remissionem. Ex natura ergo rei etiam esse debet, vt non quilibet actus alias bonus peccatoris fiat malus eo ipso quo à peccatore exercetur, alioquin hic nullo suo actu disponere se posset ad remissionem peccati sui consequendam.

DISPVTATIO XV.

De rebus in meritum bonorum operum cadentibus.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm homo mereri sibi primam gratiam possit?

DISPVTATIONEM hanc instituimus, non vt in particulari de re qualibet examinemus vtrũ cadere possit in meritum bonorum operum, an non possit, sed vt de iis id inuestigemus, de quibus agit S. Thomas quæstionis 114. artic. 5. & seqq. circa quos articulos hæc à nobis Disputatio instituitur, sicut & duæ quæ præcedunt circa præcedentes eiusdem quæstionis articulos institutæ sunt. Nomine autem primæ gratiæ de qua hac sectione agimus, intelligere possumus vel primum actuale gratiæ excitantis auxilium, vel primam gratiam formaliter sanctificantem, seu qua primò transfertur homo à statu peccati ad statum diuinæ gratiæ & amicitiæ. Et quidem si auxilium illud intelligimus, certum esse debet, hominem nullo opere suo bono vel antecedente vel consequente donationem illius auxilij posse ipsum mereri merito etiam congruo. De antecedente id demonstrauimus in Tractatu de Deo disput. 38. sectione 3. & 4. de consequente verò, sectione 7.

Sin autem intelligamus hanc primam sanctificantem gratiam, certum in primis est apud omnes Theologos, hominem eam de condigno mereri non posse bonis operibus eius donationem antecedentibus, cùm hæc opera fiant in statu peccati mortalis, in quo quandiu quis permanet, nullum habere condignum gratiæ diuinæ meritum potest, cùm per illud suum peccatum dignus sit, vt æterna damnatione, sic priuatione omnis diuinæ gratiæ in perpetuum: & quamuis mortali peccato careret, vt si in statu puræ naturæ fuisset conditus, bonis tamen operibus ex auxilio gratiæ excitantis & adiuuantis elicitis illam primam gratiam sanctificantem antecedentibus mereri ipsam condigne non posset, vt sectione prima superioris disputationis probatum est.

Certum deinde esse debet, hominem eam mereri non posse merito etiam congruo vllis operibus eandem ordine naturæ consequentibus, ob eandem causam, ob quam principium meriti in meritum etiam congruum cadere non potest. Meritum enim, vt meritum in genere, rationem causæ efficientis obtinet erga rem quam meretur, & quæ ei tanquam præmium reponditur: bonum igitur opus quod illam primam

gratiam de congruo mereretur, eo ipso quo mereretur, eam in genere causæ efficientis ordine naturæ præcederet: non ergo sequeretur vt supponimus, aut certè causæ possent sibi esse inuicem causæ in eodem etiam causæ genere, quod impossibile est.

I. Vtrùm autem mereri de congruo possit bonis operibus quæ ipsam antecedunt, & in statu peccati etiam mortalis exercentur, nonnulla inter Theologos controuersia est. Negant enim Capreolus in 2. dist. 40. quæst. 1. & in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 3. ad argumenta Henrici contra secundam conclusionem, & Dom. Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 4. sed affirmant communiter cæteri, quorum sententia vera est, & probatur primò ex his Scripturæ verbis Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, quibus significatur esse tantam vim in operibus misericordiæ ad veniam impetrandam à Deo, vt iis homo misericordiam eius & gratiam emere quodammodo posse videatur: quod sanè non ita esset, nisi iisdem eam de congruo saltem mereretur. Ex istis quoque ad Hebr. 13. II. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Siue, vt ex textu Græco loci illius habet S. Augustinus lib. 10. de Ciuitate cap. 5. & alij, *placatur*. Quorum verborum sensus est, Deum beneficentiæ operibus & communicationis bonorum suorum factæ pauperibus, quasi quibusdam sacrificiis placari, seu reconciliari ab inimicitiis præcedentibus ex peccato natis.

Probatur secundò authoritate S. Augustini multis locis, vt epistola 89. quæst. 4. in qua sic ait. *Si dives epulo pauperis vlceroſi misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam*: & 105. columna 3. in qua etsi primò videatur velle nullum inesse meritum bonis peccatorum operibus, hæc vsurpans verba, *Quid enim boni meriti habere possunt peccatores?* id tamen minimè III. vult, ad hanc enim interrogationem quasi pro ratione dubitandi propositam, his respondet verbis: *Sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat, neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori.* Quibus & manifestè tribuit fidei meritum aliquod ad peccatorum remissionem, ac proinde ad formam formaliter iustificantem seu sanctificantè consequendam, & hoc meritum impetratorium appellat, seu vim impetrandi quam habet fides, meritum eius esse dicit, contra Theologos illos qui vnum ab altero distinguũt, & vim quæ orationi inexistit impetrandi à Deo quod petitur, meritum eius etiam congruum esse negant: & epist. 106. columna 4. vbi sic loquitur. IV. *Iustificati autem ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, iustificati autem gratis per gratiam ipsius, ne fides ipsa superba sit. Nec dicat sibi, si ex fide, quomodo gratis? quod enim ex fide meretur, cur non potius redditur quàm donatur? non dicat ista homo fidelis, quia cùm dixerit, vt merear iustificationem, habeo fidem, respondetur ei, quid habes quod non accepisti? Cùm ergo fides impetrat iustificationem, sicut vnicuique Deus partitus est ipsius mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri* (fidelicet promerente iustificationem, & impetrante) *vt aucta mereatur perfici.*

Vnde lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. negat initium fidei ex nobis esse, quòd inde consequens foret, nos priores aliquid Deo dedisse, *vt retribueretur nobis*, inquit, *supplementum eius*, id est, illius fidei incrementum, *& si quid aliud fideliter poscimus*: quibus verbis aperte significat fidei & orationi cætera retribui, ac proinde inesse iis aliquod ad hæc impetranda meritum: quod adhuc clariùs significauit hæc ibidem subiungens verba, *Quis dicat eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri?* Libro autem de spiritu & litera cap. 32. versus finem sic scribit: *Vnde ista dilectio & charitas, per quam fides operatur, nisi vnde illam fides impetrat?* Quo loco tribuens fidei vim impetrandi tribuit meritum, cùm ex eius mente, vt paulò antè vidimus, vnum ab altero non differat, aut saltem cum eo inseparabiliter coniunctum sit: tribuens autem vim impetrandi charitatem Deique dilectionem, tribuit vim impetrandi iustificationem, cùm hæc charitas aut sit ipsa forma iustificans formaliter, aut cum ea semper coniuncta sit. Denique tract. 44. in Ioannem hæc verba cæci nati: *Scimus quia peccatores Deus non audit*, falsitatis arguens, sic ait: *Si peccatores Deus non audiret, frustrà ille Publicanus oculos in terram demittens diceret, Deus propitius esto mihi peccatori: & ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste cæcus illuminationem.*

Neque verò sanctus Augustinus, vel ex rei veritate, vel ex mente S. Doctoris hac quæst. 114. art. 5. ad primum, retractauit vnquam hãc suam de merito peccatoris iustificationem promerentis doctrinam: dum enim hoc in peccatore meritum admittit, per iustificationem intelligit solam formam formaliter iustificantem qua peccatorum remissio fit, quámque propterea gratiam remissionis peccatorum frequenter appellat: at dum retractat quod libro expositionis epistolæ ad Romanos cap. 60. docuerat, nempe fidem ex nobis esse, nõsque proinde iustificationem promereri, per hanc non illam præcisè formam intelligit, sed iustificationis gratiam: qua Patres antiqui Conciliáque semper comprehenderunt ipsum quoque primum gratiæ actualis auxilium: quo sensu sumptam iustificationem nullus hominum mereri vllo modo potest, cùm hæc omnis humani apud Deum meriti principium sit, vt de Deo tractantes citata 38. disputatione fusè probauimus.

Vnum S. Augustino adiungo Ambrosium lib. 2. de pœnitentia cap. 3. sic de filio prodigo pœnitente scribentem: *Meruit stolam, annulum, calceamentum.* Et nonnullis interiectis: VIII. *Tam citò veniam meretur, vt venienti & adhuc longè posito occurrat pater, & osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis, & stolam proferri iubeat, qua est vestis nuptialis.* Per quam proinde stolam sanctus Ambrosius gratiam sanctificantem intelligit, cùm hæc gratia vestis nuptialis sit, qua qui carebit, à conuiuio Regis cœlestis excludetur, & in exteriores tenebras proiicietur.

Probatur postremò hac ratione. Potest pec-

cator bonis operibus mereri sibi de congruo aliquod diuinæ gratiæ donum, ergo & ipsam gratiam formaliter sanctificantem. Antecedentis veritas constat ex communi consensu sanctorum Patrum agentium contra Semipelagianos admittentes aliquod initium gratiæ ex nobis, & imperfectú aliquod ad eam consequendam meritum: quos nunquam ex eo coarguerunt, quòd homo peccato contaminatus nullam à Deo gratiam mereri possit, ex quo tamen eos facilè conuicissent erroris, & conuincere non omisissent, si id verum existimassent, imò contra quos hoc inter cætera argumento frequenter vsi sunt, vt citata disput. 38. vidimus, quòd nimirum ex hac eorum doctrina, qua fidem, aliudve simile bonum opus ex solis nostræ naturæ viribus esse dicebant, consequens esset, nos ex nobis habere meritum gratiæ: quod sanè non esset ex eorum mente consequens, nisi pro certo haberent peccatorem bonis suis operibus posse aliquod à Deo gratiæ donum promereri. Consequentiæ bonitas hinc constat, quòd nihil impedire possit, quominus homo in peccato existens sanctificantem gratiam mereri merito congruo possit, si potest aliquod aliud gratiæ donum, cùm præsertim ad hoc meritum non requiratur æqualis valor & dignitas operis cum illa gratia, imò abesse debeat, quia si adesset, non esset eius meritum congruum, sed condignum, sed necessaria solùm sit & sufficiat vis aliqua eam à Deo impetrandi, sic vt hanc ipse decenter conferre possit ob bonitatem illius operis: quæ vis deesse non potest aliquibus bonis peccatoris operibus: tum quia etsi gratia sanctificans sit maius Dei beneficium multis aliis gratiæ donis, potest tamen bonorum eius operum bonitas & valor ita excrescere, vt tantam cum hac sanctificante gratia impetranda proportionem habeant, quantam habent aliqua alia eiusdem opera bona cum quibusdam aliis gratiæ donis minoribus quæ congruè meretur: tum quia non potest non esse Deo maxime congruum ac decens misereri eius, qui orationibus aliisque pietatis operibus quantum potest conatur eum ad misericordiam inflectere, & quidem misereri intuitu bonorum istorum operum, quibus proinde non potest non inesse congruum consequendæ misericordiæ meritum.

Ex dictis duo concluduntur. Primum est, non illud solum bonum opus, quo peccator proximè disponitur ad gratiam formaliter iustificantem, esse de congruo meritorium huius gratiæ, sed multa quoque alia eius opera bona proximam hanc dispositionem præcedentia esse posse similiter illius gratiæ meritoria: quod nominatim de actu fidei docuit multis locis S. Augustinus, vt suprà vidimus, qui tamen actus non est proxima ad illam gratiam dispositio.

Secundum est, non quodlibet bonum opus à peccatore elicitum hoc habere necessario meritum congruum. Cùm enim nec quodlibet opus sit cuiuslibet præmij de congruo meritorium, nec Deum hominémve deceat cuilibet operi bono siue obsequio sibi exhibito quantumvis exiguo retribuere quodlibet quantumuis ingens præmium, sed certa quædam inter hoc præmium & illud obsequium proportio necessaria sit, vt illud huic decenter vel a Deo, vel ab homine retribui possit, facilè fieri potest, vt alicui operi bono quod peccator eliciet, desit hæc cum gratia sanctificante proportio, cuius proportionis defectu hanc illud ne congruè quidem merebitur.

Cæterùm doctrinæ hactenus traditæ & probatæ non repugnant in primis Scripturæ, Concilia, & Patres, dum dicunt nos iustificari gratis: iustificationem enim accipiunt non pro sola præcise forma formaliter sanctificante, & delente peccatorum maculas, sed pro serie & collectione gratiarum omnium à prima ad vltimam inclusiuè, quibus inchoatur, promouetur, tandèque perficitur ipsa iustificatio: quam collectionem mereri non possumus, quia primam saltem quæ in ea includitur non possumus mereri, cùm omnis nostri meriti sit principium.

Nec repugnat deinde S. Thomas hac prima secundæ quæstionis 112. art. 2. ad 1. dicens in homine etiam per gratiam iustificato nullum meritum esse posse nisi ex hac gratia. Et quæst. 114. art. 5. clarè pronuntians hominem primam gratiam nullo modo posse mereri: priore enim loco loquitur de solo merito condigno, & quidem solius æternæ gloriæ, vt patet ex artic. 2. quæstionis huius 114. ad quem remittit sese: posteriore autem primæ gratiæ nomine, non primam formaliter iustificantem, sed primum gratiæ actualis auxilium intelligit, vt & ex articuli corpore, & ex responsione ad primum clarum est. Nec denique repugnant Theologi communiter docentes opera bona in statu peccati mortalis facta ad vitam æternam non conducere: solùm enim volunt eam de condigno non mereri, futurúmque vt nullus vnquam iis in cœlo gloriæ gradus à Deo retribuatur.

SECTIO II.

An possit homo mereri sibi condigno merito primam gloriam?

NOMINE primæ gloriæ intelliguntur ij beatitudinis essentialis & accidétalis gradus qui adæquatè respondent primæ gratiæ habituali: hæc autem gratia prima dicitur, quæ peccatori in momento quo iustificatur infunditur: quæ quoniam in vno maior, in alio minor esse potest, & ordinarie re ipsa est, propterea nullum certum & determinatum gratiæ gradum includit, sed eum omnem quo primum homo iustus coram Deo constituitur, & æternæ vitæ hæreditate dignus, tanquam adoptiuus Dei filius.

Hîc autem duò certa sunt. Primum est, hominem bonis operibus antecedentibus reali duratione primam gratiam formaliter iustificantem mereri condignè non posse primam gloriam, cùm hæc opera antecedentia sint opera peccatoris in statu peccati mortalis permanentis, quæ proinde condignum æternæ vitæ meritum habere non possunt: quod nec habere possent, etsi fierent ab homine carente quidem peccato mortali, sed simul etiã sanctificãte gratia, vt ex dictis superiore disp. sect. 1. notum est.

Secundum est, neminem item bonis operibus duratione reali primæ gratiæ iustificantis infusionem consequentibus mereri posse primam gloriam, quoniam iis non potest non mereri ipsius gratiæ & gloriæ incrementum. Quare si quo actu potest homo primam gloriam mereri, sanè eo solo qui primam iustificantem gratiam, dum primùm infunditur, reali duratione concomitatur. I. A V.

Atque cùm peccatoris à peccato iustificatio fiat, infundaturque proinde primùm hæc gratia, vel in sacramento, vel extra, si quo momento in sacramento fit, & infunditur, is qui iustificatur exerceat actum aliquem bonum, hoc actu primam gloriam non merebitur: aut enim nullam merebitur, aut si quam meretur, sanè non aliam quàm incrementum eius, vt defendit Suarez lib. 12. de gratia cap. 28. à num. 34. & communis esse videtur Theologorum sensus, eo quòd sicut habitualis prima gratia ex opere operato per sacramentum datur purè propter Christi merita, ita & prima gloria illi gratiæ adæquatè respondes. Vnde si quis actus II. B VI. eo momento exercetur de condigno gloriæ meritorius, est etiam ex eorundem communi consensu augmenti gratiæ de condigno meritorius, nec proinde condignè meretur alium gloriæ gradum, quàm qui adæquatè respondet isti augmento gratiæ, qui gradus non est prima gloria, sed eius incrementum: prima enim ea est quæ primæ illi gratiæ adæquatè respondet.

Quare si quo actu potest peccator in momento suæ iustificationis primam gloriam mereri, certè non alio, quam eo quem tunc exercet, dum extra sacramentum iustificatur. Hic autem actus aut est perfectæ contritionis & dilectionis Dei, aut aliquis alius. Et quidem cùm prior ille certissimè tunc semper exerceatur, aut est forma suapte vi & natura formaliter sanctificans, aut non est: si primum, & naturæ ordine in genere causæ efficientis præcedat infusionem primæ gratiæ habitualis, primam gloriam condignè merebitur, vt constat ex dictis disp. 12. sect. 31. Sed, vt ex ibidem dictis etiam constat, hanc primam gratiam similiter merebitur: cuius hoc condignum meritum illi tribuere nullo prorsus modo repugnat Scripturis, aut Conciliis, aut Patribus, aut rationi, sed vt summum Theologis, quanquam multi nunc reipsa tribuunt, vt eadem sectione ostendimus: sin autem infusionem illam in prædicto causæ efficientis genere subsequatur, dicendum existimo cum Suarez cit. cap. 28. lib. 12. à num. 16. contra Gabr. Vasq. hac 1. 2. disp. 219. cap. 2. non mereri primam gloriam, sed eius augmentum, & proinde gratiæ habitualis incrementum, cùm nullo actu suo bono mereri possit homo illius gloriæ augmentum, quin & huius gratiæ incrementum illi augmento adæquatè respondens simul mereatur, III. C VII. IV. D VIII.

Probat autem ex eo rectè, quòd cùm iuxta sententiam illorum, qui prædictum contritionis actum subsequi dicunt in præfato causæ efficientis genere primæ habitualis gratiæ infusionem, gratia hæc homini data sit absolutè simplicitérque, nec intuitu contritionis illius vt iam elicitæ, sed vt eliciendæ, tanquam finis obtinendi gratia, actus ille dum naturæ ordine posterius elicitur, est effectus quidam & vsus gratiæ iam acceptæ & possessæ homini liber, quo proinde meretur homo vlteriorem gratiam, & gloriam huic vlteriori gratiæ respondentem: quamuis enim non repugnet eundem gloriæ gradum duobus titulis dari, vt hæreditatis, & meriti, sicut & Christo gloria corporis data est titulo & vnionis hypostaticæ & meritorum, nulla tamen est ratio dicendi hominem per actū aliquem suum bonum ex gratia sanctificante profectum tendere in solum illum gloriæ gradum, qui alio iam titulo ei condignè debitus est, & non in aliquem vlteriorem ab illo diuersum, alioqui quolibet actu suo bono dici similiter posset mereri tantùm eundem gradum gloriæ, quem iam meritus est, retribuendum tot titulis, quot actus boni eius meritorij præcessissent, quod certissimè falsum est.

Addit & confirmationem meo iudicio efficacem, petitam ex tribus exemplis: quorum primum est, hominis in eodem primo momento suæ iustificationis elicientis ex vi perfectæ contritionis, quem tùc exercet, actum aliquem virtutis alterius, itavt hic actus sit tam naturæ ordine illa contritione posterior, quàm hæc contritio posterior est infusione primæ gratiæ habitualis: quo actu, sicut non mereretur primum gloriæ gradum, nec eundem quem meretur vi illius suæ contritionis, sed huius gloriæ incrementum, ita illa ipsa contritione non merebitur eundem gloriæ gradum quo iam dignus est ratione suæ gratiæ habitualis prioris, sed alium, nec proinde primum, sed eius incrementum: nulla enim inter vtrumque disparitatis ratio quæ satisfaciat afferri potest.

Secundum est, eiusdem hominis, aut alterius in momento quo per sacramentum iustificatur exercentis actum aliquem virtutis, ad quem excitatus à Deo est, ob sacramentalem gratiam iam naturæ ordine priùs collatam, quo actu non meretur primam gloriam qua iam ratione gratiæ illius dignus est, sed huius gloriæ incrementum, & proinde augmētum habitualis gratiæ illi incremento adæquatè respondens. Ex quo à pari idem concluditur de actu perfectæ contritionis posteriore naturæ ordine infusione primæ gratiæ extra sacramentum, cùm hic & ille actus sit æqualiter à gratia sanctificante, tanquam ab aliquo priori in genere causæ efficientis, eadémque ratio sit gratiæ istius prioris, siue in sacramento, siue extra à Deo conferatur, cùm vt eadem gratia est, sic eandem vim habeat efficiendi vt actus bonus ea naturæ ordine posterior condignum gloriæ meritum habeat.

Tertium est, primi actus boni ex primo gratiæ excitantis auxilio eliciti, quod datur eo fine vt ille actus fiat, non quòd iam in re aut præuisione Dei factus sit: qui actus congruè meretur à Deo non illud auxilium gratiæ quod tanquam se priùs præsupponit, sed nouum actualis gratiæ excitantis auxilium ad aliquem alium virtutis actum exercēdum: quod nouum auxilium in eodem temporis instanti dari posset, estque prioris illius actualis gratiæ augmentum, eo modo quo vna per aliam augeri potest. Vnde cùm eodem omnino modo præsupponatur gratiæ sanctificantis habitus prior

actu perfectæ contritionis qui in momento iustificationis elicitur, & causa illius instar auxilij ad eum efficiendum concurrentis, pari iure merebitur hic actus augmentum cuius illa gratia capax est, ac proinde non primam gloriam, sed huius gloriæ incrementum illi gratiæ augmento adæquatè respondens.

I. A

Addo ego & quartum exemplum non minùs efficax præcedentibus, Angeli vel hominis sanctificati aliquo momento temporis per infusionem solius habitualis gratiæ, siue in sacramento, siue extra, & post horam incipientis aliquem actum bonum liberè exercere, quo actu merebitur haud dubiè gratiæ illius suæ incrementum, gloriamque huic incremento respondentem, nec proinde primam gloriam quæ eidem illi gratiæ ante horam infusæ adæquatè respondet. Ex quo consequens est, quòd si hunc actum post mediam horam, aut post quadrantem, aut post mediam partem huius quadrantis, & ita in infinitum, ac proinde immediatè post instãs quo infusa est illa gratia, exercere incepisset, per hunc idem gratiæ & gloriæ

II. B

incrementum meruisset, ergo etiam merebitur si eodem instanti exercere incipiat, sed naturæ ordine post infusam illam gratiam, sic vt hæc tam verè dici possit illius actus causa efficiens, quàm dici potest, dum tempore consequente illud instans exerceri incipit: sicut enim est istius actus idem meritum, siue longo, siue breui tempore, siue nullo interiecto primæ illius gratiæ infusionem sequatur, sed immediatè post eam infusam exerceatur, ita & idem meritum est, etsi eodem instanti quo illa infunditur eliciatur.

Quòd si secundum ex duobus supra positis dicatur, id est, si perfectæ contritionis actus non est ex se forma formaliter sanctificans, & antecedat ordine naturæ in genere causæ efficientis infusionem primæ gratiæ habitualis, certum omnibus est eum in illo priori quo antecedit non esse de condigno meritorium vllius

III. C

gloriæ, cùm nondum sit actus hominis iusti, quandoquidem fit iustus formaliter per illam gratiam, quæ nondum est. Vtrum autem eodem instanti reali concipi possit aut debeat aliud signum rationis, in quo ille sit hac infusa gratia posterior, per eámque informetur, & fiat de condigno gloriæ meritorius, dixi in Tract. de Incarnatione disput. 14. sect. 2. in solutione 3. obiectionis.

Solùm hîc addo, quòd si cui magis placet pars affirmans, affirmare consequenter debet, fieri meritorium non primæ gloriæ respondentis illi gratiæ, vt iam in aliquo priori existenti, sed augmenti eius, ac proinde incrementi gratiæ, ob eas causas, ob quas paulò antè probauimus actum bonum eodem instanti reali elicitum quo gratiæ habitus primùm infusus est,

IV. D

sed eius infusione signo rationis seu naturæ ordine posteriorem, esse meritorium non primæ gloriæ, sed eius incrementi: eandem enim hîc vim habent, cùm ad hanc earum vim merè per accidens se habeat, quòd idem actus sit aliqua alia ratione illa prima gratia prior, aut non sit.

Iam verò si actus quem primo momento suæ extra sacramentum iustificationis homo exercet, sit alius à perfecta contritione, Deique dilectione, nec proinde sit ex se forma formaliter sanctificans, aut præcedet signo rationis seu naturæ ordine in genere causæ efficientis primam gratiam, aut sequetur, aut neque præcedet neque sequetur, sed purè eadem reali duratione comitabitur. Si primum, aut secundum, idem de illo actu dicendum est, quod

V. A

proximè de perfecta contritione diximus, suppositâ eorum sententia, qui negant eam esse natura sua formam formaliter sanctificantem: eadem enim vtriusque, vt patet, ratio est. Si tertium, aut hic actus nullius gloriæ potest esse meritorius, aut si alicuius potest esse, sanè non primæ, sed augmenti eius: gratia enim siue in sacramento siue extra collata tribuens alicui actui condignum gloriæ meritum, quod alioqui non haberet, tribuit semper meritum alterius gloriæ, quàm eius quæ illi gratiæ adæquatè respondet, vt ex suprà dictis constat, nec proinde tribuit primæ gloriæ, sed incrementi ipsius.

Quòd si quæras, vtrùm ille actus ex parte efficientis, neque præcedens, neque subsequens

VI. B

secundùm se suámque realem entitatem infusionem primæ gratiæ habitualis, sed eadem reali duratione purè concomitans, possit ex ea capere condignum gloriæ meritum, sic vt huius condigni meriti illa verè causa sit? Respondet affirmatiuè Vasquez citato cap. 2. disput. 219. videturque esse hic communis Theologorum sensus: omnes enim, vt opinor, iudicant Angelum aut hominem, qui primo suæ creationis instanti gratiam habitualem à Deo acciperet nullius dispositionis præuiæ intuitu, sed merè gratis, simúlque tunc exerceret aliquem actum veræ virtutis, vt gratiarum actionis ob beneficium creationis, alteriusve à charitate distinctæ, perinde atque si gratia illa infusa ipsi non fuisset, ac proinde cuius hæc efficiens causa non

VII. C

esset, illo actu meriturum de condigno gloriam: similitérque eum, qui quo momento per sacramentum iustificatur exercet aliquem actum bonum, qui nec ad gratiam sacramentalem recipiendam necessaria dispositio est, nec eius effectus, actu illo suo mereri de condigno gloriam. Ex quibus omnibus concluditur, eo solo casu posse primam gloriam cadere in condignum hominis meritum, quo perfectæ contritionis seu Dei dilectionis actus exercebitur prius naturæ ordine, quàm prima gratia habitualis infundatur, ex hypothesi quòd hic actus sit ex se suâque natura forma formaliter sanctificans, vt mea quidem sententia est.

At quoniam contraria multorum aliorum

VIII. D

est, qui propterea meo iudicio non mediocriter laborabunt, si primam gloriam cadere in condignum hominis meritum defendere & probare voluerint, solo fortasse metu, ne Scripturæ & Tridentino Concilio repugnent, si contrariam opinionem amplectantur, adiungo breuiter hîc nonnulla, ob quæ meritò deponere metum illum possunt. Primum est, non deesse Theologos huius opinionis defensores, quos citat Suarez lib. 12. de gratia cap. 28. num. 3. Secundum est, certum esse multos etiam adultos non mereri primam gloriam, eos scilicet omnes, qui vel adhuc infantes, vel iam adulti per sacramentum primò iustificantur,

nullum actum bonum in momento suæ iustificationis exercentes, vel ob animi ad alia omnia attentionem, vel ob exercendi ortam ex aliqua causa impotentiam, consequuntúrque postea gloriam gratiæ in sacramẽto receptæ adæquatè respondentem, siue post eam receptam aliqua opera bona gloriæ de condigno meritoria exerceant, siue nulla: iis enim non nisi gloriæ & gratiæ incrementum merebuntur. Tertium est, nullo Scripturæ, nullo Tridentini Concilij loco satis efficaciter significari, hominem mereri primam gloriam.

I. A

Ex Scriptura proferuntur ab iis qui mereri dicunt ea loca, quibus æterna gloria simpliciter & absolutè merces & corona iustitiæ dicitur. Ex Tridentino producuntur ab iisdem tria. Primus sess. 6. cap. 16. verbis istis. *Atque ideo bene operantibus vsque in finem proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Secundus ibidem his verbis. *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta vitam æternam, suo etiã tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur.* Tertius his eiusdem sessionis canon. 32. *Si quis dixerit iustificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Vbi Concilium disertè distinguens inter augmentum gloriæ, & vitam æternam, per hanc intelligere videtur primam gloriam, quam proinde dicit cadere re ipsa in meritum.

II. B

Verùm illis omnibus locis id efficaciter concludi non posse clarum ex eo est, quòd iis non excluduntur, imò certissimè comprehenduntur iustificati etiam per sacramentum tam infantiæ quàm ætatis adultæ tempore (cùm præsertim Concilium capitibus illud 16. præcedentibus de iustificatione tam per baptismi quàm per pœnitentiæ sacramentum egerit) quibus bene operantibus, sicut & aliis extra sacramentum iustificatis, proponenda est æterna vita, tanquam merces bonis eorum operibus, & corona iustitiæ reddenda: de quibus item, sicut & his, verum est eos per opera bona sua mereri vitam æternam, & gloriæ augmentum, licet certum sit ex antè dictis illos primam gloriam non mereri, dum præsertim eo momento quo per sacramentum iustificantur, nihil boni operis exercent, vt infantibus semper, adultis sæpe contingit, sed aliquanto solùm pòst tempore bene agere incipiunt, & bene agendo vitam æternam promereri.

III. C

IV. D

Ex quo euidens consequenter fit, à Concilio per æternam vitam non fuisse determinatè intellectam primam gloriam, sed æternæ gloriæ, seu visionis beatificæ substantiam, quæ in quolibet huius visionis gradu essentialiter includitur, ac proinde tam in secundo ac tertio, quàm in primo: per augmentum autem gloriæ intellectum fuisse illum gradum gloriæ & visionis beatificæ, qui cadit in meritum bonorum operum consequentium primũ opus quo meruit homo vitam æternam & gloriam, siue primum hoc opere gradum eius meruerit, siue non.

Quòd si quis quærat, cur si per vitam æternam non intellexerit primum gloriæ gradum, gloriæ augmentum à vita æterna distinxerit? Respondeo causam esse, quòd contra hæreticos asserentes opera nostra bona esse tantum signa & fructus iustificationis adeptæ, non autem æternæ vitæ merita, definire voluit esse etiam vera & propriè dicta eius merita, qualia haud dubiè sunt, siue sint primi gradus gloriæ merita, siue non sint, sed augmenti solius. Ac ne quis ideo existimaret homines æquales in meritis & beatitudine futuros (cùm præsertim vita quid indiuisibile significare videatur, quod proinde totum à quolibet participatur, nec inæqualiter participari potest: vnde non dixit Concilium mereri hominem vitæ æternæ augmentum, sed gloriæ) adiunxit, ipsum etiam mereri augmentum gloriæ, & consequenter æternæ vitæ, quia hæc vita est ipsa gloria, & proinde non minùs illa quàm ista diuisibilis, & inæqualiter ex se participabilis.

V.

VI.

Etsi autem eodem sensu dicere verè potuisset, hominem iustum bonis suis operibus mereri gratiam, & augmentum gratiæ, quia etsi primam gratiam mereri non possit, dum tamen eius augmentum meretur, verè gratiam meretur, quia istud augmentum essentialiter gratia est: non dixit tamen, tum quia nihil necesse fuit vt diceret: tum ne daret occasionem existimandi mereri hominem eam gratiam cuius proximè antè meminerat, dum dixerat, hominem bonis operibus quæ per gratiam Dei fiunt mereri augmentum gratiæ, quę gratia cùm sit horum operum principium, in eorum meritum cadere non potest.

SECTIO III.

VII.

An iustus reparationem post lapsum in peccatum mortale mereri sibi possit.

COMMVNIS omnium Theologorum & certa sententia est, non posse merito condigno. Ratio clara est, quia per peccatum mortale subsequens mortificantur omnia præcedentia condigna gratiæ & gloriæ merita, cùm vi peccati illius fiat homo dignus qui careat in posterum omnibus gratiæ donis etiam necessariis ad emergendum à statu peccati, cum qua dignitate stare non potest dignitas habendi gratiam qua ab hoc statu emergat: quam tamen dignitatem stare simul cum illa posse necessarium esset, si posset homo iustus condigno merito sibi mereri post lapsum reparationem: sicut si mereri potest merito congruo, necesse est hoc meritum congruum remanere eo etiam tempore quo à gratia per mortale peccatum excidit.

VIII.

De hoc autem congruo merito duæ sunt sententiæ. Prima negans sancti Thomæ hîc quæst. 114. art. 7. Caietani, Conradi, Medinæ, & aliorum eius interpretum in hunc articulum, quos sequitur Vasquez in Commentario huius ipsius articuli. Secunda affirmans,

quam

quam tuentur Gabriel in 1. dist. 27. quæst. vnica art. 3. dub. 3. Bonauent. in 2. dist. 28. ad finem dubij 2. circa literam. Scotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 2. Vega quæst. 6. de Iustificat. ad 6. Bellarminus lib. 3. de Iustif. cap. 2. & Suarez lib. 12. de Gratia cap. 38. quæ mihi videtur probabilior.

I. Probatur autem 1. ex his Apostoli verbis ad A Hebr. cap. 6. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis*: Suppositis duobus quæ supponunt Suarez & Vasquez, aliique non pauci, quorum vnum est, Apostolum alloqui Hebreos lapsos à gratia in mortale peccatum: alterum, verbis his, *qui ministrastis*, eum loqui de bonis operibus quæ Hebræi in statu gratiæ existentes exercuerant, vt & istis consequentibus, *& ministratis*, loquitur de bonis operibus quæ in statu peccati mortalis exercebant: his enim suppositis, eos ille relatis verbis consolabitur spe futuri ad statum gratiæ reditus, ob bona opera quę præsenti quo loquebatur tempore exercebant, & præterito, quę in statu gratiæ erant, exercuerant, quibus

II. permouendum dicit Deum, vt eos iterum in B gratiam & amicitiam suam recipiat, quibúsque proinde inerit congruum saltem huius gratiæ recuperandæ meritum.

Respondet Vasquez, loco citato Apostolum prædictis verbis his, *qui ministrastis*, significare solummodo futurum vt reuiuiscant bona illa opera in statu gratiæ facta, & per peccatum subsequens mortificata, pro iisque mercedem æternæ gloriæ consequatur, si resipiscere voluerint, & à statu peccati emergere. Sed refellitur hæc responsio, tum quia Apostolus eodem omnino modo ac sensu illa verba vsurpat, quo hæc proximè consequentia, *& ministratis*. Sicut ergo his non significat futurum, vt opera bona quę tunc Hebræi in statu peccati mortalis exercebant reuiuiscant, & æternæ gloriæ fructum pariant, si

III. à peccato ad statum gratiæ redierint, cùm reuiuiscere, & hunc fructum parere nulla vi possint, C vtpote opera mortua, vt Theologi loquuntur, quæ nunquam viua fuerunt: ita neque illis aliis verbis idem de præteritis illis bonis operibus significat: imò sicut hoc verbo præsentis temporis, *ministratis*, nihil aliud significare potest, quàm futurũ, vt propter illa opera bona quę præsenti illo tempore exercebant Hebræi, consequerentur à Deo misericordiam, eiúsque gratiã & amicitiam recuperarent, ita verbo illo præteriti temporis, *ministrastis*, nihil aliud significat: tum quia in Tractatu de Pœnitentia disp. 13. sect. 2. & fusè probauimus ex relatis Apostoli verbis reditum meritorum non posse efficaciter colligi, & eorum germanum sensum esse eum quem hîc declarauimus, validè confirmauimus.

IV. Probatur autè secundò ex his lib. 2. Machab. ca. 10. verbis de Iuda Machabęo, & iis qui cum D eo erant. *Rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent, sed etsi quando peccassent, vt ab ipso mitiùs corriperentur, & non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur.* Qua oratione cùm sperarent se à Deo impetraturos illam gratiam quam petebant, licet postea fortè contingeret, vt in ea peccata inciderent, ob quæ gratia illa indigni essent, & pœna quam deprecabantur dignissimi, consequenter existimabat illi eidem orationi inesse vim aliquam impetrandi à Deo quod petebat, ac proinde aliquod congruum eius meritum. Quòd si oratio in statu gratiæ facta meritum hoc habet, & retinet, nonobstante peccato mortali subsequente, habere ac retinere poterunt simile meritum recuperandæ diuinæ gratię per peccatum amissæ, & V. oratio qua reditus ad hanc gratiam postulabitur, si forte contingat orantem in peccatum aliquod mortale postea prolabi, & alia opera bona peccatum hoc præcedentia, quia nulla potior vnius quàm alterius ratio est.

Probatur 3. hac ratione, qua contrariæ sententiæ fundamentum euertitur. Necesse non est omnium bonorum operum in statu gratiæ factorum extingui penitus, seu mortificari merita omnia congrua per peccatum mortale subsequens, sicut condigna mortificantur & extinguuntur: ergo bonũ aliquod opus in statu gratiæ factum habere potest meritum congruum, vt qui exercuit, diuinã gratiam amicitiamque recuperet, si postea eius per peccatum iacturã fecerit. Consequentiæ bonitas hinc patet, quod si

VI. habere meritum hoc non potest, ideo solũ, tam ex aduersariorum doctrina, quàm rei veritate non potest, quòd peccatum mortale subsequẽs omnia bonorum operum merita præcedentia tam congrua quàm condigna mortificat & extinguit: quo fit, vt non magis possit vel oratio, vel aliud opus bonum esse de congruo meritorium reparationis post lapsum, quàm de condigno. Antecedentis veritatem comprobare videtur tam experientia, quàm ratio.

Experientia quidem, quia certum est eos qui diuturno tempore se assidue in bonis operibus exercuerunt, Deo maxima vitæ & morum perfectione feruientes, si postea in mortale peccatum, ex vehementi aliqua tẽtatione, & humana fragilitate labantur, resurgere à peccato multò celeriùs, de eoque dolere longè vehementiùs,

VII. quàm surgant, & doleant alij, qui non ita Deo C fideliter & diligenter antea seruierũt. Cuius rei causa est, communi hominum etiam doctorum iudicio, quòd præueniũtur & excitantur à Deo, multò citiùs & maioribus gratię auxiliis ad agẽdam tam perfectam de peccato pœnitentiam, ob antè actæ vitæ perfectionem, ac proinde meritum aliquod saltem congruum. Cur enim hi ordinarie potiùs quam illi ad eam ita excitarentur, si Deus purè gratis & ex nullo prorsus merito præcedente excitaret?

Ratio verò, quia & oratio in statu peccati mortalis ad Deum fusa qua reditus ad diuinam gratiam petitur, & multa alia opera bona tunc temporis facta reditum hunc de congruo merentur, vt omnium communi consensu certum est: ergo & merentur, aut mereri saltem possunt

VIII. aliqua alia quæ in statu gratiæ facta sunt. Con- D sequentiæ huius bonitas, & consequentis veritas ex eo patet, quòd huius meriti impedimentum non magis potest esse peccatum superueniens, quàm peccatum præexistens. Nam si superueniens ponit huic merito impedimentum, ideo ponit, quia facit indignum omnibus gratiæ donis, atque adeo reditu à statu peccati ad statum diuinæ gratiæ & amicitiæ: at peccatum præexistẽs idem omnino & eodem modo facit. Vnde si non obstante hac per peccatum indigni-

tate, opera bona quæ post ipsum commissum exercentur, meritum congruum habere possunt prædicti reditus, poterunt & habere ea quæ antequam committatur exercebuntur.

At opponit nobis Vasquez in primis hæc Ezechielis verba cap. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur, in peccato suo morietur.* Nam si opera bona in statu gratiæ facta superueniente peccato mortali reditum ad statum diuinæ amicitiæ congruo merito mererentur, & à Deo impetrarent, ipse eorum recordaretur, & ita quidem vt impedirent quo minus ille in iniquitate sua moreretur.

I. A V.

Respondeo hæc etiam eodem capite haberi verba: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor.* Sicut ergo ex his colligi non potest, nullum ex peccatis per pœnitentiam deletis relinqui reatum pœnæ temporalis luendæ, aut Deum nullam huiusmodi pœnam pro iis inflicturum, quoniam alioquin eorum recordaretur: ita neque ex illis aliis potest concludi,

II. B VI.

nullum bonis operibus in gratia factis & per subsequens peccatum mortificatis inesse meritum congruum impetrandæ à Deo cum ipso reconciliationis. Quare sicut posteriorum verborũ sensus solùm est, Deum peccatorum per pœnitentiam deletorum non recordaturum, quia pro iis pœnas æternas quas cõmerebantur nunquam infliget: ita priorum illorum sensus tantũ est, ipsum, bonorum operum quæ fecerat iustus à iustitia per peccatum mortale excidens, & in eo ad mortem vsque perseuerans, nullam recordationem habiturum, quia pro iis æternam gloriam quam promerita fuerant nunquam reddet.

III. C VII.

Opponit 2. hanc ex S. Thoma rationem, quòd quemadmodum peccatum illius, pro quo Sanctus aliquis orat, impedit ne gratiam illi congruè mereatur à Deo & impetret: ita & quidem multò magis peccatum in quod is labitur qui antea iustus erat, impediet ne opere facto in statu gratiæ sibi reparationem ab hoc peccato à Deo congruè mereatur, & impetret. At hæc ratio si efficax esset, euinceret quoque peccatorem nullo opere suo bono facto in statu peccati mereri sibi posse & impetrare à Deo reparationẽ ab hoc peccato, quia per hoc peccatum suum æquè saltem obiiceret impedimentum huic merito, & reparationi, atque obicit merito & impetrationi Sancti alicuius pro ipso Deum orantis. Respondeo igitur retorquendo propositam contra nos rationem, quòd sicut viri sancti plerunque peccatoribus merentur à Deo & impetrant gratiam, qua fit vt à peccatis resipiscant, & cum Deo reconcilientur, istudque meritum &

IV. D VIII.

hanc reconciliationem non impediunt peccata eorum pro quibus orant, non modò præcedentia has orationes, sed etiam subsequentia: ita & iusti in peccatum lapsi possunt saltem aliquando per opera bona eo priora mereri sibi & impetrare à Deo reparationem ab illo peccato, ac etiam reipsa merentur, & impetrant.

Opponit 3. fore ex nostra doctrina consequens, nullum obtinere reparationem post lapsum, qui non obtineat ex meritis congruis bonorum operum quæ in statu gratiæ exercuit. Sed nego hoc ex illa consequens futurum, quia fieri potest, & haud dubie sæpe fit, vt qui post lapsum reparationem obtinet, merè gratis obtineat ex pura Dei misericordia, siue quia nullum dum existeret in gratia opus exercuit quod huius reparationis esset de cõgruo meritorium: non enim quodlibet eius meritorium est, vt nec quodlibet bonum opus habet cuiusuis præmij meritum congruum: siue quia si habuit, peccatum subsequens tam graue fuit, vt omne huiusmodi meritum extinxerit.

Ex dictis concludes, prædestinationem non semper incipere à prima gratia actuali qua peccator excitatur ad agendam de peccato pœnitentiam, quam & agit, in recepta per eam sanctificante gratia ad finem vsque vitæ perseuerans: illa enim actualis gratia ex qua ortum habuerunt merita congrua, quibus homo iustus sibi meruit & impetrauit à Deo reparationem post lapsum, fuit effectus prædestinationis, cùm mediate saltem & remote eum in vitam æternam reipsa perducat.

SECTIO IV.

An iustus sibi finalem in gratia perseuerantiam, bona etiam temporalia, quid item alius mereri possit?

TRIA quæruntur: quoad primum, communis omnium sententia quam tuetur S. Thomas hac 1. 2. quæst. 114. art. 9. est, iustum condigno merito mereri sibi non posse finalem in gratia perseuerantiam. Cuius rei ratio à priori alia esse non potest, quàm quod gratia sanctificans in puris creaturis existens alterius rei condignum meritum ex se suáque natura inferre non potest quàm æternæ gloriæ, eique respondentis habitualis gratiæ, cùm præsertim suprà ostenderimus, ordinationem & promissionem diuinam illi gratiæ superadditam efficere non posse, vt actus bonus sit alicuius præmij de condigno meritorius, cuius alioqui non fuisset. Ex eo autẽ à posteriori probatur efficaciter, quòd vna quidem ex parte Deus omnia bonorum nostrorum operum condigna merita cumulate compensare soleat: ex altera verò certum sit, permultos, post patrata quamplurima opera bona, quibus haud dubiè finalem in gratia perseuerantiam condignè meruissent, si aliquibus mereri possent, eam tamen à Deo non consequi.

De merito congruo idem negare videtur S. Doctor citato art. 9. quod de condigno diximus, eúmque sic interpretantur in hunc articulum Caietanus, & alij recentiores: quamquam Vasquez in dubitatione circa textum articuli, & Suarez lib. 12. de gratia cap. 8. aliique docentes iustum mereri sibi posse merito congruo finalem in gratia perseuerantiam, illum negantem posse mereri, de solo condigno merito intelligendum putant.

Ego quidem fateor, si habeatur eorum tantùmodo ratio quę in responsione ad primũ habet, de solo condigno merito esse intelligendum: negat enim hominẽ iustum sibi vel alij mereri perseuerantiam in gratia, etsi eam sibi vel illi suis precibus à Deo impetret, cùm tamen quod per has impetratur, ex earum merito congruo impetretur, vt supra ex S. Augustino epist. 105.

probauimus, in qua meritum ex impetratione concludit: sin autem habeatur ratio eorum quę habet in corpore articuli, priori interpretationi subscribendum puto, tum quia ratio qua probat prædictam in gratia perseuerantiam non cadere in meritum, tam in congruo merito quàm condigno locum habet. Ratio enim hæc est, quòd illa perseuerantia pendeat ex sola motione diuina, quæ est principium omnis meriti. Certum autem est principium hoc non magis in congruum quàm in condignum meritum cadere posse: tum quia corpus articuli concludit his verbis, *Sed Deus gratis perseuerantiæ bonum largitur cuicunque illud largitur.* Quod autem gratis datur, ob nullum meritum etiam congruum datur: nam si ob aliquod daretur, in eius compensationem daretur, ac proinde nõ gratis.

Vt autem hanc negantem S. Thomæ sententiam cum altera affirmante conciliemus, notandum in primis, perseuerantiam in sanctificante gratia præsupponere hanc ipsam gratiam, sicut conseruatio rei productionẽ præsupponit: quo fit, vt proprie loquendo ad huius perseuerantię donum non pertineant intrinsece illa gratiæ auxilia quæ ad primam sanctificantem gratiam consequendam conferuntur, vt neque hæc ipsa prima gratia.

Notandum 2. perseuerantiam in hac gratia duobus modis sumi posse: primo sic, vt in ea perseuerare nihil aliud sit quàm in eadem vitam finire: secundo sic, vt complectatur etiam seriem omnium donorum & auxiliorum gratiæ efficacis à primo inclusiuè quæ dantur homini iã iustificato ad bene deinceps operandũ, & ad vitãda ad mortẽ vsque omnia peccata mortalia.

Quibus prænotatis, dicendum primo, si priore modo sumatur, certũ esse eam sub congruum hominis iusti meritum cadere posse, quo solùm modo sumunt sententiæ affirmantis authores: quæ enim dubitandi ratio esse potest, multis iustorum operibus saltem collectiuè sumptis tam inesse ex natura rei posse congruum eius meritum, quàm insit pleriſque aliis alterius rei? cùm non magis illis operibus deesse possint conditiones omnes ad illud eiusdem perseuerantiæ meritum necessariò requisitæ, quàm his aliis desint necessariæ ad simile meritum rerũ aliarum.

Accedit authoritas S. Augustini lib. de bono perseuerantiæ cap. 2. & 17. asserentis posse nos oratione impetrare à Deo perseuerantiæ donum, sicut & sapientiæ, & castitatis: quod etiam spectata orationis natura veriſſimum esse constat, cùm illa non minus habere possit omnes necessarias ad illud quàm ad istud donum impetrandum conditiones. Ex eiusdem autem S. Patris paulò antè citata epistola 105. quod oratio, aliudve bonum opus à Deo impetrat, non nisi ex aliquo sui merito impetrat.

Denique cùm perseuerantiam congruo merito mereri possimus aliis, tam orationibus nostris, quàm bonis aliis operibus oblatis Deo pro iis, non secus ac ipsam primam gratiam, vt docet etiam S. Thomas quæstionis huius 114. art. 6. & 9. consentiũtque omnes Theologi, & euincit ipsa orationis, aliorumque bonorum operum natura, quibus deesse non possunt conditiones omnes ad eius congruum meritum necessariæ, poterimus & nobis similiter ob eandem causam iisdem operibus ipsam quoque perseuerantiam promereri.

Dicendum 2. si posteriore modo sumatur, nõ posse illam in vllum etiam congruum iusti meritum cadere, quo tantum modo sumunt sententiæ negantis Authores. Ratio est, quòd perseuerantia sic sumpta includit etiam primum gratiæ donum homini iam iustificato collatum, nullo autem merito mereri primam illam gratiam potest, quia est illi principium omnis meriti quod habet ab eo tempore quo iam iustificatus est, quod proinde in nullum eius meritum quod ab eodem tempore habere incipiat cadere potest, vt neque quisquam mereri vllo modo potest primã absolutè gratiam, quia omnis absolutè meriti quod in homine est principiũ est.

Et hæc quidem ratio rem demonstrat, si prima hominis sanctificatio fiat per habitum, vt in sacramento fit, aut etiam extra sacramentum, vt ex sententia S. Thomæ semper euenit, cùm, vt supra vidimus, velit in momento quo peccator perfectè conteritur, & iustificatur, infundi ei priùs ordine naturæ gratiam habituale, quàm illum contritionis actum ab eo exerceri: perseuerantia enim prædicto posteriore modo sumpta, à primo Dei dono gratiæ illius habitualis infusionem consequente, siue sit ipse Dei dilectionis & perfectæ contritionis actus, siue aliquod aliud, intrinsecè incipiet, nec proinde in vllum hominis iam priùs natura iustificati meritum cadere poterit, quia principium erit omnis meriti quod deinceps habebit. Sin autem prima hominis sanctificatio per illum ipsum formaliter dilectionis & contritionis actum fiat, nihil erit repugnantiæ, quominus homo iustificatus hoc ipso actu cõgruè mereatur, aut mereri saltem possit primum gratiæ actualis & efficacis auxilium excitans ad benè operandum, à quo perseuerantia præfato posteriore modo accepta intrinsecè incipiet, ac proinde quominus hanc hoc eodem modo acceptam mereri possit, aut etiam re ipsa mereatur.

Cæterùm cùm duobus modis, vt rectè notat Suarez cit. cap. 38. homo mereri sibi & impetrare à Deo perseuerantiam possit: primo per exercitium vnius actus, aut plurium, quos repetierit sæpius, & continuarit vsque ad certum vitæ suę tempus, quibus mereatur & impetret perseuerantiam in gratia pro reliquo quamuis diuturno vitæ tempore: secundo successiuè per totum vitæ tempus merendo sibi & impetrando gratiæ auxilia & dona quibus promouetur & tandem completur perseuerantia, hodie exempli c. merendo sibi per orationem aliudve bonũ opus auxilium efficax ad vincendam tẽtationem, seruandumve præceptum sub mortali obligans, cras similiter merendo alterum simile auxilium, & ita deinceps vsque ad vitæ finem, modus hic posterior promerendæ & impetrandæ à Deo perseuerantiæ magis ordinarius est, tantóque facilior, quanto facilius est mereri per partes illa gratiæ auxilia quibus paulatim promouetur, tandemque absoluitur ac perficitur perseuerantia, quàm illa simul omnia collectiuè sumpta promereri: est autem perseuerantiæ siue hoc siue illo modo certa & infallibilis impetratio, sicut & cuiusuis alterius diuini beneficij, quando orationem qua postulatur à Deo concomi-

tantur omnes conditiones, cum quibus id quod petitur promissum ab eo est.

Iam quod ad secundum attinet, communis Theologorum sententia est, bona temporalia non cadere sub vllum bonorum operum meritum, si præcisè secundùm se considerentur:

I. cadere autem sub eorum congruum meritum, A si spectentur vt vtilia sunt futura ad exercenda virtutis opera quibus ad beatitudinem perducimur. Ratio prioris partis est, quòd illa bona sic considerata non sunt simpliciter & absolutè bona, vtpote quæ consequendæ beatitudini non sunt adiumento potiùs quàm impedimento, sed ad vtrumque sunt indifferentia, & istud secundum facilius ac frequentiùs efficiunt, quàm illud primum: nos autem bonis nostris operibus posse mereri id quod tam aut etiam magis impedire nos potest à consequenda beatitudine, quàm ad eius consecutionem adiuuare, alienum prorsus est à natura bonorum operum, vtpote quæ sunt ex natura rei passus quibus ad beatitudinem contendimus, & peruenire debemus.

II. Ratio autem posterioris partis est, quòd B sic spectata sunt quædam externa gratiæ Dei auxilia, quibus vt adiuuamur ad exercenda virtutum opera, sic ad beatitudinem consequendam, quæ proinde tam cadere possunt in bonorum operum meritum, quàm interna gratiæ actualis auxilia quibus ad idem adiuuamur: quo etiam fit, vt quemadmodum hæc condignè mereri non possumus, sed solùm congruè, vt & communis Theologorum consensus est, & ex antedictis constat, ita neque illa nisi congruè possimus.

Qua ex ratione duo colliguntur. Vnum est, non quo quisque iustior est, aut plura meliora virtutum opera exercet, eo plus ex bonis temporalibus mereri congruè, cùm non

III. mereatur nisi in quantum ei sunt futura vti- C lia ad bene beatéque viuendum, nec ex eo præcisè sint ad id ei vtiliora aut absolutè vtilia futura, quòd iustior sit, & se in pluribus ac melioribus bonis operibus exerceat: sed è contrario fortè futurum esset, vt quo magis iis affluéret, eo magis ab illius suæ iustitiæ conseruatione aut augmento, bonorúmque operum exercitio impediretur.

Secundum est, hominem iustum mereri aliquando bonis suis operibus paupertatem potiùs quàm diuitias, similiáque mala temporalia, quàm bona contraria, cùm frequenter non hæc bona, sed illa mala sint illi futura vtilia ad exercenda virtutum opera, & proinde ad æternam beatitudinem comparandam, habeántque per consequens rationem prædictorum externorum gratiæ Dei auxiliorum,

IV. quæ in congruum bonorum operum meritum D cadere posse diximus.

Quòd denique spectat ad tertium, dico primò purum hominem iustum, de quo solo hîc agimus, nullum gratiæ donum alteri posse mereri merito condigno, spectata etiam absoluta Dei potentia, cuius rei ratio allata est in Tractatu de Incarnat. disput. 4. sect. præsertim 2. ad art. 2. 1. quæst. 3. partis, vbi à Theologis afferri solet.

Dico secundò eum congruo merito mereri posse alteri quod sibi potest, & aliquid amplius: ita Theologi communiter. Posterioris huius partis ratio est, quòd alteri mereri primam gratiam potest, sibi non potest: sibi enim principium meriti est, quod proinde mereri sibi non potest: alteri autem mereri potest, quia prima gratia quam meretur alteri A non est ipsi merenti principium meriti, ex quo proinde capite nullum impedimentum est quominus eam alteri mereri possit, aliunde verò nullum est. V.

Prioris autem illius partis ratio est, quòd eius bonis operibus tam adesse possint omnes ad illud congruum pro aliis meritum necessariæ conditiones, quàm ad idem meritum pro se ipso, cùm ad vtrumque meritum vel sint eædem prorsus requisitæ conditiones, vel si diuersæ sint, tam hæ quàm illæ in eius potestate sint, vt singulas quæ verè proferri possunt consideranti patebit.

Quòd si quæras, de qua prima gratia sermo sit, cùm dicitur hominem iustum eam alteri posse mereri. Respondeo sermonem esse de prima non solùm formaliter iustificante, B VI. sed etiam actuali & efficaci, quàm quis oratione sua potest alteri impetrare, vt sanctus Stephanus Apostolo Paulo re ipsa impetrasse creditur. Quanquam hæc & illa gratia hoc discrimine cadit in congruum hominis iusti meritum, quòd actualem immediatè meretur, & frequenter re ipsa impetrat, formaliter autem iustificantem non immediatè, sed vel mediante sacramenti applicatione, vel mediantibus actualibus interioris gratiæ auxiliis, quibus homo ad eam quæ formaliter iustificat excitatur, & disponitur, siue habitualis ea sit, siue actualis. Deus enim nemini ob alterius congrua merita tribuit, aut tribuere decreuit immediatè per se sanctificantem gratiam, sed solùm vel intermedia sacramenti susC VII. ceptione, vel intermediis prædictis gratiæ actualis auxiliis.

Quòd si præterea quæras, an cùm iustus possit alteri mereri primam hanc illámque gratiam, possit etiam prædestinationem? Respondeo posse, si prædestinatio sumatur propriè: non posse, si impropriè. Cuius vtriusque partis veritas suo loco, nempe in Tract. de Deo, disp. 39. assert. 4. probata est.

Ex dictis sequitur, iustum posse mereri alteri reparationem post lapsum, & finalem in gratia perseuerantiam, cum vtramque mereri sibi possit, vt suprà probauimus: & quidem perseuerantiam hanc iisdem duobus modis mereri alteri potest quibus sibi, posterioríque faciliùs, quàm priori, ob eandem causam, ob

D quam idem de ipso sibi eam merente ibidem VIII. diximus. Illam verò reparationem etsi non posset mereri sibi, posset tamen alteri, quia causa propter quam sibi non posset, nullum respectu alterius locum haberet: ideo enim sibi non posset, quia per suum peccatum mortale subsequens omnia sua præcedentia merita mortificaret, at hæc per peccatum alterius mortificari non possunt: aliunde verò peccatum hoc impedire saltem aliquando non potest, quo minus hominis iusti opera bona tantæ sint bonitatis & valoris apud Deum,

vt ab ipso tam congruè mereantur alteri remissionem secundi, tertiique peccati, quàm primi, ac proinde secundam æquè ternamque ac primam à peccatis iustificationem.

SECTIO V.

I. *An infidelis possit aliquibus operibus bonis ex auxilio diuinæ gratiæ factis mereri sibi merito congruo vlteriora gratiæ auxilia, quibus tandem ad fidem perueniat?*

TRIA præsupponit hæc quæstio. Primum, posse infidelis hominis esse aliqua opera bona moraliter, & re ipsa nonnunquam esse; quod constat ex dictis disput. 1. sect. 4. & 9. Secundum, hæc opera ab eo exerceri non ex solis naturæ viribus, sed ex diuinæ gratiæ auxiliis: quod certum est partim ex eadem sectione 9. partim ex multis antecedentibus & consequentibus eiusdem disputationis sectionibus, quibus probatum vniuersim est, nullum bonum opus ab homine absque Dei gratia fieri II. posse. Tertium, congruum gratiæ meritum bono operi inexistens nihil aliud esse quàm vim & virtutem huius ipsius operis impetrandi à Deo ratione suæ moralis bonitatis donum aliquod gratiæ: quod ex supra dictis, nominatimque sectione prima huius vltimæ disputationis notum est.

His positis, prima de proposita quæstione sententia est negans, quam Suarez amplectitur libro primo de gratia cap. 20. à §. *est ita ergo modo intelligenda est.* & lib. 8. cap. 15. asserens soli diuinæ fidei actui ineſse primum vlterioris gratiæ à Deo consequendæ meritum congruum. Secunda est affirmans, quam tuetur Vasquez 1. parte disput. 91. capite 14. extremo, & hac 1. 2. disput. 190. cap. 12. num. III. 132. Cuius secundæ sententiæ veritas iam pluribus in locis cum in hoc de gratia Tractatu, tum in Tractatu de Deo varijs ex occasionibus obiter declarata, & confirmata, nunc ex instituto fusè probabitur, vt facilius postea atque solidius soluantur quamplurima nec leuia contra eam argumenta, quæ congessit insignis huius temporis Theologus, qui scripta sua nondum in lucem edidit, quique omnium accuratissimè & doctissimè hanc quam præ manibus habemus quæstionem pertractauit, relatam Suarij sententiam validè & copiosè propugnans.

Refellitur nihilominus hæc sententia, & contraria probatur in primis ex iis omnibus Patribus, nominatimque Augustino, Fulgentio, Prospero, qui, vt vidimus in Tractatu de Deo disputationis 38. sectione 3. & 4. Semipelagianos asserentes præcedere ex nobis IV. aliquid boni operis, tum subsequi gratiæ auxilium, hinc redarguerunt, quod esset ex hac eorum doctrina consequens, gratiam Dei non dari gratis, sed in compensationem meriti præcedentis: quod contra eos non rectè intulissent, nisi pro certo habuissent, quodlibet opus bonum, eo ipso quo bonum est, siue fiat ex auxilio gratiæ, siue ex solis naturæ viribus, esse alicuius diuinæ gratiæ de congruo saltem meritorium.

Nec dicat quispiam ipsos id rectè intulisse, quòd Semipelagiani sic admitterent ex nobis opera bona gratiam præcedentia, vt dicerent hanc à Deo conferri posteà illorum intuitu, consequentérque ex præuio aliquo eorundem merito. Non enim Patres ex eo præcisè meritum hoc contra illos intulerunt, quòd illi dicerent gratiam Dei conferri nobis intuitu bonorum operum ex nobis præcedentium, sed quòd dicerent ex nobis hæc opera præcedere, tum subsequi diuinam gratiam, vt clarum est ex his Fulgentij libri de gratia Christi cap. 18. verbis, quæ citata sectione quarta retuli: *Si autem secundùm opinionem illorum, nostrum est velle credere, priusquam nos Dei gratia incipiat adiuuare, imustè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati: hanc enim, sicut illi volunt, gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit: imò si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accipimus.* Et ex istis quoque Prosperi libri contra Collatorem cap. 28. *Quid ergo dicit sine vllo operè gratiæ naturaliter omni animæ semina ineſse virtutum, quid laborat ostendere, nisi istis seminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum?*

Deinde non alio sensu voluêre Semipelagiani Deum intuitu bonorum operum ex nobis præcedentium conferre nobis postea gratiæ suæ dona, quam isto, nempe *occasione tantummodo bonæ voluntatis à nobis oblata*, vt loquitur Cassianus præcipuus eorum fautor & patronus lib. de institutis Cœnobiorum cap. 11. quam oblatam à nobis accipiendæ postea diuinæ gratiæ occasionem tam tenuem dicebant esse, vt minimè impediret quo minus hanc gratiam Deus mere gratis daret, & ex VII. pura misericordia: quòd nimirum, vt idem Cassianus eiusdem libri capite 13. loquitur, *ob id solum Deus exigat & expectet ad suam gratiam tribuendam quosdam bonæ voluntatis conatus, ne penitus dormientibus, aut inerti otio dissolutis sua videatur dona conferre: idque dum exigit non aliud quam occasiones quærat, quibus humanæ segnitiei torpore discusso non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam sub colore cuiusdam desidery ac laboris impertit.* Vnde cùm nihilominus citati Patres ex hac eorum doctrina concluserint gratiam non dari gratis, sed in retributionem meriti præcedentis, consequens est, vt existimarint bono operi ineſse meritum aliquod alicuius diuinæ gratiæ eo ipso præcisè quo VIII. bonum est, siue sit ex solis naturæ viribus elicitum, siue non, sed ex præuio aliquo gratiæ auxilio.

Denique etsi demus aduersarijs Semipelagianos admisisse non solùm bonum aliquod opus ex nobis, sed etiam aliquod huius operis meritum diuinæ gratiæ, cur Patres contra eos disputantes nunquam eosdem ex hoc capite refutarunt, quòd nimirum nullum huic operi ineſse posset huiusmodi meritum, vtpote quod, bonum licet, esset nihilominus ex

solis naturæ viribus, quæ ad diuinam gratiam promerendam per se non sufficiunt. Certè ex hoc capite valide refutassent, nec refutare omisissent, nisi tanquam certum & exploratum habuissent, cuilibet operi bono per se spectato inexistere reipsa aliquod huiuscemodi meritum : quod de opere bono etiam per I. solas naturæ vires elicito, ex hypothesi quod aliquod elsciatur, si senserunt, quantò magis idem senserint de eo quod ex præuio gratiæ auxilio elicietur?

Probatur secundo ex iisdem tribus præfatis Patribus. Ex Augustino quidem epistola 105. pronuntiante *Christum mortuum esse non pro nullis vt homines conderentur, sed pro impiis vt iustificarentur*. Ex quo rectè concluditur, omnem gratiam, quæ datur hominibus à Deo ob meritum passionis & mortis Christi, esse gratiam, quæ ad eorum iustificationem conducit : gratia autem illa quæ datur infidelibus ad bene moraliter operandum, & ex qua reipsa nonnunquam bene operantur, ob meritum passionis & mortis Christi da- II. tur : omnis enim quæ datur hominibus à peccato primi parentis, in hoc Christi merito fundatur : ad illorum ergo iustificationem illa conducit : non conducet autem, nisi bonum opus quod ex ea fieri potest, aut fit, capax fit alicuius meriti vlterioris gratiæ ad iustificationem pertinentis. Nam dicere illam ad hanc non aliter aut alia de causa conducere, quàm quia conducit ad opus quo peccati impedimentum remouetur, & idcirco remouetur, quia opere illo bono formaliter non peccatur, est dicere, non magis conducere, quàm conducant cogitationes futiles & ludicræ, nec bonæ, nec malæ, & opera ex iis ortum habentia, iisdemque simillima, nec bona, nec mala: cuiusmodi sunt dormire, ambulare, ludere: quod cùm per se improbabile & absurdum III. est, tum ex eo etiam capite est, quòd consequens esset, Christum esse passum & mortuum, vt eas haberemus cogitationes sanctas & inspirationes, ex quibus exerceremus eas actiones bonas & honestas, quæ nihilo plus nobis prodessent, aut prodesse possent ad æternam vitam, quàm prædictæ cogitationes & operationes ludicræ, nec bonæ, nec malæ moraliter, quas sine vlla Christi Deive gratia & habemus, & exercemus.

Ex Fulgentio deinde, qui dum verbis paulo ante relatis ait, si nostrum est aliquid boni velle, priusquam nos Dei gratia incipiat adiuuare, nos priores Deo voluntatem dare, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate retribuentis accipere, aperte significat nos eo ipso aliquid boni Deo dare IV. quo bonum aliquod aut volumus, aut agimus, consequentérque nos meritò ab eo expectare posse aliquid gratiæ propter illud bonum quod ei dedimus : quod tamen minimè possemus, nisi eius esset aliquo modo meritorium : cuius & re ipsa meritorium esse voluit, dum ex verbis quibus præmisit *nos priores Deo voluntatem dare*, sic immediatè concluſit, *atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate retribuentis accipere.*

Ex Prospero denique, qui libri contra Collatorem cap. 28. duplex tantùm distinguit humanorum operum genus : vnum quo diabolo seruitur : alterum quo Deo : bonis ergo suis operibus ex gratia Christi factis infideles vel diabolo vel Deo seruiunt : at certe non illi : ei enim seruire peccatum haud dubiè est : ergo isti : ab hoc ergo mercedis aliquid iure suo A V. expectare possunt, & quidem aliquid gratiæ ad æternam beatitudinem conducentis, ex mente Prosperi, vt patet ex his eius verbis de infidelibus, qui videntur plerunque iustitiæ, temperantiæ, continentiæ, beneuolentiæ sectatores, vt loquitur, sed reuera non sunt, quia propria harum virtutum externa opera non ex honestate, sed ex vanitate, aut simili prauo fine faciunt. *Sed quia in iis studiis, non Deo, sed diabolo seruiunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beaturum virtutum non pertinent veritatem.* Hos enim ea sola de causa negat seruire Deo, seruire diabolo affirmat, quia non ex vera virtute, sed ex vitio operantur, & eorum opera, quamuis bona & laudabilia videantur, ad B beatarum virtutum veritatem non pertinere VI. ideò solùm ait, quia non sunt opera veræ virtutis, sed adumbratæ duntaxat: si ergo veræ virtutis essent, ad beatarum virtutum veritatem ex eius mente pertinerent : ad æternam ergo beatitudinem per se conducerent : veras enim virtutes non ob aliam causam beatas appellat, quàm quia ad beatitudinem hanc per se suáque natura conducunt.

Probatur tertiò, ex communi Catholicorum Doctorum sensu atque iudicio, qui cùm hæreticos ad fidem reuocare disputando nequeunt, iis consulere solent, vt Deum orent, vt ieiunent, vt eleemosynas faciant cognoscendæ veritatis gratia: quod ad hunc finem inutiliter & hi facerent, & illi consulerent, si bonis istis operibus, & id genus aliis in infideli- C VII. tate factis, nihil prorsus inesset valoris & virtutis ad impetrandum diuinæ gratiæ lumen, & fidei, aut nihilo plus quàm ambulationi, quàm ludo, quàm somno, similibúsque aliis nec bonis nec malis operibus, vt ex aduersariorum sententia nihilo plus inest, cùm dicant primum gratiæ conducentis ad iustificationem meritum inesse fidei actui, virtutúmque moralium fidem hanc præcedentia opera ad eam eatenus tantùm conducere, quatenus remouent peccati impedimenta, quia peccata non sunt : quo sanè modo ad eandem conducunt ambulatio, ludus, somnus, & similia opera nec bona, nec mala, cùm peccata non sint. Vnde consequens est, vt hæreticis dare consilium orandi, ieiunandi, eleemosynas faciendi, similiaque veræ virtutis opera exercendi, prædi- D VIII. cti finis gratia, non sit dare consilium ad fidem & iustificationem assequendam salubrius & vtilius, quàm consilium dare ambulandi, ludendi, dormiendi : quod quia communis omnium sensus & aures certissimè respuunt & auersantur, certum est argumentum falsitatis sententiæ quam refutamus.

Nec dicat aduersarij, orationes, eleemosynas, ieiunia, similiaque veræ virtutis opera ab hæreticis facta, eorúmque faciendorum volũtatem veritatis cognoscendæ causa ad fidẽ pertinere:

sic enim pertinent, vt tamen non sint fidei actus, nec fidelis hominis, sed infidelis, & in infidelitate eo tempore quo illa exercet permanentis: dum enim exercet, formaliter hæreticus est, ea saltem de causa, quia est adhuc in fide dubius.

I. Quarto probatur hac ratione. Illud omne veræ virtutis opus per se & positiuè conducit ad vitam æternam, ac proinde ad iustificationem, ad quod exercendum Christi gratia necessaria est, ex eáque reipsa exercetur: atqui necessaria est ad illa bona infidelium opera, de quibus hîc agimus, reipsáque ex ea ab iis exercentur: ergo hæc per se & positiuè ad æternam vitam, ac proinde ad iustificationem, conducũt. Consequentia hæc euidens est. Minoris veritas est certa, non modò quia ad omne bonum opus necessaria est Christi gratia, vt nobiscum ex aduersariis saltem aliqui sentiunt, sed etiam quia solùm hic quæstio est de bonis infidelium operibus ex Christi gratia profectis, quæque ab illis non fierent, nisi gratia hac adiuuarentur, ad quæ proinde facienda hæc necessaria est. Maior

II. probatur. Ea enim Christi gratia dicitur, quæ à B Deo ob passionis & mortis Christi meritum confertur, ex communi & certa Theologorum omnium doctrina: quæ autem ob hoc meritum confertur, est gratia redemptionis, & æternæ salutis. Christus enim non ob alium finem passus & mortuus est, quàm vt nos à seruitute peccati & diaboli redimeret, & in æternum saluaret. Confert ergo per se & positiuè aliquid ad redemptionem hanc & salutem, nihil autem sic ad eam conferet, & conferre poterit, si bonũ opus ad quod exercendum necessaria est, & quod ex ea reipsa exercetur, nihil per se & positiuè ad eandem conducit, & conducere possit, cùm non nisi eo mediante conducat, aut possit conducere.

III. Postremò hac altera ratione probatur. Bona virtutis moralis opera quæ ab infideli ex C Christi gratia fiunt, si ab eo iam fideli fierent, essent de congruo meritoria gratiæ alicuius ad iustificationem conducentis: ergo etiam sunt, dum ab eo adhuc infideli exercentur. Antecedentis veritas etiam aduersariorũ consensu certa est. Consequentiæ bonitas hinc cõstat, quòd huius meriti fundamentum non sit fides operantis, sed operis moralis bonitas, quæ eadem est, siue opus ante, siue post fidem exerceatur, sicut & idem opus est, vt supponimus.

Respondebis moralem operis bonitatem esse quidem huius meriti necessarium fundamentum: at non solam, sed fidem quoque operantis coniunctim acceptam. Refelliturhæc re-

IV. sponsio ex eo quòd fides operantis non potest huiusce meriti esse fundamentum, nisi vel ex ea D tanquam ex aliqua circunstantia operis opus ipsum sit moraliter melius quàm alioqui fuisset, vel accipiat necessariam cum gratia ad iustificationem conducente proportionem, vt eam congruè mereri possit, quam alioqui non haberet. Non primum, quia si cætera omnia paria sint, hoc vno dempto, quòd idem opus virtutis à fideli & infideli exerceatur, non erit ideo præcisè melius, quia à fideli exercebitur, si præsertim hoc opus sit vnum ex insignibus & heroicis illius virtutis: vnde nec à quoquam ex eo præcisè capite magis laudabitur, imo potius eo quòd ab infideli exerceatur laudabitur magis, erítque proinde melius, & ideo melius ac laudabilius, quia tali personæ est ex rei natura magis arduum & difficile, sicut & magis insolens. Qua ex causa Christus insigne misericordiæ opus à sancto Martino adhuc Catechumenu factum maiori ob hanc personæ conditionem laude extulit, dum dixit, *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit*, quàm extulisset, si iam baptismi sacramentum & gratiam percepisset: quo proinde modo quisque iure optimo heroicum alicuius virtutis opus ab infideli patratum simili elogio commendaret, dicens: talis adhuc infidelis hoc tantæ virtutis opus exercuit. V.

Adde quòd si tenue aliquod vel mediocre virtutis opus à fideli eliceur, & ex hac eius fide plus bonitatis moralis accapit, quàm si ab infideli eliceretur, cui dubium esse potest, huic operi elicito ab infideli, dum ex obiecto, aliisque circunstantiis erit vnum ex insignibus & heroicis eiusdem virtutis, tantum hinc accessurum moralis bonitatis, vt exæquet, imò superet totam illius tenuis aut mediocris operis bonitatem, mereatúrque proinde plus gratiæ ad iustificationem conducentis, quàm illud ob minorem suam meretur? Quòd si insignia & heroica virtutum opera ab infideli facta ratione tantæ suæ bonitatis merentur aliquid prædictæ gratiæ, merebuntur etiam omnia & singula quamuis mediocria vel exigua, quia horum & illorum est eiusdem rationis bonitas, solúmque differt vna ab altera secundùm magis & minus. Vnde solùm fiet, vt hæc opera minùs præfatæ gratiæ, illa verò plus mereantur. VI.

Neque secundum: si enim deesset operi bono quod infidelis elicit necessaria proportio, vt congruè mereri possit gratiam vocationis ad fidem, maximè quia opus illud in entitate meré naturale est, vtpote solius virtutis naturalis & acquisitæ: hæc autem vocatio supernaturalis est, sicut & fides: at hæc ratio nulla est: quartæ enim disputationis sectione 4. fusè ostendimus, nullam vocationis gratiam, siue quam Deus in intellectu nostro, siue quam in nostra voluntate operatur, esse in entitate supernaturalem, omnem meré naturalem esse. Et quamuis aliqua supernaturalis esset, nullum ex eo præcisè capite esset impedimentum, quominus aliquis actus bonus in entitate meré naturalis tantæ esset bonitatis, vt eam de congruo solùm mereretur, cùm illud sit meritum congruum, quod Deus decenter compensare potest præmio ex intuitu bonitatis operi inexistentis, licet hoc opus illud præmium condigne non mereatur. Quis autem negare probabiliter potest, Deum tam decenter posse compensare præmio vocationis ad fidem opus aliquod heroicum virtutis moralis acquisitæ ab infideli elicitum, quàm potest eiusdem virtutis opus exiguum vel mediocre à fideli factum compensare præmio similis gratiæ ad iustificationem conducentis: VII. VIII.

SECTIO VI.

Deprompta ex trium Conciliorum authoritate argumenta soluuntur.

I. AT huic nostræ doctrinæ opponuntur in primis tria Concilia. Primò Arausicanum secundum can. 25. verbis his: *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat.* Quibus diserte negat ante fidem vlla præcedere bonorum operum merita. Respondeo primo, vt hæc Concilij verba vim contra nos habeant, esse nobis ab aduersariis ostendendum, Concilium ita negare bona fidem præcedentia merita, vt simul admittat aliqua eam antecedentia opera bona ex auxilio gratiæ Dei elicita, quæ proinde neget esse fidei vllo modo meritoria, quod certissimè nunquam ostendent, quia ostendi non potest.

II. Respondeo secundò, Concilium loqui de solis fidem præcedentibus meritis ex solius naturæ viribus profectis, vt patet, primùm ex his eius verbis: *In omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis*, &c. vbi particula aduersatiua *sed* opponitur ei, quod est, nos in omni opere bono incipere: quod quid aliud est quam nos bene per solas naturæ vires agere? Secundò ex eo quòd negat vlla bona merita antecedere amorem quo Deum diligimus, sicut & fidem qua in eum credimus: quod de solis meritis ex nobis ortum habentibus potest intelligi, cùm illum amoris actum antecedat hic fidei actus, qui est, aut esse potest illius aliquo modo meritorius. Tertiò ex verbis his relata proximè consequentibus: III. *Vnde manifestissimè credendum est, quod & illius latronis quem Dominus ad paradisi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis ad quem Angelus Domini missus est, & Zacchæi qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuinæ largitatis donum.*

Denique ex Bonifacij secundi Papæ epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, qui literis eum rogarat, vt Concilij decreta sua authoritate confirmaret, idque nominatim quod citato canone 25. fuerat definitum, nempe fidem non esse ex præcedentibus bonis meritis, sed ex inspiratione diuina: cuius epistolæ tomo 1. Conciliorum Galliæ hoc Arausicanum proximè subsequentis, hæc inter cætera verba sunt: IV. *Indicas enim quòd aliqui Episcopi Galliarum, cùm cætera iam bona ex Dei acquieuerint gratia prouenire, fidem tantùm qua in Christo credimus naturæ velint esse, non gratiæ, & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordia diuinæ largitate conferri, postulans, vt pro ambiguitate tollenda confessionem vestram, qua vos e diuerso fidem rectam in Christo, totiúsque bonæ voluntatis initium, iuxta Catholicam veritatem, per præuenientem Dei gratiam singulorum de finito sensibus inspirari, authoritate sedis Apostolicæ firmaremus.* Cui postulationi annuens, idque quod postulabatur confirmans, ait, *nullis vlterius debere esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia, cùm secundum relatas ex Apostolo sententias euidenter appareat, fidem qua in Christo credimus, sicut & omnia bona, singulis hominibus ex dono supernæ venire gratiæ, non ex humanæ potestate naturæ.*

Secundò Moguntinum primum sub Leone 4. summo Pontifice, quod caput primum, cuius titulus est, *De fide Catholica*, ab his exorditur verbis. *Initium actionis nostræ de fide esse decreuimus, quæ bonorum est omnium fundamentum.* At si quia fides bonorum omnium fundamentum dicitur, rectè colligunt aduersarij, ante fidem nullum esse opus gratiæ vel de congruo meritorium, quia huiusmodi opus, bonum aliquod est: pari iure contra suam quoque sententiam doctrinámque colligant, ante fidem nullum vnquam opus bonum moraliter exerceri, quia procul dubio opus hoc, bonum aliquod est. Dicitur ergo fides à Moguntino Concilio bonorum omnium fundamentum, eodem omnino sensu, quo à Tridentino humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis. Quod huius Concilij de fide dictum mox explicabimus.

Tertiò Tridentinum sess. 6. duobus locis. Primus habetur cap. 5. & 6. vbi prima in adultis ad iustificationem dispositio dicitur esse fides qua credunt in Deum, concepta ab iis ex auxilio præuenientis gratiæ, qua nullis eorum existentibus meritis ad fidem vocantur: & ab hac vocatione sumendum esse iustificationis exordium: quod falsum esset, si fidem præcederet aliquod opus ex gratia factum fidei de congruo meritorium: hoc enim opus esset aliqua anterior ad iustificationem dispositio, gratiáque ad hoc ipsum opus agendum excitans esset exordium iustificationis, non autem eam subsequens ex huius operis merito congruo ad fidem vocatio. VII.

Respondeo primò, capite illo quinto definiri quidem *iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur: vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem libere assentiendo & cooperando disponantur.* Sed minimè significari, hoc excitantis & adiuuantis gratiæ auxilium, quod est iustificationis exordium, dari ad fidei actum potiùs quàm ad aliquod aliud bonum opus eo priùs exercendum: verba enim relata non illum potiùs actum, vt patet, quàm istud opus significant. Addo quòd cùm à Concilio omnia gratiam hanc præcedentia merita excluduntur, non alia quàm propria solius liberi arbitrij merita excluduntur, quia per hanc ipsam gratiam prima omnium intelligitur, quam præcedere non potest vllum meritum ortum habens ex priore aliqua gratia, vt clarum est. VIII.

Respondeo secundò, sequenti capite dici quidem adultos *disponi ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti fidem ex auditu concipientes libere mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata sunt*: at non dici,

hunc fidei actum esse primam dispositionem ad iustitiam illam, quasi hanc nullus vnquam antecedat vllus actus bonus, qui sit vera, licet remotior, ad eandem iustitiam dispositio. Verum quidem est, Concilium nullius anterioris dispositionis feciſse mentionem: at mirum non est, quia nec debuit, nec potuit. Tradens enim veram & certam de adultis omnibus qui iustificantur doctrinam, aliarum ad hanc iustitiam dispositionum mentionem facere non debuit, aut potuit, quàm earum, quæ verè & certò sunt iustificatis omnibus communes, in iisque omnibus & singulis reipsa reperiuntur, cuiusmodi sunt fidei, spei, aliique actus quos enumerat: nõ sunt autem opera bona fidem præcedentia, eiusque aliquo modo meritoria, cùm nec in omnibus reipsa præcedant, nec in quoquam præcedere certum sit, vt nec in vllo præcedere est absolutè necessarium.

Secundus locus habetur capite 8. his verbis: *Cùm Apostolus dicit iustificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit, vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis; gratis autem iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Verùm in his posterioribus verbis explicandis, quibus causa redditur, cur dicamur iustificari gratis, non est nobis hîc immorandum: fusè enim disput. 12. sect. 24. explicata sunt. Ex qua eorum explicatione clarum est nihil ex iisdem concludere posse aduersarios pro sua quam præcedente sectione refutauimus sententia. Solum hîc addo, quod inutile non est aduertere, operum nomine quæ dicuntur à Concilio iustificationem præcedere, posse comprehendi ea opera bona ex auxilio gratiæ facta quæ fidem antecedunt, cùm aliqua nonnunquam antecedant ex aduersariorum etiam expressa doctrina, sicut & illa quæ subsequuntur.

Quoad priora autem quibus fides humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis dicitur, respondeo hæc verissimè de fide dici, non obstante quòd eam aliquando præcedant aliqua opera eius de congruo meritoria. Quis enim negare potest dici posse verè aliquo proprióque sensu, eo etiam casu, quo certum ex fide esset, ante hanc præire nonnunquam aliqua eiusmodi opera? Qui autem tunc eorum verus & proprius sensus esset, is modò est, & quidem iste, fidem esse omnis iustificationis & humanæ salutis initium, & fundamentum omnibus qui iustificantur & saluantur commune, omnibúsque ad iustitiam & salutem assequendam ita necessarium, vt & nullus vnquam sine præuia fide saluus fuerit, & iustificatus, aut saluari possit, & iustificari. Cuius initij & fundamenti humanæ salutis ac iustificationis rationem non habent opera bona fidem præcedentia, cùm nec in omnibus qui iustificantur semper præcedant, nec in vllo, vt iustificetur, præcedere sit absolutè necessarium. Qua de causa Concilium nullam eorum tanquam alicuius initij & fundamenti iustificationis hominum & salutis mentionem fecit, cùm vellet tradere communem omnibus qui iustificantur & saluantur doctrinam: nec facere etiam debuit, aut potuit, cùm non aliud deberet aut posset assignare humanæ salutis & iustificationis initium, & fundamentum, quàm quod verè & certò in iisdem omnibus reipsa reperiretur, & reipsa reperiri necessario deberet in omnibus & singulis ad iustitiam & salutem comparandam, cuiusmodi est fides: non sunt autem opera bona eam aliquando antecedentia.

SECTIO VII.

Duæ ex quatuor summorum Pontificum authoritate argumenta soluuntur.

IAM ex summis Pontificibus primus nobis obiicitur Celestinus (vt in iis referendis seruem ordinem temporis) in Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 12. secundùm aliam editionem, 9. in quo sic ait: *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis authoritate documentis, sta adiuuante Domino conformati sumus, vt omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur authorem, & non dubitemus ab ipsius gratia hominis merita præueniri.* Quibus verbis (inquiunt aduersarij) hoc ponit tanquam consequens, omnia videlicet hominis merita esse ex gratia, eo quòd omnes virtutum actus ab initio fidei sunt ex gratia, quod minimè sequeretur, si ante fidem esse possent vlla merita. Respondeo Celestinum nullum relatis verbis ex vllo antecedente inferre consequens: sed hanc solùm propositionem vt verissimam, & tum Ecclesiastica, tum diuina authoritate satis supérque testatam & confirmatam ponere, & fidem, & omnia eam consequentia bonorum operum merita ex Dei gratia esse, nullum ex solis humanæ naturæ viribus: quod dum ait, non affirmat quidem dari ante fidem vllum hominis ex diuina gratia meritum, sed neque etiam negat, vt nec ante eandem dari aliquod bonum opus moralis & acquisitæ virtutis aut negat, aut affirmat.

Secundus obiicitur sanctus Leo sermone 7. de quadragesima, in quo sic de eleemosyna loquitur: *Quid hoc opere fructuosius? quid hac humanitate facilius? qua vtique laude sua fraudata non esset, si propter ipsam naturæ communionem iuuando homini ab homine præberetur: sed quia quod non ex fidei procedit fonte ad præmia æterna non peruenit, alia est conditio operum cœlestium, alia terrenorum.* Quibus verbis opus misericordiæ non ex fide procedens, licet veræ virtutis, reponit in numero terrenorum operum, excludit à cœlestium: quod immeritò faceret, si gratiæ ad iustificationem, ac proinde ad æternam gloriam cõducentis, esset aliquo modo meritorium. Respondeo sanctum hunc Põtificem virtutum opera quæ fides non comitatur vocare terrena, & à cœlestibus excludere, ea sola de causa, quòd ad æterna præmia non perueniant, vt loquitur, seu quòd iis nunquam sit reipsa rependenda à Deo æterna in cœlo gloria, nec rependi vnquam meritò possit, cùm

sine fide, sicut est impossibile placere Deo, sic ad cœleste eius regnum peruenire. Quo non obstante possunt esse de congruo alicuius gratiæ meritoria, sicut & ea quæ ab homine fideli, durante statu peccati mortalis exercentur.

Tertius obiicitur Gelasius primus Epistola
I. 3. ad Episcopos per Picenum, cuius hæc sunt A
verba satis procul à fine : *Quid autem haberi possit sine gratia, cum sit ipsa fides per gratiam? Apostolo nos docente, misericordiam consecutus sum vt fidelis essem : nec aliud est misericordia diuina quàm gratia. Audiamus etiam quemadmodum informat Ecclesiam : Gratia, inquit, salui facti estis per fidem, vt principium salutis & fidei à gratia cœpisse differeret.* Verùm cùm & ex hac Epistola tota, & ex præfixo ei titulo, constet hunc Pontificem in eo totum esse, vt certa Pelagianæ hæresis capita refellat, hócque nominatim *tertium, gratiam ad salutem non esse necessariam, illámque secundùm hominum merita conferri* : & relatis verbis nihil aliud quàm gratiæ necessitatem ad credendum & salutem
II. assequendam astruat, non video quid ex iis B
possint contra nos concludere aduersarij, nisi forte hoc vnum, quod indicat, fidem esse salutis principium : quod tamen quo sensu verum sit, iam ad secundum ex Tridentino Concilio locum respondentes diximus. Sanè siue fides sit semper humanæ salutis principium omnino primum, siue non semper, sed aliquando etiam aliquod opus bonum eam præcedens, eiúsque de congruo meritorium, Summus hic Pontifex nihil aliud definit, quàm hoc salutis & fidei initium ortum habere ex diuinâ gratia, non ex solis naturæ viribus : quod vltro confitemur, & verissimum est.

Quartus obiicitur sanctus Gregorius lib. 2. in Ezechielem homilia 19. explicans hæc verba : *Et vestibulum ante eam*, vbi sic ait. *Potest*
III. *quoque per vestibulum fides intelligi : ipsa quippe* C
est ante gradus & portam, quia prius ad fidem venimus, vt postmodum per spiritualium donorum gradus cœlestis vitæ aditum intremus. Non enim virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim Centurio, cuius eleemosynæ ante baptismum, Angelo testante laudatæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam & ei per Angelum dicitur : Orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt in conspectum Dei. Si enim Deum vere & ante baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quòd eius omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat : neque enim poterat bona agere, nisi ante credidisset : scriptum namque est, Sine fide impossibile est placere Deo:
IV. *fidem ergo habuit cuius orationes & eleemosynæ* D
placere potuerunt : bona autem actione promeruit vt Deum perfectè cognosceret, & incarnationis eius mysterium crederet, quatenus ad sacramentum baptismatis perueniret. Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatus in fide. Vestibulum itaque ante gradus est, quia qui prius credidit, ipse pòst virtutum gradibus ad portæ aditum ascendit. Breuis & vera responsio est, tam prolixum sancti Gregorii testimonium nihil obesse nobis, nihil prodesse aduersariis : vt enim his prodesset, nobis obesset, oporteret eo admitti aliqua virtutum opera ante fidem, & negari eadem esse fidei vllo modo meritoria : at hoc non fit, sed omnia fidem antecedentia virtutum opera negantur, vt legenti patet.

Solum addo, dum negat sanctus Gregorius Cornelium potuisse bona agere nisi antea credidisset, idque ex eo probat, quòd sine fide sit V.
impossibile placere Deo, & inde concludit, illum ergo fidem habuisse, quia eius orationes & eleemosynæ Deo placuerunt : vel loquitur de bonis operibus, Deóque placentibus, eo præcisè nomine quòd bona sunt, seu veræ virtutis : vel quòd ita bona sunt, Deóque placentia, vt placeant tanquam iustorum & amicorum Dei opera, digna æternæ gloriæ præmio. Si primum, certè negat omnia opera bona fidem antecedentia : si quæ enim antecederent, haud dubiè Deo placerent, cui non potest non placere vehementer vera virtus, siue meritum aliquod gratiæ habeat, siue nullum. Sin autem secundum, verissimum quidem est ad huiusce-
modi opera bona fidem esse necessariam : sed
B non erit inde consequens, ante hanc nulla pos- VI.
se præcedere priore sensu bona, quæ eam de congruo mereantur.

SECTIO VIII.

Ex sancti Augustini testimoniis petita argumenta soluuntur.

PRIMVM testimonium continetur his eius verbis tom. 2. epist. 105. col. 3. *Restat igitur vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, (propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantico Canticorum, Veniès, & pertransies ab initio fidei) non humano tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita, sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est,* VII.
sine meritis cogitamus. Respondeo S. Augustinum nulla hîc agnoscere ante fidem bona merita, quia nulla ante eandem agnoscit bona opera, id est, veræ virtutis & honestæ formaliter, vt constat tum ex his eius de fide verbis, *Vnde omnis iustitia sumit initium* : omnis enim ex vera virtute actio vera aliqua propriè iustitia est, siue sit alicuius apud Deum gratiæ meritoria, siue non sit : tum ex istis relata proximè subsequentibus, *opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem sit in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine : omne enim quod non est ex fide, peccatum est.*

Neque verò hîc tantùm nulla fidem agnoscit præcedentia opera bona, sed passim alibi, clarissimè autem præfatione in Psalmum 31.
dum sic ait : *Debemus nulla opera præponere fi-* VIII.
dei, id est, vt ante fidem dicatur quisquam bene operatus : ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Nemo ergo computet bona sua opera ante fidem : vbi fides non erat, bonum opus non erat : bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Et infrà : *Etsi videatur bona facere, quia facit sine fide, nec bona vocanda sunt. Credenti autem in eum qui iustificat impium deputatur fides eius ad iustitiam : quam? fidei : quam bo-*

ne opera non præcesserunt, sed quam bona opera consequuntur. Et tractatu 86. in Ioannem: *Audi ingrate, ingrate audi, Non vos me elegistis sed ego elegi vos. Non est vt dicas, ideo electus sum, quia iam credebam: si enim credebas in eum, iam elegeras eum: sed audi, Non vos me elegistis: non est vt dicas, antequam crederem iam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem? cùm dicat Apostolus, omne quod non est ex fide, peccatum est. Quid ergo dicturi sumus audiendo, non vos me elegistis, nisi quia mali eramus, vt boni per gratiam nos eligentis essemus? Non est enim gratia si præcesserant merita, est autem gratia: hæc igitur non inuenit, sed effecit merita.*

I. Quid quod tam frequenter ita clarè pronuntiat omnia infidelium opera peccata esse, vt non possit clarius? vt libri tertij contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 5. his de fide verbis: *Sine ipsa verò omnia quæ videntur bona opera in peccata vertuntur. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Et libri quarti contra Iulianum cap. 3. quod longissimum est, & totum impendit, vt ostendat veras virtutes non ex operibus externis, sed ex finibus propter quos exercentur esse metiendas. Infideles autem, virtutum, vt videbatur, opera exercentes, hoc peccasse, quòd non ad eum finem ista opera retulerunt ad quem referre debuerunt, sed aut in auaritiam, aut vanam gloriam, aut similem prauum finem: vnde subiungit: *Fabricium minus quàm Catilinam puniendum, non quia ille bonus, sed quia iste magis malus: & minùs impium quam Catilinam Fabricium, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimùm deuiando. Regulos quoque, Fabios, Scipiones, Camillos, cateróque tales*, Romanorum videlicet optimos, & laudatissimos, *virtute simili non vera, sed verisimili, dæmonibus, vel vanæ gloriæ seruisse.*

II. Quare dum & hoc capite, & sæpe alibi, infidelium opera omnia peccata esse probat ex his Apostoli verbis ad Romanos 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, peccati nomine certissimè idem quod Apostolus intelligit, opus scilicet malum moraliter, ideoque pœna dignum. Vnde improbabile omnino & incredibile est quod ex aduersariis nonnulli dicunt, ab Augustino illo nomine intellectum fuisse opus etiam veræ virtutis, honestúmque formaliter, sed defectum habens dispositionis ac meriti ad iustitiam conducentis. Cuius etiam expositionis nullum vspiam in eius doctrina reperire fundamentum est, vt & nullum distinctionis inter opera bona ex vera virtute profecta, quorum vnum conducat aliquo modo ad iustitiam, alterum nullo. Quare

III. quod aduersarij ex citata in Psalm. 31. præfatione proferunt ab his verbis: *Jactet impius opera sua, & dicat, Do pauperibus*, &c. falsò proferunt: omnia enim legenti certò constabit S. Augustinum hæc opera dicere bona solum materialiter, mala autem formaliter, ex prauo fine, similive circunstantia.

IV. Nec opponat hìc quispiam nobis quod disputatione 1. sect. 9. concessimus, admissa aliqua à sancto Augustino fuisse opera bona veræque virtutis in Assuero Rege, & Polemone, licet infidelibus. In tanta enim tot infidelium tot sæculis multitudine reperisse vnum aut alterum veræ virtutis opus, eum meritò reuocare non potuit aut debuit à pronuntianda hac vniuersim sine exceptione sententia, infidelium nulla esse bona opera, omnia peccata esse. Cuiusmodi generales sententias sæpe pronuntiat Scriptura nihil excipiens, licet nonnunquam aliqua reipsa exceptio sit. A V.

Secundum testimonium petitur ex epistola 130. in qua sic de prædicto Polemone loquitur. *Polemo ergo, si ex luxurioso continens factus, ita sciret cuius esset hoc donum, vt eum abiectis superstitionibus gentium pie coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret: quod ei non tantum ad præsentis vitæ honestatem, verum & ad futuræ immortalitatem valeret.* Quibus verbis diserte negat continentiam, quæ fidem præcedit valere ad futuræ vitæ immortalitatem: ad quam tamen valeret, si meritum aliquod consequendæ gratiæ haberet. Respondeo S. Augustinum eodem sensu negare opera bona sine fide valere ad immortalitatem futuræ vitæ, quo S. Iacobus epistolæ suæ B VI.
cap. 2. fidem sine bonis operibus, & Apostolus ad Corinthios primæ cap. 13. opera bona sine charitate negat quidquam prodesse: quæ quidem ea sola de causa nihil ab iis prodesse dicuntur, quia non pariunt re ipsa fructum æternæ vitæ, nec parere possunt, quandiu & fides, bonorum operum, & hæc opera charitatis comitatu destituuntur. Quo non obstante, sicut opera bona extra statum charitatis à peccatore facta habent nihilominus, aut habere possunt, congruum aliquod meritum gratiæ conducentis ad charitatem, ita & facta ab infideli meritum aliquod gratiæ ad fidem disponentis.

Tertium habetur tomo 4. libro 1. ad Simplicianum quæst. 2. cuius initio sic de Apostolo loquitur: *Multis locis hoc sæpe testatur, fidei gratiam præponens operibus, non vt opera extinguat, sed vt ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: vt scilicet non se quis arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Non enim Cornelius non credebat Deo, cùm eleemosynis & orationibus dignum se præberet cui Angelus mitteretur, sed nullo modo ista operaretur, nisi antè credidisset: nullo autem modo credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur.* VII.

Ad huius loci perfectam expositionem tria dicenda sunt. Primum est, S. Augustini mentem & propositum esse, excludere ab operibus per naturæ vires ex sola legis notitia factis omne meritum gratiæ, & fidei, vt patet ex his D VIII.
verbis relata proximè præcedentibus. *Et primo intentionem Apostoli quæ per totam epistolam* (ad Romanos nimirum) *viget, tenebo quam consulam: hæc est autem, vt de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quòd data sibi lege seruissent, & ex hoc Euangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent: non enim intelligebant, quia eo ipso quo gratia est Euangelica, operibus non debetur: alioqui*

gratia iam non est gratia. Quæ de solis operibus non ex gratia, sed ex sola legis notitia factis accipi possunt : nam si de factis ex gratia, & si iis alia gratia tanquam merces deberetur, & redderetur, non desineret gratia esse gratia, id est, gratis data, ea scilicet quæ hæc opera antecederet, & ex qua fierent. I.

At quoniam sanctus Augustinus vna quidem ex parte nullum admittit bonum opus seu veræ virtutis, nisi ex præuia Christi gratia, vt disputat. 1. vidimus, ac proinde nisi ex gratia Euangelica (omnis enim data per Christi merita etiam antiquis Patribus in lege Mosaica naturæque gratia, Euangelica est, seu ad Euangelium pertinet, vt & ad Christum, qui huius author est) ex altera verò nulla ante fidem agnoscit opera bona, vt suprà vidimus, propterea secundum quod dico est, relatis hoc tertio testimonio quod nobis obiicitur verbis S. Augustinum loqui de bonis operibus quæ formaliter bona sunt, seu veræ virtutis, & ex II. Christi gratia exercentur, quæ negat præuenire fidem, subsequi affirmat : ex quo nihil pro se concludere ex eius authoritate possunt aduersarij : vt enim possent, deberent ostendere eum hîc aut alicubi admittere aliqua ante fidem opera bona, veræque virtutis facta ex Christi gratia, nec tamen gratiæ ad iustitiam disponentis vllo modo meritoria, vt hinc concluderent, fidem in Deum esse primum opus huius gratiæ meritorium. At id ostendere non possunt: istius enim distinctionis, vt iam dixi, inter huiusmodi opera bona, quorum aliquod huius gratiæ sit aliquo modo meritorium, aliud non sit, nullum, neque hic, neque alibi, eius in scriptis vestigium cernitur.

Tertium est, dum ait, hominem incipere per fidem percipere gratiam ex quo incipit credere, non loqui de prima omnium gratia : tum III. quia gratia hac per fidem percepta priorem aliquam euidenter admittit, dum proximè subiungit, hominem hanc percipere gratiam vel interna vel externa admonitione motum ad fidem : hæc enim motio Dei procul dubio gratia est: tum quia loquitur de perceptione gratiæ, quæ percipienti tam libera est quam ipse fidei actus, cùm hanc gratiam homo percipere incipiat eo ipso quo incipit credere : omnem autem gratiam nobis liberam præcedat gratia nobis non libera, quam Deus in nobis sine nobis operatur : tum denique quia si de prima omnium loqueretur, cum dicat hanc in homine tum primùm incipere, cum primùm incipit credere, consequens esset, infideles tota vita sua in Deum nunquam credentes nullam vnquam à Deo accipere ob IV. Christi merita gratiam, qua & reuocentur à malo, & ad bonum impellantur : quod & ipsum sensisse incredibile est, & falsissimum, vt ex dictis disp. 5. sect. 2. clarum est.

Ex his patet responsio ad quartum quod nobis opponitur eius testimonium, contentum eodem tomo quarto libri quæstionum super Exodum quæst. 48. in qua hæc Exodi verba de Paschatis celebratione, *Erit tibi in signo super manum tuam*, explicans sic ait : *An intelligitur super opera tua, id est, quod præferre debeas operibus tuis ? Pertinet enim Pascha propter occisionem ouis ad fidem Christi, & sanguinem quo redempti sumus. Hæc autem fides operibus præponenda est, vt sit quodammodo supermanum, aduersus illos qui in operibus legis gloriabantur : de qua re Apostolus loquitur, & nullum ait posse Deo placere sine fide : qui fidem sic operibus anteponit, vt ex illa pendeant bona opera, atque ab ea præueniantur, non vt ipsa velut meritis bonorum operum retribui videatur : illa enim ad gratiam pertinent : si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia.* Duo enim priora quæ ad præcedens eiusdem testimonium diximus, claram huius quarti explicationem continent. A

Quintum sumitur ex tomo septimo lib. de Prædest. Sanct. cap. 7. vbi sic habet sanctus Augustinus : *Ex fide autem ideo dicit* (Apostolus scilicet) *iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera quæ propriè opera nuncupantur.* Id est, meritoria iustificationis, vt explicant aduersarij, sed merè ad arbitrium, quia non ex Augustini mente, imò malè, quia contra eius men- B tem : intelligit enim ipse opera bona veræ virtutis, vt clarum est ex verbis his immediatè subsequentibus : *in quibus iustè viuitur* : quasi verò non iustè viuat qui veræ iustitiæ opera exercet, etsi per hæc nihil à Deo gratiæ mereri supponatur ? Negat ergo solùm & hoc loco opera bona moraliter ante fidem : vnde & hanc negat ex operibus esse, cùm vt ex iis esset, hæc profectò bona moraliter esse oporteret. V. VI.

Quod solùm etiam negat quatuor aliis locis qui nobis ab aduersariis obiiciuntur : quorum primus habetur citati libri de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. cuius initio postquam dixit Christum hominem nullis suis præcedentibus vel operum vel fidei meritis hypostaticam cum Deo vnionem accepisse, sed mere C gratis, subiungit : *Ea gratia fieri ab initio fidei suæ hominem quemcunque Christianum, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Etsi nos ad lauacrum regenerationis fides duxerit, non ideo priores nos dedisse aliquid, vt retribueretur nobis, quia ille nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum : ille facit in hominibus principium fidei, & perfectionem in Iesu, qui fecit hominem principem fidei, & perfectorem Iesum.* VII.

Secundus eodem tomo septimo lib. de gratia & libero arbitrio cap. item 7. in quo relatis his Apostoli verbis, *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est,* subdit : *Possent enim dicere, ideo accepimus gratiam, quia credimus, tanquam sibi fidem tribuentes, gratiam Deo : propter hoc Apostolus cum dixisset, per fidem, & hoc, inquit, non ex vobis, sed Dei donum est : rursus ne dicerent se suis operibus donum tale meruisse, continuò subiecit, non ex operibus, ne fortè quis extollatur : non quia negauit aut euacuauit opera bona, cùm dicat Deum vnicuique reddere secundùm opera eius, sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides : ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides.* D VIII.

Tertius eodem tomo libri primi de gratia

Christi

Christi cap.31. verbis his: *Vbi est ergo illud Apostoli, Gratia salui facti estis? & ne putarent per opera, addidit, per fidem. Rursus ne ipsam fidem sine Dei gratia sibi putarent esse tribuendam, Et hoc, inquit, non ex vobis, sed Dei donum est. Nempe ergo illud vnde incipit omne quod merito accipere dicimur, sine merito accipimus, id est, ipsam fidem.*

I. A

Quartus libro de gestis Pelagij ante paucos annos in lucem edito cap. 14. post medium, cuius hæc verba sunt. *Quantumlibet autem opera infidelium prædicentur, Apostoli sententiam veram nouimus, & inuictam: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Jdeo verò sæpe dicit non ex operibus, sed ex fide nobis iustitiam deputari, cum potiùs fides per dilectionem operetur, ne quisquam existimet ad ipsam fidem meritis operum peruenire, cum ipsa sit initium vnde bona opera incipiunt, quoniam, vt dictum est, quod ex ipsa non est, peccatum est. Hinc & Ecclesiæ dicitur in Cantico Canticorum: venies & transies ab initio fidei. Quapropter quamuis bene operandi gratiam fides impetret, ipsam certe fidem vt haberemus nulla fide meruimus, sed in ea nobis danda misericordia eius præuenit nos. An ipsam nobis dedimus, & ipsi nos ipsos fideles fecimus? prorsus etiam hîc clamabo: Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Nihil vero aliud Apostolica doctrina commendat, vbi ait: *Dico autem per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus qui sunt in vobis, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei. Hinc est quippe & illud: Quid habes quod non accepisti? quando & hoc accepimus, vnde incipit quidquid in nostris actibus habemus boni.*

II. B

Addo quòd etsi certò constaret S. Augustinum admisisse in infidelibus opera bona ex Christi gratia, vt multi Theologi admittunt, cùm negat fidem ex operibus esse, intelligi non deberet de bonis illis operibus ex hac Christi

III. C

gratia profectis, sed de operibus factis per solas liberi arbitrij vires, vt constat primùm ex duplici ratione ob quam relatis locis & alibi passim id negat, quarum vna est, ne quis extollatur seu glorietur, non in Deo, sed in se: altera, ne gratia non sit gratia: cuius vtriusque rationis vis nulla est, nisi de prædictis operibus sermo sit. Nam si fides est ex operibus bonis non per naturæ vires, sed ex Christi gratia elicitis, sanè & gratia erit gratia, id est, gratis data: & nulli erit legitima causa extollendi se, seu gloriandi in se, non in Domino, cùm nihil boni operis ex se habeat, sed quidquid habet habeat ex Deo. Secundò ex eo quòd fidem ex operibus esse negans, seu ex præcedentium operum meritis, agit contra Pelagianos, aut Semipelagianos, qui esse affirmabant: negat ergo de iisdem operibus & meritis

IV. D

de quibus illi affirmabant: affirmabant autem de solis ex naturæ viribus ortum habentibus: quod clarissimũ est ex citato c.31. lib.1. de gratia Christi, vbi post iam relata verba, quib. ait nos sine merito accipere fidem, sic de ipsa fide prosequitur: *Aut si negatur dari, quid est quod dictu est, sicut vnicuiq. Deus partitus est mensuram fidei? Si autem sic dicitur dari vt reddatur meritis, non donetur, quid est hoc quod iterum dicit: Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in Deum, verùm etiam vt patiamini pro eo? vtrumque enim donatum esse testatus est, & quod credit in Christu, & quod patitur quisq. pro Christo. Isti autem* (Pelagiani scilicet) *libero arbitrio sic applicant fidem, vt fidei videlicet reddi videatur non gratuita, sed debita gratia, ac per hoc iam nec gratia, quia nisi gratuita non est gratia.*

V.

Postremum testimonium & ordine decimum depromitur ex tomo 8. & his præfatione in Psal.31. verbis: *Abraham filium suum immolandum Deo obtulit: magnum opus, sed ex fide: laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum: laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecunque illud opus esset.* Vnde concluditur istud opus nullum gratiæ meritum habiturũ, etsi esset opus veræ, imo heroicæ virtutis. Respondeo id malè concludi: dicit enim eo solo sensu nihil Abrahamo sine fide profuturum, quo dixit antea, vt vidimus, Polemoni continentiam nihil sine fide valuisse ad futuræ vitæ immortalitatem: & quo dixit Apostolus ad Cor. 1. c.13. nihil sine charitate prodesse homini distribuere in cibos pauperum omnes facultates suas, & trâdere corpus suum itavt ardeat: quem sensum supra ad secundum nobis obiectum testimonium respondentes declarauimus.

VI.

SECTIO IX.

Ex aliis Patribus & S. Thoma desumpta argumenta soluuntur.

CVM de S. Augustino proximè dixerimus, de iis modò Patrib. dicere incipiemus, qui præcipui sunt & perpetui eius doctrinæ defensores, quique nobis ab aduersariis, sicut & alij multi, obiiciuntur: è quib. Prosper lib.1. de Vocatione Gentium cap. 23. ait, & quamplurimis

VII. C

Scripturæ testimoniis probat, *omne hominis bonum meritum ab initio fidei vsque ad perseuerãtiæ consummationem, donum atque opus esse diuinum.* Quibus verbis aperte significat à fide incipere omne hominis meritum, sicut perseuerantiæ finalis dono clauditur: quod sequentis capitis initio clarè pronuntiat, dum dicit, *fidem nisi ex Dei munere non haberi, eámque nullis meritis præcedentibus tribui, sed ad hoc donari, vt principium possit esse meritorum.*

Respondeo, mirum non esse, si Sactus hic pater nulla ante fidẽ bona hominum merita admiserit, cùm nulla horum ante illam opera bona agnouerit: vt clarum est ex his eius verbis lib.3. de vita contemplatiua c.21. *Fides, quæ est iustitiæ fundamentum, quam nulla opera bona præcedut, & ex qua omnia procedunt, ipsanos à peccatis omnib.*

VIII. D

purgat, mentes nostras illuminat, Deo conciliat, &c. imò cùm impiorũm seu infideliũ opera omnia putet esse peccata formaliter, vt est euidens in primis ex libri contra Collatorem cap.22. dum ait, eos *bonis suis malè vti, & in iis sine cultu veri Dei impietatis immunditiæque conuinci, & vnde se defendi existimant accusari.* Quod nonnullis interiectis probat ex his Apostoli verbis: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: peccati nomine idem haud dubiè quod Apostolus intelligens, nempe peccati malitiam formaliter, fidei autem

idem procul dubio quod sanctus Augustinus, fidem scilicet qua in Deum creditur. Deinde ex sequenti cap. 28. cuius principio sic de eodem Collatore seu Cassiano loquitur: *Puto autem illam verisimilitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis*
I. *existimat reperiri, ideo sc licet, quia multi eorum sint iustitiæ, temperantiæ, continentiæ, & benevolentiæ sectatores: quæ omnia non frustra quidem, neque inutiliter habent, multúmque ex eis in hac vita honoris & gloriæ consequuntur. Sed quia in iis studiis non Deo sed diabolo seruiunt, licet habeant temporalem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem: & ita manifestissimè patet in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse, atque polluta, habentium sapientiam non Spiritalem, sed animalem, non cœlestem, sed terrenam, non Christianam, sed diabolicam, non à patre luminum, sed à principe tenebrarum, dum per ea ipsa quæ non haberent nisi dante Deo, subduntur ei qui primus recessit à Deo.*

II. Vnde nec mirum, quod in responsione ad tertium dubium ad excerpta Genuensium, dicat nos Adami posteros primam ex virtutibus fidem debere a Deo accipere, quam ille primam perdidit, dum non Deo, sed diabolo credidit. Responsione autem ad dubium 8. eandem fidē virtutum omnium fundamētum appellet, cùm si de infusis seu in entitate supernaturalibus sermo sit, prius cæteris infundatur, ex communi Theologorum omnium doctrina: sin autem de naturalibus & acquisitis, quæ non nisi bonis hominis actibus producuntur, eas quoque ex eius mente præcedat, quandoquidem ante eam nullum bonum opus exercere existimat.

Deinde profertur S. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Christi cap. 19. in quo agens de libertate quam ex liberatione à peccati seruitute consequimur, sic in primis scribit: *Hæc verò libertas, quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, à bona voluntate sumit exordium, & per fructum sanctificationis in vita æterna plenum sui sortitur effectum: sed sicut in natiuitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis diuini formatio, sic in spirituali natiuitate, qua veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris deponere incipimus, vt nouum, qui in iustitia & sanctitate veritatis creatus est, induamus, nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio, nisi mens ipsa, id est, interior homo noster renouetur ac reformetur ex Deo.* Deinde nonnullis interiectis subiungit reformari nos ex Deo, seu, quod idem est, formari Christum in nobis, dum hic in nobis habitare per fidem incipit: ex quo sequitur nostræ
VI. huius spiritalis per fidem reformationis nullum esse præuium nostrum meritum, sicut & nostræ carnalis formationis seu natiuitatis nullum est.

Respondeo nullum reuera præuium esse, sed nostrum, id est, ex solis naturæ nostræ viribus: quod meritum negare solùm voluit S. Fulgentius, vt constat tum ex verbis præcedentibus, quibus dixit, & prædictam qua liberamur à seruitute peccati libertatem *à bona voluntate sumere exordium*, sed hanc *bonam voluntatem nominem habere motu proprio posse*, & præfatæ reformatio-
A *nis spiritalis initium nostræ facultati nullatenus esse* assignandum: tum ex his consequentibus, quibus caput 20. inchoat: *Vita autem nostra à fide sumit initium, quia iustus ex fide viuit: quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per Spiritum sanctum vnicuique dari beatus Apostolus ostendit dicens: Alij quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu: non ergo Spiritum sanctum quia credimus, sed vt crederemus accepimus: forma enim præcesit in carne Christi, quam in nostra fide spiritaliter agnoscamus. Nam Christus filius Dei secundùm carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est, carnem autem illam nec concipere virgo posset aliquando, nec parere, nisi eiusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus effundat, & nutriat, Ex eodem namque spiritu renati sumus ex quo natus est Christus. Eodem igitur spiritu Christus formatur secundùm fidem in corde vnius-*
V. *cuiusque credentis, quo spiritu secundùm carnem formatus est in vtero Virginis.*

Verum quidem est, S. Fulgentium nullam hîc
B fecisse expressam mentionem meriti humani ex Dei gratia profecti antecedentis fidem: at sicut istud meritum non admisit, ita neque negauit: ideō autem non admisit, quia nec admisit, aut admittere se significauit bonum opus seu veræ virtutis ex auxilio gratiæ elicitum fidem antecedens: quod opus admittere alicubi deberet, eique negare omne meritum fidei, aut gratiæ ad fidem disponentis, vt aduersariorum sententiæ faueret, & nostræ repugnaret. Nec refert, quòd vitam qua iustus viuit, dixerit à fide sumere initium, sumit enim, siue præcedat fidem bonum aliquod opus gratię meritorium, siue nullum, quia fides est initium humanæ salutis, & fundamentum omnis iustificationis, vt Tridentinum Concilium sess. 7. cap. 8. loquitur, nec qualecunque, sed omnibus & sin-
VII. gulis, simpliciter absolutéque necessarium.

De quo fundamento & initio idem Fulgentius intelligendus est, dum in libri de fide ad Petrum Diaconum prologo sic ait: *Fides est bonorum omnium fundamentum: fides est humanæ salutis initium.* Quem sensum aperte declarat verbis his proximè consequentibus: *Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest peruenire, quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Dum autem addit, *sine fide omnis labor hominis vacuus est*, quo sensu id dicat, his immediatè subiectis verbis aperit: *Tale quippe est, vt sine vera fide quisque velit Deo per contemptum sæculi placere, quale, si*
D *quisquam tendens ad patriam, in qua se scit beate esse victurum, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem, quo non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in præcipitium cadat, vbi non gaudium peruenienti detur, sed cadenti interitus inferatur.* Quo item sensu dixit VIII.
Climacus in compendiosa gradus 26. recapitulatione post medium, eum *qui fidem non habet, & bona quædam forte operatur, ei similem esse, qui haustam aquam in perforatum dolium immittit.*

De eodem fundamēto intelligendus etiam est

ipse Petrus Diaconus apud eundem Fulgentium, dum libri de Incarnatione & gratia Christi cap. 6. sic loquitur: *Sine hac gratia potest quidem homo cogitare & desiderare humana, non autem potest cogitare aut velle seu desiderare diuina. Quorum primum est & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo, siue bonorum omnium origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum.* Certum enim est ante explicitam in Christum crucifixum fidem, omnibus in hac Euangelica lege necessariam ad salutem, de qua fide certissimè loquitur, posse multa exerceri opera bona alicuius gratiæ, imò hutusce fidei de congruo saltem meritoria, cuiusmodi multa exercuit Cornelius Centurio, qui teste S. Augustino multis locis, nominatímque lib. 1. ad Simplicianum quæstione 2. suis eleemosynis & orationibus meruit ad se mitti Angelum, per quem iuberetur accersere Petrum, à quo Christum crucifixum disceret.

I.

Ex dictis patet, quo sensu debeant accipi verba hæc Origenis in caput 4. Epistolæ ad Rom. procul à fine: *Puto quòd prima salutis initia & fundamenta fides est: profectus verò & augmenta ædificij, spes est: perfectio autem & culmen totius operis, charitas.* Hęc quoque Clementis Alexandrini lib. 2. Stromatum longè ante medium: *At prima quidem ad salutem inclinatio nobis fides apparet.* Ista denique Cyrilli Alexandrini lib. 4. in Ioannem cap. 9. in hæc Christi verba, *qui credit in me habet vitã æternam, Ianua & via in vitam fides est.* Omitto enim pleraque alia multorum aliorum Patrum de fide encomia, quæ sicut à iam relatis vix verbis differunt, ita & eundem omnino sensum habent.

II.

Præter suprà dictos Patres obiiciuntur nobis insuper duo, Primasius, & Isidorus: ille in cap. 8. Epistolæ ad Romanos in hæc verba, *Hũ qui secundùm propositum vocati sunt sancti*, sic scribens: *Propositum Dei est, vt sine operibus legis, vel quibuscunque aliis meritis, per fidem solùm iustificaret impios.* Verùm his verbis nihil aliud velle videtur, quàm iustificari impios, non ex operibus factis vel ex sola legis notitia, vel ex solis naturæ viribus, sed ex purè gratuito iustificandi per fidem proposito: cùm relatis verbis hæc immediatè subiungat: *Quæ fides non ex natura, sed donum Dei est.* Quòd si per quæcunque alia merita intelligat etiam ea quæ ex gratia Dei ortum haberent, sensus erit, Deum ad impiorũ iustificationem prærequirere fidem tanquam necessariam, non verò prærequirere vlla opera bona fide priora, quod verum est. Quamquam videtur Primasius nulla opera bona ante fidem agnouisse, & existimasse cum S. Augustino omnia infidelium opera peccata esse, tum quia eius discipulus fuit: tum quia cum eo hæc Apostoli verba, *Omne quod non est ex fide peccatum est*, de fide Theologica, quæ per charitatem operatur, intellexit: vt constat ex eius verbis extremis in cap. 14. citatæ ad Romanos Epistolæ.

III.

IV.

Hic verò libri primi differentiarum in 30. sic habens: *Inter fidem & opus hoc distat, quod ex fide possibilitas in nobis inchoatur, ex opere fides ipsa perficitur: opus enim fide præfinitur, fides operibus consummatur.* At cùm per opus quod à fide distinguit, bonum procul dubio veræque virtutis intelligat, dicatque huius operis exercendi possibilitatem in nobis ex fide inchoari, & hoc opus fide præfiniri, id est, tanquam termino à parte anteriori claudi, non mirum si ante fidem nullum eius meritum in homine agnoscit, cùm in eo nullum ante illam bonum opus admittat. Vnde & paulò post sic ait: *Paulus prædicat ante fidem nullo modo esse opus bonum.* Quòd si dicatur ante fidem bonum aliquod opus admisisse, sed inutile ad salutem, ad quam prodesse ei non potest, qui, vt loquitur, *ipsius salutis vel nescit, vel negat authorem*: non alio sensu negabit ad eam prodesse, quàm quo negat ibidem, fidem sine operibus prodesse, & Apostolus 1. ad Corint. cap. 13. opera bona sine charitate.

A

V.

Denique nobis opponitur S. Thomas tribus locis: primus habetur 2. 2. q. 4. art. 7. in corpore, in quo diserte docet fidem esse per se primã virtutum omniũ: per accidens tamen posse virtutem aliquam esse fide priorem. Vt enim loquitur, *causa per accidens est per accidens prior, remouere autem prohibens pertinet ad causam per accidens: & secundùm hoc aliquæ virtutes possunt dici per accidens priores fide, in quantum remouent impedimenta credendi: sicut fortitudo remouet inordinatum timorem impedientem fidem: humilitas autem superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei.* Respondeo ex hac S. Thomæ doctrina, eáque omni quam tradit citato corpore, de qua dicam ex instituto copiosè in Tract. de fide disp. 25. à sect. 3. nihil aliud posse cõtra nos ab aduersariis in fauorem suæ sententiæ colligi, quàm fidem ita per se esse primã virtutum, vt nullam se priorem ex natura rei prærequirat necessariò, aut præsupponat: quod etsi verum sit, impedire tamen non potest, quominus spectata rerum natura virtutum moraliũ acquisitarum proprij actus exerceriante fidei actum possint, & hæ proinde virtutes ante fidem generari: quarũ propriis actibus, vtpote formaliter bonis honestísque, ita remouentur impedimenta credendi, vt simul insit, aut inesse possit meritum aliquod obtinendæ à Deo fidei, alteriúsve gratiæ ad hanc fidẽ disponentis. Quibus si hoc meritũ negat S. Doctor, ideo negat, quòd iuxta S. August. lib. 4. contra Iulianum c. 2. quẽ citat extremis citati corporis verbis, virtutes infidelium non sint veræ virtutes, sed adumbratę duntaxat, propriaq. huiusce modi virtutum opera non sint vere bona formaliter & honesta, sed tantummodo esse videantur.

B

VI.

Secundus habetur sequenti quæst. 10. art. 4. in responsione ad 3. in qua de Cornelio Centurione sic ait: *Sciendum est, quòd infidelis non erat, alioquin eius operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere.* Respondeo S. Doctorẽ in huius articuli corpore expresse admittentem in infidelib. opera aliqua bona & veræ virtutis, quæ proinde quatenus talia non possunt non placere Deo, dũ ex eo probat Cornelium infidelẽ nõ fuisse, quòd alioquin eius opera bona, nempe orationes & eleemosynæ de quib. Actorum cap. 10. accepta Deo non fuissent, cui sine fide nullus placere potest, non loqui de quacunque acceptatione qua Deo placeat opus operantis, & ipse operans, sed de ea qua simpliciter absolutéque placeat tam hic, tanquam iustus & amicus, quàm illud, tãquam opus iusti

C

VII.

D

VIII.

& amici, æternæque proinde gloriæ de condigno meritorium : ad quod procul dubio fides necessaria est.

Tertius lectione tertia in cap. 3. Epistolæ ad Roman. vbi sic loquitur: *Dicitur autem iustitia Dei esse per fidem Iesu Christi, non vt quasi per fidem mereamur iustificari, quasi ipsa fides ex nobis existat, & per eam mereamur Dei iustitiam, sicut Pelagiani dixerunt, sed quia in ipsa iustificatione qua iustificamur à Deo primus motus mentis in Deum est per fidem. Accedentem enim ad Deum oportet credere, vt dicitur Hebræor.* 11. *Vnde & ipsa fides quasi prima pars iustitiæ est nobis à Deo.* Respondeo, etsi primus motus mentis in Deum tanquam obiectum sit per fidem, eo tamen priorem aliquem esse posse in bonum aliquod creatum honestum, propter ipsam honestatem, ex gratia Dei: cui bono motui sicut nihil deest necessarium ad affectum veræ virtutis: ita & ad aliquod vlterioris gratiæ meritum. Adde quod licet S. Thomas absolutè diceret, primum qui in iustificatione interuenit motum esse fidei, loqueretur de solis motibus ad eam necessariis, vt apertè indicant verba hæc proximè subsequentia, & præcedentium causam continentia: *Accedentem enim ad Deum oportet credere.* Ex quo rectè concludit, primam iustitiæ à Deo nobis infusæ partem esse fidem. Hæc enim iustitia integrè & completè sumpta, sicut cum remissione peccatorum tres has virtutes complectitur, fidem, spem, charitatem, ex Trident. Concilio sess. 6. cap. 7. quarum virtutum fides ordine prima est : ita nihil fide præuium ad sui integritatem perfectionémque desiderat.

I. II.

SECTIO X.

Quæ ducuntur ex ratione argumenta soluuntur.

III.

PRIMVM. Si opus acquisitæ virtutis ante fidem elicitum esset alicuius diuinæ gratiæ de congruo meritorum, sequeretur, ne de absoluta quidem Dei potentia posse hominem creatum in statu puræ naturæ, in eoque permanentem, vllum acquisitæ virtutis opus exercere: exercens enim haberet meritum gratiæ, quod habere in statu puræ naturæ non potest. Respondeo primò, hoc argumentum soluendum etiam iis esse à quibus nobis obiicitur: sentiunt enim nobiscum nullum opus moraliter bonum exerceri posse sine gratia: exercens igitur haberet iam gratiã, quam habere in statu puræ naturę non magis potest, quam meritum.

IV.

Respondeo secundò. Si puræ naturæ status sumatur rigidè, pro eo statu, in quo nihil habetur, aut haberi potest, quam quod humana natura tanquam sibi connaturaliter debitum exigit, verum esse prædictum consequens: humana enim natura non exigit tanquam sibi, connaturaliter debitum vel meritum gratiæ, vel principium huius meriti quod est gratia, quandoquidem hæc ad omne bonum opus necessaria est, vt disp. prima probauimus. Sin autè sumitur pro solo statu excludente entia in entitate supernaturalia, proximamque eo habendi capacitatem & potentiam, ex ordinatione diuina creatam naturam eleuante ad supernaturalem beatitudinem, & media huic fini consequendo idonea & proportionata, non rectè inferri prætatum consequens: etsi enim homo in statu puræ naturæ creatus & permanens exerceret vel solis suis viribus, vel ex auxilio gratiæ, bonum aliquod opus meritorium alterius similis gratiæ, non propterea quidquam in entitate supernaturale haberet: meritum enim istius operis tã in entitate naturale est quàm istud ipsum opus, cùm ab eo re non differat: gratia autem actualis, siue ex qua meretur, siue quam meretur, est etiam in entitate mere naturalis, vt ex quartæ disputationis sect. 4. notum est. Et quamuis aliquam in entitate supernaturalem mereretur, consequens tantùm foret, ei in statu puræ naturæ remanenti reddi non posse præmium hoc, quia si redderetur, eo ipso à puræ naturæ statu abstraheretur.

A V.

Secundum est, consequens item fore, principium meriti gratiæ alicuius à Deo consequẽdæ esse homini debitum connaturaliter, nec vllam posse creari naturã intellectualem, cui tale meriti principium non deberetur: deberetur enim cuilibet intellectuali naturæ liberum arbitrium proximè constitutum per cogitationem saltem sufficientem ad vtramque partem contrarietatis, ad bonum scilicet, & malum, quæ cogitatio sufficiens ad bonum, sicut est sufficiens principium actus boni, ita & meriti, si bonum opus, eo ipso quo bonum est, simul etiam meritoriũ est. Respondeo. Si de principio sufficiente, seu, quod eodem recidit, de potentia antecedente sufficiente quidem, sed inefficaci sermo sit, verum esse illud consequens: sin autem de sufficiente simul & efficaci, falsum: gratia enim ad opus bonum acquisitæ virtutis, & proinde ad proprium quod huic ineſt operi meritum, necessaria non est necessitate antecedente, quia creatura rationalis antecedentem ad hoc potentiam habet, sed sola consequente: quia creatura hæc non habet ad hoc ipsum potentiam consequentem, seu antecedentem efficacem: cuius doctrinæ veritas ex dictis disput. 1. nominatímque sect. 15. & 16. nota est.

B VI.

Tertium est, sequi, nullum esse possibilem puræ naturæ statum: nulla enim est possibilis creatura rationalis, quæ non haberet ex intrinsecis naturæ suæ principiis medium ad gratiam tanquam ad finẽ sufficiens, nempe sufficiens meriti huius gratiæ principium. Cumq. Deus nemini possit velle medium ad finem, quin priùs eidem velit inefficaci saltem affectu finem hunc, necesse esset Deũ velle cuilibet creaturæ rationali gratiam, cui tamen eam in statu puræ naturæ velle non potest. Respondeo negando id sequi: ad probationem autem in contrarium dico in primis, medium illud ad gratiam sufficiens non

C VII.

extrahere creaturam rationalem à statu puræ

D VIII.

naturæ, quandoquidem idem omnino est cum principio sufficiente & inefficaci congrui meriti gratiæ, quod principium illam ab isto statu non potest extrahere, cùm istud habere principium illius, naturæ connaturale sit.

Dico deinde simplicem & inefficacem affectum quo Deus vult creaturæ rationali gratiam etiam sanctificantem, nulla re alia intellecta vel in Deo, vel in hac creatura, non magis eam extrahere à puræ naturæ statu, quàm

V.

VI.

VII.

III.

simplex & inefficax affectus quo Deus vult cuilibet homini vnionem cum diuina persona hypostaticam, aut cuilibet damnato felicitatem æternam, extrahit quemlibet hominem à statu puri hominis, aut quemlibet damnatum à statu damnationis: habet enim Deus, & necessario habet hos affectus inefficaces & simplices erga quemcunque hominem etiam damnatum, quia quælibet complacentia simplex & inefficax erga quodlibet bonum, qua bonum est, vt & quælibet simplex & inefficax displicentia circa quodlibet malum, vt malum est, Deo necessaria prorsus est, vt in Tract. de Deo disp. 31. sect. vltima probatum est.

I. Quartum est, sequi, in hoc etiam statu naturæ lapsæ posse hominem per solas naturæ suæ vires esse causam suæ prædestinationis, quia per eas poterit esse causa primæ Dei gratiæ, eo ipso quo poterit per easdem exercere aliquod bonum opus moralis & acquisitæ virtutis, quo primam Dei gratiam congrue merebitur: hoc autem consequens contra fidem esse, vtpote continens expressam Semipelagianorum doctrinam, quæ tanquam hæretica condemnata est. Respondeo

I I. concedendo id sequi, si de sola potentia antecedente inefficaci sermo sit: negando autem, si de potentia consequente, seu de antecedente simul & efficaci: quam solam posteriorem potentiam negant homini Concilia, & Patres, dum Semipelagianorum eam admittentium sententiam tanquam hæreticam improbant, & condemnant. Quid sit autem hæc & illa potentia ex dictis disp. 1. sect. 15. notum est.

A Addo, aduersariis ad hoc quartum respondendum idem omnino esse quod respondimus, aut mordicus defendendum, de fide esse, fidei actum esse in substantia supernaturalem, quod tamen de fide non est: vnde nec quisquam arguit hæresis Caietanum, Capreolum, & nonnullos alios Theologos, actum illum esse solùm in modo supernaturalem, in substantia autem mere naturalem esse dicentes: nam si sic naturalis est, potest etiam nunc homo per solas naturæ suæ vires eum exercere: habet enim ex se sufficientem potentiam antecedentem ad quoscunque actus in entitate mere naturales, eo ipso quo sic naturales sunt. Poterit ergo per eas esse causa primæ gratiæ, atque adeo suę prædestinationis, quia illius actus exercitio primam gratiam congrue merebitur: hic enim actus ex aduersariorum expressa doctrina gratię de congruo meritorius est, & proinde primæ, si nullâ præuiâ ex solis naturæ viribus possibilis est. III.

B Quintum petitur ex proportione necessaria inter actum meritorium alicuius præmij, & hoc ipsum præmium: quæ proportio deesse dicitur actui virtutis acquisitæ ante fidem elicito, respectu gratiæ, tanquam præmij in eius meritum congrue cadentis. Verùm hanc illi proportionem minimè deesse ex dictis hac disputatione sub finem quintæ sectionis clarum est. VI.

INDEX DISPVTATIONVM QVÆ TRACTATV DE GRATIA CONTINENTVR.

Disputatio Prima.

De gratiæ necessitate.

Sectio 1. *Quid hîc nomine gratiæ intelligatur?*
Sectio 2. *An gratia Dei necessaria sit homini ad cognitionem cuiuscunque veritatis?*
Sectio 3. *Vtrum homini ad salutem, vtque per fidem & dilectionem conuertatur ad Deum sit necessaria gratia?*
Sectio 4. *An possit homo sine gratia sanctificante, sine item Dei dilectione & fide bonum aliquod opus exercere?*
Sectio 5. *An possit homo sine gratia seruare omnia collectiuè naturalis legis præcepta, atque adeo omnem collectiue contra legem hanc tentationem vincere?*
Sectio 6. *An possit homo sine gratia seruare diuisiuè quodlibet naturalis legis præceptum, atque adeo quamlibet diuisiuè contra hanc legem tentationem vincere?*
Sectio 7. *An possit homo sine gratia vincere vllam vel leuissimam tentationem contra præceptum vllum legis etiam naturalis?*
Sectio 8. *Vtrùm possit homo bona virtutis moralis acquisitæ opera sine gratiæ auxiliò exercere?*
Sectio 9. *Eadem secunda sententia vna ratione probatur.*
Sectio 10. *Eadem sententia duabus præterea Theologicis rationibus probatur.*
Sectio 11. *Eadem sententia ratione à priori probatur.*
Sectio 12. *Soluuntur argumenta ex authoritate Scripturæ petita contra doctrinam septem præcedentibus sectionibus traditam.*
Sectio 13. *Soluuntur deprompta ex authoritate Conciliorum contra eandem doctrinam argumenta.*
Sectio 14. *Soluuntur petita ex authoritate Patrum contra eandem doctrinam argumenta.*
Sectio 15. *Soluitur primum ex ratione petitum contra eandem doctrinam argumentum.*
Sectio 16. *Soluuntur alia quatuor ex ratione desumpta contra eandem argumenta,*
Sectio 17. *Soluitur vltimum ex ratione depromptum contra eandem argumentum.*
Sectio 18. *Vtrùm absque habituali gratia sanctificante naturæ legem seruare quisquam possit?*
Sectio 19. *Vtrùm homo in statu gratiæ sanctificantis existens, possit absque nouo gratiæ auxilio mereri augmentum sanctitatis, & gloriæ, bene operari, tentationes vincere, & sic in finem vsque perseuerare?*
Sectio 20. *Secundam de proposita quæstione assertionem continens.*
Sectio 21. *Tertiam de eadem quæstione assertionem continens.*
Sectio 22. *Quomodo possint iusti vel non possint vitare omnia peccata venialia?*

Disputatio II.

De gratia gratum faciente.

Sectio 1. *Quid sit gratia gratum faciens?*
Sectio 2. *An gratia gratum faciens distincta sit ex natura rei à virtute Theologicæ charitatis?*
Sectio 3. *Multiplex aduersariorum responsio refertur & refellitur.*
Sectio 4. *Soluuntur argumenta contraria ex authoritate petita.*
Sectio 5. *Soluuntur argumenta ex ratione deprompta.*

Disputatio III.

De gratiæ diuisione.

Disputatio IV.

De gratia operante, cooperante, subsequente.

Sectio 1. *Quid sit gratia operans?*
Sectio 2. *Quid sit gratia cooperans?*
Sectio 3. *Quid sit gratia subsequens?*
Sectio 4. *Vni de gratia operante, cooperante, subsequente, quæstioni respondetur.*

Disputatio V.

De gratia sufficiente.

Sectio 1. *Quid sit gratia sufficiens?*
Sectio 2. *An omnibus, & semper det Deus gratiam sufficientem ad salutem consequendam?*
Sectio 3. *Soluuntur deprompta ex Scriptura, Concilij Tridentini, & multorum sanctorum Patrum authoritate argumenta contra primam præcedentis sectionis assertionem.*
Sectio 4. *Soluuntur argumenta contra eandem assertionem, ex authoritate sancti Augustini petita.*
Sectio 5. *Soluuntur duo deprompta ex ratione contra eandem assertionem argumenta.*
Sectio 6. *Soluuntur argumenta contra secundam positam secunda sectione assertionem.*

DISPVTATIO VI.

De gratia efficaci.

Sectio 1. *Declaratur prima de natura gratiæ efficacis sententia.*
Sectio 2. *Relata sententia Scripturæ authoritate refellitur.*
Sectio 3. *Eadem sententia Conciliorum authoritate refellitur.*
Sectio 4. *Duæ aliæ ad eadem responsiones referuntur, & refutantur.*
Sectio 5. *Eadem sententia sanctorum Patrum authoritate refellitur.*
Sectio 6. *Eadem sententia & S. Thomæ, & Doctorum aliorum authoritate refellitur.*
Sectio 7. *Secundum & tertium contra eandem sententiam argumentum.*
Sectio 8. *Quartum contra eandem sententiam argumentum.*
Sectio 9. *Quintum contra eandem sententiam argumentum.*
Sectio 10. *Sextum contra eandem sententiam argumentum.*
Sectio 11. *Soluuntur argumenta quæ pro refutata sententia ex Scripturis petuntur.*
Sectio 12. *Soluuntur argumenta pro eadem sententia ex authoritate Conciliorum & sanctorum Patrum deprompta.*
Sectio 13. *Soluuntur argumenta pro eadem sententia ex authoritate S. Thomæ desumpta.*
Sectio 14. *Soluuntur argumenta quæ pro eadem sententia ex ratione petuntur.*
Sectio 15. *Refertur refellitúrque secunda & tertia de natura gratiæ efficacis sententia.*
Sectio 16. *Refertur refellitúrque quarta de eadem re sententia.*
Sectio 17. *Quinta sententia refertur, & refellitur.*
Sectio 18. *Sexta sententia refertur, & refellitur, cui vera subiicitur, & probatur.*
Sectio 19. *Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedente sectione traditam.*
Sectio 20. *Alterum gratiæ efficacis ab inefficaci discrimen affertur, & probatur.*

DISPVTATIO VII.

Vtrùm ex duobus æquali gratia præueniente donatis contingat aliquando aut contingere possit vnum consentire altero non consentiente, & proinde vnam efficacem esse, alteram inefficacem?

Sectio 1. *Nonnulla prænotantur.*
Sectio 2. *Vnum de proposita quæstione asseritur, & probatur.*
Sectio 3. *Alterum de eadem quæstione asseritur, & probatur.*
Sectio 4. *Soluuntur argumenta contraria ex authoritate deprompta.*
Sectio 5. *Soluuntur argumenta contraria ex ratione petita.*

DISPVTATIO VIII.

De causa gratiæ.

Sectio 1. *De ea S. Thomæ doctrina explicatur.*
Sectio 2. *Vtrùm homo certus esse possit se sanctificantem gratiam esse consequutum?*
Sectio 3. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO IX.

Vtrum gratia iustificans per se suáque natura formaliter deleat peccata mortalia absque vllo alio extrinseco Dei fauore ei superaddito?

Sectio 1. *Sententia affirmans Tridentini Concilij authoritate probatur.*
Sectio 2. *Eadem sententia duobus aliis ex eiusdem Concilij authoritate depromptis argumentis probatur.*
Sectio 3. *Eadē sententia duplici ratione probatur.*
Sectio 4. *Triplici præterea ratione probatur.*
Sectio 5. *Ex doctrina tradita nonnulla colliguntur.*
Sectio 6. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO X.

An absoluta Dei potentia peccatum remitti possit per extrinsecum ipsius fauorem absque vllo physico gratiæ dono quod in peccatore realiter & intrinsece recipiatur?

Sectio 1. *Negantis partis veritas de peccato originali defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Eiusdem partis veritas vniuersim de omni peccato probatur.*
Sectio 3. *Eiusdem partis veritas vniuersim altero argumento probatur.*
Sectio 4. *Soluuntur quatuor argumenta contraria.*
Sectio 5. *Quintum argumentum soluitur.*
Sectio 6. *Alia tria soluuntur.*

DISPVTATIO XI.

Quænam res formaliter hominem adoptiuum Dei filium constituat?

Sectio 1. *Quid sit sentiendum declaratur, & probatur.*
Sectio 2. *Soluuntur sex argumenta contraria.*
Sectio 3. *Septimum argumentum soluitur.*

DISPVTATIO XII.

An perfectæ contritionis actus sit ex se suáque natura vera formalísque animæ sanctitas, ac proinde cum omni peccato mortali incompossibilis?

Sectio 1. *Sententia affirmans defenditur, & Scripturarum authoritate probatur.*
Sectio 2. *Multiplex aduersariorum responsio refertur, & refellitur.*
Sectio 3. *Eadem sententia vno S. Augustini testimonio probatur.*
Sectio 4. *Ex duobus aliis eiusdem testimoniis eadem sententia probatur.*
Sectio 5. *Ex duobus aliis eiusdem testimoniis probatur.*
Sectio 6. *Eadem sententia duobus S. Bernardi testimoniis probatur.*
Sectio 7. *Eadem sententia ex vno Tridentini Concilij testimonio probatur.*
Sectio 8. *Ex altero eiusdem Concilij testimonio probatur, primáque ad illud responsio refellitur.*
Sectio 9. *Altera ad idem argumentum responsio refellitur.*
Sectio 10. *Duæ aliæ ad illud responsiones refelluntur.*
Sectio 11. *Eadem sententia affirmans vno S. Thomæ testimonio probatur.*

Sectio 12. *Eadem sententia altero S. Thomæ testimonio probatur.*
Sectio 13. *Tertio eiusdem S. Doctoris testimonio probatur.*
Sectio 14. *Tribus aliis eiusdem testimoniis probatur.*
Sectio 15. *Eadem sententia affirmans vna ratione probatur.*
Sectio 16. *Eadem sententia altera ratione probatur.*
Sectio 17. *Tertia ratione probatur.*
Sectio 18. *Quarta ratione probatur.*
Sectio 19. *Quinta ratione probatur.*
Sectio 20. *Sexta ratione probatur.*
Sectio 21. *Soluuntur aduersariorum argumenta ex Scripturarum & Patrum authoritate petita.*
Sectio 22. *Soluitur primum eorundem ex authoritate Tridentini Concilij depromptum argumentum.*
Sectio 23. *Soluitur secundum ex eiusdem Concilij authoritate petitum argumentum.*
Sectio 24. *Soluitur tertium ex eiusdem Concilij authoritate argumentum.*
Sectio 25. *Soluuntur alia duo ex eiusdem Concilij authoritate argumenta.*
Sectio 26. *Soluitur sextum ex eiusdem authoritate argumentum.*
Sectio 27. *Soluitur septimum ex eiusdem authoritate argumentum.*
Sectio 28. *Soluitur octauum ex eiusdem authoritate argumentum.*
Sectio 29. *Soluuntur argumenta ex authoritate S. Thomæ deprompta.*
Sectio 30. *Soluuntur argumenta quatuor ex ratione deprompta.*
Sectio 31. *Soluitur quintum ex ratione desumptum argumentum.*
Sectio 32. *Soluitur sextum ex ratione petitum argumentum.*

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm iustorum opera bona saltem aliqua sint de condigno æternæ vitæ meritoria?

Sectio 1. *Nonnulla prænotantur.*
Sectio 2. *Quid sit de proposita quæstione sentiendum declaratur, & probatur.*
Sectio 3. *Obiectiones soluuntur.*

DISPVTATIO XIV.

Quas conditiones habere debeat opus hominis, vt sit æternæ vitæ de condigno meritorium?

Sectio 1. *Quatuor conditiones referuntur, & probantur.*
Sectio 2. *Quinta conditio quam aliqui requirunt reiicitur.*
Sectio 3. *Obiectiones soluuntur.*
Sectio 4. *Aliæ duæ conditiones quas aliqui requirunt reiiciuntur.*
Sectio 5. *Duplici obiectioni, duplici item quæstioni respondetur.*

DISPVTATIO XV.

De rebus in meritum bonorum operum cadentibus.

Sectio 1. *Vtrùm homo mereri sibi primam gratiam possit?*
Sectio 2. *An possit homo mereri sibi condigno merito primam gloriam?*
Sectio 3. *An iustus reparationem post lapsum in peccatum mortale mereri sibi possit?*
Sectio 4. *An iustus sibi finalem in gratia perseuerantiam, bona item temporalia, quid denique aliis mereri possit?*
Sectio 5. *An infidelis possit aliquibus operibus bonis ex auxilio diuinæ gratiæ factis mereri sibi merito congruo vlteriora gratiæ auxilia, quibus tandem ad fidem perueniat?*
Sectio 6. *Deprompta ex trium Conciliorum authoritate argumenta soluuntur.*
Sectio 7. *Dicta ex quatuor Summorum Pontificum authoritate argumenta soluuntur.*
Sectio 8. *Ex S. Augustini testimonijs petita argumenta soluuntur.*
Sectio 9. *Ex aliis Patribus & S. Thomæ desumpta argumenta soluuntur.*
Sectio 10. *Quæ ducuntur ex ratione argumenta soluuntur.*

TRACTATVS
DE TRIBVS VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, FIDE, SPE, CHARITATE.

DISPVTATIO PRIMA.

De variis fidei acceptionibus.

I. DOMINICVS Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. . duobus tantùm modis fidei nomen à Scriptura vsurpatum fuisse ait, nempe pro virtute fidelitatis, & pro assensu quem præbet intellectus dictis alterius. In eadem opinione est Medina libro 1. de recta in Deum fide cap. 1. Hæretici plerique nostri temporis Sotum & Medinam omnésque pariter Theologos reprehendunt, quòd fidei nomine assensum illum intelligant, dicunt enim eam fidei acceptionem Latinam non esse: Philippus Melanchton in suis locis communibus titulo de bonis operibus, quasi Catholici omnes idem quod citati Sotus & Medina sentirent, eos omnes arguit, quòd negent fidem vnquam pro fiducia vsurpari, docétque loco communi de fide & iustificatione fidem quæ in Scripturis tantopere commendatur, & de qua Theologo disputandum est, esse tantùm fiduciam de misericordia Dei, non verò prædictum intellectus assensum, siue habitualem, siue actualem, imò fidem pro isto assensu in Scriptura nunquam sumi. Kemnitius denique in suo Examine Cõcilij Tridentini dicit fidem non illum intellectus assensum seorsim, nec seorsim fiduciã illam quæ voluntatis actus est significare, sed vtrumque actum simul & coniunctim.

II. Contra quos dico primò, fidei nomine rectè prædictum assensum intelligi, sic enim fides accipitur, vt alia nunc Scripturæ loca fileam, Matthæi 9. vbi Christus cæcis visum petentibus dicit, *Creditis quia hoc possum facere vobis?* illisque respondentibus, *Vtique Domine*, *tunc tetigit oculos eorum dicens, secundùm fidem vestram fiat vobis.* Quo sane loco per fidem intelligere oportet assensum illum intellectus, quo credebant posse sibi à Christo dari visum: quis enim dixerit significari eo nomine fiduciam visus accipiendi, cùm fiducia sit quidem de effectu futuro, at non de potentia eius efficiendi? Sic etiam sumpserunt authores profani fidem, Plato 8. de Republ. verbis istis. *Scientiam habet sapiens qui rem per causam nouit, fidem verò qui aliquid nouit doctus à sapiente.* Aristoteles 2. de anima cap. vltimo sic scribens, *Opinionem sequitur fides, nam qui opinatur credit.* Cicero lib. 2. de Diuinat. sub finem, cum sic ait, *Insanorum visis fides adhibenda non est.* Virgilius 4. Æneid.

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.

Qui sacri profanique authores aut Latinè loquuti non sunt, aut fateantur oportet hæretici Latinam esse fidei pro prædicto assensu acceptionem. Nec refert quod Catholici duo, nempe Laur. Valla lib. 5. elegant. cap. 30. & Budæus in annotat. ad Pandectas. ff. de seruo corrupto lege 1. Latinam esse negauerint: ob hanc enim causam meritò à cæteris omnibus reprehenduntur.

III. At obiicit Melanchton Græcam vocis πίστις, pro qua Scriptura Latinè fidei nomen vsurpat, non significare assensum illum intellectus: sed hoc falsum est, citato enim loco Matthæi pro verbis his, *secundum fidem vestram fiat vobis*, quibus, vt paulò ante probaui, assensus ille intelligitur, nec intelligi fiducia potest, Græcè habetur κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν.

IV. Dico secundò, nomine fidei quæ toties in Scriptura commendatur, quæque ad Theologum, vtpote Theologica virtus, pertinet, non significari vel ex toto, vel ex parte, fiduciam illam de misericordia Dei, quam dicit Melanchton, sed solum illum intellectus assensum quem diximus. Probat rectè hanc assertionem nostram Greg. à Valent. hîc disput. 1. quæst. 1. punc. 1. tribus his argumentis ex Scriptura petitis. Primum est, Scriptura eam fidem distinguit à spe, igitur & à fiducia. Consequentia patet, fiducia enim nihil est aliud quàm spes magna seu firma: vnde Iob 8. dicitur *spes hypocritæ peribit, & sicut aranearum tela fiducia eius*: pro eóque quod Dauid Psal. 39. dixit *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius*, Hieremias cap. 17. scripsit, *Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Probatur antecedens ex

V. B

VI. C

1. Corinth. 13. in quo sic Apostolus, *nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*: ex his etiam Christi verbis Matth. 9. *Confide filia, fides tua te saluam fecit*, quibus mulierem fluxu sanguinis laborantem ex merito suæ fidei sanitatem recepturam hortatur ad confidentiam, quod profectò non faceret, si fides fiducia esset.

I. A

Secundum ducitur ex iis Scripturæ locis, in quibus spes, atque adeo fiducia, quæ spes quædam est, vt diximus, ita à fide distinguitur, vt huius illa effectus esse dicatur. Ita primæ ad Timoth. cap. 3. *Qui bene ministrauerint gratiam sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu*: & ad Ephesios 3. *Habemus accessum, & confidentiam per fidem eius.*

Tertium sumitur ex illis aliis Scripturæ locis, quibus proprius Christianæ fidei actus dicitur esse, credere, intelligere, quæ duo vocabula solius intellectus actum significant, non autem etiam voluntatis, cuiusmodi est spes, & fiducia. Ita autem dicitur ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*: & ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.*

II. B

His tribus argumentis addo ad idem probandum authoritatem S. Basilij sermone de Confessione fidei, sic fidem definientis, *Fides est assensus non hæsitans de iis quæ audita sunt in certitudine veritatis*: & D. August. lib. de Prædest. Sanctorum cap. 2. sic loquentis, *Ipsum credere nihil aliud est quàm cum assensione cogitare, non enim qui cogitat credit, cùm ideo cogitent plerique ne credant, sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit.*

Dico tertio fidem præter hanc assensus prædicti significationem quam habet, alias quoque multas etiam in Scriptura habere. Constabit id enumeratione omnium, vel saltem præcipuarum, quarum prima est ea qua virtutem fidelitatis, seu veritatem in promissis significat.

III. C

Ita sumitur ex multorum interpretatione ad Rom. 3. cùm sic Apostolus, *Numquid incredulitas eorum fide Dei euacuit? Absit, est enim Deus verax*: videturque hæc fidei significatio esse prima omnium, maximeque propria, vt ex huius ipsius nominis etymologia colligitur, *Fides enim*, vt ait D. August. epist. 19. ad Hieronymum, *in Latino sermone ab eo dicitur appellata, quia fit quod dicitur*: quod sumpsit ex Marco Tullio lib. 1. de Offic. sic scribente, *Credamus quia fiat quod dictum est, appellatam fidem.*

Secunda est ea, qua non iam virtutem qua promissa seruantur, sed promissionem ipsam significat: hoc sensu dicit Apostolus de quibusdam 1. ad Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quæ verba D. August. exponens in psalm. 75. *Quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt,*

IV. D

& non reddiderunt. Et libro de spiritu & litera cap. 31. *Aliter dicimus, non mihi habuit fidem, aliter autem, non mihi seruauit fidem: nam illud est non credidit quod dixi: istud, non fecit quod dixit.* Vbi cum verbis istis, *non credidit quod dixi*, declaretur fidei vocem hac propositione contentam, *Non mihi habuit fidem*, significare assensum illum intellectus, cuius supra meminimus, his aliis verbis, *Non fecit quod dixit*, indicatur eodem fidei vocabulo hac propositione contento, *Non mihi seruauit fidem*, significari promissionem: nisi quis forte malit significari virtutem fidelitatis qua promissa seruantur.

Tertia est ea qua fiduciam significat: cuius acceptionis ratio est, quòd ex assensu quem dat intellectus rebus à Deo promissis oriatur firmitas spei, quæ nihil aliud quàm fiducia est: hinc

V. enim factum est vt fidei nomen assensum illum significans, vt supra probauimus, traductum sit ad significandam prodeuntem ex assensu illo fiduciam. Ita fidem accepit Iacobus cap. 1. epistolæ suæ inquiens, *Postulet autem in fide nihil hæsitans*: quo loco plerique Patres & Interpretes fiduciam interpretantur: eodémque sensu sumpsisse videtur Christus, Matth. 14. cùm Petro dixit, *Modicæ fidei quare dubitasti?* id est paruæ fiduciæ quare timuisti? cùm præsertim paulò antè monuisset, *habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Eodem quoque modo credere nonnunquam in Scriptura ponitur pro fidere, vt Ioan. 2. *Iesus non credebat seipsum eis.* Quam fidei pro fiducia acceptionem cùm Catholici omnes præter duos Sotum & Medinam supra-

VI. citatos recipiant, patet Melanchtonem Catholicis imponere, dum eo quem superiùs citauimus loco dicit eos negare fidem vnquam in Scriptura pro fiducia accipi.

Quarta est, qua conscientiam seu notitiam qua quisque sibi conscius est consiliorum & actionum suarum significat. Ita accipitur ex communi Interpretum expositione ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est*, sensusque est, omne quod fit mala, seu quod non fit bona fide, seu conscientia, peccatum esse.

Quinta est ea qua significat obiectum assensus nostri, seu res eas quibus per fidem assentimur. Ita Apoc. cap. 2. *Non negasti fidem meam*: & in symbolo Athanasij, *hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Consimili modo spem pro

VII. obiecto spei, seu pro eo quod speratur vsurpauit Apostolus ad Titum cap. 2. *Expectantes beatam spem.* Sed his quinque posterioribus fidei acceptionibus omissis, nos in posterum fidei nomine assensum illum tam habitualem quàm actualem, cuius supra mentionem fecimus, intelligemus.

DISPVTATIO II.

Quodnam sit formale obiectum fidei?

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur aliqua toti rei intelligendæ necessaria. VIII.

PRÆTERMISSIS variis obiecti formalis diuisionibus, vtpote quæ vel malæ sunt, vel hîc inutiles, notandum primò, obiecti formalis nomine nihil hîc aliud intelligendum esse, quàm motiuum quo mouetur intellectus ad assentiendum rebus à Deo reuelatis, seu ad iudicandum eas veras esse: quod obiectum solet appellari obiectum formale quo,

quia est id quo mouetur intellectus ad assentiendum, vt iam dixi. Et quoniam disputandum nobis erit, vtrùm Deus, & quo modo consideratus sit obiectum formale fidei, propterea

I. Notandum secundo, posse nos duobus modis considerare Deum, primo prout est in se, secundo prout obiicitur conceptibus quos de eo format intellectus hominis vel Angeli viatoris, & ipsum nondum clarè videntis. Si priori modo Deum spectemus, nihil in eo tanquam quid à diuinitate diuersum distinguere debemus, & sicut à parte rei quidquid in Deo est, siue sit quidpiam absolutum, vt sapientia, misericordia, siue quidpiam relatiuum, vt paternitas, filiatio, Deus est, ita illud omne Deum appellare debemus: quo fit, vt si conuenit alicui huiusmodi attributo vel absoluto vel relatiuo esse obiectum formale nostræ fidei, verè dicere possimus Deum seu diuinitatem à parte rei esse fidei nostræ formale obiectum, quia illud attributum est à parte rei Deus seu diuinitas. At si posteriori modo Deum consideremus, in eo

II. multa distinguimus, vt diuinitatem à misericordia, iustitia, cæterisque attributis, quæ concipimus aduenire quodammodo Deo, eique inesse iam veluti in priori aliquo rationis constituto in esse Dei per essentiam diuinitatis: quo fit, vt si conuenit alicui eiusmodi attributo esse obiectum formale fidei, non propterea putandum sit idipsum conuenire Deo, vt Deus est, seu diuinitati vt est diuinitas, virtute & ex nostro intelligendi modo distincta ab attributo illo: & ratio euidens est, quòd hæc ab illo distinguatur, nunquam autem quod conuenit alicui rei, eo ipso quo illi conuenit, conueniat alteri ab ea distinctæ.

III. Notandum tertiò, quod in Tractatu de Deo docuimus & probauimus ad quæst. 27. disput. 44. sect. 4. ad conceptum essentialem diuinitatis, quo Deus constituitur essentialiter in esse Dei, non pertinere intellectionem actualem, sed hanc æquè ac volitionem actualem esse attributum diuinitatem consequens vt diuinitas est, totamque Dei essentiam vt Deus est in eo esse positam, quòd sit ens intellectiuum à se, in quo conceptu entis intellectiui à se, nulla, vt patet, includitur intellectio actualis, vt neque vlla volitio.

IV. Notandum quartò, inter attributa diuinitatem, vt essentialiter diuinitas est, proprietatum instar ex nostro concipiendi modo consequentia, vnum esse, quod appellatur veritas prima, quo nomine, vt quid sit intelligendum declaretur, sciendum est quadruplicem in Deo distingui posse veritatem. Vna est in essendo, quæ, siue in Deo, siue in creaturis cum ente recurrit, eiusque proprietas est, qua Deus habet vt sit primum verum, seu prima veritas, cùm sit primum ens, siue prima essentia. Secunda est in cognoscendo, consistitque in conformitate diuinæ cognitionis cum rebus cognitis, quæ conformitas omni cognitioni Dei inest necessariò, ob infinitam vim intelligendi qua diuinus intellectus præditus est, quaque habet, vt quamlibet rem cognoscat, nec in ea cognoscenda falli possit. Tertia est in dicendo, estque posita in ea virtute seu perfectione diuinæ voluntatis, qua Deus habet vt nihil nisi mẽti suæ consentaneum dicere possit, seu vt loquendo mentiri non possit: quæ virtus in nobis veracitas appellatur.

V. Quarta duas præcedentes secundam & tertiam simul sumptas complectitur, estque perfectio qua Deus habet vt nec possit falli iudicando de rebus aliter quàm sint, nec fallere, volendo dicere & reipsa dicendo aliud quàm quod iudicat ita se habere: quæ perfectio ratione prioris partis sapientia dicitur, ratione posterioris, veracitas: vt autem est quid complexum ex hac vtraque virtute veracitatis & sapientiæ, veritas prima, & authoritas diuina dicitur. Quod quartum veritatis genus in Deo necessariò admittendum est, vt nulla cuiquam subesse possit legitima ratio dubitandi de rebus quas per fidem credimus, de quibus alioqui dubitare saltem aliquando meritò possemus, si falli posset, etsi non posset fallere: aut contra, si posset fallere, etsi falli minimè posset.

VI. Notandum quintò, Deum duobus in vniuersum modis aliquid dicere, primo interius, secundo exteriùs: interiùs dicit, cùm intellectione sua rem sibi reptæsentat & exprimit: exteriùs verò, cùm per actionem extra ipsum Deum prodeuntem aliquid reuelat: hæc autem extrinseca reuelatio duobus in genere modis fieri potest. Vno per voces in aere formatas, similiaue signa extra intellectum hominis vel Angeli cui reuelatio fit, existentia, qualis ea fuit quæ Apostolis facta est, dum Christo in monte transfigurato audita est vox ista Patris, *Hic est filius meus dilectus.* Altero per immissas in intellectum hominis vel Angeli cui reuelatio fit, apprehẽsiones, seu cogitationes, quibus exprimit Deus propositionem illam quam ab ipso credi vult: quo modo Prophetis ordinariè reuelabat ea quæ ipsi postea per fidem vera esse credebant.

VII. Quocunque autem modo fiat extrinseca illa reuelatio, dubium non est quin aliquando sit ineuidens & obscura: quod toties accidit, quoties ex eius cognitione euidens non est Deum esse qui reuelat: hîc enim reuelationem obscuram dicimus eam, quæ ab eo cui fit cognita, tali cognitionis genere cognoscitur, vt hinc euidens ipsi non sit, nec esse possit, Deum esse authorem reuelationis illius, seu eum esse qui reuelat & loquitur. Vtrùm autem possit esse aliquando euidens, id est, tali cognitionis genere cognosci, vt ex eo sit euidens Deum esse qui loquitur, nonnulla dubitatio est.

VIII. In qua prima opinio est Dominici Bann. nac 2.2. quæst. 1. artic. 5. & quæst. 5. artic. 1. post vltimam conclusionem docentis non posse Dei reuelationem esse prædicto sensu euidentem, quin Deus euidenter & intuitiuè prout in se est cognoscatur. Sed contraria sententia communior est, probaturque primò ex eo quòd posita aliqua extrinseca Dei reuelatione, eaque vel per hominem vel per Angelum cognita, si vtrùm à Deo sit dubitet homo ille, vel Angelus, potest accipere tantam certitudinem, & in attestante euidentiam propositionis huius, quòd nimirum à Deo sit illa reuelatio, quantam cuiuscunque alterius rei: potest enim iisdem miraculis confirmare Deus propositionem qua

affirmatur author huius aut illius reuelationis, quibus eam qua dicitur Trinus in personis: vnde sicut per hæc miracula veritas rei per hanc propositionem enunciatæ, diuinæ scilicet Trinitatis, cognoscitur euidenter euidentia in attestante, absque eo tamen quòd Deus aut diuina Trinitas intuitiuè prout in se est videatur: ita I. per eadem miracula veritas illius alterius propositionis, quòd nimirum Deus sit author huius aut illius reuelationis, cognosceretur euidenter euidentiâ in attestante, absque eo quòd Deus reuelans intuitiuè prout in se est videretur.

Probatur secundò, quia certum est Deum esse posse authorem alicuius externæ reuelationis, itavt ipse solus dicendus sit esse ille qui loquitur: nec magis dubium esse potest, Deum huius reuelationis cuius author est, posse dare propriam speciem homini vel Angelo, cui eam ipse reuelationem facit: hanc autem homo ille vel Angelus per propriam speciem cognoscens, & proinde quidditatiuè ac intuitiuè prout ipsa in se à parte rei est, cognoscet II. simul euidenter dependentiam illam essentialem qua reuelatio illa secundùm differentiam suam vel specificam, vel indiuiduam, Deum vt solum authorem suum essentialiter respicit: hanc enim nisi euidenter cognosceret, reuelationem prout in se est intuitiuè non videret, contra hypothesin: hæc verò dependentia cognosci nequit euidenter, quin simul fiat euidens, Deum esse authorem illius reuelationis: quod tamen euidens fieri potest absque eo quòd Deus ipse intuitiuè prout in se est videatur: sicut Angelus quilibet se, & quemlibet alium per propriam speciem, vel per aliquid instar huius speciei quidditatiuè intuitiuè cognoscens, cognoscit simul euidenter essentialem illam dependentiam quam quilibet eorum habet à Deo, vt à solo authore à quo esse & III. creari potest: quam dependentiam euidenter non potest cognoscere, nisi cognoscat euidenter Deum existere, & authorem earum creaturarum esse, quo tamen cognito non propterea cognoscit Deum prout in se est quidditatiuè intuitiuè.

Probatur postremò, quia sicut veritas naturalis est intellectum Angeli non posse à creatura vlla ex necessitate immutari, sed à solo Deo, ita naturaliter ab Angelo cognoscibilis est: Angelus ergo vna ex parte naturalem hanc veritatem cognoscens, ex altera verò aduertens intellectum suum immutatum esse per apprehensiones & cogitationes aliquas sibi ab alio immissas, & à se non liberè, sed necessariò susceptas, colliget certò Deum esse qui cogitationes illas immisit: quod sic cognoscere aliud nihil est quâ IV. euidenter nosse cogitationum illarum, ac proinde reuelationis, quæ cum immissis illis cogitationibus idem est, Deum authorem esse: quod cùm ita cognoscitur, non propterea Deus intuitiuè prout est in se cernitur.

Cuius argumenti vis vndequaque firma erit, si duo præterea addantur, quorum vnum est, cogitationes illas immissas tales esse posse, quæ naturaliter Angelo venire nequeant in mentem, nec proinde possint ab eius vel intellectu vel speciebus connaturaliter ipsi debitis, oriri naturaliter: cuiusmodi cogitationes videntur esse eæ, verbi causa, quibus conciperet Angelus in Deo esse cum natura vnica tres personas, & trium harum personarum vnam improductam, alias duas productas: vnam esse Patrem, aliam Filium, tertiâ Spiritum sanctum ex persona Patris & Filij tanquam ex vnico principio A V. prodeuntem.

Alterum est, Angelum habere naturaliter cognitionem euidentem & intuitiuam sui intellectus, omniumque suarum specierum, & proinde cognoscere euidenter quid hæ species, & quid ille intellectus possint naturaliter, ac per consequens nosse naturaliter euidenterque prædictas illas cogitationes de tribus diuinis personis quas in intellectu suo animaduertit, non ex vi naturali sui intellectus suarumque specierum, sed aliunde esse profectas: his enim tribus quæ dixi positis, non potest non euidenter colligere Angelus, Deum esse authorem prædictarum illarum cogitationum, ac proinde ipsum esse qui loquitur & reuelat mysterium illud Trinitatis: quod dum B euidenter colligit, nihil necesse est, vt per se VI. patet, vt quidditatiuam & intuitiuam reuelati mysterij, aut reuelantis Dei cognitionem habeat, qua eum prout in se est videat.

Obiicit Bannes, nos non posse cognoscere euidenter loquutionem alicuius certæ personæ esse ab illa persona, nisi eadem persona nobis intuitiuè nota sit. Verùm si per intuitiuam personæ cognitionem intelligat eam qua nobis euidens est talem personam existere, eámque & non aliam esse authorem illius loquutionis, sic concedo quod obiicitur, similitérque fateor nos non posse habere euidentem cognitionem reuelationis quæ à Deo est, nisi Deus a nobis euidenter cognoscatur existere, & reuelationis illius author esse, cùm ex illo priori cognito istud posterius cognosci sit ne- C cessarium. Sed si intelligit eam qua persona VII. loquens conceptu quidditatiuo & intuitiuo cognoscitur prout in se est, sic nego quod obiicit, & manifestè falsum est: Petro enim euidenter nota est loquutio Pauli coram loquentis, nec tamen habet eiusdem Pauli cognitionem quidditatiuam intuitiuam, cùm eius humanitatem per propriam speciem non cognoscat, vtpote qui in hac vita nullius substantiæ propriam speciem habet, sed tantummodo quorundam accidentium in sensus incurrentium: vnde pariter nego esse necessarium ad habendam euidentem reuelationis à Deo factæ cognitionem cognosci Deum ipsum quidditatiuè intuitiuè prout in se est.

SECTIO II.

Vtrùm Deus sit formale obiectum fidei? VIII.

PRIMA sententia est Scoti in 3. dist. 23. quæst. 1. artic. 2. docentis fidem respicere quidem Deum tanquam primum obiectum de quo alia reuelantur, at immediatè tendere in omnia credibilia, & nõ in vnum propter aliud, eodem ferme modo quo noster intellectus, posita apprehensione terminorum, tendit immediatè in prima principia, iisque assentitur, &

non mediante aliquo distincto ab ipsis principiis quibus assensus datur, quod sit id propter quod detur eis ille assensus, seu quo noster intellectus permoueatur ad eisdem assentiendum. Vnde censet Scotus posita in nobis apprehensione terminorum huius, exempli causa, propositionis à Deo reuelatæ, (idem autem est iudicium cuiusuis alterius) Deus est vnus in natura, & trinus in personis, intellectum nostrum per habitum infusum fidei immediatè tendere in subiectum & prædicatum prædictæ propositionis, eaque inter sese connectere, iudicando per obscurum fidei actum, vnum inesse alteri, id est, inexistere Deo naturæ vnitatem, & personarum Trinitatem, immediatè, inquam, id est, non propter Deum reuelantem, aut summam eius in dicendo authoritatem veritatemque, nec propter quidquam aliud eiusmodi distinctum à terminis propositionis cui datur per fidem assensus, quo veluti mediante detur ille assensus, quodque sit id quo moueatur noster intellectus ad dandum illum fidei assensum.

Secunda sententia est Aureoli apud Capreolum in 3. dist. 24. quæst. 1. Deum esse obiectum formale fidei, vt Deus est, id est, sub formali conceptu diuinitatis vt diuinitas est, & à diuinis attributis ex nostro concipiendi modo distinguitur, non autem sub formali conceptu primæ veritatis. Tertia Caietani hîc asserentis Deum sub conceptu diuinitatis vt diuinitas est, & primæ veritatis vt prima veritas est, esse formale fidei obiectum. Vt res declaretur, tres statuemus assertiones, quarum in prima de Deo loquemur considerato priore modo ex duobus illis quos superiore sect. notatione 2. assignauimus: in duabus verò sequentibus de eodem loquemur, spectato posteriore modo ex iisdem duobus ibidem assignatis.

Prima assertio. Deus est formale obiectum fidei. Ita communiter omnes contra Scotum, qui dicens fidem respicere Deum tanquam primum obiectum de quo alia reuelantur, fatetur quidem ipsum esse fidei obiectum materiale primarium, aut etiam attributionis, de quo obiecto hîc non agimus, postea autem agemus: addens verò eandem fidem immediatè tendere in omnes propositiones à Deo reuelatas, eo sensu quo paulò antè declarauimus, diserte negat aut Deum, aut eius in dicendo veritatem, aut quidquam aliud à terminis reuelatæ propositionis, ipsóque fidei infuso habitu distinctum, esse motiuum quo veluti mediante permoueatur intellectus noster ad dandum propositionibus illis per fidem assensum: quod negare, est expresse negare Deum esse formale fidei obiectum, cùm ex prænotatione prima superioris sect. constet obiecti formalis nomine nihil aliud quàm prædictum motiuum intelligi.

Probatur autem assertio primùm hoc argumento. Prima veritas est obiectum formale fidei: atqui Deus est à parte rei prima veritas: ergo Deus à parte rei est obiectum formale fidei. Minor est certissima considerando Deum, vt reipsa consideramus priori illo modo ex duobus præfato loco declaratis. Maior sequenti assertione demonstrabitur.

Secundò probatur ex cap. 15. Genes. ex Romanorum 4. similibúsque quamplurimis Scripturæ locis, quibus expresse dicitur per fidem credi Deo aliquid promittenti, seu dicenti: neque enim vnquam dicimur alicui credere, nisi quando rei dictæ propter ipsum qui dixit, seu quod idem est, propter eam quam in dicendo habet authoritatem assentimur: si ergo Deo per fidem credimus, assentimur rei ab ipso dictæ propter ipsum, seu propter eam quam in dicendo habet authoritatem, quæ authoritas cùm sit idem quod prima veritas, idem quoque cum Deo à parte rei est: Deo autem, aut alicui alteri quidpiam dicenti assentiri propter ipsum, aliud nihil est, quam ipsum esse id quo permouetur noster intellectus ad assentiendum, ac proinde quam esse formale obiectum nostri assensus.

Probatur postremò hac ratione. Quotiescunque propositionis alicuius non innotescit nobis veritas vel ex sola terminorum quibus constat apprehensione, vel immediatè in ipsamet re per propositionem significata, quo modo innotesceret, si per propriam speciem res ista cognosceretur, si nihilominus assensum illi propositioni damus, toties damus propter aliquod motiuum à re cui tanquam veræ assentimur aliquo saltem modo distinctum, quo noster intellectus permouetur ad assentiendum, quodque proinde est formale obiectum nostri assensus: atqui propositio à Deo reuelata, hæc verbi causa, Deus est in personis trinus, aut ista, Verbum caro factum est, non apparet nobis vera vel ex sola terminorum quibus constat apprehensione, nec immediatè in seipsa: ergo cùm nihilominus illi assentiamur, assentimur propter aliquod motiuum à re cui damus assensum aliquo modo distinctum, quo mouetur noster intellectus ad assentiendum, & quod proinde nostri assensus formale obiectum est.

Maior & inductione certa est, & hac ratione, quòd nimirum nequeat intellectus, vt experientia certum est, iudicare propositionem aliquam veram esse potiùs quàm falsam, aut contra, cuius veritatem aut falsitatem nō videt, aut immediatè in ipsamet propositione per propriā speciem cognita, aut mediante terminorum quibus constat apprehensione: nequeat inquam, nisi ratio aliqua ipsi appareat, qua permoueatur, & quodammodo determinetur ad iudicandum veram esse potiùs quàm falsam, aut è contrario: quam ob causam dixit alicubi Philosophus nos non posse assentiri propositioni isti, astra sunt numero pari, aut huic oppositæ, astra sunt numero impari, quod certissimum est, & ipsi nunc experimur. Minor est euidens: primò enim propositionum illarum veritatem non videmus in ipsismet immediatè, alioqui nunc diuinitatis & Trinitatis, Verbi & humanitatis hypostaticè assumptæ quidditatiuam & intuitiuam cognitionem haberemus, quam habent soli Beati. Deinde quis nostrûm ex solis earundem propositionum terminis apprehensis, iudicare potest potiùs in Deo personarum trinitatem esse, quàm non esse, aut quàm esse quaternitatem? Verbum assumpsisse carnem potiùs quàm non assumpsisse? aut Verbum potiùs quàm Patrem, aut Spiritum sanctum? Fatendum igitur est Scoto quod in conclusione posuimus, nos scilicet illis assentiri propositionibus ob motiuum aliquod, quod non est aliud

quàm Deus authoritate sua nos permouens ad iudicandum illud quod dicit verum esse, etsi illius veritas nec immediatè in se, nec ex terminis nota sit.

Neque dicat Scotus illud motiuum esse ipsũ infusæ fidei habitum: constat enim motiuum quo moueri debet intellectus, vt iudicet eam propositionem veram esse, cuius veritatem nec ex solis terminis apprehensis videt, nec immediatè in ipsa, debere esse intellectui cognitum: qui autem propositionibus à Deo reuelatis actu fidei assentitur tanquam veris infusum sibi fidei habitum non cognoscit, nec de eo cogitat, saltem vt cogitet, aut antea cogitarit, nulla prorsus necessitas est.

I. A

Secunda assertio. Deus vt est prima veritas est obiectum formale fidei. Ita communiter Theologi contra Aureolum, nominatimque D. Thomas hic quæstionis 1. art. 1. & in 3. dist. 23. qu. 1. articulo item 1. Probatur, Deus per illam perfectionem habet, vt sit obiectum formale fidei, per quam habet vt sit motiuum quo mouetur intellectus ad credendum: atqui per primæ veritatis perfectionem habet vt sit id quo mouetur intellectus ad credendum: ergo per eandem habet vt sit obiectum formale fidei. Maior certa est, cum obiectum formale & prędictum motiuum idem sint. Minoris veritas constat in primis ex eo quòd in vniuersum quoties alicui quidpiam dicenti fides habetur, toties, eatenus, & tantum habetur, quatenus, & quantum verax in dicendo existimatur: quod ex humana fide perspicuum est, quę veracitati dicentis hominis innititur: vnde etiam fit vt ei homini aliquid dicenti eò facilius & firmiùs fidem habeamus, quò minùs de eius in dicendo veritate seu veracitate dubitamus.

II. B

Constat secundò, quia si per impossibile Deus cum diuinitate retineret alia omnia attributa sua, & hoc vno careret primę veritatis, non moueremur ad fidem eius dictis habèndam, & meritò, quoniam defectu huius vnius perfectionis, dicta eius, ex eo quòd essent ab eo dicta, credibilia non essent, nec fide digna: è contrario autem si conciperemus aliis omnibus ab eo remotis attributis ipsum nihilominus hoc vnum primæ veritatis retinere cum diuinitate sua, adhuc tunc moueremur, & æquè, atque nunc mouemur ad habendam dictis eius fidem: & quidem iure optimo, quia tunc eius dicta, ex eo quòd essent ab eo dicta, tam essent credibilia, & fide digna, quàm modò sunt.

III. C

Aduerte autem veritatem diuinam, quam hîc dicimus esse obiectum formale fidei, esse eam, quam notat. 4. superioris sectionis ex veracitate & sapientia compositam esse diximus, quáque Deus habet vt nec possit falli, nec fallere: hac enim sola veritate mouemur ad assentiendum per fidem Deo aliquid dicenti, qui, si falli posset, aut fallere, non moueret nos ad habẽdam dictis suis fidem, certam saltem & indubitatam, qualis tamen debet esse fides qua Deo creditur: aut si quandoque moueremur ad fidem dictis eius habendam, certè tum, & eatenus moueremur, dum & quatenus existimaremus ipsum tunc temporis in hac aut illa peculiari re quam dicit neque falli, neque fallere.

IV. D

Tertia assertio. Deus vt Deus est, siue sub formali conceptu diuinitatis, vt hæc à diuinis attributis ex nostro concipiendi modo distinguitur, ad fidei obiectum formale non pertinet. Ita contra Caietanum Bannes hoc loco, & communiter recentiores, præter antiquos, vt Albert. & Bonau. in 3. distinct 23. & 24. Durandum qu. 1. Richardum art. 1. quæst. item prima, & alios, nominatimque S. Thomam hîc citato art. 1. expresse docentem obiectum formale fidei nihil aliud esse quàm veritatem primam: vbi veritatẽ hanc non accipit haud dubiè, vt idem est à parte rei cum diuinitate, sed vt est attributũ aliquod ab ea distinctum: alioqui cùm sit etiam idem à parte rei cum misericordia, iustitia, cæterisque huiusce modi attributis, quo iure diceretur intellexisse per primam veritatem diuinitatem ipsam, pari iure dici posset intellexisse misericordiam, iustitiam, & similia attributa, atque ita æquè bene veréque potuisse eum dicere, attributa hæc esse obiectum formale fidei, atque de veritate prima hoc ipsum dixit.

V.

Probatur autem assertio primò hac ratione. Deus per eam perfectionem non est obiectum formale fidei, per quam non mouet ad habendã rebus à se dictis fidem: atqui per diuinitatis perfectionem, vt diuinitas est, non mouet ad fidem rebus illis habendam: ergo per eam non est obiectum formale fidei. Maior certa est ex iam dictis sæpius. Minoris veritas hinc eluceſcit, quòd si per impossibile haberet aliquis eam Dei perfectionem, vt neque falli posset, neque fallere, nec tamen simul diuinitatem haberet, sicut eius dicta tam credibilia essent, & fide digna, quàm modò sint ea Dei, ita tam ex illa perfectione moueremur ad assentiendum per fidem dictis illius, quam modo moueamur ad habendam fidem iis quæ à Deo dicuntur: tunc autem non moueremur à diuinitate personæ illius, quia ex hypothesi nullam haberet: ergo nunc non mouemur à diuinitate Dei, vt diuinitas est, ad assentiendum per fidem iis quæ dicit.

VI.

VII.

Probatur secundò à similitudine fidei humanæ, qua credimus homini quidpiã dicenti: quod enim mouet nos ad credendum ipsi, non est ipsius humanitas, vt humanitas est, & ab eius veritate in cognoscendo ac dicendo distinguitur: vnde quamuis constet Petrum esse hominem, si tamen dum quidpiam dicit existimamus ipsum aut in illius rei cognitione decipi, aut in loquendo decipere, moueri non possumus ab eius humanitate ad assentiendum per fidem humanam rei quam dicit: è contrario verò si de eius humanitate nihil cogitantes hoc solùm attenderemus, quòd nempe neque fallit, neque fallitur, de eiusdem humanitate actu cogitamus. Ex quo à simili concludo, neque nos moueri à diuinitate Dei, vt diuinitas est, & ab eius veritate suprà explicata distinguitur, dum ipsi aliquid dicenti per fidem assensum damus.

VIII.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contra doctrinam superiori sectione traditam.

PRIMVM istud est: vnum & idem est Theologiæ & fidei obiectum, vt colligitur ex D. Thoma quæst. 1. primæ partis art. 7. obiectum autem Theologiæ est Deus, vt Deus, siue sub ratione deitatis, vt ibidem docet idem S. Doctor. Respondeo, dum hoc docet, ipsum loqui de obiecto Theologiæ materiali primario, & attributionis, vt vocãt: ex quo rectè quidem colligitur Theologiam & fidem habere pro obiecto materiali primario Deum vt Deum, sed colligi meritò non potest obiectum formale quo fidei, esse Deum, vt Deus est, siue sub hac ratione sit obiectum formale quo Theologiæ, siue non sit.

Secundum. Veritas prima est obiectũ formale fidei, atqui hæc formaliter includit summam in diuina voluntate veracitatem, qua non potest Deus fallere, & in intellectu diuino summam sapientiam, qua falli non potest: hæc autem sapientia formaliter includit diuinitatem, vt diuinitas est, quia est vltima veluti differentia essentialis constitutiua diuinitatis, vt est diuinitas: ergo diuinitas vt sic ad obiectum formale fidei pertinet. Neganda est Minor, qua parte dicit sapientiam includere diuinitatem, vt diuinitas est. Cùm enim illa sapientia nihil aliud sit quam actualis cognitio Dei cognoscentis omnia & singula prout à parte rei sunt, sectione autem prima notatione 3. præsupposuerimus, quod 1. parte de Deo tractates ad quæst. 27. citata disp. & sect. probauimus, cognitionem Dei actualem non includere diuinitatem formaliter, seu non esse vltimam veluti differentiam eius constitutiuam, sed esse attributum ipsam vt iam essentialiter integrè constitutam præsupponens, patet meritò à nobis negari ea parte Minorem.

Tertium. Deus vt verus veritate illa suprà declarata est obiectum formale fidei, atqui Deus vt Deus est verus veritatẽ illa, ergo Deus vt Deus obiectum formale fidei est: sed Deus vt Deus deitate constituitur, ergo deitas vt sic obiectum formale fidei est. Respondeo negando Minorẽ: Deus enim vt Deus formaliter non est verus illa veritate de qua loquimur, alioquin veritas illa formaliter esset formaliter diuinitas, cùm tamen sit attributum eam ex nostro intelligendi modo consequens.

Quartum. Non quæcunque veritas mouet nos ad assentiendum præsertim indubitanter rebus à Deo reuelatis, sed diuina: veritas autem diuina præter veritatẽ nihil aliud includit formaliter quàm diuinitatem vt diuinitas est: ergo hæc vt sic mouet nos ad assentiendum per fidẽ, éstque obiectum formale nostræ fidei. Respondeo distinguendo Maiorem: vocabulum enim, diuina, quod in ea ponitur, vel significat infallibilitatem veritatis qua Deus dicitur nec falli posse, nec fallere: vel hanc infallibilitatem non significat, sed quiddam aliud ab hac infallibili veritate distinctum ex nostro concipiendi modo, quod sit diuinitas, vt diuinitas formaliter. Si primum, concedo Maiorem, sed falsa est Minor: vocabulum enim, diuina, quod in ea ponitur, quódque eodem sumi sensu debet quo in Maiore, ne sint quatuor in argumento termini, includet aliquid aliud præter diuinitatem, nempe prædictam infallibilitatem, imò hanc solam includet, non verò etiam diuinitatem. Si secundum, concedo Minorem, sed falsa est Maior: infallibilis enim veritas, seu quæ nec falli potest, nec fallere, nos mouet ad assentiendum rebus ab eo reuelatis qui eiusmodi veritatem habet, nec ad assensum illum necesse est moueri nostrum intellectum à diuinitate vt diuinitas est, & virtualiter ab illa infallibili Dei veritate distinguitur. quæ veritas, etiam vt infallibilis, est attributum consequens diuinitatem, vt est formaliter diuinitas.

Quintum. Illud est de obiecto formali fidei, in quod vltimò resoluitur fidei assensus, atqui resoluitur vltimò in diuinitatẽ vt diuinitas est, ergo hæc de obiecto fidei formali est. Maior ab omnibus admittitur, cõstátque ex eo quod cùm assensus non resoluatur nisi in id quod est intellectui ratio seu motiuum assentiendi, sanè id in quod vltimò resoluitur, debet esse motiuum seu ratio assentiẽdi, qua nulla detur vlterior: quod autem est intellectui ratio & motiuum assentiendi est obiectum formale assensus. Minor probatur: licet enim motiuum assentiendi rebus à Deo reuelatis sit sapiẽtia & veracitas Dei reuelantis, ac proinde noster assensus bene resoluatur in hanc Dei sapiẽtiam & veracitatem, non est tamen vltimum in quod resoluitur, sed illud est diuinitas vt diuinitas: quoniam hæc vt sic, quemadmodum est radix & origo omnium attributorum, ipsiúsque proinde sapientiæ & veracitatis, ita est id in quod vltimò tanquam in causam virtualem suam hæc sapientia & veracitas resoluitur.

Respondeo negando Minorem, ad cuius probationem dico, sapientiam & veracitatem Dei reuelantis esse vltimum in quod resoluitur nostræ fidei assensus, cùm nihil sit vlterius quod sit nobis motiuum seu ratio assentiendi. Nec refert quòd illa sapientia & veracitas vltra resoluatur in diuinitatem vt sic, tanquam in causam essendi: non enim propterea diuinitas, vt diuinitas, est nobis vltima, aut aliqua ratio assentiendi, sed assensus noster sistit in illa sapientia & veracitate, tanquam in ea perfectione, qua non datur vlterior nos mouens ad assensum, in quã proinde perfectionem vltimò resoluitur. Vnde resolutio illa vlterior quæ fit sapientiæ & veracitatis in diuinitatem tanquam in virtualem causam essendi, nihil pertinet ad fidem, sed ad eam scientiam, siue Theologiam, siue Metaphysicam, quæ diuina attributa tanquam proprietates de Deo probat, & demonstrat per propria eorum causam: quemadmodum visus & visio qua videtur obiectum aliquod coloratum & illuminatum sistit vltimò in colore & lumine, vt color & lumen est, in eáque proinde vltimò resoluitur, tanquam in id quod est animali vltima ratio videndi illud obiectum, licet color & lumen huius obiecti resoluantur vlteriùs in certam primarum qualitatum permixtionem, aut quid simile, tanquam in causam ob quam insunt isti subiecto: quæ resolutio, vt patet, nihil ad visum visionémque pertinet, sed ad scientiam physicam, quæ naturaliter illos effectus per proprias causas demonstrat.

Contra hanc responsionem sic instat quidam recentior: Qui credit Deo dicenti non mouetur ab eius veracitate & sapientia in abstracto sumpta, sed in concreto, id est, quatenus conueniunt & insunt ipsi dicenti: constat ergo ei qui credit illas inesse Deo dicenti, & illud ex quo ipsi constat eas inesse Deo, pertinet ad motiuũ credendi. I. A V.
Iam verò nõ constat credenti ipsas inesse Deo, nisi quia Deus est, ergo diuinitas ad motiuum credẽdi pertinet. Quod sic confirmat: Si per impossibile summa sapientia & veracitas conuenirent alteri quàm Deo, non mouerent nos ad fidem illi alteri habendam, nisi nobis ex aliquo capite constaret perfectiones illas duas ei inesse: ergo illud caput ex quo nobis hoc cõstaret, moueret nos simul cum duabus illis perfectionibus ad habendam dictis eius fidem. Iam verò caput ex quo nobis constat easdem perfectiones inesse Deo, est diuinitas, vt diuinitas: ergo hæc mouet nos ad assentiendum ipsi dicenti, & proinde pertinet ad obiectum formale fidei.

Verùm ad hanc instantiam, adiunctamque ei confirmationem dico, non moueri quidem nos ad assentiendum siue Deo, siue alteri quidpiã dicenti, à sapientia & veracitate nisi in concreto, id est, nisi vel insit, vel saltem putetur inesse dicenti: at nego id ex quo illi vel à parte rei illa inest, vel inesse putatur, pertinere ad rationem seu motiuum assentiendi, atque adeo ad formale obiectum assensus: sicut quando videtur corpus colore illuminato affectum, non mouetur visus ad visionem illius corporis à colore & lumine nisi in concreto, id est, quatenus insunt corpori illi, causa tamen ex qua insunt, vt certa primarum qualitatum permixtio, aut eiusmodi alia, non est ratio seu motiuum videndi corpus illud, nec ad obiectum formale visus aut visionis pertinet. II. B VI.

SECTIO IV.

III. C *Vtrum Deus quatenus est veritas prima sit adæquatum obiectum formale fidei?* VII.

COMMVNIS sententia est non esse, sed præter veritatem hanc pertinere quoque ad obiectum formale fidei externam reuelationem, qua Deus vel per voces in aere formatas, vel per apprehensiones in intellectum immissas, vel per alia eiusmodi externa signa loquitur, & quidpiam reuelat. Contra quam sentiunt alij nonnulli dicentes reuelationem hanc esse quidem conditionem, sine qua non esset obiectum formale fidei veritas prima, hanc tamen solam veritatẽ esse fidei formale obiectum adæquatũ.

Probatur autem communis illa sententia primùm hoc argumẽto. Illud ad obiectum formale fidei pertinet quod est motiuum credendi, vt constat ex iam sæpius dictis: atqui prædicta reuelatio tale motiuum est. Quam Minorem probo in primis ex Genes. 15. Rom. 4. aliisque omnibus Scripturæ locis, quibus dicitur Abraham credidisse Deo aliquid dicenti, & nos quoque dicimur eidem dicenti credere: quemadmodum enim, vt iam dixi assertione prima secundæ sectionis, non dicimur vnquam credere alicui, nisi propter ipsum credamus, credere autem propter ipsum, est ipsum nos ad credendum mouere, atque adeo esse motiuum nostræ fidei: sic IV. D VIII.
non dicimur credere testificanti seu eius testimonio, nisi propter ipsum vt testificantem seu propter eius testificationem credamus, propter quam credere, est ipsam ad credendum nos mouere, ac proinde esse motiuum nostræ fidei.

Eandem Minorem probo secundò ex similitudine fidei humanæ, quæ humano testimonio tanquam motiuo nititur, vnde à simili concludo fidem diuinam diuino testimonio tanquam motiuo niti: quod autem illud de humana fide verum sit, hinc constare potest, quòd sicut hominis testimonio non adducimur vt credamus rem testificatam veram esse, nisi illum hominem & sapientem in cognoscendo, & veracem in loquendo existimemus, quod argumento est eius externum testimonium non esse adæquatũ motiuum & obiectum formale nostri assensus: ita nec sola eius sapiẽtia & veracitate mouemur ad ei fidem habendã, si nihil exteriùs dicat. Quod argumento esse debet, solam hanc eius sapientiam & veracitatem non esse motiuum adæquatum fidei quam ei habemus, sed eiusdem externam loquutionem ad illud motiuum pertinere. Et sane si quærenti, cur Deo vel homine quidpiam dicente iudicemus rem ab eo dictã veram esse, qua quæstione motiuum huius nostri iudicij quæritur, rectè respondemus, quia dixit, nec minùs rectè, quàm si diceremus, quia non fallitur, vtpote sapiens, nec fallit, vtpote verax: fatendum est, quòd sicut ex hac responsione bene concluditur sapientiam eius & veracitatem esse motiuum prædicti nostri iudicij, ita ex illa alia rectè colligitur externam eius loquutionem eiusdem iudicij motiuum esse.

Probo postremò eandẽ Minorem ex eo quòd quoties propositionis alicuius veritas nobis non est euidens vel immediatè in seipsa, vel ex sola terminorum apprehẽsione, totiès id quod nobis eius veritatem detegit, est intellectui nostro motiuum, & ratio huic tanquam veræ assentiendi: & hoc constat inductione per omnes conclusiones, quarum veritatem cognoscimus nõ nisi ex connexione medij termini cùm duobus extremis positis in Maiori & Minori propositione: quæ connexio, eo ipso quo nobis conclusionis non notæ euidenter immediatè in seipsa, nec ex solis terminis quibus constat, veritatem detegit, eo inquam ipso est motiuum assensus quem damus illi conclusioni. Iam verò certum est propositionum quas fide diuina credimus veritatem euidenter notam nobis non esse, aut immediatè in ipsis propositionibus, aut ex solis terminis apprehensis quibus constant. Oportet igitur id quod nobis earum propositionum veritatẽ detegit, esse motiuum assensus quem per fidem illis tanquam veris damus: illud autem quod hanc veritatem detegit, non est sapientia sola & veracitas, sed hæc & illa coniuncta cum externo verbo: hoc enim verbum si abfit, sicut nulla propositio fit, sic nullius veritas detegitur: statim autem ac intelligitur adesse, præsuppositis prædictis sapientia, & veracitate, statim quoque veritas aliqua priùs latens detecta intelligitur.

Probatur 2. eadem communis sententia, & contraria hac ratione refellitur. Externa Dei reuelatio vel ne est quidem prædicta conditio sine qua non, vel si est, de formali etiam fidei obie-

V. I. VI. I I. VII. III. IV. I I.

cto est. Vt enim de obiecto isto non sit, debet non esse motiuum quo mouemur ad credēdum: vt autem prædicta conditio sit, debet esse id sine quo veritas prima nos ad credendum non moueret: at si non est motiuum quo ad credendum mouemur, nec est etiam id sine quo veritas prima nos non moueret ad credendum, aut si est, nos etiā ad credendum mouet. Vera enim causa ob quam necessaria conditio dici potest, vt prima veritas nos ad credendum mouere possit, est, quòd hæc veritas mouere nos ad id sine illa reuelatione simul ad idem mouēte nequeat: sicut in discursu vera causa propter quam minor propositio, exempli gratia, dici potest conditio necessaria vt Maior ad assensum conclusionis intellectum mouere valeat, est, quòd hæc Maior hunc ad illum mouere sine Minori ipsum ad eundem assensum mouente non valeat: aut certè proferant aduersarij causam, ob quam reuelatio nos ad credendum non mouet, & nihilominus est id sine quo veritas prima nos ad hoc non moueret.

Sanè si externa Dei reuelatio esset, quod certissimè non est, ipsa formalis primæ veritatis cognitio, dicere id meritò possent: sicut & meritò dicimus cognitionem ipsius externæ reuelationis esse conditionem sine qua non moueret nos ad credendum ipsa reuelatio, quia non mouet ad hoc nisi cognita, nec tamen ipsa cognitio ad idem mouet, quia non est ipsa formaliter reuelatio: sicut & meritò dicimus cognitionem finis esse id sine quo finis ipse voluntatem ad amorē & appetitionem sui non moueret, quia nō mouet ad hoc nisi cognitus, nec tamen ipsa cognitio ad hoc ipsum mouet, quia non est ipse finis, solus autem finis mouet. An forte dicent externam Dei reuelationem requiri tanquam prædictam conditionem, quia per eam nobis innotescere debet quid Deus de re aliqua credēda iudicet, vt eius iudicio tanquam formali motiuo niti postea possimus in eadem re iudicanda vera, sicque credenda? At hinc erit manifestè consequens, adęquatum fidei formale obiectum fore veritatem primam, non prout ex parte voluntatis tam complectitur veracitatem in loquendo, quàm ex parte intellectus sapientiam in cognoscendo, sed prout hanc solam significat: quid autem aliud pro causa rei quam quærimus dicere possint aduersarij, non apparet.

His duobus argumentis cùm satis sit probatū externam reuelationem ad obiectum formale fidei pertinere, solùm declarandum restat, quid intelligamus nomine externę illius reuelationis. Cuius rei gratia dico breuiter, non posse quidē existere reuelationem hanc, quin præter sapientiam qua diuinus intellectus res prout in se sunt verè cognoscit, & falli non potest, veracitatémque, qua diuina volūtas velle fallere non potest, intelligatur in eadem voluntate volitio libera producendi externam illam reuelationem, & in Dei intellectu intellectio voluntati repręsentās bonum esse facere illam reuelationem: at non propterea esse necessarium dicere, & volitionem illam liberam, & istam intellectionem ad obiectum formale fidei pertinere: quod enim præterquirantur tanquam causæ sine quibus existere reuelatio non posset, non sufficit vt ad prędictū obiectum formale pertineant, alioquin omnes etiam causæ pertinerent sine quibus illa esse nō potest, quales sunt aer, cum reuelatio fit per voces in aere formatas, intellectus noster, cum per cogitationes nobis immissas, & aliæ similes, quas tam certum est ad obiectum illud non spectare, quàm non esse motiuum quo rei reuelatę assentimur: quæ etiam est ratio à priori, ob quā non videtur illa libera Dei volitio, & intellectio esse de formali obiecto nostræ fidei: non enim videntur esse id quo mouemur ad assentiēdum, sed sola externa reuelatio, præsuppositā prædicta sapientia, & veracitate. Vnde si conciperemus externam illam reuelationem à Deo esse immediatè, non verò mediante illa libera volitione, & intellectione liberam hanc volitionem præcedente, Deúmq. sic reuelantem eam habere quam reipsa habet sapientiam & veracitatem, perinde moueremur ad ei credendum, atque iam mouemur.

A B C D V. VI. VII. VIII.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedente sectione traditam.

PRIMVM petitur ex D. Thoma hac 2. 2. q. 1. art. 1. sic loquente, *Si igitur in fide, si consideremus rationem formalem obiecti, nihil aliud est quam veritas prima.* Verùm quòd à veritate prima non excluserit reuelationem, quódque proinde voluerit fidei formale obiectum esse veritatem primam vt reuelantem, euidens est ex iis eius verbis immediatè consequentibus: *Non enim fides de qua loquimur assentit alicui, nisi quia est à Deo reuelatum.* Adde quòd infra quæst. 5. art. 3. in corp. manifestè docet reuelationem ad obiectum formale fidei pertinere, cùm ait, *formale obiectum fidei esse veritatem primam, secundū quod manifestatur in Scripturis sacris, aut doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex prima veritate.*

Secundum est, virtutem fidei non futuram vnam, si eius obiectum formale tam multiplex sit, vt & sapientiam & veracitatem increatam Dei, & creatam præterea reuelationem eius externā comprehendat. Respondeo futuram adhuc nihilominus vnam, quòd hæc tria in ratione entis & rei non conficiant nisi vnicum obiectum formale, & proinde non sint nisi quid vnum in ratione formalis obiecti: cuius vnitatis causa est, quòd non sint nisi quid vnum in ratione motiui: ideo autem in hac motiui ratione sunt tantùm quid vnum, quòd seorsim accepta nullam per se vim habeant ad mouendum intellectum vt credat, sed solùm vt accepta simul & indiuisè: quemadmodum in discursu, licet maius extremum, minus extremum, & medius terminus sint tria in ratione entis & rei, sunt tamen quid vnum in ratione formalis obiecti, respectu assēsus qui datur conclusioni, quia respectu eius sunt quid vnum in ratione motiui: ideo autem in ratione motiui quid vnum sunt, quia diuisiue & seorsim sumpta mouere nequeunt intellectum ad assentiendum conclusioni, sed solùm vt simul & indiuisim accipiuntur.

Tertiū est, si externa Dei reuelatio, quæ quidpiā creatum est, pertineat ad obiectum formale fidei, consequens fore, vt fides non sit Theologica virtus, quòd de cuiuslibet Theologicæ virtutis essentia sit, vt pro formali obiecto habeat quid increatum, nempe aut Deum ipsum,

aut diuinam aliquam eius perfectionem, quæ idem reipsa cum ipso Deo est, ex quo etiã Theologica virtus nominatur. Respondeo negando hoc consequens fore: non est enim de essentia virtutis Theologicæ vt ad eius formale obiectũ nihil pertineat quod creatum sit, licet de eiusdem essentia sit, vt ad idem obiectum pertineat I. aliquid quod sit increatũ. Fides ergo virtus erit Theologica, quia quamuis externa reuelatio quæ quidpiam creatum est de eius obiecto sit, simul tamen de eiusdem obiecto est veritas prima suprà explicata, quæ quid increatum est.

Quartum. Propositionem aliquam esse reuelatam nihil addit propositioni, nisi vel ens rationis, vel denominationem extrinsecam. Ergo reuelatio non potest esse de obiecto formali assensus qui per fidem datur illi propositioni. Negada est hæc consequentia: reuelatio enim, etsi rei reuelatæ nihil aliud tribuat quàm extrinsecam denominationem, est tamen ens reale mouens intellectum ad ei assentiendum, quod sufficit vt obiecti formalis rationem obtineat. Nec mirum videri debet quòd res prorsus extrinseca II. propositioni alicui, eiúsque veritati, intellectum moueat ad ei assentiendũ: hoc enim prorsus ad fidem necessarium est, cùm quod per fidem creditur, non iudicetur verum esse ex ipsa terminorum apprehensione, neque ex medio aliquo intrinseco, seu intrinsecam cum re credita connexionem habente, sed ex medio seu motiuo purè extrinseco, & extrinsecam solùm cum eo habente connexionem, quod est authoritas personæ reuelantis.

Quintum & postremum. Potest quis iudicare propositionem aliquam esse veram ex eò solùm motiuo quòd Deus eam talem esse iudicat: atqui iudicium istud est assensus fidei, nec tamẽ nititur reuelatione tanquam motiuo: ergo reuelatio non est necessariò de obiecto formali fidei. Maior videtur certa sumẽdo exempli causa III. propositionem nunquam à Deo reuelatã, quam certi simus vel experientia, vel ipso naturali lumine, vel aliunde, veram esse, & per consequens talem à Deo cognosci & iudicari: quid enim vetat nos illi propositioni assentiri non ob experientiam, vel terminorum euidentiam, vel ob vllum aliud motiuum, quàm quod talis à Deo iudicetur? Minor est euidens, quoad vtramque partem: quoad priorem quidem, ad quem enim alium habitum aut actum pertinere potest assensus ille quam ad fidem? cùm præsertim ille ipse assensus sit proprius actus alicuius Theologicæ virtutis, vtpote qui Deo seu diuino attributo tanquam motiuo seu formali obiecto nititur: quoad posteriorem verò, tum quia supponitur ex probatione Maioris propositio illa nunquam à Deo reuelata: tum quia supponitur IV. prętereà assensus illi propositioni datus, non ob aliud datus, quàm ob increatum iudicium Dei eam talem esse iudicantis.

Respondeo primò, hoc argumento si quid rectè concluditur, concludi pariter tria quæ falsa sunt. Primũ est, omnia omnino quæ nunc sunt, quæ olim fuerunt, quæ aliquando futura sunt, omnia item quæ possibilia, quæque impossibilia sunt, tam de fide nunc esse, tam à nobis fide diuina credi posse, quam quæ sacris Scripturis continentur: tam nos hæreticos formaliter fore in aliqua rerum illarum neganda, quã futuri simus in neganda aliqua his Scripturis contenta: quo quid magis nouum, magis absurdum, magis abhorrens à communi omniũ sensu & cogitatione audiri in Theologia potest? Cur enim quæ Scripturis continetur, de fide nunc sunt omnia, A. núncque à nobis fide diuina credi possunt? Sanè V. quia omnia nunc à Deo reuelata reipsa sunt; diuina autem reuelatio formale fidei obiectum est: at omnia quæ sunt, fuerunt, erunt, possibilia, & impossibilia sunt, reipsa à Deo cognoscũtur, & talia esse iudicantur, hoc autem iudicium diuinum fidei formale obiectũ esse argumento illo concluditur. Atque vt hęreticus formaliter est qui veritatem aliquam Scripturis contẽtam negat, dum sufficienter ipsi constat eam à Deo fuisse reuelatam: ita & formaliter erit hæreticus, qui rerum illarum præsentium, præteritarum, futurarum, possibilium, vel impossibilium aliquam negabit, dum sufficienter ipsi constabit eam talem esse, consequentérque talẽ à Deo cognosci & iudicari. Secundum est, fidem diuinam non modò non habere necessariò pro formali obiecto reuelationem Dei, sed nec habere B. VI. quoque veracitatem eius, at solam sapientiam. Tertium, nec habere necessariò ipsam quoque sapientiam: multa enim fide diuina credi poterunt ob solam volitionem Dei liberam, tanquam ob motiuum, seu formale obiectũ, quod eodem prorsus argumẽtandi genere sic probo.

Potest aliquis iudicare rem aliquam esse, ex eo solùm motiuo quòd Deus eam esse vult: atqui iudicium istud est assensus fidei, nec tamen nititur sapientia Dei tanquam motiuo: ergo sapientia hæc non necessariò est de formali obiecto fidei. Maior huius syllogismi certa eodem prorsus modo videtur, quo illa altera illius argumẽti quinti quod nobis obiicitur, sumendo exempli causa rem aliquam à solo Deo producibilem, C. VII. quam certi simus vel experientia, vel aliunde, esse actu existentem, & per consequens esse diuina libera & efficaci volitione volitã: quid enim vetat nos similiter iudicare rem hanc actu existere, non ob experientiam, vel ob vllum aliud motiuum, quàm quòd à Deo sit sic efficaciter volita? Minor quoad vtrãque partem est æquè eodemque etiam modo euidens, quo Minor illa illius eiusdem argumenti: quoad priorẽ quidem, ad quem enim alium habitum aut actum pertinere poterit iudicium istud quã ad fidem? cũ pręsertim hic iudicij actus sit alicuius Theologicę virtutis proprius, vtpote qui Deo, seu diuino attributo tanquam motiuo seu formali obiecto nititur: quoad posteriorem quoque, quia supponitur hoc ipsum iudicium non ob aliud motiuum elici, quàm ob illam efficacem D. VIII. Dei volitionem.

Respondeo secundò, quòd sicut iudicium, cuius in Minori posterioris istius syllogismi fit mentio, nõ est fidei diuinæ actus: ita neque illud aliud, cuius mentio fit in Minori prioris illius: diuinæ enim fidei actus non præsupponit essentialiter rei quam per eum veram iudicamus, veritatem iam aliunde certo nobis esse cognitam, cùm diuina fides ex natura sua talis sit, vt possit prima deducere nos in cognitionem certam veritatis rei quam credimus: quod patet ex omnibus ferme mysteriis nostræ fidei, quorum

veritatem certò non nisi per fidem cognoscimus: at iudicium cuius in vtraque Minori fit mentio, præsupponit essentialiter rei veritatem iam aliunde certò cognitam, vt ex probatione Maioris vtriusque argumenti clarum est.

I. Respondeo tertiò, quòd sicut ex hypothesi quòd reipsa eliciatur ab intellectu iudicium, de quo sermo est in Maiori propositione posterioris syllogismi, dicendum est, iudicium hoc non niti libera illa & efficaci Dei volitione tanquam adæquato motiuo, sed niti præterea tanquam motiuo cognitione illa certa siue per experientiam, siue aliunde parta, qua certò nobis constat eam rem esse actu existentem, & proinde esse à Deo libera & efficaci volitione volitam, húncque iudicij actum esse formaliter assensum datum conclusioni, qua istius rei actualis existentia concluditur, deducitúrque ex his duabus præmissis, quòd nimirum ea omnis res sit actu existens quam Deus efficaci volitione vult existere, velit autem hac volitione existere rem de qua agitur: ita ex hypothesi quòd reipsa eliciatur ab

II. eodem intellectu illud aliud iudicium de quo in maiori propositione prioris syllogismi sermo est, dicendum pariter est, iudicium hoc non niti illo Dei iudicio tanquam adæquato motiuo, sed niti præterea tanquam motiuo cognitione illa certa siue per experientiam, siue per naturale lumen, siue per scientiam, aliúdve medium comparata, qua nobis certò constat eam rem veram esse, & proinde talem à Deo iudicari, & hunc iudicij actum esse formaliter assensum datum conclusioni qua huius rei veritas concluditur, deducitúrque ex his præmissis duabus, quòd nimirum ea omnis res vera sit quam Deus veram esse iudicat, iudicet autem eam veram esse de qua agitur.

III. Dixi, ex hypothesi quòd reipsa eliciatur ab intellectu hoc & illud iudicium, de quo in vtriusque syllogismi maiori propositione sermo est: reuera enim neutrum elicitur, aut elici magis potest, quàm vitiosus in mente circulus admitti, qui tamen esset in ea reipsa admittendus, si reipsa ab ea hoc aut illud iudicium eliceretur: ex cognita enim certò per experientiam, aliúdve huiuscemodi medium rei alicuius veritate, vel actuali existentia, concluserit primùm in Deo esse vel iudicium quòd res illa vera sit, vel efficacem volitionem liberam qua rem illam existere vult: tum ex huius iudicij vel volitionis in Deo existentis cognitione parta solummodo per prædictam veritatis rei aut eius actualis existentiæ cognitionem, concluderet huiusce rei veritatem, vel actualem existentiam: quo modo à cognitione

IV. ad cognitionem moueri & progredi seu regredi intellectus nulla vnquam in materia potest.

DISPVTATIO III.

Qualis esse debeat externa Dei reuelatio ad formale fidei obiectum pertinens?

SECTIO PRIMA.

An priuatim singulis fieri debeat?

A CATHOLICA doctrina est, communem Christianorum fidem niti reuelatione Dei facta Prophetis, Apostolis, primis Ecclesiæ fundatoribus, nec fidelibus ad credenda Christianæ fidei mysteria aliam reuelationem esse necessariam, qua de iisdem à Deo priuatim edoceantur. Probatur primò ex Scriptura: Marci & Matthæi vltimo mittuntur Apostoli ad prædicandum Euangelium omni creaturæ: Actor. 1. dicit iisdem Christus: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudea, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Quibus ex locis aperte colligitur alios fideles de diuinis fidei nostræ mysteriis instruendos fuisse, & ad fidem perducendos per Apostolorum prædicationem, non per specialem factam priuatim singulis reuelationem: quam etiam ob causam iidem fideles dicuntur ad Ephesios 2. domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.

Præterea ad Rom. 10. dicitur *fides ex auditu* esse, *auditus autem per verbum Dei*, id est, fidei mysteria priùs aure percipi, quàm corde credi, percipi autem aure beneficio prædicationis: vnde ibidem additur: *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* Cuius prædicationis & missionis quæ necessitas esset ad credendum, si vel relicta doctrina per prædicationem tradita standum esset doctrinæ per speciales & priuatas singulis factas reuelationes acceptæ? vel certe si eadem doctrina tradita per prædicationem conciona-

VII. torum, legitimam ad prædicandum missionem habentium, esset rursus à singulis Deo interiùs & priuatim reuelante accipienda, huicque acquiescendum, non ob illam factam Apostolis, aliísque primis Euangelij prædicatoribus reuelationem, sed ob istam solam factam à Deo priuatim singulis?

Probatur secundò ex sanctis Cypriano, & Augustino, quorum ille epist. 74. *Si in aliquo*, inquit, *nutauerit veritas, ad originem Euangelicam, & traditionem Apostolicam, sicut ad fontem, est recurrendum.* Hic verò vehementer probans hanc Cypriani sententiam lib. 5. de baptismo contra Donatistas capite 26. sic loquitur: *Quod Cyprianus admonet, vt ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem ad nostra tempora deducamus, optimum est, & sine dubio faciendum.*

VIII. Ratio autem à priori est, quòd fidei formale motiuum sit authoritas reuelantis, atque vt reipsa & in actu secundo moueamur ad credendum propter reuelantis authoritatem, requiratur tantùm vt constet nobis, & personam reuelantem eius esse authoritatis, cui aliquid reuelanti credi meritò possit, & præterea ipsam aliquid reuelasse: hæc autem ipsius reuelatio non minùs sufficienter, & certò potest innotescere nobis, etsi nobis immediate facta non

sit, quàm si sic facta fuisset: imò potest aliquando certiùs, quia qui dicit nobis se reuelationem aliquam à Deo accepisse, potest huius reuelationis acceptæ dare nonnunquam certiora signa, quibus adducat intellectum nostrum, vt iudicet reipsa talem ei factam fuisse reuelationem, quàm habeamus de reuelatione nobis immediatè à Deo facta, quòd reipsa à Deo sit. I.

Obiiciunt hæretici primò illud primæ Ioannis secundo: *Non necesse habetis vt aliquis doceat vos: Nam vnctio eius docet vos de omnibus.* Secundò istud primæ ad Thessal. quarto: *Non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim à Deo didicistis.* Tertiò alia Scripturæ testimonia, quibus fideles dicuntur *docibiles Dei*, seu à Deo edocti. Respondeo locis illis non significari necessariam non esse doctrinam hominum, siue Apostolorum, siue successorum, qui proponant res fidei quæ Prophetis & Apostolis à Deo reuelatæ sunt. Vt enim D. Augustinus obseruat tract. 3. in eum Ioannis locum, si D. Ioannes eo loco id voluisset, potuisset ipse interrogari, cur longam epistolam scriberet ad eos quos nullo magistro indigere diceret. Verbis ergo illis quæ nobis ex ipso obiiciuntur ab hæreticis, significat, non habere necesse, nec debere eos ad quos scribit, quantum ad fidei dogmata quæ ab Apostolis audierant, & cooperante vnctione seu gratia Spiritus sancti crediderant, alios auscultare magistros contrariam doctrinam afferentes: de iis enim loquitur, vt patet ex verbis præcedentibus, quibus præmonuit cauendum esse ab Antichristo, addens: *Nam iam Antichristi multi sunt.* II.

Illorum autem verborum quæ ex Paulo obiecta sunt, sensus est, non fuisse opus vt ipse Paulus Thessalonicensibus de exercenda fraterna charitate scriberet, quia & eam exercendam esse ex Euangelij prædicatione, internáque inspiratione Spiritus sancti didicerant, & quod didicerant, exequebantur. Atque hunc esse sensum prædictorum verborum patet ex hoc ipso Pauli contextu: *De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem: etenim illud facitis in omnes fratres in vniuersa Macedonia.* Denique ex locis tertiò nobis obiectis nihil aliud potest colligi, quàm quod minimè negamus, imò in Tractatu de gratia fusè probauimus, assensum fidei esse ex præueniente & adiuuante gratia Dei, ratione cuius gratiæ dum fit, vt homines ab Apostolis, eorúmve successoribus de fidei mysteriis instructi, fidem concipiant, Dei docibiles, & à Deo docti dicuntur: verùm hæc gratia non est immediata aliqua facta ipsis à Deo reuelatio, qua Deus aliquid enunciet: quid autem sit, in eodem Tractatu disp. 4. explicatum est. III. IV.

SECTIO II.

An eadem reuelatio, vel Ecclesiæ, vel eius principibus, vt Apostolis, fieri debeat?

NEGANT Vega in Tridentinum libro 9. cap. 3. Catharinus Apologia de Iustificatione, & recentiores communiter, asserentes priuatas etiam reuelationes priuatis personis factas à Deo pertinere ad obiectum formale nostræ fidei, quorum sententia vera est: probatúrque primò ex Scriptura, Genesis enim 15. dicitur Abraham credidisse Deo promittenti filium, & reputatum ei fuisse ad iustitiam, quæ promissio fuit priuata priuatæ tunc personæ facta Dei reuelatio, cui credidit Abraham per eandem virtutem fidei, per quam nos modo assentimur rebus à Deo reuelatis, & per Apostolos, aut Ecclesiam nobis ad credendum propositis, vt constat ex Apostolo ad Romanos cap. 4. dicente similem à nobis fidem exigi, qualem habuit ille, reputandúmque nobis pariter ad iustitiam, vt & illi reputatum est, si quemadmodum ille Deo promittenti credidit, sic nos in Christum credamus. A V.

Probatur secundò ex Tridentino Concilio, sess. 6. can. 16. in quo percellitur anathemate, qui finalis perseuerantiæ donum se habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali Dei reuelatione didicerit. Quibus verbis supponit manifestè Concilium, posse priuatum aliquem specialem accipere à Deo reuelationem, quòd in finem vsque perseuraturus in gratia sit, & id credere ob reuelationem hanc, absoluta & infallibili certitudine: quæ sanè credulitas absolutæ & infallibilis certitudinis alia esse non potest, quàm eiusdem fidei per quam nos modò mysteria nostræ fidei credimus. B VI.

Probatur tertiò rationibus aliquot. Prima, non dubium quin potuisset Deus vnicum hominem vel Angelum creare, eúmque iustificare per eandem fidem, per quam modò nos iustificamur, tanquam per radicem & fundamentum nostræ formalis iustitiæ & sanctitatis: credidisset ergo vnicus homo ille, vel Angelus, aut saltem credere potuisset aliquid à Deo reuelatum, propter authoritatem Dei reuelantis, & quidem eadem fide qua modò credimus, reuelatio autem hæc priuata necessariò fuisset, & priuatæ personæ facta, vt patet. C VII.

Secunda ducitur ab exemplo fidei humanæ, per quam rebus ab homine reuelatis assentiri possumus propter ipsius reuelantis authoritatem, siue reuelatio eius nobis priuatim facta sit, siue publicè personis aliis, vel priuatis, vel publicis, per quas nobis innotuerit.

Tertia à priori hæc est. Si specialis reuelatio priuatim facta æquè potest, & eodem modo intellectúm mouere ad assentiendum rei reuelatæ, atque reuelatio facta Prophetis, vel Apostolis, vel Ecclesiæ, æquè pertinet ad obiectum formale fidei atque ista: sed æquè potest: ergo æquè pertinet. Consequutio Maioris euidens est ex iam dictis sæpius. Minor probatur ex eo quòd reuelatio Dei non mouet ad credendum absoluta & infallibili certitudine, quatenus est facta vel multis, vel vni, vel personæ publicæ, vel priuatæ, sed quatenus reuelatio Dei est, specialis autem priuatim facta reuelatio à Deo, tam habet quòd reuelatio Dei sit, quàm quæ multis, vt Ecclesiæ, vel personis publicis, vt Apostolis, facta est. D VIII.

Et sanè quòd reuelatio Dei non moueat ad credendum nisi quatenus reuelatio Dei est, patet hinc primùm, quòd dummodo constet reuelationem factam, esse verè Dei reuelationem,

ſtatim moueri poteſt noſter intellectus ad aſſentiendum propter authoritatem reuelantis, æquè autem id conſtare poteſt de reuelatione facta priuatim perſonæ alicui priuatæ, atque de ea, quæ vel Eccleſiæ, vel alicui eius principi facta eſſet: eadem enim habere poteſt motiua ſeu argumenta priuata illa perſona iudicandi certò & verè, reuelationem ſibi factam, eſſe veram Dei reuelationem, quæ habet vel Eccleſia, vel Eccleſiæ princeps idem de reuelatione ſibi facta iudicandi.

I. A

Patet ex eo deinde, quòd Apoſtolus Petrus, aut Paulus, exempli cauſa, credens per fidem rē ſibi reuelatam, propter acceptam ea de re à Deo reuelationem, non mouebatur haud dubiè ad credendum ab ea reuelatione, vt erat ſibi facta tanquam perſonæ publicæ ad fidelium omnium inſtructionem, ſed præcisè quatenus erat verè Dei reuelatio. Patet & hinc præterea, quòd reuelatio non mouet ad aſſentiendum rei reuelatæ propter authoritatem reuelantis, niſi quia connectit authoritatem eius cum re reuelata, perinde autem connectit quando verè reuelatio eſt, ſiue ſit priuatim facta, ſiue publicè, ſiue priuatæ perſonæ, ſiue publicæ.

II. B

Denique patet ex eo quòd ſicut is qui proponit & applicat quodammodo intellectui noſtro medium demonſtratiuum, non eſt formaliter ipſum motiuum quo mouetur intellectus ad ſcientificè aſſentiendum concluſioni per tale medium demonſtratæ, ſed motiuum illud eſt ipſum medium demonſtratiuum clarè cognitum, quod quandiu idem eſt, eodemque modo, nempe clarè, cognoſcitur, idem quoque ſemper & eiuſdem ſpeciei ſcientificus concluſionis aſſenſus elicitur, ſiue proponens & applicans illud medium ſemper idem ſit, ſiue non ſit: ita qui declarat nobis & oſtendit reuelationem aliquam eſſe verè Dei reuelationem, non eſt ipſum motiuum quo mouemur ad

III. C

aſſentiendum, ſed motiuum iſtud eſt Dei reuelatio, quæ proinde quandiu erit Dei reuelatio, tandiu nos ad rei reuelatæ per fidem aſſentiendum monebit: erit autem Dei reuelatio, ſiue proponens & declarans reuelationem hanc ſit Eccleſia, ſiue perſona vnica, & ſiue perſona iſta ſit publica, ſiue priuata.

SECTIO III.

An eadem reuelatio debeat eſſe de rebus ad communem totius Eccleſiæ doctrinam vtilitatémque pertinentibus?

IV. D

NEGANT iidem qui ſuperiori ſectione pro negante propoſitæ quæſtionis parte ſunt relati, probatúrque eorum ſententia primò authoritate Scripturæ, & Concilij Tridentini: huius quidem, quia ſeſſ. 6. can. 16. ſignificans poſſe priuatum quemlibet ex ſpeciali reuelatione ſibi à Deo facta credere certitudine fidei, ſe perſeueraturum in gratia in finem vſque, ſuffragatur haud dubiè neganti illi ſententiæ: hæc enim finalis perſeuerantia non eſt res ab omnibus fidelibus credenda, nec ad eorum communem vtilitatem pertinet: illius verò, quia Geneſis 15. refert Abrahamum credidiſſe Deo promittenti filium, & quidem per eandem fidem qua modò Chriſtianæ religionis myſteria credimus', vt ex Apoſtolo ad Roman. 4. ſuperiore ſectione probauimus: quæ res à Deo promiſſa, & ab Abrahamo credita, nec ad omnium fidelium vtilitatem, nec ad doctrinam ab iis omnibus credendam ſpectat.

V.

Probatur ſecundò ab exemplo fidei humanæ, per quam aſſentimur rebus quibuſlibet ab homine reuelatis, ſiue res illæ publicam, ſiue priuatam vtilitatem ſpectent, ſiue nullam.

Probatur tertiò hac ratione à priori: ſi reuelatio Dei de quacunque re æquè, & eodem modo, ſeu eadem certitudine mouere poteſt noſtrum intellectum ad aſſentiendum, atque reuelatio de re ad publicam vtilitatem, doctrinamque credendam ab omnibus pertinente, reuelatio illa æquè pertinet ad obiectum formale fidei, atque iſta: atqui æquè poteſt: quæ Minor probanda eodem modo eſt, quo ſuperiore ſectione Minor rationis à priori factæ probata eſt: quibus enim argumentis in ea probaui reuelationem Dei non mouere nos ad credēdum, quatenus eſt facta vel toti Eccleſiæ, vel

VI.

alicui eius Principi, ſed præcisè quatenus Dei reuelatio eſt, iiſdem euincitur, eandem reuelationem nec mouere nos ad credendum quatenus eſt de re hac aut illa, ſed præcisè quatenus reuelatio Dei eſt.

At contra doctrinam hac & præcēdente ſectione traditam, Obiicies primò, fidem noſtram eſſe, & appellari Catholicam ſeu vniuerſalem, quòd per eam credamus ea quæ omnibus ad credendum propoſita ſunt: & præterea quòd nitatur illa Dei reuelatione quæ fidelibus omnibus vel per Eccleſiam, vel per Eccleſiæ Doctores & Paſtores declaratur, & innoteſcit, qualis non eſt reuelatio quæ priuatæ perſonæ & priuata de re fieret.

VII.

Secundò, eandem fidem noſtram in Scriptura dici fundatam in Prophetis & Apoſtolis, quòd nimirum nitatur reuelatione ipſis facta: non ergo reuelatione facta cuilibet priuatæ perſonæ.

Tertiò D. Thomam infrà quæſt. 5, art. 3. docentem obiectum formale noſtræ fidei eſſe veritatem primam, ſecundùm quod manifeſtatur in Scripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ: ex quo concluditur, ſecundùm eius mentem, reuelationes alicui priuato factas, & de re aliqua priuata, non eſſe de obiecto formali fidei, cùm eæ nec in Scripturis ſacris, nec Eccleſiæ doctrina manifeſtentur.

VIII.

Ad primam obiectionem reſpondeo fidem noſtram dici quidem Catholicam, non ob priuatas aut priuatis de rebus factas à Deo reuelationes, ſed ob eas cauſas quæ in obiectione referuntur: at huic noſtræ fidei non eſſe quid eſſentiale, ſed merè accidentarium, quod ſalua eius natura integra poteſt adeſſe, & abeſſe, quòd Catholica ſit, & denominetur: quo fit, vt hinc concludi nequeat, ipſam ſpectatam ſecundùm eſſentiam niti non poſſe reuelationibus priuatim aut de re priuata factis, concludi autem ſolùm poſſit, eandem, vt Catholica denominatur, huiuſmodi reuelationibus niti non poſſe, quod vltro concedimus.

Ad ſecūdam dico eam dici fundatam in Prophetis & Apoſtolis, quatenus ſpectatur vt Ca-

tholica est, seu ratione doctrinæ communiter ab omnibus credendæ ob reuelationem factam à Deo Prophetis & Apostolis: quod non impedit, quin eadem fides secundùm essentiam spectata niti possit aliis reuelationibus.

I. Ad tertiam dico S. Thomam assignasse obiectum fidei nostræ prout Catholica est, seu prout in nobis ordinariè reperitur, in quibus non reperitur ordinariè, nisi vt Catholica est: vix enim priuatim factis reuelationibus per fidem assentimur, quia vel eiusmodi priuatæ reuelationes raræ sunt, vel rarò nobis sufficienter constat eas esse verè Dei reuelationes.

Obiicies quartò D. Augustinum contra epistolam fundamenti cap. 5. sic loquentem: *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret authoritas.* Respondeo S. Augustinum meritò illud dicere potuisse, quòd satis ipsi non constaret Euangelium pro Euangelio seu Dei verbo habendum esse indubitanter, nisi hoc Ecclesia Catholica sentiret & doceret: ex quo colligi nequit, per fidem qua Euangelio credimus non posse nos assentiri priuatim factis & de re priuata reuelationibus, modò sufficienter constet has reuelationes esse verè Dei reuelationes, sicut per Ecclesiæ Catholicæ authoritatem constat sufficienter illud quod Euangelium dicimus esse verè Euangelium, & Dei verbum.

II. Obiicies quintò communem esse Theologorum doctrinam, Deum ita Apostolos instruxisse, & per hos Ecclesiam, vt hæc iam nullis nouis indigeat reuelationibus, imò nec vllas nouas accipiat: non posse ergo fidem nostram niti nouis priuatim factis reuelationibus. Respondeo, quod Theologi communiter docent, esse, Ecclesiam ab ortu mundi semper profeciisse, accipiendo subinde nouas reuelationes de rebus quæ ab omnibus credendæ erant: nunc autem amplius sic non proficere, quòd per Christum

III. & Apostolos sufficienter instructa sit de rebus illis omnibus. Vnde etiam cùm Summus Pontifex & generale Concilium definire aliquid tanquam fidei dogma vult, nouam à Deo reuelationem non expectat, sed antiquas Scripturis & traditionibus contentas consulit, ex iisque rem definit. Quare cùm Theologi de tota Ecclesia solùm loquantur, non autem de priuata aliqua persona, non licet ex hac eorum doctrina concludere, non posse priuatum aliquem reuelationi sibi priuatim factæ per fidem diuinam assentiri: etsi enim nullæ amplius reuelationes toti Ecclesiæ fiant, non propterea nullæ fiunt priuatim personis aliquibus. Adde quòd etsi nullæ reipsa fierent, nihil contra nos haberetur, qui solùm dicimus fidem nostram huiusmodi reuelationibus niti posse, si fiant, vt

IV. haud dubiè fieri possunt.

Obiicies sextò, si priuatæ reuelationes ad obiectum fidei pertinerent, licitum fore cuique priuato dicere quibuis fide diuina credendum esse, sibique fuisse à Deo reuelatum, quod non parum fauet hæreticis nostri temporis priuato suo spiritui credentibus, & id quod ita credunt, se à Deo priuatim accepisse dicentibus. Respondeo licitum cuique hoc tantùm fore, nempe dicere id sibi à Deo reuelatum esse, quod reipsa reuelatum est, & prudenter iudicatur esse à Deo reuelatum: quod nihil fauet prædictis hæreticis, qui si dicunt aliquid fuisse sibi à Deo reuelatum, audiendi non sunt: Primò dum quod reuelatum dicunt aut fidei dogmatis, aut bonis moribus contrarium est. Secundò, si multa sibi & frequenter reuelata esse dicant, cùm priuatæ illæ reuelationes paucis & raro fiant. Tertiò, nisi argumentis iis probare possint reuelationem quam sibi factam dicunt, esse verè Dei reuelationem, quæ sufficienter & prudenter id persuadeant.

Obiicies septimò, Ecclesiam non fore regulam fidei, si præter ea quæ per Ecclesiam credenda, & à Deo reuelata proponuntur, aliquid ad fidem pertinere posset. At nego Ecclesiam non fore fidei regulam: non enim dicitur Ecclesia fidei regula, quòd nihil de fide sit, nisi quod per Ecclesiam tãquam reuelatum à Deo, & credendum omnibus proponitur, sed ob hanc primùm causam, quòd de lege ordinaria quæ fide diuina creduntur, iudicantur & declarantur ab Ecclesia esse à Deo reuelata, & credenda omnibus proponuntur. Deinde ob

V. hanc etiam alteram, quòd Ecclesiæ sit iudicare de quibuscunque etiam priuatis reuelationibus, vtrùm habendæ sint pro veris Dei reuelationibus, an secus.

Obiicies postremò, si priuatim facta reuelatio ad obiectum fidei spectaret, eum cui facta esset, obligatum iri ad rem reuelatam firma fide credendam, itaut si de ea dubitaret, hæreticus foret: quod tamen falsum est, cùm in Genesi Sara, & Lucæ primo Zacharias referantur dubitasse de veritate rerum per reuelationes priuatas reuelatarum, nec tamen hæretici propterea fuerint. Respondeo verè futurum hæreticum, seu peccaturum peccato infidelitatis, qui de re priuatim sibi à Deo reuelata dubitaret, pro certo habens, aut prudenter iudicans eam

VI. esse à Deo reuelatam, & eo ipso sensu esse reuelatam, quem verba sonant: quod non fecerunt Zacharias, & Sara: qui licet de re sibi priuatim reuelata dubitarint, Zacharias quidem, vt ex Euangelij textu patet: Sara verò, vt multi Patres interpretantur, risum, quo ad vocem Dei loquentis illa risit, ortum ex aliqua eius de re à Deo dicta dubitatione affirmantes, peccato tamen infidelitatis non peccarunt, eo quòd vel non satis, & quantum ad hoc peccatum requiritur, exploratum habuerunt factas sibi reuelationes esse à Deo: vel si habuerunt, dubitarunt, vtrum verba reuelationis eo in sensu accipienda essent, quem præ se ferebant: quod tamen cùm sibi persuadere prudenter possent, & deberent omni dubitatione reiecta, & ad hoc sufficientia motiua haberent, nec fecerint, aut tam citò fecerint, quàm debebant, leuiter peccaue-

VII. runt eo genere peccati, quod in Scriptura duricies & tarditas cordis ad credendum appellatur.

VIII.

SECTIO IV.

Vtrùm eadem reuelatio obscura esse debeat?

NOTANDVM est reuelationem dici posse obscuram, vel ex parte rei reuelatæ, vel ex parte reuelationis ipsius, & reuelatis: obscu-

ra est ex parte rei reuelatæ, quando per eam non repræsentatur euidenter intellectui res reuelata prout in se à parte rei est: vnde è contrario reuelatio euidens ex parte rei reuelatæ ea est, qua repræsentatur euidenter prout in se est: qualis est visio beatifica, quam dum Deus in beatorum mentibus efficit, seipsum verè reuelat illis, & euidenter manifestat prout in se est. Obscura autem ex parte reuelationis & reuelantis ea reuelatio dicitur, quæ nec euidenter prout in se est cognoscitur, & ex cuius cognitione non fit euidens, quis sit author reuelationis illius, vtrùm Deus, an aliquis alius? Vnde patet è contrario reuelationem eam euidentem esse ex parte reuelationis & reuelantis, quæ & euidenter prout est in se cognoscitur, & ex qua cognita, quocunque tandem modo cognoscatur, siue per propriam speciem, siue aliter, euidens fit, quis ipsius author sit.

I. A

His prænotatis, dico primò reuelationem Dei ad obiectum formale fidei nostræ pertinentem debere esse obscuram ex parte rei reuelatæ.

II. B

In hac assertione omnes conueniunt, eiusque veritas constat primò experientia, qua certum est nos diuinorum mysteriorum quæ per fidem credimus non habere notitiam euidentem prout in se sunt: imò nullius rei fide siue diuina siue humana creditæ, quatenus per fidem cognoscitur. Vnde si alicuius rei quam fide credimus euidentem cognitionem habemus, vt immortalitatis animæ, & existentiæ Dei, non habemus per fidem, sed per genus aliud cognitionis. Constat secundò, eo quòd fides nostra omnium consensu dicitur esse essentialiter obscura, eo solùm vel potissimùm nomine, quod per eam euidens rei creditæ prout in se est cognitio non habeatur: quæ sanè essentialiter obscura non esset, imò esset essentialiter euidens, si reuelatione, tanquam motiuo & obiecto formali niti deberet, per quam res reuelata euidenter prout in se est cerneretur.

III.

Propter hanc essentialem ex parte rerum reuelatarum nostræ fidei obscuritatem Apostolus ad Hebræos 11. fidem definit, *argumentum non apparentium*, id est, rerum quarum veritas non apparet, seu euidenter non cognoscitur: & primæ ad Corinth. cap. 13. dicit fide nos videre per speculum in ænigmate, id est, obscurè. Ob eandem causam sancti Patres cognitionem quam per fidem habemus, aliquando scientiæ & visioni, quoniam hæc & illa euidens est, opponunt, aliquando ignorantiam appellant: vt Iren. lib. 2. cap. 2. sic scribens: *Melius est nihil scire, & credere Deo.* Augustin. Tract. 40 in Ioan. *Quid est fides? credere quod non vides.* Et Hilarius octauo de Trinitate procul ab initio sic loquens: *Habet non tam veniam, quam præmium, ignorare quod credas.*

IV.

Ratio autem à priori est, quòd proprium sit omni fidei, siue diuinæ, siue humanæ, siue infusæ, siue acquisitæ, eo ipso quo fides est, niti motiuo rei quæ creditur prorsus extrinseco, nempe testimonio & authoritate reuelantis: quod motiuum cùm sit extrinsecum rei creditæ, quocunque demum modo à nobis illud cognoscatur, non potest deducere nos in eam rei creditæ cognitionem, quo hæc euidenter prout in se est cognoscatur: hæc enim euidens cognitio tum solùm habetur, cùm aut res immediatè in seipsa, vt per propriam speciem cognoscitur: aut in aliquo medio viso, in quo eius quidditas eminenter continetur, quidditatiuè videtur: aut cùm ex aliquo medio euidenter cognito necessariam & intrinsecam ex ipsius naturæ principiis cùm ea connexionem habente infertur, quo modo conclusionis scientificè cognitæ cognitio euidens esse dicitur.

V.

Neque opponas primò S. Thomá hîc quæst. 1. art. 6. ad 2. dicentem non visum pertinere ad rationem formalem fidei ex parte nostri, non ex parte rerum credibilium. Secundò, obscuritatem aliud nihil esse formaliter quàm negationem euidentiæ, negationem autem non posse esse essentialem fidei, vt pote enti reali. Ne inquam id opponas, D. enim Thomas fauet nobis eo loco potiùs quàm aduersatur: nam solùm vult res quas fide credimus, secundùm se quidem non esse obscuras, sed potiùs euidentes, id est, habere veritatem obiectiuam quæ secundum se est euidenter cognoscibilis: esse tamen obscuras ex parte nostri, id est, quatenus à nobis creduntur, propter authoritatem Dei reuelantis: quod dicere, aliud nihil est quàm dicere, fidei assensum innixum illi motiuo rei creditæ prorsus extrinseco esse obscurum, id est, per eum non cognosci euidenter rei quæ creditur veritatem. Neque verò dum dico hunc fidei assensum esse essentialiter obscurum, volo ipsam formaliter negationem euidentiæ esse illi essentialem: sed tantùm volo, necessarium & essentialem fidei modum quo in obiectum creditum tendit, qui modus est propter authoritatem reuelantis, esse talem, vt non possit non esse fidei coniuncta inseparabiliter negatio euidentiæ ex isto motiuo, vtpote ex quo nulla in fidem euidentia rei per eam cognitæ deriuari potest.

VI.

Dico secundò, non esse necessarium, reuelationem esse obscuram ex parte reuelationis & reuelantis, sed posse circa rem reuelatam exerceri actum fidei, etiamsi reuelatio euidenter cognosceretur, & ex ea cognita euidens esset Deū esse illum qui reuelat. Ita contra Bannem quæst. 5. art. 1. sentiunt Caiet. quæst. 1. art. 4. & Ferrar. 3. contra gentes cap. 40. & plerique recentiores. Probatur in primis ex D. Thoma quæstionis 5. art. 2. docente intellectum conuictum & manifestè cognoscentem aliquid à Deo esse reuelatum, non impediri ex hac reuelationis & reuelantis euidentia, quo minus credat per fidem rem reuelatam, dummodo ipsius rei reuelatæ non habeat simul euidentiam: ex qua tamen absque dubio impediretur quo minus crederet, si necessarium esset reuelationem qua fides nititur, semper esse obscuram ex parte reuelationis ipsius, & reuelantis.

VII. C

Probatur secundò ex eo quòd in Angelis viatoribus, communi Theologorum cōsensu, fuit eiusdem rationis fides, & habitualis, & actualis, cum ea quæ in nobis est: in quibus tamen omnibus, aut in quorum saltem vno, nempe omnium supremo, nitebatur illa, tanquam motiuo, reuelatione, quæ erat euidens ex parte reuelationis, & reuelantis: supremus enim Angelus credendorum mysteriorum reuelationem immediatè à Deo accipiens, sciénsque vna quidem ex parte naturali lumine & euidenter

VIII. D

intellectum suum non posse ex necessitate immutari ab vlla creatura, sed à solo Deo: ex altera verò euidenter cernens factam esse in intellectu suo immutationem, & immissas in eum certas cogitationes sibi non liberas, de mysterio præsertim Trinitatis, cuius omnes Angeli reuelationem acceperunt, vt communiter Theologi docent, quod quidem mysterium sibi naturaliter in mentem venire non posse cognoscebat euidenter: sanè ex iis certò & clare colligebat Deum esse authorem reuelationis. Cuius argumenti vis patet ex iis quæ disp. 2. sect. 1. sub finem dicta sunt.

I.

Probatur tertiò ab exemplo diuinæ authoritatis, quæ cum externa Dei reuelatione constituit vnum adæquatum motiuum & obiectũ formale quo fides nititur, vt suprà docuimus: si enim hæc diuina authoritas potest nobis esse vel naturæ lumine, vel aliunde nota euidenter, & cum hac euidentia, quòd Deus nec possit falli, nec fallere, si per fidem possumus rei reuelatæ assentiri propter hanc ipsam authoritatem sic euidenter cognitam, quare pari iure, si externa reuelatio, quæ est altera pars prædicti obiecti & motiui adæquati, sit nobis euidenter nota, non poterimus per fidem assentiri rei reuelatæ, propter ipsam reuelationem sic euidenter cognitam?

II.

Nec dicas, si sit euidens Deum nec falli posse, nec fallere, reuelationem debere necessariò esse ineuidentem, alioqui futurum, vt assensus fidei qui niteretur hac reuelatione & authoritate euidenter cognitis esset euidens, cùm tamè sit essentialiter obscurus. Ne, inquàm, id dicas: hinc enim tantum inferri potest, quòd dum reuelatio erit euidens, diuina authoritas non debebit esse nota euidenter, ne fidei assensus, qui essentialiter obscurus est, sit euidens: at inferri nequit fidem diuinam niti non posse reuelatione quæ sit euidens, quod possibile esse hic tantum contendo. Vtrum autem nequeat fidei assensus niti authoritate Dei & reuelatione euidenter cognitis, ex paulò pòst dicendis intelligetur.

III.

Probatur postremò hac ratione à priori. Reuelatio Dei non pertinet ad obiectum formale fidei, nisi prout Dei reuelatio est: atqui reuelatio euidenter nota reuelatio Dei est. Maiorem probo primùm, quia reuelatio Dei non pertinet ad obiectum illud, nisi quatenus est motiuum quo mouetur intellectus ad credendum: non est autem eiusmodi motiuum, nisi quatenus Dei reuelatio est, vt sect. 2. disputationis huius fusè probatum est. Necessarium quidem est vt reuelatio Dei moueat ad credendum eam cognosci vel obscurè, vel euidenter: at hæc aut illa reuelationis cognitio est tantummodo conditio necessariò prærequisita, non verò ipsum formale motiuum quo ad assentiendum mouemur: quis enim nostrûm se supra se reflectens, aut interrogatus, cur propositioni reuelatæ per fidem assentiatur, non animaduertat, & respondeat se ideo solùm assentiri, quia Deus prima veritas reuelauit? quod verum est, & æque verum, siue reuelatio sit euidenter nobis cognita, siue obscurè.

IV.

Eandem Maiorem probo secũdò ex eo quòd authoritas diuina pertinet ad obiectum formale fidei, & ad credendum mouet, non prout euidenter aut obscurè cognoscitur, sed prout est præcisè diuina authoritas: quocunque enim modo cognoscatur, est omnium consensu formale obiectum seu motiuum nostræ fidei: ergo & pari iure reuelatio Dei prout præcisè reuelatio Dei est, & non quatenus hoc vel illo modo cognoscitur, ad obiectum formale fidei eiúsque motiuum pertinebit: nulla enim est potior vnius quàm alterius ratio, cùm vna, sicut & altera, sit pars vnius obiecti formalis & motiui, cùm vtraque ad assentiendum per fidem intellectum moueat, & ad hoc, vtriusque cognitio aliqua tanquam conditio necessariò præuia requiratur.

A

V.

Postremò hinc eandem probo, quòd si reuelatio Dei, vt præcisè reuelatio eius est, non est obiectum formale fidei, sanè ideo non est, quia non reuelatio præcisè, sed cognitio reuelationis ad credendum mouet, itavt hæc cognitio non tantùm sit cõditio, sed ipsum partiale motiuum: at etiamsi ita esset, adhuc tamen niti posset fides reuelatione quæ cognosceretur euidẽter: quod ostẽdo primùm à simili ex ipsa authoritate diuina: si enim non reuelatio præcisè, sed cognitio reuelationis motiuum fidei est, quia nisi cognoscatur reuelatio, non mouet ad credendum: non præcisè quoque diuina authoritas, sed cognitio huius authoritatis motiuum fidei erit, quia etiã hæc authoritas, nisi cognoscatur, ad credendum nõ mouet: sicut ergo authoritas hæc cognita siue obscurè. Siue euidenter, est, omnium consensu, formale obiectum motiuúmque nostræ fidei: ita etiam erit reuelatio cognita siue euidenter, siue obscurè, quantuncumque dicatur cognitio eius de formali fidei obiecto esse, sicut & authoritatis diuinæ cognitio.

B

VI.

Ostẽdo secũdò ex eo quòd si cognitio reuelationis est motiuũ fidei, & non præcisè reuelatio vt reuelatio est, cognitio reuelationis erit motiuum, vel præcisè quatenus cognitio eius est, vel etiã quatenus talis cognitio est, id est, obscura & ineuidẽs. Si primum dicitur, habemus intentũ: cùm enim cognitio reuelationis euidens tam sit eius cognitio, quàm eiusdem obscura cognitio, tam illa quàm hæc ad motiuum & obiectũ formale fidei pertinebit. Secundum autem dici nõ potest, tum quia pari iure dicendum esset cognitionem authoritatis diuinæ non esse motiuum, nisi quatenus obscura cognitio est, & sic dum euidenter authoritas illa cognoscitur, eam non posse esse nostræ fidei motiuum seu obiectum formale, quod omnibus repugnat: tum quia tãtum abest vt quis moueatur ad assentiẽdum rei reuelatæ propter cognitionem reuelationis vt obscura cognitio est, vt hinc potiùs reuocetur ab assensu illo: sicut ab obscuritate cognitionis qua cognoscitur Deus esse talis, vt nec falli possit nec fallere, reuocaremur potiùs ad credendum quidpiam propter authoritatem diuinam, quàm prouocaremur: tum denique quia nemo interrogatus cur veram iudicet rẽ à Deo reuelatam, qua quæstione motiuum istius iudicij quæritur, respondebit vnquam, se ad hoc iudicandum moueri, eo quòd Deus qui est prima veritas illud reuelauit, & hanc eius reuelationem cognoscit obscura cognitione. Quod

C

VII.

D

VIII.

certissimo

certissimo argumento est, vel cognitionem reuelationis non esse motiuum assensus, sed tantùm conditionem: vel si motiuum est, non esse, quatenus est talis vel talis cognitio, id est, obscura, vel euidens, sed quatenus in genere est prudens & certa cognitio, qua prudenter & certò iudicatur Deum illud reuelasse: quod æque conuenit in cognitionem reuelationis euidentem, atque in eam quæ obscura est. I.

Atque hinc intelligitur, posse nos per fidem assentiri rei reuelatæ propter authoritatem Dei reuelantis, etsi nobis euidens sit hæc reuelatio, simúlq. notum euidenter Deum nec falli posse, nec fallere, cùm fidei assensus non nitatur, vt probaui, tanquam motiuo, cognitione huius & authoritatis & reuelationis, sed hac ipsa reuelatione & authoritate, hócque motiuum totum adsit, dum cognoscitur siue euidenter, siue obscurè.

Neque opponas primò, fidei assensum qui nitatur reuelatione & authoritate Dei euideter cognitis fore euidentem, cum tamẽ sit essentialiter obscurus: quia quidquid ex duobus veris II. euidenter notis verum esse constat, illud verum esse euidenter cognoscitur, vt patet ex omni conclusione, cuius veritas est euidens, quando ex duabus præmissis euidenter notis bene infertur: res autem reuelata cognosceretur vera ex duobus veris euidenter notis, nempe ex authoritate diuina, de qua, vt supponimus, euidens esset, quòd nec falli possit, nec fallere: & ex reuelatione, de qua item cognosceretur euidenter eam à Deo esse, vt supponimus. Ne, inquam, id opponas: tunc enim tantùm res cognosci dicitur euidenter, & assensus ei tanquam veræ datus euidens dicitur, quando res illa vel immediatè in seipsa per propria speciem, aut aliquid instar huius speciei cognoscitur, vel in aliquo alio in quo quidditatiuè eminenter continetur, vt creaturæ in Deo: vel ex aliquo medio euidẽter noto, ita vt & ipsum medium, & simul huius ipsius medij cognitio, sit motiuum assensus qui datur rei quæ euidenter cognosci dicitur: quo pacto conclusionis assensus euidens est, quando illa ex præmissis euidenter notis recte deducitur: quod enim nos mouet ad illi assentiendum, non est ipse præcisè medius terminus, in Maiori & Minori cum duobus extremis à parte rei connexus, sed ipsa quoque euidens cognitio huius connexionis, seu, quod idem est, assensus euidens eidem Maiori & Minori datus: at per assensum fidei neque res quæ creditur, cognoscitur euidenter immediatè in seipsa, vt cõstat, neque in aliquo medio in quo quidditatiuè eminenter contineatur, vt æque certum est, nec denique ex aliquo alio euidenter noto, ita vt & istud aliud, & eius euidens cognitio sit motiuum assensus. Docui enim expresse assensum IV. qui datur rei reuelatæ propter authoritatem Dei reuelantis nullo alio motiuo niti, quàm diuina ipsa authoritate & reuelatione, non autem euidentia seu euidenti cognitione huius & reuelationis, & authoritatis.

Neque opponas secundò, reuelationem quæ credi non potest, non posse esse obiectum formale fidei, eam autem quę euidens est credi non posse. Etsi enim credi non possit per eum actum formaliter quo euidẽter cognoscitur, forte tamen credi per alium posset, si nimirum non repugnet actum scientiæ qui euidens est, & fidei circa eandem rem simul exerceri: de quo quid sit sentiendum dicemus postea: siue autem credi possit, siue non, dico nihilominus posse esse obiectum formale fidei: ad hoc enim non requiritur vt sit id quod credatur, sed vt sit id quo aliud credatur: potest autem aliquid quod nde vel humana vel diuina non creditur, sed aliunde verum esse cognoscitur, esse motiuum quo quidpiam aliud per fidem vel humanam vel diuinam creditur, quod ex sequentibus magis constabit. V.

DISPVTATIO IV.

Quodnam sit obiectum materiale fidei?

DIco primò, fidei materiale obiectum adæquatum nõ esse solum Deum. Patet: sicut enim quidquid per alicuius scientiæ habitum scitur, est illius scientiæ obiectum materiale adæquatum: ita quidquid per habitum fidei, & propter authoritatem Dei reuelantis creditur, est fidei materiale adæquatum obiectum: per hunc autem fidei habitum alia multa præter Deum propter Dei reuelantis authoritatem creduntur. VI.

Dico secundò, partiale fidei materiale obiectum esse tam Deum, quàm quiduis aliud seorsim acceptum, quod creditur propter authoritatem Dei reuelantis. Patet assertionis veritas ex ipsa voce & significatione obiecti partialis.

Dico tertiò, primarium fidei materiale obiectum esse Deum, & quidem sub ratione Deitatis: quòd Deus sit primarium obiectum hinc clarum est, quòd inter omnia quæ diuina fide creduntur, Deus est ens omnium præstantissimum: quòd verò etiam sub ratione Deitatis, eadem ratione cernitur: ex omnibus enim quæ de Deo credimus, & quæ ab ipso cum fundamento in re virtute distinguimus, diuinitas, vt diuinitas est, primum dignitatis locum obtinet, non modò, quia diuinitate nihil potest esse præstantius, sed etiam quia hæc est prima radix & origo omnium attributorum virtute solum à diuinitate distinctorum quæ Deo tribuimus, & per diuinam fidem de ipso credimus. VII.

Dico quartò, fidei materiale obiectum attributionis, vt vulgò loquuntur, esse Deũ sub ratione Deitatis: quòd Deus sit attributionis obiectum, hinc patet, quòd cætera omnia quæ sub fidem cadunt, non nisi per ordinem & respectum aliquem ad Deum in eam cadunt, habita ratione finis in quem data est hominibus à Deo fides, habita item ratione naturæ fidei ipsius. Primùm enim finis cuius gratia Deus ea quæ reuelauit credi à nobis voluit, est nostra fruitio Dei, quæ circa Deum tanquam obiectum versatur, in eóque tanquam in vltimo, quo nihil datur vlterius, sistit. Deinde cùm fides sit natura sua fundamentũ iustificationis, & per consequens æternæ beatitudinis in prædicta fruitione consistentis, patet ex natura fidei esse, VIII

vt hæc aliquo modo ad Dei fruitionem,& proinde ad Deum ipſum referatur, & conſequenter etiam vt quæcunque per fidem creduntur, tam per ordinem ad eandem Dei fruitionem & Deum ipſum ex natura rei credantur, quàm ex natura ipſius fidei eſt vt ſit fundamentum iuſtificationis, & per conſequens præfatæ beatitudinis. I. A

Atque hæc & illa ratio ex fine in quem data eſt à Deo fides hominibus,& ex natura fidei deſumpta, probat etiam Deum ſub ratione diuinitatis eſſe obiectum attributionis fidei,cùm diuinitas,vt diuinitas eſt,ſit id quod per prædictã fruitionem Dei attingitur,& poſſidetur,ac proinde ſit id in quod tanquam in finem fides hominibus à Deo data eſt, & in quod ex natura ſua fides,omniáque quæ per fidem creduntur, quatenus per eam creduntur,referuntur. Ex his facile eſt intelligere D. Thomam hîc [illegible] 1. qu. 1. duo dicentem, quorum vnum eſt, Deum ſolum non eſſe obiectum fidei : Alterũm, Deum ſolum eſſe quodammodo fidei obiectum, eo quòd cætera omnia quæ ſub aſſenſum fidei cadunt ſub eum non cadunt,niſi ſecundùm quod II. B habent aliquem ordinem ad Deum : dum enim primum illud aſſerit,tantùm vult,Deum ſolum non eſſe fidei materiale obiectum adæquatum : dum verò ſecundum iſtud affirmat,vult Deum eſſe fidei obiectum attributionis.

Dico quintò,quodlibet obiectum materiale fidei æquè ad fidem pertinere, id eſt, æquè per fidem diuinam credi poſſe : quidquid enim æquè participat rationem formalem alicuius habitus æquè attingitur ab illo habitu,cùm ab eo non attingatur niſi ob illam rationem formalẽ: quodlibet autem obiectum materiale fidei æquè participat formalem fidei rationem, cùm quodlibet hoc communiter habeat,vt à Deo reuelatum ſit,& æqualiter repugnet Deum in vna re atque in alia aut falli, aut fallere.

III. Nec dicas primò,vnum poſſe eſſe magis reuelatum à Deo quàm aliud,vt ſi Deus aliquid expreſsiùs dicat,& ſæpius,quàm quidpiam aliud: nihil enim hoc refert: nam aſſenſus noſtræ fidei non nititur tanquam motiuo ſeu obiecto formali veritate prima reuelante per reuelationem vt tam expreſſa & clara, aut vt iterata reuelatio eſt, ſed præcisè vt reuelatio eſt : ideo enim aſſentimur per fidem, quia Deus veritas prima reuelauit. C

Nec dicas ſecundò, eſſe quædam fidei noſtræ myſteria,in quorum confirmationem plura & maiora miracula patrata ſunt, quàm in quorundam aliorum: non enim propterea myſteriis illis per fidem magis aut certiùs aſſentiri poſſumus quàm aliis, cùm ratio eis aſſentiendi non ſint illa miracula, ſed ſola veritas prima reuelans,quæ eſt etiam ratio aſſentiendi myſteriis IV. D fidei per miracula minùs confirmatis. Quare fit quidem per plura illa miracula, vt clariùs & certius appareat nobis veritas prima reuelans applicata myſteriis reuelatis, & ita per miracula confirmatis : at non fit, vt myſteria hæc magis participent formalem obiecti fidei rationem, quæ alia non eſt quàm veritas prima reuelans, quæ eadem participatur ab aliis omnibus myſteriis reuelatis.

Nec tertiò dicas,experientia conſtare, eos qui fidem ſuſcipiunt ſentire pleruncque minorem difficultatem, vt vni rei reuelatæ dent aſſenſum, quàm alteri : hoc enim verum eſt, orituque vel ex eo quòd aliquando certius& clarius eſt de re vna quàm de altera,quòd à Deo reuelata ſit, intellectuſque ad hoc ſibi perſuadendum de re vna potiùs quàm de altera,plura, clariora, & efficaciora argumenta habeat, vel ex eo quòd quarundam rerum reuelatarum veritas per ſe naturæ lumine cognoſcibilis eſt, minuſque naturalem noſtram rationem tranſcendit, quàm quarundam aliarum quæ naturali lumine cognoſci nequeunt,omnémque naturalem rationem longè excedunt, quæ proinde vt à nobis per fidem diuinam credantur,abneganda nobis eſt omnis noſtra naturalis ratio,& , vt Apoſtolus 2. ad Corint. 10. loquitur, captiuandus in obſequium Chriſti intellectus,quod in illis aliis rebus reuelatis credendis faciendum non eſt. At quamuis hoc verum ſit,non ideo tamen vna res reuelata plus aut minus credibilitatis per fi[illegible] diuinam accipit à veritate prima reuelante [illegible] alia, aut qui per hanc fidem credit,magis e[illegible] ius fidei habitu inclinatur ad vnam creden[illegible] quàm ad aliam ,magiſve certò & firmiter [illegible] quàm alteri per fidem aſſentitur , quandoquidem eſt ſemper eadem veritas prima reuelans, rebus omnibus reuelatis credibilitatem per fidem tribuens,tantam,quantam poteſt: & quidquid vel per habitum vel per actum fidei creditur,non niſi propter authoritatem primæ veritatis reuelantis creditur : cui æquè repugnat in paruis ac in magnis, in myſteriis naturæ lumine non cognoſcibilibus, atque in iis quæ per hoc lumen cognoſci poſſunt,aut falli,aut fallere. V. VI.

Cæterum etſi ſenſu prædicto omnis & quælibet fidei materia æquè ad fidem pertineat, aliquo tamen alio ſenſu verè dici poteſt aliqua magis ad eam pertinere quàm alia: iſto nimirum quòd & ſpectato fine fidei,& conſideratis intellectus noſtri viribus,magis vtilis,aut neceſſaria fuit quarundam rerum quàm aliarum reuelatio & cognitio per fidem. Cùm enim finis fidei ſit perducere hominem in æternam beatitudinem, magis autem ad hunc finem requiratur & conducat quarundam rerum cognitio, quàm multarum aliarum, vt conſtat, certè ſpectato fidei fine magis vna quàm alia ad fidem pertinet: cũque ex veritatibus reuelatis aliquæ per naturales intellectus noſtri vires cognoſci poſſint,aliæ non poſſint,ſane,ſpectatis his naturalibus viribus, oportuit aliquas reuelari potiùs quàm alias,eas nimirum,quæ ſi non reuelarentur,à nobis minimè cognoſcerentur. VII.

Atque hinc intelligitur quo ſenſu dicat ſanctus Thomas art. 6. ad 1. & art. 7. in corpore, eſſe nonnulla quæ per ſe pertinent ad fidem, nimirum ea quæ ſunt maioris momenti, & alia quæ per accidens,nempe minutiora. Vocat enim minutiora, non quòd minùs participent formalem obiecti fidei rationem,quàm quælibet alia: dicitq. per accidens ad fidem pertinere, non quòd proprium & per ſe munus fidei non ſit iis æque firmiter aſſentiri,atque quibuſcunq.aliis, ſed quia ſpectato fine fidei,qui eſt perducere hominem ad iuſtificationẽ,& hac mediante ad viſionem ac fruitionem Dei ſicut eorum cognitio minùs ad hunc finem conducit, ita & minùs ad VIII.

fidem pertinet: spectata semper fide præcisè secundum finem hunc, in quem & ex Dei ordinatione, & ex rei quoque natura refertur.

DISPVTATIO V.

Vtrùm vna eadémque res ad obiectum fidei materiale & formale pertinere posſit?

SECTIO PRIMA.

Pars affirmatiua defenditur.

I. A

CVM ex suprà dictis constet obiectum formale fidei adæquatũ esse veritatem primam reuelãtem, certum ex consequẽti est, illud omne quod nõ est vel veritas prima, vel reuelatio, non posse simul esse de obiecto materiali & formali fidei: atque si quid de vtroq. simul esse potest, illud esse necessariò vel veritatem primã, vel reuelationem. Neque verò dubitari potest quin hæc & illa ad vtrũq. simul pertinere possit: pertinet quidem ad formale, vt cõstat ex suprà dictis, ad materiale verò, cùm obiectum materiale fidei sit id quod diuina fide creditur, hac autem fide credere possimus Deũ esse veritatẽ primã, possimus item credere ipsam reuelationẽ: nam potest perinde Deus reuelare nobis se esse veritatem primam, & se iam quidpiam reuelasse, atq. cætera omnia quæ reuelat.

II. B

Vbi tamen hoc discrimen inter veritatem primã & reuelationẽ est, quòd dum veritas prima de Deo tanquam obiectum materiale creditur propter ipsam veritatem primam reuelantem, eadem numero res, eadẽ nimirũ veritas prima,

III. C

est & id quod creditur, & id quo creditur, ac proinde obiectum materiale & formale simul: at verò cùm reuelatio qua Deus reuelauit, exẽpli causa, se esse trinum in personis, creditur tãquam obiectum materiale propter veritatem primã reuelantem, ea reuelatione qua Deus expresè dicit se aliàs reuelasse quòd trinus sit, nõ est eadem numero reuelatio quæ est obiectum materiale & formale fidei simul, respectu eiusdem. Nam reuelatio qua reuelata est Trinitas personarum in diuinitate est obiectum materiale fidei, dum hæc reuelatio fide diuina creditur: illa verò reuelatio propter quam tanquam motiuum & obiectum formale ista prædictæ Trinitatis reuelatio creditur, non est hæc ipsa numero reuelatio, sed alia noua, per quam, vt supponimus, Deus expresè reuelauit, quòd alias

IV. D

reuelarit se esse trinum in personis.

Dixi, respectu eiusdem: nam respectu diuersorum eadem numero reuelatio est obiectum materiale & formale fidei simul: reuelatio enim qua reuelata est Trinitas, est obiectum formale respectu Trinitatis quæ propter hanc ipsam reuelationem creditur: eadémque numero reuelatio est obiectum materiale quod creditur respectu prædictæ illius alterius nouæ reuelationis. Vtrùm autem vna eadémque numero reuelatio, quæ est id quo tanquam motiuo seu obiecto formali aliquid, vt Trinitas, creditur, possit etiam esse id quod creditur, non propter aliã reuelationem, sed propter seipsam tanquã formale obiectum seu motiuum, non parua difficultas est. Cuius faciliùs intelligendæ gratia, sumẽda est vltima reuelatio qua Deus aliquid reuelauit, & de hac quærendum, vtrum non modò res reuelata possit propter ipsam credi, sed etiam ipsa credi possit? quòd si potest, credetur haud dubiè, aut credi poterit propter seipsam, nõ verò propter aliam reuelationem per quam reuelata sit, cùm vltima reuelatio no possit esse reuelata per vlteriorem reuelationem, alioquin vltima non esset. Et aduerte quòd quidquid de hac vltima reuelatione statuetur, erit de quacunque alia seorsim & solitarie accepta sentiendum, cùm vnius & omnium quoad hoc vna eadémque ratio sit. V.

Iam de proposita quæstione affirmant omnes communiter illã vltimam reuelationem, ac proinde quamlibet seorsim acceptam esse id quod per fidem tanquam obiectum materiale creditur, aut credi potest; vnus aut alter duntaxat recentior est qui negat, aitq. non posse sic credi, nisi expresè per nouam aliam reuelationem reueletur. Ex authorib. autem partis affirmatiuæ sunt qui sentiunt, quoties propositio aliqua reuelata per fidem creditur, toties eodem numero actu credi quoq. reuelationẽ ipsam, ita vt cùm quis propter authoritatem diuinam reuelantem assentitur huic propositioni, Deus est trinus, credat simul reuelationem ipsam, id est, per fidem eodem actu iudicet Deum reuelasse se esse trinum, sícq. reuelatio simul sit & id quod creditur, & id quo Trinitas personarum de Deo creditur. VI.

SECTIO II.

Hæc istorum affirmatiuæ partis authorum sententia refellitur. VII.

AT hæc eorum sententia refellitur. Primò, quia contrarium quotidiana experientia constare videtur: qui enim credit, exẽpli gratia, Deũ esse trinum in personis, id tantum credit quod per assensum fidei iudicat, & tanquã prædicatum cum subiecto connectit: at experientia constat plerunq. accidere, vt qui credit Deum esse trinũ, nihil aliud per assensum fidei iudicet, & tanquã prædicatũ cum subiecto connectat, quàm Trinitatem cum diuinitate: quòd si simul ipsam reuelationẽ crederet, simul quoq. iudicaret, & tanquã prædicatum cum subiecto cõnecteret reuelationẽ cum Trinitate, id est, non tantùm iudicaret Deum esse trinum, in quo iudicio Deus est subiectum, Trinitas prædicatum, sed etiã iudicaret quòd Deus trinus sit esse reuelatũ: in quo iudicio subiectũ est, quòd Deus trinus sit, prædicatũ verò, esse reuelatum: quod, vt dixi, non semper fieri per fidem, cùm per fidẽ iudicatur Trinitas ineſſe diuinitati, notũ experiẽtia arbitror: qua, etiãsi constaret simul cum Trinitate quę de Deo creditur, credi reuelationem, non propterea vtrumq. eodem actu crederetur: imò tã essent, aut saltem esse possent diuersę numero propositiones mentales, seu quod idem est, diuersi numero fidei actus, quàm hæ vocales propositiones diuersæ numero sunt, Deus est VIII.

Trinus, Deus se esse trinum reuelauit.

Refellitur secundo hoc argumento. Si quæ ratio est asserendi eodem actu quo res reuelata creditur, credi quoque ipsam reuelationem tãquam id quod creditur, sanè ista est, quòd reuelatio sit motiuum credendi rem reuelatam, non

I. possit autem esse tale motiuum, nisi eodem actu credatur quo res reuelata creditur: at hæc ratio nulla est. Primò, quia si valeret, oporteret quoque eodem actu credere veritatem primam, seu Deum nec falli posse, nec fallere: prima enim veritas est æquè saltem motiuum credendi rem reuelatam, atque reuelatio, hoc autem non esse necessarium constare videtur experientia: quis enim non experitur, dum, exempli causa, credit Deum esse trinum in personis, se actu illo quo hoc credit, nihil aliud per fidem iudicare seu affirmare, quàm personarum trinitatem de Deo? quod sanè affirmare, non est affirmare Deum esse veritatem primam: imò quamuis experientia constaret eodem tempore quo per fidem creditur de Deo personarum trinitas,

II. credi quoque per fidem quòd Deus prima veritas sit, non ideo tamen esset existimandum, ista semper & necessariò credi eodem numero actu: possent enim esse tam diuersi numero actus fidei, quàm vocales hæ propositiones diuersæ numero sunt, Deus est in personis trinus: Deus est prima veritas.

Secundò, quia si motiuum credendi rem reuelatam debet eodem actu credi quo hæc ipsa res, pari iure motiuum assentiendi scientificè conclusioni, debebit eodem actu cognosci, quo ipsa conclusio: cur enim quod mouet ad sciendum poterit ad hoc mouere, etsi eodem actu quo conclusio scitur non cognoscatur, quod autem mouet ad credendum rem reuelatã mouere ad hoc non poterit, nisi eodem actu credatur, quo res reuelata creditur? At non debere motiuum sciendi conclusionem cognosci eodẽ

III. actu quo conclusio scitur, patet: motiuum enim assensus scientifici qui datur cõclusioni est assensus præmissarum, certum autem est nõ eodem actu quo datur assensus scientificus cõclusioni cognosci motiuum talis assensus, quod est maior & minor propositio, & assensus vtrique propositioni datus, sed illo actu cognosci tantùm consequens quod in conclusione ponitur.

Imò, quod obseruatione dignum est, si eodẽ actu quo scientificus conclusioni datur assensus, simul de assensu præuio præmissarum, & de earum veritate iudicaret iutellectus, motiuum tamen assentiendi scientificè conclusioni non esset illa cognitio veritatis præmissarum & assensus eis antea dati, quæ esset idem numero actus cum scientifico conclusionis assensu, sed

IV. ipse præuius præmissarum assensus distinctus ab assensu conclusionis, quo moueretur intellectus ad illũ cõclusionis assensum. Ex quo colligitur, quòd etsi eodẽ numero actu & res reuelata crederetur, & reuelatio, nõ propterea tamen reuelatio per hunc eundem actum credita esset motiuum credendi rem reuelatam, sed potiùs esset, quatenus cognita per præcedentem aliquẽ actum & assensum, siue is fidei sit, siue non. Et ratio est, quia quod mouet, & quodammodo allicit intellectum ad actum aliquem seu assensum exercendum, & non mouet ad hoc nisi cognoscatur, non potest esse ipse actus qui exercetur, nec proinde id quod per hunc actum cognoscitur, quatenus per hunc cognoscitur: oportet enim id quod mouet, & quodammodo allicit ad eum exercendum, esse prius illo actu, & quia non mouet nisi cognoscatur, oportet

A esse prius cognitum quàm actus ille exerceatur, & ex consequenti oportet esse cognitum per actum aliquem præcedentem. V.

SECTIO III.

Quorundam aliorum eiusdem affirmatiuæ partis authorum quædam alia sententia refellitur.

Sunt autem ex eiusdem affirmatiuæ partis authoribus alij nonnulli, qui cõcedunt quidem reuelationem quæ mouet ad assentiendum per fidem rei reuelatæ debere esse cognitã actu distincto ab eo quo res reuelata creditur: at volunt cognitam esse debere non quacunque cognitione, sed quæ sit actualis assensus fidei diuinæ: quod refellitur primùm eo quòd si reuelatio, quia est motiuum & ratio credendi rem reuelatam, debet esse credita per alium actum, pari iure debebit etiam esse priùs credita diuina authoritas quàm res reuelata credatur, cùm authoritas hæc æquè saltem sit motiuum & ratio credendi rem reuelatam, atque ipsa reuelatio: non debet autem necessariò, alioqui qui solo naturæ lumine cognosceret euidenter Deum esse veritatem primam, seu habere infallibilem authoritatem, etsi fide diuina crederet factam à Deo de re aliqua reuelationem, non posset huic rei reuelatæ per

B fidem assentiri propter motiuum authoritatis diuinæ reuelantis, quod nemo concesserit, cum suppositа per solum naturæ lumen euidenti cognitione, quòd Deus sit veritas prima, suppositа item certa cognitione, quòd Deus aliquid reuelarit, possit quilibet iudicare rem reuelatam veram esse, & hoc iudicare non nisi propter authoritatem Dei reuelantis, quo modo iudicare est formaliter credere. VI.

Et sanè si cum naturæ lumine euidens est Deum esse veritatem primam, & fide creditur reuelatio, potest dari per fidem assensus rei reuelatæ, poterit quoque, dum fide credetur veritas prima de Deo, & cognoscetur euidenter reuelatio, & proinde aliter quàm per fidem, dari per fidem assensus eidem rei reuelatæ. Vnde semper concluditur non esse necessarium priùs fide diuina credi reuelationem, quàm propter ipsam res reuelata credatur.

Refellitur secundò, quia sicut præmissæ quæ

C mouent intellectũ ad assentiendum conclusioni per scientiam, debẽt quidem priùs ab intellectu cognosci, quàm ipsum ad hoc moueant: at necesse non est vt cognoscantur actu sciẽtiæ, quo etiã cognosci nequeunt, quando sunt propositiones notæ ex terminis naturæ lumine euidenter, ita vt reuelatio moueat intellectũ ad assentiendũ per fidem rei reuelatæ, oportebit quidẽ priùs illam ab intellectu cognosci: at necesse non erit cognosci per fidem, nec proinde credi. Et ratio à priori est, quòd siue fide diuina VII.

D VIII.

credatur reuelatio (idem autem de ipsa diuina authoritate intelligo) siue aliter cognoscatur, semper habetur adæquatum formale obiectum seu motiuum assentiendi per fidem rei reuelatę, quod motiuum est authoritas diuina reuelans: quoties autem habetur motiuum alicuius assensus, toties hic assensus elici potest, quando non deest res cui assensus ille detur: non deest autem res cui per fidem detur assensus, quando res illa à Deo reuelata est.

I. A

SECTIO IV.

Negatiuæ partis authores duo dicentes quoad primum dictum refelluntur.

IAM verò contra negatiuæ partis authores duo dicentes, quorum vnum est, reuelationem credi vt quo, non vt quod, & quidem eodem actu quo res reuelata creditur: Alterum, reuelationem ipsam credi non posse vt quod, seu non posse esse id quod creditur, nisi per aliam reuelationem distinctam reuelata sit, dico duo. Vnum est, reuelationem aut non credi vt quo, aut si creditur vt quo, credi quoque vt quod. Cùm enim à credi vt quo, & credi vt quod, abstrahatur tanquam genus ab inferioribus, credi, sicut à cognosci vt quo, & cognosci vt quod, meritò abstrahitur tanquam genus ab inferioribus, cognosci, profectò si quidpiam vt quo creditur, vere simpliciter, & in genere loquendo, creditur: illud autem omne de quo verum est in genere dicere, creditur, est id quod creditur, & proinde creditur vt quod: cùm credi vt quod, aliud nihil sit, aut esse possit, quàm esse id quod creditur, neque res reuelata aliam ob causam dicatur credi vt quod, quàm quia est id quod creditur.

II. B

Deinde cùm aiunt reuelationem credi vt quo, vel aliud nihil volunt quàm eam esse motiuum quo res reuelata creditur, vel volunt quidpiam aliud. Si primum, bene quidem sentiunt, sed male loquuntur: sicut quod est formalis ratio & motiuum assentiendi per scientiam conclusioni non ideo dici debet sciri vt quo, eodem actu quò conclusio scitur vt quod, seu quo conclusio est id quod scitur. Si secundum, explicent quid sit illud aliud: ego sanè non video quid aliud velle possint, nisi hoc, quòd nimirum reuelatio non tantum est id quo intellectus rem reuelatam credit, exempli causa, Trinitatem de Deo, sed etiam est id quod formaliter & vitaliter cognoscitur ab intellectu per eundem actum quo Trinitas de Deo creditur: quod si verum est, id est, si eodem actu quo Trinitas inesse Deo per fidem iudicatur, iudicatur quoque de Trinitate reuelatio, seu quòd Trinitas reuelata sit, certè reuelatio non tantùm est id quo Trinitas de Deo cognoscitur & iudicatur, sed est etiam id quod cognoscitur, & de Trinitate iudicatur seu affirmatur. Quod quidem de reuelatione iudicium si est assensus fidei, reuelatio tam credetur vt quod, quàm ipsa Trinitas: sicut enim hæc credi vt quod dicitur, quia est id quod per assensum fidei de Deo affirmatur: ita illa dicenda erit credi vt quod, quia erit id quod per assensum fidei de Trinitate affirmabitur.

III. C

Quòd si prædictum de reuelatione iudicium fidei assensus non sit, non est quòd ratione illius dicatur reuelatio credi vel vt quo, vel vt quod: quandoquidem iudicium illud, quatenus est de reuelatione, non est actus credulitatis seu fidei.

Denique si eo actu quo Trinitas, exempli causa, de Deo creditur, non cognoscitur reuelatio, non potest vere dici eam eodem actu credi vt quo: sicut si motiuum assensus scientifici conclusionis non eodem actu cognoscitur quo conclusio scitur, dici non potest eodem actu sciri vt quo: atqui verum est antecedens, igitur & consequens. Minoris veritas ex eo constat, quòd si cognoscitur eodem actu, sanè non simplici apprehensione cognoscitur, cùm etiam ille ipse actus quo cognosci dicitur sit formaliter iudicium, non verò simplex apprehensio: sed cognoscitur ea cognitione, quæ formaliter est de ea iudicium aliquod, quo iudicatur seu affirmatur de Trinitate reuelatio, seu Trinitatem esse reuelatam: eodem autem actu quo per assensum fidei Trinitas inesse Deo iudicatur, non fertur prædictum de reuelatione iudicium, vt in primis constat ex primo argumento sectione secunda proposito contra primos affirmatiuæ partis authores, quos ibi impugnauimus.

V. VI.

Deinde constat ex eo etiam, quòd prædictum illud de reuelatione iudicium vel esset assensus fidei, vel non esset. Primum dici non potest, alioquin eodem actu quo Trinitas de Deo creditur, ipsa quoque reuelatio esset id quod pariter crederetur: quod falsum esse euincit secundum argumentum contra eosdem eiusdem partis authores citata sectione proposito. Secundum autem dici etiam nequit, tum quia oporteret vnicum eundemque simplicem iudicij actum esse assensum fidei respectu Trinitatis, quæ de Deo creditur, & esse alium assensum seu aliud iudicium respectu reuelationis quæ de Trinitate iudicatur non per fidem, sed alio genere iudicij & assensus: quæ tam diuersa iudicij & assensus genera quomodo in vnum numero actum coalescere possint, non facile est intelligere, si non omninò impossibile: tum quia quemadmodum de præmissis & de dato eis assensu nihil affirmatur aut iudicatur per eum numero actum, quo intellectus conclusioni assentiens iudicat prædicatum conclusionis conuenire subiecto: ita nec id quod mouet ad assentiendum per fidem rei reuelatæ, éstque authoritas diuina & reuelatio, cognoscitur per eundem actum quo res reuelata creditur.

VII.

SECTIO V.

Iidem authores quoad alterum dictum refutantur.

VIII.

D

IV.

ALTERVM ex duobus quæ contra prædictos negantis partis authores dicenda habeo, est, reuelationem quamlibet credi fide diuina posse, etsi per nullam aliam reuelationem reuelata sit. Quod probo primùm hoc argumento. Omne id quod in Theologica conclusione Theologicè scita ponitur, & tanquam prædicatum de subiecto affirmatur, credi diuina

fide potest: atqui in conclusione Theologica Theologicè scita reuelatio quæ non est per aliam reuelata ponitur, & tanquam prædicatum de subiecto affirmatur: ergo reuelatio quæ nō est reuelata per aliam fide diuina credi potest. Maior hîc supponenda est, & à me probata efficaciter in Tractatu de Deo disput. 2. sect. vltima. Vt Minor probetur, supponendum hîc etiam est, quod & certum est, & Theologi omnes docent, eam esse conclusionem Theologicam, quæ in bona argumentandi forma deducitur ex duabus præmissis veris & certis, quarum vna saltem sit per fidem diuinam credita: quo supposito ostendo in conclusione Theologica poni reuelationem etiam eam quæ nunquam per aliam reuelata sit, & hoc ostendo faciendo duplicem discursum Theologicum, cuius in conclusione ista reuelatio ponitur, & tanquam prædicatum de subiecto affirmatur.

I.

Primus discursus iste est. Omne quod in sacra Scriptura est, reuelatum à Deo est: atqui in sacra Scriptura est, Deum esse in personis trinum, exempli gratia: ergo Deum esse in personis trinum, reuelatum à Deo est: in qua conclusione patet affirmari reuelationem de aliquo, tanquam prædicatum de subiecto, & quidem reuelationem quæ per aliam reuelata non sit. Supponamus enim reipsa non esse reuelatam per aliam, similitérque cuiuslibet alterius mysterij sacra Scriptura contenti reuelationem non esse reuelatam per aliam, adhuc eadem conclusio ex iisdem præmissis deduci poterit, éritque, sicut est, Theologica conclusio. Constat enim in primis eam in bona argumentandi forma deduci ex præmissis duabus veris & certis. Constat deinde vnam saltem earum, nempe Maiorem, fide diuina credi: cùm enim Maior illa verbis solùm ab hac propositione differat, Omnis Scriptura sacra Verbum Dei est, non minùs est de fide, quàm ista sit: istam autem de fide esse, patet, nisi enim esset, contradictoria, nimirum hæc, Non omnis Scriptura sacra verbum Dei est, hæretica non esset, qualis tamen haud dubiè est.

II.

III.

Secundus discursus iste est. Omne quod de fide diuina est, reuelatum est: atqui Deum esse trinum in personis, de fide diuina est: ergo Deum esse trinum, reuelatum est. In cuius item discursus conclusione patet poni reuelationem, & de aliquo tanquam de subiecto affirmari, & quidem eam reuelationem quæ non sit reuelata per aliam, ob eandem causam, qua id ipsum probaui de reuelatione posita in conclusione superioris discursus Theologici: éstque hæc huius secundi discursus conclusio verè Theologica, cum in bona argumentandi forma deducatur ex præmissis veris, & certis, quarum vna saltem, nempe Minor, fide diuina creditur: nisi enim hæc propositio, Deum esse trinum in personis de fide diuina est, de fide esset, contradictoria hæc, Deum esse in personis trinum de fide diuina non est, hæretica non esset, quæ tamen hæretica est: vnde proculdubio qui hanc affirmaret hæreticus ab Ecclesia censeretur. Maiorem autem propositionem eiusdem secundi discursus Theologici nemo negabit, nisi qui dicet, non id omne quod fide diuina creditur, esse reuelatum, sed esse, vel reuelatum, vel reuelationem ipsam: quod qui dicet, vltro nobis concedet id quod probare volumus, nempe reuelationem, etiam eam quæ per aliam reuelata non est, credi posse fide diuina.

IV.

Probo secundò hoc altero argumento. Illud omne fide diuina credi pote, & reipsa de fide est, quod Ecclesia declarare potest esse de fide: atqui omnis & quælibet Dei reuelatio, etiam ea quæ non est reuelata per aliam, est eiusmodi: ergo omnis & quælibet reuelatio fide diuina credi potest, & reipsa de fide est. Maior est certissima, & ab omnibus admittitur: circa quam vt clariùs eluceat vis argumenti nostri, solùm obseruandum est quod omnes Theologi docent, nempe Ecclesiam declaratione sua non facere, vt res quæ antea de fide non erat, de fide sit, sed tantùm efficere, vt id quod ante declarationem erat à Deo reuelatum, & de fide, de fide autem esse, nesciebatur, iam post declarationem, sciatur esse reuelatum à Deo, & de fide.

A V.

Minor probari clariùs non potest, quàm sumendo quælibet in particulari propositionem à Deo reuelatam, & de ea loquendo perinde atque si Deus nihil vnquam aliud reuelasset: hoc enim certe casu reuelatio propositionis illius à Deo reuelatæ per aliam reuelationem reuelata esse non posset. Sumo igitur hanc in particulari propositionem à Deo reuelatam, Verbum caro factum est, & quæro, num de fide sit Verbum factum esse carnem? responderi debet, esse, cùm id à Deo reuelatum sit: sed vlteriùs quæro, num de fide sit, quòd id à Deo reuelatum sit? si dicitur esse, habemus intentum: tunc enim reuelatio, quòd Verbum caro factum sit, credi poterit fide diuina, nec tamen erit per aliam reuelationem reuelata, quandoquidem supponimus nihil vnquam fuisse reuelatum, nisi Verbu carnem factum esse. Dici autem nequit non esse, alioquin hæc illi opposita propositio, Deus Verbum carnem factum esse non reuelauit, hæretica non esset, qualis tamen tam certo est, quàm certum est eum ab Ecclesia iudicandum hæreticum, qui eam obstinatè vellet defendere, neminemque ex Catholicis doctoribus esse, qui eandem auderet affirmare coram Ecclesia coacta in generali Concilio, nisi cum timore, ne ideo quam primùm hæreticus iudicaretur, & vt talis puniretur. Quod si ista propositio vere hæretica est, & talis ab Ecclesia censeretur, opposita, nempe ista, Deus Verbum carnem factum esse reuelauit, fide diuina credenda est, & talis ab Ecclesia definiri potest: nō potest autē fide diuina credi, nisi reuelatio per fidem credi possit, vt perspicuum est, & quidem reuelatio non reuelata per aliam: quandoquidem, vt iam dixi, supponimus nihil vnquam aliud fuisse reuelatum, nisi hoc, quòd Verbum caro factum fuerit.

B VI.

C VII.

D VIII.

At obiicies. Nihil est de fide nisi quod reuelatum est: quamuis autem ipsa Verbi Incarnatio reuelata sit, non propterea tamen ipsa Incarnationis reuelatio reuelata est, maxime in hypothesi suprà facta, quòd scilicet nihil vnquam aliud Deus reuelarit, quàm Verbi Incarnationem: ergo reuelatio Incarnationis de fide non est. Ad Maiorem duplex est respondendi modus. Primus est, simpliciter eam negādo, & dicendo illud omne de fide esse, quod est aut

reuelatum,aut reuelatio: & hanc quidem esse id propter quod tanquam motiuum res reuelata creditur, vt Verbi incarnatio, & simul esse id quod creditur propter semetipsam tanquam formale motiuum: sicut quantitas est id per quod aliud extenditur,nempe materia,& simul est id quod extensum per semetipsum est.

I. Secundus facilior, & quem magis probo,est, concedendo simpliciter prædictam Maiorem, & dicendo proinde,Incarnationis ,aut cuiusuis alterius mysterij reuelationem quæ creditur,esse reuelatam: sed duobus modis aliquid posse esse reuelatum, primò explicitè, secundo implicitè,hâncque vel illam reuelationem sufficere ad assensum fidei circa rem hoc vel illo modo reuelatam exercendum, quod constat ex Tractatus de Deo, disput, & sectione citatis: quamlibet autem reuelationem per quam mysterium aliquod explicitè reuelatur, non esse quidem explicitè reuelatam, nisi per alteram distinctam reuelationem reueletur, sed esse tamen seipsa,& per seipsam implicitè reuelatam, quatenus Deus dicens explicitè aliquid,vt Verbum carnem factum esse, eo ipso quo hoc explicitè dicit, implicitè ex consequenti dicit, se hoc dicere.

II.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm Deus per se vel per alium de lege ordinaria, vel de potentia absoluta falsum dicere possit?

SECTIO PRIMA.

Non posse de lege ordinaria vel per se, vel per alium, probatur.

III. PRIMA de quæstione proposita fuit opinio, seu potiùs hæresis Armenorum, quos Guido Carmelita refert libro de hæresibus Armenorum cap. 30. sensisse Deum non modo de lege ordinaria falsum quidpiam dicere, & mentiri posse, sed etiam falsum reipsa aliquando dixisse, ac fuisse mentitum: quod tamen Alphonsus à Castro libro 5. de hæresibus, verbo, *Deus*, hæresi 3. putat de Armenis non esse credendum, quòd hi Scripturas sacras reciperent, in quibus hic error tam clare tot locis redarguitur. Eundem errorem tribuunt nonnulli Priscillianistis ex D. Augustino libro contra mendacium cap. 2. sed neque D. August. eo loco,neque quisquam alius grauis author hunc eis errorem attribuit: solùm enim ibi dicit eos in hac hæresi fuisse dicitum esse aliquando mendacium hominibus, vt seruandi secreti gratia, & de facto tum Patriarchas, tum Prophetas, tum Apostolos, tum etiam ipsum Christum vt hominem falsum aliquando dixisse & mendacium: vnde de iisdem refert lib. de hæresibus hæresi 70. ipsos vsurpare solitos esse hunc versiculum, Iura, periura, secretum prodere noli: quos etiam cùm ibi testetur omnes Scripturas Canonicas recepisse, argumento est eos non existimasse Deum aliquando mentitum esse,aut mentiri de lege ordinaria posse, cum aperte contrarium habeatur in sacris literis. Quanquam hoc argumentum prorsus efficax non est,cùm non rarò contingat hæreticos Scripturas sacras recipientes in eos errores incidere, qui ex Scripturis quas recipiunt manifestè redarguuntur. V.

Secunda opinio est,Deum quidem mentitum nunquam esse, falsumve dixisse, nec posse de lege ordinaria falsum dicere,posse tamen de potentia absoluta. Ita nonnulli quos citat & refutat Greg. Arimin. in 1. dist. 42. quæst. 2. Tertia & communis aliorum omnium est non posse Deum per absolutam etiam potentiam falli quidpiam vel per se, vel per alium dicere.

Prima assertio. Deus per seipsum nunquam hactenus falsum dixit, nec dicere de lege ordinaria potest. Est de fide. Constat enim ex sacris literis, Deum nunquam esse mentitum, nec mentiri de lege saltem ordinaria posse: quod si falsum aliquando dixisset, aut dicere de lege ordinaria posset,mentitus esset aliquando,& mentiri de lege ordinaria posset, cum is mentiatur proprie & formaliter,qui affirmat id esse quod non est, & quod certò scit non esse, Deus autem si falsum dicit,aut dicere potest,affirmet,aut affirmare possit id esse quod non est, & quod certò scit non esse, cùm ob infinitã sapientiam suam in rebus cognoscendis falli nullo modo possit. Quòd verò constet ex sacris litteris illud quod ex iisdem constare dixi, patet ex his Scripturæ testimoniis, Num. 23. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur.* ad Titũ 1. *In spem vitæ æternæ quam promisit qui non mentitur Deus.* Exodi 34. Ioan. 3. & 8. ad Rom. 3. & Apocal. 19. quibus locis Deus verax dicitur. VI.

Deinde si falsum Deus aliquando dixisset,aut dicere de lege ordinaria posset, sequeretur assensus fidei nostræ meritò posse esse cum dubitatione coniunctos & formidine, ac proinde cuique licitum esse de veritate sacrarum Scripturarum dubitare, titubare in fide, eamque dubitationem ac titubationem non esse peccatum ,quod hæreticum est. Consequentia hæc patet: vix enim de vlla read fidem nostram pectante certi esse possemus, vtrum vera illa an falsa sit, sed dubitare meritò possemus,an in illa reuelanda Deus mentitus esset, nec ne, imo etiam an tum mentitus esset, cùm se dixit esse veracem, nec posse mentiri. VII.

Nec dicas hanc vtramque ex Scripturis & ratione probationem infirmam esse, quia supponimus in vtraque id verum esse,quod verum esse probandum est. Cùm enim dicimus hæreticum esse, dicere, posse meritò quemlibet de veritate Scripturarum, aliarumque rerum nostram ad fidem pertinentium dubitare, cũ item vsurpamus suprà allata Scripturæ testimonia tanquam vera, ex iisque concludimus Deum mentitum nunquam esse, nec mentiri de lege saltem ordinaria posse: supponimus Deum in illis Scripturæ locis aliisque rebus reuelandis veracem esse, nec fuisse mentitum, quod tamen probandum est. Ne,inquam,id dicas: vt enim hîc rectè Gregor. à Valent. nos in hac & in illa probatione non supponimus illa Scripturæ testimonia, resque fidei nostræ à Deo reuelatas veritatem habere, quatenus à Deo reuelatæ VIII.

sunt, qui nec falli potest nec fallere: quod si faceremus, supponeremus profectò quod probandum est, sed abstrahentes ab hac consideratione, vtrùm scilicet quidquid à Deo reuelatum est, eo ipso quo reuelatum ab ipso est, non possit non esse verum, nec ne, supponimus prædicta Scripturæ testimonia, sicut & totam I. A sacram Scripturam, reliquesque omnes fidei nostræ veritatem habere, Deúmque in iis reuelandis reipsa mentitum non esse, siue mentiri potuerit, siue non: quod meritò possumus supponere, cùm supponant nobiscum ipsi Priscillianistæ, aliique hæretici Scripturam sacram recipientes, & quo supposito efficax est vtraque nostræ assertionis probatio, vt patet.

Secunda assertio. Deus etiam per alium nunquam hactenus falsum dixit, nec dicere de lege ordinaria potest. Est de fide sicut præcedens, licet Canus lib. 2. de locis Theolog. cap. 3. dubitet, num hæreticus habendus esset qui contrarium defenderet. Probatur autem eâdem duplici probatione qua superiorem assertionem confirmauimus. In primis enim constat ex Scripturis, Deum nunquam hactenus per alium mentitum esse, aut mentiri de lege saltem ordinaria II. B posse: quòd si falsum aliquando dixisset per alium, aut dicere de lege ordinaria posset, mentitus quoque per alium esset, & mentiri posset de lege ordinaria, cùm ob eandem causam qua superiori assertione docuimus, ipsum nunquam per se posse dicere falsum, quin mentiatur, nec possit etiam vnquam falsum per alium dicere, quin per alium mentiatur. Quod autem constet ex Scripturis ipsum per alium nunquam hactenus fuisse mentitum, nec mentiri posse de lege ordinaria, patet ex supracitatis Scripturæ testimoniis, & id quidem duplici via.

Vna est, quòd locis illis omnibus simpliciter & absolutè dicatur Deus verax, & non mentiri: quod simpliciter & absolutè verum non esset, si per alium mentiretur, aut mentiri de lege ordinaria posset, cùm qui per alium mentitur, aut mentiri de lege etiam ordinaria potest, III. C simpliciter & absolutè dicendus sit de lege ordinaria mentiri, & mendax: maxime cum is qui per alium aliquid dicit, censeatur ipse illud dicere, & hoc tanquam ab ipso dictum meritò ipsi tribuatur: imò soleat Scriptura tam ascribere Deo quæ per alios, vt per Angelos & Prophetas dicit, quàm que immediatè per seipsum, vt Hier. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Lucæ 1. *Sicut loquutus est per os sanctorum qui à sæculo sunt Prophetarum eius.* Ioan. 14. *Sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me Patris.* ad Hebr. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis*, id est, per Prophetas, *nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio*, id est, per filium, & sæpe alibi. IV. D

Altera est, quòd in illis citatis superiori assertione Scripturæ testimoniis Scriptura de Deo loquitur, vt loquente non modò immediatè per seipsum, sed etiam mediatè per alios: loquitur enim de illo, dum eum non mentiri dicit, dum veracem ipsum appellat, habita ratione eorum quæ iam nobis credenda reuelauit, & speranda promisit: semper autem aut fere semper reuelauit ac promisit non immediatè per seipsam, sed per alios, vel Angelos, vel homines, vt constat ex Actor. 7. ad Galat. 3. ex dictis item in Tractatu de Angelis disputatione decima, sectione vltima, vbi docuimus factas olim hominibus Dei apparitiones, & cum iisdem colloquutiones non fuisse immediatè Dei ipsius, sed Angelorum Dei personam sustinentium.

Deinde si per alium Deus aliquando falsum dixisset, aut dicere, ac proinde mentiri de lege ordinaria posset, consequens esset, fidei nostræ V. assensus meritò cum dubitatione & formidine esse posse, non secus ac si per seipsum immediatè mentiretur aliquando, aut mentiri posset de lege ordinaria, cùm fide diuina credere debeamus ea quæ per alios dicit, non secus atque illa quæ immediatè per seipsum diceret.

Postremò probatur assertio hoc argumento. Deus immediatè per seipsum nunquam falsum dixit, aut mentitus est, nec mentiri, & dicere de lege ordinaria potest: ergo nec per alium. Antecedens constat ex dictis. Consequentiæ bonitas patet ex eo quòd non potest per alium falsi quidquam nobis dicere, quod non priùs immediatè per seipsum alicui alteri dixerit: sicut etiá nihil veri, imò nihil in genere potest nobis per VI. alium dicere, quod non priùs alicui alteri dixerit immediatè per seipsum. Vt enim quis alicui per alium loqui, & dicere siue verum, siue falsum censeatur, satis non est quòd eum qui immediatè loquitur excitet ad dicendum alteri quod aliunde didicit, sed oportet, vt illud ipsum priùs immediatè per semetipsum dixerit, tum eum cui immediatè dixit excitet ad idem alteri persuadendum: vnde est quòd non dicimus patrem docere filium, quamuis præceptorem det à quo doceatur: at vere dicimus Regem per Interpretem loqui, quoniam huic ille immediatè dicit, quod hic postea alio idiomate manifestat, & ea intentione dicit, vt manifestet. VII.

SECTIO II.

Non posse etiam de potentia absoluta, vel per se, vel per alium, falsum dicere probatur.

TERTIA ordine assertio hæc est. Non potest Deus per absolutam etiam potentiam falsum vel per seipsum, vel per alium dicere. Non vtar hîc propriis & distinctis argumentis, vt probem non posse Deum de potentia absoluta falsum per alium dicere. Cùm enim ex superiori assertione constet, & ea quæ quis, siue Deus, siue alius, dicit per alium, tam solere, & iure posse ipsi per alium loquenti tribui, quàm quæ immediatè per se loquitur: & præterea non posse quemquam, siue Deum, siue alium, VIII. proprie censeri quidpiam siue verum, siue falsum dicere alicui per alium, nisi idem ipsum priùs immediatè per seipsum dixerit: patet nos iis argumentis probaturos efficaciter Deum per absolutam potentiam non posse falsum per alium dicere, quibus efficaciter probabimus ipsum non posse de absoluta potentia falsum per seipsum immediatè dicere.

Hoc autem probo primùm ex Scriptura hoc modo. Si non potest Deus de potentia absoluta

mentiri, non potest de absoluta potentia falsum dicere, atqui prius illud non potest, ergo neque istud posterius. Maioris veritas constat ex præcedenti vtraque assertione, in qua ostendimus in Deo vnum & idem esse, falsum dicere, & mentiri. Minor probatur in primis ex

I. his omnibus Scripturæ locis, in quibus homini Deus opponitur, in eo quòd ipse sit verax, omnis autem homo mendax: sensus enim locorum illorum non est, omnem hominem in actu secundo mentiri aliquando, Deum nunquam, multi enim fuerunt homines qui reipsa nunquam mentiti sunt, sed sensus est, omnem hominem natura sua mendacem esse, seu capacem mendacij, Deum è contrario natura sua esse veracem, seu non posse falsum dicere & mentiri: quòd si natura sua talis est, patet ipsum de potentia absoluta non posse falsum dicere & mendacium.

Deinde probatur eadem Minor ex duobus aliis Scripturæ testimoniis: primum ducitur ex

II. 2. ad Timot. cap. 2. in quo volens Apostolus homines reddere certissimos de diuina promissione retribuendi bonis operibus æternum præmium, sic de Deo loquitur: *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*, negando scilicet aut se promisisse præmium illud, aut non retribuendo cùm promiserit. Quo loco nisi vellet Apostolus Deum de potentia absoluta non posse non facere quod promisit, ac proinde non posse falsum dicere, non assequeretur id quod intendit, nos enim de diuina illa promissione non redderet omnino securos & certos.

Secundum petitur ex cap. 6. epistolæ ad Hebræos, vbi sic Apostolus. *In quo Deus abundantiùs volens ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles*, (promissionem scilicet, & iuramentum) *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium haberemus.* Quo

III. loco dicens Apostolus impossibile esse mentiri Deum, nisi de potentia absoluta loqueretur, fortissimum in promissione diuina solatium habere non possemus, quod tamen nos habere ipse vult.

Probatur assertio secundò authoritate sanctorum Patrum, ac in primis eorum qui dicunt Deum non fore Deum, si mentiri posset & fallere: deinde eorum qui agentes de omnipotentia Dei, ipsúmque omnipotentem esse affirmantes, statim nihilominus addunt esse aliqua quæ non potest, inter cætera, fallere, & mentiri: patet enim ex hoc vtroque loquendi modo vtrosque de potentia absoluta loqui. Ex prioribus

IV. sunt Athanasius libro de Incarnat. Verbi in quo sic loquitur, *Absurdum est Deum in verbis suis mentiri: non enim Deus fuisset, si cùm dixisset nos perituros, non periissemus.* Et Anselmus lib. 1. Cur Deus homo cap. 12. vbi sic ait, *Non sequitur si Deus vult mentiri, iustum esse mentiri, sed potiùs Deum illum non esse: nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas, imò qua deserendo veritatem corrupta est.* Ex posterioribus sunt Chrysost. tomo 5. homilia prima in symbolum Apostol. in qua sic habet, *Creditis Deo omnipotenti, quia posse ipsius non potest inuenire non posse: tamen aliqua non potest, vtpote falli, fallere, mentiri.* Et Augustin. lib. 1. de symbolo ad Catechumenos, cap. 1. in quo sic loquitur, *Deus omnipotens est, & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod ait Apostolus, negare seipsum non potest: quam multa non potest, & omnipotens est? & ideo omnipotens est, quia ista non potest: nam si mori posset, si falli, si fallere, non esset omnipotens.* V.

Probatur tertiò rationibus aliquot. Prima est, si posset Deus etiam per absolutam potentiam fallere & mentiri, posset quiuis meritò, ac proinde sine peccato, de plerisque nostræ fidei mysteriis dubitare, quod tamen hæreticum esse supra monui: vnde enim nobis constaret Deum in mysteriis illis reuelandis non esse vsum sua illa potentia absoluta fallendi & mentiendi? An ex eo constare dicetur, quòd reuelarit ipse se ea nunquam vsum fuisse? At de hac ipsa reuelatione dubitari poterit, vtrum in ea facienda sit vsus prædicta potentia.

Secũda ratio hæc est. Tam repugnat Deo falsum dicere, quàm peccare, atqui hoc illi repugnat de potentia etiam absoluta, ergo & illud: VI.

B Minor ex fide certa est, causa autem à priori est infinita simpliciter Dei sanctitas, & tanta qua maior cogitari non potest: qualis profectò non esset, si non omne, & quodlibet peccatum à Deo ex necessitate excluderet: quæ enim conciperetur talis ac tanta, vt quoduis ex necessitate peccatum excluderet, maior esset & perfectior ea quæ reipsa iam in Deo est, si hæc de potentia absoluta peccatum aliquod secum admitteret. Maioris veritas ex eo constat, quòd Deus non potest falsum dicere nisi mentiendo, vt ex supradictis liquet, ac proinde nisi peccando, quia omne mendacium intrinsecè malum & peccatum est, vt & agnouit Aristoteles 4. Ethic. cap. 7. cùm dixit, per se mendacium malum esse, & vituperabile, & fusè docuit D. August. libro contra Mendacium ad Consentium, si-

C gnificauitque non obscurè Innoc. tertius cap. VII.
super eo, de vsuris, dicens constanter vetari ne quis etiam pro vita seruanda mentiatur: quod sanè constanter in tali casu non vetaretur, nisi mendacium intrinsecè malum esset, & peccatum.

Ratio autem à priori est, quòd loquutio illa non possit non esse intrinsecè mala, quæ habet deordinationem à fine proximo & intrinseco loquutionis, seu ad quem loquutio ex essentia sua ordinatur, omnis autem loquutio falsa, & cum mendacio coniuncta eiusmodi deordinationem habet: finis enim proximus loquutionis est vt audiens ea mediante tanquam signo intermedio cognoscat mentem seu conceptum loquentis, à quo fine deflectit, vt patet, mendacium.

D Postrema ratio ista est. Nulla potentia Deus VIII.
illud habere potest, quod euertit funditus proprium eius aliquod attributum, atqui absoluta potentia dicendi falsum & mentiendi talis est, ergo potentiam hanc Deus habere nullo modo potest. Maior est per se euidens. Minor probatur, infinita enim veracitas, summa item & simpliciter infinita authoritas ad persuadendum certissimè id verum esse quod dicitur, & quidem tanta, siue veracitas, siue authoritas, qua perfectior vel esse, vel concipi nulla possit,

est proprium Dei attributum, cùm ipsi ob eminentem excellentiam diuinitatis concedenda sit formaliter omnis perfectio simpliciter simplex, seu quæ suo in conceptu nullam includit imperfectionem Deo repugnantem, siue vt eam post S. Anselmum definiunt Theologi, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa: qualis haud dubiè est prædicta illa veracitas & authoritas infinita, quam sanè melius est habere quàm non habere: vt vel hinc constare potest, quòd sicut Deo melius est habere veracitatem & authoritatem ad persuadendum, quàm non habere, ita quoque melius eidem est, habere infinitam simpliciter, & tantam qua perfectior nulla esse possit, quàm talem & tantam non habere. Iam verò absoluta falsum dicendi mentiendique potentia hanc talem ac tantam euertit funditus veracitatem, & ad persuadendum authoritatem.

I.

Primò, quia veracitas illa quæ secum pati posset potestatem aliquam dicendi falsum, & mentiendi, non esset infinita simpliciter, seu tanta, qua perfectior nec esse, nec concipi vlla posset: quæ enim conciperetur talis esse, vt nullam eiusmodi potestatem secum admitteret, in genere veracitatis perfectior illa altera veracitate esset. Secundò, quia pari modo illa ad persuadendum authoritas simpliciter infinita non esset, seu tanta qua nulla perfectior esse posset, quæ cùm prædicta fallendi & mentiendi potentia staret: hac enim authoritate perfectior ea esset, quæ omnem eiusmodi potentiam à se excluderet: illa enim authoritas ad persuadendum perfectior est, ratione cuius, faciliùs & firmiùs rei dictæ datur assensus, & quæ omnem ab assensu dato formidinem excludit: patet autem faciliùs & firmiùs assensum dari, si authoritas talis ac tanta sit, vt nullam fallendi & mentiendi potentiam secum pati possit, quàm si talis & tanta non sit: item authoritatem eam quæ talis & tanta non est, non excludere omnem ab assensu formidinem, cùm tamen excludat ea quæ talis ac tanta est.

II.

III.

Ex dictis facile est intelligere, aduersariorum ad argumenta quæ duximus ex Scripturis & Patribus, responsionem nullam esse, dum dicunt, iis solùm euinci, repugnare Deo falsum dicere & mendacium, habens annexam peccati malitiam: at non illud falsum & mendacium quod hac caret malitia: in primis enim facilè constat ex dictis, euinci argumentis illis, repugnare Deo falsum quodlibet & mendacium, siue quodlibet habeat adiunctam peccati malitiam, siue non habeat. Deinde cùm ostenderimus omni mendacio connexam semper esse peccati malitiam, consequenter euicimus aduersariis fatendum esse falsum dicendi & mentiendi nullam Deo inesse posse potentiam.

IV.

Postremò, cùm potestas dicendi falsum & mentiendi, siue mentiri sit semper peccatum, siue non semper sit, destruat, vt patet, indubitatam illam & omnis formidinis expertem fidei nostræ certitudinem: item infinitam illam veracitatem, & ad persuadendum authoritatem, quam Deo tribuendam esse ostendimus: sequitur nullam in eo esse agnoscendam potentiam dicendi falsum & mentiendi, etiam tum, cùm falsum dicere & mentiri peccatum non esset.

SECTIO III.

Soluuntur affirmatiuæ partis argumenta ex Scripturis deprompta.

A PRIMVM ea loca continet in quibus videntur contradictoria affirmari, quorum alterutrum necesse est falsum esse, vt quod Iob ex inspiratione Spiritus sancti cap. 7. dicit, *Peccaui, quid faciam tibi?* Et quòd cap. 27. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Verùm hîc ea non recensebimus, aut aliter explicabimus, quàm negando illis contradictoria affirmari: singula enim recensere & explicare longissimum esset, superfluéque hîc à nobis fieret: tum quia recensita & explicata videri possunt apud Canum lib. 2. de locis cap. 2. Gregor. à Valent. hîc punc. 3. & Bellarm. toto ferè libro 1. de Verbo Dei: tum quia locis illis fermè omnibus attinguntur ea quæ ad alias materias & Theologiæ partes pertinent, in quibus explicari solent. Ad citata tamen ex Iob loca, quandoquidem ea retulimus, dico, his non affirmari contradictoria, priore enim de peccatis venialibus sermo est, posteriore, de mortalibus.

V.

B

VI.

Secundum ea loca complectitur quibus Deus dicitur aliquos decipere, aut immittere in eos spiritum erroris. Sed respondendum est iis vel significari tantummodo decretum diuinæ voluntatis de permittenda deceptione, & spiritu erroris, ipsámque permissionem, ratione cuius & permissionis, & decreti, Scriptura plerunque Deo tribuit quæ permittere decreuit, & recipia permittit, non secus atque ea quæ non modò permittit, sed etiam expresse fieri vult, & vt fiant directe & positiuè imperat, aut hortatur, vt docui fusiùs secunda secundæ disp. 11. sect. 3. in Tract. de peccatis, vel certè significari solùm externam aliquam actionem & loquutionem Dei plenam veritatis, ex cuius tamen significatione non probè percepta ab homine, hic ex imperfectione sua occasionem accipit iudicandi falsum & errandi. Hoc sensu dixit Hieremias Deo cap. 20. *Seduxisti me, & seductus sum*: ex quibusdam enim verbis quæ fecerat ad eum Deus, quorum significationem non fuerat Propheta ille plenè assequutus, errandi occasionem accepit: Verba illa Dei fuerunt ex S. Hieronymo hæc cap. 1. *Prophetam in gentibus dedi te*, ex quibus malè conclusit apud se Hieremias se non prædicaturum Iudæis, sed gentilibus: aut etiam ista alia, vt quidam opinantur, quæ habentur eodem cap. 1. *Ne timeas à facie eorum, quoniam ego tecum sum, vt eruam te.* ex quibus falsò sibi persuasit se non passurum eas ærumnas quas postea passus est.

C

VII.

D

VIII.

Tertium illa alia loca continet, quibus Deus vel per se, vel per Prophetas aliquid futurum prædicit, quod tamen postea non impletur, vt cùm Genes. 4. Caino timenti ne propter fratricidium occideretur, dixit Deus, *Nequaquam ita fiet*, quem tamen à Lamech fuisse occisum multi docent, & colligunt ex fine capitis illius, & D. Hieron. epistola 123. esse maiorum sententiam asserit: vt cùm etiam Isaiæ 38. & 4. Reg. 20. Deo iubente nunciauit Isaias instanté

mortem Ezechiæ regi, qui tamen postea quindecim annos vixit.

Ad priorem locum communis responsio est, quòd etsi verum esset, Cain à Lamech occisum fuisse, Deus tamen cùm dixit, *nequaquam ita fiet*, nihil falsi dixit: sensus enim illorum verborum est, nequaquam impune à quolibet obuio occidêdum Cain, sicut ipse Cain metuebat, quem sensum indicant verba immediatè sequentia, *sed quicunque occiderit Cain septuplam punietur*: quem etiam à Lamech occisum fuisse non constat, nec satis ex Scriptura colligi potest. Vnde Theodoretus quæst. 34. in Genesim, & Burgensis annotatione 7. in citatum ex Genesi locum, aliíque non pauci existimant opinionem illam de Cain à Lamech interfecto esse veterum Rabbinorum commentum: neque illi opinioni D. Hieron. citato loco fauet, solùm enim ait eam esse maiorum, id est, Rabbinorum sententiam.

I. A

Ad posteriorem locum duplex responsio est. Prima colligitur ex S. Thoma hac 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 2. & 1. parte quæst. 19. art. 7. ad 2. estque, Deum per Prophetas non semper reuelare id quod reipsa euenturum est, sed quod reipsa euenisset spectato solo ordine & dispositione causarum inferiorum, siue naturales illæ sint, siue morales: atque ita potuisse Isaiam verè nunciare mortem instantem Ezechiæ regi, quia reuera post paucos dies mori debebat, aut spectato causarum naturalium ordine, aut certè in pœnam peccatorum suorum, quæ proinde mortis eius causæ morales erant futuræ, nisi breui illo vitæ quod restabat spatio pœnitentiam egisset, qua pœnam mortis à se auertit. Secunda est, vaticinationem illam fuisse comminatoriam duntaxat, & conditionalem, quam impleri non oportet nisi posita conditione quæ in ea subintelligitur, licet non exprimatur, conditionem autem in illa vaticinatione subintellectam positam non fuisse: minabatur enim per Prophetam Deus mortem Ezechiæ, subintelligens, si non ageret pœnitentiam, hanc autem egit. Atque hæc vtraque responsio accommodari potest, & alterutra semper accommodanda est aliis similibus Prophetiis non impletis.

II. B

III. C

Quartum comprehendit ea loca quibus videntur sancti quidam homines ex instinctu Dei dixisse falsum & mentiti, vt Abraham qui Genes. 22. iturus cum filio in montem in quo ipsum mactare in sacrificium volebat, dixit seruis suis, *Expectate hîc, ego & puer illuc properantes postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*: vt etiam Iacob qui 27. cap. eiusdem libri patri suo dixit, *Ego sum primogenitus tuus Esau*. Communis & vera responsio est sanctos illos viros, si quod dixerunt à mendacio excusari non potest, Deo auctore minimè dixisse, aut si Deo instigante loquuti sunt, non esse mentitos, licet eorum verba mendacium præ se ferre videantur.

IV. D

Quare cùm D. Ambrosius libro primo de Abraham cap. 8. & D. Augustinus serm. 71. & 72. de Temp. quos Carthus. in illum Scripturæ locum, Scotus, & Gabriel in 3. dist. 38. aliíque multi sequuntur, sentiant Abrahamum verba quæ retulimus dixisse ex inspiratione Spiritus sancti, idémque existiment de verbis illis aliis à Iacob prolatis iidem Patres Ambros. lib. 2. de Iacob; cap. 2. & 3. August. lib. 16. de Ciuit. cap. 37. D. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 3. & alij quos Canus lib. 2. de Locis cap. 2. refert, dicendum est in relatis eorum verbis nullum esse mendacium.

V.

Et quidem Abraham proficiscens cum volũtate sacrificandi filium, mentitus tamen non est, quia sperabat immolatione filij peracta ipsum à Deo reuocandum ad vitam, vt diuinæ sibi factæ de futura posteritate promissiones implerentur: vnde cum veritate dicere potuit, ego & puer ad vos reuertemur. Et hanc esse legitimam loci illius expositionem, discimus ex Apostolo ad Hebr. cap. 11. sic scribente: *Fide Abraham obtulit Isaac Deo, arbitrans quod & à mortuis suscitare potens est Deus*. Iacob verò nec mentitus est, siue cùm dixit se esse primogenitum, siue cùm dixit se esse Esaü: non est quidem mentitus dicens se primogenitum esse, quia licet non natura seu generatione, iure tamen primogenitus erat: ius enim illud emerat à fratre, & ex diuina voluntate habebat. Non est etiam mentitus cùm adiecit se esse Esaü, licet Scotus suprà citatus, Caiet. & Lyranus in illum Genesis locum contrarium sentiant, quia nomen istud non in propria significatione, sed per tropum, & metaphoram vsurpauit, accommodans illud sibi vtpote primogenito ex iure & diuina voluntate: quæ quidem illius nominis vera vsurpatio per metaphoram à mendacio ipsum meritò defendit, alioqui mentitus esset Apostolus cap. 9. ad Romanos, appellans Israëlitas eos qui fidem Abrahæ imitantur, & Christus Matth. 11. Ioannem Baptistam vocans Eliam, cùm illud Israëlitarum nomen in propria sua significatione eos solos significaret qui erant Abrahæ filij secundùm carnem, & istud Eliæ vocabulum Prophetam illum, qui multis sæculis ante Christum vixit, & Elias proprio nomine vocabatur.

VI.

VII.

Nec opponas Isaac dixisse Esau benedictionem petenti: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*. Vox enim ista, *fraudulenter*, ibi veram fraudem cum mendacio similíve culpa coniunctam non significat, sed externam quandam actionem habentem vmbram & speciem fraudis, licet reipsa nullam in se veram fraudem haberet: aut etiam fraudem significat, non quidem ex rei veritate, seu reipsa, sed secundùm iudicium hominum ignorantium primogenituræ ius quod habebat Iacob, mysteriúmque quod ex diuina voluntate gerebatur. Et sane si veram aliquam in illo Iacob filij sui facto fraudem esse Isaac putauisset, quid prohibuisset quominus, postquam totam rem vt gesta erat agnouit, benedictionem datam reuocaret, cùm nulli fraus & dolus patrocinari debeant? quam tamen tantum abest vt reuocarit, vt è contrario ratam habuerit, magisque confirmarit, vt ex illo Genesis loco constat.

VIII.

SECTIO IV.

Soluuntur eiusdem affirmatiuæ partis argumenta ex ratione petita.

I. PRIMVM. Omnis actio quæ non inuoluit contradictionẽ, potest de potestate saltem absoluta procedere à potentia exequente Dei: atqui testificatio falsi est eiusmodi actio. Minor hæc probatur: nulla enim actio realis, cùm sit ens reale, ac proinde possibile, vllam inuoluit contradictionem, falsi autem testificatio est realis actio, vt patet ex ea falsi testificatione quæ ab homine est falsum testificante. Respondeo distinguendo Minorem: falsi enim testificatio quæ à Deo esset tanquam à testificante falsum, seu quæ esset actio Deum verè denominans falsum testificantem est actio contradictionem inuoluens: at illa quæ à Deo per generalem concursum influente & à creatura simul procedit, sic tamen, vt hanc solam verè denominet falsum testificantem, nullam contradictionem inuoluit.

II. Ad Minoris probationem ex hac ipsa distinctione dico, posteriorem quidem hanc falsi testificationem esse realem actionem, & hoc solùm probatione Minoris euinci, priorem verò illam non esse realem actionem, sed non ens, cui tam repugnat esse ens positiuum & reale, atque à Deo posse procedere, quàm repugnat Deo non habere veracitatem, & ad persuadendum authoritatem simpliciter infinitam, qua nulla perfectior esse vel concipi potest: quam profectò non haberet, vt ex supradictis constat, si genus illud actionis ab eo procedere de potentia absoluta posset.

Et sanè si argumentum factum valeret, concludi pari iure posset Deum posse positiuè homines ad peccandum excitare, ac proinde peccati authorem esse. Eodem enim prorsus modo sic possemus argumentari: Actio non inuoluens contradictionem potest à potentia exequente Dei procedere, sed excitatio hominis ad peccatum est eiusmodi actio, quia est actio realis, vt patet ex ea ad peccandum excitatione qua homo vnus alium excitat: Cui argumento respondendum est ab omnibus, excitationem eam ad peccatum quæ esset à Deo tanquam ab excitante, seu quæ esset actio Deum verè denominans excitantem ad peccatum, contradictionem inuoluere, nec esse realem actionem, sed non ens: illam verò aliam excitationem quæ à Deo per generalem concursum influente, & à creatura simul procedit, sic tamen vt hanc solam verè denominet excitantem ad peccandum, esse realem actionem.

III.

IV. Secundum. Si Deus excitare per seipsum potest hominem ad assensum falsum, imò hunc ipsi assensum imperare, potest & falsum dicere: atqui illud potest, igitur & istud. Consequentia Maioris constare ex eo videtur, quòd Deus illud non potest, nisi sit author illius falsi assensus, eius autem author esse nequit quin fallat, fallere autem & falsum dicere idem sunt. Minor probatur: Quod sub præceptum cadere potest, Deus illud imperare potest, & per consequens ad illud excitare, cùm ad id omne faciendum quod præcepto imperatur excitare possit: atqui falsus aliquis assensus sub præceptum cadere potest: quidquid enim rectæ rationi & dictamini veræ prudentiæ conforme est, cadere sub præceptum potest: contingit autem aliquando rectæ rationi & dictamini veræ prudentiæ conformem esse assensum falsum, cuiusmodi est is quo viris grauibus & bonis falsum aliquid referentibus credimus.

V.

Respondeo primò quidquid sit de Minori de qua mox dicam, malam esse consequentiam Maioris: ad cuius probationem dico, non posse quidem Deum directè per se, & non purè per accidens, eo modo quo mox explicabo, imperare assensum falsum, aut ad eum excitare, quin sit author & causa falsi assensus, seu falsitatis, & proinde quin fallat, non tamen propterea falsum dicere: non enim idem sunt fallere, & falsum dicere: nam omnis qui falsum dicit fallit, at non omnis qui fallit falsum dicit: vt vel ex eo patet, quòd si Deus, aut homo Petrum falsa aliqua opinione imbutum excitaret ad illam suam opinionem Paulo persuadendam, Paulum mediante Petro falleret, nec tamen falsum Paulo per Petrum diceret, cùm vt quis alicui per alium loqui dicatur, necessarium sit, vt supra probauimus, vt prius illud ipsum quod per alium censetur dicere, immediatè per seipsum dixerit.

VI.

Respondeo secundò falsam esse vniuersaliter Minorem, & ad eius probationem dico, illud quod sub præceptum cadit, eatenus, & eo modo quo cadit, posse à Deo imperari, posseque per consequens hominem ad illud faciendum ab ipso excitari: at nego falsum assensum sub præceptum cadere posse directè primò & per se, seu quatenus falsus est: quanquam concedo cadere posse nonnunquam purè per accidens, ratione nimirum conformitatis cum recta ratione, & honestatis ad virtutem aliquam pertinentis, veritatisque practicæ quam habet, ob quam primò & per se ac directè assensus ille sub præceptum cadere potest: cui veritati, honestati, conformitati coniungitur merè per accidens aliquando speculatiua falsitas, seu difformitas assensus & cognitionis ab obiecto cognito.

VII.

Quod vt clarius fiat, sumo prædictum dictamen rectæ rationis & veræ prudentiæ, dictantis illud esse credendum quod graues & boni viri affirmant: hoc dictamen seu iudicium practicum verissimum est, & ad illud, quandoquidem vt suppono rectæ rationi consentaneum est, & actus veræ prudentiæ, excitare potest directè Deus, ipsumque imperare: neque de iudicio isto difficultas est, sed de hoc alio, ex priore illo ortum habente, quo iudicatur quidpiam à bonis & grauibus viris affirmatum verum esse, cùm tamen falsum sit.

VIII.

De quo posteriore iudicio dico in primis, ipsum nulla lege imperari posse, Deumque ad illud excitare non posse directè primò & per se, quatenus falsus est, seu ratione falsitatis quam habet. Dico secundò posse tamen aliqua lege imperari, hominémque per consequens à Deo posse ad ipsum excitari, etiam primò & per se, seu directè, sed ratione conformitatis cum recta ratione, honestatisque moralis quam sup-

ponitur

ponitur habere, ratione item veritatis practicæ quam habet, quatenus est conforme iudicio illi priori practico & veræ prudentiæ, quo iudicatur bonis & grauibus viris quidpiam affirmantibus esse credendum. Lex enim imperare primò & per se directéque potest quemlibet actum veræ virtutis, & rectæ rationi consentaneum, Deúsque ad illum primò & per se ac directè excitare.

Nec obstat quòd hic actus aliquando speculatiuè falsus est, dúmodo falsitas hæc merè per accidens illi actui insit, vt contingit in exemplo proposito iudicij quo credimus verú esse, quod à grauibus & bonis viris affirmatur: huic enim iudicio practicè vero & honesto, prout iam explicui, tam per accidens inest speculatiua falsitas, quàm per accidens se habet ad prædictum illud iudicium veræ prudentiæ, quòd illi boni viri & graues falsum dicant, & tanquà verum credendum proponant: sicut ad iudicium istud practicum & verum, rectæque rationi consentaneum, quo nimirum iudicamus conscientiam in omnibus vel fugiendis vel faciendis quæ bona fide dictat esse sequendam (contra hàc enim agere semper peccatum est) merè per accidens se habet quòd conscientia sit aliquando inuincibiliter, ac proinde inculpabiliter erronea, obligétque per consequens nonnunquam ad id faciendum quod ex se malum est, & quod nisi fiat, peccatum erit, quódque, quando fiet, bene & honestè fieri poterit: quod quidem Deus primò & per se imperare non potest, seu quatenus est quidpiam per se & à parte rei malum, per accidens tamen & suppositio inuincibili errore conscientiæ, potest, & vt fiat excitare, ratione bonitatis moralis quam accipit ex conscientia inuincibiliter errante: quod dum imperabit, & vt fiat excitabit, à nemine meritò censebitur ad malum excitare, sed è contrario ad bonum, & à malo reuocare, quandoquidem peccatum esset, quod conscientia bona fide dictat esse faciendum, non facere.

Tertium. Potest Deus habitum erroris in intellectum hominis se solo infundere, ergo & falsum dicere. Probatur antecedens ex eo quòd potest se solo producere omnem illum habitum quem potest cum causis secundis, vtpote qui solus tantam habet virtutem actiuam ad productionem omnis eiusmodi habitus, quàta requiritur, vt ab ipso simul cum causis secundis producatur. Consequentia probatur, Deus enim eo ipso quo erroris habitum se solo infundit, id affirmat aliquo modo, & dicit ad quod inclinat ille habitus, inclinat autem ad falsum. Respõdeo primo, quidquid sit de antecedente, de quo mox dicam, negandam consequentiam: cuius ad probationem dico Deum habitum erroris se solo infundentem aliud nihil facere, quàm intellectum hominis cui infunditur inclinare ad falsum, quod facere, non est propriè falsum dicere, vt constat ex prima responsione ad superius argumentum.

Respondeo secundò videri probabilius falsum esse antecedens: ratio est, quòd cùm habitus erroris actu existens in intellectu sit ex essentia sua formalis quædam & actualis inclinatio, & veluti impulsio qua inclinatur & impellitur intellectus ad falsum, si Deus hanc ad falsum inclinationem se solo efficere posset, nulla supeteret ratio negandi, quin posset etiam per seipsum directè & formaliter excitare aliquem hominem falsa aliunde opinione imbutum ad hanc suam opinionem alteri persuadendam: quod tamen ipsum posse concedendum non est, quia hoc facere, est propriè authorem falsi esse, & fallere, quod Deo repugnare satis constat ex antedictis.

Ad probationem antecedentis dico primo, si quid valeret, ea quoque probatum iri Deum authorem peccati esse posse: omnis enim qui alium ad peccandum excitat author est peccati, Deus autè ad hoc propriè excitare posset, quia dum homo vnus alium ad peccandum excitat, formalem hanc & propriam excitationè Deus simul cum homine efficit: posset ergo hanc aut similem per se solum efficere, ac proinde hominem propriè ad peccandum excitare, quia tantam virtutem actiuam solus habet ad huius excitationis productionem, quanta requiritur, vt ab ipso simul cum homine producatur. Quare sicut dicendum est, dependentiam quidem nuius excitationis à Deo cum causis secundis per generalem influxum concurrente esse possibilem, quòd ex ea non possit propriè ac verè Deus denominari excitans ad peccatum, nec quidquam aliud inferri queat aut diuino vlli attributo repugnans, aut aliunde contradictionem inuoluens, eiusdè verò excitationis à solo Deo dependentiam, ex qua verè & propriè denominari posset ad peccatum excitans, authórque peccati, esse impossibilem, & non ens formaliter: ita dico dependentiam habitus erroris à Deo simul cum causis secundis generali concursu influente esse possibilem, quòd ex ea non possit propriè & verè Deus denominari author falsitatis, & fallere, nec quidquam aliud sequatur aut Deo, aut aliunde repugnans: at dependentiam eiusdem habitus in intellectum hominis à solo Deo infusi esse impossibilem, quia ab ea verè diceretur Deus propriè falsi author & fallere: quod ei tam repugnat, quàm non habere simpliciter infinitam iupra declaratam veracitatem.

Dico secundò illa antecedentis probatione vt summum eumci, in potentia exequente Dei esse vim actiuam sufficientem ad productionem aliquo in casu habitus erronei per solú Deum, nempe in eo in quo ex illa huius effectus a solo Deo dependentia denominari verè non posset fallere, & ad falsum assensum inclinare seu excitare: quod contingeret, si habitum illum crearet extra omne subiectú, aut eo in subiecto poneret, quod capax non esset inclinationis & excitationis ad falsum, aut falsi assensus, vt in lapide. Verùm etsi hæc actiua vis exequenti Dei potentiæ concedatur, quia nulli diuino attributo, nec aliunde repugnat, non est tamen eidem potentiæ concedenda vis actiua ad productionem habitus erronei in quouis casu, & quocunque in subiecto per solum Deum, in eo nimirum in quo ex hac productione denominaretur verè ac propriè Deus author assensus falsi, & fallere, quia vis ista est imperfectio Deo repugnans, vt ex supra dictis constat.

V. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm habitu fidei diuinæ poßit quis vti ad credendum falsum?

SECTIO PRIMA.

I. *Partis negantis veritas vnica ratione probatur, & duplici obiectioni respondetur.*

OMMVNIS de proposita quæstione Theologorum sententia in 3. dist. 23. & D. Thomæ hic art. 1. est negans: ratio autem qua communiter vtuntur, hæc est, quòd nulla potentia nullúsque habitus ferri potest extra obiectum suum, obiectum autem fidei diuinæ est res reuelata à Deo: vnde concluditur euidenter habitum hunc ferri non posse nisi in rem à Deo reuelatam, quæ res cùm falsa esse nequeat, quia nequit vlla potestate Deus falsum dicere, vt superiori disputatione probauimus, sequitur prædictum habitum nulla potentia in falsum ferri posse.

II. At contra rationem hanc & probatam ea doctrinam obiicies primò. Si fidei diuinæ obiectũ non est res à Deo reuelata, sed res quę vel à Deo reuelata est, vel bona fide existimatur reuelata, quamuis à parte rei non sit, fides diuina ferri poterit in falsum: atqui fidei diuinæ obiectum eiusmodi est. Cõsequutio Maioris patet, res enim quæ bona fide existimatur reuelata à Deo, quãuis reipsa reuelata nõ sit, falsa esse potest. Minor probatur, sicut enim misericordiæ, verbi causa (idem autem est iudicium de cæteris virtutibus moralibus) obiectum non est pauper, seu miser à parte rei, sed is qui vel a parte rei talis est, vel qui bona fide esse existimatur, quo fit vt veræ misericordię actus tam exerceri possit erga diuitem qui se pauperem fingit, & bona fide prudẽtérq. pauper existimatur, quàm erga eum qui à

III. parte rei pauper est: ita fidei diuinæ obiectum est res vel a parte rei à Deo reuelata, vel quę bona fide ab ipso reuelata existimatur.

Ad hoc argumentum respondent omnes negãdo Minorem, & rectè: sed ad Minoris probationem non omnes eodem modo respondent. Prima responsio est, hoc esse discriminis inter virtutes morales, qualis est misericordia, aliæq. in voluntate sedem habentes, & intellectuales, qualis est diuina fides, quòd illæ non ferantur nisi in bonum honestum, hę verò nisi in verum, illę autẽ in bonũ honestum æquè ferri possint, quando obiectum earum vel à parte rei tale est, vel etsi tale non sit, esse tamẽ bona fide putatur: at hæ ferri nequeant in verum, si obiectum earũ à parte rei verum non est, licet esse bona fide existimetur. Hæc responsio veram doctrinam continet, sed argumento non satisfacit: supponit e-

IV. nim fidem diuinam esse virtutem intellectualem, cùm tamen argumentum directe contendat non esse, eo ipso quo probat ipsam in falsum ferri posse.

Omissis autem duabus aliis responsionibus quę nihilo magis satisfaciunt quàm precedens, vera responsio est, hanc esse virtutum moraliũ, siue naturalium, siue supernaturalium in voluntate sedem habentium, naturam, vt earum obiectum non sit res prout a parte rei existit, sed prout est in intellectu prudentis. Quam ob causam Philosophus in Ethicis virtutem moralem definiuit habitum electiuum in mediocritate consistentem quam vir prudens determinarit: quo fit, vt siue mediocritas à viro prudente determinata sit vera à parte rei mediocritas, siue non sit, virtutis actus semper exerceri possit, quia semper habet obiectum suum in quod tẽdat, nempe mediocritatem à prudente viro determinatam. At cùm virtutũm moralium voluntati inhærentium hæc natura sit, habituum in intellectu existentium, eorúmque saltem qui speculatiui sunt, de quorum numero constat esse diuinæ fidei habitum, hæc natura est, vt eorũ obiectum tã materiale quàm formale sit res, nõ prout esse talis ab intellectu prudenter iudicatur, siue talis à parte rei sit, siue nõ sit; sed prout à parte rei talis est, vt constat inductione.

V. Neque enim habitus scientiæ feretur vnquã in aliquam conclusionem falsam tanquam in obiectum materiale, quantumcunque prudenter vera existimetur, sed in eam solam quę à parte rei vera est: neque vnquam eliciet assensum conclusionis veræ ex proprio suo formali obiecto, nempe ex medio demonstratiuo, si à parte VI. rei non sit demonstratiuum, quantumuis esse prudenter existimetur: neque Physicæ habitus feretur vnquam in aliquid tanquam in obiectũ suum materiale, si à parte rei non sit eius materiale obiectum, licet esse putetur: nec in id quod ad ipsius obiectum materiale pertinet, feretur vnquam ex proprio formali obiecto quo à cæteris scientiis distinguitur, nisi à parte rei obiectum hoc sit proprium eius formale obiectum, nec satis erit si bona fide tale esse iudicetur. Vnde pari iure dico diuinæ fidei habitum ferri non posse tanquam in obiectum materiale, in rem quæ à parte rei reuelata non sit, quamuis esse reuelata prudenter putaretur, quia eius obiectum materiale non est nisi res quæ à Deo reuelata à

VII. parte rei est, nec in rem vllam ferri posse ex proprio suo formali obiecto, quod est reuelatio Dei, si hæc reuelatio à parte rei non est, sed tantum esse iudicatur, quia formale eius obiectum non est alia Dei reuelatio, quàm ea quæ à parte rei est.

Obiicies secundò. Si potest quis obligari ad credendum falsum per habitum fidei diuinæ, potest & credere, atqui potest obligari, ergo & credere. Maioris consequentia est euidens, ad impossibile enim simpliciter & absolutè loquẽdo obligari nemo potest. Minor probatur primùm, quia dubium non est quin accidere possit, vt quis ex conscientia inuincibiliter errante putet rem aliquam quæ à parte rei falsa est, esse à Deo reuelatam, & se ad eam credendam propter authoritatẽ Dei reuelantis, ac proinde fide

VIII. diuina obligari: conscientia autem errans inuincibiliter obligat ad id faciendum quod dictat.

Probatur deinde hoc argumento. Si res falsa sufficienter proponi potest credenda tanquã à Deo reuelata, potest etiam quis obligari ad credendum falsum fide diuina: atqui potest sic credenda proponi sufficienter. Maioris huius consequentia constat ex eo quòd obligamur, aut obligari possumus ad id credendum fide diuina, quod nobis sufficienter propositum est tãquam reuelatũ à Deo, rem enim veram & à Deo

reuelatam non obligamur fide diuina credere, niſi poſtquam ſufficienter nobis propoſita eſt vt à Deo reuelata & credenda, & ad hanc ſic credendam obligamur, aut obligari poſſumus, eo ipſo quo ſic nobis eſt ſufficienter propoſita.

Minor autem huius ipſius argumenti ex eo ſuadetur, quòd poſſunt abſolutè loquendo viginti aut triginta Epiſcopi viri graues & docti ex Concilio aliquo generali redeuntes conuenire inter ſe ad proponendum populo quidpiam falſum tanquam verum, & vt fidei articulum in Concilio definitum: hoc autem eos poſſe, eſt poſſe falſum ſufficienter proponere tanquam verum, & à Deo reuelatum, & credendum fide diuina, & ſi reipſa hoc facerent, reipſa quoque falſum ſufficienter ſic proponerent: tum quia ſi rem veram à Deo reipſa reuelatam, & verè in Concilio vt articulum fidei definitam populo ſic proponerent, eam ſufficienter proponerent vt credendam fide diuina, cùm vix vnquam accidat veram fidei doctrinam meliùs & ſufficientiùs proponi credendam: proponentes ergo falſum eodem modo, ſufficienter proponent vt diuina fide credendum: tum quia ſi rem falſam ita ſibi propoſitam populus diſcrederet, contra fidem peccaret: contra quam tamen non peccaret, niſi res falſa quam diſcredit, ſufficienter eſſet propoſita ad credendum vt vera, & à Deo reuelata.

I. A

II. B

Reſpondeo ad obiectionem conceſſa Maiore negando Minorem: cuius ad primam probationem dico, id quod dictat faciendum conſcientia inuincibiliter errans aut eſſe ſimpliciter poſſibile, aut non eſſe: ſi poſſibile eſt, obligat ad illud faciendum: ſi non eſt poſſibile, non obligat ad illud faciendum, ſed ad tentandum & conandum illud facere. Cùm enim conſcientia errans dictet illud faciendum, ex conſequenti putat eſſe poſſibile, ad id autem quod poſſibile putatur faciendum conatus adhiberi poteſt, & debet, quando non modo poſſibile, ſed etiam faciendum eſſe iudicatur: quod tamen à parte rei nunquam fiet, quantumuis quis conetur facere, quia, vt ſupponimus, eſt a parte rei impoſſibile. Quare cùm falſum aliquid a Deo non reuelatum tanquam ab ipſo reuelatum credere fide diuina ſit prorſus impoſſibile, quia nullus habitus ferri poteſt extra obiectum ſuum, obiectum autem fidei diuinæ non eſt niſi res vera a Deo reipſa reuelata, vt docuimus, conſcientia ex inuincibili errore dictans quidpiam eiuſmodi falſum credendum eſſe fide diuina, non poteſt obligare ad illud hac fide credendum, ſed ſolum ad conandum illud ita credere: quod tamen quantumcunque conetur facere homo errans, nunquam reipſa faciet, quia fieri eſt impoſſibile.

III. C

Nec refert, quòd ex hoc conatu adhibito ſibi perſuadebit ſe illud per fidem diuinam credere, non enim propterea ſic credet, ſed hoc ſibi perſuadens decipietur: ſicut qui concluſioni alicui falſæ aſſentitur, quam veram eſſe ſibi perſuadet, aut ex medio aliquo non demonſtratiuo, quod tamen demonſtratiuum eſſe putat, non propterea verè & à parte rei habitu ſcientiæ vtitur ad eliciendum aſſenſum concluſionis illius, quantumcunque ſe illo vti putet, ſed hoc putans decipitur.

IV. D

Ad ſecundam eiuſdem Minoris probationem reſpondeo primò negando Maiorem, etſi enim falſum ſufficienter proponi poſſet vt à Deo reuelatum, & credendum propter eius authoritatem, non ſequeretur tamen nos obligari ad illud diuina fide credendum, quia ad impoſſibile obligari nemo poteſt: eſſet autem, etiam ſuppoſita ſufficienti illa propoſitione, impoſſibile falſo ita propoſito per fidem diuinam aſſentiri: ex qua proinde propoſitione ſufficienti vt ſummum obligaremur ad conandum credere fide diuina falſum nobis ita ſufficienter propoſitum, eodem modo quo ad id obligari poſſumus aliquando ex conſcientia erronea, vt paulò antè dictum eſt.

V.

Reſpondeo ſecundò negando Minorem: ſi enim falſum ſufficienter proponi poſſet vt à Deo reuelatum, & propter eius authoritatem diuina fide credendum, ſequeretur poſſe merito quemlibet fidei myſteria, aut omnia, aut pleraque reuocare in dubium, quod tamen hæreticum eſſe ſuprà diximus: quandoquidem enim falſum æquè ac verum ſufficienter proponi poſſet vt à Deo reuelatum, & fide diuina credendum, neque quidquam aliud hac fide credimus, obligamurque credere, quàm quod nobis ſufficienter eſt propoſitum vt à Deo reuelatum, poſſet merito quiuis de pleriſque ſibi hactenus ſufficienter propoſitis, & in poſterum proponendis ad credendum tanquam à Deo reuelatis dubitare, num à parte rei falſa ſint, & nunquam à Deo reuelata, quæ tamen ſint ſufficienter propoſita tanquam vera, & tanquam ab ipſo reuelata.

VI.

Quare cùm diuinę fidei aſſenſus ex natura ſua certiſſimus ſit, Deúſque ab homine exigat indubitatam fidem earum omnium rerũ quæ ipſi tanquam ab eo reuelatæ ſufficienter proponuntur, dicendũ eſt, & naturæ fidei diuinæ, & Dei authoritati, cuius effectus eſt indubitata illa fidei certitudo, quandoquidè hæc illi tota innititur, prorſus repugnare, vt permittat Deus, poſſitve permittere, vt quod falſum eſt ſufficienter tanquam verum & à Deo reuelatum ad credendum proponatur. Vnde conſequenter negandum eſt, poſſe Deum permittere, vt viginti aut triginta illi Epiſcopi, de quibus in obiectione ſermo eſt, ita inter ſe conueniant, quandoquidè ſupponitur illa per eos ita conuenientes facta rei falſæ propoſitio eſſe ſufficiens propoſitio rei tãquam à Deo reuelatæ, & credendæ fide diuina.

VII.

Cæterùm non nego, quin poſſit abſolutè permittere Deus, vt Epiſcopi illi inter ſe conueniant ad falſum populo proponendum tanquam à Deo reuelatum, & in Generali Concilio definitum: ſed nego hanc, & quamcunque aliam ab ipſo permiſſam rei falſæ propoſitionem tanquam diuinitus reuelatæ, poſſe eſſe ſufficientem: ipſe enim hanc aut ſimilem rei falſæ propoſitionem permittens, quæ ſi eſſet propoſitio rei à Deo reipſa reuelatæ, ſufficiens propoſitio meritò prudentérque cenſeretur, non poſſet ex illa infinita ad quiduis certiſſimè perſuadendum quam habet authoritate, non determinari ad ea ſigna danda populo, vel exteriùs, vel interiùs, vt per internas illuminationes & inſpirationes, ex quib. meritò & prudẽter quilibet dubitare poſſet de veritate rerũ quæ ab Epiſcopis

VIII.

illis proponerentur, & ex quibus proinde illa eorum propositio insufficiens redderetur.

SECTIO II.

Duabus aliis obiectionibus respondetur.

I. PRIMA hæc est. Prudentiæ non modò naturalis & acquisitæ, sed etiam supernaturalis & infusæ habitus falsum assensum aliquando elicit: ergo potest falsum assensum elicere fidei diuinæ habitus. Consequentiæ bonitas probatur, si enim habitus hic istud non posset, ideo non posset, vel quia est habitus intellectus, vel quia est supernaturalis habitus: at vtrumque conuenit habitui prudentiæ infusæ, nec tamen hoc impedit quominus falsum assensum possit elicere, vt in antecedente dicitur: quod antecedens probatur primùm ex supradictis de naturali prudentia: superiori enim sectione diximus habitum misericordiæ exercere proprium actum suum posse circa eum qui non est pauper à parte rei, sed talis esse prudenter iudicatur, quod prudentiæ iudicium paret falsum esse. Probatur deinde de prudentia supernaturali & infusa, cuius hic est exempli gratia proprius actus & assensus, nempe adorandam esse hostiam quam sacerdos sacrum faciens eleuat, qui assensus aliquando falsus est, tum nimirum cùm eleuata hostia ritè consecrata non est, ob sacerdotis vel imperitiam, vel malitiam.

II. Respondeo primò, quidquid sit de antecedente, de quo mox dicam, non valere consequentiam: siue enim prudentiæ vel naturalis, vel supernaturalis habitus talis ex essentia sua sit, vt eius proprio actui non repugnet subesse falsum, siue non sit, habitus fidei diuinæ talis est ex essentia sua, vt hoc eius proprio actui repugnet, non ex eo præcisè quod sit habitus intellectus, aut quod sit supernaturalis habitus, sed ob rationem quam initio disputationis huius attulimus.

III. Respondeo secundò falsum esse antecedens: omnis enim proprius siue naturalis siue supernaturalis actus seu assensus ab ipso prudentiæ habitu elicitus verus est, nec falsus vnquam esse potest. Vnde nego iudicium illud, quod est proprius infusæ prudentiæ actus, & quo iudicatur adorandam esse hostiam quam sacerdos sacrum faciens eleuat, tunc esse falsum quando hostia consecrata non est: siue enim consecrata sit, siue non sit, semper tamen verum est adorandam eam esse, quando nulla subest occasio prudenter suspicandi sacerdotem suo munere functum non esse, vt subesse nullam suppono, etiam tunc quando à parte rei, vel ob occultam IV. sacerdotis malitiam, vel ob ignorantiam consecrata non est. Neque verò prudentia infusa absolutè iudicat eam hostiam quam sacerdos sacrum faciens eleuat, esse à parte rei consecratam, & proinde à parte rei adoratione dignam: quod sanè iudicium tum falsum esset, cùm consecrata reipsa non esset, sed solùm iudicat esse adorandam, quòd, vt dixi, & eo sensu quo dixi, semper verum est.

Vnde etiam pariter nego iudicium quo quis absolutè iudicatur esse pauper, qui pauper ex- A teriùs apparet, & tamen reipsa pauper non est, esse proprium prudentiæ actum ab ipsa elicitum: neque, cum dixi misericordiæ actum exerceri posse circa eum qui non est pauper, talis tamen esse prudenter iudicatur, contrarium volui, sed tantùm volui, tum veræ misericordiæ actum exerceri posse, cùm prudentia dictat aut esse dandam eleemosynam ei qui pauper apparet, aut eum qui apparet pauper non esse iudicandum diuitem, quando nulla est probabilis hoc iudicandi ratio: aut denique eum qui pauper apparet nullo cum signo fictæ paupertatis, imò cum signis sufficientibus veræ paupertatis, esse tractandum vt vere pauperem, imò talem credendum esse & iudicandum: hæc enim omnia prudentiæ iudicia verissima sunt, nec falsa esse possunt, siue pauper apparens sit à parte rei pauper, siue non sit. V.

Solùm ex hoc tertio iudicio, quo prudentia iudicaret prædictum pauperem esse credendum verè pauperem, videtur sequi posse quidà alius prudentiæ actus reipsa falsus, is nimirum quo creditur esse à parte rei pauper qui talis apparet, neque tamen est: at hic credulitatis actus B non dicitur actus prudentiæ, quasi sit ab ipsa prudentia elicitus, sed prudentiæ actus dicitur, quia practicè verus est, & conformis prædicto illi tertio practico veróque iudicio, quod proprius prudentiæ actus est: sicut & actus quo credimus verum esse quod graues & boni viri affirmant, quod tamen aliquando falsum est, actus prudentiæ dicitur, non quod ab habitu prudentiæ eliciatur, ab habitu enim fidei humanæ elicitur, sed quia practicè verus est, id est, conformis illi practico veróque iudicio quod proprius prudentiæ actus est, vt suppono, quo nimirũ iudicatur bonis & grauibus viris quidpiam affirmantibus, cuius falsitas nullo signo se prodit, esse credendum, de quo actu superiori disput. sect. vltima in solutione secundi C argumenti fusè dictum est. VI. VII.

Secunda est. Fides antiquorum Patrum inclinabat ad falsum, ergo & nostra: Consequentiæ bonitas patet, eiusdem enim est rationis nostra & illorum diuina fides. Probatur antecedens, inclinabat ad assensum huius propositionis, Christus est nasciturus, at hic assensus poterat esse falsus: poterat enim Iudæus aliquis paulò antequam Christus nasceretur hunc assensum elicere, eundémque aliquandiu, & proinde ad Christi vsque natiuitatem & vltra continuare, quo tamen tempore continuatus falsus fuisset, non per aliquam suam intrinsecam, sed per extrinsecam solius obiecti mutationem: sicut assensus quo quis iudicat Petrum sedere verus est pro eo tempore quo Petrus sedet, falsus D pro eo quo non sedet ampliùs. VIII.

Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem dico, pro eo tempore quo fides inclinabat ad assensum prædictæ propositionis, non potuisse assensum illum falsum esse: non est enim diuinæ fidei assensus de numero eorum qui de veris possunt fieri falsi, & vice versa de falsis veri, per solam externam obiectorum mutationem: in hoc siquidem numero reponendi sunt ij soli assensus qui ex natura sua sunt incerti, & quorum formales rationes falso æquè ac vero applicari possunt,

quales sunt actus opinionis, & fidei humanæ, qualis non est actus scientiæ, fidei diuinæ, & similes.

Vnde consequenter dico fidem diuinam non potuisse inclinare ad assensum propositionis prædictæ, nisi pro eo tempore quo vera erat illa propositio: vera autem non erat A
I. pro eo tempore quo Christus natus iam erat, sed pro eo solùm quo natus nondum erat: non inclinabat ergo fides ad assensum propositionis illius nisi eo tempore quod Christi natiuitatem præcedebat: quo sanè tempore assensum illi propositioni datum semper verum fuisse, nec falsum esse potuisse pro eodem tempore, per se patet. Quapropter fieri non poterat, vt Iudæus ille, aut quisquam alius assensum fidei diuinæ illi propositioni datum, & ante Christi natiuitatem inchoatum continuaret inclusiuè vsque ad instans natiuitatis eius, aut postea, quia instanti illo, & post illud propositio illa vera amplius non erat: neque etiam fieri poterat, vt eo tempore quo
II. prudenter dubitare quis poterat, venisset ne plenitudo temporis in quo Christus nasci debebat, an nondum venisset, actum fidei diuinæ exerceret, quo crederet Christum nondum natum esse: iudicium enim istud, quandoquidem de prædicta re dubitari prudenter poterat, certum ex natura sua esse non poterat, nec proinde esse actus fidei diuinæ, qui ex natura sua certissimus est: qui ergo tum temporis credidisset Christum nondum natum esse, & aliquando nasciturum, id non assensu fidei diuinæ credidisset, sed humanæ, aliove simili ex natura sua dubio & opinatiuo, quem, non mirum si ante Christi natiuitatem inchoatum, post eam peractam continuare potuisset, cùm hic assensus sit de numero eorum qui ex veris falsi fieri possunt per solam extrinsecam obiecti mutationem.

III. Quòd si illo ipso tempore, quo de re præfata poterat esse prudens dubitatio, volebat quis actum diuinæ fidei circa Christi natiuitatem exercere, poterat quidem, sed ita vt assensus circa substantiam natiuitatis versaretur, abstrahendo à circunstantiis temporis, vel futuri, vel præsentis, vel præteriti, id est, ita vt assensu illo non crederetur Christus vel tempore præsenti nasci, vel præterito natus, vel futuro nasciturus, sed solùm crederetur aut iam natus, aut nasciturus: quem assensum qui ante instans natiuitatis eius elicuisset, continuare & hoc ipso instanti, & post illud potuisset, quoniam, vt patet, tam hoc instanti, & post hoc instans, quam ante verus & certus extitisset: sicut & tam post Christi natiuitatem quàm ante vera semper est propositio, qua ipse aut natus aut nasciturus affirmatur. Atque hæc circa primæ quæstionis
IV. articulum tertium: de materia articuli 4. & 5. dicemus infrà commodiùs: pro sequentibus articulis intelligendis S. Thomæ textum legere sufficiet.

DISPVTATIO VIII.

Quid sit internus diuinæ fidei actus?

POSTQVAM S. Doctor quæstione prima de obiecto tam materiali quàm formali fidei, deque pertinentibus ad hoc obiectum disputauit, sequentibus quinque quæstionib. de actu interno externóque fidei, de ipso fidei habitu, deque spectantibus ad habitum hunc, & ad vtrumque illum actum tractare aggreditur: cuius doctrinam quæstionibus illis de rebus hisce traditam sequentibus disputationibus explicabimus, iis solùm omissis, quæ, quòd ex eius textu facillimè intelligi possint, nullam requirunt explicationem: eo autem explicabimus ordine, qui nobis & commodior, & clarior, & ad fructum discipulorum vtilior visus est. Quare primùm de interno fidei actu omnibúsque ad ipsum pertinentibus, tum de externo actu, postremò de habitu disputabimus. V. VI.

Et quidem interni fidei actus D. Thomas hanc affert art. 1. quæst. 2. ex S. Augustino lib. de Prædest. Sanct. cap. 2. definitionem: Credere est cum assensu cogitare: quæ definitio absolutè loquendo essentialis non est: sumpta enim secundùm totam vim significationémque verborum quibus traditur, tam fidei humanæ interno actui quàm diuinæ conuenit, imò etiam omnibus intellectus nostri assensibus. Neque verò D. Augustinus eo loco voluit exactam tradere interni fidei actus definitionem, scopus enim eius erat probare, non posse nos per naturæ vires absque auxilio gratiæ internum fidei actum exercere: quod vt probaret, definiuit actum hunc assensum cum cogitatione: & quoniam constat cogitationem hanc vtilem esse C VII.
ad salutem & vitam æternam, sicut & ipsam fidem: aliunde verò habemus ex Apostolo, nos non esse sufficientes cogitare aliquid eiusmodi ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientiam nostram ex Deo esse, hinc optimè concluserit, nos non posse per solas naturæ nostræ vires credere, quandoquidem nec possumus per easdem aliquid ad salutem vtile cogitare, omnis autem qui credit, eo ipso quo credit, aliquid eiusmodi cogitet.

Vera autem & essentialis actus illius interni definitio hæc est, Assensus alicui propositioni datus propter authoritatem Dei reuelantis: tum quia traditur per actum & obiectum tam materiale quàm formale huius ipsius actus, de essentia autem cuiuscunque actus, siue voluntatis, siue intellectus, aliud nihil esse potest, D VIII.
quàm actus circa proprium suum tam materiale quàm formale obiectum: tum quia traditur per genus proximum & specificam differentiam: conuenit enim internus fidei actus in assensu propositioni alicui dato, tanquam in genere proximo, cum aliis omnibus intellectus assensibus datis aliquibus propositionibus: per motiuum autem assentiendi, quod est authoritas Dei reuelantis, ab aliis omnibus essentialiter differt: quem quidem internum fidei

assensum esse essentialiter obscurum, probaui tum authoritate, tum ratione, sectione 4. tertiæ disputationis.

DISPVTATIO IX.

Vtrùm internus diuinæ fidei actus discursu perficiatur?

SECTIO PRIMA.

Pars negans duobus argumentis probatur.

I. A

SENSVS propositæ quæstionis est, vtrum sit assensus enunciatiuus pertinens ad secundam mentis operationem, an vero formaliter & essentialiter discursus, siue assensus illatus pertinens ad tertiam. Affirmant esse discursum Durandus in 3. dist. 24. quæst. 1. num. 8. & Gabriel Vasq. obiter 1. parte disput. 5. cap. 3. Negant Capreolus citata

II. B

distinct. in respons. ad argumenta, contra 2. & 4. conclusionem, Scotus ibidem quæst. vnica in fine. Ochamus quodlib. 3. quæst. 7. Vega lib. 9. in Trident. Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 3. concluf. 3. Bann. hac 2. 2. quæst. 1. art. 1. dubio 3. concluf. 5. Caiet. aliique recentiores hic, pro quorum opinione contra primæ sententiæ authores

Primum argumentum istud est, quo & hæc horum sententia, & propria eius explicandæ ac defendendæ ratio refellitur. Omnis assensus illatus seu pertinens ad tertiam mentis operationem oritur & infertur ex vi alicuius præuij assensus: ergo si fidei diuinæ internus actus est

III. C

assensus illatus, orietur & inferetur ex vi præuij alicuius assensus: antecedens ex Logica certum est, consequentia est euidens: quo posito, quæro, vtrum assensus ille prior, ex quo dicitur inferri fidei assensus, sit assensus fidei diuinæ, an non? esse respondent aduersarij, qui propterea dum dicunt assensum quo, exempli causa, credimus Christum resurrexisse, esse assensum fidei diuinæ, & illatum ex assensu dato duabus his præmissis, quidquid Deus reuelat verum est, atqui Christum resurrexisse reuelauit, simul dicunt datum huic posteriori præmissæ assensum esse fidei diuinæ actum quo creditur ipsa reuelatio de Christi resurrectione, propter ipsammet formaliter reuelationem. qua supposita responsione, de isto assensu fidei diuinæ, ex quo alius fidei assensus inferri dicitur, quæro, vtrum inferatur ex vi prioris alicuius assensus? Si non infertur, habemus

IV. D

actum fidei diuinæ non esse assensum illatum, sed enunciatiuum, & spectare ad secundam mentis operationem: quod si inferatur, quæro rursus, vtrum assensus ille præuius ex vi cuius infertur sit assensus fidei diuinæ, an non? si non est, assensus ex eo illatus non erit actus fidei, vt & expresse docent aduersarij, & ex paulò ante relata ad similem quæstionem eorundem responsione clarum est: si est, quæro denique, vtrum sit illatus ex alio præcedente, an non: quo ex argumento manifestum est aut admitti progressum infinitum in actibus fidei, si dicantur esse singuli ex aliquo præuio illati, aut sistendum esse in aliquo actu fidei qui sit assensus non illatus, sed tantùm enunciatiuus, & ad secundam mentis operationem pertinens.

V. Quod negare cùm nequeant iidem aduersarij, conuicti euidentia huius argumenti, respondent sistendum reuera in aliquo eiusmodi actu esse, sed præter hunc actum fidei diuinæ, quo reuelatio de mysterio ad credendum proposito, vt de Christi resurrectione, creditur propter ipsam reuelationem, esse admittendum alium fidei diuinæ assensum illatum ex vi huius prioris assensus, & illum assensum esse eum quo Christi resurrectio creditur. Verùm si facile capiunt aduersarij, quomodo fieri possit, vt hæc propositio, Deus Christum resurrexisse reuelauit, credatur assensu aliquo diuinæ fidei non illato ex alio, sed immediatè propter authoritatem Dei reuelantis, nos pari facilitate capere possumus, quomodo fiat, vt ista altera propositio à Deo reuelata, Christus resurrexit, omnisque alia de quocunque fidei

VI. nostræ mysterio, credatur immediate propter eandem Dei reuelantis authoritatem.

Secundum argumentum est, assensum illatum, quem dicunt aduersarij esse actum fidei diuinæ, non esse distinctum vel ab assensu conclusionis Theologicæ, vel ab assensu scientiæ euidentis in testificante: quod & ipsis, & Theologis omnibus repugnat: sic autem ostendo non esse distinctum. Cùm præmissæ ex quibus assensus ille inferri dicitur sint hæ, Deus in dicendo verax est, atqui hoc dixit, quæro, vtrum assensus vterque vtrique illi præmissæ datus sit euidens, an vterque obscurus, & actus fidei diuinæ, an obscurus vnus fideique, alter verò euidens? si primum, assensus fidei erit es-

VII. sentialiter assensus scientiæ euidentis in testificante: hic enim assensus nullo alio formali obiecto seu motiuo nititur, quàm assensu euidenti illius vtriusque præmissæ: si secundum, aut tertium, erit essentialiter assensus conclusionis Theologicæ: sicut enim isti conclusioni hoc essentiale est, vt probaui in Tractatu de Deo, disput. 1. deduci ex duobus principiis vel diuina fide creditis, vel vno saltem diuina fide credito, & altero cognito euidenter, ita assensui isti conclusioni dato essentiale est, vtroque illo vtriusque præmissæ assensu niti, tanquam motiuo & obiecto formali, nec ex alio capite differt essentialiter à quouis alio assensu ad artes & scientias alias pertinente, vt ex dictis etiam ibidem notum est.

Respondent aduersarij assensum conclusionis Theologicæ hoc distingui ab assensu fidei diuinæ, quòd hic assensus inferatur proximè

VIII. ex duobus principiis, quorum vnum veracitatem Dei continet, alterum eiusdem reuelationem, ille verò non nisi remotè ex his principiis inferatur, proximè autem ex articulis fidei priùs ob veracitatem Dei reuelantis creditis: vnde & articuli fidei dicuntur principia conclusionum Theologicarum, & ipsa fides cum Theologia comparatur, sicut habitus principiorum cum habitu conclusionum.

Quæ eorum responsio, quò sit euidentior, faciam hîc duos discursus, quorum prior est

iſte, Deus in dicendo verax eſt: atqui dixit Chriſtum eſſe Deum & hominem: ergo Chriſtus eſt Deus & homo. Poſterior iſte eſt. Omnis qui Deus & homo eſt humanam diuinámq. voluntatem habet: atqui Chriſtus Deus & homo eſt: ergo Chriſtus habet humanam diuinámque voluntatem: quibus ex diſcurſibus priorem illum, fidei diſcurſum eſſe dicunt, & aſſenſum datum concluſioni prioris huius diſcurſus eſſe aſſenſum fidei diuinæ, illatum ex vi aſſenſus dati præmiſſis ad hunc ipſum diſcurſum pertinentibus: poſteriorem autem eſſe Theologicum diſcurſum, & aſſenſum datum concluſioni poſterioris huius diſcurſus eſſe aſſenſum concluſionis Theologicæ: quem poſteriorem aſſenſum patet non niti proximè præmiſſis veracitatem Dei & reuelationem continentibus, ſicut prior ille aſſenſus nititur: & præterea concluſionem poſitam in priore diſcurſu eſſe præmiſſam vnam poſterioris diſcurſus, aſſenſumque huic concluſioni datum, qui eſt fidei diuinæ illatus aſſenſus, eſſe aſſẽſum præmiſſæ vnius pertinentis ad diſcurſum poſteriorem, quo aſſenſu tanquam motiuo ſaltem partiali nititur aſſenſus Theologicus datus concluſioni poſterioris huius diſcurſus.

I. A

II. B

At hanc eorum reſponſionem retello, oſtendendo priorem diſcurſum æquè Theologicum eſſe atque poſteriorem, & aſſenſum datum concluſioni prioris illius diſcurſus eſſe æquè aſſenſum Theologicæ concluſionis, atque eſt ille qui datur concluſioni diſcurſus poſterioris. Hoc autem oſtendo primùm ex eo quòd cùm ſoleant omnes Theologi definientes Theologiam, eámque à cæteris ſcientiis diſtinguentes, dicere generaliter, eſſe aſſenſum concluſionum deductarum vel ex vtroque, vel ex vno ſaltem principio per fidem credito, hócque ſoleant tam generaliter dicere, quàm generaliter Philoſophi dicunt Phyſicam ſcientiam, verbi cauſa, eſſe aſſenſum concluſionum deductarum ex mediis ſcientificis Phyſicis, tam immeritò perperámque faciunt aduerſarij, dũ ab ambitu Theologici aſſenſus extrahũt aſſenſum vnum deductum ex vno, vel vtroque principio per fidem credito, qualis eſt aſſenſus ille quem dicunt eſſe actum fidei diuinæ, illatum ex principio veracitatem Dei continente & euidenter noto, & altero principio reuelationem Dei complectente credito fide diuina propter ipſammet reuelationem immediatè, atque perperam faceret is qui ab amplitudine Phyſicæ ſcientiæ exiſtheret aſſenſum concluſionis vnius ſcientificè cognitæ, deductæque ex vno medio demonſtratiuo phyſico.

III. C

Secundò, ſicut ab ambitu principiorum concluſionis Theologicæ nemo eximit, ne ipſi quidem aduerſarij, principium vllum euidenter notum, coniunctum cum altero principio per fidem credito, & nemo proinde iſtud, Deus in dicendo verax eſt, & verò nemo eximere meritò poteſt, cùm ex eo, alióque per fidem credito poſſit immediatè deduci aliqua concluſio, quæ omnium conſenſu Theologica erit, hæc exempli gratia, Deus in dicendo verax eſt, atqui Pater æternus eſt Deus, ergo Pater æternus in dicendo verax eſt: ita ab ambitu principiorum præfatæ concluſionis extrahere nemo meritò poteſt vllum principium diuina fide creditum, & nemo proinde iſtud, Deus hoc aut illud reuelauit: maximè cum ex eo per fidem credito, alióque ſiue euidenter ſiue obſcure per fidem cognito poſſit æquè deduci cõcluſio, quæ omnium conſenſu Theologica futura eſt, vt hæc verbi cauſa, Deus hoc aut illud reuelauit, atqui Pater æternus eſt Deus, ergo Pater æternus hoc aut illud reuelauit.

IV. D

Tertiò cùm huic concluſioni, ergo Chriſtus reſurrexit, dari poſſit aſſenſus ex vi aſſenſus dati duabus his præmiſſis, Deus in dicendo verax eſt: atqui Chriſtum reſurrexiſſe dixit: quæro, quando aſſenſus datur illi concluſioni ex vi vtriuſque huius aſſenſus, quorum alter, nempe priori præmiſſæ datus, eſt actus fidei diuinæ, alter, nempe poſteriori datus, eſt euidens, quæro inquam, vtrùm tum temporis aſſenſus datus ſit aſſenſus fidei diuinæ, an concluſionis Theologicæ? Si primum, ſibi non conſtabunt aduerſarij dicentes aſſenſum fidei inferri ex vi aſſenſus prænij dati reuelationi per fidem creditæ propter ipſammet reuelationem immediatè. Si ſecũdum, habebimus intentum: habebimus enim aſſenſum concluſionis Theologicæ nixum immediatè principiis veracitatem & reuelationem Dei continentibus: nec proinde verum erit quod iidem aduerſarij dicunt, aſſenſum fidei niti proximè & immediatè principiis iſtis, aſſenſum verò Theologicæ concluſionis non item, ſed mediatè tantùm & remotè.

V. VI.

Poſtremò non dubium eſt, quin reuelatio qua Deus reuelauit, exempli cauſa, Chriſtum reſurrexiſſe, poſſit eſſe reuelata per aliam reuelationem: ſupponamus ergo ita eſſe, quo ſuppoſito, ſit aliquis qui ſic apud ſe diſcurrat, Deus in dicẽdo verax eſt, atqui Deus dixit Chriſtum reſurrexiſſe, ergo Chriſtus reſurrexit, aſſentiaturque minori propoſitioni nõ propter ipſam reuelationem de Chriſti reſurrectione factam, ſed propter illam alteram reuelationem, per quam facta de Chriſti reſurrectione reuelatio reuelata eſt. Iam quæro, vtrùm aſſenſus illi concluſioni ſic datus ſit fidei diuinæ, an concluſionis Theologicæ? Si primum, ſibi non cõſtant aduerſarij dicentes aſſenſum fidei diuinæ inferri ex vi aſſenſus dati reuelationi creditæ non ex vi prioris alicuius aſſenſus, ſed immediatè propter ipſammet formaliter reuelationem. Si ſecundum, habemus intentum: habemus enim aſſenſum alicuius cõcluſionis Theologicæ illatum immediatè & proximè ex principiis veracitatem & reuelationem Dei continentibus.

VII.

SECTIO II.

VIII.

Eadem pars negans duobus aliis argumentis probatur.

PRIMVM eſt: ſequi ex opinione aduerſariorum aſſenſum fidei datum rei à Deo reuelatæ, illatumque ex vi prænij alicuius aſſenſus, non eſſe magis in ſubſtantia ſupernaturalem, quàm ſit aſſenſus concluſionis Theologicæ, contra non modò communem Theologorum, ſed ipſorum etiam aduerſariorum doctrinam, expreſsè docentium, concluſionis hu-

ius assensum mere naturalem in substantia esse, illum autem fidei assensum esse in substantia supernaturalem: si enim assensus Theologicæ conclusioni datus mere naturalis in substantia est, non obstante quòd elicitur ex vno, vel vtroque præmissarum assensu qui est actus fidei diuinæ: cur assensus ille fidei de quo agimus erit in substantia supernaturalis, ex eo quòd nititur duplici assensu dato duabus his propositionibus, Deus in dicendo verax est, atqui dixit hoc, aut illud, quorum assensuum vel alter, vel vterque est actus fidei diuinæ?

I.

Et sanè quæ ratio euincit assensum Theologicæ conclusionis in substantia mere naturalem esse, idem efficaciter concludit de assensu illo fidei de quo disputamus: illa autem ratio est, quòd nimirum ille actus mere naturalis in substantia fit, qui oritur à potentia naturali naturaliter operante, seu per vim naturalem, vt naturalis est, & ab obedientiali distinguitur, qualis potentia est intellectus, dum posito prævio præmissarum assensu elicit assensum illum fidei de quo agimus. Tunc enim tantummodo potentia naturalis per vim obedientialem operatur, quando coniungitur ei aliquid superioris ordinis ipsam eleuans, eiusque vim actiuam inchoatam & influxum debilem sua potentiore virtute complens, & vberiore influxu physicè & effectiuè adiuuans ad effectum producendum: at quando intellectus elicit prædictum illum fidei assensum, nihil tale ipsi coniungitur.

II.

Quid enim tale dicetur ei coniungi? an fortè supernaturalis habitus fidei diuinæ, vel vberior influxus generali Dei concursu supplens absentiam huius habitus? At dum intellectus assensum Theologicæ conclusionis elicit, pari iure dici pòsset intellectum eleuari ad hunc assensum efficiendum vel per habitum supernaturalem Theologiæ, vel per influxum Dei vberiorem generali supplentem absentiam huius habitus. Quare sicut antequam hic supernaturalis habitus, aut influxus vberior admittatur, & intellectum dicatur eleuare, & adiuuare ad assensum dandum conclusioni Theologicæ, priùs est supponendum hunc assensum in substantia supernaturalem esse: nunquam enim Theologi vllum habitum operatiuum in substantia supernaturalem admittunt, aut influxum vberiorem generali supplentem eius absentiam, nisi priùs ipsis constet vel certò, vel probabiliùs, actum ad quem efficiendum admittitur esse in substantia supernaturalem: ita priusquam admittatur vllus fidei diuinæ supernaturalis habitus, aut vberior Dei influxus ad actum fidei eliciendum, supponi tanquam certum aut probabilius debet, actum hunc in substantia supernaturalem esse, non verò supernaturalitas eius ex illo vel supernaturali habitu, vel influxu vberiori probari.

III.

IV.

An fortè dicetur ei coniungi assensus vnius præmissæ, qui est supernaturalis actus fidei? Verum assensus iste eum non adiuuat physicè & effectiuè ad assensum illum fidei de quo agimus eliciendum. Vt enim ex Philosophia suppono, præmissarum assensus non producit efficienter & physicè assensum conclusionis, vt nec actus intentionis actum electionis in voluntate. Et quamuis contrarium ex Philosophia supponeretur, maneret tamen integra vis nostri argumenti: si enim præmissarum assensus concurrere debet efficienter & physicè ad assensum conclusionis, certè debebit semper sic concurrere assensus vtriusque præmissæ, imo etiam assensus bonitatis consequentiæ, tum quia non est potior ratio cur vnius assensus sic concurrat potiùs quàm alterius: tum quia sicut conclusio non sequitur ex medio termino connexo cum vno tantùm extremorum, sed cum duobus extremis, & quidem non qualicunque modo, sed certo ordine, certâque forma dispositis, ita quòd causat assensum conclusionis non est solus assensus de connexione medij cum vno extremorum, sed cum vtroque, in quo inuoluitur assensus Maioris, & Minoris, & præterea bonitatis consequentiæ.

A

V.

Quare cum hic consequentiæ assensus semper merè naturalis sit, & ad Logicam naturalem scientiam pertineat, cùm item assensus præmissæ vnius ex iis duabus, ex quibus assensus fidei inferri ab aduersariis dicitur, sit aliquando merè naturalis, vtpote naturæ lumine euidens, oportebit hos assensus ad assensum illum fidei effectiuè concurrere vel per potentiam suam naturalem, vel per obedientialem: si primum, effectus productus erit in substantia merè naturalis, ab agente enim naturali per potentiam naturalem, vt naturalis est, operante nihil aliud quàm naturale egredi potest, quia nulla potentia potest egredi limites obiecti sui, potentiæ autem naturalis, vt naturalis est, obiectum est ens naturale. Secundum verò dici non potest, tum quia commentitium est, & hactenus inauditum: tum quia ad agendum supernaturaliter nec eleuantur per assensum fidei diuinæ datum vni præmissæ, vtpote ipsis nullo modo inhærentem, sed soli intellectui, nec per quidquam aliud quod assignari possit.

B

VI.

Et sanè cùm ad nihil videatur esse tam procliuis natura sua noster intellectus, quàm ad connectenda inter se per iudicium extrema conclusionis, præsuppositio assensu præmissarum, quicunque demum sit ille præmissarum assensus, id est, siue fidei diuinæ sit, siue alius, siue supernaturalis in substantia, siue naturalis: cumque naturalibus eius intelligendi iudicandique viribus nihil tam facile, tam conforme & proportionatum sit, quàm hoc quod iam dixi, dicendum ex consequenti est, quemlibet assensum datum cuiuis conclusioni, vt conclusio est ex aliquibus præmissis deducta, esse actum in substantia merè naturalem: si enim aliquis supernaturalis esset, tam improportionatus esset naturæ nostri intellectus, eiusque naturalibus viribus, vt per eas elici ab ipso non posset, sed per solam potentiam obedientialem.

C

VII.

Secundum argumentum est, sequi ex sententia aduersariorum assensum fidei diuinæ non esse certiorem quolibet assensu per naturæ lumen rationémve naturalem certo & euidenti, sed potiùs aliquo eiusmodi assensu minùs certum esse, quod & Theologis communiter, & ipsis quoque aduersariis repugnat: hoc autem sequi sic ostendo. Assensus conclusionis non potest esse certior assensu præmissæ vllius, vel bonitatis consequentiæ: atqui fidei assensus est

D

VIII.

alicuius conclusionis assensus, ergo non potest esse certior assensu vllius suæ præmissæ, vel bonitatis consequentiæ: atqui præmissa eius vna plerunque saltem per naturæ lumen rationémve naturalem est euidens & certa, semper autem consequentiæ bonitas hoc naturali lumine & ratione euidens & certa est: ergo fidei assensus nunquam potest esse certior hoc naturali assensu præmissæ illius, & bonitatis consequentiæ. Vtraque hæc Consequentia euidens est. Maior ab omnibus Philosophis communiter defenditur ex doctrina Aristotelis 1. Poster. cap. 2. hócque eius axiomate, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: & ex isto altero, Conclusio sequitur debiliorem partem.

I.

Cuius veritatem confirmat hęc inductio, qua cernimus semper euenire, vt si præmissarum vna sit ineuidens, incerta, particularis, negatiua, conclusio quoque sit, quamuis præmissarum altera sit euidens, certa, vniuersalis, affirmatiua. Experientia quoque, qua nobis constat nos non firmius assentiri conclusioni, quam alicui eius præmissæ, aut bonitati consequentiæ, imò qua debilitate vel huic bonitati, vel vni præmissarum assentimur, pari quoque, si non etiam maiori, assentiri conclusioni, licet alteri præmissarum firmissimè assentiamur. Hæc denique ratio à priori, quòd formale motiuum quo mouetur intellectus ad assentiendum conclusioni, non sit connexio vnius duntaxat extremi cum medio termino, sed vtriusque coniunctim in bona argumentandi forma, quæ connexio assensum vtriusque præmissæ, bonitatisque consequentiæ includit: hinc enim necessariò fit, vt qua debilitate seu imperfectione certitudinis aut euidentiæ, vnum extremorum cum medio termino coniungitur, aut formæ bonitas cognoscitur, pari quoque saltem duo conclusionis extrema inter se per assensum coniungantur.

II.

Minor doctrinam aduersariorum expresse continet: subsumptum denique ex eorundem doctrina certum est. Aiunt enim discursus huius, Deus in dicendo verax est, atqui hoc dixit, ergo verum est, cuius conclusio creditur assensu fidei diuinæ illato ex duabus illis præmissis, maiorem propositionem naturæ lumine seu ratione naturali posse esse euidentem, neque esse necessarium vt per fidem diuinam credatur: quæ quamuis simul cum minori propositione crederetur assensu fidei diuinæ, semper tamen interueniret iudicium bonitatis consequentiæ, quod, si quam habet euidentiam, & certitudinem, habet totam ex naturali lumine & ratione.

III.

Respondeti potest primò, tunc solum conclusionem sequi debiliorem partem, quando conclusionis qualitas, vt negatio, particularitas, incertitudo, ineuidentia, non est vtrique præmissæ & consequentiæ communis, sed in vna tantùm reperitur: at quando iisdem communis est, vt cùm vtraque præmissa, consequentiaque euidens aut certa est, tunc qualitatem assensus conclusionis, vt euidentiam, aut certitudinem, posse esse maiorem, quam sit in vnius præmissæ assensu, vel in iudicio bonitatis consequentiæ: iam verò qualitatem assensus conclusionis qui est actus fidei diuinæ, nempe certitudinem, esse communem assensui Maioris, Minoris, & Consequentiæ, & proinde accipere posse maiorem certitudinem, ab assensu præmissæ illius quæ diuina fide creditur, quàm sit in assensu præmissæ alterius naturali lumine cognitæ, & in assensu consequentiæ.

IV.

Verùm huius responsionis falsitas perspicua est in primis ex prædicta ratione assentiendi conclusioni, seu extrema duo quibus constat per assensum inter se connectendi, quæ eandem omnino vim habet, siue conclusionis qualitas sit vtrique præmissæ & consequentiæ communis, siue non sit. Deinde ex eo quòd sequeretur ex ea responsione in scientiis naturalibus aliquando euenire, vt conclusionis assensus certior & euidentior sit assensu vel Maioris, vel Minoris, vel Consequentiæ, cùm sæpe omnes hi assensus certi sint & euidentes: quod tamen in iis euenire nullus hactenus Philosophus dixit, & haud dubiè repugnat experientiæ.

V.

Respondeti secundò potest, distinguendam esse duplicem certitudinem, obiectiuam vnam, formalem alteram; priorem illam inexistere obiecto nostri assensus, posteriorem hanc ipsi nostro assensui: & priorem quidem tantam esse posse in obiecto assensus qui datur conclusioni, quanta est in obiecto assensus qui datur vel vni vel vtrique præmissæ, & præterea ab obiecto huius assensus, seu ab obiectiua eius certitudine deriuari posse nonnunquam in assensum conclusionis tantam formalem certitudinem, quanta formalis certitudo inexistit assensui præmissæ illius, qui hac formali certitudine certior est assensu præmissæ alterius, vel assensu bonitatis consequentiæ. Sed contra responsionem hanc dico, quidquid sit de hac obiectiua certitudine, de qua sermo non est, sed de formali, cùm à Theologis dicitur assensum fidei certiorem esse quolibet assensu per naturale lumen & rationem certo ac euidenti, spectata huius assensus formali certitudine: Dico, inquam, hunc fidei assensum non posse esse certiorem (si sit assensus illatus ex assensu præmissarum, vt aduersarij docent) assensu vel consequentiæ, vel illius præmissæ quæ naturali lumine seu ratione nota est, vt hoc nostro secundo argumento probauimus.

VI.

Vnde nego ab obiecto huius assensus deriuari posse tantam formalem certitudinem, quanta est formalis certitudo in assensu præmissæ alterius quæ diuina fide creditur. Et ratio est, quòd sicut in discursu scientifico formalis euidentia & certitudo assensus dati conclusioni non deriuatur ab obiecto præcise, seu ab obiectiua euidentia & certitudine obiecti assensus præmissarum, sed à formali euidentia & certitudine huius ipsius assensus dati præmissis: ita in quolibet alio discursu formalis certitudo assensus conclusionis deriuatur à formali certitudine assensus dati præmissis, non ab obiecto huius assensus, seu obiectiua eius certitudine. Cuius comparationis prima pars constat ex duobus qui circa idem prorsus obiectum, eandémque proinde semper obiectiuam euidentiam & certitudinem habens discurrunt, quorum vnus altero formaliter euidentiorem & certiorem assensum conclusio-

VII.

VIII.

nis elicit, quoniam elicit præmissarum assensum formaliter euidentiorem certioremque, quàm ille alter eliciat.

SECTIO III.

Partis affirmantis argumenta solauntur.

I. A V.

PRIMVM est, fidem ab Apostolo definiri ad Hebr. 11. substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Verùm si quod fides argumentum vocetur, rectè colligitur eam argumento seu discursu essentialiter perfici, pari saltem iure colligemus ex eo quòd substantia nuncupatur, esse non accidens, sed substantiam aliquam. Sicut ergo substantia vocatur, quamuis sit essentialiter accidens, vel quia, quemadmodum nulla erunt accidentia nisi substantiæ insint, eaque sustentetur, sic nulla erit spes æternæ vitæ bonorumque ad eam pertinentium, nisi fide fulciatur: vel quia vt Chrysostomus, Theophil. Oecum. & Theodoretus interpretantur, res sperandæ, cùm

II. B VI.

nondum sint præsentes, nec proinde in seipsis adhuc subsistant, seu existant, per fidem tamen iam subsistentiam seu existentiam aliquam habent, quatenus fides eas ob oculos nobis ponit, nec minùs certò, quàm si eæ res iam præsentes essent, & in seipsis subsisterent seu existerent: cui interpretationi consentiens est translatio Syriaca sic habens: *Est autem fides certitudo de iis rebus, quæ sunt in spe, ac si iam existerent actu*: ita eadem fides vocatur argumentum, quia sicut argumento deuenimus in rei quæ arguitur seu concluditur cognitionem, & ad eius veritati certò assentiendum ipsa vi argumenti conuincimur, & adigimur, sic etiam per fidem habemus rerum quæ non videntur cognitionem, nec minùs certam eà quæ per argumentationes &

III. C VII.

demonstrationes euidenter comparatur. Cuius certitudinis gratia sanctus Chrysostomus ad hunc Apostoli locum, verba hæc, *argumentum non apparentium*, vertit *visionem non apparentium*, (obscuram intellige, non verò claram & intuitiuam) & Theophilactus, *demonstrationem ac manifestationem rerum quæ non sunt conspicuæ*: quæ visionis & manifestationis voces, exprimentes vim vocabuli ab Apostolo positi, nempe argumenti, discursum nullo modo significant.

Secundum. Ad discursum nihil aliud requiritur quàm multitudo iudiciorum, quorum vnum fit propter aliud, seu ex vi istius alterius eliciatur: at in actu fidei diuinæ, quo, exempli causa, Incarnationem Verbi credimus, hoc totum reperimus: reperitur enim in primis iudi-

IV. D VIII.

cium quo iudicamus factam esse Verbi Incarnationem, hócque iudicium ex vi præcedentis huius elicitur, quo nimirum iudicamus Deum in dicendo veracem esse, & Verbi Incarnationem reuelasse: nisi enim in nobis duplex istud de veracitate Dei & reuelatione ab ipso facta iudicium præcederet, iudicare non possemus per actum fidei diuinæ factam esse Verbi Incarnationem. Respondeo concessa Maiore negando Minorem: iudicium enim de facta Verbi Incarnatione, quod est diuinæ fidei actus, non est propter illud præcedens iudicium duplex, sed purè propter veracitatem, seu authoritatem diuinam reuelantem: nec satis est ad discursum, vt iudicium conclusionis sit propter id quod est obiectum iudiciorum Maioris, & Minoris, sed oportet vt sit propter ipsa Maioris, Minorisque iudicia, itavt iis tanquam obiecto formali & motiuo nitatur.

Nec refert, quòd nisi præcesserit in nobis aliquod de veracitate Dei iudicium, & alterum quoque de facta ab ipso reuelatione, non possimus assentiri per fidem rei reuelatæ: non enim hæc iudicia præcedere debent tanquam obiectum formale, seu motiuum quo iudicium de veritate mysterij reuelati nititur, sed tanquam conditio sine qua non applicaretur intellectui nostro sufficienter authoritas diuina reuelans, vt ab ea tanquam ab obiecto formali ad assensum fidei moueretur.

Et sanè, non magis ad eliciendum hunc assensum fidei prærequiritur illud præcedens de veritate Dei & reuelatione iudicium, quàm ad eliciendum illum alium assensum fidei, quo reuelatio propter seipsam immediatè creditur, ex suprà relata aduersariorum doctrina, præcedens aliquod de hac ipsa reuelatione iudicium necessarium est: nunquam enim ipsa reuelatio propter se immediatè credi diuina fide poterit, nisi præcedat aliqua de hac ipsa reuelatione cogitatio, neque sufficit simplex apprehensio: quis enim ex sola præcisè terminorum huius propositionis apprehensione, Deus reuelauit Christum resurrexisse, poteft fide diuina credere factam esse de Christi resurrectione reuelationem, & credere propter ipsammet reuelationem immediatè? Præuium ergo aliquod iudicium necessarium est, quo per actum vel humanæ fidei, vel opinionis, vel alium quàm fidei diuinæ, iudicetur esse factam de re illa à Deo reuelationem, aut saltem quo reuelationis huius vt à Deo factæ credibilitas ex sufficientibus huius credibilitatis argumentis & motiuis affirmetur.

Quare sicut aduersarij volunt hoc præcedens iudicium prærequiri ad assensum illum fidei quo reuelatio fide diuina propter seipsam immediatè creditur, non tanquam formale motiuum huius assensus, alioqui reuelatio non immediatè propter seipsam, sed propter illud præcedens iudicium crederetur, sed tantum tanquam conditionem, sine qua non sufficienter applicaretur intellectui reuelatio, vt ab ea tanquam ab obiecto formali & motiuo ad eam ipsam credendam moueretur: ita nos pari iure volumus ad assensum fidei quo rei reuelatæ assentimur, prærequiri quidem duplex illud de veracitate Dei & reuelatione iudicium, at solùm instar conditionis sine qua non, eo sensu quo iam explicuimus.

Instabis hac nostra responsione funditus destrui omnem discursum, & tertiam mentis operationem, quia pari facilitate qua de hoc fidei assensu, de quocunque alio assensu conclusionis dici poterit ipsum prærequirere duplex præuium præmissarum iudicium: at non tanquam motiuum, seu formale obiectum

huius assensus, sed solùm tanquam conditionem sine qua non applicaretur sufficienter intellectui motiuum quo conclusionis assensus nititur, hunc que proinde non illatum esse ex præcedenti aliquo iudicio, nec ad tertiam mentis operationem pertinere, sed mere enunciatiuum esse, & spectare ad secundam.

I. At in primis respondeo, si hac responsione omnis discursus à nobis euertitur, euerti quoque ab aduersariis, qui eâdem vtuntur, docentes assensum quo reuelatio propter seipsam immediate creditur, estque enunciatiuus, & ad secundam mentis operationem pertinet, prærequirere quidem aliquod præcedens iudicium, at solùm vt puram conditionem sine qua non, sensu iam explicato.

Deinde dico per eam non euerti omnem discursum: non enim meritò idem dici potest de quocunque assensu conclusionis quod de fidei assensu diximus. Constat enim multos assensus dari multis propositionibus propter assensus datos præmissis, quod quoties fit, toties discursus est: cuius veritatis

II. efficax argumentum est specifica distinctio assensuum qui sæpe dantur propositioni quæ ex præmissis aliquibus infertur: eidem enim propositioni ex iisdem præmissis illatæ assensus qui ab vno datur est aliquando scientificus, qui ab alio, est tantum opinatiuus: quod essentiale inter hos actus discrimen oriri non potest ex ipsis præmissis purè, seu ex rebus quæ per has significantur, quasi hæ res, & nihil aliud, sint obiectum formale & motiuum nostri assensus, quo vel scientificè, vel per opinionem propositioni illatæ assentimur. Cum enim hæ res seu præmissæ semper eædem in se sint, siue earum probabilem tantùm, siue etiam certam & euidentem cognitionem habeamus, si præcise secundùm se essent formale obiectum & mo-

III. tiuum nostri assensus, quo propositioni ex præmissis illatæ assentimur, sicut omnis assensus ex iisdem præmissis eidem propositioni datus haberet vnum idemque motiuum & formale obiectum à quo specificaretur, ita deberet esse eiusdem speciei, & per consequens vnus non posset esse opinionis, alter scientiæ, cùm hi assensus specie differant. Nec verò discrimen hoc aliunde oriri potest, quàm ex diuersis specie assensibus qui iisdem præmissis dantur, quique prout sunt in hac vel illa specie assensus, seu cognitionis, vel euidentis & certæ, vel probabilis tantùm, ita in assensum conclusionis, qui ipsis tanquam formali obiecto & motiuo nititur, specificam naturam inferunt vel scientiæ, vel opinionis.

IV. Tertium est, negari non posse, quin aliquando detur assensus rei reuelatæ, propter assensum datum huic propositioni, Deus in dicendo verax est, & isti alteri, Deus hoc reuelauit, exempli causa, Verbum Incarnatum esse: atqui hic assensus rei reuelatæ datus erit actus fidei diuinæ, & illatus per verum discursum ex præuio duarum illarum propositionum assensu. Respondeo concessa Maiore, quæ verissima est, negando Minorem, qua parte dicit assensum hunc fore actum fidei diuinæ: non enim erit, sed erit vel assensus conclusionis Theologicæ, si nimirum nitatur assensu vnius præmissæ qui sit actus fidei diuinæ: vel assensus scientiæ euidentis in testificante, si nitatur assensu euidenti vtriusque præmissæ: vel assensus opinionis, si nitatur vna vel vtraque præmissa vt cognita per medium tantùm probabile: vel aliquis alius assensus pertinens ad alium habitum quàm fidei diuinæ. V.

Postremum est, assensum fidei humanæ perfici discursu, & ad tertiam mentis operationem pertinere, ergo & assensum fidei diuinæ. Sed neganda est Consequentia, rationes enim quibus superioribus sectionibus probauimus assensum fidei diuinæ non esse discursum, seu iudicium pertinens ad tertiam mentis operationem, non idem euincunt de assensu fidei humanæ, vt singulas consideranti perspicuum erit.

DISPVTATIO X. VI.

Vtrùm omnes actus interni fidei diuinæ sint eiusdem infimæ speciei?

SECTIO PRIMA.

Pars affirmatiua defenditur, & probatur.

VIDENTVR non esse: Primò, quia nullum iudicium affirmatiuum est eiusdem infimæ speciei cum iudicio negatiuo, siue nullus assensus cum dissensu: ex actibus autem interrus fidei diuinæ quidam sunt iudicia affirmatiua, seu assensus, quidam negatiua, seu dissensus. VII.

Secundo, quia iudicia quæ de rebus essentialiter diuersis feruntur, non sunt eiusdem infimæ speciei, vt inductione constat per iudicia omnia ad naturales artes scientiasque pertinentia: interni autem fidei diuinæ actus sunt plerunque iudicia de rebus essentialiter diuersissimis.

Tertiò, quia fidei diuinæ actus numero differunt, quando circa obiecta materialia numero diuersa versantur: ergo etiam specie different quando circa obiecta materialia specie diuersa versabuntur, circa hæc autem sæpe versari, certissimum est.

Quartò, quia plus inter se differunt duo assensus, quorum vno creditur Verbi incarnatio, & altero futura corporum resurrectio, quàm differant inter se assensus duo, quorum vno creditur futura Petri, altero futura Pauli resurrectio: atqui hi duo numero differunt, ergo duo illi priores pluſquam numero, ergo etiam specie. VIII.

Quinto, quia fidei humanæ assensus specie aliquando differunt, ergo etiam fidei diuinæ.

Sextò, quia saltem internus fidei diuinæ actus qui fuit in Angelis viatoribus specie differt à nostro, sicut & omnis ac quilibet cognitionis actus quem exercent, ab omni & quolibet nostro specie distinguitur.

Septimò, quia internus fidei actus diuiditur in actum qui est credere Deo, & in eum qui est credere Deum, & in illum qui est credere in Deum, tanquam in membra specie differentia.

I. Contraria tamen sententia amplectenda est, probatúrque ex communi D. Thomæ, imò Philosophorum Theologorúmque doctrina, quæ est, habitus & actus specificari ab obiectis, eósque proinde actus siue intellectus, siue voluntatis eiusdem speciei esse qui circa idem obiectum versantur: quod intelligi non debet vniuersim de obiecto materiali, sed de formali quo mouetur intellectus aut voluntas ad aliquid aut iudicandum, aut volendum. Quare cùm omnes & singuli fidei diuinæ interni actus idem formale obiectum seu motiuum habeant, nempe diuinam authoritatem reuelantem, vt ex superioribus disputationibus constat, erunt omnes & singuli eiusdem infimæ speciei.

II. Et sanè si communi omnium iudicio sunt eiusdem speciei actus interni voluntatis hi, nempe velle dare panem pauperi, & velle dare eidem pecuniam, quando ex eodem formali obiecto seu motiuo miseriæ eius subleuandæ eliciuntur, etsi panis & pecunia, quæ sunt istorum actuum obiecta materialia, specie diuersissima sint: si item velle ex vno eodémque motiuo honestatis iustitiæ restituere equum alienum, & velle restituere pecuniam alienam, sunt interni iustitiæ actus eiusdem infimæ speciei, quamuis equus & pecunia, quæ sunt istorum actuum obiecta materialia tam specie differant: pari profectò iure omnes interni fidei diuinæ actus erunt vnius infimæ speciei ob rationem allatam.

III. Nec dicat hîc quisquam, authoritatem quidem diuinam qua tanquam partiali motiuo nititur quilibet actus internus fidei diuinæ, esse semper eandem, seu eiusdem rationis & naturæ, at reuelationem externam, qua idem actus nititur tanquam altero partiali motiuo, non esse semper eiusdem rationis & speciei: aliquando enim fieri per voces externas in aëre formatas, aliquando per conceptus mentis in intellectu eius cui reuelatio fit productos, & proinde à tam diuersa secundùm speciem reuelatione posse diuersitatem specificam in fidei actus internos deriuari. Ne, inquam, id dicat, quia fidei internus actus nititur quidem reuelatione externa Dei tanquam motiuo, at non vt talis in specie reuelatio est, id est, non vt est reuelatio facta per voces corporeas, aut conceptus mentis, aut alio simili modo, sed vt præcisè Dei reuelatio est: non enim credimus, exempli causa, Verbum Incarnatum esse, quia Deus

IV. id reuelauit voce corporea, sed quia reuelauit, quocunque demum modo reuelarit. Quare cùm hæc præcisa reuelationis Dei ratio sit semper vna & eadem, idemque proinde & eiusdem rationis obiectum formale seu motiuum constituat, non mirum si interni fidei diuinæ actus ab ea diuersam speciem accipere nequeant.

SECTIO II.

Propositis argumentis respondetur.

VNDE ad primum respondeo negando Maiorem: tunc enim eiusdem speciei A sunt assensus & dissensus, quando vtriusque est idem formale obiectum & motiuum, vt in omnibus diuinæ fidei internis actibus contingit. V.

Ad secundum dico, ideo iudicia ad naturales artes scientiásque pertinentia differre specie, quando sunt de rebus essentialiter diuersis, quia tunc semper habent diuersa obiecta specie à quibus specificantur tam diuerso secundùm speciem modo, quàm obiecta illa specificantia specie inter se diuersa sunt: omnia autem interna iudicia fidei diuinæ, quantumcunque de rebus essentialiter diuersis ferantur, habere semper idem specie, seu eiusdem rationis obiectum formale & motiuum, à quo specificantur, nempe diuinam authoritatem reuelantem.

B Ad tertium, concesso antecedente, nego con- VI. sequentiam. Ratio disparitatis est, quòd actus indiuiduari recte possit per ordinem ad hoc aut illud obiectum materiale, specificari verò nequeat nisi ab obiecto formali. Quare cùm diuersi numero actus versari possint circa obiecta materialia specie diuersa, sub eodem tamen obiecto formali, poterunt quoque ab ipso eodem modo specificari, ac proinde esse eiusdem speciei: vnde volitio dandi vnum assem pauperi, & volitio dandi duos, diuersæ numero volitiones sunt ob hanc numericam materialium obiectorum diuersitatem, sunt tamen eiusdem speciei, quia fiunt, vt suppono, ex eodem motiuo subleuandæ miseriæ à quo specificantur: & visio beatifica qua videtur in Deo clare viso vna creatura, ab ea visione qua videtur in Deo alia

C vel numero vel specie creatura, numero differt VII. ob hanc creaturæ visæ numericam diuersitatem, siue tantùm numerica sit, siue etiam specifica, vtraque tamen visio eiusdem speciei est, vt in Tractatu de Deo ad quæstionem 12. primæ partis disput. 16. probatum est.

Ad quartum respondeo negando vltimam consequentiam. Duæ siquidem visiones huius vnius albedinis differunt numero, magísq. inter se differunt visio vnius albedinis, & visio alterius albedinis, quàm duæ visiones vnius eiusdémque albedinis, nec tamen illæ duæ visiones quibus numero diuersæ videntur albedines, ita pluſquam numero differunt, vt specie differat. Deinde duæ visiones in Verbo, quarum vnâ videtur natura leonis, alterâ, natura hominis, plus inter se differunt, quàm duæ illæ inter se

D differant, quarum qualibet videtur eadem na- VIII. tura vel hominis, vel leonis: & tamen cùm hæ duæ numero differant, non sequitur duas illas alias ita pluſquam numero distingui, vt specie distinguantur.

Ad quintum dico, si humanæ fidei assensus sit enunciatiuus, pertineátque ad solam secundam mentis operationem, falsum esse antecedens: omnis enim & cuiuslibet eiusmodi assensus vnû erit idemque obiectum formale, seu motiuum, nempe authoritas humana reuelás: at si assensus

humanæ

humanæ fidei ſpectet ad tertiam, conceſſo antecedente neganda conſequentia eſt: ratio diſparitatis eſt, quòd omnes fidei diuinæ aſſenſus ab vno eodémque motiuo ſpecificantur, nempe ab authoritate diuina reuelante: at non ita omnes & ſinguli fidei humanæ aſſenſus, imò ſpecificabuntur à tot diuerſis ſpecie motiuis, quot erunt I. aſſenſus ſpecie diuerſi præmiſſarum, ex quibus aſſenſus concluſionum humana fide creditarum inferentur.

Ad ſextum dico eiuſdé ſpeciei aſſenſum fuiſſe in Angelis viatoribus cum eo qui nunc eſt in nobis: nec verum eſt quemlibet actum cognitionis quem exercet eſſe ſpecie diuerſum à quolibet noſtro. Etſi enim id verum ſit de actu cognitionis naturalis elicitæ per naturalem intellectus potentiam, quia quælibet eiuſmodi eorũ & noſtra cognitio oritur à diuerſiſſimis ſpecie principiis, nempe ab intellectu Angelico, & noſtro, à ſpeciebus Angelicis, & noſtris: verum tamen non eſt de actu cognitionis ſupernaturalis elicitæ per potentiam intellectus obedientialé. Vnde citato primæ partis loco docui cum probabiliore Theologorum & communiore ſententia, omnes omnium hominum & Angelorum beatificas viſiones eiuſdé ſpeciei eſſe, quòd hæ oriantur ab eodem ſecundùm ſpeciem lumine gloriæ, ab eadem diuina natura vnita eorum intellectui inſtar ſpeciei, & præterea ab eadem intellectus potentia obedientiali, eadem, inquam, quia vt obedientialis eſt, eiuſdem rationis in omnibus Angelis & hominibus eſt, quatenus in ſingulis extendens ſe ad omnia quæ non implicant contradictionem, extendit ſe per conſequens in ſingulis ad eoſdem ſecundùm ſpeciem actus producendos. Vnde hic etiam dico aſſenſum fidei diuinæ, & in Angelis viatoribus, & in nobis eiuſdé infimæ ſpeciei eſſe, quòd circa eadem obiecta materialia verſetur ex eodem obiecto formali, ſcilicet authoritate diuina reuelante, eliciaturque per potentiam intellectus obedientialem inſtructam eodem ſecundùm ſpeciem ſupernaturali fidei habitu.

Ad vltimum reſpondeo ex doctrina D. Thomæ quæſt. 2. art. 2. tantum abeſſe, vt internus fidei actus in tria illa mẽbra diuidatur tãquam in actus ſpecie diuerſos, vt ne ipſe quidem tanquã in actus diuerſos numero, ſed ita diuidi propter tres reſpectus, quos idẽ numero fidei actus habet ad Deum: quorum primus eſt ad ipſum vt obiectum materiale quod creditur, ratione cuius reſpectus dicimur credere Deum: ſecundus eſt ad eundem ipſum vt obiectum formale, ratione cuius dicimur credere Deo: tertius denique ad eundem tanquam ad finem vltimum in quem actus fidei refertur, ratione cuius dicimur credere in Deum.

IV. Quam doctrinam ſumpſit D. Thomas ex S. Auguſtino ſerm. 181. de Temp. & 61. de Verbis Domini, & Tract. 29. in Ioan. vbi aſſerit per has voces, Credo in Deum, ſignificari dilectionem qua quis diligendo Deum credit ea quę ab ipſo reuelata ſunt. Verùm quia iuxta familiarem D. Auguſt. aliiſque Patribus loquendi morem, vt Tractatu de gratia diſp. 1. ſect. 4. docuimus, dilectio Dei & charitas non ſolùm affectum ſupernaturalis & Theologicæ charitatis, ſed quẽcunque alium veræ virtutis ſignificat, ideo non eſt exiſtimandum, ex mente D. Auguſtini, eum ſolum credere in Deum qui charitatem ſupernaturalem & Theologicam habet, & proinde gratiam ſanctificantem: reuera enim omnis ille in Deum credit, qui ex amore aliquo erga Deũ A actũ fidei elicit: elicit autem quiſquis per bonũ aliquem & honeſtum affectum ſuæ voluntatis, internum actum fidei intellectui ſuo imperat: hic enim bonus voluntatis affectus, iuxta prædictam S. Auguſtini aliorumque Patrum phraſim, aliquis amor Dei eſt, ex quo proinde affectu qui fidei actum exercet, illum ex amore Dei exercere dicitur, & per conſequens illum actũ ſuum in Deum, tanquam in finem vltimum referre: quia in eum tanquam in finem vltimum eo ipſo actus aliquis ſufficienter refertur, quo actus ille vel à voluntate ex veræ virtutis motiuo elicitur, vel ab aliquo huiuſmodi actu voluntatis imperatur: omnis enim, vt alibi docuimus, virtutis actus, eo ipſo quo virtutis actus eſt, ſeipſo in Deum tanquam in finem vltimum B refertur. Vnde colliges, nullum eſſe fidei internum actum quo non poſſimus dici credere in Deum, cùm nullus ſit, vt poſtea probabimus, quem non præcedere debeat pius aliquis & veræ virtutis actus voluntatis, quo intellectus ad illum fidei actum exercendum determinetur.

Aduerte nihilominus particulam, in, adhibitam actui credendi ſignificare aliquãdo obiectũ materiale fidei, vt cùm 77. Pſalmo dicitur: *Non crediderunt in mirabilibus eius*, id eſt, mirabilia eius, vt aliqui exponunt: aliquando formale, vt cùm primæ Ioannis cap. 5. dicitur, *qui credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt*, id eſt, propter teſtimonium, tanquam ob formale motiuum actus credendi: aliquando denique eum qui proponit res credendas, non propter ſuam authoritatem, ſed alterius: ſic in ſymbolo profitemur nos credere in ſanctam Eccleſiam.

III. C

Scio S. Thomam quæſt. 1. art. 9. dicere, non eſſe ponendum, in, ſed ſimpliciter dicendum, vt etiam habet vſus communis, Credo ſanctam Eccleſiam: tamen legendum eſſe, in Eccleſiam, teſtatur Epiphanius in Ancorato, & ita haberi in originali Concilij Nicæni dicit: & S. Auguſt. Epiſtola ad Neophytos, quæ refertur diſt. 4. de Conſecrat. cap. 1. hócque ipſo modo loquitur D. Hieron. contra Luciferianos. Quam ob cauſam idem S. Thomas aliam adhibens horum verborum, Credo in ſanctam Eccleſiam, expoſitionem, ait his ſignificari, Credo in Spiritum ſanctum ſanctificantem Eccleſiam, quam ſumpſit ex D. Auguſt. in Pſalmum 77. & tract. 9. in Ioan. præter quam, aliam æquè ſaltem bonam petere licet ex S. Hieronymo ſupra, & Chryſologo ſerm. 6. de ſymbolo, vt nimirum dicamus nos credere in ſanctam Eccleſiam, in primis tanquam aliquod obiectum materiale fidei: ſancta enim Eccleſia vnum eſt ex iis quæ fide diuina credi debent. Deinde etiam tanquam in eam quæ ſufficienter proponit & explicat res credendas propter authoritatem Dei reuelantis. VIII. D

V. VI. VII.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm internus actus diuinæ fidei sit in substantia seu entitate supernaturalis?

SECTIO PRIMA.

Quatuor pro parte affirmante inefficacia argumenta refelluntur.

I. DE proposita quæstione negantem partem amplectuntur Caiet. hic 2. 2. quæst. 171. art. 2. dubio circa responsionem S. Doctoris ad 3. & Capreol. in 3. distinct. 24. quæst. 1. ad 1. & 4. argumentum Scoti contra quartam conclusionem, asserentes actum internum fidei supernaturalem quidem esse, sed in modo tantùm, at non etiam in substantia. Contraria sententia affirmans vera est, eamque communiter iam Theologi tuentur. Quam quidam probant primò ex eo quòd in Scripturis, Conciliis, Patribus, actus internus fidei diuinæ nunquam solis naturæ nostræ viribus elici, sed semper ex auxilio gratiæ præuenientis, imò gratia hæc ad hunc actum exercendum necessaria, dicitur. Verùm hæc probatio inefficax est, alioquin ea pari iure concluderetur omnes actus acquisitæ virtutis, & saltem omnes insignes & heroicos esse in substantia supernaturales, cùm in Tractatu de gratia, disputantes de eius necessitate probauerimus, tum authoritate, tum ratione, ad eos exercendos esse necessarium prædictæ gratiæ auxilium.

II.

Probant secundò ex eo quòd Concilia & Patres ordinariè dicunt fidem nobis à Deo infundi: dum autem id dicunt, vel de actuali fide loquuntur, vel de habituali: si primum, eo ipso dicunt actum fidei esse in substantia supernaturalem, quia quod infunditur supernaturale in substantia est: si secundum, eo ipso idem dicunt de habitu fidei, ob eandem causam: vnde sequitur & actum fidei esse supernaturalem in substantia, quia semper actus & habitus eiusdem ordinis sunt.

III.

Verùm occasione huius inefficacis probationis, dico primò contra quosdam recentiores, qui simul atque vel in Conciliis, vel Patribus infusionis vocem legunt, statim ea significari quẽdam habitum putant, quòd meliùs & magis proprie dicatur infundi res quæ natura sua est permanens, cuiusmodi est habitus, quàm quæ est transiens, qualis est actus. Dico, inquam, primo, infusionis nomine plerunque non habitum, sed actum significari: quod patet in primis

IV. ex Concilio Arausic. II. can. 4. in quo *per infusionem sancti Spiritus fieri in nobis* dicitur, *vt sanari velimus*: vbi vel ipse actus quo sanari volumus infundi dicitur, vel prior sanctæ cogitationis & inspirationis actus, ex quo tanquam ex causa posterior iste, quo sanari volumus, sequitur. Deinde ex oratione Dominicæ quintæ post Pentecosten, in qua sic orat Ecclesia: *Deus qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, qui effectus*, vt vox ipsa sonat, non charitatis habitus, sed actus est.

A

Ex Fulgentio quoque libro de Incarnat. cap. 22. in quo contra Semipelagianos agens ait hdem nobis infundi, fidei nomine, non habitum, de quo nulla vnquam ipsi, vel aliis Patribus fuit cum Semipelagianis controuersia, sed actum intelligens, de quo solo inter se se contendebant, his asserentibus actum hunc à nobis per solas naturæ nostræ vires elici, illis hoc negantibus, & ipsum nobis à Deo infundi affirmantibus. Ex Ambrosio præterea qui libro 2. in Lucam dicit matri Ioannis Baptistæ *id fuisse sancto infusum Spiritu, quod ab Angelo ante fuerat Zachariæ præuuntiatum*. Vbi cognitionis actum quo cognouit Ioannis nomen imponendum filio, infusum à Spiritu sancto ei fuisse ait. Denique ex Augustino, qui, vt Vasquez rectè obseruat in 1. 2. disp. 84. cap. 3. quoduis opus bonum cuiuscunque virtutis etiam acquisitæ profectum ex auxilio gratiæ dicit à Deo nobis infundi, & ea de causa dicit, quòd hoc opus exerceatur quidem à nobis libere, at non per solas liberi arbitrij vires, sed adiutas auxilio gratiæ præuenientis, quam Deus in nobis sine nobis operatur, id

B

V. est, sine libero nostro consensu, vt in Tract. de gratia ad quæst. 111. primæ secundæ disput. 4. explicatum & probatum est.

VI.

Dico secundò, dum Concilia & Patres dicunt fidem à Deo nobis infundi, siue de habituali, siue de actuali loquantur, hinc non posse concludi vel ex eorum mente, vel ex rei veritate, fidem hanc infusam esse in substantia supernaturalem: sicut ex eo quòd, vt iam monui, dicit D. Augustinus quoduis opus virtutis ex auxilio gratiæ profectum infundi nobis à Deo, concludi meritò non potest, vel ex eius mente, vel ex rei veritate, quoduis eiusmodi opus esse in substantia supernaturale.

C

VII. Nec refert quòd à Theologis infusæ virtutes distinguantur ab iis quæ dicuntur acquisitæ, quòd hæ sint in entitate meré naturales, illæ contrà supernaturales: fateor enim sic à Theologis has ab illis distingui, sed per infusas ab iisdem intelligi dico eas quæ per se infusæ sunt, id est, quæ ex essentia sua tales sunt vt non possint produci à nobis naturaliter, sed vt summum obedientialiter, quas profectò necesse est, eo ipso quo ex essentia sua tales sunt, sic distinguere ab illis quæ ex genere suo dicuntur acquisitæ, id est, ex natura sua tales, vt possint à nobis produci per vim nostram naturalem, vt naturalis est, & ab obedientiali distinguitur: at cùm Concilia & Patres dicendo nobis infundi à Deo fidem, nullo modo declarent, vtrùm velint infundi per se, an per accidens: imò cùm solùm in genere dicant infundi, quod

D

VIII. verissimè potest de iis etiam rebus dici quæ sunt in entitate meré naturales, vt reipsa dicimus, dum virtutum omnium & scientiarum naturalium habitus Christo & Adamo fuisse à Deo infusos dicimus: propterea dico ex Conciliis & Patribus dicentibus fidem siue habitualem, siue actualem infundi nobis, non posse colligi illam esse in substantia supernaturalem.

Tertiò probant ex eo quòd actus charitatis erga Deum supernaturalis in substantia est, cũ nõ differat specie ab amore beatifico, qui eiusdẽ ordinis est cum beatifica visione, & qui proinde

est in entitate supernaturalis, sicut & ista visio: sicut autem nullus voluntatis actus exerceri potest, nisi prævia aliqua cognitione intellectus, ita nec vllus supernaturalis, nisi prævia aliqua supernaturali. Iam verò nullus in hac vita nobis inest actus cognitionis supernaturalis, nisi sit actus fidei diuinæ, hic ergo actus in substãtia supernaturalis est. Verùm inefficax etiam hæc probatio est, quia falsum est absolutè loquendo ad charitatis, aut alium voluntatis actum in substantia supernaturalem eliciendum, requiri prævium aliquam in intellectu cognitionem in entitate supernaturalem.

I.

Et ratio à priori est, quòd vna quidem ex parte, vt voluntas actu aliquo suo tendat in bonum, non requirit ex parte intellectus prævium cognitionem boni, nisi vt puram conditionem sine qua nõ repræsentaretur ei bonum in quod tenderet, nec ab eo moueri posset ad eius prosequutionem: ex altera verò posita hac boni per intellectum repræsentatione, tanquam pura conditione, potest voluntas vel per se solam, vel per habitum quo instructa est simul concurrentem, ferri in bonum sibi ab intellectu repræsentatum, & ferri ex hoc illove motiuo: quod si ita est, certè voluntas, vt actu supernaturali feratur in aliquod supernaturale bonũ, non requiret ex parte intellectus prævium boni illius repræsentationem, nisi tanquam cõditionem sine qua non, sensu prædicto, & statim atque aderit hæc cõditio, seu repræsentatio, ferri poterit actu supernaturali in bonũ illud sibi repræsentatum: atqui potest illud supernaturale bonum æquè repræsentari ipsi per actum merè naturalem in substantia, atq. per supernaturalẽ: ergo vel hac supernaturali, vel illa merè naturali boni illius supernaturalis cognitione, tãquam conditione posita, æquè poterit actu suo supernaturali ferri in bonũ illud supernaturale.

II.

Dices actum voluntatis naturalem requirere boni in quod fertur naturalem cognitionẽ, tanquam conditionem prævium: ergo & supernaturalem eiusdem actum requirere cognitionem supernaturalem, tanquam prævium conditionem. Respõdeo falsum esse antecedens: vnde si quis per lumen gloriæ, aut sciẽtiam infusam accepisset cognitionem supernaturalem honestatis naturalis quæ est in exercitio actuum virtutis acquisitæ, non minùs ex hac supernaturali cognitione præsupposita posset actus virtutis acquisitæ merè naturales in entitate exercere, quàm modò potest ex prævia eiusdem honestatis naturali quam habet cognitione. Et ratio est, quia adhuc posset ferri in idem obiectum & materiale & formale in quod modò fertur, à quo proinde eius actus tunc eodem prorsus modo, quo nunc, specificarentur.

III.

Quartò probant ex eò quòd inter finem & media proportionem esse debere inquiunt, finis ergo, nempe beatifica Dei visio, cùm supernaturalis in substantia sit, media quoque, nempe actus fidei, spei, & charitatis, quibus illum finem meremur & consequimur, esse debere in entitate supernaturales. Verùm cùm in Tractatu de gratia ad quæst. 114. a. 3. disputantes de merito & conditionibus ad ipsum requisitis docuerimus omnia hominis iusti opera bona esse de condigno meritoria æternæ vitæ, sequitur euidenter, aut prædictam proportionem inter finẽ & media non esse necessariam, aut esse dicẽdum omnia iusti opera bona esse in entitate supernaturalia, quod certissimè falsum est. Quòd si bonum hominis iusti opus, quantumuis in entitate merè naturale, de condigno meritorium est vitæ æternæ, & proinde sufficiẽter cum ea proportionatum instar medij cum fine comparati, patet, ex eo quòd internus diuinæ fidei actus ab homine iusto elicitus, sit de condigno meritorius æternæ gloriæ, ac proinde sufficienter cum ea, tanquam medium cum fine, proportionatus, concludi non posse eum in substantia supernaturalem esse.

IV.

Quæ ergo finem inter & medium proportio exigitur, non in eo consistit, vt si vnum eorum in entitate supernaturale est, sit etiã alterum: sicut neq. proportio inter potentiam cognoscẽtem & obiectum cognitum hæc requirenda est, vt si obiectum sit infinitum & increatum, potẽtia quoque cognoscens infinita & increata sit, alioqui nullo lumine gloriæ, nullo creato intellectu videri posset Deus prout in se est: sed in eo consistit, vt finis instar finis possit attingi per eam rem quæ dicitur medium respectu talis finis, & hæc ipsa res quæ medium dicitur possit virtute & efficacitate sua attingere finem, respectu cuius medium dicitur: sicut etiam inter obiectum potentiámque cognoscentem requisita proportio hæc est, vt obiectum illud sit cognoscibile natura sua per potentiam hanc, & hæc potentia sit aliquo modo, id est, siue naturaliter, siue obedientialiter cognoscitiua illius obiecti. Etsi autem proportio quam inter finem & medium requirimus, reperiatur inter visionem beatificam, quæ finis est, & actum fidei diuinæ, qui medium ad hunc finem est, perspicuum tamen est, hinc non esse consequens, vt actus ille supernaturalis in substantia sit, sicut & illa visio est, quandoquidem ex citata de merito disputatione eadem quoque proportio reperitur inter quodlibet opus bonum hominis iusti etiam merè naturale in substantia, & inter beatificam visionem, & eo ipso reperitur, quo opus istud ab homine iusto profectum, de condigno visionis huius meritorium est.

V.

VI.

VII.

SECTIO II.

Eadem pars affirmans efficaciter probatur.

PRIMVM argumentum sumitur ab authoritate Cõcilij Viennẽsis in Clemẽtina vnica, de summa Trinitate & fide Catholica, in qua Theologorum opinio affirmantiũ dari aliquos in nobis habitus per se infusos, ac proinde in substantia supernaturales, tãquam probabilior iudicata & confirmata est. Quòd si aliqui sunt in nobis huiusmodi habitus, sanè potissimũ fidei, spei, & charitatis, cùm hæ virtutes omnium præstantissimæ sint. Quòd si diuinæ fidei habitus in substãtia supernaturalis est, erit & actus, cùm actus & habitus sint eiusdem ordinis.

VIII.

Secũdũ petitur ex hac ratione à priori. Omnis actus qui à Deo prout in se est, tanquã ab obiecto speciẽ suam & essentiã accipit, est in substãtia supernaturalis: atqui internus actus fidei

diuinæ eiusmodi est. Minor hæc certa est: hic enim actus speciem & essentiam suam accipit ab obiecto suo formali, seu à motiuo quo mouetur intellectus ad assentiendum rei reuelatæ: huiusmodi autē obiectum formale seu motiuum est Deus prout in se est, seu authoritas diuina reuelās, quæ authoritas est intrinseca Deo perfectio, & idem à parte rei quod ipsa diuinitas. I. Maiorem probo primùm ex eo quòd aut nullus actus noster in substantia supernaturalis esse potest, aut si quis esse potest, certe talis debet esse omnis qui à Deo prout in se est tanquam ab obiecto speciem suam & essentiā accipit. Cùm enim quilibet actus noster ab obiecto suo speciem suam accipiat, ex communi Philosophorum, Theologorumque doctrina, dicendum est, aut nullum actum nostrum ab obiecto suo posse speciem, & essentiam supernaturalem accipere, aut si quis actus accipere potest, esse præsertim illum actum qui à Deo prout in se est tanquam ab obiecto speciem & essentiam suam accipit.

II. Probo secundò eandem Maiorem exemplo visionis beatificæ: quæ omnium cōsensu supernaturalis in substantia est, & ideo est, quia est clara Dei prout in se est cognitio, & proinde, quod eodem recidit, quia circa Deum prout in se est versatur tanquā circa obiectum à quo speciem & essentiam suam accipit. Ratio autem à priori, cur omnis actus qui sic circa Deū prout in se est versatur, debeat esse in substātia supernaturalis, petenda est ex ipsa natura diuinitatis, quæ prout in se est, cùm sit infinitè superioris ordinis qualibet substantia creata, habet ob hāc suam infinitam alterius generis & ordinis eminentiā supra quamcunq. substantiam creatam, vt nullius huiusmodi substantię naturalibus viribus possit attingi prout in se est, nec proinde per vllos eius actus in substātia meré naturales: per hos enim si attingi posset prout in se est, III. posset etiā per naturales eius vires, cùm eo ipso quo hi eius actus sunt in substantia naturales, possint per vires eius naturales produci.

Nec dicat hîc aliquis actum fidei non à solo Deo seu diuina eius authoritate speciē sumere, sed etiam à reuelatione, quę creatum quidpiam & extra Deum est: ad vim enim nostri argumēti satis est, quòd actus ille circa Deum prout in se est versetur tanquam circa obiectum à quo speciem suam accipit, neq. necesse est, vt circa nihil aliud versetur tāquam circa partiale motiuum, seu formale obiectū à quo pariter specificetur. Vnde sicut dum vno eodemque numero actu videtur clarè Deus prout in se est, & simul aliqua creatura, creatura hæc, licet in substantia meré naturalis, impedire non potest quo minus Deus prout in se est cognitus, qui est partiale IV. obiectum huius cognitionis, huic ipsi cognitioni supernaturalitatē essentialem obiectiuè cōmunicet: ita reuelatio, licet quid creatum & extra Deum existens, nequit impedire quo minus actus fidei diuinæ, qui circa ipsam & circa diuinam authoritatem prout in se est versatur, ab hac ipsa authoritate tanquam à partiali obiecto & motiuo à quo specificatur supernaturalitatem essentialem accipiat.

Tertium & postremum ex hac altera ratione desumitur. Si actus fidei diuinæ elici ab intellectu creato non potest nisi per potentiam eius obedientialem, est in substantia supernaturalis: atqui verum est prius, igitur & posterius. Maioris consequentia bona est: cùm enim actus fidei sit proprius actus intellectus, nulla esse potest legitima ratio denegandi huic vim naturalem ad illius productionem, si ille in substantia naturalis est: vnde si vis solùm obedientialis ipsi inest ad eum producendum, non aliunde profectò est, quàm quia actus ille est in substantia supernaturalis. Minor ex eo probatur, quòd intellectui creato naturale non est vlli rei assensum præbere firmum ac certum, excludentémque natura sua dubitationem omnem ac formidinem de oppositō, nisi vno trium modorum istorum. V.

Primus est, cognoscendo rem quidditatiuè & clarè prout in se est, siue cognoscatur immediatè in seipsa, vt cùm per propriam speciem impressam cognoscitur: siue cognoscatur in alio clarè & quidditatiuè cognito, in quo tota eius quidditas eminenter contineatur, vt creaturæ in Deo viso. Secundus ex præsuppositā VI. apprehensione terminorum quib. constat propositio quæ ex terminis euidens dicitur, & cui ex hac apprehensione præsuppositā datur euidēs & omnino certus assensus. Tertius per discursum ex præmissis assensu certo priùs cognitis. Constat autem diuinæ fidei assensum, qui certissimus est, omnémq. vi sua de oppositō dubitationem & formidinem expellit, nō habere certitudinem suam vllo trium modorum istorum: non quidē primo, quia per eum res credita quidditatiuè & clarè prout in se est, non cognoscitur: nec secundo, quia ex sola terminorū apprehēsione propositionis huius, exempli causa, Deus est Trinus in personis: aut istius, Deus reuelauit se esse Trinum in personis, non appareret intellectui veritas huius aut illius propositionis: vnde dare neutri certum assensum potest ex sola terminorum quibus constant apVII. prehensione: nec denique tertio, quia fidei assensus non infertur per discursum ex præmissis priùs certò cognitis, sed immediatè soli diuinæ authoritati reuelanti innititur, vt nona disput. probauimus.

Obuncies D. Thomam hac 2.2. quæst. 171. art. 2. ad 3. expresse dicentem fidei & charitatis actum non esse supernaturalem quoad substantiā, sed quoad modum. Duplex Theologorum responsio est. Prima, S. Doctorem ibi modi nomine non intelligere modum essentiæ iam constitutæ accidentaliter aduenientem, neq. substātiæ vocabulo specificam essentiam, sed per vocabulum hoc intelligere gradum genericum actus circa suum obiectum materiale: modi verò nomine specificam actus differentiā, quæ differētia sæpe dicitur à Logicis modus generis, quatenus illud contrahit & determinat: & proinde VIII. nihil aliud velle, quàm actum fidei & charitatis non esse supernaturalē prout est in genere actus quo res à Deo reuelata creditur, aut Deus diligitur, sed esse supernaturalem prout tali modo creditur, nempe purè propter authoritatē Dei reuelantis, aut tali modo diligitur, nimirum propter se & super omnia: qui modi, cùm sint essentiales actuum charitatis & fidei differētiæ, sanè si ex mente D. Thomę hi actus sunt se cun

dùm hos modos ſupernaturales, ſuntex conſequenti ſecundum eſſentiam.

Secunda & D. Thomæ verbis, & menti magis conformis, eſt, ipſum nihil aliud velle, quàm actus, ad quos eliciendos infunduntur habitus, non eſſe ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam obiecti materialis intellecti, vel amati, quia ſcilicet actus aliquis merè naturalis circa eandem ſubſtantiam elici poteſt: circa ſubſtantiam enim Trinitatis, & cuiuſuis alterius rei à Deo reuelatæ poteſt aliquis merè naturalis fidei actus exerceri, quia poteſt quilibet Trinitatem, & quamlibet aliam rem à Deo reuelatam credere fide humana, qui actus merè naturalis eſt: & in hoc diſtingui donum prophetiæ, de quo eo loco tractat, ab habitib. illis infuſis, quòd cùm hi habitus dentur ad eliciendos actus circa ſubſtantiam earum rerum, circa quam poſſet aliquis merè naturalis actus vel cognitionis vel amoris elici, prophetiæ donum è contrario verſatur circa earum rerum ſubſtantiam, circa quam nullus naturalis actus verſari poteſt: ſubſtantia enim rei futuræ, exempli cauſa, quę prophetiæ dono cognoſcitur, & prædicitur, nulla naturali cognitione, ſeu purè per naturæ vires elicita cognoſci poteſt.

Cæterùm etſi actus, ad quos eliciendos infunduntur ſupernaturales habitus, non ſint ſupernaturales ſecundum ſubſtantiam ſenſu prædicto, non impedit tamen quo minus ſupernaturales ſint ſecundum ſubſtantiam, ſeu eſſentiam ipſius actus, vt patet, & quidē etiam iuxta mētem D. Thomæ, cùm ibidem dicat eſſe ſupernaturales quoad modum, quo ſcilicet feruntur in obiecta ſua materialia, qui eſt purè propter diuinam authoritatem reuelantem, ſi ſermo ſit de actu fidei diuinæ, vel purè propter Deum, ſi de actu charitatis: qui modi cùm ſint actibus illis eſſentiales, vt iam dixi, non poſſunt illi actus ſecundùm hos modos eſſe ſupernaturales, quin ſint etiam ſecundùm eſſentiam.

SECTIO III.

An aliquis internus diuinæ fidei actus in ſubſtantia naturalis dari queat?

NEGATIVÆ partis veritas clarè conſtat ex duabus illis rationibus, quibus ſuprà probauimus actum fidei, quo nunc credimus res à Deo reuelatas, eſſe in ſubſtantia ſupernaturalē: qua enim efficacitate id concludunt, eadem euincunt nullum in ſubſtantia merè naturalem dari poſſe, cùm quilibet poſſibilis actus internus fidei diuinæ neceſſariò ſpeciem ſuam ac eſſentiam à Deo prout in ſe eſt tanquam à formali obiecto accipiat, quilibet item ſit ex ſe certiſſimus, neque tamen vllo trium modorum, quos ſuprà enumerauimus.

At obiicies primò communem Theologorū doctrinam, affirmātium eadem myſteria a Deo reuelata credi poſſe fide infuſa pariter & acquiſita, quarum illa ſupernaturalis in ſubſtantia eſt, hæc naturalis. Reſpondeo hanc Theologorum doctrinam noſtræ non repugnare: per acquiſitam enim, quam merè naturalem in ſubſtantia eſſe concedo, non intelligunt fidem quæ circa rem à Deo reuelatam verſetur ex eodem motiuo quo fides infuſa, nempe ob ſolam authoritatem Dei reuelantis, ſed quæ verſetur quidem circa idem obiectum materiale quod credatur, at ob humanam teſtificantis hominis authoritatem, qualis fides eſt in hæreticis, in multis quoque Catholicis, præterquam tamen hi fidem infuſam habent, qua illi carent.

Obiicies ſecundò Concilium Arauſicanum II. can. 6. & Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. definire gratiam Dei eſſe neceſſariam ad credendum prout oportet ad ſalutem: & his verbis diſtinguere duplicem diuinorum myſteriorum fidem, vnam quæ ad ſalutem vtilis, imò neceſſaria eſt, & hanc eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem, ad ipſamque neceſſarium eſſe gratiæ Dei auxilium: alteram quæ nihil conducit ad ſalutem, & hanc eſſe in ſubſtantia merè naturalem. Reſpondeo primò vtrumque Concilium canonibus illis definire quidem illud quod in obiectione dicitur, ſed hac definitione non diſtinguere duplicem illam fidem, ſolúmque condemnare Semipelagianos, quorum hic erat error, hominem poſſe per ſolas naturæ ſuæ vires ſine gratiæ auxilio elicere actum fidei prout oportet ad ſalutem, id eſt, neceſſarium ad vitam æternam conſequendam: quem errorem damnat ſtatuens è contrario ad huiuſmodi fidei actum exercendum eſſe neceſſarium gratiæ auxilium: cęterùm non propterea vel affirmans, vel negans eſſe poſſibilem aliquem alium fidei actum ſoli diuinæ authoritati innixū, qui ſit in ſubſtantia merè naturalis.

Reſpondeo ſecundò, etſi concederetur vtrumque Concilium definitione illa diſtinguere duplicem fidem, vnam in entitate ſupernaturalem, neceſſariam ad ſalutem, alteram in entitate merè naturalem: non propterea per hanc intelligeret aſſenſum rebus à Deo reuelatis datum ob ſolam diuinam authoritatem reuelantem, de quo ſolo aſſenſu hic diſputamus, an merè naturalis in ſubſtantia dari queat, ſed eum qui rebus iiſdem datur ob authoritatem hominis teſtificantis, quem eſſe naturalem in ſubſtantia vltro concedimus.

Obiicies tertiò, circa obiectum merè naturale in entitate ſeu naturalis ordinis, cuiuſmodi homo eſt, leo, lapis, & alia id genus, poſſe exerceri actum quidditatiuæ cognitionis in entitate ſupernaturalem: ergo etiam circa obiectū ſupernaturale ſeu ſuperioris ordinis, qualis eſt Deus, & diuina perfectio prout in ſe eſt, poſſe exerceri actum cognitionis, vt fidei, in entitate merè naturalem. Reſpondeo primò negari poſſe antecedens, ſi ſermo ſit de cognitione quidditatiua, per quam nihil aliud cognoſcatur quàm res aliqua naturalis ordinis: dici enim meritò poteſt omnem de eiuſmodi re cognitionem quidditatiuam ita contemperari rei quam repræſentat, vt ſicut res hęc ſecundùm ſubſtantiam merè naturalis eſt, ita & ſit quidditatiua cognitio eius, & proinde ſpeciem impreſſam, quæ nullius alterius rei quàm iſtius ſpecies impreſſa eſt, non poſſe non eſſe in ſubſtantia merè naturalem.

Reſpondeo ſecundò cōceſſo gratis antecedēte, negando cōſequentiam: tum quia ſi bona eſſet, concluderet quoque circa Deum prout in ſe eſt cognoſcendum æquè poſſe exerceri intuitiuam Dei viſionem merè naturalem in ſubſtantia, atque ſupernaturalis poteſt: tum quia quemadmodum ſiue res merè naturalis ordi-

nis cognoſci poſſit duplici cognitione quidditatiua, vna naturali, altera ſupernaturali, ſiue non poſſit, res tamen in ſubſtantia ſupernaturalis cognoſci non poteſt quidditatiuè, niſi ſupernaturali in ſubſtantia cognitione: ſic quilibet actus qui circa Deum ſeu perfectionem eius aliquam prout in ſe eſt tanquam circa obiectum à quo ſpeciem ſumit verſatur, non poteſt non eſſe in entitate ſupernaturalis. I.

Obiicies poſtremò intellectiones & volitiones hominum & Angelorum, etiamſi circa eadem obiecta materialia verſentur, & ex eodem motiuo formali, eſſe diuerſas ſpecie, ratione diuerſorum ſpecie principiorum efficientium à quibus producuntur: ergo fieri pariter poſſe, vt circa vnum idémque obiectum materiale ex eodem formali motiuo eliciantur duo actus ſpecie diuerſi, vnus in eſſentia naturalis, alter ſupernaturalis, ratione diuerſorum ſpecie principiorum efficientium, quorum vnum erit habitus in ſubſtantia mere naturalis, ſiue fidei, ſiue ſpei, ſiue charitatis: alterum erit alius habitus fidei item, vel ſpei, vel charitatis, ſed in ſubſtantia ſupernaturalis. II.

Reſpondeo primò antecedens verum eſſe intellectum de cognitionibus & volitionibus in ſubſtantia mere naturalibus: & ratio eſt, quòd hi actus non ſpecificentur adæquatè ab obiectis ſuis materialibus & formalibus, ſed partim ab his, partim à principiis ſuis efficientibus, & quidem non minùs ab his principiis, quàm ab illis obiectis: quo fit, vt quemadmodum inuariatis ſpecie his principiis, ſi variatur ſecundùm ſpeciem obiectum, variatur quoque ſpecie cognitio, vel volitio: ita ſi hæc obiecta ſecundùm ſpeciem inuariata permaneant, varientur autem ſecundùm ſpeciem principia illa efficientia, variari quoque ſpecificè debeat cognitio, vel volitio. Vnde quod dici ſolet habitus & actus ſpecificari & diſtingui ſpecie ex obiectis, intelligi debet de habitibus & actibus vnius eiuſdémque ſpecie potentiæ: nam qui ſunt diuerſarum ſpecie potentiarum, etiamſi verſentur, vt dixi, circa eadem obiecta, adhuc ſpecie diſtinguentur ex potentiis ſpecie diuerſis à quibus naturaliter producuntur, & in quibus naturaliter recipiuntur. III.

Cæterum antecedente ita intellecto & conceſſo, Reſpondeo ſecundò negando conſequentiam, quia ſi dari poſſunt diuerſa ſpecie principia effectiua intellectionum & volitionum hominum & Angelorum, nempe diuerſi ſpecie intellectus & voluntates eorundem, non eſt propterea conſequens, vt dari poſſint diuerſi ſpecie habitus fidei, quorum vnus ſit ſupernaturalis in ſubſtantia, alter naturalis: hic enim poſterior habitus non eſt poſſibilis, niſi ſit poſſibilis actus internus fidei in ſubſtantia naturalis, hunc autem impoſſibilem eſſe ſuprà dictæ duæ rationes euincunt. IV.

Contra quas hoc poſtremum obiici poteſt, non ex obiecto formali, in quod actus tendit, aut ex modo tendendi in illud, actum eſſe in entitate ſupernaturalem, ſed ex ſolo ſupernaturali habitu, qui connaturale principium eſt actuũ eiuſdem ſecum ordinis, ac proinde in entitate ſupernaturalium: poſſibilem autem eſſe ſupernaturalem habitum circa idem obiectum etiam formale, & eodem quoque modo ſpectatum circa quod aliquis naturalis habitus verſari poteſt, poſſibilem proinde eſſe circa illud duplicem actum, vnum in entitate naturalem, alterum ſupernaturalem.

A At huic ego obiectioni eáque contentæ doctrinæ hoc in primis oppono, nõ aliunde debere à nobis cenſeri poſſibilẽ aliquem ſupernaturalem habitũ & actum circa hoc aut illud formale obiectum, modũmve hunc aut illum illud ipſum attingendi, quàm ex natura talis obiecti aut modi, quæ neceſſariò poſtulat actum qui circa eam verſatur, ſupernaturalem eſſe, ac proinde poſſibilem eſſe ſupernaturalem habitũ, qui ſit ipſius connaturale principium. Vnde enim vẽnit vnquam in mentem vlli Theologo admittere eos ſupernaturales habitus, qui cõmuniter admittuntur, niſi ex hoc vno capite? Vnde S. Thomas, Thomiſtæ, aliique per multi Theologi, præter virtutes morales ex ſuo genere acquiſitas & naturales admiſerunt alias eiuſdem nominis cum illis ex ſuo genere infuſas, ſeu in entitate ſupernaturales, niſi ex diuerſis formalibus obiectis circa eadem obiecta materialia harum & illarum virtutum propria, iiſdémque communia? Sanè cùm nullus Theologus admittat, circa quælibet materialia obiecta habitum aliquem ſupernaturalem, ratio admittẽdi circa hæc, non circa illa, alia non eſt quàm hoc aut illud obiectum formale, ſeu modus hic aut ille in illa tendendi natura ſua exigens neceſſariò in actu circa ipſa ſupernaturalitatem, ac proinde in habitu, vtpote cõnaturali principio huius actus: quàm in hoc actu ſupernaturalitatem ſi neceſſariò exigit, ſequitur euidenter nullum naturalem actum, circa eadem obiecta materialia ex eodem formali obiecto eodémve modo verſantem, eſſe poſſibilem. V.

Oppono deinde ex illa doctrina eſſe conſequens, tam poſſe dari duplicem ſpecie actũ claræ viſionis Dei, vnum in entitate naturalem, alterum ſupernaturalem, quàm dari poteſt duplex ſpecie actus fidei diuinæ, aut duplex ſpei, aut duplex charitatis Theologicæ, vnus naturalis, alter ſupernaturalis. Sicut enim hic duplex dari dicitur, naturalis vnus ex habitu naturali, poſſibili, ſupernaturalis alter ex ſupernaturali: ita ille duplex pari iure dicetur dari, vnus ſupernaturalis ex habitu ſupernaturali, alter naturalis ex naturali poſſibili. VI.

Nec dicas hunc naturalem habitum, eſque reſpondentem claram Dei viſionem naturalem eſſe impoſſibilem, alioquin hæc & illa conſequenter eſſet Angelo connaturalis, cùm tamen nulli creatæ ſubſtantiæ connaturale eſſe poſſit Deum prout in ſe eſt clare videre ſiue actu, ſiue habitu, quia quęcunque clara Dei viſio perficit quamcunque naturam creatam ſupra exigentiam eius & cuiuſcunque alterius creabilis: eſſe autem ſupernaturale nihil aliud eſt quàm ita perficere. Ne, inquam, id dicas: nam vnde quæſo quælibet clara Dei viſio, ſiue habitualis, ſiue actualis ſic quamcunque creatam naturam perficit, & proinde quælibet eſt in entitate ſupernaturalis, niſi ex Deo tãquã ex obiecto formali huiuſce claræ viſionis? qui quatenus eſt cognoſcibilis pro vt in ſe eſt, exigit in habitu vel actu quo prout in ſe eſt cognoſcitur ſupernaturali- VII. VIII.

taté, nec attingi ſe aliqua prout in ſe eſt cognitione naturali ab aliquo ex rei natura finit & patitur. At ſi ita eſt, vt omittam dicere, nos hinc habere ſupernaturalitatẽ & actus & habitus alicuius à priori tanquã ex cauſa, peti ab obiecto formali & huius actus & habitus, cur cùm Deus prout in ſe eſt ſeu ſecundùm eam quam in ſe habet perfectionem primæ bonitatis, aliámve ſimilem ſit æquè obiectum formale fidei, vel ſpei, vel charitatis Theologicæ, ſiue actualis, ſiue habitualis, atque claræ ſui viſionis, cur inquam ex eo tanquam obiecto formali non tam neceſſariò deriuabitur ſupernaturalitas in actũ habitúmque fidei, vel ſpei, vel charitatis, quàm in hanc claram viſionem, magiſve pati ex natura rei poterit hoc formale iſtorum actuum & habituum obiectum attingi ſe aliquo huiuſcemodi actu & habitu naturali, quàm patiatur obiectum formale huius ipſius claræ viſionis? cùm ſicut huius obiectũ formale eſt ipſe Deus à parte rei prout in ſe eſt, ita etiã ſit illius actus & habitus, licet alia & alia ratione conſideratus. Sanè ſi ex Deo vt obiecto formali claræ illius viſionis recte colligitur eſſe in creatura rationali naturalẽ impotentiam, ſolam autem potentiam obedientialem eum attingendi per claram viſionem prout in ſe eſt, ac proinde viſionem hanc in entitate naturalem eſſe impoſſibilem, ſolam autem ſupernaturalem poſſibilem eſſe, pari iure ex eodem vt obiecto formali fidei vel ſpei vel charitatis recte colligetur in eadem creatura naturalis impotentia, ſola autem potentia obedientialis eundem attingendi prout in ſe eſt per fidem, aut ſpem, aut charitatem, ac proinde naturalis in entitate diuinæ fidei vel ſpei vel charitatis impoſſibilitas, poſſibilitas autem ſolius ſupernaturalis.

Oppono poſtremò eſſe ex eadem doctrina conſequens, ſi ex eodem formali obiecto, ex quo elicitur aliquis naturalis actus diuinæ fidei, vel ſpei, vel charitatis, poſſit aliquis elici ſupernaturalis ex habitu ſupernaturali poſſibili, poſſe etiam elici duplicem in ſpecie ſupernaturalem ex duplici ſecundum ſpeciem ſupernaturali habitu poſſibili, imo triplicem, quadruplicem, & magis ac magis in infinitum multiplicem, ex triplici, quadruplici, & magis magiſque multiplici in infinitum huiuſcemodi habitu ſupernaturali poſſibili: ſi enim vnus ſupernaturalis habitus fidei eſt poſſibilis circa idem obiectum formale, circa quod aliquis fidei naturalis actus & habitus verſari poteſt, cur non erit alius circa idem poſſibilis ſupernaturalis fidei habitus ſic ab illo priori ſecundùm ſpeciem diſtinctus, vt ſupernaturalis à naturali diſtinguitur? Quemadmodum ſi circa candorem aut ſimile naturale accidens poſſet ab oculo vel intellectu elici ex ſpecie aliqua impreſſa ſupernaturali viſio ſupernaturalis, ſicut naturalis poteſt ex impreſſa ſpecie naturali, certè poſſet & multiplex ſecundùm eſſentiam ſupernaturalis, ex multiplici ſecundùm eſſentiam ſpecie impreſſa ſupernaturali poſſibili: admiſſa enim ſemel in oculo vel in intellectu vna huius obiecti poſſibili ſupernaturali ſpecie impreſſa, duplex in eodem poſſibilis admitti ſecundùm eſſentiam diuerſa pari iure deberet, imò triplex, & quadruplex, & multiplex magis ac magis in infinitum.

Sunt nonnulli recentiores, qui non reputant abſurdum hoc concedere conſequens, vnde vltro concedunt. Concedant igitur imprimis eadem ratione circa quodcunque obiectum formale, circa quod verſari poteſt vnus habitus ſupernaturalis poſſibilis, plures & plures in infinitum circa idem obiectum ſupernaturales habitus poſſibiles ſpecie diuerſos, proinde tot actus ſupernaturales ſpecie inter ſe diſtinctos. conſequentérque concedant plura in infinitum poſſibilia gloriæ lumina diuerſa eſſentialiter, atque adeo plures in infinitum poſſibiles beatificas viſiones ſpecie diuerſas: quæ ſi poſſibilia ſunt, cur tam communi conſenſu docent Theologi gloriæ lumen in beatis & hominibus & Angelis eſſe vnius eiuſdémque ſpeciei? Certe præſtabit dicere eſſe tam ſecundùm ſpeciem multiplex, ac proinde tam multiplicem ſpecie claram Dei viſionem, quàm ipſi ſecundùm ſpeciem multi ſunt, & habent proinde differentes ſpecie intellectus, vt ſic ſupernaturalia magis & perfectiùs naturalibus proportionentur & reſpondeant: eritque dicendum ſimiliter ſupernaturalem fidem, ſpem, & charitatem in Angelis viatoribus fuiſſe ſpecie diuerſam ab ea, quæ nunc in hominibus eſt, imo fuiſſe in illis tam multiplicem ſpecie, quàm fuit in iis multiplex ſpecie Angelica natura, ac proinde intellectus & voluntas: quas res omnes cùm Theologi communiter ſentiant in iis re ipſa fuiſſe, aut etiam nunc eſſe vnius eiuſdémque infimæ ſpeciei, ea ſola de cauſa ita ſentiunt, quia plures ſecundùm ſpeciem poſſibiles eſſe non ſentiunt.

Concedant ſecundò nullum eſſe poſſibile obiectum materiale & formale naturalis actus, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, ex principio effectiuo naturali, à quo progreditur, ſiue principium hoc ſit aliquis habitus, ſiue aliqua impreſſa ſpecies, circa quod non poſſit verſari actus aliquis ſupernaturalis ex principio effectiuo ſupernaturali poſſibili à quo progredi poterit, ſiue principium hoc ſit habitus aliquis, ſiue impreſſa aliqua ſpecies: hanc enim ſpeciem & illum habitum ſupernaturalem eſſe poſſibilem negare non poterunt: qua enim ratione hunc poſſibilem habitum negarent potius quam illos alios ſupernaturales quos admittunt circa eadem obiecta materialia & formalia, circa quę naturales aliqui ab ipſis admittuntur? Aut cùm admittant poſſibilem ſupernaturalem habitum circa idem obiectum materiale & formale, circa quod naturalis admittitur, quam habere iuſtam cauſam poſſent negandi poſſibilem ſpeciem impreſſam ſupernaturalem eiuſdem obiecti, cuius datur aliqua naturalis?

Vnde & concedant tertiò neceſſe eſt, nullum eſſe poſſibile obiectũ naturalium actuum, ſenſuum, ſiue internorum, ſiue externorum, ex ſpeciebus impreſſis naturalibus, à quibus illi actus efficiuntur, circa quod exerceri non poſſit aliquis ſupernaturalis actus ex impreſſa ſpecie ſupernaturali poſſibili à qua effici poterit. Nec dicant hanc in his ſenſibus ſpeciem eſſe impoſſibilem, quòd omnis in iis vt materialibus potentiis poſſibilis impreſſa vel expreſſa ſpecies materialis eſſe debeat. Vt enim hoc vltro conce-

damus, sanè nullum hinc impedimentum erit, quominus aliqua in iisdem speciebus, siue impressa, siue expressa supernaturalis esse possit, cùm multa purè materialia entia sint in entitate supernaturalia ex quamplurimis Theologis, vt modus vnionis hypostaticæ in humanitate Christi receptus, & sacramentalis præsentia corporis eius & sanguinis sub panis & vini speciebus.

I. A

Concedant quarto, nullam esse actionem naturalem circa quodcunque subiectum, quæ non possit secundùm speciem multiplicari, etiam in entitate merè naturalem, ex multiplici secundùm speciem effectiuo principio possibili in entitate mere naturali: imo quæ non possit multiplicari sic magis ac magis in infinitum ex huiusmodi principio magis ac magis in infinitum sic multiplicabili. Si enim circa vnum idémque materiale & formale obiectum multiplex specie actus exerceri potest, naturalis vnus, alter supernaturalis, imo supernaturalis secundùm speciem duplex, triplex, & magis ac magis in infinitum multiplex, ex principio effectiuo secundùm speciem multiplici, vno naturali, supernaturali altero, imo ex hoc supernaturali secundùm speciem duplici & triplici, magisque in infinitum multiplici possibili: cur non erit exempli causa pari iure possibilis duplex, & triplex, & magis in infinitum secundùm essentiam multiplex illuminatio, calefactio, frigefactio ex possibili duplici, triplici, & magis in infinitum secundùm essentiam multiplici lumine calore, frigore? cùm præsertim neque actiones illæ, neque hæc earum effectiua principia sint futura magis inter se differentia, quàm inter se differant actus in entitate naturalis & supernaturalis, aut naturalis & supernaturalis habitus, aut multi supernaturales, siue actus, siue habitus secundùm speciem diuersi, si actus cum actibus, & habitus cum habitibus comparentur.

II. B

III. C

Qua ex causa concedere tandem debebunt quamlibet substantiam etiam materialem, esse magis ac magis in infinitum multiplicabilem secundùm essentiam, dari exempli causa posse plures & plures in infinitum hominum species, leonum item, & equorum, & quorumlibet aliorum animalium, quorum indiuidua omnia nunc sunt vnius eiusdémque speciei. Erunt enim eadem ex causa possibiles plures & plures in infinitum animarum rationalium species, plures item leoninarum & equinarum, quibus ex formalibus principiis specie differentibus qui componentur siue equi, siue leones, siue homines, non poterunt non esse tam essentialiter inter se distincti, quàm principia hæc essentialiter inter se different. Quæ omnia ex

IV. D

prædicta doctrina consequentia, à communi hominum sensu, imò & à prima cogitatione tam remota & abhorrentia, si quis dicat esse possibilia, quia in eorum omnium possibilitate nullam videt contradictionem, concludat ergo eadem omnia impossibilia esse, quia certissimè in eorundem impossibilitate nihil etiam videt contradictionis, vt nec quisquam videre quidquam potest.

SECTIO IV.

Regulæ aliquot generales, ex quibus facilè supernaturales actus à naturalibus discerni poterunt.

V. CVM hac disputatione tractemus ex instituto de supernaturali diuinæ fidei actu, quem ita supernaturalem arbitramur esse, vt nullum naturalem esse possibilem existimemus, frequénsque sit inter Theologos, nec leuis de supernaturalibus actibus quæstio & disceptatio, de quibus propterea sæpius fuit nobis in præcedentibus tractatibus ex occasione dicendum, & erit nonnunquam in sequentibus, nec parua sit difficultas in iis probè cognoscendis & dignoscendis secernendísque à naturalibus, visum est hoc loco, quoniam nullus occurret commodior, huius difficultatis minuendæ gratia, statuere aliquot generales regulas ad id non mediocriter vtiles, quæ sequentibus propositionibus continentur.

VI. Prima propositio: Omnis actus in entitate supernaturalis, est aut intellectus aut voluntatis: ratio est, quia alij omnes actus sunt proprij sensus vel externi vel interni, vel sentientis appetitus, qui omnes sunt naturales: non enim sunt hæ facultates spectatæ secundùm potentiam etiam obedientialem capaces vllius in entitate supernaturalis: nullus enim cuius capaces sint assignati probabiliter potest, & ratio est, quòd earum etiam obedientialis potentia ferri nequit extra proprium obiectum, ex quo in nullum earundem actum deriuari supernaturalitas potest, seu, quod eodem recidit, eleuari non potest ad operandum vitaliter circa Deum, aut aliud supernaturale obiectum, ex quo possit obiectiuè in actum transfundi supernaturalitas: alioquin brutæ etiam animantes capaces essent alicuius claræ Dei visionis, amoris item

VII. eiusdem, & gaudij beatifici, ac proinde supernaturalis beatitudinis: quod absurdum est.

Secunda propositio: Omnis actus in entitate supernaturalis, siue intellectus, siue voluntatis, habet pro formali obiecto vel Deum vel creaturam, quod euidens ex terminis est, cùm nihil inter hanc & illum esse medium queat.

VIII. Tertia propositio: Omnis actus intellectus, omnis item voluntatis qui versatur circa Deũ, seu diuinum attributum prout in se est, tanquam circa obiectum formale, siue totale, siue partiale, est in entitate supernaturalis: ratio est, quòd si huiusmodi obiectum sic spectatum non possit obiectiuè communicare supernaturalitatem actui qui circa ipsum versatur, nullum potest, cùm tamen multa creata possint, vt constat, & paulò pòst videbimus: tanto enim illud obiectum ad eam communicandam aptius est, eóque proinde magis necessariò reipsa communicat, quanto est quocunque alio eandem necessariò communicante nobilius & eminentius: per hæc autem verba, prout in se est, intelligitur formale obiectum actus esse id quod à parte rei in Deo est, siue à nobis cognoscatur prout in se est, id est, quidditatiue, quomodo cognosci per claram

supernaturalem Dei visionem debet, & re ipsa cognoscitur: siue non, sed tantùm purè abstractiu è, id est, per propriam alterius rei speciem, & ad instar huius ipsius rei ac similitudinem: quomodo cognoscitur in hac vita veritas prima quæ est formale obiectum actus fidei in entitate supernaturalis, formale item I. A obiectum actuum spei & charitatis Theologicæ, qui sunt in entitate supernaturales, quod obiectum est ipse Deus, seu diuinum aliquod eius attributum.

Quarta propositio: Omnis actus voluntatis, qui versatur circa obiectum formale in entitate supernaturale, siue totale, siue partiale, est in entitate supernaturalis.

Quinta propositio: Omnis actus voluntatis qui habet obiectum formale totale in entitate naturale, est in entitate naturalis. Totale dico, nam si partiale dumtaxat naturale sit, alterum partiale supernaturale, erit totus actus in entitate supernaturalis. Ex præcedéte propositione huius vtriusque propositionis veritas intelligitur, ex communi sancti Thomæ Theologorumque doctrina de duplicibus eiusdem nominis virtutibus purè moralibus in eadem voluntate sedem habentibus, de duplici, verbi causa, temperantia, duplici fortitudine, duplici iustitia, quarum vna est in entitate naturalis, II. B altera supernaturalis: hoc enim vnius ab altera discrimen non aliunde esse potest quàm ex obiecto formali, quorum vnum naturale est, alterum supernaturale, maximè cùm præcedenti sectione fusè ostenderimus, ex habitu supernaturali non esse petendam supernaturalitatem actus, nisi dum vtriusq. formale obiectum postulat natura sua vtrumque esse supernaturalem, eíque necessariò obiectiuè supernaturalitatem cõmunicat. Quò fit, vt certum consequenter esse debeat, nulla ratione ostẽdi posse actum aliquem voluntatis habentem obiectum formale supernaturale elici posse à potentia naturali voluntatis vt naturalis est, & ab obedientiali distinguitur, alioquin esset eo ipso naturalis: nam quæ ratio hoc ostenderet, communem illam Theologorum doctrinam funditus simul euerteret, destrueret enim fundamentalem illam & vnicam causam relati inter prædictas virtutes naturales & supernaturales discriminis, quæ causa est harum obiectum formale supernaturale, illarum verò naturale.

III. C

Sexta propositio: Non omnis actus intellectus habens obiectum formale siue partiale, siue totale in entitate supernaturale, est in entitate supernaturalis. Quæ propositio directe opponitur quartæ quam de voluntate paulo antè posuimus. Ratio huius sextæ est, quia aliquis non est, vt assensus conclusionis Theologicæ, quod in tractatu de Deo, disputatione secunda, sectione tertia, fusè probatum est, vbi & ostensum, nullum assensum illatum seu vlli IV. D conclusioni in discursu datum, esse posse in entitate supernaturalem, quodcunque demum huius assensus formale obiectum sit, aut esse supponatur.

Septima propositio: Non omnis actus intellectus qui habet pro obiecto formali etiam totali aliquod ens in entitate merè naturale, est in entitate naturalis. Quæ propositio est directè opposita quintæ quam de voluntate præmisimus. Huius autem septimæ ratio est, quòd aliquis huiusmodi actus intellectus in entitate supernaturalis est, nempe cognitio futuri contingentis, vt cursus, aut homicidij cras futuri, per propriam eius speciem: quam cognitionem esse possibilem in tractatu de Angelis disputatione trigesima copiosè probatum est: esse autem supernaturalem ex eo breuiter patet, quòd certa futurorum contingentium cognitio soli Deo propria & connaturalis est, vt in eodem tractatu, disputatione vigesima nona, demonstratum est. V.

Octaua propositio: Omnis actus intellectus quo obiectum in entitate supernaturale siue totale, siue partiale cognoscitur quidditatiue, seu prout in se est, in entitate supernaturalis est. Ratio est, quia fit hęc cognitio per propriam illius obiecti impressam speciem, quæ eiusdem ordinis cum illo necessariò est, ac proinde actu eiusdem secum ordinis efficit: neque enim naturalis in entitate species potest esse ex essentia sua alterius obiecti quàm merè naturalis propria species, aut aliam naturaliter potest eius efficere cognitionem quidditatiuam, quàm merè naturalem. VI.

Nona propositio: Nullus actus nostri intellectus in hac vita est in entitate supernaturalis præter actum fidei diuinæ. Constabit propositionis huius veritas discurrenti per omnia genera cognitionum nostrarum, quæ sunt, simplex apprehensio, iudicium enunciatiuum, iudicium illatum, seu discursus: nulla enim nostra simplex apprehensio supernaturalis est, quia nulla fit nisi per proprias rerum etiam sensibilium species quas solas nunc habemus, & quas omnes esse merè naturales certissimum est. Iudicium autem enunciatiuum nullum est dempto fidei diuinæ assensu nisi euidens ex apprehensione terminorum: nam si quod ex iis euidens non est, ergo discursiuum est, & per medium aliquod probatum atque illatũ: quod autem sic illatum, & quod ex terminis euidens est, naturale est: nam si intellectus id naturaliter iudicare non potest quod hoc aut illo iudicio iudicat, cœcus est, nec proinde intellectus est. Quæ qui plenius cupiet intelligere, & soluere faciliùs contrarias obiectiones, consulat ea quæ in tractatu de Deo, disputatione secunda, sectione tertia, & in tractatu de gratia, disputatione quarta, sectione quarta dicta sunt. VII. VIII.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm internus diuinæ fidei actus sit certior quolibet assensu naturali euidenti?

SECTIO PRIMA.

Pars affirmatiua defenditur, & probatur.

I. DVPLEX solet hîc à Theologis distingui certitudo, obiectiua vna, altera formalis. Obiectiua nihil aliud est quàm immutabilis veritas rerum quæ sunt obiecta nostrorum actuũ, seu quàm immutabilitas obiectiuæ veritatis rerum istarum. Formalis est firmitas quædam assensus ipsi assensui intrinseca. Hæc rursum duplex est, vna proprie, altera improprie seu abusiuè dicta certitudo: prior illa est rerum duntaxat verarum, II. vt rectè notat Vega lib. 9. in Trident. cap. 2. & facilè concedent omnes, qui aduertent nos quidem dici etiam de falsis persuasos, at certos proprie loquendo non nisi de veris. Vnde etiam definitur à S. Thoma in 3. dist. 3. & 26. quæst. 2. art. 4. firma adhæsio intellectus ad obiectum verum.

Quæ quidem certitudo duas præterea conditiones habere debet. Prima, vt sit ita firma adhæsio ad obiectum verum, vt excludat omnem, saltem deliberatam, dubitationem & formidinem de oppositio. Secunda est, vt firma illa adhæsio sit rationabilis & prudens: tunc autem talis est, cùm per se conuenit cognitioni ex propria natura cognitionis circa hoc aut illud obiectum suum, seu quod in idem recidit, cùm ita commensuratur obiecto circa quod versatur III. cognitio quæ proprie certa dicitur, vt per adhæsionem illam non adhæreat intellectus obiecto firmiùs, quàm obiectum ipsum per se postulet & mereatur. Iam verò improprie seu abusiuè dicta certitudo est quæcunque firma adhæsio ad obiectum siue falsum, siue verum, non rationabilis & prudens, nec proinde illi cognitioni quæ abusiuè certa dicitur per se conueniens ex natura cognitionis illius circa hoc aut illud obiectum suum, seu per quam intellectus exleuitate, vel temeritate, vel duritia, vel alio simili affectu voluntatis, adhæret firmiter obiecto præter aut super obiecti meritum ac dignitatem, quæ firma adhæsio proprie pertinacia dicitur.

Hac distinctione præsuppositа, quæstio hîc solùm est de formali & proprie certitudine assensus fidei comparata cum formali & proprie IV. dicta certitudine assensuum naturalium euidentium: de illa autem duo quæruntur. Primum est, vtrùm illa assensus fidei certitudo sit in se maior hac certitudine horum assensuum? Secundum, vtrùm nos certiores efficiat? Prima sententia est Durandi in 3. dist. 23. quæst. 7. num. 10. ad vtrumque negatiuè respondentis. Secunda est quorundam Thomistarum ad primum affirmatiuè, ad secundùm negatiuè respondentium, qui in hanc inducti sunt opinionem ex malè intellecta doctrina S. Thomæ dicentis art. 8. quæst. 4. fidem secundùm se certiorem esse scientia, cæterisque naturalibus virtutibus intellectualibus, sed ex parte subiecti, seu quoad nos, minùs esse certam: quod quo sensu verum sit, postea explicabimus.

A At vel cum Durando negandum vtrumque simul est, vel vtrumque simul affirmandum cum cæteris Theologis communiter: primum enim cum secundo, & secundum cum primo tanta necessitate connexum est, vt vno posito non possit non poni alterum, & sublato tolli. Et ratio est, quòd sicut effectus formalis esse non potest sine forma, cuius formalis effectus est: ita nec potest esse forma in subiecto, quin ipsi communicet suum primarium & immediatum effectum formalem: primarius autem & immediatus formalis effectus inhærentis cognitionis certæ formali & proprie dicta certitudine est facere intellectum cognoscentem certò, seu certum, & magis certæ, facere magis certum: sicut immediatus & primarius formalis effectus inhærentis intellectui cogni- V. B tionis euidentis est facere intellectum cognoscentem euidenter, & magis aut minùs euidentis, facere magis aut minus euidenter cognoscentem: vnde si fidei assensus sit in se certior, faciet nos certiores: & vice versa si nos certiores efficiat, est in se certiór. Quare cùm duorum istorum tanta sit connexio quantam dixi, consequens est, eodem argumento quo efficaciter concluditur vnum illorum esse affirmandum, vel negandum, concludi quoque efficaciter idem de altero. VI.

Iam probo de duobus istis alterum, nempe eum qui credit reddi prædicta certitudine certiorem: & primò quidem ab authoritate S. Thomæ, qui citato artic. 8. quartæ quæstionis concludit his verbis responsionem ad 2. *Et multò magis homo certior est de eo quod audiit à Deo qui falli non potest, quàm de eo quod videt propria ratione quæ falli potest.* Agit autem de visione quæ C natura sua certa est & infallibilis: siquidem in VII. hac ad 2. responsione de eadem visione respondet, de qua sermo erat in secundo illo argumento, erat autem in illo sermo, vt ex textu patet, de visione intellectuali quæ in actu scientiæ & sapientiæ includitur: quæ visio tam est naturâ suâ infallibilis & certa, quàm ipse sapientiæ & scientiæ actus, cùm ab hoc actu illa non differat.

Probo secundò ab authoritate sanctorum Patrum, Basilij in primis epist. 43. ad Gregorium Nyssenum sic scribentis: *Quemadmodum eorum quæ oculis apparent, potior videtur experientia quàm ratio causæ: sic in sublimibus dogmatibus potior est ratiocinationum comprehensione ipsa fides.* Et in Psal. 115. *Fides*, inquit, *supra ratiocinales methodos animum ad assensum trahens*, &c. D VIII. Quibus verbis haud dubiè vult, quòd sicut certiores sumus de re per euidentem experientiam quàm per ratiocinationem cognita: sic per assensum fidei diuinæ certiores reddimur de veritate sublimium dogmatum, id est, mysteriorum fidei nostræ, quàm per quaslibet ratiocinationes de veritate rerum quas ratiocinando cognoscimus. Deinde Chrysostomi homil. 21. in hæc verba capitis 11. epistolæ ad Hebr. *Erit*

autem fides, &c. vbi sic ait, *Nec fides dici potest, nisi cùm circa ea quæ non videntur amplius quàm circa ea quæ videntur certitudinem quis habuerit.* Denique Augustini, vt alios multos omittam, qui lib. 7. Confess. cap. 7. diserte asserit facilius se dubitaturum, vtrùm ipse viueret, quàm vtrùm esset vera res quæ diuina fide creditur.

I. Atque cùm hæc certitudo, qua & D. Thomas, & prædicti sancti Patres dicunt nos reddi certiores de rebus diuina fide creditis, sit prudens & rationabilis, vtpote quæ non est præter aut super obiecti formalis cui fides innititur meritum & dignitatem (quis enim certiorem assensum fidei præbet rebus à Deo reuelatis, quàm authoritas diuina reuelans mereatur?) dici non potest eos non loqui de formali propriè sumpta certitudine, quæ per se conuenit actui fidei, habita ratione specificæ naturæ huius actus, diuinæque authoritatis reuelantis, à qua tanquam ab obiecto formali sicut hic actus specificam suam naturam, sic certitudinem accipit.

Probo tertiò à posteriori ex eo quòd constat
II. fideles paratos esse ad reuocandam in dubium, imò negandam potius veritatem cuiuscunque rei cognitæ euidenter per assensum aliquem naturalem, quàm vllius rei à Deo reuelatæ & creditæ fide diuina, si alterutrius veritas neganda esset, vt si vna alteri repugnare supponeretur. Vnde paulò antè audiebamus D. Augustinum dicentem dubitaturum se potiùs de actuali vita sua, quàm de rei per fidem creditæ veritate: ad quod ita parati non essent, nisi per assensum fidei redderentur de veritate rerum creditarum certiores, quàm per assensum naturalem euidentem de veritate rerum euidenter cognitarum.

Ratio autem à priori maioris huius in fide certitudinis, quàm in prædictis assensibus, petitur ex authoritate diuina reuelante, qua tanquam adæquato motiuo sicut tota nititur specifica assensus fidei natura, sic specificam hanc naturam proprietatis instar consequens specialis illa quam habet certitudo: assensus enim ille natura sua certior est, qui nititur obiecto formali magis infallibili, seu cui magis repugnat ad falsum mouere, obiectum autem formale assensus fidei eiusmodi est comparatum cum formalibus obiectis, quibus nituntur assensus naturales euidentes: hi enim vel naturali lumine intellectus creati, vel naturali ratione, vel præuia aliqua cognitione naturali, denique semper aliqua re creata nituntur, à qua tanquam à proprio principio, sicut totam specificam suam naturam, sic specialem huic specificæ naturæ propriam certitudinem desumunt: at assensus fidei diuinæ soli authoritati diuinæ reuelanti tanquam motiuo innititur.

IV. Etsi autem obiecta formalia, principiaque quibus nituntur assensus euidentes naturales, sint ex se suáque natura infallibilia, & tam longè absint à falsitate, vt assensus falsi causæ esse non possint, sicut & authoritas diuina reuelans: quis tamen neget hanc à falsitate abesse adhuc longiùs, eíque magis quàm illis repugnare, vt ad assentiendum rei falsæ moueat: aut, si per impossibile fieri posset, vt vel hæc authoritas, vel illa principia ad assensum falsum mouerent, futurum haud dubiè potiùs, vt illa ad eum mouerent, quàm hæc? Certè principiis illis hoc non repugnat, nisi tantum quantum necessarium est vt talia sint, qualia sunt: authoritati autem diuinæ reuelanti tantum repugnat ad falsum assensum mouere, quantum necessarium est Deum nec falli posse, nec fallere: hoc autem tam necessarium est, quàm Deum esse, cùm sapientia & veracitas diuina qua nec falli potest, nec fallere, sit à parte rei ipsa diuinitas: Deum autem esse tanta necessitas est, vt nullius rei creatæ quantumuis necessariæ necessitas comparari cum ea debeat. A V.

SECTIO II.

Triplici obiectioni & vni quæstioni respondetur.

OBIICIES primò: Eo maior est certitudo assensus, quo ipse assensus est intensior: atqui sæpe fit vt assensus naturalis euidens sit intensior assensu fidei. Respondeo distinguendo Maiorem: certitudo enim dici potest maior VI.
B duplici sensu. Primus est, vt maior idem sit atque intensior, & hoc sensu concedo certitudinem assensus scientifici, & cuiusuis alterius euidentis certitudine assensus fidei posse esse maiorem. Secundus est, vt maior idem sit atque secundùm speciem perfectior, siue multùm intensa sit, siue parum, & hoc sensu falsa est Maior, quia alicuius assensus remissioris secundum gradus potest hoc secúdo sensu maior esse certitudo, quàm alicuius alterius intensioris: & reipsa fidei diuinæ maior est, quàm vllius assensus naturalis euidentis, quamuis hic illo sæpe secundùm gradus sit intensior: qui quidem etsi fieret intensior in infinitum, eiusque per consequens certitudo, nunquam tamen exæquaret in
C perfectione gradum illum specificæ perfectionis, quem certitudo fidei habet ex specifica natura huius actus, obiectíque cui innititur, quia certitudo propria assensui naturali euidenti inferioris ordinis est certitudine assensus fidei diuinæ, sicut & ille est inferioris ordinis hoc assensu: quod autem inferioris ordinis est, quantumcunque crescat in inferiore ordine, nunquam attinget perfectionem superioris. VII.

Obiicies secundò: Vbi est æqualis exclusio dubitationis & formidinis, ibi est æqualis certitudo, sed in assensu fidei diuinæ, & in quouis assensu naturali euidenti est æqualis exclusio dubitationis & formidinis, ergo & æqualis certitudo. Maior probatur: certitudo enim nihil est aliud quàm hæc exclusio. Minor constat: vbi enim nihil prorsus est alicuius formæ, ibi est æqualis exclusio seu negatio formæ illius, in vtroque autem illo assensu nihil prorsus est du-
D bitationis aut formidinis. Respondeo concessa Minore, eiusque probatione, negando Maiorem, cuius ad probationem dico certitudinem non esse ipsam formaliter exclusionem seu negationem dubitationis & formidinis, sed esse positiuam & realem animi ad alicuius obiecti veritatem adhærentis firmitatem, quæ modò maior, modò minor est, non solum secundùm gradus intensionis, sed etiam quoad gradum specificæ perfectionis, quem habet ex VIII.

ſpecifica natura actus cui ineſt: ſiue autem maior ſit, ſiue minor, ſemper habet vt excludat omnem dubitationem ac formidinem: quemadmodum euidentia cognitionis excludit omnem, ab hac cognitione obſcuritatem, ſeu inuidentiam, cùm tamen ex cognitionibus euidentibus vna ſit altera euidentior.

I. Obiicies tertiò. Eò maior aut minor eſt certitudo alicuius aſſenſus, quo magis aut minùs intellectus per illum aſſenſum remouetur à dubitatione, ſeu quo magis aut minus redditur impotens dubitare de eiuſdem rei veritate: atqui aſſenſus ſcientifici certitudo talis eſt, vt intellectum aſſentientis magis à dubitatione remoueat de veritate rei ſcientificè cognitæ, quã certitudo aſſenſus fidei de veritate rei per fidem creditæ. Maior certa eſt, ei enim rei firmiùs adhæremus, de cuius veritate minùs dubitare poſſumus. Minoris veritas conſtat, tum ex eo quòd multò faciliùs & frequentiùs oriuntur in fidelibus indeliberati motus dubitationis circa myſteria fidei, quàm in cognoſcente demonſtratiuè concluſionem aliquam Mathematicam, circa concluſionis iſtius veritatem: tum ex eo præterea quòd multò faciliùs & ſæpius fit, vt intellectus credentis tranſeat ab aſſenſu fidei in oppoſitum aſſenſum hæreticum, quàm ab aſſenſu ſcientifico in errorem.

II. Reſponderi primò poteſt, Maiorem, eiúſque probationem veram eſſe, non de quauis remotione à veritate, ſeu de quauis impotentia dubitandi, ſed de deliberata & prudenti: & ſic intellecta Maiore falſam eſſe Minorem, quia formalis propriè ſumpta certitudo inexiſtens aſſenſui fidei ex ſpecifica natura huius aſſenſus, comparata cum formali inexiſtente aſſenſui ſcientifico, & cuiuis alteri naturali euidenti, ex ſpecifica natura huius ipſius aſſenſus, vi ſua & per ſe magis remouet intellectum à dubitatione deliberata & prudenti, magíſque reddit impotentem dubitare deliberate & prudenter, quàm hæc. Vnde paulò antè audiuimus D. Auguſtinum dicentem dubitaturum ſe faciliùs, vtrum viueret, quàm vtrùm quod credebat verum eſſet: quod haud dubiè de deliberata prudentíque dubitatione dicebat. Hinc ad Minoris probationem dico, multò quoque faciliùs oriri in intellectu indeliberatos motus dubitationis circa veritates myſteriorum fidei, quàm circa noſtram noſtræque vitæ exiſtentiam, multóque faciliùs hominem fieri de credente hæreticum, quàm de cognoſcente euidenter ſe viuere, contrarium ſentientem: quod tamen non eſt efficax argumentum nos eſſe certiores de noſtra, noſtræque vitæ exiſtentia, quàm de veritate rei per fidem diuinam creditæ, cùm expreſsè dicat D. Auguſt. ſe eſſe de hac quàm de illa certiorem, faciliuſque ſe, deliberatè ſcilicet & prudenter, de illa, quàm de hac dubitaturum.

III. Reſponderi ſecundò poteſt veram eſſe Maiorem, eiúſque probationem, intellectam de quauis dubitatione, ſiue prudens & deliberata ſit, ſiue non, dummodo etiam intelligatur pro eo ſolùm momento, vel tempore quo aſſenſus qui certus dicitur, exiſtit in actu ſecundo, inhæretque intellectui: ſed ſic intellecta Maiore, falſa eſt Minor, ad quam, eiúſque probationem dico, aſſenſum fidei diuinæ pro eo tempore quo exiſtit in intellectu, magis hunc remouere ab omni dubitatione, magíſque reddere impotentem dubitare vel indeliberatè, vel deliberatè de veritate rei creditæ, & elicere aſſenſum hæreticum, quàm remoueat & reddat aſſenſus naturalis euidens pro eo tempore quo exiſtit in intellectu. Licet enim neuter aſſenſus vllam ſecum in eodem intellectu pati poſſit dubitationem pro eo tempore quo exiſtit actu, minùs tamen adhuc pati poteſt aſſenſus fidei, quàm naturalis euidens, quatenus, ſi per impoſſibile alter eorum aliquam pati poſſet, hoc iſti potius quàm illi conueniret: ſicut etſi quilibet aſſenſus euidens ratione ſuæ euidentiæ, certitudiniſque ex ea dimanantis, nullam ſecum ferre queat dubitationem pro eo tempore quo exiſtit, minùs tamen hanc ferre poteſt qui ex ſua ſpecie eſt eſſentialiter euidentior, & proinde certior, quàm alius ex ſua ſpecie minùs euidens, & certus, quatenus, ſi alter eorum aliquam ſecum ferre poſſet, id potiùs iſti quàm illi conuenire iudicandum eſſet.

IV. Quòd autem poſt elicitum ſemel aut ſæpius aſſenſum fidei & ſcientiæ, aut quemlibet alium euidentem, extráque tempus quo hic aut ille aſſenſus elicitur, poſſit faciliùs tranſire intellectus ab aſſenſu fidei ad hæreſim oppoſitam, quàm à ſcientia ad errorem contrarium, aut facilius prorumpere in motus indeliberatos dubitationis de veritate rei creditæ, quàm de rei euidenter cognitæ veritate: cauſa referenda eſt partim in naturam intellectus, partim in carentiam euidentiæ, ſeu obſcuritatem eſſentialem aſſenſui fidei, & euidentiam aſſenſus ſcientifici, aut cuiuſuis alterius euidentis, qui, eo ipſo quo eſt euidens, aut omnino, aut multò magis impedit vi euidentiæ ſuæ ſemel partæ, ne occurant dubitandi de veritate cognita rationes, quàm impedire poſſit aſſenſus fidei diuinæ eo ipſo quo caret euidentia veritatis creditæ: eſtque præterea multò magis cum intellectu creato proportionatus, quàm aſſenſus fidei diuinæ obſcurus.

V. Vnde intellectus ex natura ſua, cæteris paribus, multò faciliùs in aſſenſum illum quàm in hunc prorumpit, illum quàm hunc continuat & repetit, cùm ad illum neceſſitate naturæ rapiatur, ſpecificationis quidem ſemper, exercitij autem, ſi non ſemper, ſaltem plerunque: ad hunc verò tam quoad ſpeciem quàm quoad exercitium liber ſit, requiraturque expreſſum imperium voluntatis ipſum ad huius tam ſpeciem quàm exercitium determinantis, vt poſtea fuſiùs docebimus. Quo fit vt quemadmodum motibus illis dubitationis exortis facilius eſt actum ſcientiæ exercere, & repetere, per quem hi dubitationis motus confeſtim procul pellentur, quàm diuinæ fidei aſſenſum: ita ſit facilius hærere diu, & quidem etiam deliberatè, in his dubitationis motibus exortis contra veritatem rei fide diuina antè creditæ, quàm in illis qui exorirentur contra veritatem rei per ſcientiam euidenter antea cognitæ: & per conſequens etiam facilius, fidem per deliberatam dubitationem, aut per expreſſum iudicium hæreticum, quod facilè ex hac dubitatione ſequitur, perdere, quàm ſcientiam per contrarium aſſenſum erroneum.

VI. VII. VIII.

Et propterea dixit D. Thomas supra citato art. 8. quæstionis 4. fidei diuinæ assensum per se quidem, & ex causa seu motiuo cui innititur, ac proinde simpliciter & absolutè, esse scientifico assensu certiorem, at secùdùm quid, nempe ex dispositione subiecti, & proinde quoad nos, hunc illo certiorem esse: quatenus nimirum intellectus, qui est subiectum vtriusque assensus, ex naturæ suæ conditione habet, vt cùm non plene, id est, non euidenter percipit aliquod obiectum, faciliùs sensu modoque prædicto sentiat motum dubitationis de veritate eius, quàm de illius obiecti veritate quod plenè perceperit, id est, euidenter. Propterea etiam dixit Hugo de S. Victore, Tract. 1. de Sacram. cap. 10. fidem esse animi certitudinem de rebus absentibus, infra scientiam, supra opinionem. Quamquam etiam dici posset, ipsum posuisse fidem infra scientiam, non ratione certitudinis, in qua fides à scientia secundum quid sensu prædicto superatur, sed euidentiæ, in qua simpliciter hæc illam superat, cùm hæc habeat euidentiam, fides verò ipsâ careat.

II. Restat hîc breuiter definiendum, an fidei assensus certitudine superet quemuis assensum euidentem supernaturalem, sicut & quemuis naturalem. Dico autem distinguendum esse: vel enim supernaturalis ille assensus euidens, Deo, diuinâque aliqua perfectione prout in se est nititur tanquam obiecto formali, vel non, sed aliqua re creata: si secundum, eadem est ratio illius quæ cuiusuis assensus euidentis naturalis, vt ratio qua vsi sumus euincit: si primum, qualis est visio beatifica, dico maiorem eius esse quàm assensus fidei certitudinem. Ratio est, quia cùm vtriusque obiectum sit Deus, aut aliqua Dei perfectio prout in se est, fit, vt vna quidem ex parte, quantum est ex vi obiecti præcisè, obiectum parem influere possit certitudinem in vtrumque assensum, sicut & parem, III. imò vnam eandémque habet à falsitate distantiam, & cum veritate connexionem: ex altera verò non possit non influere maiorem, seu perfectiorem secundum speciem in assensum supernaturalem euidentem, quia eo ipso quo specificat obiectiuè actum hunc, ipsumque constituit in specie cognitionis supernaturalis euidentis, consequenter influit in eum certitudinem euidentiæ, hæc autem semper est secundùm speciem suam perfectior certitudine ineuidentiæ, seu assensus ineuidentis, quando cætera paria sunt, vt hîc sunt, quia vterque assensus, vt supponimus, in essentia supernaturalis est, & circa Deum, aut diuinam aliquam eius perfectionem prout in se est, tanquam obiectum à quo speciem sumit, versatur.

IV.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm internus diuinæ fidei actus cum cognitione euidente de eadem re simul in eodem esse possit?

SECTIO PRIMA.

Sententia affirmans defenditur, & probatur.

PRIMA de proposita quæstione sententia communis inter Thomistas ad art. 4. & 5. primæ quæstionis est negans: secunda affirmans, in qua sunt Alensis 3. part. quæst. 68. memb. 7. art. 3. Durand. quæst. 1. Prologi à num. 29. Gabr. in 3. dist. 24. quæst. 1. art. 2. à Valent. hîc, aliíque permulti. Probatur autem hac primùm ratione. Actus illi cognitionis simul esse possunt in eodem intellectu, qui nullam inter se vel mediatam vel immediatam repugnantiam habent: atqui huiusmodi sunt actus illi de quibus agimus. Maior euidens est ex terminis. Minorem probo: si quam enim habent repugnantiam, oportet in vno eorum esse aliquid cuius oppositum reperiatur in altero, in illis autem nihil tale reperitur: si quid enim tale reperiretur, esset maximè euidentia quæ reperitur in cognitione euidenti, cuius oppositum videtur inesse actui fidei, nempe opposita ineuidentia: at hic actus non habet oppositam euidentiæ illi quæ est in cognitione euidenti ineuidentiam: euidentia V. enim assensus euidentis non opponitur cuicunque ineuidentiæ partæ quomodocunque, & ex quouis medio, sed ei soli quæ compararetur ex eo medio, & modo cognoscendi, ex quo deriuatur in actum cognitionis euidentia: similitérque ineuidentia fidei non opponitur cuicunque euidentiæ partæ quomodolibet, & ex quocunque medio, sed ei soli quæ gigneretur ex eo medio, seu modo cognoscendi, ex quo promanat in actum cognitionis ineuidentia. Nam sicut assensus euidens non facit cognosci euidenter obiectum per quoduis medium, & per quemcunque cognoscendi modum, sed per proprium suum, vt per proprium medium demonstratiuum quo scientificus assensus nititur: sicut etiam fidei actus non facit obiectum cognosci ineuidenter per quoduis medium, sed VII. tantummodo per proprium suum, quod est authoritas reuelantis: ita nec assensus euidens negat & tollit ineuidentiam omnem, partam quocunque modo, & ex quouis medio, etiam distincto ab eo quo fidei actus nititur, sed eam solam quæ compararetur ex eo medio, modóve cognoscendi, ex quo euidentia in actum cognitionis euidentis deriuatur: nec vice versa assensus ineuidens fidei negat & tollit omnem euidentiam, ortam ex quocúque medio, & cognoscendi modo, etiam distincto ab eo quo fidei actus nititur, sed eam solam quæ oriretur ex eo medio cui prædictus actus innititur. Quare cùm assensus euidens, & assensus fidei nunquam eodem medio, sed diuersissimis semper nitantur, etsi vnus sit euidens, alter ineuidens, vnius tamen euidentia alterius ineuidentiæ non repugnabit, nec proinde hæc illam, aut hanc illa ab VIII. eodem intellectu remouebit.

Dices primò, hinc concludi posse, actum erroris & scientiæ de eadem re simul in eodem esse posse, cùm vterque actus diuersissimis mediis nitatur. Sed respondeo niti non tantùm diuersissimis, verùm etiam repugnãtiam aliquam inuoluentibus: qui enim per medium demonstratiuum scientificè iudicat rem aliquam esse, si simul per medium aliud erroneum iudicare

posset eandem rem non esse, iudicare simul posset eam esse, & non esse, quod impossibile est vt res simul sit, & non sit: at qui duobus actibus, vno scientiæ, vel quouis alio euidenti, altero verò ineuidenti fidei, simul iudicat per diuersa media vnam eandémque rem esse, nititur quidem diuersis mediis, at nullam huiusmodi repugnantiam inuoluentibus, cùm ex iis non adducatur vt admittat aliquam in re quam scit euidenter, & simul credit, contradictionem, quandoquidem ex iis non adducitur vt simul iudicet eam esse, & non esse, sed per vtrumque medium & per actum fidei & scientiæ vnam tantum determinatè contradictionis partem iudicet vel esse, vel non esse.

I.

Deinde qui per medium demonstratiuum scientificè nouit rem aliquam ita se habere, vi huius medij & assensus scientifici ita comparatus est, vt vel actu, vel virtute saltem simul iudicet eam per nullum medium posse non ita se habere, alioqui iudicare posset duo contradictoria simul eidem rei posse conuenire: ergo

II.

qui priorem illum assensum habet ex medio demonstratiuo, posteriorem hunc ex medio erroneo simul habere non potest: alioqui si vtrumque simul habere posset, iudicaret rem, quam scientificè existimat ita se habere, per nullum aliud medium posse non ita se habere, & non iudicaret, quæ manifesta contradictio est: at qui propter authoritatem reuelantis credit actu fidei aliquid ita esse, vi huius medij quo mouetur ad credendum, & ipsius actus quo credit, non est ita comparatus, vt simul vel actu vel virtute iudicet nullo alio medio ostendi posse, quòd res quam credit eo se habeat modo quo se habere credit: hoc enim si iudicaret, falsum iudicaret, cùm omnium consensu eadem res quæ reuelata est, & proinde per fidem credibilis, sit aliquando euidenter scibilis.

III.

Dices secundò, in actu fidei nullam esse euidentiam, ac proinde esse negationem omnis & cuiusuis euidentiæ, & per consequens etiam illius quæ est in actu scientiæ: negationem ergo euidentiæ in actu fidei existentem esse oppositam euidentiæ quæ in actu scientiæ est, quandoquidem negatio illa euidentiam hanc tam formaliter negat, quàm negatio lucis lucem. Verum euidentiæ existentis in actu scientiæ negatio illa quæ in actu fidei, tanquam in subiecto esse concipitur, impedit quidem ne scientiæ euidentia in actu fidei tanquam in subiecto esse possit, alioqui simul in eodem immediato subiecto existere possent forma & negatio formæ: sed impedire non potest quo minus prædicta euidentia in actu scientiæ sit, & hic

IV.

actus simul cum actu fidei esse possit. Quemadmodum etsi euidentia quæ est in assensu scientifico elicito ex vi medij demonstratiui physici, nec sit, nec esse possit in assensu scientifico dato eidem conclusioni, sed ex vi medij demonstratiui Mathematici, & proinde in hoc posteriore assensu sit negatio euidentiæ illius quæ in priore est: prohibere tamen hoc non potest, quo minus illa euidentia in illo priori assensu sit, & vterque assensus simul in eodem intellectu esse possit.

A

Et sanè si repugnaret simul existere in eodem subiecto duas formas, quarum vna in se habeat negationem alterius, aut alicuius rei quæ in illa altera est, nunquam duæ diuersæ formæ, quæcunque illæ sint, simul in eodem subiecto possent esse, cùm nullæ sint, quæ, si diuersæ sunt, tales non sint, vt vna non sit altera, & vna proinde in se habeat quodammodo negationem alterius, & præterea cuiuslibet indiuiduæ proprietatis quæ in illa altera est. Quare sicut nihil repugnat hominem verbi causa, esse rationalem & admiratiuum per animam, & simul non esse talem per materiam, id est, quod talis sit, à materia non habere, sed ab anima: ignem quoque esse calefactiuum per calorem, & talem non esse per siccitatem, seu quòd calefactiuus sit, non habere à siccitate, sed à calore: sicut, inquam, hoc nihil repugnat, quia licet à siccitate non tribuatur igni vis calefaciendi, nec à materia homini vis ratiocinandi & admirandi, non tamen ab hac vel illa tribuitur huic vel illi negatio illius ipsius virtutis calefaciendi, ratiocinandi, admirandi, quam positiuè tribuunt anima rationalis & calor: ita nihil repugnat hominem simul rem eandem actu cognoscere euidenter per actum scientiæ, aut alium similem, & non cognoscere euidenter per actum fidei, seu quòd euidenter eam cognoscat, non habere ab actu fidei, sed à scientiæ: quia licet ab actu fidei non tribuatur ipsi ipsiúsque intellectui euidentia, non ideo tamen ab illo ipsi tribuitur negatio illius ipsius euidentiæ quam positiuè tribuit scientiæ actus, aut quiuis alius qui natura sua euidens est.

V.

B

VI.

SECTIO II.

Eadem sententia affirmans altero argumento probatur.

C

VII.

PROBATVR secundò eadem affirmatiua sententia refutatione argumenti quo præsertim nituntur authores contrariæ sententiæ: argumentum istud est. Obiectum quod per actum fidei credi debet, non habet vim determinandi intellectum ad assensum potiùs quàm dissensum, sed relinquit eum ex se indeterminatum, vt vel assentiatur, vel dissentiat, indigentémque applicatione voluntatis determinantis ad assensum potiùs quàm dissensum: obiectum autem cuius euidens cognitio habetur determinat è contrario sic ad assensum, vt intellectus dissentire non possit, nec indigeat prædicta applicatione voluntatis determinantis ad assensum potiùs quàm dissensum: ergo si vnum idemque obiectum simul credi possit,

D

& cognosci euidenter, poterit intellectus simul ab hoc obiecto esse determinatus ad assensum potiùs quàm dissensum, & non esse determinatus, quæ manifesta contradictio est. Erit quidem ab hoc obiecto ad id quod dixi determinatus, quia supponitur illud obiectum ab intellectu cognosci euidenter, obiectum autem sic cognitum ad id quod dixi necessariò determinat: & simul non erit ad hoc ipsum determinatus, quia supponitur idem obiectum simul credi per actum fidei, obiectum

VIII.

autem quod sic cognoscitur non determinat ad assensum potius quàm dissensum, sed indeterminatum ad hoc relinquit intellectum, indigentemque prædicta applicatione voluntatis.

Verùm aduersarij gratis omnino propositionem hanc assumunt, nimirù ad obiecti quod creditur, actúsque fidei quo creditur rationem pertinere, vt pro eo tempore quo hic actus exercetur, intellectus credentis non sit determinatus ad assentiendum potiùs quàm dissentiendum, aut certè non sit ad vnum eorum potius, quàm ad alterum determinatus aliunde quàm ex applicatione voluntatis: gratis, inquam, hanc propositionem, in qua totam suam quam refutamus opinionem fundant, assumunt, hæc enim propositio per se & ex terminis euidens non est, eam vero ipsi nullo argumento probant, nec reuera firmo vllo probare possunt. Fateor quidem obiectum credibile, seu quod actu creditur, prout credibile est, aut prout actu creditur, fateor item actum ipsum fidei quo creditur, ex se & vi sua nec facere, nec prærequirere, nec præsupponere intellectum determinatum ad assensum potiùs quàm dissensum: sed nego ex se & natura sua excludere ab intellectu credentis pro eo tempore quo credit determinationem ad assensum, ita vt dissentire non possit, prouenientem ab euidentia cognitionis qua idem obiectum euidenter cognoscitur. Neque quod dicitur, intellectum credentis non aliunde determinari ad assensum potiùs quàm dissensum, quá ex prædicta applicatione voluntatis, simpliciter verum est, nisi pro eo tempore quo nullus euidentis cognitionis actus circa idem obiectum simul cum fidei actu exercetur.

Quare de natura obiecti credibilis, prout per actum fidei credibile est, & de natura huius ipsius actus, philosophandum eodem modo est, quo de natura obiecti opinabilis, prout per actum opinionis versari circa ipsum possumus: quo item de natura huius ipsius actus opinionis, supposito quòd idem obiectum opinabile possit esse opinabile & euidenter scibile, quod negare nemo potest, cùm quæ veritas per medium demonstratiuum euidenter sciri potest, cognosci etiam possit plerunque saltem per medium aliquod tantùm probabile, ac proinde per actum opinionis. Sicut enim obiectum opinabile vt sic, & actus opinionis vt exerceatur, non facit quidem ex se, nec prærequirit, aut præsupponit intellectum opinantis determinatum ad assentiendum potius quam dissentiendum, at non excludit ab intellectu determinationem ad assensum potiùs quàm dissensum. prouenientem ab euidentia eiusdem obiecti opinabilis, quod suppono cognosci euidenter: sicut etiam idem opinionis actus ex se & natura sua non affert quidem intellectui certitudinem de veritate rei per opinionem cognitæ excludentem omnem de opposito formidinem, at non excludit ab intellectu opinantis certitudinem prouenientem ab euidenti cognitione eiusdem veritatis, quæ certitudo nullam eiusmodi formidinem secum ferre potest in eodem intellectu: Ita quamuis obiectum credibile, vt sic, actúsque fidei quo creditur, non faciant quidem ex se suáque natura, nec prærequirant, aut præsupponant intellectum credentis determinatum ad assentiendum potiùs quàm dissentiendum, imò quantum ex ipsis est, relinquant eum non determinatum ad vnum istorum potiùs quàm ad alterum, non excludunt tamén ab intellectu determinationem ad vnum istorum potiùs quàm ad alterum, prouenientem ab euidentia eiusdem obiecti cogniti euidenter.

Et sane si propter hanc intellectus determinationem non possent simul haberi de eadem re fidei & scientiæ actus, sequeretur in primis nec haberi simul posse actus opinionis & scientiæ, cùm obiectum opinabile vt sic, sicut & credibile vt sic, tale sit quale proximè ante diximus. Quod tamen consequens est contra non modò communem, sed etiam expressam D. Thomæ doctrinam 1. part. quæst. 58. art. 7. ad 3. quæst. 62. art. item 7. ad 1. & 3. part. quæst. 9. art. 3. ad 2.

Neque sibi repugnat, cùm hac 2. 2. quæst. 1. art. 4. in fine corporis, dicit opinionis actum exerceri non posse circa illud obiectum de quo euidens visio habetur: loquitur enim expressè ibi, vt ex antecedentibus verbis constat, de opinione quæ coniuncta est cum dubitatione & formidine partis alterius, de qua superioribus illis locis non loquitur vt prædictam formidinem coniunctam habente, sine qua etiam opinio ex se esse potest, & sine qua necessariò est, quando actui scientiæ, vel cuiuis alteri euidenti coniungitur, euidentia hac afferente intellectui omnimodam de obiecti veritate certitudinẽ, qua stante certitudine auferetur ab intellectu potestas dubitandi & formidandi de opposito.

Sequeretur secundò, fidei actum stare simul non posse cum euidentia in attestante, contra communem & expressam D. Thomæ doctrinã infra quæst. 5. art. 2. ab hac enim euidentia ita determinatur intellectus ad assentiendum rei de qua hãc euidentiam habet, vt eam per actum incredulitatis non possit discredere.

Sequeretur tertiò, nec posse stare fidei actum cum actu recordationis, quo quis oblitus medij scientifici per quod demõstratiue probauit aliquando propositionem aliquam a Deo reuelatam, & proinde diuina fide credibilem, recordaretur se demonstratiuè probasse alias illam ipsam propositionem: quod tamen consequens ex aduersariis, si non omnes, aliqui saltem expressè negant, quod sanè admittere deberent si constanter loqui vellent, cum ab hac recordatione ita determinetur intellectus ad credendam propositionem illam reuelatam, & alias demonstratam, vt iudicare non possit eam falsam esse, nec proinde discredere.

Sequeretur quartò, non posse etiam per absolutam Dei potẽtiam simul exerceri circa rem eandem ab eodem actum fidei & scientiæ, seu cuiusuis alterius cognitionis euidentis, contra expressam, si non omnium, saltem aliquorum ex aduersariis doctrinam: si enim ideo non potest vterque ille actus simul exerceri, quod supposito vtriusque simul exercitio sequatur intellectum simul esse determinatum ad credendum potiùs quàm discredendum aliunde quàm ex applicatione voluntatis, & simul non esse sic determinatum, quæ euidens contradictio est, cùm Deus duo contradictoria simul

facere non possit, nec poterit etiam absoluta
sua virtute efficere, vt simul fidei actus & scien-
tiæ circa idem obiectum exerceantur. Quòd
si hoc absolutè potest, nec proinde vlla inter
hos actus & determinationem indeterminatio-
némque ab his, eorúmve obiectis in intelle-
ctum deriuatam contradictio est, vt reuera nul-
I. lam esse iam satis supérque ostendimus, nihil A V.
est causæ, cur negetur hos ipsos actus simul
exerceri posse naturaliter, seu per naturales in-
tellectus vires, quoniam supposito quòd nul-
la inter eos repugnantia sit, poterit non totum
suum conatum ad vnum ex illis eliciendum ad-
hibere, sed partem conatus sui alteri eliciendo
reseruare, & sic naturaliter vtrumque si-
mul elicere.

Quòd si dicas Concilia definire actum fi-
dei ita liberum esse, vt in hominis libera po-
testate sit non modò credere, vel non cre-
dere, sed etiam credere vel discredere positi-
uè per realem actum infidelitatis: Respondeo
dum hoc definiunt, loqui in primis de homi-
ne, non supposita in eo vlla euidenti cogni-
II. tione obiecti quod ipsi ad credendum propo- B VI.
nitur, sed spectata præcisè natura intellectus
& voluntatis humanæ, obiecti quoque credi-
bilis per fidem diuinam vt sic, & ipsius fidei,
motiuique quo nititur.

Deinde loqui generaliter de mysteriis Chri-
stianæ religionis quæ hominibus credenda pro-
ponuntur, ex quibus cùm pauciſſima sint quo-
rum euidens haberi possit in hac vita cogni-
tio, plurima verò quorum non potest, vt Tri-
nitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & simi-
lium, respectu autem mysteriorum istorum
liberum sit homini ea credere, vel discredere
positiuè, si velit, quandoquidem eorum non
habetur vlla euidentia: hinc Concilia genera-
III. liter de mysteriis credendis dum loquuntur, C VII.
potissimúmque de his plurimis quæ sunt poste-
rioris generis, vtpote quæ inter omnia fidei
mysteria præcipua sunt, optimo iure loqui eo
modo quo in obiectione loqui dicuntur.

SECTIO III.

Soluuntur aduersariorum obiectiones.

AT obiiciunt nobis aduersarij primò Scri-
pturam & Patres, asserentes fidem esse re-
rum non apparentium, seu quæ non cogno-
scuntur euidenter. Secundò experientiam, qua
certum videtur neminem nostrum posse nunc
credere de seipso quòd viuat, quòd existat, etsi
hoc ipsi à Deo reuelatum esset, quia nimirum
nunc habet huius veritatis euidentem ex sensu
& experientia cognitionem. Tertiò rationem
IV. hanc, si fides & cognitio euidens de eadem re si- D VIII.
mul haberi potest, nihil esse causæ, cur dicatur
fidei cognitionem non remansuram in beatis
simul cum clara Dei visione, rerúmque quas per
fidem in hac vita cognouimus.

Verùm ad Scripturam & Patres respondeo
cum Greg. à Valent. hîc, aliisque communiter,
a his, dum ita loquuntur, explicari tantùm
fidei naturam, significaríque fidem esse rerum
quæ non apparent, nec videntur, nempe per
ipsam fidem, quia hæc est essentialiter ineui-
dens. Quòd si concedatur, vt aduersarij con-
tendunt, eos aliquid amplius velle, & asserere
fidem esse rerum earum quæ nec per ipsam fi-
dem, nec per vllum aliud cognitionis genus eui-
denter cognoscuntur: Respondendum erit, eos
agere in vniuersum de mysteriis fidei quæ in
Christiana religione communiter omnibus cre-
denda proponuntur: atque cùm ex iis pauciſ-
sima sint quæ in hac vita possint à nobis eui-
denter cognosci, si præsertim cum multò plu-
ribus quæ non possunt, comparentur, eos ab
hac multò maiore parte sumentes denomina-
tionem dicere fidem esse rerum quæ non appa-
rent, id est, quæ nec per fidem, nec per vllum
aliud cognitionis genus euidenter à nobis in
hac vita cognoscuntur.

Denique si quis concedat, eosdem ita loqui
habita ratione cuiuscunque rei quæ fide credi-
tur, & velle, fidem ita esse rerum non apparen-
tium, vt nulla eo tempore quo euidenter co-
gnoscitur per fidem credatur: Dicendum erit
eos ita loqui, non quòd existiment non posse
absolutè loquendo rem aliquam simul per di-
uersos actus credi, euidentérque cognosci, sed
quia non solemus eo tempore quo rem aliquam
euidenter cognoscimus, ei ipsi rei dare nouum
assensum fidei vel humanæ vel diuinæ, eo quòd
homo vna de re vno cognitionis genere, cùm
præsertim euidens est, facilè contentus est, nec
curat eam altero simul cognitionis genere co-
gnoscere, cum præsertim hoc alterum cogni-
tionis genus obscurum est, exigitque propter-
ea expressum imperium voluntatis intellectui
huius obscuræ cognitionis exercitium impe-
rantis: quod imperare facilè ipsa omittit, dum
in intellectu iam est alia eiusdem rei euidens
cognitio.

Aduerte autem hic, quòd ex quibus Scriptu-
ræ Patrumque testimoniis concluditur ab ad-
uersarijs contra nos, fidem & euidentem cogni-
tionem de eadem re simul haberi non posse, hoc
ex iisdem pari efficacitate concludi posse repe-
ries, tam de potestate Dei absoluta quàm de or-
dinaria, tam de potentia obedientiali hominis,
quàm de naturali. Quare cùm nolint aduersarij
hoc efficaciter ex iis concludi spectata Dei po-
tentia absoluta, & obedientiali hominis, existi-
mant enim si non omnes, at aliqui saltem, vt su-
pra monui, posse per absolutam Dei potentiam
fidem & euidentem cognitionem simul eadem
de re haberi posse, neque putant hac in parte se
Patribus & Scripturis repugnare: pari iure no-
lumus nos ex iisdem illud ipsum efficaciter con-
cludi, spectata Dei potentia ordinaria, & ho-
minis naturali.

Ad experientiam respondeo negando quod
in ea obiicitur, imò affirmando eam nostræ fa-
uere sententiæ. Videor enim mihi certissimè ex-
periri, me, cùm lubet, ei rei eodem tempore dare
assensum per fidem, vel humanam, vel diuinam,
de qua habeo aliunde euidentem cognitionem.
Nec puto quemquam nostrum dicturum se ex-
periri, non posse se nunc iudicare Parisios esse,
ex motiuo famæ communis id asserentis, ex
quo hoc iudicabat antequam in hanc vrbem
veniret: se, inquam, id nunc minimè posse, eo
quòd nunc existentis huius vrbis euidentem
habet cognitionem.

Ad rationem dico, ex communi Theologorum sententia non remansuram in beatis fidem, tam quoad habitum, quàm actum. Quod si destruetur habitus fidei, non propter aliquam physicam contrarietatem quam habeat cum re vlla existente in beato, sed quod essentialis ipsa obscuritas minùs deceat statum beatitudinis, ob eandem causam meritò dici potest destruendam quoque fidem actualem, non verò propter aliquam physicam cõtrarietatem quam habeat cum clara visione Dei, aliarúmve rerum quæ euidenter cognoscuntur. Quòd autem fidei habitus non destruatur in beatis ob physicam aliquam eiusmodi contrarietatem, hinc constat, quòd si quid ipsi contrarium est à quo destruatur, illud aliud nihil esse poterit, quàm vel lumen gloriæ, vel clara Dei visio: neutrum autem dici potest: si qua enim ratione vel alterutrum, vel vtrumque dici posset, maximè ista, quòd & huius visionis, & illius luminis claritas habitualis, fidei obscuritati physicè repugnet: at si ita esset, actualis & habitualis scientia habituali quoque fidei repugnaret, cùm tamen aduersarij contrarium sentiant, fateantúrque nobiscum, posse actum habitúmque scientiæ de vna eadémque re haberi simul cum habitu fidei: quod etiam & Philosophi & Theologi communiter sentiunt.

I. A

II. B

DISPVTATIO XIV.

Vtrùm vna eadémque res possit vnico eodémque actu credi simul & sciri, seu euidenter cognosci?

SECTIO PRIMA.

III. *Referuntur & refelluntur aliquot argumenta, quibus partis negantis veritas ineffi-caciter à nonnullis probatur.* C

AFFIRMANTEM propositæ quæstionis partem tuentur Durandus quæst. 1. Prologi, Capreol. in 3. dist. 25. quæst. vnica art. 3. Domin. Sotus lib. 1. poster. qu. vltima. Gregor. à Valent. hic qu. 1. punc. 4. & nonnulli alij recentiores. Cæteri negantem quæ vera est communiter amplectuntur. Impugnant autem ex iis aliqui priorem illam sententiam hac in primis ratione. Si posset vna res vnico actu credi simul & sciri, vnicus ille actus simul esset euidens, & non esset: esset quidem, quatenus esset actus scientiæ ex medio scientifico: non esset verò, quatenus esset actus fidei ex medio authoritatis vel humanæ vel diuinæ. Sed hæc ratio infirma est: facilè enim responderi potest actum hunc non habiturum simpliciter euidentiam, & negationem euidentiæ, sed solùm habiturum euidentiam partam ex medio scientifico, non verò partam ex medio authoritatis seu diuinæ, seu humanæ: quæ sibi non magis repugnant, quàm vnum eundémque parietem habere quòd sit candidus per candorem, & hoc non habere per vllum aliud accidens distinctum à candore: aut quàm claram visionem Dei & hominis, aut leonis, exẽpli causa, in Deo clarè viso habere quòd sit in entitate supernaturalis ex obiecto primario, nempe ex Deo clarè viso, & hoc non habere ex obiecto secundario, nẽpe ex homine, aut leone, qui vnica eadémque visione in Deo tanquã obiectum secundarium in primario quidditatiuè cernitur. Ex quo sicut non licet simpliciter concludere, eandem visionem esse supernaturalem, & non esse, seu habere supernaturalitatem, & simul supernaturalitatis negationem, aut parietem simul habere candorem, & negationem candoris, ita nec ex illo fas est absolutè concludere, actum illum vnicum de quo agimus fore simul euidentem, & non fore, seu habiturum simul euidentiam, & negationem euidentiæ.

IV. D

V. E

Impugnant secundò hac altera ratione. Sequeretur eundem numero actum fore in substantia supernaturalem, & non fore: foret quidem, quia eliceretur ex eodem motiuo diuinæ authoritatis reuelantis, ex quo nunc elicimus fidei actum in substantia supernaturalem, ideóque supernaturalem, quia ex hoc motiuo elicitur: non fore verò, quia esset naturalis in substantia ob medium scientificum merè naturale in entitate, ex quo etiam tanquam ex motiuo eliceretur, quandoquidem simul esset actus & fidei & scientiæ. Sed nihilo firmior est præcedẽte: facilè enim dicent aduersarij vnicum illum actum elicitum ex vtroque motiuo, nempe diuinæ authoritatis, & medij scientifici, tanquam ex vnico formali & adæquato motiuo, esse totũ in substantia vel naturalem, vel supernaturalem, sicut totus in substantia vel euidens est, vel ineuidens.

VI. F

Quòd si totum supernaturalem dixerint, dicent ex consequenti habiturum supernaturalitatem suam à motiuo diuinæ authoritatis, non à medio scientifico, à quo non accipiet naturalitatem, seu supernaturalitatis negationem oppositam ei supernaturalitati quam accipit à motiuo authoritatis diuinæ, hoc impediente efficacitate motiui huius, quod vi sua supernaturalitatem illi actui communicat: quòd si totum dicere malint naturalem in substantia, consequenter dicent habiturum quòd naturalis sit à medio scientifico merè naturali, ex quo tanquam ex motiuo elicitur, non verò à motiuo diuinæ authoritatis, à quo etiam non accipiet supernaturalitatem, aut naturalitatis negationem oppositam ei naturalitati quam à motiuo medij scientifici naturalis accipit: eundem autem actum habere ab vno vel supernaturalitatem, vel naturalitatem, & hanc non habere ab alio, non magis repugnare, quàm repugnet ab vno habere euidentiam, & non habere ab altero: aut quàm repugnet prædictam claram Dei & hominis, leonisve in Deo visionem habere quòd tota supernaturalis sit ex Deo clarè viso, & non habere ex homine vel leone, à quo licet obiecto merè naturali non accipit naturalitatem, aut supernaturalitatis negationem oppositam ei supernaturalitati quam accipit à Deo clarè cognito, hoc impediente quodammodo obiecti huius sic cogniti

VII. G

VIII. H

efficacitate, quod ex se necessariò supernaturalitatem illi visioni formaliter communicat.

Ex quo claræ istius visionis exemplo facilè intelligitur, ad propositam qua Durandus & alij relati impugnantur rationem primum multò melius responderi quàm secundum ex duobus quæ responderi posse diximus, cum authoritas diuina reuelans tam videatur ex se potens & efficax ad tribuendam supernaturalitatem actui, quem instar motiui seu formalis obiecti, siue partialis, siue totalis, specificat, quam Deus clare visus visioni, quam instar obiecti siue partialis siue totalis terminat. Esset autem consequenter dicendum, non omnem mentis actum qui formaliter & essentialiter discursus est, seu discursu perficitur esse in entitate naturalem, sed eum solum & omnem qui est assensus datus conclusioni ex solo assensu præmissarum tanquam formali motiuo adæquato, (de quo solo loquuti sumus in Tractatu de Deo, disp. 2. sect. 3. dum discursum omnem esse in entitate merè naturalem docuimus,) qualis non esset assensus ille, qui simul esset actus fidei & scientię, non enim solo præmissarum assensu, sed authoritate præterea Dei vel hominis reuelantis vt motiuo niteretur.

Impugnant tertiò hoc argumento. Actus ille vnicus si possibilis esset, vel esset totus fidei tantùm, vel totus scientiæ tantùm, vel totus fidei & totus scientiæ simul, vel fidei ex parte, & ex parte scientiæ, vel neque fidei, neque scientiæ: at nihil istorum dici potest, ergo est impossibilis. Verùm facilè concedent partis affirmantis authores primum dici non posse, cùm non eliciatur tantum ex motiuo diuinæ authoritatis: neque secundum, cùm non eliciatur tantùm ex motiuo proprio scientiæ: neque quartum, cùm non detur aliqua pars illius vnici actus elicita ex solo motiuo authoritatis diuinæ, & altera pars elicita ex solo motiuo proprio scientiæ: sicut & in assensu conclusionis non datur aliqua pars illius assensus elicita ex solo motiuo præmissæ vnius, & alia pars eiusdem assensus elicita ex solo motiuo præmissæ alterius: sed ad tertium & quintum facilè respondebunt vtrùque dici vero aliquo sensu posse.

Et quidem dici posse tertium, non quòd totus sit fidei, id est, totus eiusdem essentiæ cum fide nostra, quæ ita est fides, vt simul essentialiter non sit scientia: neque quòd totus sit scientiæ, id est, eiusdem essentiæ cum scientia nostra, quæ ita scientia est, vt essentialiter fides non sit, sic enim esset non vnicus actus, sed duplex essentialiter & numero, sicut & actus fidei nostræ & scientiæ specie & numero differunt: sed quia totus ex motiuo diuinæ authoritatis elicitur, & totus ex motiuo proprio scientiæ, & ratione prioris huius motiui dicitur actus fidei, ratione verò posterioris, dicitur scientiæ, sic tamen vt hæc fidei & scientiæ ratio inclusa in hoc vnico actu differat essentialiter à quocunque alio actu fidei qui tantùm fidei est, & à quocunque actu alio scientiæ qui tantùm scientiæ est, cùm scientiæ ratio inclusa in hoc vnico actu includat essentialiter rationem aliquam fidei, quod non habet vllus alius scientiæ actus qui scientiæ tantùm est: & inclusa in hoc eodem actu fidei ratio includat quoque essentialiter veram aliquam scientiæ rationem, quod non habet vllus alius fidei actus qui tantùm fidei est.

I. A

Posse quoque dici quintum respondebunt, quia vnicus ille actus neque est fidei, cùm à nostra fide differat essentialiter, vtpote quæ fides tantùmodo est: neque est scientiæ, cùm à scientia nostra differat item essentialiter, vtpote quę scientia solùm est: quod non impediet quin idem actus dici possit totus fidei, totúsque scientiæ, eo sensu quo modo diximus. V.

II. B

Atque vt huius tertij argumenti debilitas, responsionis autem ad illud datæ bonitas magis eluceat, sumo in exemplum illum vnicum numero actum visionis, siue corporeæ, siue intellectiuæ humanæ vel Angelicæ, quo videtur albedo & nigredo simul, aut humana simul & leonina natura: de quo actu si quis ita argumentaretur, vt probaret eum impossibilem esse: Vel ille actus esset totus visio albedinis tantùm, vel totus nigredinis tantùm, vel totus albedinis & nigredinis simul, vel ex parte albedinis & ex altera parte nigredinis, vel denique neque esset visio albedinis, neque visio nigredinis, nihil autem istorum dici potest, certissimum esset argumentationem hanc inualidam esse, cùm nulli dubium sit prædictum illum actum de absoluta saltem Dei potentia esse possibilem, verissimèque ad eam responderetur, actum illum nec totum esse visionem albedinis tantùm, cùm sit etiam nigredinis, nec totum esse nigredinis tantùm, cum sit etiam albedinis: nec ex parte nigredinis, & albedinis ex parte altera, cum non detur vlla pars eius quæ sit tantùm visio vnius, & non simul alterius: sed esse totum visionem vtriusque simul coloris, quia visio hæc secundùm se totam & quamlibet sui partem vtrumque colorem formaliter repræsentat, sic tamen vt visio albedinis inclusa in illo vnico numero actu differat essentialiter à visione illa albedinis, quæ est visio albedinis tantùm: & visio nigredinis inclusa in eodem numero actu discreper essentialiter à visione illa nigredinis, quæ est visio nigredinis tantummodo, quia visio albedinis inclusa in illo actu est essentialiter visio nigredinis pariter & albedinis, quod non habet ea visio albedinis quæ ex essentia sua solius albedinis visio est: parique modo visio nigredinis in eodem illo actu inclusa est essentialiter visio albedinis pariter & nigredinis, quod non habet ea visio nigredinis, quæ ex essentia sua solius nigredinis visio est. VI.

III. C

IV. D

Vnde etiam ad eandem argumentationem verissimè responderetur præterea, actum illum numero vnicum de quo agimus, nec fore visionem nigredinis, nec visionem albedinis, quia nimirum differret essentialiter ab hac & illa duplici visione, per quarum vnam albedo tantùm, per alteram, nigredo tantùm cernitur: quod non impediret, quin esset totus visio & albedinis & nigredinis eo sensu quem modo declarauimus. VII. VIII.

SECTIO II.

Eiusdem partis negantis veritas efficaciter probatur.

I. His ergo argumentis omissis, impugno A aduersariorum sententiam, nostramque confirmo efficaciter hac à priori ratione. Nullum formale motiuum quod ex se suaque natura est, aut esse potest formale motiuum totale & adæquatum specificans aliquem habitum, actúmve, siue intellectus, siue voluntatis, potest coniungi cum alio simili motiuo ad vnicum numero actum exercendum, qui nitatur illo vtroque motiuo tanquam vnico totali & adæquato, conflato ex hoc & illo motiuo diuisim acceptis, tanquam ex duobus partialibus: atqui authoritas diuina reuelàs est formale motiuum totale & adæquatum specificàs aliquem habitum actúmque intellectus, nempe diuinæ fidei, vt ex suprà dictis constat: Item medium

II. scientificum est totale & adæquatum motiuum B formale specificans aliquem alium habitum actúmque intellectus, nempe scientiæ, vt apud omnes certum est: ergo duo illa motiua coniungi nequeùt ad vnicum numero actum exercendum, qui nitatur vtroque illo motiuo coniunctim tanquam vnico totali & adæquato, quíque proinde sit actus fidei & scientiæ simul. Consequentia euidens est. Minor est certissima. Maiorem probo duobus argumentis, vno à posteriori, à priori altero.

Primum à posteriori est, quod si eiusmodi motiua sic coniungi possent, possent quoque mirum in modum, imò infinitum multiplicari tam intellectus quàm voluntatis habitus, tam naturales quàm supernaturales, tam vitiorum, quam virtutum, Philosophis omnib. ac Theologis hactenus inauditi & incogniti: tot enim

III. inter sese specie diuersi admittendi essent, præ- C ter eos qui iam communiter ab omnibus admittuntur, quot eiusmodi motiuorum formalium coniunctiones fieri possent ad vnicum numero actum exercendum, possent autem fieri infinitæ: actus enim ille vnicus ex vtroque motiuo coniunctim tanquam ex vnico totali & adæquato elicitus, semper specie differret à quocunque alio qui non eliceretur ex eodem vtroque motiuo coniunctim, & proinde etiam sic differret ab eo qui ex vno motiuorum illorum seorsim accepto eliceretur tanquam ex totali adæquatóque motiuo: sicut & ex aduersariorum expressa doctrina actus ille vnicus fidei & scientiæ simul, elicitus ex motiuo diuinæ authoritatis reuelantis, & medij scientifici simul, tanquam ex vnico motiuo totali &

IV. adæquato, differt specie ab actu fidei nostræ D qui ex solo priori motiuo elicitur, & ab actu scientiæ, qui ex solo posteriori: illi autem vnico actui elicito ex vtroque motiuo coniunctim responderet vnus habitus. Primò, quia circa quod obiectum versari potest vnus numero actus, potest & vnus numero habitus, si modò actus iste natura sua capax est aut produci ab habitu, aut producere habitum, qualis esset proculdubio ille de quo agimus, cùm nulla esse possit id in dubium reuocandi ratio.

Secundò, quia actus ille esset vel in entitate supernaturalis, vel naturalis: si primum, postularet aliquem vnum habitum supernaturalem sibi proportionatum & correspondentem à quo connaturaliter produceretur, sicut & postulant, habéntque actus alij supernaturales, vt fidei, spei, & charitatis, & similes quos elicimus: si secundum, vim haberet producendi habitum aliquem naturalem inclinantem ad similes actus, sicut & habent actus alij naturales, vt scientiæ, & erroris, fidei humanæ, opinionis, Iustitiæ, Temperantiæ, similésque quos exercemus: habitus autem ille vnus illi vnico actui proportionatus & respondens tam differret specie a quocunque alio habitu, quàm actus ille vnicus à quocunque alio actu, qui non ex eodem vtroque motiuo coniunctim eliceretur ex quo ipse elicitur. Sicut enim, ex mente etiam aduersariorum, actus ille vnicus qui simul esset fidei & scientiæ, specie differret ab eo actu qui tantùm fidei est, aut tantùm scientiæ: ita haud dubiè habitus ad vnicum illum actum inclinàs

VI. qui simul est actus & fidei & scientiæ, discrepa- B ret specie ab eo habitu, qui tantum inclinat ad actum qui fidei solùm actus est, & ab illo quoque, qui tantùm inclinat ad actum qui scientiæ solùm est actus. Tot ergo necessariò admittendi essent huiusmodi specie distincti habitus, quot diuersi specie actus huius generis, vt eorum singuli similes essent vnico illi numero actui, qui ab aduersariis dicitur esse simul fidei & scientiæ actus, id est, vt eorum singuli ex duobus motiuis coniunctim elicerentur eodem modo quo iste elicitur.

Iam verò tot eiusmodi actus specie diuersi admittendi necessariò essent, quot motiuorum illorum diuersæ fieri possent coniunctiones: ex hac enim varia coniunctione semper exurgerent diuersa specie motiua totalia & adæquata, hæc autem cùm specificent actus quorum

VII. motiua sunt, ab his specie diuersis non posset C in actus non deriuari diuersa specificatio, atque adeo specifica distinctio: motiuorum autem illorum infinitæ fieri possent coniunctiones, vt iam dixi, & per se quisque facilè videre potest, sumendo singula motiua singulorum actuum & habituum tam nostræ voluntatis, quàm intellectus, & postea vnum ex illis motiuis cum hoc vel illo alio motiuo coniungendo ad vnicum actum ex vtroque tanquam ex vnico totali adæquatoque motiuo exercendum.

Quare sicut ex aduersariorum sententia posset ex motiuo proprio fidei, & ex proprio scientiæ motiuo coniunctim elici vnicus actus qui simul esset fidei & scientiæ, specie diuersus

VIII. ab actu nostræ fidei, & ab actu nostræ scien- D tiæ, darique per consequens habitus aliquis vnus huic vnico actui respondens, diuersus specie ab habitu nostræ fidei, & ab habitu nostræ scientiæ: ita posset ex motiuo medij scientifici physici, & ex altero medij scientifici Mathematici, vel Metaphysici, elici vnicus numero assensus scientificus, specie diuersus ab assensu illo scientifico qui ex solo prioti medio elicitur, & ab illo quoque qui elicitur ex solo posteriori: & proinde dari etiam posset habitus aliquis vnus ad illum vnicum actum inclinans

specie diuersus ab habitu inclinante ad assensum ex solo priori medio elicitum, ab habitu quoque altero inclinante ad assensum elicitum ex solo posteriori. Et quod dixi de duobus his motiuis scientificis coniunctis, applicare facilè quisque potest ad duo, tria, pluráve alia motiua, quæ coniungi simul poterunt ad vnicum totale motiuum constituendum, & vnicum actum exercendum, habitumque illi proportionatum & respondentem inducendum, si duo ex huiusmodi motiuis ad hoc ipsum coniungi semel possunt.

I. A V.

Ex quibus patet, non modò in intellectum, sed etiam in voluntatem inuehi innumerabilem quandam multitudinem habituum tam naturalium quam supernaturalium, tam virtutum quam vitiorum: cum sicut intellectus à duobus motiuis simul moueri posse dicitur ad vnicum numero actum ex vtroq. motiuo tanquàm ex vno totali exercendum, ita possit voluntas: nec minùs possint duo, tria, pluráve motiua coniungi vel vitiorum ad vnicum numero vitij actum producendum, vel virtutum

II. B VI.

moralium, siue naturalium, siue supernaturalium, seu naturalis vnius & alterius supernaturalis, ad vnicum numero virtutis vel naturalè, vel supernaturalem actum efficiendum, quàm possunt duo, tria, pluráve motiua coniungi vel virtutum intellectualium, vel aliorum habituum in intellectu sedem habentium, ad vnicum numero intellectus actum eliciendum.

Ex quo etiam sequetur hoc absurdum, nempe supernaturales habitus Theologicæ virtutis multò plures tribus nunc admitti debere, cùm Theologi hactenus tres tantùm agnouerint: actus enim ille, exempli causa, vnicus qui simul erit & spei & charitatis, quia simul elicietur ex proprio vtriusque virtutis motiuo, tanquam ex vnico totali & adæquato, erit in entitate supernaturalis, & circa Deum immediatè versabitur tanquam formale obiectum, & proinde

III. C VII.

erit actus aliquis Theologicæ virtutis, qui vt specie differet ab actu spei, qui tantum spei est, & ab actu charitatis, qui tantùm charitatis actus est: ita & postulabit, habebítque supernaturalem aliquem habitum sibi proportionatum & respondentem à quo connaturaliter producatur, specie differentem ab habitu spei qui spei tantùm habitus est, seu ad actum spei solius inclinat: & ab habitu quoque charitatis, qui charitatis tantùm habitus est, seu qui ad actum inclinat qui solius charitatis actus est: qui quidem supernaturalis habitus erit Theologica virtus, cùm natura sua inclinet, sicut & nostra fides, spes, charitas habitualis, ad actum supernaturalem, qui circa Deum immediatè tanquam obiectum & materiale & formale versatur.

IV. D VIII.

Vnde iam habemus quartam Theologicam virtutem, tamque facilè habere poterimus quintam, sextam, & multò plures, quàm facilè ex sententia aduersariorum fieri potest, vt vnus numero actus exerceatur ex motiuo proprio charitatis Theologicæ, & ex proprio religionis infusæ, tanquam ex vnico totali, & alius vnus ex proprio motiuo eiusdem charitatis, & ex proprio alterius virtutis infusæ, vt misericordiæ, fortitudinis, & cæterarum omnium, tanquam item ex vnico totali & adæquato: ex quo tot saltem multiplicantur virtutes Theologicæ, quot sunt virtutes supernaturales seu infusæ, cùm, supposita aduersariorum doctrina, ex cuiuslibet virtutis infusæ proprio motiuo, & ex proprio virtutis Theologicæ, tanquam ex vno totali possit vnus numero actus exerceri specie à quolibet alio distinctus, habénsque respondentem sibi habitum specie à quolibet alio distinctum: cui habitui nihil deest ad rationem veri habitus virtutis Theologicæ, vt paulò ante probaui. Imò multò plures multiplicantur, cùm ex eadem aduersariorum doctrina sit consequens, vnicum numero actum exerceri posse ex motiuo proprio charitatis, & ex aliis duobus propriis duarum virtutum infusarum, tanquam ex vnico totali adæquatóque motiuo: quæ motiuorum ad virtutes infusas tam Theologicas quàm alias pertinentium coniunctio quoties variari potest, mirum autem quàm multoties possit, toties noui specie actus & habitus inducuntur, vt ex dictis clarum est: quibus actibus & habitibus nihil deest ad rationem veræ virtutis Theologicæ necessarium, vt ex suprà dictis æquè notum est.

Respondent ex aduersariis nonnulli, iis non obstantibus, non fore tamen Theologicas virtutes plures tribus, fide scilicet, spe, charitate, quia tot illi totiésque multiplicati virtutum habitus, nec inter sese, nec à tribus illis different, vt Theologicæ virtutes formaliter; eo quod non habebunt aliud Theologicæ virtutis proprium obiectum formale, quàm quod habent illæ tres, licet non eodem modo habeant, quia nimirum quod illarum singularum est formale obiectum totale & adæquatum, est partiale duntaxat & inadæquatum respectu virtutum istarum quæ toties multiplicantur.

Refellitur hæc responsio, primò, quia vt simpliciter absoluteque loquendo dentur Theologicæ virtutes, etiam vt Theologicæ formaliter, plures tribus relatis, sufficit vt dentur aliæ, quæ singulæ per differentiam suam essentialem & specificam constituantur in formali ratione Theologicæ virtutis, ex Deo vt obiecto formali in quod feruntur, & à quo specificantur, per eandemque differant essentialiter & inter sese, & à prædictis tribus: quod vtrumque virtutibus de quibus hîc agimus conuenire, & ex dictis, & ex aduersariorum expressa doctrina clarum est. Quemadmodum vt homo, qui essentialiter rationalis est, differat etiam vt rationalis formaliter, non modò à brutis animalibus, sed etiam ab Angelis qui sunt essentialiter quoque rationales, sufficit vt per essentialem suam specificámque differentiam constituatur in specie rationalis formaliter, & ab illis per eandem essentialiter & specificè differat. Quemadmodum etiam, supposita specifica inter Angelos distinctione, vt vnus vnius speciei differat essentialiter, etiam vt rationalis formaliter, ab altero diuersæ speciei, certissimè sufficit, quòd eorum quilibet vi formaliter essentialis suæ specificæque differentiæ constituatur rationalis certa quadam specialíque rationalitate, & per hanc essentialiter ab altero differat. Quemadmodum denique si darentur

homines distincti specie, vt qui essent diuersæ speciei differrent inter se, etiam vt homines formaliter, sufficeret haud dubie quòd quilibet illorum per essentialem suam specificamque differentiam constitueretur in ratione hominis formaliter, & per hanc ab altero differret essentialiter.

I.

Refellitur secundò, sumendo in exemplum virtutem illam Theologicam, cuius obiectum formale conflatum esse dicitur ex obiecto formali spei, & ex formali charitatis. Hæc virtus nec est spes, nec est charitas quam fidei Apostolus annumerat primę ad Corinth. cap. 13. & nihilominus est essentialiter Theologica virtus, & æquè saltem atque illa spes, aut illa charitas: ergo est quarta Theologica virtus. Nec dicas primò esse spem illam & charitatem coniunctim, hoc enim ex aduersariorum etiam doctrina certissimè falsum est: spes enim illa & charitas sunt essentialiter duæ virtutes, ista autem de qua loquimur essentialiter vnica virtus est: illa spes ita spes est, vt non sit charitas, & hæc charitas ita charitas est, vt non sit spes: ista autem ita spes est vt essentialiter sit charitas, æquè ac spes: & ita est charitas, vt sit essentialiter quoque spes, & æquè atque est charitas.

II.

Nec dicas secundò, esse quidem quartam virtutem Theologicam, sed materialiter, non formaliter. Nam quod essentialiter tale est, non materialiter, sed formaliter tale est: at essentialiter est Theologica virtus, nec prima, secunda, tertia, quam recensuit Apostolus, ergo quarta. Adde quòd quocunque modo dicatur quarta, siue materialiter, siue aliter, sufficit quòd sit verè Theologica virtus, nec vna de tribus ab Apostolo recensitis, cùm ab iis omnibus & singulis differat essentialiter. Hoc enim est quod dico absurdum esse, & contra communem Ecclesiæ sensum atque doctrinam, admittere nùc in hominibus aliquam virtutem Theologicam, quæ non possit dici esse vel fides, vel spes, vel charitas illa de qua loquutus est Apostolus, dum citato loco sic dixit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.*

III.

Refellitur tertiò, quia prædicti illi virtutum habitus de quibus hîc agimus, à tribus his Theologicis virtutibus differunt essentialiter & formaliter vt virtutes, ergo vt Theologicæ virtutes. Non enim differunt vt virtutes à vitiis, cùm neq. hæ neque illi vitia sint: ergo differunt vt virtutes à virtutibus: non vt naturales à naturalibus, sunt enim omnes supernaturales: nec vt purè morales infusæ ab aliis purè moralibus infusis, sunt enim omnes Theologicæ: ergo vt Theologicæ à Theologicis.

IV.

Adde quòd, dum ex duarum purè moralium infusarum virtutum formalibus obiectis totalibus & adæquatis specificabitur vna virtus purè moralis infusa tanquam ex partialibus vnum totale cõflantibus, sicut hæc ab illis differet vt vna virtus purè moralis infusa formaliter, ab aliis purè moralibus infusis, licet eius non sit aliud obiectum formale, quàm quod est partiale illarum aliarum, differet enim ab illis essentialiter & formaliter, nec vt naturalis à naturalibus, aut supernaturalibus, cùm sit supernaturalis, nec vt Theologica à Theologicis, cùm Theologica non sit: ita dum ex duarum Theologicarum formalibus obiectis adæquatis & totalibus, aut ex vnius Theologicæ, & ex alterius purè moralis infusæ formali obiecto totali & adæquato specificabitur vna virtus, tanquam ex duplici partiali conflante vnicum totale, differet hæc virtus, vt Theologica à Theologicis, licet eius aliud non sit obiectum formale siue totale siue partiale quàm quod alterius vnius aut duplicis Theologicæ totale obiectum est.

A

V.

SECTIO III.

Alterum à priori argumentum continens.

Alterum argumentum quo à priori probo eandem Maiorem, istud est. Illud solum motiuum cum motiuo alio coniungitur instar motiui partialis ad conflandum cum eo vnicum totale & adæquatum motiuum, seu formale obiectum, quod seorsim acceptum nò mouet intellectum aut voluntatem ad id cuius obiectum formale seu motiuum dicitur, sed tàm, & non nisi dependenter ab illo alio motiuo simul mouente cum quo coniungi dicitur. Ergo si quod obiectum formale seu motiuum nec mouet, nec mouere potest ad id cuius obiectum formale seu motiuum dicitur, nisi per se solum seorsim acceptum, & independenter ab vllo altero motiuo simul mouente, sanè nec coniungitur, nec coniungi cum eo potest ad conflandum vnicum totale & adæquatum motiuum. Atqui eiusmodi est omne motiuum quod ex se suáque natura est adæquatum motiuum specificans aliquem nostrum habitum actúmve, pertinentem vel ad intellectum, vel ad voluntatem: ergo nullum eiusmodi motiuum coniungitur, aut coniungi potest cum

B

VI.

motiuo alio ad conflandum vnicum totale & adæquatum motiuum, atque adeo ad vnicum numero actum exercendum ex vtroque motiuo tanquam ex vno totali & adæquato. Vtraque huius argumenti consequentia ex terminis euidens est.

C

VII.

Antecedens certum est: continet enim receptam ab omnibus inadæquati & partialis obiecti formalis seu motiui definitionem: cuius etiam veritas patet exemplis agentium naturalium, assensusque Maioris aut Minoris propositionis concurrentis ad assensum conclusionis: vnum enim agens naturale causa partialis & inadæquata sui effectus tunc tantùm dicitur, & cum alio agente conflare causam vnam totalem & adæquatam respectu eiusdem effectus, quando hic effectus ab eo pendet non seorsim accepto, sed solùm vt coniunctim, & non nisi dependenter à concursu alterius: eo siquidem ipso quo effectus iste ab eo dependeret accepto seorsim, & independenter ab alterius agentis naturalis concursu, esset eius adæquata causa & totalis: assensus item vel maiori vel minori propositioni datus seorsim acceptus non dicitur, nec est motiuum & obiectum formale partiale assensus conclusionis, nisi quia per se solum seorsim acceptum non mouet intellectum ad assentiendum conclusioni,

D

VIII.

sed tantùm vt coniungitur assensui præmissæ alterius, & non nisi dependenter ab hoc assensu mouente simul intellectum ad conclusionis assensum.

Iam probo assumptum: omne enim eiusmodi motiuum semper per se solum seorsim acceptum mouet intellectum aut voluntatem ad I. id cuius obiectum formale seu motiuum dicitur, nec, vt ad ipsum moueat, quidquam iuuatur, aut iuuari potest ab altero motiuo partiali cum quo coniungi & conflare vnicum totale motiuum dicitur, tantum abest vt non nisi dependenter ab ipso simul mouente ad idem ipsum moueat, aut mouere valeat. Quod vt certius & clarius fiat, sumo in exemplum, ipsum actum numero vnicum qui dicitur esse fidei & scientiæ simul, qui actus, vt fidei est, habet pro motiuo seu obiecto formali authoritatem diuinam reuelantem, quod motiuum contendo non esse partiale, sed adæquatum, nec proinde coniungi cum motiuo alio partiali ad conflandum cum eo vnicum motiuum totale & adæquatum: hæc enim authoritas respectu cuius II. rei motiuum seu formale obiectum dicitur? nónne præfati actus qui simul est & fidei, & scientiæ actus, non tamen vt actus scientiæ est, sed vt fidei? Est ergo authoritas illa motiuum huius actus vt fidei actus est, ad hoc autem præcise, id est, ad hunc ipsum actum vt actus fidei est, mouétne, aut mouere potest vel medium scientificum, vel vllum aliud motiuum? Hoc sane & experientia constat non fieri, & ratio ostendit tam esse impossibile, quàm impossibile est medium scientificum, aut vllum aliud distinctum ab ipsa diuina authoritate reuelante esse ipsam diuinam authoritatem, cui soli hoc proprium est, vt ad actum fidei diuinæ moueat, prout actus diuinæ fidei est.

Atque quod de hoc actu dixi vt fidei actus III. est, eandem vim habet primò in eodem ipso actu vt scientiæ actus esse dicitur: eius enim vt sic spectati motiuum adæquatum erit medium scientificum, quia ad eum vt sic spectatum tam impossibile est vt moueat vel authoritas diuina reuelans, vel quidquam aliud à scientifico medio distinctum, quàm impossibile est aliquid istorum esse medium scientificum: cui soli proprium est mouere intellectum ad scientificè alicui rei assentiendum.

Habet deinde vim eandem in omnibus & singulis actibus, qui dicerentur eliciti ex duplici proprio motiuo duorum aliorum habituum, siue intellectualium, siue moralium, siue naturalium, siue supernaturalium, siue virtutum, siue vitiorum, tanquam ex vnico totali & adæquato motiuo: actus enim ille vnicus qui IV. diceretur esse, verbi causa, charitatis & spei simul (& ita de cæteris omnibus) quatenus esset spei, esset ex proprio spei motiuo, & quidé non vt partiali, sed vt totali & adæquato, quia ad ipsum vt sic tam impossibile esset motiuū proprium charitatis, aut quidquam aliud mouere voluntatem præter ipsum proprium spei motiuum cui hoc soli conuenit, quàm est impossibile, vt suprà ostendi, ad actum scientiæ vt sic quidquam aliud mouere intellectum quàm scientificum medium, cui hoc item soli conuenit.

Quare sicut in agentibus naturalibus conflantibus vnum totale, nisi vtrumque seorsim acceptum, atque adeo agens partiale concurreret ad idem ipsum ad quod concurrit alterum, & quidem ita concurreret, vt non nisi dependenter à concursu alterius, non conflaret A cum eo vnum agens totale, sed ipsum per se solum diuisim acceptum vnum agens totale constitueret: sicut item in discursu, siue scientifico, siue opinatiuo, siue alio, nisi Maioris assensus concurreret ad illud ipsum ad quod concurrit assensus Minoris, nempe ad conclusionis assensum, vel scientificum, vel opinatiuum, vel similem, vt sic, seu prout talis assensus est, & quidem ita concurreret, vt non nisi dependenter ab huius ipsius Minoris assensu, non componeret cum eo instar obiecti formalis seu motiui partialis vnum totale motiuum seu formale obiectum, sed vnus per se seorsim ac diuisim sumptus totale vnum motiuum conficeret: ita cùm in actibus de quibus disputamus motiuum vnum independenter ab altero concurrat ad id cuius motiuum dicitur, nec ad idem ipsum cōcurrere valeat vllum aliud motiuum, vt ostendimus, fatendum necessariò est, vtrumque motiuum seorsim acceptum constituere vnum formale obiectum seu motiuum adæquatum & totale, respectu actus cuius motiuum seu obiectum formale dicitur. V. B VI.

Vnde pari necessitate concluditur, à duobus illis motiuis adæquatis seorsim acceptis, & non coalescentib. in vnicum numero motiuum adæquatum, non produci vnicum numero actum vtrique motiuo tanquam vni totali innixum, sed duos, vnum ab vno, alterum ab altero, tam inter se diuersos, quàm motiua illa duo adæquata inter se diuersa sunt: quandoquidem tam certum est à duobus huiuscemodi motiuis duos diuersos actus produci, quàm non dubium à duobus scientificis mediis, quorum C quodlibet est motiuum adæquatum assensus VII. suæ propriæ conclusionis, duos assensus scientificos diuersos effici, aut à duobus agentibus naturalibus, quorum quodlibet adæquatum est, duos distinctos effectus produci.

SECTIO IV.

Eiusdem partis negantis veritas altera ratione probatur.

REFELLO denique prædictam aduersariorum sententiam affirmantem, & oppositam negantem hac ratione confirmo. Si possibilis esset actus aliquis fidei & scientiæ simul, qui vnicus numero & vnius speciei existens complecteretur in se totam perfectionem & D actûs qui essentialiter fidei solùm est, & actûs VIII. qui essentialiter scientiæ tantùm est: pari iure censeri deberent possibilia pleraque entia, quæ communiter omnes in impossibilium numero sine dubitatione reponunt. Et vt paucis comprehendam omnia, quæ referre singula esset infinitum, reuoco omnia ad substantiam, & accidens.

Dico ergo, cùm, exempli gratia, sit possibile vnum accidens quod calor est, & alterum specie distinctum quod frigus est, fore quoque

possibile tertium accidens specie ab hoc & illo diuersum, quod erit essentialiter calor & frigus, id est, huius & illius totam perfectionem in se vno continebit, poterítque proinde & frigefacere sicut frigus, & calefacere vt calor, siue etiam exercere actionem aliquam quæ erit calefactio & frigefactio simul, non illa tamen
I. frigefactio quæ à frigore est quod solum frigus est, nec illa calefactio quæ est à calore qui solùm calor est, & illi soli frigori contrarie opponitur, sicut & illa calefactio soli illi frigefactioni, sed quæ huius frigefactionis, & illius calefactionis perfectionem in se omnem continebit, ab hac & illa actione differens essentialiter. Similitérque cùm primæ qualitates inter se specie distinctæ quatuor sint, possibilis erit quinta qualitas ab his omnibus & singulis secundùm speciem diuersa, quæ earum omnium totam perfectionem complectetur in se, efficereque proinde poterit omnes quas illæ possunt actiones, aut etiam vnam ab iis omnibus & singulis specie differentem, sed habentem in se suaque essentia omnem earum omnium perfectionem.

II. Atque vt exemplum quoque vnum aut alterum ponam in substantiis, cùm possibilis sit substantia quæ solùm homo essentialiter est, possibilis altera quæ solum est equus essentialiter, possibilis erit tertia quædam animalis ab hoc & illo essentialiter distincti species, quæ simul erit homo & equus, non equus ille qui homo non est, nec homo ille qui equus non est, sed equus homo, seu homo equus in se vno comprehensam habens totam & huius alterius equi, & illius alterius hominis perfectionem. Possibilis similiter erit quarta animalis species, quæ totam hirci qui tantùm hircus est, & totam cerui qui tantùm ceruus est: quinta, quæ totam leonis qui leo solùm, & totam draconis qui draco solùm est: sexta, quæ omnium
III. & singulorum istorum animalium essentialem perfectionem in essentia sua contineat, & quæ proinde vna sui corporis parte hominem, equum alia, alia ceruum, alia hircum, leonem alia, alia draconem referat: *Quale portentum neque militaris Daunia in latis alit esculetis, nec Iubæ tellus generat, leonum arida nutrix, monstrúmve sumisere Colchi maius, Echioniæue Turbæ.*

Respondent ex aduersariis nonnulli, aliam esse rationem prædicatorum accidentalium, aliam essentialium; nec proinde esse consequens, vt si de homine prædicari verè possit vnicus actus qui fidei sit & scientiæ simul, sicut & potest aliquis qui tantùm fidei est, & alius qui solùm est scientiæ, vt dari possit substantia vna quæ simul sit homo, v.c. & equus, essentialiter. At hæc responsio manifeste nulla est. Licet enim sit in hoc alia
IV. prædicatorum accidentalium, alia essentialium ratio, quòd illa prædicantur accidentaliter, ista essentialiter, in re tamen de qua nunc agimus nulla diuersitatis inter hæc & illa ratio est: habent enim accidentia essentiam aliquam, & propriam suam, sicut habent substantiæ. Vnde quemadmodum actûs fidei qui fidei solùm est, est propria essentia, & actûs scientiæ qui scientiæ tantum est, est essentia propria, & nihilominus dicitur possibilis tertius actus qui sit essentialiter fidei & scientiæ simul ab hoc & illo specie differens: ita debet admitti pariter possibilis in accidentibus qualitas quæ sit sensu prædicto calor & frigus simul essentialiter, & alia quæ sit eodem sensu calor, frigus, humor simul & siccitas: in
V. substantiis autem possibilis aliqua species quæ sit essentialiter homo simul & equus, alia quæ draco simul & leo, alia quæ ceruus simul & hircus, alia quæ vnica horum omnium & singulorum animalium essentialem perfectionem essentialiter comprehendat.

Quam ob causam iidem illi suæ huic responsioni non acquiescentes concedunt tádem hæc esse possibilia omnia, quæ nos vt impossibilia eis eiusdémque sententiæ authoribus obiicimus. At dum hoc nobis conceditur, quid aliud conceditur, quàm possibilis fictitius Logicorum hircoceruus, quam possibiles fabuloh Poetarum hyppocentauri, capripedes Satyri,

Scyllaque biformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ,
VI. *Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,*
Gorgones, Harpyiaque, & forma tricorporis vmbræ?
Humano capiti cernicem pictor equinam
Iungere si velit, aut varias inducere plumas,

permittatur sanè, *siquidem pictoribus atque poetis*
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

At à Theologis procul absit hæc tam horrida monstra fingendi, & in scholas inducendi libertas, quæ nec Augiæ stabulum reciperet. Spectentur hæc quidem in pictorum tabellis figmenta iucundè, in Poetarum libris & fabulis cum risu legantur, à Theologiæ autem, id est, non fictæ vel adumbratæ, sed expressæ & solidæ veritatis schola longè longiùs remoueantur, arceantur.

VII.

Addo vnum, quod verissimum arbitror, nimirum ex omnibus impossibilibus in exemplu adductis, si diuina nobis reuelatione constare iam inciperet omnia esse possibilia, dempto vnico, istud vnicum fore potiùs prædictum actum fidei & scientiæ simul, quàm quidquam aliorum: quod mihi certius videatur & euidentius, magis impossibile esse formale motiuum fidei mouere intellectum ad assensum scientificum, & medium demonstratiuum euidenter cognitum mouere ad assensum fidei, quàm dari speciem aliquam hominis & equi simul, atque id genus alia: cùm tamen oporteret tam verè propriéque formale motiuum fidei, vt huiusmodi motiuum, mouere ad assensum scientificum: & formale motiuum scientiæ, vt huiusmodi motiuum, mouere ad assensum fidei,
VIII. si posset vtrumque coniunctim cóncurrere, & mouere ad actum vnicum qui esset fidei simul & scientiæ indiuisim & essentialiter: quam in discursu assensus maioris, aut minoris propositionis verè propriéque ad assensum conclusionis intellectum mouet, & ad propriam ac formalem huius assensus speciem infimam, specificámque proinde ac vltimam differentiam, quæcunque ea sit.

SECTIO V.

Tribus obiectionibus respondetur.

I. PRIMA est, homini de re aliqua vna à Deo reuelata, euidenterque per se scibili, cogitanti, posse simul in mentem venire & reuelationem diuinam ob quam credi potest, & medium scientificum per quod potest demonstrari, possèque hominem illum simul de vtroque illo motiuo cogitantem moueri simul ab vtroque illo motiuo ad eandem rem & credendam & sciendam actu, & per consequens eam vnico actu posse credi simul & sciri. At hoc consequens negandum est: simul enim, id est, eodem tempore vel temporis instanti moueri poterit ab vtroque motiuo, sed tamen sic vt ab vtroque seorsim accepto moueatur tanquam ab vno totali, & ab vtroque coniunctim tanquam à duobus motiuis adæquatis & totalibus: ex quibus proinde duobus si agit eodem tempore, duos diuersos actus eliciet, quorum vnus erit fidei tantùm, ex motiuo solius diuinæ authoritatis reuelantis: alter scientiæ tantùm, ex motiuo solius medij scientifici.

II. Secunda est, authoritatem hanc diuinam, quæ est obiectum formale seu motiuum adæquatum respectu actus fidei diuinæ, esse in discursu Theologico motiuum solùm partiale respectu assensus conclusionis Theologicæ, qui pro obiecto formali seu motiuo totali & adæquato habet iudicium bonitatis consequentiæ, & assensus datos vtrique præmissæ, quorum assensuum vnus saltem est actus fidei diuinæ, ob diuinam authoritatem reuelantem. Sed respondeo hinc solùm rectè concludi, assensum fidei diuinæ esse partiale motiuum assensus conclusionis Theologicæ, nō verò etiam euinci ipsam

III. diuinam authoritatem esse partiale motiuum huius ipsius assensus dati conclusioni prędictæ: licet enim hæc authoritas sit motiuum assensus fidei dati vni præmissarum, non est tamen motiuum assensus conclusionis Theologicæ: conclusionis enim assensus nullum aliud motiuum habet, quam ipsum assensum præmissarum, bonitatisque consequentiæ: authoritas autem diuina, vt patet, non est assensus huiusmodi assensus, licet sit motiuum & obiectum formale alicuius istorum assensuum.

IV. Tertia est, duo luminosa posse coalescere in vnicum agens totale respectu alicuius luminis ab vtroque coniunctim producendi, licet vtrumque ex iis seorsim acceptum aliquod aliud lumen producere valeat vt agens totale & adæquatum. Item colorem vnum, qui est obiectum adæquatum illius visionis per quam videtur ille vnus color, & nullus simul alius, posse esse obiectum inadæquatum & partiale respectu cuiusdam alterius visionis, nempe illius per quam idem ipse color, & quidam alius simul cernitur. Respondeo me hoc totum concedere in obiectis illis, & agentibus naturalibus, sed negare locum habere in obiectis illis formalibus quæ motiua appellantur, ideóque sic appellantur, quia vi sua, cognitioniſque quam de iis habet intellectus, mouent, inclinant, aut etiam determinant vel intellectum, vel voluntatem ad exercendum aliquem actum ab hac cognitione prævia qua cognoscuntur distinctum.

A Etenim attulimus efficacē & à priori & à posteriori rationem, qua ostendimus duo motiua, quorū quodlibet per se adæquatum esse potest ad speciem alicui habitui aut actui tribuēdam, nunquam posse coniungi ad vnicum actum producendum: nullam verò rationem habemus ad idem de prædictis obiectis, & similibus, agentibúsque naturalibus sentiendum, imò potiùs contrarium sentiendi rationem in certissima fundatam experientia habemus. Nam quod dici posset, tot admittendos per consequens diuersos effectus, tot quoque diuersas etiam specie visiones & cognitiones, siue sensus, siue intellectus, consequentérque tot impressas species his visionibus seu speciebus expressis proportionatas, & respondentes, quot fieri poterunt coniunctiones agentium naturalium, aut obiectorum specie differentium concurrentium instar duorum aut agentium, aut obiectorum partialium ad vnum totale agens aut

B obiectum constituendum, propemodum autem infinitas posse fieri huiusmodi coniunctiones, verum quidem est, sed absurdi nihil habet, imò communiter à Philosophis & Theologis ita rem habere defenditur.

V.

VI.

DISPVTATIO XV.

Quid prærequiratur ex parte voluntatis ad internum diuinæ fidei actum?

SECTIO PRIMA.

C *An expressus voluntatis actus prærequiratur?* VII.

AFFIRMAT Diuus Thomas quæstio. prima, articulo 4. quæst. 2. artic. 2. quæst. 4. artic. item 2. sequuntúrque Theologi communiter. Probatur autem hoc argumento. Omnis actus liber intellectus prærequirit aliquem actum liberum voluntatis: sed internus diuinæ fidei actus est actus liber intellectus: ergo prærequirit aliquem actum voluntatis liberum: atqui non solum virtualem & implicitum, ergo explicitum & expressum. Prima consequentia euidens est. Secundæ bonitas ex eo patet, quòd omnis actus volúntatis, est aut virtualis, seu implicitus, aut explicitus, seu ex-

D pressus. Maior certa est: non est enim liber nisi per voluntatem liberè volentem, non vult autē liberè nisi per aliquam suam volitionem liberā. Minor quoad eam partem, qua dicit internum fidei actum esse actum intellectus, probatione non eget: quoad alteram verò quòd hic actus liber sit, probatur ex Scripturæ Marci vltimo: *Qui crediderit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur:* quibus verbis satis aperte indicatur, adultorum, ad quos imbuendos Euangelij doctrina mittebantur Apostoli, vt ex VIII.

verbis

verbis iis immediatè præcedentibus patet: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, in hac doctrina credenda vel non credenda libertas. Secundò ex his patrum testimoniis, Irenæi lib. 4. cap. 72. sic loquentis: *Non tantùm in operibus, sed etiam in fide liberum, & suæ potestatis arbitrium homini seruauit Deus.* Diui Augustini Tract. 26. in Ioan. sic scribentis: *Credere non potest aliquis nisi volens.* & libro 1. ad Simplic. quæst. 2. *Non credit aliquis nisi libera voluntate: nemo enim potest credere nisi velit.* libro denique 1. de prædest. sanctorum cap. 2. 5. & 6. *Credere & non credere in arbitrio est voluntatis humanæ, alij crediderunt quia voluerunt, alij quia noluerant non crediderunt.*

I.

Restat probandum assumptum, sic autem probo. Omnis potentiæ à voluntate distinctæ actus liberam quoad speciē, quam quoad exercitium prærequirit necessariò liberum actum expressum voluntatis: atqui diuinæ fidei internus actus est actus ita liber: ergo &c. Maior huius syllogismi constat in primis, ex eo quòd aut ad hunc, aut certè ad nullum actum expressus voluntatis actus prærequiritur. Deinde inductione per potentias omnes à voluntate distinctas, quarum actus si subsint, liberæ potestati voluntatis, non modò vt fiant aut non fiant, quod est eos esse quoad exercitium liberos, sed etiam vt fiant, vel contrarij fiant, quod est eos esse liberos quoad speciem, semper reperientur ad hoc vt fiant prærequirere expressum actum liberum voluntatis.

II.

Et ratio est, quòd omnis eiusmodi potentia, eo ipso quo subiacet liberæ potestati volūtatis, & quoad speciem sui actus, & quoad exercitiū, habet vt nec ex se, nec ex obiecto suo nec aliūdè quàm ex voluntatis imperio sufficienter ad hoc determinata sit: si enim aliundè ad hoc determinata esset, sanè quātùm ad determinationem ac speciem sui actus, liberæ potestati voluntatis contra hypothesim non subiaceret: illud autem imperium voluntatis quo potentia illa ad hoc determinatur, non potest non esse expressus aliquis voluntatis actus: tum quia donec intelligatur hic actus determinans, non intelligetur intellectus assentiens potiùs quàm dissentiens, sicut donec intelligatur expressus voluntatis actus, quo velit corpus in vnam potiùs moueri partem quàm in alteram, non intelligetur potentia motrix corpus in dextram potiùs quam in sinistram libere mouens: tum quia vt potentia cuius actus quoad speciem & exercitiū liber dicitur, prorumpat in hūc actum specie potiùs quàm in oppositum, non sufficit voluntatem merè negatiuè se habere: nec eum positiuum actum exercere, quē si exerceret, nō hic specie actus à prædicta potentia, sed alius specie diuersus produceretur. Si enim voluntas merè negatiuè se habens seu non eliciens, exempli causa, positiuam volitionem quā vellet moueri corpus ad sinistram, aut intellectum ad dissensum, sufficienter hunc determinat ad assensum, & potentiam motricem ad motum in dextram partem: pariiure diceturr & eūdem determinare sufficienter ad dissensum & hāc ad motum in sinistram, eo ipso quo merè negatiuè se habet, & nō exercet positiuam volitionem, quā vellet aut motū ad dextram aut assensum. Vnde cùm simul eodemq. tempore merè negatiuè se habens neutram volitionem exerceat, sequetur eodem tēpore determinatas esse potentias illas ad assensum & dissēsum simul, ad motū in dextram & sinistram simul, quod fieri non potest.

III.

Restat eiusdem syllogismi probanda Minor, cuius veritas in primis ex iisdē testimoniis certa est, ex quib. suprà in genere ostendimus internū fidei actum liberū esse: neque enim dubium esse debet quin Christus verbis iis Marci vltimo, *qui vero no crediderit condēnabitur*, intelligat etiā eos qui propositā sufficienter Euangelij doctrinā non modò exercitiū actus fidei omittēt, sed etiā contrariū & positiuum infidelitatis actum exercebunt: neque dubitari meritò potest, quin eosdē comprehēderit D. Aug. loco supra dicto, sub iis quos dicit non credidisse, quia noluerūt: quam liberam potestatem discredendi agnouit quoq. Irenæus supra dictus, dicens Deum non modo in operibus, sed etiam in fide seruasse homini liberum arbitrium, quod in operibus ipsi liberum ita seruat, vt ipse liber sit non modò vt faciat, vel non faciat, sed etiam vt faciat vel contrarium faciat.

IV.

Secundò certa quoq. est ex his omnibus Scripturæ locis, in quib. audita vel Christi vel Apostolorū prædicatione, aut visis eorū miraculis, quidā dicuntur credidisse, alij incredduli remansisse: qui sanè omnes, aut eorum saltem aliqui si non semper, at haud dubiè saltem aliquādo incredduli remanebant, non merè negatiuè se habendo, nec tantùm positiuum fidei actum omittendo, sed etiam libere contrarium & positiuum infidelitatis exercendo.

V.

Tertiò ex iis quoque omnibus, quibus iidem incredduli peccatū infidelitatis habere dicuntur, pro eōque damnandi, nisi ad fidem conuertantur: vt Ioan. 8. *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* & c. 15. *Si nō veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent:* per quod D. Aug. infidelitatē tract. 89. in Ioannem intelligit, per quam non pura omissio exercitij actus fidei, sed positiuum exercitium actus infidelitatis procul dubio significatur, quæ positiua infidelitas eis ad peccatum non imputaretur, nisi libera ipsis esset.

VI.

Ex dictis facile colligitur, ad continuationē actus fidei necessariā esse in voluntate cōtinuationē illius actus expressi, quem ad productionē actus fidei prærequirimus: si enim inchoata eius productio quia libera voluntati est, prærequirit inchoatum in volūtate expressum illum actum, cùm eiusdem actus fidei continuatio libera similiter sit, continuationem quoque eiusdem actus expressi prærequiret.

VII.

Adde quòd si ad continuationem liberā prædicti fidei actūs sufficere diceretur, vt voluntas merè negatiuè se haberet, nec eius continuationi per positiuum actum resisteret, dici etiam deberet ad eius liberam inchoationē sufficere, vt voluntas merè negatiuè se haberet, nec eius inchoationi per positiuum actum resisteret. quod tamen dici non posse suprà probauimus. Quo enim iure diceretur illud prius, dici posset & istud posterius, & qua facilitate saluari posset continuationis actus fidei libertas, volūtate nō cōtinuante prædictū expressum actum suū, sed merè negatiuè se habente, nec cōtinuationi po-

VIII.

sitiue resistenti, pari etiam explicari posset inchoationis eiusdem actus fidei libertas, voluntate actum illum suum expressum non inchoante, sed mere negatiuè se habente, ipsique positiuè non resistente.

Cæterum quod hactenus diximus, dicúntque Scripturæ, Concilia, & Patres, fidei actum tam quoad speciem quàm quoad exercitium à libertate volũtatis intellectum ad vtrumq. determinantis pendere, dictum ab illis & à nobis est spectata ipsius actus fidei natura præcisè, iisque simul solis rebus, quæ necessariæ sunt, vt quis fidelis esse possit: nõ enim nego quin intellectus aliunde quàm à libertate voluntatis possit ad internum fidei actum quoad speciẽ ene determinatus, vt ab euidenti veritatis rei creditæ cognitione parta per veram demõstrationem, aut per euidentem cognitionem reuelationis à Deo factæ, simúlque principij huius naturę lumine cognoscibilis, nempe Deum in dicendo nec falli posse, nec fallere: sed hęc euidẽs veritatis rei quę creditur cognitio merè per accidens se habet ad
II. illum actum fidei, nec ad eum vllo modo requiritur, quæ tamẽ cùm adest, adhuc indiget intellectus expresso actu voluntatis ad actus fidei exercitium determinantis: nõ enim omnis actus quoad speciem necessarius, quoad exercitium quoque necessarius est.

Liber ergo quoad exercitium adhuc erit, nec sufficiet vt liber dicatur, voluntatem habere se negatiue, vel eius exercitio per positiuum actũ non resistere: omnis enim potentiæ à voluntate distinctæ actus liber quoad exercitium prærequirit aliquem actum explicitum voluntatis, alioqui quoties & quandiu voluntas merè negatiue se haberet, toties & tandiu actus ille exerceretur, quotiẽsque & quandiu à nobis non exerceretur, certum esset argumentum toties & tandiu eius exercitio voluntatem per expressum actum positiuè resistere, quod contra experientiam &
III. rationem est. Repugnat etiam rationi dicere, vt potentia à voluntate distincta non agat, sed negatiuè se habeat, esse necessarium realem actum voluntatis nolẽtis vt agat, & tandiu continuantis positiuum hunc actum nolitionis, quandiu potentia illa non agit: vt autem hæc eadem potentia realem actum voluntati liberum exerceat, nõ esse necessarium realem actum voluntatis volentis vt agat, sed sufficere vt negatiuè se habeat: quia hoc dicere, est dicere, ad non actum illius potentiæ requiri expressum actum voluntatis, & ad actum eiusdem potentiæ non requiri expressum actum voluntatis, quod contra rationem est. Quare quemadmodum vt non
IV. sit aliquis actus in intellectu, aut in simili potẽtia à volũtate distincta, & libere non sit, sufficit in voluntate non esse aliquem actum liberum quo vellet exercitium actus illius: ita vt ille actus ab illa potentia liberè exerceatur, requiritur realis actus expressus voluntatis liber quo velit eum exerceri.

SECTIO II.

Qui & qualis esse debeat expressus ille voluntatis actus qui ad internum fidei actum prærequiritur?

TRia hic explicanda sunt: primum est, quis sit ille actus? Respondeo esse expressam volitionẽ credendi, seu qua voluntas expresse vult vt intellectus actũ fidei eliciat: semper enim expressus voluntatis actus ad exercitium alicuius alterius potentiæ à voluntate diuersæ huiúsque libertati in agẽdo subiectæ prærequisitus, est expressa volitio huius ipsius actus, seu qua volũtas expresse vult actũ hunc ab illa potẽtia exerceri.

V. Secundum est, cuius speciei sit expressa illa volitio quâ voluntas actum fidei vult? Respondeo esse modò huius, modò illius speciei, prout modò ex hoc, modò ex illo motiuo elicitur: quare si elicitur ex motiuo placẽdi Deo, cui haud dubiè placet exercitium actus fidei, erit actus charitatis: si ex motiuo subiiciendi se Deo imperanti actum fidei, erit actus obedientiæ specialis: & ita de cæteris aliarum virtutum propriis motiuis. Quòd si voluntas volens illum fidei actum non propter aliud motiuum velit, vt ordinarie accidit, quàm propter illum ipsum actum, seu quà propter propriam & specialẽ illius ipsius actus honestatem (specialem enim honestatem habet Deo quidpiam reuelanti indubitanter credere propter authoritatem ipsius Dei reuelantis, sicut & specialem habet honestatem per eleemosynam subleuare miseriam pauperis) tunc specialis & ab omnib. aliis distinctæ virtutis actum exercet, quia mouetur ab honestate distincta à propriis & specificis aliarum omnium virtutũ honestatibus. De hac autem volitione eliciendi internum fidei actum propter hoc motiuum,

VI. Tertium hîc explicandum est, an sit in entitate supernaturalis? Communior & probabilior Theologorũ sententia affirmat contra Scot. in 3. dist. 25. quæst. 2. probatúrq. hoc argumento: Omnis actus volũtatis, cuius obiectum formale seu motiuum supernaturale est, est in entitate supernaturalis: at qui volitionis de qua agimus obiectum formale seu motiuum supernaturale est. Minor hęc ex eo certa est, quod volitionis de qua disputamus obiectum formale seu motiuum
VII. est ipse fidei actus, seu specialis & propria huius actus honestas, quæ nihil in re differt ab hoc ipso actu: hic autem actus & proinde honestas eius est in entitate supernaturalis, vt suprà probauimus. Maioris veritas cõstat ex dictis di. 11. sect. præsertim 4. patétq. breuiter in primis exemplo actuum honestorũ pertinentiũ ad virtutes morales infusas, qui supernaturales in entitate sunt, ideoq. sunt, quòd eorũ formale obiectũ supernaturale sit. Deinde exemplo actuũ intellectus quib. aliqua res in entitate supernaturalis, vt visio beatifica, vnio hypostatica quidditatiuè prout in se est cognoscitur: Omnis enim huiusmodi actus cõmuni Theologorũ cõsensu est in entitate supernaturalis, ideóq. est, quia obiectũ circa quod versatur, & à quo specificatur, in entitate supernaturale est. Et sane si
VIII. naturale motiuum propter quod aliqua res siue naturalis in entitate, siue supernaturalis, tanquã obiectũ materiale appetitur, facit actum esse in entitate naturalẽ, supernaturale motiuum propter quod aliqua res, siue supernaturalis in entitate, siue naturalis, tanquã materiale obiectum appetitur, faciet hunc appetitionis actum esse in entitate supernaturalem.

Probatur secundò hac item ratione. Si volitio credendi de qua disputamus, elici à voluntate non potest nisi per potentiam eius obedien-

tialem supernaturalis in entitate est, atqui verũ est priùs, igitur & posterius. Maioris consequẽtia bona est: cùm enim illa volitio sit proprius voluntatis actus, nulla est ratio huic denegandi vim naturalem ad illã producendam, si illa merè naturalis in entitate est: vnde si vis obedientialis solùm ipsi cõceditur ad illius productionem, supernaturalis in entitate est. Minoris veritas suadetur ex eo quòd sicut suprà disp. 11. sect. 2. ostẽdimus esse supra naturales creati intellectus vires præbere firmum assensum rebus à Deo reuelatis propter solam authoritatẽ Dei reuelantis, vnde concluſimus assensum hunc ab illo non elici, nisi per potentiam illius obedientialem: ita pari iure videtur superare naturales creatæ voluntatis vires velle dari firmum illum assensum ex motiuo huius ipsius assensus, seu specialis & propriæ quam habet honestatis: vnde concludendum est, volitionem hanc à voluntate non elici nisi per potentiam eius obedientialem.

I.

Et sanè sicut illic ostendimus naturale non esse intellectui creato dare firmum assensum rei vlli nisi vno ex trib. modis ibidem enumeratis, ad quorum nullum spectare fidei assensum ibi diximus: ita pari iure dicimus, non esse naturale voluntati, velle dari ab intellectu firmum assensum rei alicui propter solam authoritatem Dei reuelantis, & hoc velle non ex alio formali motiuo quàm huius ipsius assensus, quia firmus hic assentiendi modus à prædictis illis trib. totus diuersus est. Ex hac & illa ratione concluditur euidenter, nullam volitionem credendi propter solam authoritatem Dei reuelantis, elicitam ex solo prædicto motiuo, posse esse in entitate naturalem.

II.

At obiicies ex ratione qua secũdo loco vsi sumus, sequuturũ, omnẽ volitionẽ credendi propter solam Dei reuelantis authoritatem esse in entitate supernaturalem, ex quocunq. demum motiuo eliciatur, quia erit volitio actus supernaturalis superãtis naturales intellectus creati vires, cùm ipsi naturale non sit vlli rei firmiter assentiri, nisi aliquo triũ prædictorum modorum, ad quorũ nullum, modus assentiẽdi firmiter propter solam authoritatem Dei reuelantis pertinet. Sed nego id sequuturũ, nõ enim quælibet volitio rei vel actus in entitate supernaturalis, & proinde superantis naturales alicuius agentis creati vires, est in entitate supernaturalis, sicut nec quælibet volitio rei vel actus in entitate merè naturalis, & proinde possibilis per naturales agentis creati vires, est in entitate naturalis: sed sicut huius rei volitio tunc tantùm naturalis est, cùm ex motiuo naturali res hæc appetitur, ita tunc tantùm volitio actus seu rei supernaturalis, ac proinde naturales agentis creati vires superantis, est supernaturalis in entitate, cùm ex motiuo supernaturali appetitur.

III.

Neque verò dubitari debet quin aliquis potentiæ à volũtate distinctæ actus in entitate supernaturalis imperari possit per aliquem actum volũtatis in entitate naturalem. Quis enim neget voluntatem ex motiuo aliquo merè naturali, ac proinde per actum naturalem, posse velle elici actum infusæ scientiæ ab intellectu prædicto ista scientia? qui actus in entitate supernaturalis est, sicut & scientiæ lumen, & impressa

IV.

species à quibus producitur. Imò cùm possit voluntas per aliquem actum suum naturalis ordinis imperare sibi alterum supernaturalis ordinis, vt per actum obedientiæ specialis & acquisitæ velle subiicere se Deo præcipienti actum supernaturalem charitatis, quid prohibebit, quominus possit per actum merè naturalem imperare supernaturalem actum eliciendum ab alia potentia ipsi ipsiúsque libertati in agendo subiecta?

V.

SECTIO III.

Vtrùm aliquis prædicta credendi volitioni respondens in voluntate habitus admittendus sit, & quisnam ille sit?

VI.

DIco primò, si quis admittendus est, eum esse in entitate supernaturalem. Ratio est, quia prædicta volitio est in entitate supernatulis, vt paulò antè probauimus, actus autẽ & habitus ei respondens eiusdẽ semper ordinis sunt.

Dico secundò aliquem admittendum esse. Ita Michael Medina lib. 4. de recta in Deum fide c. 2. à Valent. hîc q. 4. punc. 2. Molina in Concordia ad art. 13. qu. 14. disp. 8. & Suarez tomo 1. in 3. partẽ in Comment. artic. 5 q. 7. Probatur autem primò, quia aut nulla ratio sufficiẽter probat ad internũ fidei assensum, qui in intellectu est, admittendum esse aliquem supernaturalem habitum, aut eadem pari efficacitate concludit ad prædictam credendi volitionem esse supernaturalem aliquem habitũ cõcedendum. Quæro enim cur propositis sufficienter intellectui mysteriis, quibus per fidem diuinam assentiri debet, admittitur in eo supernaturalis habitus ad assensum fidei supernaturalem efficiendum? Vtrùm quòd hac præsupposita sufficienti mysteriorum propositione, pati nihilominus adhuc potest ad assensum illum eliciendum, difficultatem supernaturali habitu superandam? An vt assensus ille supernaturalis eliciatur connaturaliter, nec sic elici possit ab intellectu, vtpote mere naturali secundùm se potentia, nisi instructo supernaturali habitu? Sed cùm hac eadem supposita prædictorum mysteriorum sufficienti propositione volũtas non minorem pati possit. & reipsa patiatur difficultatem ad volendum credere, quàm intellectus ad credendum, vt certissima constat experientia: cùmque prædicta volitio supernaturalis elici connaturaliter non possit à voluntate, vtpote merè etiam naturali secundùm se potentia, nisi instructa supernaturali habitu, patet eadem prorsus ratione qua in intellectu ad assensum fidei, sic in voluntate ad eliciendam supernaturalem credendi volitionem habitum supernaturalem esse cõcedendũ.

VII.

Probatur secundò hac ratione. Nullus est effectus creatus, cuius non detur causa aliqua connaturalis: atqui prædicta credendi volitio est effectus aliquis creatus, igitur datur eius causa aliqua connaturalis: at alia dari non potest quàm supernaturalis habitus, igitur datur hic habitus. Vtraque consequentia est euidens, Minor est certissima. Maioris veritas constat inductione per omnes creatos effectus, siue naturalis: siue supernaturalis ordinis, & hac ratione, quòd nimirũ sicut effectus ex se postulat ab aliqua causa produci, ita huius aut illius naturæ

VIII.

effectus postulat ex se non à qualibet indifferẽter, & quomodocunque, sed à tali vel tali causa, tali aut tali modo produci, vt connaturaliter, id est, modo naturæ suæ conuenienti producatur. Restat probandum assumptum, probatur autem ex eo facile, quòd supernaturalis actus nullam aliam habet connaturalem causam quàm supernaturalem habitum, seu potentiam instructam hoc habitu: quod inductione constat per actus charitatis, spei, cæteróſque in entitate supernaturales: & ratio est, quòd actus supernaturalis causa connaturalis esse non possit, nisi ea quæ est eiusdem saltem ordinis cum eo, & proinde ordinis supernaturalis, eúmque per vim suam naturalem efficit: quæ autem eiusmodi sit non reperitur alia, quàm supernaturalis habitus, aut potentia naturalis hoc habitu instructa, quatenus eo instructa est.

I.

Dico tertiò, habitum istum esse à cæteris omnibus habitibus supernaturalib. specie distinctum. Est contra Medinam & Gregor. à Valent. locis suprà citatis, quorum prior eum non distinguit ab habitu specialis obedientiæ supernaturalis, posterior ab habitu supernaturalis studiositatis: est etiam contra quendam recentiorem, qui eum confundit cum habitu religionis. Est autem ex mente Suaris, & Molinæ suprà citatis locis: Probatúrque primò ex eo quòd prædictæ volitionis credendi propria & specialis honestas, consistens in voluntaria subiectione mentis sub authoritate Dei testificantis, tam distincta est à quibusuis aliis honestis actibus ad diuersas virtutes pertinentibus, quàm hi alij actus inter se distinguuntur: vnde si propter hanc quam habent illi actus inter sese comparati honestatis diuersitatem diuersos habent sibi respondentes habitus, sanè propter eandem causam habebit etiam prædicta illa credendi volitio habitum sibi respondentem, distinctum à cæteris omnibus aliarum virtutum habitibus.

II.

III.

Probatur secundò. Habitus huic volitioni respondens diuersus est ab habitibus obedientiæ, studiositatis, religionis: ergo etiam à cæteris omnibus. Consequentia hæc ex eo constat quòd à nullo Theologo cum vllius alterius virtutis habitu identificari dicitur, quàm cum aliquo trium prædictorum. Antecedens probatur, ac primùm de habitu specialis obedientiæ, siue acquisitæ, siue infusæ, cui hoc essentiale est, vt sit principium productiuum volitionis faciendi actum imperatum quia imperatus est: quod certum est non conuenire habitui illi quem ad credendi volitionem eliciendam admittimus, cùm volitionem hanc non eliciat ex eo motiuo quòd credendi actus imperatus sit, sed ex illo alio quod suprà declarauimus, siue credendi actus à Deo imperatus sit, siue non sit.

IV.

Nec fauet Medinæ S. Doctor, dum quæst. 4. art. 2. ad 2. concedit in voluntate habitum obedientiæ ad eliciendam credendi volitionem, seu ad ipsum credendi actum intellectui imperandum: Concedit enim tantùm habitum obediẽtiæ generalis, vt euidens est ex artic. 7. eiusdem quæstionis, in respons. ad 3. quæ generalis obedientia cùm distincta non sit ab aliis virtutum habitibus, sed cum omnibus & singulis identificetur, profectò admittere generalis obedientiæ habitum in voluntate ad credendi volitionem eliciendam, non est admittere habitum virtutis distinctum à speciali illo quem nos admittimus, & à cæteris omnium virtutum habitibus specie distinguimus.

A

V.

Deinde probatur idem antecedens de habitu studiositatis, siue infusæ, siue acquisitæ, cui proprium & essentiale est ex communi Theologorum, nominatimque D. Thomæ doctrina infra quæst. 166 art. 1. in Corp. & art. 2. ad 2. & 3. moderari appetitum sciendi, & efficere ne homo aut plura scire velit quàm secundum rectam rationem expediat, aut quæ scienda sunt scire propter laborem negligat: quod munus studiositatis diuersissimum est à munere specialis illius habitus quem admittimus, cuius totum munus est, velle credere Deo reuelanti propter ipsius reuelantis authoritatem, & hoc velle ex solo motiuo huius credulitatis, seu specialis & propriæ quam hæc credulitas habet honestatis. Vnde duo voluntatis actus distinguendi sunt, qui circa doctrinam fidei versantur, quorum vnus est volitio sciendi ea quæ credenda sunt, tantúmque studij adhibendi ad ea scienda quantum oportet: alter est volitio eadem credendi ex motiuo iam iam dicto: quorum actuum prior ad studiositatem pertinet, posterior ad habitum illum specialem quem admittimus.

B

VI.

Denique probatur idem antecedens de virtute religionis, cui hoc proprium & essentiale est, ex communi Theologorum, nominatímque sancti Thomæ doctrina infra quæst. 81. artic. 3. exhibere reuerentiam vni Deo secundùm vnam rationem, in quantum scilicet est primum principium creationis & gubernationis rerum, vt ibidem loquitur idem sanctus: quod non conuenit illi nostro habitui, cuius etsi proprius actus sit velle credere, ac proinde velle credendo subiectionem quandam seu reuerentiam Deo exhibere: at non secundùm illam vnam rationem, qua nimirum Deus creationis & gubernationis rerum primum principium est, sed secundùm longè diuersam, nempe secundùm proprium motiuum quo volitio credendi ab habitu illo elicitur.

C

VII.

Deinde si, vt ait ille recentior, volitio credendi, qua voluntas imperat formaliter intellectui assensum fidei, est verus actus religionis, habitúsque per quem elicitur, est proprius religionis habitus, quia, vt inquit, proprium huius virtutis est imperare omnem actum quo cultus aliquis diuinæ excellentiæ debitus exhibetur: per assensum autem fidei cultus exhibetur debitus excellentiæ diuinæ authoritatis: pari iure volitio eliciendi actum spei, aut charitatis erit actus veræ religionis, habitúsque per quem illa volitio elicietur, erit verus religionis habitus, quia etiam per illam volitionem imperatur aliquis actus quo cultus alicui excellentiæ Dei debitus persoluitur: sicuti enim per assensum fidei dicitur solui cultus debitus excellentiæ diuinæ authoritatis: ita similiter per actum spei cultus redditur diuinæ excel-

D

VIII.

lentiæ ſummi noſtri boni, & per actum charitatis debitus excellentiæ ſummi boni propter ſe diligibilis cultus perſoluitur.

Quod totum, vtpote recte ex ſua ipſius doctrina conſequens, cùm admittat ille recentior, non eſt tamen admittendum: quia ſequitur actus fidei, ſpei, & charitatis eſſe veros actus religionis: dicitur enim iis formaliter perſolui Deo cultus ad virtutem religionis pertinens: ad hanc enim virtutem, ſi non pertinet ille cultus qui Deo iis formaliter actibus perſoluitur, nec pertinebit ad eandem prædicta volitio illos actus illúmque proinde Dei cultum imperans, contra expreſſam authoris quem impugnamus doctrinam: ſicut cùm eleemoſynæ opere nullus perſoluatur Deo cultus qui ad religionis virtutem pertineat, volitio iſtud opus imperans ad hanc ipſam virtutem non pertinet. Concedendum autem non eſt prædictos fidei, ſpei, & charitatis actus eſſe proprios actus religionis: primò, quia aliqui religionis actus Deum immediate vt obiectum attingerent, ſic enim à prædictis actibus attingitur: quod expreſſe de religionis actibus negat S. Thomas citata quæſtione 81. art. 5. in corp. negantque cum ipſo Theologi communiter.

Secundò, quia ſicut volitio credendi ordine naturæ præcedit actum fidei, tanquam cauſa effectum, ſeu tanquam actus imperans actum imperatum, ſic ob eandem cauſam volitio eliciendi actum aut ſpei, aut charitatis, actum hunc naturæ ordine præcedet: vnde ſi volitio hæc ſit proprius religionis actus, conſequens erit ad religionem per ſe pertinere imperare primos etiam actus fidei, ſpei, & charitatis: volitio enim hos actus eliciendi quæ ad eam pertinere dicitur, eſt verum horum actuum exercendorum imperium: quod tantum abeſt vt ad religionem pertineat, vt è contrario ex D. Thomæ doctrina citato artic. in reſponſ. ad 1. ad fidem, ſpem, charitatemque propriè ſpectet imperare actus religionis, vel, vt loquitur, imperio ſuo eos cauſare. Vnde quod dixerat Diuus Auguſtinus in Enchiridio cap. 3. Deum coli fide, ſpe, & charitate, ſic explicat, vt nolit ipſum coli virtutibus his, quaſi proprij harum virtutum actus ſint verus Dei cultus, prout cultus eſt obiectum virtutis religionis, ſed ita vt dicatur iis Deus coli, quia per earũ imperium exercentur actus religionis quib. formaliter Deus colitur.

I. A

II. B

III. C

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta contra traditam ſuperiori ſectione doctrinam.

IV. D PRIMVM eſt, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 8. fidem eſſe radicem & fundamentum totius iuſtificationis: ergo non dari habitum illum in voluntate quem admittimus: hic enim ſi daretur, dicendus eſſet potiùs radix & fundamentum iuſtificationis quam fidei habitus qui in intellectu eſt, cùm ad iuſtificationem diſponat, & hoc habitu prior ſit natura ſua, ſicut & volitio credendi ipſo credendi actu. Reſpondeo negando conſequentiam, cuius ad probationem dico, nomine fidei, quæ radix & fundamentum iuſtificationis dicitur, ſignificari, vt patet ex præcedente cap. 6. fidem voluntariam, ſiue actualem tantùm, ſiue etiam habitualem: quemadmodum autem actualis includit bonam credendi volitionem & ipſum fidei actum, quaſi duas partes ex quibus quoddam totum conflatur, quod dicitur fides actualis voluntaria, ita habitualem comprehendere duos habitus, vnum in voluntate, alterum in intellectu, quaſi partes duas, ex quibus conflatur totum quoddam, quod fides habitualis voluntaria nuncupatur. Concilium ergo tribuens fidei voluntariæ rationem radicis & fundamenti noſtræ iuſtificationis, id tribuit iſti toti compoſito ex vtroque habitu, ſi de fide habituali loquitur, vel ex vtroque actu, ſi de actuali, de qua ſine dubio loquitur.

V.

Secundum eſt, in ea ſola potentia eſſe admittendum habitum, in qua conſummatur actus, atqui in intellectu conſummari actum fidei. Maior eſt ſancti Thomæ 1. 2. quæſt. 56. art. 5. in corp. Minor certa eſt, velle enim credere, eſt fidem inchoare: vnde in Concil. Arauſic. 11. can. 5. credulitatis affectus ſeu credendi volitio fidei initium dicitur, credere autem eſt fidem conſummare. Reſpondeo primò conceſſa Minore, quòd etſi Maior vera eſſet, quando de naturalibus actibus quæſtio eſt, falſa eſſet, dum agitur de ſupernaturalibus, quales ſunt & credendi actus, & volendi credere: ad quemlibet enim ſupernaturalem actum ſupernaturalis habitus admittendus eſt, vtpote connaturale principium illius, ſine quo produci connaturaliter non poteſt.

VI.

Reſpondeo ſecundò, in vtraque potentia, nempe in ea quæ inchoat actum, & in ea quæ conſummat, eſſe admittendum habitum, ſi vtraque ſit capax alicuius habitus pro actu illo inchoando, & conſummando: vnde communiter admittuntur in voluntate habitus miſericordiæ, temperantiæ, ſimiliúmque virtutum quæ in actu externo conſummantur, licet voluntas volens miſereri, & temperate comedere, inchoet tantum opus miſericordiæ, & temperantiæ, quod potentia motrix conſummat dando exteriùs eleemoſynam, aut cibum temperate ſumendo: in qua tamen potentia nullus admittitur temperantiæ & miſericordiæ habitus, quia capax eorum non eſt: quæ ſi eorum capax eſſet, ipſique aliquis huiuſmodi habitus ineſſet, non propterea nullus eſſet voluntati tribuendus ad inchoandam miſericordiam, & temperantiam, id eſt, ad volendum miſereri, & temperate comedere: eſſent enim adhuc iidem tribuendi ipſi qui nunc, & eandem ob cauſam, ob quam nunc tribuuntur.

VII.

Atque hæc tradita à me doctrina de admittendo habitu in vtraque potentia, eſt expreſſa doctrina S. Thomæ citata quæſt. 56. art. 4. in corp. in quo expreſsè docet actum qui progreditur à duabus potentiis, vna vt mouente ſeu imperante, altera vt mota, non poſſe eſſe perfectum, niſi vtraque potentia ſit ad hunc actum bene diſpoſita per habitum in vtraque receptum: potentia autem mouens ſeu imperans eſt potentia inchoans actum, ea autem quæ mouetur ipſum conſummat, vt inductione per

VIII.

omnes potentias mouentes & motas certum est. Vnde falsum est quod in obiectione dicitur, Diuum Thomam articulo sequenti docuisse in sola potentia consummante actum admittendum esse habitum: solùm enim docuit nomen virtutis quæ inchoari & consummari dicitur, non esse tribuendum nisi habitui virtutis actum consummanti, quia virtus perfectum habitum significat, qualis est ille solus qui virtutis actum absoluit & consummat: cui doctrinæ vltro subscribimus: habitum enim voluntatis elicientem credendi volitionem, ac proinde actum fidei inchoantem, dicimus quidem esse virtutem aliquam, sed non appellamus fidem, seu virtutem fidei: at habitum illum qui in intellectu est, elicitque fidei assensum, ac proinde fidei actum consummat, virtutem fidei, seu fidem vno verbo dicimus.

I.

Tertium est. Habitus ille virtutis infusæ quem in voluntate admittimus, aut esset virtus Theologica, aut moralis: nulla enim alia in voluntate est. Non primum, tum quia non habet Deum pro immediato obiecto, quod ad virtutem Theologicam necessarium est, cùm eius obiectum materiale immediatum sit actus credendi, proximum verò formale sit propria honestas huius ipsius actus: tum quia darentur quatuor Theologicæ virtutes, contra communem Theologorum doctrinam, & illud Apostoli 1. Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Neque secundum, quia virtus illa maneret in peccatoris voluntate, sicut & in eiusdem intellectu manet habitus fidei: ex communi autem doctrina Theologorum nullæ sunt in peccatore morales infusæ virtutes, sicut etiam non est charitas, ad cuius infusionem infunduntur, & ad cuius interitum per mortale peccatum funditus pereunt.

II.

III.

Respondeo habitum illum spectari posse duobus modis: Primo præcise ac seorsim secundùm se: Secundo prout facit moraliter quid vnum cum habitu fidei existente in intellectu, quatenus habitus ille in voluntate existens est fidei habitualis inchoatio, iste verò existens in intellectu est eiusdem fidei habitualis consummatio: quo etiam duplici modo spectari potest ipsa credendi volitio comparata cum actu credendi qui in intellectu est. Si primo modo spectetur, concedo non esse virtutem Theologicam propter allatas in obiectione rationes, dico autem esse virtutem moralem infusam: neque hac in parte repugno communi Theologorum doctrinæ: dum enim negant in peccatore manere habitum vllum virtutis moralis infusæ, de eo solo morali habitu infuso loquuntur qui purè moralis est, nec reductitiè pertinet ad habitum Theologicæ virtutis tanquam inchoatio ipsius ad eiusdem consummationem, nec proinde conflat cum eo vnam totalem virtutem habitualem, qualis non est iste habitus moralis infusus quem ad eum reductitiè pertinere volumus, & cum eo totalem vnam conflare virtutem habitualem.

IV.

Quod si secundo modo consideretur, dico appellari meritò posse Theologicam virtutem, quia totum illud conflatum ex vtroque habitu sicut vna virtus rectè dicitur, ita rectè Theologica virtus, licet non ratione partis illius quæ in voluntate est, sed eius quæ in intellectu: sicut etsi intellectus humanus aut Angelicus seorsim à lumine gloriæ consideratus non sit connaturale principium beatificæ visionis, rectè tamen esse dicitur vt coniunctim cum isto lumine acceptus, quia totale principium huius visionis conflatum ex intellectu & lumine gloriæ tanquam ex duabus partibus rectè dicitur connaturale principium istius visionis, licet tale non sit ratione partis illius quæ est intellectus, sed alterius, quæ est lumen gloriæ, quod per se seorsim acceptum connaturale illius principium est: ex quibus patet concludi ex nostra doctrina non posse, dari virtutes Theologicas plures tribus.

A

V.

Quartum est, contra doctrinam sancti Thomæ esse, hunc habitum in voluntate admittere: quæst. enim 4. articul. 7. docet fidem esse primam inter omnes virtutes infusas tam Theologicas quàm morales: quod falsum erit, si habitus iste in voluntate admittitur, qui erit virtus infusa moralis, habitumque fidei natura sua præcedet, sicut assensum fidei præcedit credendi volitio. Respondeo S. Thomam, dum illud docet, per fidem intelligere totum illud quod ad eam integrè constituendam concurrit, & tanquam inchoatio eius, & tanquam eiusdem consummatio: qua fide, si de actuali sermo est, duplex ille actus comprehenditur, quorum vnus est credendi volitio, alter ipse credendi actus: si verò de habituali, duplex ille habitus, quorum vnus in voluntate est, alter in intellectu. Quibus ex duobus habitibus, quòd illum isto priorem esse tam agnouerit, quàm haud dubiè agnouit credendi volitionem priorem esse credendi actu, constat ex illis omnibus locis, in quibus ait, ad hunc credendi actum, quia nimirum semper liber est, per se requiri semper aliquam in voluntate obedientiæ virtutem, per quam voluntas inclinatur ad obediendum fidei, id est, ad volendum credere, cùm obedire fidei non possit aliter quàm volendo credere, sicut & intellectus aliter non potest, quàm credendo: quod expresè dicit partim citata quæst. 4. art. 2. partim art. 7. ad 3. & alibi.

B

VI.

C

VII.

Primùm enim per illam obedientiæ virtutem quam in voluntate agnoscit, intelligit aliquem virtutis habitum, non verò actum, tum quia citato artic. 2. dicit voluntatem per virtutem illam inclinari ad agendum, seu ad obediendum, per habitus autem potentiæ suos ad actus inclinantur: tum quia citato artic. 7. eandem obedientiæ virtutem vocat inclinationem voluntatis ad aliquid faciendum, quæ inclinatio est propriè habitus: tum quia dum hîc inclinationis nomen vsurpat, eodem haud dubiè sensu vsurpat, quo paulò post, dum specialem obedientiæ virtutem, quam ad fidem requiri negat, ait esse inclinatio-

D

VIII.

nem: vbi hoc nomine manifestè habitum, non actum virtutis intelligit. Hoc verò posito, iam quæro, quem habitum obedientiæ intelligat? Dici non potest obedientiæ specialis, manifestè enim art. illo 7. ad 3. ad fidei assensum prærequiri negat, ergo generalis: at cùm generalis obedientiæ habitus semper realiter & essentialiter identificetur alicui speciali habitui virtutis, quæro deinde cui speciali habitui identificari voluerit?

V. I. Respondet aduersarij voluisse habitui Theologicæ charitatis, quem sæpe fidei formam appellat, & sine quo fidem informem esse dicit: at aperte falsa est hæc responsio, tum quia cùm habitum obedientiæ generalis ad assensum fidei prærequirat, si per eum intelligeret habitum charitatis, habitum hunc ad assensum fidei prærequireret, & sic fide quæ in intellectu est priorem per se esse diceret, cùm tamen articulo illo in Corp. ex professo doceat fidem hanc cæteris Theologicis virtutibus, atque adeo charitatis habitu per se esse priorem: tum quia locis illis requirens obedientiam in voluntate, tanquam quid præuium ad assensum fidei qui in intellectu est, requirit ad assensum illum qui in peccatoribus est, in quibus nullus est charitatis habitus. Ideo enim ad prædictum assensum requirit obedientiam præuiam voluntatis, quia assensus fidei ex se liber est, & non nisi ex imperio voluntatis elici ab intellectu potest: eam ergo requirit etiam ad illum fidei assensum qui a peccatoribus elicitur; quandoquidem ille liber est, nec nisi ex voluntatis imperio elici ab eorum intellectu potest.

VI. II. Cùm ergo charitatis habitum S. Doctor non intellexerit, intellexit specialem illum quem nos admittimus: quem iure optimo obedientiam appellauit, quia sicut per obedientiam generalem generaliter acceptam subditur homo in quacunque materia diuinæ authoritati iubenti, ita per habitum illum subditur eidem

VII. III. authoritati diuinæ, non quidem iubenti, sed reuelanti: qui solet etiam appellari habitus piæ affectionis, quia natura sua inclinat ad eliciendam credendi volitionem, seu, vt Arausic. secundum can. 5. loquitur, credulitatis affectum, qui pius, id est, bonus & honestus est.

SECTIO V.

Per quem voluntatis actum intellectus ad assensum fidei quoad speciem determinetur?

III. DIco determinari per aliquem priorem eo quo ad exercitium eiusdem assensus determinatur: quod sic probo. Voluntas eliciens illam credendi volitionem, quæ quoad exercitium determinat intellectum ad assensum, vel illam elicit antequam intellectus examinarit rationes ad credendum inducentes, vel post: si primum, illa volitio erit actus leuitatis cordis cum imprudentia coniunctus: qui enim citò credit, leuis est corde, inquit Sapiens, citò autem credit, qui ante examinatas credendi rationes credit: neque illa volitio erit actus intellectum determinans ad assensum fidei quoad exercitium, cùm hic ab illo exerceri nequeat

IV. nisi prudenter, & bene: nec proinde nisi ex bono prudentique imperio voluntatis, vt ex infrà dicendis magis constabit.

Si secundum, post examen rationum præcedens illam credendi volitionem, qua intellectus quoad exercitium ad assensum determinatur, vel idem intellectus inuenit rationes illas A quæ pro fide militant probabiliores iis quæ contra fidem, vel è contrario has illis, vel denique vtrasque prorsus æqualiter probabiles. Si primum, intellectus ad assensum quoad speciem determinatus est, quia dissentire non potest: neque enim potest præbere dissensum iis quæ verisimiliora iudicat, vt assensum iis tribuat quæ minùs verisimilia iudicat. Atque cùm hæc eius determinatio quoad speciem præcedat, vt patet, credendi volitionem, qua quoad exercitium ad assensum determinatur, profecto aut hæc eadem determinatio libera voluntati non est, aut si est, non per illam volitionem est qua ista quoad exercitium determinatio: ergo per quandam aliam illa volitione priorem. Si secundum, intellectus erit ad dissensum quoad B speciem determinatus, quia assentiri non poterit: neque enim, vt iam dixi, potest assensum dare iis quæ minùs verisimilia iudicat, vt ea tanquam falsa respuat quæ iudicat esse verisimiliora.

V. VI.

Si denique tertium, eo casu per nullam volitionem poterit determinari vel quoad exercitium, vel quoad speciem, ad assensum, aut dissensum, quia eo casu dubitare quidem poterit de vtraque parte, at neutri determinatè dare vel assensum, vel dissensum: intellectus enim iudicans partis vtriusque rationes esse æquè verisimiles, eodem se prorsus habet modo, quo si nullam & pro vna & pro altera contradictionis parte rationem haberet: quia sicut illæ pro vtraque parte contradictionis rationes sunt æqualiter probabiles, ita se æqualiter vicissim C impediunt, ne propter ipsas intellectus magis in partem vnam quàm in alteram propendeat: vnde circa vtramque tam manet suspensus, & in æquilibrio, quàm si nullam prorsus haberet pro hac & illa contradictionis parte rationem: quoties autem nullam habet, toties dubitare de vtraque potest, neutri autem determinatè vel dissentire, vel assentiri. Quod expressè docuit Philosophus secundo de anima textu 153. vel iuxta recentissimam editionem Parisiensem anni 1619. lib. 3. cap. 3. sic loquens: *Phantasiæ affectio in nobis est quando volumus: opinari autem non est in nobis, quia necesse est aut verè aut falsò opinari*: id est, cogitare possumus pro libertate, assentiri autem & dissentire non item. Quod experientia etiam constat: quis enim non experitur se nullum pro pari vel impari numero astrorum argumentum habentem D non posse isti propositioni, Astra sunt numero pari, vel isti, Astra sunt numero impari, aut assensum aut dissensum dare?

VII. VIII.

Iam quæres primò, quæ sit illa volitio prior, qua ad assensum vel dissensum quoad speciem determinatur intellectus? Respondeo esse illam per quam à voluntate applicatur ad considerandas attentiùs partis vnius rationes quam alterius oppositæ. Cùm enim ex diligenti & attenta consideratione rationum partis vnius,

& nulla vel leui rationum partis alterius, fiat vt pars illa cuius rationes attentiùs consideratæ sunt verisimilior appareat & iudicetur, ea verò cuius rationes leuiùs expensæ sunt minùs verisimilis, eo autem ipso quo partem vnam altera verisimiliorem esse iudicat intellectus, sit ad illi assentiendum quoad speciem determinatus, vt paulò ante dixi: manifestum est hanc ad assensum illi parti dandum, quæcunque demum sit ea pars, siue ea sit quæ à Deo reuelata est, siue contraria, quoad speciem determinationem non esse liberam voluntati, nisi iudicium illud intellectus in eius libera potestate sit, non est autem in eius libera potestate, nisi quia ipsi liberum est intellectum applicare ad non considerandas nisi leuiter & remisse partis vnius rationes, ad partis autem alterius rationes diligenter & attentè perpendendas.

I.

Aduerte autem quod ad hanc quæstionem respondens dixi, verum esse, loquendo in genere, vt loquutus sum, de determinatione quoad speciem ad assensum dandum alterutri parti contradictionis, tam ei quæ à parte rei falsa est, & infirmioribus ex se rationibus nititur, quàm alteri quæ nititur ex rei natura firmioribus. Nam si sermo sit de determinatione quoad speciem ad assensum dandum ei determinatè parti quæ firmiores ex natura rei pro se rationes habet, non est ad hanc determinationem necessaria illa volitio applicans intellectum ad considerandas attentius partis istius rationes quàm oppositæ: sufficere enim potest volitio eum applicans ad considerandas vtriusque partis rationes æquè diligenter & attentè: ex hac enim æquali earum consideratione fiet, aut fieri poterit, vt pars firmiores ex natura rei pro se rationes habens verisimilior appareat, & iudicetur, sitque per consequens intellectus ad assensum ei dandum quoad speciem determinatus.

II.

Quæres secundò, vtrùm actus ille liber voluntatis, quo determinatur intellectus ad speciem actus, sit necessariò semper expressus, an sufficiat aliquando virtualis, seu interpretatiuus? Respondeo primò, quando voluntas applicat intellectum ad considerãdas partis vnius rationes attentius quàm alterius, aut vtriusque æquè attentè, tunc semper actum quo applicat esse expressum, quia, vt probaui ad finem primæ sectionis, quoties potentia à voluntate distincta applicatur ab ipsa ad alicuius actus exercitium, toties applicatur ab ipsa non merè negatiuè se habente, sed habente se positiuè, & expressam volitionem eliciente, qua imperat actum potentiæ illius quæ operatur: tunc autem voluntas applicat intellectum, vt supponimus, ad exercitium actus illius qui est prædicta consideratio.

III.

Respondeo secundò, si ad hanc considerationem applicatur ab alio, vt si à Deo immittente clariores & magis viuidas de veritate rei reuelatæ cogitationes, quàm à dæmone contra veritatem hanc immittantur, tunc non esse actum expressum necessarium: satis enim est quòd merè negatiuè se habendo ita moueri sinat intellectum, nec auertat ipsum à cogitationibus illis, cùm auertere posset, nec transferat ad attentiorem cõsiderationem rationum partis alterius, cùm posset transferre: hæc enim libera voluntati non auersio & non translatio est interpretatiua quædam volitio, qua censetur velle non auertere, & non transferre, & qua per consequens liberè velle censetur attentiorem illam quam habet rationum partis vnius quàm alterius immissam intellectui cogitationem & considerationem, ac proinde qua censetur ipsum ad assensum quoad speciem determinare, quandoquidem stante consideratione hac non potest, vt ex antedictis certum est, intellectus dissentire. Cuius autem speciei sit expressa illa volitio intellectum quoad speciem actus determinans, diiudicandum est ex motiuo ex quo elicitur.

A

V.

Ex dictis colligitur, falsam esse sententiam cuiusdam recentioris, dicentis pium voluntatis affectum erga Ecclesiam, seu personam res fidei credendas proponentem, esse id necessariò quod intellectum ad assensum quoad speciem actus determinat. Cùm enim affectus ille ad hoc ipsum non determinet, nisi in quantum est causa liberæ illius volitionis, qua intellectus applicatur ad ita considerandas partis vnius rationes, vt eam parte opposita probabiliorem seu verisimiliorem iudicet, & proinde illi dissensum dare nequeat: profectò si necessarium non est eum esse causam liberæ illius volitionis, necessarium quoque non est eum esse id quod intellectum ad speciem actus determinat, non est autem necessarium vt illius volitionis causa sit. Primò, quia supponamus in eo cui res fidei credendæ proponũtur, non esse pium affectum erga personam proponentem, adde etiam erga rem quæ credenda proponitur. Hoc supposito quæro, vtrùm is pro libertate sua possit intellectum suum applicare ad attentiùs & diligentiùs considerandas rationes quæ faciunt pro veritate rei credendæ, quàm rationes partis oppositæ, sícque proinde eum quoad speciem assensus determinare, an non possit? Si primum, sequitur manifestè pium illum affectum necessarium non esse. Secundum autem dici non potest, quàm multis enim aliis ex causis præterquam ex affectu isto velle id potest.

B

VI.

Secundò, quia potest quis nec bene nec malè erga personam proponentem aut rem propositam affectus, velle summa cum animi æquitate perpendere diligenter partis vtriusque, nempe eius quæ de fide est, & oppositæ rationes, atque pro earum maiori minorive ex rei natura pondere & momento ferre syncerum verúmque de maiori partis vnius supra alteram verisimilitudine iudicium, sícque proinde intellectum suum ad huic parti dandum assensum quoad speciem actus determinare: quod quoties faciet in rebus fidei, aliisque similibus plures pro se fortioréque à parte rei rationes habentibus, quàm pars oppositа pro se habeat, toties partem illam priorem hac posteriori parte verosimiliorem iudicabit, alioqui contra hypothesim haud ferret syncerum verúmque de vtraque parte iudicium, totiéque proinde se ad eidem parti assentiendum quoad speciem actus determinabit.

C

VII.

D

VIII.

IV.

DISPVTATIO XVI.

Quid necessariò prærequiratur ad internum fidei assensum ex parte intellectus?

SECTIO PRIMA.

Vtrùm prærequiratur euidens veritatis rei credendæ cognitio, aut assensus fidei humanæ circa huius rei veritatem?

I. VOD spectat ad primum, Manichæi referente D. Augustino libro de vtilitate credendi, cap. 1. dixerunt nihil esse credendum, nisi quod priùs vel efficaci aliqua ratione, vt per propriam causam à priori, aut per proprium effectum à posteriori, vel simili alio modo verum esse euidenter fuerit cognitum. Refellitur hic error primò ex his Christi verbis, Ioan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Secundo ex his Patrum testimoniis, Hilarij 8. de Trinit. *Habet fides non tam veniam quàm præmium ignorare quod credas.* Ambrosij libro 1. de Abraham cap. 3. dicentis, *bonum esse vt rationem præueniat fides, ne tanquam ab homine rationem à Deo exigamus.* Denique Augustini contra epistolam fundamenti, cap. 14. sic loquentis, *Sequamur eos qui nos inuitant priùs credere, vt intelligere mereamur.*

II. Tertiò, quia per fidem etiam humanam multa certò creduntur prudenter, quorum tamen veritas nec efficaci aliqua ratione, vel per causam, vel per effectum, nec simili alio modo euidenter cognoscitur. Postremò quia constat in Ecclesia Catholica multa credi fide diuina, de

III. quorum veritate nulla haberi potest in hac vita eiusmodi cognitio, vt de mysterio Trinitatis, Incarnationis, & similibus, quæ tamen nemo prudens dixerit credi imprudenter.

Quod ad secundum attinet, notandum primò, quæstionem hanc institui posse, non solùm de obiecto materiali assensus fidei diuinæ, sed etiam de formali, id est, quæri posse non solùm debeatne exempli causa diuinarum personarum Trinitas priùs humana fide credi, quàm diuina credatur, sed etiam debeatne priùs humana fide credi Deum reuelasse se esse Trinum in personis, quàm fide diuina credatur hæc personarum Trinitas?

IV. Notandum secundò, de obiecto tum materiali tum formali fidei diuinæ fieri posse propositiones duas multum inter se differentes: prima de materiali ista est, Deus est trinus in personis: secunda est hæc, Deum esse trinum in personis credibile est. De formali autem prima est, Deus se esse trinum in personis reuelauit: secunda est, Deum reuelasse se esse trinum in personis credibile est.

Notandum tertiò, dum quæritur id quod dixi, nomine fidei humanæ non significari tantummodo assensum datum propter authoritatem hominis testificantis, sed quemcunque assensum innixum vel huic authoritati, vel alicui rationi saltem probabili, vel signis & miraculis factis in confirmationem veritatis rei de qua hîc quæritur, vtrùm priùs humana fide credi debeat, quàm assensus fidei diuinæ exerceatur?

V. Notandum quartò, quæstionem hanc intelligi debere de iis qui primò fidem suscipiunt, vel simpliciter, vel secundùm quid, id est, secundùm aliquam veritatem quæ nunc primùm eis credenda proponitur, propositione facta ordinario modo, nempe exteriùs per homines proponentes. Certum enim videtur, eum qui circa sibi propositum per hominem fidei articulum assensum fidei semel exercuit, nec illius oblitus est, sicut noua eiusdem articuli propositione facienda per hominem non indiget, vt secundò, tertiò, sæpiùsque hunc assensum circa eundem articulum repetat, ita ad hunc repetendum non indigere nouo circa ipsum fidei humanæ actu. Dixi, nec illius oblitus est. Nam si prorsus esset oblitus, nec vllo modo meminisset factæ sibi aliquando de articulo illo propositionis, sicut eodem modo quoad articulum

VI. illum se haberet, atque si nunquà vllum actum fidei circa ipsum exercuisset, nec ipse fuisset vnquam illi propositus: ita de illo eadem quæstio esset, quæ de eo qui primò fidem suscipit, vel simpliciter, vel secundùm quid, sensu paulò ante explicato.

His prænotatis, dico primò, ad dandum diuinæ fidei assensum rei alicui non esse necessarium priùs ipsi assensum dari fide humana. Ita Canus lib. 2. de locis cap. 8. in solutione tertij argumenti, & Vega lib. 6. in Trident. cap. 13. aliique multi Theologi. Ratio autem est, quia sufficit præcedere iudicium prudens quo iudicetur illa res credibilis, quod iudicium nititur rationibus illis & motiuis quæ ostendunt rem illam esse credibilem: hoc autem iu-

VII. dicare non est ex iisdem motiuis aut similibus ad humanam fidem, prout hic humana fides sumitur, pertinentibus iudicare ipsam veram esse: differunt enim iudicium quòd res vera sit, & iudicium quod eam veram esse credibile sit, vt 2. prænotatione monui. Neque vero priùs illud iudicium ita necessariò sequitur ex isto posteriori, vt hoc posito non possit illud non poni: nulla enim potest afferri probabilis ratio tam necessariæ inter vtrumque connexionis: imò cùm non obstante iudicio etiam euidenti de credibilitate rei, verbi causa, mysterij Trinitatis, maneat adhuc nihilominus eiusdem rei obscura veritas, non difficulter fieri potest, vt intellectus euidenter iudicans hoc mysterium esse credibile, non tamen iudicet ipsum verum esse.

VIII. Quod autem sufficiat præcedere prædictum de rei credibilitate iudicium, constat primùm ex eo quòd statim atque vere iudicatur ab intellectu aliquid credibile, prudentia meritò dictare potest illud de facto esse credendum: quo prudentiæ dictamine posito, voluntas potest velle credere, & per consequens intellectus credere. Deinde quia Deo immediatè per seipsum rem aliquam reuelante, & ad credendum fide diuina proponente, vt Prophetis olim reuelabat, & proponebat, necesse non est, antequam res illa assensu fidei diuinæ credatur vera

esse, iudicare ex probabili aliqua ratione, similive motiuo ab authoritate Dei reuelantis distincto ipsam veram esse, sed sufficit præcedere iudicium quo res illa sic à Deo reuelata & ad credendum proposita iudicetur prudenter esse credibilis. Vtrum autem ad hanc rem diuina fide credendam sufficiat similiter præuium de reuelationis huiusce rei à Deo factæ credibilitate iudicium, an necessariò requiratur præuium de facta ab eo reuelatione iudicium, seu quo iudicetur non solùm esse credibile quod hac de re reuelatio à Deo facta sit, sed etiam quod facta reipsa sit, infrà, hac ipsa disputatione, sect. 4. dicemus.

I.

Dico secundò, ante assensum fidei diuinæ datum alicui rei posse præcedere duplicem assensum fidei humanæ, quorum vno iudicetur illam rem veram esse, altero eam à Deo fuisse reuelatam. Vna enim ex parte dubium non est, quin illud vtrumque humana fide etiam prudenter credi possit: nam Ecclesiæ authoritas, vel alicuius priuatæ personæ fide dignissimæ vtrumque affirmantis, vtrumque credendi etiam prudenter sufficiens motiuum est: ex altera verò potest hic assensus fidei humanæ præcedere assensum fidei diuinæ qui eidem rei datur: neque enim assensus iste fidei diuinæ ex natura sua postulat prior esse hoc altero assensu fidei humanæ, neque hic alter assensus postulat ex natura sua esse posterior isto assensu fidei diuinæ, sed alter alterum potest ex rei natura & comitari tempore, & præcedere, & subsequi: vnde quando vnus alium antecedit, non antecedit vel instar causæ, vel conditionis necessariò prærequisitæ, sed merè per accidens.

II.

SECTIO II.

Duplici obiectioni satisfit.

III. At obiicies primò D. Augustinum multis locis affirmare, ad assensum fidei diuinæ dandum alicui mysterio, requiri necessariò præuium eidem mysterio datum assensum fidei humanæ, propter humanam Ecclesiæ authoritatem mysterium illud verum esse affirmantis, vt libro contra epistolam fundamenti cap. 5. cùm sic ait, *Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoueret authoritas.* Per quam authoritatem intelligit humanam, generatiuam assensus fidei humanæ, vt patet tum ex eo quòd eodem Capite postea eandem Ecclesiæ authoritatem vocat authoritatem Catholicorũ prædicantium Euangelium: tum ex Capite præcedenti, in quo eandem appellat consensionem populorum atque gentium. Vt etiam libro de vtilitate credendi, cuius in cap. 10. & quatuor sequentibus multa habet, quorum hæc summa

IV. est, certam, tutam, imò & necessariam viam ad suscipiendam veram fidem religionémque, esse adhibere fidem illi hominum congregationi, de qua variis signis colligi possit ipsam profiteri veram religionem.

Respondeo negando id à D. Augustino affirmari quod in obiectione dicitur: vnde ad priorem locum respondeo, ipsum hoc solum dicere, se non fuisse crediturum Euangelio, nisi Catholicæ Ecclesiæ authoritate commoueretur: dico autem ipsum hac commoueri authoritate potuisse, tum ad credendum propter eam, ac proinde humana fide, vera esse quæ tanquam à Deo reuelata credenda fide diuina proponit, tum ad prudenter iudicandum eadem esse credibilia: itavt hæc Ecclesiæ Catholicæ authoritas, seu tot populorum atque gentium tam antiqua tamque constans consensio esset ipsi motiuum sufficiens iudicandi prudenter, ea in quorum veritatem ita consentirent esse credibilia, & quidem priori illo modo ipsum moueri ab Ecclesiæ authoritate dico non fuisse necessarium, sed sufficisse vt posteriori modo moueretur. A V.

Ad posteriorem respondeo duobus modis posse nos adhibere fidem illi hominum congregationi de qua loquitur D. August. primò credendo propter eius testimonium, ac proinde fide humana, vera esse quæ dicit, & fide diuina credenda proponit: secundò propter eiusdem testimonium iudicando prudenter eadem esse credibilia. Si primo sensu dicit S. August. esse tutam, imò necessariam viam ad suscipiendam fidem Catholicam adhibere fidem illi hominum congregationi quæ vera Ecclesia est, dico ipsum loqui de eo quod ordinarie & vt plurimum contingit, licet absolutè necessarium non sit: vnde cùm necessarium appellat, vult esse necessarium moraliter duntaxat, eo quòd hic assensus humanæ fidei nisi ordinarie præcederet, ille diuinæ fidei assensus ordinarie non generaretur. Quod si secundo sensu illud dicat, nihil contra nos habetur, ob testimonium enim Ecclesiæ Catholicæ iudicare prudenter ea quæ sentit & tenet esse credibilia, non est ob illud ipsum testimonium iudicare eadem esse vera, vt ex secunda nostra prænotatione superioris sectionis intelligitur: de quo solo posteriori humanæ fidei iudicio quæstio nobis hic est, vtrùm assensum fidei diuinæ præcedere debeat. B VI.

VII. C Obiicies secundò, fidem non posse vel absolutè vel saltem prudenter suscipi ex præuia facta per Ecclesiam, aut priuatum hominem rerum fide diuina credendarum propositione, nisi proponens fide dignus sit, ergo nisi fides dictis illius habeatur, ac proinde nisi fidei humanæ assensus de veritate rerum propositarum prius quàm diuinæ generetur. Verùm concesso antecedente distinguo consequens. Nam duplici illo sensu intelligi potest fidem illius dictis haberi quem paulo antè retuli, dum S. Augustinum dicentem fidem esse adhibendam hominum congregationi quæ Ecclesia est exposui: si primo sensu, falsum est consequens, & malè infertur ex antecedente: si secundo, verum, & ex antecedente bene illatum: sed hoc sensu fidem adhibere dictis proponentis non

VIII. D est elicere assensum fidei humanæ, quo res ab ipso propositæ veræ esse iudicentur, sed est elicere iudicium quo iudicentur esse credibiles.

SECTIO III.

Vtrùm necessariò prærequiratur euidentia credibilitatis?

NEGAT Capreol. in 3. dist. 31. & seq. quæst. vnica ad 3. contra primam conclusionem,

affirmant communiter cæteri, quorum sententia probatur primò authoritate D. Thomæ, qui quæst. 1. art. 4. ad 2. disertis verbis ait eum qui credit videre esse credenda ea mysteria quæ credit, imò ipsum ea non esse crediturum, nisi videret esse credenda, vel propter euidentiam I. signorum, vel propter aliquid huiusmodi, vt loquitur: vbi videndi verbum pro cognitione euidenti accipit. Nam proculdubio accipit in eadem significatione visionem, dum negat mysteria quæ diuina fide creduntur esse visa in speciali, id est, secundùm propriam & specialem cuiusque veritatem quæ creditur, & dum affirmat eadem mysteria esse visa sub communi ratione credibilis, id est, secundùm rationem credibilitatis quæ communis est omnibus. Quare cùm illud prius negans sumat visionem stricte pro cognitione euidenti, alioqui non negaret fidei mysteria quæ creduntur esse visa in speciali, negare enim non potest esse visa visione late sumpta, prout quamlibet cognitionem etiam obscuram comprehendit, quia fidei assensus qui iis datur huiusmodi ipsorum visio est: II. sequitur ipsum istud posterius affirmantem visionem pro euidenti cognitione sumere.

Probatur secundo hac ratione. Ad prudentem assensum fidei diuinæ necessariò prærequiritur euidentia credibilitatis, ergo ad quemlibet assensum fidei diuinæ. Patet consequentiæ bonitas: nullus enim diuinæ fidei assensus elici potest nisi prudenter, quia, vt hic suppono, & postea probabo, nullus potest elici quin sit bonus moraliter: posset autem non esse talis, si imprudenter, atque adeo temerè & cum cordis leuitate posset elici. Probatur antecedens: non dubiū est prærequiri cognitionem aliquam credibilitatis, quanta enim esset imprudentia velle credere id in quo nulla ratio credibilitatis apparet? Quòd autem illa præuia credibilitatis cognitio debeat esse euidens, sic euinco. Si non III. sufficit probabilis, requiritur euidens: atqui illa non sufficit, ergo hæc requiritur. Maioris consequentia ex eo patet, quòd si probabilis cognitio credibilitatis non sufficit, perfectior aliqua eius cognitio necessaria est: nulla autem perfectior est nisi ea quæ est euidens, quando res mere naturali cognitione cognoscitur, quo modo cognoscitur credibilitas. Sicut enim ratio probabilis nullam supra se rationem habet nisi demonstratiuam, seu generatiuam naturalis cognitionis euidentis: ita naturalis cognitio probabilis nullam supra se habet naturalem cognitionem nisi euidentem.

Iam sic probo Minorem. Illa cognitio credibilitatis non sufficit ad prudentem assensum fidei diuinæ, cum qua stare potest prudens dubitatio de veritate rei quæ fide diuina credenda IV. proponitur: atqui cum probabili cognitione credibilitatis stare potest prudens dubitatio de veritate rei huius: ergo hæc probabilis cognitio non sufficit. Minor huius syllogismi constat ex eo quòd quando res vna est tantùm probabiliter credibilis, eius oppositum proponi potest vt eodem modo credibile, quia probabilitas de vna parte contradictionis non excludit probabilitatem de parte altera: quando autem vtraque pars æqualiter apparet credibilis, meritò & prudenter de huius & illius partis veritate dubitatur: imò non nisi imprudenter vellet quis vni determinatè parti tanquam veræ firmiter adhærere, altera determinatè tanquam falsa reiecta.

A

Restat eiusdem syllogismi probanda Maior, quam ex eo probo, quòd omnis prudens & verus diuinæ fidei assensus ex natura sua talis est, V. vt sit certus certitudine quæ excludat omnem saltem plenè deliberatam & prudentem de opposito dubitationem ac formidinem, vt ex suprà dictis constat. Quòd si diuinæ fidei assensus talis ex natura sua est, profectò ad eum eliciendum illa credibilitatis cognitio sufficere non potest, cum qua stare potest plene deliberata prudénsque dubitatio, aut formido de veritate rei quæ diuina fide credenda proponitur: nam si sufficeret, posset ex ea præsuppositā elici fidei assensus, & quia cum illa posset consistere prædicta dubitatio, consequens esset, posse etiam dubitationem hanc cum assensu fidei consistere: quòd si hoc possibile esset, tunc fidei assensus talis natura sua non esset, vt excluderet omnem saltem deliberatam & prudentē dubitationē de veritate rei quæ creditur. VI.

B

Probatur postremò: si ad assensum fidei diuinæ non esset necessaria præuia cognitio euidens credibilitatis, sed probabilis sufficeret, sequeretur, aut fidem ex hac præuia probabili cognitione generatam nunquam amitti posse, aut posse amitti sine peccato: vtrumque absurdum est, igitur & illud vnde sequitur. Minor certa est: tam enim in primis certum est fidem amitti posse, quàm hominem de fideli fieri posse infidelem. Deinde nec minus certum est fidem nō aliter amitti in hac vita quàm peccato mortali, nec quocunque, sed solius infidelitatis. Cōsequutio Maioris hinc constat, quòd fides ex præuia illa probabili cognitione coparata aut amitti non potest, & sic primū absurdum admittitur: aut si potest, certe per actū plene deliberatę dubitationis de veritate rei priùs VII.

C

per diuinam fidem creditæ, potissimúmque per positiuum dissensum huic veritati datum plene deliberatè: quòd si per hos actus dicitur fides amitti, incurritur secundum absurdum. Cùm enim hi actus prudenter elici possint, & proinde consentaneè rectæ rationi, sequitur manifestè hanc amitti sine peccato, cùm nullus actus prudens rationíque consentaneus peccatum esse possit.

Quòd autem hi actus prudenter elici possint, quod solum probandum restat, facile ostendo, ac primum de prædicto actu plenè deliberatæ dubitationis iam constat ex dictis in superiore argumento: deinde de præfato actu positiui dissensus, quia si positiuus assensus fidei diuinæ, & proinde prudens, dari potuit vni parti contradictionis ex sola præuia probabili VIII. D cognitione credibilitatis partis eiusdem, profectò poterit etiam prudens assensus dari parti oppositæ, & per consequens prudens dissensus illi alteri parti per fidem diuinam priùs creditæ, ex sola præuia probabili cognitione credibilitatis huius ipsius partis: de cuius credibilitate non minùs haberi potest probabilis cognitio, quàm de credibilitate partis illius per diuinam fidem priùs creditæ: cùm sicut ex duobus contradictoriis partis vnius probabilitas alte-

rius probabilitatem non excludit, ita nec vnius probabilis credibilitas alterius probabilem credibilitatem.

Ex dictis colligitur, neminem obligari posse ad credendum quidpiam fide diuina, nisi priùs id ei factum fuerit euidenter credibile, quandoquidem credere fide diuina nihil potest, nisi I. præsuppositа hac euidentia credibilitatis, ad impossibile autem nemo potest obligari. Cæterum cùm hactenus ostenderimus ad assensum fidei diuinæ exercendum prærequiri necessariò euidentiam credibilitatis, iam definiendum est, vtrùm hæc euidentia de obiecto & materiali & formali fidei esse debeat, quod sequenti sectione faciemus.

SECTIO IV.

Vtrùm hæc euidentia de fidei obiecto & materiali & formali esse debeat?

DIco primò, posse de obiecto materiali fidei haberi euidentiam credibilitatis, absque eo quod habeatur de eiusdem obiecto formali, II. quia dubium non est, quin de rebus à Deo reuelatis haberi possit eadem aut similis euidentia credibilitatis ei quæ habetur de multis aliis rebus, quæ à Deo reuelatæ non sunt: & ratio est, quòd sicut hæ res iis argumentis seu motiuis probari & confirmari possunt, quæ faciant eas euidenter esse credibiles, ita & illæ aliæ res possunt, siue à Deo reuelatæ sint, siue non sint: quas tamen supponimus esse reipsa à Deo reuelatas.

Dico secundò, ad quidpiam diuina fide credendum non sufficere euidentiam credibilitatis de obiecto materiali fidei: de eo enim euidentia hæc haberi potest, siue à Deo reuelatum sit, siue non sit, vt paulò antè dixi, & proinde absque vlla præuia factæ de eo reuelationis cognitione: sine autem præuia aliqua reuelationis III. huius cognitione assensus per fidem diuinam dari non potest, cùm huius assensus obiectum formale seu motiuum sit Dei reuelatio, motiuum autem mouere non possit ad assentiendum, nisi præcognitum.

Dico tertiò, ad assensum fidei diuinæ prærequiri necessariò præuiam euidentiam credibilitatis de obiecto formali fidei: seu quòd res quæ fide diuina credenda proponitur à Deo reuelata sit. Hæc assertio vera est tum solùm, cùm à Deo facta reuelatio nobis euidenter non innotescit, vt ordinariè contingit: cui enim sic innotesceret, is haud dubiè ex ea sic cognita, & proinde absque vlla præuia euidenti credibilitatis, quod à Deo facta sit, cognitione, sufficienter moueri posset ad rem reuelatam credendam propter hanc Dei reuelationem, ac IV. proinde fide diuina. Veritas autem assertionis ex eo constat, quòd ad aliquid credendum propter Dei reuelationem tanquam ob formale motiuum, necessaria prorsus est, vt proximè antè dixi, præuia aliqua huius motiui cognitio, nec quælibet sufficit: non enim sufficit simplex eius apprehensio, cùm possit simul cum ea stare iudicium quo absolutè iudicetur, licet falsò, non esse factam reipsa à Deo reuelationem, quod qui iudicat, non potest credere fide diuina: Iudicium ergo aliquod de reuelatione requiritur: istud autem de ea iudicium aliud esse non potest, quàm aut illud quo iudicatur facta à Deo reuelatio, aut illud quo iudicatur, non quidem quòd facta sit, sed quod eam factam esse credibile sit.

Quòd si dicatur esse posterius istud iudicium, habeo iam prærequiri necessariò iudicium ali- A V.
quod de credibilitate reuelationis, mox autem ostendam ipsum euidens esse debere: si verò dicatur esse prius illud, sequitur & istud posterius tanquam necessariò præuium admittendum esse. Cùm enim, vt in hac assertione præsupponimus, reuelatio à Deo facta nobis euidens non sit, sed obscura, sicut & res reuelata, iudicium quo iudicamus illam factam esse, non est euidens, sed obscurum, sicut & iudicium quo iudicamus rem quæ reuelata est veram esse: & proinde sicut hoc obscurum de rei reuelatæ veritate iudicium est assensus aliquis fidei, ita est & illud obscurum de reuelatione facta iudicium: ante autem omnem assensum fidei siue diuinæ siue humanæ, tum saltem cùm prudens est, requiritur de illius rei quæ creditur credi- B VI.
bilitate iudicium: quomodo enim posset, saltem prudenter, intellectus id credere, quod propositum ad credendum ipsi credibile non videretur? Priùs ergo quàm per fidem, siue diuinam, siue humanam, prudenter saltem iudicemus factam esse reuelationem, iudicare debemus esse credibile quòd facta sit: hoc autem de reuelationis credibilitate iudicium euidens esse debere iisdem rationibus euincitur, quibus superiore lectione probaui in genere, ad quidpiam credendum fide diuina requiri necessariò præuiam euidentem credibilitatis cognitionem, nec probabilem solùm sufficere.

Dico quartò, ad credendum quidpiam fide diuina requiri necessariò præuium iudicium quo iudicet intellectus illud à Deo reuelatum esse, hoc iudicium certum esse debere, nec esse C VII.
fidei diuinæ. Tres sunt huius assertionis partes. Prima probatur primò, quia reuelatio Dei, quæ est motiuum assensus fidei diuinæ, mouere non potest intellectum ad hunc assensum, nisi priùs cognoscatur, nec quælibet eius cognitio sufficit: non enim sufficit simplex apprehensio, vt superiori assertione probaui: requiritur ergo iudicium eam cum re reuelata connectens, nullum autem aliud iudicium eam cum re reuelata connectit, quàm illud quo iudicat intellectus factam esse de re illa reuelationem.

Nec dicas connecti sufficienter per iudicium quo iudicatur esse credibile factam fuisse reuelationem: hoc enim iudicio cùm solùm affirmetur credibilitas reuelationis de ipsa reuelatione, nihil aliud connectitur quàm eadem credibilitas cum eadem reuelatione, tanquam prædicatum cum subiecto: non ergo connectitur VIII.
D formale obiectum seu motiuum assensus fidei diuinæ cum re cui datur hic assensus: motiuum enim huius assensus non est credibilitas reuelationis, sed ipsa reuelatio, réque reuelata cui datur assensus est mysterium Trinitatis, Incarnationis, aut quid simile: quod motiuum cum hac re non connecti per prædictum illud iudicium tam certum est, quàm euidens est per ipsum nō prædicari reuelationē de hoc mysterio, sed reuelationis credibilitatem de reuelatione.

Probatur

Probatur secundò, quia qui interrogatus cur aliquid credat, respondet, quia Deus reuelauit, eo ipso quo sic respondet, significat se habere aliquod de ipsa Dei reuelatione iudicium, nec aliud iudicium significat, quàm illud quo iudicat factam à Deo esse de re quam credit reuelationem: non enim significat iudicium illud quo iudicat credibile esse factam à Deo fuisse de re illa reuelationem, alioqui respondens se credere quia Deus reuelauit, idem esset ac si diceret, quia credibile est quod reuelarit: quod idem non esse per se patet ex terminis: & ex eo præterea, quòd qui respondet se credere quia Deus reuelauit, vere respondet, eo quòd significat se credere fide diuina propter reuelationẽ factam à Deo tanquã propter obiectũ formale seu motiuum credendi, & reipsa huius actus illa reuelatio motiuum est: at qui respõderet se credere fide diuina, quia credibile est reuelationem factam esse, falsò responderet, eo quòd significaret motiuum sui actus fidei diuinæ esse credibilitatem factæ à Deo reuelationis, cùm tamen huius actus motiuum non sit hæc credibilitas, sed ipsa à parte rei facta reuelatio.

Iam secunda pars assertionis probatur: nisi enim iudicium illud certum esset certitudine omnem plene deliberatam prudentémque de opposito dubitationem & formidinem excludente, non posset ex eo prævio elici assensus fidei diuinæ circa rem reuelatam: quod iisdem rationibus constat, quibus superiori sectione probatum est, ex sola præsupposita probabili cognitione credibilitatis elici non posse assensum fidei diuinæ. Vnde concludes, hoc iudicium de reuelatione facta, quod ad assensum fidei diuinæ prærequirimus, aut euidens esse debere, aut si non est, debere præsupponere euidentem credibilitatis de reuelatione facta cognitionem: nisi enim aut hanc præsupponat, aut ipsum in se sit euidens, non potest ita certum esse, vt meritò omnem plene deliberatam prudentémque de opposito dubitationem ac formidinem excludat.

Tertiæ demum partis veritas ex eo constat, quòd cùm omnis assensus fidei diuinæ sit propter Dei reuelationem tanquam ob formale motiuum, priùs autem hæc reuelatio aliquo actu cognosci debeat, quàm intellectum moueat ad credendum, nec quicunque cognitionis actus sufficiat, sed requiratur iudicium quo iudicetur factam fuisse à Deo reuelationem, vt hîc probauimus: sanè si quis iudicat assensu fidei diuinæ factam à Deo de re aliqua reuelationem, id iudicat propter reuelationem tanquam ob motiuum: prius ergo reuelationem hanc aliquo actu cognoscit, quàm ab ea moueatur ad hunc assensum fidei diuinæ eliciendum, hæcque præcedens cognitio non est sola simplex apprehensio, vt probatum est, sed iudicium quo iudicatur factam esse à Deo de re quæ creditur reuelationem: quod iudicium rursus si diuinæ fidei assensus esse dicitur, necesse erit, quandoquidem elicietur propter Dei reuelationem tanquam ob formale motiuum, reuelationem hanc prius aliquo alio actu iudicij ab intellectu fuisse cognitam: qui iudicij actus si dicitur esse diuinæ fidei assensus, manifestè progressus infinitus admittitur in præuiis illis de reuelatione à Deo facta iudiciis, qui proinde progressus vt vitetur, dicendum necessariò est, quod hac tertia nostræ assertionis parte dicimus, nempe prævium hoc de reuelatione facta iudicium non esse actum fidei diuinæ.

Dico postremò, ad credendum quidpiã fide diuina sufficere prædictum prævium de reuelatione à Deo facta iudicium, seu præter ipsum non esse necessariam aliam de veritatis rei reuelatæ credibilitate prævium euidentiam, partam ex motiuo seu argumento ab hac reuelatione distincto: sicut enim rei reuelatæ veritas satis à parte rei fit credibilis seu fide digna eo ipso quo à Deo, qui nec falli potest, nec fallere, reuelatur, ita satis euidens est esse credibilem, quando vel euidens est eam esse à Deo reuelatam, vel id certo licet ineuidenti iudicio iudicatur, ex præsupposita euidenti cognitione credibilitatis, quòd res illa à Deo reuelata sit.

Si cui tamen probe perspectum esset, rem aliquam à Deo reuelatam esse, simúlque ex ignorantia inculpabili dubium, num Deus in reuelando posset fallere, eidem præter assensum factæ à Deo reuelationi datum necessaria esset euidentia credibilitatis veritatis rei reuelatæ, seu quòd Deus in ea reuelanda non falleret: illo enim dubio supposito, & non præsuppositâ hac euidentiâ, dubitare meritò prudenterque posset de rei reuelatæ veritate, de qua qui prudenter dubitare potest, is circa eam assensum fidei diuinæ, qui natura sua tam certus est, vt omnem plene deliberatam de opposito dubitationem excludat, elicere nullo modo potest: quod iisdem rationibus satis constat, quibus superiori sectione probatum est, ex præsupposita sola probabili cognitione credibilitatis rei quæ credenda proponitur, elici non posse diuinæ fidei assensum.

SECTIO V.

Quibus argumentis seu motiuis res fidei nostræ fiant euidenter credibiles?

VARIA à variis enumerantur, nos ea ad decem capita reuocabimus: quæ priusquam recensea mus, notandum est, quod quãdo in iis stabiliendis sacræ Scripturæ testimonio vtimur, illud non est à nobis accipiendum tanquam diuinum, sicuti vere est, sed tanquam humanum, quod eam saltem meretur fidem quam veterum historicorum libri. Cùm enim vnum ex fidei nostræ mysteriis sit, Scripturas illas esse Dei verbum, quod mysterium priusquam à nobis prudenter credatur, debet fieri nobis euidenter credibile per ea motiua seu argumenta quæ apta sunt parere euidentem credibilitatis mysterij huius, cæterorúmque omnium cognitionem: profectò si ad hæc motiua stabilienda sacræ illius Scripturæ testimonio vtimur, illud sumere non debemus tanquam vere diuinum, alioqui supponemus tanquam iam probatum & receptum vt verum, & proinde vt iam factum credibile, id quod nihilominus fieri debet per hæc motiua credibile, vt postea tanquam verum recipiatur, & credatur.

Iam primum argumentum seu motiuum sumitur ex persona authoris Christianæ religio-

nis, Christi scilicet, qui primò fuit sanctissimus & sapientissimus, vt eius scripta vita testatur, de qua nemo prudens dubitare magis potest, quàm de Cæsaris, Alexandri, similiúmque, quorum res gestæ ab authoribus fide dignis scriptæ sunt. Qui secundò multis antè sæculis fuerat promissus tanquam Doctor sanctam verámque doctrinam traditurus, vt patet ex veteri Testamento, quod, vt dixi, eam saltem meretur fidem, quam alij veterum & probatorum historicorum libri. Cuius tertiò vaticinationes omnes sicut prædixerat euenerunt, vt post triduum sua à mortuis resurrectio, Hierosolymitani templi euersio, Iudæorum reprobatio, Gentium ad fidem vocatio, suæ doctrinæ per vniuersum orbem prædicatio, eiusdem stabilitas prædicta verbis his Matthæi 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Cuius quartò tot & tanta miracula fuerunt ab ipso facta. Circa quem postremò tot & tanta à Deo miracula patrata sunt, præsertim passionis & mortis eius tempore, & hæc quidem omnia aut pleraque in confirmationem diuinitatis ipsius, doctrinæque ab ipso traditæ, testata non ab Euangelistis modo, qui cùm ea scriberent eo tempore quo Christiana religio propagata nondum erat, sed potiùs omnibus inuisa, & quo superstites adhuc erant qui negare poterant ea accidisse, si verè non contigissent, nisi vera scripsissent, totus orbis reclamasset, & ab omnibus habiti essent impudentissimi mendaces, sicque fidem illis nemo adhibuisset, verùm etiam à Gentilibus & Ethnicis, vt constat ex Origene lib. 2. contra Celsum, Eusebio in Chronico, anno Christi 33. Tertulliano in Apologetico, & Luciano in actis martyrij sui.

I. A

II. B

III. C

IV. D

Secundum sumitur ex modo quo Christiana religio propagata est, de quo videatur Iustinus Martyr apologia 2. ad Antoninum Pium, & Chrys. hom. 26. ad populum, & in Matth. qui locus efficacissimus deprehendetur, si hæc perpendentur. Primum, qui & quot fuerint Euangelij præcones, nempe duodecim Apostoli, homines tenues, rudes, vulgò contempti. Secundum, qui eius propagationi resisterent, omnes enim initio restiterunt omnibus modis, & inter hos morte, & tormentis atrocissimis. Tertium, doctrinæ ad credendum propositæ qualitas, omnem scilicet humani ingenij captum transcendens, vt quod idem Deus & homo sit, quod Deus in cruce inter latrones mortuus, & alia multa id genus: præterea desideriis carnis, & prauæ eorum quibus credenda proponebatur consuetudini repugnans, vt studium bonorum operum, carnis mortificatio, iniuriarum voluntaria perpessio, amor inimicorum, & similia. Quartum, qui eam doctrinam receperint, nempe orbis vniuersus. Quod euidentissimo argumento est, non tam hominibus, quam Deo tribuendam esse Euangelicæ doctrinæ propagationem.

Tertium petitur ex integritate doctrinæ Christianæ, eiúsque sanctitate, quæ ex eo præsertim elucescit, quòd eadem primis nihil de Deo doceat, quod sublime non sit, quod falsum esse probari possit, sed multa quæ naturali ratione demonstrari possunt, & quæ continet humani ingenij captum excedentia, contra rationem naturalem non sint, cùm humana ratio dictet Deum esse infinitis partibus creatura excellentiorem, esse ab ea incomprehensibilem, conuenientsque esse de excellentia diuinitatis multa credere, ad quæ humana ratio pertingere per se non potest. Deinde quòd nihil rationi repugnans imperet, imò omnia etiam leuissima peccata, vt otiosa verba, vetet: quòd supplicium malis, bonis præmium promittat, nihil denique omittat quo suos sectatores ad omnem sanctitatem perducat, vt meritò Propheta regius dixerit psalmo 18. *Lex domini immaculata*: & psal. 118. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.*

V.

Quartum ex eiusdem doctrinæ constantia: ex eo enim tempore quo cœpit, semper inuicta permansit, licet oppugnata supra modum, non modò ab Ethnicis, sed etiam ab hæreticis, qui eam oppressissent, adiuti aliquando magno Episcoporum numero quos in suos errores induxerant, & ipsorum Imperatorum potentia quos iisdem erroribus imbuerant, nisi ei adfuisset ille, qui se adfuturum vsque ad sæculi consummationem promisit.

VI.

Quintum ex vaticinationibus quibus prophetice prænuntiata sunt Euangelicæ doctrinæ aut omnia, aut pleraque & præcipua, creditúque difficillima capita. Nec dici potest nullas esse vaticinationes illas, vetusque Testamentum in quo continentur à Christiano aliquo post Christum natum & mortuum, fuisse compositum: etenim scriptum illud fuisse multò ante Christi aduentum constat, imò etiam in Græcam linguam Ptolomæi iussu translatum, vt Iosephi lib. 12. antiquit. cap. 2. aliorumque authorum historia testatur, tantum fide digna, quantum ad humanam fidem certissimam desiderari potest. Quod etiam diuina prouidentia factum fuisse docent Irenæus lib. 3. cap. 25. & Eusebius 5. de demonst. cap. 1. ne posset Christianis obiici à Gentilibus, quòd ipsi Christiani vetus Testamentum, libróque eius prophetico confinxissent: quibus consentit August. lib. 18. de Ciu. cap. 46. & ep. 59. ad Paulinum.

VII.

Sextum ex eorum sanctitate qui Christianam religionem colunt, ex eiúsque præscripto viuunt, quæ tanta erat, præsertim antiquitus, vt Imperatores, & prouinciarum Præsides nihil in Christianis, quorum tamen vitam diligenter explorabant, inuenirent quod reprehenderent, hoc vno excepto, quòd Christiani essent: qua de re vide Iustinum Martyrem secunda pro Christianis ad Antoninum Pium apologia, Tertullianum ad Scapulam, & Lactantium lib. 3. cap. 26. & sequentibus.

VIII.

Septimum ex horrendis eorum cladibus qui præcipui fuerunt Christianæ religionis & doctrinæ aduersarij, de quibus videatur idem Tertullianus eodem ad Scapulam libro, Eusebius lib. 2. cap. 4. & 7. lib. 7. cap. 20. lib. 9. cap. 8. & 9. & Nicephorus libri 2. cap. 10. & 11.

Octauum ex innumeris miraculis quibus confirmata hæc religio & doctrina est: quo ex loco præclarè argumentantur Chrysost. homil. 5. in 2. ad Cor. & August. lib. de vtilitate credendi cap. 16. & lib 22. de Ciuit. cap. 8. de quibus

dici primò non potest hæc facta nunquam fuisse, sed à Christianis conficta: tum quia tam multi, támque graues authores ea narrant, vt qui iis non credit, pari iure, imò potiori, reuocare debeat in dubium omnes veterum historias, vt egregiè S. Augustinus euincit libro 10. de Ciuit. cap. 18. tum quia historici Christiani pleraque referunt publica fuisse, eoque tempore illa scribebant, quo nisi vera scripsissent, à quamplurimis tunc temporis viuentibus impudentissimi mendacij coargui potuissent: vnde & factum fuisset vt Catholicam religionem, quam relatis illis miraculis confirmare volebant, tantò magis infirmarent, quantò turpius & apertius eorum mendacium extitisset: tum denique quia, vt Diui Augustini libri 22. de Ciuit. cap. 5. argumento vtamur, vel miracula illa facta sunt, vel non sunt: si primum, habetur intentum: si secundum, pro ingenti miraculo habendum est, paucos homines, pauperes, abiectos, humano auxilio destitutos, nullo facto miraculo totum orbem in suam traxisse sententiam, superantem in plerisque captum omnem humanę sapientiæ, & hominum corruptæ naturæ, prauæque consuetudini tantopere repugnantem.

I. A

II. B

Neque secundò de iisdem miraculis dici potest, ipsa quidem edita fuisse, sed vera miracula non fuisse, at adumbrata tantùm, & in re diabolica opera extitisse, propterea quòd tanquam vera miracula habita sunt omni tempore, à propemodum infinitis sapientissimis & sanctissimis hominibus. Vnde Richardus à S. Victore, libro 1. de Trinit. cap. 2. sic Deum alloquitur: *Domine si error est, a te ipso decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis & prodigiis sunt confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

III. C

Nec obiicias S. Augustinum libro de Vnitate Ecclesiæ cap. 16. & Tract. 15. & 16. in Ioan. dicere miracula non confirmare fidem, sed per veram fidem esse discernenda: nam de miraculis illis non loquitur de quibus constat esse vera miracula, hæc enim non diceret esse discernenda, sed de dubiis.

Nonum ex constantia Martyrum, ex qua vt argumentum pro euidenti rerum fidei nostræ credibilitate ductum sit efficax, hæc in nostris Martyribus perpendenda sunt. Primum, prope innumerabilis eorum multitudo. Secundum, fuisse ex omni hominum genere, sexu, ætate, conditione. Tertium, eorum sanctitas, sapientia, constantia in tam variis, tam atrocibus, támque diuturnis cruciatibus. Quartum, prope infinita, & immensa prodigia quæ Deus operatus est, partim eorum vulnera curando, partim ne vulnerarentur impediendo, partim eorum mortem vindicando. Quintum, quòd non propterea fuerit imminutus Christianorum numerus, sed auctus maximè, ipsis etiam tortoribus, & persequutoribus, aliisque Christianæ fidei hostibus sese ad eam adiungentibus. Vnde verissimè dixit Tertullianus in Apologetico cap. vlt. sanguinem Martyrum fuisse semen Christianorum: & Iustinus Dialogo cum Tryphone Ecclesiam creuisse persequutionibus, sicut vineæ crescunt putatione. De hoc autem à constantia Martyrum ducto argumento videatur D. Thomas lib. 1. contra gentes, cap. 6. Lactant. lib. 5. Instit. cap. 15. & sequenti, S. August. 22. de Ciuit. cap. 5. & Iustinus Martyr Apologia 1. ad Senatum Romanum, vbi testatur se eo maximè fuisse inductum ad Christianam fidem suscipiendam.

IV. D

V.

Ratio autem propter quam dixi, vt argumentum ex hac Martyrum nostrorum constantia ductum valeret, expendenda in illis esse ea quæ recensui, est, quòd testimonium nudè sumptum plurium hominum pro confirmatione doctrinæ alicuius morientium non est per se efficax ad eam confirmandam argumentum: nam hæretici multi pro hæresi mortui sunt: vnde Tertullianus libro de fuga in persequutione, & Eusebius, libro 5. historiæ, cap. 18. referunt Montanistas de numero suorum Martyrum gloriari solitos fuisse: quibus Apollinaris apud Nicephorum, lib. 4. cap. 23. respondit, Marcionem quoque & alios hæreticos plures habuisse, nec propterea eorum errores esse sequendos. Idem de Messalianis Epiphanius hæresi 80. de Donatistis Augustinus epist. 68. refert.

VI.

Decimum & vltimum ab eorum multitudine & conditione qui Christianam fidem olim susceperunt: omnes enim omnium pene gentium nationes, & in his innumerabiles viri summa authoritate, summo ingenio, singulari prudentia & doctrina excellentique virtute prędediti eam olim amplexi sunt, & quidem primis Ecclesiæ temporibus, quibus cogitari non potest eos humani alicuius commodi, diuitiarum, voluptatis, aut mundanæ gloriæ gratia, reiecta patria superstitione Christianam fidem suscepisse, cùm tunc temporis cum Christianis ageretur crudelissimè, nec hi quidquam aliud in hac vita expectare possent ob Christianæ fidei susceptionem, quàm bonorum fortunæ, famæ, corporis & vitæ iacturam.

VII.

Hoc argumento adductum se fuisse ad amplectendam Christianam fidem fatetur S. Aug. libro de Vtilit. credendi cap. 14. sic inquiens. *Nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, & famæ admodum celeberrimæ*: & contra epistolam fundamenti c. 4. sic loquens, *Tenet me in Ecclesia consensus populorum atque gentium*: quibus ex verbis S. Augustini rectè Greg. à Valentia hîc disp. 1. punc. 4. concludit, quòd si tantus vir tam alta mente & sapientia præditus hoc vere de se scripsit, cùm nec Augustinum, nec reliquos qui post ipsum in Ecclesia floruerunt haberet, quorum authoritate moueretur, quanto nos vehementius exemplo & authoritate eorundem populorum atque gentium commoueri par est ad eandem religionem & fidem suscipiendam, aut susceptam retinendam, cùm & Augustinum & alios innumerabiles egregios viros, qui se postea Catholicæ Ecclesiæ adiunxerũt, duces habeamus?

VIII.

Atque hæc sunt præcipua motiua seu argumenta breuiter declarata quibus fidei nostræ veritas persuaderi potest, de quibus qui fusiorem tractationem desiderabit, consulat S. Hieron. Dialogo contra Luciferianos circa finem, Eusebium lib. de Præparat. & Demonst. Augustinum contra epist. fundamenti cap. 4. libro de Catechizandis rudibus, libro item 12. & 13. contra Faustum: Vincetium Lyrinensem in suo admonitorio contra profanas nouitates: & ex

recentioribus Medinam lib. 2. de recta in Deum fide, Vegam 2. de Iustificatione, Bellarminum lib. de Ecclesiæ notis, & Gregorium à Valent. suo in libro Analysis fidei, & citato paulò antè puncto 4. quæ quidem motiua seu argumenta cùm sigillatim accepta probent euidenter res
I. nostræ fidei esse credibiles, quanto magis id facient, si coniunctim accipiantur, & ex iis ita quis argumentetur? Illud est euidenter credibile, quod est euidenter fide dignum: atqui Ecclesiæ Catholicæ doctrina est euidenter fide digna: ergo est euidenter credibilis: cuius syllogismi Maior ex terminis certa est. Minorem autem sic probo: Euidens est illud esse fide dignũ, quod certò constat esse tot tantique ponderis testimoniis & argumentis confirmatum, vt meritò quique prudentissimus fidem ei habere possit: aut enim de nulla re haberi potest euidentia quòd fide digna sit, aut si de aliqua potest, vt haud dubiè potest, sanè de ea de qua certò constat id quod dixi. Atqui certò constat Catholicæ Ecclesiæ doctrinam confirmatam
II. esse decem illis motiuis & argumentis quæ suprà recensuimus, hæc autem motiua seu argumenta coniunctim saltem accepta esse tãti ponderis, vt meritò quique prudentissimus illi doctrinæ fidem habeat, negare ille solus potest, qui eorum vim robúrque non percipit.

SECTIO VI.

Continens duarum de prædicta credibilitatis euidentia quæstionum explicationem.

PRIMA est, qua fide veritates fidei nostræ sint euidenter credibiles, vtrùm diuina, an humana? Respondeo vtraque: quod sic euinco. Quidquid prudenter actu creditur vel propter authoritatem Dei reuelantis, atque adeo fide diuina, vel propter authoritatem humanam, atque adeo fide humana, illud est à parte
III. rei dignum credi fide illa qua actu creditur: atqui mysteria fidei nostræ prudenter creduntur & propter authoritatem Dei reuelantis, atque adeo fide diuina, & propter authoritatem Ecclesiæ, aliámve similem humanam, atque adeo fide humana: ergo credibilia sunt fide tam diuina quàm humana. Minor est certissima. Maioris veritas patet: quomodo enim prudenter aliqua fide crederetur ea res quæ digna non esset hac fide credi? Certè sicut nulla res in genere loquendo prudenter creditur, nisi sit credibilis, seu digna fide in genere: sic in specie nulla res prudenter creditur aliqua speciali fide, vt humana, vt diuina, nisi sit hac speciali fide digna, seu credibilis. Quòd si fidei nostræ mysteria
IV. sunt à parte rei credibilia fide tum diuina, tum humana, cùm hæc eorum credibilitas possit non modò probabiliter, sed etiam euidenter cognosci, nec enim desunt motiua seu argumẽta parientia non modò probabilem, sed etiam euidentem credibilitatis huius cognitionem, patet esse consequens, prædicta mysteria posse esse euidenter credibilia fide tum diuina, tum humana.

Vt autem minùs in huius rei intelligentia laboret intellectus, distinguendum est diligenter iudicium quo res aliqua actu creditur vel propter authoritatem Dei reuelantis, vel propter humanam authoritatem, à iudicio quo iudicatur euidenter credibilis esse propter authoritatem vel Dei reuelantis, vel hominis: illud enim prius iudicium fidei diuinæ actus est, quando res propter authoritatem Dei creditur: fidei verò humanæ, quando propter authoritatem
A hominis: vt autem qualis actus sit posterius iudicium discernatur, attendendum est ad formale motiuum quo nititur, nunc enim isto, nunc illo niti potest: vnde qui aliquid esse credibile ob authoritatem Dei reuelantis, iudicat ex motiuo vel authoritatis Ecclesiæ, vel simili, habet iudicium de rei huius per fidem diuinam credibilitate, quòd est actus fidei humanæ. V.

Et quoniam motiuum quo nititur iudicium hoc de credibilitate, seu dignitate qua res est digna credi fide, siue diuina, siue humana, est ordinariè motiuum ex se generatiuum assensus fidei humanæ, sumendo hunc assensum prout sumpsi sect. 1. disput. huius in 3. prænotatione, propterea ordinariè iudicium illud ad humanã fidem pertinet, sumendo fidem hanc, vt ibidem sumpsimus. Quare si quis ex eodẽ motiuo quo
B iudicat aliquid esse credibile, de facto illud credat, credulitatis actus erit ordinariè assensus fidei humanæ, quandoquidem motiuum quo nititur iudicium credibilitatis ordinariè ad humanam fidem pertinet. Dico, ordinariè, nam posset Deus reuelasse aliquid esse credibile humana fide propter authoritatem hominis, aut diuina propter authoritatem Dei, possétque quis iudicare rem illam esse sic credibilem, ita vt hoc iudicium niteretur hac reuelatione Dei tanquam obiecto formali, tũcque esset actus fidei diuinę. VI.

Secunda est, quodnam sit principium effectiuum iudicij euidentis de credibilitate mysteriorum nostræ fidei? Respondeo solum intellectũ absque habitu vllo per naturales suas vires esse posse tale principium: potest enim intellectus absque consortio vllius habitus per naturales
C suas vires esse principium effectiuum iudicij merè naturalis in entitate, hoc autem euidens iudicium eiusmodi est. Cùm enim sit euidens, vel ad tertiam mentis operationem pertinet, vel ad secundam: si ad hanc, oportet illud ex præsupposita sola terminorum apprehensione generari: si ad illam, oportet illud ipsum ex præmissis euidenter notis inferri: omne autem iudicium quod vel ex sola terminorum apprehensione, vel ex præmissis euidenter notis generaretur, merè naturale in entitate est. Aut enim nullum iudicium intellectus ad secundam aut tertiam mentis operationem pertinens naturale est, vel esse potest: aut certè illud est, quod tale est, quale esse dixi prædictum euidens de credibilitate iudicium, cùm iudicium hoc tam contineatur intra naturalem intellec-
D tus potentiam, quàm quilibet alius eius actus, quia nihil eius naturali lumini magis ex natura rei proportionatum & facile est, quàm iudicium eiusmodi formare, quod proinde debet esse tam merè naturale in entitate, quàm quiuis alius eius actus in entitate mere naturalis. VII. VIII.

Neque verò si intellectus absque vllius habitus consortio per solas naturales suas vires elicit physicè & efficienter istud euidens de credibilitate iudicium, sequitur initium

nostræ conuersionis ad Deum, ac proinde nostræ salutis, ex nobis esse, solisque naturæ nostræ viribus: vel enim hoc euidens iudicium purè speculatiuum est, vel non, sed practicum eo sensu sumendo nunc speculatiuum & practicum, quo in materia de gratia sumi solet à Theologis, & de ea tractans sumendum esse docui sectione secunda primæ disputationis. A I.

Si primum, quantumuis hoc iudicium sit quidpiam conditionis instar necessariò prærequisitum ad actum fidei diuinæ quo conuertimur ad Deum, non erit tamen verè initium huius actus, ac proinde nostræ ad Deum per hunc actum conuersionis, quandoquidem purè speculatiuum erit, id est, nullo modo voluntatem alliciet ad volendum credere, nec magis quàm quælibet alia merè naturalis cognitio purè speculatiua, quæ per solas naturales intellectus vires absque vllo gratiæ auxilio elicita est: vnde etsi iuxta doctrinam sectione citata disputationis illius primæ traditam verum sit, hoc iudicium de credibilitate purè speculatiuum per solas naturales intellectus vires elici II. posse, absque vlla Dei per Christum gratia, B non propterea consequens erit, vt patet, initium nostræ ad Deum conuersionis ac salutis esse non ex gratia, sed ex nobis, seu solis naturæ nostræ viribus.

Quòd si secundum dicitur, fateor quidem ipsum fore initium aliquod nostræ per fidem ad Deum conuersionis, ac proinde nostræ salutis, qnandoquidem erit practicum, id est, voluntatem nostram alliciet ad volendum credere, & per consequens intellectum ad credendum: sed nego hinc consequens futurum, vt initium nostræ ad Deum conuersionis & salutis sit non ex gratia, sed ex nobis, & solis nostræ naturæ viribus: illud enim euidens iudicium practicum, erit quidem ex nobis, & solis naturæ nostræ viribus efficienter & phy- III. sicè: at simpliciter & absolutè loquendo non C ex nobis solisve illis viribus erit, quia simul erit ex gratia: vt enim citato loco dixi sæpius & probaui, nulla bona cogitatio, qualis est omnis practica, sumendo practicum eo sensu quo monui, quantumcunque in entitate merè naturalis, à nobis nostræque naturæ viribus vnquam producitur efficienter & physicè, sine aliqua Dei per Christum gratia.

Quæ responsio locum pariter habet, etiã supponatur, vt supponi meritò potest, prædictum euidens de credibilitate iudicium elici efficienter & physicè non à solo intellectu, sed etiam simul ab aliquo habitu acquisito & naturali: si enim hoc iudicium ab intellectu & habitu physicè ac efficienter productum purè speculatiuum est, potest quidem sic ab iis IV. elici absque vlla Dei per Christum gratia, D sed non est initium nostræ ad Deum conuersionis & salutis, vt paulò antè ostendi: quòd si practicum est, est quidem aliquod eiusmodi initium, vt etiam ostendi, at ab intellectu & habitu illo non elicietur sine gratia Dei per Christum, vt hîc quoque monui.

DISPVTATIO XVII.

In quid internus diuinæ fidei assensus vltimò resolui debeat? V.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla prænotantur.

VIVS quæstionis per se satis alioquin intricatæ & difficilis erit ex superioribus multò facilior & clarior explicatio, quæ causa fuit, vt à me in hunc locum reiiceretur, cùm ab omnibus communiter ad articulum 4. quæstionis 1. pertractetur.

Notandum autem primò distingui hîc debere quatuor hos actus, nempe iudicium euidens credibilitatis: deinde iudicium voluntati proponens obiectum in quod per volitionem credendi tendit, aut tendere potest: præterea hanc ipsam credendi volitionem: denique ipsum internum fidei assensum quo firmiter intellectus alicui rei assentitur. Et quidem hos actus, dempto secundo, esse inter se diuersissimos ex superiùs dictis clarum est: quòd verò secundus etiam actus à tertio & quarto sit à parte rei diuersus, notius est quàm vt probari debeat: quòd autem etiam à primo, hinc constat, quòd per primum illud iudicium nihil aliud iudicat intellectus, quàm quidpiam esse credibile, seu dignum quod credatur, non verò credi in actu secundo posse vel debere ex hoc illóve motiuo, quod per secundum istud iudicium ab intellectu iudicatur: cuius quidem rei iudicium tam necessariò prærequiritur ad actum volitionis credendi exercendum, ne voluntas hoc actu suo feratur in incognitum, VII. quàm ob hunc eundem finem necessarium est ad exercendam circa cibum ex motiuo temperantiæ volitionem temperatè vescendi, præuium in voluntate iudicium, voluntati repræsentans hoc obiectum, motiuúmque ex quo ipsa circa illud versatur, aut versari potest.

Dixi paulò antè, ex hoc illóve motiuo, non enim ex vno tantùm motiuo potest voluntas velle credere, sed ex variis ad diuersas virtutes pertinentibus, vt suprà docuimus. Cæterùm cùm hi quatuor actus distincti sint, nec quartus sine præuiis tribus prioribus exerceri possit, sicut neque tertius sine duobus præcedentibus, nec secundus sine primo, primus autem possit sine vllo trium consequentium, dum hîc quæritur, in quid assensus fidei vltimò resolui debeat, de solo quarto quæstio VIII. est.

Notandum secundò quæstionem non esse de resolutione huius actus in causam eius formalem intrinsecam, quæ est vel ipsius essentialis definitio, vel specifica differentia: neque in materialem, quæ est subiectum cui inhæret: neque in finalem, quæ est id cuius gratia efficitur: neque in efficientem physicam, quæ est intellectus habitu fidei instructus, aut cum Deo supplente per influxum suum vberiorem generali absentiam huius habitus: sed de quadam

alia resolutione, quæ fit in id ex parte obiecti circa quod versatur se tenens, cui tota huius ipsius actus certitudo innititur, seu à quo cognito permouetur intellectus etiam habitu fidei instructus ad hunc actum exercendum. quod non esse ipsum habitum fidei certum esse debet, tum I. quia habitus hic ex parte obiecti se non tenet, sed causæ efficientis: tum quia ad assensum fidei diuinæ exercendum nihil est necesse eum præcognosci: tum denique quia etsi cognoscatur, nemo tamen ab eo cognito mouetur ad assensum illum exercendum, aut ad eum potiùs quàm ad dissensum oppositum.

Notandum tertiò, tunc factam esse vltimò fidei resolutionem, cùm ad id peruentum est in quo consistendum est, nec ad aliquid aliud vlteriùs procedendum: istud autem vltimum posse esse vltimum vel in genere formalis motiui seu rationis assentiendi, vel in genere regulæ res credendas infallibiliter proponentis, vel conditionis necessariò prærequisitæ.

SECTIO II.

II.

Quid sit de proposita quæstione sentiendum tribus assertionibus declaratur & probatur.

His prænotatis sit prima assertio. Resolutio assensus interni fidei fit vltimò in diuinam authoritatem reuelantem tanquam in formalem assentiendi rationem. Ita communiter Theologi. Patet autem assertionis veritas ex eo quòd & ex eorundem consensu, & ex supradictis ad quæstionem primam, tota & adæquata formalis ratio assentiendi per fidem diuinam rebus à Deo reuelatis est authoritas diuina reuelans: ex quo sequitur euidenter, hanc esse vltimũ in quod resolui potest hic assensus tanquam in formalem assentiendi rationem: si III. enim præter eam quiddam vlteriùs daretur in quod resolui posset vt in rationem assentiendi, sanè hæc authoritas non esset tota & adæquata formalis assentiendi ratio, istud enim vlterius ad eandem rationem pertineret.

Ex quo cóncludes, ab eo qui interrogatus cur credat, exempli causa, Verbum esse Incarnatum, respondet, quia Deus reuelauit, non esse, ad inuestigandam formalem huius assensus rationem, quærendum vlteriùs, cur iudicet hoc à Deo fuisse reuelatum: hac enim aliáque simili quæstione non indagatur formalis ratio credendi Verbi Incarnationem, quæ tota iam allata est, cùm responsum est, quia Deus reuelauit, sed inuestigatur formalis ratio iudicandi factam fuisse de Verbi Incarnatione reuelationem: quod quidem meritò quæri potest, IV. sed nihil prorsus refert ad faciendam vltimò assensus fidei resolutionem in formalem rationem qua nititur, cùm tota iam facta sit eo ipso quo responsum est, quia Deus reuelauit.

Neque dicas, ab eo qui interrogatus, cur certæ cuipiam conclusioni dederit assensum, respondit, propter præmissas, qua responsione assignauit formalem rationem assentiendi conclusioni, quæri meritò vlteriùs posse, cur præmissis assensum dederit, háncque quæstionem, qua formalis ratio assentiendi præmissis inuestigatur, pertinere ad indagandam rationem qua conclusionis assensus nititur, & proinde ad faciendam vltimò resolutionem huius ipsius assensus in aliquid, tanquam in formalem assentiendi rationem. Ne inquam id dicas, verum enim est in assensu conclusionis, sed non A in assensu fidei diuinæ. V.

Ratio disparitatis euidens est, quòd conclusionis assensus nititur tanquam motiuo & formali assentiendi ratione non tantùm præmissis obiectiuè sumptis, seu re significata per præmissas, sed etiam ipso iudicio præmissarum: hinc enim fit vt cùm assensus conclusionis nitatur assensu præmissarum, qui non nisi ex motiuo aliquo seu formali assentiendi ratione elicitur, eidem quoque motiuo mediatè saltem idem conclusionis assensus innitatur: at assensus fidei diuinæ soli diuinæ authoritati reuelanti obiectiuè sumptæ, tanquam formali & adæquatæ rationi assentiendi innititur, non verò etiam iudicio quo diuinam authoritatem aliquid reuelasse credimus: hoc enim iudicium esse tantùm conditionem necessariò prærequisitam vt intellectus moueri possit à diuina B authoritate reuelante ad quidpiam propter ipsam credendum, supra docuimus, totidémque argumentis à nobis probatum cẽseri debet, quot fidem discursiuam non esse probauimus. VI.

Secunda assertio. Nihil est necesse spectatâ nostri assensus fidei naturâ eum resoluere in authoritatem Ecclesiæ tanquam in regulam res à Deo reuelatas à non reuelatis discernentem, & proponentem. Ita etiam Theologi communiter: communis enim eorum doctrina est, fidem & fidei assensum eiusdem esse naturæ in nobis, & in Apostolis, ac Prophetis: ex hac autem doctrina sequitur manifestè veritas assertionis, cùm hic assensus in Apostolis & Prophetis existens talis natura sua non esset, vt C postularet, aut deberet necessariò resolui in VII. Ecclesiæ authoritatem tanquam in prædictam regulam, cùm reuelationem ipsi immediate à Deo acciperent, non verò per Ecclesiam res à Deo reuelatas definientem & proponentem.

Tertia assertio. Nihil necesse etiam est spectatâ non solùm assensus fidei naturâ secundùm se, sed etiam prout iam in nobis est, in quibus esse non potest secundùm legem ordinariam, nisi præuia externa facta nobis per homines rerum reuelatarum & credendarum propositione, resolui fidei assensum in Ecclesiæ authoritatem tanquam in prædictam regulam. Ita contra Durandum in 3. dist. 24. quæst. 1. Scotus dist. 25. quæst. vnica, Capreol. dist. 24. quæst. vnica art. 3. Canus lib. 2. de Locis, cap. 5. & alij.

VIII.

D Probatur primò ex doctrina S. Thomæ quest. 1. art. 4. ad 2. dicentis id quod creditur non videri secundùm se, siue secundùm particularem illam veritatem quæ creditur, sed videri secundùm communem rationem credibilis, háncque credibilitatis visionem, seu cognitionem euidentem generari vel per euidentiam signorum, vel per aliquid huiusmodi. Quo loco loquitur in primis haud dubiè de assensu fidei non eo solo qui in Apostolis & Prophetis fuit, sed qui generaliter est in omnibus credentibus, atque adeo in nobis, qui non nisi ex præuia ex-

terna propositione per homines facta credimus.

Deinde significat ad assensum fidei eliciendum satis esse, quòd res credenda videatur secundùm communem rationem credibilitatis, id est, priusquam actu credatur, sufficere vt iudicetur euidenter esse credibilis, seu digna quæ propter authoritatem Dei reuelantis credatur, nec aliam esse necessariam eiusdem rei quæ creditur euidentem notitiam. Postremò, dicit fieri euidenter credibilem vel ex euidentia signorum, vel ex aliquo alio huiuscemodi, nullam prorsus mentionē faciens authoritatis Ecclesiæ, siue tanquam regulæ res credendas infallibiliter proponentis, siue aliter consideratæ: ex quo concluditur ipsum ad assensum fidei, prout in nobis iam est, non prærequirere authoritatem Ecclesię tanquam prædictam regulam, & per consequens non velle hunc eundem nostrum assensum resolui iam in illam authoritatem tanquam in prędictam regulam debere.

I.

Cuius conclusionis bonitas ex eo patet, quòd cùm post euidentem prædictam credibilitatis cognitionem statim sequi possit ex imperio voluntatis diuinæ fidei assensus, profectò si hæc euidens credibilitatis cognitio haberi à nobis potest aliunde, quàm ex authoritate Ecclesiæ, vt potest ex D. Thoma illo art. 4. nempe ex signis seu miraculis, aliisque supra recensitis motiuis, consequens est posse etiam à nobis iam elici assensum fidei absque interueniente Ecclesiæ authoritate, & proinde assensum hunc nostrum in Ecclesiæ authoritatem tanquam in regulam non necessariò resolui debere.

II.

At dices, ex doctrina suprà tradita ad assensum fidei diuinæ exercendum non sufficere prędam de credibilitate rei reuelatæ ac diuinæ reuelationis euidentem cognitionem, sed prærequiri insuper iudicium quo factam esse reuelationem iudicetur, hoc autem iudicium niti necessariò prædicta Ecclesiæ authoritate. Sed respondeo falsum esse, iudicium hoc ista authoritate niti debere. Cùm enim iudicium euidens de credibilitatę reuelationis alio motiuo niti possit, potest & iudicium quo iudicatur facta reuelatio: ex eodem enim motiuo quo fit euidenter credibilis aliqua res, credi etiam rectè potest.

III.

Atque hinc habetur ratio à priori nostræ assertionis: quæ ratio breuiter in eo cōsistit, quòd ad eliciendum ex imperio voluntatis diuinæ fidei actum nullus actus ex parte intellectus est necessarius, qui prædicta Ecclesiæ authoritate niti debeat: si quis enim qui debeat illa niti necessarius videtur, maximè ille quo aut reuelationem factam à Deo esse iudicamus, aut quo iudicamus esse credibile quòd facta sit: at neutrū authoritate illa necessariò niti debere ostendimus, támque certum debet esse, quàm non dubium est præter hanc Ecclesiæ authoritatem, alia multa esse argumenta seu motiua superiùs enumerata, quibus permoueri possumus ad vtrumque etiam prudentissimè iudicandum.

IV.

Probatur secundò, si non est necessaria nobis ad eliciendum diuinæ fidei assensum circa aliquem fidei articulum prædicta Ecclesiæ authoritas, ac proinde si assensus fidei diuinæ illi articulo datus non necessariò resolui debet in hanc authoritatem tanquam in regulam, sequitur eandem authoritatē nobis necessariam non esse ad assensum eiusdem fidei dandum aliis nostræ fidei articulis, ac proinde nihil esse necessarium fidei assensum illis aliis articulis datum in prædictam authoritatem tanquam in regulam resoluere: atqui verum est antecedens, igitur & consequens. Consequentia Maioris patet: vnius enim & cæterorum nostræ fidei articulorum eadem ratio est, quantum ad assensum fidei diuinæ illis dandum, quandoquidem assensus per fidem diuinam illis omnibus dati sunt eiusdem rationis, in quantum & eodem formali motiuo nituntur, & iam à nobis non eliciuntur circa vllum articulorū illorum, nisi ex prævia externa facta per homines propositione. Minor sic probatur: si homini qui nondum amplexus est Catholicam religionem, vt fidem suscipiat, & assensum fidei diuinæ circa aliquem nostræ religionis articulum exerceat, necessaria non est prædicta Ecclesiæ authoritas, non erit etiam necessaria nobis qui iam fidem suscepimus ad eliciendum diuinæ fidei assensum circa eundem nostræ religionis articulum: atqui homini illi ad hoc necessaria non est: ergo nec nobis qui iam fidem suscepimus. Consequentia Maioris huius patet ex paritate rationis: eadem enim est natura assensus fidei diuinæ non modò spectatæ secundum se, sed etiam prout est in illo & in nobis, cùm & in nobis & in illo non sit, secundùm legem Dei ordinariam, nisi ex prævia facta per homines rerum credendarum propositione.

V.

VI.

Minorem hanc probo sumendo articulum hunc nostræ fidei, qui est Ecclesiam esse regulam res credendas infallibiliter proponentem, quem articulum prædictus ille homo credere quidem potest, vt & cætera nostræ religionis mysteria, sed non potest interueniente ad assensum hunc ipsa Ecclesiæ authoritate, tanquam regula res credendas infallibiliter proponente: hæc enim authoritas nunquam interuenit ad vllum assensum fidei, nisi in quantum interuenit ad eundem assensum iudicium prævium quo iudicatur in Ecclesia esse hanc infallibilem authoritatem: hoc autem iudicium in homine illo interuenire non potest ad eliciendum circa prædictum articulum diuinæ fidei assensum: hunc enim assensum supponimus esse, vt fieri potest, primum quod tulit de hac infallibili Ecclesiæ authoritate iudicium, ante quod proinde nullum prius interuenire potuit.

VII.

Sicut igitur hic nostræ fidei articulus ab ipso creditur ex prævio euidenti iudicio credibilitatis quòd eum Deus reuelarit, ex alio item prævio quo prudenter iudicat eundem articulum esse reipsa à Deo reuelatum, hoc autem & illud iudicium non in prædicta Ecclesiæ authoritate, sed in aliis argumentis & motiuis supra recensitis fundamentum habet: ita & potest quiuis alius nostræ fidei articulus credi ab eodem ipso ex prævijs similibus de credibilitate reuelationis, & de ipsa reuelatione facta iudicijs, non in hac Ecclesiæ authoritate, sed in aliis argumentis & motiuis fundamentum habentibus: cùm ex natura rei per eadem argumenta & motiua possit de quolibet nostræ fidei

VIII.

articulo fieri euidenter credibile, quòd à Deo reuelatus sit, imò & prudenter iudicari quòd de facto sit ab ipso reuelatus.

SECTIO III.

I. *Idem duabus præterea assertionibus declaratur, & probatur.*

QVARTA assertio. Assensus fidei diuinæ qui à Christianis datur definitis ab Ecclesia quæstionibus, & ad credendum propositis, ante hanc eius definitionem controuersis, resoluendus ordinariè & communiter est vltimò in Ecclesiæ authoritatem, tanquam in regulam res à Deo reuelatas infallibiliter definientem, & ad credendum proponentem. Ita etiam authores pro superiore assertione relati, & communiter cæteri Theologi. Ratio est, quia dum res illas credimus propter authoritatem diuinam reuelantem, præcedit in nobis ad hunc actum circa illas exercendum, sicut & ad quemcunque

II. alium diuinæ fidei assensum, iudicium quòd eas Deus reuelarit: hoc autem iudicium communiter & ordinariè resoluitur vltimò in hanc Ecclesiæ authoritatem, tanquam in prædictam regulam, quia communiter & ordinariè non iudicamus factam esse de rebus illis à Deo reuelationem, nisi quia Ecclesia, quam credimus habere prædictam authoritatem infallibilem, ita definit: neque id iudicamus vel mediatè, vel immediatè, propter aliquam vlteriorem regulam res à Deo reuelatas infallibiliter definientem: nulla enim huiusce modi vlterior regula est, cùm soli Ecclesiæ sit promissa specialis illa assistentia Spiritus sancti, qua fiet vt nunquam erret in rebus à Deo reuelatis definiendis.

III. Dixi, ordinariè, & communiter, vt significarem absolutè loquendo non esse necessarium resolui quemlibet huiusce modi rebus datum fidei diuinæ assensum in Ecclesiæ authoritatem tanquam in prædictam regulam: sed eum solum qui ab iis Christianis exercetur, qui non possunt aliunde iudicare certò harum rerum factam à Deo fuisse reuelationem, quàm ex Ecclesiæ hoc definientis authoritate. Neque verò Christiani omnes tales esse putandi sunt: etenim sunt inter eos Theologi multi qui hoc aliunde possunt, vt ex discursu Theologico, in quo dum vel ex vtraque præmissa de fide, vel ex vna de fide, & altera naturæ lumine euidenter nota, vident se in bona argumẽtandi forma inferre consequens, eo ipso sufficientissimè definiunt, sibique ipsis credendum fide diuina proponunt istud consequens, de quo, vt suppono, erat ante discursum Theologicum ipsis dubium, vtrùm à Deo reuelatum esse: tomne enim

IV. consequens sic illatum reuelatum à Deo esse, credíq. proinde fide diuina posse, fusè probaui in Tractatu de Deo disp. 2. sect. vltima. Quod etsi quidam Theologi negent de omni eiusmodi consequente, concedunt tamen omnes de aliquibus saltem, quod mihi satis est: fieri enim poterit, vt aliquod ex consequentibus istis ante discursum Theologicum sit controuersum, dubiumque, vtrùm à Deo reuelatum sit, an secus, quod dum proinde postea Theologus per Theologicum discursum rectè inferet, eo ipso

A sufficientissimè controuersiam hanc ipse sibi definiet, proponètque credendum tanquam à Deo reuelatum consequens illud quod sic intulerit.

Neque dicas Christianum hominem dantem diuinæ fidei assensum definitis ab Ecclesia priùs controuersis quæstionibus committere circu-

V. lum vitiosum: credet enim fide diuina res illas quas Ecclesia definit, à Deo fuisse reuelatas, quia Deus eas reuelauit: iudicabit autem Deum res illas reuelasse, quia Ecclesia, quæ habet infallibilem in rebus fidei definiendis & proponendis authoritatem, sic definit: hãc autem credet in Ecclesia esse authoritatem, quia Deus reuelauit: est hoc enim vnum inter cæteta mysterium fidei nostræ nobis ad credendum propositum, quòd nimirum in Ecclesia sit talis authoritas, cui proinde assentiri potest ex eo præcisè motiuo quòd Deus illud reuelarit: iudicabit autem Deum hoc reuelasse, quia Ecclesia quæ infallibilem authoritatem habet ita definit: quo in processu manifestus committitur

B circulus, dum per reuelationem diuinam cognoscitur prædicta infallibilis Ecclesiæ authoritas, & è conuerso illa diuina reuelatio per VI. hanc infallibilem authoritatem cognoscitur.

Ne, inquam, id dicas, falsum enim est, Christianum hominem de quo hîc agimus, iudicaturum Deum reuelasse, esse hanc in Ecclesia authoritatem, quia Ecclesia, quæ huiusmodi authoritatem habet, ita definit, sed hoc necessariò ex aliquo alio motiuo iudicabit, sícque nullus in toto illo processu circulus admittetur. Cùm enim ante quemlibet assensum fidei diuinæ alicui rei datum necesse sit, vt ex suprà dictis constat, præcedere iudicium quo huius rei reuelatio à Deo facta iudicetur, & proinde ante-

C quam per assensum diuinæ fidei credatur in Ecclesia esse prædictam authoritatem, necesse sit præcedere iudicium quo id à Deo fuisse re- VII. uelatum iudicetur: sequitur necessarium quoque esse, ante primum fidei diuinæ actum quo creditur hæc Ecclesiæ infallibilis authoritas, præcedere iudicium quòd huius authoritatis reuelatio facta à Deo fuerit: quod iudicium hac Ecclesiæ authoritate credita, tanquam siue formali motiuo, siue regula, siue pura conditione niti non potest, alioquin ante primum diuinæ fidei actum quo authoritas ista creditur, posteriorem iudicio de facta huius rei à Deo reuelatione, daretur aliquis alius diuinæ fidei actus & assensus eidem authoritati Ecclesiæ datus, prior illo eodem iudicio, quandoquidem ista authoritate credita aliquo modo niteretur, & proinde prior primo illo fidei diuinæ actu seu assensu iudicium hoc præsupponente

D & consequente, sícque contra hypothesim primus ille assensus primus non fuisset, quia prior VIII. eo aliquis alius extitisset.

Quinta assertio. Diuinæ fidei assensus necessariò resoluitur, in conditionẽ, tanquã in præuiũ de facta per Deum reuelatione rei creditæ iudicium, & in alia omnia quæ iudiciũ hoc præuia requirit, siue tãquam assentiendi motiua, siue tanquam conditiones: vltimò autem idem assensus tanquam in conditionem resoluitur in motiua per quæ generatur euidens iudicium credibilitatis. Prior pars assertionis ex eo pa-

tet, quòd necessariò hic assensus in id tanquam in conditionem resoluitur, quod est conditio necessariò prærequisita ad eius generationem: talis autem conditio est prædictum de facta reuelatione iudicium, vt ex suprà dictis satis constat, & per consequens illud etiam omne, quod iudicium istud ad sui generationem necessariò, vel tanquam motiuum, vel tanquam puram conditionem prærequirit.

I.

Secundæ quoque veritas liquet ex eo quòd certum in primis est, illud euidens iudicium esse conditionem ad assensum fidei diuinæ necessariò prærequisitam, quod ex suprà dictis satis notum est, & per consequens huiusmodi conditionis rationem habere motiua quibus illud iudicium essentialiter nititur. Quòd autem hæc sint vltima conditio in quam diuinæ fidei assensus resoluitur, constat, tum quia nulla potest assignari vlterior: tum quia illud est vltimum in quod illius assensus resolutio ut quod est primum à quo generatio eius incipit: ordo enim resolutionis contrarius est ordini generationis, & in id à quo ordo ille incipit, iste desinit, & vice versa: primum autem id à quo incipit assensus fidei generatio sunt motiua credibilitatis: vnde qui fidem nostram infideli persuadere vult, ab his motiuis explicandis incipit, vt postquam per hæc euidens ipsi fuerit fidei nostræ mysteria digna esse quæ credantur, postea eum ad illa reipsa credenda pertrahat.

II.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM ducitur ex duobus D. Thomæ locis, nempe ex quæst. 5. artic. 3. in Corp. & quæst. 11. artic. 2. ad 3. in quorum priore S. Doctor ait illum qui non inhæret doctrinæ Ecclesiæ, sicut infallibili & diuinæ regulæ, non habere habitum fidei, sed ea quæ fidei sunt alio modo tenere quàm per fidem. In posteriore verò dicit eum solum hæreticum esse censendum, qui pertinaciter doctrinæ Ecclesiæ contradicit. Verùm, neque ex hoc, neque ex illo loco colligi meritò potest, assensum fidei diuinæ spectatum vel præcise secundum se, vel prout in nobis iam est, eo sensu quo secunda tertiáque assertione superioris sectionis declaratum est, resolui debere in Ecclesiæ authoritatem tanquam in diuinam & infallibilem regulam.

III.

Prioris enim loci sensus est, hæreticum hominem, qui quoad aliquos nostræ fidei articulos idem sentit quod Ecclesia Catholica, quoad vnum autem aut plures alios pertinaciter non idem sentit quod ipsa, sed contrarium, non retinere habitum fidei diuinæ circa illos etiam priores articulos, ipsúmque iis per fidem diuinam non assentiri, sed per alium alterius generis assensum. Ex quo concludi non potest ad eliciendum diuinæ fidei assensum esse necessarium respicere ad Ecclesiæ authoritatem, tanquam ad diuinam & infallibilem regulam, & proinde assensum hunc in eam resolui debere.

IV.

Posterioris verò sensus est, eum non esse hæreticum existimandum, qui errat quidem contra doctrinam Ecclesiæ, sed absque pertinacia, id est, paratus ab Ecclesia corrigi, contrariúmque sentire, si sentiendum ipsa præscripserit, eúmque solum hæreticum esse, qui pertinaciter ipsius doctrinæ repugnat, sciens ab ipsa teneri & credi contrarium: ipse enim paratus non est ab ea emendari, & mutare sententiam, si mutandam esse definierit, quandoquidem scit ipsam hoc definire eo ipso quo contrariam doctrinam amplectitur, nec tamen mutat. Ex quo colligi etiam nō potest, eum solum Catholicum habendum esse, qui assensum fidei elicit innixus Ecclesiæ authoritati tanquam infallibili & diuinæ regulæ: vt quis enim Catholicus sit, satis est vt omnia quæ sibi sufficiētet proposita sunt tanquam à Deo reuelata credat propter authoritatem Dei reuelantis, neque adhuc necessarium est interuenire prædictam authoritatem tanquam diuinam & infallibilem regulam, vt constat ex secunda tertiáque assertione superioris sectionis.

A V.

Secundum est. Quilibet Catholicus siue doctus, siue indoctus, interrogatus cur aliquid credat, exempli causa, mysterium Incarnationis, respondet, quia Deus reuelauit: rursum autem quæsitus, cur hoc à Deo reuelatum putet, respondet, quia ita docet & tenet Ecclesia: ergo in hanc assensus fidei resoluendus est. Respondeo resolui & quidem necessariò in eam debere toties, quoties motiuum iudicandi factam esse à Deo de re aliqua reuelationem est Ecclesiæ ita sentientis authoritas, siue per hanc authoritatem intelligatur humana, siue diuina, quam habet Ecclesia ex speciali assistentia Spiritus sancti, à quo ita regitur, vt in rebus à Deo reuelatis definiendis proponendísque errare non possit.

B VI.

Verùm cùm ad assensum fidei diuinæ eliciendum non sit necessarium, siue spectata præcisè huius ipsius assensus natura, siue prout iam in nobis est, eo sensu quo citata secunda & tertia assertione dixi, iudicare Deum reuelasse id quod per fidem diuinam credimus, iudicare, inquā, ex prædicto motiuo authoritatis Ecclesiæ, sed prudentissimè id iudicari possit ex aliis motiuis quæ suprà recensuimus, vt superiori sectione probauimus: propterea dico non esse necessarium assensum fidei diuinæ resoluere in Ecclesiæ authoritatem, siue diuinam, siue humanam, nec proinde esse necessarium hominem seu doctum, seu indoctum, interrogatum cur iudicet mysterium Incarnationis, aut quoduis aliud esse à Deo reuelatum, respondere, quia sic sentit & docet Ecclesia, sed pro causa iudicij huius afferre posse motiuum aliud propter quod hoc sibi prudentissimè persuasit.

C VII.

Tertium. In illud resolui necessariò debet assensus fidei diuinæ, in quod resoluenda necessariò est huius assensus tum certitudo, tum infallibilitas: at hæc & illa in diuinam & infallibilem Ecclesiæ authoritatem resolui necessariò debet, ergo & ille assensus. Maior certa est: eadem enim est huius infallibilitatis certitudinisque, & illius assensus ratio, maximè cùm hæc infallibilitas & certitudo à substantia illius assensus à parte rei non distinguatur. Minor probatur: sicut enim diuinæ fidei assensus elici circa rem aliquam non potest, nisi præcedat iudi-

D VIII.

cium, quòd huius rei reuelatio à Deo facta sit: ita non potest elici certus & infallibilis diuinæ fidei assensus, nisi præcedat certum & infallibile de facta à Deo reuelatione iudicium: certum autem & infallibile iudicium esse nequit, nisi nitatur certa & infallibili regula, cuiusmodi est sola diuina Ecclesiæ authoritas.

I. Respondeo concessa Maiore, negando Minorem, cuius ad probationem dico, certitudinem & infallibilitatem assensus fidei diuinæ, tanquam in formale adæquatúmque motiuum resolui in solam authoritatem Dei reuelantis, qui nec falli potest, nec fallere, resolui autem necessariò debere in præuium de reuelatione à Deo facta iudicium tanquam in conditionem necessariò prærequisitam. Cæterùm vt assensus fidei, & proinde certus ac infallibilis, eliciatur circa rem aliquam à Deo reuelatam, sufficere vt illud præuium de reuelatione facta iudicium sit verum, & ita certum, vt prudenter formidari de opposito non possit: vt autem ita certum & verum sit, nó requiri vt innitatur infallibili regulæ, sed satis esse vt nitatur motiuis parientibus euidentiam credibilitatis quòd reuelatio à

II. Deo facta fuerit, & propter quæ prudenter iudicetur eam reipsa factam fuisse, siue motiua illa ex se & natura sua infallibilia sint, siue non sint.

Quòd si quis mallet præuium illud de reuelatione facta iudicium ita certum & infallibile esse debere, vt niteretur infallibili regula, negare deberet solam infallibilem regulam esse diuinam Ecclesiæ authoritatem, sed asserere deberet omne motiuum pariens euidentiam credibilitatis, quòd à Deo reuelatio facta fuerit, & propter quod prudenter creditur eam reipsa factam fuisse, huiusmodi regulæ rationem habere, quatenus Deus permittere non potest, vt quod ab ipso reuelatum non est, tanquam ab ipso reuelatum fiat sufficientibus motiuis euidenter credibile, &

III. vt prudenter credendum proponatur.

Et quidem quòd aut asserendum non sit præuium de reuelatione facta iudicium niti debere infallibili regula, aut quòd agnoscenda sit alia præterea regula infallibilis præter diuinam Ecclesiæ authoritatem, patet ex ipso primo iudicio quo esse hanc in Ecclesia authoritatem iudicatur. Aut enim primum hoc iudicium infallibili regula nititur, aut non: si primum, admittenda est altera regula infallibilis: hoc enim iudicium diuina Ecclesiæ authoritate non nititur, alioquin ante primum hoc iudicium aliud præcessisset quo idem iudicatum esset, & sic illud quod supponimus primum fuisse, primum non fuisset: quod si non nititur, necesse non est præuium de reuelatione

IV. facta iudicium niti regula infallibili, cùm non sit potior ratio iudicij huius, quàm illius, quia tam per fidem diuinam credi potest esse in Ecclesia prædictam authoritatem, quam Verbum Incarnatum esse, aut quid simile: vtrumque enim Deus reuelauit. Sicut ergo ad prius illud credendum necesse non est præcedere iudicium quòd Deus illud reuelarit innixum infallibili regulæ, aut alia præter Ecclesiæ diuinam authoritatem agnoscenda est regula infallibilis, quia iudicium illud huic Ecclesiæ authoritati innixi non potest, vt suprà ostendi: ita ad posterius istud credendum, necesse non est præcedere iudicium quòd Deus istud ipsum reuelarit innixum infallibili regulæ, cùm sicut omnes assensus fidei diuinæ eiusdem naturæ rationísque sunt, sic hi præuia de facta per Deum reuelatione iudicia non alia quàm eiusdem rationis ex se suáque natura prærequirant. V.

Quartum argumentum. Assensus fidei diuinæ vltimò resolui debet in id à quo primò incipit in nobis generari: atqui primò incipit generari in nobis à proponente, & externa eius propositione motiuorum quibus comparatur euidentia credibilitatis: ergo vltimò resoluitur in proponentem & externam eius propositionem, non verò in motiua quæ proponuntur. Maioris veritas patet ex axiomate, quo superiori sectione assertionem vltimam probauimus, quòd nimirum ordo generationis contrarius sit ordini resolutionis, & hic in illud desinat à quo ille incipit. Minor constat, quia motiua illa mouere nos non possunt, nisi nobis applicentur, non autem applicantur iam, nisi per hominem exteriùs proponentem. VI.

Respondeo ad Minorem, proponentem externamque eius propositionem esse, si non semper, saltem aliquando, vnum ex motiuis parientibus euidentiam credibilitatis, tum scilicet, cùm non solùm ea quæ ab ipso dicuntur & proponuntur, sed & ipsa eorum propositio, seu proponendi modus, ac proponentis probitas, aliæque qualitates & dotes vim aliquam habent mouendi eum cui proponuntur, seu ingenerandi in animo eius euidentiam credibilitatis eorum quæ proponuntur. Atque ita licet vltima resolutio fidei fiat in proponentem, externámque eius propositionem, tanquam in conditionem prærequisitam, verum nihilominus adhuc erit quod præcedente sectione, parte secunda postremæ assertionis docuimus, eam scilicet vltimò fieri in motiua credibilitatis, quandoquidem ipse proponens externáque ipsius propositio vnum est ex his motiuis. VII.

Quòd si supponatur vnum ex his motiuis non esse, adhuc tamen verum erit quod illa assertione diximus: per motiua enim in quæ fieri vltimò fidei resolutionem asseruimus, non intelleximus motiua solitariè & in abstracto veluti considerata, sed vt nobis applicata, cùm præsertim mouere nos nequeant nisi nobis applicentur, non applicentur autem iam secundùm legem Dei ordinariam, nisi per externam proponentis hominis propositionem: vnde motiuorum nomine eorum applicationem, ac proinde externam eorundem propositionem, ipsúmque proponentem comprehendimus.

Quanquam adhuc dicere possumus, quando proponens externáque ipsius propositio supponitur non esse vnum ex prædictis motiuis, requiri quidem secundùm legem Dei ordinariam ipsum proponentem, externámque ipsius propositionem, tanquam conditionem ad hoc necessariam, vt motiua illa nobis applicentur: resolutionem tamen assensus fidei fieri vltimo non in proponentem, externámve eius propositionem, sed in motiua: quia, vt prima sectione monui, resolutio fidei fit hîc à nobis, VIII.

& à Theologis communiter, non in ea quæ se tenent ex parte causæ efficientis, sed obiecti: vnde eum non resoluunt in intellectum, & habitum supernaturalem fidei, qui sunt eius causæ efficientes physicæ, neque in præuenientem Spiritus sancti gratiam, quæ est eiusdem causa moralis efficiens: motiua autem credibilitatis
I. se tenent ex parte obiecti, quandoquidem ab his tanquam ab obiecto cognito mouetur intellectus vt euidenter iudicet res nostræ fidei esse credibiles: proponens autem externáque eius propositio ex parte obiecti se non tenent, sed potiùs ex parte cuiusdam causæ efficientis moralis, quandoquidem, vt supponitur, neque à proponente, neque ab externa eius propositione mouetur intellectus illius cui propositio fit, ad iudicandum euidenter res nostrę fidei esse credibiles, sed tantum a rebus illis quæ à proponente dicuntur.

DISPVTATIO XVIII.

II. *Vtrùm actus internus fidei diuinæ ita sit moraliter bonus, vt nunquam moraliter malus esse possit?*

SECTIO PRIMA.

Pars affirmatiua defenditur, & probatur.

PROPOSITÆ quæstionis communior est inter Theologos affirmatiua pars, & probabilior, quam ex recentioribus defendunt nominatim Bannez hîc quæst. 4. art. quinto dub. 2. Gabriel Vasquez in 1.2. disp. 52. cap. 4. & Turrianus in 2.2. disput. 33. dubio
III. 1. & sequentibus. Antequam probetur, supponendum primò, internum diuinæ fidei actum habere bonitatem moralem obiectiuam, consistentem in subiectione intellectus sub Deo reuelante: vnde suprà docuimus volitionem credendi elicitam propter hanc huius assensus honestatem esse actum veræ virtutis specie distinctæ à quibusuis aliis virtutibus. Supponendum secundò, nullum actum potentiæ à volûtate diuersæ, quantumuis obiectiuè bonum, posse esse formaliter bonum, seu habere formalem bonitatem moralem, nisi fiat ex vi alicuius actus voluntatis formalem bonitatem moralem habentis. Supponendum tertiò, nullum eiusmodi actum potentiæ à voluntate distinctæ obiectiuè bonum posse esse formaliter malum, nisi vel fiat contra præceptum aliquod
IV. vetans eius exercitium, vel ex vi alicuius actus voluntatis mali moraliter.

His præsuppositis probo partem illam affirmantem his Scripturæ testimoniis, Ioannis 6. cùm quidam de turba Christo dixissent, *quid faciemus vt operemur opera Dei?* respondit Christus: *Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille:* quòd si internus fidei actus ex prauo aliquo affectu elici posset, atq; proinde formaliter esse malus & peccatum, credere in Deum opus Dei non esset, sed potius diaboli. Præterea ad Corinthios epistolæ 1. cap. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*, id est, Christi vnius veri Dei & hominis personam credere, nisi ex gratia Spiritus sancti: quòd si posset hoc aliquis credere ex affectu aliquo malo, posset illud ipsum dicere a-
A liunde quam ex sancto Spiritu: quod enim ex peccato & cum peccato fit, aliunde quàm ex Spiritu sancto fit. Denique Actorum 15. Diuus Petrus verbis istis, *fide purificans corda eorum*, purificationem cordis fidei tanquam proprium effectum tribuit: quòd si internus fidei actus ex mala voluntate posset elici, & proinde malus esse formaliter & peccatum, cor credentis non purificaret, sed formali sua malitia inquinaret. V.

Probatur secundò argumento quod totum D. Augustini authoritate nititur. Si internus diuinæ fidei actus mali finis gratia elici non potest, nunquam potest esse malus moraliter: atqui verum est prius, igitur & posterius. Maioris consequẽtia certa est ex consensu etiam aduersariorum, qui ideo solùm volunt illum
B fidei actum malum esse posse, quòd putent eum ex intentione mali alicuius finis, vt vanæ gloriæ, posse elici. Minorem probo claré ex hac Diui Augustini sententia lib. de Catechizandis rudibus cap. 5. non procul à principio: *Rarissimè quippe accidit, imò verò nunquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus: si enim commodum aliquod expectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum euitando, quorum offensiones aut inimicitias reformidat, vult fieri Christianus, non vult fieri potiùs quàm fingere: fides enim non est res saluandi corporis, sed credentis animi.* VI.

Cuius sententiæ primis verbis cùm visus esset docere, contingere aliquando, vt quis per fidem diuinam crederet humanæ gloriæ gratia, vel alicuius alterius boni temporalis, his
C immediatè sequentibus, *imò verò nunquam*, id corrigens, non solùm significauit id reipsa nunquam euenire, sed etiam euenire non posse: nullam enim habere potuit causam negandi hoc contingere aliquando, saltem rarissimè, si existimauit aliquando posse contingere. Vnde cùm eodem libro cap. 17. in principio sic ait: *Sunt qui propterea volunt esse Christiani, vt aut promereantur homines à quibus temporalia commoda expectant, aut quos offendere nolunt quos timent*, loquitur haud dubiè de iis qui solum exteriùs Christianam fidem fictè profitentur, aut volunt profiteri. VII.

Neque solùm significauit superioris sententiæ verbis id nunquam posse contingere, sed etiam eius rei rationem à priori indicauit, cùm
D dixit: *Fides enim non est res saluandi corporis, sed credentis animi.* His siquidem verbis non obscure declarauit, interiorem diuinæ fidei actum ex se non esse vtilem ad bonum aliquod temporale ab hominibus consequendum, nec proinde posse ex praua intentione temporalis istius boni tanquam finis vt medium eligi, & assumi ad huius finis consequutionem, cùm nihil eligi & assumi possit vt medium ad aliquem finem, nisi id in quo cernitur aliqua vtilitas ad illum consequendum. VIII.

Quòd autem nulla reipsa in interiori fidei actu sit vtilitas ad illius boni temporalis consequutionem, constat ex eo quòd hic actus cùm sit interior, & humanos oculos fugiat, per se non potest homini conciliare existimationem & famam Christiani hominis, in qua existimatione posita est immediata vtilitas ad temporale illud bonum obtinendum: quandoquidem, vt hîc supponimus, non nisi ei qui Christianus existimatur conferendum est: sed hanc existimationem & famam conciliant externa opera quibus se quis Christianum esse demonstrat, quæ cùm eadem esse possint, siue ex vera, siue ex simulata fide proficiscantur, consequens est interiorem fidei actum ad illud bonum temporale consequendum esse inutilem. Et sanè ad hoc est inutilis quando reipsa in homine non est, quando autem reipsa est, nihilo vtilior est, tum quia non magis tunc per se hominibus innotescit quàm quando non est: tum quia tunc vtilis dici non potest nisi ratione externorum operum per quæ tanquam per signa demonstratur: at quando non est, per eadem externa opera ficte facta demonstratur, & eodem prorsus modo quo quando reipsa est.

I. II.

At dices hoc quidem valere apud homines, quibus interiores nostri actus per se innotescere nequeunt, nec certò per externa opera tanquam per signa demonstrantur: at apud Deum, qui nouit & interna & externa omnia prout à parte rei sunt, non valere rationem illam nostram, fierique proinde posse, vt quis inordinato amore boni alicuius temporalis à Deo consequendi velit internos fidei actus exercere. Verùm hoc fieri non potest: si enim amor seu intentio finis illius peccatum est, interiorem fidei actum, qui vt medium ad eum finem eligetur, & assumetur, in eundémque proinde referetur, eiusdem peccati malitia inquinabit: omnis enim actus qui finis mali gratia fit, malitiam finis huius contrahit. Quod si fidei actus interior peccatum est, prorsus inutilis est ad bonum illud temporale à Deo promerendum & accipiendum: non potest ergo à voluntate assumi & eligi tanquam medium ad eum finem, cùm vt iam dixi, & certum est, nihil possit velle voluntas vt medium ad finem, nisi quod ad eum vtile sit.

III.

Viget nihilominus quidam recentior, & supponens Angelos sibi colloquentes mentiri non posse, quod verum arbitror, & probaui in Tract. de Angelis, disput. 34. sect. 11. & 12. ait posse Angelum vnum ex vana gloria, similive prauo fine, velle alteri dicere, se diuinæ fidei actum internum exercere, & reipsa dicere: quod nec diceret, nec dicere posset, nisi verè exerceret: aut saltem exercere se existimaret, cùm loquendo mentiri non possit. Verùm hinc tantùm sequitur, illam hoc dicendi voluntatem, & hanc dictionem, malam esse posse: at non simul ipsum internum actum elicitum: alioqui cùm æque possit ex prædicto fine voluntatem habere dicendi, & reipsa dicere, se Theologicæ spei, vel charitatis, & cuiusuis alterius veræ virtutis actum exercere, consequens esset, nullum esse virtutis vllius actum, qui non posset inquinari malitia praui illius finis ex quo conciperetur voluntas hoc dicendi, & reipsa diceretur.

IV.

Addo quòd etsi per loquutionem Angelus vnus alteri manifestare immediate internum suum diuinæ fidei actum posset, sicut & alios suos naturales conceptus & affectus potest: vt reuera posset, si aut ille fidei actus esset in entitate mere naturalis, aut cùm supernaturalis sit, si Angeli alienorum conceptuum & affectuum etiam supernaturalium proprias species haberent, sicut habent naturalium qui ad eos diriguntur: quantumuis vnus ex vana gloria vellet alteri manifestare suum illum diuinæ fidei actum, & reipsa manifestaret, non esset propterea consequens, actum hunc malum esse malitia vanæ gloriæ: sola enim voluntas eum manifestandi, & eius actualis manifestatio malitiæ istius particeps esset: non item ipse diuinæ fidei actus manifestatus: alioquin & veræ prudentiæ proprius actus, & cuiuslibet virtutis, tam Theologicæ, quàm pure moralis, eadem contaminari malitia posset, cùm æque possit Angelus hunc actum suum, quàm illum alterum fidei diuinæ, velle manifestare immediate alteri, & reipsa manifestare.

A V. B VI.

Nec dicas, aliud esse, fidei actum iam priùs elicitum velle postea ex vana gloria aut alio malo fine notum facere alteri: aliud, ex præuio isto eum manifestandi prauo motiuo, & vere manifestandi, eundem reipsa postea elicere, deinde manifestare: & hoc posteriori modo elicitum non posse non infici malitia finis illius mali propter quem elicitur, licet priori modo elicitus subsequentis malæ voluntatis malitiâ non coinquinetur. Ne, inquam, id dicas: hoc enim posteriore modo si elici potest, poterit & actus proprius internus veræ prudentiæ, charitatis item, & spei Theologicæ, atque cuiuslibet alterius virtutis moralis, siue naturalis & acquisitæ, siue supernaturalis & infusæ. Cur enim non æque similitérque poterit Angelus ex motiuo captandæ apud alios Angelos vanæ gloriæ, seu conciliandi sibi apud eos famam & existimationem veré prudentis, Deum diligentis, & quacunque alia virtute præditi, velle manifestare ipsis, & verè manifestare, internum actum suum veræ prudentiæ, charitatis erga Deum, & cuiusvis alterius virtutis, húncque proinde consequenter elicere, & elicitum manifestare? Dices, ex propria virtutum istarum natura repugnare, vt ex vi malæ voluntatis proprij earum actus eliciantur, & in finem aliquem malum etiam purè extrinsecum referantur: idem dico ego diuinæ fidei virtuti repugnare ex propria huius fidei natura, vt ex sequenti sectione constabit.

C VII.

SECTIO II.

VIII.

Eadem pars ratione præterea probatur.

D

PROBATVR postremò hac ratione. Si internus fidei diuinæ actus elici non potest ex prauo voluntatis affectu, imò non nisi ex bono formaliter, nunquam potest esse malus, imò non potest non semper esse bonus moraliter: atqui verum est antecedens, igitur & consequens. Maior certissima est. Minorem probo primum ex communi doctrina, & loquendi

more

more Theologorum, qui est, ad exercendum internum diuinæ fidei actum prærequiri necessariò piam voluntatis affectionem: quo piæ affectionis nomine non possunt aliud intelligere quàm actum bonum moraliter.

I. Secundò ex D. Thoma hîc quæst. 5. art. 2. in quo ponit discrimen hoc inter actum fidei qui in nobis est, & eum qui in dæmonibus, quòd prior ille sit ex ordine voluntatis ad bonum, seu ex bono prævio affectu, hic verò posterior minimè, sed ex euidentia signorum intellectum ad credendum cogente: & ibidem in respons. ad 2. in qua dicit fidem infusam etiam in peccatoribus inclinare ad credendum secundùm aliquem bonum voluntatis affectum. Prima item secundæ quæst. 56. art. 3. in Corp. vbi præmissa distinctione virtutis in eam quæ secundùm quid virtus dicitur, cuiusmodi ait esse sapientiam, scientiam, artem: & in illam quæ simpliciter dicitur virtus: addit, virtutis huius subiectum esse solam voluntatem, aut potentiam quidem aliam, sed secundùm quod est mota à voluntate: & hoc modo intellectum esse posse subiectum virtutis simpliciter dictæ, & reipsa esse, fidei scilicet diuinæ, & prudentiæ. Ex quibus est euidens ipsum velle fidei diuinæ habitum esse virtutem simpliciter, sicut & prudentiam: talis autem non erit, si proprius eius actus potest modò bonus esse, modò malus, ex prævia motione modò bonæ, modò malæ voluntatis: alioquin & ars, & scientia, & quilibet alius huiusmodi habitus erit pari iure virtus simpliciter, cùm proprius eius actus possit æquè nunc bonus esse, nunc malus, ex prævia nunc bonæ, nunc malæ voluntatis motione. Atque cum ad actum prudentiæ, quam virtutem simpliciter dicit esse, & habere pro subiecto intellectum practicum, requirat tanquam quid necessario prævium rectitudinem voluntatis, eandem haud dubiè

II. III. prærequirit ad actum fidei diuinæ, cùm fidem hanc, cuius subiectum ait esse intellectum speculatiuum, velit etiam esse virtutem simpliciter, vt & prudentia est.

Tertiò, quia nemo credit nisi volens credere, vt suprà probauimus, nemo autem potest velle credere nisi per gratiam Spiritus sancti, vt & docet sanctus Thomas quæstionis secundæ articulo nono, in quo ait fidem esse actum intellectus ex imperio voluntatis motæ per gratiam, & definit Concilium Arausicanum secundum canone quinto verbis istis: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti nobis ineſſe dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur.* Non

IV. potest ergo credendi affectus malus esse, alioquin ad affectum malum & peccatum Spiritus sancti gratia necessaria esset, ex eáque peccatum aliquod fieret, imò non potest non esse bonus, quandoquidem ad eum eiusdem sancti Spiritus gratia necessaria dicitur.

Quarto eo quòd internus diuinæ fidei actus est semper alicuius præmij à Deo accipiendi de congruo saltem meritorius, quod sane non semper haberet, nisi semper esset moraliter bonus, hæc siquidem moralis bonitas huiusmodi meriti proprium & necessarium fundamentum est. Quod autem semper ita sit meritorius, probo primùm authoritate sancti Augustini multis in A locis agnoscentis actum internum fidei etiam à peccatore elicitum sic esse meritorium: vt epistola 106. in qua sic loquitur: *Si quis dicat quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imò verò gratissimè confitemur: hanc enim fidem volumus habeant qua charitatem impetrent.* Quibus postremis verbis aperte declarat se loqui de fide existente in iis qui nondum habent charitatem: cui tamen fidei tribuit, vt patet, meritum gratiæ bene operandi, imò etiam ipsius charitatis consequendæ. Epistola quoque 105. docet disertè remissionem peccatorum (quæ fit per infusionem sanctificantis gratiæ) non fieri sine aliquo merito, quia fides illam impetrat. Denique libro de Prædestinatione Sanctorum capite secundo: *Quis*, inquit, *dicat* B *eum qui cœpit credere nihil mereri ab eo in quem credit?* Quibus verbis cùm manifestè velit eum qui cœpit credere in Deum, simul atque cœpit, mereri ab eo quidpiam, perspicuum ex consequenti est, ipsum pariter velle, actum fidei à peccatore elicitum meritorium esse, cùm minimè dubium sit peccatorem ordinariè prius tempore incipere credere, quàm per infusionem gratiæ sanctificantis & charitatis iustificetur.

V. VI. Probo deinde authoritate sancti Fulgentij libro de Incarnatione & gratia Christi capite 18. & Prosperi libro de vocatione Gentium cap. 22. illísque omnibus locis, quibus, vt fusè ostendi in Tractatu de VII. C Deo de Prædestinatione disputans, hi sancti Patres Semipelagianos docentes fidei actum ex nobis esse, & solis naturæ nostræ viribus, hoc argumento vrgent, quòd nimirum sequatur ex hac ipsorum doctrina gratiæ auxilium conferri nobis ex aliquo nostro merito, atque ita gratiam non esse gratiam, quia non gratis datur, sed ex meritis: quod argumentum nullum esset, nisi præsupponerent actum fidei de congruo saltem esse alicuius auxilij gratiæ meritorium.

Ratio autem à priori veritatis illius minoris propositionis, in cuius probatione versamur, videtur esse, quòd actus fidei diuinæ est ex se suáque natura quædam formalis animæ sanctitas, non perfecta illa quidem vi sua formaliter emundans à VIII. D peccato, sed inchoata, quatenus est, vt Tridentinum sessione sexta capite octauo loquitur, initium humanæ salutis, radix & fundamentum omnis iustificationis: cuiusmodi rei non potest non tam repugnare quælibet peccati malitia, quàm malitiæ huic, reiue per illam formaliter malæ repugnat esse iustificationis atque humanæ salutis initium, radicem & fundamentum.

Quæ ratio à fortiori euincit actus ſupernaturales ſpei & charitatis nunquam poſſe eſſe malos moraliter, cùm hi actus ex ſe ſint perfectior aliqua animæ ſanctitas, quàm fidei actus. Quanquam peculiaris adhuc ratio eſt, ob quam repugnat hos actus eſſe malos moraliter, quòd nimirum ex ſe poſtulent ſemper, imò debeant produci ab habitibus ſupernaturalibus ſpei, & charitatis, ſi connaturaliter producuntur: quibus habitibus cùm nihil deſit ad rationem veræ virtutis moralis, fieri non poteſt vt proprius eorum actus ſit vnquam malus moraliter, quia, vt in Tractatu de bonitate & malitia actuum humanorum diſputat. 7. ſect. 2. probaui, impoſſibile eſt habitum veræ virtutis eſſe proprium & connaturale principium alterius actus, quàm eius qui formali bonitate morali bonus ſit.

I.

Scio reſponderi poſſe, & ad hanc rationem ex natura fidei peritam, & ad ſupra relata Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Diui Thomæ teſtimonia, valere quidem illa, at non de quocunque fidei actu intellecta, ſed de eo ſolo qui reipſa bonus eſt, & ex bona credendi voluntate procedit. Verùm futilis eſt hæc reſponſio, primò quia de actu fidei & de credendi voluntate in genere, ſeu quoad horum actuum ſubſtantiam vbique loquuntur: cùm ergo huic vel illi actui, vel vtrique ſimul ſumpto tribuunt eſſe opus proprium Dei, Spiritus ſancti, diuinæ gratiæ, purificare cor, mereri & impetrare à Deo gratiam, & ſimilia, tribuunt haud dubiè omni illi actui qui eſt formaliter, id eſt, ex eſſentia ſua vera credendi volitio, & verus aſſenſus rei reuelatæ datus purè propter authoritatem Dei reuelantis: quare cùm nulli actui qui moraliter malus eſſe poſſit, nec alteri quàm ei qui moraliter bonus eſt, hæc tribui poſſint, tribuantur autem credendi volitioni, & ipſi credendi actui, ſequitur hunc & illum actum nunquam eſſe malum moraliter, immo non poſſe non eſſe ſemper bonum formali bonitate morali.

II.

III.

Secundò, quia procul dubiò non ita loquerentur de actu, de quo conſtaret ipſis eum modò bonum, modò malum moraliter eſſe poſſe, vt exempli cauſa, de externo actu eleemoſynæ: nuſquam enim de eo loquentes in genere, nulla facta mentione bonitatis, vel malitiæ moralis ipſius, quoties loquerentur, toties dicerent ad eum neceſſariam eſſe ſancti Spiritus gratiam, aut ipſum eſſe opus Dei, aut mereri & impetrare à Deo gratiæ auxilia, vel quid ſimile: quòd cùm toties dicant de interno fidei actu, quoties de eo in genere loquuntur, nulla facta mentione bonitatis ipſius, certum argumentum debet eſſe, ab iis reputari ſubſtantiam huius actus talem, cui nulla vnquam malitia moralis ineſſe poſſit, immo cui non poſſit non inexiſtere ſemper oppoſita bonitas.

IV.

SECTIO III.

Obiectiones ſoluuntur.

PRIMA. Omnis actus externus qui à voluntate poteſt imperari, poteſt tam in malum quàm in bonum finem imperari: atqui aſſenſus fidei diuinæ eſt actus externus voluntatis qui ab ea imperari poteſt. Diſtinguenda eſt Maior: ſi enim per actum externum is ſolus intelligatur qui elicitur ab externa potentia, ſeu exteriùs operante per actiones quæ vel in externam materiam tranſeunt, vel in externos ſenſus incurrunt, qualis eſt potentia motrix motum ambulationis efficiens, panem pauperi porrigens, aut quid ſimile producens, vera eſt Maior: ſed in talibus externis actibus numerandus non eſt diuinæ fidei aſſenſus, vt patet, cùm ſit in intellectu immanens. Quòd ſi vniuerſaliſſimè intelligatur omnis actus potentiæ à voluntate diſtinctæ extra ipſam voluntatem exiſtens, eadem Maior falſa eſt. Etſi enim multis hoc ſenſu externis actibus non repugnet quod in illa Maiori dicitur, repugnat tamen idipſum illi actui externo qui eſt aſſenſus diuinæ fidei, ob rationes quibus id ſuprà probatum eſt: vnde conſequenter concedo poſſe hominem ex praua intentione fidem exteriùs profiteri, baptiſmum, aliúdve ſacramentum adminiſtrare, aut ſuſcipere, futura etiam prophetico ſpiritu prædicere, & ſimilia, quæ proinde fateor poſſe eſſe mala moraliter: nec mirum, ſunt enim iſta omnia actus externi potentiæ motricis, cuius actiones ex praua fine fieri poſſe, & proinde poſſe moraliter malas eſſe, nulli dubium eſt.

A

V.

B

VI.

Aduerte autem hîc obiter de prophetica rerum futurarum per intellectum cognitione non eſſe idem prorſus iudicium, quod de externa rerum earundem prædictione: hæc enim cognitio poteſt eſſe formaliter aſſenſus fidei diuinæ: quare cùm nullus huius fidei aſſenſus elici poſſit ex alia quàm ex bona moraliter voluntate, nullus quoque poteſt vel ex mala, vel ex indifferenti voluntate velle hoc cognitionis genere futura cognoſcere: quod non impedit quin poſſit quis ex peruerſa intentione deſiderare fieri ſibi à Deo rerum illarum reuelationem. Quòd ſi rerum futurarum cognitio non per aſſenſum fidei formaliter fiat, ſed per alium actum, vt per euidentem futurorum in ipſiſmet futuris cognitionem, concedo poſſe deſiderari cognitionem hanc ex praua intentione, immo ipſam poſſe eſſe formaliter malam, & peccatum, ſi nimirùm ex vi prauæ huius intentionis ab homine libere exerceatur. Nec refert, quòd illa cognitio ſit in ſubſtantia ſupernaturalis: non enim ideo nego aſſenſum fidei diuinæ poſſe eſſe malum, aut fieri mala intenrione, quòd in ſubſtantia ſupernaturalis ſit: vnde concedo actum intellectus in ſubſtantia ſupernaturalem poſſe eſſe malum moraliter, referrique à voluntate prauum in finem, ſi nihil aliud obſtet quàm quòd in entitate ſit ſupernaturalis.

C

VII.

D

VIII.

Secunda. Poteſt Deus homini prohibere ne fidei internum actum pro aliquo ſaltem tempore exerceat, potéſtque homo mandatum hoc Dei, ſicut & quoduis aliud violare: ergo poteſt actus ille fidei malus eſſe

& peccatum, & reipsa erit, si eo tempore exerceatur : sicut & quilibet actus hominis liber immanens in homine peccatum formaliter est, quando sit eo tempore quo fieri prohibitum est.

I. Respondet Gabriel Vasquez 1. 2. dispur. 53. cap. 4. hoc supposito præcepto hominem non peccaturum ex eo præcisè quòd actum fidei eliceret, sed quòd ad cogitandum de rebus credendis animum applicaret: sicut, inquit, si nimis attenta de rebus hisce cogitatio grauiter sanitati noceret, peccatum illa esset, non tamen esset peccatum circa res illas cogitatas actus fidei exercitium. Hæc responsio non satisfacit: vel enim supponit solam de rebus à Deo reuelatis cogitationem fore contrà præceptum illud, vel non, sed præterea ipsum quoque fidei assensum. Si secundum, malè respondet: omnis enim actus hominis liber immanens in ipso homine à quo fit contra præceptum factus peccatum est. Si primum, falsum supponit: argumentum enim directè vult non solùm de rebus illis cogitationem esse præ-
II. cepto illo vetitam, sed etiam ipsum fidei assensum: imò argumentum cogitationem istam, neque vetitam, neque non vetitam esse vult, sed solum fidei assensum vult esse vetitum. Quin etiam quò magis appareat non satisfieri illi argumento, sic illud instituì posset. Potest Deus imperare homini vt de rebus credendis certo aliquo tempore cogitet, eodémque tempore ne circa ipsas assensum fidei exerceat: quo tempore si homo de illis cogitaret, eásque crederet, sanè vel contra præceptum illud assensum fidei eliciens non peccaret, vel certè non ex eo capite peccaret, quòd de rebus prædictis cogitaret, cùm è contrario nisi cogitaret, peccatum foret.

III. Respondeo ergo primò simile prorsus argumentum fieri posse de actu spei & charitatis, quem Deus vetet pro certo aliquo tempore exerceri, præcipiens nihilominus de rebus quæ per spem sperari, & per charitatem diligi possunt, eodem tempore cogitare: ex quo pari efficacitate concludi poterit actum spei & charitatis posse esse malum moraliter: cùm tamen de actu spei id neget expressè D. Thomas infra quæst. 17. artic. 1. ad 1. eadémque ratio qua id de spei actu negat, idem necessariò de actu charitatis euincat, & nos quoque superiori sectione rationem a priori attulerimus, ob quam fieri nequit vt hic aut ille actus vnquam malus moraliter sit.

IV. Vnde respondeo secundò, vel impossibile esse præceptum vetans illos actus, quandoquidem vna ex parte, vt probaui, nunquam fieri possunt, quin bene fiant, & sint boni moraliter: ex altera verò nihil potest esse vetitum per præceptum, quin fiat futurum peccatum, si reipsa fiat: vel si possibile est, dico reddi vi eius impossibile actuum illorum exercitium, nec proinde possibile futurum vt actus illi mali reddantur ex prædicti præcepti violatione: quo etiam supposito non posset non denegari gratiæ præuenientis auxilium necessarium ad credendum, sperandum, diligendum, aut si daretur à Deo nihilominus, eo ipso reuocaretur datum priùs de non exercendis illis actibus præceptum: eo enim ipso quo gratiam hanc excitantem daret, ad illorum actuum exercitium excitaret: eo ipso verò quo ad eos exercendos excitaret, vellet ipsos à nobis exerceri, eóque ipso quo hoc vellet, datum priùs præceptum quo vetabat & nolebat eosdem exerceri, reuocaret. V.

Tertia. Sanctus Thomas infrà quæst. 47. artic. 13. ad 2. distinguit in eo prudentiam à fide infusa, quòd illa, non verò hæc ab appetitu recto pendeat: ergo hæc ex appetitu non recto seu praua voluntate fieri potest, & proinde esse mala moraliter. Respondeo falsum esse antecedens: neque enim, vt in eo significatur, negat S. Doctor assensum fidei diuinæ pendere hoc sensu ab appetitu recto quòd à nostro intellectu nequeat elici nisi dependenter à præuio bono voluntatis affectu, sed in duobus prudentiam a fide distinguit. Primùm, quòd illa cum præscribat media eligenda & vsurpanda ad finem bonum
VI. intentum consequendum, supponit appetitum rectum, id est, bonam boni finis intentionem, ac proinde animum erga bonum finem bene dispositum & affectum, non ita fides, cuius non est media ipsa præscribere. Secundò quòd illa, cùm sit essentialiter cognitio practica, præceptiua est rectorum operum, in quæ facienda cùm fertur appetitus seu voluntas ex præuio illo dictamine & præceptione prudentiæ, recta seu bona moraliter est: hæc verò, cùm ex essentia sua sistat in cognitione veritatis à Deo reuelatæ propter authoritatem Dei reuelantis, non ita præceptiua est bonorum operum, nec proinde importat illum ex eo capite ordinem ad appetitum rectum
VII. quem prudentia: ex quo duplici inter hanc & illam discrimine patet colligi non posse, fidei diuinæ internum actum, hunc ad appetitum rectum ordinem non habere, quòd nimirum ille sine præuio aliquo recto seu bono appetitu, id est, voluntatis affectu elici ab intellectu nequeat.

DISPVTATIO XIX.

De necessitate interni actus fidei diuinæ.

SECTIO PRIMA.

Vtrum cuiuis, & quouis tempore sit ad salutem necessarius internus diuinæ fidei actus? VIII.

DVPLEX est alicuius actus necessitas ad finem aliquem obtinendum, præcepti scilicet, & medij: actus ille necessarius necessitate præcepti dicitur, ad quem exercendum est ex præcepto obligatio, itavt omitti voluntariè non possit sine peccato, & cum eo voluntarie

omisso stare non possit assequutio finis ad quem necessarius præcepti necessitate dicitur: necessitate verò medij necessarius appellatur ille actus, sine quo finis ad quem est necessarius obtineri non potest. Vnde duo in se includit huiusmodi actus. Primum, vt sit medium ad finem consequendum. Secundum, I. vt sit necessarium. Ratione primi habet vtilitatem ad assequutionem finis, alioqui medium non esset: ratione secundi talem vtilitatem habet, vt sine ea per nullum aliud medium finis obtineri possit, alioqui necessarium non esset: illud enim non est medium necessarium ad finem aliquem, sine quo finis ille obtineri potest.

Hoc præmisso, cùm hic quærimus id quod in titulo sectionis positum est, de tribus quæstio est. Primò de interno diuinæ fidei actu qui nititur authoritate Dei reuelantis tanquam adæquato formali obiecto. Secundò de quouis tempore lapso à peccato primi nostri parentis, & lapsuro vsque ad II. mundi finem, quod omne tempus in duas partes vniuersim distribuitur, in eam nimirum quæ præcessit sufficientem Euangelicæ legis promulgationem, & in eam quæ subsequitur. Tertiò de sola necessitate medij: nam de ea quæ præcepti est, commodiùs ad quæstionem decimam dici postea aliquid poterit.

Prima assertio. Infantibus non est ad salutem necessarius internus diuinæ fidei actus: tum quia cùm nullus infantium sit capax huius actus, si ipse esset iis necessitate medij necessarius, nullus eorum capax esset medij necessarij ad salutem, ac proinde salutis ipsius: tum quia illud non est medium necessarium ad salutem sine quo salus obtineri potest, at sine hoc actu possunt infantes obtinere III. salutem: possunt enim per medium illud per quod ab originali peccato purgantur, & sanctificante gratia donantur: per quod etiam reipsa eam consequuti sunt quotquot hac per illud gratia donati in infantili ætate mortui sunt.

Secunda assertio. Adultis quoque in infantia purgatis ab originali peccato per infusionem gratiæ sanctificantis non est actus ille diuinæ fidei necessarius ad salutem. Probatur, adulto in statu gratiæ sanctificantis existenti nihil est necessarium ad salutem nisi perseuerantia in hac gratia, perseuerabit autem in ea, si non peccet mortaliter, per solum enim mortale peccatum amittitur: potest autem non peccare mortaliter, etsi non exerceat internum diuinæ fidei actum: si enim IV. actum hunc non exercendo non posset non peccare mortaliter, maxime quia illius actus omissio esset peccatum mortale, at fieri potest vt eius omissio peccatum mortale non sit, nullius enim actus omissio peccatum est quæ ex inuincibili ignorantia contingit: fieri autem facile potest vt adultus, de quo agimus, ignoret aliquandiu inuincibiliter actum illum sibi exercendum esse, & huius ignorantiæ tempore moriatur.

Nec dicat hic aliquis, adultum in infantili ætate ab originis peccato emundatum, ex Dei ordinatione ac prouidentia non priùs moriturum, quàm aut internum diuinæ fidei actum exercuerit, aut in aliquod mortale peccatum lapsus sit: nam nullo ex loco Scripturæ, aliúve argumento colligi potest hæc Dei prouidentia, & ordinatio, aut iis adultis qui ad A Deum iam per habitualem fidem, aut simul etiam per gratiam sanctificantem accesserunt, cùm ipsoque coniuncti sunt, esse necessarium necessitate medij ad salutem consequendam internum diuinæ fidei actum: sed vt summum colligitur, esse necessarium necessitate præcepti: quæ necessitas non impedit consequutionem finis, quando præceptum inuincibiliter ignoratur, vt ab adulto illo ignorari supponimus. V.

Tertia assertio. Adulto tempore infantiæ non emundato à peccato originis necessarius est necessitate medij internus diuinæ fidei actus. Ita Theologi communiter contra Andream de Vega, qui lib. 3. in Trident. cap. 20. & seq. docuit his adultis de quibus hîc agimus, qui per discursum naturalem cognoB scunt vnius veri Dei existentiam, ignorant autem inuincibiliter aliquid à Deo reuelatum esse, quod diuina fide credi debeat, posse contingere iustificationem à peccato per infusionem gratiæ sanctificantis, & proinde salutem æternam. Cuius hæc opinio censetur à Theologis in fide saltem periculosa, contrariáque omnino certa, quam probo hoc argumento. VI.

Illud est necessarium necessitate medij ad æternam salutem consequendam, quod est necessarium necessitate medij ad emundationem à peccato per gratiæ sanctificantis susceptionem: atqui adulto illi de quo agimus necessarius est necessitate medij ad emundationem à peccato per huius gratiæ susceptionem internus diuinæ fidei actus, igitur, &c. Maioris consequentia patet ex eo quòd nulli salus æterna C potest contingere, nisi iustificato à peccatis per sanctificantem gratiam. Minorem probo in primis ex Patribus, Augustino serm. 38. de Temp. & serm. 181. in quo *constat*, inquit, *neminem posse placere Deo* (placet autem omnis qui emundatus ab omni peccato mortali est, & in statu gratiæ sanctificantis) *nisi per fidem*, statim adiungens, fidem esse bonorum omnium fundamentum, sine quo nullus in hoc sæculo iustificationem à peccato consequitur, & in futuro vitam æternam. Chrysostomo homilia de fide, spe, & charitate, in qua sic breuiter ait: *fides est origo iustitiæ*. Fulgentio in Prologo libri de fide ad Petrum, dicente, *nullam sine fide posse esse, aut prodesse conuersionem*. Leone denique, vt alios omittam, serm. 4. de Natiuit. asserente, *sine fide impossibile esse placere Deo, nihil sine ea viuum esse, nihil sanctum*. Sancta autem & viua D illa anima est, quæ ab omni peccato mortali emundata in gratia sanctificante est. VII. VIII.

Probo deinde eandem Minorem ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. in quo postquam dixit instrumentalem iustificationis causam esse baptismum, qui est sacramentum fidei, addit immediatè, *sine qua nulli vnquam contigit iustificatio*. Vbi notandæ sunt duæ illæ voces, *nulli vnquam*, vniuersaliores enim esse non potuerunt ad significandum nullam prorsus iu-

stificationem à peccato posse adultorum esse sine fide, & cap. 8. in quo ait, ideo homines dici iustificari per fidem, *Quia hæc est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis.* Denique ex Apostolo ad Hebræos cap. 11. sic scribente: *Impossibile est sine fide placere Deo*, cui tamen, vt dixi, placet
I. A ille omnis qui per sanctificantem gratiam purgatus ab omni mortali peccato est.

Quibus omnibus locis sermo in primis est de fide Catholica, seu quæ nititur sola authoritate Dei reuelantis, quam & initio capitis illius definiuit Apostolus *substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium*: quibus verbis, omnium interpretum consensu, definitur illa fides, de qua hac disputatione loquimur. Deinde sermo est de fide vel actuali, vel habituali: si primum, habemus intentum, habemus enim internum diuinæ fidei actum esse necessarium necessitate medij ad salutem, quandoquidem sine illo non potest esse iustificatio à peccato, nec proinde salus: si secundum, cùm ex com-
II. B munì doctrina Theologorum, Conciliorum, immo totius Ecclesiæ, nulli vnquam adulto infundatur habitus fidei, nisi vel prius tempore vel simul fidei actum exercenti, sequitur, vt patet, nos semper habere, actum hunc esse necessitate medij necessarium ad iustificationem à peccatis, & proinde ad salutem consequendam.

Neque dicat hîc quisquam, citata Patrum, Tridentini, Paulique testimonia de necessitate actus fidei intelligenda esse pro tempore Euangelicæ legis: non enim dubitari debet, quin Tridentinum, Patrésque citati, cùm tam vniuersaliter loquantur, vt ex relatis eorum verbis patet, pro eo omni tempore actum illum esse necessarium velint, quo Apostolus voluit: hunc autem voluisse non pro
III. C solo tempore legis Euangelicæ, sed omni quoque antecedente fuisse necessarium actum illum, ex eo patet, quòd capite illo vndecimo ait Enoch, qui primis mundi temporibus vixit, habuisse fidem, ex eoque probat, quia Deo placuit, impossibile autem est sine fide placere Deo: quæ probatio nulla esset, nisi etiam tunc temporis ad placendum Deo, ac proinde ad emundationem ab omni mortali peccato per infusionem sanctificantis gratiæ, fides prorsus necessaria fuisset. Ex quo etiam colliges, de nullo sentiendum esse, quòd absque fide Deo placuerit, alioquin Apostoli probatio inualida esset. Nam si de aliquibus id existimari meritò posset, responderi Apostolo potuisset, Enoch vnum ex iis fuisse qui Deo absque fide placuerunt, ipsum
IV. D proinde malè argumentari, dum probat ex eo quòd Deo placuit, illum fidem habuisse.

Hîc autem aduertenda duo sunt. Primum est, non esse existimandum eandem esse rationem hominis cuiuslibet existentis in aliquo mortali peccato, quæ est adulti, de quo hac assertione loquimur: hic enim ad adultam ætatem veniens neque fidem habitualem, neque actualem habet: at plerunque qui in peccato mortali est fidem adhuc retinet, vnde non mirum, si cùm ille simpliciter loquendo fidelis sit, non videatur ei simpliciter necessarius necessitate medij actus internus diuinæ fidei ad emundationem à peccato, & proinde ad salutem, qui priori illi, vtpote neque per habitum, neque per actum fidei fideli, necessarius est.

V. Secundum est, eandem esse rationem hominis priùs iustificati, & postea lapsi in mortale peccatum hæresis, per quod cùm sancti ficante gratia habitualem simul fidem perdidit, quæ est adulti de quo hac assertione egimus, eandem, inquam, esse rationem, quantum attinet ad necessitatem actus interni diuinæ fidei. Cùm enim prior ille per illud suum mortale peccatum æque careat fidei habitu, atque si nunquam habuisset: cùm item omnem vim actuum fidei quos exercuerat sic per idem mortale peccatum extinxerit, vt ab iis ampliùs denominari fidelis nequeat, non magis fidelis dici vel per habitum vel per actum fidei potest, quàm si nunquam & habitu præditus fuisset, & vllum actum exercuisset. Eodem ergo, quantum ad hoc, prorVI. sus modo se habet quo adultus ille de quo agimus, qui nec fidei habitum vnquam habuit, nec vllum fidei actum exercuit: tam ergo vni quàm alteri actus diuinæ fidei erit necessitate medij necessarius ad emundationem à peccato per susceptionem gratiæ sanctificantis, ac proinde ad salutem æternam consequendam.

Quarta assertio. Non est ex natura rei, sed ex ordinatione Dei, quod aliquis actus diuinæ fidei sit necessitate medij necessarius ad iustificationem à peccatis, ac proinde ad salutem. Probatur prima pars: Ad actum perfectæ contritionis & dilectionis Dei super omnia non est ex natura rei necessitate medij necessarius vllus actus diuinæ fidei: ergo nec ad iustificationem à peccatis, ac proinde ad VII. salutem. Huius consequentiæ bonitas certa est, actus enim ille contritionis & dilectionis vel est ipsa formalis à peccatis iustificatio, vel vltima ad eam dispositio, quam ea semper & infallibiliter sequitur. Antecedentis veritas ex eo patet, quòd si ad actum illum esset ex natura rei necessarius necessitate medij diuinæ fidei actus, non posset ex natura rei actus ille sine prævio isto exerceri, at potest: dummodo enim per naturalem cognitionem cognoscatur idem quod per internum diuinæ fidei actum cognoscitur, actus ille ex natura rei elici poterit: vt enim voluntas actu suo, siue naturali, siue supernaturali feratur in aliquod obiectum, nihil aliud prærequirit ex parte intellectus, quàm vt sibi ab eo repræsententur omnia, sine quorum prævia repræsentatione ferri non potest actu illo suo in obiectum illVIII. lud: eadem autem quæ ipsi per actum fidei diuinæ possunt ab intellectu repræsentari, possunt etiam per actum fidei humanæ, aut alium in entitate naturalem.

Nec dicat aliquis, actum supernaturalem voluntatis ex natura rei prærequirere supernaturalem intellectus cognitionem, actum autem illum perfectæ contritionis & charitatis supernaturalem in substantia esse: hoc enim fateor de actu illo, sed nego supernaturalem

actum voluntatis prærequirere ex natura rei supernaturalem in intellectu cognitionem, & dico voluntatis actum supernaturalem tam sequi posse ex præuia cognitione naturali, quàm supernaturali, dummodo per vtramque idem prorsus obiectum ipsi repræsentetur: sicut & naturalis eiusdem actus sequi potest tam ex præuia cognitione supernaturali, quàm naturali, dummodo item per vtramque idem repræsentetur: cuius rei ratio à priori disput. II. sect. I. allata est. I.

Iam secundæ partis veritas ex prima probatione eluceſcit: si enim ex rei natura non est quòd internus aliquis diuinæ fidei actus sit ad iustificationem à peccato, ac proinde ad salutem necessitate medij necessarius, est ex voluntate seu ordinatione Dei: aliunde enim esse non potest.

SECTIO II.

Vtrùm explicitè credere mysterium Trinitatis, & humanæ per Christum redemptionis fuerit quouis tempore necessarium ad salutem? II.

NOTANDVM primò, quæstionem hîc esse de eodem interno actu credendi, eodem tempore, eadem medij necessitate, de qua superioris sectionis initio quæstionem esse monui. Notandum secundò, illud explicitè credi, quod secundum se expressè distinctéque creditur: sic mysterium Trinitatis explicitè credi dicitur, cùm per actum fidei creditur esse vnum Deum, tres autem diuinas personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: implicitè verò illud credi, quod secundum se quidem distinctè non creditur, sed in alio distinctè secundùm se credito, in quo virtute continetur, credi censetur: sic qui credit explicitè Deum esse liberatorem humani generis eo quo ipsi placuit modo, implicitè credit mysterium Incarnationis, quia mysterium hoc eo in modo continetur: fuit enim ille ipse in particulari modus qui ad liberandum genus humanum Deo placuit. III.

Notandum tertiò, per explicitam fidem redemptionis humanæ per Christum hîc intelligi fidei actum quo expressè distinctéque creditur Christum esse Deum & hominem, esse Dei filium, húncque per passionem & mortem suam genus humanum redemisse. Notandum quartò, quod de mysterio hoc humanæ per Christum redemptionis definietur, ad mysterium quoque Trinitatis extendendum esse: quantum enim ad credendi necessitatem, eadem est vtriusque ratio, ex communi Theologorum consensu, ita vt si aliquo tempore necessaria non fuit explicita fides vnius, nec fuerit alterius: & è contrario quo tempore necessaria fuit vnius explicita fides, fuerit & alterius. IV.

His prænotatis, facilè consentiunt Theologi, quantum ad tempus quod sufficientem legis Euangelicæ promulgationem præcessit, non fuisse necessariam necessitate medij, imò & præcepti, fidem explicitam humanæ per Christum redemptionis. Cuius doctrinæ veritas ex eo patet, quòd mysteria illa, quorum fides explicita necessitate vel medij, vel præcepti, fuit tempore illo necessaria, fuerunt proculdubio nota communiter fidelibus Iudæis, sicut & nunc fidelibus Christianis. nota communiter sunt quæ ipsis necessitate, siue medij, siue præcepti, credenda explicitè sunt. Quòd autem Iudæis illis communiter notum explicitè non fuerit humanæ per Christum redemptionis mysterium, imò nec Pharisæis ipsis qui doctiores inter eos erant, constat tum ex Apostolo variis locis, nominatimque ad Galat. cap. 3. sic loquente: *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat.* Hæc autem est fides Incarnationis Verbi diuini, diuinitatis Christi, & mortis ipsius: tum ex eo quòd Christo suam illis diuinitatem prædicante, se Dei filium esse dicente, tantopere ad rei nouitatem & magnitudinem mirabantur, vt non modò non crederent, sed etiam absurdam & blasphemam huiusmodi doctrinam dicerent. A B V. VI.

Cæterùm implicitam mysterij huius fidem singulis ante sufficientem legis Euangelicæ promulgationem fuisse necessitate medij necessariam, cùm facile item Theologi consentiant, dubitatio aliqua est, qua in re posita fuerit hæc implicita fides? Ego verò breuiter dico positam fuisse non in solo fidei habitu, quo sicut habitualiter, sic implicitè quodammodo omnia quæ à Deo reuelata sunt creduntur: neque in eo solo actu, aut simili quo expressè Dei prouidentia & misericordia erga homines in genere creditur, in particulari autem nihil omnino de Christi persona expressè cognoscitur, sed in eo actu quo expressè Christus venturus credebatur: qui actus dicitur implicita Christi fides, quia per eum non explicitè eius in vna persona diuinitas & humanitas, mors & per mortem redemptio generis humani, similiáque ad explicitam Christi cognitionem pertinentia cognoscebantur. C VII.

Addecor autem in hanc sententiam motus authoritate sancti Augustini, quem multis locis ita sentientem citat & sequitur Magister in tertio distinct. 25. Præter quæ loca à Magistro ibi citata ex epistola 157. & libro de corrept. & gratia, cap. 7. sunt & alia non non minùs illustria eiusdem sancti Patris testimonia, maximéque istud ex libri 18. de Ciuitate cap. 47. in quo cùm dixisset quosdam ante Christi aduentum etiam ex Gentilibus saluos fuisse, adiungit hæc verba, *quod neminì concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus fuit vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui venturus in carne antiquis satis annuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est.* Quibus similia habent S. Hieron. scribens in hæc verba capitis 2. epistolæ ad Galat. *Scientes quia non iustificatur homo nisi per fidem Iesu Christi.* Prosper in illud Psalmi 118. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Leo serm. 14. de Paschate, Gregorius homil. 17. in Ezechielem, Bernardus denique epistola 77. ad Hugonem. D VIII.

Iam quod attinet ad necessitatem explicitæ fidei prædicti mysterij à tempore sufficientis promulgationis Euangelicæ legis, prima sententia est Andreæ de Vega superiore sect. citati, sufficere ad salutem, quando cætera inuincibiliter ignorantur, implicitam Christi Redemptoris fidem, virtute contentam in ea explicita fide, qua in genere Dei erga hominum liberationem prouidentia & misericordia creditur. Reiicitur, si enim ex Patribus paulò antè relatis ante Christi aduentum fuit necessaria magis explicita Christi Redemptoris fides, multò magis erit post aduentum eiusdem, & sufficientem legis Euangelicæ promulgationem, per quam præcipua & ad credendum difficiliora fidei nostræ mysteria, quæ antiquitus vel omnino silebantur, vel obscurè & veluti ænigmaticè per Prophetas prænuntiabantur, vel denique sacrificiorum & figurarum vmbris tegebantur, detecta sunt, & in apertum clarè distinctéque prolata.

I. A

Secunda est Cani Relectione de Sacramentis in Communi, Domin. Bann. ad art. 8. quæst. 2. & quorundam aliorum distinguentium duplicem salutem, vnam viæ, quæ in iustificatione consistit: alteram patriæ, quæ in glorificatione: & dicentium, ad priorem salutem non esse necessariam Christi Redemptoris explicitam fidem, ad posteriorem, esse. Refellitur primò, eo quòd nemo veterum Theologorum aut Patrum vnquam agnouit aliquid necessitate medij necessarium esse ad vitam æternam, quod non esset eadem necessitate necessarium ad iustificationem, dempta finali in hac iustificatione perseuerantia, quæ ad illam sic necessaria est. Secundò à priori, ea ratione qua superiori sectione probaui secundam nostram assertionem. Neque dicant Deum decreuisse nulli adulto quantumuis iustificato dare gloriam æternam, antequam credat explicitè Christum Redemptorem: huius enim decreti nullam in Patribus, Conciliis, Scripturis mentionem, nullum reperire vestigium possunt.

II.

III.

Tertia sententia est multorum, maximè recentiorum, ad salutem siue vitæ præsentis in iustificatione, siue futuræ in glorificatione consistentem, non esse necessitate medij necessariam explicitam Christi Redemptoris fidem, sed implicitam illam sufficere quæ ante Christi aduentum sufficiebat. Quarta demum & omnium probabilissima est post sufficientem legis Euangelicæ promulgationem esse singulis ad salutem, ac proinde ad iustificationem medij necessitate necessariam explicatam fidem Christi Redemptoris. Ita Duran. in 3. dist. 25. quæst. 1. num. 9. Albert. eadem dist. art. 1. Bonauent. ibidem quæst. 2. Alensis 3. parte quæst. 82. membro 3. Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacr. parte 10. cap. 6. & 8. & Greg. à Valent. hic disput. 2. quæst. 2. punc. 4. Eandem sententiam sequi videtur D. Thomas hîc quæst. 2. art. 7. de quo tamen certum non est, vtrùm de necessitate medij loquatur, an præcepti solius. In eadem sunt Thomistæ communiter, & esse S. Thomæ opinionem existimant.

IV. D

Quam amplector in primis propter authoritatem D. Augustini, cuius est hæc constans perpetuaque doctrina multis locis, vt lib. 1. de nat. & gratia cap. 2. & libro 2. cap. 24. libro item de corrept. & gratia, cap. 7. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. lib. de prædest. Sanctorum, cap. 7. & sæpe alibi. Irenæi quoque lib. 3. cap. 27. & Bernardi citata ad Hugonem epistola circa medium. Eandem amplector deinde, quia Tridentino Concilio & Scripturæ videtur conformior: illi quidem, quoniã sess. 6. c. 6. explicans præuias ad iustificationem dispositiones asserit homines ad eam disponi, quando per adiutorium gratiæ Dei *fidem ex auditu concipientes credunt vera esse quæ diuinitus reuelata sunt; illud in primis impium iustificari à Deo per gratiam eius per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Vbi voces hæ, *illud in primis*, non obscurè indicant necessitatem explicitæ fidei Christi Redemptoris.

V.

Scripturæ verò quamplurimis locis, vt Ioan. 3. vbi sic scribitur: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quo ex loco colligitur eadem necessitate requiri nunc ad supernaturalem animæ salutem, explicitam Christi Redemptoris fidem, qua requirebatur olim ænei serpentis aspectus ad corporalem: hic enim aspectus a Christo refertur tanquam figura illius aspectus fidei quo ipsum Christum Redemptorem respicimus seu credimus, vt rectè confirmat Maldonatus in citatum Ioan. locum: aspectus autem ænei serpentis ad salutem corporalem erat prorsus necessitate medij necessarius, quod ex Numer. cap. 21. certum est. Vt etiam Act. cap. 10. vbi sic de Christo dicitur: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Vnde & Paulus cap. 26. eiusdem libri, referens verba Christi se mittentis, sic loquitur, *In gentes mitto te, vt accipiant remissionem peccatorum per fidem quæ est in me.* Et ad Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes qui credunt in eum.*

VI. B

VII. C

Denique illam amplector ob Ecclesiæ praxim, quæ specialiter requirit, vt antequam quis adultus baptizetur, instruatur distinctè & explicitè de mysterio Trinitatis, & incarnationis filij Dei, factæque per ipsum Incarnatum, passum & mortuum humanæ redemptionis: quod argumento est, Ecclesiam sentire sine explicita huius vtriusque mysterij fide nulli adulto iustificationem à peccatis etiam per baptismi sacramentum posse contingere. Nam si solius præcepti necessitate necessariam esse sentiret, cur cùm multa alia eadem præcepti necessitate credenda sint, cur item cùm pleraque alia adultis ex præcepto siue Diuino siue Ecclesiastico partim facienda, partim fugienda sint, illorum duorum mysteriorum potius ante baptismi susceptionem cognitionem in adultis requireret, quàm rerum istarum aliarum?

VIII.

Nec dicant tertiæ sententiæ authores, euinci quidem prædictis testimoniis, esse necessariam explicitam Christi fidem necessitate medij, sed vel in re, vel in voto. Ne, inquam, id dicant: primò quia S. Bernardus loco suprà citato explicitam Christi Redemptoris fidem magis ad salutem esse necessariam dicit, quàm baptismum: hic autem in re vel voto necessarius est,

fides ergo illa in re erit necessaria. Deinde serpentis æneiaspectus erat ad salutem corporis necessarius in re, nec in voto eum habere sufficiebat, ergo nec sufficiet in voto, sed erit in re fides prædicta necessaria, cùm, vt supra dixi, par vtriusque fuerit necessitas. Denique quia sic non esset maior necessitas explicitæ fidei I. Christi Redemptoris, quam cæterorum omnium, quæ ex solo præcepto credenda sunt, cùm horum omnium fides saltem in voto sit necessarium ad salutem medium. Nam qui horum omnium credendorum votum non haberet, saluus esse non posset, esset enim in peccato mortali, in quo quandiu quis est, saluus esse non potest, & à quo iustificari per susceptionem sanctificantis gratiæ nemo potest, nisi prædictum votum habeat: quid sit autem votum hoc, & qua in re includatur, suo loco, nempe in Tract. de gratia disput. 12. fusè à sectione 8. declaratum est.

Nec secundò dicant esse quidem in re necessariam necessitate medij fidem explicitam Christi Redemptoris, at non tam explicitam, vt eius II. vna in persona diuinitas & humanitas expresse cognoscatur, aliaque quæ ad explicitam Christi cognitionem prænotatione nostra tertia sectionis initio requirimus. Ne inquam id dicat: nam communis Theologorum consensus est, si magis explicita Christi Redemptoris fides in lege noua post sufficientem eius promulgationem requiritur, quàm antè requirebatur, requiri explicitam illam quam tertia illa prænotatione declarauimus: quòd autem magis explicita requiratur, patet ex iis omnibus quæ in quartæ sententiæ confirmationem diximus.

Superest vt hic quatuor obseruemus. Primum est, quod in hac quarta sententia asseruimus non esse extendendum ad nouæ legis infantes: patet hoc iisdem rationibus, quibus superiori sectione primam nostram assertionem III. probauimus. Secundum est, neque etiam extendendum esse ad adultos eiusdem nouæ legis iustificatos ab originali peccato dum infantes essent: quod eadem ratione euincitur, qua præcedente sectione secunda nostra assertio probata est. Tertium, non esse quoque extendendum ad eos, qui infantes à peccato originis emundati, postea adulti facti mortaliter peccauerunt peccato mortali per quod habitualem fidem non amiserunt: hoc etiam euincunt ea quæ de tali peccatore tertia assertione eiusdem sectionis dicta sunt. Quartum, hanc medij necessitatem explicitæ fidei Christi Redemptoris ad iustificationem ab iis consequendam, qui in infantia ab originis peccato purgati non sunt, nec proinde fidem habitualem habent cum ad adultam ætatem perueniunt: hanc in- IV. quam necessitatem non ex rei natura esse, sed Dei ordinatione: quod & iisdem rationibus probatur efficaciter, quibus assertio quarta superioris sectionis probata est.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedente sectione traditam.

IAM obicies primò decimum caput Actorum, in quo de Cornelio agitur, nec obscurè significatur eum ante D. Petri aduentum in eius domum non habuisse explicitam Christi cognitionem, quod & expresse docet S. Aug. libro de Prædest. Sanctorum cap. 7. qui tamen ante tempus illud iustus fuit, vt constat ex illo ipso capite Actorum, in quo dicitur fuisse vir religiosus & iustus, &c. Vnde concluditur, ad A iustificationem, non esse necessariam necessitate medij, post sufficientem legis Euangelicæ promulgationem, explicitam Christi Redemptoris fidem. Respondeo negando conclusionem hanc: iustificatus enim est Cornelius ante sufficientem promulgationem Euangelicæ legis, quo tempore non erat necessaria ad iustificationem explicita illa Christi fides, quam postea fuisse necessariam dicimus. Nec refert quòd Actorum cap. 8. dicatur Philippum Diaconum, post baptizatum Eunuchum, ab Azoto euangelizasse cunctis ciuitatibus, donec veniret Cæsaream, quæ vrbs sita erat in Palæstina, & in qua Cornelius habitabat: hoc enim vt summum probat in Palæstina iam fuisse sufficienter Euangelium promulgatum, cùm ad prædictum Cornelium venit S. Petrus, non ve- B VI. rò probat ipsum Cornelium ante sufficientem in Palæstina Euangelij promulgationem non fuisse iustificatum.

Obiicies secundò caput secundum epistolæ ad Roman. in quo dicit Apostolus factores legis iustos esse apud Deum, immediatè postea subiungens, gentes naturaliter ea quæ legis sunt facere: ex quo sequitur, quòd sicut absque explicita Christi Redemptoris cognitione & fide quæ sunt legis faciunt, ita absque eadem apud Deum iustificantur. De quo vtroque Apostoli loco quoniam fusè dixi in Tractatu de gratia disput. 1. hîc solùm dicam quod ad obiectionis solutionem satis est, nempe Apostolum velle quidem neminem esse diu obseruatorem totius legis naturalis, itavt C VII. contra nullam peccet mortaliter, quin apud Deum iustificetur, Deo per bonitatem suam infinitam semper tali homini conferente spiritum veræ compunctionis quo à peccatis iustificatur: at nusquam velle, talem hominem esse toto illo tempore, quo diu est obseruator totius legis, destitutum explicita illa Christi fide præuia, quam ad iustificationem esse necessariam suprà docuimus. Neque vox, *naturaliter*, ab Apostolo vsurpata carentiam fidei huius aut significat, aut innuit, vel carentiam gratiæ præuenientis, quam ad legis obseruatronem necessariam esse citata disputat. prima probauimus, sed carentiam solius legis scriptæ quam populus Israeliticus accepit, & sine qua Gentiles nihilominus legem ipsam obseruant, quam per naturale rationis lumen satis supérque cognoscunt. D VIII.

Obiicies tertiò, si ad salutem necessaria est explicita illa Christi Redemptoris fides, aut etiam vllius alterius mysterij in entitate præsertim supernaturalis, consequens esse, multas olim fuisse, & nunc adhuc existere gentes, quibus est, & fuit impossibile salutem consequi, quod tamen contra fidem est: illis enim salus est impossibilis, qui carent medio ad salutem necessario quod habere non possunt: illæ autem gentes & carent nunc tali medio, & olim

caruissent, nempe fide illa quam esse eiusmodi medium dicimus, nec in earum potestate esset, aut fuisset fidem illam habere: haberi enim non potest nisi Deo vel per seipsum immediatè, vel mediatè per Angelum, aut hominem horum mysteriorum credendorum propositionem faciente, certum autem est hanc ipsis nusquam factam esse.

I. A

Respondeo negando illud consequens, cuius ad probationem dico, gentes quidem illas caruisse necessario ad salutem medio, at saluari nihilominus potuisse, quia fuit in earum libera potestate medium illud habere: fuit enim ipsis liberum consentire gratiis Dei præuenientibus & excitantibus ad fugienda mala, & bona facienda, quæ naturæ lex cuiusque menti insita præscribit: quod si fecissent aliquandiu, ac proinde si naturæ legem obseruassent, Deus illas infallibiliter vel immediate per se, vel mediate per hominem, aut Angelum de necessariis ad salutem fidei articulis instruxisset, quibus fidem, si voluissent, adhibuissent, sicque medium ad salutem necessarium habuissent.

II. B

Obiicies quarto. Potest actus perfectæ contritionis elici absque præuia vlla fide Christi Redemptoris, aut alterius vllius mysterij præsertim in entitate supernaturalis, ergo & absque ea homo iustificari. Consequentiæ bonitas patet: hæc enim contritio vel est ipsa formaliter iustificatio, vel vltima ad eam dispositio. Probatur antecedens, infidelis, & ignarus prorsus Christianæ religionis dum de ea eruditur, sic doceri potest, vt ei primò proponatur vnicum esse Deum summe bonum & amabilem, ipsum peccatis offendi, hæc detestanda esse, non modò quia rectæ rationi repugnant, sed etiam quia tantæ maiestati displicent: quibus ille auditis, & vel per naturale lumen rationis, vel per actum fidei diuinæ cognitis nulla alia re de Christo, vel aliis nostræ fidei mysteriis annuntiata, potest velle non peccare amplius ne Deum offendat, & dolere de præteritis peccatis, eo quod eius offensæ sunt, hic autem dolor est perfecta contritio.

III. C

Respondeo negando antecedens, cuius ad probationem dico, eâ solùm euinci, ex natura rei quidem posse actum perfectæ contritionis & charitatis erga Deum elici absque præuia illa explicita fide, quod vltro concedimus, & supra docuimus, at non euinci, posse simpliciter & absolutè: homo enim simpliciter & absolutè non potest illum actum elicere, nisi excitatus & adiutus actualis diuinæ gratiæ auxilius, quæ sanè posset Deus spectata sola rei natura conferre si vellet, præsuppositâ sola ea in intellectu cognitione, cuius in antecedentis probatione mentio fit: decreuit autem nulli homini infideli conferre vnquam, priusquam alius præcedentibus eiusdem diuinæ gratiæ auxilius, quibus ad fidem necessitate medij necessariam vocatur, correspondeat, atque ita fidem illam consequutus sit. Quod Dei decretum euidenti consequentia deducimus ex iis argumẽtis, quibus supra ostendimus, ex voluntate & ordinatione Dei fidem implicitam aut explicitam huius aut illius mysterij fuisse ad salutem necessitate medij necessariam, tempore, vel præcedente sufficientem legis Euangelicæ promulgationem, vel consequente. Atque cum hactenus de interno fidei actu dixerimus, nunc de externo dicendum est.

IV. D

DISPVTATIO XX. V.

Vtrùm externus diuinæ fidei actus seu externa fidei confessio sit actus à virtute fidei elicitus?

SECTIO PRIMA.

Pars affirmatiua defenditur, & probatur.

NOTANDVM primò, virtutem fidei, vt suprà docuimus, duos habitus complecti: vnum in intellectu existentem, a quo immediatè & physicè internus fidei actus elicitur: alterum in voluntate, à quo immediatè item & physicè elicitur pia credendi volitio. VI.

Notandum secundò, actum externum virtutis duobus modis dici posse ab aliqua virtute elici. Primo, si physicè & efficienter ab illius virtutis habitu producatur. Secundo, si non ita quidem physicè ab illo habitu producatur, sed ita tamen ab eo imperetur & oriatur, vt nullius alterius virtutis vel habitu vel actu mediante producatur, quo modo externa eleemosynæ erogatio ab habitu virtutis misericordiæ in voluntate sedem habentis elici dicitur. Priori modo non quæritur hic, vtrùm externa fidei confessio sit actus à virtute fidei elicitus: hoc enim modo neque ab hac neque ab vlla alia virtute elici potest: quia nullus actus externus facultatis organicæ corporeæ locomotricis, qualis est externa fidei confessio, quæ vel scripto, vel verbo, vel simili modo fit, immediatè physicè ab vllo habitu virtutis existentis vel in intellectu vel in voluntate producitur, sed ab illa sola facultate. VII.

De posteriori ergo modo quæstio tantùm est, de qua prima paucorum Theologorum sententia negatiua est, existimantium quòd licut interna volitio erogandi eleemosynam, & externa ipsa eleemosynæ erogatio elicitur ab habitu virtutis misericordiæ distincto à cæteris aliarum omnium virtutum habitibus: ita interna volitio fidem exteriùs confitendi, & externa ipsa eius confessio oritur ab habitu aliquo virtutis in voluntate existentis, distincto à virtute fidei prædictos duos habitus comprehendente, & à cæteris omnibus aliarum virtutum habitibus, quem habitum virtutem Confessionis fidei nominant.

VIII.

Secunda sententia & communis inter Theologos affirmat, éstque haud dubiè S. Thomæ hîc quæst. 3. art. 1. ad 3. sic expressè loquentis: *Fides interior mediante dilectione causat omnes exteriores actus virtutum mediantibus aliis virtutibus, imperando, non eliciendo, sed confessionem fidei producit tanquam proprium actum mediante aliâ virtute mediante*, id est, non imperando, sed eliciendo, hunc enim sensum necessariò habet *sed*, aduersatiua particula, quam S. Doctor

vſurpauit, & reliqua verba particulam hanc conſequentia, non imperando, inquam, eo ſcilicet modo quo, vt antè dixit, fides per dilectionem operans cæterarum virtutum actus imperat: ſed eliciendo, ſecundo videlicet modo ex duobus ſecunda notatione prænotatis, cùm primo nullus actus externus, vt dixi, à virtutis habitu poſſit elici. I.

Iam probo hanc D. Thomæ noſtrámque ſententiam hac ratione: Ad externam fidei confeſſionem eliciendam non eſt neceſſaria vlla virtus à virtute fidei præfatos duos habitus complectente diſtincta, ergo nec admittenda eſt vlla alia virtus à qua eliciatur. Conſequentiæ bonitas patet. Probatur antecedens ex eo quòd ſicut in interno actu fidei, ſic in externo, quæ eſt externa fidei confeſſio, duplex tantùm perfectio conſiderari poteſt, ratione cuius neceſſe eſt confeſſionem hanc ab aliqua virtute elici, neutrius autem perfectionis ratione neceſſe eſt eam elici ab alia virtute quàm à fide prædictos duos habitus comprehendente. Prima perfectio perfectioni in fidei interno actu exiſtenti II. reſpondens in eo conſiſtit, quòd ſicut hic internus actus ſemper tendit in verum, itavt in falſum tendere non poſſit, ſic externa illa confeſſio ſemper habet veritatem externæ orationis, qua verum quod credimus eloquimur. Secunda reſpondens ſecundæ in eodem interno fidei actu exiſtenti poſita eſt in eo quòd ſicut idem internus actus habet formalem bonitatem moralem à pia credendi voluntate deriuatam, ita etiam externa fidei confeſſio formalem habet bonitatem moralem à pia huius externæ confeſſionis faciendæ voluntate communicatam. Iam verò quòd ratione primæ illius perfectionis in externa fidei confeſſione exiſtentis non ſit neceſſaria alia virtus quam fidei complectens duos præfatos habitus, eúmque nominatim qui reſidet in intellectu, facilè hinc III. oſtendo quod prima illa perfectio eiuſdem rationis eſt cum prædicta prima perfectione exiſtente in interno fidei actu: vnde ſicut ad hunc actum ratione iſtius primæ perfectionis nulla alia virtus neceſſaria eſt quàm fidei, ita nec vlla alia neceſſaria erit ad externam fidei confeſſionem ratione primæ illius perfectionis in ea exiſtentis.

Quòd autem prima illa perfectio ſit eiuſdem rationis cum prædicta prima perfectione in interno fidei actu exiſtente, hinc patet, quòd vtraque nihil aliud eſt quàm infallibilis veritas propoſitionis innixa eidem authoritati Dei reuelantis, torúmque diſcrimen inter hanc & illam eſt, quòd vna eſt in propoſitione mentali tanquam in ſubiecto, altera in vocali: quod diſcrimen, vt patet, purè materiale eſt, nec impedire poteſt quominus vtraque tam ad eiuſdem virtutis habitum pertineat, quàm in moralibus bonitas moralis actus externi, vt erogatæ eleemoſynæ, & interni, vt voluntatis erogandi, ad eundem habitum miſericordiæ pertinet: licet vna actum internum, qui ſpiritalis eſt, tanquam ſubiectum ſuum afficiat, altera externum actum, qui materialis eſt & ſenſibilis, afficere dicatur, aut concipiatur. Quare ſicut externa propoſitio, aut demonſtratio verbo vel ſcripto expreſſa non requirit in homine alium habitum virtutis, quàm requirat interna & mentalis propoſitio aut demonſtratio qua idem affirmatur, támque hæc quàm illa ad eundem virtutis intellectualis habitum pertinet, & ratio eſt, quia vtriuſque veritas eiuſdem rationis eſt, quatenus vtraque de eadem re eſt, & eodem formali motiuo nititur: ita & ad eundem virtutis fidei habitum pertinebit internus externuſque fidei actus ob eandem rationem, vt iam dictum eſt. A V.

Neque dicat hîc quiſquam, hunc externum actum, ratione prædictæ veritatis quam habet, ad virtutem potiùs pertinere veracitatis, cuius proprium eſt oris & externi ſermonis conformitatem cum mente ſeu verbo mentis procurare, in qua conformitate ſita eſt orationis externæ veritas. Ne, inquam, id dicat, duplex enim in externo ſermone ſpectari poteſt veritas: prior poſita præcisè eſt in conformitate externæ loquutionis cum mente loquentis, nec quidquam aliud includit: poſterior hanc in primis conformitatem inuoluit, & infallibilem præterea conformitatem cum re per externam propoſitionem ſignificata, vtraque autem in VI. externa fidei confeſſione reperitur. B

Eſt enim primùm in ea conformitas cum mente credentis qui credit idem interiùs quod exteriùs confitetur: eſt deinde infallibilis conformitas cum re quam homo per externā iſtam fidei confeſſionem ſignificat, & confitetur: etſi autem prior illa veritas ad veracitatis virtutem ſpectet, non tamen iſta poſterior. Virtus enim veracitatis ſolùm curat oris & mentis conformitatem, ſiue mens erret, ſiue non, quod ad ipſam mere per accidens ſe habet. Quò fit vt veracitas tam ſalnari poſſit in externa confeſſione falſi, quàm veri, dummodo id quod à parte rei falſum eſt, verum eſſe mens iudicet. Quare cùm ratione ſolius poſterioris veritatis quæ in externa fidei confeſſione reperitur, dicamus confeſſionem hāc ad virtutem fidei pertinere, patet nihil concludi contra nos, dum ſola illa prior veritas conſideratur, & huius ratione, externa fidei confeſſio ad veracitatis virtutem ſpectare concluditur. C VII.

Supereſt vt oſtendam ratione alterius perfectionis, nempe formalis bonitatis moralis quæ in hac confeſſione eſt, ad eam eliciendam non eſſe neceſſariam vllam virtutem à virtute fidei prædictos duos habitus complectente diſtinctam: hoc autem ſic oſtēdo: Formalis illa bonitas moralis quæ in externa fidei confeſſione eſt, eiuſdem rationis eſt cum formali bonitate morali quæ in interno fidei actu eſt: ergo ratione illius ſuæ bonitatis ad virtutem fidei pertinet. Conſequentiæ huius bonitas clara eſt, primùm IV. ex interno fidei actu, ſi enim actus hic ratione VIII. ſuæ moralis bonitatis ad fidei virtutem pertinet, profecto & ad eandem pertinebit actus externus confeſſionis fidei ratione ſuæ moralis bonitatis, ſi hæc bonitas eiuſdem rationis eſt cum interni actus bonitate morali. Deinde exēplis aliorum actuum internorum & externorum, qui, vt paulò antè oſtendi, pertinent ad eundem habitum virtutis, ſiue intellectualis, ſiue moralis, quando in illis perfectio ratione cuius ad aliquam virtutem pertinent, eiuſdem rationis eſt. D

Probo autem antecedens, eo quòd tota formalis bonitas moralis ratione cuius internus fidei actus ad virtutem fidei pertinet, in eo consistit, quòd is est voluntaria subiectio creaturæ rationalis se per facultatem suam subiicientis authoritati Dei reuelantis, seu purè propter ipsam, & non ex alio motiuo, veritatem aliquam à Deo reuelatam amplectentis: velle enim ita se diuinæ authoritati reuelanti subiicere, & reipsa subiicere, honestatem habet, & quidem specialem, vt suprà probauimus, eadem autem aut similis formalis moralis bonitas in externa fidei confessione reperitur: hæc enim dum voluntariè fit, vt fieri supponimus, est voluntaria subiectio creaturæ rationalis se per aliquam facultatem suam authoritati diuinæ reuelanti subiicientis, seu per eandem facultatem pure propter hanc authoritatem, & nullo alio ex motiuo, reuelatam à Deo veritatem profitentis. I.

Nec refert, quòd facultas per quam prædicta creatura veritatem hanc recipit & profitetur, dum externum fidei actum exercet, sit externa & materialis, dum exercet autem actum internum sit interna & spiritalis: hoc enim discrimen, vt ante monui, pure materiale est, nec magis impedire potest quo minus sit in vtraque fidei professione, in interna scilicet, & externa, eiusdem rationis honestas & formalis bonitas moralis, quàm in interno externoque misericordiæ actu bonitas moralis eiusdem rationis, & ad eundem misericordiæ habitum pertinens, licet internus misericordiæ actus per voluntatem, potentiam internam & spiritalem, exerceatur, externus autem per locomotricem, quæ est externa potentia & materialis. II.

Quare quemadmodum si velle demonstrationem aliquam de rebus Physicis aut Mathematicis mente conficere, non ex alio motiuo quàm demonstrationis ipsius conficiendæ, si etiam reipsa eam ex hoc motiuo mente conficere, haberet formalem aliquam bonitatem moralem propriam alicuius virtutis moralis, recte sequeretur, velle quoque eandem demonstrationem conficere exteriùs, nempe verbo, vel scripto, & eam reipsa sic conficere, esse actum virtutis pertinentem ad eandem virtutem moralem, ad quam pertineret volitio eiusdem demonstrationis mente conficiendæ, & ipsa actualis per mentem eius effectio, quia nimirum & in vtraque volitione conficiendæ demonstrationis, interiùs scilicet per mentem, & exteriùs verbo, vel scripto, & in hac vtraque eius effectione esset eiusdem rationis formalis bonitas moralis, quatenus vtraque illa volitio esset eiusdem demonstrationis conficiendæ volitio, ex eodémque prorsus motiuo, & vtraque effectio esset eiusdem demonstrationis ex eodem prorsus motiuo effectio: ita volitio credendi, seu confitendi fidem interiùs verbo mentis per intellectum, qui est interna & spiritalis lingua cuiusvis creaturæ rationalis, & volitio confitendi eandem fidem exteriùs, seu verbo oris per linguam externam & materialem, & vtraque ista eiusdem fidei confessio ex eodem prorsus motiuo volita & facta ad eandem virtutem spectabit, quia videlicet III. IV. I. C D

& in vtraque illa confessione, & confitendi volitione erit formalis bonitas moralis eiusdem rationis: vnde cùm volitio credendi, seu fidem interiùs verbo mentis confitendi, & hæc interna fidei confessio pertineat ad virtutem fidei prædictos duos habitus comprehendentem, ad eandem quoque voluntas fidem exteriùs confitendi, & hæc externa confessio pertinebit. A V.

Atque hæc doctrina confirmatur efficaciter exemplo externæ negationis fidei, qua negatur ore quod & corde negatur, voluntatísque sic negandi fidem exteriùs, oppositæ proculdubio prædictæ externæ confessioni fidei, qua confitemur ore quod corde credimus, voluntatíque sic fidem exteriùs confitendi: illa enim externa negatio fidei, voluntásque sic eam exteriùs negandi, est haud dubiè proprius actus eiusdem vitiosi habitus virtuti fidei repugnantis, & hæresis vno verbo appellati, cuius proprius actus est velle discredere mente res à Deo reuelatas, eásque reipsa mente discredere, eiusdémque rationis malitiam moralem infidelitatis seu hæresis participat, quam & ipsa mente discredendi volitio, & ipse mentalis discredendi actus: vnde concludo prædictam externam fidei confessionem, qua ore affirmatur quod corde creditur, & præfatam huius externæ cõfessionis faciendæ voluntatem, esse proprium actum eiusdem virtutis fidei, cuius proprius actus est velle credere mente, & ipse mentalis credendi actus, eiusdémque rationis moralem bonitatem habere, quam habet voluntas credendi mente res à Deo reuelatas, & mentalis actus fidei quo creduntur. B VI.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM est. Volitiò fidem exteriùs confitendi non est proprius virtutis fidei actus, ergo neque externa fidei confessio. Consequentiæ bonitas patet: semper enim externus actus qui est obiectum actus interni per quem est volitus, & ipse internus actus ad eundem habitum virtutis aut vitij pertinent, vt inductione certum est. Probatur antecedens: potest enim esse volitio fidem exteriùs confitendi, absque eo quòd is qui hoc volet, & confitebitur, credat mente verum esse quod confitetur: huiusmodi autem volitio actus virtutis fidei esse non potest, cùm nullius virtutis actus sit, imò sit actus vitij & peccati, quia est volitio loquendi contra mentem, ac proinde mentiendi. VII.

Respondeo ad antecedens, & probationem eius, volitionem quidem illam cuius in ista probatione mentio fit, & externam fidei confessionem volitam per volitionem illam, non esse actum virtutis fidei, aut vllius alterius, sed eiusdem vitij & peccati actum esse: volitionem verò illam confitendi fidem exteriùs, ea confessione externa, qua id affirmatur quod mente creditur propter solam Dei reuelantis authoritatem, illam, inquam, hoc faciendi volitionem non ex alio motiuo, quam propter illam ipsam confessionem, esse proprium virtutis fidei actum, & proinde externam fidei confes- VIII.

sionem volitam per volitionem illam esse proprium actum virtutis eiusdē: quandoquidem, vt in consequentiæ probatione rectè dictum est, semper actus externus qui est obiectum interni per quem est volitus, & ipse internus actus ad eundem habitum vel vitij vel virtutis pertinent. De hac autem sola posteriori volitione confitendi fidem exteriùs, ipsaque externa confessione huic volitioni respondente loquuti sumus, dum voluntatem confitendi fidem exteriùs, & externam eius confessionem esse proprium virtutis fidei actum supra docuimus.

I. Secundum est. Voluntas confitendi fidem exteriùs & externa confessio nec pertinet ad habitum in intellectu existentem, nec ad eum qui in voluntate est, quémque coniunctim virtus fidei complectitur, ergo nec ad hanc virtutem pertinet. Respondeo negando antecedens, ad vtrumque enim pertinet: ad eum quidem habitum qui in voluntate est, quia non minus est proprius eius actus, volitio fidem exteriùs confitendi, quam volitio internum fidei actum exercendi: vnde cùm, vt paulò antè dictum

II. est, actus externus qui est obiectum interni per quem est volitus, sit eiusdem virtutis proprius actus, cuius est ipse actus internus, sequitur manifestè ipsam quoque externam fidei confessionem ad eundem virtutis habitum in voluntate existentem pertinere, eiúsque proprium actum esse.

Ad illum verò qui est in intellectu, tum quia sicut demonstratio mentalis & vocalis ad eundem scientiæ habitum in intellectu existentem pertinet, ita & spectat ad eundem habitum intellectus interior facta verbo mentis, & exterior facta verbo oris fidei confessio: vnde cùm interior illa spectet ad habitum virtutis fidei in

III. intellectu existentem, ad eundem quoque exterior ista spectabit: tum quia sicut demonstratio vocalis mentalem essentialiter præsupponit, & ab hac veritatem suam necessariò participat, ita & externa fidei confessio interiorem, & ab hac suam illa infallibilem veritatem suprà declaratam necessariò accipit. Vnde sicut demonstratio vocalis ratione suæ veritatis ad eūdem scientiæ habitum spectat ad quem demonstratio mentalis ratione suæ veritatis pertinet: ita & externa fidei confessio ratione suæ veritatis infallibilis ad eundem fidei habitum in intellectu existentem pertinebit, ad quem pertinet interior ratione suæ veritatis.

Postremò, quia moralis bonitas externæ confessionis fidei moralem bonitatem actus interni fidei essentialiter præsupponit: nisi enim esset bonum moraliter subiicere se authoritati Dei reuelantis, credendo seu affirmando verbo mentis ex motiuo huius authoritatis verum

IV. id esse quod reuelauit, non esset moraliter bonum subiicere se eidem authoritati, ex eodem motiuo, affirmando verbo oris verum esse id quod à Deo reuelatum est. Atque cùm hæc & illa bonitas moralis sit eiusdem rationis, vt suprà probatum est, & proinde ad eundem virtutis habitum pertineat, sanè sicut internus fidei actus moraliter bonus spectat ad habitum fidei in intellectu existentem, tanquam ad principium physicum à quo immediatè & physicè elicitur, ad habitum verò illum in voluntate existentem, tanquam ad principium physicum

A à quo immediatè & physicè elicitur honesta credendi volitio, à qua formalis honestas moralis immediatè in internum fidei actum deriuatur: ita & externa fidei confessio ratione suæ bonitatis moralis ad vtrumque illum habitum quem fidei virtus complectitur spectabit.

V. Tertium. Sicut se habet externa fidei negatio ad infidelitatem, ita & externa fidei confessio ad fidei virtutem: atqui externa negatio non est actus infidelitatis, vt constat ex multis timidis Christianis, qui metu tormentorum & mortis ore negant quod corde credunt, & proinde fideles adhuc sunt: ergo nec externa fidei confessio erit proprius virtutis fidei actus. Respondeo distinguendo Maiorem: sicut enim duplex est externa fidei confessio, vna qua ore dicitur quod mente creditur, altera qua ore affirmatur quod mente verum non putatur: sic duplex est externa fidei negatio, vna qua mysterium fidei quod ore negatur, corde quoque negatur: altera qua licet ore negetur, corde tamen creditur.

B Quòd si in Maiore quam distinguimus sermo VI. sit de priori externa fidei confessione, vera est Maior, sed falsa Minor: est enim prior illa negatio propriissimus infidelitatis actus, id est, habitus illius vitiosi qui vocatur infidelitas, & opponitur virtuti fidei prædictos duos habitus complectenti, quos & expellet ab eo homine qui eiusmodi infidelitate laborat. Quòd si de posteriori sermo est, distinguendum rursus est, vel enim infidelitatis illius nomine, cuius in eadem illa Maiori mentio fit, intelligitur peccatum actuale habens peccati malitiam virtuti fidei repugnantem, vel proximè ante dictus habitus qui vocatur infidelitas, vel denique proprius huius habitualis infidelitatis actus. Si primum, vera est Maior, & falsa Minor: posterior enim ista fidei externa negatio de qua agi-

C mus, est peccatum actuale habens malitiam VII. virtuti fidei repugnantem, quatenus ex hac virtute obligamur, non tantùm ad non negandam fidem, vel solo corde, vel corde simul & ore, sed etiam solo ore: quod non impedit quo minus timidus Christianus qui solo ore fidem negat, retineat adhuc virtutem fidei prædictos duos habitus complectentem, careátque prædicto opposito infidelitatis habitu, & quin proinde adhuc simpliciter loquendo fidelis sit.

Quòd si secundum, aut tertium, falsa est Maior, & vera Minor: hæc quidem vera est, quia istiusmodi negatio non est proprius actus illius habitualis infidelitatis, quæ fidei virtutem ab homine expellit: solus enim illius proprius actus est is, quo, vel corde solo, vel ore simul & corde negatur, aut in dubium reuocatur ve-

D ritas quæ à Deo reuelata est, quod est formali- VIII. ter peccatum hæresis: illa verò falsa est, quia si negatio fidei quæ solo ore fit, non ita se habet ad infidelitatem illam, quæ est habitus virtuti fidei oppositus, vt sit proprius eius actus, non est propterea consequens externam fidei confessionem, quæ corde simul & ore fit, non esse proprium virtutis fidei actum.

Atque vt eadem Maior vera esset, & inter ea quæ in illa comparantur legitima fieret comparatio, paritásque reperiretur, oporteret ex-

ternæ

rernæ confessionis fidei nomine eam tantùm intelligere quæ solo ore fit, sicut & externæ negationis fidei nomine ea tantùm intelligitur quæ fit ore solummodo, vt ex Minori patet, in qua euidenter ita sumitur, ac proinde etiam in Maiori, alioquin argumentatio mala esset, quia quatuor terminis constaret, tùncque concederem, quòd sicut hæc externa fidei negatio solo ore facta non est proprius actus illius habitus vitiosi qui infidelitas dicitur, ita & externa illa fide confessio quæ solo ore fit, non est proprius virtutis fidei actus: quod iam suprà concessi, cùm docui huiusmodi confessionem nullius virtutis actum esse, imò esse actum vitij & peccati.

I. A

Quartum. Potest quis habere aut retinere virtutem fidei, & vtrumque quem complectitur habitum, interim tamen vt non habeat, aut vt amittat virtutem confessionis fidei: ergo hæc virtus ab illa distinguitur. Constat antecedens in primis ex eo quòd potest quis esse promptissimus ad volendum credere, & reipsa credendum, interim tamen vt sit tardissimus ad volendum fidem exteriùs confiteri, & reipsa confitendum. Deinde quia potest Christianus aliquis velle credere, & reipsa credere, simulque nolle fidem vnquam exteriùs profiteri, imò velle semper exteriùs falsam profiteri religionem. Quo casu cùm virtutem fidei, & vtrumque eius habitum retineat, habitum virtutis confessionis fidei amittit. Respondeo falsum esse antecedens, cùm, vt ex antedictis constat, cuius virtutis & habitus est velle credere, & reipsa credere, eiusdem quoque sit velle fidem confiteri exteriùs, & reipsa confiteri.

II. B

Vnde ad primam eius probationem dico, quantum quisque per habitum virtutis fidei inclinatur ad volendum credere, & reipsa credendum, tantum inclinari per eundem ad volendum fidem exteriùs profiteri, & reipsa profitendum: tarditatem proinde quam voluntas nonnunquam experitur ad volendum fidem exteriùs confiteri, & confitendum, oriri ex difficultate aliqua merè extrinsecùs aduenient-

III. C

te huic externæ fidei confessioni, pureque per accidens cum ea coniuncta, vt ex voluntate tyrannorum cruciatus & mortem profitentibus Christianam fidem minitantium, & inferentium: ad quam difficultatem superandam non est inuehendus nouus aliquis in voluntatem habitus distinctus à virtute fidei, cæterisque moralibus quæ communiter recipiuntur, sed sufficit virtus fidei coniuncta fortitudini & constantiæ, similíve virtuti, cuius proprium est prædictam difficultatem, aut similem merè per accidens externæ fidei confessioni coniunctam superare.

IV. D

Ad secundam autem eiusdem antecedentis probationem nego Christianum hominem illo casu habitum virtutis confessionis fidei amissurum, illum enim adhuc retinebit, quandoquidem adhuc retinebit virtutem fidei, & vtrumque quem complectitur habitum, nec habitus virtutis confessionis fidei, vt suprà probatum est, ab hoc vtroque habitu distinguitur.

Et sanè si hæc aut illa probatio efficax esset, euinceret quoque admittendam esse duplicem confessionis fidei virtutem, à virtute fidei cæterisque distinctam, quarum vna inclinaret ad fidem exteriùs verbo, altera scripto confitendam: pari enim omnino modo quo in antecedentis probatione dicebatur, dico fieri posse, vt quis sit promptissimus ad volendum fidem exteriùs confiteri verbo, sicque reipsa confitendum: tardissimus autem ad volendum confiteri scripto, sicque confitendum: vt si tyrannus aliquis acerbissimas pœnas constituerit in eum qui fidem scripto professus fuerit, non item in eum qui verbo. Item fieri posse, vt Christianus aliquis sciens has esse pœnas constitutas fidem scripto profitenti, velit eam profiteri verbo, sicque reipsa profiteatur, simúlque nolit eam vnquam profiteri scripto, imo velit semper falsam religionem scripto profiteri: quo casu pari iure concluderem, illum retenta virtute confessionis fidei quæ verbo fit, amissurum virtutem confessionis quæ fit scripto, sicque virtutem hanc ab illa esse distinctam.

V.

DISPVTATIO XXI.

VI.

Vtrùm externa fidei confessio necessaria sit ad salutem?

SECTIO PRIMA.

De medij necessitate.

VII.

QVÆSTIO esse potest de necessitate tam medij quàm præcepti: quoad medij necessitatem nego externam fidei confessionem esse necessariam ad salutem. Ita Theologi communiter, maximeque S. Thomas art. 2. quæst. 3. non aliam eius necessitatem agnoscens quàm præcepti. Ratio autem clara est, quòd illud non sit necessarium necessitate medij ad salutem sine quo salus obtineri potest, sine autem externa fidei confessione possit obtineri, quam & reipsa obtinebit is qui corde credens, habensque coniunctam fidei suæ internæ spem & charitatem, repente morietur ante susceptum reipsa baptismum, & factam vllam aliam externam fidei professionem.

VIII.

At obiicies primò Apostolum ad Rom. cap. 10. sic loquentem, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Respondeo ex his verbis non aliam posse colligi externæ confessionis fidei necessitatem, quàm præcepti. Vnde cùm D. Thomas loco citato in argumento, sed contrà, locum hunc Apostoli sibi obiecisset, vt ex eo externæ confessionis fidei necessitatem ad salutem probaret, aliam immediatè postea in articuli corpore eius necessitatem non agnouit, quàm præcepti: quod euidenti argumento est, ipsum non existimasse, aliam ex relatis Apostoli verbis concludi posse necessitatem.

Obiicies secundò. Baptismi susceptio necessaria est ad salutem necessitate medij, ergo & externa fidei confessio. Consequentiæ bonitas clara est: baptismi enim susceptio est satis

expreſſa fidei Chriſtianæ profeſſio, tum quia forma qua perficitur baptiſmus, continet expreſſam Trinitatis confeſſionem, qui præcipuus eſt noſtræ fidei articulus: tum quia eſt prima qua in Eccleſiam intratur ianua. Reſpondeo ex hac obiectione ſolùm euinci, illam externam fidei profeſſionem quam inuoluit realis baptiſmi ſuſceptio eſſe eadem neceſſitate neceſſariam, qua ſuſceptio hæc neceſſaria eſt. Quare cùm hæc ſit infantibus quidem neceſſitate medij neceſſaria in re, adultis autem vel in re vel in voto, illam quoque confeſſionem externam fidei iiſdem eadem neceſſitate pari modo eſſe neceſſariam.

I. A

At non propterea ad quæſtionem hac diſputatione propoſitam, & de medij neceſſitate intellectam, reſpondendum affirmatiuè eſt: immo hoc non obſtante ſimpliciter loquendo negatiuè reſpondendum: primò, quia ſenſus quęſtionis de neceſſitate medij intellectæ hic eſſe debet, vtrùm ſicut fides interior eſt omnibus & ſingulis in re neceſſitate medij neceſſaria ad ſalutem, ita etiam ſit externa fidei confeſſio: quod paret meritò affirmari non poſſe ex eo quòd externa fidei confeſſio quam realis baptiſmi ſuſceptio includit, ſit neceſſaria neceſſitate medij, cùm conſtet hanc omnibus & ſingulis non eſſe ſemper in re neceſſitate medij neceſſariam, ſed pleriſque in voto ſufficere.

II. B

Deinde quia ſi quoniam baptiſmi ſuſceptio eſt omnibus neceſſitate medij neceſſaria, vel in re, vel in voto, hæcque ſuſceptio eſt externa aliqua fidei profeſſio, liceret concludere, externam fidei profeſſionem eſſe neceſſitate medij neceſſariam: liceret pari iure dicere profeſſionem hanc eſſe hac neceſſitate neceſſariam illi Chriſtiano, qui poſt ſuſceptum baptiſmum in mortale peccatum lapſus eſt, ei enim ſic neceſſaria eſt ſacramenti pœnitentiæ ſuſceptio, hæc autem eſt externa aliqua fidei profeſſio: qui enim hoc ſacramentum ſuſcipit, eo ipſo profitetur credere ſe iudiciariam poteſtatem a Chriſto datam Eccleſiæ in remiſſionem peccatorum.

III. C

Poſtremò, quia dum quæritur, vtrùm externa fidei confeſſio ſit ad ſalutem neceſſitate medij neceſſaria, quæſtio eſt de medij neceſſitate, qua confeſſio hæc dicatur neceſſaria ratione ſui, non alterius cum quo coniungitur, hoc eſt, per ſe, vt eſt proprius virtutis fidei actus, non verò per aliud cui coniungitur, quod eſt proprius actus virtutis alterius: ſicut dum de eadem confeſſione quæritur, vtrùm ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti, quæſtio item eſt de neceſſitate præcepti, qua eadem confeſſio ſit per ſe neceſſaria, ſeu ratione ſui, non verò alicuius alterius cum quo coniuncta reperitur: qui autem reſpondet eſſe neceſſariam neceſſitate medij, & ex eo probat, quòd ſacramenti baptiſmi, pœnitentiæque ſuſceptio ſit neceſſaria medij neceſſitate, hæc autem ſit externa aliqua fidei confeſſio, probat quidem rectè eſſe neceſſariam ratione alterius, nempe baptiſmi, & pœnitentiæ, quorum ſuſceptio eſt proprius virtutis religionis actus, at non probat eſſe neceſſariam ratione ſui, ſeu prout proprius eſt virtutis fidei actus, & ad ipſam pertinet.

IV. D

SECTIO II.

De neceſſitate præcepti.

V.

IAM quod attinet ad præcepti, quod aut negatiuum, aut affirmatiuum eſt, neceſſitatem, communis Theologorum ſententia eſt extare præceptum aliquod negatiuum de externa fidei confeſſione, quo obligamur nunquam exteriùs negare fidem, licet interiùs retineatur, aut contrarios fidei errores nunquam affirmare, vel defendere, licet interiùs negentur: hæc aſſertio de fide eſt, hanc enim expreſsè ſignificant hæc Chriſti verba Mat. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Marci 8. *Qui me confuſus fuerit, & verba mea in generatione iſta, & filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis.* Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet:* quod & repetitur cap. 10. Aſſertionis autem hæc ratio eſt, quòd omnis actio quæ intrinſecè mala eſt, prohibita eſt præcepto aliquo negatiuo: arqui externa negatio fidei, aut falſæ religionis profeſſio etiam ore ſolo, ac non corde pariter facta, intrinſecè mala eſt, continet enim mendacium valde pernicioſum, ſeu iniurioſum Chriſtianæ fidei, immo ipſi primæ veritati, cui hæc fides innititur.

VI.

Ex quo concludes prædictæ externæ negationi aut profeſſioni ineſſe duplicem ſpecie malitiam, vnam mendacij oppoſitam virtuti veracitatis, in eo conſiſtentem, quòd qui ſic negat aut profitetur, contra mentem loquitur, quæ malitia venialis tantum eſt, quia nulla malitia oppoſita veracitati, quatenus præcisè huic opponitur, mortalis eſſe videtur: alteram virtuti fidei oppoſitam, quæ lethalis eſt, & conſiſtit in graui iniuria quam tale mendacium primæ infert veritati: cui ſæpe adiungitur malitia tertia, oppoſita cuidam alij virtuti, vt religioni, vt cum timidus Chriſtianus metu mortis & tormentorum idolo ſacrificat, vel thus offert.

VII.

Denique quod ſpectat ad prædictam præcepti neceſſitatem, communis item Theologorum ſententia eſt extare præceptum aliquod affirmatiuum de confitenda fide exteriùs, quo quilibet obligatur aliquando verbo, vel alio exteriori ſigno fidem ſuam profiteri. Colligitur non obſcurè ex ſuprà relatis Apoſtoli verbis his ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem:* quibus ſatis ſignificatur huius externæ confeſſionis fidei neceſſitas ad ſalutem, & non ex medio, vt ex ſuperiùs dictis conſtat: ergo ex præcepto, nec alio quàm affirmatiuo, quia ſicut proprium negatiui præcepti eſt vetare actum poſitiuum, omiſſionémque eius reddere neceſſariam ad ſalutem, ita præcepti affirmatiui proprium eſt imperare poſitiuum actum & realem, eiúſque exercitium neceſſarium ad ſalutem reddere.

VIII.

Colligitur etiam ex D. Aug. lib. de fide & ſymbolo c. 1. vbi *Fides*, inquit, *à nobis officium exigit cordis, & linguæ.* Eſt autè expreſſa S. Thomæ doctrina in cap. 10. epiſt. ad Romanos, & hac 2. 2. qu. 3. art. 2. in corp. in quo etiam duo tantùm agnoſcit tempora, in quibus ex præcepto

affirmatiuo externa fidei confessio facienda est: primum, cùm alioqui subtraheretur honor Deo debitus: secundum, cùm vtilitas proximis impendenda.

Vbi tria notanda sunt. Primum est, hoc loco subtrahi debitum honorem Deo, vel vtilitatem proximo, non esse mere negatiue abstinere ab actu ex quo elicito potuisset in Deum honor redundare, & in proximum vtilitas: sic enim quouis tempore esset necessaria fidei confessio, cùm quocunque demum tempore fiat, semper ex ea possit honor in Deum redundare, sicut ex quouis alio cuiusuis virtutis actu, quocunque tandem tempore ille exerceatur: sed est, per omissionem huius externæ confessionis, aut subtrahi in his, vel illis loci, temporis, personarum, similibúsque circunstantiis, honorem Deo debitum ratione primæ supremæque quam habet veritatis, aut eam ignominia & iniuria affici: quod contingeret, inquit S. Thomas hîc, si quis interrogatus de fide taceret, & hac eius taciturnitate fieret, vt crederetur ab interrogante & astantibus Christiana religio & fides inanis esse & falsa. Item subtrahi impendendam proximis vtilitatẽ, est, verbi causa, vt hîc etiam idem S. Doctor, ex eadem taciturnitate aut eos non conuerti ad fidem, qui alioqui conuersi fuissent, aut eos à fide deficere, qui cæteroquin in ea stetissent.

Secundum est, dum primo illo tempore fidei confessio omittitur, peccari contra virtutem fidei, quia tunc obligatio confitendi directe & per se nascitur ex ipsa fidei virtute, præceptóque ad eam pertinente, & obligante ad honorem Deo reddendum, debitum ipsi ratione primæ ac supremæ quam habet veritatis, qui honor omissione illa ei subtrahitur: dum autem secundo isto tempore omittitur, non peccari contra virtutem fidei, sed charitatis, quia tunc obligatio confitendi nascitur, non ex virtute fidei, sed charitatis obligantis tunc ad spiritale proximi bonum procurandum, aut conseruandum, quale est fides: malúmque contrarium auertendum, quale est infidelitas.

Tertium est, euenire frequenter, si non semper, vt quo tempore prædicta proximis vtilitas subtrahitur contra charitatem, eripiatur quoque honor Deo debitus ratione prædictæ primæ veritatis, & proinde debitus ex virtute fidei, præceptóque affirmatiuo ad eam pertinente, atque ita contra illam quoque fidei virtutem, hócque præceptum ad eam pertinens peccetur. His ita de interno externóque diuinæ fidei actu pertractatis, sequitur vt de habitu tractemus.

DISPVTATIO XXII.

Quid sit diuinæ fidei habitus?

SECTIO PRIMA.

Vtrùm sit intellectualis virtus, & an Theologica?

NOn immoror in quæstione an sit, cùm sit communis & constans omnium Theologorum sententia, authoritate Concilij Viennensis, in Clementina vnica de summa Trinitate & fide Catholica, tanquam probabilior confirmata, vtiam suprà alio loco diximus, inesse nobis quosdam habitus per se infusos, hósque tres saltem, fidei, spei, & charitatis. Quam doctrinam licet quidam Theologi de fide esse putent, tamen Scotus libro 2. de nat. & gratia cap. 17. & duobus sequentibus, & in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. Canus Relect. de Sacr. 4. part. post 5. conclusionem, & lib. 2. de locis cap. 2. Gabriel quoque Vasq. tomo 2. in primam secundæ disp. 103. cap. 3. negant de fide esse dari vllum in nobis habitum per se infusum natura sua operatiuum, de qua eorum sententia in Tract. de gratia disp. 12. sect. 26. a me dictũ est.

Quod ergo spectat ad quæstionem quid sit? Certum quidem est illum esse qualitatem ex essentia sua effectiuam actus quo quidpiam credimus propter authoritatem Dei reuelantis, vt constat ex doctrina superiùs tradita: sed de qualitate hac quæri in primis potest, vtrum sit virtus intellectualis? Ad quam quæstionem affirmatiuè respondendum est, eo quòd ille habitus virtus intellectualis est, qui intellectum inclinare in falsum nunquam potest, sed infallibiliter & necessariò semper in verum: talis autem est fidei habitus, vt patet ex doctrina D. Thomæ ad art. 3. primæ quæstionis, & ex nostris sexta & septima, quas ad hunc articulum instituimus disputationibus. Maioris autem veritas probatur in primis ex Philosopho lib. 6. Ethic. cap. 2. & initio capitis sequentis: deinde ex D. Thoma 1. 2. quæst. 57. art. 1. ad 2. Quare si videtur aliquando fidem infusam non reponere in numero virtutum intellectualium, dicendus est tunc loqui de solis acquisitis & naturalibus virtutibus, ex quibus reuera nulla numerari debet inter intellectuales virtutes, nisi quæ euidenter tendit in verum: & ratio est, quia earum nulla tendit in verum infallibiliter & necessario, quod ad virtutem intellectualem requiritur, nisi etiam tendat euidenter.

Denique ex ratione ducta ex natura virtutis in communi, quæ in eo tota posita est, vt potentiam in qua est, ad proprium bonum illius potentiæ semper inclinet, nec inclinare possit ad malum oppositum, proprium autem bonum intellectus est verum, sicut voluntatis, honestum. Quare sicut ille voluntatis habitus est virtus moralis, qui voluntatem semper inclinat in bonum honestum, nec in malum oppositum inclinare potest: ita & habitus ille virtus intellectualis est, qui intellectum sic inclinat ad verum, vt ad oppositum malum, quod est falsum, inclinare non possit.

Hinc concludes falli Durandum in 3. dist. 23. quæst. 6. negantem fidem infusam esse virtutem intellectualem, si virtutis nomẽ proprie & stricte vsurpetur, quòd nimirum virtus sic vsurpata debeat, iuxta traditã à Philosopho lib. 7. Physic. cap. 4. eius definitionẽ, esse dispositio perfecti ad optimum, id est, potentiã in qua est disponere seu inclinare debeat ad attingẽdum perfectissimo modo proprium ipsius potentiæ bonũ,

quod non facit infusa fides, quæ disponit quidé & inclinat intellectum ad attingendum verum, quod est proprium huius potentiæ bonum, at non ad attingendum modo perfectissimo, cùm perfectissimus illud attingendi modus sit attingere euidenter, seu euidenti cognitione: per fidem autem infusam attingatur obscurè solùm, I. seu fidei actu qui obscurus est. A V.

Etenim frustra requirit Durandus ad intellectualem virtutem, etiam strictè vsurpato virtutis nomine, vt perfectissimo modo tendat in verum. Nam sicut de ratione virtutis strictè sumptæ in genere, non est, potentiam in qua est, ad proprium ipsius potentiæ bonum inclinare perfectissimo modo, quando modus ille perfectissimus necessarius non est ad attingendum infallibiliter proprium ipsius potentiæ bonum: sicut etiam de ratione virtutis moralis in specie propriè & stricte acceptæ, non est, voluntatem in qua est inclinare perfectissimo modo in propriũ eius bonum, quod est honestum, quando perfectissimus hic modus nõ est ad hoc bonum semper & infallibiliter attingendũ necessarius, alioqui spes infusa non esset virtus proprie & II. B strictè, quia bonum æternæ vitæ quod per spem VI. attingitur & diligitur, non attingitur & diligitur per spem perfectissimo modo, longè enim perfectiori diligitur, & attingitur, quando per charitatem diligitur, vt bonum Dei est. seu pure propter ipsum Deum: sicut, inquam, ita res habet in virtute generaliter sumpta, seu prout à morali & intellectuali abstrahitur, & accepta in specie, seu prout moralis est: ita nec de ratione virtutis intellectualis accepte proprie & strictè est, inclinare intellectum infallibiliter in verum perfectissimo modo, id est, euidenter, quando hic modus necessarius non est ad verum infallibiliter attingendum: quem necessarium non esse, vt infusa fides verum semper attingat, & infallibiliter, constat ex iis omnibus III. C qui nobiscum docent, & fidem hanc essentialiter obscuram esse, & huic subesse falsum nunquam posse. VII.

Neque verò vis in relata virtutis ex Philosopho septimo Physic. definitione contra nos facienda est: non enim ita virtutem definiuit, vt ex Græco textu patet, sed hoc modo, *Virtus est qualitas ad proprias affectiones bene disponens eum in quo est*: quam etiam habent iisdem aut æquivalentibus verbis Argyropilus, Pacius, Conimbricenses, aliique textus Græci fideliores interpretes: ex qua tantum abest, vt concludi possit fidem infusam non esse virtutem intellectualem, vt contrarium manifestè concludatur, cùm hæc fides eum in quo est, nempe intellectum, bene disponat ad proprias affectiones, nimirum ad verum semper & infallibiliter cognoscendum, cuius cognitio est propria ipsius IV. intellectus affectio. D VIII.

Quæri secundò potest, vtrùm sit virtus Theologica? Ad quam item quæstionem respondendum affirmatiuè est, cùm & in entitate supernaturalis sit, quandoquidem proprius eius actus, nempe diuinæ fidei assensus, est in entitate supernaturalis, vt supra probatum est, actus autem & habitus sunt semper eiusdem ordinis, & Deum, seu diuinam aliquam perfectionem habeat pro immediato proximóque obiecto, tam materiali, quàm formali, vt ex supradictis notum etiam est, nec quidquam amplius requiri ad Theologicam virtutem iure possit.

Nec dicas habitum fidei priùs & immediatiùs tendere in actum fidei quàm in Deum, siue tanquam in obiectum materiale, siue tanquam in formale, cùm in ipsum non tendat nisi mediante suo actu. Ne, inquam, id dicas: licet enim non nisi mediante actu tendat in Deum, tendit tamen in eum tanquam in obiectum siue materiale siue formale proximum & immediatum: non enim in actum tendit tanquam in obiectũ, siue materiale, siue formale: nam obiectum materiale est id quod creditur, actus autem fidei quo quidpiam creditur, non est id quod creditur: obiectum item formale est id propter quod aliquid creditur, actus verò fidei, quo aliquid propter authoritatem Dei reuelantis creditur, non est id propter quod illud creditur.

Et sanè si ad Theologicam virtutem requireretur, vt id in quod immediatè tendit, licet obiecti nec materialis, nec formalis rationem habeat, sit Deus, seu diuina aliqua perfectio, tollendæ essent de medio omnes Theologicæ virtutes, cùm nulla esse possit quæ non immediatè tendat in actũ suum, qui actus semper aliquid creatũ est. Adde quòd habitus ille virtus Theologica est, qui supernaturalis in entitate est, & cuius immediatus actus est quoque in entitate supernaturalis, Deúmque seu diuinam aliquam perfectionem, tãquam immediatum obiectum tam materiale quàm formale respicit: ad virtutem enim Theologicam requiri amplius nihil meritò potest, talis autem est fidei habitus, vt ex ante dictis notum est.

SECTIO II.

Vtrum idem diuinæ fidei habitus sit virtus moralis, & an vna virtus sit?

QVOAD primum, dico primò non esse, si secundũ se præcisè ac solitariè spectetur: sic enim spectatus est habitus solius intellectus, nullus autem habitus intellectus, vt sic, proprie moralis virtus est, quia nullus vt sic potest esse principium actus boni moraliter: nullius enim actus potest esse principiũ nisi intellectus, nullus autem actus intellectus potest esse bonus moraliter, nisi dependenter ab aliquo præuio voluntatis actu moraliter bono, & proinde nisi dependenter ab aliquo virtutis moralis habitu, nempe ab eo à quo ille bonus moraliter voluntatis actus tanquã à principio oritur.

Dico secundò, fidem infusam esse virtutem moralem, dúmodo fides hæc consideretur quatenus accepta complete duos sæpius præfatos habitus complectitur, quorum vnus in intellectu, alter in voluntate est. Illa enim virtus, est virtus moralis, quæ potentiam in qua, est inclinat semper ad actum bonum moraliter: huiusmodi autem est infusa fides: si enim considerata includit habitum piæ affectionis, cui habitui negare nemo potest veræ virtutis moralis rationem, cùm in voluntate sit, suáque natura sit semper principium actus boni moraliter, nempe piæ credendi volitionis, à qua volitione internus credendi actus totam suam bonitatem moralem participat: sicut actus externus bo-

nus moraliter ab illo interno voluntatis actu bono moraliter per quem est volitus.

Vnde tria colliges. Primum, virtutem fidei non esse virtutem moralem, nisi ratione solius illius habitus qui voluntati inexistit. Secundum, non esse virtutem moralem Theologicam, non est enim virtus moralis nisi ratione
I. prædicti habitus in voluntate existentis, at ratione huius habitus nõ potest esse virtus Theologica, quoniam hic habitus non est Theologica virtus, vt probatum est 4. sect. 15. disp. Tertiũ, fidem infusam esse Theologicam virtutem ratione solius habitus fidei intellectui inhærentis, & prout virtus intellectualis est: ex duobus enim illis habitibus ad virtutem fidei completè sumptam pertinentib. solus hic habitus virtus Theologica est: cúmque, vt ostensum est, virtuti fidei ratio Theologicæ virtutis non cõueniat, qua parte virtus moralis est, restat vt ei conueniat qua parte est virtus intellectualis: nullam enim aliam virtutis habere rationem potest, quàm aut moralis, aut intellectualis.

II. At oppones S. Thomam quæst. 14. de Verit. art. 6. in corp. & in resp. ad 1. hîc quoque qu. 4. art. 5. differe docentem, fidem per solum habitum charitatis habere quòd virtus sit, id est, virtus moralis, quia nomen virtutis simpliciter & sine addito vsurpatum non intellectualem, sed moralem significat. Communis & vera responsio est, eum ibi virtutis nomen accipere Theologico loquendi modo, quo sumitur non pro virtutis essentia præcise, sed pro statu & perfectione virtutis: proinde non negare fidem sine charitate esse essentialiter virtutem etiam moralem, sed solum sine ea non habere statum perfectionémq. virtutis: quod verum est, status enim virtutis & perfectio in eo consistit, vt sit principium actus boni moraliter habentis meritum æternæ beatitudinis, quod nulla virtus habet nisi per charitatem.

III. Et sanè si Philosophis virtutis nomen philosophico loquendi more vsurpantibus, licet non virtutis essentiam precisè hoc nomine significare, sed statum quemdam perfectionémque virtutis, in eo consistentem, vt quis habitu suo virtutis quouis in casu promptè & delectabiliter vtatur: quo modo virtutis nomen vsurpant, dum docent vnam esse non posse sine altera, & virtutes inter se esse connexas: quod verum est, sumpto virtutis nomine, non pro ipsa præcisè virtutis essentia, cùm certum sit vnam sic ab altera separatam esse posse, sed pro prædicto statu virtutis, quia nemo suæ virtutis habitu prompte & delectabiliter vti quolibet in casu potest, nisi quascunque ex aduerso insurgentes difficultates promptè vincere possit, hoc autem non potest, nisi omnium virtutum habitibus sit instructus, cùm difficultates superandæ in exercitio virtutis vnius non oriantur tantum ex proprio huius virtutis obiecto, sed frequenter ex aliis etiam aliarum virtutum propriis obiectis, quarum proinde victoria ad proprios harũ virtutum habitus per se pertinet. Si, inquam, id Philosophis licet, cur S. Doctori non licebit virtutem accipere pro statu perfectioneque virtutis, eo sensu quo declarauimus, Theologorum more? qui cùm, vt Theologi sunt, circa Deum, vt Deum, qui finis vltimus est, tanquam circa proprium Theologiæ obiectum versentur, non immeritò solum illum habitum virtutis nomine insigniunt, qui est principium actus boni ordinantis hominem ad finem vltimum, & proinde habentis meritum æternæ beatitudinis: cuiusmodi non est vllus habitus nisi per charitatem, vt iam à me dictum est. V.

Tantum autem abest, vt S. Doctor citat. art. 5. docuerit fidei infusæ non conuenire essentiã virtutis moralis, nisi per charitatem, vt Dom. Bannez insignis Thomistæ comment. in hunc art. conclus. 1. dicat fidem secundùm essentiam suam esse virtutem, si nomen virtutis accipiatur vt dicit virtutis essentiam, oppositamq. doctrinam plusquam temerariam videri: vbi cùm fidé secundùm essentiam consideret, procul dubio considerat vt à charitate separatam, cùm ad eius essentiam non pertineat charitas: quo etiam modo ab illo considerari patet ex argumentis quibus suam probat conclusionem. Et cum dicit esse virtutem sumpta virtute pro essentia virtutis, profectò de morali virtute loquitur, tum quia virtus simpliciter & sine addito posita moralem significat: tum quia argumenta quibus VI. conclusionem suam probat, euincunt eum virtutis nomine moralem virtutem intelligere.

Instant nihilominus aduersarij, ad virtutis moralis essentiam pertinere ordinem ad bonũ honestum, ex D. autem Thomæ citato art. 5. responsione ad primum fidei infusæ conuenire primo per charitatem ordinem ad bonum honestum, & proinde essentiam moralis virtutis. At falsum est S. Thomam dicere, conuenire fidei ordinem hunc primò per charitatem, quasi per nullam aliam virtutem moralem hic ordo priùs ei conueniat, qui reipsa priùs ei conuenit per supradictum piæ affectionis habitum, quem admittendum esse etiam ex S. Doctoris mente suprà docuimus: solùm enim dicit, fidei per charitatem conuenire ordinem ad bonum quod est VII. obiectum voluntatis: quod verum quidem est, quatenus per charitatem, & eius imperium fit vt fides sit principium elicitiuum actuum qui referuntur in finem proprium ipsius charitatis, ac proinde in ipsum bonum in quod per charitatem tendit voluntas, quique eiusdem charitatis beneficio, siue ad eius finem sic referantur, siue non, sunt meritorij æternæ vitæ, ac proinde ordinati & ordinantes hominem ad Deum finem vltimum, summum bonum, quod est proprium & præcipuum obiectum voluntatis, sed non impedit quo minus eadem infusa fides aliunde & absque charitate ordinem habeat ad speciale aliquod bonum honestum, atque adeo sine ea veram essentiam specialis alicuius virtutis moralis participet.

IV. Quoad secundum ex duobus initio propositis, respondendum est, non esse in singulis vnam vel numero, vel specie, physicè loquendo, esse tamen moraliter. Prima pars probatur: Illud non est vnum numero aut specie, physicè loquendo, quod includit multas entitates numero & specie distinctas, quarum vna cum altera nullam facit compositionem physicam, & per se. Atqui virtus fidei in singulis in quibus est ita se habet: includit enim duos & numero & specie diuersos habitus secundùm eorum entitatem physicam, quorum vnus in intellectu, VIII.

alter in voluntate est, nec cum altero componit physice vnum ens per se: nunquam enim duo accidentia numero & specie diuersa, diuersis præsertim in subiectis existentia, in vnum ens physicum & per se coalescunt.

I. Secunda pars probatur: sicut enim actus internus voluntatis imperans, & externus actus facultatis alterius imperatus, licet physicè loquendo sint duo numero & specie actus, in genere tamen moris faciunt vnum tantummodo actum, non solùm specie, sed etiam numero: vnde moraliter loquendo interna voluntas occidendi, aut eleemosynam erogandi, & externa occisio, aut eleemosynæ erogatio, est vnum & specie & numero peccatum homicidij, aut vnus specie & numero actus virtutis misericordiæ: ita specificus ille habitus fidei & numericus qui in intellectu est, & alter ille specificus item ac numericus piæ affectionis qui in voluntate residet, in genere moris, & moraliter loquendo, faciunt vnam specie & numero virtutem completam, quæ fides infusa dicitur.

II.

DISPVTATIO XXIII.

Qualis sit diuinæ fidei habitus?

HVc pertinent aliquot quæstiũculæ, quibus tanto breuiùs respondebimus, quanto responsionis veritas est ex tradita superiùs doctrina certior, & clarior. Prima est, vtrum habitus ille sit euidens, an e contrario obscurus? Respondeo obscurum esse, & quidem essentialiter, cùm ex essentia sua sit effectiuus solius actus fidei diuinæ, qui est essentialiter obscurus, vt constat ex antedictis.

III. Secunda, an sit discursiuus? Respondeo non esse, cùm nullius actus sit productiuus quam assensus fidei diuinæ, quem ex supradictis pariter constat discursu non perfici.

Tertia, vtrùm certior habitu sapientiæ, scientiæ, aliisque similibus certis & euidentibus habitibus? Respondeo esse, habitus enim ille certior est alio habitu, cuius proprius actus certior est proprio actu habitus alterius: habitus enim non dicuntur certi, vt nec euidentes, nec discursiui, nisi quia productiui sunt actuum qui certitudinem habent, & euidentiam, discursuque perficiuntur: quo fit vt illi habitus dicendi sint certiores aliis habitibus, quorum proprij actus sunt certiores propriis aliorum habituum actibus, proprius autem actus habitus diuinæ fidei, nimirum internus diuinæ fidei

IV. actus, certior est propriis illorum habituum actibus, vt supra fusè probatum est.

Quarta, vtrùm speculatiuus, an practicus? Respondeo esse formaliter & speculatiuum & practicum simul, quia est effectiuus quorundam actuum, ex quibus aliqui sunt speculatiui formaliter, alij practici: quam etiam ob causam noster intellectus dicitur, & est potentia formaliter speculatiua simul & practica: habitus enim fidei est formaliter effectiuus internorum fidei actuum, horum autem aliqui formaliter practici sunt, ij nimirum quibus creditur aliquid per nos faciendum: alij formaliter speculatiui, illi nimirum quibus nihil huiusmodi creditur, vt cùm de Deo credimus ipsum esse æternum, immensum, trinum in personis, & similia.

A

Quinta, vtrum fidei forma sit charitas? Affirmant S. Thomas, quæst. 4. art. 3. cæteríque Theologi, & meritò: tum quia sicut in naturalibus forma materiam perficit, ita in genere moris fidem charitas, in quantum fidei actum in genere moris perfectè bonum efficit: tunc enim aliquis actus liber in genere moris seu moraliter bonus perfectè est, cùm in finem vltimum refertur, seu cum purè propter ipsum Deum, qui finis vltimus est, exercetur, maiorem enim perfectionem moralem habere nequit, actus autem fidei per charitatem, seu ex eius imperio in finem vltimum refertur, seu purè propter Deum exercetur: tum quia sicut corpus sine anima, quæ forma est, mortuum est, nec vllas vitales operationes habet, at per animam viuum est, & operationes vitales exercet: ita fides absque charitate mortua est, nec vitalis vllius operationis principium est conducentis ad vitam æternam, seu habentis meritum ad eam aliquando consequendam: at per charitatem viua est, principiúmque talium operationum. V.

B

Vnde colliges primò, charitatem esse formã non solùm habitus fidei in intellectu existentis, sed illius etiam qui in voluntate est, imò aliarum omnium virtutum: duplex enim illa ratio id de omnib. illis euincit. Colliges secundò, soli charitati conuenire vt sit forma fidei, cæterarúmque virtutum. Etsi enim fidei vel alterius virtutis actus referri possit ab aliqua alia virtute in propriã huiusce virtutis honestatem, nullius tamen est eum referre in finem vltimum, seu purè propter Deum exercere, nisi charitatis: cuius etiam solius est influere in eum dignitatem per quã est æternæ vitæ meritorius. Colliges tertiò, charitatem fidei, cæterarumque virtutum formam extrinsecam esse, cùm nullam physicè & intrinsecè informet. VI.

C

Sexta, vtrùm fides possit esse informis, id est, sine gratia & charitate quæ forma eius est? Affirmatiua pars de fide est, definita à Tridentino Concilio, sess. 6. can. 28. verbis istis. *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit.* Idem docuit S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. *Fides*, inquiens, *sine charitate potest esse, non potest prodesse.* VII.

D

Septima, vtrùm fides informis possit fieri formata, ac vice versa? Affirmat S. Thomas citatæ quæst. 4. art. 4. & verissimè: eadem enim & specie & numero fides quæ remansit in Christiano lapso in mortale peccatum distinctum à peccato infidelitatis, quæque tunc temporis informis fuit, quia sine gratia & charitate extitit, eadem, inquam, in ipso remanet postquam gratiam & charitatem recuperauit, eadémque proinde de informi formata fit, id est, cum gratia & charitate coniuncta: dúmque rursus labitur in peccatum lethale distinctum à VIII.

peccato infidelitatis, retinet eandem ſpecie & numero fidem quam ante lapſum habuerat, eadémque proinde de formata fit informis, id eſt, à gratia & charitate ſeparata: fruſtra enim & ſine ratione eſſe alia vel ſpecie vel numero diceretur.

I. At obiicies primò, impoſſibile eſſe hominem mortuum, eſſe eundem vel ſpecie vel numero cum viuo: ergo etiam impoſſibile eſſe fidem formatam charitate ſeu viuam eſſe eandem vel ſpecie vel numero cum informi, ſeu mortua. Neganda conſequentia eſt: diſparitatis euidens ratio eſt, quòd vita eſt homini intrinſeca & eſſentialis: at verò vita non eſt de eſſentia fidei, ſed accidens aliquod ipſi tam extrinſecum, quam eſt ei extrinſeca charitas, quæ vita eius dicitur: ideoque ſi mutatio fiat circa vitam hanc, ſicut & circa alia ſimiliter extrinſeca, non propterea ſequitur mutatio circa fidei eſſentiam, aut numericam eius identitatem.

II. Obiicies ſecundò nonnullos Patres negantes fidem quæ ſine charitate & bonis operibus eſt, eſſe veram fidem, vt Cyprianum libro de ſimplicit. Prælatorum, & Bedam in caput 2. epiſt. D. Iacobi: ex quo ſequitur eſſe ſpecie & numero diuerſam ab ea quæ erat cum charitate & bonis operibus: hæc enim erat vera fides. Reſpondeo negando hoc ſequi: Patres enim illi dum ſic loquuntur, non loquuntur de veritate eſſentiæ & naturæ fidei, ſed operum quæ fides habere debet, ſenſuſque eſt, fidem illam non eſſe veram fidem quoad opera, eodem prorſus modo quo dicere ſolemus cum non eſſe verum Epiſcopum, aut Nobilem, qui non facit opera quæ nobilis viri vel Epiſcopi dignitas poſtulat. Quo etiam modo explicandus eſt ſanctus Hieronymus magnis in Commentariis in cap. 5. epiſt. ad Galat. & in hæc huius capitis verba, *fructus autem Spiritus*, &c. dum ſic ait: *Cùm autem dilectio procul abfuerit, & fides pariter abſcedit.* Alij item Patres, dum hoc eodem aut ſimili modo loquuntur.

III. Ex dictis colligitur, diuiſionem fidei in formatam & informem non eſſe vel generis in ſpecies, vel ſpeciei in indiuidua, ſed vnius eiuſdémque numero habitus in duos ſtatus accidentales quos habere ſucceſſiue poteſt.

DISPVTATIO XXIV.

De ſubiecto habitus fidei diuinæ.

SECTIO PRIMA.

IV. *Vtrùm fuerit in Angelis viatoribus, vtrùm etiam in homine in ſtatu innocentiæ?*

DE ſubiecto proximo & immediato nulla eſt controuerſia, ſatiſque conſtat ex ſuprà dictis: de remoto & mediato, quod eſt creatura intellectu & voluntate prædita, proponemus ad rem totam explicandam quæſtiones aliquot, quarum prima eſt, vtrùm in Angelis viatoribus fuerit? Secunda, vtrùm in homine in ſtatu Innocentiæ? Ad quam vtramque reſpondet affirmatiuè S. Thomas hic quæſt. 5. artic. 1. cæteríque communiter Theologi contra Durandum, qui in 3. diſtinct. 13. quæſt. 9. id de Angelis negauit.

V. Probatur autem in primis hoc argumento: Angeli, primíque noſtri parentes non modo in ſtatu viæ & innocentiæ, ſed etiam primo ſuæ creationis inſtanti gratiam ſanctificantem habuerunt: ergo & fidem. Antecedens, quoad eam partem qua dicitur, Angelos in gratia ſanctificante fuiſſe creatos, eſt expreſſe Diui Thomæ 1. parte quæſt. 62. artic. 3. quo loco id à me fusè probatum eſt. quoad illam verò qua dicitur primos parentes in eadem ſanctificante gratia fuiſſe conditos, eſt expreſſa etiam eiuſdem doctrina eadem prima parte quæſt. 95. articulo primo quam & ſatis fuse probaui in Tractatu de peccatis diſp. 13. ſectione prima. Conſequentiæ bonitas conſtat ex eo quod nùquam in viatoribus, ſiue hominibus, ſiue Angelis, gratia ſanctificans ſine fide reperitur, vt communis eſt Theologorum conſenſus, & docuit Apoſtolus ad Hebræos 11. dicens impoſſibile eſſe ſine fide placere Deo: cui ſanè cùm placeant viatores omnes qui in gratia ſanctificante ſunt, oportet eos omnes fidem pariter habere.

VI. Probatur ſecundò. Dubium non eſt, quin Angelus in ſtatu viæ, & homo in ſtatu innocentiæ ſupernaturalem æternamq. beatitudinem ſperauerint, aut ſaltem ſperare potuerint: quomodo enim ad illam ſuis meritis comparandã, contendiſſent bonis operibus, aut contendere potuiſſent, ſi eam ſperare non potuiſſent? Ergo nec dubium eſſe debet quin fidem habuerint. tum quia ſpem præcedit fides, vt conſtat ex eodem Apoſtolo definiente fidem ſubſtantiam rerum ſperandarum, quæ definitio ſuperiùs a nobis explicata eſt: tum quia ſperare eam non potuerunt niſi priùs cognouerint, non cognouerunt autem quidditatiuè, alioquin intuitiuè Deum vidiſſent, & proinde beati fuiſſent, cùm hæc beatitudo conſtet tam ex obiectiua quæ Deus eſt, quam ex formali, quæ eſt intuitiua Dei viſio, poſſeſſióque obiectiuæ beatitudinis: nec naturæ ſuæ viribus cognoſcere potuerunt eam eſſe poſſibilem, cùm ipſa in ſe ſuaque entitate ſit ſupernaturalis: & quantumuis eam poſſibilem eſſe cognoſcere viribus his potuiſſent, ſcire ſaltem naturaliter non poterant ſe creatos eſſe ad eam perfruendam, cùm ipſos ad hunc finem creari non eſſet ipſorum naturæ debitum, ſed ex ſolo Dei beneplacito penderet: non aliter ergo quàm ex Dei reuelatione cognouerunt, nec proinde aliter quam per fidem innixam illi reuelationi, ſimilem ei qua nos eandem beatitudinem nobis eſſe ad conſequendum propoſitam credimus.

VII. Reſpondet Durandus nos cognoſcere beatitudinem hanc ex reuelatione obſcura, at Angelos eandem cognouiſſe ex reuelatione euidenti, ſeu de qua conſtabat ipſis euidenter eam à Deo eſſe, & proinde non per fidem, ſed aliter cognouiſſe. Verùm etſi Durando concedamus, ſupremum Angelum qui immediatè à Deo re-

VIII.

uelationem accipit, hanc reuelationis euidentiam habere necessariò, non est tamen propterea necesse concedere, quemlibet Angelum cuiuslibet reuelationis diuinæ sibi factæ hanc euidentiam habere: cùm enim inferiores per superiores illuminentur, superior immediatè sibi factam à Deo reuelationem sic proponere inferiori potest, vt hic non videat euidenter reuelationem sibi à superiore propositam à Deo esse.

I.

Deinde etsi concederemus esse necessarium à quolibet Angelo cognosci semper euidenter, vtrum reuelatio sibi facta à Deo sit, necne, cùm tamen disputat. 3. sect. 4. probauerimus illud à nobis credi posse per fidem obscurè quod euidenter cognoscimus reuelatum a Deo fuisse, non est quod ex euidenti illa reuelationis cognitione neget Durandus Angelos rei reuelatæ assensum obscurum per fidem diuinam præbuisse: quem & reipsa eos dedisse putandum est, tum ob hactenus dicta in hoc secundo argumento, ac in præcedente: tum ob istud tertium, quo postremò probo Angelos in statu viæ, & primos parentes in statu innocentiæ fidem habuisse. His & illis in hoc & illo statu existentibus erat eadem beatitudo proposita quæ nobis adultis in hoc statu viæ, eodemque modo quo nobis comparanda, nempe per merita: ergo quemadmodum nos eam mereri non possumus, nec ad eam peruenire, nisi per fidem cum spe & charitate coniunctam, ita nec illi potuerunt: nulla siquidem ratio est fingendi Deum voluisse nobis hæc esse media necessaria ad finem illum beatitudinis, illis noluisse.

II.

SECTIO II.

Vtrum sit in Beatis?

III. NEGANT sanctus Thomas, cæteríque Scholastici communiter in 3. distinct. 33. quorum sententia vera est, & probatur. In Beatis nunquam erit vllus actus fidei: ergo nec habitus. Antecedens colligitur non obscurè ex duobus Apostoli locis, nempe ex primæ ad Corinth. cap. 13. & ex secundæ ad eosdem cap. 5. In hoc enim significat, quòd sicut quandiu sumus in isto corpore, & peregrinamur à Domino, per fidem ambulamus, & non per speciem, id est, per obscuram fidei cognitionem, & non per claram rei visionem: ita cùm non amplius à Deo peregrinabimur, non per fidem ambulabimus, sed per speciem. In illo verò sic inquiens: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*, id est, imperfectè, vt verba hæc immediate sequentia indicant: *Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Et: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: manifestè significat cognitionem per fidem, quam appellat cognitionem ex parte, seu imperfectam, & visionem per speculum in ænigmate, euacuandam, id est, cessaturam penitus, cùm venerit quod perfectum est, perfecta scilicet & intuitiua Dei visio, qua facie ad faciem, & sicut in se est videbitur. Consentiunt etiam Chrysost. homil. 34. in eundem Apostoli locum, & hæc eiusdem capitis verba: *Nunc autem manent fides, spes*, &c. Beda & Anselm. ibidem, & S. Augustin. serm. 53. de Temp.

IV.

Ratio autem illius nostri antecedentis est, quod statum tam perfectum, quàm perfectus est status æternæ beatitudinis, non satis deceat tam imperfecta ex genere suo cognitio, quàm imperfecta illa est quæ ex se & essentialiter obscura est, qualis est ea quæ per fidem habetur: quam etiam ob causam negant Theologi Christum vllum vnquam diuinæ fidei actum exercuisse, cùm semper ipse quoad animam beatus extiterit. Consequentiæ bonitas probatur ex eo quòd sicut adueniente clara Dei visione statúque beatitudinis tollitur omnis actus fidei, quòd statum hunc tam perfectum minus deceat tam imperfecta ex se cognitio, ita aduenientе lumine gloriæ, quod tam correspondet habitui fidei, quàm clara Dei visio, proprius illius luminis actus, actui fidei, tollitur iste habitus, quòd non deceat intellectum illo imbutum lumine, hominemque existentem in statu beatitudinis, cùm ex se sit obscurus, tamque essentialiter imperfectus in ratione habitus, seu cognitionis habitualis, quàm actus fidei essentialiter imperfectus est in ratione actus, seu cognitionis actualis. Vnde etiam pariter Theologi negant in Christo, qui semper beatus fuit, & lumine gloriæ præditus, habitum fidei vnquam extitisse. Vnde & sentiendum est primo temporis momento quo quis beatus esse incipit, desinere in ipso habitum hunc, Deo, eum concursum quo conseruabatur antea, subtrahente.

V.

Obiicies primò authoritatem S. Irenæi lib. 4. cap. 25. asserentis in futuro sæculo iuxta testimonium Apostoli reliquis destructis hæc tunc perseueratura, fidem, spem, charitatem: hocque ferme modo loqui Tertullianum lib. de Patientia, paulò ante finem. Verùm his Patribus opponendi primò Chrysost. Anselm. Beda, Augustinus, quos pro nostra sententia retulimus: deinde excusandi, in eam enim opinionem sunt adducti, existimantes se niti authoritate Apostoli, quem loquutum fuisse de tempore vitæ futuræ existimabant, dum dixit primæ Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas*, cùm tamen de præsentis vitæ tempore loqueretur, vt indicat particula *nunc*, cuius loco ipsi legebant, *tunc*, vnde & putabant eum de tempore futuræ vitæ esse loquutum.

VI.

Obiicies secundò, in beatis esse aliquem diuinæ fidei actum, ergo & habitum. Probatur antecedens, multa enim à beatis futura contingentia cognoscuntur, quæ cognosci aliter ab ipsis nequeunt quàm per fidem. Respondeo negando antecedens, cuius ad probationem dico, futura hæc clarè cognosci aut in Deo viso, tanquam in medio cognito, eadem numero visione qua videtur Deus, aut extra Verbum, per propriam eorum speciem, quam possibilem esse, disp. 30. in Tractatu de Angelis probauimus: aut denique per aliud genus cognitionis euidentis, qualis est ea quæ per discursum ex præmissis euidenter notis comparatur: quorum modorum aliquo dicendum necessariò est beatam Christi animam cognouisse futura illa, aut per actum fidei diuinæ, quem tamen illi tribuere absurdum est, aut ea certè ignorasse, quod est longè absurdius.

VII.

VIII.

Obiicies sic tertiò. Beati retinent habitum piæ affectionis in voluntate existentem, & ad virturem fidei complete sumptam pertinentem : ergo & habitum fidei qui in intellectu est. Consequentia probatur, vnus siquidem sine altero nunquam est. Probatur antecedens: I. exercent enim, aut exercere, si volunt, possunt A actum aliquem proprium illius habitus: vnde quemadmodum si exercerent internum aliquem fidei actum, qui est proprius actus habitus fidei existentis in intellectu, concederetur etiam ipsis iste habitus, ita & ille alius iisdem concedendus est. Quòd autem exerceant, aut exercere, si velint', possint prædictum actum, patet: possunt enim sibi complacere in interno fidei assensu, sícque ad illum per voluntatem affici propter propriam & specialem quæ in isto actu est honestatem, bonitatemque moralem, vt nisi viderent clare mysteria fidei, aut si adhuc viatores essent, vellent ea credere: qui voluntatis actus in entitate supernaturalis est, cùm fiat ex motiuo supernaturali, nempe ex motiuo propriæ illius honestatis quæ in interno fidei actu est, quæ honestas supernaturalis II. est, vt & ipse fidei actus, vt suprà docuimus, & ad prædictum piæ affectionis habitum pertinet, vt constat etiam ex suprà dictis.

Respondeo concesso antecedente, eiusque probatione, negando consequentiam: etsi enim in hac vita nunquam habitus fidei in intellectu existens ab illo piæ affectionis habitu separetur, secus tamen in futura: illius enim cum isto coniunctio in hac vita non dedecet statum vitæ præsentis: at dedecet statum futuræ, propter essentialem quam habitus ille includit imperfectionem, nempe obscuritatem statui beatitudinis minimè conuenientem: quem tamen statum non dedecet habitus ille piæ affectionis, vtpotè qui virtus Moralis est, non magis ex se suaque natura secum importans imperfectionem statui beatitudinis non I. III. bene congruentem, quàm reliquæ virtutes C Morales quæ manent in beatis: Vnde & existimandum est habitum illum in Christo semper fuisse.

SECTIO III.

Vtrum sit in damnatis, & animabus Purgatorio detentis.

QVOD spectat ad damnatos: Notandum quæstionem hanc non instituisse de damnatis iis in quibus vel nunquam fuit fides, vt in Ethnicis, vel in quibus esse desiit antequam exirent de hac vita, vt in hæreticis, certum enim apud omnes est fidem in illis non esse: sed de solis illis damnatis in quibus fides fuit, nec desiit antequam exirent de statu vitæ præsentis & viæ: de quibus putauit suprà citatus I. IV. Durandus eos fidem retinere, contra communem Theologorum sententiam, maximeq. D. Thomæ quæst. 5. artic. 2. in quo licet de solis Angelis damnatis loquatur negans eos in statu damnationis retinere fidem, vult tamen sine dubio idem de aliis omnibus esse sentiendum, cùm nulla sit potior horum quàm illorum ratio.

Probatur autem hæc sententia. Primò, ex eo quòd sicut in beatis destruitur fides, quia non decet statum beatitudinis, ob essentialem obscuritatis imperfectionem quam includit: ita nec dubitandum videtur quin destruatur in damnatis, quòd tam excellens Dei donum supernaturalisque qualitas ex se radix & fundamentum iustificationis statui damnationis non bene congruat: maximè cùm qui fide instructus est, sit actu de Christi corpore, eiusque membrum: damnati autem sint palmites a Christo vera vite præcisi, aridi, & in ignem missi. V.

Deinde nulla legitima causa esse potest admittendi in damnatis habitum fidei, cum vna quidem ex parte tam excellens qualitas statui damnationis minime sit consentanea, ex altera verò damnati nullum vnquà fidei actum exercere possint: hic enim actus exerceri non potest sine præuia bona credendi volitione, vt suprà probatum est: hanc autem damnati volitionem exercere nequeunt, vt nec vllum alium actum moraliter bonum, saltem in entitate supernaturalem, qualis est illa volitio, vt probatum etiam est: imò nullum absolutè etiam in entitate merè naturalem, vt in Tractatu de Angelis disputat. 53. ostensum est. Et ratio est, quòd nullum actum bonum exercere possint sine præueniente Dei gratia efficaci, hac autem gratia destituuntur damnati, id exigentibus eorum peccatis, & statu damnationis in quo sunt: quæ duæ probationes euincunt pariter ipsos carere habitu piæ affectionis. VI.

Obiicies primò in ipsis remanere characterem per sacramentum baptismi vel ordinis productum. Respondeo non esse eius & fidei parem rationem: character enim in primis qualitas actiua non est: deinde finis impressi characteris est, vt sit nota distinguens interius eos qui se Christi militiæ aggregarunt, diuersosque eorundem ordines ab aliis omnibus: qui finis cùm semper maneat, non mirum si in animabus illorum indelebiliter perseueret. VII.

Obiicies secundò, habitum fidei non desinere, nisi per oppositum actum infidelitatis: atqui fieri posse vt damnati qui ante damnationem fidem habuerunt, nullum in eo statu infidelitatis actum exerceant. Respondeo ad Maiorem, in statu quidem viæ nunquam habitum illum desinere nisi per oppositum actum infidelitatis: at extra statum viæ aliter etiam desinere, nempe Deo propter suprà dictas causas subtrahente concursum quo antea conseruabatur: alioquin aut in Beatis remaneret fidei habitus, aut in iisdem per oppositum infidelitatis actum esse desineret.

Obiicies tertiò, in dæmonibus esse diuinæ fidei actum, ergo & habitum. Consequentia hæc à nobis supra sæpius admissa est. Probatur antecedens, primò ex Diuo Thoma quæst. 5. artic. 2. ad 2. dicente in damnatis magis esse posse fidei actum quàm spei. Secundò ex D. Augustino passim asserente multa reuelari dæmonibus à bonis Angelis, quæ cùm ab illis credantur saltem aliquando, sequitur eos aliquando saltem fidei actum exercere. VIII.

Postremò ex his Diui Iacobi verbis cap. 2. *Credis quia vnus est Deus, bene facis, & dæmo-*

nes credunt, & contremiſcunt. Vnde dæmonibus tribuit eundem actum fidei infuſæ quem Chriſtianis: niſi enim eandem fidem iis attribuat quam iſtis, nulla vis inerit eius argumento ad concludendum quod concludere vult, éſtque, fidem ſine operibus mortuam eſſe, & ad ſalutem non ſufficere: quod probat ex dæmonibus in quibus eſt fides, quæ tamen illis ad ſalutem nihil prodeſt, cùm damnati ſint. Quo loco niſi fidem aliam illis tribuat quàm coactam euidentiæ ſignorum & miraculorum innixam, imò niſi tribuat infuſam & ſupernaturalem ſimilem ei quæ eſt in Chriſtianis exiſtentibus in peccato mortali, facile Chriſtianus aliquis ſentiens ſe poſſe per fidem ſuam ſine bonis operibus & charitate ſalutem conſequi, nullum eſſe oſtendet argumentum illius Apoſtoli, dicétque, non mirum ſi dæmonibus fides non ſufficiat ad ſalutem, cùm in illis coacta ſit, nec bona moraliter, nec ſupernaturalis: at hoc non obſtante ſuam ſibi ad ſalutem poſſe ſufficere, cùm hæc libera ſit, bona moraliter, & ſupernaturalis.

I. A

II. Reſpondeo negando antecedens, & ad primam eius probationem dico S. Doctorem tantùm velle fidei actum minùs repugnare ſtatui damnationis, quam ſpei, quòd à damnato credi poſſit, fide ſaltem acquiſita & naturali, idem obiectum quod antea per diuinam fidem credebatur: at ab ipſo nullo actu ſpei vel naturalis & acquiſitæ, vel ſupernaturalis & infuſæ, ſperari poſſit illud ipſum obiectum quod antea per ſpem infuſam ſperabatur, nempe beatitudo cœleſtis, quæ damnato non proponitur vt obtentu poſſibilis, imo ſemper & certò repræſentatur vt impoſſibilis, cùm tamen eam repræſentari vt obtentu poſſibilem ſit prorſus neceſſarium ad hoc vt quis in eam per actum aliquem ſpei, ſiue naturalis & acquiſitæ, ſiue ſupernaturalis & infuſæ ferri poſſit.

III. C

Ad ſecundam dico, quæ à dæmonibus ex reuelatione bonorum Angelorum cognoſcuntur, non cognoſci per aſſenſum fidei diuinæ, ſed vel per aſſenſum fidei humanæ, id eſt, innixum authoritati creaturæ reuelantis, vel per diſcurſum aliquem, quo probabiliter aut euidenter iudicant rem ſibi reuelatam veram eſſe.

Ad tertiam multorum reſponſio eſt, ſanctum Iacobum eo loco tribuere dæmonibus actum fidei infuſæ ſimilem ei qui in Chriſtianis peccatoribus eſt, ſed ipſum nolle eos actum illum elicere illo ipſo tempore quo in ſtatu damnationis ſunt, vocabulúmque *credunt* quod vſurpauit, non pro præſenti tempore, ſed pro præterito poſuiſſe, retuliſſeque ad illud tempus quo dæmones viatores fuerunt, &

IV. D

actum bonum fidei diuinæ ſeu infuſæ exercuerunt. Verùm quia communis interpretum expoſitio eſt eum de præſenti tempore loqui, dum prædictum vocabulum vſurpat, quam ſatis confirmat vox *contremiſcunt*, immediate ſubſequens, quæ de tempore præſenti intelligenda eſt, vt & ab omnibus intelligitur: propterea dico iuxta communem eorundem interpretum expoſitionem, ſancti Iacobi mentem eo loco ſolum eſſe, docere vniuerſim, fidem firmam & indubitatam, qua & Dei exiſtentia, & vnitas, & alia fidei noſtræ myſteria creduntur, non ſufficere ſine bonis operibus ad ſalutem, cùm eo quo id docebat tempore non deeſſent hæretici id de omni huiuſmodi fide aſſerentes vniuerſe, nec quidquam inter infuſam & acquiſitam fidem, inter voluntariam bonámque moraliter & coactam diſtinguéres: quos ab exemplo dæmonum nunc in ſtatu damnationis huiuſmodi fidem habentium efficaciter redarguit. Vnde conſequenter fatendum eſt, argumento quod ab illo eorum exemplo petiit, concludi non poſſe efficaciter, fidem infuſam, voluntariam, bonámque moraliter, qualis in Chriſtianis peccatoribus eſt, ad ſalutem ſine bonis operibus non ſufficere: quod nec ipſe quoque concludere voluit, ſed id tantùm quod diximus. V.

Iam quod ſpectat ad animas Purgatorio detentas, communis ſententia affirmat fidem iis ineſſe, nec vlla dubitandi ea de re ratio eſſe poteſt: tum quia animæ illæ gratiam ſanctificantem habent, ergo & fidem, ſine qua nunquam eſt gratia illa, niſi in eo qui iam beatus eſt: tum

VI. B

quia eædem animæ de corpore exierunt inſtructæ fidei habitu, quem cur amitterent in Purgatorio poſitæ? vtrùm quòd tam excellentem qualitatem manere in tam miſero ſtatu non ſit conſentaneum? At multò minùs manere deberet gratia ſanctificans. An quòd è contrario eſſentialis eius imperfectio nempe obſcuritas ſtatum illum non deceat? At ille ſtatus non eſt patriæ & felicitatis, ſed exilij & pœnarum. An potiùs quod in eo ſtatu poſitæ actum aliquem fidei oppoſitum exerceant? at quem? vtrùm infidelitatis? ſed hoc ne cogitari quidem poteſt. An claræ viſionis, ſeu cognitionis euidentis, qualis ea eſt qua per experientiam ſentiunt eſſe ignem aliquem purgatorium, quod dum in corpore eſſent per fidem crediderunt? At plurima alia ſunt quæ clarè non vident, nec cognoſcunt euidenter, quæ proinde per fidem æquè credere poterunt, atque ante diſceſſum à corpore crediderunt. VII. C

Deinde cùm communis ſit Theologorum opinio, eiuſdem rei ſimul haberi poſſe ſcientiam ſeu cognitionem euidentem actualem, & fidem habitualem: imò cùm ſupra probauerimus ſimul etiam haberi poſſe fidem actualem, patet ex illa cognitione euidenti quam dicuntur habere animæ in Purgatorio exiſtentes, concludi non poſſe, ipſas habitum fidei non retinere. Ex quo colliges animas antiquorum Patrum in Limbo fidei habitum retinuiſſe: hoc enim etiam ſatis hæc argumenta euincunt.

SECTIO IV.

Vtrùm in eo ſit qui diſcredit vnum fidei noſtræ articulum, credit autem cæteros. VIII. D

AFFIRMAT Durandus in 3. diſtinct. 23. quæſt. 9. quam eius ſententiam Domin. Bannez ad artic. 3. quæſt. 5. meritò valde temerariam vocat, quia communi Theologorum omnium doctrinæ repugnat, nominatimque S. Thomæ quæſtione & articulo citatis: item errori proximam, cùm ſententia contraria aut de fide eſſe, aut proximè ad fidem accedere vi-

deatur, vt constat ex Apostolo, & Concilio Tridentino, quorum ille primæ ad Timot. cap. 1. de quibusdam hæreticis, nominatímque de Hymenæo & Alexandro loquens, qui non circa omnes fidei articulos, sed contra vnicum, nempe abrogationem veteris legis errabant, ait eos circa fidem naufragauisse, id est, ex interpretatione Chrysost. Hieron. & D. Thomæ in eum locum, à fide penitus excidisse: à qua profectò penitus non excidissent, si circa vnum aut alterum fidei articulum per infidelitatem peccantes, fidei habitum circa alios retinuissent.

I. Hoc verò sess. 6. cap. 15. sic loquitur: *Asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.* Vbi non dubium esse debet, quin mens eius sit per peccatum infidelitatis amitti fidem, sicut per quodlibet mortale gratia iustificans amittitur: vnde cùm hæc quolibet mortali sic amittatur, vt tota pereat, nec vlla particula habitus ipsius in peccatore remaneat, consequens est, quolibet infidelitatis peccato etiam circa vnicum fidei articulum totam perire fidem, itavt nulla pars habitus fidei in infideli sit superstes.

II. Impugnatur præterea Durandi opinio rationibus aliquot. Prima ducitur à duobus absurdis, quorum primum est, hæreticum esse Christi membrum, & de Ecclesia. Secundum est, apostatam à fide, deficientem ad sectam aut Iudæorum, aut Turcarum, aut etiam Ethnicorum, habitum fidei retinere. Primum absurdum esse constat ex communi doctrina Theologorum, & Patrum, quæ est hæreticum in vno solo fidei articulo errantem esse extra Ecclesiam, ac proinde nec membrum Christi esse, cùm Ecclesia corpus eius sit. Ita Ambros. serm. 52. ponderans hæc Apostoli verba ad Titum 3. *Hæreticum hominem deuita.* August. in Enchirid. cap. 5. & alij quos citat Bannes in fusioribus commentariis ad art. 10. quæstionis primæ, §. *Tertia particula est.*

III. Quòd autem hoc absurdum sequatur ex opinione Durandi, patet: eo enim ipso quo quis habitu fidei præditus est, de Christi corpore & Ecclesia est, vt constat ex Catholicis in mortali peccato existentibus, qui de Christi corpore & Ecclesia sunt, non eo præcisè nomine quod baptizati sunt, alioqui quilibet baptizatus etiamsi postea fieret Turca, vel Ethnicus, de Christi corpore & Ecclesia esset: neque quòd charitatem habeant, ab ea enim per mortale peccatum exciderunt: neque quòd spem, nam si per desperationem peccauerint, simul etiam à spe exciderint: sed eo præcisè nomine, quòd

IV. Christus in eos merito passionis suæ iugiter influit seu conseruat habitum fidei: quem non minùs influet & conseruabit in hæreticis, si in vno aut altero fidei articulo errantes ipsum circa alios retinent: imò circa illum ipsum circa quem errant, cùm fidei habitus ex se non magis vnum quàm alterum respiciat, & æqualiter inclinet ad credenda omnia & singula quæ à Deo reuelata sunt.

Iam verò quòd secundum quoque absurdum sit, nemo negauerit: quòd autem ex opinione Durandi sequatur, hinc constat, quòd qua ratione, & quo modo remanet in hæreticis diuinæ fidei habitus, circa fidei articulos quos nobiscum amplectuntur, & credunt, eodē prorsus remanere potest & debet in apostatis ad Turcas, aut Iudæos, aut etiam Ethnicos deficientibus, dummodo vnum aut alterum fidei nostræ articulum amplectantur & credant, vt animæ immortalitatem, vnius Dei existentiam, aut similia, quæ de facto recipiunt, & credunt. A V.

Secunda ratio ducitur à simili: sicut enim si quis Ethnicus cum ea animi dispositione ad Christianam religionem amplectendam accederet, vt vellet ex omnibus fidei articulis sibi sufficienter æqualitérque propositis ad credendum partem amplecti, partem reiicere, is omnium iudicio nō susciperet habitum fidei etiam circa illos articulos quos credendos amplecteretur, alioqui si vel vnicum credendum recipere t, eundem habitum circa illum, seu ratione illius susciperet habitum fidei non retinet circa illos etiam articulos quos nobiscum recipit: nulla enim afferri probabilis ratio potest, ob quam praua hæc animi dispositio impediat primam habitus fidei in Ethnico susceptionem, & non pariter continuatam eiusdem habitus in hæretico conseruationem. B VI.

Tertia est, quòd si quæ ratio est dicendi hæreticum in vno vel altero fidei articulo errantem habitum fidei retinere circa illos in quibus non errat, hæc maximè, quòd videatur eos eodem modo credere quo ante lapsum in hæresim credebat, & proinde assensu fidei diuinæ, nihil autem absurdi sit habitum fidei in eo subiecto admittere, in quo ipse diuinæ fidei actus agnoscitur, cùm præsertim habitus ille sit connaturale principium productiuum huius actus: atqui hæc ratio nulla est: ille enim hæreticus articulos illos in quibus non errat non credit C ampliùs, nec credere potest, quandiu circa vnum aut alterum hæreticus est, diuinæ fidei assensu. VII.

Ratio autem est, quòd quando duo vel plura proponuntur sufficiēter intellectui ob vnam eandémque formalem rationem amplectenda, non potest vnum ex illis sufficienter propositis per assensum amplecti ob hanc formalem assentiendi rationem, & alterum reiicere: atqui fidei nostræ articuli, tam hi circa quos errat hæreticus, quàm illi circa quos non errat, ipsi sufficienter proponuntur amplectendi per assensum fidei propter eandem authoritatem diuinam reuelantem, tanquam ob vnam eandémque formalem assentiendi rationem: ergo non potest vnum ex illis articulis amplecti ob rationem hanc, & alterum nihilominus reiicere: quare cùm ex iis aliquem reiiciat, alioqui non esset hæreticus, sequitur ipsum aliis quos recipit non assentiri propter authoritatem diuinam reuelantem, nec proinde assensu fidei diuinæ. Conclusio euidens est. Minor certa, nisi enim articuli illi circa quos errat essent ipsi sufficienter propositi ad credendum propter authoritatem Dei reuelantis, non esset hæreticus illos reiiciens, nec peccaret peccato infidelitatis. D VIII.

Probatur Maior: cùm enim illa assentiendi ratio sit vna eadémque, respectu omnium

propositionum quæ propter ipsam tan quam ob adæquatum motiuum assensus intellectui amplectendæ proponuntur, & proinde vna eademque sit respectu earundem omnium ipsius vis & efficacitas intellectum permouendi ad illis assentiendum: fieri nullo modo potest, vt intellectus vnam ex iis non obstante hac assentiendi ratione falsam esse iudicet, alteram autem veram iudicet esse propter illam ipsam assentiendi rationem. Cur enim propter hanc rationem hoc sibi de hac propositione potiùs, quàm de illa altera persuaderet, cùm hæc ratio non maiori efficacitate propositionis huius veritatem quàm illius alterius ipsi demonstret? quandoquidem, vt dixi, vna eademque est vis & efficacitas illius respectu earum omnium propositionum. Vnde si non obstante formali illa assentiendi ratione vnam ex illis propositionibus falsam iudicet, & alteri tanquam veræ assentiatur, certissimum argumentum est, eum ipsi assentiri ex alio formali motiuo, quàm ex prædicta formali assentiendi ratione. Ex quo manifestè concluditur, hæreticum ex pluribus fidei nostræ articulis sufficienter propositis ad credendum propter authoritatem Dei reuelantis, tanquam ob formalem & adæquatam iis assentiendi rationem, vni dissentientem, non obstante hac authoritate, eiúsque sufficienti propositione, & alteri assentientem, huic assentiri non ob hanc præcisè diuinam authoritatem, sed ob aliud motiuum, & proinde non assensu fidei diuinæ, sed alio.

I. II.

Nec quemquam moueat, quòd hæretici dicunt se articulos illos in quibus non errant credere propter authoritatem Dei reuelantis: idem enim eadémque constantia de articulis illis circa quos errant asserunt, cùm tamen certum sit hos ab illis sic credi non posse, quandoquidem fidei diuinæ falsum subesse non potest, vt supra probauimus.

III.

SECTIO V.

Vtrùm in vno maior quam in alio sit?

AD hanc quæstionem recte respondet sanctus Thomas quæst. 5. artic. 4. fidem in vno maiorem esse posse quàm in alio, ex parte tum obiecti, tum subiecti, seu quod alij aliis verbis dicunt, tum extensiue, tum intensiue.

Et quidem ex parte obiecti seu extensiuè eo maior est fides, quo ad plura explicitè credenda se extendit, seu quo plura per eam explicitè creduntur: constat autem ex duobus habitum fidei habentibus vnum aliquando credere explicitè plures fidei nostræ articulos per suum fidei habitum, quàm credat alter per suum, vel quia ex imperio suæ voluntatis habitu suo vtitur ad plura explicitè credenda, quàm suo vtatur alter, licet vtrique totidem paríque numero nostræ fidei articuli sint sufficienter propositi tanquam à Deo reuelati: vel quia plures vni sic propositi sunt, quàm alteri: quo fit vt explicitè possit plures credere quàm alter, cùm nullos explicitè credi possit, nisi postquam est sufficienter propositus tanquam à Deo reuelatus. Ex parte verò subiecti seu intensiuè eo maior est habitus fidei, siue is qui in intellectu, siue ille qui in voluntate residet, quo est intensior: constat autem hos habitus, sicut & eorum proprios actus, intensiores in vno quàm in alio esse posse.

A

IV.

Ex quo facile est respondere quæstioni quæ à nonnullis hìc fit, vtrum videlicet peccatoris fides maior quàm iusti esse possit? patet enim esse respondendum affirmatiuè: nam quid vetat peccatorem ob duplicem illam causam assignatam sæpè plura extensiuè credere quàm credat iustus, ac proinde maiorem habere fidem ex parte obiecti seu extensiuè? Atque cùm peccator ille antequam in peccatum laberetur, iustus esse potuerit, ex duobus autem iustis sæpe contingat vt vnus altero sit iustior, & proinde intensiorem illo charitatis & fidei habitum habeat, nihil prohibet, quo minùs ille peccator, dum iustus erat, intensiorem altero iusto charitatis & fidei habitum habuerit: lapsus autem in mortale peccatum cùm nullam sui habitus fidei particulam amittat, sequitur euidenter peccatorem aliquando maiori intensiuè fidei habitu præditum esse, quàm iustus aliquis præditus sit.

V.

B

VI.

DISPVTATIO XXV.

De causa efficiente habitus fidei.

SECTIO PRIMA.

Duarum quæstionum explicationem continens.

HVc pertinent quatuor quæstiones, quarum primam & secundam hac sectione paucis, quia pluribus opus non est, explicabimus. Prima est, vtrùm habitus fidei, siue is qui in intellectu, siue ille qui in voluntate est, à solo Deo in nobis extra sacramentum efficiatur? Cui affirmatiuè respondendum est: communis enim Theologorum doctrina est, habitus in entitate supernaturales extra sacramentum à solo Deo nobis infundi, & proinde ab ipso solo in nobis effici: prædictum autem habitum tam eum qui in intellectu, quàm illum qui in voluntate est, supernaturalem in entitate esse suprà probauimus. Et sanè si supernaturales habitus ab aliqua causa creata extra sacramentum in nobis efficienter producerentur, maximè à supernaturalibus eiusdem nominis actibus, sicut naturales habitus à naturalibus eiusdem nominis actibus tanquam à propriis causis efficientibus producuntur: at à supernaturalibus istis actibus illi supernaturales habitus sic produci nequeunt, vt infrà ad quæstionem 24. disputates de augmento charitatis fusè probabimus.

C

VII.

Secunda est, vtrùm dum habitus fidei nobis à Deo infunditur, simul etiá aliquæ species infundantur? Communis sententia negat, & recte, quia superfluè simul infundi dicerentur. Vel enim infunderentur ad formandas simplices apprehensiones terminorum, qui postea per as-

D

VIII.

sensum

sensum fidei connectuntur, & creduntur, vel ad ipsum fidei assensum efficiendum. Si primum, superfluè infunderentur: ad illas enim apprehensiones sufficiunt species naturales per sensus acceptæ, cùm in hac vita quælibet nostra apprehensio, & cuiuscunque rei etiam supernaturalis, sit in entitate mere naturalis, propterea quòd res illas supernaturalis ordinis & diuini prout in se sunt non apprehendimus. Si secundum, superfluè quoque infunderentur, quia vel species nostræ nobis in hac vita deseruire tantùm possunt ad simplices obiectorum apprehensiones, nunquam autem ad actum iudicij qui componendo aut diuidendo exercetur, qualis est diuinæ fidei assensus: vel si ad hunc etiam actum deseruiunt, tamque cum intellectu ad hunc eliciendum, quàm ad simplices apprehensiones effectiuè concurrunt, sufficient adhuc ad assensum fidei eliciendum eædem species naturales beneficio sensuum comparatæ, cùm res quæ per hunc assensum formaliter cognoscuntur & creduntur, non repræsententur nobis prout in se à parte rei sunt, sed ad earum rerum similitudinem quas per sensum cognoscimus: ad quam proinde cognitionem sufficient propriæ rerum istarum species quas per sensus comparamus.

I. II.

Quoniam tamen illa cognitio, quæ formaliter est ipse fidei assensus, est in entitate supernaturalis, vt suprà probauimus, dicendum ex consequenti erit, si species nostræ naturales ad illam cognitionem effectiuè concurrunt, non concurrere nisi per potentiam obedientialem actiuam: nulla enim res ordinis mere naturalis potest effectiuè producere per potentiam actiuam naturalem, vt naturalis est, rem in entitate supernaturalem, sed per solam obedientialem, vt obedientialis est.

Denique vel species illæ infusæ essent propriæ rerum quæ creduntur species, vel non essent. Si primum, quidditatiuam rerum à nobis creditarum cognitionem efficere deberent, qua cognoscerentur prout in se à parte rei sunt, quod experientia certum est eas non facere. Si secundum, nulla earum est necessitas: quidquid enim ab iis fieret, fieri poterit per naturales beneficio sensuum comparatas, quæ hoc habent vt non sint propriæ rerum quas per fidem credimus species, sicut & illæ aliæ haberent.

III.

SECTIO II.

Tertiæ quæstionis explicationem continens.

IV.

QVÆSTIO hæc est, vtrùm fidei virtus vtrumque præfectum habitum complectens prima virtutum omnium in nobis producatur? Dicendum autem primò, fidem ex se suaque natura non esse tèporis aut naturæ seu causalitatis ordine primam omnium virtutum: potest enim aliquis Ethnicus antequam quidquã de nostræ fidei mysteriis audiat, & proinde priusquam vllum fidei actum exerceat, habitúmque suscipiat, instructus esse multis virtutum moralium ex genere suo acquisitarum habitibus: quod tam certum est, quàm indubitatum, posse illum aliquos bonos moralis acquisitæ virtutis actus exercere, & proinde per exercitium horum actuum virtutum habitus in se producere. quod eum posse docet S. Thomas infra quæst. 10. artic. 4. in Corpore, & ad tertium.

A

Dicendum secundò, fidem item ex se suáque natura non esse temporis aut naturæ seu causalitatis ordine primam virtutum moralium infusarum, siue Theologicarum, siue aliarum: possunt enim ex rei natura harum virtutum actus exerceri, & habitus haberi, priusquam sit in homine vllus fidei vel actus vel habitus. Nam ad producendos proprios harum omnium virtutum actus nihil ex parte intellectus prærequiritur aliud, quàm cognitio repræsentans voluntati obiectum in quod per illos actus tendat, & formale motiuum propter quod tendat in illud ipsum obiectum: non est autem opus cognitionem hanc esse actum diuinæ fidei, nec ad eam proinde necessarius est fidei diuinæ habitus, sed sufficit esse cognitionem aliquam mere naturalem vel humanæ fidei, vel similem aliam, dummodo per hanc voluntati idem prorsus repræsentetur, quod per assensum fidei repræsentatur (cuius rei rationem à priori suprà iam semel aut bis attuli:) quod fieri potest, quia eadem res quæ supernaturali fidei actu cognoscitur, credi humana fide potest, & cognosci aliquo huiusmodi actu mere naturali. Quòd si fine fidei vel actu vel habitu possunt virtutum moralium infusarum, atque adeo charitatis actus ex natura rei produci, possunt & per consequens earum habitus haberi, cùm habitus hi tum saltem infundantur, cùm charitatis habitus infunditur, qui habitus eodem semper momento temporis infunditur, quo charitatis actus exercetur.

B V.

V I.

Nec dicas aduersari nobis sanctũ Doctorem quæst. 4. artic. 7. in Corp. expressè dicentem naturalem cognitionem non posse attingere Deum secũdum quod est obiectũ beatitudinis, in quod tendit spes & charitas, & proinde obiectum spei charitatisque non posse ab intellectu proponi voluntati per aliam cognitionem quàm supernaturalem, & quod consequens est, non posse per aliam quàm diuinæ fidei. Ne, inquam id dicas: solùm enim vult S. Doctor, obiectum supernaturalis illius beatitudinis in quod per spem & charitatem tendimus, non posse à nobis cognosci naturali lumine nostri intellectus, sed tantùm ex Dei reuelatione: quod verum quidem est, sed nobis non repugnat, qui solùm dicimus rem, cuius ex Dei reuelatione cognitionem accepimus, à nobis credi posse fide, tum humana, tum diuina, cognosciqueactu nunc in entitate supernaturali, nunc mere naturali, ac proinde posse ab intellectu nostro repræsentari nostræ voluntati per actum vel humanæ fidei, vel alium similem in entitate mere naturalem: quod S. Thomas non negat. Qui ibidem docens virtutes Theologicas esse per se priores cæteris virtutibus, Theologicarum autem primam esse fidem, hincque concludens, hanc esse per se primam virtutum omnium, non loquitur, vt rectè Caietanus in illum articulum interpretatur, de virtutibus vt in genere virtutes sunt, sed vt attingunt Deum tanquam finem vl-

C VII.

D VIII.

timum, & obiectum ſupernaturalis æternæ beatitudinis: è quibus ſic ſpectatis prima haud dubiè eſt fides, cùm reliquæ in voluntate ſint, quæ per eas in proprium earum obiectum tendere non poteſt, niſi ſibi prius ab intellectu repræſentatum, per fidem autem repræſentetur.

I. Dicendum tertiò, ſi diuinæ fidei actus connaturaliter produceretur, habitum fidei nunc in hoc ſtatu ſecundùm legem Dei ordinariam ſemper ordine cauſalitatis ſeu naturæ anteceſſurum cæteras virtutes morales infuſas, ſiue Theologicas, ſiue alias: ſæpe etiam ordine temporis. Prima pars aſſertionis probatur: ſi diuinæ fidei actus connaturaliter produceretur, ſemper habitus fidei ordine cauſalitatis ſeu naturæ antecederet actum fidei, ergo illud etiam omne eodem ordine antecederet quod actus fidei naturæ ſeu cauſalitatis ordine antecedit: atqui fidei actus hoc ordine nunc in hoc ſtatu ſecundùm legem ordinariam omnes virtutum moralium infuſarum habitus antecedit, ergo & fidei habi-
II. tus illos eodem ordine antecederet. Vtraque conſequentia euidens eſt. Antecedens probatur: ſi enim fidei actus connaturaliter produceretur, efficeretur ab habitu fidei in genere cauſæ efficientis, tanquam à principio ſuo connaturali, ſicut viſio à viſu, & intellectio ab intellectu: vnde ſicut viſionem viſus, intellectus intellectionem ordine naturæ ſeu cauſalitatis antecedit, ſic fidei habitus actum fidei ſemper hoc ordine antecederet.

Aſſumptum ſic probo: Actus fidei nunc in hoc ſtatu ſecundùm legem Dei ordinariam ſemper antecedit prædicto ordine ſpei & charitatis actum, ergo & habitum huius vtriuſque virtutis, ergo & cæteros virtutum moralium infuſarum habitus. Hoc antecedens
III. certum eſt: nullus enim iam in hoc ſtatu ſperat, aut diligit actu veræ & Theologicæ ſpei, aut charitatis, niſi qui priùs ſaltem natura diuinæ fidei actum exercuit, nec ſperare aut diligere poteſt, niſi priùs crediderit, quia ſtatuit Deus nulli conferre gratiæ auxilia neceſſaria ad ſperandum, aut diligendum, niſi ei qui priùs ſibi datis ad aſſenſum fidei exercendum gratiæ auxiliis per huius aſſenſus exercitium correſponderit: quæ cauſa eſt, ob quam à Tridentino Concilio ſeſſ. 6. cap. 8. & à Theologis omnibus fides dicitur humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix iuſtificationis. Iam prima conſequentia poſt hoc antecedens poſita probatur ex eo quòd habitus ſpei & charitatis nunquam adultis extra ſacramentum infunduntur, priuſquam ſpei & charitatis actus e-
IV. xerceantur. Secunda denique conſequentia probatur ex eo quòd virtutum moralium habitus à ſpei & charitatis habitibus diſtincti nunquam infunduntur, niſi cùm charitatis habitus infunditur.

Hinc facile probo ſecundam partem huius noſtræ tertiæ aſſertionis: ſi enim fidei actus connaturaliter produceretur, efficeretur ab habitu fidei tanquam à principio ſuo connaturali, eodem ergo tempore vel inſtanti habitus ille exiſteret, quo primum actus ille produceretur, ergo etiam ordine temporis illud omne præcederet quod eodem ordine actus ille præcedit: atqui frequenter actus ille præcedit ordine temporis infuſionem virtutum moralium infuſarum, ſiue Theologicarum, ſiue aliarum: nunquam enim, vt paulò antè dixi, virtutes morales infuſæ non Theologicæ infunduntur, priùs quàm charitatis habitus infundatur, hic autem habitus, ſimilitérque habitus ſpei, nunquam extra ſacramentum infunditur, priuſquàm ſpei & charitatis actus exerceantur, actus autem fidei ſæpe tempore priùs exercetur quàm iſti actus eliciantur, vt ex Tridentino conſtat ſeſſ. 6. cap. 6. in quo dicitur primam inter diſpoſitiones ad iuſtificationem eſſe fidem, ſeu fidei actum, tum timoris, deinde ſpei, poſt incipere aliqualem & imperfectam Dei dilectionem. Inter quos actus etſi forte nonnunquam ſolus ordo cauſalitatis ſeu naturæ intercedat, non eſt tamen dubium quin frequenter ſaltem ordo durationis realis interueniat, & vnus alio priùs tempore exerceatur.

V. Ex his concludes euidenter, quòd ſi cùm primus fidei actus exercetur ab adulto nondum baptizato, ſimul ipſi fidei habitus à Deo infunderetur, frequenter fieret, vt hic habitus ordine temporis infuſionem omnium virtutum moralium infuſarum, tam Theologicarum, quàm aliarum, antecederet. Vtrùm autem tunc ipſi infundatur, ſequenti ſectione examinabimus.

SECTIO III.

Quartæ quæſtionis explicationem continens.

VI. QVÆSTIO iſta eſt, vtrùm fidei habitus infundatur eodem tempore vel inſtanti temporis, quo primus fidei actus ab adulto nondum baptizato exercetur, & proinde ante habitus charitatis, aut etiam ſpei infuſionem? Qua de re non parua inter Theologos diſſenſio eſt, multis & magni nominis affirmantibus, non paucioribus, nec minoris notæ negantibus, vno duntaxat caſu excepto, nempe eo quo adultus ille ad baptiſmi ſacramentum accederet poſt elicitum actum fidei, aut etiam ſpei, ſimileſque alios bonos, malè tamen diſpoſitus ad ſuſceptionem charitatis & gratiæ ſanctificantis, vt ſi adhuc in peccatis perſeuerare vellet: hoc enim caſu, inquit Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 8. qui vnus ex negatiuæ partis authoribus hunc caſum excipit, per baptiſmi ſacramentum ſuſciperet adultus ille fidei habitum, aut etiam ſpei, non tamen charitatis, nec proinde cæterarum virtutum moralium infuſarum, quæ nunquam infunduntur, niſi dum charitatis habitus infunditur.

VII. VIII. De qua Theologorum controuerſia nihil pro vna vel altera parte ſatis certò definiri poſſe arbitror, quòd ad huius & illius partis rationes ſatis probabiliter reſponderi poſſit, vt ex noſtra ad illas reſponſione mox patebit. Primum affirmatiuæ partis argumentum eſt authoritas S. Doctoris quæſt. 6. art. 2. ad 3. aſſerentis eum qui à Deo fidem accipit abſque charitate, non ſimpliciter ſanari ab infidelitate, quia non deletur in eo culpa præcedentis

infidelitatis. Sed negatiuæ partis authores facilè respondebunt, hunc D. Thomæ locum de fide actuali, non de habituali esse intelligendum.

Secundum est, quòd fidei habitus etiam nunc in hoc statu & secundùm legem Dei ordinariam non sit necessariò connexus cum spei & charitatis habitu, vt constat ex Christiano qui per mortale peccatum desperationis amittit habitum charitatis & spei, nec tamen fidei: vnde concluditur hunc habitum tam posse secundùm legem Dei ordinariam ante charitatis ac etiam spei habitum infundi, quàm his destructis conseruari. Sed facilè ab iisdem authoribus negabitur hæc consequentia: non enim si fidei habitus semel productus conseruari potest secundùm ordinariam Dei legem, absque spei & charitatis habitu, consequens est, vt secundùm eandem legem primò produci possit ante primam habitus spei, & charitatis productionem. Ideo enim fidei habitus destructis spei & charitatis habitibus aliquando conseruatur, quia tandiu ei semel producto, sicut & calori, & frigori, similibusque accidentibus, debetur conseruatio, quandiu per contrarium non destruitur, præter actum autem & habitum infidelitatis nihil contrarium habet: at simul atque primus fidei actus elicitus est, non propterea debetur eidem habitui productio, & existentia, cum hic actus neque physicè producere illum possit, vt nec vllus alius supernaturalis actus habitum supernaturalem sibi respondentem, nec moraliter seu meritorie, quia actus ille ab homine existente extrà statum gratiæ sanctificantis elicitus habitum fidei non meretur.

Tertium est, actum fidei elicitum tam esse proportionatam dispositionem ad recipiendum à Deo fidei habitum, quàm charitatis actus proportionata dispositio est, ad habitum charitatis accipiendum: vnde cùm eodem instanti temporis quo primus charitatis actus exercetur, charitatis habitus infundatur, consequens esse, infundi quoque fidei habitum eo temporis instanti quo primus fidei actus elicitur. Verùm ab iisdem authoribus antecedens negabitur: actus enim charitatis cùm sit ex se forma formaliter delens peccata, vel saltem vltima & proportionata dispositio ad eorum remissionem, est quoque proportionata dispositio ad gratiam & amicitiam Dei, & proinde ad habitum gratiæ sanctificantis & charitatis, per quem homo Deo charus & amicus Dei constituitur: at cùm fidei actus nec sit forma formaliter delens peccatum, nec proportionata ad eius remissionem dispositio, non habet vt sit proportionata dispositio ad habitum fidei, sicut actus charitatis est ad habitum.

Et sanè si eo ipso quo quis supernaturalem actum elicit, sufficienter esset dispositus ad supernaturalem habitum illi actui respondentem à Deo recipiendum, quem & reipsa reciperet, fatendum esset, quod tamen Theologi communiter negant, frequenter infundi peccatori ante habitum charitatis habitus virtutum moralium infusarum: nihil enim vetat peccatorem multos earum actus exercere antequam charitatis actum eliciat, eiusque habitus ipsi infundatur. Ex quo dicendum consequenter est, actus spei & fidei elicitos ab eo qui in mortali peccato est, & habitibus fidei, ac spei caret, siue eos antea habuerit, siue nunquam, non esse proportionatam seu sufficientem ad receptionem illorum habituum dispositionem, nec priùs eos infundi quàm charitatis habitus infundatur.

SECTIO IV.

Partis alterius argumentis respondetur.

IAM primum negatiuæ partis argumentum est authoritas S. Doctoris prima secundæ quæst. 62. artic. 4. disertè docentis actum quidem fidei ordine generationis seu temporis ante spei & charitatis actum exerceri, habitus tamen harum trium virtutum simul infundi. Respondebunt affirmatiuæ partis authores S. Doctorem eo loco loqui eodem sensu, quo 3. parte quæst 85. art. 6. in Corp. cùm sic ait: *In virtutibus non attenditur ordo temporis, quantum ad habitus, quia cùm virtutes sint connexæ, vt in secunda parte habitum est* (nempe 1.2. quæst. 65. art. 1.) *omnes incipiunt simul esse in anima, sed dicitur vna earum esse prior altera ordine naturæ, qui consideratur ex ordine actuum. secundum scilicet quod actus vnius virtutis præsupponit actum alterius virtutis.* Patet autem ipsum hoc loco tertiæ partis solùm velle virtutum habitus simul incipere esse in anima, sumpto virtutis nomine non pro ipsa præcisè virtutis essentia, sed pro virtute quæ obtinet statum perfectionemque virtutis. Ratio enim quam petit ex connexione virtutum, quæ non sunt connexæ nisi prout hoc modo considerantur, aperte indicat ipsum aliud nihil velle. Licet autem inter virtutum ita sumptarum habitus nullus sit ordo temporis, hoc tamen non impedit, quo minus vnius virtutis præcisè secundùm essentiam spectatæ habitus sit prior tempore aliquo alio habitu virtutis alterius secundùm essentiam item consideratæ: quod & docet citata illa quæst. 65. artic. 1. nec proinde quominus habitus fidei habitum spei & charitatis possit tempore præcedere.

Secundum ducitur ex Tridentino Concilio sess. 6. cap. 7. in quo postquam Concilium hoc retulit præcedenti capite, fidei, spei, & pœnitentiæ actus, tanquam dispositiones ad illam iustificationem, cuius sequenti capite baptismus causa instrumentalis esse dicitur, sic loquitur: *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola remissio peccatorum, sed etiam renouatio interioris hominis per susceptionem gratiæ & donorum.* Quibus ex verbis concluditur, post prædictas dispositiones, produci per efficientiam baptismi gratiam, & dona quibus iustificatio nostra continetur, quæ alia non sunt quàm virtutes spei & charitatis: nam in his nostra consistit iustificatio, vt capite 10. idem Concilium definit: vnde tandem euincitur harum virtutum habitus simul in baptismo produci post prædictas dispositiones.

Tertium sumitur ex his aliis eiusdem Concilij cap. 7. citato verbis: *Vnde in ipsa*

iuſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, charitatem. Reſpondebunt ad vtrumque iidem authores in primis in vtroque ſupponi Concilium nomine donorum, nomine item fidei, ſpei, & charitatis intelligere habitus, quod non concederent Theologi illi multi, quos alias citaui, qui negant vſquam hactenus eſſe definitum dari huiuſmodi habitus operatiuos: quíque totum Concilij textum non difficulter de ipſis fidei, ſpei, & charitatis actibus explicant. Dicent ſecundò, vtroque argumento vt ſummum euinci, poſt prædictas actuum fidei, ſpei, & pœnitentiæ diſpoſitiones produci per baptiſmum ſimul eodemque tempore in anima, fidei, ſpei, & charitatis habitus, ſiue iam ante producti fuerint, eorúmve aliquis, ſiue non, quod Concilio curæ non fuit.

I.

Nec dicas, ſi productus ante baptiſmi ſuſceptionem eſſet fidei habitus, fore vt in baptiſmo non produceretur: hoc enim falſum eſt, tum quia pari iure ſi quis ante

II.

baptiſmum perfectæ contritionis actum exercuiſſet, vt ſæpe contingit, & proinde charitatis habitum recepiſſet, nam hic habitus ſemper cum actu illo coniunctus reperitur, charitatis habitum in baptiſmo non reciperet: ſicut ergo hic habitus per baptiſmum illi nihilominus communicatur, & per hunc aduenientem præcedens intenditur, ſic etiam per idem ſacramentum fidei habitus communicatur, præcedénſque intenditur: tum quia vna quidem ex parte baptiſmi ſacramentum vim habet producendi fidei, ſpei, & charitatis habitus, vt conſtat ex infantibus in quibus eos producit: ex altera verò agens neceſſarium eſt, & proinde producit quidquid poteſt, quando nullum in ſubiecto obicem reperit: producet ergo fidei, ſpei,

III.

& charitatis habitus in adulto, in quo nullum reperiet obicem, nullum autem reperit in eo qui præter actus fidei, ſpei, ſimiléſque bonas diſpoſitiones, habet quoque fidei habitum.

Dicent tertiò ex particula *ſimul* à Tridentino vſurpata, vt in tertio argumento obiicitur, non poſſe colligi fidei, ſpei, & charitatis habitum ſimul, id eſt, eodem tempore infundi: ſæpe enim aliud nihil ſignificat quàm pariter, vt cùm Eccleſiaſtici 18. dicitur, *qui vivit in æternum, creauit omnia ſimul*, ſenſus non eſt eodem tempore: quædam enim primo die creauit, alia ſecundo, & ſequentibus, vt ex Geneſi conſtat: ſed ſenſus eſt, creauit omnia pariter, id eſt, omnium rerum nulla excepta creator eſt: vt cùm etiam in capite *firmiter* de ſumma Trinitate

IV.

ex Concilio Lateran. ſub Innoc. III. dicitur *Deus ab initio temporis ſimul vtramque de nihilo condidiſſe creaturam, Angelicam ſcilicet & humanam*, ſenſus eſt, vtramque pariter: priùs enim Angelica quàm humana creata eſt, cùm illa ſtatim ipſo primo creationis mundi die, hæc autem ſexto tantùm condita fuerit.

Neque etiam idem colligi poteſt ex his aliis Tridentini verbis, *in ipſa iuſtificatione*, in qua quidquid producitur, eodem tempore produci videtur. Dici enim poteſt, iuſtificationem ibi non tam ſtrictè eſſe vſurpatam, vt ſignificet præcisè mutationem quæ fit in homine dum à peccatis emundatur, & amicus ac filius Dei conſtituitur, in qua ſic ſtrictè ſumpta quidquid in anima producitur, ſimul eodémque tempore producitur, ſed latiùs, vt comprehendat exordium, progreſſum, & abſolutionem denique iuſtificationis, ſeu mutationem illam totam quæ fit in homine, dum in eo inchoatur iuſtificatio, dum hæc promouetur, dum abſoluitur: qua in mutatione ſeu iuſtificatione quidquid in homine producitur, non eodem tempore producitur, ſed vnum alio tempore priùs & poſteriùs: itavt Tridentini Concilij mens, & verborum ſenſus ſit, in iuſtificatione comprehendente exordium, progreſſum, & perfectionem iuſtificationis, infundi homini qui iuſtificatur fidem, ſpem, & charitatem: quod non impediet, quin fidei habitus priùs tempore infundatur, quàm habitus ſpei, aut charitatis. Cuius etiam iuſtificationis ità late ſumptæ baptiſmus meritò dicetur cauſa efficiens inſtrumentalis, quòd partem eius & quidem præcipuam inſtrumentaliter efficiat, nempe illam qua perficitur iuſtificatio, licet eam non producat qua inchoatur, & promouetur: ſicut & ipſa ſacramenta denominantur à multis cauſæ phyſicæ gratiæ, licet eam non cauſent phyſice per ſe tota, ſed tantùm per aliquam ſui particulam, aut per vnicum ſuum indiuiſibile.

A V.

B VI.

Poſtremum petitur ab exemplo virtutum moralium infuſarum quæ Theologicæ non ſunt, quarum actus licet à peccatore exerceantur, támen habitus non infunduntur niſi ſimul cum charitatis habitu. Sed reſpondebunt diſparem eſſe rationem habitus fidei, habituumque virtutum moralium infuſarum quæ Theologicæ non ſunt: hi enim ex communi Theologorum doctrina à Deo non tribuuntur, niſi tanquam honorarij comites habitus charitatis ac gratiæ ſanctificantis: vnde & eo

C VII.

veniente in animam hominis ſimul veniunt, licet nullus eorum actus vnquam elicitus fuerit, eodemque ab anima hominis propter admiſſum lethale peccatum diſcedente diſcedunt, etſi nullus iis contrarius actus productus fuerit: at non ita de habitu fidei, qui & nunquam adultis infunditur, niſi præuio aliquo eius actu producto, & pereunte charitate non ſemper perit, nec priùs quàm per oppoſitum infidelitatis actum deſtruatur. quo fit, vt quemadmodum poſt charitatis habitum manet aliquando, & quidem de lege Dei ordinaria, ita poſſit

D VIII.

etiam de eadem lege produci nonnunquam ante charitatis habitum, ſi nihil aliud impediat, quàm prædictarum virtutum moralium infuſarum exemplum.

Atque cùm hactenus diſputata à nobis omnia circa ſex priores Diui Thomæ quæſtiones dicta ſint, de tribus ſequentibus hoc tantùm dicam, ſeptimâ aſſignari ab eodem S. Doctore duos fidei effectus, nempe timorem Dei, & cordis purificationem: quorum prior non alia ratione fidei effectus eſt, quàm quia

per fidem concipimus præclaram quandam existimationem de Deo, ipsúmque credimus esse quoddam altissimum & immensum bonum, summo honore, amoréque dignissimum, quod peccatis offendere indignissimum est, vnde timor filialis oritur: credimus item esse paratum peccantibus post hanc vitam supplicium, vnde timor seruilis nascitur. Posterior autem eiusdem effectus est, eo quod fides est radix ac fundamentum iustificationis, ac proinde puritatis illius quæ iustificatione & à peccatis emũdatione acquiritur. De quo priori effectu egit hîc sanctus Thomas, ne quis putaret fidem quę definitur fundamentum, siue substantia rerum sperandarum, seu spei, non esse substantiam, seu fundamentum timoris. De posteriori verò, vt intelligeretur verbis istis Actorum 15. *fide purificans corda eorum*, purificationem cordis non ita tribui fidei, quasi hæc sola sufficiat ad puritatem cordis quam iustificatione & peccatorum remissione consequimur, sed ei tribui propter eam quam dixi rationem.

I.

II. Octauâ autem & nonâ agi de donis intellectus, & scientiæ, quia intellectualia sunt, hæcque ex parte aliquam habent cum fide similitudinem, & præterea quia eorum officium est partim remouere aut minuere difficultates, ex quibus possent oriri aliquando impedimenta credendi, partim efficere, vt nonnulla quæ per fidem credita nonnisi obscurè, & proinde imperfectè, cognoscuntur, beneficio donorum istorum perfectè, quantum in hac vita cognosci possunt, cognoscantur. De quibus donis plura non solent hîc tractare Theologi, quod eorum intelligentia ex Diui Thomæ textu satis possit comparari. Quare à tribus illis quæstionibus ad tres sequentes quæ de infidelitate tùm in genere tùm in specie sunt, gradum faciemus, circa quas instituemus aliquot disputationes de peccatis oppositis virtuti fidei, præceptisque ad virtutem hanc spectantibus, quibus complectemur ea quæ sanctus Doctor his quæstionibus docet, omissis iis quæ aut ita facilia sunt, vt ex eius textu satis intelligi possint, aut superiùs explicata sunt, aut ex suprà explicatis nullo negotio intelliguntur.

III.

DISPVTATIO XXVI.

Vtrùm extet aliquod præceptum ad virtutem fidei pertinens, & quod illud sit?

IV.

SECTIO PRIMA.

Tres assertiones ponuntur, & probantur.

PRIMA Assertio. Extat aliquod huiusmodi præceptum. Probatur. Extat aliquod peccatum virtuti fidei oppositum, ergo etiam extat præceptum ad virtutem fidei pertinens: sicut enim, vt in Tractatu de peccatis probatum est, nullum est peccatum quod non sit contra præceptum aliquod, immo quod non sit peccatum, quia contra præceptum aliquod est: ita nullum est peccatum alicui certæ & determinatæ virtuti oppositum, quod non sit contra præceptum aliquod ad hanc certam virtutem pertinens, immo quod non sit peccatum illi certæ virtuti oppositum, quia est contra præceptum quod ad eandem virtutem pertinet. A V.

Secunda Assertio. Extat præceptum quadruplex pertinens ad virtutem fidei, duplex affirmatiuum, duplex negatiuum: priori affirmatiuo præcipitur internus fidei assensus: posteriori, externa fidei confessio: priore autem negatiuo vetatur dissensus à rebus per Deum reuelatis, aut de iisdem dubitatio: posteriore, externa fidei negatio. Extare prius affirmatiuum præceptum probatur primò ex his Scripturæ testimoniis, primæ Ioann. 3. *Hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius.* Marci vltimo: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ioann. 3. *Qui credit in eum, non iudicatur: qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Quibus duobus posterioribus locis cùm aperte significetur eum qui non crediderit condemnandum, & ideo condemnandum, quia non credidit, consequens necessariò est, omissionem credendi, seu interni fidei actus peccatum esse damnatione dignum: quæ omissio peccatum non esset, nisi extaret affirmatiuum præceptum illum internum fidei actum imperans. B VI.

Probatur secundò. Aliquis internus fidei actus est medium necessarium ad salutem: ergo extat præceptum affirmatiuum imperans hunc internum fidei actum. Antecedens ex disput. 19. constat. Consequentiæ bonitas probatur: omnis enim actus humanus liber, qui est necessarium ad salutem medium, cadit sub affirmatiuum præceptum quo talis actus imperatur: eo enim ipso quo creatura rationalis creata & ordinata est ad finem supernaturalis beatitudinis, constituitque Deus aliquem eius actum liberũ esse ad eam consequendam necessarium medium, eo, inquam, ipso non potest non oriri obligatio in ipsa rationali creatura illius actus exercendi, & proinde præceptum affirmatiuum ad huius actus exercitium obligans. Ex quò concludes, non in hoc solùm statu legis Euangelicæ, sed etiam tempore statum hunc antecedente, extitisse præceptum affirmatiuum imperans internum aliquem fidei actum, cùm semper & omni tempore internus fidei assensus fuerit necessarium medium ad salutem, prout citata disp. dictum est. C VII.

Extare vero posterius affirmatiuum præceptum disput. 21. sect. 2. probatum est: confirmatúrq. ex iis omnibus Scripturæ locis, in quibus dicitur futurum, vt Christus in cælo erubescat, & non confiteatur eum qui ipsum in terris erubuerit, nec confessus fuerit: quibus loquendi modis cùm procul dubio significetur eum excludendum à cælesti gloria, & damnandum, qui exteriùs confiteri Christum omiserit, consequens necessariò est, omissionem hanc esse mortale peccatum, quæ tale peccatum non esset, nisi extaret aliquod affir- D VIII.

matiuum præceptum, quo externa illa confessio præciperetur.

Quòd denique extet vtrumque prædictum præceptum negatiuum, constat tum ex his omnibus Scripturæ locis, quibus interior incredulitas positiua, & exterior Christi seu Christianæ fidei negatio tanquam peccatum reprehenditur, quæ peccatum non esset, nisi præcepto aliquo negatiuo vetaretur, vt ex dictis prima assertione patet: tum ex eo quòd omnis actus qui intrinsecè malus est, non potest non esse præcepto aliquo negatiuo prohibitus, prædicta autem interior incredulitas positiua, exterior item Christi seu Christianæ fidei negatio, actus intrinsecè malus est.

I.

Tertia assertio. Priori affirmatiuo præcepto obligantur singuli explicitè credere ea omnia fidei nostræ mysteria, quæ Apostolorum symbolo continentur. Ita Theologi communiter, probaturque primùm ex Concilio Coloniensi, in quo dum de symbolo agitur, id expressè dicitur. Secundò ex Catechismo edito iussu Pij V. in quo hæc habentur: *Quæ primùm Christiani homines tenere debent, illa sunt quæ sancti Apostoli diuino spiritu afflati duodecim articulis fidei distinxerunt.* Tertiò ex Concilio Rhemensi, in quo dicitur non esse ad communionem admittendos eos qui symbolum ignorant. Quartò ex sexta Synodo cap. 7. in quo habetur non esse censendum eum Catholicum qui illud non tenet. quod hæc duo Concilia nunquam tam rigidè definirent, si nullam esse putarent obligationem credendi explicitè mysteria illa fidei quæ Apostolorum symbolo exprimuntur. Quintò ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, quæ semper ab adultis baptizandis exegit ante baptismum, vt symbolum etiam memoriter tenerent, si modo capaces erant illud memoriter addiscendi, vt patet ex canone *Licet*, dist. 4. & D. Augustino libro de fide & symbolo: quæ tam constans Ecclesiæ consuetudo non aliunde videtur orta, quàm ex certa ipsius Ecclesiæ persuasione, sentientis omnes debere ex præcepto ea credere quæ symbolum illud continet.

II.

III.

Denique ex eo quòd non dubium quin aliqua fidei nostræ mysteria explicitè credenda sint, tum quia in Directorio inquisitorum parte 2. quæst. 2. inter propositiones à Pontificibus damnatas, octaua est, Laicos non teneri ad credendos explicitè fidei articulos: ex quo manifestè concluditur obligari eos ad aliquos saltem explicitè credendos: tum quia constat ex sacris literis impositum Apostolis fuisse præceptum prædicandi explicitè Euangelicam legem omni creaturæ, & proinde omni creaturæ fuisse præceptum impositum explicitè recipiendi seu credendi legem hanc, consequentérque præcipua saltem eius capita, quibus ipsa summatim tota contineri censeretur. Cùm ergo vna quidem ex parte hoc dubium non sit, ex altera verò non ita sit exploratum, quænam in particulari credenda explicitè sint, nihil probabilius & certius definiri potest, quam vt ea in particulari credenda explicitè dicantur à singulis, quæ Apostolico symbolo continentur, cùm præsertim symbolum hoc totius fidei Christianæ summa sit. Vnde à S. Augustin. serm. 115. de Temp. breuis, simplex, & plena fidei comprehensio definitur.

IV.

Verùm ad pleniorem istius rei explicationem, Notandum primò, quod dicitur singulos obligari ad explicitè credendos fidei articulos symbolo contentos, intelligendum esse de his articulis quoad substantiam sumptis: satis itaque est, si singuli eos quoad substantiam teneant: exempli gratia, quod attinet ad mysterium Trinitatis, sufficit si credant esse vnum Deum, tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: nec opus est vt sciant quid natura, quid persona sit, quid hæc illi superaddat, & similia: ex quo facilè intelligitur quo sensu dicat Scotus in 3. distinct. 25. quæst. 1. esse aliquos tam rudes, vt nulla ratione concipere possint quid natura, quid persona sit, eósq. proinde non obligari ad eliciendum actum explicitum circa mysterium Trinitatis. Vocat enim ibi actum explicitum eum non quo substantia præcisè ipsa mysterij Trinitatis explicitè creditur, sed quo & substantia hæc explicitè cognoscitur, & annexæ ei subtilitates, ad quam explicitam mysterij Trinitatis cognitionem certum est non obligari singulos homines.

A

V.

B

VI.

Notandum secundò, non esse etiam necesse illa omnia quoad substantiam tenere quæ in symbolo expressè ponuntur, sed solùm ea quæ maioris momenti sunt. In eo enim quædam ponuntur expressè, quæ non ita magni momenti videntur esse, sùntque tantum circunstantiæ mysterij quod credendum proponitur, vel eius explicationes: & hæc etiam quoad substantiam ignorare ex probabiliori sententia, aut nullum omnino peccatum est, aut saltem mortale non est. Inter ea autè est, verbi causa, quòd Christi passio sub Pilato contigerit, circunstantia quoque temporis quo Christi facta resurrectio est, nempe die tertio: item communio Sanctorum, quatenus additur ad articulum quo vna sancta Ecclesia creditur.

C

VII.

Notandum postremò, non obligari quoque singulos sub mortali saltem eo ordine mysteria fidei scire quo ponuntur in symbolo, aut ipsius symboli verba tenere: res enim ista leuior est quàm vt peccati mortalis materia sit: neque quisquam, vt arbitror, tam rigidus reperietur, qui nō excusēt à peccato mortali eum qui symbolo contenta mysteria ita norit, vt de singulis interrogatus respondere statim possit, quid credendum, quid non credendum sit.

SECTIO II.

Aliæ duæ assertiones ponuntur, & probantur.

D

VIII.

QVARTA assertio. Primus affirmatiuum præceptum obligat eo tempore quo facta est sumciens propositio rerum, quæ ex vi huius præcepti explicitè credendæ dicuntur: nullum enim aliud tempus assignari probabiliùs potest quo obliget: siquidem ante sufficientem hanc propositionem obligare non potest, cùm ante eam fidei actus nequeat elici, nisi imprudenter, quia non nisi imprudenter creditur, quod nondum sufficienter, vt credibile & dignum fide propositum est, & proinde simpliciter

nequeat elici, quia, vt antè docuimus, actus fidei non nisi prudenter & laudabiliter elici potest. Post hanc autem sufficientem propositionem cùm obliget, nec vlla ratio sit dicendi obligare post mensem, aut diem, ab hac sufficienti propositione facta, potiùs quàm post duos, aut
I. post aliquod aliud simile tempus, dicendum ex consequenti est, obligare statim atque ista sufficiens propositio facta est. Quo autem tempore posterius affirmatiuum præceptum obliget, disput. 21. sect. 2. dictum est. Denique quod attinet ad supradicta duo negatiua præcepta, dico ea obligare semper & omni tempore: quæ enim præcepta vetant actus intrinsecè malos, seu qui nunquam fieri libere possunt, nisi male, & cum peccato, eos semper & omni tempore vetant: huiusmodi autem sunt præcepta illa duo, vt ex 2. assertione notum est.

Quinta assertio. Prius affirmatiuum præceptum partim naturale est, partim positiuum diuinum, partim positiuum humanum: posterius affirmatiuum naturale est: denique vtrumque negatiuum naturale item est. Prima pars assertionis, quæ de priori præcepto affirmatiuo est,
II. probatur: in primis enim quoad mysteria illa fidei nostræ explicitè credenda, quorum fides actualis medium ad salutem necessarium est, prius illud affirmatiuum præceptum naturale est. Vt enim supra docui, omnis humanus actus liber qui necessarium medium ad salutem est, eo ipso quo tale medium est, non potest naturæ lege non imperari.

Quoad verò mysteria explicitè credēda, quorum fides actualis solius præcepti necessitate ad salutem necessaria est, illud ipsum prius affirmatiuum præceptum positiuum diuinum est: positiuum quidem, quia præceptum omne vel positiuum vel naturale est, non est autem naturale, alioquin etsi nullum extaret Dei vel hominis positiuum præceptum imperans actum
III. fidei circa mysteria illa, adhuc nihilominus huius actus omissio peccatum esset, quia legi naturali repugnaret, quod falsum esse certum est.

Quòd verò positiuum diuinum sit, ex eo constat, quòd omne positiuum præceptum vel diuinum, vel humanū est, istud autem positiuum de quo agimus humanum non est: nam non est hominis, sed Dei præcipere actus merè internos, qualis est actus fidei præcepto isto positiuo, de quo agimus, imperatus.

Denique idem prius affirmatiuum præceptum, quoad ea determinatè mysteria explicitè credenda, quæ Apostolorum symbolo continentur, positiuum humanum est. Constat enim ex dictis extare præceptum obligans ad explicitè credendos illos articulos, hoc autem præceptum naturale non est, naturali enim affirma-
IV. tiuo præcepto nullus alius fidei actus præcipitur, quàm qui ad salutem necessitate medij necessarius est: constat autem explicitum fidei actum circa omnes articulos symbolo contentos non esse necessitate medij necessarium ad salutem: ergo positiuum est, & non diuinum, ex nullo enim vel Scripturæ, vel Conciliorum, vel Patrum testimonio, nulla item ex ratione colligere possumus Deum in particulari præcepisse, vt omnes & singuli illi articuli explicitè crederentur, ergo humanum est: quod & ipsa ab Apostolis exordium sumpsisse dubitandum non est.

Nec obiicias Dei solius esse positiuo præcepto præcipere actus merè internos: etsi enim nullius creaturæ id sit, Deo tamen in genere præcipiente aliquem actum internum circa materiam aliquam in genere, vt internum fidei V.
A assensum in genere circa reuelatas à Deo res indefinitè, huius præcepti & materiæ definitio seu determinatio ab hominibus, vt ab Ecclesia, aut Ecclesiæ principibus, vt Apostolis, esse potest. Quod in præsenti negotio factum est, dum Apostoli diuinum præceptum imperans explicitum actum credendi doctrinam Euāgelicam, determinarunt ad actum credendi explicitè illa in particulari capita Euangelicæ doctrinæ, quæ symbolo comprehenduntur. Quod & in pleriſque aliis facit Ecclesia, vt cùm diuinum præceptum de sumenda aliquando Eucharistia, de confessione item peccatorum etiam pure internorum aliquando facienda, determinat ad con-
VI. fessionem semel in anno faciendam, & ad sumendam semel item in anno, idque circa Paschatis tempus, Eucharistiam.
B

Iam secunda pars assertionis, quæ de posteriori præcepto affirmatiuo est, probatur ex eo quòd tunc obligatio nascitur ex lege, seu præcepto naturali, quando nullo præsuppositio præcepto positiuo, sed suppositis his aut aliis extrinsecis circunstantiis, oritur in creatura rationali ex propria conditione & natura creaturæ rationalis obligatio aliquem actum exercendi: atqui nullo præsuppositio præcepto positiuo imperante externā fidei confessionem, suppositis autem his extrinsecis circunstantiis seu conditionibus, quòd nimirum homo eo tempore & loco constitutus sit, quo nisi fidem exterius confiteatur, subtrahitur honor Deo diuinæque authoritati debitus, eo sensu quo d. p.
C 21. sect. 2. declarauimus, oritur in homine ex VII.
propria conditione humanæ naturæ, vt pote creaturæ rationalis, obligatio tali tempore & loco confitendi fidem exteriùs: ergo obligatio tali tempore & loco fidem exteriùs confitendi ex præcepto naturali oritur. Minor certa est, si enim in homine nulla tunc esset faciendæ externæ confessionis obligatio, tunc temporis eam omittendo non peccaret: cùm ergo tunc eam omittendo peccet, aliqua tunc eius faciendæ obligatio in eo est, nec aliunde est, quàm ex præcepto naturali, quandoquidem nullum præceptum positiuum, vt supponimus, de ea facienda latum est, nec aliud præceptum est, aut esse potest, quàm naturale, vel positiuum.

Atque hac ipsa ratione probatur pariter vtrumque præfatum præceptum negatiuum VIII.
D esse naturale: quod præterea hinc constat, quod actus intrinsecè malus non potest non esse lege naturali prohibitus, actus autem prædictis negatiuis præceptis vetiti intrinsecè mali sunt. Aduerte autem, dum assero præceptum aliquod affirmatiuum de re aliqua facienda, aut aliquod negatiuum de aliqua re non facienda, esse naturale, me non ideo negare, quin exet aliquod aliud de eadem re vel facienda, vel non facienda præceptum, vel affirmatiuum vel negatiuum positiuum, siue diuinum, siue humanum: eadem enim numero res multis præce-

ptis imperari, vel prohiberi potest.

Ex dictis colliges, esse quadruplex in genere peccatum infidelitatis, primum & secundum omissionis contra duo prædicta affirmatiua præcepta: tertium & quartum commissionis contra duo præfata negatiua: quibus ex præceptis sicut duo ad internum fidei actum pertinent, nempe prius affirmatiuum quo internus fidei actus imperatur, & prius negatiuum quo positiuus internus infidelitatis actus vetatur, & alia duo ad externam fidei confessionem, nempe posterius affirmatiuum quo hæc confessio præcipitur, & posterius negatiuum quo externa fidei negatio prohibetur: sic ex quatuor illis peccatis duo sunt contra internum fidei actum, nimirum illud omissionis quod priori præcepto affirmatiuo, & illud commissionis quod posteriori negatiuo repugnat: alia verò duo contra externam fidei confessionem, nimirum illud omissionis quod posteriori affirmatiuo præcepto, illúdque commissionis quod posteriori negatiuo aduersatur.

I. A

II. B

DISPVTATIO XXVII.

De duobus peccatis infidelitatis, quæ prædictis duobus affirmatiuis præceptis opponuntur.

CERTVM hîc in primis est vtrúque peccatum esse omissionis, quæ enim peccata præceptis affirmatiuis opponuntur omissionis sunt, sicut quæ negatiuis, sunt commissionis. Certum secundò est hoc vtrumque peccatum contrahi eo tempore, quo vtrumque illud præceptum obligat ad actum illum exercendum qui omittitur. Certum tertiò vtrumque idem peccatum specie distingui ab vtroque peccato, quod vtrique prædicto negatiuo præcepto repugnat: vt enim constat ex dictis in Tractatu de peccatis, quodlibet peccatum omissionis à quolibet commissionis specie distinguitur.

III. C

Certum postremò peccatú omissionis priori præcepto affirmatiuo oppositum distingui specie à peccato omissionis, quod posteriori affirmatiuo præcepto opponitur: tum quia quis dicet eum qui omittit exercere internum fidei actum, dum ex præcepto affirmatiuo exercendus est, peccare eodem specie peccato, quo peccat is qui interiùs quidè credit, omittit autem externam fidei confessionem, quando ex vi affirmatiui præcepti facienda est? Tum quia

IV. D

peccata omissionis toties specie differunt, quoties priuant diuersis specie actibus debitis, quia peccatum omissionis essentialiter aliud nihil est quàm priuatio actus debiti, priuationes autem specie distinguuntur, quoties priuant diuersis specie formis: at ista duo peccata omissionis de quibus agimus priuant diuersis specie actibus debitis, patet enim internum fidei actum debitum, & externam fidei confessionem debitam, quibus hæc omissionis peccata priuant, esse actus debitos specie diuersos.

Nec obiicias ex suprà dictis huius vtriusque actus bonitatem moralem formalem esse eiusdem rationis: hinc enim rectè concluderetur illa duo peccata omissionis non fore specie distincta, si formaliter consisterent in priuatione bonitatis huius moralis: at cùm in hac priuatione formaliter non consistant, sed in priuatione prædictorum actuum materialiter sumptorum, seu prout sunt internus fidei actus, & externa fidei confessio, siue formalem habeant bonitatem moralem quando exercentur, siue non habeant, sic autem spectati isti actus semper specie differant, consequens est priuationes eorum semper esse specie distinctas. V.

Hæc cùm certa sint, duo de peccato omissionis, quod contra prius affirmatiuum præceptum est, nonnullam dubitationem habent, vnum præterea de peccato altero omissionis, quod est contra posterius præceptum affirmatiuum. Primum illorum duorum est, an peccata omnia omissionis quæ contra prius affirmatiuum præceptum fiunt, eiusdem speciei sint? Cui quæstioni respondendum affirmatiuè est. Ratio à priori est, quòd ea peccata omissionis sint eiusdem speciei quæ priuant eadem specie forma debita, cùm, vt dixi, omissionis peccata sint essentialiter priuationes actus debiti, priuationes autem eiusdem speciei sint quæ priuant eadem secundùm speciem forma: omnia autem peccata omissionis quæ sunt contra prædictum prius affirmatiuum præceptum priuant eadem secundùm speciem forma debita, nempe interno fidei actu debito, qui siue sit circa mysterium Trinitatis, siue Incarnationis, siue quodcunque aliud, est semper vnius eiusdemque speciei, vt suprà probauimus. VI.

Secundum est, vtrùm omnis omissio interni actus fidei debiti, ac proinde vtrùm omnis infidelitas (nam hæc omissio infidelitas quædam est in omnibus quidem omittentibus, sed in iis maximè qui nec habitum fidei habent, nunquámve habuerunt, nec vllum vnquam fidei actum exercuerunt:) vtrùm, inquam, omnis infidelitas peccatum sit? Cui quæstioni cum Theologis communiter respondendum negatiuè est. Probaturque primò authoritate sancti Thomæ quæst. 10. art. 1. concedentis in multis Ethnicis esse infidelitatem aliquam quæ peccatum non est, & ob quam non damnantur. VII.

Secundò authoritate S. Augustini qui Tract. 89. in Ioan. in illa Christi verba, *Si non veniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo:* per quod peccatum intelligit illud infidelitatis, ait eos quibus Christus nec per se, nec per Apostolos, nec per Ecclesiam loquutus est, sine culpa ignorare fidei nostræ mysteria, cùm tamen ad ea credenda diuino præcepto omnes obligentur, vt suprà vidimus. VIII.

Probatur tertiò hac ratione à priori. Illa omissio actus debiti peccatum non est quæ voluntaria non est: at omissio illa seu infidelitas de qua agimus in multis voluntaria non est: ergo in multis peccatum non est. Maior certa est. Minoris veritas ex eo constat, quòd in iis omnibus voluntaria non est, in quibus est inuincibilis ignorantia actus oppositi debiti, præceptíque obligantis ad illum actum exer-

cendum, cùm nihil voluntarium esse possit nisi cognitum, rei autē illius nullam habeat cognitionem is qui laborat eius ignorantia inuincibili: certum autem est & nunc esse multis in Ethnicis, & olim fuisse inuincibilem ignorantiam mysteriorum nostræ fidei, internique fidei

I. assensus circa illa exercendi, & affirmatiui præcepti obligantis ad hunc internum assensum exercendum: ignorantia enim illa inuincibilis est quam quis vincere non potest, tam autem fuit impossibile illis Ethnicis quibus Christus nec per se, nec per Apostolos, nec per Ecclesiam, Ecclesiæve concionatores loquutus est, ignorantiam mysteriorum fidernostræ vincere, quā impossibile ipsis fuit scire esse tres in diuinitate personas, filium incarnatum esse, crucifixum, mortuum, & ad hæc similiáque mysteria credenda incumbere vnicuique ex præcepto obligationem: quorum etiam mysteriorum si cognitionem aliquam habuissent, laborassent autem sola ignorantia inuincibili præcepti obligantis ad ea credenda interno fidei assensu, satis fuisset, vt circa ea nullum fidei actum exer-

II. centes, & proinde circa eadem infidelitate aliqua laborantes, non peccarent tamen, hæcque per consequens infidelitas in eis peccatum non esset. Nunquam enim omissio actus debiti ex præcepto peccatum est, quando etsi iste actus satis cognoscatur, obligatio tamen eius exercendi inuincibiliter ignoratur.

Nec refert quòd voluntaria sit ipsis Ethnicis præceptorum legis naturæ transgressio, quam si seruassent, in cognitionem mysteriorum nostræ fidei infallibiliter deuenissent: non enim propterea volūtaria ipsis est mysteriorum istorum ignoratio: effectus enim qui sequitur ex aliquo etiam liberè volito, & facto, quique non sequeretur, nisi istud liberè volitum esset, & factum, non definit inuincibiliter ignorari,

III. quando is qui istud liberè vult, nec scit, nec scire potest illum effectum ex isto libere volito & facto sequuturum. Vnde qui liberè voluit & admisit ebrietatem, ex qua sequutum est homicidium, quod nec præuidit, nec præuidere potuit sequuturum, homicidij sequentis inuincibili ignorantia laborauit: quo fit etiam vt cum reus sit ebrietatis, vt pote libere volitæ, homicidij tamen reus non sit, quia hoc ipsi voluntarium nullo modo fuit, quandoquidem inuincibiliter ignoratum. Certum autem est, Ethnicos de quibus agimus, nec præuidisse, nec prędidere potuisse sequuturam ex peccatis, quæ libere volebant & admittebant contra naturæ legem, mysteriorum fidei nostræ ignorantiam.

IV. Iam illud vnum quod habet aliquam dubitationem circa peccatum alterum omissionis oppositum posteriori prędcepto affirmatiuo, est, vtrùm omnia peccata omissionis quę fiunt contra posterius istud affirmatiuum præceptum eiusdem speciei sint? Cui quæstioni respondendum affirmatiue est: nullum enim caput est ex quo peti possit vnius essentiale ab altero discrimen. Nam si ex aliquo peti posset, maximè ex alterutro horum, vel ex vtroque simul, quòd videlicet vno peccato omissionis omitteretur debita confessio mysterij vnius, vt Trinitatis, altero alterius, vt Eucharistiæ: quorum mysteriorum vnum ab altero distingui essentialiter certum est: vel vno omitteretur externa loquutio per quam fidei confessio fieret, altero scriptio, aut aliquid aliud eiusmodi ab externa loquutione specie distinctum, quo item fieret externa fidei confessio: at ex neutro vel diuisim vel coniunctim accepto peti potest. Quis enim V.
A dixerit eum qui mysterium aliquod fidei nostrę confiteri omisit, debere in confessione distincte aperire, cuius mysterij confessionem omiserit, & vtrùm scripto confiteri omiserit, an verbo? Quod tamen aperire deberet, si huius aut illius mysterij confessionis omissio, aut omissio confessionis per externam oris loquutionem, vel per scriptionem, vel per aliquid aliud ab externa illa loquutione specie distinctum, variaret speciem peccati omissionis, cùm in confessione singulæ peccatorum species distinctè explicandæ sint.

Ratio autem à priori affirmatiuæ nostræ responsionis est, quòd, vt hac iam disputatione dixi, ea peccata omissionis eiusdē speciei sunt, quæ priuant eadem forma debita, omnia autem VI.
B peccata omissionis facta contra prædictum posterius affirmatiuum præceptum priuant eadem forma debita, nempe externa confessione debita ex vi præcepti huius affirmatiui. Neque enim hoc præceptum directe ac primò & per se obligat ad quidpiam aliud quam ad externam fidei confessionem, vt externa confessio est, seu quàm ad externum aliquod signum, quo significemus exteriùs nos interiùs assentiri rei quæ à Deo reuelata est, quæcunque demum sit illa res, & quodcunque tandem illud signum sit. Quod patet ex fine proximo præcepti huius, qui alius non est, quam vt honor debitus veritati primæ reuelanti conseruetur: qui quidem conseruatur, siue huius, siue illius mysterij externa confessio fiat, siue scripto, siue verbo, siue aliter: qui etiam honor perinde ipsi subtra-

VII.
C hitur, siue huius, siue illius mysterij à Deo reuelati confessio omittatur: siue etiam omittatur scriptio, siue loquutio, siue aliquid aliud externum quo confessio illa fieret. Vnde prædicto præcepto directè ac primò & per se non obligamur ad confitendum externa loquutione, vt externa loquutio est, aut alio simili determinato signo, vt hoc determinatè signum est: nam qui confiteretur aliquo alio externo signo idem prorsus significante quod externa ipsa loquutio significat, plenè haud dubiè illi præcepto satisfaceret.

Dixi, directè, primo & per se: nam secundariò & per accidens fieri potest vt quis ex vi prædicti præcepti obligetur ad confitendum externa loquutione, vt externa loquutio est, aut alio simili determinato signo, vt hoc deter-

VIII.
D minatè signum est, si nimirum nullo alio signo possit exteriùs fidem confiteri. Quo tamen in casu erit semper idem specie peccatum omissionis contra prædictum præceptū affirmatiuum: vnde si sumamus duos, quorum vnus verbo tantùm, alter scripto tantum possit fidem exteriùs confiteri, & vterque externam illam confessionem omittat, vterque idem specie peccatum omissionis contrahet: vnitas enim, aut distinctio specifica peccatorum omissionis ex vnitate aut diuersitate essentiali formarum ad

quas directè ac primo & per se præcepta affirmatiua obligant petenda est, non autem ex vnitate aut diuersitate specifica formarum ad quas obligant secundariò, & per accidens : cuius rei ratio à priori in Tractatu de peccatis, disput. 5. tradita est.

I.

A

V.

DISPVTATIO XXVIII.

De peccato infidelitatis, quod priori prædicto negatiuo præcepto opponitur.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm peccatum istud specie distinguatur ab altero, quod posteriori præfato negatiuo præcepto opponitur?

II.

B

RESPONDEO distingui, tum quia quis dicet eum qui fidem ore negat, interiùs autem & in corde eam retinet, idem specie peccatũ admittere quod is qui interiùs seu corde discredit? nec obligari in confessione distinctè exprimere, vtrum corde, an ore solùm fidem negauerit? Tum quia, quæ ratio à priori est, cum vt in Tractatu de peccatis, disput. 1. probatum est, peccatum commissionis formaliter sumptũ consistat in priuatione rectitudinis seu honestatis debitæ, necesse est ea peccata commissionis specie distingui, quæ priuant diuersa secundùm speciem rectitudine seu honestate debita: huiusmodi autem sunt duo peccata commissionis de quibus hîc agimus, vnum enim priuat honestate debita ad internum fidei assensum pertinente, alterum rectitudine ad externam fidei confessionem spectante, quæ rectitudines specie differunt.

III.

C

Nec dicas, nos supra docuisse huius externi & illius interni fidei actus rectitudinem seu honestatem esse eiusdem rationis: verum enim est nos id supra docuisse de formali rectitudine, à qua actus dicitur esse formaliter bonus moraliter, laude & præmio dignus : at hoc non impedit, quin vtriusque illius actus bonitas moralis materialis tam diuersa sit secundùm speciem, quàm internus fidei actus & externus materialiter sumpti specie differunt, siue formalem aliquam in se bonitatem moralem habeant, siue nullam : peccati autem commissionis formalis ratio non in priuatione formalis honestatis seu rectitudinis, sed in materialis posita est, vt in eodem de peccatis Tractatu eadem 1. disput. probatum est.

IV.

D

Et quamuis ex hac illius vtriusque actus materiali rectitudine secundùm speciem diuersa recte concluderetur formalẽ quoque vtriusque posse esse specie diuersam metaphysicè loquendo : quoniam tamen vna tam affinis alteri est, támque similis, vt moraliter saltem eiusdem esse rationis ambæ meritò communiter ab omnibus censeantur, & reipsa sint, vt clarum est ex iis quæ tota disput. 20. diximus, propter-ea ad vnicam eandémque fidei virtutem facilè pertinere poterunt, & reipsa pertinebunt, cùm præsertim formalis rectitudo seu bonitas honestásque moralis externæ confessionis fidei præsupponat ex natura sua, vt etiam diximus, formalem interni fidei actus rectitudinem, seu bonitatem & honestatem moralem, illa huic subordinata sit, ex eaque connaturaliter consequatur.

Aduerte autem, dum dico peccatum externæ fidei negationis habere malitiam à peccato, quo eadem fides negatur interius, specie distinctam, loqui me solùm de externa negatione quæ externa tantummodo est, nec interiori coniuncta. Nam quæ interiori coniungitur, ex eaque tanquam effectus ex causa oritur, participat etiam specificam interioris huius negationis malitiam : omnis enim causa moraliter mala semper propriam suam moralem malitiam transfundit in effectum suum, quando hic effectus est subiectum capax malitiæ moralis.

SECTIO II.

Vtrùm illud idem peccatum priori illi præcepto negatiuo oppositum habeat aliquas species? & quænam illæ sint?

VI.

TRES à Theologis omnibus numerantur, Paganismus, Iudaismus, Hęresis: quæ species sic à quibusdam distinguuntur, vt Paganismus sit infidelitas opposita fidei, & Euangelicæ doctrinæ nondum vllo modo susceptæ : Iudaismus verò infidelitas opposita eidem fidei, & doctrinæ susceptæ quidem, sed in vmbra & figura: Hæresis denique, infidelitas opposita eidem fidei & doctrinæ susceptæ in se, seu secundùm ipsam Euangelicæ veritatis manifestationem.

VII.

At hæc istarum specierum distinctio non placet, tum quia vt quis hæreticus sit, necesse non est vt priùs vel in baptismo, vel extra, susceperit Catholicam fidem. Nam qui de Catechumeno fieret Caluinista, vel Lutheranus, esset verè hæreticus : puer item Lutheranus, qui casu baptizatus non est, & cùm ad adultam ætatem peruenit, doctrinæ parentum Lutheranorum pertinaciter adhæret, hæreticus est. Paganus denique qui de paganismo immediate transiret ad Lutheranos, esset verè hæreticus, neuter tamen istorum duorum Catholicam fidem vnquam suscepisset. Cùm enim neuter sit vel Paganus, vel Iudæus, vel Catholicus, vt hæreticus sit necessarium est : tum quia non quicunque per infidelitatem deserit susceptam fidem hæreticus est, Iudæus enim aut Paganus esse potest. In hoc siquidem recessu à fide Catholica considerandus est potissimùm terminus ad quẽ fit transitus : vnde si à fide Catholica suscepta ad Iudaismum quis trànseat, fiet Iudæus, si ad paganismum, Paganus.

VIII.

Quocirca tres prædictæ species sic ab aliis meliùs distinguuntur, vt Hæresis sit, cum doctrina Euangelica secundùm se, seu secundùm ipsam veritatis Euangelicæ manifestationem suscipitur ex parte, & ex parte reiicitur. Iudaismus, cùm tota doctrina Euangelica secundùm se reiicitur, sed tamen quædam alia admittitur

quæ figurate & ænigmaticè eam continet. Paganismus, cùm doctrina illa nec secundùm se, nec in figura recipitur.

Nec ab hac specierum illarum explicatione dissentit S. Thomas quæst. 10. art. 5. dicens hæreticos & Iudæos reniti fidei Christianæ susceptæ, & proindè à susceptа fide deficere: non enim propterea vult esse necessarium eos antea Christianam fidem susscepisse, sed ipsam doctrinæ Euangelicæ in se vel in figura professionem quam faciunt, vocat fidei susceptionem, seu susceptam fidem, solúmque vult hæresim in eo distinguere ab aliis infidelitatis speciebus, quòd per eam reiiciatur pars Euangelicæ doctrinæ, cùm eius altera pars recipiatur: Iudaismum verò in eo quod per eum recipiatur figura doctrinæ Euangelicæ, ipsa autem in se repudietur.

SECTIO III.

Vtrùm illæ tres species differant inter se essentialiter?

HVIC quæstioni clariùs vt satisfiat, tria distinguenda sunt in quolibet actu infidelitatis: primum est ipse actus vt est positiuus quidam & realis error intellectus: secundum, malitia moralis huius actus: tertium, priuatio fidei quam causat idem actus in eo subiecto in quo est: qua distinctione præmissa consentiunt facilè Theologi prædictas species secundùm primam considerationem differre essentialiter, secundùm tertiam non differre: secundùm hanc quidem non differunt, quia priuationes fidei sunt in omnibus infidelibus eiusdem speciei, sicut & virtus fidei qua priuant in fidelibus omnibus vnius infimæ speciei est: secundùm illam verò differunt, quia certum est tot esse specie diuersos errores intellectus, quot sunt diuersa specie motiua formalia quibus intellectus mouetur ad eliciendum assensum vel dissensum erroneum contrarium veritatibus à Deo reuelatis. Vnde rectè D. Thomas quæst. 10. art. 5. obseruat species infidelitatis iuxta primam illam considerationem acceptas nullo determinato numeró contineri, sed in infinitum posse multiplicari.

At de iisdem speciebus iuxta secundam considerationem spectatis, licet aliqua inter Theologos controuersia sit, communior tamen & vera sententia est eas non differre essentialiter, sed esse vnum & idem specie peccatum infidelitatis. Cuius rei ratio à priori est, quòd triplex illa infidelitas, quando peccatum est, peccatum commissionis est, & proinde consistens essentialiter in priuatione rectitudinis debitæ, nec alterius quàm eius quæ oppositо fidei actui inexisteret: quæ rectitudo debita cùm sit vnius eiusdemque infimæ speciei, siue sermo sit de formali rectitudine, siue de materiali, consequens est peccata commissionis, quæ non alia rectitudine debita quàm ista priuare possunt, non posse non esse peccata eiusdem infimæ speciei, siue dicantur consistere essentialiter in priuatione solius rectitudinis materialis, siue in solius formalis, siue in vtriusque coniunctim, de quo nunc curandum nihil est.

Deinde siue peccatum commissionis formaliter consistat in priuatione rectitudinis debitæ, siue non, sicut hæreticus negans aliquem Euangelicæ doctrinæ articulum committit idem specie peccatum infidelitatis, siue neget hunc, siue illum, siue vnum tantùm, siue duos, aut plures: sic idem specie peccatum infidelitatis committet ille qui negabit omnes, quod facit Iudæus & Paganus: ex quo sequitur Iudaismum & Paganismum non esse species infidelitatis ab hæresi distinctas essentialiter: ex quo concludo vlteriùs, Iudaismum & Paganismum nec posse esse infidelitatis species essentialiter differentes, cùm in eo solo differant, quòd Iudæus negans totam doctrinam Euangelicam, vmbram tamen eius recipit: Paganus verò eandem totam negans, ne vmbram quidem eius admittit. Quod discrimen, vt patet, efficere non potest, vt negatio illa Euangelicæ doctrinæ, quæ formaliter est peccatum infidelitatis, non sit in vtroque idem specie peccatum, cùm ad eam merè per accidens se habeat, quòd prædictæ doctrinæ vel vmbra & figura recipiatur, vel non recipiatur.

Et ratio est, quòd sicut eodem modo contemnitur veritas prima reuelans, eiusdémque rationis iniuriam accipit, cùm negatur aliquis Euangelicæ doctrinæ articulus, siue hic, siue ille negetur, siue duo, siue plures, idémque proinde specie peccatum infidelitatis admittit hæreticus, dum negat aliquem prædictæ doctrinæ articulum, siue hunc, siue illum, siue vnum, siue plures: sic eodem modo contemnitur, eiusdémque rationis iniuriam eadem veritas prima accipit, dum vel tota Euangelica doctrina negatur, vel pars eius tantùm: vel dum tota sic negatur, vt eius tamen vmbra recipiatur, vel sic, vt ne eius quidem vmbra admittatur: idémque proinde specie peccatum infidelitatis committit hæreticus eam ex parte negans, & Iudæus ac Paganus negans totam, licet eam hic ne in vmbra quidem admittat, ille verò eandem in vmbra recipiat.

Quòd autem ab iis omnibus infidelibus eo quo dixi pacto doctrinam Euangelicam negantibus eodem modo contemnatur, eiusdémque rationis iniuriam veritas prima accipiat, constat ex eo quòd tota ratio contemptus & iniuriæ quæ primæ veritati fit, in eo consistit, quòd ipsi reuelanti, cùm propter ipsam debitámque ei reuerentiam credi deberet, non modò non creditur, sed etiam contradicitur: quem modum, seu quam rationem contemptus & iniuriæ factæ primæ veritati reperiri in infidelitate Pagani, Iudæi, & hæretici hominis clarum est.

Nec opponas sanctum Thomam citato artic. 5. in resp. ad 1. docentem tres prædictas infidelitatis species differre essentialiter: monet enim expresse se de speciebus istis non loqui secundùm rationem mali quam habent, seu, quod idem est, secundùm formalem peccati rationem.

SECTIO IV.

Vtrùm infidelitatis illius in tres prædictas species diuiſio ſit ſufficiens?

I. AFFIRMANDVM eſt eſſe, datur enim per contradictorios terminos comprehendẽtes omnes modos poſſibiles infidelitatis oppoſitæ prædicto præcepto negatiuo de qua loquimur. Vel enim ſimpliciter tota Euangelica doctrina in ſe reiicitur, vel non tota: ſi hoc ſecundum, ergo pars eius in ſe recipitur, parſque reiicitur, & ſic eſt hæreſis: ſin illud primum, tota illa doctrina quæ in ſe reiicitur, vel in figura recipitur, vel non: ſi primum, Iudaiſmus eſt: ſi ſecundum, Paganiſmus.

At obiicies primo Gentiliſmum videri eſſe quartam ſpeciem infidelitatis, à Paganiſmo diſtinctam in eo, quòd Paganus vnum verum Deum cognoſcit, & colit, Gentilis idololatra eſt. Reſpondeo non eſſe quartam ſpeciem, ſed Paganum & Gentilem concurrere in eandem
II. formaliter infidelitatis ſpeciem, cùm hic & ille totam Euangelicam doctrinam in ſe reiiciat, nec in figura recipiat. Nec refert quòd eorum vnus idololatra eſt, alter non eſt: hinc enim tantùm ſequitur, vnum peccare contra virtutem religionis colendo idolum, alterum hoc peccati genere non peccare: ex quo non fit vt in vno ſit vna ſpecies infidelitatis, altera in altero. Neque verò ſi dicatur Gentilis negare vnius veri Dei exiſtentiam, háncque negationem eſſe peccatum infidelitatis, ideo ſequitur infidelitatem eius eſſe ſpecie diſtinctam ab infidelitate Pagani, qui non negat hanc vnius veri Dei exiſtentiam, alioqui ſimiliter ſequeretur hæreſim Arij negantis diuinitatem filij Dei, & Caluini eam non negantis, ſed præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, eſſe diſtinctas ſpe-
III. cies hæreſis in ratione peccati hæreſis ſeu infidelitatis, quod præcedente ſectione falſum eſſe probauimus.

Obiicies ſecundò, infidelitatem eorum qui ante Chriſti aduentum ſic à fide deficiebant, vt partem aliquam Moſaicæ legis admitterent, partem negarent, non videri ad vllam trium prædictarum ſpecierum pertinere, conſtituere igitur quartam ſpeciem infidelitatis. Reſpondeo negando antecedens, ſiquidem ad hæreſim pertinet. Vnde Saducæi habebantur inter Iudæos hæretici, quòd reſurrectionem corporum negarent: & vniuerſim cæteri qui ſic partem Moſaicæ doctrinæ à Deo reuelatæ recipiebant, vt aliquam eius partem negarent. Nec refert quòd ſupra dixerimus hæreſim tunc eſſe, cùm pars aliqua doctrinæ Euangelicæ in ſe recipi-
IV. tur, altera eius pars negatur: id enim vere diximus vſurpantes nomen hæreſis & hæreticorum ea ſignificatione, qua ſolet vſurpari à tempore ſufficiẽtis promulgationis Euangelicę doctrinæ: vniuerſim autem hæreticus ille eſt, qui partem aliquam eius doctrinæ, quam ſe credere totam profitetur vt à Deo reuelatam, admittit, & alteram eius partem negat.

Obiicies tertiò, Apoſtaſia à fide videri quartam infidelitatis ſpeciem. Reſpondeo non eſſe, ſed eſſe circunſtantiam quæ non eſt neceſſariò coniuncta cum vlla trium prædictarum ſpecierum infidelitatis, eſt nihilominus apta cuilibet earum adiungi, nec vnquam in rerum natura reperitur, niſi alicui earum actu coniuncta: quæ tria ſigillatim oſtendam, ſuppoſito quod verum eſt, Apoſtatam à fide eum eſſe qui ſuſceptam fidem deſerit: & Apoſtaſiam formaliter A V. aliud nihil eſſe, quàm à ſuſcepta fide receſſum: vnde ſi poteſt eſſe hæreſis, Paganiſmus, Iudaiſmus abſque receſſu à fide ſuſcepta, patet has tres ſpecies infidelitatis eſſe poſſe abſque apoſtaſia, & proinde hanc non eſſe neceſſariò coniunctam cum aliqua trium iſtarum ſpecierum, quod eſt primum ex tribus quæ oſtendenda ſuſcepi. Quòd autem iſtæ tres ſpecies eſſe poſſint abſque receſſu à fide ſuſcepta, & proinde abſque apoſtaſia, hinc euidens eſt, quòd iſte receſſus eſſe non poteſt niſi priùs ſuſcepta fides fuerit, poteſt autem hæreſis eſſe ante ſuſceptam fidem, vt conſtat ex dictis initio ſecundæ ſectionis: poteſt item eſſe Paganiſmus, & Iudaiſmus ante ſuſceptam fidem, vt reipſa iam eſt in omnibus qui ex Paganis aut Iudæis parentibus na-
B ti parentum ſuorum ſectæ pertinaciter adhæ- VI. rent, nec vlli vnquam alteri adhæſerunt.

Iam oſtendo ſecundum ex eo quòd qui à fide ſuſcepta recedit tanquam à termino à quo, tendere poteſt ad quamcunque ſpeciem infidelitatis, tanquam ad terminum ad quem: ſic enim ab illa recedere poteſt, vt recedendo fiat vel hæreticus, vel Iudæus, vel Paganus, ergo apoſtaſia apta eſt coniungi cum qualibet trium prædictarum ſpecierum infidelitatis.

Ex quo oſtendo & tertium: qui enim à ſuſcepta fide recedit, neceſſariò ſic recedit, vt vel à tota fidei doctrina quam ante credebat recedat, vel non à tota, ſed ab aliqua duntaxat eius parte: ſi hoc ſecundum, fit hæreticus: ſi primum, vel totam illam fidei doctrinam deſerens eam
C in figura recipit, vel non: ſi hoc poſterius, fit VII. Paganus: ſin illud prius, fit Iudæus.

Ex quo patet apoſtaſiam non poſſe eſſe diſtinctam ſpeciem à tribus illis infidelitatis ſpeciebus, eſſe autem circunſtantiam modò huius, modò illius, quando huic aut illi infidelitati accidit, & contrahitur poſt ſuſceptam fidei doctrinam quæ deſeritur. Quæ quidem circunſtantia aggrauat infidelitatis peccatum cui accidit, iuxta illud, 2. Petri 2. *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti*, &c. ſed aggrauat intra eandem ſpeciem quam infidelitatis actus habuiſſet, etſi hæc illi circunſtantia adiuncta non fuiſſet, nec aggrauare poteſt tribuendo ſpecie diuerſam infidelitatis malitiam, cùm, vt ſuprà probatum eſt, omnis infidelitas oppoſita præ-
D dicto negatiuo præcepto vnius infimæ ſpeciei VIII. fit.

Obiicies quartò, ſi vel Angelis, vel primis parentibus ſine vllo ſupernaturali habitu creatis, vnicam vnius rei, verbi cauſa, myſterij Trinitatis reuelationem Deus feciſſet, & illi poſſ. ſufficientem myſterij huius tanquam à Deo reuelati propoſitionem increduli fuiſſent, iudicaſſẽtque Deum non eſſe trinum in perſonis, peccaſſent peccato infidelitatis, nec tamen hoc peccatum in ſpecie vel hæreſis, vel Iudaiſmi, vel paganiſmi fuiſſet, vt conſtat ex ſuprà datis pro-

priis

priis harum ſpecierum definitionibus, ergo prę-
ter illas aliqua alia infidelitatis ſpecies admit-
tenda eſt. Reſpondeo primò peccatum illud in-
fidelitatis, ſiue quartam infidelitatis ſpeciem
conſtituat, ſiue non, diſtinctum minimè fore
in ratione peccati à prædictis tribus ſpeciebus
ſecundùm formalem peccati rationem ſpecta-
I. tis, quod iiſdem rationibus conſtat quibus
ſuprà probauimus has tres ſpecies eſſe idem ſpe-
cie infimâ peccatum infidelitatis.

Reſpondeo ſecundò, verum eſſe antecedens,
& conſequens obiectionis, bonamque huius ex
illo illationem, ſed nihil aduerſari doctrinæ ſu-
prà traditæ: dum enim tres tantùm infidelitatis
ſpecies ex communi Theologorũ doctrina eſſe
diximus, nempe Iudaiſmum, Paganiſmum, &
hæreſim, conſiderauimus infidelitatem prout
reipſa iam eſt in hominibus, & hactenus fuit,
præſuppoſita tota aliqua doctrina conſtante
multis partibus, à Deo reuelata, contra quam
peccari per infidelitatem non poteſt, niſi aliquo
trium prædictorum modorum, qui tres prædi-
ctas infidelitatis ſpecies conſtituunt, vt euincit
II. ratio qua probauimus ſufficientem eſſe peccati
infidelitatis in tres ipſas ſpecies diuiſionẽ: at in
obiectione nõ ſupponitur tota aliqua doctrina
multis conſtans partibus à Deo reuelata, ſed cõ-
trarium penitus: vnde non mirum, ſi licet id to-
tum quod in ea dicitur à nobis concedatur, ni-
hil tamen doctrinæ ſuprà traditæ aduerſemur.

Ex quo etiam colliges, poſſibilem eſſe Apoſta-
tam à fide, qui nec Iudæus, nec Paganus, nec hę-
reticus ſit, ſumptis ſemper his vocibus in ea ſi-
gnificatione quam nunc habent, & habuerunt
hactenus, quámque ſuprà declarauimus. Talis
enim eſſet homo ille vel Angelus, qui vnicũ il-
lud myſteriũ à Deo reuelatũ credidiſſet primò,
& poſtea per infidelitatẽ negauiſſet: ille enim A-
poſtata eſſet, quia à fide deficeret, nec tamẽ hęre-
III. ticus, aut Iudæus, aut Paganus eſſet, vt conſtat.

Neque hoc nobis repugnat, licet paulò antè
docuerimus nullum eſſe poſſe Apoſtatam, qui
non ſit vel hæreticus, vel Iudæus, vel Paganus.
Cùm enim id docuimus, ſupponebamus totam
aliquam doctrinam multis conſtantem parti-
bus à Deo reuelatâ, totámque ab eo ſuſceptam
qui poſtea Apoſtata fit: quam ſic ſuſceptam de-
ſerere non poteſt, quin aut Iudæus, aut Paga-
nus, aut hæreticus fiat, vt ex dictis cõſtat: at ve-
rò dum colligimus eſſe poſſibilem Apoſtatam à
fide, qui nec Iudęus, nec Paganus, nec hęreticus
ſit, hoc minimè ſupponimus, ſed contrarium.

SECTIO V.

Anin eodem homine poſſint eſſe plures Infidelitatis ſpecies?

IV. AFFIRMAT S. Thomas art. 5. quæſtionis
10. in reſp. ad 3. quod certiſſimum eſt, ſi
intelligat ſucceſſiuè: patet enim eundem homi-
nem de Catholico fieri poſſe hæreticum, de hæ-
retico Iudæum, de Iudæo Paganum. Caieta-
nus autem ad citatum artic. intelligit etiam ſi-
mul, additque id contingere ei qui ab Eccleſia
Catholica tranſit ad Synagogam Iudæorum,
húncque ſimul eſſe Iudæum & hæreticum: at
hoc falſum eſt, Iudæus enim tantummodo eſt,
vt cõſtat ex ſupradictis, & ex eo præterea, quod
ſi ab Eccleſia Catholica tranſiret ad ritus Paga-
norum, quod fecit Iulianus Apoſtata, Paganus
ſimul eſſet & hæreticus, cùm tamen hic Iulia-
nus nunquam à Patribus hæreticus aut dictus
ſit, aut habitus. Adde quòd ex Innocentio cap.
de diuortiis ij qui ex Chriſtianis ad Paganos,
ſeu Gentiles tranſeunt, ab hæreticis ſecernun-
tur: ij quoque qui à Chriſtianis ad Iudæos de-
ficiunt, cùm dicuntur hi iiſdem pœnis quibus
hæretici puniendi. V.

Et ſanè non poſſe ſimul in eodem homine eſſe
Iudaiſmum & Paganiſmum, tam clarum eſt,
quam eſt euidens non poſſe ſimul eundem ho-
minem totam Euangelicam doctrinam tam in
ſe quàm in figura reiicere, quod facit Paganus,
& non reiicere tam in ſe quàm in figura, quod
facit Iudæus, cùm eam in figura recipiat. Vtrùm
autẽ aliquo in caſu Iudaiſmus aut Paganiſmus
ſimul cum hæreſi in eodem homine eſſe poſſit,
dubitationem habet. Dico autem in hoc vno
caſu videri ſimul eſſe poſſe, in quo nimirũ quis
ex Catholico fieret Iudæus, aut Paganus, & hu-
ius aut illius ſectæ doctrinam tanquam à Deo
reuelatam credendam firmiter eſſe ex erronea
VI. conſcientia iudicaret, poſtea autem partem ali-
quam doctrinæ illius pertinaciter negaret, non
ob euidentem, vt ſuppono, cognitionem quam
haberet falſitatis eius, ſi falſa eſſet, ſed eodem
prorſus modo quo pertinaciter aliquam Euan-
gelicæ doctrinæ partem hæretici noſtri negant:
hic enim ſimul & Iudaicam, aut Paganicam in-
fidelitatem haberet, & hæreticam.

SECTIO VI.

Quæ conditiones requirantur vt Infidelitas habeat rationem hæreſis, quam à Iudaiſmo, & Paganiſmo diſtinximus?

REQVIRVNTVR tres, communi Theo-
logorum conſenſu, quæ colliguntur ex
Origene in cap. 3. epiſt. ad Titum, hæreticum
copioſè deſcribente, vt videre eſt apud eundem
Origenem in Apologia Pamphyli Martyris, §.
nomen hæreſis, cuius deſcriptionis hæc ſumma
eſt. Hæreticus eſt qui ſe Chriſto credere profite-
tur, & tamen aliter ſentit de dogmate aliquo
Chriſtianæ fidei quàm ſentiat Catholica Ec-
leſia. Qua in hæretici hominis definitione prima
eſt illa conditio, vt infidelis profiteatur ſe Chri-
ſto credere, eiúſque doctrinam amplecti: quam
& conditionem requirit D. Thomas quæſt. 11.
art. 2. & meritò ſanè, ſi enim Chriſtum non
agnoſcat, nec traditam ab ipſo doctrinam recipiat, Iudæus, aut Paganus eſt: Paganus quidem,
ſi ne in figura quidem recipiat: Iudæus verò, ſi
recipiat in figura. VII.

Circa quam conditionẽ quæritur hìc à non-
nullis, an ad rationem hæreſis ſit neceſſarium
eum qui hæreticus dicitur profeſſum eſſe Chri-
ſtum, eiúſque doctrinam reali baptiſmi ſuſce-
ptione. Sed ex ſupradictis hac diſputatione
conſtat id minimè eſſe neceſſarium. Quod con-
firmatur ex can. illo 19. Conc. Nicæni, in quo
dicitur eum qui ex hæreſi Pauli Samoſateni re-
dierit ad Eccleſiam baptizari debere. Ex can.
item 7. Concilij Conſtantinop. I. iuxta Græ-
cam editionem. Ex can. item 95. ſextæ Synodi
vbi definitur quinam hæretici debeant baptiza-
ri cùm Eccleſiæ Catholicæ ſe adiungunt, qui VIII.

non debeāt, eo quod validus eorum baptiſmus fuerit: quibus in canonibus manifeſtè ſupponitur aliquos hęreticos eſſe antequā baptizentur.

Secunda conditio eſt, vt in intellectu ſit iudicium aliquod erroneum contra doctrinam fidei, quæ conditio exprimitur verbis iſtis, *Et tamen aliter ſentit.* Niſi enim adſit huiuſmodi iudicium, non committitur peccatum infidelitatis quod ſit peccatum commiſſionis, nec proinde peccatum hæreſis, cùm certum ſit hanc eſſe peccatum commiſſionis. I. A V.

Sed circa conditionem hanc quæſtio eſt, vtrū iudicium iſtud erroneum debeat ſemper eſſe poſitiuus & realis aſſenſus, vel diſſenſus, quo iudicetur eſſe falſum id quod verum & à Deo reuelatum eſt, an ſufficiat realis actus intellectus dubitantis de veritate rei à Deo reuelatæ? Communis & vera ſententia eſt actum hunc ſufficere, probatúrque primò ex cap. *Dubius.* titulo de hæreticis, vbi à Stephano Papa ſic dicitur, *Dubius in fide infidelis eſt*: nec alia profectò infidelitate quàm hæreſis de qua titulus eſt. Quod & conſtat ex eo quòd dubius in fide, quā dubius, non propterea neceſſariò Iudæus, aut Paganus eſt, ergo hæreticus. II. B

Secundò ex duobus Conciliis, Viennenſi, & Lateranenſi, quorum prius, vt habetur Clem. vnica de ſumma Trinit. & fide Catholica, damnat tanquam erroneam, & veritati fidei inimicam doctrinam, *Omnem poſitionem aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis vere ac per ſe non ſit humani corporis forma.* In poſteriori verò ſub Leone X. ſeſſ. 8. in decreto Leonis cuius initium eſt, *Apoſtolici regiminis ſolicitudo*, tanquam infideles damnantur *aſſerentes animam humanam eſſe mortalem, vel vnicam in omnibus hominibus: tum hæc in dubium vertentes:* qui quidem cùm in vtroque Concilio damnentur tanquam infideles, nec propterea tamen infidelitate Iudaica, aut Paganica, reſtat vt hæretica. III.

Poſtremò, qui Chriſti doctrinam Euangelicam in ſe, & non in figura tantùm, ſe recipere profitetur, & in aliquo doctrinæ huius capite ſic poſitiuè dubitat, eſt haud dubiè infidelis: cōtemnit enim primam veritatem reuelantem, eique facit iniuriam dubitando poſitiuè, aut formidando de obiecto, de quo propter ipſam, debitámque ipſi reuerentiam, nullo modo dubitare aut formidare tanquam de re ambigua, ſed è contrario potiùs tanquam de certiſſima veriſſimaque ferre iudicium firmum deberet: hæc autem infidelitas peccatum omiſſionis non eſt cōtra præceptum aliquod affirmatiuum, quia qui ſic dubitat & formidat, non ideo peccat, quòd omittat exercere fidei actum vi præcepti affirmatiui primò & per ſe ac directè imperatum, ſed quod exerceat actum aliquem poſitiuum malum primò ac per ſe directè quevetitum præcepto aliquo negatiuo: peccatum ergo commiſſionis eſt. Quòd ſi ita eſt, debet eſſe neceſſariò in aliqua ſpecie triū prædictarum, cùm ſuprà probatum ſit, infidelitatis, quæ peccatum commiſſionis eſt contra præceptum negatiuum vetans internam mentis infidelitatem, nullam eſſe alia ſpeciem: patet autem infidelitatem hanc non eſſe Iudaiſmum, aut Paganiſmum, cùm ſupponamus eum qui illa laborat Euangelicam Chriſti IV. C D doctrinam in ſe, nec in figura tantùm recipere, ſolumq. de aliquo huius doctrinæ capite dubitare ſeu formidare, vnde ſequitur hæreſim eſſe.

Tertia conditio ad hanc neceſſaria eſt pertinacia, quam requirit S. Thomas qu. 11. art. 2. ad 3. & ſæpè alibi, requirúntque cum ipſo Theologi communiter: quam & requiri conſtat ex eadē Clement. vnica de ſumma Trinit. in qua dicitur *hæreticus* ille, non qui quomodocunque, ſed *qui pertinaciter præſumpſerit tenere animam rationalem non eſſe formam corporis:* & clarè ex D. Aug. ep. 162. in qua ſic habetur, *Qui ſententiam ſuam licet peruerſam nulla pertinaci animoſitate defendit, non eſt inter hæreticos reputandus.* Hæc autem pertinacia poſita eſt in prædicto actu erroneo, ſciēte homine contrarium doceri ab Eccleſia Catholica. Propterea pertinaciam expreſſit D. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. de errante in fide, idémque cum Photino ſentiente, ſic loquens: *Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Catholicæ autem ſeu fidei, ſeu Eccleſiæ doctrina, vna eadémque eſt. VI.

Vbi duo aduertenda ſunt. Primum eſt, eum non fore pertinacem in errore ſuo, qui circa rem aliquam à Deo reuelatam erraret quidem, ſciretque contrarium ab Eccleſia Catholica doceri, ſed ignoraret inuincibiliter Eccleſiam hanc eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

Secundum, requiſitam ad hæreſim pertinaciā deſcribi per prædictum erroneum intellectus actum coniunctum cū ſcientia qua quis ſcit contrarium ab Eccleſia doceri, non quòd ſine ſcientia hac abſolutè loquendo non poſſit eſſe pertinacia ſufficiens ad hæreſim, alioquin ante fundatam veram Eccleſiam quæ nunc eſt non potuiſſet eſſe hæreſis: alioquin item ſi vel Angelis vel primis noſtris parentibus Deus aliqua reuelaſſet, iiſdémque ſufficientia motiua dediſſet exiſtimandi prudenter & certò ſe harum reuelationum authorem eſſe, illi autem quibuſdam reuelatis fidem habuiſſent, aliis negaſſent, nō fuiſſent hæretici, quales tamen procul dubio fuiſſent: ſed quia cùm nemo meritò cenſeri poſſit pertinaciter aduerſari primæ veritati reuelanti, ac proinde hæreticus eſſe, niſi ſufficiens motiuū habeat ſibi prudenter & certò perſuadendi, res quæ credendæ proponuntur, fuiſſe à Deo reuelatas, motiuum autem huius rei ſufficiens ſit totius Eccleſiæ ita docentis authoritas, imò præter hanc nullum aliud ordinariè omnes homines motiuum habeant, quo prudenter & certò ſibi perſuadere poſſint quid de hac aut illa re reuelarum à Deo ſit, quid non ſit, propterea meritò dicitur ille pertinax in errore ſuo, atque adeo hæreticus, qui errori illi ſuo adhæret aduertens & ſciens contrarium ab Eccleſia doceri. VII. VIII.

SECTIO VII.

Circa tertiam hanc conditionem non leuis controuerſia proponitur, ac definitur.

AT circa tertiam hanc conditionē non parua inter Theologos controuerſia eſt, vtrū ille pertinaciter erret, & proinde ſit hæreticus, qui non ſcit quidē errorem ſuum eſſe doctrinæ Catholicæ fidei & Eccleſiæ contrarium, ſed non ſcit vincibiliter. Sotus in 4. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. affirmat, quando ignorantia craſſa ſeu ſupina

est. Canus libro 12. de locis cap. 9. affirmat item, quando ignorantia non crassa, sed affectata est. Melius negat Vasquez in primam secũdæ disp. 126. cap. 2. siue ignorantia crassa sit, siue affectata. Probatúrque primò ex D. Aug. loco citato asserente illum hæreticum non esse, qui habet errorem fidei Catholicæ repugnátem, nisi cùm manifestata doctrina Catholicæ fidei, seu Catholicæ Ecclesię, maluerit quod tenebat eligere: quam eius rei manifestationem, seu, quod idem est, certam expressamque scientiam tollit omnis ignorantia, siue inuincibilis, siue vincibilis, siue crassa, siue affectata.

Probatur secundò sic. Qui errat contra fidem ignorans inuincibiliter errorem suum esse contrariũ doctrinæ Ecclesiæ, non est pertinax: ergo & hoc ipsum ignorans vincibiliter, siue crassa, siue affectata ignorantia. Antecedens omnes admittunt. Consequentiæ bonitas hinc constat, quòd ratio quæ ostendit ignorantiam inuincibilem excusare à pertinacia, & proinde à peccato hæresis, eadem idẽ euincit de vincibili ignorantia, siue crassa, siue affectata. Cur enim ignorans inuincibiliter censetur non errare pertinaciter, nec proinde peccare peccato hæresis? Sanè ideo quia peccatum hæresis peccatum commissionis est, & infidelitatis: hoc autem peccato nemo peccat, nisi qui per actum suum erroris censetur ita aduersari primæ veritati reuelanti vt eam contemnat, eíque faciat iniuriam: ratione autem illius ignorantiæ suæ errans hoc assequitur, vt meritò censeri non possit ita veritati primæ reuelanti reluctari, vt ei faciat iniuriam, ipsamque contemnat: quia nemo meritò censetur facere iniuriam authoritati illius cuius dictis aduersatur quidem, sed aduersari se nescit: per illam autem ignorantiã fit vt errans nesciat se veritati primæ reuelanti aduersari: vnde cùm per ignorãtiam etiam vincibilem, siue crassam, siue affectatam, fiat vt errans idem nesciat, per eandem ex consequenti hoc assequitur, vt meritò censeri non possit veritatem primam reuelantem contemnere, eíve facere iniuriam.

Nec dicas illũ qui laborat ignorantia inuincibili illud quod dixi assequi ratione suæ ignorantiæ inuincibilis, reuera enim illud assequitur ratione suæ ignorantiæ, non vt inuincibilis est, sed vt ignorantia est: per hanc enim vt sic, habet vt nesciat se aduersari authoritati & dictis illius cuius reipsa aduersatur, hæc autem generica ignorantiæ ratio cùm æqualiter competat ei quæ vincibilis est, siue crassa, siue affectata sit, patet esse consequens, vt laborans hac vincibili ignorantia ratione eius idem prorsus, quod ille laborans inuincibili, assequatur.

Probatur tertio hoc argumento. Non potest cẽseri ille in errore suo pertinax, qui in ea actuali dispositione est, vt paratus sit ab Ecclesia corrigi seu sententiam deponere, purè propter ipsius contrarium sentientis authoritatem, statim atque sciuerit eam contrarium sentire: atqui errans contra fidem & ignorans vincibiliter ignorantia siue crassa siue affectata contrarium ab Ecclesia doceri, potest esse in ea actuali dispositione quam dixi: ergo potest esse non pertinax. Maior certa est: hæc enim actualis dispositio pertinaciæ prorsus repugnat, & omnis qui pertinax in errore suo contra fidem est, quandiu est pertinax, tandiu in ea dispositione est, vt non sit paratus, purè propter Ecclesiæ contrarium sentientis authoritatem, sententiam deponere: nam si ad hoc paratus esset, iis opinionibus non adhæreret, quas scit esse contra sensum & doctrinam Ecclesię ipsius. Dixi, purè propter, &c. vt significarem, parum referre, si paratus sit ab Ecclesia corrigi rationibus & argumentis, ad hoc enim paratos se dicunt omnes hæretici, nec desinunt esse hæretici, & pertinaces, quia parati non sunt purè propter ipsius aut hoc aut illud sentientis authoritatem mutare sententiam.

Ratio autem à priori veritatis eiusdem Maioris est, quòd qui ad id quod in illa Maiore dixi paratus est, non potest meritò censeri iniurius authoritati diuinæ reuelanti, eámve conténere, nec proinde censeri meritò peccare peccato cõmissionis & infidelitatis quod hanc iniuriam contéptúmq; coniunctum semper habet. Quisquis enim contra siue Dei siue hominis mentem doctrinãque sentiens paratus est deponere sententiam, & contrariam amplecti, statim atque sufficiens motiuum habuerit prudenter & certò existimandi hanc contrariam siue à Deo siue ab homine doceri (motiuum autem id de Deo existimandi nullum aliud ordinarie & communiter, vt suprà monui, habemus, præter Ecclesię ita sentientis authoritatem) tantum abest vt sit iniuriosus authoritati illius contra quem sentit, eámve contemnat, vt è contrario illa animi actuali præparatione multùm ipsi deferat, & magnum habeat honorẽ. Minorem probo primùm ex eo quòd ignorantia vincibilis siue crassa siue affectata non excludit natura sua ab eo subiecto in quo est illam actualem animi dispositionem: neque enim quidquam vetat eum qui vincibiliter, atque adeo volũtariè ignorat quid de re aliqua sentiat Ecclesia, siue hoc ignoret per ignorantiam crassam, siue per affectatam, simul cum hac ignorantia hunc elicere actum: si scirem id quod sentio contra doctrinam Ecclesiæ esse, non sentirem, sed contrarium.

Probo secundò, quia, vt in Tractatu de peccatis disp. 9. ex cõmuni Theologorum doctrina ostendi, ignorantia non modò inuincibilis, sed etiam vincibilis, siue crassa, siue affectata, potest esse antecedens respectu operis ex præsupposita ignorantia consequentis: dicitur autem ignorantia illa antecedẽs respectu huius operis, quæ hoc opus antecedit, sicut causa effectum suum, & quæ proinde causa est operis istius: ignorantia autem causa operis non est, nisi quia remouet scientiam, quæ si adfuisset, opus factum nõ fuisset: qui ergo ignorat quid de re aliqua sentiat Ecclesia, & ignorat ignorantia vincibili, siue crassa, siue affectata, antecedente respectu operis, nempe huius erroris contra fidem ex ea ignorantia consequentis, laborat ignorantia quæ est causa huius operis, & quæ ideo causa eius est, quia remouet scientiam de doctrina Ecclesiæ, quæ si adesset, error ille in intellectu non esset: est ergo ista ignorãtia laborans ita actu dispositus, vt si sciret contrariã errori suo doctrinam ab Ecclesia doceri, errorẽ suum deponeret.

Aduerte autẽ me in Minore illa quam probaui, non dixisse, omnem errãtem contra fidem, & ignorantem vincibiliter ignorantia seu crassa seu affectata contrarium ab Ecclesia doceri, esse

necessariò, aut semper, ita actu disposítum, sed dixisse tantummodo, posse esse ita disposítum: quia fieri potest vt errans contra fidem, & prædicta laborans ignorantia, sit pertinax in errore & hæreticus: vt si aliquid contra fidem sentiens, directè & explicitè nolit, ac contemnat
I. scire quid ea de re teneat Ecclesia, hoc nolens, & A ex falsa contra Ecclesiæ authoritatem opinione, qua iudicat parum interesse, vtrùm idem illa, an contrarium sentiat, & ex firmo voluntatis propósito permanendi in sententia, quidquid demum illa sentiat.

SECTIO VIII.

Soluitur grauis obiectio contra doctrinam præcedente sectione traditam.

OBIECTIO hæc est. Peccata quæ consummantur exteriùs, quæque propriá ac specificam malitiam habent ab obiecto materiali volito, quocunque tandem ex formali expressóque motiuo obiectum illud materiale sit volitum, siue fiant ex certa sciẽtia, siue ex vincibili
II. ignorãtia, semper & necessariò eiusdem speciei B malitiam habent: atqui peccatum hæresis est eiusmodi: ergo siue fiat ex certa scientia de doctrina Ecclesię, siue ex vincibili eius ignorantia, semper erit eiusdem speciei peccatum: atqui factum ex certa illa scientia habet speciem peccati hæresis: ergo etiam habebit factũ ex vincibili illa ignorantia, & per consequẽs cum hac ignorantia semper erit coniuncta pertinacia, quandoquidem hæc ad peccati hæresis speciem necessaria est. Maiorem docuimus in Tract. de peccatis citata disp. 9. ad quæst. 76. primæ secundæ, docéntque communiter eo loco Theologi. Minor certa est, peccatum enim hæresis in actu intellectus consummatur, qui tam externus est voluntati volenti discredere, quàm actualis occisio externa est voluntati volenti occidere: &
III. quemadmodum vt quis propriam ac specifica C consummatámque peccati homicidij malitiam iustitiæ repugnantem contrahat, necesse tantùm est vt occidat, quocunque tandem ex formali expressóque motiuo id velit, & faciat: ita vt quis propriam & specificam consummatámque peccati hæresis malitiam virtuti fidei repugnantem contrahat, opus solùm est vt velit discredere pertinaciter, sicque discredat, quocunque demum ex formali motiuo id facere velit, & faciat.

Ad hanc obiectionem respondet quidam recentior, qui ad citatam ex prima secundæ quæstionem idem quod nos docuit, ea bene concludi, errorem contra fidem ex certa scientia, & ex culpabili, atque adeo vincibili ignorantia de doctrina Ecclesiæ, esse eiusdem speciei peccatũ
IV. infidelitatis, at non propterea esse peccatum æ- D qualis grauitatis: peccatum autem hæresis non significare solam speciem peccati infidelitatis, sed cum maiore quadam grauitate: hanc porro maiorem grauitatem nõ reperiri, nisi cùm adest pertinacia, háncque non adesse, nisi adsit certa de Ecclesiæ doctrina scientia, & per consequens in errore contra fidem ex ignorantia culpabili de doctrina Ecclesiæ esse quidem peccatum infidelitatis, eiusdémque speciei cum peccato hæresis, non tamen esse peccatum hæresis, cùm hęc præter infidelitatis speciem significet illã quam dixi grauitatem ex pertinacia, atque adeo ex præsuppósita certa illa scientia prouenientem.

At hæc responsio mala est: concedendũ enim non est, errorem in fide cum prędicta culpabili ignorantia coniunctum, esse peccatum infidelitatis, nec proinde concedendum est esse eiusdem V.
A speciei cum peccato hæresis. Illud autem concedendum non esse, probo in primis ex eo quòd nulla nunc esse potest infidelitas, quæ nunc non sit in aliqua specie infidelitatis, sicut nullũ nunc animal esse potest, quod non sit in aliqua specie animalis: & proinde sicut quod nunc est, & non est in vlla animalis specie, animal nõ est, ita quod nunc est, & non est in vlla specie infidelitatis, infidelitas non est: atqui error ille de quo agimus, in nulla est infidelitatis specie: tres enim tantũ sunt nunc eius species, vt supra probauimus, & author ille contra quẽ agimus concedit, in nulla autem ex ipsis est: non enim in Iudaismi, aut Paganismi specie, vt patet, nec etiam in hæresis, vt expresè author ille respondet, & rectè, nempe nobiscum sentiens ad speciem hæresis, quæ
VI. Iudaismo & paganismo vt distinctis speciebus B opponitur, requiri pertinaciam, háncque non semper adesse, cũ adest illa culpabilis ignorãtia.

Nec dicas authorem, illum errorem de quo loquimur, reponere expresè in specie hæresis, cùm dicit esse peccatum infidelitatis eiusdẽ speciei cum peccato hæresis: pari enim iure reponere posset in specie Iudaismi, aut paganismi, cùm superiùs probauerimus, nobiscúmque sentiat has tres species differre tantùm accidentaliter, & esse vnum idémque specie infima peccatum infidelitatis: quo fit vt error ille de quo agimus, si peccatum infidelitatis est, sit tam eiusdem speciei peccatum cum Iudaismo & paganismo, quàm cum hæresi, & proinde vt tam reponi possit ab ipso in Iudaismi aut paganismi
VII. specie, quàm in hæresis.

C Probo secundò, quia non potest ille meritò cẽseri peccato infidelitatis (quod commissionis est contra virtutem fidei, præceptúmque negatiuum ad eam pertinẽs) peccare, qui non potest meritò censeri contemnere authoritatem Dei reuelantis, eique facere iniuriam: atqui talis est, aut esse potest is qui habet errorem illũ de quo loquimur: ergo talis non peccat peccato infidelitatis. Maior certa est, peccatum enim illius infidelitatis vel in hac iniuria contemptuque formaliter consistit, vel eum necessariò coniunctũ semper habet. Minoris veritas constat in primis directe, ex secundo argumento quod superiori sect. pro sententia Gab. Vasq. & nostra fecimus. Patet deinde ex tertio pro eadem sententia facto, quatenus ex eo constat, eum qui habet errorem illum de quo agimus, id est, cum ignorantia vincibili, siue crassa, siue affectata, de Ec-
VIII. clesiæ doctrina coniunctum, in ea actuali animi D dispositione aut esse, aut esse posse, vt paratus sit ab Ecclesia corrigi, seu mutare sententiam, propter ipsius contrarium sentientis authoritatem: eum autem omnem qui in ista dispositione est, non posse meritò censeri facere iniuriam authoritati Dei reuelantis, eámve contemnere.

Quare ad propositam obiectionem aliter respondendum est, distinctione videlicet Maioris: ex peccatis enim illis de quibus in ea mẽtio

fit, quædam sunt quæ requirunt scientiam seu cognitionem, non tanquam circũstantiam substantialiter ex parte obiecti seu actus externi requisitam ad hoc, vt obiectum seu actus externus ex se suáque natura sit in tali vel tali specie peccati, contra hanc illámve virtutem, sed solum tanquam circunstantiam ad rationem voluntarij prærequisitam, seu vt obiectum illud censeri meritò possit esse volitum: quedam verò alia sunt, quæ scientiam aliquam seu cognitionem actualem postulant tanquam conditionem substantialiter ex parte obiecti seu externi actus requisitam ad hoc, vt obiectum seu actus externus ex se suáque natura in tali vel tali specie peccati sit, contra talem aut talem virtutem.

I. A

Quæ prioris generis sunt, facta siue ex scientia siue ex vincibili ignorãtia, eiusdem semper speciei sunt, vt homicidium, nec mirum, cùm in huiusmodi peccatis substantia obiecti seu actus externi semper eadem sit, semperque proinde ex se suáque natura sit huius aut illius peccati actus, contra hanc illámve virtutem, siue scienter exerceatur, siue ex vincibili ignorantia, quãdoquidem scientia seu cognitio ex parte substãtiæ actus huius se minimè tenet, sed ex parte voluntarij, solúmque requiritur, vt actus externus homicidij aut similis alius voluntarius dici possit, dicatur autem meritò voluntarius, non solum tunc cùm ex actuali scientia fit, sed etiam cùm ex vincibili ignorantia, quia ignorantia hæc non tollit voluntarium. Et de solis huius prioris generis peccatis egimus loco illo primæ secundæ, cùm docuimus peccata facta scienter & ex vincibili ignorantia eiusdem speciei esse. At quæ sunt posterioris generis, eiusdem speciei non sunt, cùm ignoranter fiunt etiam vincibili ignorantia, siue crassa, siue affectata, & cùm scienter, quandoquidem ad substantiam actus, & vt in tali vel tali specie peccati ex se suáque natura contra hanc illámve virtutem sit, & non solùm ad rationem voluntarij, actualis scientia requiritur: qua sublata (tollitur autem, vt patet, per ignorantiam etiam vincibilem) sicut non manet ampliùs eadem substantia actus, alioqui scientia illa non se teneret ex parte substantiæ actus, contra hypothesim, ita non mirum si manere ampliùs non possit eadem peccati species.

II. B

III. C

Iam verò peccatum hæresis est de peccatis istius posterioris generis: ad substantiam enim actus & peccati hæresis pertinet, vt ex suprà dictis constat, vt sit realis actus intellectus errantis aut dubitantis, quo veritas prima reuelans contemnatur, & iniuriam accipiat, hæc autem substantia non est, nec manet, cùm adest prædicta vincibilis ignorantia, siue crassa, siue affectata, de Ecclesiæ doctrina: vt enim suprà probauimus, si contraria huic ignorantiæ scientia adsit, poterit quidem intellectus contra fidem errare, dubitare, & formidare, sed hic realis actus erroris, dubitationis, aut formidinis non erit actus quo contemnatur veritas prima reuelans, iniuriámque accipiat, nec proinde erit substantialiter actus hæresis, aut infidelitatis.

IV. D

Quæres, quodnam ergo peccatum sit actus ille realis? est enim interpretatiuè saltem voluntarius, quandoquidem, vt supponimus, sequitur ex ignorantia vincibili, tanquam effectus ex causa, hæc porro ignorantia non tollit voluntarium. Respondeo distinguendo, vel enim ad illas res sciendas circa quas ille realis versatur actus est aliqua obligatio, vel nulla est: si secundum, nullum peccatum est, alioqui quilibet ex ignorantia vincibili sequutus error circa res ad quas sciẽdas nulla est obligatio, peccatum esset: si primum, est ignorantiæ peccatum contra virtutem illam ex qua rerum illarum sciendarum obligatio nascitur: quod quidem peccatũ semper est peccatum omissionis, consistens formaliter in priuatione cognitionis actualis rerum illarum, contra ptæceptum affirmatiuum imperans hanc actualem illarum cognitionem.

V.

Ex quo colliges, illum realem actum, quem dixi esse ignorantiæ peccatum, non hoc sensu dici à me peccatum ignorantiæ, & per consequens peccatum omissionis, quasi sit ipsa formaliter priuatio cognitionis istius actualis, sed quia hanc necessariò priuationem sibi coniunctam in eodem intellectu semper habet, hæc autem est formaliter ipsum ignorantiæ peccatum, & quod consequens est, ipsum peccatum omissionis.

VI.

DISPVTATIO XXIX.

De peccato infidelitatis quod posteriori prædicto negatiuo præcepto opponitur.

SECTIO PRIMA.

Vtrum liceat aliquo in casu negare serio solis aut verbis, aut factis externis veram fidem, falsámve profiteri?

VII.

PRIMA Assertio. Non licet hoc solis etiam verbis. Veritas assertionis probata fuit & authoritate & ratione disput. 21. sect. 2. Vnde colligitur nullo quoque in casu licere seriò negare solis licet verbis se esse Christianum, aut affirmare se secta esse Turcam, aut Iudæum, aut hęreticum. Illud enim negare, & hoc affirmare, aliud non est quàm seriò negare verbis veram fidem, & falsam profiteri, & quod est consequens, negare Christum, iuxta hanc egregiam verissimámque D. Augustini sententiam tract. 113. in Euang. Ioannis, sic de trina Petri negatione loquentis: *Sanè in ista negatione Apostoli Petri debemus aduertere non solùm ab eo negari Christum qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam qui cum sit, negat se esse Christianum: Dominus enim non ait Petro, discipulum meum te negabis, sed me negabis: Negauit ergo ipsum, cùm se negauit eius esse discipulum. Quid autem aliud isto modo quàm se negauit esse Christianum? Quamuis enim discipuli Christi nondum appellarentur hoc nomine, iam tamen erat res ipsa illo postea vocabulo nuncupanda, iam erant discipuli qui postea appellati sunt Christiani. Qui ergo se Christi negauit esse discipulum, ipsam rem negauit, cuius nomen est vocari Christianum.* Quam Petri negationem solis licet verbis factam lethiferum fuisse peccatum aperte significat, dum paucis interiectis hæc adiungit: *Vtique enim Petrus si negato Christo hinc iret, quid aliud quàm periret?* dixerat autem idem antea apertissimè fusissiméq. tr. 66.

VIII.

Aduerte autem, quod dico nullo in casu licere seriò negare se esse Christianum, intelligendũ esse sumpto Christiani nomine pro Christi discipulo, eiusque fidem profitente: aliam enim significationem habere potest illa vox, in qua si sumatur, & quispiam neget se Christianum
I. esse, peccato infidelitatis contra prædictum præceptum negatiuum non peccabit: vt si quo tempore bellum geritur inter Christianos & Turcas, capiatur à Turcis Christianus aliquis, & ab eo quæratur an sit Christianus? quia mens Turcæ quærentis, vt suppono, non est quærere, vtrùm Christianam fidem profiteatur, sed an sit de exercitu Christianorum, seu hostium, si negauerit se Christianum, peccato infidelitatis non peccabit.

Secunda assertio. Neque etiam idem licet solis factis externis, quod probatur iisdem argumentis, quibus probatum citato loco est nunquam id licere solis verbis: in factis enim externis idem significantibus quod externa verba significarent, si proferrentur, sicut eadem significatio est, sic eadem malitia contra virtutem &
II. veracitatis, & fidei est, quæ reperitur in prolatis verbis externis negationem veræ fidei, aut falsæ professionem significantibus.

Dixi in vtraque assertione, seriò, nam si quis siue factis externis, siue verbis, neget veram fidem, aut falsam profiteatur, sed non seriò, vt cùm in Comœdiis repręsentationis causa, vel idolo thus offertur, vel iuramentum per falsos Deos concipitur, similibúsve factis aut verbis externis Christianæ fidei negatio, aut falsæ professio fit, prædictum infidelitatis peccatum non committitur.

Neque nobis obiiciantur in primis Apostoli, qui, vt constat ex Actorum cap. 16. & 21. abrogatæ Mosaicæ legis ceremonias aliquas vsurparunt: hæc enim externa vsurpatio tum temporis nec Christianæ fidei negationem exterius
III. significabat, nec falsæ professionem, vllúmve cultum continebat: eo enim tempore quo fuerunt ab Apostolis vsurpatæ, etsi mortuæ erant, quia nulla amplius ad eas vsurpandas erat obligatio, nondum tamen erant mortiferæ, quoniam eas adhuc vsurpare licebat.

Neque obiiciatur secundo exemplum Iehu, qui, vt habetur lib. 4. Regum cap. 10. simulauit se solenni sacrificio colere velle Baal, vt omnes eius cultores in dedicato ei fano congregatos interficeret: in hac enim simulatione grauiter peccauit, nisi forte ex inuincibili ignorantia fecerit. Vnde D. Augustin. lib. contra mendacium cap. 2. illam eius simulationem impium mendacium appellat. Nec refert quòd à Scriptura laudetur: non enim laudatur quasi vir sanctus, cùm expresse dicatur eo loco non ambulasse in
IV. lege Domini, nec illa eius simulatio commendatur, sed zelus eius in Sacerdotes Baal, & in domum Achab, vt ex ipso Scripturæ textu, & D. Augustin. citato clarum est.

Nec denique obiiciatur Naaman Syrus, qui 4. Regum cap. 5. videtur ab Elisæo Propheta impetrasse licentiam simulandi exteriùs idolodatriam, & proinde negandi exteriùs verum Deum, falsósque profitendi, quam sane non impetrasset, si quolibet in casu hanc exteriùs simulare peccatum esset. Ne, inquam obiiciatur, etsi enim concedatur Naaman hanc ab Elisæo petiisse licentiam, concedendum tamen non est Elisæum verbis istis, *vade in pace*, hanc ipsi licentiam feciisse, aut significasse non futurum peccatum, si simularet exteriùs idololatriam, sed solùm permisisse vt simularet, eo quòd videbat se, ne id faceret, ab eo pro illo tempore
A obtinere non posse. V.

Deinde nec concedendum est Naaman hanc ab eo licentiam petiisse, vt constat ex his eius, postquam promisit se non adoraturum falsos Deos, verbis, *Hoc solum est de quo deprecaris Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur Dominus meus in templo Remmon, si illo innitente super manum meam, adorauero in templo, vt ignoscat mihi Dominus.* His enim verbis non illam licentiam petere, sed è contrario supponere videtur simulatam falsorum Deorum adorationẽ semper malam esse, propterea que se Elisæi preces ad huius peccati remissionem obtinendam, si forte in illud inciderit, postulare: quam eius suppositionem & existimationem Elisæus falsam esse non docuit, quod profecto feciisset, si
B falsa fuisset, ne Naaman ex conscientia erronea VI. peccaret: vnde cùm hoc ei postulanti respondit, *vade in pace*, nihil aliud quàm suas preces quas postulauerat promisit.

Postremò sunt ex Theologis non pauci, qui locum hunc aliter interpretantur, & dicunt, Naaman relatis verbis petiisse ab Elisæo licentiam, non quidem adorandi exteriùs idolum, eíve genua flectendi, sed adorandi Dominum suum, id est, genuflectendi Domino suo, eo tamen tempore & loco quo ipse Dominus idolum adorabat, & quidem genuflectendi ipsi Domino eo fine vt ipse commodiùs super manum eius inniteretur: quod obsequium, vtpote non sacræ ceremoniæ, sed ciuilis obseruantiæ, per se malum non erat (nisi forte ratione scandali) significauitque Elisæus malum non
C esse verbis illis, *vade in pace*: quod etiam ra- VII. tione scandali malum non fuit, quia scandalum hoc satis vitabatur ex eo quòd aperte se profitebatur cultorem vnius veri Dei Israel, cui templum & altare ædificauerat. Quam huius loci interpretationem amplectuntur inter cæteros, Burgensis in additione prima, Lyranus & Abulensis, quæst. 25. ad illum Scripturæ locum.

SECTIO II.

Vtrùm vsurpare res & actiones externas quibus infideles à fidelibus distinguuntur, sit semper & in omni casu peccatum infidelitatis contra prædictum præceptum negatiuum?

D VIII.

SCIENDVM est res & actiones illas esse posse in quintuplici genere. Primum est earum, quæ vel natura sua, vel communi omnium gentium vsu semper significant professionem falsæ religionis, eo quòd nullum humanæ vitæ accommodatum vsum habent, cuius gratia fieri sic, vt ab ipsis excludatur illa significatio, censeantur: vt sunt iuramentum per falsos Deos, oblatio thuris idolo, & similes.

Secundum est earum, quæ licet natura sua deseruire possint tam ad alios humanæ vitæ vsus, quam ad significationem professionis falsæ religionis, communi tamen gentium vsu quoties vsurpantur certo aliquo tempore & loco, toties prædictam falsæ religionis professionem significant, cuiusmodi nunc est participatio cœnæ Caluinisticæ, & olim esus carnium Idolis immolatarum: hæ enim actiones licet ad alium humanæ vitæ vsum quàm ad prædictæ professionis significationem natura sua deseruiant, nimirum ad subleuandam necessitatem corporis fame laborantis, factæ tamen eo tempore & loco quo vel Idolis erat sacrificatum, vel quo Caluinistæ conuenire consueuerunt ad cœnam illam suam, tanquam vnum suæ religionis mysterium celebrandum, communi gentium vsu professionem vel Paganismi, vel Caluinisticæ sectæ significant.

I. A

Tertium est earum, quæ vel humana lege, vel communi consuetudine recepta, atque adeo communi hominum existimatione, distinguunt professores falsæ religionis, qua tales, à Christianis: vt si humana lege certum indumenti genus præscriptum aliquibus infidelibus esset, eo solùm fine, vt huius falsæ religionis professores à Christianis distinguerentur.

II. B

Quartum est earum, quæ humana lege distinguunt infideles, nō tamen qua tales, à fidelibus: vt si humana lege præscriptum esset Iudæis certum indumenti genus, non eo fine, vt Iudaicæ sectæ professores à Christianis secerneretur, sed vt natione Iudæi à cæteris distinguerentur, tributi alicuius ab illis, & non ab iis exigendi causa, aut alterius similis temporalis finis gratia.

Quintum earum, quæ mere per accidens distinguunt infideles à fidelibus, quia nimirum accidit vt orientalis natio Mahumetana, verbi causa, more gentis aliter induatur, quàm Europæi Christiani soleant, aut Lutherana aliqua ciuitas in Germania more Germanico, Catholica ciuitas in Gallia more Gallico vestiatur.

III. C

Iam dico primò vsurpationem rerum & actionum primi, secundi, tertiique generis esse semper peccatum infidelitatis, contra prædictum præceptum negatiuum. Ratio euidens est, quòd res aut actiones primi generis nunquam absolutè, res autem actionésque secundi nunquam prædicto illo tempore & loco, res denique actionésque tertij nunquam, præsupposita illa humana lege, vel recepta communi consuetudine, vsurpari possint, nisi hac vsurpatione significando professionem falsæ religionis, & proinde nisi externo aliquo signo profitendo falsam religionem, quam sic profiteri semper esse peccatum infidelitatis contra prædictum negatiuum præceptum suprà probatum est. Et sanè si quis loco rerum illarum aut actionum externarum hæc verba vsurparet, ego sum religione Iudæus, ego secta sum Caluinista, sine dubio peccaret infidelitatis peccato contra præfatum præceptum, quia vsurparet externa verba professionis falsæ religionis significationem habentia: pari ergo iure si quis aliquam ex rebus illis aut actionibus externis vsurpet, peccabit eodem infidelitatis peccato, quia vsurpabit exteriùs res & actiones eandem cum prædictis verbis significationem habentes.

IV. D

Dico secundò vsurpationem rerum aut actionum externarum quarti & quinti generis non esse peccatum infidelitatis contra præfatum præceptum negatiuum. Ratio est euidens, quòd earum rerum vsurpatio nec natura sua, nec communi hominum vsu, habet significationem professionis falsæ religionis, sed tantùm patriæ & nationis: nec aliud significat quàm quod his prolatis verbis significaretur, ego sum natione Gallus, Turca, Iudæus: quod externis verbis significare sicut peccatum infidelitatis non est, sic nec erit idem significare externis rebus & actionibus.

V.

Et sanè quòd hæ res aut actiones externæ cum natione quam significant non simul significent nationis perfidiam, seu falsam religionem, constat præterea ex eo quòd si Turcæ, si Iudæi Christianam religionem susciperent, nō propterea vel humana lege præscriptum, vel communi more gentis vsurpari solitum vestimenti genus abiicerent, sed easdem res & actiones externas quarti quintique illius generis ante Christianæ fidei susceptionem vsurpari solitas, post hanc susceptam retinerent: quo tempore totam illam significationem externæ illæ res & actiones haberent, quam antequam susciperetur habebant. Quare cum post susceptam Christianam fidem falsæ religionis significationem non essent habituræ, nec per consequens ante susceptam habuissent. Vnde tam licitum est vnicuique vsurpare prædictas externas res & actiones, quàm idioma Turcarum, aut Iudæorum, aut aliorum infidelium, quia sicut idioma ipsorum gentem, non infidelitatem gentis significat, adhuc enim proprio suo idiomate vterentur, etsi Christi fidem susciperent: ita prædictarum rerum actionúmque vsurpatio nationis tantùm, non vero etiam infidelitatis significationem habet.

VI.

VII.

SECTIO III.

Vtrùm omnis & quælibet fidei externa negatio sit peccatum infidelitatis eiusdem speciei?

AFFIRMANDVM est esse, quod probatur iisdem duabus rationibus, quibus sectione secunda præcedentis disputationis probaui tres infidelitatis internæ species, nempe Iudaismum, Paganismum, hæresim, esse peccatum vnius infimæ speciei.

VIII.

Primò enim cùm quælibet externa fidei negatio, siue factis, siue verbis, siue huius, siue illius mysterij negatio sit, semper sit peccatum commissionis contra prædictum sæpius præceptum negatiuum, & proinde consistat formaliter in priuatione debitæ rectitudinis, certè si semper est eadem specie rectitudo debita, semper quoque erit eadem specie priuatio, atque adeo semper idem specie peccatum commissionis: verum autem est semper eandem esse specie rectitudinem debitam: vel enim rectitudo debita est formalis rectitudo seu bonitas moralis quæ inest actui cōfessionis externæ

oppoſito actui externo quo negatur fides, vel materialis tantùm, id eſt, ea quam adhuc haberet externa fidei confeſſio, etſi ſine præuio bono & honeſto voluntatis affectu elici conciperetur. Si formalis, haberur intentum: ſuprà enim probaui eiuſdem rationis & ſpeciei formalem rectitudinem ineſſe externo actui fidei I. quæ interno ineſt, ſpecialem autem & ſpecificam huic interno actui propriam formalem rectitudinem eſſe ſemper vnius eiuſdémque ſpeciei.

Quòd ſi materialis, eiuſdem quoque ſemper infimæ ſpeciei eſt: externa enim myſterij vnius facta verbo confeſſio, & externa myſterij alterius facta ſcripto, vel alio externo ſigno, & proinde quælibet externa fidei confeſſio materialiter ſumpta eſt actus materialiter bonus, & eadem materiali bonitate: non enim materialiter bonus eſt, niſi quia bonum per ſe eſt fidem exteriùs confiteri, neque hoc bonum per ſe eſt, niſi quia per hoc honor aliquis veritati primæ reuelanti tribuitur, dum quod ab ipſa dictum eſt, verum eſſe ſignificatur. Quare II. cùm per quamlibet externam fidei confeſſionem materialiter ſumptam, ſenſu paulò ante explicato, idem eiuſdémque rationis ac ſpeciei honor ipſi tribuatur, quandoquidem per quamlibet hoc ſemper fit, vt quod ab ipſa dictum eſt, verum eſſe ſignificetur, patet eſſe conſequens, materialem cuiuſlibet externæ confeſſionis fidei bonitatem eſſe eiuſdem rationis ac ſpeciei.

Deinde ſiue peccatum commiſſionis in priuatione rectitudinis debitæ conſiſtat, ſiue non, ſicut eodem modo contemnitur veritas prima reuelans, eiuſdémque rationis iniuriam accipit, cùm exteriùs negatur aliqua res per eam reuelata, ſiue hæc, ſiue illa, ſiue negetur verbo, ſiue ſcripto, ſiue alio externo ſigno: ſic eiuſdem ſpeciei peccatum eſt hæc & illa & quælibet III. alia externa fidei negatio. Quòd autem eodem modo contemnatur, eiuſdémque rationis iniuriam accipiat, conſtat ex eo quòd tota ratio contemptus & iniuriæ quæ per hanc negationem primæ veritati reuelanti fit, in eo conſiſtit, quòd cùm res per eam reuelata, propter ipſam ipſíque debitam reuerentiam, meritò poſſet, aut etiam deberet exteriùs ſignificári à nobis vera, non modò non ſignificatur, ſed etiam falſa exteriùs ſignificatur: quem modum, quámque rationem contemptus & iniuriæ in qualibet externa rei à Deo reuelatæ negatione reperiri, perſpicuum eſt.

Atque hæc de infidelitate tum in genere tum in ſpecie circa Diui Thomæ quæſtiones, decimam, vndecimam, & duodecimam dicta ſint. In duabus ſequentibus agit idem S. Doctor de IV. blaſphemia, de qua hæc breuiter notaſſe ſufficiet. Primùm, hanc eſſe actum quo de diuina excellentia detrahitur, ex voluntate conuitiandi, ſeu de diuina excellentia detrahendi. Secundo, actum hunc, quando peccatum eſt, eſſe ſemper oppoſitum virtuti religionis, cui proprium eſt actu aliquo honorem diuinæ excellentiæ habere, ex voluntate huius honoris ipſi tribuendi. Tertiò, actum illum quo de diuina excellentia detrahitur, eſſe modò verbum mentis, modò verbum oris, modò factum aliud externum iſti verbo æquiualens, eandémque cum ipſo habens ſignificationem: vnde blaſphemia quædam interior, quædam exterior eſt.

Quartò, actum illum eſſe poſſe abſque peccato hæreſis, ſeu internæ infidelitatis, poſſe etiam abſque peccato infidelitatis externæ: tum quia A blaſphemus poteſt eſſe tam interiùs quàm exteriùs qui nihil vnquam de diuina reuelatione accepit, qui tamen nec interiùs nec exteriùs infidelis eſſe poteſt: tum quia neque interna neque externa infidelitas eſſe poteſt, quando nihil contra fidem interiùs exteriúſque dicitur: aliquando autem blaſphemiæ peccatum admittitur, quando nihil vel interiùs vel exteriùs contra fidem dicitur: vt cùm verbum blaſphemum vel oris, vel cordis, Dei reuelationi, rebúſque à Deo reuelatis non repugnat, quia de re verbo blaſphemo ſignificata Deus nihil reuelauit: vt etiam cùm quis irriſoriè & in contemptum tribuit Deo quod ei reipſa ineſt, ac conuenit, verbi cauſa, quando quis cum contemptu certa Chriſti membra nominat. V.

Quintò fieri viciſſim poſſe, vt actus tam internæ quã externæ infidelitatis ſit abſque peccato blaſphemiæ, vt eſſet is quo vel corde vel ore negaretur Iſaac fuiſſe filium Abrahami, aut quid ſimile: quo actu nihil Deo tribuitur quod ipſi non inſit, nihil negatur quod inſit, nec alio modo quidquam de diuina excellentia detrahitur. B VI.

Poſtremò fieri poſſe, vt idem actus qui peccatum blaſphemiæ eſt contra religionem, quatenus eſt actus quo de excellentia diuina detrahitur, ſit etiam peccatum ſiue internæ ſiue externæ infidelitatis contra virtutem fidei: vt ſi verbo illo blaſphemo vel cordis, vel oris, affirmatur, aut negatur, vel corde, vel ore quidpiam contra id quod à Deo reuelatum eſt, quódque ſufficienter eſt propoſitum tanquam à Deo reuelatum.

In quæſtione decimaquinta differit S. Thomas de cæcitate & hebetudine mentis, quaſi hæc ſint peccata contra fidem, id eſt, contra dona intellectus, & ſcientiæ, quæ ad fidem reducuntur: de qua cæcitate & hebetudine hoc ſolùm habeo dicere, me nullam in iis videre peccati malitiam, quæ diſtincta ſit vel ab ignorantia rerum quas quis ſcire debet, eáſque addiſcendi negligentia, vel ab intellectus poſitiuis erroribus qui contra virtutem fidei ſunt. Denique circa quæſtionem decimam ſextam, quæ eſt de fidei præceptis datis aut dandis in veteri lege, ſolùm dico conſtare ex dictis, fuiſſe in veteri lege præceptum aliquod obligans ad explicitè credendum, cùm ſuperiùs oſtenderimus quolibet tempore à lapſu primi noſtri parentis, fuiſſe aliquem actum fidei neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, omnémque hominis actum liberum qui ſic neceſſarius ad eam eſt, eſſe quoque neceſſarium ex præcepto, & proinde dari præceptum aliquod ad ipſum exercendum obligans. D VIII

Atque de fide hactenus. Nunc ad ſpem gradum faciamus cum S. Doctore, qui ſuam de ea tractationem ſex proximè ſequentib. quæſtionibus comprehendit: quarum prima ſpei naturam explicat, quæ ex eius obiecto cùm materiali, tum formali mox declarando tota intel-

ligetur. Secunda quodnam eius subiectum sit declarat. Tertia de dono timoris agit. Quarta de peccato desperationis opposito spei per defectum. Quinta de peccato præsumptionis eidem spei opposito per excessum. Sexta de præceptis ad spem & timorem pertinentibus. Circa quas quæstiones explicabimus ea omnia
I. quæ difficultatem habent, omissis iis, quæ vel spei cum fide communia sunt, & superius in Tractatu de fide explicata, vel quæ ex D. Thomæ textu facilè intelligi possunt.

DISPVTATIO XXX.

Quodnam sit obiectum formale spei?

SECTIO PRIMA.

Quid sit sentiendum declaratur, & duobus argumentis probatur.

II. DVÆ sunt præcipuæ de proposita quæstione Theologorum sententiæ. Prima est, esse Deum, vt summum nostrum bonum amabile amore concupiscentiæ, seu non propter se, sed propter nos, & in commodum nostrum, itavt obiectum formale spei sit illa bonitas non absoluta, qua Deus in se bonus est, & qua propter se diligibilis est, sed relatiua qua nobis bonus est. Ita Scotus in 3. distinct. 26. quæst. vnica §. *Ad quæstionem*, Almai. Tract. 2. moralium cap. 7. & multi recentiores. Secunda est, esse Deum, seu diuinam potestatem & pietatem vt principium effectiuum bonorum quæ speramus. Ita Thomistæ communiter, idémque sentit Vasquez dum tomo 1. in 1. partem disputat. 84. cap. 2. &
III. tomo 2. in eandem partem disputat. 235. cap. 4. & prima secundæ disput. 15. cap. 5. docet obiectum formale spei virtutis Theologicæ, de qua sola nos hîc disputamus, esse Deum, vt est is à quo speramus æternam beatitudinem, & ea quæ sunt obiecta spei materialia.

Atque cùm primæ sententiæ authores recentiores suam illam sententiam esse quoque Diui Thomæ dicere non dubitent, primum quo contra illam vtar pro secunda argumentum ducetur ab authoritate eiusdem S. Doctoris, cuius multa proferam testimonia, quibus si clarum non est ipsum in hac fuisse, nihil apud ipsum clarum esse arbitror. Primum eius testimonium peto ex articulo 1. 17. quæstionis, cuius in Corpore sic loquitur: *Obiectum spei est*
IV. *bonum futurum, arduum, possibile haberi: possibile autem est aliquid nobis dupliciter, vno modo per nosmetipsos, alio per alios: in quantum ergo speramus aliquid vt possibile nobis per diuinum auxilium, spes nostra attingit ad Deum, cuius auxilio innititur.*

Secundum ex articulo secundo, cuius in Corporis initio sic ait: *Spes de qua loquimur attingit Deum innitens eius auxilio ad consequendum bonum speratum.* Quo vtroque loco dicens spem attingere Deum innitendo auxilio ipsius, manifestè loquitur de eius obiecto formali, significátque Deum auxiliantem esse formale spei obiectum, sicut qui dicit fidem attingere Deum cuius reuelationi innititur, aperte indicat Deum reuelantem esse formale fidei obiectum. Cùm enim motiuum seu formale obiectum alicuius actus aut habitus sit id cui actus aut habitus innititur, & vice versa id cui actus aut habitus aliquis innititur, sit formale obiectum seu motiuum ipsius, sanè eò ipso quo dicit S. Doctor auxilium Dei, seu Deum auxiliatorem esse id cui spes innititur, dicit quoque esse formale spei obiectum seu motiuum. A V.

Adde quòd hoc loquendi modo declarat haud dubiè Deum auxiliantem esse obiectum spei, ergo vel materiale, vel formale: aperte autem posteriore loco de duobus citatis significat se de obiecto materiali non loqui: istis enim verbis quæ retuli, *spes attingit Deum innitens eius auxilio*, adiungens ista, *ad consequendum bonum speratum*, verbis his adiectis de materiali spei obiecto loquitur: verbis ergo proxime præcedentibus de formali loquutus est.

B Tertium desumo ex artic. 4. cuius in Corpore sic habet: *Spes respicit beatitudinem æternam sicut finem vltimum, diuinum autem auxilium sicut primam causam inducentem ad beatitudinem.* Quæ verba de diuino auxilio nequeunt intelligi, nisi tanquam de obiecto formali seu motiuo, quandoquidem ait istud auxilium esse id quòd inducit seu mouet ad sperandam beatitudinem: quod clariùs expressit paucis interiectis inquiens, quòd *sicut non licet sperare aliquod bonum præter beatitudinem sicut finem vltimum, ita nec licet sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, tanquam de prima causa mouente in beatitudinem.* VI.

Quartum ex articulo quinto, cuius in Corpore sic ait: *Dictum est suprà, quòd spes habet*
C *rationem virtutis ex hoc quòd attingit supremam regulam humanorum actuum, quam attingit & sicut primam causam efficientem, in quantum eius auxilio innititur, & sicut vltimam causam finalem, in quantum in eius fruitione beatitudinem expectat.* VII.

Quintum ex articulo septimo, cuius in Corpore sic loquitur: *Obiectum autem spei est vno modo beatitudo æterna, & alio modo diuinum auxilium, vt ex dictis patet.* Quibus verbis aperte docens auxilium diuinum alio modo esse obiectum spei quàm sit beatitudo, dicit per consequens non esse materiale, cùm beatitudo hæc eius obiectum materiale sit, & proinde esse formale, cùm præsertim adiungens, *vt ex dictis patet*, significet manifestè esse obiectum cui spes innititur, quod sæpius antea dixit, vt vidimus: quo loquendi modo ostendi
D paulò antè formale obiectum designari. VIII.

Sextum ex articulo quarto quæstionis 18. cuius hæc verba sunt in respons. ad 2. *Spes non innititur principaliter gratiæ iam habitæ, sed diuinæ omnipotentiæ & misericordiæ, per quam etiam qui gratiam non habet eam consequi potest, vt sic ad vitam æternam perueniat.* In respons. autem ad 3. expressè dicit, quòd quis *deficiat à consecutione beatitudinis contingere ex defectu liberi arbitrij, non autem ex defectu diuinæ*

potentia vel misericordia cui spes innititur.

Septimum & postremum ex quæst. vnica de spe, quæ est septima de spiritualibus creaturis artic. 1. cuius in Corpore vbi præmisit spem esse boni possibilis, aliquid autem esse possibile dupliciter, vno modo per propriam potestatem, alio modo per auxilium alterius, subiungit hæc verba: *Sic ergo quandoque sperat homo aliquid adipisci per propriam potestatem, quandoque verò per auxilium alienum: & tunc necesse est quòd spes feratur in duo obiecta, videlicet in bonum adipiscendum, & in eum cuius auxilio innititur: summum autem bonum quod est beatitudo aterna, homo adipisci non potest nisi per auxilium diuinum: & ideo spes adipiscendi vitam aternam habet duo obiecta, videlicet ipsam aternam vitam quam quis sperat, & auxilium diuinum à quo sperat: sicut etiam fides habet duo obiecta, videlicet rem quam credit, & veritatem primam cui correspondet: fides autem non habet rationem virtutis, nisi in quantum inhæret testimonio primæ veritatis, vt credat quod ab ea manifestatur: vnde & spes habet rationem virtutis ex hoc ipso quòd homo inhæret auxilio diuinæ potestatis ad consequendum vitam aternam.*

I.

II.

Et paucis interiectis sic concludit: *Sic igitur sicut obiectum formale fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit iis quæ creduntur, quæ sunt obiectum materiale fidei: ita etiam obiectum formale spei est auxilium diuinæ potestatis & pietatis, propter quod motus spei tendit in bona sperata, quæ sunt materiale obiectum spei.* Denique in respons. ad 4. sic loquitur: *Spes secundùm quod refertur ad materiale obiectum imperfecta est, quia quod speratur nondum habetur, sed secundùm quod respicit obiectum formale, videlicet auxilium diuinum, sic est dispositio perfecti: in hoc enim consistit perfectio hominis vt Deo inhæreat. Et simile etiam est de fide, quæ habet imperfectionem eo quod nondum videt ea quæ credit, habet autem perfectionem ex eo quòd inhæret testimonio primæ veritatis, & ex hoc est virtus.*

III.

Secundum argumentum pro eadem secunda sententia est illud ipsum quo idem S. Thomas hîc artic. 6. quæstionis 17. vtitur, vt probet virtutem spei esse à duabus aliis Theologicis distinctam, cuius hæc verba sunt: *Virtus aliqua dicitur Theologica ex hoc quod habet Deum pro obiecto cui inhæret.* Quo loquendi modo manifestè significat loqui se de formali obiecto, vt & verba immediatè sequentia mox referenda apertè declarant, & loca multa superiori argumento ex ipso citata, quibus de obiecto formali loquens eadem loquendi formula vtitur, efficaciter confirmant. His autem verbis hæc subiungit: *Potest autem aliquis alicui inhærere dupliciter, vno modo propter seipsum, alio modo in quantum ex eo in aliud devenitur: Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem hominis vniens Deo per affectum amoris: spes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo sicut cuidam principio ex quo aliqua nobis proveniunt: de Deo autem provenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis: fides ergo facit hominem Deo adhærere in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem: creditmus enim ea vera esse quæ nobis à Deo dicuntur: spes autem facit adhærere Deo prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per spem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.*

IV.

Ex qua doctrina conficio discursum hunc, qui totus in ea continetur. Aliqua virtus & est, & dicitur Theologica, ex eo quòd habet Deum pro obiecto formali cui inhæret, seu cui innititur: ergo quàm multiplex erit modus inhærendi seu innitendi Deo sicut obiecto formali, tam multiplex erit virtus Theologica: atqui triplex est Deo tanquam formali obiecto inhærendi seu inhærendi modus, nimirum vel propter ipsum Deum, vel vt principio ex quo prouenit in nos cognitio veritatis, vel denique vt principio ex quo deriuatur in nos adeptio perfectæ bonitatis, seu summi boni: ergo triplex est virtus Theologica, quarũ vna Deo innititur propter ipsum Deum, secunda vt principio prædictæ cognitionis, tertia vt principio præfatæ bonitatis: atqui tertia hæc non est charitas, huic enim proprium est inniti seu inhærere Deo propter ipsum Deum: nec fides, proprium enim ei est inniti Deo vt reuelanti, seu quod idem est, vt principio prædictæ cognitionis: est igitur spes, aut certè si tertia hæc nõ est spes, sed aliqua alia virtus, sequitur vel excludendam esse spem à Theologicis virtutibus, aut esse plures tribus nunc in nobis admittendas Theologicas virtutes. Quòd si est spes, ergo spes habet pro formali obiecto Deum vt principium effectiuum boni quod speramus: quæ conclusio est ipsissima assertio authorum secundæ sententiæ quam probandam suscepimus.

A

V.

B

VI.

Et certè negari meo iudicio non potest, quin sit possibilis aliquis actus voluntatis, qui omnipotentiæ pietatíque diuinæ tanquam obiecto formali tam innitatur, quàm fidei actus primæ veritati reuelanti, & quin actus ille sit actus veræ virtutis, cùm sit formaliter honestus, ac laudabilis, & quin idem actus sit actus virtutis Theologicæ, cùm formale eius obiectum sit Deus, seu diuinum aliquod attributum. Cuius autem alterius virtutis Theologicæ sit actus quàm spei, non apparet: cùm præsertim ex paulò antè dictis notum sit non esse actum vel diuinæ fidei, vel charitatis.

C

VII.

Quem etiam actum dubitare non possum esse illum ipsum qui commendatur illis omnibus Scripturæ locis prope innumeris, quibus nunc laudantur & beati dicuntur cõfidentes in Deo, nunc ad spem & fiduciam in Deo reponendam excitamur: nunc è contrario vituperantur aut maledicuntur ij qui non in Deo, sed in homine, humanísque rebus spem suam collocant: vt Hieremiæ cap. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Quibus verbis significatur apertè spem humanam totam inniti potestati humanæ, eáque tanquam brachio fulciri ac sustentari, & proinde potentiam hanc esse huius spei formale motiuum seu obiectum, cùm, vt suprà dixi, obiectũ formale seu motiuum actus alicuius sit id cui actus ille innititur, & vice versa id cui innititur sit obiectum eius formale & motiuum. Quòd si humanæ spei formale motiuum cui innititur, est humana potentia, certè à pari spei diuinæ seu Theologicæ obiectum formale seu

D

VIII.

motiuum cui innitetur erit Deus, seu diuinum aliquod eius attributum.

SECTIO II.

Idem duobus aliis argumentis probatur.

I. TERTIVM argumentum à similitudine fidei nostræ hoc modo ducitur: Sicut fides nostra non est Theologica, nec supernaturalis in entitate, ex obiecto materiali quod creditur, sed ex formali propter quod creditur: vnde si quis Deum existere, vel in personis trinum esse crederet propter hominis aut Angeli testificantis authoritatem, non haberet ille fidem diuinã, nec in entitate supernaturalem, sed Angelicam, vel humanam, & in entitate merè naturalem: ita spes non est virtus Theologica, nec est in entitate supernaturalis, ex Deo, seu summo bono, tanquam materiali obiecto quod speratur, sed ex formali, nempe ex Deo à quo speratur. Vnde si quis illud summum bonum se adipisci posse putaret, & reipsa adepturum speraret per naturales suas vires, aut per alicuius alterius hominis vel Angeli naturalem potestatem & auxilium, is sine dubio spem Theologicam non haberet, nec in entitate supernaturalem, sed Angelicam solùm aut humanam, & in entitate merè naturalem.

II. Nec dicas spem quidem Theologicam virtutem non esse, aut supernaturalem, ex Deo, siue summo bono, tanquam obiecto materiali, sed ex formali talem esse: eius autem obiectum materiale cùm sit Deus, siue summum bonum, formale esse, vt nostrum summum bonum est. Ne, inquam, id dicas, tum quia duobus superioribus argumentis ostendi, & quarto, quod erit à priori, mox ostendam, nullam spem, siue eam quæ virtus Theologica est, siue eam quæ Theologica virtus non est, aut etiam quæ nec virtus

III. est, imò quæ vitium est, habere pro obiecto formali bonum speratum, prout bonum nostrum est, sed solùm id quod est aliquo modo principiũ effectiuum boni illius: tum quia si formale spei obiectum esset illud quod assignatum est, hinc concluderetur efficaciter spem non esse in entitate supernaturalem, nec proinde virtutem Theologicam, cùm aut nullæ sint virtutes in entitate supernaturales, aut sanè tales sint eæ quæ Theologicæ sunt. Postea enim ostendam actus amoris, desiderij, gaudij, & si qui alij similes, qui circa Deum summum bonum tanquam materiale obiectum versantur ex hoc formali motiuo seu obiecto, quatenus nimirum nostrũ summum bonum est, non esse propterea, nec esse posse in entitate supernaturales, quòd reipsa hoc formale obiectum seu motiuum à quo specificentur habeant: tum denique quia si nos

IV. summum bonum speraremus nobis, ac proinde vt nostrum bonum est, vel per naturales nostras vires, vel per alterius hominis naturalem virtutem & auxilium, spes nostra purè humana esset, & in entitate merè naturalis.

Quartum argumentum istud est. Illud non est formale obiectum actus sperandi, in quod hic actus resolui non potest tanquam in motiuum cui innitatur: atqui nullus actus sperãdi, siue sit actus spei virtutis Theologicæ, siue cuiusuis alterius spei vel in genere vel in particulari spectatæ, resolui potest in bonitatem rei speratæ tanquam in motiuum cui innitatur: ergo bonitas ista eius obiectum formale non est. Maior apud omnes certa est, & ex dictis in Tractatu de fide notior quàm vt hic probari debeat. Minorem probo primùm ex eo quòd interrogati cur rem aliquam amemus, aut desideremus, aut de ea obtenta lætemur, rectè quidẽ respondemus, quòd bona sit; at cur si eandem speremus interrogemur, hoc non nisi ineptè respondere possumus: qui enim quærit cur rem aliquam speremus, quærit qua re moti seu freti in illius assequendæ spem veniamus: sicut qui quærit cur rem aliquam credamus, quærit qua re moti seu freti illi rei præbeamus assensum: qua vtraque quæstione per se patet, & ex dictis sæpius in materia de fide notum est, quæri formale obiectum seu motiuum actus siue sperandi, siue credendi: ad illam autem quæstionem quis vnquam sanæ mentis responderet, se venire in spem rei illius consequendæ motum & fretum seu nixum rei ipsius speratæ bonitate? Imò quis non statim responderet, sperare se rem illam fretum & nixum vèl potentia sua & industria, si à seipso, vel alienæ potestatis adiutorio, si ab alio rem illam sperat?

V. VI. VII.

Et certè licet aliud nihil esset quàm quotidiana, quam quisque se supra se suosque sperandi actus reflectens habere potest, experientia, non dubitarem sperandi actum siue in genere, siue in specie acceptum, vt est hic aut ille, huius aut illius spei, siue Theologicæ, siue alterius, actus, tam niti potentia Dei, vel alicuius creaturæ, vt principio effectiuo boni quod speratur, tanquam formali obiecto seu motiuo in quod hic actus vltimò resolui potest, quàm assensus fidei diuinæ nititur testimonio primæ veritatis tanquam formali obiecto seu motiuo. Quis enim ægrotus, quis scientiæ aut alicuius magistratus cupidus, quis mari se committens, & ita de cæteris, non experitur sperare se sanitatem, scientiam, magistratum, prosperam nauigationem, fretum & nixum non bonitate rei speratæ, sed vel peritissimi medici opera & scientia, vel medicamentorum efficacitate, vel ingenio suo & diligentia, vel amicorum authoritate, vel syderum temporisque benignitate, aut sua in rebus nauticis peritia, vel etiam diuinæ potestatis & bonitatis adiutorio, aut simili alio principio effectiuo rei quam nobis aut aliis desideramus?

VIII.

Probo deinde eandem Minorem ex eo quòd bonitas rei speratæ secundum se est indifferens, siue vt eam speremus, siue vt de ea obtinenda desperemus, cùm vnam eandemque rem duobus ad assequendum propositam, & vtrique bonam ac conuenientem, vnus aliquando speret, alter de ea desperet: quo modo se non habet eadem bonitas respectu actus amoris, aut desiderij, aut gaudij, cùm indifferens nõ sit vt quis eam amet, aut oderit: desideret, aut fugiat: de ea gaudeat, aut tristetur. Quo fit vt cùm possit esse obiectum formale actuum istorum, nempe amoris, desiderij gaudij, non possit tamen esse formale obiectum, seu motiuum actus spei. Quod enim, cùm vnum idemque sit, est indifferens instar obiecti formalis ad actus specie

diuersos & repugnantes, non potest esse motiuum huius aut illius actus: aut enim vtriusque esse potest, aut neutrius, cùm non sit potior vnius quàm alterius ratio, vtriusque autem esse non potest, alioqui cùm sit vnum & idem, vt dixi, eandem vtrique speciem tribueret, nec proinde essent actus specie diuersi & repugnantes, contra hypothesim. I.

Probo postremò eandem Minorem ex actu desperationis opposito sperãdi actui: qui enim desperat, ad dẽsperandum non modò non mouetur à bonitate rei de qua desperat, sed neque ab aliqua ratione mali quæ vel in illa re sit, vel quam in ea apprehendat: (non est enim necesse illum vllam in ea apprehendere) sed ab infirmitate virium suarum quam considerat, aut à defectu alieni auxilij, alteriúsve rei similis bonitati illi de qua consequenda desperat prorsus extrinsecæ. Quòd si ita est, sanè etiam motiuum actus sperandi non erit ipsa intrinseca rei speratæ bonitas, sed vel propria sperantis vis & industria, vel alienæ potestatis auxilium, vel quid simile bono illi quod speratur prorsus extrinsecum. II.

Ex quo argumento non solùm concluditur, formale obiectum actus spei non esse bonitatẽ rei quæ speratur intrinsecam, sed etiam esse vel ipsam sperantis vim & industriam, vel alienam potestatem, vel quid aliud huiusmodi rei speratæ extrinsecum, eiúsque effectiuum naturæ suæ principium, quandoquidem vna ex parte hoc eodem argumento non solùm cõcluditur, id in quod actus spei resoluitur, tãquam in formale motiuum cui innititur, nõ esse prædictam rei speratæ bonitatem, sed etiam esse principiũ istud quod iam dixi: ex altera verò certum est, quod in Maiore huius quarti argumenti posui, nempe illud esse formale obiectum actus spei, in quod hic actus tanquam in formale motiuum cui innititur, resoluitur.

III.

SECTIO III.

Duo obseruanda continens.

SVPEREST vt hîc duo obseruemus. Primum est, cùm, vt ex variis D. Thomæ testimoniis in primo argumẽto relatis patet, S. Doctor formale spei obiectum sæpe dicat esse Dei auxiliũ, non esse propterea existimandum, eum velle ipsum præcisè auxilium creatum & extra Deum existens, quo Deus nos adiuuat ad beatitudinẽ, aut aliud bonum speratum consequendum, esse formale spei obiectũ, non verò ipsam quoque intrinsecam Deo potentiam & bonitatem, quam nos initio disputationis huius secundam sententiam cui subscripsimus referentes diximus esse id cui spes innititur, tanquam formali obiecto seu motiuo. Vult enim haud dubiè creatum ipsum Dei auxiliũ ita esse formale spei obiectum & motiuum, vt simul ad idem obiectum motiuumq. pertineat increata Dei omnipotentia & bonitas: in primis quia ex septem testimoniis ex ipso relatis primo illo in argumento, primo & secundo testimonio expresè dicit spem attingere Deum, & quidem vt obiectum formale, vt ibidem probauimus, quẽ sanè non attingeret, si tantùm attingeret auxilium Dei, seu quòd idem est, si tantùm inniteretur creato Dei auxilio, quod ad ipsum dicit ordinem, vt effectus ad causam suam effectricem: sicut fides non attingeret Deum, si tantùm attingeret Dei reuelationem, seu quod idem est, si solùm inniteretur externæ Dei reuelationi, non verò ipsi increatæ primæ veritati.

IV.

Secundò, quia tertio testimonio citato audiuimus ipsum expresè dicentem auxilium Dei esse primam causam inducentem ad beatitudinem: cuius primæ causæ nomine non intelligit solum creatum & externum Dei auxilium, cum paulò pòst dicat, nõ esse licitum de homine, vel creatura vlla sperare, tanquam de prima causa inducente seu mouente ad beatitudinem: quibus verbis apertum est ipsum nolle tribuere rationem primæ causæ mouentis ad sperandam beatitudinem vlli rei creatæ, nec proinde auxilio Dei vt spectato præcisè & seorsim à Deo, cùm sic spectatum aliqua creatura sit. Nomine ergo primæ huius causæ Deum intelligit, qui per omnipotentiam suam & misericordiam, pérque gratiæ suæ auxilium, vt per aliquod instrumentum, est vnum totale principium effectiuum beatitudinis, alteriúsve rei similis quam speramus. V. VI.

Tertiò, quia sexto testimonio disertis verbis ait spem inniti omnipotentiæ & misericordiæ diuinæ: denique quia artic. 6. quæstionis huius 17. dicit expresè virtutem aliquam esse Theologicam ex hoc quod habet Deum pro obiecto cui inhæret, seu quod idem est, cui tanquã formali obiecto innititur, charitatémque inhærere Deo propter ipsum Deum, fidem autem & spẽ inhærere Deo tanquam alicui principio ex quo aliquid in nos prouenit: & quidem spem ipsi inhærere tanquam principio nostræ perfectæ beatitudinis. Adde quòd spes non esset virtus Theologica, nisi innitens creato Dei auxilio, si mul quoq. inniteretur ipsi Deo, seu increato alicui ipsius attributo; tãquam vni totali principio effectiuo boni quod ab illo speramus: sicut fides Theologica virtus nõ esset, nisi innixa externæ Dei reuelationi, simul quoque increatæ eiusdem veritati inniteretur: cùm de ratione Theologicæ virtutis sit vt immediatè Deũ tanquã formale obiectũ attingat, nec sic attingat sufficiẽter, ex eo quòd attingit aliquem eius effectũ habentem ad ipsum essentialem ordinem, alioquin actus quo quis nixus sua propria & naturali virtute ac industria speraret aliquod bonum, dici posset actus virtutis Theologicæ Deũ habens pro immediato obiecto quod attingeret, cùm hæc virtus & industria sit effectus aliquis Dei dicẽs ad eum essentialem ordinem. VII.

Secundum est, ex bonis quæ à Deo speramus, quædam esse, quorum diuina potentia & bonitas non est principium effectiuum per se solam immediatè, sed mediante re aliqua creata tanquam instrumento vim aliquam effectiuam habente, vt est æterna beatitudo, quam non nisi per auxilium gratiæ suæ tanquam per instrumentum suum Deus in nobis efficit: quædam verò alia esse, quæ ipse immediatè per se suámque solam potentiam & bonitatem absque simili instrumẽto superaddito in nobis efficit, vt ipsum gratiæ auxilium: vt item repente & miraculose collata sanitas, quam æger aliquis à diuina potestate & bonitate sperare potuit. VIII.

Ex quo

Ex quo discrimine fit, vt spes bonorum posterioris istius generis soli illi potentiæ & bonitati tanquam formali obiecto seu motiuo innitatur, cùm sola hæc potentia & bonitas sit eorum principium effectiuum: spes verò bonorum prioris illius generis non huic soli potentiæ & bonitati, sed etiam diuinæ gratiæ auxilio I. tanquam formali obiecto innitatur, cùm non hæc sola potentia & bonitas, sed istud quoque auxilium sit effectiuum principium bonorum istorum: proprium verò motiuum cui spes innititur sit id omne à quo tanquam principio effectiuo prouenire potest in nos rei quam speramus consequutio, vt ex dictis hac disputatione satis notum est.

Et quoniam S. Thomas de spe Theologica loquens, ordinariè loquitur de ea, non secundùm totam quam habet amplitudinem, seu prout ad omnia & singula circa quæ versari potest obiecta materialia se extendit, sed solùm prout extendit se ad primarium obiectum suum materiale, quod est æterna beatitudo, quam à diuina potentia & bonitate secundùm ordinatam Dei legem non nisi mediante diuinæ gratiæ adiutorio consequi possumus: ideo formale spei Theologicæ obiectum assignans, ordinarie dicit esse auxilium diuinæ potestatis ac bonitatis. Nos autem hîc spem Theologicam virtutem amplissimè considerantes, id est, secundùm omnia & singula bona quæ tanquam obiecta materialia per ipsam sperari possunt, recte formale motiuum cui innititur assignauimus initio disputationis huius diuinam potestatem & bonitatem, vt principium effectiuum bonorum quæ speramus: siue enim sperata bona sint prioris, siue posterioris generis paulò antè relati, semper tamen vt diuina potentia & bonitas eorum principium effectiuum est, ita semper est id cui spes Theologica virtus tanquam formali motiuo innititur: licet nunc ei soli innitatur, vt cùm sola principium effectiuum est boni quod speramus: nunc non ei soli, sed cuidam simul enti creato, tanquam eius instrumento, vt cùm non ipsa sola immediate per se, sed hoc instrumento mediante principium effectiuum est boni quod speramus. III.

DISPVTATIO XXXI.

Quodnam sit obiectum materiale spei?

SECTIO PRIMA.

De hoc obiecto prima assertio ponitur, & probatur.

IV. PRIMA assertio. Nihil ad hoc obiectum pertinere potest, nisi quod est bonum, futurum, arduum, & possibile obtineri. Ita Theologi communiter. Probatur autem ex eo quod nihil ad obiectum materiale spei pertinere potest, nisi quod speratur, aut potest sperari, sicut ad obiectum materiale fidei nihil pertinere potest, nisi quod creditur, aut potest credi: sperari autem nihil potest præter id quod has quatuor conditiones habet, vt sit bonum, futurum, arduum, & possibile obtineri.

Et primæ quidem conditionis necessitas hinc patet, quòd actus spei est actus prosequutionis, omnis autem & quilibet prosequutionis actus tendit in bonum. Secundæ verò constat ex eo quòd spes non est de bono iam obtento, sed obtinendo, quod & obtinendum futuri nomen significat, & non puram præsentis negationem: vnde cessante opinione seu iudicio quo existimat sperantis intellectus illud esse reipsa aliquando obtinendum, seu fore vt aliquando illud obtineatur, cessat statim omnis actus spei. Tertiæ autem ex eo constat, quòd nemo sperat id quod sic habet in sua potestate, vt sine difficultate habere possit cùm voluerit: quod enim tale est, tanquam iam præsens & obtentum reputatur potius quam vt futurum expectatur. Quartæ denique hinc certa est, quòd nisi bonum futurum arduum sit possibile vel secundum rem, vel secundùm existimationem, non oritur circa ipsum in voluntate motus spei, sed contrarius desperationis. A V. B VI.

Vbi aduerte primò, quòd sicut ad obiectum materiale spei non requiritur vt reipsa possibile sit, sed sufficit vt esse possibile iudicetur: ita nec requiritur vt reipsa sit bonum, vel futurum, vel arduum, sed satis est, vt tale iudicetur. Aduerte secundò, quòd quando reipsa tale est, præterea requiritur vt esse tale ab intellectu iudicetur: vnde cessante iudicio quo de re à parte rei bona, futura, ardua, possibili obtineri, iudicet intellectus eam talem esse, cessat omnis circa eam spei actus, vt constat experientiâ, multóque minus vllus circa eandem spei actus exerceri poterit, si contrarium existat in intellectu iudicium, quo nimirum iudicet eam aut bonam non esse, aut aliquam aliam ex tribus aliis conditionibus ipsi deesse. C VII.

Quam assertionis nostræ veritatem, eiúsque probationem confirmare volo duobus Diui Thomæ testimoniis: quorum prius petitur ex prima secundæ quæstionis 40. artic. 1. cuius in Corpore sic de actu spei etiam illo qui in brutis animalibus reperitur, loquitur: *Circa obiectum spei quatuor conditiones attenduntur. Primo quidem quod sit bonum: non enim proprie loquendo est spes nisi de bono, & per hoc differt spes à timore qui est de malo. Secundò vt sit futurum: non enim spes est de præsenti iam habito: & per hoc differt spes à gaudio, quod est de bono præsenti. Tertiò requiritur vt sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile: non enim dicitur aliquis sperare minimum quod statim est in sua potestate vt habeat: & per hoc differt à desiderio & cupiditate quæ est de bono futuro absolutè: vnde pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. Quartò quòd illud arduum sit possibile obtineri: non enim sperat quis quod omnino adipisci non potest, & in hoc differt spes à desperatione.* D VIII.

Posterius verò desumitur ex suprà citata

quæstione vnica de spe articulo 1. cuius item in Corpore sic habet: *Manifestum est quòd sperare importat motum quendam appetitiuæ virtutis tendentem in bonum, non quidem iam habitum, vt gaudium & delectatio, sed tanquam assequendum, sicut etiam desiderium & cupiditas.* I. *Differt tamen spes à desiderio in duobus. Primò, quia desiderium est communiter cuiuscunque boni,* A *& ideo attribuitur concupiscibili: spes autem est boni ardui quod difficile est assequi, & ideo attribuitur irascibili. Secundò, quod desiderium est alicuius boni absolutè absque consideratione possibilitatis, & impossibilitatis illius, sed spes tendit in bonum sicut in id quod est possibile obtineri: importat enim in sui ratione quandam securitatem adipiscendi. Sic ergo in obiecto spei quatuor considerantur, primò quidem quod sit bonum, per quod differt à timore: secundò, quod sit boni futuri, per quod differt à gaudio: tertiò, quod sit boni ardui, per quod differt à desiderio: quartò, quod sit boni possibilis, per quod differt à desperatione.* Quibus in verbis S. Doctoris licet videre in primis ipsum per bonum futurum intelligere bonum obtinendum: deinde per arduum intelligere difficile ad obtinendum, & II. B per arduitatem, obtinendi difficultatem.

SECTIO II.

De eodem obiecto secunda Assertio ponitur, & probatur.

SECVNDA Assertio. Ad obiectum materiale spei pertinet ex natura rei illud omne quod est bonum, futurum, arduum, & possibile per Deum obtineri. Probatur primò. Ad obiectum materiale spei in genere pertinet ex natura rei quidquid est bonum, futurum, arduum, possibile obtineri, ergo ad obiectum materiale spei Theologicæ pertinebit ex natura rei III. C quidquid est bonum, futurum, arduum, possibile per Deum obtineri. Antecedens ex eo patet, quòd aut nulla res particularis ad obiectum materiale spei in genere pertinet, aut si aliqua pertinet, illa alia non est quàm bona, futura, ardua, possibilis, nec aliam ob causam pertinet, quàm quia quatuor has conditiones habet: quælibet ergo alia res particularis, sicut & illa participans easdem quatuor conditiones, ad obiectum materiale spei in genere sicut & illa pertinebit, & ob hanc ipsam causam pertinebit, quod participet. Ex quo probatur & consequentiæ bonitas, & consequentis veritas: aut enim nulla res particularis ad materiale obiectum spei Theologicæ pertinet, aut si aliqua pertinet, alia non est quàm bona, futura, ardua, possibilis per IV. Deum obtineri, ideóque pertinet, quia talis D est: vnde quidquid aliud particulare participabit similiter easdem quatuor conditiones, similiter quoque ad eius obiectum materiale pertinebit, ideóque pertinebit, quia participat.

Confirmatur primò, sicut id quod creditur aut credi potest, obiectum materiale fidei est, ita id quod speratur aut sperari potest, obiectum materiale spei est: sicut autem sperari in genere potest quidquid bonum, futurum, arduum, & possibile est, cùm nihil amplius ad obiectum materiale spei in genere pertineat, ideóque quidquid has omnes conditiones habet sub obiecto materiali spei in genere contineatur: ita sperari per fidem Theologicam potest quidquid est bonum, futurum, arduum, & possibile per Deum obtineri, cùm ad obiectum materiale spei Theologicæ nihil amplius requiratur, ideoque vel æterna beatitudo, vel aliqua alia talis res, de qua certum est eam esse spei Theologicæ materiale obiectum, sub eius obiecto materiali comprehendatur, quod illas quatuor conditiones habeat. V.

Confirmatur secundò à simili ex spe humana, sub cuius obiecto materiali continetur quidquid est bonum, futurum, arduum, & possibile per hominem obtineri. Tertiò similitudine fidei diuinæ, ad cuius obiectum materiale spectat quidquid credi potest credulitate innixa primæ veritati reuelanti: ex quo concludo similiter ad obiectum materiale spei Theologicæ pertinere quidquid sperari potest spe innixa omnipotentiæ & pietati diuinæ, vt principio effectiuo boni quod speramus: sicut enim veritas prima reuelans est formale obiectum fidei diuinæ, ita diuinæ seu Theologicæ spei obiectum formale est diuina potentia & pietas, tanquam principium effectiuum bonorum quæ speramus, vt superiori disputatione probatum est: sicut autem credere possumus nixi prima veritate reuelante quidquid à Deo reuelatum est, ita & sperare nixi diuina potentia & pietate, vt prædicto principio, quidquid est bonum, futurum, arduum, & possibile per Deum obtineri: cùm aut nullum eiusmodi in particulari bonum sperare possimus nixi potentia illa & pietate, aut quilibet aliud simile pariter possimus, quia nulla potior est vnius quàm alterius ratio. VI. VII.

Ex quo petitur ratio à priori veritatis nostræ assertionis, hæc nimirùm, quòd illud omne comprehendatur ex natura rei materiali obiecto alicuius habitus, aut actus, in quod ex natura rei cadere, seu cui applicari potest formalis ratio illius actus, aut habitus, vt inductione constat, & nominatim exemplo fidei diuinæ, ad cuius obiectum materiale pertinere ex natura rei quælibet veritas ideo potest, quòd ex natura rei sicut quælibet reuelari potest à Deo, ita potest in quamlibet cadere reuelatio Dei primæ veritatis, quæ formale fidei obiectum est: atqui in quodlibet bonum, futurum, arduum, possibile per Deum obtineri cadere formalis ratio spei Theologicæ potest, cùm non magis in vnum, vt in æternam beatitudinem, cadere quàm in quoduis aliud possit, quod eandem cum ipsa habeat rationem boni, futuri, ardui, possibilis per Deum obtineri. VIII.

Probatur secundò, si materiale spei Theologicæ obiectum non tam late patet quàm assertione nostra dictum est, maxime vel quia cùm virtus Theologica sit, nihil habere pro materiali obiecto potest præter Deum, vel quia cùm sit in entitate supernaturalis, nihil aliud ad eius obiectum materiale pertinet, quàm æ-

terna beatitudo, quæ supernaturalis est, idque præterea quod in ordine ad illam appetitur: atqui neutra ratio valet, non quidem prima, vt sit enim Theologica virtus, satis est quòd Deum pro formali obiecto habeat, eundémque pro materiali partiali & primario, vt exemplis fidei & charitatis manifestum est, quarum illa pro materiali obiecto habet quamlibet rem creatam quæ à Deo reuelari potest: hæc verò, quodlibet bonum creatum quod Deo velle possumus propter ipsum Deum.

I. A

Neque secunda, tum quia vt sit supernaturalis, sufficit vt circa Deum prout in se est tanquam circa obiectum à quo speciem sumat, versetur, vt ex dictis in materia de fide disput. 11. clarum est, quod adhuc habebit, etsi circa multa alia materialia obiecta versetur præter beatitudinem, & id quod in ordine ad illam appetitur: tum quia si nullum aliud materiale obiectum haberet quam beatitudinem hanc, idque præterea quod in ordine ad illam appetitur, sequeretur eum cui sua reprobatio reuelata esset à Deo, nihil ampliùs ab ipso sperare posse: æternam enim beatitudinem ampliùs sperare non posset, vt probabo postea, neque proinde quidquam amplius in ordine ad illam appetere: supposita enim impossibili voluntate rei alicuius, impossibilis est omnis rei alterius in ordine ad illam appetitio.

II. B

Deinde quemadmodum per virtutem religionis, & actum orationis postulare possumus à Deo non modò beatitudinem, & ea quæ ad illam referimus, vt constat exemplo prædicti hominis qui de sua reprobatione diuinam reuelationem accepisset, qui sanè Deum orare adhuc posset, & orando multa petere, licet nec beatitudinem, nec quidquam in ordine ad illam consequendam peteret: immo quemadmodum per eandem religionis virtutem, prædictúmque actum orationis postulare possumus quidquid habere rationem boni futuri ardui & possibilis per Deum apprehendimus: ita per virtutem verumque actum spei illud omne à Deo expectare possumus, cùm præsertim possimus, aut etiam debeamus sperare à Deo quidquid orando postulamus.

III. C

Præterea quis Susannam ad mortem iniustè damnatam neget exercuisse actum spei Theologicæ, cùm se aut periculo mortis imminentis liberandam, aut suam innocentiam manifestam futuram Dei misericordia sperauit? de qua dicitur apud Danielem c. 13. *Erat cor eius fiduciam habens in Domino.* Quis item dubitare iure possit, quin Iudith actum eiusdem spei Theologicæ exercuerit, cùm se caput Holofernis amputaturam, suosque ciues liberaturam ope diuina sperauit? cuius hanc spem multa capite præsertim duodecimo & decimotertio libri Iudith loca clarè testantur. An fortè quis dicet illas dum hoc bonum merè naturale in entitate, & purè naturalis ordinis à Deo sperabant, illud non consideasse, nec appetiisse, nec speasse, nisi in ordine ad supernaturalem beatitudinem? quasi verò necesse fuerit ad illud bonum à Deo sperandum innitendo diuinæ potestatis & pietatis auxilio, illas hanc habere beatitudinis considerationem, nec potuerint, si nihil actu de ea cogitabant, & proinde si bonum illud naturale quod sperabant ad eam actu non referebant, ipsum perinde sperare à Deo, soli eius potestati & misericordiæ innitentes.

IV. D

Denique dubitare non possum quin ægrotus sanitatem, alius aliud eiusmodi bonum naturale possit à Deo sperare, fretus & nixus Dei potentia & pietate, tanquam formali motiuo, nihil actu cogitans de æterna beatitudine, nec proinde illud in ordine ad hanc beatitudinem actu appetens seu sperans: qui actus si negatur esse actus spei Theologicæ, quarta virtus Theologica admittenda est, cùm hic actus non possit non esse alicuius Theologicæ virtutis proprius, vtpote qui immediatè fertur in Deum tanquam in obiectum formale seu motiuum, quod ad actum virtutis Theologicæ satis est. V.

SECTIO III.

De eodem obiecto tertia assertio ponitur, & probatur.

VI.

TERTIA Assertio. Non sola visio Dei, sed etiam ipse Deus est materiale spei obiectum, & quidem immediatum: quòd Dei visio sit obiectum materiale spei, nulla dubitatio est: quòd autem ipse quoque Deus, probo in primis ex Diuo Thoma quæst. 17. artic. 2. in Corpore, dicente bonum quod proprie speramus esse bonum infinitum, cuius infiniti boni nomine ne quis putet intelligi visionem Dei præcisè, quæ formalis nostra beatitudo est, non verò ipsum quoque Deum, qui est obiectiua, attendat ad hæc verba, quæ paucis interiectis habet: *Non enim aliquid minus ab ipso sperandum est quàm sit ipse.* Quòd si solùm eius visio speraretur ab eo, & non ipse simul Deus, minus aliquid haud dubiè speraretur ab eo quàm sit ipse, quia speraretur tantùm aliquid creatum, quod non potest non esse minus Deo. VII.

Probo secundò, quia illud est materiale spei obiectum quod speramus, aut sperare possumus, vt ex superiori constat assertione: possumus autem sperare Deum: id enim sperare possumus quod est proposítum nobis nostrorum laborum & meritorum præmium, Deus autem ipse huiusmodi præmium est, vt hæc ipsius verba ad Abrahamum Genes. 15. clarè significant: *Ego sum merces tua magna nimis.* Vnde D. Augustin. libro 22. de Ciuit. cap. 30. *Præmium*, inquit, *virtutis erit qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo nihil maius esse potest, promisit.* VIII.

Quòd denique sit obiectum materiale immediatum, probabo contra Durandum in 2. dist. 27. quæst. 3. & alibi docentem, beatitudinem formalem, quæ est Dei visio, esse immediatum spei materiale obiectum, beatitudinem autem obiectiuam, quæ est ipse Deus visus, non esse nisi mediatum, nec habere rationem obiecti materialis quod speratur, nisi mediante beatitudine formali, seu visione illa, quæ est immediatum materiale spei obiectum: proba-

bo, inquam, iuxta communem cæterorum ferme omnium Theologorum consensum, postquam tria præmisero.

Primum est, rem à nobis suppositò distinctâ, qualis est Deus, nostrum bonum, seu nobis bonam esse non posse secundùm se, nisi ratione I. alicuius rei per quam formaliter nobis vniatur, & à nobis aliquo modo possideatur: quis enim pecunias, aliasque res similes externas suppositò ab homine distinctas, bonas secundùm se esse homini dixerit, nisi ratione possessionis per quam ipsi formaliter coniungantur? quis colorem dixerit esse secundùm se bonum oculorum, nisi ratione visionis qua videtur, & qua color oculo coniungitur, & ab ipso veluti possidetur?

Secundum est, quando aliquid à nobis suppositò distinctum nobis bonũ est, ratione possessionis, aut similis vnionis qua formaliter nobis vnitur, hanc quoque possessionem, similémve vnionem nobis secundùm se bonam esse non posse, seu bonum nostrum, si seorsim à re per eam nobis vnita, & à nobis possessa consideretur, sed solùm vt cum ea coniunctim accipitur. II. Quis enim concipere potest bonam esse nobis pecuniæ possessionem sine pecunia? Vnde concluditur nec Deum secundùm se, suámve formaliter substantiam esse bonum nobis sine visione per quam nobis vnitur, & à nobis possidetur, nec visionem Dei sine Deo. Dixi semper hîc, secundùm se, vt significarem rem aliquam etiam à nobis suppositò distinctam posse dici nobis bonam vel malam effectiuè, ratione boni vel mali effectus quem in nobis producit, absque eo quòd ipsa nobis vniatur, aut à nobis possideatur: sed hoc non est ipsam rem esse formaliter secundùm se, suámve substantiam nobis bonam, aut malam.

III. Tertium est, ex doctrina sancti Thomæ prima secundæ quæst. 11. artic. 3. ad 3. quam Theologi comn uniter recipiunt, ex re possessa, & possessione eius non consurgere duplicem finem, nec proinde obiectum voluntatis duplex: rem quidem possessam dici finem qui, possessionem verò dici finem quo, non quasi per actum voluntatis appetatur tantùm vt quo, & non vt quod, sed quia est id quo finis qui, nempe res possessa, nobis vnitur, & à nobis possidetur. Cæterùm vtrumque finem esse id quod per actum voluntatis appetitur: nec constituere duplicem finem, sed vnicum tantùm, in quem tanquam in vnicum obiectum voluntas per amorem concupiscentiæ ita tendit, vt in finem qui tendere nequeat, quin simul & indiuisè tendat in finem quo, nec in hunc finem quo, quin IV. simul & indiuisè in finem qui: nec mirum, cùm obiectum amoris concupiscentiæ sit bonum nostrum vt bonum nostrum est, finis autem qui, seu res possessa bonum nostrum esse nequeat sine possessione, & proinde sine fine quo, nec vice versa possessio rei, siue finis quo, sine re possessa, ac proinde sine fine qui, nostrum bonum esse possit.

Quibus præmissis facilis est nostræ assertionis contra Durandum probatio hoc modo. Inter actum spei & Deum, beatitudinem nostram obiectiuam, nullum est obiectum materiale spei intermedium: ergo dicendum non est Deum, seu beatitudinem nostram obiectiuam, esse tantummodo mediatum materiale spei obiectum. Consequentia hæc euidens est: si enim mediatum tantùm esset, ideo esset, A quia daretur inter actum spei, & ipsum, aliquid intermedium, quod esset immediatius obiectum spei materiale, seu id quod speraretur, & quo solùm mediante ipse Deus, seu obiectiua beatitudo speraretur. Probatur antecedens ex eo quòd si quid daretur inter medium, maximè visio Dei seu beatitudo formalis: at hanc non esse quid intermedium quod immediatiùs speretur, & quo solùm mediante Deus seu obiectiua beatitudo remotiùs speretur, ex iis quæ præmisimus patet. V.

Cùm enim illa beatitudo formalis sit finis quo, & possessio Dei, Deus autem seu beatitudo obiectiua sit finis qui, & res possessa, ex possessione autem rei, & ex re possessa, non exurgat nisi finis vnicus, vnicumque proinde B obiectum, quod vno eodemque actu simul & indiuisim per modum vnius concupiscatur, aut VI. speretur, nec finis qui sine fine quo, nec vice versa finis iste sine illo bonum nostrum esse possit: fit vt finis vnus sine altero mouere & allicere voluntatem nostram ad sui concupiscentiam & spem non possit, nec proinde possit: vnum sine altero concupisci, & sperari, & quod est consequens, non possit vnum priùs & immediatiùs altero: quod enim priùs & immediatiùs altero concupisceretur, aut speraretur, in illo priori quo concupisceretur aut speraretur immediatiùs, sine altero concupisceretur aut speraretur: cùm tamen sicut in nullo priori vel naturæ, vel rationis, habet rationem nostri boni sine altero, ita nec in vllo priori possit sine altero concupisci, aut sperari. VII.

C

DISPVTATIO XXXII.

Proponuntur & soluuntur argumenta contra doctrinam de formali spei obiecto superiùs traditam.

SECTIO PRIMA.

Primi & secundi solutionem continens.

D

VIII. DIstvli in hunc locum argumenta hæc, eorúmque solutionem, quoniam ex obiecti spei non modò formalis, sed etiam materialis explicatione, futura erat hæc solutio legenti clarior, & certior. Primum argumentum est, sanctum Thomam quæstione 17. articul. 3. in Corpore docere spem respicere beatitudinem sicut finem vltimum: item bonum quod speratur habere rationem causæ finalis, apud ipsum autem finem, motiuum, & obie-

ctum formale idem esse: ex quo concluditur, eum velle, bonum quod speratur esse formale obiectum, seu motiuum actus spei. Respondeo sæpe quidem à S. Doctore finem, obiectum formale, & motiuum pro eodem vsurpari: loco tamen in hac obiectione citato finis nomine non intelligit motiuum, seu formale obiectum actus spei, cùm tam multis eius testimoniis in argumento primo disputat. 30. relatis contrarium euicerimus. Et reuera bonum quod speratur, non appellat causam finalem, nisi quia est id cuius consequendi gratia quædam alia tanquam media à nobis appetuntur: nec æternam beatitudinem finem vltimum nominat, nisi quia est id cuius gratia cætera omnia appeti possunt, & debent: quam finis vltimi rationem æterna beatitudo, quam item finis rationem bonum quod speratur adhuc habebit, licet dum speratur, motiuum actus sperandi non sit ipsa intrinseca rei bonitas, sed auxilium diuinæ potestatis, aut aliquid simile extrinsecum.

I.

Secundum. Quælibet particularis virtus moralis circa propriam suam materiam, seu materiale obiectum potest exercere, sicut actum amoris, desiderij, gaudij, & similes, ita etiam spei: ergo motiuum seu formale obiectum actus spei non potest esse aliud quàm intrinseca rei speratæ bonitas. Probatur antecedens: nulla enim ratio est, cur actum spei circa eam exercere non possit, si illos alios actus potest: quòd autem illos possit, inductione certum est. Consequentiæ bonitas ex eo probatur, quòd si particulares virtutes circa propriam suam materiam actum spei exercentes aliud motiuum haberent, quàm intrinsecam & propriam sui materialis obiecti bonitatem, vt auxilium diuinæ potestatis, aut quid simile prorsus extrinsecum, non modò quælibet earum extra proprium suum formale obiectum vagaretur, sed etiam accideret vt darentur aliqui actus diuersarum specie virtutum, qui essent eiusdem infimæ speciei, quia licet elicerentur circa materialia differentia specie obiecta, ex eodem tamen formali motiuo elici possent, vt ex motiuo potentiæ & misericordiæ Dei, à qua illa omnia sperarentur, actus autem eiusdem speciei sunt, quando vnum & idem habent formale obiectum seu motiuum à quo specificantur. Imo eueniret vlteriùs, vt quælibet particularis virtus etiam in entitate meré naturalis elicere posset actum aliquem Theologicæ virtutis, & proinde in entitate supernaturalem, cùm quilibet Theologicæ virtutis actus sit in entitate supernaturalis, vt constat ex supra dictis: quælibet enim posset circa propriam materiam suam elicere actum spei innixum potentiæ & misericordiæ Dei tanquam obiecto formali huius ipsius actus, qui quidem actus non potest non esse actus virtutis Theologicæ, cùm sit actus virtutis attingentis Deum tanquam formale obiectum, quod ad virtutem Theologicam sufficit.

II.

III.

IV.

Respondeo negando antecedens, qua parte dicit quamlibet particulare virtutem circa proprium suum obiectum materiale posse exercere actum spei. Ad probationem antecedétis nego nullam esse rationem, cur non possit actum spei, si potest amoris, desiderij, gaudij. Ratio autem, ob quam etsi possit hos actus, illum tamen non potest, est, quòd formale motiuum seu obiectum horum actuum aliud non est quàm intrinseca bonitas materiæ circa quam versatur, cuilibet autem particulari virtuti à spe diuersæ ferri posse in intrinsecam suæ materiæ bonitatem tanquam in obiectum formale, essentiale est: at obiectum formale seu motiuum actus sperandi non potest esse intrinseca rei speratæ bonitas, sed vel ipsa sperantis vis & industria, vel auxilium diuinæ potestatis & pietatis, vel quid simile bonitati illi prorsus extrinsecum, vt disp. 30. probatum est.

A

V.

Quo fit, vt nulla particularis virtus moralis à virtute spei distincta possit vllum actum spei circa proprium suum obiectum materiale exercere, alioquin, vt in probatione consequentiæ rectè dicebatur, posset in primis quælibet eiusmodi virtus fines obiecti sui formalis egredi, cùm non habeat pro obiecto suo formali

VI.

B vel totali, vel partiali, ipsam sperantis vim & industriam, aut auxilium alienæ potestatis, in quæ tamen vt in obiecta formalia ferri deberet, si sperandi actum exercere posset, quandoquidem actus hic formali isto motiuo seu obiecto nititur, vt probauimus.

Posset deinde quælibet actum Theologicæ virtutis exercere, quia posset quælibet propriam obiecti sui materialis bonitatem à Deo sperare innitendo diuinæ potestati & pietati, qui actus, cùm sit actus virtutis attingentis immediatè Deum vt obiectum formale, non potest non esse Theologicæ virtutis. Possent denique aliqui virtutum specie diuersarum actus esse eiusdem infimæ speciei, quia possent singulæ illæ particulares virtutes circa proprium suum materiale obiectum elicere actus sperandi

VII.

C ex vno eodémque formali motiuo, vt ex diuina potestate & pietate, tanquàm principio effectiuo boni quod speratur: quæ omnia absurda esse certum est.

Et sanè si charitas erga Deum vel proximum, si misericordia, si iustitia, si quælibet eiusmodi specialis virtus posset circa suum proprium materiale obiectum exercere actus amoris, desiderij, gaudij, ipsum quoque actum spei, & proinde propter intrinsecam boni amati, desiderati, & sperati bonitatem, tanquam ob formale obiectum, seu motiuum, ne si ob aliud motiuum exercere illum spei actum diceretur, incurrerentur absurda quæ proximè antè recensuimus, posset haud dubiè virtus spei quæ est inter Theologicas secunda, circa proprium suum obiectum materiale exercere quoque actus amoris, desiderij, gaudij, & similes, ipsum quoque

VIII.

D sperandi actum, & proinde propter intrinsecam ipsius boni per hanc Theologicam virtutem amati, desiderati, & sperati bonitatem: quod consequens tantum abest vt negent aduersarij, vt potiùs ex antecedente illo quod verissimum putant rectè deduci existiment, hincque concludant spei Theologicæ formale obiectum non esse auxilium diuinæ potestatis & pietatis, sed Deum summum nostrum bonum, vt nostrum bonum est. At si ita est, vt & illæ

virtutes circa proprium ſuum materiale obiectum, & hæc ſpei virtus circa proprium ſuum prædictos actus ex prædicto motiuo formali poſſint exercere, nulla eſt ratio, ob quam ſecunda Theologica virtus, appelletur ſpes, potiùs quàm tertia, nempe charitas, aut quam quælibet alia virtus particularis, quandoquidem quęlibet circa propriam materiam ſuam actum ſpei exercere poterit propter intrinſecam ſuæ propriæ materiæ bonitatem, tanquam ob formale obiectum: nec quicquam dici poterit de ſecunda virtute Theologica in ordine ad proprium quem elicit ſpei actum, quod non ſimiliter inuenietur in tertia, nempe in charitate, & in qualibet altera particulari virtute, in ordine ad proprium quem elicere poterit ſpei actum.

I.

Quare vt afferri poſſit legitima ratio, ob quá ſecunda virtus Theologica appelletur ſpei nomine potiùs, quàm tertia, dicendum neceſſariò eſt, tertiam circa proprium ſuum materiale obiectum nullum ſpei actum exercere poſſe, ſecundam autem poſſe, & per conſequens obiectum formale actus ſpei non poſſe eſſe intrinſecam ipſius obiecti materialis bonitatem: nam ſi eſſe poſſet, haud dubiè poſſet charitas circa proprium ſuum materiale obiectum ſicut actum amoris, deſiderij, gaudij exercere, propter intrinſecam ſui materialis obiecti bonitatem, ita & actum ſpei.

II.

Quo argumento, diſtincto ab illis quatuor quibus diſput. 30. contra primam ſententiam pro ſecũda vſi ſumus, patet rurſus primæ illius ſententiæ falſitas, & per conſequens huius ſecundæ veritas, cùm non dubitent Authores illius primæ ſententiæ de ſecundæ huius veritate, ſi prima illa falſa eſt. Quòd ſi charitas Theologica non poteſt circa proprium ſuum materiale obiectum vllum ſpei actum exercere, nec poterit circa ſuum proprium vlla alia particularis virtus à virtute ſpei diuerſa, cùm nulla potior eſſe poſſit harum quàm illius ratio.

III.

SECTIO II

Tertij & quarti argumenti ſolutionem continens.

TERTIVM eſt, auxilium diuinæ poteſtatis eſſe poſſe materiale obiectum ſpei Theologicæ, ergo formale eſſe non poſſe: materiale autem poſſe eſſe, quia id omne quod ſperare poſſumus materiale ſpei obiectum eſſe poteſt, ſperare autem poſſumus auxilium diuinæ poteſtatis. Reſpondeo conceſſo antecedente, & eius probatione, negando conſequentiam, quæ mala eſt, vt patet exemplo diuinæ reuelationis, quam ſuprà docuimus credi poſſe fide diuina, ac proinde eſſe materiale eius obiectum, quod non impedit quin ſit formale reſpectu actus quo res reuelata creditur.

IV.

Vbi tamen obſeruandum eſt, intercedere aliquod inter hanc reuelationem quæ ad obiectũ formale fidei, & inter prædictum auxiliũ quod ad ſpei pertinet, diſcrimẽ, in eo cõſiſtens, quòd, vt tractãtes de fide diſp. 5. docuimus, eadem numero reuelatio credi poteſt tanquam materiale obiectum propter ſeipſam, tãquam ob formale, vno eodemque numero fidei actu: at ſperare non poſſumus aliquod diuinum auxiliũ vt obiectum materiale, propter ipſummet auxilium tanquam ob formale obiectum, itavt eadẽ numero res habeat rationem obiecti materialis & formalis ſimul, reſpectu vnius eiuſdemque numero ſpei actus: vnde cùm illud de facto ſperamus, non ſperamus, vt certiſſima conſtat experientia, innixi illi auxilio ſperato tanquam motiuo, ſed poteſtati & miſericordiæ Dei tanquam effectiuo principio illius auxilij.

A

V.

Quare vt fiat perfecta comparatio inter reuelationem, quàm ad obiectum materiale & formale fidei ſpectare docuimus, & inter auxilium diuinum, quod ad obiectum materiale & formale ſpei pertinere dicimus, ſumenda eſt reuelatio myſterij, verbi cauſa, Incarnationis, reuelata per aliam numero reuelationem: illa enim facta de hoc myſterio reuelatio eſt obiectum formale actus quo creditur hoc myſterium: eadémque eſt obiectum materiale illius alterius actus quo creditur, non propter ſeipſam, ſed propter illam alteram numero reuelationem per quam expreſsè reuelata eſt: ſimili autem modo claram Dei viſionem, exempli cauſa, ſperamus innixi auxilio diuino, tanquam formali obiecto actus quo ſperamus viſionem hanc: at idem auxilium eſt materiale obiectum reſpectu illius alterius actus quo ipſum ſperamus, innixi tanquam formali motiuo non ipſi auxilio, ſed omnipotentiæ & miſericordiæ Dei tanquam principio ipſius effectiuo.

B

VI.

Inſtabis. Non modò ſperamus auxilium Dei, ſed etiam Deum auxiliatorem fore, quia complexum hoc, Deus auxiliaturus, eſt obiectum ſpei materiale, ergo idem complexum non poteſt eſſe formale ſpei obiectum. Sed ſimiliter reſpondeo conceſſo antecedente, & prima conſequentia, negando ſecundam, cùm, vt iam dixi, idem numero quod eſt obiectum formale reſpectu alicuius actus, quo res aliqua ab illo formali obiecto diuerſa creditur, aut ſperatur, poſſit eſſe materiale obiectum reſpectu alicuius alterius actus quo credetur, aut ſperabitur, vel propter ſeipſum, tanquam ob formale obiectum, vel non propter ſeipſum, ſed ob quiddam aliud. Vnde dico poſſe nos ſperare beatificam viſionem, verbi cauſa, innitendo Deo auxiliaturo, tanquam formali motiuo quo ſperatur hæc viſio: poſſe quoque ſperare Deum auxiliaturum tanquam materiale obiectum, non quidem innitendo iſti complexo, nempe Deo auxiliaturo, tanquam formali motiuo, ſed diuinæ poteſtati & miſericordiæ: ſperare enim iſtud complexum aliud nihil eſt quàm ſperare Deum daturum auxilium, hoc autem ſperare rectè poſſumus, innitentes poteſtati & miſericordiæ diuinæ, vt principio natura ſua effectiuo illius actionis qua ſuum in nobis auxilium efficiat, auxiliique, quod eſt iſtius actionis terminus.

C

VII.

D

VIII.

Ex quo concludes, poteſtatem & miſericordiam Dei, vt principium natura ſua effectiuum boni quod ſperamus, ita eſſe formale ſpei obiectum, vt ad eius obiectum materiale pertinere non poſſit: tum quia nihil aliud ad ipſum pertinere poteſt, niſi quod eſt bonũ, futurum,

arduum, possibile per Deum obtineri: tum quia nihil sperare per spem Theologicam possumus, nisi innitentes diuinæ potestati & misericordiæ, tanquam principio effectiuo rei quam speramus: quidquid autem eiusmodi est, effectus Dei futurus est, aut esse futurus potest: at diuina potentia & misericordia spectata præcisè vel secundùm se, vel vt est principium natura sua effectiuum, nec futura esse potest, cùm semper præsens sit, nec effectus Dei, cùm sit ipse Deus.

I. A

Quartum. Timor æternæ damnationis à diuina iustitia tanquam à causa eius efficiente non habet pro formali obiecto seu motiuo ipsam diuinam iustitiam, vt natura sua effectiuam illius, ergo nec spes æternæ beatitudinis à diuina potentia & misericordia tanquam à causa eius efficiente habebit pro formali obiecto ipsam Dei potentiam & misericordiam, vt principium natura sua effectiuum illius. Respondeo negando consequentiam: licet enim in eo sit paritas, quòd sicut diuina iustitia est causa vel in actu primo vel secundo efficiens damnationis, & cuiusuis alterius supplicij, sic omnipotentia & misericordia æternæ beatitudinis, & cuiusuis alterius boni: disparitas tamen inter spem & timorem in eo est, quòd timor supplicij respiciat quidem Deum seu diuinam iustitiam tanquam causam efficientem, quatenus obiectum suum materiale, nempe supplicium, respicit vt creatũ quendam effectum per Deum seu iustitiam diuinam efficiendum, at non respicit eundem Deum eandémve iustitiam tanquam formale obiectum: Timoris enim quo à diuina iustitia tanquam à causa efficiente supplicium timemus, motiuum est peccatum & demeritum nostrum: at spes qua speramus æternam beatitudinem non solùm respicit Deum, diuinamque potentiam & pietatem, vt causam eius efficientem, quatenus eam respicit vt effectum aliquem per eius potestatem & pietatem efficiendum, sed etiam tanquam formale obiectum cui innititur, vt probauimus.

II. B

III. C

Quòd autem aliud sit respicere Deum, aut quidpiam aliud tanquam causam efficientem, & tanquam formale obiectum, patet ex actu nostræ voluntatis qui dicitur intentio, qui est volitio finis consequendi per media, seu quod idem est per efficacitatem mediorum, ac proinde per ea tanquam per causam efficientem finis intenti: quo fit vt hic intentionis actus respiciat media tanquam efficientem causam, quæ tamen non respicit vt formale obiectum seu motiuum: ex communi enim Philosophorum consensu motiuum eius est intrinseca finis qui intenditur, vt sanitatis, bonitas: at spes eiusdem sanitatis obtinendæ per efficacitatem mediorum, vt sumptionis pharmaci, & similium, media quidem ista respicit vt causam efficientem, cùm sit spes eam consequendi per efficacitatem eorum, at non solùm respicit tanquam causam efficientem, sed etiam vt formale obiectum, innititur enim efficacitati eorum tanquam formali obiecto sperandæ sanitatis.

IV. D

Quòd si quis existimaret fieri posse, vt actus aliquis timoris Deum seu diuinam iustitiam respiceret, non solùm vt causam efficientem obiecti materialis, seu mali quod timetur, sed etiam vt formale motiuum, non secus atque spei Theologicæ actus, quo speratur bonum aliquod à Deo, Deum respicit non tantùm vt causam efficientem boni, sed etiam vt formale motiuum cui innititur, Dicendum ei ex consequenti esse, illum actum timoris fore actum Theologicæ virtutis, & proinde in entitate supernaturalẽ: nec propterea plures tribus Theologicas virtutes cogeretur nunc in nobis admittere, dicere enim posset, hunc timoris actum ad secundam virtutem Theologicam pertinere, sicut ad tertiam pertinet & amor boni diuini, & odium mali oppositi, virtutémque spei Theologicæ, etiam ex supra relata D. Thomæ doctrina quæst. 17. art. 6. pro formali obiecto habere Deum, tanquam principium ex quo prouenit in nos creatus aliquis effectus, qui est aut bonum aliquod, aut malum: & circa bonum quidem versari per actum spei, circa malum verò per timoris.

V.

SECTIO III

Quinti, sexti, & septimi argumenti solutionem continens.

VI.

ET hinc facilè soluitur quintum argumentum, nempe si spes non habeat pro formali obiecto intrinsecam rei speratæ bonitatem, fieri posse vt dæmon etiam nunc exerceat actus spei Theologicæ, cùm nunc procul dubio aliqua expetat, vt permissionem tentandi homines, supplicium impiorum, similiáque nonnunquam à Deo petat, & se obtenturum ab ipso expectet & speret. Expectat enim & sperat ab ipso tanquam à causa efficiente, non tamen sperans in ipso, seu innixus diuinæ eius potentiæ & pietati tanquam formali obiecto seu motiuo, quod ad actum spei virtutis Theologicæ necessarium est. Atque cùm actus spei quem exercet semper sit vel ex obiecto materiali sperato malus, vt cùm sperat hominum peccata, vel ex obiecto formali cui sperando innititur, vt cùm à Deo aliquid expectat innixus propriæ suæ excellentiæ, quasi quod à Deo petit sibi ob hanc excellentiam suam debeatur, vel ex præuio aliquo affectu malo actum spei veluti imperante, in quem tanquam in effectum redundat malitia prioris illius actus imperantis, vtpote causæ, tantum abest vt exerceat aliquando Theologicæ virtutis actum, vt ne vnquam quidem exerceat vllum actum spei qui sit actus alicuius virtutis.

VII.

Sextum est, spem quidem Theologicam inniti Deo tanquam formali obiecto, at non attributo diuinæ potestatis & pietatis, sed potiùs solius fidelitatis, tum quia nihil à Deo sperare possumus nisi bonũ nobis ab ipso promissum: tum quia spei Theologicæ actus certitudinem habet, ex D. Thoma quæst. 18. art. 4. & ex communiter recepta spei definitione, qua dicitur virtus, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitæ bona expectantur: certitudinem autem non habebit nisi nitatur fidelitate Dei, per quam non potest Deus non implere promissa. Respondeo negando spẽ Theologicam soli attributo diuinæ fidelitatis inniti. Ratio est, quòd multa sperare possimus inni-

VIII.

tentes Deo tanquam formali obiecto, quæ nobis ab ipso promissa non sunt: non enim promisit nobis nos habituros condigna gloriæ merita, finalem in gratia perseuerantiam, & similia, quæ tamen ab ipso expectamus, sperantes in ipso, seu ipsi tanquam formali motiuo nostri sperandi actus innitentes: vnde patet falsitas primæ probationis.

I. A

Ad secundam dico, spem Theologicam dici certam, non quòd formalis & proprie dicta certitudo insit actui sperandi, cùm soli possit inesse actui potentiæ cognoscétis: neque quòd ita certi simus, aut esse debeamus nos reipsa consequuturos ea bona quæ à Deo per spem Theologicam speramus, vt nullum ex vllo capite timorem de iis non consequendis concipere debeamus, cùm è contrario Spiritus sanctus nos in sacris literis hortetur, vt cum timore & tremore salutem nostram operemur: sed quia de obiecto formali cui innitur, nimirum de omnipotentia & misericordia Dei, omnimodam certitudinem habemus: fide enim diuina credimus Deum esse omnipotentem, & misericordem: quo pacto spei certitudinem S. Doctor explicat citato art. 4. in resp. ad 2. qui modus explicandæ certitudinis spei valet ad intelligendam in quolibet actu spei Theologicæ circa quodlibet eius obiectum materiale certitudinem, cùm quilibet huiusmodi actus Dei potentia & misericordia seu bonitate nitatur vt obiecto formali, de hac autem per fidem diuinam omnimodam certitudinem habeamus.

II. B

Quòd si spes consideretur minus latè, nimirum vt tendit in obiectum suum materiale primarium, quod est æterna nostra salus nobis à Deo promissa, si modò nullum eius consequutioni impedimentum per peccatum afferamus, quo modo consideratur, dum definitur vt in obiectione dictum est, Dico spem nostram certam esse, etiam quatenus certissimè & sine vlla dubitatione iudicamus nos esse reipsa consequuturos beatitudinem, quantum ex parte Dei est: siquidem eam promisit, & per fidem diuinam certi sumus ipsum fidelem esse, nec suis posse deesse promissis. Quæ omnimoda quam ex parte Dei habemus certitudo, quòd beatitudinem consequuturi sumus, non impedit simpliciter & absolutè omnem de ea non consequenda formidinem, quandoquidem eam non promisit nisi conditionatè, cum hac videlicet conditione, quòd nobis ipsis eiúsque gratiæ non deerimus: cui deesse cùm pendeat à libero nostro arbitrio, quod tam mutabile est ex sese, támque infirmum, licet adiutum diuinæ gratiæ auxiliis, ideo de nostra salute meritò soliciti & timidi esse possumus, ac debemus.

III. C

Septimum & postremum. Si spes innititur Deo vt principio effectiuo bonorum quæ ab ipso speramus tanquam obiecto formali, sequitur tot esse multiplicandas specie Theologicæ spei virtutes, quot in Deo distinguere per rationē possumus attributa specie diuersa, quorum quodlibet potest esse principiū effectiuum boni quod speramus: cuilibet enim attributorum istorum spes aliqua inniti poterit tāquam formali obiecto, quandoquidem quodlibet effectiuum boni quod speramus principium esse poterit: possumus autem in eo distinguere multa huiusmodi attributa, vt omnipotentiæ, misericordiæ, liberalitatis, fidelitatis, si se daturum promisit, & quædam alia similia.

IV. D

Respondeo negando illud sequi: non obstante enim quòd in Deo diuersa attributa distinguere possimus, quorum quodlibet possit esse principium effectiuum boni quod speramus, & quorum proinde cuilibet inniti spes possit, vt obiecto formali, vna tamen solummodo est Theologica virtus spei, propterea quòd formale & adæquarum eius motiuum est Deus vt principium effectiuum boni quod speramus: cuius obiecti totalis & adæquati partes veluti sunt singula illa attributa seorsim considerata, quibus Deus potest esse principium effectiuum boni quod ab ipso speratur: quo fit vt singula constituere non possint vnam aliquam spei Theologicæ virtutem, cùm adæquatum & totale spei Theologicæ obiectū sit Deus vt principium effectiuum boni sperati, & proinde omne ac quodlibet in particulari Dei attributum, quo Deus determinari potest ad huiusmodi bonum efficiendū, seu, quod idem est, quo istius boni principiū effectiuum est. Cui particulari attributo, vel misericordiæ, vel liberalitatis, vel fidelitatis, dum actus spei innititur, quia non innititur nisi vt principio effectiuo boni quod speramus, ideo non innititur nisi obiecto spei Theologicæ, quod est Deus, seu diuinum attributum vt principium effectiuum boni quod speratur.

V.

VI.

VII.

Quoniam autem à nemine sperare possumus id quod vel conferre non potest, etsi maxime velit, vel non vult, etsi possit: ideo spes nostra, vel humana, vel diuina, requirit in eo cui innititur aliquod attributum per modum potentiæ quo possit, & aliud quo voluntas eius inclinari valeat ad volendum id conferre nobis quod speramus: quibus propterea attributis vt principio vnico effectiuo boni sperati spes nostra nititur: vnico, inquam, cùm vt ab vno sine altero bonum quod speramus in nos prouenire non potest, ita vnum sine altero effectiuum eius principium esse non possit. Et quoniam quidquid à Deo speramus, ordinariè est bonum, non ex iustitia nobis debitum, vel à Deo simpliciter & absolutè promissum, sed ab ipso misericorditer conferendum: ideo motiuum nostræ spei Theologicæ assignamus ordinariè diuinam potentiam & pietatem seu misericordiam potiùs quàm iustitiam, aut fidelitatem, aut aliud simile diuinum attributum.

VIII.

DISPVTATIO XXXIII.

Proponuntur & soluuntur argumenta contra doctrinam de materiali spei obiecto supra traditam.

SECTIO PRIMA.

Primi & secundi solutionem continens.

I. PRIMVM ducitur ab authoritate Theologorum, nihil aliud ordinarie assignantium pro materiali spei Theologicæ obiecto, quàm æternam beatitudinem. Respondeo illos eodem sensu id facere, quo materiale diuinæ fidei vel Theologiæ obiectum dicunt esse Deum: quem non ideo volunt esse huius aut illius obiectum materiale adæquatum, sed tantùm primarium, & attributionis: quibus vltro consentientes dicimus primarium spei Theologicæ obiectum materiale & attributionis esse vitam æternam: quo nomine Deum tanquam finem qui, seu rem possessam, Deíque visionem, tanquam finem quo, seu Dei possessionem, constituentem vnicum finem cuius gratia vulgo dictum, vnicúque obiectum, vt ex supradictis constat, intelligimus. Primarium quidem, quia ex omnibus quæ per spem Theologicam speramus, vita æterna, eo quo iam dixi sensu accepta, ens est omnium præstantissimum: attributionis verò, quia cætera omnia quæ per eandem à nobis sperantur, aut sperari possunt, in ordine ad illam sperantur, eodem prorsus sensu, quo disput. 4. assert. 4. dixi Deum esse obiectum attributionis fidei, cæteráque omnia quæ à nobis per diuinam fidem creduntur, non nisi per ordinem & respectum quendam ad Deum credi: quæ vt in ordine ad illum credantur eo sensu qui ibidem explicatus est, quemadmodum necessarium non est, vel ea, vel datum iis diuinæ fidei assensum referre per expressum aliquem voluntatis actũ in Deum, tanquam in finem, aut vllam aliam habere de Deo cogitationem, quàm eam quæ necessaria est vt instar motiui seu formalis obiecti moueat nos ad credendum: ita vt bona ab æterna beatitudine diuersa quæ per spem Theologicam speramus, per ordinem & respectum ad Deum eodem sensu speremus, nihil est necesse nos ea vel conceptam de iis spem expresso actu referre in Deum, vllámve aliam habere de Deo cogitationem, quàm quæ necessaria est vt ab ipso instar obiecti formalis seu motiui moueamur ad sperandum.

II. Quam doctrinam nostram esse ipsam S. Thomæ doctrinam, patet ex supra citata sæpius quæstione vnica de spe, cuius in articulo 1. sic loquitur: *Sic igitur sicut obiectum formale fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit iis quæ creduntur, quæ sunt materiale fidei obiectum, ita etiam formale obiectum spei est auxilium diuinæ potestatis & pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale obiectum spei: sicut ergo quæ creduntur materialiter omnia referuntur ad Deum, quamuis aliqua eorum sint creata, ita etiam omnia quæ materialiter sperantur ordinantur in bonum finale speratum, quod est fruitio Dei: in ordine enim ad hanc fruitionem speramus adiuuari à Deo, non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus beneficiis.* In artic. autem 4. sic habet, *Ex parte quidem rei sperata principale obiectum spei, secundum quod est virtus Theologica, est fruitio Dei quæ beatum facit: alia verò sub spe cadunt in ordine ad hunc finem, siue sint spiritualia, siue temporalia bona.*

III. Secundum ab eorundem authoritate ducitur communiter asserentium spem esse tantùm de bonis propriis, quibus fauet D. Augustin. in Enchiridio cap. 8. quem citat S. Thomas quæst. 18. art. 3. ad 2. ex quo concluditur, materiale spei Theologicæ obiectum non posse tam latè patere, vt ad omne bonum, futurum, arduum, possibile per Deum obtineri se extendat: nam si ad illud omne bonum se extenderet, non tantùm nobis, sed etiam aliis bonum salutis æternæ, & quoduis aliud sperare possemus. Respondeo Theologos cum D. Augustino assignantes pro materiali spei Theologicæ obiecto bona ad ipsum sperantem pertinentia non assignare adæquatum eius obiectum materiale, sed partes tantum huius obiecti præcipuas, quæ sunt bona propria sperantis ipsius. Sicut enim omne quidem bonum amabile, sed præcipuè proprium, vt alicubi ait Philosophus, ita etiam omne quidem bonum, futurum, arduum, possibile est sperabile, sed præcipuè ipsius sperantis proprium. Assignant ergo spei Theologicæ obiectum materiale eodem modo quo D. Thomas hac 2. 2. quæst. 1. art. 6. ad 1. & art. 7. in corp. & sæpe alibi fidei diuinæ materiale obiectum assignans ait, ad obiectum istud pertinere per se ea sola quæ maioris momenti sunt, alia verò quæ minutiora sunt, seu minoris momenti pertinere tantum per accidens. Quod cùm dicit, non vult ista non tam posse diuina fide credi, quàm illa, sed solùm, illa esse præcipuas obiecti materialis adæquati, quod habet fides diuina, partes: ista verò minùs præcipuas, eo sensu qui à nobis declaratus est citata disput. 4. sub finem disputationis.

IV. Quòd si cui placet concedere, illos assignare adæquatum spei Theologicæ materiale obiectum, dicat assignare quidem adæquatum, sed spei Theologicæ, vt spes Catholica est, non verò vt est spes Theologica in genere, sub se complectens priuatam & Catholicam, seu ab vtraque abstrahens: cui Catholicam esse, aut priuatam, accidentale tantùm est, sicut & fidei diuinæ, quæ in Catholicam & priuatam diuiditur, vt disput. 3. explicuimus. Vnde sicut adæquatum materiale obiectum fidei diuinæ vt Catholica est sunt res quæ ab omnibus fide diuina credi debent, ita spei Theologicæ vt Catholica est materiale adæquatum obiectum sunt res quæ ab omnibus debent sperari: quod autem omnes & singuli sperare debent, aliud nõ est quàm bonum proprium ipsius sperantis, nec quodcunque, sed quod est vel æterna beatitudo, vel ad ipsam prorsus necessarium est: quod non impedit, quin per spem Theologicam, vt in genere spes Theologica est, & à Catholica priuatáque præscinditur, possimus omne bonum

futurum, arduum, possibile per Deum obtineri sperare siue nobis, siue aliis: sicut per fidem diuinam, vt in genere fides diuina est, & à Catholica priuataque abstrahitur, credere possumus illud omne quod à Deo reuelatum est, siue publicè siue priuatim facta reuelatione, siue de rebus ad omnes, siue ad priuatam personam pertinentibus.

I. Cui doctrinæ nostræ fauet aperte S. Doctor quæst. 18. art. 2. ad 3. expresè docens durante virtute spei, id est, tempore vitæ huius quo permanet in nobis Theologicæ spei virtus, posse nos sperare beatitudinem nobis, & aliis: quod & fusiùs docuit art. 3. quæst. 17. cuius in corpore disertis verbis dixit amorem importare quandam vnionem amantis ad amatum, ex hac autem præsuppositа per amorem vnione cum altero, posse aliquem desiderare & sperare alteri vitam æternam, eandémque esse virtutem spei qua quis sperat sibi, & aliis.

Quibus verbis non est existimandum ipsum tantummodo velle, nos posse sperare aliorum salutem, vt hæc eorum salus nostrum bonum

II. est, seu in nostrum commodum redundat, quia sicut amare salutem aliorum, non vt illorum bonum est, sed vt nostrum, non est illos amare, sed nos, nec est propriè amare ipsis bonum, sed nobis, ita sperare bonum illorum non vt illorum bonum est, sed vt nostrum, non est hoc sperare illis bonum, sed nobis: cùm tamen dicat S. Doctor nos eadem spei virtute sperare posse nobis & aliis. At quoniam sicut bonum non speramus nisi præsuppositо amore eiusdem boni, ita nec speramus alteri bonum nisi præsuppositо amore quo eidem hoc bonum amamus & volumus, qui amor est amicitiæ erga personam cui bonum volumus, ideo rectè D. Thomas ad sperandum aliis bonum præuiam hanc sperantis vnionem per amorem cum eo cui bonum sperat prærequirit.

III.

SECTIO II.

Quinque aliorum argumentorum solutionem continens.

TERTIVM ordine est, spem versari posse circa bonum etiam præteritum, aut præsens: experimur enim nos sperare parentes aut amicos nostros iam à multo tempore vita functos nunc saluos esse, & pridem esse salutem consequutos. Respondeo spem de solis bonis futuris esse, proinde nos circa salutem parentum, aut amicorum nostrorum vita functorum non posse vllum spei actum exercere, nisi præsuppositа in nobis apprehensione, quòd forte nondum in cœlo sint, sed aliquando futuri sint. Vnde cùm dicimus ordinariè nos sperare illos iam beatos esse, sperandi vocabulo

IV. non illum spei actum de quo nunc agimus significamus, in nobis enim reuera tunc non est, sed solùm opinionem quandam, seu iudicium probabile quòd salutem consequuti sint, ac vt summum etiam simplicem quendam affectum erga hanc eorum salutem, cum iudicio illo probabili coniunctum.

Quartum est, cùm nullum aliud bonum sperare possimus quàm futurum, consequens esse, nos non sperare immediatè Deum secundùm se, suámque substantiam, cùm vt sic non sit bonum futurum, sed semper præsens. Respondeo hoc argumento solùm rectè concludi, nos minimè posse sperare immediatè Deum, tanquam obiectum materiale adæquatum alicuius nostri

A actus, quo nihil aliud præter Deum secundùm se suámque substantiam spectatum immediatè speremus, quia Deus sic spectatus boni futuri rationem habere non potest, sed semper præsentis: at minimè concludi, non posse nos sperare Deum secundùm se suámque substantiam spectatum, vt immediatum obiectum materiale tanquam finem qui, & rem possessam, dummodo tamen simul eodem actu & immediatè speretur visio eius, tanquam finis quo, seu possessio Dei ipsius, & hic vterque finis constituat vnicum finem cuius gratia vulgò dictum, vnicúmque obiectum, vt reipsa constituit ex supradictis: illud enim vnicum obiectum, quod est Deus videndus, bonum aliquod futurum est, vt patet. V.

Quintum. Non potest honestè saltem amari Deus immediatè secundùm se, suámque sub-

B stantiam, vt nostrum bonum est, ergo nec sperari: Consequentia bona est, nulla enim amoris illius, & huius spei disparafferri ratio potest. Probatur antecedens: si Deus sic amaretur à nobis, amaretur amore concupiscentiæ, sic autem Deum secundùm se suámque substantiam amare saltè honestè non possumus: quidquid enim amore concupiscentiæ amamus, propter nos amamus, & proinde ad nos tanquam ad finem referimus, Deum autem secundùm se suámque substantiam immediatè ad nos vt ad finem referre inordinatum est. VI.

Respondeo negando antecedens, cuius ad probationem dico, bonum quod amamus vt bonum nostrum amari à nobis amore concupiscentiæ, & proinde propter nos, & per con-

C sequens referri ad nos tanquam ad finem cui, non tamen ideo referri ad nos vt medium ad finem cuius gratia: quo modo etsi inordinatum foret Deum ad nos referre, cùm è contrario ipse sit finis vltimus, cuius gratia nos & creata omnia tanquam media amare debemus, vitiosum tamen non est Deum etiam immediatè secundùm se suámque substantiam, quandoquidem sic spectatus bonum nostrum est, referre ad nos tanquam ad finem cui, propterea quòd nullam inordinationem habet, bonum, licet sit summum, quod alicui bonum est, amare quia tale bonum est, seu quia bonum alicui est: quo modo ipsum amare, est amore concupiscentiæ amare, & propter eum cui bonum est, & illud ipsum ad eundem tanquam ad finem cui referre: quo stante amore concupis-

D centiæ quo à nobis diligitur Deus, cùm ad ipsum nihilominus tanquam ad finem vltimum, cuius gratia creaturæ omnes instar mediorum sunt, referamus, aut referre possimus & nos, & hunc amorem nostrum, & nostra aliáque omnia, nihil est in hoc amore nostro inordinatum. VII. VIII.

Sextum est, Deum secùndùm se suámque substantiam immediatè timeri à nobis non posse, sed tantùm mediatè & remotè, ratione nimirum effectus mali ab ipso procedentis, qui est

immediatum, & proximum adæquatúque obiectum materiale actus illius quo timetur, ergo nec sperari. Respondeo ad antecedens, si nullus est effectus Dei possibilis, per quem vniri possit nobis Deus immediatè secundùm se suaque substantiam tanquam malus nobis, seu malum nostrum, itavt Deus secundùm se immediatè sit finis qui, effectus autem ille sit finis quo, concedo Deum immediatè à nobis timeri non posse, sed nego consequentiam, cùm ostensum supra sit, claram Dei visionem esse effectum Dei, per quem tanquam finem quo nobis vnitur immediatè Deus secundùm se vt bonus nobis, seu bonum nostrum, tanquam finis qui, ex quo vtroque fine resultat finis vnicus, vnicumque materiale obiectum, in quod indiuisim & immediatè fertur actus spei. Quod si possibilis est aliquis eiusmodi effectus, nego antecedens, tunc enim tam immediatè timeri poterit Deus, quam sperari, quia tam immediatè secundùm se suámque substantiam poterit vniri nobis vt malum nostrum, quam potest nobis vt bonum nostrum vniri.

I. A

II. B Septimum. Delectatio beatorum in patria non est immediatè de Deo, ergo nec spes viatorum in via. Consequentiæ bonitas patet, obiectum enim materiale delectationis & spei idè est, hoc solùm discrimine, quòd delectatio est de re præsenti, spes autem de eadem re, sed futura. Probatur antecedens ex eo quòd immediatum & adæquatum obiectum materiale delectationis est visio Dei, non verò simul ipse visionis terminus, qui est Dei substantia: tum quia delectationis illius immediatum obiectum materiale debet esse bonum aliquod ipsius beati, res autem à beatis supposito distincta, qualis est diuina substantia, non potest illis esse bona, nisi ratione alicuius effectus, qui est immediatus & adæquatus delectationis terminus: tú

III. C quia tristitia damnatorum non est immediatè de Deo, sed de sola priuatione visionis Dei.

Respondeo negando antecedens: ad probationem eius dico immediatum obiectum delectationis esse visionem tanquam finem quo, & possessionem: substantiam verò Dei visam, tanquam finem qui, & rem possessam, constituentem vnicum finem cuius gratia communiter appellatum, vnicúmque materiale obiectum, in quod, si futurum adhuc est, tendit immediatè actus spei, si præsens, delectationis. Nec refert, quòd res à nobis supposito distincta bona nobis esse non possit, nisi ratione alicuius effectus ab ipsa re distincti, hic enim effectus vel vnit formaliter nobis rẽ illam tanquã finis quo cum fine qui, cum eáque proindo finem vnicum obiectúmque constituit, vel non: si secundum, fateor delectationem de tali effectu perceptam

IV. D non esse immediatè de re quæ talem effectum in nobis produxit: si primum, dico delectationem esse immediatè tam de re quàm de effectu rem nobis prædicto modo vniente: visio autem Dei de qua delectantur beati, talis est effectus Dei, vt ipsum beatis vniat tanquam finis quo cum fine qui, vnicúmque proinde finem & obiectum immediatum delectationis constituat.

Ad id denique quod de tristitia damnatorum obiiciebatur, dico, sicut beati gaudent immediatè de præsenti visione Dei tanquam de Dei possessione, & fine quo, de Deo autem secundùm se suámque substantiam tanquam de re possessa, & fine qui: ita damnatos immediatè tristari de priuatione visionis tanquam de priuatione possessionis, & finis quo, simulque de priuatione Dei tanquam de priuatione rei possidendæ seu finis qui. Et quoniam priuatio rei bonæ possidendæ, priuatioque bonæ possessionis ipsius non est aliqua possessio rei ipsius tanquam malæ, sed è contrario est negatio bonæ rei, bonæque possessionis eius: hinc est, quòd damnati tristitiam habentes immediatè de priuatione visionis tanquam de priuatione possessionis, & de priuatione Dei, tanquam de priuatione rei possidendæ, non immediatè de Deo & diuina substantia, aut de eius visione tristantur. V.

SECTIO III.

Non pauca consectaria continens.

VI. EX dictis hactenus multa facilè concludi possunt. Primum est, spem de qua hic agimus esse virtutem, cùm omnis ille habitus sit vera virtus, qui est natura sua effectiuus actus boni moraliter, qualis est actus spei, de quo loquuti sumus, quémque toties in Scripturis commendari & laudari diximus.

Secundum est, esse Theologicam virtutem, cùm ad eam sufficiat vt immediatum eius obiectum materiale partiale sit Deus, formale autem sit idem Deus, seu diuinum aliquod attributum: quod vtrumque conuenire spei de qua loquimur ex superioribus certum est.

VII. Tertium est, esse distinctam à cæteris Theologicis, cùm diuerso prorsus modo Deum vt obiectum formale respiciat, & proinde diuersum prorsus obiectum formale habeat.

Quartum est, esse in entitate supernaturalem, cùm habitus & actus sint eiusdem ordinis, actus autem spei sit in entitate supernaturalis, vtpote qui circa Deu immediatè prout in se est tanquam circa formale obiectum à quo speciem sumit versatur, cuiusmodi omnis actus in entitate supernaturalis est, vt ex dictis disp. 11. notum est.

VIII. Quintum est, nullum actum spei diuinæ posse esse in entitate merè naturalem, cùm non sit futurus actus spei diuinæ, nisi nitatur omnipotentia & misericordia Dei tanquam principio effectiuo boni sperati, sicut nullus est futurus actus fidei diuinæ, nisi nitatur authoritate Dei reuelantis, nullus autem spei actus illo motiuo niti possit, quin sit in entitate supernaturalis, alioquin is quem nunc exercemus ex eo capite supernaturalis non esset, contra doctrinam citata disput. traditam.

Sextum est, nullum actum spei Theologicæ posse esse malum moraliter, quod constat ex dictis disput. 18. in qua idem de interno fidei actu ex professo probauimus.

Septimum est, posse concedi omnes actus spei Theologicæ quibus aliquod à Deo bonum speratur, esse vnius infimæ speciei, quòd nitantur omnes vno eodemque formali obiecto seu motiuo, nempe Deo, seu diuina omnipotentia & misericordia, vt principio effectiuo

boni quod ſperatur, ſiue ſit principium eius effectiuum per ſe ſolum immediatè, ſiue etiam per aliquid creatum tanquam per inſtrumentum, & ſiue per hoc inſtrumentum, ſiue per illud. Quamuis enim ſpei actus qui ſoli Dei omnipotentiæ & miſericordiæ innituntur, vt ſoli & immediato principio effectiuo boni ſperati, I. non poſſint non eſſe numero diuerſi ab iis qui prædictæ potentiæ & miſericordiæ innituntur, ac præterea inſtrumento ſuperaddito, tanquam totali principio effectiuo boni quod ſperatur, non eſt propterea neceſſe dicere ſpecie diſtingui, cùm facilè dici poſſit illorum actuum ſpecificam eſſentiam totam in eo poſitam eſſe, quòd nitantur Deo tanquam principio effectiuo boni quod ſperatur, nec referre ad ſpecificationem actus, quòd Deus hoc vel illo modo, cum creato aliquo inſtrumento, aut abſque illo, ſit effectiuum prædicti boni principium, licet hic aut ille modus neceſſariò inferat diuerſam numero differentiam indiuiduam in actus qui nituntur Deo, vt vel hoc, vel illo II. modo principium boni quod ſperatur effectiuum eſt.

Quòd ſi cui magis placet, eos ſpei actus, qui non ſoli Deo, ſed rebus etiam aliquibus creatis vt Dei inſtrumentis nituntur, ſpecie diſtingui ab illis aliis qui ipſi ſoli innituntur, non magnopere repugnauerim, parum enim refert: at is debebit ſaltem concedere omnes illos eiuſdem infimæ ſpeciei eſſe, qui ipſi ſoli innitentur, vt ſoli & immediato bonorum quæ ſperantur effectiuo principio, licet hæc bona quæ ſperantur, ſpecie, aut etiam genere ſint diuerſiſſima.

DISPVTATIO XXXIV.

III. *Quodnam ſit ſubiectum virtutis ſpei?*

SECTIO PRIMA.

Vtrùm hæc inſit hæreticis? vtrùm fidelibus? vtrùm animabus Purgatorio detentis? vtrùm damnatis?

DE ſubiecto proximo nulla difficultas eſt, certiſſimum enim eſt eſſe voluntatem: de remoto, quod eſt creatura intellectualis, multæ proponi poſſunt quæſtiones, quarum prima eſt, vtrùm illa virtus inſit hæreticis? Communis Theologorum doctrina eſt non ineſſe: cùm iis non inſit habitus fidei infuſæ, ſine quo nullus IV. eſt in hominibus viatoribus habitus infuſæ virtutis, qualis eſt inter cæteras ſpes Theologica. Et licet ad actum ſpei Theologicæ non ſit abſolutè ex rei natura neceſſarius præuius diuinæ fidei actus, aut habitus, vt ex dictis in tractatu de fide variis locis facilè intelligitur, poſſintque proinde ex natura rei hæretici manentes in hæreſi aliquod bonum ſperare à Deo per verum actum ſpei Theologicæ, non eſt tamen exiſtimandum ipſos, ſi in aliquem huiuſmodi actum prorumpant, habitum ſpei recepturos, cùm hic habitus ante diuinæ fidei habitum nunquam infundatur à Deo: ſicut etſi fideles in peccato mortali exiſtentes exercerent aliquos actus miſericordiæ, aut temperantiæ, aut ſimilis virtutis moralis infuſæ, quod ex rei natura poſſunt, cùm ad eorum exercitium non ſit ex rei natura neceſſaria præuia charitas, non tamen illarum virtutum habitus reciperent, quia nunquam à Deo ante charitatis habitum infunduntur. V.

Secunda eſt, vtrùm inſit fidelibus? Certum in primis eſt ineſſe iis omnibus qui ſunt in ſtatu gratiæ & charitatis, cùm ſine fide & ſpe nunquam ſit in hac vita charitas. Ex iis autem qui ſunt in ſtatu peccati mortalis, ſentiendum eſt eos ſolos carere habitu ſpei Theologicæ, qui mortali peccato deſperationis à gratia exciderunt: ſicut enim non per quodlibet peccatum mortale perditur habitus fidei, ſed per ſolum infidelitatis, ita nec per quodlibet mortale peccatum quod committit fidelis, amittitur habitus ſpei, ſed per ſolum deſperationis: quod D. Thomas art. 2. quæſt. 20. rectè probat poſſe committi abſque peccato infidelitatis, & communiter ſentiunt Theologi. VI.

Tertia, vtrùm inſit animabus Purgatorio detentis? Affirmatiua pars certa eſt: cùm enim iis inſit charitas, & fidei habitus, vt ſuprà docuimus, non dubium quin inſit quoque ſpei Theologicæ habitus, ſine quo nunquam fides & charitas ſimul ſumptæ reperiuntur. Adde quod animæ illæ ſpei actum exercere adhuc poſſunt, & quidem circa primarium ſpei materiale obiectum, nempe circa beatitudinem æternam, quæ reſpectu ipſarum habet adhuc rationem boni futuri poſſibilis, & ardui, cùm ad illam non niſi per tolerantiam pœnarum quas in Purgatorio ſuſtinent, peruenire poſſint. Nec refert quòd ſecuræ ſint de futura ſua beatitudine, hinc enim tantùm fit vt earum ſpes certiſſima ſit, nullámque ſecum ferre poſſit eius amittendæ formidinem. VII.

Quarta, vtrùm inſit damnatis? Negatiua pars certiſſima eſt: ſicut enim ratione ſtatus damnationis priuantur habitu fidei diuinæ, ſi priùs eum habuerant, ita & ſpei Theologicæ habitu: nec tantùm habitu carent, ſed nullum etiam ipſius actum exercere poſſunt, non modò circa primarium eius obiectum materiale, quod eſt æterna beatitudo, quam ſibi poſſibilem, & futuram, ſeu à ſe obtinendam cùm ampliùs apprehendere nequeant, quia certiſſimi ſunt ſe ab ea in æternum excidiſſe, nec poſſunt ampliùs in eam per actum ſpei ferri, ſed etiam circa quodquis aliud bonum, cuius alioquin ex rei natura etiam in ſtatu damnationis fieri participes poſſent: ratione enim huius ipſius ſtatus iuſtè negatur ipſis à Deo gratiæ auxilium neceſſarium ad actum aliquem ſupernaturalem exercendum, qualis eſt omnis & quilibet ſpei Theologicæ actus, vt ſupra docuimus. VIII.

Addunt aliqui damnatos habitum ſpei fortè perdere, eo quòd primo ſuæ damnationis momento prorumpunt in actum deſperationis, quo de beatitudine nunquam obtinenda deſperant. Verùm etſi prorumperent, non ideo tamen perderent, alioquin etiam is cui ſua reprobatio fuiſſet à Deo reuelata, ſi de ſalute obti-

nenda

nenda desperaret, habitum spei amittere deberet, & proinde retenta fide & charitate, in qua eum prius fuisse præsuppono, spem amitteret, cùm hic desperationis actus eo casu peccatum esse nequeat, vt ex sequenti disputatione constabit.

SECTIO II.

Vtrùm insit beatis?

I. HAec de quæstione tres sententiæ sunt, prima affirmat inesse non solùm quoad habitum, sed etiam quoad aliquem actum proprium huius habitus. Ita Suarez 3. part. quæst. 7. in Commentario, articuli quarti, qui spei Theologicæ habitum existimat esse natura sua productiuum non modò actus sperandi beatitudinem, sed etiam amoris, desiderij, gaudij circa eandem: & licet actus desiderij sicut & spei circa ipsam non possit amplius à beatis elici, quoniam hi actus non feruntur nisi in bonum absens, beatitudo autem ipsis præsens est, quia tamen actum amoris & gaudij circa eam exercere adhuc possunt, amoris quidem, eo quòd cùm à bono præsenti & absenti abstrahat, æque ferri potest in bonum, siue sit absens, siue præsens: gaudij verò, eo quod proprium eius obiectum est bonum præsens: Imò cùm certissimum sit eos hunc saltem gaudij actum circa ipsam exercere, huiusque actus proprium & connaturale principium dicat esse prædictum spei habitum, propterea censet virtutem spei in beatis tam quoad habitum, quàm quoad aliquem eius actum permanere.

II. Secunda, primæ illi opposita, est, in beatis virtutem spei non manere, siue quoad habitum, siue quoad aliquem eius actum. Ita D. Thomas hic quæst. 18. artic. 2. Tertia inter vtramque media est non manere quidem quoad habitum, manere tamen quoad aliquem actum. Ita Gabriel Vasquez, 3. part. disput. 13. cap. 2. qui licet putet virtutem spei Theologicæ nullius actus esse posse principium natura sua elicitiuum, quàm actus sperandi, hunc tamen actum esse dicit in beatis nunc, circa futuram suorum corporum gloriam, eundémque in Christo, qui semper quoad animam beatus fuit, dicit circa gloriam corporis sui fuisse, eo tempore quo nondum gloria illa fruebatur. De hac ergo controuersia cùm multa dicenda habeam, ea maioris perspicuitatis gratia tres in partes totidémque sectiones distribuam.

III.

SECTIO III.

IV. *Primam de proposita quæstione nostræ doctrinæ partem continens.*

DICENDVM igitur in primis arbitror, nõ esse admittendum in beatis spei Theologicæ habitum, tanquam principium naturæ sua elicitiuum actus amoris, & gaudij, quem circa suam beatitudinem exercent. Ratio est, quòd ille habitus non sit natura sua nec esse possit principium productiuum actuum amoris, desiderij, gaudij circa beatitudinem. Quod probo primùm authoritate S. Doctoris, qui negare non potest in beatis esse actum gaudij circa beatitudinem qua fruuntur, & tamen negat in illis esse virtutem spei tam quoad habitum, quàm quoad vllum eius actum: vnde sequitur euidenter, ipsum existimare, actum hunc gaudij non esse actum qui ad virtutem spei pertineat. Quòd si de hoc gaudij actu id existimauit, idem haud dubiè existimauerit de amoris & desiderij circa eandem beatitudinem actibus, cum illius, & horum actuum eadem sit ratio, quoniam tribus illis actibus idem bonum beatitudinis amatur, & eodem modo, nempe amore concupiscentiæ, & ex eodem formali motiuo, nempe vt bonum est ipsius amantis, desiderantis, gaudentis: quo fit vt habitus qui aliquem ex illis actibus potest naturâ suâ circa proprium suum materiale obiectum ex proprio suo formali obiecto efficere, possit & alios, & qui vnum non potest, nec alios possit.

V. Nec dicat hîc aliquis, sanctum Thomam negare solùm esse in beatis vllum actum spei, id est, qui sit actus sperandi: in iisdem quoque negare habitum spei, at solùm secundùm rationem spei, id est, prout elicitiuum actus sperandi principium. Ne, inquam, id dicat: tum quia si nihil aliud negaret, posset nihilominus admittere in beatis & ipsum Theologicæ spei habitum quoad essentiam consideratum, & aliquem proprium huius habitus actum, cùm Suarez pro prima sententia citatus, quem multi recentiores sequuntur, tollat à beatis omnem sperandi actum, omnémque proinde spei habitum in ratione principij effectiui actus sperandi, admittat tamen & hunc in illis habitum, & proprium aliquem eius actum: tum quia qui perpendet rationem qua sanctus Thomas vtitur citato articulo secundo, quæstione decima octaua, & quæst. vnica de spe art. 4. in Corp. vt probet spem in beatis non esse, manifestè videbit ipsum aliquid amplius negare voluisse, & quidem nihil minus quàm hoc, nempe in illis habitum spei, neque quoad substantiam, neque quoad vllum eius actum remanere: tum denique quia articulo illo 2. spem euacuari dicit in beatis perinde ac fidem, quam proculdubio existimat in illis non remanere, vel quoad habitum, seu quoad substantiam habitus, vel quoad vllum proprium huius habitus actum.

VI. Probo secundò illud ipsum, nempe habitum spei Theologicæ non esse principium naturâ suâ elicitiuum amoris, desiderij & gaudij circa beatitudinem, & probo duplici ratione. Prima hæc est. Habitus ille est natura sua elicitiuum principium actus sperandi: ergo non potest esse natura sua principium effectiuum trium illorum actuum. Antecedens certissimum est. Consequentiæ bonitas ex eo constat, quòd vna quidem ex parte, motiuum seu formale obiectum actus sperandi, vt supra probauimus, non est intrinseca rei speratæ bonitas, sed aliquid ipsi extrinsecum, nempe omnipotentia & pietas diuina, vt principium effectiuum boni quod speratur, & formale obiectum seu motiuum trium illorum

VII.

VIII.

actuum est intrinseca rei amatæ, & desideratæ, & de qua percipitur delectatio, bonitas, id est, ipsa res vt bona est amanti, aut desideranti, aut ei qui de ea delectatur: ex altera verò, non potest vna eadémque virtus esse principium effectiuum actuum qui tam diuersis
I. specie formalibus obiectis & motiuis nitantur, A V.
quàm diuersa sunt, vt patet, trium illorum actuum & actus sperandi formalia obiecta seu motiua. Illius enim vnius virtutis quæ diceretur esse principium actuum tam diuersa formalia obiecta habentium, cùm deberet esse vnicum obiectum formale, alioquin vna virtus non esset, sed multiplex, quodnam quæso assignari posset vnum formale obiectum? Sanè qua facilitate vnum illi assignaretur tam late patens, vt comprehenderet aliquo modo tam diuersa prædictorum actuum formalia obiecta: pari ego duas virtutes, vt temperantiam, & castitatem, aut iustitiam, & fortitudinem, vnicum specie virtutis habitum esse dicerem, illique vnicum formale obiectum assignarem, tam late patens, vt aliquo modo comprehenderet omnia formalia obiecta, quibus nituntur
II. proprij temperantiæ & castitatis, aut iustitiæ B VI.
& fortitudinis actus, cùm præsertim actuum ad has virtutes pertinentium propria formalia obiecta non magis inter se diuersa sint, quàm sunt inter se diuersa trium prædictorum actuum, & actus sperandi obiecta formalia.

Quare sicut ex dictis suprà, nulla virtus à spe distincta potest circa proprium suum obiectum materiale actum sperandi exercere, quod quælibet possit circa illud exercere actum amoris, desiderij, gaudij, & similes, horumque actuum & sperandi actus obiecta
III. formalia nimis diuersa sint, quàm vt ad vnam virtutem pertinere possint: ita ob eandem causam non potest virtus spei, quæ est C VII.
natura sua principium eliciuum actuum sperandi, esse quoque principium natura sua effectiuum actuum amoris, desiderij, gaudij, & similium.

Secunda ratio ista est. Habitus spei Theologicæ nullius actus principium natura sua effectiuum esse potest nisi supernaturalis in entitate: atqui tres illi actus non sunt in entitate supernaturales. Maiorem concedunt primæ sententiæ authores contra quos hic agimus, & meritò sanè: habitum enim in substantia supernaturalem, cuiusmodi est spei Theologicæ habitus, vt ex antè dictis certum est, nullius alterius actus principium natura sua productiuum esse, quàm sibi proportionati eiusdemque secum ordinis, ac proinde supernaturalis, pro certo habendum est, nisi forte
IV. de aliquo sit peculiaris aliqua & efficax con- D VIII.
trarium sentiendi ratio, qualis in præsenti negocio proferri nulla potest. Minor probatur. Illi actus sunt in entitate merè naturales, qui per solam nostræ voluntatis vim naturalem, vt obedientiali opponitur, produci possunt, prædicti autem amoris, desiderij, & gaudij actus eiusmodi sunt: quid enim possumus per solam nostræ voluntatis vim naturalem, vt obedientiali opponitur, si non possumus nos & nostrum esse naturale diligere amore qui amicitiæ ac beneuolentiæ dicitur, seu, quod idem est, nobis bonum velle vt bonum nostrum est? illis autem amoris, desiderij, & gaudij actibus nihil aliud quàm nos ita diligimus.

Nec refert, quòd bonum illud quod nobis illis actibus volumus sit summum, & supernaturalis ordinis: tum quia tantum abest, vt hinc esse debeant in entitate supernaturales, elicique proinde per solam potentiam obedientialem, vt è contrario fiat, vt faciliùs à nobis elici per vim naturalem valeant. Si enim vis naturalis inest homini sibi bonum amandi, desiderandi, & de bono suo gaudendi, quia bonum suum est, tantò faciliùs & promptiùs eadem vis naturalis feretur in bonum hominis, quia bonum eius est, quanto bonum illud erit maius bonum hominis: vnde constat experientia quò maiora bona nobis eueniunt, eò nos de illis gaudere & promptiùs, & vehementiùs: tum quia quis existimet gaudium quo gaudebat anima Christi assumptam se fuisse ad hypostaticam cum Deo vnionem, supernaturalis haud dubiè ordinis, fuisse in substantia supernaturale, & non potiùs simile prorsus illi quod nunc conciperemus, si repente ad eandem vnionem assumeremur? quod nostrum gaudium non dubito futurum tam in entitate merè naturale, quàm esset illud quo aliquis subitò raperetur, qui se ex improuiso videret ad regiam dignitatem euectum.

Ratio autem à priori est, quòd licet bonum amatum, desideratum, & delectans sit in se suaque entitate supernaturale, quia tamen est tantummodo materiale obiectum actuum, quibus amatur, desideratur, & de eo delectatio capitur, quandoquidem, vt supponimus, solo amore cõcupiscentiæ per eos actus diligitur, nec proinde propter se, sed propter aliud, quod est ratio formalis & motiua diligendi seu volendi bonum illud, ideo non possunt esse ex eo capite in entitate supernaturales: cùm sicut obiectum materiale licet in entitate supernaturale non specificat actus, qui circa ipsum versantur, ita nec possit eos supernaturales in essentia constituere: alioquin actus quilibet circa quodlibet obiectum materiale supernaturalis ordinis esset in essentia supernaturalis, quod certissimè falsum est.

Atque cùm idem actus qui est amor concupiscentiæ erga rem aliquam, sit semper & necessariò amor amicitiæ erga rem aliam, quia bonum quod amore concupiscentiæ diligitur, non sibi, nec propter se, sed alteri, & propter alterum diligitur, qui propter se amatur, quique est, aut esse potest formalis & motiua ratio volendi bonum quod amore concupiscentiæ diligi dicitur, sicut ab hac ratione formali & motiua petitur specificatio illius actus, qui diuerso respectu est & amor concupiscentiæ, & amicitiæ seu beneuolentiæ simul, ita ab ea desumi debet supernaturalitas essentialis eiusdem actus, si in essentia supernaturalis est: quando autem formalis illa motiuáque ratio merè naturalis est in entitate, clarum est eam actui, qui ab ea specificatur, supernaturalitatem in essentia non posse tribuere: atqui formalis & motiua ratio nobis per prædictos actus amoris, desiderij, gaudij, volendi bonum beatitudinis æternæ, est in entitate

merè naturalis, est enim ipsum nostræ naturæ & personæ esse, seu, quod idem est, sumus ipsi nos, qui nos illis actibus amore beneuolentiæ, & proinde propter nos diligimus, & propter quos illud æternæ beatitudinis bonum amore concupiscentiæ per eosdem actus amamus & volumus, ad illud sic amandum volendumque non alia formali & motiua ratione moti, quàm ab illo nostræ naturæ & personæ esse, seu à nobis ipsis in entitate merè naturalibus.

I. A V.

SECTIO IV.

Secundam de eadem quæstione nostræ doctrinæ partem continens.

DICENDVM secundò, si à beatis elicitur aliquis spei Theologicæ actus, in iisdem quoque admittendum spei Theologicæ habitum. Probatur primò à simili: quis enim admittens in beatis aliquem diuinæ fidei actum non admitteret etiam habitum?

II. B VI. Secundò, quia nulla ratio est negandi ipsis prædictum spei habitum, si proprius aliquis ipsius actus iis conceditur: quæ enim huius rei ratio esse posset? vtrum quòd habitus ille aliquam includat imperfectionem statui beatitudinis non satis conuenientem? At cùm nulla possit assignari huius habitus imperfectio, quæ non eadem prorsus, aut ei planè æquiualens reperiatur in actu spei, si propter illam imperfectionem non est admittendus in beatis spei habitus, neque est etiam actus: aut si non obstante hac imperfectione hic actus in illis conceditur, & ille quoque habitus concedendus. An quòd futurus esset hic habitus in ipsis otiosus? At otiosus non erit, quandoquidem supponuntur exercere actum aliquem proprium spei virtutis Theologicæ, cuius proinde actus sicut hæc virtus productiuum natura sua principium est, ita reipsa eum producet.

III. C VII. Tertiò, quia contra rationem est actum aliquem spei in beatis agnoscere, & non habitum: quod sic probo. Contra rationem est admittere in ipsis actum aliquem supernaturalem qui non connaturaliter producatur: Atqui actus ille erit supernaturalis, quandoquidem erit spei virtutis Theologicæ proprius, quæ & in substantia supernaturalis est, & cuius omnis actus est similiter in substantia supernaturalis, vt ex supradictis notum est, nec tamen producetur connaturaliter, quandoquidem sine habitu spei, qui solus eius principium connaturale est, efficietur. Igitur contra rationem est in beatis spei actum, & non habitum agnoscere. Maioris veritatem ostendo ex eo quòd rationi repugnat in statu beatitudinis, ac proinde omnimodæ perfectionis, agnoscere aliquem actum imperfectè produci, & imperfectiùs quàm naturales actus à causis suis producantur: hoc autem accidet, nisi, cùm supponatur esse in beatis aliquis spei actus, in iisdem quoque spei habitus admittatur.

IV. D VIII. Etenim ex D. Thoma infra quæst. 23. artic. 2. in Corpore, nullus actus perfectè producitur ab aliqua potentia actiua, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam quæ sit principium actionis: vnde Deus qui omnia mouet ad debitos fines, inquit S. Doctor, singulis rebus indidit formas per quas inclinantur ad proprios fines sibi præstitutos: certùm autem ex dictis est, nudam nostræ voluntatis potentiam non posse esse per se connaturale principium actus spei Theologicæ, cùm illa potentia per se & secundùm se sit ordinis merè naturalis, hic autem actus sit in entitate supernaturalis. Nisi ergo voluntati beatorum ad hunc actum connaturaliter efficiendum superadderetur aliqua forma supernaturalis, quæ sit connaturale principium huius actus, quæ alia esse non potest quàm spei Theologicæ habitus, actus ille imperfectè ab ipsis produceretur, & quidem imperfectiùs, quàm effectus naturales à causis suis producantur, cùm illi semper ab his tanquam ab effectiuis eorum principiis connaturalibus efficiantur.

Hinc facilè reiicitur primò quod quidam dicunt, beatos à visione beatifica disponi meliùs ad actus spei Theologicæ exercendos, quàm à proprio illorum actuum habitu: meliùs enim ab illa disponi nequeunt ad illos actus perfectè seu connaturaliter exercendos, cùm illa non possit esse principium perfectè, id est, connaturaliter eos producendi, sed solus supernaturalis spei habitus.

Secundò, quod nonnulli alij aiunt, cùm nullam beati difficultatem patiantur in exercendis illis spei actibus, & ad eos satis à statu beatitudinis determinentur absque habitu, nihil esse quòd in his hic habitus admittatur. At licet nullam patiantur, licet etiam ad eos ex statu beatitudinis summè essent absque habitu determinati, quia tamen perfectè seu connaturaliter produci nequeunt sine spei habitu, ideo hic habitus in illis admittendus est.

Deinde si hæc ratio valeret, tollendus esset à beatis charitatis habitus: ad actum enim charitatis exercendum nullam pati possunt difficultatem, & ex beatifica visione sic ad ipsum determinati sunt, vt ne eum quidem quoad exercitium continere possint. Imò tollendus esset ab iisdem omnis virtutis habitus, cùm in nullo virtutis actu exercendo pati difficultatem queant, nec vllus sit ad quem exercendum diti pari iure non possint satis determinati ex statu beatitudinis absque vllo superaddito habitu. Ideo autem his non obstantibus non est tollendus à beatis ille virtutis supernaturalis habitus, cuius proprius actus ab ipsis exercetur, quòd hic habitus non detur ad tollendam aut minuendam potentiæ in operando difficultatem, tribuendámve ipsi operandi facilitatem, quod naturalium habituum proprium est, sed ad ei dandam primam vim operandi, eandémque eleuandam ad supernaturalem actum perfectè, id est, connaturaliter producendum.

At fortè dices ex natura supernaturalis habitus esse, vt ei non debeatur existentia, nec proinde existentiæ conseruatio, si priùs extitit, quando nullum circa primarium suum obiectum materiale exercere actum potest: habitum autem spei Theologicæ in beatis nul-

lum posse circa primarium suum obiectum materiale, nempe circa beatitudinem æternam, cùm hæc præsens sit. Verùm hoc gratis dicitur ex natura supernaturalis habitus esse, ex cuius potiùs natura dicendum est esse, vt quando est habitus operatiuus, ei tandiu debeatur existentiæ conseruatio, quandiu nullo contrario actu vel habitu à subiecto pellitur, & aliquem actum circa aliquod obiectum suum materiale potest producere: quæ conueniunt omnia supernaturali spei Theologicæ habitui, qui, vt constat, operatiuus est, quique etsi in beatis actum spei circa æternam beatitudinem non possit exercere, potest tamen ex mente Gabrielis Vasquez, contra quem hac sectione agimus, aliquem in iisdem etiam beatis spei actum circa alia sua materialia obiecta elicere.

I.

Deinde si talis esset natura supernaturalis habitus, qualis dicitur, & quidem gratis, vt monui, ei cui facta esset suæ futuræ damnationis reuelatio à Deo, de qua dubitare minimè posset, subtrahendus ex natura rei esset spei Theologicæ habitus, cùm is nullum ampliùs circa beatitudinem æternam, primarium huius virtutis obiectum matetiale, spei actum exercere posset: in quo quia non propterea desineret fides, aut charitas, quæ non nisi peccato mortali destruitur, fieret vt reperiri posset aliquis fide & charitate præditus, nec tamen spe.

II.

SECTIO V.

Tertiam de eadem quæstione nostræ doctrinæ partem continens.

DIco tertiò, nihil mihi videri causæ esse, cur negetur aliquos à beatis spei Theologicæ actus exercere posse. Primò, quia non desunt illis obiecta quæ habent rationem boni, futuri, ardui, possibilisque per Deum obtineri, quæ proinde sunt materia circa quam actum spei exercere possunt innitentes diuinæ potestati & pietati, quod est proprium spei Theologicæ formale obiectum, vt probauimus.

III.

Et sanè respectu Christi, qui semper quoad animam beatus fuit, negandum non puto gloriam corporis futuram tantùm in die resurrectionis, nec obtinendam nisi per tot & tantos vitæ ac mortis labores & cruciatus, habuisse rationè boni, futuri, ardui, possibilis per Deum obtineri, sufficientisque proinde materiæ circa quam spei Theologicæ actum ipse posset exercere. Negandum item non puto beatos multa suis orationibus à Deo pro hominibus petere beneficia, quæ sunt reipsa bona, futura, ardua, possibilia per Deum haberi, quæque proinde ex natura rei tam apta sunt vt ab iis ex proprio Theologicæ spei motiuo sperentur, quàm vt oratione postulentur, cùm præsertim quod oratione petitur à Deo, sperari ab ipso possit, aut etiam debeat.

IV.

Secundò, quia si quæ causa negandi afferri posset, maximè vna ex istis duabus. Prima, quòd actus spei licet sit absolutè possibilis beatis, ipsorum tamen statum non decet, vt de actu fidei suprà docuimus. Secunda, quòd absolutè non sit ipsis possibilis, eo quòd quando ex natura rei est impossibilis proprius alicuius habitus actus circa primarium suum materiale obiectum, impossibilis quoque est quiuis alius circa secundaria omnia: at in beatis impossibilis ex natura rei est actus spei circa beatitudinem æternam, quæ virtutis spei Theologicæ est obiectum materiale primarium. Sed neutra ratio legitima est: non quidem prima, quæ enim esset hæc actus spei imperfectio, ob quam hic actus statum beatitudinis non deceret? vtrum quòd hic idem actus tendat in bonum futurum, nec proinde habeatur id quod speratur? At cùm eadem imperfectio reperiatur in actu desiderij, qui non nisi circa bonum absens versatur, excludendus esset à beatis omnis actus desiderij, quo nostram salutem, vel quo Dei gloriam, similéve bonum absens desiderant. An quòd si in aliquem spei actum prorumperent, periculum aliquando esset ne sua spe frustrarentur? At ob eandem causam nullum vnquam desiderij, nullum orationis actum exercere deberent: pari enim in periculo sunt sui desiderij & orationis effectum aliquando non consequendi.

A

V.

B

VI.

Neque etiam secunda. Primò, quia primarium diuinæ fidei materiale obiectum est diuinitas, suppositâ autem communi Thomistarum sententia, quòd actus fidei & scientiæ simul ab eodem de eadem re haberi non possit, si cui in raptu communicaretur intuitiua diuinitatis visio, vt D. Paulo mortalem adhuc vitam agenti communicatam fuisse sentit S. Thomas, is pro eo tempore actum fidei circa diuinitatem primarium eiusdē fidei obiectum exercere non posset: neque tamen ideo nullum eodem tempore circa rem vllam aliam à Deo reuelatam, nec euidenter cognitam, posset actum diuinæ fidei exercere.

Secundò, quia cùm obiectum materiale, quâ materiale, non tribuat speciem actui, nec proinde magis eam tribuat materiale primarium, quàm secundarium, non video, cur si actus circa materiale primarium sit impossibilis, debeat quiuis alius circa secundarium impossibilis esse, potiùs quàm si circa secundarium aliquod sit aliquis actus impossibilis, debeat omnis actus impossibilis esse circa primarium. Præterea quia consequens esset, eum cui suæ futuræ dàmnationis facta fuisset à Deo reuelatio, nihil ampliùs sperare posse à Deo actu spei Theologicæ: actum enim sperandi circa primarium virtutis huius obiectum materiale, nempe æternam beatitudinem, exercere ampliùs non posset.

C

VII.

Postremò, quia si secundaria spei obiecta sperari non possent, nisi cum actuali relatione ad primarium, tanquam ad id quod speratur, & ratione cuius illa sperantur, quemadmodum media vt media appeti non possunt nisi cum actuali relatione ad finem tanquam ad id quod appetitur, & ratione cuius illa appetuntur, sanè possemus facile intelligere possibilè non esse spei actum circa secundaria illa obiecta, existente impossibili actu spei circa primarium, sicut est impossibilis mediorum electio, si sit impossibilis finis intentio: at cùm, vt suprà docuimus, obiecta spei secundaria sperari possint absque

D

VIII.

vlla ipſorum actuali in primarium obiectum relatione, immo abſque vlla de obiecto iſto primario cogitatione, eo quod per ſe & independenter ab ipſo ſufficientem habent boni, futuri, ardui, & poſſibilis obtineri per Deum rationem, ſecundùm quam proinde per ſe & independenter ab eodem ſpei actum terminare poſſunt, videre non poſſum, quomodo fiat, vt ſi ſit impoſſibilis actus circa primarium obiectum, eo quòd non haberamplius rationem boni futuri, ſed præſentis, ſit pariter impoſſibilis omnis actus ſpei circa quodlibet obiectum ſecundarium, quantumuis adhuc ſit bonum, futurum, arduum, & poſſibile per Deum obtineri: aut quare pari iure futurus non eſſet impoſſibilis omnis actus circa primarium, ſi circa ſecundaria impoſſibilis eſſet: aut ſi omnis circa ſecundarium aliquod eſſet impoſſibilis, non pari iure futurus eſſet omnis alius impoſſibilis circa quælibet alia ſecundaria, licet hæc adhuc boni, futuri, ardui, & poſſibilis rationem obtinerent.

I.

Dico poſtremò, non mihi videri pro certo exiſtimandum, habitum ſpei non manſurum in beatis, etſi nullum ſpei actum exercere poſſent, aut reipſa non manſurum in iiſdem poſt diem generalis reſurrectionis, licet à die illo nullum vnquam ſpei actum ſint elicituri. Primò, quia non eſt eadem ratio habitus ſpei quæ fidei: hic enim in eſſentia ſua obſcuritatem includens includit quoque eſſentialem imperfectionem ſtatui beatitudinis non ſatis conuenientem: at ſpei habitus nihil eiuſmodi imperfectum, quod hunc ſtatum non deceat, videtur includere. Deinde cùm fidei habitus tollitur à beatis, ita tollitur, vt aliquid eius loco tribuatur, nimirum lumen gloriæ, quo multò magis ornatur & perficitur beati intellectus quàm fidei habitu: at voluntati beati loco habitus ſpei nullus eiuſmodi communicatur ſupernaturalis habitus.

II.

Præterea ſi quæ ratio eſt exiſtimandi non manſurum tunc in beatis ſpei habitum, hæc procul dubio, quòd is eſſet tota æternitate otioſus: at hæc ratio, ſi nihil aliud adiungatur, ad id concludendum non ſufficit: tum quia tunc habitus iſte perinde ſe haberet, atque ſi non eſſet habitus operatiuus, nam tunc non magis agere poſſet, quàm ſi habitus operatiuus non eſſet, tunc enim temporis nullum haberet obiectum in quo apprehendi poſſet ratio boni, futuri, ardui, poſſibiliſque per Deum obtineri: habitum autem aliquem non operatiuum in beatis admittere nihil habet abſurdi, & admittunt hi omnes qui gratiam ſanctificantem in eſſentia animæ ponunt, & à charitate diſtinguunt: illam enim gratiam eſſe habitum non operatiuum certum eſt: tum quia admittuntur in beatis omnes virtutes infuſæ morales, iuſtitia, temperantia, miſericordia, & reliquæ, quarum tamen aliquos actus à beatis exerceri, aut poſt prædictum diem exercendos, certum non eſt.

III.

IV.

At hîc fortè nobis opponet aliquis ſanctum Thomam, nullum quidem agnoſcentem in Chriſto ſpei Theologicæ actum circa futuram ſui corporis gloriam, nullum item in beatis: at nihilominus admittentem in eodem Chriſto aliquem ſpei actum circa eandem gloriam ſui corporis, dum adhuc mortalis erat: admittentem quoque aliquem in beatis quo noſtram beatitudinem & alia ſperant, expreſſéque docentem, actum hunc non ex virtute ſpei Theologicæ, ſed vel charitatis, vel alterius ortum habere. Ex quo concluditur contra doctrinam à nobis ſuprà traditam virtutes à ſpe diſtinctas aliquem ſpei actum poſſe exercere.

A

V.

Reſpondeo ſanctum Doctorem per actum ſpei, quem virtutibus à ſpe diſtinctis tribuit, non intelligere actum illum ſperandi, qui proprie & ſtrictè ſpes dicitur, quique pro formali obiecto habet auxilium diuinæ poteſtatis & pietatis, aut quid ſimile bonitati rei ſperatæ prorſus extrinſecum, cuiuſmodi ſperandi actum ſolum negauimus à virtutibus diſtinctis à ſpe poſſe effici: ſed intelligere aliquem actum deſiderij elicitum ex proprio motiuo charitatis, aut alterius virtutis, qui deſiderij actus appellari poteſt ſpes, licet latè minuſque propriè, quando per ipſum deſideratur bonum aliquod, futurum, arduum, & poſſibile, & præterea quando cum hoc deſiderio eſt in intellectu iudicium aliquod certum, quo iudicatur infallibiliter euenturum bonum illud quod deſideratur, aut probabile eſſe quod reipſa ſit euenturum. Si enim, vt ſuperiùs obſeruaui, actum amoris, ſeu ſimplicis complacentiæ quo nobis placet ſalus parentum, aut amicorum noſtrorum pridem vita functorum, coniunctum cum probabili iudicio quo iudicamus eos eſſe ſalutem conſequutos, ſpem communiter appellamus, quis enim communior loquendi modus iſto quo dicimus ſperare nos eos ſaluos & beatos eſſe? certè pari, imò potiori iure prędictus deſiderij actus ſpes dici poteſt.

B

VI.

VII.

C

DISPVTATIO XXXV.

De peccatis virtuti ſpei oppoſitis.

PECCATA hæc alia eſſe non poſſunt, quàm vel omiſſionis, vel commiſſionis: peccatum omiſſionis virtuti ſpei oppoſitum cõſiſtit in omiſſione actus ſperandi imperati per affirmatiuum præceptum ad virtutem ſpei per ſe pertinens: omne enim peccatum omiſſionis poſitum eſſentialiter eſt in omiſſione actus imperati præcepto affirmatiuo, contrahitúrque eo tempore quo præceptum illud ad eius exercitium obligat, & tamen omittitur. Quo autem tempore præceptum affirmatiuum ad virtutem ſpei per ſe pertinens obliget ad actum ſperandi exercendum, determinare facile non eſt. Ego ſanè non video vllum huius obligationis tempus, niſi forte illud quo poſt factam ſufficientem homini, nec dum fidem aut actualem aut habitualem habenti, propoſitionem myſteriorum noſtræ fidei, & Chriſtianæ religionis amplectendæ, obligatur myſteria illa credere, & hanc religionem amplecti.

D

VIII.

Possunt quidem extra hoc tempus dari alia multa tempora, in quibus sit obligatio ex affirmatiuo præcepto exercendi actum spei, vt cùm quis obligatur ad confitenda peccata, nec potest, nisi præuio actu spei de venia ac misericordia consequenda: aut cùm quis grauiter
I. tentatur de peccato desperationis, nec superare tentationem potest, nisi contrarium spei actum A exercendo: his enim & similibus aliis temporibus obligatio est actum spei exercendi: quoniam tamen tunc præceptū istud affirmatiuum per se & directè ad virtutem spei non pertinet, seu primò & per se ex hac virtute vim non habet obligandi ad eliciendum spei actum, sed ex priore quodam alio præcepto ad virtutem aliam pertinente, vt ad religionem, ex qua directè obligatio est peccata certo tempore confitendi: aut ex præcepto quidem ad virtutem spei spectante, sed negatiuo, directe ac per se vetante actum desperationis, ideo tunc omissio actus spei non est peccatum omissionis contra spei virtutem, sed vel omissionis contra religionem, idémque numero peccatum cum
II. omissione confessionis peccatorum, vel commissionis contra spem, idémque numero B peccatum cum peccato desperationis.

Iam peccata commissionis virtuti spei opposita duo sunt, vnum desperatio, alterum præsumptio: quorum illud per defectum, istud per excessum illi virtuti opponitur, eo sensu & modo quo rectè S. Doctor in art. 5. quæst. 17. in respons. ad 2. explicat. De peccato desperationis vnica solet hîc à Theologis tractari difficultas, vtrum scilicet is qui suæ futuræ damnationis reuelationem à Deo accepisset, posset ab ipso nihilominus æternam vitam sperare?

De qua dico primò, ex hypothesi factæ à Deo huius reuelationis, eum cui facta est adhuc posse sperare salutem, si reuelationi isti fidem non habeat, vt si dæmonis illusionem esse
III. iudicet: at si veram esse reuelationem certò credat, salutem ampliùs sperare non posse. Prima pars assertionis hinc patet, quòd eo casu perinde se res habet, atque si nulla huiusmodi facta reuelatio esset, quandoquidem eam non magis esse reuelationem iudicat, quàm si nulla facta esset. Quare cùm ante ipsam factam posset salutem sperare, poterit & postea, ob eandémque causam, & eodem modo poterit, ob quam, & quo antea poterat.

Secundæ partis ratio à priori est, quòd destructo obiecto alicuius actus redditur hic actus impossibilis, per illam autem reuelationem destruitur obiectum actus sperandi salutem: destruitur enim huius actus obiectum, quando destruitur aliqua conditio ad obiectum istud necessaria, vna autem ex conditio-
IV. nibus ad ipsum necessariis est vt sit futurum D bonum, seu quòd apprehendi & iudicari possit aliquando reipsa futurum, quale iudicare bonum æternæ salutis supposita illa reuelatione homo ille ampliùs non potest, cùm è contrario ea supposita, & pro vera reuelatione credita, iudicet certò illud nunquam reipsa futurum. Quam ob causam damnati non possunt sperare ampliùs beatitudinem, neque nos possumus sperare vel hypostaticam cum Deo vnionem, vel in cœlo parem B. Virgini gloriam. Nam licet vtrumque sit absolutè possibile, quia tamen certò credimus nunquam futurum, ideo sperare non possumus.

Hinc facilè soluitur quod obiici posset, nimirum homini de quo agimus, non obstante reuelatione illa, adhuc esse tam possibilem potentia antecedente, ac proinde simpliciter loquendo, salutem, quàm possibile eâdem potentia esset non peccare mortaliter, si esset in statu gratiæ sanctificantis, aut resurgere à peccato mortali in quod lapsus esset, nec ampliùs peccare mortaliter, quod adhuc esset illi possibile: hoc enim rectè solùm ostendit actum sperandi beatitudinem non esse ei impossibilem ex eo quòd hæc beatitudo sit ipsi impossibilis, aut ab ipso absolutè impossibilis iudicetur: quod non impedit quin eidem prædictus sperandi actus sit impossibilis, ex eo quòd hanc ampliùs iudicare non potest vt futuram reipsa aliquando, cùm e contrario nunquam futuram certò iudicet. V.

Nec dicas eum adhuc obligatum iri ad non peccandum, cui reuelatio facta esset de suo peccato futuro, ergo & eum cui de futura sua damnatione reuelatio facta esset adhuc obligari posse ad salutem sperandam, ad quod obligari non posset, nisi possibile esset: Mala enim est hæc consequentia, siquidem ideo is cuius in antecedente mentio fit adhuc obligaretur ad non peccandum, quia reuelatio peccati futuri non tollit obligationem præcepti vetantis peccatum futurum, vt nec eripit homini libertatem, potentiámque non peccandi: at reuelatio futuræ damnationis eripit homini potestatem sperandi beatitudinem, quia destruit obiectum huius actus, quo destructo redditur hic actus impossibilis. Vnde vt bona esset consequentia, dicendum in antecedente esset, eum qui de peccato suo futuro reuelationem accepisset à Deo, adhuc obligari posse ad sperandum se non peccaturum, ad quod obligari non
VII. posset, si hoc sperare non valeret: sed tunc antecedens falsum esset. Is enim ampliùs sperare non posset se non peccaturum, nec proinde posset ad hoc sperandum obligari. Ratio autem propter quam id ampliùs sperare non posset, est prorsus eadem cum ea, propter quam dixi, eum cui facta esset de sua futura damnatione reuelatio, salutem ampliùs sperare non posse. VI.

Dico secundò, hominem hunc posse licitè de sua salute desperare per positiuum actum desperationis: hic enim actus non videtur malus intrinsecè, & contra Theologicam spei virtutem, nisi dum est possibilis actus spei circa eandem salutem, qui posita prædicta reuelatione non esset ampliùs possibilis, vt probaui.

Deinde si desperatio illa peccatum esset, maxime quia vel esset de salute, vtpote re bona & sancta, vel quòd omnis desperatio de re aliqua sit huiusce rei formale quoddam odium, formalisve displicentia, quæ non potest non esse peccatum, quando de re bona & sancta est, cuiusmodi est æterna salus. At prima ratio nulla est, tum quia viri sancti, qui nonnunquam aggrediuntur & moliuntur aliqua plurimùm ad salutem animarum & Dei gloriam conducentia, de quibus perficiendis postea desperant, quòd prudenter iudicent ea non posse perfici, vel nunquam perficienda, non propterea à
VIII.

quoquam peccare censentur, quòd abiciant animum de iis perficiendis, seu quòd de iis desperent: tum quia nos desperamus & hypostaticam cum Deo vnionem, & parem B. Virgini gloriam, & similia per se sancta & bona, nec tamen desperando de rebus hisce peccamus.

I. Nulla quoque est secunda ratio, patet enim A his exemplis, circa res istas actum desperationis non includere necessariò formale quoddam odium & displicentiam, aut in genere circa rem de qua desperatur. Dum enim de prædictis rebus sancti viri desperant, vel nos de prædictis quoque desperamus, non habent illi, neque nos habemùs formalem circa res illas displicentiam. Et ratio à priori est, quòd, vt supra monui, ad eliciendum desperationis actum necesse non est apprehendere vllam in ea re de qua desperamus mali rationem, qua ratione non apprehensa non potest odij vel displicentiæ actus exerceri, sed sufficit apprehendere defectum virium vel sufficientium vel efficacium ad eius consequutionem. Imò cum prædicto

II. actu desperationis posse simul stare actum amoris & complacentiæ circa eas res de quibus desperamus, patet & ex prædictis exemplis, amamus enim vnionem hypostaticam, paremque B. Virgini gloriam, licet de hac illaque desperemus: & ex ratione nunc allata, quòd nimirum desperatio esse possit de re in qua nihil nisi ratio boni apprehenditur, quæ cùm sit obiectum amoris & complacentiæ, non mirum si circa rem hanc adhuc amoris & complacentiæ

III. actus possit exerceri. Atque hæc de peccato desperationis.

De præsumptionis hoc tantùm habeo monendum, nempe quod ait S. Thomas quæst. 21. art. 1. huius peccati actum inniti Deo, non esse sic intelligendum, quasi ipsi immediatè seu ipsius potentiæ & pietati innitatur tanquam formali obiecto, alioquin esset actus in entitate C supernaturalis, sicut & spei, quem ex hoc capite supernaturalem esse constat ex antedictis, quod absurdum esse per se patet. Et siue hic atque ille actus ex isto capite sit in entitate supernaturalis, siue non sit, saltem esset eiusdem speciei cum actu spei Theologicæ, cùm ex D. Thomæ præsertim doctrina specificentur actus à motiuis, seu formalibus obiectis. Vult ergo inniti Deo vt causæ efficienti præcise, non vt obiecto formali, quatenus is qui præsumit, bonum quod habiturum se præsumit, non nisi per Deum tanquam per causam eius efficientem se habiturum existimat: aliud autem esse actum niti re aliqua tanquam causa efficiente præcisè, seu ad rem aliquam dicere ordinem tanquam præcisè ad causam efficientem, aliud

IV. tanquam ad formale obiectum, constat ex dictis disput. 32. in respons. ad 4. & 5. argumentum. D

Quòd si quispiam quærat, quodnam sit ergo formale obiectum quo nititur præsumptionis actus virtuti spei oppositus? Respondeo id explicari posse duobus modis: primus est, dicendo motiuum illud esse singularem aliquam rationem boni seu excellentiæ quam apprehendit in se homo præsumens, ab eáque moueri ipsum, vt confidat se à diuina potentia & pietate acceptaturum id quod præsumere dicitur, vt gloriam sine meritis, aut longè maiorem suis meritis, aut quid simile. Nec refert, si interrogatus qua re fretus & nixus id expecter à Deo, respondeat, se sola Dei potentia & pietate niti: fallitur enim, perinde atque hæreticus, qui articulos fidei nostræ quos recipit, dicit se credere propter solam Dei reuelantis authoritatem. V.

Secundus est, dicendo nihil quidem plerunque esse ex parte hominis, quod sit formale motiuum prædicti actus præsumptionis, sed id quod motiuum eius est ex parte Dei se tenere: neque tamen hinc consequens esse, actum hunc idem formale cum actu spei Theologicæ obiectum seu motiuum habere. Nam licet is qui de diuina potentia & pietate quidpiam præsumit, speculatiuè credat, & confiteatur eandem ipsam Dei potentiam & pietatem, quam alius qui per spem Theologicam sperat, practicè tamen, seu in praxi mouetur non ab ipsa potentia & pietate quæ à parte rei in Deo est, à qua mouetur ille qui sperat, sed ab alia quam in illo apprehendit esse, cùm ibi formet & fingat animo potentiam & pietatem diuinam talem qualem vult. Quo secundo modo sanctus Thomas intelligendus erit, dum citato artic. 1. dicit actum præsumptionis niti Deo, seu diuina potentia & pietate, si cui forte videtur hoc articulo velle, actum hunc niti Deo, non pure tanquam causa efficiente, sensu superiùs explicato, sed etiam vt obiecto formali seu motiuo. Atque de spe hactenus. VI.

DISPVTATIO XXXVI.

Vtrùm charitas sit amicitia?

VII. QVÆSTIONEM hanc proponit S. Thomas artic. 1. quæst. 23. ad quam dum affirmatiuè respondet, non vult, vt ex articuli Corpore manifestum est, nostram erga Deum charitatem seu dilectionem secundùm se præcise ac solitarie acceptam esse amicitiam: sicut enim amor Petri Paulum amantis amicitia nec est, nec dici potest, si secundùm se præcise ac solitarie accipiatur, seu nisi supponatur, aut intelligatur mutuus in Paulo Petrum redamante amor, quia amicitiæ vox non quamcunque dilectionem significat, sed mutuam duorum se amantium: ita nostra erga Deum charitas seu dilectio rationem amicitiæ habere non potest, nisi supponatur aut intelligatur VIII. mutua Dei nos redamantis dilectio. Vult ergo tantùm S. Doctor, nostram erga Deum charitatem esse id quod ex parte nostra requiritur, vt inter Deum & nos amicitia sit, sicut amor Petri erga Paulum est id quod ex parte Petri requiritur, vt inter ipsum ac Paulum sit amicitia, hánque nostram erga Deum charitatem esse nostram ad ipsum amicitiam, quando in ipso supponitur aut intelligitur mutuus erga nos amor: sicut etiam ipse Dei amor erga nos

est eius ad nos amicitia, quando in nobis mutuus erga ipsum amor supponitur, aut intelligitur.

Cuius affirmatiuæ ad propositam quæstionem responsionis sic explicatæ veritas probatur in primis ex S. literis, in quibus
I. sæpissimè certi quidam homines amici Dei appellantur, inter quos proinde & Deum amicitia est, cùm amicus non nisi amici sit amicus, & in quibus per consequens est aliqua forma quæ sit ipsorum ad Deum amicitia, sicut & in Deo aliqua forma est quæ ipsius ad illos amicitia sit: vnde sicut hæc in Deo forma alia non est quàm ipsius erga illos amor, ita illa in ipsis forma alia non est quàm ipsorum erga Deum charitas seu dilectio.

Nec obiicias, ea Scripturæ loca, quibus homines charitate præditi amici Dei dicuntur, non propriè, sed metaphoricè esse accipienda: ex regula enim à D. Augustino lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. & 11. tradita, & à Theologis omnibus recepta, Scripturæ verba in
II. proprio sensu accipienda sunt, quando nihil vetat quo minus in eo accipiantur: nihil autem est quod vetet quominus amici & amicitiæ vox in proprio sensu sumatur locis illis, quibus homines amici Dei, & ad Deum amicitiam habere dicuntur, vt satis constabit ex sequenti ratione, qua secundò eadem D. Thomæ doctrina probabitur.

Probatur ergo secundò. Nostræ erga Deum charitati seu dilectioni nulla conditio deest ex iis quæ necessariæ sunt ad veram & in proprio sensu strictéque vsurpatam amicitiam: ergo nostra erga Deum charitas est vera & proprie dicta inter Deum & nos, ex parte nostra, amicitia. Consequentiæ bonitas per se patet. Antecedentis veritas probabitur enumeratione
III. conditionum quæ necessariæ sunt ad veram & in proprio sensu strictéque vsurpatam amicitiam.

Quarum prima est, vt sit amor actualis: antequã enim intelligatur actus amoris in Petro erga Paulum, non dicitur Petrus cum Paulo habere amicitiam: nec sufficit in Petro esse habitum amoris inclinantem ipsum ad exercendum actum amoris erga Paulum, alioquin existente etiam in Paulo habitu dilectionis inclinante ipsum ad actum amoris erga Petrum, etsi nullus vnquam interuenisset realis actus amoris illius erga hunc, & huius erga illum, intelligi posset vera inter Petrum & Paulum amicitia: quod communi hominum sensui iudicióque repugnat: alioquin etiam quisquis in gratia est, dici posset amicus cuilibet alteri in gratia item existenti, etsi nullum vnquam amoris actum erga eum exercuisset, quia quisquis in gratia est,
IV. præditus est habitu charitatis erga proximum. Amor ergo qui ad amicitiam necessarius est actualis esse debet: nec erit propterea consequens, actu amoris desinente desinere amicitiam: etsi enim actus ille physicè desinat, moraliter tamen tandiu manet, & denominat eum, qui physicè semel ipsum exercuit, amantem alterius, & ipsius amicum, si nulla alia conditionum ad amicitiam necessariarum desit, quandiu vis eius per contrarium actum, vt per odium, aut per aliquid huiusmodi ipsi repugnãs non destruitur: hanc autem conditionem nostræ charitati non deesse, patet ex eo quòd non solùm charitatis habitu, sed etiam actu Deum diligimus.

Secunda conditio est, vt amor ille actualis sit non quicunque amor, sed beneuolentiæ: nec enim satis est ad veram & proprie dictam A amicitiam, si sit amor concupiscentiæ. Vnde D. V.
Thomas ait hoc articulo primo ridiculum esse dicere aliquem vini amatorem ad vinum habere amicitiam, cùm vinum non amet alio amore quam concupiscentiæ. Hanc autem conditionem in nostra erga Deum charitate reperiri manifestum est, eo quòd tunc est amor beneuolentiæ, cùm personam amatam propter ipsammet personam diligimus, seu quod eodem redit, cùm personæ amatæ bonum volumus, quia bonum ipsius est, nostra autem erga Deum charitas eiusmodi est: per hanc enim Deo volumus bonum vt bonum eius est, seu, quod idem est, Deum propter se diligimus, cùm essentia nostræ charitatis, & definitio hæc sit, vt sit virtus qua Deus propter se diligitur.

Tertia conditio est, vt sit in persona amata VI.
B similis amor beneuolentiæ erga personã amantem: quò fit, vt si Petrus Paulum amet amore beneuolentiæ, sed à Paulo non redametur, aut non ametur nisi amore concupiscentiæ, nulla sit inter Petrum & Paulum amicitia: Deus autem qui à nobis amore beneuolentiæ amatur simili nos amore redamat: diligit enim omnes diligentes se, vt ex multis Scripturæ locis constat, & quidem dilectione non concupiscentiæ, sed beneuolentiæ: volens enim nobis bonum, vt gratiam in hac vita, gloriam in futura, similiaque bona, nec in commodum suum, quia nullum hæc ipsi proprie commodum possunt afferre, sed in nostrum, seu quia hæc nobis bona sunt, amat nos amore non concupiscentiæ, sed beneuolentiæ, cùm hoc amore quempiam
C amare aliud nihil sit quàm ipsi velle bonum, VII.
quia bonum eius est.

Nec dicas Prou. 16. haberi Deũ omnia operari propter semetipsũ, & per consequẽs omnia propter semetipsum velle: ex quo cõcluditur, cùm bonũ aliquod nobis vult, non velle nobis illud propter nos, sed propter se, & proinde non amare nos amore beneuolentiæ, sed se. Ne, inquam, id dicas: etsi enim Deus creata omnia quæ vult & amat, velit & amet propter se tanquam finem vltimum, id est, in se tanquam in finem vltimum, in quem ex natura sua res omnes creatæ referuntur, referat, nihil tamen vetat quominus aliquibus creaturis velit bonum, non in suum commodum, sed quia commodum earum est, quod sufficit vt eas amore beneuolentiæ prosequi dicatur: alioqui non pos-
D semus vel nos, vel proximos amare vnquam VIII.
honestè amore beneuolentiæ, cùm neque nos propter nos, neque proximos propter ipsos, neque bonum nobis, aut ipsis, quia bonum nostrum, aut ipsorum est, sic amare & velle debeamus, quin simul aut actu, aut virtute, & nos, & ipsos, & bona omnia quæ nobis & ipsis volumus, in Deum tanquam in finem vltimum referamus. Quare sicut non obstante hac vel nostri, vel proximorum in Deum tanquam in vltimũ finem relatione, eo ipso nos amore

beneuolentiæ, vel proximos diligimus, quo nobis bonum vel ipsis volumus, quia bonum vel nostrum, vel ipsorum est: ita non obstãte quòd Deus omnia creata referat in se tanquam in finem vltimum, amabit tamen nos amore beneuolentiæ, eo ipso quo nobis bonum, non in suum commodum, aut cuiusquam alterius, sed in nostrum, seu quia nostrum bonum est, volet.

I. A

Quarta & vltima conditio est, vt mutuus ille beneuolentiæ amor non lateat eos qui amici dicuntur. Vnde definit Aristot. lib. 8. & 9. Ethic. amicitiam beneuolentiam mutuam non latentem: quo etiam fit, vt si Petrus Paulum amet, & quidem vehementer amore beneuolentiæ, & Paulus vicissim Petrum, sed ita tamen vt amor Petri Paulo, & Pauli Petro occultus sit, aut ita vt vnius amantis amor alteri notus sit, sed redamantis amor nõ sit notus amanti, nullus inter Petrum & Paulum amicitiam esse dixerit: hanc autem conditionem non deesse in nostra Deum inter & nos amicitia, liquet ex eo quòd certum in primis est Deum optimè nosse

II. B

nostram erga se beneuolentiam: deinde nos tã certos esse de eius erga nos dilectione, quam de nostra erga ipsum certi sumus, cùm certissimè sciamus ex Scripturis Deum omnes se diligentes diligere: de nostra autem erga eum dilectione eth physicam certitudinem non habeamus, nec proinde de eius erga nos dilectione, moralem tamen habemus, & proinde sicut de nostra erga ipsum, sic de ipsius erga nos beneuolentia moraliter certi sumus: quod certitudinis genus ad veram amicitiam sufficit, cùm inter homines qui amicum habet, nullam de eius erga se amore certitudinem nisi moralem habeat.

III. C

Non refero hîc alias à Philosopho citatis libris relatas amicitiæ conditiones, non quòd in nostra inter Deum & nos amicitia non reperiantur, sed quòd ad veram & propriè dictam amicitiam necessariæ absolutè non sint, sed solæ illæ quatuor quas retulimus. Vnde & idem Philosophus tradens essentialem & integram amicitiæ definitionem, dixit eam esse beneuolentiam mutuam non latentem: qua definitione, vt patet, quatuor illæ conditiones exprimuntur, & nulla præterea alia.

IV. D

Neque obiicias eundem Philosophum lib. 8. Ethic. cap. 7. & lib. 2. Magnorum moralium cap. 11. requirere ad amicitiam, tanquam conditionem necessariam, æqualitatem inter amicos: inter Deum autem & nos nullam æqualitatem esse, propterea quæ ipsum ibidem expressè docere, Deum inter & nos amicitiam esse non posse. Ne, inquam, id obiicias: ipse enim cap. illo 7. expressè agnoscit duplex amicitiæ genus, vnum æqualitatis, alterum excellentiæ, seu supereminentiæ, & prius illud reperiri docet inter eos qui sunt æqualis conditionis, & status, qui sibi possunt & debent mutua æqualiter beneuolentiæ signa præbere: istud verò posterius inter eos qui diuersæ sunt conditionis & status, vt inter dominum & seruum, inter Regem & subditum, qui non debent sibi vicissim præbere mutua beneuolentiæ signa æqualiter, secundum æqualitatem seu proportionem arithmeticam, sed vt summum secundùm geometricam, id est, itavt amicorum inferior eo plura & maiora dare debeat, quàm ille qui superior est, quo magis iste supra illum statu & conditione eminet. Vnde dum ad amicitiam requirit æqualitatem inter amicos, de priori amicitiæ genere loquitur, de eodemque intelligendus, cùm inter nos & Deum negat

V. A

amicitiam esse posse: multis enim locis aliis agnoscit alterum amicitiæ genus inter Deum & homines, vt cùm cap. 16. libri 8. Ethic. manifestè asserit filiorum ad parentes, & hominum ad Deum esse amicitiam tanquam ad aliquid excellens: vt etiam cùm cap. 14. eiusdem libri ait satisfieri amicitiæ quæ ad Deum est, si homo præstet totum quod potest, licet non præstet totum quod Deo debetur secundùm excellentiæ quam habet dignitatem.

VI. B

Ex dictis concludes, charitatem quæ in infantibus baptizatis est, & in adultis non nisi per sacramentum re susceptum iustificatis, non esse veram illam ab Aristotele definitam amicitiam: habitualis enim tantùm est, & ipsos latet eam habentes, saltem si de infantibus sermo sit. Quoniam tamen solet communi Theologorum omnium loquendi more omnes iusti & charitate præditi dici amici Dei, prædicti autem infantes & adulti ea præditi sunt, propterea simpliciter fatendum est illos esse Dei amicos, seu inter Deum & ipsos intercedere amicitiam, non quidem illam à Philosopho definitam, sed eam quæ nihil aliud significat, quam mutuum veræ beneuolentiæ amorem, siue habitualis, siue actualis ille sit, siue sit vtrique amanti notus, siue non sit.

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrùm charitas sit aliquid creatum in anima?

VII. C

VÆRIT hoc iis ipsis verbis S. Thomas quæst. 23. art. 2. de qua quæstione sententia Magistri in 1. distinct. 17. fuit non esse: docuit enim charitatem qua Deus à nobis propter se diligitur, esse ipsum Spiritum sanctum. Vbi aduerte eum hoc docentem non loqui de charitate actuali, sed de habituali, quam vult non esse habitum aliquem creatum, sed esse ipsum Spiritum sanctum efficientem in nobis, respectu actuum dilectionis Dei, quod faciunt habitus fidei & spei respectu propriorum actuum. Quam opinionem refutat hîc Diuus Thomas,

VIII. D

docens charitatem tam habitualem quàm actualem quidpiam creatum esse: quam eius doctrinam Theologi communiter amplectuntur.

Et quidem quòd in nobis charitatis actus sit quid creatum, tam certum est, quàm voluntatem nostram esse principium effectiuum huius actus, quæ sanè nullius actus increati potest esse principium effectiuum: quòd autem huius actus tale principium sit, tam certum est, quàm hunc esse voluntarium & meritorium: qui profectò talis non esset, si à nostra voluntate non efficeretur.

Quòd verò sit etiam admittendus in nobis aliquis creatus charitatis habitus, optima ratione probat sanctus Doctor, cuius hæc summa est, charitatis actum à voluntate nostra non productum iri perfectè, nisi nostra voluntas creato charitatis habitu esset instructa, quòd nullus actus perfectè producatur, I. A nisi producatur connaturaliter, produci autem connaturaliter nequeat, nisi potentia producens sit eiusdem cum producto actu ordinis, voluntatem verò nostram non esse per se eiusdem ordinis cum charitatis actu, cùm hic actus in substantia sit supernaturalis, nostra autem voluntas merè naturalis sit: hanc porrò per nihil aliud constitui eiusdem ordinis cum charitatis actu, principiúmque connaturale huius ipsius actus, quàm per creatum charitatis habitum, qui cùm sit in entitate supernaturalis, est per consequens eiusdem ordinis cum charitatis actu, quem cum voluntate per potentiam suam actiuam, non naturalem, sed obedientialem coagente, physicè & effectiuè producit: sicut intellectus II. noster, eadémque nostra voluntas per nihil B aliud constituitur eiusdem ordinis cum supernaturali diuinæ fidei & spei actu, principiúmque connaturale huius & illius actus, quàm per creatum & supernaturalem habitum fidei & spei, quorum ille intellectui, iste intrinsecè voluntati inhæret. Quare sicut huic & illi nostræ facultati ad producendos fidei & spei actus superadditur hic & ille supernaturalis habitus, tum vt per eos, ipsarum actiua obedientialis, & proinde incompleta vis, compleatur in ratione potentiæ & principij actiui, tum vt illos actus producant connaturaliter: ita ob easdem causas eidem nostræ voluntati ad producendum charitatis actum superaddendus est creatus charitatis habitus.

III. Probant aliqui Theologi eandem Diui C Thomæ doctrinam contra Magistrum his Scripturæ Conciliorúmque testimoniis, quibus dicitur charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum: quibus verbis apertè distinguitur charitas Dei à Spiritu sancto, tanquam effectus à causa, fermóque videtur esse de charitate habituali, quandoquidem diffundi dicitur, quod habituum proprium est. Verùm hæc probatio infirma est: facilè enim responderet Magister charitatem hanc quæ à Spiritu sancto tanquam effectus à causa distinguitur, esse non habitualem, sed actualem, nec de solis habitibus supernaturalibus dici, quòd infundantur, seu diffundantur, sed id etiam rectè affirmari de supernaturalibus actibus, iísque præterea omnibus qui non nisi cum auxilio gratiæ exerceri possunt: quod verum esse tum ex Concilio Arausicano 2. tum ex vsurpato ab Ecclesia orandi modo, in materia de fide disput. 11. probauimus.

IV. D

Obiicit Magister hoc testimonium Ioannis epist. 1. cap. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet.* Quibus verbis colligere videtur S. Ioannes, cùm Deus charitas sit, eum qui manet in charitate, in Deo manere: quod non rectè colligeretur, si verbis istis, *qui manet in charitate*, per charitatem intelligeretur aliqua creata virtus, & non potiùs ipsa diuina persona, cum voluntate nostra immediatè loco creati habitus actum dilectionis efficiens.

V. Vera responsio est, D. Ioannem citatis verbis nulla vti argumentatione, duasque distinctas recensere charitatis laudes, quarum prima est, charitatem tam perfectam esse, vt de Deo possit affirmari formaliter & propriè, cùm tamen nequeant fides, spes, aliæque similes virtutes, quæ in formali proprióque suo conceptu includunt essentialem imperfectionẽ Deo repugnantem. Quam ob causam rectè D. August. lib. 15. de Trinit. c. 17. scripsit, quòd quando Deus in Scripturis charitas dicitur, non est accipiendum, sicut cùm aliqua alia dicuntur Deus, vt cùm Psalmista Deo dicit, Tu es patientia mea, misericordia mea, & similia, quæ de Deo dum affirmantur, sensus solùm est, ipsum esse eum, à quo illa quæ in homine est misericordia, & patientia, tanquam à causa proficiscitur: sed ideo Deum charitatem dici, quia VI. hæc verè digna Dei nomine est, itavt dicatur Deus charitas, sicut idem Deus Spiritus est, & dicitur. Secunda laus est, per charitatem hominem effici Deo charum & dilectum, eúmque proinde qui manet in charitate, in Deo manere, eo similíve modo quo res amatæ sunt & manent in amante. Vnde concludes, charitatis nomen dum in recto de Deo prædicatur, & à S. Ioanne Deus charitas dicitur, non habere eandem significationem, quam habet, cùm ab eodem qui manet in charitate, in Deo manere dicitur: illic enim significat increatam dilectionem qua Deus se diligit, hic verò creatam qua nos ipsum diligimus.

VII. Obiicies secundò pro Magistro ex doctrina D. Thomæ hoc art. 2. ad 3. effectum formalem charitatis, qui est coniungere animam cum Deo, esse infinitum: nullius autem formæ creatæ effectum esse posse infinitum. Sed respondeo primò, si quid hoc argumento concluditur, concludi quoque, nostram charitatem actualem non esse formam aliquam creatam, quandoquidem eius formalis effectus est nos cum Deo coniungere, qui effectus infinitus dicitur.

VIII. Respondeo secundò, charitatis siue habitualis siue actualis effectum formalem esse quidem nos cum Deo tanquam cum amico coniungere, sed hunc eius effectum, & quemcunq. alium esse simpliciter finitum, secundùm quid tamen infinitum esse, nempe ratione Dei cum quo nos coniungit, & à quo tanquam ab obiecto simpliciter infinito deriuatur in habitum aut in actum creatum qui circa ipsum versatur infinitas aliqua non simpliciter, sed secundùm quid tantummodo. Quæ causa est, ob quam à Theologis beatifica visio, lumen gloriæ, similésque supernaturales qualitates Deum immediate tanquam obiectum respicientes, secundùm quid infinitæ dicuntur.

DISPVTATIO XXXVIII.

An charitas virtus sit, an specialis, an vna virtus sit, an virtutum præstantißima?

I. HÆc à nobis instituitur disputatio, vt contenta sex sequentibus articulis D. Thomæ doctrina explicetur. Et quidem quod charitas virtus sit, nemo dubitat, cùm sit habitus natura sua productiuus actus boni moraliter, qualis procul dubio est actus quo Deus propter se diligitur. Neque verò habitus iste tantum hoc habet, vt sit essentialiter virtus, sed hoc præterea, vt semper obtineat statum perfectionémque virtutis: hunc enim statum & perfectionem obtinet habitus ille, qui eum in quo est efficit simpliciter bonum, quíque est principium actus æternæ vitæ de condigno meritorij: talis autem est charitatis habitus. In primis enim ab eo in quo est omnem mortalis peccati malitiam excludit, ipsumque Deo charum & amicum efficit, quisquis autem talis est, simpliciter bonus est. Deinde principium est actus dilectionis Dei, qui est æternæ vitæ de condigno meritorius.

II. Quòd verò sit specialis virtus, constat ex eo quod habitus ille specialis virtus est, qui potentiam in qua est inclinat ad actum habentem specialem bonitatem moralem, talis autem est charitatis habitus: voluntatem enim inclinat ad actum dilectionis Dei, qui moraliter bonus est, & quidem tam speciali bonitate morali, támque secundùm speciem distincta à qualibet morali bonitate cuiusuis

III. alterius actus, ad cæteras virtutes, siue Theologicas, siue alias pertinentis, quàm dilectio Dei propter ipsum Deum specie differens actus est à quocunque alio actu ad virtutes cæteras, siue Theologicas, siue alias pertinente. Adde quòd ex speciali modo suprà declarato quo charitas respicit Deum vt obiectum suum formale, satis constat illam esse specialem virtutem, támque specie distinctam à fide, & spe, quàm hæ virtutes speciales sunt, & à se inuicem specie distinguuntur.

IV. Neque verò hîc D. Thomas art. 4. in Corpore, charitatem cum spe aliáve virtute confundit, dum dicit bonum diuinum, in quantum est obiectum beatitudinis, habere rationem specialem boni, ideóque charitatis amorem, qui est amor huius boni, esse specialem amorem: non enim vult diuinum bonum, seu, quod idem est, Deum, prout est beatitudo nostra, nostrúmque summum bonum, esse obiectum virtutis charitatis, actumque quo Deus diligitur quátenus summum nostrum bonum est, ac proinde non propter se, sed propter nos, esse actum charitatis: constat enim inter omnes, ex iisque nominatim quæ in materia de spe disput. 34. diximus, & hunc actum, & illud obiectum non esse actum & obiectum virtutis charitatis, sed vt rectè Caietanus hîc explicat, vult diuinum bonum, seu Deum esse formale obiectum charitatis, non secundùm vnam aliquam perfectionem suam seorsim sumptam à cæteris, vt sapientiam, aut misericordiam, aut iustitiam, sed secundùm eam omnem quæ est obiectum beatitudinis, id est, beatificæ visionis, ac proinde secundùm omnem quæ in ipso est, cùm A omnis & integra eius perfectio à quolibet beato videatur. Quæ doctrina vera est, non enim mouetur nostra voluntas ad amandum Deum propter se à sola eius vel sapientia, vel misericordia, vel cæteris attributis seorsim acceptis, sed ab omni illa increata bonitate & perfectione, quæ est ipse Deus, qui proinde propter se diligitur, dum propter increatam illam bonitatem perfectionémque diligitur, quæ & ipsa diuinitas, & ipse Deus est. Neque etiam confundit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 13. eandem charitatem cum cæteris virtutibus, quando sic loquitur, *Charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*: His enim verbis non vult virtutem charitatis immediatè elicere actum fidei, spei, patientiæ, cæterarúmque virtutum huiusmodi, sed tantùm vult eam hos & similes B actus imperare.

V. VI.

Præterea quòd sit vna virtus, ex eo constat, quod illa virtus vna est, cuius obiectum formale vnum est: charitatis autem vnum est formale obiectum, nempe ipsa diuinitas, seu, quod eodem recidit, increata Dei bonitas & perfectio qua Deus in se absolute bonus est, & quæ ipse Deus est. Quam charitatis virtutem, esse virtutem Theologicam, esse in substantia supernaturalem, actum quoque eius, nempe actualem Dei dilectionem in entitate supernaturalem esse, nec vllam in entitate mere naturalem esse posse, satis constat iisdem argumentis, quibus idem de fidei & spei habitibus actibúsque suprà probauimus.

VII. Quòd denique virtutum omnium præstantissima sit, docet expresse S. Thomas citatæ C quæst. 23. art. 6. verúmque est de ea spectata siue in genere naturæ, siue moris. Et quidem quòd in genere moris, facilè constat tum ex eo quòd ipsa per se eum in quo est simpliciter bonum efficit, quod nulla alia virtus per se facit, cum nulla alia excludat per se omne mortale peccatum ab eo in quo est, isque qui vel vnico contaminatus est, coram Deo simpliciter & absolute malus sit: tum ex eo quòd illa virtus in genere moris est præstantior, cuius proprius actus cæteris paribus moraliter melior est proprio actu virtutis alterius, actus autem charitatis talis est, vt vel ex eo certum est, quòd actus ille semper ita moraliter bonus est, vt sit æternæ vitæ de condigno meritorius, quod nullus alterius virtutis proprius actus sibi per se vendicat: cùm quilibet alterius virtutis actus exer- D VIII. ceri possit ab homine non habente charitatem, à quo cùm exercetur, moraliter quidem bonus est, sed non ita vt sit æternæ vitæ de condigno meritorius.

Et licet dum à persona charitatem habente virtutum aliarum actus exercentur, sint semper æternæ vitæ de condigno meritorij, sicut tamen apud Theologos dubium non est, quin ex virtutum actibus huius gloriæ meritoris charitatis actus cæteris paribus maioris gloriæ meri-

torius sit, quàm vllus alius virtutum aliarum, ita per consequens dubium esse non debet, quin moraliter melior sit: cùm sicut hoc meritum fundatur in bonitate morali actus, ita maius meritum necessariò in maiori bonitate morali fundetur.

Quòd verò etiam in genere naturæ, hinc
I. constat, quòd omnes aliæ virtutes aut Theologicæ sunt, aut non sunt: si de posterioribus his sermo sit, non dubium quin ipsis præstet, cùm hæ pro formali obiecto à quo totam suam vt speciem, sic specificam naturæ dignitatem & perfectionem accipiunt, habeant ens aliquod creatum, charitas autem pro formali suo obiecto, à quo speciem suam, specificamque dignitatem accipit, habeat Deum, seu increatam eius bonitatem ac perfectionem. Quòd si de Theologicis, quæ duæ sunt, nempe fides, & spes, sermo sit, nec dubitandum videtur, quin charitas sit ipsis in genere naturæ præstantior, cùm ex essentia sua longe præstantiori modo tendat in
II. Deum, vt in obiectum formale, quàm illæ aliæ duæ virtutes, vt facile constabit consideranti speciales modos suprà explicatos, quibus hæ singulæ virtutes in Deum, vt in formale obiectum tendunt.

Nec refert, quòd fides sit intellectualis virtus, charitas verò moralis, seu voluntatis, intellectus autem sit in genere naturæ voluntate præstantior: hoc enim solùm euincit virtutem fidei secundùm gradum genericum, nempe virtutis intellectualis, spectatam, esse præstantiorem charitate, spectata item præcisè secundùm gradum genericum virtutis moralis: sed hoc impedire non potest, quo minùs aliqua virtus moralis & voluntatis, vt
III. charitas, secundùm specificam naturam spectata sit simpliciter & absolutè perfectior aliqua intellectuali virtute, vt fide, considerata secundùm totam quam ex essentia sua habet perfectionem: sicut etsi gradus generic. potentiæ cognoscentis sit perfectior gradu generico potentiæ appetentis, hoc tamen impedire nequit, quominus aliqua potentia appetens sit simpliciter & absolutè perfectior secundùm essentiam aliqua cognoscente potentia, vt voluntas visu: sicut etiam quamuis cœlum sit secundùm genericum gradum substantiæ incorruptibilis quid præstantius homine, spectato præcisè secundùm gradum genericum substantiæ corruptibilis, simpliciter tamen absolutéque homo est ens in genere naturæ cœlo longe nobilius.

Addit sanctus Doctor artic. 7. & 8. duo, ex quibus charitatis excellentia & supra cæteras virtutes præstantia intelligitur. Vnum
IV. est illo articulo 7. contentum, sine charitate non posse esse veram aliquam virtutem, quod non intelligit de vera virtute quoad essentiam virtutis præcisè, vt ex articuli Corpore non obscurum est, nec intelligi reuera potest, vt patet ex essentiali definitione virtutis, quæ est, vt sit habitus natura sua potentiam in qua est inclinans ad actum moraliter bonum, cuiusmodi habitum sine charitate haberi posse certum est: sed intelligit de virtute quoad statum modúmque virtutis, quem Theologi requirunt, vt habitum simpliciter & absolutè virtutem nominent: hic enim modus statúsque virtutis in eo consistit, vt habitus qui vocatur virtus eum in quo est simpliciter & absolutè bonum efficiat, vtque per proprios eius actus is in quo est ad finem vltimum sic contendat, vt eum
A V. consequi mereatur: quod nulla virtus habet absque charitate, cùm & nullius actus sit absque ea de condigno meritorius æternæ vitæ, & nulla ab eo in quo est mortale peccatum excludat, cuius tamen labe qui maculatus est, simpliciter & absolutè malus est.

Alterum, quod habetur artic. 8. est, charitatem formam virtutum esse: quod eodem intelligendum modo est, quo eandem charitatem fidei formam esse disput. 23. respondentes ad quintam in ea propositam quæstionem docuimus.

B

DISPVTATIO XXXIX. VI.

Quo modo producatur charitas?

PROPONITVR hæc à me quæstio hoc loco, eo tantùm fine, vt explicetur articulus secundus & tertius quæstionis 24. cuius in articulo primo postquam docuit sanctus Thomas voluntatem esse subiectum charitatis, qua de re nulla dubitatio esse potest, siue de habituali, siue de actuali charitate sermo sit, articulo secundo concludit charitatis habitum nobis à Deo infundi, id est, in nobis à Deo produci sine nobis ad eius productionem effectiue concurrentibus, sed passiuè VII.
C tantummodo. Probat autem conclusionem hanc, eo quòd charitatis habitus supernaturalis in substantia est, omnis autem huiusmodi habitus à Deo infunditur: quam Minorem propositionem infrà disputat. 42. fusè probabimus. Maioris autem veritas ex dictis in materia de fide disputatione 11. nota est.

Nec obiicias esse duplicem charitatis actum, vnum supernaturalem, naturalem alterum: ergo & duplicem charitatis habitum, supernaturalem vnum, alterum naturalem, húncque posteriorem nobis à Deo non infundi: falsitas enim antecedentis satis constat ex ibidem dictis. Quare recipiendum non est quod nonnulli Theologi dicunt, naturalem erga Deum charitatis actum esse eum qui circa bonitatem eius increatam naturæ lumine seu naturali cognitione cognitam versatur: supernaturalem verò esse illum, qui circa eandem versatur supernaturali cognitione cognitam. Constat
D enim etiam ex dictis sect. 1. eiusdem disput. voluntatis actum non ideo esse in substantia naturalem, quòd versetur circa obiectum naturali intellectus cognitione repræsentatum: neque ideo esse supernaturalem, quòd tendat in obiectum supernaturali cognitione VIII.

gnitione cognitum: denique duplicem vnius eiusdémque rei cognitionem, naturalem vnam, supernaturalem alteram, vtpote per modum puræ conditionis applicantem suum voluntati obiectum, efficere non posse, vt duplex circa rem illam vnam duplici illa cognitione repræsentatam elici possit voluntatis actus specie diuersus, qualis est omnis qui in substantia naturalis est, comparatus cum altero qui sit in substantia supernaturalis.

I.

Nec magis probandum est, quod nonnulli alij etiam Theologi asserunt, naturalem esse eum charitatis actum qui versatur circa Deum vt authorem naturæ, donorumque naturalium: supernaturalem verò esse illum qui circa eundem versatur, sed vt authorem gratiæ, donorúmque supernaturalium. Cùm enim Deus per eandem increatam bonitatem & perfectionem suam, per quam gratiæ, & supernaturalium donorum author est, sit etiam author naturæ, donorúmque naturalium, & vice versa, non potest propter se, ac proinde ex charitate diligi vel vt author naturæ, donorúmque naturalium, vel vt author gratiæ, donorumque supernaturalium, quin diligatur propter illam suam increatam bonitatem perfectionemque, tanquam ob formale motiuum diligendi, & proinde quin diligatur amore supernaturali, quandoquidem omnis amor quo diligitur Deus propter illam suam increatam bonitatem ac perfectionem, tanquam ob formale obiectum, supernaturalis in entitate est, quia vt citata disputat. probauimus, omnis actus qui circa Deum prout in se est, seu circa diuinum aliquod eius attributum, tanquam circa obiectum à quo speciem suam sumit, versatur, est in substantia supernaturalis.

II.

Nec obiicias, amari posse Deum propter ipsam naturæ donorúmque naturalium communicationem, amari item posse propter ipsam gratiæ communicationem, donorúmque supernaturalium, seu ob hæc & illa dona communicata, & hunc amorem Dei supernaturalem esse in entitate, illum verò esse mere naturalem: fateor enim hoc & illo amore diligi Deum posse, sed siue hic & ille amor sit in substantia naturalis, siue supernaturalis, siue naturalis vnus, supernaturalis alter, quod ad præsès institutum nihil refert, nego vel hunc, vel illum amorem esse actum charitatis erga Deum, quia neuter amor est beneuolentiæ amor erga ipsum, sed vterque concupiscentiæ solum est, cùm vtroque amore non ametur nisi ob hanc aut illam bonorum, siue naturalium, siue supernaturalium, communicationem, ac proinde nisi vt nobis bonus est, omnis autem charitatis actus erga Deum amor beneuolentiæ est.

III.

IV.

Quam charitatem negat S. Doctor artic. 3. communicari à Deo hominibus pari proportione qua communicauit iisdem dona naturalia: quod verissimum est, siue de charitate actuali, siue de habituali sermo sit. Certissimum enim est, non quo quisque ingeniosior est, aut eloquentior, & similibus aliis naturæ donis instructior, eo ipsum charitatis actus perfectiores elicere, aut charitatis habitum intensiorem habere, sed euenire plerunque contrarium. Quod etsi de hominibus verum sit, non est tamen extendendum ad Angelos, de quibus tractantes cum D. Thoma ad artic. 6. quæstionis 62. primæ partis oppositum docuimus, eos nimirum quanto superiores aliis in natura, & naturæ dotis fuerunt, tanto quoque intensiorem charitatis & habitum & actum habuisse: quod quomodo factum fuerit, & hoc articulo tertio D. Thomas obiter in respons. ad 3. explicat, & nos in Tractatu de Angelis disputat. 44. sect. 3. fusiùs declarauimus. Sequentibus sex articulis agit idem S. Doctor de charitatis augmento, de quo multæ & celebres sunt quæstiones, quas omnes sequentibus disputationibus accuratè pertractabimus.

V.

DISPVTATIO XL.

Vtrùm charitas possit augeri?

VI.

SECTIO PRIMA.

De augmento charitatis extensiuo.

PRIMA assertio. Charitas augeri potest. Hac assertione loquor in primis de charitate vagè & indeterminatè, non de actuali determinatè, nec de habituali, sed de hac aut illa indeterminatè: loquor deinde de augmento, nec de hoc determinatè, sed de aliquo vagè, quodcunque demum illud sit. Huius assertionis veritas patet primùm ex his Apostoli verbis ad Philipp. 1. *Hoc oro vt charitas vestra magis ac magis abundet.* Deinde ex Tridentino Concilio sess. 6. cap. 10. in quo de iustitiæ & sanctitatis incremento loquens sic ait: *Hoc iustitiæ incrementum petit S. Ecclesia, cùm orat, Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum.* Denique ex hac sancti Augustini sententia Tract. 5. in primam D. Ioannis epistolam: *Charitas cùm fuerit nata nutritur, cùm fuerit nutrita roboratur, cùm fuerit roborata perficitur.*

VII.

Secunda assertio. Charitas actualis augeri potest extensiue. Ad cuius assertionis veritatem intelligendam, prænotandum est, rem aliquam augeri posse extensiuè tribus modis. Primus est per additionem entitatis ad entitatem præexistentem, quæ cum ea continuatur, & facit majus continuum, seu magis extensum: quo modo aqua aduenies aquæ, & quantitas quantitati cum eadem continuatur, facítque aquam & quantitatem magis extensam, seu extensiuè maiorem. Secundus est per numericam rei quæ augeri extensiuè dicitur multiplicationem, quo modo quælibet species eo magis extensiuè augetur, quò plura ipsius indiuidua multiplicantur. Tertius est per quendam veluti respectum & ordinem ad nouum aliquod obiectum, ad quod res quæ extensiuè augeri dicitur, de nouo extendit se, cùm antea se non extenderet: sicut enim illa vel oculi vel intellectus siue humani siue Angelici visio seu cognitio, qua plura simul ob-

VIII.

iecta percipiuntur, maior extensiuè dicitur ea visione seu cognitione qua pauciora cognoscuntur, seu quæ ad pauciora obiecta repræsentanda se extendit, ita illa res augeri dicitur extensiuè hoc tertio modo, quæ ad nouum aliquod obiectum se extendit, ad quod antea se non extendebat.

I. A Hoc prænotato, non obscurum est assertionem de primo augmenti extensiui modo non esse intelligendam: patet enim illud augmenti genus soli corporeæ substantiæ, & accidenti materiali per materiale subiectum extenso posse conuenire, cuiusmodi certum est non esse charitatem actualem. Deinde tam clarum est veram esse assertionem de secundo extensiui augmenti modo, quàm perspicuum, quemlibet hominem plures numero charitatis actus exercere posse. Vera quoque erit assertio intellecta de tertio augmenti extensiui modo, si charitatis actualis nomine non intelligitur idem numero charitatis actus, sed multiplex: quàm enim certum est posse nos vno charitatis actu velle bonum aliquod Deo, alio aliud, tam exploratum est charitatem actualem vno numero actu ad hoc bonum tanquam ad obiectum,
II. B alio ad aliud tanquam ad aliud obiectum se extendere.

Quòd si charitatis actualis nomine vnus idemque numero charitatis actus intelligeretur, negandum esset actualem charitatem hoc tertium extensiui augmenti genus posse recipere: nullus enim siue intellectus, siue voluntatis creatæ actus manens idem numero ad nouum aliquod obiectum extendere se aliquando potest, ad quod antea se non extendebat, vt probaui in Tractatu de Deo ad articulum 10. quæstionis 12. primæ partis disputat. 22. cùm ostendi fieri non posse, vt eadem numero beatifica visio, quæ initio beatitudinis nihil aliud repræsentat quàm Deum, & hanc aut illam in
III. C Deo viso creaturam, postea nouam aliam repræsentet.

Tertia assertio. Charitas habitualis augeri extensiuè potest: quæ assertio, sicut & præcedens, cùm intelligi possit de prædicto triplici augmenti extensiui modo, certum in primis est non esse intelligendam de primo ex prædictis illis tribus: charitas enim habitualis, sicut & actualis, non est materiale accidens extensum per materiale subiectum, sed spiritale receptum in spiritali & indiuisibili subiecto, nempe voluntate. Certum deinde esse debet nec intelligendam esse de secundo extensiui augmenti modo, si charitatis habitualis nomine intelligatur ea quæ in vno eodemque numero subiecto est: hæc enim multiplex numero esse non potest: nam non est de genere accidentium illorum quæ multiplicari numero pos-
IV. D sunt in eodem numero subiecto, sed è contrario est de genere eorum quæ non possunt, quòd quælibet eorum pars addita parti præexistenti in eodem numero subiecto non possit non coalescere cum parte præexistente in vnam numero qualitatem. Quòd si charitatis habitualis nomine intelligeretur specifica eius natura, tam clarum est eam sic spectatam augeri posse extensiuè secundo illo augmenti extensiui modo, quàm certum est eam numero multiplicari posse in diuersis numero subiectis.

Restat tertius augmenti extensiui modus, de quo assertio intellecta vera est, siue charitatis habitualis nomine intelligatur specifica eius natura, siue ille ipse numero charitatis habitus V.
qui singulis inest vel hominibus, vel Angelis. In primis enim sicut hic habitus ita sumptus, dum est principium effectiuum vnius actus charitatis, quo bonum hoc aut illud Deo diligitur, verè per hunc actum quem producit, ad hoc ipsum bonum se in actu veluti secundo extendit: sic dum idem habitus eodem modo sumptus est effectiuum principium alterius actus charitatis quo bonum aliud Deo diligitur, verè per hunc alterum actum quem similiter efficit ad hoc aliud bonum se in actu veluti secundo extendit. Augetur ergo ille ipse habitus prædicto tertio augmenti extensiui modo toties, quoties nouos charitatis actus effectiuè producit, quibus bonum
VI. aliquod Deo amatur, distinctum ab eo quod præcedentibus charitatis actibus ipsi amabatur.

Deinde sicut diuinæ fidei habitus, vel secundùm specificam naturam, vel secundùm indiuiduantem spectatus, licet habeat pro materiali obiecto quidquid à Deo reuelatum est, extendere tamen se potest ad certum aliquod ens tanquam ad materiale obiectum, ad quod antea se non extendebat, quia nimirum certum illud ens reuelari nunc à Deo potest, & proinde intra eius obiectum poni, cùm antea reuelatum non esset, nec proinde intra obiectum eiusdem positum, ad quod per consequens extendere se antea non poterat, cùm nullus habitus ad aliud extendere se possit, quàm ad id quod intra eius obiectum est: ita
VII. charitatis habitus eo quo dixi modo sumptus, licet obiecti sui materialis ambitu comprehendat omne bonum, siue creatum, siue increatum, quod amari Deo potest, extendere tamen se potest ad certum aliquod bonum tanquam ad obiectum materiale, ad quod antea se non extendebat, quia nimirum produci nunc à Deo potest certum aliquod ens seu bonum quod antea productum non erat, cuius proinde producti existentia actualis tanquam bona Deo & in eius gloriam redundans amari per charitatis habitum Deo nunc potest, cùm antea non posset, eo quòd antea productum actu non erat.

Neque nobis repugnat sanctus Thomas, dum artic. 4. respondens ad primum concedere videtur quod primo illo in argumento fuerat dictum, nempe charitatem secundùm obiecta non
VIII. crescere: concedit enim solùm per quemlibet charitatis habitum quantumcunque remissum posse diligi Deo quidquid ipsi bonum est: quod tam verum est, quàm per quemlibet habitum fidei licet remississimum potest credi quidquid à Deo reuelatum est: quod non impedit, quin & hic, & ille charitatis habitus augeri possit extensiuè, eo modo qui explicatus est.

SECTIO II.

De augmento charitatis intensiuo.

I. PRIMA assertio. Charitas actualis augeri intensiuè potest. Antequam probetur, notandum est charitatem augeri posse intensiuè duobus modis: primo moraliter, secundo physice: priori modo augetur intensiuè, cùm nulla re ipsi adueniente per quam intrinsecè mutetur, talis tamen euadit ex ea re quæ ipsi aduenit, vt ex ipsius cum ea coniunctione faciat nos magis à Deo dilectos, & maiori gloria dignos: non enim potest nos tales efficere, nisi ipsa intensiuum aliquod incrementum accipiat: quod cùm physicum non sit, vtpote quod eam, vt suppono, nihil immutat intrinsecè, necesse est vt morale sit. Posteriori modo augetur intensiuè, cùm intrinsecè perficitur in ratione charitatis, facta in ipsa reali mutatione, persimili mutationi illi quæ fit in frigore, & calore, dum ex remissis intenduntur.

II. Iam verò charitatem actualem augeri posse intensiuè priori modo, constat ex eo quòd vna quidem ex parte certum est charitatis actus posteriores aduenientes prioribus nullam inducere mutationem realem in hos priores quibus aduenium: ex altera autem dubium non est per priores hos actus coniunctos illis posterioribus nos effici maiori gloria dignos, & reipsa propter eos maiorem in cœlo gloriam consequuturos, proindeque propter eosdem fieri magis à Deo dilectos, cùm eo ipso quo maiorem propter eos vult dare nobis in cœlo gloriam, propter eosdem nos magis diligat, quandoquidem velle alicui bonum, est eum diligere, maiúsque bonum velle, magis diligere est. Quod intensiuum charitatis actualis augmentum morale illustratur III. similitudine noui peccati ad præcedentem alterius peccati actum additi, qui peccati actus ad præcedentem additus eum, vt constat, realiter non mutat, facit tamen statum peccatoris intensiuè peiorem, seu peccatum eius præcedens cum hoc posteriori coniunctum intensiuè grauius, quandoquidem propter illud cum hoc coniunctum peccator grauiori supplicio dignus efficitur, & reipsa plectitur, magisque Deo exosus redditur.

Nec obiicias istud augmentum esse extensiuum, vtpote consistens in multiplicatione numerica multorum actuum: ita enim extensiuum est ob hanc numericam multiplicationem, vt simul sit intensiuum moraliter, quandoquidem isti actus ita numero multiplicantur, vt posterior adueniens priori nihil hunc IV. priorem realiter mutet, statum tamen hominis meliorem efficiat, húncque magis à Deo dilectum, & intensiore gloria dignum reddat. Quòd si augmentum purè extensiuum esset, posterior actus bonus adueniens priori non efficeret hominem coram Deo meliorem seu sanctiorem, magis ipsi charum, maioríque dignum gloria.

Quod augmenti purè extensiui genus reperitur in homine habente gratiæ sanctificantis & charitatis habitus, suppositа eorum sententia, qui volunt habitus istos essentialiter distingui, hunc immediatè voluntati, illum animæ substantiæ inhærere, vtrumque autem seorsim ac solitarie acceptum esse formam formaliter sanctificantem: qui enim vtrumque illum habitum, & æquales vtriusque gradus habet, magis extensiuè sanctus est, quàm si alterutrum solum haberet, quia plures numero formas sanctificantes habet, quæ simul sumptæ faciunt aliquid extensiuè maius, quàm si seorsim sumerentur: at non est magis intensiuè & moraliter sanctus: non enim propter vtramque formam simul sumptam magis à Deo diligitur, maioríque gloria dignus efficitur, maiorémque in cœlo recipiet, quàm propter alterutram seorsim acceptam.

Quòd autem charitas actualis augeri possit intensiuè posteriori modo, nempe physice, VI. tam certum est apud omnes, quàm indubitatum inter actus voluntatis siue bonos siue malos, siue virtutum naturalium, siue supernaturalium, alios aliis intensiores esse, eundémque numero voluntatis actum posse de remisso fieri intensiorem, voluntate continuante aliquo tempore eundem actum, & initio quidem paruum ad eius productionem conatum adhibente, sicque remissum exercente, postea autem multò maiorem adhibente, sícque ipsum intendente.

Secunda assertio. Charitas habitualis augeri intensiuè potest, tam moraliter, quàm physicè. Quòd moraliter possit, constat eadem ratione, qua superiori assertione idem de actuali charitate probatum est. Etenim vna ex parte certum est charitatis habitum intensionem quatuor verbi gratia graduum habentem, efficientémque eum in quo est dignum quatuor gloriæ gradibus, nihil immutari realiter & intrinsecè ab actu charitatis qui postea exercetur: ex altera vero certum quoque esse debet, per hunc habitum coniunctum cum hoc actu postea aduenientе statum hominis fieri meliorem, húncque maiori gloria dignum esse, & per consequens propter hunc habitum sic spectatum fieri hominem magis à Deo dilectum. Quòd etiam possit physicè, nulla ratio dubitandi est, sicut neque de habitibus aliarum virtutum, cùm præsertim charitatis actus alij aliis intensiores physicè esse possint, vt ex superiori assertione notum est: hinc enim rectè concluditur, ipsum charitatis habitum posse physicè intendi: nam sicut ad charitatis actus connaturaliter exercendos necessarius est charitatis habitus, ita vt charitatis intensiores actus connaturaliter exerceantur, necessarius est intensior charitatis habitus, cùm non possit habitus siue vitij siue virtutis remissus actum quantumcunque intensum connaturaliter efficere.

DISPVTATIO XLI.

Vtrùm charitas augeri posſit in infinitum?

SECTIO PRIMA.

Vtrùm posſit in infinitum & extenſiuè, & intenſiuè moraliter?

PRIMA assertio. Charitas actualis augeri potest extensiuè in infinitum. Reuocandus hîc in memoriam est triplex augmenti extensiui modus superiori disputatione sect. 1. relatus: & de primo quidem ex illis tribus non est hæc assertio intelligenda, cùm actualis charitas augeri non possit extensiuè primo illo modo, vt ibidem dictum est. De secundo autem modo intellecta hæc nostra assertio tam perspicuam habet veritatem, quàm clarum est ex natura rei fieri posse, vt successiuè plures ac plures in infinitum charitatis actus, siue ab eodem, siue à diuersis exerceantur. Denique de tertio intellecta falsa erit, si charitatis actualis nomine idem numero charitatis actus intelligatur, vera autem, si multiplex: falsa quidem, quia, vt ex illa sectione constat, idem numero charitatis actus capax non est augmenti extensiui tertio illo modo: vera autem, quia dubium non est, quin possit Deus plura & plura in infinitum bona creare: circa vnum autē ex iis cùm possit vnus charitatis actus exerceri quo bonū illud propter Deum diligatur, circa aliud alius, & circa quodlibet figillatim sumptum aliquis, patet charitatem actualem augeri posse extensiuè tertio illo modo, etiam in infinitum.

I.

II.

III.

IV.

Secunda assertio. Charitas habitualis augeri extensiuè etiam in infinitum potest. Non est intelligenda assertio de primo augmenti extensiui modo, cùm ex suprà citata sectione constet charitatem hanc extensiuè primo illo modo augmenti non esse capacem. Quòd si de secundo intelligatur, falsa erit, charitatis habitualis nomine intelligendo illum charitatis habitum qui in vno subiecto existit: vera autē, intelligendo specificam eius naturam: falsa quidem, nam, vt ex eadem sectione notū est, charitas habitualis ita sumpta extensiuum illo secundo modo augmētum suscipere non potest: vera autem, quia cùm ex rei natura multiplicari numero possint & homines & Angeli in infinitum, cuilibet autem homini & Angelo singularis aliquis & individuus charitatis habitus possit inesse, patet charitatis habitum tam multiplicari numero posse in infinitum, quàm possunt homines, & Angeli, & proinde posse augeri extensiuè secundo illo modo in infinitum.

Restat tertius extensiui augmenti modus, de quo assertio intellecta vera est: quia sicut charitas habitualis augetur extensiuè tertio illo modo, dum per nouos actus quos effectiuè producit, extendit se ad noua aliqua obiecta, ad quæ se per priores actus non extendebat, vt ex eadem sectione liquet: ita augeri in infinitum extensiuè tertio illo modo potest, si potest per plures numero actus in infinitum extendere se ad plura in infinitum obiecta, ad quæ se per priores actus non extenderit: hoc autem potest, cùm possint à Deo creari, vt paulò antè dixi, plura in infinitum bona, possintque circa bona hæc elici plures in infinitum actus, ita vt vnus circa vnum, alius circa aliud, & circa quodlibet seorsim acceptum aliquis charitatis actus exerceatur, quo bonum illud propter Deum diligatur.

A

V.

Tertia assertio. Charitas tam habitualis quàm actualis augeri potest intensiuè moraliter in infinitum. Probatur. Tūc charitas siue actualis siue habitualis augetur intensiuè moraliter, cùm nulla facta reali in ipsa mutatione reddit statum hominis vel Angeli charitatem, siue actualem, siue habitualem habentis, meliorem, efficítque hominem vel Angelum magis à Deo dilectum, & maiori gloria dignum: atqui nulla facta reali mutatione in ipsa charitate vel actuali, vel habituali, potest hæc & illa charitas reddere statum hominis vel Angeli in infinitum meliorem, ipsúmque hominem vel Angelum efficere magis ac magis in infinitum à Deo dilectum, maiorique in infinitum gloria dignum: ergo charitas tam habitualis quàm actualis augeri potest intensiuè moraliter in infinitum.

B

VI.

Maior ex superiori disputat. sect. 2. nota est. Minoris veritas hinc patet, quòd charitatis habitus ab actibus, & primus charitatis actus à sequentibus nihil realiter mutatur, coniunctus autem ille habitus cum actibus, & primus charitatis actus cum secundo sequente facit ex hac coniunctione statum hominis vel Angeli meliorem, hominémque vel Angelum magis à Deo dilectum, maioríque dignum gloria: coniunctus item habitus idem aut actus cum tertio actu sequente adhuc meliorem, magísque dilectum, & dignum: ergo si plures in infinitum sequentes ei iungi possunt, potest statum hominis vel Angeli reddere in infinitum meliorem, hominémque vel Angelum efficere magis in infinitum à Deo dilectum, maioríque in infinitum gloria dignum: possunt autem plures in infinitum ei coniungi, quia possunt plures in infinitum charitatis actus exerceri, vt paulò antè dictum est.

C

VII.

Nec dicas, per actus charitatis aduenientes actui vel habitui charitatis priùs existenti, actum hunc vel habitum non posse efficere statum hominis aut Angeli meliorem, redderéque hominem aut Angelum magis à Deo dilectum, & maiori gloria dignum, nisi aduenientes illi actus exerceantur ab homine vel Angelo viatore: extra statum enim viæ neminem per actus bonos quos exercet fieri posse meliorem, & maiore gloria dignum, tempore autem viæ, quod certum & finitum est, exerceri à nemine posse plures charitatis actus in infinitum. Ne, inquam, id dicas: vt enim iam concedamus, ne ab Angelo quidem posse tempore certo & determinato exerceri actus bonos plures in infinitum, non dubium tamen quin possint, si tempus viæ maius ac maius in infinitum esse potest, vt reuera potest, cùm vt tantum vel tantum sit, ex sola Dei libera voluntate pendeat.

D

VIII.

SECTIO II.

Vtrum augeri possit in infinitum intensiuè physicè?

I. PRIMA Assertio. Charitas actualis augeri A potest intensiuè physicè etiam in infinitum. Probatur primò hac ratione à posteriori. Actus visionis beatificæ potest esse intensior & intensior in infinitum, ergo & charitatis. Consequentiæ bonitas ex eo constat, quòd in beatis perfectio amoris respondeat perfectioni beatitudinis essentialis in clara Dei visione consistentis, & quo quisque beatior est, seu clariùs Deum videt & intensiùs, eo quoque intensius eum diligit: non posset autem perfectio amoris respondere sic perfectioni prædictæ beatitudinis, si posset clara Dei visio fieri intensior in infinitum, non posset autem actus charitatis.

Antecedens probo: Si possunt esse merita maiora & maiora in infinitum, potest & beatifica visio esse in infinitum intensior: atqui II. verum prius, igitur & posterius. Consequentia Maioris certa est, eo quòd sicut visio beatifica tanquam merces respondet meritis, ita visio intensior maioribus meritis: vnde si dari possunt maiora in infinitum merita, necessarium est, vt dari possit visio intensior in infinitum. Minoris veritas hinc patet, quòd vna quidem ex parte merita eò maiora sunt, quò plures charitatis actus exercentur, vt infra probabo, dum ostendam quolibet eiusmodi actu hominem mereri nouum augmentum gratiæ & gloriæ: ex altera verò possunt ab homine vel Angelo viatore plures in infinitum eiusmodi actus exerceri, præsertim cùm, vt paulò antè dixi, possit per voluntatem Dei tempus viæ fieri maius ac maius in infinitum, nec III. dubium esse possit, quin per omnipotentiam C suam Deus hominis vitam magis ac magis valeat producere.

Probatur secundò hac ratione à priori. Si charitatis actus esse non posset intensior in infinitum, sed determinatam sibi vendicaret intensionem, vltra quam non posset intendi, vel hoc oriretur ex specifica eius natura, vel ex causa efficiente à qua producitur, vel ex subiecto in quo recipitur: atqui ex nullo capitum istorum id oriri potest. Maior certa est, nullum enim aliud caput afferri potest, ex quo potiùs quàm ex aliquo trium prædictorum id oriri debeat, si alicunde potest. Minorem probo, non ex primo, alioqui cùm specifica actus charitatis natura desumatur ab eius obiecto formali, quod est Deus, seu increata eius bonitas & perfectio propter se diligibilis, IV. deberet hic actus ab obiecto suo habere determinatam suæ intensionis perfectionem, à quo tantum abest vt habere eam possit, vt è contrario potiùs ab illo debeat habere possibilem maiorē ac maiorem in infinitum intensionem, cùm obiectum illud natura sua tale sit, vt dignum sit quod propter se magis ac magis intensiuè in infinitum, ac sine limitatione vlla diligatur. Nec refert, quòd specifica charitatis actus natura finitam ex se perfectionem essentialem habeat: non enim propterea ex se postulat determinatam graduum intensionis perfectionem: nam & quantitas finitæ secundum essentiam perfectionis est, nec tamen ideo ita finitæ secundùm extensionem, quin possit extendi magis ac magis in infinitum.

Neque etiam ex secundo: licet enim creata voluntas sit causa efficiens actus charitatis, non est tamen eius causa efficiens prout potentia quædam naturalis est, quo modo considerata, sicut habet certum actiuitatis terminum, sic effectui suo non nisi certum & determinatum intensionis gradum potest tribuere, sed prout obedientialis est, seu eleuata à Deo, cuius omnipotentiæ tanquam causæ principali deseruire potest, tanquam instrumentum ad ea omnia quæ nullam implicant contradictionem. Nec denique ex tertio, ob eandem causam, quia nimirum etsi creata voluntas sit subiectum actus charitatis, eius tamen subiectum non est secundum potentiam passiuam naturalem, sed secundùm obedientialem, qua subiicitur immediatè Deo agenti in ea & ex ea quidquid con- VI. tradictionem nullam inuoluit. V.

Secunda Assertio. Charitas habitualis augeri potest intensiuè physicè in infinitum. Probatur: Actus charitatis sic augeri potest, igitur & habitus. Antecedens præcedente assertione probatum est. Consequentia bona est, tum quia quantus potest esse actus, tantus & habitus, ex communi consensu Philosophorū, Theologorúmq. quod & inductione per omnes actus, eisque respondentes habitus certum est: tum quia non posset alioqui quilibet charitatis actus produci connaturaliter: non producitur enim connaturaliter, nisi producatur à supernaturali charitatis habitu: non posset autem quilibet charitatis actus ab hoc habitu produci, si cùm posset actus esse physicè intensior in infinitum, non posset habitus. Cùm e- VII. nim non possit habitus remissus actum quantumlibet intensum efficere, daretur haud dubiè charitatis aliquis actus tantam habens intensionem, vt charitatis habitus summam habens quam habere potest intensionem, nullum eo posset intensiorem efficere: atqui cùm isto actu dari posset aliquis intensior, alioqui non posset charitatis actus esse intensior in infinitum, manifestè consequens est, fore vt dari posset aliquis actus charitatis tam intensus, vt produci non posset à charitatis habitu suam etiam summam intensionem habente, & proinde vt produci non posset connaturaliter.

Probo secundò sic à posteriori. Visio beatifica potest intendi physicè magis ac magis in infinitum. Igitur & charitatis habitus. Antecedens superiore assertione demonstratum est. Consequentia bona est, tum quia ex communi VIII. Theologorum consensu quanta cuiusque beati gloria seu visio beatifica est, tanta est eiusdem habitualis charitas: tum quia siue hæc tanta sit quanta illa est, siue non sit, id est, siue tot sint semper in quolibet beato huius quot illius gradus, siue non sint, dubium tamen non est, quin quantitati & perfectioni beatitudinis, seu beatificæ visionis respondeat certa quadam proportione quantitas & perfectio charitatis habitualis, ita vt quisquis alio beatior est,

seu intensiùs Deum videt, eodem quoque charitatis habitum intensiorem habeat, & quanto videt illo alio clariùs seu intensiùs, tanto quoque intensiorem quam ille charitatis habitum possideat: hoc autem fieri non posset, si cùm Dei visio fieri possit intensior in infinitum, non posset pariter charitatis habitus: ad summam enim intensionem quam habere posset cùm meritis suis peruenissent duo beati, quorum tamen vnus alio longe maiora merita haberet, vt suppono, vtriusque beati inæqualis esset gloria seu visio beatifica, propter inæqualitatem meritorum, æqualis tamen in intensione charitatis habitus, quia vterque totam, cuius hic habitus capax est, intensionem haberet.

I. A

Probatur tertiò hac ratione à priori, sumpta ex D. Thoma hac quæstione 24. artic. 7. Nulla forma remissionis & intensionis capax certam & determinatam intensionem habet, ad quam nulla fieri possit intensionis accessio, nisi vel ex propria ratione ipsius, vel ex parte causæ efficientis, vel ex parte subiecti: atqui charitas habitualis est forma capax intensionis & remissionis: igitur certam & determinatam

II. B

intensionem non habet, ad quam nulla fieri possit intensionis accessio, nisi ex aliquo trium istorum capitum: atqui ex nullo eorum id habet, igitur id non habet, & proinde talis est, vt fieri possit intensior in infinitum. Maior vera est, quia nullum aliud afferri caput potest, ex quo potiùs id habere debeat, si ex aliquo habet. Minor est certissima: vtraque consequentia euidens.

Assumptum, quod probandum restat, probo: in primis enim non ex primo capite, tum quia charitas habitualis non est ex propria sua ratione similis pallori, exempli causa, qui certam sibi determinatamque intensionem ex natura

III. C

sua vendicat, quoniam si hæc excedatur, fiet transitus ad formam alteram, & præexistens qualitas facta intensior desinet esse pallor, subiectúmque pallidum, fiet autem candor, & subiectum candidum: at licet intendatur habitus charitatis in infinitum, manebit semper charitatis habitus, nec periculum est, vt ex accessione intensionis fiat ad aliam formam transitus: tum quia cùm accipiat hic habitus specificam suam naturam ab obiecto suo, quod est increata Dei bonitas & perfectio propter se diligibilis, si ex natura sua certam sibi ac determinatam intensionem vendicaret, quæ transcendi non posset, deberet eam ab obiecto suo vendicare sibi: non posse autem ab eo illam sibi vendicare, constat eadem ratione, qua superiori assertione in secunda probatione assertionis idem de charitatis actu demonstratum est. Neque etiam ex secundo, cùm efficiens

IV. D

causa habitus charitatis sit Deus, cuius actiua potentia infinita est. Nec denique ex tertio, cùm subiectum eius sit voluntas per potentiam passiuam obedientialem eum recipiens, quæ subest omnipotentiæ Dei, vt ex illa, & in illa fiat quidquid ex illa & in illa fieri nullam implicat contradictionem.

SECTIO III.

Soluuntur duæ obiectiones.

AT obiicies primò, si posset intendi charitatis actus & habitus in infinitum, sequeretur fieri posse, vt Angelorum aut hominum aliquis peruenire ad tam intensum charitatis actum, & habitum, quàm intensus in Christo est: atque cum tanta sit cuiusque sanctitas, quanta est eius erga Deum siue actualis, siue habitualis charitas, sequeretur vlteriùs posse aliquem hominem aut Angelum ad æqualem Christi sanctitati peruenire sanctitatem. Denique cùm gloria sanctitati respondeat, sequeretur eundem hominem aut Angelum posse ratione suæ sanctitatis ad æqualem Christi gloriæ gloriam pertingere: quæ tamen tria consequentia communi Theologorum doctrinæ videntur repugnantia. V.

Respondeo charitatis actum & habitum in Christo existentem aut finitum actu esse in gradibus intensionis, aut actu infinitum: si secundum, potest ergo charitatis actus & habitus intẽdi magis ac magis in infinitum: si primum, quæro, vtrùm absoluta Dei potestate fieri possit intensior in infinitum, an non? Si potest, habemus intentum: si non potest, nihil est absurdi concedere primum consequens, nempe fieri de potentia Dei absoluta posse, vt vel homo vel Angelus ad tam intensum charitatis actum & habitũ perueniat, quam intensus in Christo est, & per consequens ad tantũ sanctitatis creatæ & gloriæ gradum, quantus in eodem Christo est. Si enim per absolutam Dei potentiam possibilis fuit in anima Christi tam intensus charitatis habitualis & actualis, creatæque sanctitatis, ac gloriæ, seu beatificæ visionis gradus, dubitari meritò non potest, quin per eandem sit possibilis in alio homine, aut Angelo. Imò licet Christi charitas & actualis & habitualis, eiusdémque creata sanctitas, & gloria diceretur actu infinita secundum gradus intensionis, absurdum non esset concedere fieri posse, vt hominum aut Angelorum aliquis per absolutam Dei potentiam ad parem charitatem, sanctitatem, gloriam perueniret, vt eadem ratione euincitur. VI. VII.

Nec verò communi Theologorum doctrinæ repugnat dicere hæc per absolutam Dei potentiam possibilia esse: communis enim eorum doctrina, quantum ad præsens negotium attinet, hæc solùm est, nullum vnquam hominum aut Angelorum fuisse aut fore, cuius charitas siue actualis siue habitualis, cuius item sanctitas & gloriæ æqualis Christi charitati, sanctitati, gloriæ fuerit, aut futura sit: nullum quoque eorum esse, qui spectato tempore vitæ & viæ quod ipsi ad merendum conceditur, spectatis item gratiæ auxiliis quæ ad eundem finem conferuntur, habeat potentiam vel physicam, vel saltem moralem, perueniendi ad tam intensam charitatem, sanctitatem, & gloriam, quam intensa in Christo est: ad quam & si prædictis rebus spectatis peruenire vel physice, vel moraliter non possint, non propterea tamen non possunt per absolutam Dei potentiam. VIII.

Aduerte autem me de sola Christi gratia creata loquutum esse, cùm dixi posse de potentia Dei absoluta parem illi esse alicuius hominis aut Angeli sanctitatem: nam certum est nullius puræ creaturæ sanctitatem parem esse posse increatæ ipsius sanctitati, quæ a parte rei est ipsa diuinitatis sanctitas, imò ipsa diuinitas eius humanitati vnita hypostatice, à qua hæc humanitas formaliter sanctificatur, vt in Tract. de Incarnat. ad quæst. 7. tertiæ partis disputat. 23. sectione 1. probauimus.

Obiicies secundò, si potest actus & habitus charitatis intendi in infinitum, nullius hominis & Angeli charitatem esse perfectam: imò nullam fore possibilem quæ perfecta sit, quandoquidem nulla erit possibilis, cui non possint addi noui aliqui gradus intensionis, & proinde perfectionis. Respondeo, si perfectum id solum dicitur cui perfectionis ampliùs addi nihil potest, reuera nullius hominis aut Angeli charitatem perfectam esse posse, ob allatam in obiectione rationem. Verùm etsi creata charitas hoc sensu perfecta esse non possit, perfecta tamen dici potest, & reuera est triplici alio, quem hîc non refero, quòd habeatur apud D. Thomam hac quæst. 24. art. 8. facillimusque sit ad intelligendum: quam etiam ob causam non explico diuisionem charitatis in incipientem, proficientem, & perfectam, quam articulo sequente idem S. Doctor clarè explicat.

DISPVTATIO XLII.

Vtrùm charitas augeri possit per actus?

NOTANDVM primò nos in posterum charitatis nomine, dum de eius augmento agetur, solam habitualè intellecturos, de actualis enim augmento suprà satis multa diximus.

Notandum secundò, nos hîc etiam, & in posterum augmenti nomine non aliud quàm intensiuum physicum intellecturos, de extensiuo enim & intensiuo morali satis superiùs dictum est.

Notandum tertiò, duobus modis intelligi posse charitatis habitum augeri per actus, primo physicè, secundo moraliter: priori modo per actus augetur habitus, quando per veram & physicam actionem actuum intenditur: posteriori verò modo, quando actus merentur augmentum habitus, etsi illud physicè non efficiant, aut efficere nequeant: de vtroque modo quæstio hic esse potest.

Quod ad priorem attinet, obseruandum est, dum quæritur, vtrùm charitas augeri possit per actus physicè, sensum quæstionis esse, vtrùm in actibus charitatis sit vis aliqua physica naturalis saltem instrumentalis, per quam in proprio genere causæ efficientis si non primariæ saltem instrumentalis intendere possint habitum charitatis? Nam illis actibus ad intendendum hunc habitum nemo negat vim actiuam obedientialem, similem illi quæ est in sacramentis ad producendam sanctificantem gratiam: quanquam si per potentiam actiuam obedientialem actuum illorum prædictus habitus intendi potest, aut etiam primò produci, non est propterea putandum re ipsa ita fieri, cùm nunquam sit asserendum Deum vti de facto creaturæ suæ actiua potentia obedientiali ad efficiendum id quod per eam effici potest, nisi cùm firma aliqua vel authoritas, vel ratio id asserere persuadet.

Iam de quæstione proposita cõmunis Theologorum consensus est, nullam actibus charitatis inesse vim actiuam naturalem etiam instrumentalem ad habitum charitatis intendendum: quam eorum doctrinam vnica ratione probabo, qua pariter concludam, nec fidei, nec spei actibus ad spei fideique habitus, nec vllis aliis supernaturalibus actibus ad proprios sibi correspondentes supernaturales habitus intendendos, aut etiam primò producendos, inesse vim vllam effectiuam naturalem etiam instrumentalem. Hanc autem rationem sic instituo.

Ea forma quæ nullam vim actiuam physicam naturalem etiam instrumentalem habet ad primò producendam qualitatem aliquam remissionis intensionisque capacem, nec vllam quoque habet ad eam intendendam: atqui charitatis actus nullam huiusmodi vim habet ad charitatis habitum primò producendum: ergo nec vllam habet ad eum intendendum. Maioris veritas constat in primis inductione per omnes formas quæ possunt alias intendere; quarum nulla reperietur potens aliam intendere, quæ non possit eandem primo producere, aut quæ potens esset eam intendere, si non posset primo producere.

Deinde hac ratione, quòd cùm augmentum, seu intensio qualitatis, vt caloris, frigoris, charitatis, & cuiusuis alterius intensibilis, sit essentialiter calor, frigus, charitas, eiusdem speciei cum præexistente qualitate quæ intenditur, cumque productio physica istius augmenti seu intensionis sit essentialiter productio caloris, frigoris, charitatis eiusdem speciei cum prima harum rerum productione, necesse est vt eadem ratio sit primæ rerum istarum productionis, & earundem intensionis: itavt quibus a causis hæ res produci primò possunt, possint & intendi, & vice versa à quibus intendi possunt, possint & primò produci: & è contrario à quibus non possunt primo produci, nec possint intendi, & vice versa à quibus non possunt intendi, nec possint primo produci. Vnde patet, quòd si charitatis habitus non possit ab actu charitatis tanquam à causa primò produci, nec poterit intendi, quod in illa maiore propositione solùm assero.

Nec obiicias habitum naturalem non posse primò producere actũ, quia præsupponit eum iam existentem tanquam causam à qua producitur, posse tamen intendere: fateor enim non posse primò producere actum, si fuerit productus, vt natura sua produci postulat, nempe per actum. Dico nihilominus eundem nullam vim physicam actiuam naturalem habiturum ad intensionem actus, nisi absolutè aliquam huiusmodi haberet ad primam eius productionem, quam etiam re ipsa habet. Vnde si priùs à Deo infunderetur, quàm vllus actus per quem

acquiri poterat exerceretur, pari facilitate cum potentia cui inhæret ad primum actum exercendum effectiuè concurreret, qua cum eadem postea concurrit ad secundum, & tertium, & ad huius aut illius intensionem.

Minoris eadem à priori ratio est cum illa, ob quam nec intellectio ad intellectus, nec volitio I. A ad voluntatis, nec visio ad visus, aut ad impressæ speciei cum eo ad illam effectiuè concurrentis productionem habere vim physicam actiuam naturale n potest: quæ ratio est, quòd intellectus intellectionis, voluntas volitionis, visus & impressa obiecti visi species est visionis per se principium effectiuum, non per accidens, connaturale, & necessarium prorsus vt connaturaliter producatur: nullus enim huiusce modi effectus sic à sua causa per se connaturaliter & necessariò dependens, eo ipso quo sic ab ea pendet, ex natura sua vllam eius efficiendæ vim naturalem physicam habere potest: supernaturalis autem habitus charitatis tam est per se principium connaturale & necessarium supernaturalis actus charitatis, similitérque quilibet II. alius habitus supernaturalis respectu supernaturalis actus sibi propriè respondentis, quàm intellectus, intellectionis, voluntas, volitionis, visus, aut impressa species, visionis. B

Cùm enim supernaturalis actus, eo ipso quo supernaturalis est, sit superioris ordinis actiua nostra potentia naturali, fit vt hæc nostra potentia non possit esse per se principium sufficiens actus illius, sed oporteat ipsi superaddi principium aliquod aliud ipsam eleuans & constituens in eodem ordine cum actu producendo, cum ipsa denique componens vnam totalem causam, & per se prædicti actus, quam per consequens hic actus per se & ex natura sua præsupponit, tanquam id à quo tam per se pendet vt producatur, quàm aliquis alius creatus effectus à propria sua causa pendere potest III. vt fiat: quod principium nostræ naturali potentiæ superadditum, & ab actu supernaturali præsuppositum, quidnam aliud esse potest quàm supernaturalis habitus? C

Certè quidquid demum sit, debet esse res in entitate supernaturalis, tum quia non constituet alioqui potentiam nostram in eodem ordine cum actu producendo, qui supernaturalis in entitate est, vt supponimus: tum quia nec eam eleuabit ad illum actum producendum: potentia enim naturalis eleuari non potest ad actu supernaturalis ordinis efficiendum, nisi per aliquid quod sit eiusdem cum actu efficiendo ordinis: tum denique quia prædicta illa res non efficeret alioqui cum potentia nostra naturali principium vnum sufficiens & adæquatum respectu actus producendi, quia sicut hæc nostra potentia non est eius principium sufficiens, eo IV. quòd sit naturalis ordinis, & proinde actu producendo inferioris: ita nec erit adæquatum & sufficiens principium, etsi superaddatur illi prædicta res, quia res illa erit in entitate merè naturalis, & coniuncta cum potentia nostra, non constituet cum ea nisi principium vnum naturale, seu naturalis ordinis, & proinde inferioris actu qui producendus est. Atque cùm ex his habeamus rem illam nostræ naturali potentiæ superadditam debere esse in entitate supernaturalem, dico præterea rem hanc aliud esse non posse quàm habitum, maximè cùm nequeat esse impressa aliqua species, quandoquidem multi voluntatis actus sunt supernaturales, in voluntate autem nulla potest esse species. D

At obiicies primò, naturalem habitum cum potentia cui inhæret concurrere effectiuè ad intensionem & substantiam actus naturalis, hunc autem actum habere vim physicam naturalem illius habitus non modò intendendi, sed etiam primò producendi. Respondeo id mirum non esse, quia quæ res pendet ab altera, sed non per se, potest habere vim physicam effectiuam naturalem circa eam à qua sic pendet: naturalis autem actus à potentia naturali instructa habitu pendet quidem, sed ita vt ab illa pendeat per se, ab hoc autem minimè per se pendeat, quia nullus est huiusce modi actus qui non possit naturaliter à sola potentia sine habitu produci. V.

Obiicies secundò, actum hunc tam esse causam per se connaturalem & necessariam habitus illius, quàm est visus aut impressa species VI. visionis: nihilominus illum habitum esse præditum vi naturali physica actus istius & intendendi, & secundùm substantiam efficiendi. Respondeo esse quidem, sed quæ vis naturalis physica, non est, nec esse potest per se causa actus, ob rationem proximè allatam: quam proinde vim physicam naturalem non repugnat coniungi potentiæ, quæ sola est causa per se, connaturalis, & necessaria actus, & potentiam hanc ab illa vi physica physicè adiuuari ad productionem actus remissiore conatu, ac proinde facilius, quàm fuisset ille quem adhibuisset, si eum sola, sicut poterat, produxisset. At si supernaturalis actus circa supernaturalem habitum efficiendum vim aliquam physicam naturalem haberet, non aliam haberet, aut habere posset, quàm causæ per se connaturalis & necessaria VII. respectu habitus, sicut & hanc solam habet naturalis actus respectu habitus naturalis: sicut item si quam vim physicam naturalem haberet visio circa visum, aut impressam obiecti visi speciem, non aliam sanè, quàm causæ per se connaturalis, & necessariæ: quam vim physicam sicut habere illa non potest, quia natura sua pendet & à visu, & ab hac impressa specie, tanquam à causa per se, connaturali, & necessaria: ita nec habere potest supernaturalis actus circa supernaturalem habitum, cùm ab hoc ille similiter pendeat, vt probatum est.

Obiicies tertiò, lumen à lumine, calorem à calore, frigus à frigore produci & dependere tanquam à causa per se connaturali & necessaria, vim tamen habere physicam naturalem effi- VIII. ciendi similis in specie luminis, caloris, frigoris. Respondeo primò, non habere vim physicam naturalem effectricem illius singularis frigoris, caloris, luminis, à quo pendent tanquam à causa per se, connaturali, & necessaria. Respondeo secundò, habere quidem respectu alterius, at quia sunt causæ vniuocæ cum effectu quem producunt, & actione transeunte in externum subiectum agentes: quod non conuenit causis æquiuocis, & immanente

tantùm actione agentibus, qualis est visus, & impressa species, respectu visionis, & qualis esset visio respectu visus, & impressæ speciei, si hanc aut illam intendere posset, aut primò producere: qualis item est supernaturalis habitus respectu actus supernaturalis, & qualis esset hic actus respectu habitus illius, si illum posset, aut primò producere, aut iam productum intendere. Vnde quemadmodum visio nec prædictam speciem in visu producere primò potest, nec intendere iam productam, nec aliam similem in eo efficere numero duntaxat differentem, ita nec supernaturalis actus potest supernaturalem habitum in potentia intellectus aut voluntatis aut primò producere, aut iam productum intendere, aut similem solo numero diuersum in eadem efficere.

I. A

Hactenus de priori modo augmenti charitatis habitualis per actum, nempe physice: de posteriori, nimirum moraliter seu meritorie, quoniam nulla inter Catholicos controuersia est, dico breuiter, charitatem habitualem posse per actus charitatis augeri moraliter seu meritorie: si enim per charitatis actus mereri possumus augmentum gratiæ, possumus & habitualis charitatis. Atqui primum illud possumus, igitur & hoc secundum. Maioris consequentia bona est, quia vel gratia cuius per actus charitatis meremur augmentum, aliud nihil est quā ipsa habitualis charitas, vel si est aliquid ab ea diuersum, ex communi tamen Theologorum consensu, & rei veritate, vt infra ostendam, eadem est ratio vnius, quæ alterius, quantum attinet ad rationem cadendi sub meritum actuum, itavt qui actus est meritorius aut non est augmenti vnius, sit aut non sit meritorius augmenti alterius. Minor de fide est. Canone enim 32. sess. 6. Concil j Tridentini percellitur anathemate, qui negauerit hominem iustificatum, bonis operibus mereri augmentum gratiæ, & proinde qui negauerit illud mereri charitatis actibus, cùm hi actus sint opera bona, imò omnium optima, quibus proinde debet inesse vis merendi gratiæ augmentum, si aliquibus bonis operibus inest, vt inesse definit citato Canone Tridentinum.

II. B

III. C

magis ex natura sua apti sunt ad ipsum charitatis habitum augendum, quàm vlli alij secundùm naturam suam spectati, vt & quiuis actus ad proprium suum habitum, quàm ad vllum alium augendum magis aptus natura sua est: ita si per aliquos charitatis actus prædictæ charitatis habitualis augmentum mereri possumus, profectò præcipuè per intensiores hac habituali charitate: tum quia ex charitatis actibus omnium optimi & præstantissimi sunt: tum quia magis cæteris omnibus apti sunt ad eam augendam, vt & ex omnibus alicuius habitus actibus omnium maximè apti sunt eum augere ij qui sunt hoc habitu intensiores.

V.

At dices nullum charitatis actum esse intensiorem habitu à quo effectiuè producitur: sumatur enim actus qui dicitur intensior, & quoniam finitæ intensionis est, supponatur [illegible] sex gradus intensionis, habitus charitatis [illegible] efficitur totidem intensionis gradus habet[illegible] go actus ille non est hoc habitu intensior: [illegible] sicut actus charitatis produci connaturaliter non potest à voluntate, nisi instructa charitatis habitu, ita nec actus habens intensionem sex graduum produci connaturaliter poterit, nisi ab eadem potentia prædita eodem habitu sex intensionis gradus habente.

VI.

Ad hoc argumentum prima responsio est quorundam authorum, dicentium præexistentem charitatis habitum, & remissiorem actu qui nunc exercetur, producere actum hunc non modo secundùm gradus priores quibus exæquat intensionem habitus producentis, sed etiam secundùm posteriores quibus excedit & superat: quorum ratio videtur esse, quòd cum habitus & actus sint diuersæ speciei, nihil prohibet quominus habitus remissior intensiorem actum possit efficere.

VII.

Sed hæc responsio probanda non est, quia vult actum charitatis intensiorem habitu præexistente semper effici totum, & secundū quemlibet sui gradum ab hoc habitu, & proinde semper produci connaturaliter, & quod consequens est, vult habitum charitatis præexistentem quantumlibet remissum posse charitatis actum quantumcunque intensum efficere, cum primus charitatis actus, qui post obtentum charitatis habitum exercetur, possit esse intensior in infinitum: quod consequens non est admittendum: primò, quia sicut perfectio habitus charitatis finita & determinata est, tam secundùm essentiam, quàm secundùm graduum intensionem, ita finita & determinata vis producendi actum: vnde sicut actum non nisi finitæ secundùm essentiam perfectionis potest producere, quia finitæ ipse secundùm essentiam perfectionis est, ita & actum non nisi finitum & determinatum secundùm gradus intensionis poterit producere, quia ipse secundùm gradus intensionis finitus & determinatus est.

VIII.

Secundò, quia si posset quilibet supernaturalis habitus quantumcunque remissus concurrere ad proprium suum actum quantumuis intensum, sequeretur quemlibet beatum & videre Deum, & amare infinite intensa visione & amore, aut certè Deum per miraculum impedire, ne tantum ab eo videatur, & ametur, quantum videri & amari connaturaliter potest. Si

DISPVTATIO XLIII.

Vtrùm charitas habitualis augeri meritorie possit per actus hoc habitu intensiores?

SECTIO PRIMA.

IV. D

Pars affirmatiua defenditur.

PARTEM hanc communi consensu Theologi omnes tuentur, & meritò sanè: sicut enim si per aliquos actus bonos mereri possumus augmētum charitatis habitualis, certè potissimùm per proprios ipsius charitatis actus, tum quia cæteris meliores & præstantiores sunt: tum quia

enim beati finita tantùm intensione visionis & amoris ipsum vident & amant, cùm ex vna quidem parte qualibet visione & amore certæ & finitæ intensionis dari possit alia intensior in infinitum, ex altera verò quilibet supernaturalis habitus posset producere naturaliter actum
I. quantæcunque intensionis, vt ab aduersariis A V.
dicitur, & beati præditi sint supernaturali habitu tum luminis gloriæ, tum charitatis, sequitur manifestè eos non amare Deum, nec videre tam intensè, quàm per vim naturalem illorum habituum possent, & proinde Deum per miraculum impedire ne tantum ab iis ametur, & videatur, quantum videri & amari per hos habitus naturaliter potest: toties enim miraculum est, quoties effectus aliquis à creatura non producitur, qui naturæ viribus ab ea poterat produci, quando creatura illa agens necessarium est, respectu talis effectus, qualis est intellectus beati imbutus lumine gloriæ, qui ab hoc habitu necessitate rapitur ad efficiendam claram Dei visionem, & voluntas instructa habitu charitatis, quæ necessariò prorumpit in actū
II. amoris, præsuppositа in intellectu clara Dei B VI.
visione. Quòd si Deus miraculosè non impedit, ne prædicti habitus tam intensam visionem & dilectionem efficiant quantam possunt, debent necessariò efficere infinitè actu intensam, qualibet enim finitæ intensionis dari potest alia intensior, quantumlibet autem intensam efficere posse dicuntur ab aduersariis.

Ex qua ratione concludes, lumen gloriæ quod in quolibet beato est, similitérque charitatis habitum in eorum quolibet existentem, non posse efficere visionem aut dilectionem Dei intensiorem ea quam nunc efficit, cùm vtrumque agens sit, vt dixi, necessarium, efficiátque proinde totum id quod naturaliter potest efficere: quod cùm procul dubio finitum &
III. determinatum sit in gradibus intensionis, pa- C VII.
tet esse consequens, supernaturalem habitum finitæ intensionis non nisi certæ determinatæque intensionis actum posse producere. Nec refert, quòd supernaturalis actus & habitus sint diuersæ speciei: nam & naturalis actus & habitus diuersæ quoque speciei sunt, nec tamen actus quantumlibet remissus potest habitum quantumuis intensum efficere, nec contra habitus quantumcunque remissus ad actum quantumlibet intensum cum potentia concurrere: lumen quoque à calore, cuius naturaliter productiuum est, specie distinguitur, nec tamen ideo potest quamlibet remissum lumen quantumlibet intensum calorem efficere, aut tantum, quantum recipere naturaliter subiectum potest, qui octo graduum est.

IV. D VIII.

SECTIO II.

Altera ad propositum argumentum responsio refellitur, & vera subiicitur.

ALTERA ad propositum argumentum responsio est Dominici Bannes artic. 2. quæstionis 24. dubio 2. ad 7. qui supponens charitatis actum intensiorem qui nunc exercetur, estque sex graduum, vt supponimus, non posse à præexistente habitu quatuor tantum gradus intensionis habente produci secundùm se totum, seu secundùm sextum & quintum gradum quibus excedit habitum, dicit effici ab hoc eodem habitu, sed aucto, & hoc ipso momento quo prædictus actus elicitur, augmentum duorum graduum recipiente: qui proinde dicet hinc quidem rectè sequi, actum hunc illo habitu sic aucto non esse intensiorem, esse tamen intensiorem habitu, antequam hic actus exerceretur, præexistente: Theologos autem cùm docent habitualem charitatem augeri per actus intensiores, loqui de actibus intensioribus, non quidem habitu qui tunc est, efficitque actum, sed habitu qui præfuit, antequam actus efficeretur.

Verùm huius responsionis falsitas ex eo constat, quòd sit ex ea consequens, nunc in nobis extra sacramenta charitatis habitum augeri sine merito nostro: quod consequens admittendum non est, cùm nullus Theologus admittat in nobis vllum habitualis charitatis augmentum, nisi vel per sacramenta collatum, vel extra sacramenta per actus nostros productum aut physicè, aut moraliter seu meritoriè, & proinde propter meritum nostrorum actuum. Consequens autem illud esse quod dixi, hinc ostendo, quòd ipsum habitus augmentum, à quo dicitur effectiuè produci actus ille intensior de quo agimus, in nobis esset, nec per sacramenta, vt constat, quia de homine loquimur qui nullum, vt supponimus, sacramentum suscipit: nec per vllum actus nostri meritum: si enim per alicuius, certè per illius qui effici ab augmento illo habitus simul cum præexistente habitu dicitur: at impossibile est actū illum huius augmenti meritorium esse, cùm principium meriti nequeat cadere sub meritum, vt ex doctrina S. Thomæ 1. 2. quæst. 114. art. 5. in Corp. & ad 3. & 3. parte quæst. 2. art. 11. in Corp. & ad 2. & ex communi Theologorum sententia, quæ efficacissima clarissimáque ratione, cuius afferendæ locus hîc non est, nititur, certissimum est: esset autem habitus ille & augmentum eius principium meriti, eo ipso quo esset principium effectiuum actus illius qui meritorius ipsius augmenti dicitur.

Vnde sicut ij qui dicunt primum charitatis actum effectiuè produci ab habitu charitatis, consequenter negant actum illum esse posse meritorium huius ipsius habitus, & rectè, tum quia principium meriti cadere sub meritum non potest: tum quia cùm meritum nostrum non sit nisi rei consequendæ dependenter à nostro merito, & quæ proinde sit eo naturæ ordine posterior, fit vt per actum nostrum mereri non possimus id quod iam natura priùs habemus, quàm actus ille exerceatur: priùs autem natura habitum ipsum habebimus, quàm primū illum actum exerceamus, si habitus iste sit principium effectiuum actus illius: ita propter hanc vtramque causàm fieri non poterit, vt actus intensior de quo disputamus, sit meritorius augmenti charitatis, si augmentum istud illius intensionis actus efficiens causa sit.

Tertia ergo & vera responsio est, eum qui nunc præditus est habitu charitatis intensionem quatuor graduū habente, & exercet postea actum charitatis habentem sex gradus inten-

sionis, per voluntatem suam hoc habitu instructam producere quatuor priores gradus actus istius, concurrente simul ad eorum productionem prædicto habitu, at posteriores duos effici sine concursu habitus à sola voluntate adiuta speciali Dei influxu, supplentis absentiam tam intensi habitus, quàm intensum esse oporteret, vt actum sex gradus intensionis habentem, & quemlibet eius gradum efficeret. Cuius responsionis veritas ex refutatione duarum præcedentium eluceſcit: ex prioris enim refutatione liquet actum hunc secundùm se totum & quamlibet sui partem non potuisse produci à remissiore habitu qui præexistebat: ex refutatione verò posterioris constat non produci ab illius habitus præexistentis augmento, quod tunc fiat cùm intensior ille actus exercetur: ex quo restat, vt à nullo habitu producatur secundum posteriores saltem gradus quibus habitum præexistentem excedit, Deo tamen supplente defectum habitus intensioris: sine hoc enim habitu, vel auxilio speciali Dei supplentis eius absentiam, produci à voluntate nostra actus ille non posset.

I. A

II. B

Dico secundùm posteriores saltem gradus: nam cùm præexistens habitus intensionis, vt supponimus, quatuor graduum, possit naturaliter intensionem quatuor graduum efficere, nulla ratio dubitandi est, quin cum voluntate producat quatuor priores intensionis gradus, quos habet actus de quo loquimur: ex quo concludes, actum hunc non produci connaturaliter secundùm eos gradus quibus excedit præexistentem habitum, cum secundùm eos à nullo habitu eiusdem ordinis producatur: quod admittere absurdum non est: ad hoc enim admittendum nos cogit, quòd vna quidem ex parte possimus intensiores actus habitu præexistente producere, nec potest quilibet habitus quantumcunque remissus esse principium effectiuum actus quantumlibet intensi secundùm quemlibet eius gradum, vt primam responsionem refutantes probauimus: ex altera verò, certissima doctrina sit, nos nullum habitualis charitatis augmentum habere extra sacramenta, nisi per meritum nostrorũ actuum, nostrisque actibus mereri nos illud augmentum posse: quod tamen, vt paulò ante ostensum est, cadere sub eorum meritum non potest, si sit principiuum effectiuum illius ipsius actus qui eius meritorius esse dicitur.

III. C

DISPVTATIO XLIV.

Vtrùm per actus charitatis æquales habitui ipse charitatis habitus augeatur?

IV. D

SECTIO PRIMA.

Refertur, & refellitur prima de hac quæstione sententia.

PRIMA de proposita quæstione sententia est Francisci à Victoria, Relectione de augmento charitatis, parte 1. num. 4. & sequentibus, asserentis charitatis habitum per solos charitatis actus habitu intensiores augeri, gratiæ tamen sanctificantis habitum, quem ab habituali charitate distinguit, gloriam item meritorie augeri per quemlibet actum charitatis etiam remissiorem præexistente charitatis habitu. Ex quo duo consequenter docet. Vnum est, hominem iustum in hac vita ordinarie maiorem habere gratiam habitualem quàm charitatem, quod eo facilius accidet in eius sententia, quò non modò vult gratiam per omnes charitatis actus augeri, charitatis autem habitum per solos intensiores, sed etiam hos intensiores actus mereri charitatis habitualis augmentum secundùm eos solos gradus quibus habitum excedunt: at gratiæ augmentum mereri tam secundùm hos quibus excedunt, quàm secundùm omnes alios, & proinde mereri semper plus gratiæ, quàm charitatis. V. VI.

Alterum est, gloriam tribuendam nobis in cœlo, futuram prorsus æqualem gratiæ, non autem charitati. Cùm enim velit per eosdem actus quibus meremur augmentum gratiæ, mereri etiam gloriæ, tantúmque vnius quantum alterius, opus est vt velit gloriam & gratiam fore æquales: cùm autem velite contrario nos communiter minùs mereri & habere charitatis quàm gratiæ, opus est vt simul velit gloriam futuram inæqualem charitati, ipsaque maiorem: quandoquidem vult gloriam futuram gratiæ æqualem, hanc autem esse charitate maiorem seu intensiorem.

Agnoscit tamen euenire posse, vt alicuius beati gratia, gloria, & charitas æquales sint, eo nimirum solo in casu, quo quis in sacramento vel extra primò iustificatur, in qua prima iustificatione sanctificantem gratiam, & habitualem charitatem æqualis intensionis accipit: nulla enim est ratio dicendi quod intensiorem vnam quàm alteram accipiat, cùm vtramque sine merito suo accipiat: quo in statu primæ iustificationis obtentæ, si moriatur, antequam vlla ad hanc, aut illam, aut vtramque per bonum aliquod opus accessio fiat, gloriam consequetur, sicut parem gratiæ, sic charitati, cùm hæc & illa pares sint. Dixi, in eo solo casu: post primam enim iustificationem obtentam si aliquod opus meritorium exercetur, illud semper erit ex eius sententia hîc declarata, aut meritorium gratiæ, & non charitatis, aut si vtriusque, magis tamé illius quàm istius: vnde vel augebitur gratia non aucta charitate, vel si vtraque augetur, magis tamen illa quàm ista: ex quo sequitur, vt gloria in cœlo tribuenda cùm futura sit æqualis gratiæ, sit inæqualis charitati, quandoquidem charitas & gratia inæquales sunt. VII. VIII.

Hanc Francisci à Victoria sententiam, quam & nonnulli Theologi defendunt, hîc refutabo, quantum ad eam partem, qua dicitur aliter de augmento gratiæ & gloriæ, aliter de charitatis esse philosophandum: postea refuturus

partem alteram, qua per solos charitatis actus intensiores habitum hunc augeri asseritur. Dico ergo cum Theologis communiter, paucis illis exceptis qui prædictæ sententiæ suffragantur, eodem modo sentiendum esse de augmento gloriæ, gratiæ, & charitatis, id est, si per aliquos actus vna ex illis tribus augeri non potest, nec posse duas alias, & per eosdem per quos vna potest, posse & alias, & quantum est vnius augmentum, tantum esse duarum aliarum, itavt nunquam habitualis charitas in hac vita maior aut minor sit gratia: gloria quoque in cœlo tribuenda prorsus æqualis sit futura gratiæ, & charitati. Et quoniam concedit nobis à Victoria gratiæ & gloriæ meritum atque augmentum semper æquale esse, futurámque in cœlo gloriam gratiæ æqualem, probandum nobis solummodo est gratiæ & charitatis meritum augmentumque semper æquale esse: ex hoc enim manifestè sequetur, quod sicut erit charitas æqualis gratiæ, ita & gloriæ, cùm gloria gratiæ sit æqualis.

I. A

II. Probatur autem primò authoritate S. Thomæ, qui cùm de gratiæ & charitatis augmento egit, eodem prorsus modo de vnius quo de alterius augmento loquutus est, hoc eodem loquendi modo satis aperte significans, existimare se eandem prorsus esse vtriusque, quoad augmentum, rationem. Vnde cùm 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. docuisset quolibet actu charitatis hominem mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, at sicut hæc gloria non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratiam statim augeri, sed suo tempore, cùm scilicet is qui gratiæ augmentum meritus est, fuerit ad illud recipiendum sufficienter dispositus: hac 2. 2. de charitatis habitualis augmento loquens quæst. 24. art. 6. in Corp. & ad primum, dicit omnes actus charitatis mereri augmentum charitatis habitualis, hanc tamen non augeri statim per omnes & singulos actus, sed quando postea is qui per hos actus augmentum illius meritus est, in feruentiorem actum prorumpit, & ita se disponit ad augmentum illud quod antea meruit reipsa consequendum.

III. C

Secundò, ex his D. Augustini lib. de Nat. & gratia cap. vltimo, verbis, *Inchoata charitas inchoata iustitia est: prouecta charitas prouecta iustitia est: perfecta charitas perfecta iustitia est.* Ex quibus clare concluditur, eandem esse quantitatem charitatis & iustitiæ, seu gratiæ iustificantis: quanta ergo est charitas, tanta est & gratia, & vice versa, siue gratia hæc ab illa charitate differat reipsa, siue non, sed virtute tantùm, itavt vna eademque forma dicatur gratia, quatenus hunc formalem effectum habet, vt nos Deo gratos efficiat: charitas verò, quatenus est principium effectiuum actuum dilectionis erga Deum: non esset autem eadem vnius quæ alterius quantitas, si vna per aliquos actus augeretur, & non altera: aut si cùm vtraque per eundem actum augetur, plus tamen per ipsum vna quam altera augmenti reciperet.

IV. D

Postremò ex eo quòd sequerentur hæc absurda duo: primum, facilè fieri posse, & reipsa forte futurum, vt multi ex beatis sanctissimi essent, & beatissimi, seu intensissimam haberent gratiam, & visionem beatificam, Deum tamen remississimè diligerét. Secundum est, facilè quoque euenire posse, & reipsa forte euenturum, vt ex sanctis & beatis multi quibusdam aliis minùs beati & sancti, magis tamen illis Deum diligerent: quæ haud dubiè absurda sunt, tum quia communi Theologorum fideliumque omnium sensui tantopere repugnant: V. tum quia rationi maximè consentaneum est existimare, eum qui intensiùs seu clariùs Deum videbit, quique proinde meliùs ac perfectiùs penetrabit quantum ipse amabilis sit, amaturum quoque ipsum ardentiùs seu intensiùs: tanto autem quilibet eum amabit intensius, aut minùs intense, quanto magis aut minùs intensum habebit habitum charitatis, quia quilibet Deum quantum poterit amabit, cùm suppositâ clara Dei visione amet necessariò, tantum autem quisque poterit, quantum habitualis charitatis habebit: sicut & tantum videre ipsum quisque potest, quantum habet luminis gloriæ.

Primum autem ex illis absurdis manifestè sequeretur, quia facilè fieri posset, & in aliquibus VI. reipsa eueniret, vt qui in prima iustificatione æqualem gratiam & charitatem accepit, postea quamplurimos actus exerceret non intensiores habitu charitatis accepto, quorum nullo charitatis habitus augeretur, vt docet à Victoria, quorum tamen quolibet ipsa augeretur gratia, & proinde plurimùm, quandoquidem plurimi, vt supponimus exercerentur: cui gratiæ, cùm ex eiusdem authoris doctrina, gloria seu beatifica visio sit æqualis futura, patet hominis illius futuram in cœlo gloriam & gratiam intensissimâ, remississimam tamen habitualem charitatem, eundémque proinde remississimè amaturum Deum, quia tantum amabit quantum poterit, non plus autem poterit quàm habitualis charitatis habebit.

Nec dicat hîc aliquis, hanc quidem charitatem non accepisse incrementum per actus illos non intensiores habitu, per quos gratia & VII. gloria incrementum accepit, at accipere aliunde potuisse: quæro enim vnde? Vtrum per sacramenta, vel absque merito nostro? At vt constat ex dictis hac ipsa disputatione, dum per illa, vel sine nostro merito nobis conferuntur gratia & charitas, æquali semper intensione conferuntur. An per meritũ nostrorum actuũ? At cùm per meritum eorum tantummodo qui sunt intensiores habitu charitatis præexistente charitas augeatur, & per eorundem meritum augeatur quoque gratia, & quidé magis quàm charitas, quandoquidem hæc, vt à Victoria docet, augetur solùm secundùm gradus intensionis quibus actus charitatis excedit habitum, illa verò augetur non secundùm solos hos gradus, sed & secundùm alios omnes quos habet VIII. actus ille habitu intensior, patet adhuc rectè sequi primum illud absurdum quod diximus.

Secundum autem sequeretur: quia facilè ex vna quidem parte fieri posset, & in aliquibus reipsa eueniret, vt ex duobus æqualem gratiam & charitatem per baptismi sacramentum in infantia acceptam habentibus, vnus actum charitatis intensiorem habitu exerceret, alter non, aut vnus plures intensiores habitu præexistente eliceret, alter pauciores. Ex quo fieret, vt

illius

illius habitualis charitas esset intensior quàm istius, quia per solos charitatis intensiores actus habitus iste augetur, vt à Victoria docet: ex altera verò, non minus facile eueniret, vt idem ille nullos alios charitatis aut alterius virtutis actus ante mortẽ exerceret, quàm illum vnum aut alterum intensiorem, quem, vt supponimus, exercuit: è contrario verò iste qui nullum exercet intensiorem, aut qui pauciores quàm ille alius exercet, plurimos alios actus charitatis æquales aut remissiores habitu ante mortem eliceret, per quos augeret gratiam suam, quandoquidem eam singulis huiusmodi actibus augeri author ille vult, & multò plus augeret, quàm auxerit ille gratiam suam, suúmque charitatis habitum per intensiores actus quos elicuit, quoniam vnitis tantùm gradibus auxit, sex aut septem, verbi causa, iste verò tot actus per quos augetur gratia, non verò charitas, multiplicasse potest, vt multò pluribus eam gradibus auxerit. Iste ergo multo cum maiore gratia ex hac vita decedens quàm ille alius, esset in cœlo multò sanctior illo, ac proinde beatior, quia beatitudo sanctitati seu gratiæ adæquatur, vt præfatus author nobiscũ sentit, minùs tamen quàm ille Deum diligeret, quia minùs intensum quàm ille charitatis habitum haberet. Beatorum enim quilibet Deum tantum diligit, quantum potest: tantum autem solummodo potest, quantum habitualis charitatis habet, vt iam diximus.

I. A

II. B

Atque sic refutatâ Francisci à Victoria quoad eam partem quam dixi sententiâ, venio iam ad referendas eorum Theologorum sententias, qui cùm de gloriæ, gratiæ, & charitatis augmento, quod per actus nostros meritorie fit, eodem omnino modo philosophentur, existimandi erunt idem prorsus de gloriæ & gratiæ per nostros actus augmento sentire, quod viderimus eos de charitatis augmento sentientes.

III. C

SECTIO II.

Duæ aliæ de eadem quæstione sententiæ referuntur, & refelluntur, quibus vera subiicitur, & probatur.

SECVNDA igitur ordine sententia est Bonauenturæ in secundo dist. 40. art. 2. quæst. 3. solis charitatis actibus habitu præexistente intensioribus hominem mereri augmentũ charitatis habitualis: aliis quidem mereri præmium aliquod accidentale, consistens in quodam speciali gaudio quo beatus perfruetur, quòd eorum exercitio Deum honorarit, sed augmentum gloriæ essentialis, aut gratiæ, & charitatis, minime.

IV. D

Tertia est Dominici Bannes tum hac quæst. 24. artic. 6. dub. 2. & sequentibus, tum in sua de hac materia Relectione, asserẽtis cum Bonauentura solis actibus intensioribus augeri charitatis habitum: at in hoc ab illo dissidentis, quòd velit omnes alios & singulos actus esse meritorios augmenti charitatis, ac proinde gratiæ, & gloriæ essentialis, hoc tamen augmẽtum nunquam dandum, nisi homo ante mortem actum charitatis habitu intensiorem exerceat: quem si exercuerit, augmentum quod dabitur non aliud futurum, quàm quod huic soli intensiori actui redderetur, propterea{que} fore vt duplici titulo debeatur, & retribuatur.

Quapropter iuxta sententiam huius authoris, si quis habitu charitatis præditus sit habente sex gradus intensionis, & exerceat aliquos, imò quamplurimos charitatis actus æqualis cum habitu intensionis, aut etiam minoris, nisi ante mortem prorumpat in actum intensiorem prædicto habitu, sex tantùm gloriæ gradus in cœlo recipiet, quos & recepisset, si nullum ex his æqualibus aut remissioribus actibus exercuisset. Quòd si ante mortem prorumpat in actum intensiorem, habentémque verbi causa octo gradus intensionis, propter meritum huius actus, augebitur eius habitualis charitas totidem gradibus, quot ille actus intensior præexistentem habitum excedit, nimirum duobus: quod augmentum duorum graduum reddetur etiam propter antecedentes actus æquales habitui præexistenti, aut eo remissiores, quod tamen redditum perinde fuisset propter illum solum intensiorem actum elicitum, atque si nunquam hi vel æquales, vel remissiores eliciti fuissent.

V.

VI.

Cuius sententiæ suæ acerbitatẽ duplici consolatione mitigare conatur, affirmans primo, quòd etsi nulla iis æqualibus & remissioribus actibus vnquã in cœlo gloriæ seu visionis beatificæ merces danda sit, dabitur tamen aliqua accidentalis, illa nimirum quam ex Bonauentura paulò ante retulimus: asserens secundò, quòd etsi gloriæ illius merces retribuẽda actui intensiori in quem homo prorumpit ante mortem, simúlque præcedentibus actibus remissioribus, aut æqualibus, non sit maior in ratione rei illa mercede quæ soli illi intensiori actui redderetur, est tamen maior in ratione mercedis, vtpote quam in hac ratione crescere ait ex merito propter quod redditur.

VII.

Quarta & vera sententia est, per quemlibet charitatis actum æqualem habitui præexistenti augeri charitatem, itavt cuilibet istiusmodi actui peculiare suum ac proprium charitatis augmentum respondeat. In ea sunt Durandus in 1. dist. 17. quæst. 8. num. 7. Aegidius eadem distinct. 2. parte distinct. quæst. 3. Richardus artic. 3. quæst. 3. Capreolus citatæ dist. quæst. 2. artic. 1. ad secundum Aureoli contra tertiam & quartam conclusionem, prætereáque omnes illi quos sequenti disputatione referam, qui de actibus etiam remissioribus idem omnino sentiunt, quod hic illos alios sentire dixi de æqualibus.

Probo autem quartam hãc sententiam in primis authoritate S. Doctoris permultis locis, quæ non minùs clara & efficacia sunt, quàm communiter nota Theologis omnibus in eius lectione mediocriter versatis: quorũ locorum singulis tres præcedentes sententiæ refutabuntur, in eo pariter conuenientes, vt ex singulis relatis patet, quòd charitatis augmentum fiat solis actibus intensioribus. Sanctus ergo Doctor lib. 1. sentent. ad Annibaldum, dist. 17. quæst. 2. art. 3. post hæc verba quæ sunt prima corporis articuli, *Respondeo dicendum, quod sicut aliquis habens charitatem potest ea vti, & non vti, ita potest ea intensiùs & remissiùs vti*, subiungit ista:

VIII.

Quando ergo intensio actus charitatis adæquatur intensioni habitus, tunc homo meretur charitatis augmentum, quia tunc bene vtitur eo quod accepit. Quibus verbis pro quarta sententia nihil dici potest clarius. Ibidem quoque postquam nonnulla præmisit quæ non refero, quia nihil ad rem præsentem faciunt, statim subdit: *Similiter dico ex alia parte, quòd quando actus charitatis procedit ex tota virtute habentis, & quantum ad virtutem naturæ, & quantum ad virtutem habitus infusi, tunc vnus actus disponit & meretur augmentum charitatis vt statim fiat.* At qui charitatis actus ex tota habitûs, ac proinde ex tota potentiæ eo instructæ virtute procedit, est habitui illi æqualis: æqualem enim sibi producere ille potest, & intensiorem se non potest.

I. A V.

Præterea lib. 2. sent. distinct. 27. quæst. 1. artic. 5. ad 2. postquam de actibus habitu remissioribus, de quibus hac disputatione non agimus, sic locutus est: *Non oportet quòd quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur, quia non in quolibet inuenitur illa conditio, per quam ex actu sequatur augmentum habitus,* ita de æqualibus pergit dicere, *sed solùm in illo actu, quo quis vtitur accepta gratia secundùm proportionem virium suarum, vt in nullo gratiæ Dei desit per negligentiam.* Quibus posterioribus verbis aperte concedit æquali actui id quod prioribus negauit remitti, cui negauit esse sic meritorium augmenti gratiæ, vt simul atque iste remissior actus elicitus est, augmentum istud illico consequatur: æqualis enim habitui actus, vt iam dixi, ille est, qui actiuæ habitus virtuti adæquatè respondet, quique proinde tantam intensionem habet, quantam potest habitus efficere, quæ intensio vt nunquam maior intensione habitus esse potest, sic potest ipsi esse æqualis.

II. B VI.

Denique 1. 2. quæst. 114. artic. 8. ad 2. dicit *augmentum gratiæ non esse supra virtutem præcedentis gratiæ, licet sit supra quantitatem ipsius:* quibus verbis significat actum qui excendus est, non modò ad merendum, sed etiam ad reipsa statim adipiscendum gratiæ & charitatis incrementum, non esse supra virtutem, id est, non excedere vim actiuam gratiæ & charitatis præexistentis: quod falsum esset, si actus ille deberet esse hoc habitu præexistente intensior: qui enim eo intensior est, virtutem eius & agendi vim excedit, quia actum intensiorem se non potest producere.

III. C VII.

Nec dicas sanctum Doctorem hac 2. 2. qu. 24. artic. 6. ad charitatis obtinendum augmentum requirere feruentiorem actum dilectionis: feruentiorem enim reuera requirit, id est, intensiorem: at non habitu præexistente, sed præcedentibus actibus eo remissioribus, vt patet tum ex ipso textu, tum ex voce *feruentioris*, quam vsurpat: quæ vox sicut de habitu proprie non dicitur, quis enim habitum feruentem, aut magis minúsve feruentem esse dixerit? ita nec proprie dicitur de actu comparato cum habitu, sed cum aliis actibus: ni enim feruens dici nequit habitus nisi malè, nec potest nisi male dici actus habitu feruentior. At charitatis actus feruentior seu intensior non est ille solus qui est habitu præcedente intensior, sed æqualis quoque, quique proinde est intensior præcedentibus actibus habitu remissioribus, vt per se clarum est.

IV. D VIII.

Probo secundò ex eo quòd sicut naturali lumine & ratione notum est, militem ab Imperatore, hominem vnum ab altero aut nihil omnino mereri vnquam posse, aut si quid aliquando potest, tum saltem mereri, cùm in nullo sibi deest, sed toto virium suarum conatu actum aliquem exercet in eius gratiam & obsequium: ita perspicuum videtur, aut hominem iustum nullo suo actu quidquam gratiæ & gloriæ posse promereri à Deo, aut si quid aliquo potest, eo certè casu posse, & promereri re ipsa, quo in nullo sibi, dijnæque gratiæ deest, sed omnes vires suas exerit tam intensè per charitatem sibi datam operans quantum potest, tum autem sic operatur, cùm æqualem in intensione charitati suæ habituali producit actum: habitus enim & potentia instructa habitu cum hoc habitu operans nullum intensiorem potest, vt paulò antè dictum est.

Hac ratione permotus sanctus Thomas agnouit in actibus charitatis æqualibus habitui meritum augmenti gratiæ, quod statim etiam tribueretur: cùm enim loco antè citato ex primo sententiarum dixisset, quando intensio actus charitatis adæquatur intensioni habitus, tunc hominem mereri charitatis augmentum, hanc adiunxit rationem, *quia tunc bene vtitur eo quod habet:* quo sanè ille omnis bene vtitur, qui per illud efficit totum id quod effici potest: quod & ampliùs declarauit sic subdens: *Quando verò intensio actus non adæquatur intensioni habitus, per talem actum non augetur, quia nondum exercet homo totum quod habet:* id est, nondum vtitur suo charitatis habitu ad tantæ intensionis actum producendum, quantæ potest, posset enim æqualem in intensione producere, producit autem remissiorem. Denique ob eandem rationem loco citato ex 2. sententiarum agnouit in prædictis actibus charitatis habitui æqualibus id quod dixi, cùm post ista verba superiùs relata, *Non oportet quòd quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur*, &c. hæc subiunxit de æqualibus, *sed solùm in illo actu quo quis vtitur accepta gratia secundùm proportionem suarum virium, vt in nullo gratiæ Dei per negligentiam desit.*

Eadem quoque ratione permotus Durandus pro quarta sententia suprà relatus abiit in hanc sententiam, vt hæc eius verba loco citato clarè significant: *Non omnis actus ex charitate procedens meretur augmentum charitatis, sed solùm illi qui sunt secundùm proportionem charitatis informantis voluntatem, vel excellentiores, quia solus ille dignus est accipiendus, qui bene vtitur acceptis.* Quibus, vt iam dixi, bene vtitur quisquis per ea facit id totum quod fieri potest. Non vtar hîc aliis argumentis in huius quartæ sententiæ confirmationem: quæ enim sequenti disputatione afferam ad idem probandum de remissioribus charitatis actibus, quod hîc probaui de æqualibus, multò magis id ipsum de æqualibus istis euincent.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM ducitur ex his D. Augustini verbis à Bonauentura in 2. distinct. 40. art. 2. quæst. 3. citatis, omissa tamen citatione loci in quo hæc Augustini verba habeantur. *Non multitudo operum, non diuturnitas temporum auget meritum, sed sola charitas, & melior voluntas.* Quibus ipse significari vult, meritum gloriæ, & proinde gratiæ & charitatis habitualis, inesse soli charitatis actui, & quidem soli intensiori, itavt quisque gratiæ & charitatis habitualis tantum sit habiturus in hac vita, & gloriæ in futura, quantum intensionis fuerit in actu charitatis omnium intensissimo, quem tempore vitæ huius exercebit.

Verùm duplex responsio est. Prima, D. Augustinum nihil aliud velle, quam multitudinem operum factorum extra statum gratiæ, totumque tempus licet longissimum in his operibus consumptum, nihil prodesse ad promerendam æternam gloriam, solam esse charitatem, id est, statum charitatis & amicitiæ diuinæ, qui ad id prodest: meliorem quoque voluntatem hominis in hoc statu existentis ad hoc etiam conferre, & quidem eo magis, quo melior est, quod vltro concedimus. Cæterum meliorem appellat non eam solam quæ intensior est, sed illam omnem quæ melior est, ex quocunque demum capite sit melior, siue ex obiecti præstantia, siue ex diuturnitate temporis quo continuatur, siue ex aliis circumstantiis ex quibus bonitas actus augeri potest.

Secunda est, etsi concedatur ipsum loqui de multitudine operum quæ exercet homo existens in statu gratiæ, hoc tamen tantùm significari, vel meritum non esse semper maius quo plura opera bona exercentur, & quo plus temporis in illis ponitur, cùm sæpe fiat, vt breuiori tempore, & paucioribus operibus ingenti ex affectu factis, & insignibus ac heroicis aliqui plus gloriæ mereantur, quàm alij multò pluribus bonis operibus, ac diuturniori tempore: vel maius meritum non oriri præcisè ex diuturniori tempore, quo quis in obsequio diuino videtur esse, vt qui est in statu religioso, cùm tempus illud ab aliquibus magna ex parte otiosè transigatur: neque etiam oriri meritum præcisè ex maiori operum multitudine, cùm sæpe sine charitatis, aut aliquo alterius virtutis affectu exerceantur, sed oriri ex sola charitate, id est, ex solo affectu veræ virtutis (quem affectum charitatis nomine à S. Augustino, aliisque Patribus frequenter appellari in tractatu de Gratia, disp. 1. sect. 4. docuimus) & oriri maius ex meliori voluntate, siue melior sit ob maiorem graduum intensionem, siue cum pari, aut etiam minori intensione, ob maiorem obiecti præstantiam, vel ob alia similia capita, ex quibus ad actum accessio bonitatis moralis fieri potest.

Secundum ducitur à similitudine habituum naturalium hoc modo. Intensio supernaturalium habituum non efficitur in nobis a Deo in hac vita, nisi ad eum modum quo intensio naturalium: atqui nunquam in hac vita naturales habitus intenduntur nisi per actus intensiores. Sed neganda est Maior, cuius falsitas constat in primis ex eo quòd Deus in vsu sacramentorum intendit supernaturales gratiæ & charitatis aliarumque virtutum habitus sine præuiis intensioribus actibus. Etsi enim in adultis aliqui præuij actus instar dispositionis requirantur ad ea fructuosè recipienda, nullus tamen tantam actuum illorum intensionem requirit, quanta est recipientis præexistens gratia & charitas habitualis, multóque minùs requirit aliquis maiorem.

Deinde cùm extra sacramenta per actus intensiores augetur gratiæ & charitatis habitus, simul etiam augentur fidei, spei, aliique supernaturales virtutum moralium habitus: at quando aliquis naturalis virtutis habitus augetur per actum intensiorē, non propterea simul augentur alij naturales virtutum habitus: falsum igitur est Deum in hac vita etiam extra sacramenta eo solùm augere modo supernaturales habitus per actus, quo naturales habitus per actus augentur. Præterea habitus hi non nisi per actus intensiores augentur, vt supponunt nobiscum ij contra quos agimus: at supernaturales gratiæ & charitatis habitus augentur seu intenduntur à Deo per actus æquales, etiam statim, vt expressè & ex D. Thomæ authoritate, & ratione paulò ante vidimus.

Denique clarissimum est inter actus naturales supernaturalésque discrimen, ratione cuius fit, vt quauis naturalis habitus per solos actus intensiores augeri possit, non sit tamen idem de supernaturalis habitus augmento sentiendum. Discrimen autem illud in eo positum est, quòd naturales habitus per nostros actus naturales producuntur, aut intenduntur, quia vim actiuam efficientem physicam habent eos & primò producendi, & postea intendendi. Vnde cùm vis effectiua physica præexistentem habitum intendendi solis insit actibus intensioribus, vt cum aduersariis ex Philosophia præsuppono, hinc est, quòd habitus ille per solos actus intensiores augetur, seu intenditur: at supernaturales habitus ab actibus nostris supernaturalibus nec primò producuntur, nec postea intenduntur physicè, quia nullam huiusmodi vim physicam circa ipsos vel primò producendos, vel intendendos obtinent, vt ex disput. 42. certum est, sed ab iis intenduntur solùm moraliter, & in genere meriti: quæ meriti ratio cum non solis insit actibus intensioribus, sed & æqualibus omnibus, vt supra probatum est, imò & remissioribus omnibus, vt infra probabimus, hinc est, quòd sicut per actus intensiores augetur, Deo conferente augmentum quod merentur, ita similiter augeri per omnes æquales, imò etiam remissiores debeant, Deo quoque augmentum quod merentur tribuente.

Et sanè cùm Deus in intendendis supernaturalibus habitibus non spectet quis supernaturalis actus ipsum habitum efficienter & physicè possit intendere, nullus enim potest, sed hoc solùm attendat, quis actus eius augmentum condignè mereatur, vt & in intendendis naturalibus habitibus non spectat quis actus eorum augmentum condignè mereatur, sed id solùm, quinam possint eos efficienter & physicè inten-

dere, profectò quemadmodum naturalem habitum intendit toties, quoties existit aliquis actus potens eum physicè & efficienter intendere: ita toties intendet supernaturalem habitum, quoties existet aliquis actus qui eius augmentum condignè merebitur.

Tertium istud est, cuius vim Bonauentura nobis opponit proximè post relatum ex Augustino testimonium cui iam respondimus. Tantum quisque gloriæ in cœlo à Deo recipiet, quantum ab eo diligitur, tantum autem diligitur, quantum ipse Deum diligit, tantum autem diligit, quantum intensionis habet actus charitatis omnium quos vnquam exercuit intensissimus: ergo à primo ad vltimum, tantum in cœlo gloriæ recipiet, quantum intensus est iste actus: ergo & æqualem in cœlo gloriam recipient, quorum charitatis actus omnium quos vnquam exercuerint intensissimus erit æqualis intensionis. Atqui fieri potest, & reipsa sæpe fit, vt ij qui sic in charitate sunt æquales, non sint æquales in charitatis actuum, aliorúmque bonorum operum illo intensissimo remissiorum numero & multitudine, frequenter enim accidit vt alter altero plures numero exercuerit. Igitur propter hanc maiorem operum multitudinem nihil in cœlo gloriæ consequetur, nec proinde quidquam hæc multitudo valet ad augmentum gloriæ promerendum.

Respondeo distinguendo propositionem hanc, qua nititur tota huius argumenti vis, Tantum quisque à Deo diligitur, quantum ipse Deum diligit: hæc enim propositio intelligi potest de habituali dilectione qua homo Deum diligit, intelligi etiam potest de sola actuali: & quidem si de habituali intelligatur, vera est simpliciter, sed ille plus charitatis habitualis habet, & per consequens plus à Deo diligitur, qui cæteris paribus plures charitatis aut alterius virtutis actus etiam habitu remissiores exercuit, cùm singulis huiusmodi actibus augmentum aliquod habitualis charitatis meruerit, & reipsa statim etiam consequutus sit, vt infra probabimus. Quòd si de actuali intelligatur, rursus eadem propositio distinguenda est: duplex enim sensus illius esse potest: primus, vt tantum saltem à Deo diligatur, quantum intensus est dilectionis erga Deum actus omnium quos vnquam exercuit intensissimus: secundus, vt tantum, nec plus diligatur quàm hic actus intensus est.

Et quidem si priori sensu accipiatur, vera est: sed ex illa sic accepta concludi solùm potest, eos qui æqualiter intensum dilectionis actum exercuerint, æqualem huic actui respondentem gloriam in cœlo recepturos: concludi verò non potest, non futuros in gloria inæquales, vel propter inæqualem bonorum operum multitudinem, vel ex aliquo alio capite. Quòd si posteriori sensu sumatur, quo reuera sumitur ab iis qui hoc argumentum nobis obiiciunt, vt aperte significant eæ quæ ipsi subiiciuntur in argumento propositiones, falsa est: ex duobus enim quorum intensissimus dilectionis erga Deum actus est æqualis intensionis, ille plus altero à Deo diligitur, qui vel copiosiorem ex vsu sacramentorum gratiam hausit, vel plures actus bonos, vel meliores, licet remissiores, exercuit. Sicut etiamsi tantum quisque recepturus sit in inferno supplicij, quantum inuisus Deo est, tantum autem sit inuisus, quantum grauiter peccauit: si quis tamen dixerit peccatorem Deo tam inuisum esse, nec plus, quàm grauitatis habet peccatum omnium quæ vnquam admisit grauissimum: & per consequens ex duobus, quorum peccatum, ex omnibus quæ vnquam commiserunt grauissimum, erit æqualis prorsus grauitatis, vnum non futurum magis inuisum Deo quàm alterum, nec maius in inferno supplicium luiturum, falsum dicet: quia facile fieri poterit, vt istorum alter altero plura peccata commiserit, licet illo peccato omnium grauissimo leuiora, ratione quorum plurium peccatorum magis erit inuisus Deo quàm alter, maiusque supplicium merebitur, & reipsa luet.

DISPVTATIO XLV.

Vtrùm charitas habitualis per actus charitatis hoc habitu remißiores augeatur?

SECTIO PRIMA.

Pars affirmatiua probatur.

PARTEM negantem amplexus est Bonau. superiori disputat. sect. 2. pro secunda sententia citatus, Durandus quoque ibidem pro quarta relatus, qui tamen author citata illic quæstione num. 8. vult charitatis actus habitu remissiores, licet nullum mereantur charitatis augmentum, & proinde gratiæ sanctificantis, cùm hanc ab illa non esse distinctam sentiat, gloriæ tamen incrementum promereri, ideoque negans omnes actus meritorios gloriæ esse pariter charitatis, etsi omnes qui merentur augmentum charitatis, mereantur & gloriæ.

Contra quam eius sententiam hac in parte oppono in primis communem Theologorum doctrinam, existimantium adæquatum iri gloriam in cœlo charitati, & charitatem gloriæ, & proinde simul hanc cum illa semper, & illam cum hac & meritorie & reipsa augeri, tantundemque vnam, quantum alteram.

Opponò secundò quòd ex illa Durandi sententia sequantur aliquot absurda. Primum est, fieri facilè posse, & haud dubiè reipsa in beatis aliquibus euenturum, vt quis beatissimus sit, seu intensissimam Dei visionem habeat, idémque remississimè Deum diligat: plurimos enim actus remissiores habitu exercere poterit, & frequenter exercebit, quibus augebit plurimùm beatitudinem suam in clara Dei visione consistentem essentialiter, quorum tamen nullo, vt vult Durandus, augebit suæ charitatis habitum, qui poterit esse remississimus,

comparatus saltem cum tam intensa gloria: ex quo fiet vt in cælo remississime Deum diligat, quia diligere non poterit intensius, quàm intensus erit charitatis habitus.

Secundum absurdum est, facile quoque fieri, & de facto euenturum, vt ex duobus beatis qui multò minus est beatus multò magis Deum
I. diligat: fieri enim facile poterit, vt ex duobus æqualem charitatis habitum habentibus, vnus post vnum aut alterum charitatis actum intensiorem elicitum, quo charitatis & gloriæ meruit incrementum, moriatur, alter verò nullos charitatis actus habitu intensiores eliciat, plurimos autem remissiores: ex quo fiet, vt iste charitatis habitum minus intensum illo altero habeat, quandoquidem charitatem quam cum eo habebat æqualem nullo actu auxit, ille autem alius auxit, gloriam tamen illo multò maiorem seu intensiorem habeat, quia facile fieri poterit, vt per plurimos illos actus remissiores quos ante mortem exercuit, multò maius gloriæ augmentum sit promeritus, quàm sit meritus ille alius per paucos
II. illos intensiores quibus & charitatis & gloriæ augmentum meruit. Quod si iste habens intensiorem altero gloriam, minus tamen intensum habet charitatis habitum, minus intensè quam ille Deum diliget, quia quisque tantum diliget quantum poterit, tanta autem solùm intensione poterit, quantam habebit charitatis habitus. Quòd autem hæc duo quæ dixi sequi ex Durandi sententia absurda sint, patet eadem ratione, qua superiori disputatione, sectione prima duo similia ex opinione Francisci à Victoria consequentia absurda esse probatum est.

Quibus ex duobus absurdis alia duo enascuntur: primum est, eum fortè qui summè beatus erit, non nisi parum sanctum futurum: secundum, fore, vt ex duobus beatis qui beatior est
III. non sit sanctior, quandoquidem ex Durandi sententia habitualis charitas à gratia sanctificante reipsa non distinguitur, sed est ipsa gratia sanctificans, quam proinde maiorem habet aut minorem, qui magis aut minus intensa charitate præditus est, quam, vt supra ostendi, remissam habere potest is qui summe intensam habet gloriam, quique proinde est beatissimus.

Iam verò partem affirmantem tuentur Gabriel in 1. dist. 17. quæst. 4. artic. 3. Maior dist. 22. quæst. vnica. Almainus Tract. 2. Moral. cap. 11. & 13. cæterique Nominales, item Corduba lib. 1. qu. 9. Suarez in Opusculo de Reuiuiscentia meritorum disput. 2. sect. 3. Gab. Vasq. 1. 2. disput. 220. plurimique alij recentiores. Quam probo primùm authoritate sancti
IV. Doctoris, cuius hæc verba sunt art. 6. quæstionis huius 24. ad 1. *Quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore: similiter & quilibet meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum*: seu prout in Corp. articuli loquitur, quando prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, eo sensu quo superiori disp. sect. 2. explicatum est: quibus posterioribus verbis, sic vt apertè negat hoc augmentum statim tribui, ita prioribus illis non minùs clare affirmat quolibet actu charitatis hominem augmentum istud mereri, siue statim detur, siue non, de quo postea disputabimus.

Neque dici potest sanctum Doctorem per quemlibet actum charitatis hoc loco intelligere eum solum qui est aut intensior habitu, aut V.
ipsi æqualis, tum quia clarum est & ex titulo, & ex corpore articuli, & ex vocabulo *quilibet*, hic & illic, & præterea in primo argumento, & in responsione ad illud vsurpato, sermone ipsi esse generaliter de quouis actu charitatis etiam remissiore quam sit habitus: tum quia tribuit illi actui meritum augmenti charitatis, cui negat statim rependi ipsum augmentum: at hoc non negat actui æquali, aut etiam intensiori, cum superiore disp. sect. 2. ipsum audiuerimus clare docentem, actibus charitatis æqualibus, multòque proinde magis intensioribus, hominem ita mereri charitatis augmentum, vt hoc statim tribuatur.

SECTIO II.

VI.

Eadem pars affirmatiua duplici præterea argumento probatur.

PRIMVM ex duobus istud est. Quilibet actus charitatis etiam remissior habitu meritorius est augmenti gloriæ, ergo & augmenti charitatis ac gratiæ. Huius consequentiæ bonitas constat ex dictis contra Durandum, & Franciscum à Victoria, contra quos probauimus eum omnem actum qui est meritorius vnius, esse etiam alterius, & quantum est vnius, esse tantundem & alterius. Antecedens probo duobus mediis, quorum primum petitur à simili ex malis operibus, quæ singula sunt meritoria augmenti pœnæ, ita vt nullum sit ex quo peccator non fiat grauiori pœna dignus quàm esset, priusquà VII.
hoc peccatum admitteret. Ex quo pariter concludo, nullum esse posse charitatis actum quantumuis remissum, quo non fiat maiori gloria dignus is qui eum exercuit, quàm esset ante huius actus exercitium. Neque enim in veris charitatis actibus potest esse minor vis ad promerendum gloriæ augmentum, quàm in malis peccatoris operibus ad merendum pœnæ incrementum.

Quòd si dicat hîc quispiam, hominem pluribus peccatis non mereri maiorem pœnam damni quàm vnico, respondebo in primis eum mereri pœnam sensus grauiorem, quod nobis satis est: non enim potest esse minor vis in quolibet actu charitatis ad merendum gloriæ augmentũ, quàm in quolibet actu malo ad augmentum pœnæ sensus promerendum, cùm sicut hæc pœna diuisibilis est, maiórque proinde vel minor VIII.
cadere sub meritum malorum operum potest, ita & gloria diuisibilis sit, maiórque proinde vel minor cadere possit sub meritum quorumuis actuum charitatis.

Deinde si verum est quod obiicitur, vt verũ esse docui in Tractatu de peccatis disp. 17. ideo est, quia pœna illa non suscipit magis & minùs, sed in indiuisibili posita est, vt ibidem sectione 3. probatum est: vnde qui contrarium sentiunt, asserúntque pœnam hanc suscipere

magis & minùs, consequenter dicunt peccatorem quolibet peccato suo eius augmentum mereri: sed licet ex mea sententia non suscipiat, nec proinde peccator pluribus peccatis plus illius pœnæ mereatur quàm vno, non tamen sequitur hominem iustum quibusvis charitatis
I. actibus non mereri augmentum gloriæ essentialis, tum quia pari iure concludi posset, quòd sicut peccator consequentibus peccatis etiam primo peccato longè grauioribus non meretur augmentum pœnæ damni, ita nec homo iustus consequentibus charitatis actibus, etiam habitu intensioribus gloriæ augmentum merebitur: tum quia manifestum est non esse eandem pœnæ illius rationem quæ est istius gloriæ, cùm hæc sit diuisibilis, suscipiátque magis ac minùs, possitque proinde per charitatis actus homo iustus eius augmentum maius minúsve mereri: illa verò sit indiuisibilis, nec proinde sit possibile peccatorem vllo actu suo eius augmentum promereri.

Secundum medium pro eiusdem antecedentis probatione istud est. Homo iustus quolibet
II. actu charitatis etiam remissiore quàm sit habitus, iustificatur magis, euaditque sanctior, ergo quolibet augmentum gloriæ promeretur. Consequentia hæc communiter à Theologis recipitur: & meritò sanè: sicut enim sanctitati debetur gloria, ita maiori sanctitati maior gloria: & quemadmodum ex operibus charitatis ea quæ maiorem afferunt operanti sanctitatem, maiori quoque gloria dignum eum efficiunt, & quo vnum maiorem alio sanctitatem affert, eo maiori gloria dignum efficit: ita necessarium est vt quicunque actus auget sanctitatem, augeat consequenter & gloriam, seu, quod idem est, eius augmentum mereatur.

Antecedens istud probabo primùm ex Genes. 22. & ex epist. S. Iacobi cap. 2. vbi dicitur
III. Abrahamus voluntaria filij sui oblatione fuisse iustificatus: quo loco cùm sermo non sit de prima eius iustificatione, constat enim ex Genesis cap. 15. & communi Patrum Theologorumque consensu, ipsum iam ante iustum fuisse, superest vt dum illa oblatione iustificatus dicitur, iustificationis huius quam consequutus est nomine, sanctitatis & iustitiæ incrementum significetur. Ex quo sequitur, vt id quod Scriptura significat sufficiens fuisse ad iustificationem, qua fuisse ipsum iustificatum asserit, sufficerit quoque ad iustitiæ & sanctitatis incrementum quod accepit, quandoquidem illa ipsius iustificatio aliud nihil fuit quàm iustitiæ & sanctitatis accessio. Scriptura autem satis aperte indicat sufficisse ad iustificationem illam, prædictæ oblationis voluntariæ bonitatem moralem, siue hic actus æqualem aut maiorem habitu intensionem habuerit, siue
IV. minorem. D. enim Iacobus citato cap. Abrahamum illo oblationis actu fuisse iustificatum, id est, iustiorem & sanctiorem effectum, collegit ex his capitis 22. Geneseos verbis, *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito tuo propter me*, quibus, vt euidens est, significatur solùm præstantia bonitásque moralis huius actus, non etiam certa intensio ipsius, multóque minùs tanta, vt vel æquarit, vel superarit intensionem habitus. Qui actus, si fuit formaliter actus charitatis, habemus intentum: si verò dicitur non fuisse charitatis, sed alterius virtutis, nihilominùs habemus intentum: si enim opus illud, licet ignobilioris charitate virtutis (nam charitas virtutum omnium nobilissima est) siue fuerit habitu remissius, siue non fuerit, conciliare potuit Abrahamo iustitiæ & sanctitatis V. incrementum, multò magis idem poterit actus charitatis, siue sit habitu remissior, siue non sit.

Probo deinde antecedens similitudine malorum operum: si enim quodlibet priora subsequens, sua formali malitia auget peccatoris malitiam contractam peccatis prioribus, eúmque peiorem & magis inuisum Deo, maiorique proinde pœna dignum efficit, cur pari iure quilibet charitatis actus ab homine iusto profectus sua formali bonitate & sanctitate non augebit hominis iusti iustitiam & sanctitatem præexistentem, ipsum meliorem, Deóque chariorem, & proinde maiori gloria dignum efficiet? Maxime cùm dubitari non possit, quin charitatis actus saltem intensiores habitu, seipsis formaliter augeant præcedentem hominis sanctitatem, ipsum moraliter meliorem reddant, & VI. Deo chariorem: quandoquidem, licet eo tempore quo exercentur, Deus præexistentem gratiæ & charitatis habitum physicè non intenderet, homo tamen illo ipso tempore per eos formaliter actus dignus fieret maiori gloria quàm priùs esset: quod etiam reipsa fit ordine naturæ priùs quàm præexistens gratiæ & charitatis habitus physicè intendatur, etsi supponatur intendi illo ipso tempore quo intensiores illi actus exercentur: non enim physicè intenditur, nisi quia per illos homo cùm sit dignus augmento gloriæ, dignus quoque est augmento physico gratiæ & charitatis habitualis, quod dum reipsa tribuitur à Deo, non nisi propter meritum illorum operum tribuitur.

Quod si charitatis actus intensiores habitu id VII.
habent, vt formaliter seipsis antecedentem hominis sanctitatem augeant, eúmque moraliter meliorem, ac Deo chariorem, maioríque proinde gloria dignum efficiant, idem habebunt & æquales, & remissiores, eo tamen magis aut minus, cæteris paribus, quò magis aut minùs intensi erunt. Atque cùm quidam charitatis actus habitu remissiores possint esse intensiores quibusdam aliis qui sunt intensiores habitu, vt cùm Petrus charitatis habitu octo graduum præditus est, & prorumpit in actum septem gradus intensionis habentem: Paulus verò charitatis habitu quatuor graduum instructus est, & exercet actum quinque gradus intensionis habentem, si hic actus à Paulo elicitus intensior habitu qui in eodem Paulo est, seipso formaliter Paulum moraliter meliorem efficit, magisque iustum & sanctum, quid erit causæ, VIII. cur actus charitatis septem graduum à Petro elicitus, licet ipsius Petri habitu remissior, seipso formaliter non efficiat ipsum moraliter meliorem, magisque iustum & sanctum? cùm præsertim & hic actus magis placeat Deo, quã ille à Paulo elicitus, & istud incrementum sanctitatis quod seipsis formaliter actus charitatis tribuũt, non postulet natura sua à solis actibus æqualibus, aut intensioribus habitu prouenire:

vt à simili constat de malis operibus, seu peccatis, quorum quodlibet, licet præcedentibus leuius, seipso formaliter peccatorem magis inquinatum efficit, magis exosum Deo, maioríque proinde dignum supplicio.

Secundum argumentum hoc est. Quilibet actus virtutis à charitate diuersæ ab homine A
I. iusto elicitus meritorius est augmenti charitatis habitualis, ergo & quilibet actus charitatis. Consequentiæ bonitas euidens est, cùm sicut charitas omnium virtutum præstantissima est, sic eius actus omnium sit præstantissimus, proindeque meritorius, si alij aliarum virtutum actus meritorij esse possunt. Antecedens infrà fusè ex instituto probabitur.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM sumitur ab experientia, cui repugnare videtur asserere per remissiores charitatis actus intendi charitatem habitualem: si enim per hos intenderetur, sanè iusti homines qui multis annis ab omni mortali peccato abstinentes quotidie se & assiduè in operibus bonis exercent, multò maiorem perciperent in exercendis charitatis actibus facilitatem, quàm reipsa percipiant. At hoc argumentum pari efficacitate concluderet, per vsum sacramentorum charitatis habitum non intendi: pari enim iure diceretur, si per hæc intenderetur, futurum vt cùm prædicti iusti continuè bonis operibus incumbentes, frequenter quoque sacramenta suscipiant, futurum, inquam, vt multò facilius exercerent charitatis actus quàm reipsa exerceant.

Vera autem ad hoc argumentum responsio est, supernaturales habitus potentiæ cui insunt operandi facilitatem non tribuere, sed primam vim ad operandum, propriumque esse naturalium habituum dare potentiæ cui inexistunt agendi facilitatem, vtpote quæ per solas naturæ suæ vires sine habitibus istis proprios horum habituum actus potest producere. Quòd si supernaturalis habitus, vt est charitas, non dat potentiæ facilitatem agendi, sicut dat naturalis, non mirum, si quantumcunque & in sacramentis, & extra sacramenta per quoscunque actus intendatur, non experiamur eam in proprio eius actu exercendo facilitatem, quam experimur in exercendis propriis habituum naturalium actibus, dum hos habitus valdè intensos habemus.

Secundum istud est. Actus ille virtutis non potest esse gloriæ meritorius, in quo exercendo homo suæ virtutis habitu non debitè vti-
IV. tur: atqui virtutis actus remissiores habitu sunt eiusmodi, vt in iis exercendis homo suæ virtutis habitu non debitè vtatur: igitur ij esse non possunt gloriæ meritorij. Minor probatur, tum quia tunc homo suæ virtutis habitu non debitè vtitur, quando per eum non tantæ intensionis actum exercet quantæ potest, potest autem tantæ intensionis quantæ est ipse habitus: tum quia is debitè suo habitu non vtitur, qui in alicuius actus per hunc habitum suum productione remissus est & negligens, talis autem est, quisquis remissiorem habitu actum efficit.

Respondeo negando Minorem, cuius si probationes bonæ essent, euincerent quoque actum remissiorem habitu ne præmij quidem alicuius accidentalis esse meritorium, nec proinde esse actum veræ virtutis, contra hypothesim, cùm omnis actus virtutis, sicut moraliter bonus est, ita sit laude dignus, & proinde saltem laudis tanquam alicuius præmij meritorius. Ad primam autem Minoris probationem dico, ad debitum virtutis vsum non esse requirendum ab homine, nisi vt ex virtute operetur: requiri enim aliud nihil debet, quàm vt honestè, ac proinde laudabiliter operetur. Sic autem operatur quoties agit ex virtute: omnis enim virtutis actus, eo ipso quo virtutis, honestus est, ac proinde laudabilis.

Ad secundam dico, nullum debere censeri remissè negligentérque se gerere, ex eo præcisè quòd virtutis actum quamlibet parum intensum exerceat, sed è contrario censeri ex
II. eo debere bene se laudabiliterque gerere, cùm B
V. quilibet veræ virtutis actus sit bonus & laudabilis. Remissus ergo negligénsque est is non qui parum intensos, & habitu multò remissiores virtutis actus exercet, sed qui nullos, aut non nisi paucos, omittens frequenter cooperari diuinis gratiis ad bene agendum excitantibus. Adde quòd si quis dum remissiorem habitu actum exercet, censetur esse remissus in operando atque negligens, dici tamen non debet remissus & negligens ob virtutis actum quamlibet parum intensum quem exercet, cùm, vt iam dixi, hunc virtutis actum exercens bonum, ac proinde laudabilem, bene laudabiliterque se gerat, sed ob omissionem actus intensioris quem deberet exercere, nec tamen exercet: quo fit, vt si remissio hæc seu
III. negligentia culpabilis est, culpa hæc peccatum C
VII. omissionis sit in omissione prædicti actus consistens.

DISPVTATIO XLVI.

Vtrùm charitas habitualis per continuationem actus charitatis augeatur?

SECTIO PRIMA.

Pars affirmans defenditur & probatur.

NEGANTEM amplexus est Bannez ad artic. 6. quæstionis huius 24. dub. 3. conclus. 3. expressè dicens, si contingat aliquem hominem continuare per horam integram, aut diutius charitatis actum, cum eadem intensione, cum qua ipsum primo horæ momento inchoauit, non mereri maius augmentum gloriæ essentialis, ac proinde gratiæ & charitatis, quàm si eum vnico tantum temporis illius instanti exercuisset, &
VIII.

proinde quàm primo illius horæ momento meruerit: consequentibus tamen horæ partibus quibus actus continuatur, actum hunc ratione durationis & continuationis esse meritorium augmenti gloriæ essentialis, & proinde gratiæ & charitatis, sed eiusdem tantùm augmenti, cuius erat meritorius illo ipso primo I. instanti quo elicitus est.

At sententia affirmans esse meritorium noui augmenti, & eò maioris, quò continuatio diuturnior est, vera est, defenditúrque ab iis omnibus quos præced. disputat. sect. 1. pro parte affirmante retuli: quam sententiam probo primum argumento ducto à triplici authoritate. Prima est sancti Cypriani epist. 16. sic ad quosdam Confessores inter cætera scribentis: *Ad sublimia celsiora morâ ipsâ passionis ascenditis, longóque temporum ductu glorias vestras non trahitis, sed augetis, quo longior pugna, hoc corona sublimior.* Quibus verbis sane de gloria & corona beatitudinis essentialis (sub qua accidentalis eam semper concomitans comprehenditur) loquitur, more Scripturæ, Patrúmque de retribuenda in cœlo mercede bonis nostris II. operibus verba facientium, & mercedis istius nomine prædictam beatitudinem intelligentium. Falsum autem esset eos augere gloriam suam & coronam morâ passionis, & pugnæ longitudine, si primo quo pugnare cœperunt & pati momento totam gloriam coronámque meruissent, quam toto consequente tempore.

Nec dici nisi mere gratis potest, Cyprianum velle eos plus meruisse gloriæ quàm primo momento, quòd præsupponat eos durante mora illa internum charitatis aut alterius virtutis affectum, ex quo tormenta illa sustinebant, intensiorem effeciſſe, quàm esset primo illo momento: tum quia nullam præbet occasionem existimandi se hoc præsupponere: III. tum quia manifeste significat relatis verbis, vt ad eorum vim attendenti patet, velle se, coronam & gloriam augeri ob passionis moram, pugnæque longitudinem, tanquam ob veram causam: quod non ita haberet, si tantum ob maiorem actus continuati, quàm primò producti intensionem augeretur.

Secunda authoritas, & præcedente maior, est eorum omnium sanctorum Patrum, qui Christi parabolam de operariis in vinea laborantibus, & eundem pro mercede denarium recipientibus explicuerunt: in qua explicanda quod solùm habet, aut præcipue difficultatem, est, quòd in ea dicatur idem seu æquale præmium redditum omnibus, cùm tamen inæqualis eorum labor ex parte temporis fuisset, vtpote quorum aliqui à primo mane vsque ad IV. vesperam, alij à tertia, alij à sexta, alij ab vndecima tantùm laborauerant. A qua difficultate cùm se expedire facillimè possent, dicentes diuturnitatem temporis quo continuatur opus nihil conferre ad maius meritum, nec proinde mirum esse, si tantundem præmij redditum sit iis qui breuiori tempore, quantum aliis qui longiori laborauerant, nunquam autem sic illa se expedierint, certissimum argumentum est, eos non existimasse continuationem operis ad maius meritum nihil conferre. Imò non dubiũ est, eos existimasse cõtrariũ, cùm hac tanquam certa veritate tacitè concessa, & præsuppositа, quòd nimirum diuturnitas temporis quo continuatur bonum opus, valeat ad maius præmij meritum, ad varias interpretationes se conuerterint, quibus ostenderent, non obstante illa laboris inæqualitate ex parte temporis, A meritò idem præmium vnius denarij nomine significatum rependi potuisse, his per vnum hunc denarium vnam aut à peccatis omnibus, aut à gehenna liberationem, vt S. Hieron. lib. 2. contra Iouin. aliis vnam vitæ æternitatem, vt S. Ambros. lib. 7. in Lucam cap. 15. interpretantibus, aliis aliter: sic tamen vt singuli cum hac præmij æqualitate per denarium significata conciliarent simul & inæqualitatem meritorum, & gloriæ in cœlo respondentis meritis, contra Iouinianum, qui in illa parabola suum fundabat errorem, quo in sanctis omnibus & meritorum in terris, & gloriæ in cœlo æqualitatem constituebat. V.

Tertia & omnium maxima authoritas est Apostoli 1. ad Corinth. cap. 3. sic scribentis, B *Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Cuius loci sensus est, vt infra videbimus, vnumquemque, cæteris paribus, eò maius essentialis gloriæ præmium recepturum in cœlo, quò maiorem laborem sustinuerit: euidens autem est eum qui charitatis actum æquali intensione per horam aut ampliùs continuat, magis laborare, quàm qui vnico tantùm instanti, aut breuiore tempore ipsum exercet. Non reciperet autem eò maius gloriæ præmium, quo maiorem laborem sustinuit, si eundem tantum gloriæ gradum meruisset, & consequuturus esset ob continuationem actus toto illo tempore, quem promeruit, & consequetur ob primum instans quo eundem actum inchoauit. VI.

SECTIO II.

C VII.

Eadem pars affirmans triplici præterea ratione probatur.

PRIMA ducitur à similitudine mali operis seu peccati, quod præcedentibus additum primo momento quo producitur meretur augmentum pœnæ, reliquóque tempore quo continuatur, ratione huius suæ continuationis, maius adhuc augmentum meretur, quàm primo instanti mereretur. Quis enim audeat tam liberas hominibus laxare peccandi habenas, vt dicat actum peccati longo etiam tempore continuati nullum nouum pœnæ augmentum mereri, sed idem ipsum tantummodo quod primo suæ productionis momento promeruit? Quòd si ita res habet in actu peccati continua- D VIII. to, quid causæ esse potest, cur charitatis actus continuatus, ratione suæ continuationis non mereatur maius augmentum gloriæ & gratiæ, quàm primo instanti, quo producitur, eóque cæteris paribus maius, quò diutius continuatur? sicut & peccati actus quo continuatur diutius, eò, cæteris paribus, maius augmentum pœnæ meretur.

Secunda ratio & à priori hoc enthymemate continetur. Actus charitatis continuatus moraliter melior est, quàm esset primo instanti

productus, hominémque magis iustum & sanctum efficit, quàm primo illo instanti efficeret. Ergo maius gloriæ & gratiæ augmentum meretur, quàm instanti prædicto mereretur. Consequentiæ huius bonitas ex superioribus disputationibus euidens est. Antecedentis veritas

I. constat primum ex similitudine actus mali seu peccati, quod ratione continuationis deterius quiddam est, quàm primo suæ productionis momento esset, hominémque deteriorem reddit quàm momento illo redderet: quis enim negare audeat, peius esse, actum peccati longo tempore continuare, quàm vnico tantùm momento producere: aut ex duobus æquale prorsus in omnibus peccatum admittentibus, hoc solo dempto, quòd vnus vno tantùm momento admittit, alter ad longissimum tempus producit, hunc posteriorem esse priore peiorem, & grauiùs eo peccare? Quòd si prima peccati

II. productio malitiam habuit, eiusdémque continuatio nouam malitiam habet, hæcque addita præcedenti eam quodammodo intendit, actúmque peiorem efficit, & hominem turpiùs commaculat, certe pari iure non sola prima actus charitatis productio bona moraliter erit, sed etiam eiusdem continuatio, hæcque continuationis istius bonitas moralis præcedenti addita eam veluti intendet, actúmque moraliter meliorem efficiet, & hominem magis iustum & sanctum.

Constat deinde eiusdem antecedentis veritas ex eo quòd sicut ex continuatione peccati Deus magis inhonoratur, maiorémque iniuriam, quàm ex eiusdem prima productione, accipit, ideóque peccatum continuatum grauius est, cæteris paribus, quàm vno tantùm momento productum, & per consequens quid moraliter peius, hominémque magis inquinans: ita charitatis actu continuato magis honoratur Deus, quàm per vnicum duntaxat instans pro-

III. ducto, hícque proinde continuatus melior est, hominémque meliorem & sanctiorem efficit, quàm vnico solùm momento productus.

Tertia ratio ex hoc absurdo petitur, quòd nimirum sequeretur alioqui satius esse duos vno die charitatis actus momentaneos, seu quorum quilibet vno tantùm momento duraret, producere, quàm vnicum paris cum illis intensionis toto die continuare: huic enim tandiu continuato non responderet, ex ea quam impugnamus sententia, nisi tantum gloriæ præmium, quantum respondet vni illorum actuum momentaneorum, quia continuatione non meretur maius augmentum gloriæ, quam primo suæ productionis instanti, nec proinde maius, quàm mereatur vnus duorum illorum qui paris est intensionis, & vno tantùm momento

IV. producitur, alteri verò duorum illorum actuum momentaneorum respondet nouum gloriæ augmentum, diuersum ab eo quod respondet primo actui momentaneo, quia quilibet charitatis actus additus præcedentibus nouum, ac proinde maius, augmentum gloriæ promeretur. Quod consequens si quis absurdum non iudicat, nec iudicare debet absurdum dicere, satius esse vnum peccati mortalis actum longissimo tempore continuare, quàm eundem bis committere, sed singulis vicibus vno tantùm momento temporis, quod tamen absurdissimum est.

Ex dictis tria colliguntur. Primum est, quemlibet cuiusuis virtutis actum ab homine iusto productum, & aliquandiu continuatum, ratione suæ continuationis, esse meritorium maioris gloriæ, quàm esset primo instanti quo productus est, eóque maioris, quo diutius continuatur: eadem enim est ratio omnis huiusmodi actus quæ charitatis, cùm, vt infra probabitur, non soli charitatis actus, sed & omnes aliarum virtutum ab homine iusto profecti, sint meritorij augmenti gloriæ, gratiæ, & charitatis. V.

Secundum est, ex duobus actibus bonis quorum vnus altero melior est, vel quia est illo intensior, vel ex alio simili capite, qui nihilominus æquali tempore continuantur, eum qui melior est, ratione suæ continuationis æqualis, inæquale augmentum gloriæ promereri: maius enim meretur, etiam præcise ratione continuationis suæ, quia quemadmodum actus boni continuatio laudabilis & meritoria

B est, ita continuatio melioris magis est laudabilis, & meritoria. VI.

Tertium est, omnes & singulas actus boni meritorij gratiæ & gloriæ circunstantias, quæ quoquomodo conferunt vt actus ille, dum exercetur, sit moraliter melior, hominémque proinde meliorem & magis iustum efficiat, conferre quoque vt maioris augmenti gloriæ & gratiæ sit meritorius. Cùm enim actus esse non possit melior, hominémque meliorem ac iustiorem reddere, quin maioris augmenti gloriæ & gratiæ sit meritorius, vt ex suprà dictis cóstat, non potest per consequens quidquam esse aliquo modo causa maioris in illo actu bonitatis, quin sit pariter causa meriti maioris augmenti gratiæ, & gloriæ quod ille actus bonus promeretur. VII.

C

SECTIO III.

Soluuntur argumenta duo contra doctrinam traditam.

VTRVMQVE argumentum suprà citatus Bannez nobis opponit. Primum est. Actus tempore aliquo continuatus, à seipso vt existente in primo temporis instanti quo productus est, aut ab altero eiusdem speciei, & æqualis intensionis per vnicum instans durante, non differt, nisi accidentaliter: ergo meritum vnius tantùm accidentaliter differt à merito alterius, præmiúmque quod vni respondet à præmio quod respondet alteri: ergo cùm

D actus primo instanti quo est mereatur præmium gloriæ essentialis, actus continuatus ratione suæ continuationis non nisi præmium aliquod accidentale merebitur. VIII.

Respondeo negando consequentiam hanc, si præmij huius accidentalis nomine intelligatur tantummodo quidpiam ab augmento essentialis gloriæ diuersum, vt reipsa Bannez intelligit. Licet enim verum sit antecedens, & bona prima consequentia, hoc tamen non impedit, quominus actus per tempus aliquod continuatus ratione continuationis suæ merea-

tur nouum augmentum gloriæ essentialis, huicque proinde continuato ratione continuationis hoc essentialis gloriæ augmentum tanquam præmium respondeat: sicut enim maior seu intensior, & minor seu remissior essentialis gloria non differunt nisi accidetaliter, vt & lumen intensum ac remissum, ita meritum & præmium maioris aut minoris essentialis gloriæ solùm accidentaliter differunt. I.

Et sanè si bona esset secunda illa consequentia quam negauimus, euinceret quoque, contra expressam authoris sui doctrinam, actum primo instanti quo fit intensiorem habitu, & tempore quo continuatur adhuc in intensione crescentem, ratione suæ maioris huius intensionis nō mereri nouum gloriæ essentialis augmentum, sed accidentale tantummodo præmium ab hoc augmento diuersum: quia hic actus primo instanti quo est, meretur essentialis gloriæ præmium, tum ex mente prædicti authoris, tum ex rei veritate: tempore autem quo continuatur factus intensior, à seipso, vt in primo momento quo productus est, existente, non differt nisi accidentaliter, cùm non differat nisi secundùm maiorem aut minorem intensionem, quod discrimen accidentale solùm est. II.

Secundum. Si duo hoc instanti bonum habeant æqualis intensionis propositum alicuius boni operis faciendi per certum aliquod tempus, exempli causa, orandi, vel amandi Deum per horam integram, & illorum vnus id faciat, alter minimè, ob aliquod impedimentum superueniens, vtérque tamen æquale essentialis gloriæ meritum habet: ergo ratione continuationis operis boni homo maius augmentum gloriæ essentialis non meretur. Consequentia hæc patet, supposito antecedente: huius autem veritas ex eo constat, quòd voluntas, vt est in communi prouerbio, pro facto reputatur: pro quo sanè reputari non deberet, si præter essentialis gloriæ præmium bonæ voluntati respondens, aliud præterea ipsi facto responderet. III.

Respondeo negando antecedens: licet enim vterque mereatur æquale essentialis gloriæ præmium, si sermo sit de præmio respondente bono proposito quod prædicto instanti habet, qui tamē hoc bonum propositum diutius continuat, ratione præcisè diuturnioris huius continuationis boni propositi maius essentialis gloriæ præmium meretur: quíque actum amoris Dei aut similem per se ac independenter à præuio bono voluntatis proposito meritoriū gloriæ exercet, magis meretur illo, qui cùm proposuerit exercere, non exercet tamen ob impedimentum quod superuenit: aut si vterque huncamoris actum quem proposuerat exercet, cæteris paribus plus ille meretur, qui diutius illum continuat: nec mirum, cùm meritum gloriæ non insit illi soli bono proposito, sed etiam actui amoris qui per se meritorius est, & independenter ab omni præuio bono proposito, quandoquidem adhuc gloriam mereretur, etsi absque hoc proposito præuio, vt reipsa posset, exerceretur. IV.

Ad probationem antecedentis dico axioma illud, voluntatem pro facto reputari, verum esse, dummodo in primis de efficaci voluntate intelligatur, non verò de simplicis complacentiæ, de qua etiam voluntate efficaci sermonem esse in obiectione fateor. Deinde de sola voluntate qua proponitur efficaciter exercendū opus aliquod externum, vt studium, vt eleemosynæ erogatio, aut aliud simile, quod per se non est formaliter honestum, seu moraliter bonum, nec proinde gloriæ meritorium, sed solùm dependenter à bona voluntate, seu bono proposito, vi cuius exequutioni mandatur: quod opus externum, vt in Tract. de bonitate & malitia actuum humanorum disput. 12. sect. 4. docuimus, nihil addit bonitatis moralis, nec proinde quidquam meriti ad bonam illam voluntatem. Vnde fateor eum qui voluntatem hanc efficacem habet huius externi operis faciendi, & non facit, quia impeditur, tantum mereri quantum is qui & habet, & facit, cæteris paribus: quo fit vt verè dicatur in eo qui non facit, voluntatem pro facto reputari, quandoquidem æquale meritum habet atque is qui facit. A V.

Dixi, cæteris paribus: nam si is qui facit quod proposuit, in bono proposito suo diutius perseuerat quàm ille qui ne faciat impeditur, ratione diuturnioris istius continuationis plus illo meretur: & quoniam ordinariè fit, vt qui bonum opus externum quod exercere proposuit reipsa exercet, diutius bonum suum propositum continuet, quàm ille qui reipsa non exercet opus externum quod proposuerat: tandiu enim saltem illud continuat, quandiu in externo illo opere faciendo occupatur, ideo ordinariè fit vt idem quoque plus illo altero mereatur. Quòd si vterque æquali tempore bonum suum propositum continuaret, vt per horam integram, & hac integra vnus ex illis simul cum interno bono proposito occuparetur in externo etiam opere quod proposuit, alter verò ob necessarium impedimentum tota illa hora nihil illius externi boni operis quod proposuerat faceret, vtriusque meritum æquale esset: quia, vt dixi, tale opus externum, sicut nihil addit bonitatis ad internum, ita nec quidquam meriti: vnde cùm vtriusque internus actus sit æqualis bonitatis, vtpote æqualis intensionis, durationis, cæteraque huiusmodi paria habeat, vt supponimus, vterque æquale gloriæ præmium merebitur. B VI. C VII.

Et sanè cùm præfatum axioma tam in malis operibus quàm in bonis locum habeat, & vulgò vsurpetur, si duo hoc instanti malum æqualis intensionis propositum habeant, verbi causa, vescendi per horam carnibus, eo die quo non licet, vnusque reipsa vescatur, alter minimè: non est tamen ex eo concludendum, istum qui non vescitur æquè grauiter peccare, & æquè graue supplicium mereri, atque peccat, & meretur is qui reipsa vescitur, licet iste qui non vescitur, vno tantùm instanti malum vescendi per horam propositum habuerit, alter & eodem instanti habuerit idem propositum malum, & per horam integram qua vescebatur carnibus, ipsum continuarit. Quamquam si quo tempore vnus illorum vetitis carnibus vescitur, & quo proinde malum his vescendi propositum continuat, alter qui non vescitur, eodem quoque tempore malum suum vescendi D VIII.

propositum continuaret, æquè grauiter atque ille peccaret, & æquè graue supplicium mereretur, quia talis actus externus, sicut nihil addit malitiæ ad actum internum, ita neque quidquam dignitatis ad pœnam luendam. Vnde cùm vtriusque internum malum vescendi carnibus propositum sit æquè malum moraliter, vtpote æqualis intensionis, durationis, cæteraque huiusmodi paria habens, vt supponimus, vterque æquale supplicium merebitur.

I.

SECTIO IV.

Proponitur tertium omniumque grauissimum contra eandem doctrinam argumentum, & prima ad illud responsio refertur, ac refellitur.

TERTIVM omniumque in hac materia grauissimum, sicut & communissimum, argumentum istud est. Si continuatio actus boni ab homine iusto profecti valeret ad maius essentialis gloriæ, ac proinde gratiæ charitatisque meritum, consequens esset, hominem iustum quolibet eiuscemodi actu per tempus aliquod continuato mereri infinitum gloriæ, ac proinde gratiæ & charitatis incrementum: atqui hoc absurdum est, igitur & illud. Sola Maioris consequentia probanda est, sic autem probatur. Sumatur actus bonus gratiæ & gloriæ meritorius durans per certum tempus, verbi causa, per horæ quadrantem, actus iste primo instanti quo est, meretur certam gratiæ & gloriæ quantitatem, exempli causa, gradum vnū: vnde si vnico illo instanti duraret, & immediate postea non esset, adhuc homo conciperetur ratione illius instantanei actus dignus illo vno gratiæ & gloriæ gradu: ergo si ille ipse actus per quadrantem continuetur, & ratione continuationis sit noui gratiæ & gloriæ augmenti meritorius, necessarium erit vt totidem nouos gloriæ & gratiæ gradus mereatur, quot sunt moræ in vno horæ quadrante primo illi instanti æquales: quare si primo hoc instanti meretur vnum gradum, necesse est vt toties vnum nouum gratiæ & gloriæ gradum mereatur, quoties in prædicto quadrante assignari possunt nouæ moræ illi primo instanti æquales, in quarum singulis tam existit ille actus totus, quàm in primo illo instanti existebat: atqui possunt assignari infinities, tum quia quodlibet instans est duratio primo instanti æqualis, in illo autem horæ quadrante sunt infinita instantia: tum quia sunt infinitæ partes proportionales: nullus enim est certus & finitus earum in qualibet quantitate continua, siue permanente, siue successiua, numerus, quælibet autem pars proportionalis est mora seu duratio primo illi instanti saltem æqualis, cùm minor esse non possit. Ex quo patet infinities multiplicari vnum nouum gratiæ & gloriæ gradum cadentem in meritum actus boni per horæ quadrantem continuati, & proinde admitti in hoc actu meritum gratiæ & gloriæ infinitæ.

II.

III.

IV.

Eadē etiam cōsequentia probatur ex eo quòd prædictus actus illo primo quo existit instanti certæ alicuius & determinatæ gratiæ & gloriæ meritorius, si continuatione maiorem meretur, æquialebit infinitis actibus eiusdem cum ipso speciei, & paris cum eodem intensionis, collectiue sumptis, quorum singuli concipe rentur existere in singulis vel partibus proportionalibus, vel instantibus totius illius temporis quo præfatus ille actus continuatur: qui cùm singuli mererentur certum gratiæ & gloriæ gradum, omnes haud dubiè collectiue sumpti infinitam gratiam & gloriam mererentur. Quòd autē ipsis æquialebit, ex eo patet, quod ipse sit eiusdem cum eis speciei, & æqualis intensionis, vt supponimus, idémque ipse, licet vnicus, existat realiter in illis omnibus & partibus proportionalibus, & instantibus infinitis, in quibus illi omnes infiniti collectiuè sumpti existerent, aut existere conciperentur.

A

V.

Ad hoc argumētum antequam respondeam, præmitto hîc breuiter id, quod, si alia omnia nobis ad eius solutionem deessent, sufficeret tamen ad eiusdem vim totam labefactandam: Istud nimirum est, quòd si efficax esset, valeret quoque ad efficaciter probandum, & continuationem operis boni non esse meritoriam accidentalis etiam præmij, & operis mali seu peccati continuationem non esse grauioris pœnæ meritoriam: quæ tamen duo falsa esse apud Catholicos certissimum est. Iisdem enim omnino modis, quibus in probanda Maioris consequentia ostendimus actum bonum per horæ quadrantem continuatum, si continuatione meritorius est maioris essentialis gloriæ, fore meritorium infinitæ, ostendi quoque pari efficacitate potest, fore etiam meritorium accidentalis præmij infiniti: & peccati actum per æquale tempus continuatum meritorium fore pœnæ secundùm grauitatem seu intensionem infinitæ.

B

VI.

Iam prima ad illud responsio Nominalium est, asserentium in tempore illo quo bonus actus continuatur, esse tum partes proportionales infinitas, tum infinita instantia, actum tamen illum in singulis temporis illius partibus aut instantibus non continuari libere, sed in certis tantum numero finitis, quibus voluntas libera est vt elicitum actum vel continuet, vel intertumpat: hincque fieri, vt hic actus ratione suæ continuationis per totū illud tempus non nisi finitam gratiam & gloriam mereatur, etsi singulis illis morulis quibus libere continuatur, supponatur mereri tantam, quantam primo momento quo elicitur, promeretur.

C

VII.

Hæc responsio meritò ab aliis reiicitur. Primò, quia ex ea sequitur nullum actum virtutis eo toto tempore quo durat, esse meritorium: nullum quoque peccati actum toto tempore quo continuatur, esse formaliter peccatum, seu malum moraliter, & pœna dignum: quandoquidem toto illo tempore actus ille liber non est, libertas autem necessaria est vt & actus bonus sit meritorius, & peccati actus sit formaliter peccatum, pœnámque mereatur.

D

VIII.

Secundò, quia, quod multò amplius est, ex ea sequitur euidenter, nullum vel virtutis vel peccati actum posse esse vlla vel breuissima parte temporis quo fit aut meritorium, aut formaliter peccatum, & pœna dignum. Ait enim illa responsio, actum à voluntate semel inchoatum non continuari libere, nisi in certis quibusdam

& numero finitis instantibus, quibus voluntas libera est vt illum vltra exercere vel desinat vel pergat : quod cùm dicant illius responsionis authores, nesi admitterent continuari libere in singulis illius temporis quo durat partibus, & instantibus, cogerentur ob vim argumenti propositi admittere quoque mereri infinitum gratiæ & gloriæ augmentum, coguntur ex consequenti dicere, nullam esse partem temporis assignabilem, in qua vel virtutis vel peccati actus libere continuetur, cùm nulla sit talis pars, quæ non constet infinitis & partibus proportionalibus, & instantibus, ex quibus pari iure concluderetur meritum infinitæ vel pœnæ, vel gloriæ.

I.

Tertiò, quia prædicta responsio contra rationem est : quam enim ob causam actus ille primo momento temporis quo exercetur, aut in aliqua eius parte liber est, ob eandem quoque similiter est in qualibet alia, & quocunque alio quo continuatur, siue causa hæc ex intellectu eiusque cognitione petatur, siue ex voluntate, siue ex vtraque : cùm ex parte vtriusque adesse possint inuariata omnia toto tempore quo continuatur prædictus actus, quæ adfuerunt, cùm primùm liberè elicitus est, & adesse proinde reipsa meritò supponamus, aut supponere possimus.

II.

SECTIO V.

Secunda ad idem argumentum responsio refertur, & refellitur.

SECVNDA responsio Gabrielis Vasquez 1. 2. disput. 54. cap. 3. in his consistit. Primum est, quemlibet actum, siue bonum, siue malum, in instanti aliquo intrinsecè inchoari, atque adeo per primum sui esse : intrinsecè quoque in instanti aliquo desinere, atque adeo per primum sui non esse. Cuius rei rationem hanc reddit prima parte disputat. 229. cap. 10. quòd nimirum totum huius actus non esse simul incipiat, non verò pars eius vna desinat post alteram, sicut & totum eius esse simul est, non verò pars eius vna post aliam incipit.

III.

Secùdum est, nullum eiusmodi actum durare posse per vnicum tàtùm instans, ac proinde durare necessariò per aliquod tempus, quàdoquidem quilibet huiusmodi actus in instàti intrinsecè incipit, & intrinsecè in alio instanti definit, certum autè apud omnes est, inter duo instàtia medium esse tempus. Et quoniam instans in quo incipit semper à Deo saltem assignabile est, instans quoque in quo definit semper ab eodem est assignabile, certum autem etiam est inter quælibet instantia duo assignabilia intercipi semper tempus aliquod certæ determinatæque magnitudinis : hinc concludit, omnes & singulos prædictos actus, cùm durare nequeant per vnicum tantùm instans, semper durare per certum aliquod determinatumque tempus : quod tamen ait esse modò maius, modò minus, pro libertate voluntatis, cùm nullum assignari possit instans temporis illius, in quo libera non sit vt ab actu illo desistat.

IV.

Tertium est, actum bonum nullius præmij, actum malum nullius pœnæ meritorium esse præcisè prout instanti existit, sed prout coexistit alicui certæ & determinatæ parti temporis : quæ cùm semper finita sit, hinc fieri, vt actus per tempus illud continuatus, ex hac continuatione, non nisi finiti vel præmij, vel supplicij meritorius esse possit.

A Verùm secundam hanc responsionem probare non possum, propter multa quæ continet quæ mihi probanda non videntur. Primum est, quod ait actum siue bonum, siue malum, de quo agimus, non posse incipere & desinere nisi intrinsecè in instanti. Etenim intelligere non possum, quid repugnet hunc actum non esse in hoc instanti, & esse immediate post hoc instans : itavt nulla sit pars temporis hoc instans consequentis, in qua verum non sit dicere, illum existere, & proinde quid repugnet hunc eundem actum incipere non in instanti intrinsecè, seu per primum sui esse, sed potiùs per vltimum sui non esse, id est, itavt verum sit de illo dicere, nunc non est, immediatè pòst erit.

V.

B Neque etiam possum intelligere, quid repugnet eundem esse adhuc intrinsecè in hoc instanti, & immediatè post amplius non esse, & proinde desinere non in instanti intrinsecè, seu per primum sui non esse, sed contra potiùs per vltimum sui esse, ita vt verum sit de illo dicere, hoc instanti est, immediatè pòst non erit.

VI.

Nam quod ait Vasquez, hunc actum & totum simul incipere, & totum simul desinere, non efficit vt in instanti intrinsecè debeat incipere, & in instanti intrinsecè desinere : sed solùm efficit, vt pars eius post partem non incipiat, nec pars eiusdem post partem desinat : quod quidem fieri potest, etsi post instans immediate, atque adeo intrinsecè in tempore aut incipiat, aut desinat : cùm non sit idem incipere vel desinere in tempore, quod incipere vel desinere per partes, quarum aliæ post alias vel incipiant, vel desinant : sicut non est idem esse in tempore, quod in eo esse per partes, quarum aliæ aliis succedant : vt clarum est in primis de creatione Angeli, & animæ nostræ rationalis, de ipso quoque Angelo, & anima nostra, quæ res sunt in tempore, cùm tempori coexistant, nec tamen in eo sunt per partes quarum aliæ aliis succedant, cùm careant partibus. Deinde de corpore cœlesti diuisibili, cuius omnes partes substantiales sunt in tempore : nam tempori coexistunt, nec tamen in eo sunt per partes, quarum aliæ succedant aliis, cùm omnes simul in eo sint.

C

VII.

Quarum rerum exemplis arbitror refutari posse efficaciter illud primum, quod affirmari à Gabriele Vasquez paulò ante monui. Nam si res hæ possunt incipere in tempore, itavt hoc

D instanti nondum existant, immediatè autem post hoc instans existentiam accipiant, poterit haud dubiè actus siue bonus, siue malus incipere in tempore, & non in instanti intrinsecè, cùm sicut hic actus totus simul incipit, & suum esse totum simul habet, sic & prædictæ illæ res : possunt autem sic incipere illæ ipsæ res : si enim earum conseruatio sic incipere potest, potest & prima productio, cùm earum conseruatio tota simul sit, totumque suum esse simul habeat, nec vlla difficultas esse de hac prima

VIII.

pro-

productione possit, quæ non æqualiter fieri possit de illa conseruatione. Quòd autẽ prædictarum rerum conseruatio sic incipiat, euidens est: res enim illæ hoc instanti primum productæ non incipiunt intrinsecè hoc instanti conseruari, sed immediatè solùm post hoc instans, atque adeo in tempore, in quo proinde incipit earundem conseruatio.

I. A

Secundum est, quod asserit esse necessarium, vt actus qui hoc instanti intrinsecè incipit, duret aliqua parte temporis consequentis: huius enim necessitatis nullã videre possum causam. Nam quod ait actum illum desinere non posse nisi in instanti, sicut nec potest nisi in instanti incipere, inter autem instantia duo medium esse tempus, paulò antè reiectum est, ostensumque actum illum tam desinere posse immediatè post instans, quam incipere posse post instans immediatè, atque adeo in tempore: quo modo incipere posse si solùm probassemus, sufficienter quoque simili modo posse desinere probauissemus, cùm argumenta quæ primum illud probant, sufficienter probent & istud secundum, quia nulla de vno maior quàm de altero potest esse difficultas. Imò puto efficacem esse, contra illam necessitatem, rationem hanc, quòd nimirum possit Deus homini hoc instanti bonum actum vel malum exercenti nolle dare immediatè post hoc instans concursum suum, cùm liber sit vt det, vel non det, quo non dato, nulla parte temporis consequentis actus ille continuabitur.

II. B

Tertium est, quòd actum, siue bonum, siue malum, qui continuatur, nulla parte temporis illius quo continuatur, faciat liberum, sed in solis instantibus in quibus existit, cùm tamen eum per partes temporis illius esse liberum, ex refutatione primæ responsionis clarum sit: vult enim expresè actum hunc desinere posse tantùm per primum sui non esse, seu in instanti intrinsecè: igitur neque immediatè ante quodlibet instans assignabile, neque post, potest desinere: ergo neque in vlla parte temporis, cùm nulla sit, quæ non sit ante vel post aliquod instans: quòd si nulla parte temporis potest desinere, nulla illius parte liber est.

III. C

Quartum & postremum est, quod ait, actum bonum nihil præmij, malum nihil supplicij mereri præcisè prout est instanti quo primum incipit, sed tantùm prout est in tempore consequente quo continuatur. Quod mihi persuadere non possum, cùm actus ille sit certæ intensionis, circa certum determinatumque obiectum, existat quoque in certa determinataque & assignabili duratione, nempe in primo instanti quo producitur, quodlibet autem instans sit certa, determinata, & assignabilis à Deo saltem duratio. Vnde puto eum si bonus est, & ab homine iusto profectus, non posse non esse certæ gloriæ meritorium: si autem malus est, certi determinatíque supplicij. Quod eo firmiùs nobis persuadere debemus, quo efficaciùs paulò ante probatum est, actum qui in aliquo instanti totus simul existit, posse diuina saltem virtute in vnico illo instanti existere, Deumque posse immediatè post illud instans concursum suum negare homini ad continuationem actus illius, imò posse hominem

IV. D

immediatè post idem instans vel gloria donare pro actu illo, si bonus fuit, vel æternæ damnationis pœna plectere, si mortale peccatum extitit. Ex quo sequitur necessariò, vt primo instanti quo est actus, siue bonus, siue malus, siue duret hoc solo instanti, siue adhuc postea, certam determinatamque vel gloriam, vel pœnam mereatur, cùm Deus nullam pœnam aut gloriam nisi certam determinatamque possit rependere.

V.

SECTIO VI.

Tertia ad idem argumentum responsio refertur, & refellitur.

TERTIA responsio est nonnullorum ex Recentioribus, qui admittunt quidem aliquos actus instantaneos, seu quos necesse non sit durare ampliùs quàm per vnicum instans nostri temporis, at simul asserunt actum charitatis, similitérque cuiuslibet alterius virtutis, habituali gratiæ & charitati æqualem, nullius incrementi diuisibilis gratiæ & gloriæ esse meritorium, si vnico duntaxat duret instanti: quòd si duret aliquo tempore, nullum quoque in temporis illius instantibus mereri gratiæ & gloriæ augmentum diuisibile, sed solùm in eo tempore: quod cùm finitum sit, concludunt augmentum diuisibile gratiæ & gloriæ, quod actus per tempus illud continuatus meretur, non posse non esse finitum.

VI.

Refellitur primò, quia innuit actus illos, quos negat in instantibus esse meritorios præmij diuisibilis, esse meritorios indiuisibilis, nempe puncti alicuius realis terminantis aut continuantis partes intensionis gratiæ & gloriæ, quod fictitium & ridiculum est: in primis, quia indiuisibile gratiæ & gloriæ per se sumptum non potest esse præmium condignum vllius boni nostri actus: præmio enim respondente condignè nostris bonis actibus sumus formaliter Deo gratiores, & beatiores, indiuisibile autem gratiæ & gloriæ per se sumptum non potest nos formaliter efficere tales, cùm non sit gratia & gloria seu beatitudo, sicut indiuisibile quantitatis non est quantitas.

VII.

Deinde, quia in accidentibus ad qualitatis categoriam pertinentibus, & suscipientibus intensionem & remissionem, aut nulla huiusmodi indiuisibilia admitti debent, aut si debent, profectò ex natura rei prædictis qualitatibus inerunt, sicut insunt quantitati: (si tamen aliqua ipsi insunt.) Vnde etsi actus tempore durans in nullo instantium temporis illius existeret, sed solùm in eiusdem temporis partibus, homo nihilominus recipiendo partes diuisibiles intensionis gratiæ & gloriæ, quas per hunc actum suum, vt in partibus prædicti temporis existentem, condigne meruit, simul acciperet indiuisibilia omnia ex natura rei terminantia, & continuantia partes illas intensionis: sicut si loco partium diuisibilium intensionis gratiæ & gloriæ mereretur certam quantitatem, verbi causa, vnius pedis, accipiens hanc quam meruisset quantitatem, simul quoque accipe-

VIII.

ret indiuisibilia omnia, quæ ex natura rei partes eius extensas continuant, & terminant.

Refellitur secundò efficaciter iis omnibus argumentis, quibus supra probauimus contra Dominicum Bannem, quemlibet actum
I. charitatis, alteriúsve virtutis ab homine iusto profectum etiam remissiorem habitu, siue diu duret, siue non, siue per instans tantùm, siue ampliùs, mereri augmentum gratiæ & gloriæ: de quolibet enim nullo excepto id euincunt: quo augmenti nomine significari aliquid diuisibile tam certum est, quam significetur, dum quantitas aut calor augeri dicitur.

Tertiò refellitur eo quòd eius authores expresse docent actum instantaneum, si sit intensior habitu, mereri certum ac diuisibile gratiæ & gloriæ augmentum, eundemque actum, si non sit instantaneus, sed duret aliquo tempore, his temporis huius instantibus, quibus fit habitu intensior, mereri quoque
II. nouum ac diuisibile gratiæ & gloriæ incrementum. Contra rationem enim est hoc affirmare de actu intensiore, negare autem de æquali: primùm, quia dicendum alioqui pari iure esset, actum peccati mortalis instantaneum nullum in instanti in quo existeret certum & diuisibilem pœnæ gradum mereri, nisi in eodem instanti esset grauius peccatis omnibus præcedentibus: quod aduersariorum admittentium, vt dixi, aliquos actus instantaneos, nullus, vt opinor, concesserit.

Deinde quia, vt ex infrà dicendis certò constabit, aliquis charitatis, aut alterius virtutis actus æqualis habitui, aut etiam eò remissior, potest esse ratione obiecti circa quod versatur, aliarumque quibus afficitur circum-
III. stantiarum, moraliter melior, magisque proinde meritorius alio intensiore tam præstanti obiecto, illisque aliis circumstantiis carente: ergo primo instanti quo existet merebitur diuisibile gratiæ & gloriæ præmium, æquè saltem atque iste qui est intensior.

Postremò, quia tantum abest vt charitatis vel alterius virtutis actus minus habeat bonitatis, ac proinde meriti ex hoc capite, quòd nimirum fiat ab homine magis sancto, seu magis intensam gratiam & charitatem habitualem habente, vt è contrario potiùs ex hoc eodem capite sit moraliter melior, magisque meritorius. Ergo cùm idem numero actus, qui est æqualis habitui, futurus esset eo intensior, si tanta non esset hominis habitualis gratia & charitas, quanta reipsa est, sanè si hic actus, existente hominis habituali gratia & charitate minore, esset primo instanti
IV. quo existit meritorius diuisibilis augmenti gratiæ & gloriæ, vt esset ex aduersariorum doctrina, erit quoque existente eiusdem hominis maiori habituali gratia & charitate, ac proinde tum quoque, cùm hic idem actus erit habitui æqualis, aut etiam eo remissior.

SECTIO VII.

Continens præsupponenda ad veram propositi argumenti solutionem.

HIS responsionibus ita reiectis, subiungam duas, postquam præmisero, cuilibet esse necessario sentiendum, aut posse aliquem actum existere in aliquo instanti, aut nullum posse, sed solùm in aliqua parte temporis: vnum enim istorum cùm repugnet alteri contradictorié, necessarium est vt quilibet aut hoc aut illud sentiat. Quodnam autem sit sentiendum, quia quæstio purè philosophica est, hic non definio: solùm moneo, ei qui existimat nulla in tempore dari instantia realia terminantia, vel continuantia partes temporis, dicendum esse meo iudicio, nullum actum nostrum posse in instanti existere: tum quia si nullum est à parte rei instans in tempore, quomodo potest esse à parte rei aliquis noster actus in aliquo instanti? sicut si nullum esset aut esse posset tempus, quomodo posset aliquis actus noster à parte rei esse in tempore? Tum quia si omnis extrinseca rebus permanentibus, & totum suum esse simul habentibus, duratio est à parte rei tempus, nulla huiusmodi res potest à parte rei existere, quin à parte rei coexistat tempori, seu alicui parti temporis.

Moneo deinde, ei qui sentiet posse aliquem actum existere in instanti, dicendum ex consequenti, eum qui est certæ determinatæque intensionis, & in instanti producitur, eo ipso instanti quo primùm est esse meritorium certi ac diuisibilis præmij, siue per vnicum tantùm instans possit existere, siue non possit.

Moneo denique consequenter eidem esse dicendum, eundem actum posse durare per vnicum tantum instans, ac proinde multò magis affirmandum esse, hunc eundem actum eo instanti quo est esse certi & diuisibilis præmij meritorium. Hæc enim omnia dici consequenter debere, suppositò quòd actus aliquis instanti possit existere, patet ex dictis hac disputatione, nominatimque contra secundam ad propositum argumentum responsionem.

SECTIO VIII.

Continens priorem ex duabus ad propositum argumentum responsionem.

IAM prior ex duabus hic subiiciendis ad illud responsio, amplectenda iis qui sentiunt posse aliquem actum nostrum in instanti existere, hæc est, quam tradit Suarez in Opuscul. Relectione de reuiuiscentia meritorum, disputatione secunda, sect. 3. à numero 39. actum quidem charitatis, aut alicuius alterius virtutis ab homine iusto elicitum, primo instanti quo est, esse meritorium certi & diuisibilis augmenti gratiæ & gloriæ: continuatum verò post primum illud instans per tempus aliquod nihil mereri de nouo nisi ratione continuationis per illud tempus, quæ cùm semper

finita sit, sicut & tempus per quod actus continuatur, quantumuis infinita in eo instantia sint, hinc esse, vt non nisi absolutè finitum gratiæ & gloriæ augmentum mereatur.

Cuius responsionis meliùs percipiendæ gratia, obseruandum est quod obseruat A
I. idem Suarez numero 40. in actu per tempus aliquod durante duo solùm considerari posse. Primum est, entitas siue substantia actus existentis, quæ tota est primo illo instanti: sub qua entitate siue substantia comprehenduntur omnes circunstantiæ à continuatione per tempus distinctæ, quibus illo ipso primo instanti afficitur, & à quibus aliquid bonitatis moralis, & proinde meriti accipit. Secundum est, eiusdem per tempus aliquod continuatio: ex quibus duobus primum habet actus iam à primo instanti quo in rerum natura est: secundum non nisi postea. Quo fit, vt hic actus, quidquid ratione suæ entitatis ac substantiæ mereri gratiæ & gloriæ potest, totum illud iam à primo suæ productio-
II. nis instanti mereatur: quidquid autem post- B
ea de nouo meretur gloriæ & gratiæ, sit præcisè eius per tempus continuationi tribuendum.

Et quemadmodum quoniam hæc continuatio non est eadem per singulas partes temporis totius, quibus actus continuatur, sed alia & alia est, sicut & partes huius ipsius temporis non sunt eædem omnes, sed aliæ & aliæ sibi succedentes, ideo præmium quod respondet actus continuationi, non est vnum idémque, sed aliud semper & aliud: ita quoniam entitas seu substantia actus illius per hoc totum tempus continuati manet semper eadem & inuariata, vt supponimus, toto illo tempore, quæ primo in-
III. stanti extitit, ideo præmium quod eius sub- C
stantiæ toto hoc tempore respondet, vnum idémque est cum eo quod respondet eidem vt in primo instanti existenti.

Quemadmodum denique quoniam hæc actûs substantia simpliciter est finita, ipsi non nisi simpliciter finita gratiæ & gloriæ merces respondere potest: ita quoniam tempus, per quod post primum instans suæ productionis continuatur, finitum simpliciter est, seu finitæ simpliciter moræ, licet infinitis partibus & instantibus constans, merces quæ ipsi respondet ratione suæ per illud tempus continuationis, non potest non esse simpliciter & absolutè finita.

SECTIO IX.

IV. *Soluuntur obiectiones contra datam præce-* D
dente sectione responsionem.

AT contra responsionem hanc obiicies primo, substantiam actus boni totam esse in singulis instantibus, & partibus temporis consequentis primum instans, sicut est in hoc primo instanti, nec minus habere bonitatis, ac proinde meriti, in singulis illis instantibus, quàm haberent singuli alij actus, numero & inter sese, & ab illo diuersi, cum eodémque, sicut & inter se, cùm in graduum intensione, tum in cæteris omnibus prorsus æquales. Ergo sicut hi omnes actus collectiue sumpti infinitam gratiam & gloriam mererentur, ita & vnicum illum illo tempore continuarum infinitam promeriturum. V.

Respondeo concesso antecedente negando consequentiam: æqualis enim esset bonitatis & meriti, quia sicut quilibet istorum actuum quatuor v. c. bonitatis gradus haberet, totidémque gratiæ & gloriæ mereretur, ita & ille vnicus existens in singulis prædicti temporis instantibus: at quoniam eius in his omnibus existentis eadem numero semper esset entitas, & bonitas moralis, ac proinde idem meritum, eandem numero duntaxat gratiam & gloriam mereretur: e contrario autem sicut illorum singulorum actuum esset diuersa numero entitas, & bonitas, ac proinde diuersum numero meritum, ita diuersam singuli gratiam & gloriam mererentur, ac proinde omnes collectiue sumpti infinitam, sicut & multitudine essent in- VI.
finiti.

Secundò obiicies, ex duobus hominibus æqualem per omnia virtutis actum exercentibus, hoc solo discrimine, quòd vnus altero eum diutius, sed per vnicum solùm instans produxisset, hunc ratione continuationis per hoc instans meriturum plus gratiæ & gloriæ illo altero: istud autem plus, fore quiddam diuisibile, vt patet ex refutatione tertiæ suprà relatæ responsionis: ergo tantundem meriturum in singulis temporis, quibus continuatur actus, instantibus: ergo & infinitam in omnibus gratiam & gloriam, cùm infinita sint.

Respondeo ex duobus illis hominibus neutrum alio plus gratiæ gloriæque promeritu- VII.
rum: nec refert, quòd actus vnius vno instanti adhùc existeret, quo non existeret amplius actus alterius. Cùm enim præmium quod merentur, mereantur præcisè, aut ratione substantiæ actus, aut ratione durationis seu continuationis eius, inæquale præmium ratione substantiæ actus mereri non possunt, cùm, vt supponimus, in vtroque sit æqualis actus substantia. Si quæ ergo inæqualitas in merito præmij, & in præmio est, solum est ratione continuationis & durationis, ex qua tamen in re præsenti non potest vnus maius mereri præmium quàm alter: quoniam vna quidem ex parte non maiorem habuit durationem & continuationem actus vnius quàm alterius, cùm sicut punctum additum lineæ lineam maiorem non efficit, & vniuersum indiuisibile additum diuisibili non facit maius, ita nec instans additum tempori durationem maiorem efficiat: ex altera verò per se notum videatur, actum qui ratione præcisè suæ continuationis seu durationis præmium aliquod meretur, non mereri maius, nisi continuatio seu duratio maior sit. VIII.

Postremò obiicies, ex data responsione esse consequens, posse quempiam plus gratiæ & gloriæ mereri multis numero diuersis actibus,

aut instantaneis, aut perexiguo temporis spatio durantibus, elicitis intra vnius horæ spatium, verbi causa, quàm vnico actu eiusdem speciei, eiusdémque intensionis, qui per totam hanc horam absque vlla intermissione continuaretur. Cùm enim hic actus absolutè finitum gratiæ & gloriæ præmium mereatur, quilibet autem actus vel instantaneus, vel exiguo temporis spatio durans, mereatur quoque certum aliquod gratiæ gloriæque præmium, euidens est, tot actus, vel instantaneos, vel breui temporis spatio durantes, intra horam illam multiplicari posse, vt omnes simul sumpti maius augmentum gratiæ & gloriæ mereantur, quàm vnicus ille per totam horam continuatus: hoc tamen consequens non videtur admittendum, quia homo per totam illam horam opus suum bonum continuans, tota illa hora bene & meritoriè operaretur, alter verò qui per eandem horam interruptis actibus ageret, semper aliquam eius horæ partem non bene agendo consumeret. I.

Respondeo bene inferri illud ex data responsione consequens: sed & admitti rectè posse ab eo omni qui responsionem hanc amplectitur, vt & admittit reipsa Suarez citata sect. num. 42. in quo ostendit idem consequens, si de peccatis, & pœna iis debita, vel de præmiis accidentalibus vni vel multiplici operi bono respondentibus agitur, admittendum necessariò esse ab iis omnibus qui concedunt aliquem actum, siue bonum, siue malum, vnico instanti exerceri posse, & primo quo exercetur certæ determinatæque vel pœnæ vel gloriæ meritorium esse. II.

Ad probationem autem in contrarium dico, ea solùm rectè probari, eum qui intra prædictam horam multos actus exercet, aliqua inter singulos intercepta mora, non tantum habere meriti ex continuatione seu duratione actuum præcisè, quantum haber alter ex duratione actus vnius per idem tempus continuè sine vlla intermissione producti. At quamuis ita res habeat, posse tamen eundem interruptis actibus operantem plus isto altero vnicum actum per æquale tempus continuante mereri gratiæ & gloriæ, quia meritum eius ex entitate actus proueniens maius est merito istius alterius, cùm hic vnicum tantùm exerceat, cui vnum & idem gratiæ & gloriæ præmium respondet, ille verò alios multos numero diuersos, quorum cuilibet proprium suum respondet gratiæ & gloriæ præmium, diuersum ab eo quod respondet aliis ratione præcisè entitatis & substantiæ qua singuli constat: quod præmium illorum omnium actuum entitati respondens excedere potest illud aliud quod respondet vnico actui, ratione tam suæ entitatis, quàm per tempus continuationis, vt ostensum est. III. IV.

SECTIO X.

Continens posteriorem ex duabus ad propositum argumentum responsionem.

POSTERIOR ex duabus responsio, amplectenda iis qui existimabunt nullum actum nostrum posse esse in instanti, sed solùm in tempore, consistit in his tribus. Primum est, nullum actum nostrum posse existere nisi in certo determinatoque tempore: tam enim videtur impossibile vt coexistat solùm alicui parti proportionali temporis, seu indeterminatæ & inassignabili, quam impossibile est vt existat ipse actus nullam certam & determinatam intensionem habens, sed incertam tantùm & inassignabilem: aut quàm impossibile est vt existat aliqua quantitas tota simul, nec tamen vllius certæ magnitudinis, sed inassignabilis: vel vt existat sola aliqua pars proportionalis & inassignabilis temporis, quæ nec cum vlla antecedente, nec cum vlla consequente continuetur. Vnde nullus est, vt opinor, aut Philosophus, aut Theologus, qui concipiens aliquem actum continuari post aliquod instans, non simul concipiat ipsum durare certo aliquo & determinato tempore. A

Secundum est, actum illum, licet ex hypothesi quòd existat in rerum natura, non possit non existere in certa aliqua & determinata parte nostri temporis, posse nihilominus esse liberum toto illo tempore quo est. Ad hoc enim iufficit sine dubio, quòd & potuit non esse in illa parte temporis illius, quia potuit pro arbitrio voluntatis non fieri, & ex hypothesi quòd ab ea factus sit, nulla tamen est pars assignabilis illius temporis, in qua non possit voluntas pro sua libertate ab eius exercitio & continuatione desistere. B V. VI.

Tertium est, actui illi, siue bono, siue malo, nullum certæ determinatæque vel pœnæ vel gloriæ meritum inesse, ratione præcisè entitatis & substantiæ ipsius vt abstrahentis à tempore, sed solùm vt inuoluentis certum determinatumque tempus in quo existat: quemadmodum etsi cuiusque actus vt individui & existentis finita determinataque sit essentialis & specifica perfectio, nullum tamen certæ determinatæque gloriæ meritum inest actui bono individuo & existenti, secundùm specificam perfectionem præcisè considerato, à gradibus intensionis abstrahenti, sed solùm vt certum aliquem & determinatum intensionis gradum inuoluenti. Et sicut huius rei ratio à priori est, quòd non possit vllus actus existere, quin certam aliquam ac determinatam graduum intensionem habeat: ita ratio illius alterius est, quòd nullus etiam actus existere cum sua certa & determinata intensione valeat, nisi in certo aliquo determinatóque tempore, licet possit existere in minori & minori in infinitum, sicut & ipsum tempus, quod non potest existere nisi certum & determinatum, potest tamen esse minus ac minus in infinitum. C VII.

Quamuis autem ita res habeat, vt actui existenti, & certam intensionem habenti, nullum determinatum præmium respondeat, nisi vt certum tempus in quo est inuoluenti: hoc tamen non impedit, quin ei actui eandem etiam inuariatam existentiam retinenti, respondeat maius vel pœnæ vel gloriæ præmium, si diutius continuetur, quàm si minus diu: quod tamen maius præmium non respondebit ipsi ratione præcisè continuationis maioris, vt ab existentia & intensione actus D VIII.

abstrahentis, sed quia actus talis speciei, tantæque intensionis, tanto tempore durans meretur tantum præmij, ratione suæ specificæ perfectionis, tantam intensionem, tantámque durationem habentis, tanquam ratione causæ vnius simplicis & indiuisæ. Quòd si nullus actus vnquam in instanti est, sed solum in tempore, nullique respondet certum vllum determinatumque præmium, nisi vt certum determinatumque tempus inuoluenti, euidens est, actui secundùm gradus intensionis finito non posse respondere infinitum præmium ex continuatione per partes proportionales temporis infinitas, cum hæ partes non nisi finitum tempus constituant: actui autem secundùm intensionem, & secundùm alia omnia simpliciter finito, per finitum quoque tempus continuato, & finitam proinde durationem habenti, non possit aliud respondere præmium quàm simpliciter finitum.

I. A

Atque hanc ad propositum argumentum responsionem eo amplius probare quisque debet, quo magis ipsi forte videbitur à veritate alienum, posse multis actibus, inter quos aliqua intercipiatur mora, per idem tempus elicitis, per quod continuatur vnicus eiusdem cum illis intensionis & speciei, exæquari, immo superari meritum huius vnius actus. Iuxta hanc enim responsionem id fieri non potest, immo necessatio fiet, vt quò magis multiplicabuntur actus, pluresque interiectæ inter eos moræ reperientur, eò minùs accedant ad magnitudinem meriti illius actus per illud tempus absque interruptione continuati. Etenim cùm iuxta responsionem hanc meritum non insit actui intensionem aliquam habenti, nisi vt in aliquo tempore existenti, nec tam intenso actui insit tantum meritum, nisi vt per tantum tempus duranti, dicendum ex consequenti est, vnico actui, tantæ intensionis, verbi causa, quatuor graduum, per tantum tempus duranti, vt per horam integram, tantum ineſſe meriti, tantúmque respondere præmij, quantum inest & respondet duobus eiusdem speciei & æqualis cum illo vnico intensionis, quorum quilibet per dimidiatam horam continuaretur, cùm vnicus ille existens in prima medietate horæ, per quam integram, vt suppositimus, continuatur, æquiualeat prorsus vni istorum actuum per eandem horæ medietatem duranti: & vt existens in altera medietate eiusdem horæ, æquiualeat omnino alteri eorundem actuum, per hanc alteram medietatem existenti, æquiualeatque per consequens quatuor similibus actibus, quorum vnus primo horæ quadrante, secundus secundo, tertius tertio, quartus quarto duraret. Ex quo patet, quòd si per horam illam ita multiplicarentur actus, vt aliqua inter eos mora interciperetur, ad illius vnius actus per horam continuati meritum non peruenirent, eoque minùs peruenirent, quò magis multiplicarentur, aliquâ semper inter singulos interceptâ morâ, & quò proinde plures moræ, pluréſque illius horæ partes ab omni actu bono vacuæ inuenirentur.

II. B

III. C

IV. D

DISPVTATIO XLVII.

Vtrùm charitas habitualis eò plus, cæteris paribus, per charitatis actus augeatur, quo præstantiora per eos aliarum virtutum opera imperantur, & perficiuntur.

V.

SECTIO PRIMA.

Pars affirmans defenditur & probatur.

VI.

NEGANTEM amplectitur Dominicus Bannez hac 2. 2. ad art. 2. quæst. 24. dub. 5. expressis verbis asserens opera illa nihil omnino conducere ad promerendam maiorem gloriam essentialem, gratiam, & charitatem, volens videlicet meritum augmenti rerum istarum solis actibus charitatis ineſſe, iisdemque habitu intensioribus, & inter hos actus intensiores habitu meritum maioris augmenti soli illi actui conuenire, qui cæteris est intensior. Quapropter in explicatione sextæ conclusionis, & in suis ad Relectionem Franciſci à Victoria de augmento charitatis notationibus, hunc arguit, quòd asserat euenire posse, vt quis ex minùs intenso charitatis actu bona sua omnia pauperibus erogans, plus essentialis gloriæ, gratiæque mereatur, quàm is qui ex affectu charitatis magis intenso leue quidpiam iisdem elargitur. Vnde in sua de eadem materia Relectione non reformidat dicere, duos illos homines, quorum vnus calicem aquæ frigidæ egeno tribueret, alter autem sanguinem omnem suum Christi causa profunderet, æquale prorsus gratiæ & gloriæ essentialis augmentum merituros, si id ex æqualiter intenso charitatis affectu facerent.

VII.

Quam opinionem licet olim videantur amplexi sanctus Bonauentura, & quidam alij veteres, communiter tamen iam Theologi, vt haud satis probabilem repudiant, adhæréntque contrariæ, tanquam nec obscuram nec dubiam veritatem habenti: quæ priusquàm probetur, obseruandum est, duobus modis opera virtutum à charitate diuersarum posse per actus charitatis imperari, & effici. Primo sic, vt exteriora sola imperentur, & efficiantur, quæ nimirum cùm sint propria materia virtutum à charitate distinctarum, vt exterior eleemosyna, misericordiæ, alieni restitutio, iustitiæ, ex solo tamen motiuo charitatis exerceantur, nec proinde sint formaliter actus alterius virtutis quàm charitatis. Secundo sic, vt interiores quoque actus harum virtutum proprij ex formali motiuo earundem proprio, vt ex proprio virtutis, iustitiæ misericordiæ, aut alterius similis à charitate distinctæ, exerceantur, qui tamen per præuium aliquem charitatis actum imperétur. Quo prænotato probandum iam nobis est, cæteris paribus, id est, ex duobus in quibus charitatis affectus sit

VIII.

paris intenſionis, & cætera omnia paria ſint, hoc ſolo dempto, quòd vnus ex affectu charitatis præſtantiora virtutum aliarum opera, ſiue externa tantùm, ſiue etiam interna exerceat, alter minùs præſtantia, eum qui præſtantiora exercet mereri altero maius augmentum gloriæ eſſentialis, ac proinde gratiæ, & charitatis.

I.

Atque in primis quidem, quòd illi duo, ſi exerceant ex pari charitatis affectu interna virtutum à charitate diſtinctarum opera, mereantur eſſentialis gloriæ maius augmentum, quàm ſi externa tantum exercerent, euidens erit ex ſequenti diſputatione, in qua probabimus quemlibet actum cuiuſuis virtutis ab homine iuſto profectum eſſe meritorium augmenti gloriæ eſſentialis, & gratiæ, & charitatis: hinc enim ſequitur, duos illos parem affectum charitatis habentes, mereri propter hunc affectum ſuum, certum gratiæ & gloriæ incrementum, eoſdémque propter internum virtutis alterius actum quem ſimul exercent, mereri præterea nouum gratiæ &

II.

gloriæ augmentum independenter ab actu charitatis: quandoquidem etſi actum hunc non exercerent, ſed illum alium ſolum, adhuc idem propter ipſum mererentur gratiæ & gloriæ augmentum, & proinde quemlibet ex duobus illis hominibus propter vtrumque virtutis internum actum quem exercet plus gratiæ gloriæque mereri, quàm ſi vnicum tantum ex illis internis exerceret.

Deinde ſiue internis iſtis virtutum à charitate diuerſarum operibus inſit vis merendi gloriæ & gratiæ incrementum, ſiue non inſit, ſed ſoli charitatis actui, vt vult Bannez, nunc directè contra ipſum, id quod probandum ſuſcepi, probo duobus argumentis, vno ex authoritate ducto, quod hac ſectione proſequar, altero ex ratione, quod in ſequentem

III.

reſeruabo.

Vtor igitur hîc in primis authoritate Apoſtoli ſic primæ ad Corinth. cap. 3. loquentis: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Quorum verborum ſenſus eſt, pro magnitudine laboris futuram magnitudinem præmij, eumque qui laborioſius opus bonum exercuerit, maiorem quoque mercedem gloriæ in cœlo recepturum. Non dubium autem, quin ex duobus operantibus ex æqualiter intenſo charitatis affectu, vnus aliquando magis laboret, alter minùs, vnus laborioſius opus exerceat, vt qui ſanguinem profundit, alter minùs laborioſum, vt qui panem pauperi erogat.

Atque hunc eſſe ſenſum verborum Apoſtoli exiſtimarunt ſancti Patres, Hieronymus, Chry-

IV.

ſoſtomus, Ambroſius, Theodoretus, quorum hic quartus prædicta Apoſtoli verba exponens habet omnia hæc quæ ſequuntur verba, neque his plura: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, non ſimpliciter & abſolutè ſecundum opus, ſed ſecundum laborem operis: hic enim ſæpe offert ducentos Salmatenſes cum magna facilitate, ille autem cùm plurimùm laboris ſuſceperit, vnum vel duos ab errore liberat: hoc autem & in ceteris, & in temperantia videre licet: hic enim à natura adiutus abſque vllo labore exercet continentiam: ille verò, vt cum quo natura belligeretur, cum multis laboribus id aſſequitur quod deſiderat: hic quidem quia eſt calidioris temperaturæ cum maxima moleſtia expectat veſperam: ille etiam duorum & trium dierum inediam abſque vllo magno labore patitur. Quamobrem iuſtus iudex non opus, ſed laborem reſpicit.*

A

V.

Tertius verò in eadē illa Apoſtoli verba ſcribit Euangelizantem maius præmium receturum quàm baptizantem: quamuis hic & ille vnum ſint, quia ambo mercenarij ſunt, vt loquitur: *Sed quia maior eſt*, inquit, *qui euangelizat quàm qui baptizat, ideo diſcrimen mercedes eorum*: id eſt, quia euangelizantis perfectius & laborioſius eſt miniſterium quàm baptizantis.

Secundus autem homilia octaua in citatum ex epiſtola ad Corinth. caput, præmiſſis his Apoſtoli verbis: *Qui autem plantat, & rigat vnum ſunt*, iſta ſubiiciens eiuſdem verba: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, ne poſteriora hæc prioribus illis contraria videantur, ſic Apoſtolum vtra-

B

VI.

que explicantem inducit: *Noli timere, quòd dixerim, vnum ſunt: ſuni namque vnum ad Dei opus comparati, non autem ad labores, ſed vnuſquiſque propriam accipiet mercedem:* maiorem ſcilicet, aut minorem, pro ratione maioris aut minoris in opere diuino, cui incumbit, laboris: quod clariſſimè ait homilia 36. in cap. 10. Matth. relatis his excuſationum ab eleemoſynæ erogatione verbis: *Nullus impræſentiarum hic famulus mihi adeſt, procul ab ædibus meis abſum, nullus hic mihi argentarius cognitus eſt*, iſta ſubiungens: *Nam ſi per decem millia paſſuum eundum eſſet, nonnihil rationis hæc excuſatio habere forſitan videretur: nec cogitas tanto maiorem mercedem tibi eſſe repoſitam, quanto magis laboras. Nam*

C

VII.

quando de tuo ſolummodo præbes, pro eo ſolùm quod dediſti mercedem accipis. Quando verò ipſe quoque ad dandum profectus es, huius etiam laboris retributio tibi debetur.

Primus denique libro ſecundo contra Iouianum tribus circiter ante finem foliis de Apoſtolo Paulo dicente ſe plus cæteris laboraſſe, loquens ſic ait: *Non eſt iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis eius, & diſpar meritum æquali mercede compenſet.* Quibus verbis, vt patet, ſanctus Hieronymus vult ideo Diuum Paulum plus cæteris meruiſſe, quia plus laborauit, & quod conſequens eſt, opus magis laborioſum valere ad maius meritum, vtique gloriæ eſſentialis, de qua procul dubio loquitur, ſicut & alij ſancti Patres, dum ſimpliciter de reddenda in

D

VIII.

cœlo bonis operibus mercede loquuntur. Tunc enim mercedis nomen ſumunt in eodem ſenſu, quo Scriptura, dum agit de futura bonorum operum poſt hanc vitam remuneratione. Sumit autem illud, vt ſequenti diſputatione videbimus, pro prædicto eſſentialis gloriæ præmio. De quo præmio, vt & de eodem Apoſtolo loquens, paulo ante dixerat, eum manibus ſuis laborare ſolitum, *hoc ideo feciſſe, vt plus laborans plus mercedis acciperet.*

Vtor secundò Ecclesiæ authoritate, cuius contra Iouinianum doctrina est, non solùm esse inæqualia iustorum merita, & inæqualem in cœlo gloriam, sed etiam illam meritorum æqualitatem ex inæqualium virtutum operibus prouenire: exempli causa, maius esse meritum seruatæ perpetuæ virginitatis, quàm castitatis coniugalis. Quam esse Ecclesiæ doctrinam cùm prope innumeris Patrum testimoniis probari facilè posset, breuitatis causa trium tantum Ecclesiæ Doctorum pauca sed clara verba proferam, nempe Augustini, Ambrosij, & Hieronymi: quorum primus lib. de sancta virginitate, postquam à capite 19. multa in eam rem præclarè dixit, caput 31. ab his exorditur verbis. *Vnde huius muneris magnitudo quanto est excellentius atque diuinius, tanto magis admonet solicitudinem nostram, non solùm de glorioßissima castitate, verùm etiam de tutißima humilitate aliquid loqui. Cùm ergo perpetuæ continentiæ professores se coniugatis comparantes secundùm scripturas compererint eos infra esse & opere, & mercede, & voto, & præmio, statim veniat in mentem quod scriptum est, Quanto maior es, tanto humilia te in omnibus.*

Secundus verò lib. 10. Epistolarum Epistola ordine 81. Siricio Papæ, à quo latam contra Iouinianum sententiam receperat, respondens inter cætera dicit, *Agrestem vlulatum esse, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscuè omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum.* Quibus verbis, aliisque quæ ibidem habet, vult sine dubio maioris apud Deum meriti esse castitatem virginum, quam coniugatorum.

Tertius denique duobus integris contra Iouinianum libris, totus est vt doceat virginalem castitatem plus apud Deum gloriæ mereri, & in cœlo consequi, quàm vel viduarum, vel coniugatarum. Vnde quod Matthæi 13. refertur de multiplici fructu agrorum, quorum vnus reddit centesimum, alter sexagesimum, tertius tricesimum, ad virgines, viduas, & coniugatas accommodans, virginibus centesimum, viduis sexagesimum, coniugatis tricesimum attribuit his ex initio libri primi verbis. *Triginta referuntur ad nuptias, sexaginta ad viduas, eo quòd in angustia & tribulatione sunt posita, quantòque maior est difficultas experta quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est præmium. Porrò centesimus numerus exprimit virginitatis coronam.* Quibus in verbis referendis omisi multa quæ habet intermedia, vtpote hic nobis minimè necessaria, licet ad eorum quæ retulimus veritatem confirmandam ab eo interiecta.

His addo S. Doctoris authoritatem, qui 1. 2. quæst. 114. artic. 4. ad 2. expresse docet opus ex se suáque natura magis arduum & laboriosum valere ad maius meritum, vtique gloriæ essentialis, de quo haud dubiè ibi loquitur.

Ad hæc omnia testimonia responderi hoc solùm potest, vbi maior est operis difficultas & præstantia, charitatis affectum ex quo imperatur solere esse intensiorem, & ex hoc intensiori affectu augeri meritum, non ex opere præstantiori, aut difficiliori. Verùm ex maiori operis vel præstantia, vel difficultate, tantum ab est vt colligi rectè possit intensior charitatis affectus, vt potiùs colligendus sit remissior, reipsáque contingat esse remissiorem potiùs quàm intensiorem: cùm experientia certum sit nos ordinariè res non mediocriter arduas & laboriosas minùs alacriter, magísque languidè per voluntatem aggredi, quàm alias minùs arduas & laboriosas.

SECTIO II.

Eadem pars affirmans altero ex ratione ducto argumento probatur.

ALTERVM argumentum hac ratione continetur. Charitatis internus actus æqualis cum altero intensionis, ex materiæ circa quã versatur præstantia aut difficultate melior moraliter est, quàm alioqui fuisset. Ergo ex eiusdem quoque materiæ præstantia vel difficultate habet vt sit gloriæ, ac proinde charitatis & gratię magis quàm alioqui fuisset meritorius. Consequentia hæc patet: cùm enim ratio meriti quæ inest actui charitatis in eius bonitate morali fundetur, necessarium est, vt quo plus habet illius bonitatis moralis, eo quoque plus habeat meriti, ex eodemque capite ex quo tanquam ex radice habet vt sit moraliter melior, habeat quoque vt sit magis meritorius. Antecedentis veritatè sic probo. Ille charitatis actus moraliter melior est, qui maior charitas est. Atqui actus de quo in illo antecedente agimus, maior erga Deum charitas est.

Cuius Minoris veritatè euincit ratio à priori deprompta ex amoris natura, quæ tota in eo posita est, vt quempiam amare nihil sit aliud quàm ei bonum velle: ex quo necessariò fit, vt maius bonum velle, cæteris paribus, sit magis amare: quod certissimum est, tum ex Deo, qui ex hominibus aut Angelis aliquos ideo solùm plus amat quàm alios, quia maiora illis & gratiæ & gloriæ bona vult, & tribuit: æquali enim omnes affectus intensione diligit, quia eodem & indiuisibili actu quo se eos omnes diligit: tum ex Christo apud Ioannem cap. 15. pronuntiante maiorem dilectionem nullam esse eâ quâ quis animam pro amicis ponit, quia nimirum nullum habet bonum vita pretiosius & carius quod amici gratia dare valeat, non quòd eum affectu omnium qui possibiles sunt intensissimo diligat, cùm ex duobus vitam pro amicis suis ponentibus, vnus intensiore quàm alter affectu id facere possit, & haud dubiè semper, aut fere semper faciat. Quare cùm ex bonis quę Deo ex pura erga eum charitate velle possumus, alia sint aliis ex natura rei maiora, alia minora, vt totius sanguinis & vitæ pro eius gloria, quàm aliquot lachrymarum, aut modicæ pecuniæ profusio, maioris erga eum charitatis erit illud velle quàm istud, etsi vtrumque æquali affectus intensione ei velimus.

Atque hæc ratio à priori petita ex natura amoris confirmatur efficaciter, primùm ex oppositò actu odij, quod eo ipso præcisè maius esse communiter ab omnibus iudicatur, & re ipsa est, quo maius malum ei qui odio habetur appetitur, etsi æquali actus intensione appetatur quo minus. Deinde ex similitudine actuum ad virtutes alias spectantium, verbi causa, mise-

ricordiæ, & fortitudinis. Quoniam enim hæc
est natura interni actus virtutis misericordiæ,
vt sit voluntas subleuandi miseriam alienam, &
interni actus fortitudinis, vt sit voluntas ag-
grediendi pericula, ille vel misericordiæ vel for-
titudinis actus internus, quo quis versatur cir-
I. ca maiora pericula aggredienda, vel circa ma-
teriam qua magis subleuatur aliena miseria, vt
circa centum aureos nummos erogãdos, quàm
circa vnicum, maior profecto cæteris paribus
misericordia & fortitudo est. Vnde nemo du-
bitat ex duobus eum magis misericordem &
fortem dicere, qui licet nõ maiori interni actus
intensione, vult tamen aggredi strenuè maio-
ra pericula quàm alter, aut centum aureos ero-
gare pauperi, cùm alter vnicum tantùm velit,
nec minores habeat illo alio facultates, nec suis
opibus magis quàm ille alius suis indigeat.

Vnde facile soluitur quod opponi posset ex
Christi authoritate apud Marcum cap. 12. &
Lucam 21. Oblationem pauperis viduæ duo
æra minuta mittentis in gazophylacium cæte-
rorum omnium longè plura mittentium obla-
II. tionibus præferentis: imò verò hinc habemus
argumentum, nostræ doctrinæ & rationis, qua
eam apriori probauimus, veritatem apertissimè
demonstrans. Illam enim viduæ oblationem
maiorem esse, & maioris virtutis actum dixit
Christus, non ex maiori intensione affectus
quo duo illa minuta æra dederit, & aliorum
omnium plura donantium affectum superaue-
rit, nullam enim inter hos & illam ex hoc ca-
pite comparationem instituit, sed ex solius ob-
iecti præstantia & difficultate, non quidem
absolutè secundùm se præcisè considerati, sed
spectata simul offerentis personæ conditione,
& facultate, ex qua oblationis & eleemosynæ
magnitud opotissimùm æstimanda est. Quo so-
III. lo ex capite prælatam à Christo illius oblatio-
nem fuisse, clarum est ex his eius verbis, *Omnes*
enim ex eo quod abundabat illis miserunt, hæc ve-
rò de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum vi-
ctum suum.

Ex dictis colligitur fieri absolutè posse, vt
aliquis actus virtutis à charitate diuersæ, vt mi-
sericordiæ, fortitudinis, aut alterius similis,
æqualem cum aliquo charitatis actu intensio-
nem habentis, sit tamen maioris gloriæ, ac
proinde gratiæ & charitatis meritorius, quàm
iste charitatis actus. Quia nimirum fieri absolu-
tè potest, vt ex obiecti præstantia & difficulta-
te, in quod illi virtutum à charitate diuersarum
actus ferentur, tantopere excrescat illorum me-
ritum, vt superent totum quod in isto charita-
tis actu meritum est, quod est certissimè fini-
tum.

IV. Quod consectarium admittit Suarez citata
sæpius sect. 3. num. 55. confirmatque tum ex
communi Theologorum doctrina, quam ait
esse, vt eius verbis vtar, quòd actus virtutis ex
suo genere melior potest in individuo superari
ab actu inferioris virtutis in ordine ad meri-
tum: tum ex peccatis, quorum minùs graue ex
genere suo, vt hæresis, potest in individuo esse
magis demeritorium apud Deum, quam odium
ipsius Dei, quod ex suo genere peius est. Neque
sibi repugnat, & doctrinæ num. 46. traditæ:
ibi enim solum ait charitatis actum æqualis
cum cuiusuis alterius virtutis actu intensionis,
ratione huius suæ intensionis præcisè mereri
plus gratiæ & gloriæ, quàm quilibet alius ex
sua præcisè intensione meretur, quod verum
est, & quidem ob eam quam ibidem affert rã-
tionem, quia præstantioris secundùm essen-
A tiam & entitatem actus, cæteris paribus, maius V.
est meritum, actus autem charitatis cæteris
omnibus aliarum virtutum actibus secundùm
essentiam & entitatem præstantior est.

SECTIO III.

Vni obiectioni satisfit.

AT contra nostram doctrinam obiicies
Sanctos Patres sæpe asserentes meritum
gloriæ non ex operibus & rebus externis esse
ponderandum, sed ex interno affectu: de quo-
rum numero Gregorius Magnus homil. 5. in
Euangelia de Apostolis Petro & Andrea lo-
quens, quorum ille dixerat se Christi causa re-
liquisse omnia, habet hæc verba, in quibus
B Dominicus Bannez pro sua sententia vim fa- VI.
cit: *Forsasse aliquis tacitis sibi cogitationibus di-*
cat, ad vocem dominicam vterque iste pisceator
quid aut quantum dimisit, qui pene nihil habuit?
Sed in hac re affectum debemus potius pensare,
quàm censum. Et paucis interiectis: *Exteriora*
nostra Domino quamlibet parua sufficiunt, cor
namque & non substantiam pensat: nec perpen-
dit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto pro-
feratur.

Respondeo sanctos Patres his similibusque
loquendi modis velle nos docere duo. Primum
est, in operibus & rebus externis præcisè ab in-
terno veræ virtutis affectu, qui circa res has
versetur, & ex quo opera illa fiant, nihil esse
meriti, totúmque meritum in interno affectu
bono residere, eóque magis, quo hic internus
C affectus melior est: quem nos eo meliorem esse VII.
non solùm quo intensior est, sed etiam pari in-
tensione retenta, quo melioribus aliis circun-
stantiis afficitur, nominatímque quò circa præ-
stantius obiectum versatur, suprà probauimus
etiam ex clarissima Patrum doctrina.

Secundum est, non existimandum ex duobus
inæqualia externa opera, & circa materiam ex-
ternam inæqualem exercentibus, etiam ex in-
terno veræ virtutis actu, eum semper apud
Deum minùs mereri, qui externum opus mi-
nùs per se præstans exercet, aut qui actu suo
externo circa minùs præstantem materiam ex-
ternam versatur: frequenter enim euenire vt
iste plus altero mereatur, quia frequenter eue-
nit, vt tam vehementi, támque intenso affectu
hoc quod minùs per se præstans est velit, & fa-
D ciat, vt in affectu tanto, circa rem licet mino- VIII.
rem, maior sit moralis bonitas, maiúsque pro-
inde gratiæ & gloriæ meritum, quàm in affe-
ctu remissiore circa rem licet maiorem, magís-
que præstantem. Quæ duo nostræ doctrinæ ni-
hil aduersari perspicuum est: cui tantum abest
vt citato loco repugnet sanctus Gregorius, vt
è contrario potiùs faueat, interioris affectus
magnitudinem æstimans & commendans ex
rerum externarum, quæ Christi causa relin-
quuntur, magnitudine, cùm sic ibidem ait:

Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum totum deseruit. Certè nos & habita cum amore possidemus, & ea quæ minimè habemus ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimisit, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit: multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt.

I.

DISPVTATIO XLVIII.

Vtrùm charitas habitualis per actus virtutum à charitate distinctarum augeatur.

SECTIO PRIMA.

Pars affirmans defenditur, & probatur.

II. PARTIS huius veritatem probo hac ratione. Quilibet istorum actuum est meritorius augmenti gloriæ, ergo & charitatis. Consequentiæ huius bonitas ex superioribus disputationibus cuidès est, ex quibus constat hominem iisdem actibus quibus meretur augmentum vnius, mereri & alterius, tantúmque vnius, quantum alterius. Antecedens tribus argumentis probabitur. Primum ab authoritate Scripturæ, Tridentini Concilij, & sanctorum Patrum ducetur.

Atque vt ab his incipiamus, cùm plurima proferri possent eorum testimonia, his paucis contenti erimus. Primum est Chrysostomi homil. 15. in Matthæi caput 5. satis procul à fine, postquam præmisit eum qui misereretur pauperi

III. fœnerari Deo, huncque illi maximum in futura vita thesaurum reseruare, hæc verba subiungentis: *Hæc igitur scientes misericordiæ operibus liberaliter affluamus, plurimúmque amorem ostendamus in pauperes, eósque non pecuniis solùm, verum etiam cæteris operibus adiuuemus: & si viderimus publicè, vt fit, cædi aliquem, aut iniuriam sustinere, etsi pro eo pecunia danda est, præstemus, & si rem possimus verbis terminare, ne pigeat: est enim pro sermonibus merces, imò pro ipsis quoque gemitibus condolentis. Si verò certa merces est gemituum atque lachrymarum, quando verbum, & studium, aliáque plurima concurrent, considera quanta sit retributio conferenda?*

Secundum Ambrosij, qui ad finem prologi libri 2. de Spiritu sancto tractans illud Christi, Lucæ 12. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*,

IV. aperte significat nullum esse tam leue iusti hominis bonum opus, quod Deus æterna gloria non compenset, sic inquiens, *In Euangelio Dominus noster visibiles capitis & intelligibiles capillos quosdam esse significans ait, Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt, spiritalium vtique significans facta virtutum. Neque enim de capillis nostris cura est Deo, quamquam & illud non absurdum sit æstimare, quia pro maiestate diuina eum latere nihil possit. Sed quid mihi prodest si Deus ipse omnes meos nouit capillos? illud mihi redundat, & proficit, si bonorum operum peruigil testis remunerationem gloriæ donet æternæ.*

Tertium Augustini, qui Tract. 51. in Ioannem explicans illa Christi verba, *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus*: Quibus verbis pro exhibito Christo ministerio promittitur honor æternæ gloriæ, vt ipse D. Augustinus ibidem intellexit his verbis, *Honorificabit eum pater meus*, immediatè ista subiungens, *Honore illo magno, vt sit cum filio eius, & nunquam deficiat felicitas eius*: diserte asserit eum ministrare Christo, qui panem esurienti porrigit ex misericordia, non ex iactantia: vnde paucis interiectis sic loquitur. *Cùm ergo auditis fratres Dominum dicentem, vbi ego sum, illic & minister meus erit, nolite tantùm bonos Episcopos & Clericos cogitare, etiam & vos pro modulo vestro ministrate Christo bene viuendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinámque eius quibus potueritis prædicando.* Post quæ concludit, quòd si paterfamilias bene domum administrat, dicitur Christo ministrare, vt in æternum sit cum ipso.

A V.

B Quartum Prosperi lib. 2. de vocatione gentium cap. 36. sic scribentis. *Quamuis quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur, cùm impleuda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur.* VI.

Quintum Bernardi in Tractatu de gratia & libero arbitrio, non procul à fine, qui enumerans bona opera nostra quibus æternam gloriam promeremur, sic ait. *Ipsa sunt ieiunia, nostra vigiliæ, continentia, operáque misericordiæ, cæterarumque virtutum exercitia.*

C Quibus omnibus locis patet illos sanctos Patres in bonis illis operibus, quæ dicunt esse compensanda mercede æternę beatitudinis, nec requirere intensionem aut æqualē præexistenti gratiæ & charitati, aut ea maiorem: nec vt sint opera bona virtutum moralium infusarum, seu in entitate supernaturalium, maximè cùm, vt sequenti sectione iterum dicemus, virtutum moralium in infusas & acquisitas distinctio illis antiquis Patribus nota nunquam fuerit: quam etsi nouissent, cùm tamen concionantes, hortantésque populum simpliciter & absolutè ad exercitium bonorum operum, proposito æternæ vitæ præmio bonis illis operibus reddendo, nunquam inter hæc opera bona virtutis infusæ & acquisitæ quidquam distinxerint, nunquam populo explicuerint, se de solis

D bonis operibus virtutum infusarum agere, satisque scirent à populo bonorum illorum operum nomine nec intelligi re ipsa, nec posse intelligi alia, quàm quæ vulgò nota sunt, qualia sunt opera virtutum moralium, quas Theologi Scholastici acquisitas nominant: Cùm, inquam, hæc ita sint, debet esse certissimum re ipsa illos egisse de bonis operibus virtutum illarum acquisitarum. VII. VIII.

Iam verò ex Tridentino Concilio vnicum profero testimonium desumptum ex sess. 6.

cap. 16. in quo postquam Concilium dixit, Christum in iustificatos, tanquam caput in membra, & vitem in palmites, iugiter influere virtutem, quæ bona eorum opera antecedit, comitatur, & subsequitur (quo virtutis nomine actuale gratiæ interioris auxilium intelligit,
I. vt communis Theologorum consensus est, & A in Tractatu de Gratia, disput. prima, sect. 19. & disput. 4. sectione 3. probauimus,) ait, *esse credendum nihil deesse iustificatis, quo minus operibus illis, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi plenè pro statu vitæ huius satisfeciſſe, & æternam vitam promeruiſſe censeantur.* Quibus verbis tribuit, vt constat, æternæ vitæ meritum operibus illis, quæ in Deo facta sunt, & quibus diuinæ legi plenè pro statu vitæ huius satisfit. Opera autem illa non sunt ea sola, quæ sunt vel æqualia præexistenti gratiæ, & charitatis habitui, vel eo intensiora: neque item ea sola quæ sunt virtutis Theologicæ, aut alterius supernaturalis & infusæ. Non enim dubium est, quin actibus illo habitu remissioribus satisfieri diuinæ legi possit, cùm diuina lex nullam certam imperet
II. actuum nostrorum intensionem: nec magis B dubitari potest, quin plurima, si non omnia diuinæ legis præcepta, seruari per actum merè naturalis & acquisitæ virtutis valeant. Quæ quidem etiam omnia opera hoc habent, quòd in Deo facta sunt, & eo ipso habent, quo non efficiuntur nisi diuina illa virtute, de qua Concilium loquutum paulò ante fuerat, estque, vt dixi, gratia actualis interior, per quam actus qui fit, fieri per Deum, seu in Deo dicitur, particula *in* idem significante quod *per*, iuxta vsitatissimum Scripturæ loquendi morem.

Ex qua cùm plurima proferri possent pro nostræ sententię confirmatione testimonia, tria tantùm profero. Primum sumitur ex capite 3. primæ ad Corinth. vbi sic Apostolus loquitur.
III. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet* C *secundùm suum laborem.* Quibus verbis cuilibet actui bono cuiuscunque virtutis tribuitur meritum augmenti gloriæ significatæ mercedis nomine, quod vsurpat Apostolus, cùm nullus sit talis actus, cui non insit proprius suus labor. Vnde S. Anselmus hæc Apostoli verba exponens, postquam dixit plantantem & rigantem vnum esse, id est, vtrumque Dei ministrum esse, & instrumentum, de vtroque sic loquitur. *In dando non differunt, sed in labore, & mercede: quia vnusquisque eorum accipit propriam mercedem à Domino secundum suum laborem, id est, qui magis laborauerit, maius præmium habebit, & qui minorem pertulit laborem, minorem accipiet remunerationem: Deus enim reddet vnicuique secundùm opera eius.*

Secundum petitur ex eiusdem Epistolæ cap.
IV. 15. in quo sic idem Apostolus Corinthios hortatur: *Itaque, fratres, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Quo loco vult primò illum de quo loquitur laborem non futurum inanem, quia compensabit illum Deus mercede æternæ gloriæ, de qua loquutus paulò ante fuerat, & de qua hæc Apostoli verba Tridentinum exponit sess. 6. cap. 16. Deinde vult compensandum hunc eorum laborem peculiari gradu & augmento gloriæ, tum quia illos excitat ad abundandum in opere Domini semper, proposito præmio bonis illis operibus reddendo. Nemo autem ad hoc excitat, & excitatur, propositione præmij illius, quod iam alio titulo debitum est, & retribuetur: tum quia si labori illorum non aliud præmium respósurum esset, quàm quod habuissent ob antecedentia merita, hoc certè non obstaret quo V. minus ille eorum labor & inanis reipsa esset, & inanem Corinthij arbitrarentur.

Denique loquitur de quolibet cuiusuis virtutis actu, tum quia quilibet actus virtutis, quæcunque demum sit illa virtus, opus Domini est. Vnde sic Theophylactus in eum locum: *Opus autem Domini, hoc est, quod diligit Dominus, & quod à nobis postulat, ipsa virtus est*: quæ in quoduis opus, siue remissum, siue intensum, siue huius, siue illius virtutis, aptè quadrare quis neget? Tum quia Tridentinum loco citato dicens hæc Apostoli verba iustificatis omnibus esse proponenda, sic ipsa paucis immutatis verbis refert, *Abundate in omni opere bono.* Vbi quod Apostolus dixerat *in opere Domini*, Concilium dicit *in opere bono*, particulam *semper* ab VI. Apostolo vsurpatam per vocem *omni* exprimens. Quo Concilij explicatione nihil aliud significatur quam quod dicit Apostolus, alioquin hæc non esset textus Apostoli explicatio, sed peruersio: illâ autem expresse significatur, nullum bonum opus hominis iustificati inane fore in Domino, ac proinde quodlibet, siue intensum, siue remissum, siue virtutis huius, siue illius, compensandum peculiari gradu augmentóque gloriæ.

Tertium desumitur ex Matthæi capite 10. In quo sic Christus, *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quo loco operi eleemosynæ, & proinde actui virtutis à charitate diuersæ, VII. æterna gloria tanquam merces promittitur. Ex quo sequitur euidenter, illud opus esse meritorium huius gloriæ, cùm merces essentialiter præsupponat meritum operis cui retribuitur.

SECTIO II.

Refelluntur quæ huic nostro argumento respondentur.

AD huius nostri argumenti vim, quæ maxima est, debilitandam, dicitur primo, in opere eleemosynæ, de quo proximè ante actum est, requiri à Christo, vt procedat ex interno voluntatis affectu intensiore tota gratia & charitate habituali præexistéte, aut saltem ei æquali, non futurum alioqui meritorium prædictæ gloriæ. Verùm relata Christi verba nullam vel D tenuissimam occasionem præbent suspicandi VIII. ipsum hoc requirere, imò præbent sufficientissimam contrarium iudicandi: tum quia particula *tantum* vsus est, qua significauit se aliud nihil requirere, quàm vt opus eleemosynæ fiat in nomine discipuli: quod tam remisso quàm intenso voluntatis actu fieri potest: tum quia verbis illis significare voluit Christus, bonis operibus etiam leuissimis, & ad exercendum facillimis, retribuendum æternæ glorię præmiũ,

ex communi Ecclesiæ interpretatione, quæ illa Christi verba semper de iis operibus intellexit.

Vnde Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 16. ait *in sacris literis usque adeo tribui bonis operibus, vt etiam ei qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse mercede sua cariturum: & Apostolus testetur id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis.* Vnde & Chrysostomus homil. 36. in Matthæum circa medium relatis Christi apud Matthæum verbis quæ paulò antè retulimus, & quæ à Christo prolata dicit, *ne quis* ab eleemosyna facienda *inepi se posset excusare*, sic loquitur. *Etiamsi frigidæ aquæ calicem dabis, quam rem nullo impendio facillimè facies, erit tibi merces omnino reposita.* Cui consentaneè S. Anselmus in cap. 10. Matthæi explicans illa Christi verba, obseruat hunc *aquæ frigidæ* fecisse mentionem *non calidæ, ne etiam in calida paupertatis penuria, & lignorum occasio quæreretur.* Non significasset autem Christus leuissimis, & ad exercendum facillimis bonis operibus retribuendum in cœlo æternæ gloriæ præmium, si requisiuisset ad huius gloriæ meritum, vt fierent ex affectu voluntatis vel intensiore, vel æqualiter intenso, quàm sit tota præcedens operantis gratia & charitas habitualis: sic enim præstantissima essent & difficillima, tum saltem cùm intensa plurimùm esset præcedens operantis & gratia & charitas.

I. II.

Dicitur secundò, relatis iisdem Christi verbis non promitti mercedem æternæ gloriæ alteri operi quàm charitatis: promitti enim illi soli externæ eleemosynæ, quæ fit in nomine discipuli, vel vt dicitur Marci 9. in nomine ipsius Christi, id est, ex interno affectu, qui est actus charitatis. Respondeo falsum id esse, & ex communi Patrum interpretatione verba hęc *in nomine discipuli, in nomine meo*, aliáque similia, locis illis quibus adhibentur, adhiberi tantùm ad excludendum prauum finem, & ad significandum, non esse satis ad promerendum vitam æternã, opus, quod alias esset bonum, facere ad ostentationem, aut alium prauum finem, sed ex affectu virtutis esse faciendum. Quæ de re videatur Chrysostomus homilia citata in Matth. Theophyl. & Euthym. in citatum Matthæi locum, præsertim autem sanctus Augustinus Tract. 51. in Ioannem. Quibus addo D. Anselmum citato proximè loco dicentem, Christum hoc solum à nobis exigere, vt calicè aquæ frigidæ *bono animo porrigamus:* quem haud dubie bono animo porrigemus, si ex affectu misericordiæ, similisve virtutis à charitate diuersæ porrigimus.

III.

Dicitur tertiò, promitti quidem illo loco Matthæi, aliisque similibus Scripturæ locis, mercedem æternæ vitæ multis actibus virtutum à charitate, cæterisque Theologicis distinctarum, vt Misericordiæ, Temperantiæ, Patientiæ. At hos actus debere esse actus misericordiæ, temperantiæ, & patientiæ supernaturalis & infusæ, nec sufficere si sint naturalis, & acquisitæ. Verùm id sine dubio falsum est: citata enim Christi verba, aliáque quæ Scripturæ locis iis habentur, quibus, bonis operibus virtutum à Theologicis diuersarum, æterna gloria

IV.

A B C D

pro mercede promittitur, nullam vel leuissimam præbent occasionem existimandi bona hæc opera talia necessariò esse debere, imò potiùs sufficientissimam præbent oppositum sentiendi: tum quia locis illis requiritur tantùm vt opus eleemosynæ, vel aliud simile, fiat absque praua intentione, sed bono animo, & ex affectu veræ virtutis, ex suprà relata citatorum Patrum interpretatione, quod sic fiet, dummodo fiat ex affectu virtutis naturalis & acquisitæ: tum quia citato Matthæi loco agit Christus de leuissimis operibus, & cuiuis ad exercendum facillimis, vt paulò antè probauimus, qualia profectò non sunt ea quæ sunt opera virtutis moralis supernaturalis & infusæ, quæ non nisi à paucis & satis raro exercentur.

V.

Postremò, quia cùm virtutum moralium non Theologicarum distinctio in infusas & acquisitas nunquam à Scripturis, aut à Conciliis, aut Patribus tradita sit, sanè dum Scripturæ, aut Concilia, aut Patres affirmant opera misericordiæ, patientiæ, temperantiæ, & similia, esse æternæ vitæ meritoria, non potest hoc ab illis affirmari de solis infusarum & supernaturalium virtutum actibus, sed æquè saltem de naturalium & acquisitarum affirmari certò putandum est. Imò potiùs de his quàm de illis actibus id affirmasse iudicandum est, quia loquuntur aut solùm aut præcipuè de bonis operibus quæ sunt in communi hominum vita, quæ proculdubio sunt multò magis acquisitarum naturaliúmque virtutum, quàm supernaturalium & infusarum.

VI.

Dicitur quartò, Christum quidem verbis illis ex Matthæo relatis actui virtutis à charitate diuersæ promittere mercedem, sed mercedis nomine non intelligere præmium essentialis gloriæ in clara Dei visione consistentis, sed solùm gaudium aliquod accidentale. Verùm mercedis illius nomine præmium gloriæ essentialis intelligendum est. Primò, quia Scriptura quoties vniuersè, sicut illo Matthæi loco facit, loquitur de remuneratione quæ bonis operibus post hanc vitam retribuetur, toties remunerationem illius essentialis gloriæ intelligit: quoties item mercedis nomen vsurpat ad significandum præmium quo opera bona in futura vita compensabuntur, toties hoc nomine essentialem hanc gloriam significat: (sub qua tamen comprehenditur accidentalis, quæ eam comitatur, aut subsequitur) quia nimirum gloria illa est id quod potissimum expectamus, cuius spe præcipuè allicimur ad bene operandum, quodque nobis instar vltimi finis nostri, summíque boni, proposuit Deus per opera nostra bona tanquam per media consequendum. Vnde cùm Sapientiæ 5. dicitur: *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* cùm Matthæi 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlo.* cùm denique Apocal. vltimò: *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, dare vnicuique secundùm opera sua:* nemo dubitat, quin mercedis nomine præmium essentialis gloriæ significetur.

VII.

Secundò, quia quod Christus illo cap. 10. Matthæi mercedem appellauit, cap. 25. regnum cœlorum dixit: quo regno præmium gloriæ essentialis procul dubio intellexit. Dixit enim

VIII.

se iis qui ad dexteram erunt dicturum, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Nec sanè aliud quàm cœlorum, *Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quæ posteriora verba cùm eadem sint cum iis quæ Matthæi 10. vsurpauit, dum promisit fore vt quicumque daret vni ex
I. minimis suis potum aquæ frigidæ, non perderet mercedem suam, significat haud dubiè relatis ex Matthæi capite 25. verbis se reddere re ipsa mercedem, quam cap. 10. promiserat. Quare cùm hanc mercedem in extremo iudicio retribuens, dicat se retribuere regnum cœlorum, quo, vt monui, essentialis gloria significatur, sequitur euidenter, illius mercedis nomine fuisse regnum illud, istámque proinde gloriam significatam.

Quo mercedis nomine, dum de bonorum operum in cœlo compensatione agitur, intelligi semper regnum cœlorum, diserte pronuntiat Chrysostomus homil. 15. in Matthæum, post explicatas octo beatitudines cap. 5. relatas, hæc Christi verba proxime subsequentia,
II. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint*, &c. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis*, exponens, & sic inquiens: *Tu verò etiamsi non per singulas beatitudines regnum audias repromitti, nequaquam tamen mœrore turberis: etsi enim retributiones ipsas differenter appellat, tamen profectò cunctas ad vnum cœlorum regnum adducit. Quando enim dicit, & lugentes consolabuntur, & misericordes misericordiam consequentur, & mundi corde Deum videbunt, & pacifici filij Dei vocabuntur, nihil omnino aliud nisi cœleste regnum per hæc cuncta designat.*

Dicitur quintò, mercedis quæ promittitur nomine significari quidem præmium essentialis gloriæ, sed non augmentum huius ipsius
III. gloriæ, tantúmque promitti à Christo, propter datum pauperi aquæ frigidæ calicem, aut quēuis similem actum remissiorem habitu gratiæ & charitatis præexistente, gradum illum essentialis gloriæ, qui iam ob antecedentia merita datus fuisset. Verùm quàm absurdum sit hoc etiam cogitare, patet in primis ex eo quòd mercedem illam æternæ gloriæ proponit & promittit Christus, vt calcar exstimulans ad misericordiæ aliarúmque virtutum exercenda opera, spe tanti præmij consequendi. Quis autem alium excitat ad operandum proposito promisſóque præmio, quod iam debitum est, quódque propter antecedens meritum perinde obtinebitur, siue nouus labor noui boni operis suscipiatur, siue non, aut quis inuenitur qui spe talis præmij ad operandum vel leuiter excitetur?

IV. Secundò, quia si Christus pollicens prædictam mercedem, nullum aliud præmium pollicebatur, quàm quod erat alio titulo iam debitum & retribuendum, quid opus fuit vt huic promissioni suæ hanc emphasis & energiæ plenam affirmationem præmitteret, *Amen dico vobis*? Quæ affirmatio magnæ cuiusdã rei confirmatio est. Nihil autem magni promittitur, si nihil aliud promittitur. Quod si actus eleemosynæ etiam merè naturalis, habitúque præexistente remissior, ab homine iusto elicitus, meretur augmentum gloriæ, vt ex suprà dictis clarum est, non dubium quin verum hoc pariter sit de quouis alio cuiusuis alterius virtutis naturalis & acquisitæ actu, cùm nemo dubitet quin vnius & omnium eadem ratio sit: quam doctrinam duobus præterea argumentis se-
A quenti sectione probabimus. V.

SECTIO III.

Eadem pars affirmans duobus præterea argumentis probatur.

PARTIS huius affirmantis veritatem sect. 1. hac ratione probauimus de quolibet actu cuiusuis virtutis à charitate diuersæ. Quilibet istorum actuum est meritorius augmenti gloriæ, ergo & charitatis. Antecedens istud probauimus hactenus authoritate Scripturæ, Tridentini Concilij, & sanctorum Patrum: nunc duplici præterea argumento probabimus.

Primum ducitur à simili ex operibus malis, ex quibus si quodlibet meretur incrementum
B pœnæ, quilibet è contrario virtutis actus ab VI. homine iusto profectus merebitur augmentum gloriæ, cùm præterquà quòd omnis talis actus est actus iustitiæ, sicut & quodlibet peccatum actus iniustitiæ est, hoc habeat etiam, vt à prædicti hominis charitate & gratia sanctificante quodammodo informetur, fiátque per informationem hanc paris cum ea dignitatis, & proinde æternæ glorię præmio dignus. Hanc enim dignitatem si non haberet, paris cum ea dignitatis non esset, cùm gratia & charitas eum cui inest dignum formaliter æterna gloria faciat.

Secundum istud est. Quilibet actus virtutis ab homine iusto elicitus eum coram Deo iustiorem seu sanctiorem efficit: ergo quilibet est meritorius augmenti gratię. Consequentia hęc
C superiùs probata est. Antecedens probo pri- VII. mùm ex similitudine prędictorum operum malorum, quorum cùm quodlibet se ipso formaliter magis inquinet hominem, eumque coram Deo peiorem, & magis ipsi inuisum reddat, cur non è contrario quilibet virtutis actus ab homine iusto profectus eum se ipso formaliter magis iustum coram Deo faciet, ipsique Deo magis charum & acceptum?

Probo secundò ex his Apostoli verbis ad Rom. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quo loco notandum est, Apostolum hæc habere verba ad eos qui iam iustificati erant: ad eos enim hæc habet, quos
D immediatè ante sic alloquebatur. *Nunc autem* VIII. *liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Quo fit, vt cum eos hortatur, vt exhibeant membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem, hortetur non ad primam iustitiam & sanctitatem comparandam, sed ad iustitiæ & sanctitatis incrementum: de quo etiam incremento hæc Apostoli verba Tridentinum intellexit sess. 6. cap. 10. dum dixit, *Iustificatos mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per obseruationem mandatorũ Dei,*

& Ecclesiæ

& Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta crescere, atque magis iustificari. At hoc iustitiæ & sanctitatis incrementum fieri indifferenter bonorum operum exercitio significat aperte Apostolus, tum quia significat illud fieri iisdem operibus, quibus iustitiæ seruitur, sicut & iniquitatis augmentum, cuius proxime antè meminit, fit iisdem operibus, quibus seruitur iniquitati: seruitur autem iustitiæ quolibet actu virtutis, quia quilibet huiusmodi actus quædam iustitia est, sicut & seruitur iniquitati quolibet actu vitij, quia quilibet huiusmodi actus quædam iniustitia est: tum quia Tridentinum citato capite 10. sic Apostolum haud dubiè intelligit, inter opera bona quibus ait iustificatos crescere in accepta iustitia, magísque iustificari, ea quoque comprehendens quæ sunt opera virtutum naturalium & acquisitarum, vt paulo post videbimus.

I.

Neque in operibus bonis quibus iustorum sanctitas augetur, requirit Apostolus certam graduum intensionem, tantum abest vt requirat habituali gratiæ & charitati præexistenti æqualem, vel ea maiorem, tum quia nullum eius verbum in toto illo contextu est ex quo possimus id suspicari: tum quia contrariũ sentiendi legitimam præbet ille locus occasionem: sensus enim eius ex Chrysostomo homil. 12. in Epistolam ad Rom. ex Origene, Theodoreto, Ambrosio, Anselmo, D. Thoma, cæterisque Apostoli in eum locum interpretibus, iste est, quasi sic loquatur Apostolus: Etsi merito possem plus à vobis exigere, ob iustitiæ & sanctitatis, quæ plura meretur, dignitatem, & præstantiam, tamen habeo rationem infirmitatis humanæ vestræ naturæ, propterèque solùm exigo, vt pari studio diligentiáque nunc in exercitium bonorum operum incumbatis, qua priùs in malorum incumbebatis.

II.

Vnde præclare Origenes lib. 6. in Epistolam ad Rom. explicans relata ex capite 6. verba, *Pudorem quemdam*, ait, *per hoc incutit Apostolus auditoribus suis, vt hoc saltem obsequio rependant iustitiæ & sanctificationi, quod priùs iniquitati & immunditiæ detulerunt. Quid ergo tam humanum, id est, quid tam leue, quid tam sine onere, & quod nulla ratione prorsus infirmitatis possit excusari? Inglorioſum quidem est, vt ita quis virtutibus sicut vitiis seruiat, multo enim amplius honoranda iustitia est, sed ego, inquit, humanè & communiter ago, eadem postulo, similia requiro. Duaum currebant pedes vestri ad dæmonum templa, nunc autem concurrant ad Ecclesiam Dei: currebant prius ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus prius vt aliena diriperent, nunc protendantur vt propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi mulieres, aut alienum aliquid ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes, debiles, egenos, ad miserandum. Aures delectabantur auditu vano, vel bonorum derogationibus, nunc conuertantur ad audiendum verbum Dei. Lingua quæ conuitiis, maledictis & turpiloquiis erat assueta, nunc conuertatur ad benedicendum Dominum in omni tempore, & veritatem loquatur cum proximo suo.* Quod si eadem aut similia requirit, sane non requirit ad iustitiæ & sanctitatis incrementum intensiores actus præcedentibus actibus, aut habitibus, vel iis æquales, cùm certum sit seruientem iniquitati non exercere quotidie intensiores aut æquales peccatorum actus præcedentibus vitiosis actibus, & habitibus: quòd si à nobis illud exigeret, sanè non ageret nobiscum humane & communiter, nec exigeret aliquid tam leue, tam sine onere, & quod nulla posset infirmitatis ratione excusari: cùm id etiam sanctissimis viris sit perdifficile, dum præsertim præexistens gratia & charitas valde intensa est, vt in multis est.

III.

Probo tertiò idem antecedens ex his Tridentini Concilij, sess. 6. cap. 10. verbis, loquentis de peccatoribus à statu peccati ad statum gratiæ translatis. *Sic igitur iustificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renouantur, vt Apostolus inquit, de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atque magis iustificantur.* Quibus verbis clare declarat Concilium hominem iustificatum crescere in accepta iustitia, fieríque iustiorem per opera illa bona, quibus mortificat membra carnis suæ, obseruarque præcepta tum diuina, tum Ecclesiastica: quæ sanè sunt pleraque saltem virtutum merè naturalium & acquisitarum opera. Quibus in operibus iustitiæ & sanctitatis augmentum afferentibus, profectò non requirit intensionem parem aut maiorem ea quam habet præexistens gratię & charitatis habitus, quia vult augmentum illud de die in diem, hoc est, frequẽter & ordinariè à iustificatis fieri: quod sanè non ita fieret, si tanta boni operis intensio necessaria esset, cùm non nisi rarò iustificatus exerceat actus intensiores præcedente sua gratia & charitate habituali, aut æquales, maxime dum hæc multum intensa est, vt facilè esse potest, ipsa multam ex opere operato per sacramenta intensionem recipiente.

IV.

Probo postremò duplici egregia sententia, vna Origenis Homilia 9. in Iaiam post hæc verba, *Antequam crederemus, Zabulus pater noster fuit, vt sermo Euangelicus ostendit, dicens, vos de Zabulo patre estis: cùm autem credidimus, facti sumus filij Dei*: nonnullis interiectis subiicientis. *Omnis qui facit peccatum ex Zabulo nascitur: ex Zabulo namque nascimur quoties peccamus: infelix ille qui semper generatur a Zabulo: rursumque multum beatus qui ex Deo semper nascitur, neque enim semel dicum istum ex Deo natum, sed per singula virtutis opera semper iustus nascitur ex Deo.* Sicut Dei filius semper ex Deo Patre nascitur, vt proximè subiungit, ita tandem concludens: *Si semper ex patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudine eius iam adoptionis habens spiritum generaris a Domino per singulos intellectus, per singula opera, & efficeris filius Dei.*

V.

VI.

VII.

VIII.

Altera sancti Augustini serm. 5. de Verbis Domini, non procul ab initio, vbi postquam hæc præmisit, *Diuitiæ bona sunt, & cùm bona sint, bonos tamen facere non possunt. Est ergo bonum quod faciat bonum, & est bonum vnde facias bonum*, sic prosequitur, *Habes aurum, bonum est, habes non vnde sis bonus, sed vnde facias bonum. Quod bonum, inquis, facturus sum de auro? Non*

audisti psalmum, Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, hoc est, bonum vnde sis iustitiâ bonus: si habes bonum vnde sis bonus, fac bonum de bono vnde non es bonus: habes pecuniam, eroga, erogando pecuniam auges iustitiam, dispersit enim, distribuit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Vide quid minuatur, & quid augeatur: minuitur pecunia, augetur iustitia: illud minuitur quod eras relicturus, illud augetur quod in æternum es possessurus. Consilium do lucrorum, disce mercari. Laudas enim mercatorem qui vendit plumbum, & acquirit aurum, & non laudas mercatorem qui erogat pecuniam, & acquirit iustitiam. Quibus verbis cùm manifestè doceat hominem iustum opere eleemosynæ augere iustitiam suam, nec in opere illo, vt patet, requirat vllam certam ac determinatam intẽsionem, vt nec requirit Origenes, dubitandum non est, quin existimarit eundem hominem quouis alio cuiusuis virtutis opere iustitiam suam augere, vt & Origenes existimauit, cum nulla sit potior id de eleemosynæ opere, quàm de quibusuis aliis aliarum virtutum operibus sentiendi ratio.

DISPVTATIO XLIX.

Quantum charitas habitualis augeatur per eos actus qui eius augmentum merentur?

QVÆSTIONIS huius duplex potest esse sensus. Prior est, vtrùm charitas habitualis tot præcisè gradibus augeatur, quot sunt in actu per quem augetur. Posterior, an graduum augmentum, quod illi aduenit, quodcunque tandem sit, adueniat dependenter a tota intensione actus, ita vt hic actus non secundùm solos superiores intensionis gradus, sed secundum omnes quos habet, augmentum illud mereatur.

Dicendum autem primò, si prędicta quæstio posteriori hoc sensu intelligatur, veram esse partem affirmantem. Sequitur id euidenter ex superioribus disputationibus, in quibus probauimus quemlibet charitatis, & cuiusuis alterius virtutis actum ab homine iusto profectum, licet præexistente habitu remissiorem, esse meritorium augmenti gratiæ & gloriæ. Hinc enim manifestè consequens est, actum bonum, qui meretur augmentum charitatis habitualis, eius augmentum non mereri præcisè secundùm eos solos intensionis gradus, quibus excedit habitum, sed secundùm se totum, suósq. omnes gradus illud mereri. Si enim secundùm aliquos tantùm illud mereretur, actus qui careret illis gradibus, augmentum charitatis meteri non posset: nec proinde quilibet ab homine iusto profectus actus bonus mereretur augmentum illius, contra traditam probatámque superioribus illis disputationibus doctrinam.

Dicendum secundo, si præfata quæstio priori sensu sumatur, non esse existimandum, actum bonum secundùm se totum, suósq. omnes gradus vnquam esse meritorium, nisi tot graduum charitatis habitualis, quot intẽsionis gradibus hunc habitum superat, semper autem tot præcisè graduum esse meritorium: tum quia nullum mereretur augmentum habitualis charitatis, quando charitas hæc est actu illo intensior, vel illi æqualis: tum quia licet esset illo remissior, nulla tamen id affirmandi legitima ratio esse potest: imò si verum id esset, sequeretur vnum eundémque actum charitatis aut alterius virtutis esse posse magis meritorium, ex eo præcisè quòd esset ab homine minùs intensam charitatem habente, minùs verò meritorium ex eo præcisè quòd esset ab homine habente magis intensam: actus enim bonus habens intensionem sex graduum profectus ab homine iusto, duos tantùm habitualis charitatis gradus habente, meritorius esset augmenti quatuor graduum, quia totidem gradibus habitualem eius charitatem excederet: at ab homine iusto quatuor charitatis habitualis gradus habente elicitus duos tantùm augmenti gradus mereretur, quia duobus tantùm gradibus eius intensionem superaret.

Imò præterea sequeretur, prædictum actum sex graduum à prædicto homine elicitum duos tantùm habitualis charitatis gradus habente, esse magis meritorium, quàm sit actus intensior verbi causa, octo graduum elicitus ab homine habente sex gradus habitualis charitatis: hic enim posterior actus augmentum tantùm duorum graduum mereretur, ille verò prior augmentum quatuor: quæ consectaria quis non absurda iudicet? cùm tantum absit vt minor operantis charitas seu sanctitas meritum actus augere possit, maior autem diminuere, vt contrarium potiùs accidat.

Dicendum tertio, non esse existimandum, quemlibet hominis iusti bonum actum tot mereri præcisè gradus augmenti charitatis ratione suæ intensionis, quot in se habet intensionis gradus: id enim impossibile est: quia cùm inter hos actus augmenti gratiæ gloriæque meritorios alij aliis sint secundum speciem perfectiores & moraliter meliores, ac proinde maioris augmenti gratiæ & gloriæ meritorij, fit necessariò, vt ex eiusmodi actibus inæqualis secundùm speciem perfectionis, licet æqualis intensionis, qui secundùm speciem perfectior est, maius charitatis augmentum ratione suæ intensionis mereatur altero parem intensionem habente, sed secundùm speciem ignobiliore.

Dicendum quartò, quemlibet hominis iusti bonum actum posse esse meritorium plurium augmenti charitatis graduum quàm in se habeat: vel enim charitatis actus, alteriúsve virtutis, duorum, verbi causa, graduum intensionem habens, ratione huius suæ intensionis meretur gradus augmenti charitatis plures duob. vel nouem primum, habemus intentum: si secundum, cùm nihilominus aliquod eius augmentũ mereatur, quantumcunq. paruum dicatur esse, fieri poterit, vt ex obiecti præstantia, vel ex maiori rationis aduertentia, vel ex aliis etiam adiunctis circumstantiis, ex quibus deriuatur in actum maior bonitas moralis, ac proinde maius meritum, deriuetur in actum prædictum, duos tantùm intensionis gradus habentem, tanta moralis bonitas, tantumq. proinde meritũ, vt gradus augmenti charitatis plures duob. mereatur.

Dicendum quinto, fieri posse vt hicaut ille virtutis actus ab homine iusto elicitus non tot mereatur gradus augmenti charitatis quot in se gradus intensionis habet. Dubium enim esse non potest, quin dari possit aliquis virtutis actus, qui spectata & obiecti præstantia, circa quod versatur, & rationis aduertentia cum qua fit, aliisque omnibus ex quibus aliqua in ipsum moralis bonitas deriuatur, non nisi tot gradus augmenti charitatis mereatur quot in se gradus intensionis habet: qui proinde si ex minore rationis aduertentia processisset, vt fieri potuit, similibúsque aliis circumstantiis bonis caruisset, vt carere potuit, non promeruisset tot gradus augmenti charitatis quot reipsa promeruit, nec proinde tot quot in se gradus intensionis habet.

Dicendum sextò, si vera est Philosophorum illorum sententia, qui docent qualitatum quæ intensionem suscipiunt, gradus intensionis non esse homogeneos, sed heterogeneos, id est, non æqualis, sed e contrario inæqualis perfectionis, superioresque semper esse inferioribus secundùm entitatem induduam perfectiores, Dicendum inquam, quo præexistens charitatis habitus in homine operante intensior est, eò semper minùs per subsequentes actus augeri. Cùm enim vna quidem ex parte, hac supposita sententia, superiores gradus sint præstantiores inferioribus, eóque præstantiores quo superiores, ex altera verò, subsequentes illi actus meritorij sint graduum charitatis eo superiorum, ac proinde præstantiorum, quo charitas habitualis operantis intensior est, necessarium est pauciores gradus ex superioribus æquiualere pluribus ex inferioribus, eóque pauciores, quo superiores sunt: & consequenter necessarium est pauciores superiorum illorum sufficere ad compensandum integrè totum boni actus meritum: quod per inferiores gradus si compensari debuisset, non nisi per plures compensari integrè potuisset. Ex quo tandem sequitur, quo intensior est operantis habitualis charitas, eo minùs ipsam per subsequentes actus augeri, quia non nisi tot gradibus eam augent quot merentur: semper autem eo pauciores ex superioribus merentur, quo superiores sunt, merentur autem semper eo superiores, quo charitas habitualis operantis intensior est.

Cæterum quantum præcise charitatis augmentum mereatur bonus hominis iusti actus hîc & nunc elicitus, definire nullus mortalium potest: tum quia nemo eorum scit quanta præcisè sit actus intensio, ex qua tamen vel maiore vel minore, cæteris paribus, vt supra probauimus, maior aut minor deriuatur in actum bonitas moralis, maiúsque proinde vel minus meritum: tum quia etsi quis id sciret, quia tamen nemo scit quantum præcise ex ea, quantum item ex aliis circumstantiis bonis vel seorsim, vel coniunctim acceptis, bonitatis moralis in actum deriuetur, nemo per consequens scire potest quantum præcise meriti ex iisdem in eundem emanet.

DISPVTATIO L.

Vtrùm illud charitatis habitualis augmentum, quod iusti bonis suis operibus promerentur, sit ipsis aliquando re ipsa à Deo reddendum, & quandonam?

SECTIO PRIMA.

Reddendum aliquando defenditur, & probatur.

DOMINICVS Bannez locis suprà sæpius citatis duo hac de re dicit. Primum est, iustos nunquam re ipsa recepturos augmentum prædictæ charitatis, quod bonis operibus suis vel huic charitati æqualibus, vel ea remissioribus promeriti sunt, nisi ante mortem reuentiorē alicuius actus, & præexistente habituali charitate intensioris exercitio disponant se ad illius augmenti assecutionem. Secundum est, si hunc actum ante mortem exercuerint, eos nihilominus propter illa antecedentia opera bona vel æqualia vel remissiora non aliud augmentum charitatis habitualis recepturos, quam quod propter hunc intensiorem actum recepissent, etsi opera illa bona æqualia vel remissiora nunquam exercuissent.

Quoad primũ ex his duobus, eius euinco falsitatē hoc argumento. Si iusti à Deo aliquando sunt re ipsa recepturi illud omne augmentũ essentialis gloriæ, quod singulis suis bonis operibus etiam remissioribus habitũ promeruerunt, etsi nũquam eliciant actum aliquem habitu intensiorem, sunt quoque aliquando ab eodem reipsa recepturi augmentum charitatis habitualis, quod iisdem operibus meruerunt, etsi nunquam actum aliquem habitu intensiorem exerceant. Atqui verum prius, igitur & posterius. Maioris consequētiam admittit vltro Bannez, & admittēdam esse satis constat ex suprà dictis sæpiùs, ex eóque præterea, quòd nulla est aliter de vnius quàm de alterius augmento recipiendo sentiendi ratio. Minorem autem probo primùm omnibus suprà relatis Scripturæ, Concilij Tridentini, Patrúmque testimoniis, quibus disertissime asseritur, illud gloriæ præmium, quod iusti bonis suis operibus promeruerũt, ipsis aliquādo esse à Deo reddendum: cuiusmodi est istud Christi, de eo qui calicem aquæ frigidæ dederit, *non perdet mercedem suam*. Et hoc Apostoli. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*. Et istud aliud, *Abundate in opere Domini semper*, seu vt Tridentinum loquitur, *in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis*, & alia multa quæ suprà retulimus, & in quibus esse sermonem de mercede essentialis gloriæ ostendimus.

Quod si iustus ille qui dedit calicem aquæ frigidę, nunquam recipit mercedem glorię, quā opere illo bono licet remissiore promeruit, nonne perdet mercedem suam? si essentialis

gloriæ augmentum quod bonis ſuis operibus vel remiſſioribus habitu, vel ei æqualibus meritus eſt, nunquam recipiet, quomodo verum eſt, vnumquemque recepturum mercedem ſecundùm ſuum laborem, & hunc laborem eius non fore inanem? id eſt, abſque eſſentialis gloriæ præmio, de quo ibi ſermonem eſſe Apoſtolo ſupra docuimus: imò quomodo Deus infidelis non eſt, qui toties promiſſam bonis iuſtorum operibus gloriam non retribuit? cùm dubitari iure non poſſit, quin illis tantam ſit pollicitus, quantam promerentur.

I. A

Probo ſecundò eandem Minorem ſimilitudinem aliorum operum ſeu peccatorũ, ob quorum quodlibet peccator non modò meretur augmentum pœnæ, ſed etiam reipſa recipiet, ſi in lethali peccato moriatur.

Probo tertiò ex incremento ſanctitatis & iuſtitię quod iuſtus quolibet opere ſuo bono conſequitur moraliter & formaliter ab ipſis operibus bonis, à quibus fit, vt ex ſuperioribus conſtat, moraliter formaliterque iuſtior & ſanctior quàm antea eſſet, ſiue tunc phyſicum gratiæ & habitualis charitatis augmentum ipſi conferatur, ſiue non: ſicut peccator quolibet ſuo peccato formaliter fit deterior, moraliterque peior quàm antea eſſet, vnde & grauiori pœna dignus. Cùm enim dubitari non debeat, quin ſicut quo quiſque ſanctior altero ex hac vita decedit, eo plus quàm ille gloriæ in cœlo recepturus ſit, ita quilibet tãtum gloriæ ſit recepturus, quantum ſanctitatis in hac vita ſibi comparauerit, neceſſarium prorſus eſt, vt cùm iuſtus quolibet opere ſuo bono fiat moraliter ſanctior, etſi nunquam ſit feruentiorem & habitu intenſiorem actum eliciturus, pro quolibet etiam recipiat illud in cœlo gloriæ incrementum quod quolibet promeruit, álioqui plus ſanctitatis ex hac vita auferret, quàm in cœlo gloriæ obtineret.

II. B

III. C

Probo poſtremò prædictam Minorem ex his Tridentini Concilij verbis ſeſſ. 6. cap. 16. *Nihil iuſtificatis deeſſe credendum eſt, quominus operibus in Deo factis plenè legi diuinæ pro ſtatu vitæ huius ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur.* Quo loco duo notanda ſunt. Primum eſt, à Concilio dici iuſtificatos vitam æternam quam bonis ſuis operibus promeruerũt, reipſa ſuo tempore conſequuturos: quod cùm dicit, ſanè vult conſequuturos ea quantitate ſeu graduum intenſione qua ipſam promeriti ſunt: de vita enim æterna loquitur ſecundùm id quod in bonorum operum meritum cadit. Secundum eſt, vt iuſtificati vitam æternam eâ graduum intenſione qua promeruerunt ſuo tempore reipſa conſequantur, nullam aliam à Concilio conditionem requiri, quã vt in ſtatu gratiæ ex hac vita decedant: cui proinde manifeſtè repugnant ij, qui præterea exigunt à iuſtificatis, ad conſequendum illud æternæ gloriæ augmentum, quod operibus æqualibus, aut remiſſioribus habitu promeruerunt, vt antè mortem actum habitu intenſiorem exerceant: quem proinde ſi non exercent, aliquid illis deeſſe credendum erit, licet in ſtatu gratiæ moriantur, ad illud gloriæ augmentum quod meruerunt conſequendum, contra expreſſam

IV. D

Concilij doctrinam nihil illis deeſſe affirmãtis.

Ad huius Minoris probationem nihil aliud ab aduerſarius reſponderi poſſe video, quã hoc vnum, eſſe quidem promiſſam vitam æternam bonis iuſtorũ operibus, ſed ſi de habitui æqualibus, vel eo remiſſioribus agitur, ſubintelligi conditionem feruentioris alicuius & habitu intenſioris, ſicut reſpectu omnium ſubintelligitur conditio perſeuerantiæ finalis in ſtatu gratiæ. Verùm mere gratis ab iis dicitur, hanc in diuinis de retribuenda æterna gloria promiſſionibus conditionem actus intenſioris ſubintelligi. Nam quo vel Scripturarum, vel Conciliorum, vel Patrum loco reperire eſt veſtigium aliquod huius ſubintellectæ conditionis? Et quomodo hæc à Deo promittente nunquam expreſſa, ſed ſubintellecta conditio poſſet ipſum ab infidelitatis nota ſeruare immunem, ſi propter hanc actus intenſioris conditionem ab homine iuſtificato non obſeruatam, negaret ipſi promiſſum ſæpius æternæ gloriæ augmentum, quod bonis operibus etiam habitu remiſſioribus, conſentientibus ipſis quoque aduerſariis, promeruit? Promiſſioni enim factæ alicui, non expreſſa conditione, quæ ex natura ipſius promiſſionis intelligi non poteſt, nullus abſque macula infidelitatis poteſt non ſtare, ſi non ſtat ea præcisè de cauſa, quòd conditio illa ab eo cui facta promiſſio eſt, obſeruata nõ fuit. Vnde & promiſſio ſine conditione hac interpretanda eſt: alioqui quam vel ex humanis vel diuinis promiſſionibus habere poterunt homines ſecuritatem? cùm vel homini vel Deo liberum ſit futurum, promittendo ſubintelligere quam lubebit conditionem, & poſtquam is cui promiſſio facta eſt perfecerit omnia quæ ab eo exigebantur, nolle tamẽ dare quod promiſſum eſt, allegando conditionem quæ à promittente ſubintelligebatur non fuiſſe ab eo cui promiſſio facta eſt, obſeruatam: Deus autem promiſit ſæpius iuſtificatis in ſtatu gratiæ morientibus ſe redditurum illud æternæ gloriæ præmiũ, quod bonis operibus etiam habitu remiſſioribus promerentur, vt fatetur vltro Bannez: neque prædictam actus intenſioris conditionem vnquam expreſsè appoſuit, vt etiam confitetur. Neque verò ex natura promiſſionis illius intelligi poteſt, vt perſpicuum eſt: ſicut nec ex natura promiſſionis illius, qua quis laboranti per vnum diem in vinea promitteret quindecim aſſes, intelligeretur hæc aut ſimilis conditio, ſi nimirum ſequenti quoque die, & quidem diligentiùs quam præcedente, in vinea laboraret.

V.

VI.

VII.

VIII.

Neque verò de conditione finalis in gratia perſeuerantiæ eadem ratio eſt, tum quia multis Scripturæ locis exprimitur, vt Ezech. 18. & 33. & alibi: tum quia etſi nullibi exprimeretur, ſatis ex natura factæ promiſſionis de compenſandis æterna gloria bonis iuſtorum operibus intelligitur. Promiſſio enim compenſandi certo aliquo tempore aliqua merita, præſupponit ex eſſentia ſua eſſe aliqua merita quæ compenſari poſſint. Atqui prædicta Dei promiſſio eſt promiſſio merita compenſandi certo aliquo tempore, nempe poſt ſtatum viæ & vitæ præſentis. Ergo ex eſſentia ſua præſupponit finalem in gratia perſeuerantiam. Nam ſublata per mortale peccatum perſeuerantia hac, nulla ſunt

merita quæ compensari tunc possint. Etenim per mortale peccatum sic extinguuntur merita, vt nulla amplius sint.

SECTIO II.

Alterum ex duobus præcedentis sectionis initio relatis refellitur.

I. IAM quod spectat ad secundum ex duobus quæ ibi retulimus, eius quoque falsitas hoc argumento euincitur. Si iustus ante mortem eliciens actum feruentiorem præcedentibus, & præexistente habitu intensiorem, non idem tantum recipiet augmentum gloriæ propter illos præcedentes æquales habitui, vel illo remissiores, quod propter istum feruentiorem & intensiorem, sed aliud proprium & diuersum, non idem quoque solummodo recipiet augmentum charitatis habitualis propter eosdem præcedentes, quod propter eundem feruentiorem & intensiorem, sed aliud proprium & diuersum. Atqui II. verum est prius, igitur & posterius. Maioris consequentiam admittit vltrò Bannez, & reuera admittere omnes debent ob easdem causas, ob quas consequentia Maioris argumenti superioris præcedenti sectione propositi admittenda ab omnibus est. Minorem probo primò ex similitudine malorum operum seu peccatorum, post quæ peccatum aliquod omnibus præcedentibus grauius admittitur, in quo peccator moritur, qui propter illa peccata precedentia non idem tantum supplicium luet, quod propter hoc omnibus præcedentibus grauius, sed propter singula speciale & proprium.

Probo secundò ex eo quod, vt superiore sectione diximus, & probauimus, tantum quisque consequetur in cælo gloriæ, quantum sanctitatis ex hac vita auferet: quod tamen non III. haberet, nisi iustus pro quolibet actu suo bono reciperet augmentum gloriæ distinctum ab eo quod pro aliis recipiet, cùm à quolibet actu suo bono fiat formaliter & moraliter iustior & sanctior, seu proprium & peculiare iustitiæ & sanctitatis incrementum accipiat, distinctum ab eo quod ab aliis actibus bonis formaliter & moraliter accipit, vt suprà etiam probatum est.

Probo tertiò eo quòd alioqui promissio Dei ridicula redditur. Quis enim risu dignissimam non iudicet promissionem, qua quis alicui polliceatur mercedis loco certum quidpiam, si leuem aliquem laborem in sui gratiam velit suscipere, hac conditione vel subintellecta, vel expressa, vt postea quiddam multò laboriosius aggrediatur & perficiat, quo eandem mercedem condignissimè promerebitur, & reipsa recipiet? IV. Talis autem erit diuina promissio, nisi prædicta nostra Minor vera sit.

At dicit author ille contra quem agimus, vnum eundémque gloriæ gradum datum propter actum intensiorem, & propter antecedentes remissiores, fore maius præmium in ratione præmij, quàm si propter illum solum, vel propter hos solos datus fuisset. At huius dicti falsitatem quæ sequuntur euincunt. Primum est: Si vna eadémque res maius præmium est, seu crescit in ratione præmij, quando propter plura opera datur, quàm quando propter vnum aut pauciora, eóque magis crescit in illa ratione, quo propter plura redditur, crescet quoque, quando reddetur propter opus præstantius, eóque magis crescet, quo præstantius erit opus propter quod redderur, & per consequens crescet infinite, seu infinitum erit præmium, si pro opere infinitè præstati retribuatur, quod tamen admittendum non est: alioqui quodlibet præmium redditum re ipsa Christi operibus, vtpotè infinitæ dignitatis & valoris, infinitum esset, quod proculdubio falsum est, & Theologis omnibus repugnat. V.

Secundum, hominis in vinea laborantis exemplum, qui si per tres pluresve dies in ea laborasset, & laboris vno die suscepti nummus decem assium iustum pretium esset, quis tam cæcus esset, vt non videret, aut tam parum rerum humanarum intelligens, vt non perspiceret illi fieri iniuriam à domino vineæ, si vnicum eundemque decem assium nummum daret pro labore tribus illis pluribusve diebus suscepto, licet diceret se totidem titulis illum nummum dare, quot diebus in colenda vinea VI. laborasset?

Tertium, hæc ratio à priori, quòd sicut de ratione pœnæ inflictæ pro peccato est, vt sit quid incommodum ei qui punitur, vnde fit vt pœna non crescat in ratione pœnæ, seu maior pœna sit, nisi crescat in ratione incommodi, seu maius incommodum sit: ita de ratione præmij quod meritis rependitur, est, vt sit quid commodum ei qui præmio afficitur, vnde fit vt crescere non possit in ratione præmij, seu maius præmium esse, nisi crescat in ratione commodi, seu sit maius commodum eius qui præmio afficitur. Patet autem ex eo quòd vna eadémque res ei cui datur commoda, vel incommoda, detur vel ob plures maiorésve, vel ob pauciores minoréve titulos, VII. eam nihilo magis aut minus esse commodam, vel incommodam. Vnde sequitur euidenter, nec esse maius minúsve vel præmium, vel supplicium: quod naturæ lumine tam clarum est, vt si duo peccauerint, & alter altero longè grauiùs, vterque tamen eodem mortis genere plectatur, & is qui leuiùs peccauit hoc mortis genere dignus sit, nemo tam parum oculatus sit, vt non videat vtrumque æqualem pœnam sustinuisse, & ei qui grauiùs peccauit factam esse à iudice gratiam, nec pœnam ob eius peccatum ipsi decretam esse grauitati peccati adæquatam, licet titulo tam grauis peccati decreta ipsi fuerit: quia nimirum pœna hæc non maius secundùm se incommodum ipsi est, quàm sit ei qui minùs grauiter deliquit.

Vnde verissimè Suarez Opusc. de Reuiuiscentia meritorum disp. 2. sect. 1. num. 51. dixit, quæ eius verba sunt, aliud esse rem aliquam, vt beatificam visionem, posse crescere in ratione visionis & beatitudinis, quamuis non crescat in ratione præmij, aliud verò è contrario eandem visionem posse crescere in ratione præmij, licet non crescat in ratione visionis: & hoc secundùm quidem prorsus impossibile esse, illud autē primum facile fieri posse, quia id quo crescit in ratione visionis & beatitudinis dari potest ex liberalitate merè gratis: quā ob causam pecunia VIII.

crescere potest in ratione pecuniæ, & quælibet alia res in ratione rei illius, etsi non crescat in ratione mercedis, cùm tamen in hac mercedis ratione crescere nequeat, nisi crescat in ratione pecuniæ, & illius rei, ob rationem quam attulimus.

I. Neque hîc obiiciat quis nobis primò, Christum Dominum tot diuersis titulis vnum idemque redemptionis humanæ præmium à Patre recepisse, quot distinctis operibus suis redemptionem hanc promeruit. Primùm enim licet ita esset, non tamen maius præmium retulisset, quàm si pro vnico actu, vnóque proinde tantum titulo, eam consecutus esset. Deinde si ita est, valor infinitus & sufficiens ad quidlibet condignè merendum, qui fuit in singulis bonis eius operibus, nec reperitur in nostris, causa extiterit, cur ita fuerit. Vtrum autem ita fuerit necne, non hoc loco, sed in Tractatu de Incarnatione definiendum est.

II. Secundo, peccatori multis lethalibus peccatis contaminato, in iisque mortuo, vnam eandémque pœnam damni tot infligi titulis, quot mortalium peccatorum reus est: id enim verum est, quia pœna hæc in indiuisibili posita est, nec proinde quis eius particeps magis aut minùs esse potest, vt in Tractatu de peccatis, disp. 17. sect. 3. probatum est: at æterna gloria diuisibilis est, magísque vel minus, sicut & pœna sensus, participari potest. Vnde sicut hæc pœna non respondet vna eadémque multis peccatis, si condignè puniuntur, sed singulis propria, ita singulis bonis operibus singularis & proprius gloriæ gradus, alioqui non condignè compensantur.

SECTIO III.

Quo tempore detur à Deo iustis augmentum charitatis habitualis, quod singulis bonis suis operibus promerentur.

III. DE tempore quo confertur ipsis augmentum gloriæ, quod singulis suis bonis operibus meruerunt, nulla dubitatio est. Certum enim est non nisi post hanc vitam conferri. Augmentum autem charitatis habitualis, de quo solo inter Theologos controuersia est, dico conferri in hac vita, & quidem statim. Ita sentiunt Gabriel, Maior, Almainus, cæterique Nominales: item Corduba, Suarez, Vasquez locis disp. 45. citatis. Quam eorum sententiam hoc argumento probo: Cùm, vt ex superioribus sectionibus huius ipsius vltimæ disputationis constat, augmentum illud iustis aliquando re ipsa conferendum sit, necessarium est, vt vel in hac vita, vel post hanc vitam conferatur. Atqui

IV. non post hanc vitã, ergo in hac vita. Quòd si in hac vita confertur, vel confertur statim, vel non: hoc secundum dici non debet, ergo primum. Cuius argumenti vis vt clara sit, duæ solum partes probandæ sunt. Prima, qua asseritur collationem huius augmenti non differri post hanc vitam: secunda, qua dico ex duobus quæ subsumpsi secundum dici non debere.

Primum probo ex eo quòd nulla est ratio asserendi augmentum illud post hanc vitam aut semper, aut aliquando differri: si quæ enim est, maximè aliqua trium istarum: vnde & nullam aliam aduersarij proferunt. Prima, quòd vita præsens sit tempus merendi, non verò meritorum remunerationẽ recipiendi. Secunda, quòd iustus non semper est dispositus sufficienter ad recipiendum in hac vita prædictum habitualis charitatis augmentum, sed aliquando solùm in futura. Ad illud enim augmentum recipiendum quod per actus habitu remissiores meruit, non sufficienter disponitur, nisi dum exercet actum intensiorem: hunc autem exercet aliquando post hanc tantùm vitam. Tertia, quòd intensio supernaturalium habituum non efficitur in hac vita, nisi simili modo quo intensio naturalium. Nunquam autem in hac vita naturales habitus intenduntur nisi per actus intensiores. Atqui nulla rationum istarum valet. Non quidem tertia, vt clarè constat ex iis quæ circa eam alia occasione diximus, disput. 44. sect. 3. in solutione secundi argumenti.

V. Neque etiam prima: licet enim tempus vitæ præsentis non sit tempus recipiendæ meritorum remunerationis, quę æterna beatitudo est, secus tamen res habet de ea quæ in gratiæ & habitualis charitatis augmento consistit: alioquin etiam augmentum eius quod per actus intensiores quis meretur, in futura tantùm vita tribueretur, quod Theologis omnibus repugnat: imò sicut vita præsens est proprium tempus consequendi sanctificantẽ gratiam & charitatem, in eáque magis ac magis proficiendi, ita est proprium tempus recipiendi augmẽtum eius, quod per actus nostros bonos meremur.

VI. Nec denique secunda, tum quia qui post multos actus remissiores elicit intẽsiorem, non est magis dispositus ad recipiendum charitatis & gratiæ augmentum, quod per illos remissiores meruit, quàm antea esset: actus enim intensior nihil habet vnde possit esse dispositio ad recipiendum aliud & maius gratiæ ac charitatis augmentum eo quo eius meritum condignè

VII. compensatur, & proinde nihil habet vnde possit esse sufficiens dispositio ad recipiendum augmentum gratiæ & charitatis quod actus remissiores merentur, cùm hoc augmentum, vt ex supra dictis constat, sit aliud, & distinctum ab eo quod per actum intensiorem meremur, & cum hoc eodem augmento coniunctum faciat maius augmentum: tum quia sufficienter est dispositus ad recipiendum augmentum illud quod per actus remissiores meruit, etsi nullum postea intensiorẽ efficiat: sufficientissima enim dispositio ad consequendum præmium est condignum eius consequendi meritum, meretur autem condignè, etsi nullus intensior postea exerceatur. Vnde & agricola qui die vno coluit agrum alienum, sufficienter est ad accipiendum condignum laboris sui pretium dispositus,

VIII. eo ipso quo pretio isto propter laborem suum dignus est, iniuriosúmque esset, negari ipsi pretium istud, hoc prætextu, quòd ad illud accipiendum non sit sufficienter dispositus, nisi & altero die in agro colendo laboret, & quidem magis quàm præcedente.

Deinde cùm superiùs ostensum fusè sit, iustum quolibet actu charitatis, & cuiuslibet alterius virtutis, etiam remissiore præexistente habitu, fieri iustiorem sanctioremque quàm

antea esset, dicendum est, cum effici talem formaliter vel ab augmento physico charitatis habitualis & gratiæ, quod per actum illum meruit, quodque tunc ipsi tribuatur, vel ab illo ipso actu, qui formaliter vim habet augendi moraliter præexistentem hominis operantis iustitiam & sanctitatem. Si primum dicitur, habemus intentum: habemus enim augmentū istud I. non solum in hac vita tribui, sed etiam statim A atque actus ille exercetur. Quod si secundum, cur hac maiore sanctitate quam moraliter & formaliter ab actu consecutus est, non censebitur esse sufficienter dispositus ad recipiendum augmētum physicum sanctitatis habitualis seu gratiæ & charitatis, quod per actum illum promeruit? cùm præsertim hoc augmento collato non sit futurus intensiuè sanctior, quàm antea esset per solum illum actum, vt nec maiori in cœlo gloria recipienda dignus.

Iam secundam partem hoc argumento probo. Si charitatis augmentum, quod iustus per actus bonos etiam remissiores condigne meretur, non statim ei tribuitur, ideo est, quia tribui non debet nisi dum intensiorem actum elicit, II. quem non semper statim elicit: nullam enim B aliam huius rei causam adferunt aduersarij. Atqui causa hæc nulla est: ad recipiendum enim in hac vita gratiæ & charitatis habitualis augmentum, quod per actus remissiores meruit, nulla est ratio exigendi exercitium actus intensioris, nisi quia vel hic actus intensior est necessaria dispositio ad huius augmenti receptionem, vel in hac vita supernaturales habitus non intenduntur, nisi ad eum modum quo naturales, qui nunquam intenduntur, nisi dum actus intensiores exercentur. Atqui nullam esse hanc & illam causam ex proximè ante dictis hac ipsa sectione notum est.

Probo secundò nostram & prædictorū Doctorum sententiam hoc altero argumento. Gratiæ & charitatis habitualis augmentum propter actus intensiores statim à Deo confertur: ergo & propter æquales atque remissiores statim conferetur. Antecedens à Theologis omnibus etiam aduersariis conceditur. Consequentiæ bonitas hinc constat, quod vt disput. 44. sect. 3. in secundi argumenti solutione ostendimus, tota ratio propter quam Deus confert habitualis gratiæ & charitatis augmentum intensioribus actibus respondens, est, quia illud condigne merentur: tota ergo ratio propter quam statim confert, est, quia merentur vt statim conferatur. Ergo cùm æquales remissioresque non minùs mereantur vt augmentum eis condigne respondens statim conferatur, conferetur. III.

Cæterùm quod huc vsque probatum est, nempe charitatis habitualis augmentum statim conferri, intelligi duobus modis potest. Primo, itavt si actus augmenti meritorius momentaneus est, illo ipso momento conferatur: si per tempus aliquod continuatur, illo ipso tempore tribuatur, & quidem successiue pars post partem, sicut & ipsum meritum actus per tempus successiuum continuati successiuum est. Secundo, itavt non conferatur intrinsece vel illo momēto vel tempore, sed immediate post, quando meritorius actus in rerum natura physicè ampliùs non existit. Siue autem primo, siue IV. secundo modo dicatur statim conferri, nobis satis est: meliùs tamen philosophari videntur qui primo quàm qui secundo dicunt, quia dicunt conformiùs primæ infusioni habitus charitatis, & eiusdem augmento, quod propter intensiores actus tribuitur. Sentiunt enim Theologi charitatis habitum primò infundi illo ipso momento vel tempore, quo primum perfectæ contritionis actus exercetur, non verò tantum post elapsum illud vel momentum, vel tempus. Sentiunt item augmentum illud, quod propter intensiores actus tribuitur, tribui intrinsece illo ipso vel tempore vel momento quo intensior actus exercetur, non verò tum solùm, cùm elapso illo vel momento, vel tempore, hic actus non exercetur ampliùs: aliter autem sentiendi de augmento quod propter actus vel æquales habitui, vel eo remissiores tribuitur, nulla legitima ratio apparet. Atque hæc de charitatis augmento, & charitate dicta sufficient.

INDEX DISPVTATIONVM QVÆ TRACTATV DE TRIBVS VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, FIDE, Spe, Charitate, continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De variis fidei acceptionibus.

DISPVTATIO II.

Quodnam sit formale obiectum fidei?

Sectio prima. *Præmittuntur aliqua toti rei intelligendæ necessaria.*
Sectio 2. *Vtrùm Deus sit formale obiectum fidei?*
Sectio 3. *Soluuntur argumenta contra doctrinam superiori sectione traditam.*
Sectio 4. *Vtrum Deus quatenus Veritas prima sit adæquatum obiectum formale fidei?*
Sectio 5. *Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedente sectione traditam.*

DISPVTATIO III.

Qualis esse debeat externa Dei reuelatio ad formale fidei obiectum pertinens?

Sectio 1. *An priuatim singulis fieri debeat?*
Sectio 2. *An eadem reuelatio vel Ecclesiæ, vel eius principibus, vt Apostolis, fieri debeat?*
Sectio 3. *An eadem reuelatio debeat esse de rebus ad communem totius Ecclesiæ doctrinam vtilitatémque pertinentibus?*
Sectio 4. *An eadem reuelatio obscura esse debeat?*

DISPVTATIO IV.

Quodnam sit obiectum materiale fidei?

DISPVTATIO V.

Vtrum vna eadémque res ad obiectum fidei materiale & formale pertinere possit?

Sectio 1. *Pars affirmatiua defenditur.*
Sectio 2. *Has istorum affirmatiuæ partis authorum sententia refellitur.*
Sectio 3. *Quorundam aliorum eiusdem affirmatiuæ partis authorum quædam alia sententia refellitur.*
Sectio 4. *Negatiuæ partis authores duo dicentes, quoad primum dictum refelluntur.*
Sectio 5. *Iidem authores quoad alterum dictum refutantur.*

DISPVTATIO VI.

Vtrum Deus per se, vel per alium, de lege ordinaria, vel de potentia absoluta falsum dicere possit?

Sectio 1. *Non posse de lege ordinaria vel per se, vel per alium, probatur.*
Sectio 2. *Non posse etiam de potentia absoluta vel per se, vel per alium falsum dicere, probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur affirmatiuæ partis argumenta ex Scripturis deprompta.*
Sectio 4. *Soluuntur eiusdem affirmatiuæ partis argumenta ex ratione petita.*

DISPVTATIO VII.

Vtrum habitu fidei diuinæ possit quis vti ad credendum falsum?

Sectio 1. *Partis negantis veritas vnica ratione probatur, & duplici obiectioni respondetur.*
Sectio 2. *Duabus aliis obiectionibus respondetur.*

DISPVTATIO VIII.

Quid sit internus diuinæ fidei actus?

DISPVTATIO IX.

Vtrum internus diuinæ fidei actus discursu perficiatur?

Sectio 1. *Pars negans duobus argumentis probatur.*
Sectio 2. *Eadem pars negans duobus aliis argumentis probatur.*
Sectio 3. *Partis affirmantis argumenta soluuntur.*

DISPVTATIO X.

Vtrum omnes actus interni fidei diuinæ sint eiusdem infimæ speciei?

Sectio 1. *Pars affirmatiua defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Propositis argumentis respondetur.*

DISPVTATIO XI.

Vtrùm internus actus diuinæ fidei sit in substantia seu entitate supernaturalis?

Sectio 1. *Quatuor pro parte affirmante inefficacia argumenta refelluntur.*
Sectio 2. *Eadem pars affirmans efficaciter probatur.*
Sectio 3. *An aliquis internus diuinæ fidei actus in substantia naturalis dari queat?*
Sectio 4. *Regulæ aliquot generales ex quibus facile supernaturales actus à naturalibus discerni poterunt.*

DISPVTATIO XII.

Vtrùm internus diuinæ fidei actus sit certior quolibet assensu naturali euidenti?

Sectio 1. *Pars affirmatiua defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Triplici obiectioni, & vni quæstioni respondetur.*

DISPVTATIO XIII.

Vtrum internus diuinæ fidei actus cum cognitione euidente de eadem re simul in eodem esse possit?

Sectio 1. *Sententia affirmans defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Eadem sententia affirmans altero argumento probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur aduersariorum obiectiones.*

DISPVTATIO XIV.

Vtrum una eademque res possit vnico eodemque actu credi simul & sciri seu euidenter cognosci?

Sectio 1. *Referuntur & refelluntur aliquot argumenta quibus partis negantis veritas ineffi-caciter à nonnullis probatur.*
Sectio 2. *Eiusdem partis negantis veritas efficaciter probatur.*
Sectio 3. *Alterum à priori argumentum continens.*
Sectio 4. *Eiusdem partis negantis veritas altera ratione probatur.*
Sectio 5. *Tribus obiectionibus respondetur.*

DISPVTATIO XV.

Quid prærequiratur ex parte voluntatis ad internum diuinæ fidei actum?

Sectio 1. *An expressus voluntatis actus prærequiratur?*
Sectio 2. *Quis & qualis esse debeat expressus ille voluntatis actus qui ad internum fidei actum prærequiritur?*
Sectio 3. *Vtrùm aliquis prædictæ credendi voliti-oni respondens in voluntate habitus admittendus sit, & quisnam ille sit?*
Sectio 4. *Soluuntur argumenta contra traditam superiori sectione doctrinam.*
Sectio 5. *Per quem voluntatis actum intellectus ad assensum fidei quoad speciem determinetur?*

DISPVTATIO XVI.

Quid necessariò prærequiratur ad internum fidei assensum ex parte intellectus?

Sectio 1. *Vtrùm prærequiratur euidens veritatis rei credendæ cognitio, aut assensus fidei humanæ circa huius rei veritatem?*
Sectio 2. *Duplici obiectioni satisfit.*
Sectio 3. *Vtrùm necessariò prærequiratur euidentia credibilitatis?*
Sectio 4. *Vtrùm hæc enidentia de fidei obiecto & materiali & formali esse debeat?*
Sectio 5. *Quibus argumentis seu motiuis res fidei nostræ fiant euidenter credibiles?*
Sectio 6. *Continens duarum de prædicta credibilitatu euidentia quæstionum explicationem.*

DISPVTATIO XVII.

In quid internus diuinæ fidei assensus vltimò resolui debeat?

Sectio 1. *Nonnulla prænotantur.*
Sectio 2. *Quid sit de proposita quæstione sentiendum tribus assertionibus declaratur, & probatur.*
Sectio 3. *Idem duabus præterea assertionibus declaratur, & probatur.*
Sectio 4. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XVIII.

Vtrùm actus internus fidei diuinæ ita sit moraliter bonus, vt nunquam moraliter malus esse possit?

Sectio 1. *Pars affirmatiua defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Eadem pars ratione præterea probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur obiectiones.*

DISPVTATIO XIX.

De necessitate interni actus fidei diuinæ.

Sectio 1. *Vtrùm cuiuis, & quouis tempore sit ad salutem necessarius internus diuinæ fidei actus?*
Sectio 2. *Vtrùm explicitè credere mysterium Trinitatis, & humanæ per Christum redemptionis fuerit quouis tempore necessarium ad salutem?*
Sectio 3. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedente sectione traditam.*

DISPVTATIO XX.

Vtrùm externus diuinæ fidei actus seu externa fidei confessio sit actus à virtute fidei elicitus?

Sectio 1. *Pars affirmatiua defenditur, & probatur.*

Sectio 2. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XXI.

Vtrùm externa fidei confessio necessaria sit ad salutem?

Sectio 1. *De medij necessitate.*
Sectio 2. *De necessitate præcepti.*

DISPVTATIO XXII.

Quid sit diuinæ fidei habitus?

Sectio 1. *Vtrùm sit intellectualis virtus, & an Theologica?*
Sectio 2. *Vtrùm idem diuinæ fidei habitus sit virtus moralis, & an vna virtus sit?*

DISPVTATIO XXIII.

Qualis sit diuinæ fidei habitus?

DISPVTATIO XXIV.

De subiecto habitus fidei diuinæ.

Sectio 1. *Vtrùm fuerit in Angelis viatoribus, vtrùm etiam in homine in statu innocentiæ?*
Sectio 2. *Vtrùm sit in beatis?*
Sectio 3. *Vtrùm sit in damnatis, & animabus Purgatorio detentis?*
Sectio 4. *Vtrùm in eo sit qui discredit vnum fidei nostræ articulum, credit autem cæteros?*
Sectio 5. *Vtrùm in vno maior quàm in alio sit?*

DISPVTATIO XXV.

De causa efficiente habitus fidei.

Sectio 1. *Duarum quæstionum explicationem continens.*
Sectio 2. *Tertiæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 3. *Quartæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 4. *Partis alterius argumentis respondetur.*

DISPVTATIO XXVI.

Vtrum extet aliquod præceptum ad virtutem fidei pertinens, & quod illud sit?

Sectio 1. *Tres assertiones ponuntur, & probantur.*
Sectio 2. *Aliæ duæ assertiones ponuntur, & probantur.*

DISPVTATIO XXVII.

De duobus peccatis infidelitatis quæ prædictis duobus affirmatiuis præceptis opponuntur.

DISPVTATIO XXVIII.

De peccato infidelitatis quod priori prædicto negatiuo præcepto opponitur.

Sectio 1. *Vtrùm peccatum istud specie distinguatur ab altero quod posteriori præfato negatiuo præcepto opponitur?*
Sectio 2. *Vtrùm illud idem peccatum priori illi præcepto negatiuo oppositum habeat aliquas species, & quænam illæ sint?*
Sectio 3. *Vtrùm illæ tres species differant inter se essentialiter?*
Sectio 4. *Vtrùm infidelitatis illius in tres prædictas species diuisio sit sufficiens?*
Sectio 5. *An in eodem homine possint esse plures infidelitatis species?*
Sectio 6. *Quæ conditiones requirantur vt infidelitas habeat rationem hæresis quam à Iudaismo & Paganismo distinximus?*
Sectio 7. *Circa tertiam hanc conditionem non leuis controuersia proponitur, ac definitur.*
Sectio 8. *Soluitur grauis obiectio contra doctrinam præcedente sectione traditam.*

DISPVTATIO XXIX.

De peccato infidelitatis quod posteriori prædicto negatiuo præcepto opponitur.

Sectio 1. *Vtrùm liceat aliquo in casu negare seriò solis aut verbis, aut factis externis, veram fidem, falsámve profiteri?*
Sectio 2. *Vtrùm vsurpare res & actiones externas quibus infideles à fidelibus distinguũtur, sit semper & in omni casu peccatum infidelitatis contra prædictum præceptum negatiuum?*
Sectio 3. *Vtrùm omnis & qualibet fidei externa negatio sit peccatum infidelitatis eiusdem speciei?*

DISPVTATIO XXX.

Quodnam sit obiectum formale spei?

Sectio 1. *Quid sit sentiendum declaratur, & duobus argumentis probatur.*
Sectio 2. *Idem duobus aliis argumentis probatur.*
Sectio 3. *Duo obseruanda continens.*

DISPVTATIO XXXI.

Quodnam sit obiectum materiale spei?

Sectio 1. *De hoc obiecto prima assertio ponitur, & probatur.*
Sectio 2. *De eodem obiecto secunda assertio ponitur, & probatur.*
Sectio 3. *De eodem obiecto tertia assertio ponitur, & probatur.*

DISPVTATIO XXXII.

Proponuntur & soluuntur argumenta contra doctrinam de formali spei obiecto superius traditam.

Sectio 1. *Primi & secundi solutionem continens.*
Sectio 2. *Tertij & quarti argumenti solutionem continens.*
Sectio 3. *Quinti, sexti, & septimi argumenti solutionem continens.*

DISPVTATIO XXXIII.

Proponuntur & soluuntur argumenta contra doctrinam de materiali spei obiecto suprà traditam.

Sectio 1. *Primi & secundi solutionem continens.*
Sectio 2. *Quinque aliorum argumentorum solutionem continens.*
Sectio 3. *Non pauca consectaria continens.*

DISPVTATIO XXXIV.

Quodnam sit subiectum virtutis spei?

Sectio 1. *Vtrùm hac insit hæreticis, vtrùm fidelibus, vtrùm animabus Purgatorio detentis? vtrùm damnatis?*
Sectio 2. *Vtrùm insit beatis?*
Sectio 3. *Primam de proposita quæstione nostræ doctrinæ partem continens.*
Sectio 4. *Secundam de eadem quæstione nostræ doctrinæ partem continens.*
Sectio 5. *Tertiam de eadem quæstione nostræ doctrinæ partem continens.*

DISPVTATIO XXXV.

De peccatis virtuti spei oppositis.

DISPVTATIO XXXVI.

Vtrùm charitas sit amicitia?

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrùm charitas sit aliquid creatum in anima?

DISPVTATIO XXXVIII.

An charitas virtus sit? an specialis? an vna virtus sit? an virtutum præstantissima?

DISPVTATIO XXXIX.

Quo modo producatur charitas?

DISPVTATIO XL.

Vtrùm charitas possit augeri?

Sectio 1. *De augmento charitatis extensiuo.*
Sectio 2. *De augmento charitatis intensiuo.*

DISPVTATIO XLI.

Vtrùm charitas augeri possit in infinitum?

Sectio 1. *Vtrùm possit in infinitum & extensiue, & intensiue moraliter?*
Sectio 2. *Vtrùm augeri possit in infinitum intensiue physicè?*
Sectio 3. *Soluuntur duæ obiectiones.*

DISPVTATIO XLII.

Vtrùm charitas augeri possit per actus?

DISPVTATIO XLIII.

Vtrùm charitas habitualis augeri meritoriè possit per actus hoc habitu intensiores?

Sectio 1. *Pars affirmatiua defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Altera ad propositum argumentum responsio refellitur, & vera subiicitur.*

DISPVTATIO XLIV.

Vtrùm per actus charitatis æquales habitui ipse charitatis habitus augeatur?

Sectio 1. *Refertur & refellitur prima de hac quæstione sententia.*
Sectio 2. *Duæ aliæ de eadem quæstione sententiæ referuntur, & refelluntur, quibus vera subiicitur, & probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XLV.

Vtrùm charitas habitualis per actus charitatis hoc habitu remissiores augeatur?

Sectio 1. *Pars affirmatiua probatur.*
Sectio 2. *Eadem pars affirmatiua duplici præterea argumento probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XLVI.

Vtrùm charitas habitualis per continuationem actus charitatis augeatur?

Sectio 1. *Pars affirmans defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Eadem pars affirmans triplici præterea ratione probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur argumenta duo contra doctrinam traditam.*
Sectio 4. *Proponitur tertium, omniumque grauissimum contra eandem doctrinam argumentum, & prima ad illud responsio refertur, ac refellitur.*
Sectio 5. *Secunda ad idem argumentum responsio refertur, & refellitur.*
Sectio 6. *Tertia ad idem argumentum responsio refertur, & refellitur.*
Sectio 7. *Continens præsupponenda ad veram propositi argumenti solutionem.*
Sectio 8. *Continens priorem ex duabus ad propositum argumentum responsionem.*
Sectio 9. *Soluuntur obiectiones contra datam præcedente sectione responsionem.*
Sectio 10. *Continens posteriorem ex duabus ad propositum argumentum responsionem.*

DISPVTATIO XLVII.

Vtrùm charitas habitualis eo plus, cæteris paribus, per charitatis actus augeatur, quo præstantiora per eos aliarum virtutum opera imperantur, & perficiuntur?

Sectio 1. *Pars affirmans defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Eadem pars affirmans altero ex ratione ducto argumento probatur.*
Sectio 3. *Vni obiectioni satisfit.*

DISPVTATIO XLVIII.

Vtrùm charitas habitualis per actus virtutum à charitate distinctarum augeatur?

Sectio 1. *Pars affirmans defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Refelluntur quæ huic nostro argumento respondentur.*
Sectio 3. *Eadem pars affirmans duobus præterea argumentis probatur.*

DISPVTATIO XLIX.

Quantum charitas habitualis augeatur per eos actus qui eius augmentum merentur?

DISPVTATIO L.

Vtrùm illud charitatis habitualis augmentum quod iusti bonis suis operibus promerentur, sit ipsis aliquando reipsa a Deo reddendum, & quandonam?

Sectio 1. *Reddendum aliquando defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Alterum ex duobus præcedentis sectionis initio relatis refellitur.*
Sectio 3. *Quo tempore detur à Deo iustis augmentum charitatis habitualis quod singulis suis bonis operibus promerentur?*

TRACTATVS DE IVSTITIA, ET IVRE.

DISPVTATIO PRIMA.

De obiecto materiali, & formali iustitiæ.

SECTIO PRIMA.

Prænotantur tria ad rem intelligendam necessaria.

NOTANDVM primò, Iustitiæ nomen hîc non sumi pro forma nobis inhærente, qua formaliter iustificamur seu sanctificamur, & emundamur ab omni peccato mortali: quo pacto sumitur à Concilio Tridentino multis locis, nominatimque sess. 6. cap. 7. dum ait, vnicam formalem nostræ iustificationis causam esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, iustitiam in nobis recipientes: neque pro quolibet actu siue secundùm se & obiectiue duntaxat, siue etiã formaliter bono seu honesto: quo modo sæpe sumitur in sacris Literis, nominatímq. Matth. 6. dum sic nos Christus admonet: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* & cùm cap. 3. sic idem ipse ad Ioannẽ Baptistam loquitur, *Sine modo, sic nos decet omnem implere iustitiam*: quo etiam modo sumpsit D. Anselmus in Dialogo de Veritate c. 13. dum iustitiã definiuit, rectitudinẽ voluntatis propter se seruatam: neque etiam pro actu quo leges obseruantur, quo pacto iustitia sumpsit Tullius lib. 1. de legibus, dum eã dixit esse obtemperationem legibus: neque etiam pro legib. ipsis: quo frequenter modo sumunt sacræ Scripturæ, vt cùm secundi libri Paralip. c. 7. sic dicitur: *Si feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, & iustitias meas iudiciáque seruaueris, firmabo thronũ regni tui.* & paulò pòst, *si autẽ auersi fueritis, & dereliqueritis iustitias meas, euellam vos de terra.* neq. itẽ pro aggregato virtutum omnium, quo sensu vsurpatur isto versiculo, *Iustitia in sese virtutes continet omnes.*

Nec deniq. pro qualibet virtute disiunctim ac seorsim, quo modo nonnunquam sumitur, vt notauit D. Chrysost. hom. 4. in Matt. & meritò, cùm iustitiæ, quæ particularis virtus est, & vna ex quatuor Cardinalibus, sit æqualitatem quadam fusè infrà declarandam seruare, quælibet autem virtus seorsim accepta seruet aliquam æqualitatem, quatenus eum, qui virtutis opus exercet, exæquat alicui legi seu regulæ, vt rectæ rationi, eíq. cõmensuratum facit. Sumitur ergo pro peculiari illa virtute, quæ prudentiæ, temperantiæ, & fortitudini annumeratur, ab iisdemq. distinguitur, quæ tanquam in species in commutatiuam distributiuamque diuiditur, & cuius proprium munus esse dicitur, ius suũ cuique tribuere: de qua Scriptura loquitur Sap. 8. verbis istis, *sobrietatem*, id est, temperantiam, & *sapientiam*, id est, prudentiam, *docet, & iustitiam, & virtutem*, id est, fortitudinem. Et quoniam iustitiæ sic sumptæ dicturi paulò post sumus, obiectum esse ius.

Notandum secundò, iuris quoq. varias esse significationes. Primò enim significat legẽ tam naturalem quam positiuam, siue diuinã, siue humanam: in hac significatione dicimus, parentib. honorem habere, rem alienam restituere, esse de iure naturali: sacramenta baptismi, pœnitentiæ, Eucharistiæ suscipere, esse de iure positiuo diuino: ieiunium vero quadragesimale seruare, esse de iure positiuo humano. Hinc secundò translatum est ad significandam ipsam legum scientiam, quam communiter Iurisprudentiam dicimus: quo modo sumpsit Celsus Iurisconsultus ius definiens, artem boni & æqui, id est, peritiam legum, quibus quid sit bonum & æquum declaratur, & præscribitur: sicut medicinæ nomen impositum primò ad significandum remedium, quod adhibetur infirmis ad morborũ curationem, translatum postea est ad significandã ipsam artem & scientiam remedij adhibendi, morbósque curandi. Tertiò significat ipsam iudicis sententiam, siue iustam, siue iniustam: hanc enim dum profert, ius dicere, communiter dicitur. Quartò locum quoque ipsum, in quo ius dicitur, quo sensu dicitur quis rapi, vel trahi in ius, in iure comparere, vt art. 1. quæst. 57. docet D. Thom. in resp. ad 1.

Atque cùm hę quatuor iuris acceptiones nihil aut parum conferant ad obiecti iustitiæ, quod hîc inuestigamus, cognitionem comparandam, duæ quæ sequuntur nc ad eam conducunt, vt ex iis bene intellectis ea comparari possit, sine iisdem non possit. Quintò ergo ius significat facultatem seu potestatem, quam quis habet, ali-

quid ita faciendi, vt ab alijs impediri non debeat, nec licitè possit: quo sensu dicimus eum, qui vim vi repellit, iure suo vti. Sextò, id quod iustum est, quam esse primam & maximè propriam iuris significationem docet idem sanctus Doctor in citata ad 1. resp. Greg. à Valent. hîc punct. 1. aliique Theologi cum Dom. Soto lib. 3. de Iustitia & Iure, quæst. 1. art. 1. Porro iusti nomine non hîc intelligimus vel in genere id, quod æquum seu bonum & honestum est, vel in specie illud omne siue coniunctim siue diuisim, quod æqui seu boni ac honesti rationem obtinet: sed illud tantùm opus, quod secundùm quandam æqualitatem alteri commensuratum & debitum est. Cuius rei clariùs explicandæ gratia,

I.

Notandum tertiò in hoc opere, quod iustum dicimus, reperiri duo: primum est, quòd sit æquale & commensuratum alteri: secundum est, quòd sit debitum: illa porro æqualitas & commensuratio attendenda est per comparationem ad ius alterius, sumendo ius in quinta significatione, nimirum pro prædicta facultate seu potestate: tunc enim solùm dicitur opus iustum seu æquale & commensuratum alteri, seu iuri alterius, quando complet & adæquat ius ipsius. Exempli causa, creditor habet ius à debitore exigendi centum aureos, debitor autem eos creditori reddit, opus istud reddendi iustum dicitur, seu æquale ac commensuratum iuri creditoris, quia perfectè complet & adæquat totum ius, quod habebat creditor: ius enim istud erat ad centum aureos recipiendos, non plus, aut minus, redditione centum aureorum perfectè completur & adæquatur. Idem autem opus, quod iustum seu iuri alterius æquale dicimus, eidem quoque debitum est: tanta enim inter illud ius & istud debitum connexio est, vt si vnum adsit, aut absit, & alterum adesse, aut abesse sit prorsus necessarium, dummodo sermo sit, vt est, de solo illo debito & iure, quod à iustitiæ virtute, de qua hîc agimus, respicitur, & per ordinem ad quod tanquam ad obiectum illa suam essentiam obtinet, eo sensu quo infrà declarabimus.

II.

III.

Nullum enim in me sit debitum persoluendi tibi centum aureos, nullum potes habere ius eos à me exigendi: & vice versa, nullum in te sit ius exigendi eos à me, nullum potest in me esse debitum tibi eosdem persoluendi: alioqui si te nullum ius habente aduersus me, posset in me debitum esse, possem peccare contra iustitiam, & non possem, quæ manifesta contradictio est: possem quidem, quia possem pro libertate mea non satisfacere huic obligationi seu debito ad iustitiam pertinenti, sicque contra eam peccare, cùm eo ipso quo quis non satisfacit debito seu obligationi virtutis alicuius, cõtra virtutem illam peccet: non possem autem, quia peccatum contra iustitiam est iniuria alicui facta, iniuria verò est violatio iuris alieni: vbi autè ius alienũ nullum est, nulla eius violatio esse potest, nulla ergo iniuria, nullúmq. proinde peccatum contra iustitiam. Vice versa autem, si te ius habente, nullum haberem debitum, eadem quoq. sequeretur contradictio: nam peccare possem contra iustitiam, quia possem violare ius tuum, iuris autem tui violatio, iniuria tibi facta est, & hæc peccatum contra iustitiam est: non possem autè contra eam peccare, quia vbi nullum est ex aliqua virtute debitum seu obligatio alicuius operis faciendi, vel non faciendi, ibi operis istius cõmissio vel omissio nullum potest esse contra virtutem illam peccatum, vt inductione certũ est.

IV.

A

V.

Præter hanc autem inter prædictum ius & debitum connexionem, duo sunt insuper ad clariorem vtriusque intelligentiam obseruanda. Primum est, ius illud esse prius isto debito, non ea tantùm prioritate, qua quæ perfectiora sunt, dicuntur esse priora imperfectioribus, cùm per se satis notum sit, esse perfectius, habere ius ad aliquid vel acquirendum, vel retinendum, vel simili modo faciendum, quàm habere debitum ad idem vel reddendum, vel dimittendum, denique ad vsum talis iuris seu potestatis non impediendum: sed etiam ea prioritate, qua solemus ea priora dicere, quæ habent instar causæ alicuius aliqua alia à se dependentia, quæ prioritas naturæ dicitur: ius enim illud respectu debiti istius ita se habet, vt hoc ab illo sit aliquo modo dependens, at non vice versa: ideo enim debitum in me est, quia ius in illo est, non autem è conuerso, ideo ius in illo est, quia in me debitum est. Exempli causa, ideo debitũ in me est non impediẽdi ne quis vim vi repellat, quia ius habet vim vi repellendi: nõ vice versa, ideo ius istud habet, quia illud debitum in me est. Similiter ex præsuppositio contractu venditionis & emptionis inter duos inito, ideo in venditore debitum est tradendi emptori equum suum, quia in hoc ius est ad illam equi traditionem: non è contrario, ideo in eo ius istud est, quia debitum illud in illo altero est: quod & constat exẽplo iuris, quod habet Rex, comparati cum debito subditorum: ius enim Regis inducit debitum & obligationem in subditos: at non vice versa debitum subditorum ius Regis inducit, sed præsupponit.

VI.

B

VII.

C

Ex quo concludes, ius pro suprà dicta facultate seu potestate sumptum esse prius iure vsurpato pro opere iusto, quod secundùm quandam æqualitatem est alteri debitum: tum quia prius est isto debito, vt ostendi, ergo & prius opere iusto quatenus includit hoc debitum: tum quia prius est æqualitate hac inclusa essentialiter in ratione istius iusti operis, ergo & opere iusto æqualitatem hanc includente: æqualitate autem ista prius est, quia, vt suprà docui, æqualitas hæc nec est, nec attenditur, nisi per comparationem ad ius pro prædicta facultate seu potestate acceptum, quod opere illo iusto perfectè cõpletur, & adæquatur: notũ autem per se est, præsupponi necessariò debere & præconcipi tanquam aliquid prius id, cui aliquid exæquatur & commensuratur, quàm intelligatur res exæquari ei & commensurari.

VIII.

D

Secundum ex duobus est, ius prædictum non modò prius esse debito, sed etiam esse mensurã debiti istius, nec vice versa debitum istud esse mensuram iuris illius: seu quod eodem recidit, ex quantitate iuris esse æstimandam & metiendam quãtitatem debiti, non è conuerso ex quãtitate debiti, quantitatem iuris: sicut enim debitum ex iure nascitur, non ius ex debito, ita quãtitas debiti ex quantitate iuris, non quantitas iuris ex quantitate debiti oritur.

SECTIO II.

Quodnam sit obiectum materiale iustitiæ declaratur, & probatur.

VERA sententia est, obiectũ materiale iustitiæ esse ius sumptum pro opere externo iusto, quod secundum quandam æqualitatẽ alteri debitum est. Ita D. Tho. citatæ qu. 57. art. 1. ius pro iustitiæ obiecto assignans, & de materiali haud dubiè agens, quod propterea quæst. sequenti art. 10. & 11. materiam appellat: iuris autem nomine nihil aliud quàm prædictum opus externum iustum intelligens, vt eius verba satis apertè significant. Ita etiam, & quidem clariùs, quæst. sequenti citatis articulis asserens in Corpore disertis verbis, iustitiæ materiã, seu, quod idem est, obiectum materiale esse operationem exteriorem, secundùm quod ipsa, vel res qua per eam vtimur, proportionatur alteri personæ ad quam per iustitiam ordinamur: quorum verborum hic sensus est, iustitiæ materiale obiectum esse operatiònem externam iustam, seu iuri alterius adæquatam & commensuratam, siue ipsa per se & ratione sui sit illius iuri adæquata & commensurata, vt est actio qua verbis restituitur fama quæ priùs ablata fuerat, tantúmque restituitur, quantum ius illius cui erepta fuerat, exigebat: siue ratione rei qua per actionem illam externam vtimur, vt est actio qua centum aurei furto sublati restituuntur: quæ externa actio ratione centum illorum aureorum valorísque eorum quibus per eam vtimur, seu circa quos per eam versamur, adæquat & complet totum ius quod habebat in furem is cui fuerant furto erepti centum illi aurei.

I. A

II. B

Probatur primò hac ratione. Illud est obiectũ materiale alicuius virtutis, siue intellectualis, siue moralis in voluntate sedẽ habẽtis, circa quod versatur immediatè proprius eius actus, siue in intellectu, siue in voluntate receptus, tãquã circa propriũ materiale obiectũ: atqui iustitiæ, quæ moralis virtus est, & in voluntate sedẽ habet, proprius actus in voluntate receptus versatur immediatè circa prædictũ opus externum iustũ, tanquam circa proprium materiale obiectũ: ergo hoc opus materiale virtutis iustitiæ obiectũ est. Maioris veritas constat in primis inductione per virtutes omnes, siue intellectuales, siue morales, siue naturales & acquisitas, siue supernaturales & infusas: exẽpli gratia, proprius fidei diuinæ quæ in intellectu est actus, est assensus datus propter authoritatem Dei reuelantis: hic autem assensus cùm immediatè versetur tanquam circa materiale obiectum, circa res à Deo reuelatas, hæ quoque res sunt obiectum materiale virtutis fidei, quæ in intellectu est, & ita de cæteris.

III. C

IV. D

Ratio autem à priori est, quòd virtutes, siue in intellectu, siue in voluntate existẽtes, nullum aliud habere possunt obiectũ materiale, quam illud, quod est obiectum materiale propriorum actuũ in intellectu & voluntate immanentium quos efficiũt, cùm in obiecta sua materialia ferri non possint immediatè per se, sed solùm mediatib. propriis suis actibus: quò fit, vt horum actuũ & illarum virtutũ idem obiectum materiale esse debeat. Minorẽ probo: proprius enim virtutis iustitiæ actus in voluntate receptus & immanẽs est volitio tribuendi vnicuique quod suũ est: ille autẽ volitionis actus immediatè versatur tanquam circa obiectum materiale suum, circa actum externum quo ius suum vnicuique tribuitur: hic autem actus est ipsissimum opus externum iustum quod alteri secundùm iuprà declaratam æqualitatem debitum est.

Probatur secundò hac altera ratione. Omnis virtus quæ consummatur in externo opere, habet pro materiali obiecto suo actũ illum externũ in quo cõsummatur: atqui iustitia virtus est quæ consummatur in externo opere: ergo pro obiecto suo materiali habet actũ illum externũ in quo cõsummatur: atqui nõ consummatur in alio opere externo, quã in prædicto iusto quod secundùm æqualitatem alteri debitũ est: igitur opus hoc externũ iustum eius obiectũ materiale est. Maioris veritas cõstat in primis inductione per virtutum omnium, imò etiam vitiorum habitus, qui in externo opere consummari dicuntur, quorum habituũ nullus reperietur habere pro obiecto materiali quidquam aliud, quàm actũ externũ in quo cõsummari cẽsetur. V.

VI. Ratio autem à priori iam allata est in probatione Maioris superioris argumẽti, quòd nimirũ obiectum materiale alicuius habitus, siue virtutis, siue vitij, aliud non sit, quàm id in quod proprius eius actus tẽdit immediatè tanquã in obiectũ suum materiale: proprius autẽ cuiuslibet habitus, siue virtutis, siue vitij, qui exterius cõsummatur actus, in eodẽ in quo ipse habitus subiecto receptus, semper immediatè tendit in actum illum externum, tanquã in materiale obiectum, in quo ille habitus consummari censetur: proprius enim ille illorum habituum actus alius non est, quàm volitio illius externi operis, quod proinde opus externum illius internæ volitionis obiectum materiale est.

VII. Minor est certissima: sicut enim tunc misericordia, vel tẽperantia, vel iniustitia, inchoata tãtùm cẽsetur, cùm est volitio miseriã subleuãdi, tẽperatè comedendi, furandi, occidendi, & nec dum adest externa miseriæ subleuatio, tẽperata comestio, furtũ, homicidium, cõsummata autẽ tunc est, cùm externa ista operatio illi internæ volitioni reipsa cõiungitur: ita tunc tãtùm inchoata iustitia est, cùm est volitio rẽ furto ablatã restituendi, ius deniq. suum cuiq. reddendi, nec dum autem adest externa restitutio, & iuris cuiq. sui redditio: tunc autem consummata est, cùm hęc exterior operatio interiori illi volitioni copulatur: ex quo propositionis in hac nostra ratione subsumptæ veritas patet.

VIII. Probatur postremò hoc argumento. Iustitiæ obiectũ materiale aliud esse nõ potest quàm vel opus externũ iustũ quod a nobis assignatũ est, vel res quib. per hoc opus vtimur, seu circa quas opus istud tãquã circa materiã exercetur: atqui nõ illæ res: ergo prædictum opus. Maior certa est, tũ ex cõmuni consensu Theologorũ, quorũ nullus vllum aliud iustitiæ obiectum agnoscit quàm alterũ ex prędictis duobus: tũ ex eo quòd nulla est legitima ratio aliquod aliud agnoscẽdi: sicut si de temperantiæ, misericordiæ, similiúmque habituum, qui exterius cõsummãtur, de quorum numero est iustitia, vt ostendimus, obiecto materiali sermo sit, nullum aliud pro-

babiliter assignari potest, quàm vel opus externum in quo consummantur, vel res quibus illo opere externo vtimur, quæ sunt cibus & potus, pecunia, frumentum, & similes.

Minorem probo inprimis exemplo virtutum istarum, similiúmque quæ exteriùs consummantur, quarum obiectum materiale non
I. aliud est, quàm opus illud externum in quo consummantur, non autem res prædictæ quibus externo illo opere vtimur: nominatim autem probo exemplo virtutis religionis, cuius obiectum materiale non solùm non est persona cui per sacrificium & oblationem victima vel quid aliud offertur, sed ne ipsa quidem victima, aut huiusmodi alia res quæ offertur, sed ipse externus sacrificandi & offerendi actus: cultus enim Dei qui est obiectum materiale religionis, non est vel ipsa persona Dei cui sacrificatur, vel illa res quæ sacrificatur, sed ipse externus sacrificandi & offerendi actus, ad quem, vt ad obiectum suum materiale, tendit internus & proprius actus ipsius virtutis religionis.

Probo deinde exemplo vitij iniustitiæ, cu-
II ius obiectum materiale non sunt res circa quas externus iniustitiæ actus exercetur, vt res alienæ quæ furto eripiuntur, sed ipsa externa furandi actio, aliáque similis qua ius alterius violatur: quod pari iure sentiendum est de quibuslibet aliis habitibus vitiosis qui in externo opere consummantur, sicut & prædictus iniustitiæ habitus: nullus enim istorum habituum pro materiali obiecto reperietur habere res circa quas actio externa in qua consummatur, exercetur, sed ipsam externam actionem.

Quæ omnia confirmantur ex eo quòd essentiales definitiones prædictorum habituum, siue virtutum, siue vitiorum, qui cõsummantur exteriùs, nunquam immediatè traduntur per prædictas res tanquam per obiecta, sed per opera illa externa quæ circa res istas táquam circa
III. materiam exercentur: vt videre est ex definitione iustitiæ tradita à Philosopho lib. 5. Ethic. cap. 1. eam definiente habitum ex quo ad agendas res iustas hómines idonei efficiuntur: ex ea quoque quam de eadem tradunt Iurisperiti, dicentes eam esse constantem perpetuámque voluntatem ius suum cuique tribuendi: quam eorum definitionem Theologi recipiunt, nominatímque D. Thom. art. 1. 58. quæstionis. Quare cùm idem S. Doctor dicit aliquando iustitiæ materiam esse res illas quæ commutantur, & distribuuntur, non de materia proxima intelligendus est, sed de remota, circa quam versantur ipsa externa commutationis & distributionis opera, quæ sunt proxima & immediata iustitiæ materia, vt probatum est.

Atque cùm hactenus satis probatum sit,
IV. opus externum iustum esse materiale iustitiæ obiectum, restat solùm aduertendum, huius externi operis nomine comprehendi non eum tantùm externum actum qui physicus & realis actus est, sed etiam illum, qui cum physicè & realiter non sit actus, sed potiùs negatio physici & realis actus, moraliter tamen & interpretatiuè censetur actus: iustitiæ enim virtus per proprium & internum actum suũ tam in hos quàm in illos externos actus tendit, vt in obiectum suum materiale, nec minùs in his externis actib. aliquando, quàm in illis aliis consummatur: vnde qui positiua volitione vult, v. c. non furari, non occidere, & reipsa nõ furatur, non occidit, non minùs denominatur iustus, & ex iustitia agere, quàm qui positiua volitione vult alienam pecuniam restituere, & reipsa restituit, cùm tamen huius posterioris volitionis obiectum ma-
A teriale sit hæc externa restitutio, quæ physicus V.
& realis actus est, illius autem prioris obiectum materiale sit negatio actus externi furandi, aut occidendi, quæ moraliter & interpretatiuè censetur actus.

Ex dictis concludes, æqualitatem quæ est in rebus quæ commutantur, aut distribuuntur, nõ posse esse formale obiectũ iustitiæ, cuius tamen oppositũ nonnulli Theologi sensisse videntur. Cùm enim obiectum formale alicuius habitus necessariò debeat aliquo modo afficere proximè & immediatè obiectum materiale eiusdem habitus, vt inductione notum est, rerum autem illarum æqualitas illas quidem res immediatè afficiat, sed illæ non sint obiectum materiale iu-
B stitiæ, vt probatum est, opera verò externa quæ VI.
circa res illas exercẽtur non afficiat proximè & immediatè, hæc autém opera sint eius obiectum materiale, vt probatum item est: consequens est, æqualitatem illam formale iustitiæ obiectum esse non posse.

Adde quòd illa sola est formalis ratio obiecti alicuius habitus, qua sola posita aut intellecta in obiecto materiali, cæteris omnibus aut re aut mente sublatis, ponitur adhuc aut intelligitur obiectũ circa quod verus & proprius illius habitus actus exerceri potest, & qua sola, vel re vel mente sublata, cæteris omnibus positis, huiusmodi obiectũ nec ponitur, nec intelligitur: talis autẽ nõ est prędicta rerum quæ cõmutantur aut distribuũtur æqualitas. In primis enim fieri potest, vt perfecta reperiatur æqualitas inter res quæ cõmutantur, nec tamen verus tunc iustitiæ
C actus exerceri possit, imò non nisi positiuus & VII.
realis iniustitiæ actus possit: vt cùm quis sine voluntate domini rem alienã accipit, & huius rei domino rem aliam vt pecuniã æqualis valoris tribuit: quo casu reperitur omnimoda inter res commutatas æqualitas, nec tamen tunc verus iustitiæ actus circa eas potest exerceri, imò qui exercetur, non nisi iniustitiæ actus esse potest.

Deinde è cõtrario potest euenire, vt nulla existẽte rerũ quæ cõmutentur æqualitate, ponatur obiectum iustitiæ, circa quod verus & proprius huius virtutis actus exerceri possit, vt reipsa euenit, cũ res deposita ei qui deposuit redditur: hæc enim redditio proprius iustitiæ actus est, aut esse potest, nec tamẽ in ista redditione interuenit rerũ cõmutatarũ æqualitas, cùm hæc esse
D nequeat nisi inter res numero diuersas, hîc autẽ VIII.
sit vnius rei indiuiduæ & singularis vnitas, sine qua etiã vnitate prædicta redditio actus iustitię esse nõ posset, sed esset iniustitiæ. Ex quo patet, quòd licet ad actum iustitiæ requiratur aliquando rerum quæ commutãtur æqualitas, vt cùm ex supposito contractu venditionis & emptionis frumentum pro pecunia cõmutatur, nõ tamẽ semper ad eum necessaria est, nec proinde ad iustitiæ obiectum, cùm nullus eius actus nisi circa eiusdem obiectum possit exerceri.

SECTIO III.

Quodnam sit obiectum formale iustitiæ declaratur, & probatur.

I. VERA sententia est, obiectum formale iustitiæ esse prædictum opus externum alteri debitum & æquale iuri ipsius, quatenus tale est. Ita Theologi communiter, plerique quidem in hoc obiecto assignando diuersimodè loquentes, idem tamen in re quod nos hic asserentes. Probatur autem 1. hac ratione. Illud est obiectum formale alicuius habitus, siue in intellectu, siue in voluntate sedem habentis, ex quo dũ mouetur siue intellectus, siue voluntas in propriis suis internis actibus circa materiale eiusdẽ habitus obiectum exercendis, exercet veros & proprios huius virtutis actus: atqui dum mouetur voluntas à prædicto opere quatenus tale est, ad internos suos volitionis actus circa materiale iustitiæ obiectum exercẽdos, exercet veros & proprios huius virtutis actus: ergo prædictũ

II. opus, quatenus tale est, est obiectum formale virtutis istius. Maioris veritas constat inductione per omnes habitus, siue intellectus, siue voluntatis, siue vitiorum, siue virtutum, siue Theologicarum, siue purè moralium, siue naturalium & acquisitarum, siue supernaturalium & infusarum. Exempli causa, quoniam materiale habitus fidei diuinæ in intellectu existentis obiectũ est res à Deo reuelata, quando autem ad assensum circa rem hanc eliciendum mouetur intellectus ab authoritate Dei reuelantis, verum & proprium huius habitualis fidei actum elicit, ideo verè dicitur hæc authoritas Dei reuelantis esse formale obiectum fidei illius habitualis.

Ratio autem à priori est, quòd omnino necessarium sit, illud ipsum, quod est motiuum siue intellectus, siue voluntatis proprios & veros

III. actus alicuius habitus exercentis, esse etiam formale obiectum eiusdem habitus: quãdoquidem vna ex parte illi actus ex tali motiuo eliciti, sint proprij actus illius habitus, ex alia verò, non sint, nec esse possint veri & proprij actus habitus illius, nisi fiat ex formali obiecto ipsius, cùm ideo solùm dicantur esse, vel non esse proprij eius actus, quòd fiant, vel non fiant ex vero & proprio eius obiecto formali.

Iam probo Minorem: dum enim voluntas vult opus externum alteri debitum & æquale iuri ipsius, quod materiale iustitię obiectum est, & ad hoc volendum mouetur ab hoc opere externo quatenus tale est, exercet haud dubiè actum veræ virtutis: exercet enim volitionem quæ fertur in id quod honestum est, & gratia ipsius honesti, seu propter ipsum honestum: quo nihil amplius ad actum verę virtutis requiri potest: nam fertur in opus externum alteri debitũ

IV. & æquale iuri ipsius, quod opus per se & secundùm se obiectiuè bonum seu honestum est, ac rectæ rationi consentaneum, & fertur in ipsum propter ipsum, & per consequens in honestum propter honestum, quandoquidem mouetur ad illud opus volendũ ab ipso opere quatenus tale opus est: non exercet autem alterius virtutis quàm iustitiæ: non enim temperantiæ, fortitudinis, misericordiæ, aut alterius similis à iustitia diuersæ, vt certum est.

A B C D

Probatur 2. hac altera ratione. Omnis virtus moralis, cuius obiectum materiale secundùm se obiectiuè bonum seu honestum est, habet pro obiecto formali illud ipsum obiectum materiale quatenus tale est: atqui iustitia virtus moralis est, & habet pro obiecto materiali opus externum alteri debitum, & æquale iuri ipsius, quod opus secundùm se obiectiuè bonum seu honestum est: ergo formale eius obiectũ est illud ipsum opus quatenus tale est. Minor tres partes habet, quę omnes ex dictis certæ sunt. Maiorem probo inductione per virtutes omnes morales, quarum nulla reperietur pro materiali obiecto suo habere aliquid quod secundùm se sit obiectiuè bonum seu honestum, quæ non idem obiectũ, quatenus tale est, pro formali habeat. Ratio autẽ à priori est, quod quoties datur aliqua res quę est alicuius virtutis obiectum materiale, quæque secundùm se bona obiectiuè seu honesta est, toties aliquis actus volũtatis ferri potest immediatè & proximè in rem illam propter ipsam: quodlibet enim bonum honestum, quâ honestum, natura sua à voluntate propter se amabile & gratia sui appetibile est: actus autem ille voluntatis cùm feratur, vt patet, in id quod honestum est, & propter ipsum honestum, virtutis alicuius actus est: cuius autem alterius virtutis erit verus & prius actus, quàm eius, quæ pro obiecto suo materiali habet rem illam secundũ se obiectiuè bonam seu honestam, circa quam versatur iste prædictus voluntatis actus? habet ergo virtus illa pro materiali obiecto suo rem illam secundùm se obiectiuè bonam seu honestam, & pro formali specialem & propriam quã hæc res habet honesti boni rationem, seu quod idem est, hanc eandem rem quatenus talis est.

V. VI. VII. VIII.

At dices ex hac secunda ratione concludi, cuiuslibet virtutis moralis pro materiali obiecto rem aliquam secũdùm se obiectiuè bonam, seu honestam habentis, semper & necessariò materiale & formale obiectum esse à parte rei vnam eandémque rem, sicq. consequens fore, vt nullus possit circa eam actus exerceri, qui non feratur in ipsam tanquam in obiectum materiale & formale, quique proinde non sit semper actus veræ virtutis: quod tamen certissimè falsum est, cùm fieri possit, & sæpè fiat, vt circa rem aliquã obiectiuè bonam ac honestã exerceatur aliquis actus vitij, vtpote qui prauo ex fine seu motiuo exercetur.

Sed respondeo illud quidem ex prædicta ratione rectè concludi, sed ex hac conclusione nõ fore consequens quod dicitur: licet enim vna eadémq. res & obiectum materiale & formale esse possit, minimè tamen necessariũ est, vt omnis actus qui fertur in ipsam tanquam in obiectum materiale, feratur in eandem tanquam in formale: fertur enim in illã voluntatis actus tãquam in obiectũ materiale, quando est id quod per hunc voluntatis actum appetitur: tunc autẽ solùm fertur in eandẽ tanquã in obiectum formale, quando gratia sui, seu propter seipsam appetitur, seu, quod idẽ est, quando eadẽ res quæ appetitur, est motiuum quo voluntas mouetur ad huius ipsius rei appetitionem eliciendam. Cũ autem non sit necessarium, nec semper contingat, vt res quæ appetitur, gratia sui, seu propter seipsam appetatur, sed ex alio fine seu motiuo

possit appeti, & reipsa frequenter ita fiat, consequens est, non esse necessarium, vt licet vna eademque res obiectum materiale & formale respectu alicuius actus esse possit, sit tamen obiectum formale illius omnis actus, cuius obiectum materiale est.

SECTIO IV.

Continens propositionem triplicis difficultatis circa iustitiæ obiectum, cum aliarum virtutum obiectis comparatum.

HVIC triplici difficultati dedit occasionem D. Thomas quæst. 57. in corpore primi articuli, ponens inter obiectum iustitiæ aliarumque virtutum discrimen istud, quòd nimirum rectum seu honestum quod est in opere virtutum aliarum, & in quod tendit quælibet earum, tanquam in proprium obiectum, non accipitur nisi per comparationem ad agentem: rectum verò seu honestum quod est in opere iustitiæ, & in quod hæc tendit tanquam in obiectum proprium, præter comparationem ad agentem, constituitur quoque per comparationem ad aliud: ex quo postea concludit, posse aliquod opus dici iustum seu habens rectitudinem & honestatem iustitiæ, etiamsi non consideretur qualiter ab agente fiat: at aliarum virtutum opera, quæ sunt earum obiecta, non posse dici recta seu honesta rectitudine seu honestate propria virtutum earundem, nisi considerentur secundùm aliquem modum quo ab agente efficiuntur.

Ex hac enim doctrina nascitur hæc prima difficultas, vtrùm istud discrimen rectè verèque sit assignatum. Deinde hæc secunda, vtrùm ista conclusio rectè ex illo discrimine tanquam ex antecedente inferatur. Tertia, vtrùm consequens per hanc conclusionem seu illationem illatum, habeat veritatem?

Et quidem quod ad primam difficultatem attinet, non videtur discrimen illud verè assignatum: quia rectum quod est in opere iustitiæ non videtur sumi per comparationem ad operantem, sed solùm per comparationem ad aliud, videlicet ad ius alterius, cui dum opus debitum & æquale fit, opus istud esse iustum, habénsque proinde rectitudinem honestatémque iustitiæ censetur, eo ipso præcisè quo tale opus est, id est, alteri debitum, & æquale iuri ipsius.

Quòd verò spectat ad secundam, nec bona quoque videtur illa conclusio seu illatio: ex eo enim quòd rectum in opere iustitiæ existens constituatur per comparationem non ad operantem solùm, sed etiam ad aliud, rectum verò quod est in operibus aliarum virtutum constituatur per solam comparationem ad operantem, inferri rectè non potest, rectum quod in aliarum virtutum operibus est, ipsis non inesse, nisi considerentur secundùm aliquem modum quo fiunt ab agente: at rectum quod est in opere iustitiæ, inesse ipsi, etiamsi non consideretur secundùm vllum modum quo ab agente fiat: tantùm enim inferri inde rectè poterat, rectum quod est in opere iustitiæ, non posse constitui sine ordine ad alterum: non verò poterat simul inferri, posse constitui sine ordine ad operantem, seu quod eodem recidit, sine consideratione modi alicuius secundùm quem fiat ab operante: imò potiùs inferendum erat, constitui tam per illum ordinem ad alterum, quàm per istam modi alicuius secundùm quem fiat ab operante considerationem.

Quòd denique spectat ad tertiam, non videtur illud consequês habere veritatem: vel enim nomine rectitudinis seu honestatis operum illorum, quorum in illa conclusione mentio fit, intelligitur rectitudo seu honestas formalis, vel tantùm obiectiua seu materialis: si formalis, falsum est in operibus vllius virtutis rectum reperiri sine respectu ad operantem, seu quod idem est, etiamsi non considerentur secundùm aliquem modum quo ab operante exerceantur: formalis enim rectitudo seu honestas illis operibus inesse non potest, nisi certo quodam modo ab operante fiant, nempe nisi fiant intuitu & gratia honestatis, & in hac parte nulla erit inter iustitiam & eius obiectum, intérque virtutes alias & earum obiecta differétia: sicut enim in propriis harum operibus, sic in opere iustitiæ nulla formalis inesse potest honestas seu rectitudo, nisi fiat gratia & intuitu honestatis: & sicut in aliarum virtutum operibus specialis & propria virtutibus istis formalis honestas esse non potest, nisi hæc opera fiant intuitu & gratia specialis illius honestatis, quæ iisdem ipsis virtutibus propria est, ita nec operi iustitiæ inesse potest specialis illa formalis honestas quæ virtuti isti propria est, nisi fiat intuitu & gratia honestatis huius specialis.

Quòd si obiectiua seu materialis, falsum erit aliarum virtutum opera non posse dici recta seu honesta, nisi considerentur secundùm aliquem modum quo fiant ab operante: etsi enim ab eo non fiant, nec considerentur fieri gratia & intuitu honestatis, imò etsi fiant aut fieri intelligantur intuitu & gratia finis alicuius indifferentis, aut etiam mali, habebunt adhuc propriam suam materialem obiectiuámque rectitudinem: externa enim moderata vel cibi potúsque sumptio, vel periculorum aggressio, quæ est materiale obiectum vel temperantiæ, vel fortitudinis, quocunque ex fine seu motiuo fiat, etiam indifferenti, aut prauo, semper est obiectiuè seu materialiter bona, sicut & externa eleemosynæ erogatio, etiam tum materialiter & obiectiuè bona est, cùm fit ex vana gloria, aut fine alio malo.

Qua in re rursus nullum erit inter iustitiam eiúsque obiectum, & inter alias virtutes earúmque obiecta discrimen: nam sicut externũ opus, quod materiale iustitię obiectum est, suam semper habet rectitudinem materialem & obiectiuam, quocunque ex fine seu motiuo fiat, quia semper bonum & honestum est, obiectiua scilicet & materiali bonitate & honestate, suum cuique tribuere, ita & externa opera, quæ sunt aliarum virtutum obiecta materialia, suam, vt dixi, semper eadémque de causa habebunt rectitudinem seu honestatem materialem & obiectiuam, quocunque ex fine seu motiuo exerceantur: & vice versa, sicut hoc in operibus virtutum istarum euenit, ita & idem prorsus accidet in externo iustitiæ opere, vt ostendi, & expresè docuit Philosophus 2. Ethic. cap. 3.

I. II. III. IV. A B C D V. VI. VII. VIII.

dicens hominem non ſemper iuſtè & temperatè operari, cùm facit iuſta, & temperata (ac proinde bona & honeſta, obiectiua ſeu materiali bonitate ac honeſtate iuſtitiæ, & temperantiæ) ſed tum ſolùm, cùm ea facit propter ipſa, ſeu propter ipſam temperantiæ iuſtitiæque honeſtatem.

I.

SECTIO V.

Vt triplex hæc difficultas ſoluatur, nonnulla præſupponuntur.

AD difficultatum iſtarum explicationem, præſupponendum primò ex morali Philoſophia, virtutum alias eſſe quibus homo dicitur perfici in ordine ad ſeipſum, cuiuſmodi ſunt tẽperantia, fortitudo, & ſimiles, alias verò quibus in ordine ad alterum, cuiuſmodi iuſtitia eſt: cui cùm proprium ſit hominem rectè afficere ad ſeruandam quandam erga alios homines æqualitatem, dicitur eo ipſo perficere hominem non in ordine ad ſeipſum, ſed ad alterum.

II. Supponendum ſecundò, non comparari hîc à nobis aut à D. Thoma iuſtitiæ obiectum, niſi cum obiecto virtutum illarum quibus homo in ordine ad ſeipſum perfici dicitur: ideo enim S. Doctor antequam ſuprà relatum diſcrimen inter iuſtitiæ aliarumque virtutum obiecta afferret, diſtinctionem præmiſit virtutum in eas quibus homo perficitur in ordine ad ſeipſum ſolum, & in illas quibus in ordine ad alterum.

Supponendum tertiò, tam harum, quàm illarum virtutum obiecta, quæ hîc inter ſeſe comparantur, eſſe quaſdam operationes externas, in quas tendunt tam hæ quàm illæ virtutes, tanquam in obiecta ſua materialia. Exempli cauſa comparari externum opus alteri debitum, & æquale iuri ipſius, quod rectum dicitur ſpeciali rectitudine, nẽpe ea quæ ad virtutem iuſtitiæ pertinet, cum externo opere quo moderatè vel cibum potumque ſumimus, vel pericula aggredimur, quod opus rectum quoque dicitur, & quidem ſpeciali rectitudine, ea nimirum quæ vel ad temperantiæ, vel ad fortitudinis virtutem propriè attinet.

III.

Supponendum quartò, duplicem in his ſingulis operibus ſpectari poſſe rectitudinẽ, vnam materialem ſeu obiectiuam, alteram formalem. Formalis ea eſt, quæ deriuatur in illud ab interno bono voluntatis actu qui tendit in honeſtum gratia honeſti: quæ proinde formalis rectitudo nunquam in illo opere eſt, quando nullus huiuſmodi præuius in voluntate actus exiſtit: materialis autem ſeu obiectiua dicitur ea quam habet ipſum opus præcisè ſecundùm ſe ſpectatum, etiam non intellecto præuio aliquo bono voluntatis actu qui feratur in honeſtum gratia honeſti, imò etiamſi iſtud opus externum fiat ex vi præcedentis alicuius volitionis vel indifferentis vel malæ moraliter: cuius obiectiuæ ſeu materialis rectitudinis ſeu honeſtatis exempla multa paulò antè poſuimus.

IV.

Supponendũ quintò, illud omne opus quod obiectiuè ſeu materialiter rectum ſeu honeſtũ eſt, ſemper quoque eſſe conforme rectæ rationi, ac proinde naturæ rationali ipſius operantis: eo enim ipſo quo illam habet rectitudinem ſeu honeſtatem, non poteſt hanc non habere pariter conformitatem. Sed in hoc opere obiectiuè recto duo nobis per formalẽ conceptum diſtinguenda ſunt, quæ à parte rei nullam habent in hoc ipſo opere, de quo agimus, diſtinctionem: primum eſt, ipſa conformitas operis iſtius cum recta ratione, à qua formaliter hoc opus conforme rectæ rationi denominatur, vt paries à candore formaliter candidus: ſecundum eſt, illud quod in hoc ipſo opere proximum fundamentum eſt prædictæ conformitatis, ſeu cauſa proxima, ob quam in tali opere dicitur eſſe præfata conformitas: illud autem in eo proxima eius cauſa cenſeri debet, quo primùm poſito ea ponitur, etſi cætera omnia tollantur, & quo primùm ſublato, tollitur, etſi cætera omnia ponantur: quod quidem concipi debet aliquo modo priùs ineſſe illi operi, quàm eidem inſit conformitas prædicta, quandoquidem huius fundamentum ſeu cauſa eſt.

V.

Quæ duo à nobis, vt dixi, diſtinguenda quò faciliùs intelligantur, ponam in vno opere externo materialiter ſeu obiectiuè recto honeſtóque exẽplum, ex quo idem de cæteris omnibus huiuſmodi operibus intelligetur. Externus ergo iuſtitię actus alteri debitus & æqualis iuri ipſius, qui obiectiuè rectus eſt, rectæ quoque rationi conformis eſt, & proinde naturæ rationali ipſius hominis hunc actum exercentis: quo in actu diſtinguimus & hanc cum recta ratione conformitatem, & id quod in illo proxima eius cauſa eſt: quod quidem aliud nihil eſt, quàm ipſum opus æquale iuri alterius, quatenus tale eſt: ideo enim rectæ rationi conforme dicitur, quia eſt opus æquale iuri alterius: vnde ſtatim atque ponitur iſtius operis cum alterius iure æqualitas, ſtatim quoque cenſetur enaſci eiuſdem operis cum recta ratione conformitas, & cùm primùm illa tollitur, hæc emori: imò oriri in opere inæquali cum iure alterius, à recta ratione contraria prædictæ conformitati difformitas.

VI.

VII.

Supponendum vltimò, id quod in iſtis operibus obiectiuè rectis eſt fundamentum ſeu proxima cauſa prædictæ conformitatis, eſſe illud ipſum quod in iis Theologi rectum obiectiuè ſeu materialiter appellant: hócque proinde rectum eſſe quid illa conformitate prius: quod quidem meritò Theologi recti nomine appellant, quia id meritò in operibus illis rectum appellatur, in quod dum fertur voluntas propter ipſum, ſeu gratia & intuitu ipſius, hinc eius actus quo fertur, eſt actus veræ virtutis, habens in ſe formalem rectitudinem ſeu honeſtatem, tale autem eſt id quod in illis operibus prædictæ conformitatis proxima cauſa ſeu fundamentum eſt: qui enim vult opus externum, vel eleemoſynæ, vel moderatæ cibi potúſque ſumptionis, vel reſtitutionis rei alienæ, vel aliud ſimile, quod obiectiuè rectum ſeu honeſtum eſt, & vult propter ipſum opus quod ex ſe tale eſt, ſeu gratia & intuitu huius ipſius operis, etſi expreſsè nihil cogitet de cõformitate cum recta ratione quæ in iſto opere eſt, exercet nihilominus volitionem quæ formalem habet rectitudinem honeſtatémque, eſtque actus veræ virtutis, vel temperantiæ, vel miſericordiæ, vel iuſtitiæ, vel alicuius alterius.

VIII.

SECTIO VI.

Propositæ difficultates soluuntur.

I. HIs suppositis venio ad propositas initio quartę sectionis difficultates. Ad primam dico, discrimen à S. Doctore assignatum, ibidémque à me relatum, rectè ab illo assignatum fuisse: & ad allatam in contrarium rationem respondeo, rectum quod est in opere iustitiæ sumi per comparationem non tantùm ad ius alterius, sed etiam ad ipsum operantem, id est, præter ordinem & respectum quem ad ius alterius habet, habere quoque ad operantem ipsum, in quantum habet ordinem aliquem ad rectam rationem, & proinde ad ipsius operantis naturam rationalem, vt natura rationalis est: habet autem ordinem ad rectā rationem, cùm necessariò habeat cum ea conformitatem, quæ conformitas nec esse, nec intelligi sine isto ordine potest, vt patet.

II. Et sanè cùm de ratione cuiuslibet virtutis moralis, cuiusmodi iustitia est, sit, vt habeat medium rationis, medium autem rationis illud dicatur, quod est obiectum virtutis, nec per excessum, nec per defectum à recta ratione deficiens, imò omnimodam habens cum ea conformitatem, nec medium istud possit, vt constat, sine aliquo ad rationem ordine concipi, patet esse consequens, iustitiæ obiectum, cùm sit medium rationis, quendam necessariò ordinem & respectum ad rationem dicere: quem ordinem etiam agnouit D. Thomas quæst. 58. art. 10. ad primum, diserte asserens, illud ipsum in obiecto iustitiæ quod est medium rei, esse quoque medium rationis, ideóque in iustitia saluari rationem virtutis moralis.

III. Et quoniam id in obiecto iustitiæ quod est proximum fundamentum conformitatis cum recta ratione quæ in eodem obiecto est, ac proinde ordinis respectúsque quē idem obiectum habet ad rectam rationem, est illud ipsum quod medium rei appellatur, istúdque non per comparationem seu ordinem ad operantem, sed ad rem externam, nempe ad ius alterius solùm sumitur, hinc apparet, quàm rectè S. Doctor, iustitiæ virtutem, à cæteris omnibus, quibus homo in ordine ad seipsum tantùm perficitur, distinxerit in eo quòd iustitiæ obiectum, seu rectum quod in externo opere iustitiæ est, sumatur per comparationem non ad operantem solùm, sed etiam ad alterum: at illarum aliarum virtutum obiectum, seu rectum quod est in earum externo opere, per solam comparationem & ordinem ad operantem constituatur, cùm in illo obiecto, seu in recto quod in earum externo opere est, duo tantùm distinguere possimus, nempe prædictam cum recta ratione cōformitatem quam habet, & id quod in eo est fundamētum proximum huiusce conformitatis: ratione autem conformitatis istius, respectum & ordinem ad rectam rationem, & proinde ad naturam rationalem operantis, & per consequens ad ipsum operantem, illud opus externum, seu rectum quod in eo est habeat: habeat item ratione proximi illius fundamenti, quia proximum hoc fundamentum non nisi per ordinem ad operantem constituitur: vt clārum est in externo opere temperantiæ, in quo fundamentum proximum conformitatis cum recta ratione quæ in isto opere est, aliud non est, quàm ipsa moderata cibi potúsque sumptio, nec excedens, nec deficiens: hæc autem talis nec esse, nec censeri potest, nisi per ordinem ad operantis dispositionem, cùm pro varia eius variis temporibus dispositione, vna eadémque cibi potúsque quantitas nunc moderata sit, nec excedens, nec deficiens, nunc moderata non sit, sed aut excedat, aut deficiat.

A V.

Dices hinc concludi, id etiam quod in externo iustitiæ opere est fundamentum proximum conformitatis cum recta ratione sumi per comparationem seu respectum ad operantem: si enim id quod in prædicto temperantiæ externo opere proximum fundamentum est illius quam hoc opus habet cum recta ratione conformitatis, sumitur per ordinem ad operantem, quia vt tale sit, consideranda est operantis dispositio, in externo quoque iustitiæ opere idem ob eandem causam eueniet: quod enim in eo est proximum fundamentum prædictæ conformitatis, est ipsum opus externum iustum, seu alteri debitum, & æquale iuri ipsius: vt autem tale sit, consideranda necessariò est operantis dispositio, hac enim non considerata, debitum censeri non potest: nam si quis vel non potest, vel ob vitæ periculum imminens, vel aliam legitimam ob causam non obligatur rem alienam restituere, nullum habet eam restituendi debitum, nec debet rei dominus eius ab illo restitutionem exigere.

B VI.

Respondeo hinc recte solùm hoc concludi, nempe debitum sumptum pro obligatione orta ex præcepto restituendi rem alienam, vel aliquod huiusmodi opus iustum seu æquale iuri alterius exercendi, nec esse, nec intelligi posse, nisi præsuppositis & præintellectis aliquibus operantis dispositionibus seu conditionibus, sicut etiam debitum seu obligatio ex lege aliqua proueniens exercendi actum temperantiæ, vel fortitudinis, vel cuiusvis alterius virtutis, nec esse, nec intelligi potest, non præsuppositis illis operantis conditionibus, vt potentia faciendi, & similibus, sine quibus præuiis hæc obligatio esse non posset.

C VII.

Qua in re licet nulla sit inter iustitiam cæteraſque virtutes differentia, semper tamen intercedit supradictum inter has & illam, seu inter harum & illius obiecta discrimen, in eo consistens, quòd in operibus externis, illarum virtutum obiectis, illud à quo virtutes illæ specificam suam naturam & à cæteris omnibus distinctionem accipiunt, quódque est proximum fundamentum illius cum recta ratione conformitatis quæ in iisdem operibus est: illud, inquam, tale non est, nisi per ordinem & respectum ad operantem, seu ad aliquam operantis dispositionem, vt videre est in externo opere quod tēperantiæ obiectum est, éstque moderata cibi potúsque sumptio, quæ nec esse, nec intelligi potest moderata, nisi per ordinem ad hanc aut illam operantis seu subiecti dispositionem, tanquam ad primariam & immediatam regulam cui commensurari debet, vt vere & à parte rei moderata sit: at in externo opere

D VIII.

quod iustitiæ obiectum est, id à quo virtus hæc speciem suam & à cæteris virtutibus specificam distinctionem accipit, quódque proximũ fundamentum est illius quæ ei inest cum recta ratione conformitatis, id, inquam, tale non est, per ordinem ad aliquam operantis seu subiecti dispositionem conditionémve, sed tantùm per I. ordinem ad alterum: id enim est ipsum iustum opus seu æquale iuri alterius quatenus æquale est: non habet autem quod æquale sit, per ordinem aliquem ad vllam operantis siue subiecti dispositionem aut conditionem, sed per ordinem solùm ad ius alterius, tanquam ad primariam immediatámque regulam cui commensurari debet vt iustum sit, & cui quoties commensuratur, toties iustum est, quæcunque demum sit, vel non sit in operante dispositio, seu conditio.

Atque ex his facile est secundam difficultatem soluere: ad quam dico, bonam fuisse D. Thomæ consequentiam, supponendo quod verum est, S. Doctorem, dum hac consequentia vsus est, nomine recti quod est in operibus II. externis virtutum, siue iustitiæ, siue aliarum, intellexisse præcisè id quod in illis est fundamentum proximum præfatæ sæpius conformitatis quam habent cum recta ratione, & à quo virtutes illæ speciem suam, & à cæteris specificam distinctionem accipiũt. Cùm enim rectum quod est in operibus virtutum hominem in ordine ad se solum perficientium non nisi per ordinem ad operantem, seu ad aliquam operantis dispositionem constituatur, vt ostendimus, contrà autem rectum quod est in opere iustitiæ per solum ordinem ad ius alterius, recte concluſit D. Thomas illarum virtutum opera non posse censeri recta propriâ earum rectitudine, nisi considerentur secundùm aliquem modum quo fiant ab operante, id est, nisi supponatur aut intelligatur operans has aut illas in se dispositiones seu conditiones habere: huius verò virtutis III. opus posse censeri rectum propria huic ipsi virtuti rectitudine, etsi non consideretur qualiter fiat ab agente, seu, quod idem est, etsi non intelligatur operans, nec supponatur hoc vel illo modo dispositus.

Ratio autem, quam contra consequentiæ illius bonitatem initio quartæ sectionis attulimus, non supponit recti nomen ita præcisè à S. Doctore accipi, imò supponit accipi tam pro ipsa externi operis entitate fundãte prædictam cum recta ratione conformitatem, quàm pro hac ipsa conformitate, quæ, vt superiùs dixi, sine ordine & respectu ad rectam rationem, & proinde ad naturam operantis rationalem, & per consequens ad ipsum operantem intelligi IV. non potest: quo reuera modo si acciperetur, & D. Thomæ consequentia mala esset, & hoc efficaciter illa nostra ratio euinceret: in qua etiam quidquid dicitur, verum est, dummodo supponatur id quod reipsa supponit, sed supponendum non est ex mente S. Doctoris, vt monui.

Et hinc quoque facilis est solutio tertiæ difficultatis, ad quam dico, consequens illud cuius in ea mentio fit veritatem habere, supponendo in primis, recti nomine D. Thomam intellexisse id quod paulò antè monui: supponendo deinde, modi nomine secundùm quem agẽs agere dicitur, & efficere opus quod rectum appellatur, non intelligi hunc specialem agendi modum, qui est agere intuitu & gratia honestatis, sed intelligi præexistentes in subiecto seu operante conditiones dispositionésue, de quibus paulò antè diximus, & in ordine ad quas tanquam ad primariam & immediatam recti regulam & mensuram, rectum quod in quibusdam virtutum operibus est, constituitur: quibus suppositis patet per se veritas prædicti consequentis. A V.

Cùm enim rectum quod est in externis operibus virtutum temperantiæ, fortitudinis, & similium, hominem in ordine ad se solum perficientium, dicat necessariò ordinem ad illas operantis siue subiecti conditiones seu dispositiones, tanquam ad primariam & immediatam huius ipsius recti regulam, vt ex antedictis perspicuum est; contrà verò rectum quod B VI. est in externo iustitiæ opere nullum huiusmodi ad eas dicat ordinem, sed ad solum ius alterius, vt ex supradictis item notum est: patet verum esse D. Thomæ consequens, seu discrimen istud inter hoc & illud rectum ab eo assignatum, quòd rectum illud, in externis illis operibus virtutum illarum existens, nec esse, nec intelligi potest in iis existere, nisi supposito consideratóque modo secundùm quem illa opera fiunt ab agente, id est, nisi suppositis consideratisque illis operantis conditionibus seu dispositionibus, in ordine ad quas rectum illud necessariò constituitur: at è contrario, rectum istud in externo iustitiæ opere existens, & esse à parte rei, & intelligi potest in eo existere, licet C VII. non supponantur nec considerentur hæ vel illæ subiecti seu operantis dispositiones.

Vnde ad rationem eãdem 4. sectione contra veritatem consequentis istius allatam respondeo, ea solùm euinci, nullum fore discrimen inter hoc & illud rectum, si recti nomine vna quidem ex parte rectitudo vel formalis, vel obiectiua seu materialis intelligeretur, ex altera verò, nomine modi secũdùm quem agens agit, vel non agit, nullus aliùs intelligeretur modus, quàm modus agendi, vel non agendi gratia & intuitu honestatis: at cùm recti nomine intelligendam esse dixerimus obiectiuam illam seu materialem rectitudinem, quæ proximum fundamentum est illius cum recta ratione conformitatis, quæ concipitur in opere quod rectum appellatur: illius autem modi nomine, non esse intelligendum hunc agendi vel non agendi D VIII. modum, quo quis agere vel non agere dicitur intuitu & gratia honestatis, sed prædictas agentis seu subiecti dispositiones esse intelligendas: sequitur euidenter, rationem illam nullam prorsus habere vim contra veritatem prædicti consequentis.

DISPVTATIO II.

De iuris diuisione.

SVPPONENDVM iuris nomine quatuor potissimùm intelligi solere. Primum est, opus iustum, iusti vocabulum vsurpando fusissimè, vt idem significat ac honestum rectæque rationi consentaneum. Secundum est, illud determinatè opus iustum, quod esse iustitiæ obiectum superiori disputatione docuimus. Tertium est, facultas illa supradicta seu potestas quam quis habet aliquid ita faciendi, vt ab aliis impediri non debeat, nec licitè possit. Quartum est lex, legis nomine nihil aliud intelligendo quàm id ex quo creatura rationalis ad aliquid obligatur. Quo supposito

I.

Dico primò, ius in qualibet ex iis quatuor significationibus acceptum rectè diuidi in naturale & positiuum: iuris enim sic accepti aliud à parte rei naturale est, aliud positiuum: vt constat inductione facta per has quatuor iuris significationes, supponendo quod certum apud omnes est, ius naturale dici, quod ex rei natura est, non autem ex vi liberæ voluntatis, siue Dei, siue alicuius creaturæ: positiuum verò appellari, quod non ex rei natura, sed solùm ex vi voluntatis huius positum & constitutum est. Primò enim operum iustorum seu honestorum quædam ex rei natura talia sunt, non autem ex vi voluntatis alicuius liberæ, siue Dei, siue creaturæ: cuiusmodi sunt Deum colere, parentibus honorem habere, & similia: quædam verò alia non ex rei natura, sed solùm ex vi alicuius voluntatis liberæ, siue increatæ, siue creatæ, talia sunt, cuiusmodi sunt ea omnia quæ ex se reíque natura indifferentia sunt, per liberam autem vel Dei vel creaturæ voluntatem imperantur, quæ suppositâ hac voluntate, & ex vi eius incipiunt esse honesta, continerique intra obiectum virtutis alicuius moralis, cùm eo antea non continerentur: sicut etiam operum malorum, quædam ex rei natura talia sunt, vt mentiri, furari, & similia: quædam verò non ex natura rei, sed ex solius vel Dei vel creaturæ ea prohibentis voluntate: vnde communiter dicuntur aliqua ideo esse prohibita, quia mala: alia verò ideo esse mala, quia prohibita.

II.

III.

Deinde operum iustorum seu suprà declaratam cum alterius iure æqualitatem habentium quædam ex natura rei talia sunt, vt reddere depositum, debita soluere, & similia: quibus in operibus est omnimoda æqualitas cum iure alterius ex natura operum ipsorum, & suppositâ natura valoréque rerum quæ per hæc opera redduntur: quædam vero alia esse possunt, quæ hanc ex natura rei æqualitatem minimè habeant, sed solùm ex condicto, siue ex communi placito, vt in corpore articuli 2. quæst. 57. loquitur D. Thomas: quod euenit, vt ibidem ait, *Quando aliquis se contentum reputat, si tantum accipiat*: quod fieri posse dupliciter, dicit, *Vno modo per priuatum aliquod condictum, sicut quod firmatur aliquo pacto inter priuatas personas: altero modo ex condicto publico, puta cum totus populus consentit, quod aliquid habeatur quasi adæquatum, & commensuratum alteri: vel cùm hoc ordinat Princeps qui curam populi habet, & eius personam gerit.* Quibus ex verbis S. Doctoris, & aliis immediatè præcedentibus, clarum est, ipsum ius in naturale & positiuum diuidentem, iuris nomine intellexisse opus iustum quod iustitiæ obiectum est.

IV.

A

B

C

D

V.

VI.

VII.

VIII.

Præterea prædictæ facultatis seu potestatis quam per ius significari tertio loco diximus, altera ex natura rei est: qualis est ea qua quisque potest vim vi repellere: altera non ex natura rei, sed ex aliena siue Dei, siue creaturæ libera voluntate potestatem hanc concedente: qualis ea est qua quis vti re aliena potest: quam sanè non habet ex natura rei, sed ex sola Domini rei illius liberali voluntate. Denique legis, quæ iuris nomine quarto loco significari diximus, altera naturalis est, id est, ex natura rei obligans: qualis ea est quæ ad colendum Deum, ad honorandos parentes, ad non occidendum, non mentiendum obligat: altera positiua, seu non ex rei natura, sed solùm ex vi voluntatis alicuius liberæ siue diuinæ siue creatæ obligans: qualis est ea quæ ad certo tempore sacrum audiendum, aut ieiunandum obligat.

Dico secundò, hanc iuris in naturale & positiuum diuisionem esse adæquatam, sumendo ius in qualibet significatione ex quatuor assignatis: nullum enim ius in qualibet istarum significationum vsurpatum esse potest, quod non aut ad naturale aut ad positiuum pertineat. In primis enim opus quod vel honestum est, quæcunque demum sit honestas illa, vel iustum seu æquale iuri alterius, aut tale est ex natura rei, aut non ex natura rei: si primum, naturale est: si secundum, positiuum: similiterque prædicta potestas habetur, & lex obligat, aut ex natura rei, aut non ex natura rei: si primum, naturalis est: si secundum, positiua. Quod enim tale est, & non ex natura rei, non habet, nec habere aliunde potest vt tale sit, quàm ex libera alicuius voluntate: nam si ex hac voluntate non habet vt tale sit, habet igitur ex natura rei: quidquid enim non habet ex vi voluntatis huius vt tale sit, eo ipso tale esse ex natura rei dicitur.

At oppones esse præcepta quædam supernaturalia, de quibusdam supernaturalibus actibus exercendis, quæ adhuc obligarent, etsi neque Dei, neque creaturæ vllius libera voluntate posita seu lata essent, quæque proinde ad ius positiuum pertinere non possunt: quæ nec etiá ad naturale possunt spectare, cùm supernaturalia sint: vnde concluditur, ius pro lege seu præcepto ad aliquid obligante sumptum, non diuidi adæquatè in naturale & positiuum.

Sed respondeo, præcepta quæ supernaturalia dicuntur, habere vim obligandi vel ex libera siue Dei siue alicuius creaturæ voluntate, vel aliunde: si primum, positiua dicuntur, & pertinent ad ius positiuum pro lege sumptum, ad quod vniuersim id omne pertinet quod obligat ex vi alicuius liberæ voluntatis, quæcunque tandem sit illa voluntas, & quidquid demum illud sit ad quod obligat; si secundum, ad ius naturale spectant. Nec refert, quòd supernaturalia sint, id est, ad supernaturales actus obligantia: spectat enim ad ius naturale quid-

quid aliunde obligat, quàm ex libera siue Dei siue creaturæ voluntate: quidquid enim eiusmodi est, obligat ex natura rei, quod autem ex natura rei obligat, meritò ad ius naturale reuocatur: obligatur autem homo toties ex natura rei, quoties ex propria præcisè suæ naturæ rationalis conditione, suppositis his aut illis rebus & conditionibus, siue merè naturalis ordinis, siue supernaturalis, obligatur ad quidpiam faciendum, siue naturale, siue supernaturale.

I. A

Dico tertiò, ius positiuum, sumpto iuris nomine in qualibet ex quatuor prædictis significationibus adæquatè diuidi in diuinum, seu cuius Deus author est, & in creatum, seu cuius author, aliqua creatura est: hoc verò rursus adæquatè diuidi in Angelicum, & humanum: hoc deinde subdiuidi adæquatè in Canonicum, & Ciuile: hoc denique adæquatè in ius gentium, & Ciuile, sumpto ciuilis in hac postrema diuisione vocabulo, strictiùs, quàm in illa superiore, & eo sensu quem paulò post declarabimus.

II. B

Ratio euidens est, quòd vna quidem ex parte iuris positiui vt positiuum est nomine aliud nihil intelligitur, quàm ius quod alicuius libera voluntate positum est: ex altera verò libera voluntas alia esse non potest, quàm vel Dei, vel creaturæ: quòd si creaturæ, sanè non alterius quàm vel Angelicæ, vel humanæ: cùm præter Angelicam & humanam, nulla sit possibilis creata voluntas: ex quo manifestè concluditur, ius positiuum adæquatè diuidi in diuinum & creatum, & rursus istud in Angelicum & humanum.

III. C

Atque cùm omne ius humana voluntate positum, tale necessariò sit, vt vel per Ecclesiam, eiúsve ministros, qua parte tales sunt, positum fuerit, vel non per eam, eósve, qua parte tales sunt: ius autem Canonicum dicatur illud quod per eam eósve qua parte tales sunt, constitutum fuit: illud autem Ciuile, quod non per eos quâ tales, positum est, patet esse consequens, humanum ius in Canonicũ & Ciuile adæquatè diuidi. Denique cùm ius humana voluntate positum, nec per Ecclesiam eiúsve ministros, quâ tales, constitutum, tale necessariò sit, vt ortum habeat vel ex reliquorum omnium hominum aut fermè omnium voluntate, vel non ex voluntate omnium aut ferme omnium: ius autem humanum ciuile quod ex voluntate reliquorum omnium hominum aut ferme omnium ortum habet, dicatur ius gentium: quod autem non ex voluntate reliquorum omnium aut ferme omnium, ciuile appelletur, patet rursus, Ciuile ius iuri Canonico in superiori diuisione ex aduerso oppositum, in ius gentium & Ciuile adæquatè item diuidi.

IV. D

Circa quam diuisionẽ hæc obseruanda sunt. Primum, ius diuinum non definiri illud cuius author est diuina voluntas, sed cuius Deus author per suam voluntatem est: vt significetur ius etiam illud diuinum esse posse, quod ex creata voluntate ortum habebit, dummodo hæc voluntas sit voluntas alicuius personæ diuinæ, qualis est voluntas humana Christi Domini: vnde etiam ius ab illo per hanc voluntatem constitutum, non humanum, sed diuinum dicitur.

Secundum est, à Thologis ius positiuum ordinariè diuidi in diuinum, & humanum: quod illi rectè faciunt, propterea quòd nullum reipsa ius habemus, quod alterius quàm vel Dei vel puri hominis voluntate constitutum sit: cùm tamen ex natura rei non magis repugnet aliquod ius libera puri alicuius Angeli voluntate constitui, quàm voluntate puri hominis, à puro autem homine & Angelo abstrahatur communis seu generica ratio puræ creaturæ, propterea nos quoque rectè positiuum ius immediatè diuisimus in diuinum, & creatum: & hoc rursus immediatè in Angelicum & humanum: ita diuidendo, subdiuidendóque, non tam attendentes ad ius quod de facto iam per liberam voluntatem constitutum est, quàm ad illud quod ex rei natura constitui potest.

V.

Tertium est, iuris Canonici nomine illud propriissimè solùm intelligi, quod ad regimen vniuersalis Ecclesiæ per summos Pontifices aut totam Ecclesiam in Conciliis congregatam constitutum est. Quoniam tamen præter illud ius datur aliquod aliud positum à Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis particularibus Ecclesiæ ministris, qua parte tales sunt, & Ecclesiasticam potestatem à sæculari diuersam obtinent, quod à iure per sæculares potestates, qua parte tales sunt, constituto distinguendum est, ideo nos ius humanum in Canonicum & Ciuile diuidentes, iuris Canonici nomine, cum Theologis communiter, intelleximus ius per Ecclesiasticam potestatem, qua parte talis est, & à sæculari distinguitur, constitutum: vt omne ius diuersum ab eo quod per sæcularem potestatem, quatenus talis est, positum est, nostra diuisione comprehenderemus.

VI.

Quartum est, per ius illud Ciuile, quod est membrum vnum diuisionis illius, in qua ius humanum in Canonicum & Ciuile diuisimus, intelligendum esse generatim ius illud omne quod per sæcularem potestatem, quâ talis est, & ab Ecclesiastica, vt sic, distinguitur, constitutum est: per ius autem Ciuile, quod membrum vnum est subsequentis diuisionis, intelligimus illud quod per sæcularem potestatem alicuius ciuitatis, vel reipublicæ, vel prouinciæ, vel regni positum est: denique illud tantum, quod non per sæcularem omnium vel ferme omnium hominum potestatem fuit institutum: ex quo patet, ius Ciuile in priori diuisione multò patere latiùs iure Ciuili cuius in subsequente diuisione mentio fit: imò illud ad hoc instar aliquo modo generis sese habere: nomen autem generis quod in duas species adæquatè diuiditur, aliquando specierum istarum vni peculiariter attribui, multis exemplis certum est.

VII.

Quintum est, dum definiremus ius gentium illud esse, quod reliquorum omnium hominum voluntate positum est, me semper addidisse, vel ferme omnium, vt significarem, ad ius gentium minimè esse necessarium, vt omnes omnino reliqui homines ad illud constituendum conspirarint, sed satis esse, si propè omnes: quemadmodum vt aliquid totius alicuius multitudinis congregatæ voluntate vel factum vel statutum fuisse dicatur, sufficit vt prope tota illa multitudo in illud conspirauerit.

VIII.

Sextum & postremũ est, diuisionem hactenus factam iuris in naturale & positiuum: positiui in diuinum & humanum: humani in Canonicum & Ciuile: Ciuilis in ius gentium & ciuile: fieri quidem à Theologis communiter, sed dum ab eis fit, iuris nomine nihil aliud eos intelligere, quàm legem, quæ fuit vltima iuris I. significatio ex quatuor quas supra assignauimus, nos tamen meritò in ea facienda ius in tribus quoque prioribus accepisse, tum vt doctrina nostra esset vniuersalior: tum quia in qualibet illarum quatuor significationum acceptum, recte sic diuidi poterat, vt ostendimus.

DISPVTATIO III.

Vtrùm admittenda sit aliqua generalis seu legalis iustitia distincta essentialiter à cæteris omnibus virtutibus?

II.

SECTIO PRIMA.

Pars affirmatiua defenditur, & ratione vna probatur.

NEMINI dubium est, quin admittenda sit generalis aliqua seu legalis iustitia: constat enim apud omnes esse admittendam virtutem aliquam, quæ circa bonum commune seu cõmunitatis ac Reipublicæ versetur, tanquam circa proprium obiectum: hãc autem virtutem iustitiã generalem seu legalem nuncupamus, inferiùs rationem reddituri, cur eam his nominibus appellemus. Sed vtrùm hæc specialis virtus sit, & à cæteris essentialiter diuersa, dubitationem habet: de qua prima sententia negans est Buridani in 5. Ethic. quæst. 4. & Andreæ de Vega lib. 5. in Trident. cap. 4. existimantium eam nihil aliud esse quàm complexionem virtutum omnium particularium, eámque propterea dici generalem. Secunda autem affirmans est D. Thomæ hac 2. 2. quæst. 58. art. 6. Soti lib. 3. de Iustit. cap. 5. & Thomistarum communiter, imò etiam Theologorum, Greg. à Val. hîc disput. 5. punct. 2. Lessij lib. 2. cap. 1. dubit. 3. Rebelli lib. 1. de præludiis iustitiæ quæst. 3. sect. 2. Petri Aragonij in citatum art. 6. & aliorum, quæ vera est.

III.

Probatur autem primò hac ratione à priori. Illa virtus specialis est, & à cæteris essentialiter diuersa, cuius obiectum formale tam speciale est, támque diuersum à cæteris aliarum particularium & essentialiter diuersarum virtutum formalibus obiectis, quàm hæc earum obiecta formalia specialia sunt, & inter se se diuersa: atqui iustitiæ legalis seu generalis obiectum formale tale est: igitur specialis virtus est, & à cæteris essentialiter distincta. Maior certa est, aut enim cæteræ virtutes non sunt speciales & secundum essentiam diuersæ, aut si sunt, ideóque sunt, quia cùm specificentur ab obiectis suis formalibus, habent hæc obiecta tam diuersa, vt ab his non possint non constitui in ratione specialium virtutum, & secundùm essentiam diuersarum: certè pari iure erit iustitia legalis, si obiectum formale à quo specificatur tam speciale est, támque diuersum à formalibus harum virtutum obiectis, quàm hæc earum obiecta specialia sunt, & inter sese diuersa. Minorem probo, formale enim obiectum iustitiæ legalis seu generalis est bonum communitatis seu Reipublicæ vt tale bonum est: quod obiectum formale tam speciale támque diuersum est à cæteris particularium virtutum essentialiter distinctarum formalibus obiectis, quàm hæc harum virtutum obiecta specialia sunt, & inter sese diuersa, vt singula consideranti perspicuũ erit, siue considerentur obiecta formalia virtutum Theologicarum, siue aliarum, siue earum quæ sunt ex suo genere naturales & acquisitæ, siue illarum quæ supernaturales, & infusæ.

A V.

Et quidem quòd bonum communitatis vt sic, obiectum formale virtutis alicuius esse possit, dubitari meritò non potest. Cur enim bonum Dei vt sic, temperata cibi potúsque sumptio vt sic, alienæ miseriæ subleuatio vt sic, obiectum formale virtutis alicuius esse posse à nobis censetur? Sanè quia actus ex his formalibus obiectis seu motiuis eliciti, honestissimi sunt, neque ad hos actus honestos, specialémque suam honestatem ac difficultatem habentes, naturâ nostrâ satis determinati sumus: vnde superadduntur nostræ voluntati virtutum habitus qui nos inclinent, & quantum possunt determinent, ad huiusce modi actus ex his formalibus obiectis seu motiuis eliciendos: at etiã actus elicitus ex formali obiecto seu motiuo boni communis, vt commune bonum est, actus formaliter honestus est: sicut enim bonũ Dei vt bonũ Dei est, tẽperata cibi sumptio, alienæ miseriæ subleuatio, res est propter se seu gratia sui honestè diligibilis & appetibilis, ita & bonum cõmunitatis, quatenus bonum cõmunitatis est: vnde sicut actus quo res illa gratiâ sui diligitur & appetitur formaliter honestus est, ita & actus quo bonum communitatis propter se diligitur & appetitur: ad quem actum, propriámque ac specialem quam habet honestatem, cùm non magis naturâ nostrâ determinati simus, quàm ad alios aliarum virtutum actus proprios, eatúmque propriam honestatem, sicut ad hos, sic ad illum superaddendus est nostræ voluntati specialis virtutis habitus, qui nos inclinet, & quantum potest determinet ad illius exercitium. Cuius rationis vis & veritas ex sequenti erit clarior.

B VI.

C VII.

SECTIO II.

Eadem pars altera ratione probatur.

D VIII.

PROBATVR 2. hac altera ratione. Iustitia generalis seu legalis neque est eadem essentialiter cum speciali altera virtute seorsim sumpta, neque cum omnibus specialibus virtutibus coniunctim acceptis: ergo est specialis virtus à cæteris essentialiter diuersa. Consequentiæ bonitas perspicua est. Prima pars antecedentis, in qua dico iustitiam legalem non esse eandem cum speciali altera virtute seorsim sumpta, pro-

batur

batur inductione per ſpeciales virtutes, cum quibus eadem eſſe videri poſſet: ſunt autem hæ, iuſtitia particularis, obedientia, pietas erga patriam, charitas erga proximum.

I. Quod vero non ſit eadem cum particulari iuſtitia, multa inter vtramque diſcrimina perſuadent. Primum eſt, quòd hæc iuſtitia ex eſſentia ſua ſic reſpicit externum actum alteri debitum, vt nullum alium poſſit reſpicere: non enim poteſt alium reſpicere quam iuſtum ſeu æqualem iuri alterius, omnis autem huiuſmodi actus ex illo iure debitus eſt, vt conſtat ex dictis diſput. 1. at iuſtitiæ legalis externi actus licet plerunque Reipublicæ ſeu communitati debiti ſint, minimè tamen neceſſarium eſt eſſe debitos: ſi quis enim ciuis magnos ſumptus faciat, pericula ſtrenuè aggrediatur, ſimiliaque præſtet, nullo alio ex motiuo quam procurandi bonum Reipublicæ vt Reip. bonum eſt, præſtet autem nullam habens ad ea præſtanda obligationem, & cùm licitè poſſet omittere, nec omittendo vlla in parte boni ciuis deeſſet officio, actum honeſtiſſimum exercebit haud dubiè, nec alterius virtutis quam iuſtitiæ legalis ſeu generalis. II.

Secundum eſt, quòd iuſtitia particularis ſpectat ius alterius, & actum ius iſtud adæquantem, non ſub alia ratione, quam actus iſtius vt ius illud adæquantis, non autem ſub formali ratione boni perſonæ illius cuius per illum actũ ius adæquatur: vnde ſi conciperemus & ius iſtud, & actum illum aliquo in caſu non poſſe vergere niſi in malum perſonæ ius illud habentis, adhuc tamen eo caſu verus iuſtitiæ particularis actus exerceretur, eo ipſo quo nihilominus eſſet actus ei debitus, & iuri eius adæquatus: at iuſtitia legalis nihil ſpectat niſi bonum cõmunitatis, & ſub hac formali ratione, quòd bonum communitatis ſit: quo fit vt ſi qua in re, ſi quo noſtro in actu non apparet vlla ratio boni communis, ſeu in communitatem redundantis, non poſſit res illa in noſtram voluntatem cadere, & hic actus ab ea elici ex virtute iuſtitiæ iſtius. III.

Tertium eſt, quòd virtus iſta tota in eo poſita eſt, vt bene diſponat ciuem ad bonum Reipublicæ cuius ciuis eſt, veluti partem ad bonum totius, cuius pars eſt, & quidem ſub hac formali ratione, quâ bonum totius iſtius eſt: at iuſtitia particularis illud ſibi non vendicat, ſed hoc tãtùm, vt bene diſponat eum in quo eſt in ordine ad alterum tanquam ad particularem alteram perſonam, ſiue hic & ille ſint ciues eiuſdẽ Reipublicæ, ſiue non ſint: hæc enim iuſtitia exerceri non modò inter conciues poteſt, ſed etiam inter quaſcunque alias perſonas, quarũ vna ab alia perfectè altera eſt, quarum quælibet in huius iuſtitiæ actu exercendo rationem habet priuatæ particulariſque perſonæ: vnde etiam iuſtitia hæc, particularis dicta eſt: quod ita verum eſt, vt dum accidit ciuem cum Republica aut Reip. principe contractum venditionis emptioniſque, vel alium ſimilem celebrare, tunc neque Reſpublica, neque Reip. princeps rationem habeat communitatis ſeu totius, vt totum eſt, aut perſonæ publicæ, in eum cum quo contrahit authoritatem eam habẽtis, quam habet Reſpublica in ciuem, & Princeps in ſubditum, ſed habeat rationem priuatæ particulariſque perſonæ, non ſecus ac ipſe ciuis cum quo contrahit. IV.

Cuius rei ratio à priori petitur, tum ex perfecta æqualitate quam conſtituit particularis iuſtitia inter eos inter quos exercetur: tum ex eorundem perfecta alteritate, ratione cuius fit, vt vnus ſit perfectè alter ab alio, id eſt, talis, vt vnus nihil ſit alterius, ſicut filius eſt aliquid patris: & pars, totius: ſed quilibet ſit æqualiter ſui iuris: quo fit, vt cum vnus nihil iuris habeat in alium, quantum ad rem circa quam iuſtitia particularis exercetur, & inter vtrumque per virtutem hanc perfecta æqualitas conſtituatur, non poſſit vnus cum altero quoad hæc comparatus cenſeri priuata particulariſque perſona, quin & alter pari iure cenſeatur, imo quin quilibet reſpectu alterius æquè primo talis perſona cenſeri debeat. A V.

Sequitur ex quatuor enumeratis ſpecialibus virtutibus, cum quibus iuſtitia legalis eadem videri poſſet, obedientia: ſed cùm huic ſpeciali obedientiæ nihil aliud eſſentiale ſit, quàm ferri in res præcepto vetitas, aut imperatas, ex hoc formali motiuo, quòd vetitæ ſint, aut imperatæ: formale autem motiuum ſeu obiectum ex quo iuſtitia legalis fertur in bonum communitatis, ſiue præcepto aliquo imperatum ſit, ſiue nullo, non ſit aliud quàm vt bonum communitatis eſt: ſanè quam neceſſarium eſt virtutes obiecta tum materialia tum formalia diuerſa habentes, eſſe diuerſas eſſentialiter, tam neceſſarium eſt iuſtitiam legalem & obedientiam ſpecialem ſecundùm eſſentiam diſtinguere, cum obiecto materiali & formali diſtinguantur: materiali quidem, quia huius obedientiæ nihil aliud materiale obiectum eſt, quàm quod præceptum eſt: at legalis iuſtitiæ obiectum materiale eſt quodcunque bonum communitatis nullo etiã præcepto imperatum: formali verò, vt patet ex vtriuſque proprio formali obiecto quod proximè aſſignauimus. B VI.

Sequitur ordine tertia pietas erga patriam, à qua diſtinguere iuſtitiam legalem hæc inter vtramque tam ex parte materialis quàm formalis obiecti diſcrimina nos cogunt. Primùm quidem ex parte materialis in hoc conſiſtens, quòd pietas erga patriam ſpectat pro materiali obiecto bonum Reipublicæ, non vt Reſpublica noſtra eſt, ſed vt patria in qua nati ſumus: at iuſtitia legalis ſpectat pro materiali obiecto bonum Reipublicæ, vt Reſpublica eſt, ad quam ſicut partes ad totum pertinemus, ſiue in ea nati ſimus, ſiue non: quo fit, vt quamuis contingat vt plurimùm eandem eſſe Rempublicam & patriam noſtram, eadémque proinde bona quæ ſunt bona noſtræ patriæ, eſſe bona Reipublicæ noſtræ, id tamen per accidens ſit, cùm facilè fieri poſſit, vt quis non eius in qua natus eſt, ſed alterius in qua natus non eſt, Reipublicæ ciuis ſit: & quamuis aliter ex natura rei contingere non poſſet, quàm vt eadem ſemper eſſet & patria & Reſpublica noſtra, ſemper tamen hoc differret pietas à legali iuſtitia, quòd ſpectaret illa pro materiali obiecto bonum patriæ vt patria eſt in qua nati ſumus, hæc verò Reipublicæ vt Reſpublica eſt, cuius vt totius partes ſumus. C VII.

Secundum autem ex parte formalis obiecti diſcrimen conſiſtit in eo, quòd pietas ſpectat D VIII.

bonum patriæ, non vt bonum commune eſt, ſeu communitatis ad quam vt partes pertinemus, ſed vt patriæ in qua nati ſumus: quo fit, vt ſi patria eſſet vel intelligeretur eſſe priuatum & particulare quidpiam, poſſet adhuc ei bonum per pietatem appeti: at iuſtitia
I. legalis ſpectat ſolum bonum commune vt bonum commune eſt, & quidem communitatis illius, cuius partes ſumus: ſiue, quod in idem recidit, ſed clarius prædictum diſcrimen explicat, pietas pro formali obiecto habet obiectiuam illam honeſtatem, qua honeſtum eſt eius qui nobis ortus & vitæ aliquod principium extitit, cuiuſmodi patria eſt, procurare bonum, eo quòd tale nobis principium extitit: iuſtitia verò legalis habet pro formali obiecto honeſtatem illam obiectiuam, qua honeſtum eſt ciuem & partem alicuius Reipublicæ & totius procurare bonum totius illius ac Reipublicæ, eo quòd eius pars & ciuis eſt: ſicut & miſericordia, & temperantia, ſimiléſque
II. virtutes quæ exterius conſummantur, de quarum numero ſunt pietas, & iuſtitia legalis, habent pro formali obiecto obiectiuam honeſtatem actus illius externi, quo vel aliena miſeria ſubleuatur, vel moderatè cibus potúſque ſumitur, aut alterius ſimilis in quo conſummantur, ex cuius honeſtatis motiuo illi externi actus exercentur.

Supereſt charitas erga proximum, quam & à iuſtitia legali eſſe diſtinctam probo ex vtriuſque diuerſo obiecto tam materiali, quàm formali: charitatis enim illius obiectum materiale comprehendit ambitu ſuo illud omne quod proximo bonum eſt: huius verò iuſtitiæ, id duntaxat quod bonum eſt illi communitati cuius ciues ſumus: formale quoque eiuſdem charitatis obiectum, eſt bonum proximi vt proximi bonum eſt, at iuſtitiæ huius obiectum formale proximè ante aſſignatum diuerſiſſi-
III. mum eſt, vt conſtat: vnde etiam cùm per illam charitatem bene afficiamur erga quoſcunque homines, ſiue diuiſim, ſiue coniunctim acceptos, per iuſtitiam legalem erga eam tantùm communitatẽ bene afficimur cuius ciues ſumus.

Venio iam ad probationem partis alterius noſtri antecedentis, in qua dicebam, iuſtitiam hanc non eſſe eandem eſſentialiter cum virtutibus omnibus ſpecialibus coniunctim acceptis, ſeu quod eodem recidit, non eſſe puram ex iis omnibus aggregationem. Quod probo in primis authoritate Philoſophi 5. Eth. cap. 1. dicentis iuſtitiam iſtam eſſe præſtantiſſimam virtutum, tantumque habere dignitatis & ſplendoris, vt neque Lucifer, neque Heſperus æque
IV. ſit admirabilis: quo loco cum prædictam iuſtitiam cum cæteris virtutibus ſeorſim ſumptis in nobilitate præſtantiaque, vt patet, comparet, niſi nomine iuſtitiæ iſtius particularem aliquam ſpecialemque virtutem intelligeret, aut ſi aggregatum ex omnibus ſimul ſumptis intelligeret, quænam eſſet iſta comparatio? perinde enim faceret, atque ſi diceret, aggregatum ex omnibus virtutibus coniunctim acceptis, quod iuſtitia legalis appellatur, eſſe qualibet virtute ſeorſim ſumpta quiddam præſtantius, quam comparationem à ſapiente viro fuiſſe inſtitutam, quis ſapiens dixerit?

Probo 2. ex eo quòd eadem ratio eſt diſtinguendi iuſtitiam legalem ab aggregato virtutum omnium, quæ ab aliis ſingulis virtutibus diuiſiue ſumptis: ſicut enim ideo diſtinguenda ab his ſingulis eſt, quia nulla earum ſeorſim ſumpta fertur in bonum communitatis ſub hac formali ratione, vt bonum communitatis eſt, admittenda autem eſt aliqua virtus quę ſub hac ratione formali feratur in illud bonum, cùm hic actus ſit honeſtiſſimus, & veræ virtutis, vt ſuprà probaui: ita ab aggregato virtutum omnium diſtinguenda eſt, quia etiam iſtud aggregatum non fertur in bonum communitatis cuius ciues ſumus, ſub hac formali ratione, vt bonum iſtius communitatis eſt. Et ſanè ſi nulla pars iſtius aggregati, id eſt, ſi nulla particularis virtus ſeorſim ſumpta fertur in hoc bonum ſub iſta formali ratione, quomodo ipſum aggregatum ferri poteſt, quod non aliud habet obiectum materiale & formale, quàm quod conflatum eſt ex materialibus & formalibus obiectis ſingularum virtutum iſtius totius aggregati?

SECTIO III.

Vnam obſeruatione dignam continens.

ATQVE cùm ex iis ſatis conſtet, iuſtitiam generalem ſeu legalem eſſe ſpecialem virtutẽ à cæteris diſtinctam eſſentialiter, & quodnam huius obiectum tam materiale quàm formale ſit, reſtat hoc obſeruandum, cùm proprium ſit huic virtuti reſpicere tanquam obiectum bonum communitatis, bonum autem ſingulorum ciuium ſit communitatis bonum, ſicut bonum ſingularum partium totum aliquod cõponentium, bonum eſt totius, conſequens eſt, illi eidem virtuti eſſe proprium ferri in bonum ſingulorum ciuium tanquam in proprium obiectum, non tamen vt bonum eorum eſt, ſed vt
VII. communitatis. Atque cum virtutũ actus interni externique ſint bonum aliquod ſingulorum ciuium tales actus exercentium, ſequitur etiam illam eandem legalis iuſtitiæ virtutem in hos ipſos tam internos quàm externos actus virtutũ aliarum ferri poſſe tanquam in obiectum ſuum, ſemper autem ex proprio ſuo obiecto formali, nempe quatenus ſunt bonum aliquod communitatis.

Poteſt igitur in primis voluntas inſtructa habitu iuſtitiæ legalis per hunc habitum velle quoſlibet actus externos prædictarum virtutum, nec ex alio formali motiuo ſeu obiecto quàm prædicto: quo modo ſi exerceantur, nullius alterius virtutis formalem honeſtatem habebunt, quàm iuſtitiæ legalis: ſicut quia quilibet cuiuſlibet virtutis actus externus ſecun-
VIII. dùm ſe placet Deo, ſpectarique poteſt tanquam bonum aliquod Dei ipſius, poteſt voluntas inſtructa habitu Theologicæ charitatis velle per hunc habitum quemlibet huiuſcemodi actum, non ex alio motiuo, quàm vt bonum Dei eſt: quo modo ſi exercebitur, nullius alterius virtutis formalem habebit honeſtatem, quàm ſolius huius charitatis.

Deinde poteſt eadem voluntas eodem prædictæ iuſtitiæ legalis habitu velle per hunc habitum internos prædictarum virtutum tempe-

rantiæ, fortitudinis, & similium actus, ex vi cuius volitionis tanquam imperij sequetur eorum exercitium: sicut & per habitum Theologicæ charitatis potest voluntas velle eosdem internos actus, qui proinde vi volitionis istius tãquam imperij postea elicientur: sed sicut dum illos hæc charitas imperat, distinguẽdi sunt duo
I. nostræ voluntatis interni actus, quorum vnus A est imperans, alter imperatus: ex quibus imperans pro materiali obiecto suo habet imperatum, pro formali autem bonum Dei vt bonum Dei est, quo fit, vt formaliter sit actus Theologicæ charitatis: imperatus autem pro materiali obiecto suo habet actum externum, quo vel moderatè cibus potusque sumitur, vel pauperis miseria subleuatur, vel periculum quis strenuè aggreditur, vel quid simile fit: pro formali autem proprium motiuum virtutis, vel temperantiæ, vel misericordiæ, vel fortitudinis, vel alterius similis: alioqui non esset proprius huius illiúsve virtutis actus, contra id quod supponimus: ita dum iustitia legalis imperat hos internos harum virtutum actus, distinguendi sunt duo voluntatis actus interni, B
II. vnus imperans, alter imperatus. Ex quibus iste cùm sit illius obiectum materiale, ille pro formali habet bonum communitatis vt sic, vnde essentialiter est actus iustitiæ legalis: imperatus autem cùm pro materiali obiecto habeat externum aliquem actum ex prædictis, pro formali habet proprium illud motiuum quod etiam dixi: vnde cùm hic internus actus sit essentialiter & intrinsecè actus solius vel temperantiæ, vel fortitudinis, vel misericordiæ, vel similis virtutis, vtpote ex cuius solius proprio motiuo seu formali obiecto à voluntate elicitur, extrinsecè tantùm & accidentaliter dici potest actus iustitiæ legalis, quatenus per proprium eius internum actum imperatur, & in bonum communitatis, quod est finis intrinsecus illius
III. actus imperantis, tanquam in finem extrinsecum C refertur.

Ex quibus omnibus iam facile est videre, quàm meritò virtus ista iustitiæ generalis & legalis nomine nũcupetur: iustitiæ quidem, quia virtus omnis quæ in ordine ad alterum nos bene disponit & afficit, sicut eo ipso quo talis est, habet specialem cum illa virtute similitudinem, quæ prudentiæ, fortitudini, temperantiæ quarta Cardinalium annumeratur, & iustitia dicitur, ita nominis quoque particeps est: generalis verò, tum quia generale bonum spectat, quandoquidem pro obiecto habet commune bonum, vt commune bonum est: tum quia generalem quandam vim & virtutem obtinet in cæteras omnes virtutes morales, cùm possit modo paulò antè explicato earum actus tam
IV. internos quàm externos imperare, & referre D in finem suum intrinsecum: legalis denique, quia pro obiecto habet illud ipsum bonum, cuius gratia leges conditæ sunt, quod est bonum commune seu communitatis, & per ipsam leges obseruantur, quatenus per ipsam præscripti legibus cuiuscunque virtutis actus eo quo dixi modo imperantur, & exercentur.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta tria contra doctrinam suprà traditam.

PRIMVM ducitur ex authoritate Philosophi 5. Ethic. cap. 1. non distinguentis iustitiam legalem ab aggregato virtutum omnium: V.
de ea enim dicit in primis ipsam in sese continere virtutes omnes: deinde asserit, eandẽ non esse partem virtutis, id est, speciem vnam subiectam virtuti tanquam generi, sed esse virtutem vniuersam, iniustitiámque ei oppositam non esse partem vitij, id est, speciale vitium subiectũ vitio tanquam speciem generi, sed esse vniuersum vitium. Addit hanc iustitiam esse idem re cum virtute, ratione solùm seu definitione differre. Deniqueait eam esse virtutem perfectam, id est, perfectionem & cumulum virtutum omnium comprehendentem: nisi enim hoc sensu perfectam diceret, pari iure de qualibet alia speciali virtute dicere posset, esse perfectam virtutem, cùm quælibet in suo genere perfecta sit, misericordia in genere seu ratione misericordiæ, temperantia in temperantiæ, & ita de cæteris. VI.

Ad primum & secundũ Philosophi testimonium respondeo, iustitiam legalem dici continere virtutes omnes, & nõ esse partem virtutis, sed virtutem vniuersam, non quòd non sit specialis virtus, & proinde pars virtutis, id est, species vna subiecta virtuti, tanquam generi, sed quòd non vnius tantùm aut alterius virtutis, sed omnium actus proprios imperare possit ex motiuo boni communis, eo sensu & modo quo superiori sectione explicatum est: eodẽque sensu vitiosum habitum iustitiæ legali contrarium dici vitium vniuersum, non quòd non sit specialis aliquis habitus, & proinde pars vitij, id est, species vna vitij subiecta vitio, tanquam generi, sed quod non vnius aut alterius vitij tantummodo, sed omnium actus imperare possit VII.
ex proprio suo formali motiuo, quod motiuo iustitiæ legalis proprio contrarium est.

Ad tertium dico iustitiam legalem dici esse idem re cũm virtute, non autẽ ratione seu essentiali definitione, vel quòd cùm à singulis virtutibus siue diuisim siue cõiunctim sumptis essentialiter differat, vtpote specialis virtus, circa eãdem tamen rem versari potest ex motiuo boni communitatis, circa quam aliæ omnes virtutes, siue seorsim, siue simul acceptæ versari possunt ex proprio suo formali obiecto seu motiuo, quandoquidem earum omnium proprios actus imperare potest, vt diximus: vel quod, vt hic explicat Gregor. à Valent. in illa vnica & speciali virtute, quam iustitiam legalem nominamus, duo considerari possunt: nempe quòd sit virtus, & quòd talis virtus, iustitia scilicet legalis: & quidem duo hæc esse vnam eandémque à parte rei rem seu entitatem, ratione tamen seu definitione differre, quia alia est virtutis, vt virtus est, definitio; alia iustitiæ legalis, prout huiusmodi iustitia est. VIII.

Ad quartum dico iustitiam hanc dici à Philosopho virtutem perfectã, non ob eam causam quæ in obiectione dicitur, sed quòd licet specialis virtus sit, sicut & alia quælibet, & harum quælibet in suo genere perfecta sit, illæ tamen virtutes simpliciter perfectæ censentur, dicun-

túrque, quibus operans perficitur non in ordine ad seipsum solùm, sed etiam ad alios : seu quarum actus non in proprium tantùm ipsius operantis bonum tendunt, sed etiam in aliorum :quam manifestè causam expressit Philosophus his loco illo verbis. *Perfecta est autem* (nempe iustitia illa legalis) *propterea quod qui ea præditus est, is etiam erga alios, non in se modo virtutem excolere & exercere potest.* Vnde paulo pòst addit, optimum esse illum qui virtutem non ad suam, sed ad aliorum vtilitatem refert.

I. A

Adde quòd D. Thomas hîc quæst. 58. art. 6. in Corp. citata Aristotelis testimonia, quibus videtur iustitiam legalem cum virtutibus aliis confundere, sic explicat, vt dicat, quamlibet specialem virtutem eatenus dici posse iustitiam legalem, quatenus per hanc proprius illius actus imperatur, & in bonum commune refertur: hocque sensu Philosophum loqui, dum cæteras virtutes siue diuisim, siue coniunctim acceptas à iustitia legali, & hanc ab illis non distinguere videtur.

V.

II. B

Secundum argumentum. Obedientia generalis non est specialis virtus, sed eadem essentialiter cum qualibet speciali virtute: ergo etiam iustitia generalis. Respondeo distinguendo consequens : sicut enim obedientiæ nomine duo possumus intelligere : primum, virtutem per quam facimus actus imperatos, ex quocunque formali motiuo faciamus: secundum, virtutem per quam facimus actus imperatos, ex hoc formali motiuo quòd imperati sint : ita nomine iustitiæ generalis intelligere duo possumus: primum, virtutem per quam id quod est commune bonum volumus, & procuramus, ex quocunque motiuo velimus, & procuremus: secundum, virtutem per quam istud bonum volumus & procuramus ex hoc formali motiuo, quòd sit bonum communitatis cuius ciues sumus: si ergo sicut obedientiæ generalis nomine primum intelligimus, ita nomine iustitiæ generalis primum intelligamus, fateor, quòd sicut illa obedientia generalis non est specialis virtus, sed idem essentialiter cum qualibet speciali virtute suos proprios actus imperatos eliciente, & ita quod imperatum est faciente, eáque proinde de causa nomen obedientiæ sibi meritò vendicante: ita iustitia generalis non est virtus specialis, sed eadem essentialiter cum qualibet speciali virtute, cum quælibet efficiens proprios suos actus, efficiat id quod reipsa bonum communitati est, quia ipsi bonum haud dubie est ciues suos bonos esse, virtutémque colere. At si nomine obedientiæ secundum intelligamus, sicut hæc obedientia virtus specialis est, à cæteris omnibus distincta secùndùm essentiam, eo quòd ei soli proprium est ex speciali illo motiuo facere quod imperatum est : sic iustitiæ legalis nomine si secundum intelligamus, hæc virtus specialis est à cæteris omnibus essentialiter differens, eo quòd huic soli conuenit ex prædicto speciali motiuo communitatis bonum velle, & procurare.

III. C

IV. D

Tertium. Iustitiæ legalis nullum aliud munus est, quàm commune bonum procurare : atqui dempta legali iustitia quæ specialis virtus sit, retentisque solis cæteris virtutibus, commune bonum sufficientissimè perfectissiméque procuratur: per legum enim omnium accuratissimam obseruationem bonum istud procuratur perfectissimè, leges autem omnes accuratissimè obseruari possunt per cæteras omnes virtutes. Sicut enim quælibet lex in particulari, aut imperat actum particularis alicuius virtutis, vt temperantiæ, fortitudinis, alteriusve similis, aut vetat contrarium : ita quælibet particularis lex perfectè per hanc particularem virtutem potest obseruari, & proinde tota legum collectio per totam harum virtutum collectionem.

VI.

Respondeo primò, si hoc argumentum vim haberet ad concludendùm nullam esse admittendam iustitiam legalem, quæ specialis virtus sit, habiturum quoque ad inferendum nullam esse admittendam specialem obedientiæ virtutem : pari enim iure dicere possem, obedientiæ nullum aliud munus esse quàm actus imperatos exercere, dempta autem obedientia, quæ specialis virtus sit, retentisque solis cæteris virtutibus, posse fieri actus imperatos, quia actus imperati alij non sunt, quàm aut temperantiæ, aut iustitiæ, aut misericordiæ, aut alterius similis particularisque virtutis, qui per has virtutes effici possunt.

VII.

Respondeo secundò, quòd sicut hoc non obstante, admittenda nihilominus specialis aliqua virtus est obedientiæ, vt actus imperati fiant, non quomodocunque, seu ex quouis formali motiuo, sed ex isto speciali, nempe quoniam imperati sunt, quo modo operari specialem habet honestatem difficultatémque, & proinde proprium est specialis alicuius virtutis, nec alterius quàm obedientiæ: ita non obstante quòd commune bonum procurari perfectissimè possit per accuratissimam legum omnium obseruationem, hæc autem obseruatio perfectè possit fieri per cæteras particulares virtutes, admittenda nihilominus est specialis aliqua virtus, quæ bonum illud procuret non ex quocunque motiuo, sed ex isto particulari, quatenus bonum communitatis est: quo modo velle bonum istud & procurare, specialem habet & difficultatem, & honestatem, proptiámque proinde virtutis alicuius specialis, nec alterius quàm iustitiæ legalis.

VIII.

SECTIO V.

Soluuntur alia duo contra eandem argumenta.

QVARTVM : quælibet particularis virtus in propria sua materia operari potest ex formali motiuo boni communis: ergo nihil necesse est iustitiam legalem à cæteris his virtutibus simul sumptis distinguere. Consequentiæ bonitas ex ante dictis cuidens est. Antecedens probatur, primò ex eo quòd si potest aliqua particularis virtus propria sua in materia ex prædicto motiuo operari, poterit & quælibet alia, cum nulla sit potior vnius ratio quàm alterius : potest autem aliqua, nempe fortitudo, & magnificentia, quarum illa ex Philosopho lib. 3. Ethic. cap. 6. versatur circa præclarissimã mortem, id est, ex communi Interpretũ expositione, propter commune bonum oppe-

titam: hæc verò 4. Ethic. cap. 2. non in ſuum, ſed in Reipublicæ commodum magnos ſumptus facit.

Secundò, quia cuilibet particulari virtuti cõuenit ferri non modò in obiectum ſuum, ſed etiam in obiecti ſui circumſtantias ſaltem præcipuas, vna autem ex præcipuis obiecti earum circumſtantiis eſt bonum commune.

Tertiò, quia ſequeretur alioqui, quamlibet particularem virtutem eſſe poſſe principium actus vitioſi, quod conſequens admittendum non eſt, cùm virtute malè vti nemo poſſit: ſequeretur tamen, ſi enim virtus temperantiæ v. c. non ſpectat commune bonum, poterit quis ex hac virtute moderatè cibum ſumere eo tempore quo propter imminens periculum arma ſumenda eſſent, & ſtrenuè pro Republica dimicandum. Cur enim id ex prædicta virtute non poſſit eo tempore, ſi virtus iſta non ſpectat cõmune bonum, ſed ſolùm moderatam cibi ſumptionem, quæ non minùs moderata eſſe poteſt illo tempore, quàm quouis alio, quo nullum Reipublicæ periculum immineret? qui tamen actus eo tempore quo Reſpublica defendenda eſſet, vitioſus eſt, vtpote vetitus, quandoquidem ex lege naturali eſſet omittendus ad Rempublicam defendendam.

Reſpondeo negando antecedens, cuius ad primam probationem dico, quòd ſicut nulli particulari virtuti conuenit verſari circa materiam aliquam ex hoc formali motiuo, quòd imperata ſit, præterquam ſpeciali obedientiæ: ita nulli cõuenit verſari circa materiam aliquam ex formali motiuo boni communitatis, vt huiuſmodi bonum eſt, præterquam ſpeciali virtuti iuſtitiæ legalis. Vnde nego fortitudini aut magnificentiæ illud conuenire: huic quidem conuenit magnos ſumptus facere qui cedant in bonum Reipublicæ: illi verò præclaram mortem oppetere cedentem item in bonum ipſius, quod ſolùm voluit citatis locis Philoſophus: at non conuenit facere & oppetere ex formali motiuo boni huius, quod iuſtitiæ legali proprium eſt.

Ad ſecundam dico, quamlibet particularem virtutem verſari poſſe circa circumſtantias obiecti ſui, ſed ex eodem motiuo formali, ex quo circa obiectum ſuum: quare ſi, vt plerunque accidit, in circumſtãtia aliqua ſpectari poteſt ſpecialis honeſtas, diſtincta a ſpeciali honeſtate obiecti, & proinde ſpeciale motiuum ſeu formale obiectum alicuius virtutis, non eſt eiuſdem virtutis tendere in obiectum ſuum, eiuſque circumſtantiam ex illo duplici formali obiecto, cùm vnius virtutis vnicum formale obiectum ſit, ſed illa res quæ circumſtantia dicitur obiecti virtutis vnius, eſt obiectum virtutis alterius: quod contingit in bono communi Reipublicæ proprium aliarum virtutum obiectum per modum circumſtantiæ afficiente: quod ſimiliter videre licet in bono Dei, quod quidem omnium actuum externorum, qui ſunt propria virtutum aliarum materia, circumſtantia eſt, cùm hi actus ſicut in gloriam Dei cedunt, ita in aliquod eius bonum: in quam tamen circumſtantiam ferri ex hoc formali motiuo, quatenus nimirum bonum Dei eſt, ſoli Theologicæ charitati conuenit.

Ad tertiam nego illud ſequuturum, & ad rationem qua ſequuturum probatur, dico, quòd etſi temperantia bonum commune non ſpectet vt formale obiectum, ex quo in propria materia poſſit operari, non poteſt tamen eſſe principium moderatæ cibi ſumptionis eo tempore quo Reſpublica defendenda eſſet, ſi tum temporis hæc moderata ſumptio vitioſus actus eſt: qualis reuera non eſt, dum cauſa non eſt omiſſionis illius actus quo Reſpublica defendi deberet: è contrario autem eſt, quando huiuſce omiſſionis cauſa eſt: virtus enim illius ſolius actus principium eſſe poteſt, qui elicitur ex honeſto motiuo, ſeu gratia honeſtatis: tunc autem temporis moderata illa cibi ſumptio, quandoquidem vitioſa eſt, & talis eſſe à ſumente cognoſcitur, vt ſupponimus, ex honeſto motiuo elici non poteſt. Sicut enim actum cum peccati macula coniunctum, quémque talem eſſe cognoſcimus, honeſtè velle aut facere non poſſumus: ita nec ad eum volendum aut faciendum moueri poſſumus ab aliqua honeſtate, ſeu honeſto aliquo motiuo: hæc enim neceſſariò connexa ſunt, vt quæ facimus moti honeſtate, ſeu honeſto motiuo, faciamus honeſtè: & quæ honeſtè facimus, moti honeſtate, ſeu honeſto motiuo faciamus: tam clarum autem eſt, nos actum peccati non poſſe honeſtè committere, quàm non poſſe laudabiliter, cùm omnis actus honeſtus ſit laudabilis.

Et ſanè ſi tertia illa antecedentis probatio valeret ad probandum, virtuti temperantiæ, & cuilibet alteri conuenire operari in propria materia ex formali obiecto boni communis, pari efficacitate valeret ad concludendum, eidem virtuti conuenire operari in propria materia ex formali obiecto ſeu motiuo boni, & proximi, & Dei, & cultus diuini, quæ ſunt obiecta formalia virtutum religionis, & charitatis erga Deum & proximum: eadem enim ratione dici poſſet, futurum alioquin, vt actus vitioſi principium eſſe poſſet, nempe moderatæ cibi ſumptionis, quæ non minus exerceri poterit eo tempore, quo ex præcepto bonum Dei aut proximi procurandum eſſet, aut diuino cultui vacandum, quàm eo tempore quo Reſpublica defendi deberet, quæque proinde tempore illo facta non minus vitioſa eſſet, quàm ſit, dum fit eo tempore, quo Reſpublica defendenda eſt.

Quintum. Si iuſtitia legalis tanquam virtus ſpecialis admitti debet, ad bonum Reipublicæ procurandum ex formali motiuo boni huius, admitti quoque debebit quædam alia ſpecialis ad procurandum bonum familiæ ex formali motiuo boni iſtius: ſicut enim bonum Reipublicæ propter ſe honeſtè appeti & procurari poteſt, ita & bonum familiæ. Gregorius à Valentia hic ad hanc obiectionem reſpondens ait, cùm familiæ communitas ſeu domeſtica multitudo tres tantùm combinationes comprehendat, ex Philoſopho libro primo Politic. & ex Diuo Thoma citatæ ſæpiùs quæſtionis 58. articulo ſeptimo ad 3. nempe parentis & liberorum, viri & vxoris, domini & ſerui, bonum familiæ ſufficienter procurari per tres virtutes, nempe per pietatem qua bene diſponitur parens erga liberos, liberi erga parentem: per iuſtitiam illam œconomi-

I. V. II. III. IV. A B C D V. VI. VII. VIII.

cam, qua vir ad vxorem, & vxor ad virum rectè disponitur: & per illam alteram œconomicæ iustitiæ virtutē, qua recte dominus ad seruum, & seruus ad dominum afficitur: nec proinde esse necessarium ad commune familiæ bonum procurandum virtutem aliquam specialem à tribus his enumeratis distinctam admittere.

I. Verùm hæc responsio non placet, tum quia concludi ex ea efficaciter potest, ad procurandum commune bonum Reipublicæ non esse necessarium iustitiam legalem tanquam specialem virtutem à cæteris distinctam admittere: non enim minùs sufficienter bonum istud procurari per has cæteras virtutes potest, quàm illud aliud per tres prædictas: tum quia sicut admittitur iustitia legalis vt specialis virtus à cæteris omnibus distincta, eo quod, etsi per has sufficienter commune Reipublicæ bonum procurari possit, nulla tamen ex iis est quæ procuret ex formali motiuo boni istius communis: ita etiam admittenda est specialis aliqua virtus à tribus præfatis diuersa, eo quòd, etsi per eas tres commune familiæ bonum procurari sufficienter queat, nulla tamen ex illis est quæ procuret ex formali motiuo huius boni communis: quandoquidem prima trium illarum, solos parentes & liberos respicit: secunda, non nisi virum & vxorem: tertia dominum & seruum tantummodo, nec vlla proinde totam familiam bonúmque ipsi toti commune: quod quamuis quælibet ex iis eatenus respiciat tanquam obiectum materiale, quatenus respicit id quod bonum partis est, bonum autem partis bonum est totius, quia tamen non respicit ex formali motiuo boni communis, vt dixi, ideo specialis alia virtus ab iis distincta quæ sic respiciat admittenda est. Quam admittere, etsi Greg. à Val. dicat esse D. Thomæ doctrinæ citato loco repugnans, nego tamen esse, cùm S. Doctor ibi neget solummodo inter personas familiã componentes, nimirum inter parentem & liberos, inter virum & vxorem, inter dominum & seruum, intercedere strictam simplicitérque dictam iustitiam: quod nos quoque negamus, & infra suo loco probabimus.

III. Cæterùm specialis ista virtus non videtur à iustitia legali distinguenda: tum quia neque Philosophus, neque S. Doctor, neque Theologi communiter agnoscunt aliquam huiusmodi virtutem à præfatis tribus & à iustitia legali distinctam: vnde cùm supra probauerimus eam tam necessariò à tribus istis distinguendam esse, quàm necesse est iustitiam legalem à cæteris omnibus distinguere, sequitur eam à iustitia legali distinguendam non esse: tùm quia nulla necessitas est huius distinctionis: facillimè enim & probabilissimè dici potest, iustitiam legalem IV. ex essentia sua spectare bonum communitatis, ad quam vt partes ad totum pertinemus, quatenus eiusmodi bonum est, quęcunque demum sit illa communitas.

Et sanè cùm multæ sint communitates ad quas simul pertinere possumus vt pars ad totum: prima regni, secunda prouinciæ, quæ pars huius regni est, tertia ciuitatis, quæ pars est istius prouinciæ, quarta familiæ, quæ pars huius ciuitatis est, sicut nemo distinguit tres species virtutes, quarum prima primæ communitatis, secunda secundæ, tertia tertiæ bonum procuret ex formali motiuo boni huius, imò sentiunt communiter omnes, vnam eandémque legalis iustitiæ virtutē triplicis illius communitatis bonum spectare posse ex prædicto formali motiuo: ita nec distinguenda videtur à cæteris omnibus virtus aliqua specialis, quæ V. bonum familiæ procuret ex formali huius boni motiuo, sed potiùs existimandum, bonum huius communitatis tam spectari posse à iustitia legali, quàm bonum trium priorum communitatum: cùm præsertim inter communitatem quæ familia est, & inter eam quæ ciuitas est, tanta possit esse proportio in numero multitudinis, tum saltem cùm familia, vt plerunque accidit, amplissima est, ciuitas autem parua, quanta est inter hanc ciuitatis communitatem, & inter eam quæ prouincia est.

DISPVTATIO IV.

Vtrùm iustitia legalis habeat aliquas sub se species?

SECTIO PRIMA.

Pars negatiua defenditur, & probatur.

VI. NON dubium est quin habeat, supposita illa Theologorum sententia, quæ præter Theologicas virtutes admittit aliquas alias purè morales infusas & supernaturales, eiusdem nominis cum naturalibus & acquisitis, vt duplicem temperantiam, vnam naturalem & acquisitam, alteram supernaturalem & infusam: duplicem pari modo misericordiam, fortitudinem, & ita de cæteris virtutibus purè moralibus, de quarum numero cùm sit iustitia legalis, erit hæc haud dubiè similiter duplex, vna naturalis & acquisita, altera supernaturalis & infusa, quarum hæc ab illa specie distinguetur, cùm naturalis & supernaturalis in entitate qualitas non possint non distingui specie: & à quibus vna communis iustitiæ legalis ratio abstrahetur, quæ de qualibet ipsarum tanquam genus de sua specie prædicabitur, non secus atque à temperantia aut fortitudine naturali seu acquisita, & supernaturali seu infusa, abstrahitur vna communis fortitudinis aut temperantiæ ratio, quæ de qualibet ipsarum tanquam genus de sibi subiecta specie affirmatur. VII.

Quam quidem communem rationem abstractam non est quòd quis neget esse perfectè vnã seu vniuocam, eo quòd videat illam abstrahi à dũobus, quorum vnum secundùm speciem suam supernaturale est, alterum naturale, cùm à qualitatibus omnibus, nominatímque à virtutibus, quarum aliquæ sunt in entitate supernaturales, vt Theologicæ saltem, aliæ mere naturales, abstrahatur perfectè vna seu vniuoca ratio qualitatis, & virtutis: vnde est, quòd omnes in eodem qualitatis prædicamento sub virtute tanquam sub genere proximo, & sub qualitate tanquam sub remoto, collocantur. VIII.

Verùm proposita à nobis de iustitia legali quæstio non est accipienda, supposita prædicta Theologorum sententia, cùm ea supposita sit

euidens, nullam esse virtutem purè moralem, quæ non habeat aliquas sub se species, vnam naturalem & acquisitam, alteram supernaturalem & infusam: sed accipienda potius est abstrahendo à sententia ista, aut etiam contrariam supponendo, nempe nullas dari virtutes pure morales, seu non Theologicas, supernaturales & infusas eiusdem nominis cum naturalibus & acquisitis. Quo supposito, quærimus de iustitia legali, quæ naturalis virtus est, & cuius essentiam suprà declarauimus, vtrùm sit infima aliqua virtutis species, an potiùs non sit, sed aliquas habeat sibi subiectas species? qua in re sentiendum est nullas habere: vt enim aliquas haberet, oporteret duas saltem dari virtutes specie distinctas, quarum quælibet esset aliqua iustitia legalis, & proinde de quarum qualibet posset iustitia illa legalis à nobis suprà explicata tanquam genus de speciebus affirmari: atqui non possunt dari duæ huiusmodi virtutes.

I.

Dices in primis, dari posse duas istas, nempe iustitiã legalem quæ in Reipublicæ Principe est, & illam quæ in quolibet subditorum: hásque tam inter se specie esse distinctas, quàm ars seu virtus architectonica ab vsuali seu ministeriali, aut quàm prudentia politica Principis, quæ regnatiua, seu Monarchica dicitur, à politica prudentia singulorum ciuium subditorum specie distinguitur: cùm iustitia legalis Principis architectonica sit, & eiusdem prudentiæ regnatiuæ respondeat: subditorum autem legalis iustitia sit vsualis seu ministerialis, respondeatque politicæ ipsorum prudentiæ: artem autem architectonicam ab vsuali specie distingui, communis post Aristotelem Philosophorum sententia est: prudentiam item regnatiuam Principis à politica subditorum prudentia specie differre, docent tum Philosophus in Ethicis lib. 6. cap. 8. tum D. Thomas quæst. 50. art. 1.

II.

III.

At nego iustitiam legalem Principis & subditorum specie distingui: vtraque enim idem obiectum materiale, tum formale habet: nam vtraque tendit in id quod bonum Reipublicæ seu communitati est, & ex hoc formali motiuo tendit, quòd nimirum huiusmodi bonum fit. Et quamuis subditus non possit ex hoc ipso motiuo eos omnes actus exercere quos potest Princeps, hic enim potest eo motus & impulsus imperare subditis aliqua facienda, quod non possunt subditi, cùm nullam habeant imperandi potestatem: non propterea tamen istorum iustitia legalis ab illius distinguenda secundùm speciem est: vt sint enim eiusdem infimæ speciei, satis est, quòd hi imperata facere possint ex eodem formali motiuo boni communis, ex quo ille facienda imperauit: & in genere, quòd hi quæcunque per iustitiam suam legalem operantur, operentur ex eodem motiuo formali, ex quo operatur ille quæcunque per legalem iustitiam suam operatur: quemadmodum vt misericordiæ virtus in domino imperante seruo erogationem eleemosynæ, & in seruo eam ex imperio domini erogante eiusdem speciei sit, sufficit, vt ex eodem formali motiuo subleuandæ miseriæ alienæ ille eleemosynam imperet, iste eroget.

IV.

A

B

C

D

Vnde ad illud quod superiùs de arte seu virtute architectonica & ministeriali obiectum est, dico illam quidem artem seu virtutem quæ per se & ex essentia sua architectonica est, seu quæ secundùm specificam suam naturam habet obiectum tale, talemque finem, ratione cuius ei conueniat aliis imperare, differre essentialiter ab arte seu virtute, quæ per se suaque ex natura ministerialis est, seu quæ secundùm specificam suam naturam habet obiectum tale, talemque finem, vt eius ratione ei conueniat subiici & deseruire alteri tanquam superiori, vt ars frænefactiua equestri, & equestris militari: & de hac arte seu virtute architectonica & ministeriali loqui cum Aristotele Philosophos, dum vnam ab altera specie distinguunt: at virtutem seu artem architectonicam & ministerialem quæ per accidens tantùm talis est, vt ratione subiecti in quo recipitur, quia nimirum recipitur in homine qui Princeps est, habetque imperandi potestatem, aut in eo qui subditus est, cuique proinde incumbit ex officio obedire, non distingui inuicem essentialiter: alioquin omnis ars & virtus existens in Principe differret specie ab ea omni quæ esset in subditis, quod certissimè falsum est: legalis autem iustitia quæ in Principe est, non nisi per accidens architectonica est: & quæ in subdito, non nisi per accidens ministerialis: videlicet ratione subiecti in quo est, cui accidit esse vel subditum, vel Principem, & ad quam mere per accidens se habet, quòd is in quo est, fit vel subditus, vel Princeps: vnde si quis de Reipublicæ Principe fiat subditus, & de subdito Princeps, eius iustitia legalis manebit prorsus inuariata tam secundum differentiam specificam, quàm numericam, & tamen fiet de ministeriali architectonica, vel de architectonica ministerialis, ob hanc eius in quo est mutationem.

V.

VI.

VII.

Et hoc quidem, quòd nimirum Principis iustitia legalis per accidens solùm architectonica sit, subditorum autem, per accidens tantùm ministerialis, subindicauit hic D. Thomas quæstionis 58. art. 6. dum illam quæ in Principe est, quasi architectonicam, eam autem quæ in subditis, quasi ministerialem esse dixit.

Ad illud autem quod de prudentia politica Principis & subditorum obiectum quoque est, respondeo, concedendo prudentias istas specie distingui, negando autem eandem esse rationem iustitiæ legalis Principis, & subditorum. Cum enim vtraque sit virtus moralis & propria voluntatis, & idem, vt ante dixi, obiectum tam materiale quàm formale habeat, non potest vna ab altera secundùm speciem distingui. At prudentia cùm sit virtus intellectualis, cuius proprij actus sunt assensus dati quibusdam conclusionibus, huiusmodi verò virtutes distinguantur specie secundùm diuersa specie media, tanquam motiua & lumina, per quæ manifestantur & inferuntur propriæ earum conclusiones: prudentia autem politica Principis per quam prudenter concludit, & statuit de iis quæ communi bono expediunt (quod eius prudentiæ politicæ, vt regnatiua seu Principis est, propriè conuenit) diuersis specie mediis

VIII.

tanquam motiuis nitatur, ab iis quibus nititur politica ſubditorum prudentia, per quam prudenter concludunt & ſtatuunt, quid ſibi, vtpote ſubditis, ex præſcripto Principis ad commune bonum procurandum faciendum ſit, nō mirum ſi horum prudentia politica à politica
I. Principis ſpecie diſtincta ſit, & ſi iſtius eorūdémq. iuſtitia legalis vnius & eiuſdē ſpeciei ſit.

SECTIO II.

Alia duæ eius ſpecies aſſignantur, & refelluntur.

DICES ſecundò, has alias duas dari poſſe, nempe iuſtitiam illam quæ fertur in id quod verbis legis exprimitur: vnde & commune iuſtitiæ legalis nomen retinet, ſicut in phyſicis aliquando nomen generis vni ſpecierum tanquam proprium tribuitur: & Epiikiam, Latinè dictam æquitatem, quæ contra verba legis operatur, quando ſic operari expedit. Quam quidem æquitatem eſſe quandam
II. virtutem, quandamque iuſtitiam, docent & Ariſtot. Ethic. libri quinti cap. 10. & D. Thom. hic 2. 2. quæſt. 120. art. 1. & 2. communitérque Philoſophi & Theologi. Verùm has duas virtutes aſſignatas non eſſe verè duas ſpecie diſtinctas, quarum quælibet ſit aliqua iuſtitia legalis, probo primùm hac ratione. Illæ non ſunt duæ virtutes ſpecie diſtinctæ, quæ ſolo materiali obiecto differunt, conueniunt autem in vno eodémque formali: ex ſolis enim formalibus obiectis vel iiſdem vel diuerſis dignoſcitur vel identitas vel diuerſitas ſpecifica virtutum moralium in humana voluntate ſedem habentium: atqui duæ illæ virtutes ita ſe habent: iuſtitia enim illa legalis, quæ tanquam diuerſa ſpecies ab æquitate aſſignatur,
III. facit id quod verbis legis præceptum eſt: æquitas iſta contra verba legis operans contrarium facit: ſed illa dum illud facit, iſta dum illud, ex eodem prorſus motiuo boni communis facit: ſi enim vel hæc, vel illa, vel vtraque quod facit, non facit ex iſto formali motiuo, ſed ex alio bono & honeſto, erit quidem virtus moralis, ſed non erit iuſtitia legalis, cui eſſentiale eſt, quidquid facit, facere ex hoc vnico formali motiuo boni communis.

Probo ſecundò ex eo quòd pari iure diſtingui deberet duplex ſpecie virtus obedientiæ ſpecialis: ſicut enim dicitur iuſtitia legalis genericè ſumpta diuidi tanquam in ſpecies, in eam quæ facit id quod verbis legis exprimitur, quando id facere ad commune bonum expedit: & in alteram quæ contrarium verbis
IV. legis efficit, quando id efficere ad idem commune bonum conducit: ita pariter dici deberet, obedientiam ſpecialem genericè ſumptam diuidi tanquam in duas ſpecies, in eam ſpecialis obedientiæ virtutem, quæ facit id quod verba legis præcipiunt, quando hæc voluntas legiſlatoris eſſe iudicatur, vt id fiat: & in aliam, quæ contra verba legis operatur in quibuſdam particularibus caſibus, in quibus hæc legiſlatoris voluntas eſſe iudicatur, vt fiat contrarium eius quod verba legis ſonant: quam tamen duplicem ſpecie virtutem obedientiæ ſpecialis ſicut nemo admittit, & ob hanc cauſam, quòd hæc & illa virtus ſolo differant obiecto materiali, conueniant autem in vno eodémque formali, quod eſt faciendo id quod ſit ſubiicere ſe voluntati ſuperioris imperantis: ita & ob eandem cauſam nec illa duplex iuſtitiæ legalis ſpecies admittenda eſt.

Probo poſtremò, quia tantum abeſt, vt prædicta illa iuſtitia legalis & epiikia ſeu æquitas ſint duæ iuſtitiæ legali tanquam generi ſubiectæ ſpecies, vt ne ſint quidem duæ particulares ſpecialéſque virtutes à cæteris diuerſæ, ſed cum plurimis earum intimè confundantur, ſintque cum ipſis idem eſſentialiter. Illa enim legalis iuſtitia, quam aduerſarij iuſtitiæ legali tanquam generi ſubiectam ſpeciem aſſignant, tota in eo poſita eſſe ab iis dicitur, vt tendat in illud iuſtum ſeu bonum honeſtum faciendum quod verbis legis præcipitur: at huiuſmodi iuſtitia ſpecialis virtus eſſe non poteſt, ſed neceſſariò eadem eſt cum quibuſdam aliis particularibus virtutibus. Cùm enim prædictum iuſtum verbis legis expreſſum præceptumque variis ex motiuis fieri poſſit, & ex aliquo ſemper fiat, conſiderandum eſt, ex quonam reipſa ſit: nam ſi ſit ex motiuo ſubiiciendi ſe voluntati legiſlatoris legitimè imperantis, iuſtitia quæ tendit in illud iuſtum, eſt ipſiſſima virtus obedientiæ ſpecialis: ſi ex motiuo reddendi alteri ius ſuum, eſt ipſiſſima virtus iuſtitiæ particularis: ſi ex motiuo boni communitatis, eſt ipſiſſima virtus iuſtitiæ legalis: cui eſſentiale eſt quidquid operatur operari ex hoc formali motiuo, vt conſtat ex ſupradictis: & ita de cæteris: nec reperietur vnquam in prædictum iuſtum ex aliquo honeſto motiuo tendere, quin motiuum hoc ſit proprium ſpecialis alicuius virtutis, vt fortitudinis, temperantiæ, miſericordiæ, aut alterius ſimilis formale obiectum, & quin proinde illa iuſtitia, ex hoc formali obiecto in prædictum iuſtum tendens, ſit idem eſſentialiter cum particulari illa virtute, cuius ex proprio obiecto formali in illud iuſtum tendit.

Iam verò quod attinet ad epiikiam, cùm in eius exercitio duo tantùm actus ad ipſam pertinentes interueniant, vnus intellectûs, alter voluntatis, ille conſiſtens in iudicio quo recte iudicamus in hoc aut iſto particulari caſu nullam eſſe obligationem faciendi id quod verbis legis exprimitur, aut etiam obligationem eſſe faciendi contrarium: iſte verò conſiſtens in volitione id non faciendi, aut etiam contrarium faciendi: pro priori quidem actu exercendo, non eſt admittenda ſpecialis aliqua virtus intellectus à ceteris vulgo receptis diſtincta: actus enim ille proprius eſt vel prudentiæ, vel ſcientiæ, vel alterius virtutis intellectualis ex earum
VIII. numero quæ communiter admittuntur, quia ad hunc iudicij actum eliciendum nunquam alio medio ſeu formali motiuo mouetur intellectus, quam eo quod proprium eſt virtutum iſtarum. Vnde epiikia ex parte intellectus ſe tenens eſt idem eſſentialiter cum aliqua ex iſtis virtutibus. Pro poſteriori verò actu, nec ſpecialis virtus admittenda eſt à cæteris quæ vulgò receptæ ſunt diuerſa. Cùm enim poſſit quis velle non facere quod verbis legis exprimitur, aut contrarium facere, ex multiplici motiuo,

considerandum est motiuum ex quo volitio ista elicitur: & quoniam nunquam reperietur elici ex motiuo honesto, quin eliciatur ex aliquo, quod sit proprium aut iustitiæ legalis, aut particularis, aut fortitudinis, aut similis alterius specialis virtutis, nunquam quoque reperietur in voluntate epiikiæ virtus, quæ non sit eadem essentialiter cum aliqua ex his particularibus virtutibus. I.

Ex dictis facilè intelligitur, meritò Aristotelem & S. Doctorem locis suprà citatis dixisse, epiikiam non tantùm esse quandam virtutem, quandámque iustitiam, sed etiam quandam iustitiæ speciem subiectam iustitiæ communi, tanquam generi: esse quoque meliorem iustitia legali, & ipsum æquum quod æquitatis obiectum est, esse quidpiam melius iusto legali, nempe illo quod legalis huius iustitiæ obiectum est. In primis enim meritò dixerunt esse quãdam subiectam communi iustitiæ speciem, non modò cùm virtus in genere quæ ad alterum est, iustitiæ nomine rectè vocetur, æquitas autem seu epiikia sit aliqua virtutis ad alterum species, sed etiam cùm nunc ex motiuo formali legalis iustitiæ, nunc ex illo iustitiæ particularis operetur, sitque proinde eadem essentialiter cum hac & illa iustitia, ab hac autem & illa abstrahatur vna ratio iustitiæ vtrique communis tanquam genus speciebus. II.

Deinde meritò dixerunt æquitatem meliorem esse iustitia legali, id est, ea iustitiæ virtute, quæ inclinat ad faciendum illud iustum quod verbis legis exprimitur, quæcunque demùm sit illa virtus, & ex quocunque tandem motiuo ad illud faciendum inclinet: quandoquidem inclinat ad illud iustum, quod vniuersim quidem imperatum, & vt plurimùm iustum est, in nonnullis tamen particularibus casibus deficit, & iniustum est: at virtus æquitatis inclinans ad agendum contra verba legis, in iis casibus in quibus ad hoc inclinat, quocunque ex motiuo inclinet, & proinde quæcunque sit virtus, semper inclinat ad id quod honestè fieri potest, & nunquam ab æquo deficit: ex quo patet, æquum quod est obiectum istius æquitatis, esse quid melius iusto, quod est obiectum iustitiæ illius legalis, tùm hoc iustum sit quidem, vt dixi, iustum vt plurimùm, in nonnullis autem casibus deficiat, & iniustum sit: æquum verò illud semper æquum sit, nunquam iniquum. III.

DISPVTATIO V.

Vtrùm iustitia legalis sit præstantior cæteris virtutibus? IV.

QVÆSTIO hæc à nobis proponitur, non vt instituatur inter iustitiam legalem & singulas alias in particulari virtutes comparatio, quæ nonnisi declarata cuiusque singillatim natura fieri posset, quam hîc declarare, & prope infinitum foret, & sicut à tempore ac loco, sic à ratione prorsus alienum: sed ob eam solùm causam, vt explicetur breuiter doctrina quam tradit S. Doctor art. 12. quæstionis 58. circa quam hactenus cum ipso de iustitia legali disputauimus: tradita autem ab eo articulo illo doctrina duabus his propositionibus continetur. Prima est, iustitiam legalem præstantiorem esse cæteris virtutibus moralibus, ac proinde ipsa quoque iustitia particulari. Secunda, hanc particularem iustitiam aliis quoque virtutibus moralibus esse præstantiorem. A V.

Circa primam quæ sequuntur obseruanda sunt. Primum est, si legalis iustitia cum particulari comparetur, constare satis ex vtriusque obiecto cùm materiali tum formali superiùs explicato legalem particulari esse præstantiorem, cùm illius obiectum materiale huius obiecto materiali præstet: formale formali: formale quidem tantò, quatò commune bonum quod illa spectat vt obiectum formale, eo sensu quo suprà declaratum est, præstat priuato, quod hæc respicit: materiale verò, quia cùm illius obiectum materiale proximum & immediatum sit exterior actio bona & honesta qua commune bonum procuratur: huius autem proximum & immediatum materiale obiectum sit exterior actio bona & honesta qua ius suum alteri redditur, tanto illud obiectum isti præstat, quantò melius & honestius est commune bonum procurare, quàm priuatum, siue de bonitate & honestate materiali seu obiectiua sermo sit, siue de formali. B VI.

Quamquam dum aliqua actio exterior bona & honesta dicitur esse materiale obiectum virtutis alicuius, nunquam de formali, semper de sola materiali seu obiectiua sermo est: tum quia spectata illa actio prout est formaliter bona & honesta propria bonitate & honestate virtutis illius, ab illa virtute imperatur, & efficitur: in hanc enim non resultat bonitas illa honestasque formalis, nisi ex interna volitione bona formaliter & honesta, quam illa virtus ex proprio suo formali obiecto elicit: estque per cõsequens ista actio exterior, eo quo dixi modo spectata, effectus virtutis illius, ac proinde illâ posterior, cùm tamen materia vt sic prior esse debeat habitu vel artis vel virtutis qui circa ipsam versatur: tum quia sicut materia artis est id in quod ars formam suam inducit, sic materia virtutis moralis quæ in externo opere consummatur, cuiusmodi est iustitia tam legalis quam particularis, est illa operatio in quam virtus propriam suam formalem honestatem, tãquam formam suam inducit: non inducit autem in externas operationes, prout iam hac affectæ forma concipiuntur, sed prout sunt eius naturâ suâ capaces, ac proinde bonæ & honestæ materiali duntaxat & obiectiua bonitate seu honestate. C VII. D VIII.

Secundum est, cùm virtus omnis speciem suã, perfectionémque proinde ac præstantiam naturæ suæ ac essentiæ, ab obiecto formali accipiat, iustitiæ autem legalis obiectum formale sit commune bonum, eo sensu quo suprà declarauimus, aliarum verò virtutum moralium, si no omnium, certè plurimarum, formale obiectum non sit aliud bonum quàm priuatum, hinc concluditur, quòd sicut illud bonum est isto maius ac diuinius, ita virtus illa cæteris virtutib. mo-

ralibus, si non omnibus, saltem quamplurimis est essentialiter præstantior: quæ fuit vnica ratio qua probauit S. Doctor articulo illo 12. in corpore, legalem iustitiam cæteris vniuersim virtutibus moralibus esse præstantiorem.

I. Tertium est, non ita tamen generaliter illam à S. Doctore præferri cæteris omnibus, vt nulla prorsus tam ex rei veritate, quàm eius mente excipienda sit. In primis enim excipiendæ sunt Theologicæ, quas omnium consensu certum est cæteris nō Theologicis esse nobiliores: cum quibus etiam D. Thomas iustitiam legalem nō comparat haud dubiè, sed cum solis aliis purè moralibus: ex quarū numero excipienda deinde est saltem religio, ex communi Theologorum cōsensu, quam & ipse S. Doctor excepta vult, cùm infra q. 81. art. 6. eam cæteris omnibus virtutibus moralibus, ac proinde ipsi legali iustitię anteferendam esse concludat, idque clara & efficaci ratione demonstret. Vnde cùm citato art. 12. iustitiam hanc cæteris illis virtutibus anteponit, de solis virtutibus loquitur ordinatis ad bonum humanum, seu quibus in ordine vel ad nos ipsos, vel ad alios homines recte afficimur, vt satis ex eius verbis constat, cùm per religionem, vtpote Dei cultum essentialiter respicientem, recte in ordine ad Deum afficiamur.

II. Quartum est, nec videri iustitiam hanc virtutib. istis ita vniuersim anteponendam, vt nulla prorsus excipiatur. Nam & ipse D. Thom. misericordiam excepisse videtur, cùm suprà q. 30. art. 4. expresè docuerit, eam virtutum omniū quæ proximum respiciunt, de quarum numero legalis iustitia est, esse maximam ac potissimam: quam & Caietanus ad citatum sæpius artic. 12. excepit, eam isti iustitiæ præferens. Cui sane præferenda sine dubitatione videtur, si, quod valde probabile est, ab ipsa virtute charitatis erga proximum non distinguitur: hæc enim charitas, prima virtutum omnium moralium, quibus recte vel ad nos, vel ad alios homines afficimur, certissimè videtur esse, partim quia bonum quod vt obiectum materiale spectat, vniuersalissimum est: comprehēdit enim quoduis & omne bonū, siue publicum, siue priuatum, siue materiale, siue spiritale, siue naturale, siue supernaturale proximi cuiusuis, siue vnius, siue plurium, siue ciuium, siue exterorū: cùm iustitia legalis solius communitatis bonum spectet, nec cuiuslibet, sed illius solùm cuius partes sumus: partim quia in illud obiectum suum materiale tendit perfectissimo modo, qui eiusdem obiectum formale est, nempe quatenus proximi bonum est, seu ex complacentia qua ipse proximus per se ac propter se placet & diligitur: quo fit, vt quemadmodum ex Theologicis virtutibus charitas est præstantissima, quia pro materiali

IV. obiecto spectat bonum Dei, & pro formali spectat hoc bonum perfectissimo modo, nempe quatenus bonum Dei est, seu ex complacentia qua ipse Deus per se ac propter se placet & diligitur: sic charitas ex omnibus virtutibus moralibus, quæ vel nos vel proximos spectant, censenda sit nobilissima, cùm feratur in bonum proximi, quatenus bonum eius est.

Iam circa secundam propositionem ex duabus disputationis initio relatis, obseruandum est, iustitiam particularem, dum à S. Doctore cæteris virtutibus moralib. præferenda dicitur, solis illis dici præferendam, quibus homo in ordine ad seipsum recte disponitur: cuiusmodi sunt temperantia, & fortitudo: quod apertè indicāt duæ illæ rationes, quibus ad hoc probandum articulo illo 12. vsus est. Quarum prior est, quòd cæteræ virtutes sint in appetitu sentiente; tanquam in subiecto, particularis autem iustitia sit in voluntate, quæ nobilior est: quod de solis virtutibus prædictis potest accipi, cùm nō aliæ reponantur à Philosophis aut Theologis in appetitu sentiente virtutes, quàm quæ occupantur in edomandis huius appetitus immoderatis passionibus, hę autem non edomentur per alias virtutes, quàm per eas quibus in ordine ad nos ipsos recte disponimur. Posterior, quòd aliarum virtutum laus consistat in eo, quòd eas habentem bene afficiant in ordine ad ipsum habentem, iustitiæ verò laus consistat in eo, quòd hominem iustum bene etiam erga alios afficiat.

V. Ex priore ratione sequitur euidenter veritas doctrinæ, quam art. 9. præcedente idem S. Doctor tradiderat, nempe particularem iustitiam non versari circa passiones, id est, munus eius non esse modum imponere passionibus sentientis appetitus: quod verum est, cùm nec per se, nec per vllum habitum sibi hoc in appetitu respondentem in iis moderandis occupetur: non quidem per se, cùm in voluntate vt in subiecto sit: nec per vllum hab.tum sibi in appetitu respondentem, cùm nullus huiusmodi habitus sit in eo admittendus: si quis enim admittendus videtur, ob hanc profectò causam, quòd eius immoderatæ passiones aliquando ab actu iustitiæ exercendo reuocant, & huius actus exercitium reddunt difficilius, facilius autem exercitium contrarij actus, vt constat de immoderato erga pecunias, aut venereas voluptates affectu, qui reuocat ab actu restitutionis, & huius actus exercitiū reddit difficilius, imò etiam

VI. impellit ad furtum, & adulterium, qui sunt actus iniustitiæ. At ne propter hanc quidem causam prædictus habitus admittendus est: & ratio est, quod hi similésque motus & affectus sentientis appetitus sufficienter per alias virtutes, vt temperantiam, fortitudinem, aut similes à iustitia distinctas, aut per habitus virtutibus istis in appetitu sensitiuo respondentes comprimūtur: nec existimandum est, cuiuslibet specialis virtutis munus esse, vel per se, vel per habitum aliquem sibi respondētem, superare difficultates omnes, quas circa proprij actus sui exercitium potest offendere, sed eas solas quæ ex natura huius ipsius actus, aut materiæ circa quam versatur, per se oriuntur: alioqui dicendum esset ad fortitudinem pertinere, vel per se, vel per

VII. habitum aliquem sibi respondentem, moderari nimium erga venereas voluptates affectum, cùm hic affectus plerunque ab actu fortitudinis exercendo retrahat, reddat huius actus exercitium difficilius, impellereque possit, & quidem vehementer; ad actum fortitudini oppositum. Atque cum hactenus de iustitia tam legali, quàm particulari cum S. Thoma disseruerimus, nunc ad vitia vtrique virtuti contraria gradum cum ipso faciamus.

VIII.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm aliquod ſpeciale iniuſtitiæ vitium ſit admittendum?

SECTIO PRIMA.

Duo aſſeruntur, & probantur.

I.

PRIMA aſſertio. Admittendum eſt duplex ſpeciale iniuſtitiæ vitium, vnum iuſtitiæ legali, alterum particulari oppoſitum. Ita D. Thom. qu. 59. art. 1. cum quo idem ſentiunt de priori iniuſtitiæ vitio, illi omnes ſupra citati, qui cum ipſo iuſtitiam legalem ſpecialem eſſe virtutem exiſtimant: de poſteriori verò abſolute omnes, cum nullus ſit qui particularem iuſtitiã non arbitretur eſſe ſpecialẽ virtutẽ. Probatur autem aſſertio hoc vnico argumẽto. Ille vitij, ſicut & virtutis, habitus ſpecialis eſt, qui ſpeciale motiuum ſeu formale obiectum habet à cæteris omnibus aliorum habituum motiuis ſeu formalibus obiectis diſtinctum: atqui talis eſt vterque ille iniuſtitiæ habitus: ſicut enim iuſtitiæ legalis proprium & formale motiuum eſt bonum communitatis cuius partes ſumus, vt tale bonum eſt, ſeu quod eodem recidit, actio exterior cedens in bonum prædictæ communitatis quatenus in tale bonum cedens: ita proprium & ſpeciale motiuum habitus iniuſtitiæ illegalis eſt malum eiuſdem communitatis vt tale malum eſt, ſeu quod in idem recidit, actio exterior cedens in malum huius communitatis, quatenus in tale malum cedens: ſicut item proprium & ſpeciale motiuum iuſtitiæ particularis eſt actio exterior iuſta, ſeu æqualis iuri alterius, quatenus talis eſt: ita proprium ac ſpeciale motiuum habitus iniuſtitiæ particularis eſt exterior actio iniuſta, ſeu violatiua iuris alterius, quatenus talis eſt, quæ vt ſic mala eſt: quæ quidem formalia motiua ſeu obiecta vitiorum iſtorum ſicut ſunt è diametro oppoſita propriis virtutum illarum motiuis ſeu obiectis formalibus: ita habitus illi vitioſi à tam oppoſitis motiuis ſpeciem ſuam accipientes ſunt directè virtutum earundem habitibus oppoſiti.

II.

III.

Cæterum etſi vitiorum iſtorum formalia obiecta ita aſſignem, non propterea ſentio aut ſignifico voluntatem per hunc aut illum iniuſtitiæ habitum tendere in ipſam formalem mali rationem, ſub ratione mali apprehenſam, tanquam in obiectum à quo illi vitioſi habitus eorumque proprij actus ſpecificentur: hoc enim falſum eſt, imò impoſſibile, cum nec voluntas, nec vllus ei coniunctus habitus poſſit in malum quà malum eſt, tendere per actus amoris aut proſequutionis: ſed hoc tantùm volo, vtrumque quidem iniuſtitiæ habitum per actus ſuos rendere in id quod à parte rei malum eſt, aut putatur eſſe, non tamen ſub ratione mali, ſed è contrario ſub aliqua ratione boni delectabilis, quæ apprehenditur in actione qua vel malum infertur illi communitati cuius partes ſumus, vel ius alterius violatur: itavt actio illatiua talis mali, vel iniuriæ, nobis propter ſe placeat, ſeu quia talis eſt: ſicut nobis placet propter ſe actio iuſta, dum per iuſtitiam iuſtè operamur.

IV.

Secunda aſſertio. Non omnis actus qui ſpecialis iniuſtitiæ peccatum formaliter eſt, proprius actus eſt, vel illius ſpecialis habitus vitioſi, quem iniuſtitiam illegalem dicimus, vel eius qui particulari iuſtitiæ opponitur. Probatur hoc vnico argumento. Ille ſolus actus eſt proprius huius aut illius ſpecialis habitus vitioſi actus, qui ex huius aut illius proprio formali obiecto elicitur: atqui non omnis actus qui ſpecialis iniuſtitiæ peccatum formaliter eſt, elicitur ex huius aut illius habitus vitioſi proprio formali obiecto: quam Minorem probo ex eo quòd ille omnis actus ſpecialis iniuſtitiæ peccatum formaliter eſt, qui formalem habet peccati malitiam ſpecialem, & oppoſitam virtuti iuſtitiæ vel legalis, vel particularis: atqui non omnis huiuſmodi actus elicitur ex proprio formali obiecto vel illius habitus vitioſi, qui iuſtitiæ legali, vel eius qui particulari iuſtitiæ opponitur: multi enim actus, licet ex neutrius habitus proprio motiuo, ſed ex aliis ſiue indifferentibus ſiue malis eliciti, non deſinunt habere formalem iniuſtitiæ malitiam oppoſitam ſpeciali virtuti iuſtitiæ vel legalis vel particularis, eandémque ipſam ſpecie quam haberent, ſi ex proprio prædicti huius vel illius habitus vitioſi motiuo elicerentur. Cuiuſmodi ſunt in primis illi omnes interni voluntatis actus, quibus homo vult vel occidere, vel furari, omnéſque item externi, quibus reipſa vel occidit, vel furatur: qui formalem habent peccati malitiam, & quidem iniuſtitiæ ſpecialis oppoſitæ particulari iuſtitiæ, quocunque ex motiuo eliciantur. Deinde interni illi voluntatis actus, quibus aliquis vult Rempublicam ſuam prodere hoſtibus, aut deprædari ærarium publicum, aut otioſus manere domi dum Reſpublica periclitatur, quæ ipſius auxilio liberari poterat: externi [illegible] ij quibus reipſa prodit, aut deprædatur, & ſimiles: qui actus habent ſimiliter formalem peccati malitiam, & quidem ſpecialem virtuti iuſtitiæ legalis oppoſitam: contra quam peccatur non tam ſolum, cum ex formali motiuo ſpecialis habitus vitioſi illi virtuti oppoſiti prædicti actus exercentur, ſed etiam cùm ex quouis alio, ſiue malo, ſiue indifferenti.

V.

VI.

VII.

Cuius rei ratio à priori repetenda eſt ex Tractatu de peccatis, quòd nimirum ea peccata quæ conſummantur exteriùs, de quorum numero ſunt illi interni externíque actus quorum meminimus, malitiam accipiunt non a ſolo formali motiuo malo ex quo eliciuntur, aut elici poſſunt, ſed etiam ab obiecto materiali volito efficaciter, ſeu in ordine ad exequutionem, ex quocunque demum motiuo iſtud obiectum materiale ſub voluntatem cadat: quo fit, vt cùm hoc materiale obiectum præciſè ſecundùm ſe conſideratũ obiectiuam habet cum ſpeciali aliqua virtute repugnantiam, vt cum iuſtitia, vel legali, vel particulari, vel alia huiuſmodi, prædictus actus, qui circa materiale iſtud obiectum verſatur, formalem contrahat malitiam illi ipſi virtuti ſpeciali repugnantem, dummodo ſit voluntarius, qualis eſſe poteſt, ſiue

VIII.

hoc, siue ex illo alio motiuo exerceatur.

Vnde falsitatis arguitur quòd nonnulli Theologi docent, nempe nullum actum esse formaliter iniustitiæ peccatum contra specialem iustitiæ legalis virtutem, præter eum quo fit aliquid contra bonum communitatis, ex hoc formali

I. expressóque motiuo, quòd nimirum ea res quæ fit, contra bonum istud sit: quod mihi tam falsò dici ab iis videtur, quàm falsò quis diceret, nullum actum esse formaliter peccatum iniustitiæ contra iustitiam particularem, præter eum quo fit aliquid quo ius alienum violatur, ex hoc formali expressóque motiuo, quòd nimirum ea res quæ fit iuris alieni violatio sit.

Et sanè cùm prædicti actus prodendi ciuitatem hostibus, & se domi continendi eo quo dixi tempore, sint haud dubiè mali moraliter, qua in specie peccati dicemus eos esse, & cui speciali virtuti repugnare potiùs, quàm in specie iniustitiæ repugnantis iustitiæ legali? An fortè quis dicet priorem actum esse in specie iniustitiæ specialis contra iustitiam particularem?

II. Posteriorem verò in specie peccati omissionis contra fortitudinem? At ego priorem quidem illum actum concedo esse in illa iniustitiæ specie, sed contendo simul esse in altera iniustitiæ specie contra iustitiam legalem. Si enim tradendo Rempublicam hostibus peccat iniustitiæ peccato contra iustitiam particularem, quia singulis suis ciuibus infert in fortunæ bonis damnum, quorum bona tradit potestati hostium, ad quod non inferendum ex particulari iustitia obligatur: cur non etiam peccabit altero iniustitiæ peccato contra legalem iustitiam, quia toti communitati infert damnum, ad quod non inferendum obligatur ex iustitia legali, & quidem tantò strictius, quantò ius totius communitatis iure particulari singulorum ciuium præstantius est, & iustitia legalis particulari nobilior?

III. Quod autem ad posteriorem actum attinet, Dico primo, si peccatum omissionis est contra fortitudinem cuius actum omittit, quem exercere deberet, non minus esse peccatum omissionis cõtra iustitiam legalem, cùm omittat etiam proprium eius actum quem deberet exercere, nempe Reipublicæ defensionem: ad quam si obligari dicitur ex virtute fortitudinis, sícque contra hanc peccare dum illam omittit, cur nõ pari iure dicetur ad eandem obligari ex virtute iustitiæ legalis, sícque peccare contra ipsam, dum eandem omittit? cùm præsertim eo quo Respublica periclitatur tempore, de quo hîc loquimur, agatur de bono communitatis, quod sicut peculiariter spectat virtus iustitiæ legalis, ita si tunc temporis ad illud procurandum ex aliqua virtute obligatio est, erit potissimùm ex

IV. hac ipsa virtute iustitiæ legalis.

Dico secũdò, peccatum illud omissionis quo fortitudinis actus omittitur, per quem Reipublica periclitans defendi deberet, non esse peccatum contra fortitudinem, sed iustitiam legalem: quia licet actus qui omittitur sit, propria fortitudinis materia, ad eum tamen tunc exercendum obligatio per se non oritur ex virtute fortitudinis, seu ex præcepto ad virtutem hanc pertinente, sed ex legali iustitia, seu ex præcepto quod ad hãc iustitiam per se & directè pertinet: ideo enim tũc temporis fortiter pugnandum est cum hostibus, quia commune Reipublicæ bonum procurandum est, cuius procurationem tanquam propriam materiam sicut non spectat fortitudo, sed iustitia legalis: ita obligatio illius eo tempore procurandi, non ex fortitudine, sed ex ista iustitia nascitur. Quòd si obligatio illius actus exercendi, non ex illa, sed ex ista virtute oritur, eius omissio peccatum contra istam, non verò contra virtutem illam erit: nunquam enim omissio actus exercendi, cuiuscunque demum virtutis propria materia sit, peccatum est contra aliam virtutem, quàm contra eam, ex qua erat ad ipsum exercendum obligatio.

A V.

At oppones, si peccari possit peccato iniustitiæ specialis cõtra iustitiam legalem, per alium actum, quàm per eum quo infertur malum communitati ex formali motiuo mali huius inferendi, consequens fore, nullum esse peccatum, quod non sit iniustitiæ contra iustitiam legalem, quia nullus est peccati actus qui non

B cedat in malum aliquod communitatis, cùm VI.
aut immediatè & directè lædat ipsam communitatem, vt ærarij publici deprædatio, vbíque proditio: aut immediatè quidem & directè partem aliquam communitatis, vt cùm ciuis vnus ab alio interficitur, & in genere cùm quis peccat, qui sibi ipsi saltem peccando nocet, remotè autem & indirectè ipsam communitatem, cuius in malum redundat quodlibet nocumentum suæ partis. Verùm illud consequens negandum est: multa enim peccata sunt, quæ proprie nullam bono communi læsionem inferunt, vt mendacium iocosum, verbum otiosum, periurium in re indifferenti, aut etiam bona, cùm præsertim ita occultum est, vt nemo periurum possit arguere periurij, & alia permulta ex genere suo siue venialia, siue mortalia.

C VII.

Nec refert, quòd quisquis peccat, peccando sibi nocumentum inferat, cùm ipsa peccati malitia sit nocumentum aliquod spiritale ipsius peccantis: non enim propterea lædi censetur communitas, quia illud quod peccando infert sibi malum, non redundat secundùm moralem hominum æstimationem, prudénsque iudicium in vllum nocumentum ipsius communitatis: cùm tamen eos solos actus velimus contrahere specialem iniustitiæ malitiam contra virtutem iustitiæ legalis, quibus ex prudenti hominum iudicio moralique æstimatione non solùm pars aliqua communitatis læditur, sed ipsa quoque communitas, vt communitas: quæ dum grauiter à ciue aliquo suo læditur, graue seu mortale peccatum iniustitiæ contra iustitiam legalem committitur, leue seu venia-

D le, dum leuiter. VIII.

At peccatum hoc non toties censeri debet contra iustitiam hanc mortale, quoties ipse peccati actus ex alio capite contra virtutem aliam mortalis est: sicut nec toties veniale, quoties ex alio capite contra virtutem aliam est venialis: & ratio est, quòd fieri possit, vt actus per quem grauiter peccatur contra virtutem aliquam, vt contra particularem iustitiam, qualis est is quo ciuis aliquis occiditur, leue tantùm inferat nocumentum Reipublicæ, sítq. proinde

leue

leue duntaxat peccatum contra legalem iustitiam, ex hac leuis nocumenti circumstantia: è contrariò item fieri possit, vt actus qui ex obiecto suo leue tantùm peccatum est contra virtutem aliquam, ex circumstantia grauis nocumenti quæ eidem obiecto coniungitur, grauem accipiat iniustitiæ malitiam: qualis est actus mendacij illius, quod pernicioſum dicitur, qui vt mendacium est, veniale solummodo peccatum est contra virtutem veracitatis: vt autem est pernicioſum, est contra iustitiam vel legalem, vel particularem, vel vtramque, prout ius ad hanc aut illam, aut vtramque spectans violat, & graue, vel leue, prout violat grauiter, aut leuiter.

I.

SECTIO II.

Tertium asseritur, & probatur.

TERTIA assertio. Habitus ille specialis iniustitiæ qui iustitiæ vel legali vel particulari opponitur, non generatur aut intenditur per quemcunque actum qui formaliter est iniustitiæ peccatum. Probatur hoc primùm argumento. Nullus habitus generatur aut intenditur per alios actus, quàm per eos qui ex proprio eius obiecto formali eliciuntur: atqui non omnis actus qui formaliter est peccatum iniustitiæ contra iustitiam vel legalem vel particularem, ex proprio formali obiecto prædicti iniustitiæ habitus elicitur. Minor hæc ex superiore assertione certa est. Maior cónstat in primis inductione per habitus omnes, quorum nullus reperietur generari vel intendi per alium actum, quàm per eum qui ex proprio eius obiecto formali efficitur.

II.

Deinde hac ratione, quòd in quolibet specie actu cùm non sit vis generatiua vel intensiua cuiusuis habitus, alioqui per quemlibet specie actum quilibet habitus gigni aut intendi posset, vis generandi aut intendendi certum quendam habitum non ineſt, nisi certis quibusdam actibus, nec aliis, quàm propriis illius habitus: proprij autem alicuius habitus ij soli sunt, qui ex eius obiecto formali efficiuntur. Atque cùm habitus effectiuè cum potentia cui ineſt possit concurrere ad actus similes iis, à quibus vel primo productus est, vel graduum intensionem accepit, non possit autem ad alios effectiuè concurrere, quàm ad eos qui ex proprio eius obiecto formali eliciũtur, alioquin extra obiectum suum [illegible]erri posset, sequitur manifestè non posse ipsum gigni vel intendi per alios actus, quàm per eos qui ex proprio eius formali obiecto exercentur.

III.

Probatur secundò hac ratione. Si quilibet actus, qui formaliter est iniustitiæ peccatum contra iustitiam legalem, aut particularem, generare aut intendere aptus esset habitum illum iniustitiæ specialem, qui vel huic vel illi iustitiæ opponitur, sanè id haberet vel ratione suæ realis entitatis in hac aut illa specie exiſtentis, vel suæ formalis malitiæ. Non primum: hæc enim realis entitas sæpe non est in specie reali actus iniustitiæ, sed vel odij, vel alterius habitus vitioſi, vtpote quæ sæpe non ex proprio specialis illius habitus iniustitiæ formali obiecto producitur, sed ex proprio odij, vel alterius vitij: quo fit, vt nullum alium generare aut intendere habitum possit, quàm eum cuius ex proprio formali obiecto efficitur, vt ex superiori argumento notum est.

IV.

Nec secundum: quia formali peccati malitiæ quæ semper est aliqua priuatio, vt in Tractatu de peccatis disp. 1. probatum est, vis producendi aut intendendi ineſſe non potest, cùm hæc vis necessariò tam physica realisque entitas sit, quàm ipse habitus qui producitur, aut intenditur, & actio per quam producitur, aut intenditur, priuationi autem nulla vis agendi realis & physica ineſſe possit. Adde quòd etsi formalis peccati malitia, non esset priuatio, sed ipsissima realis entitas actus qui peccatum dicitur, huic actui vis producendi vel intendendi de qua loquimur, non magis ineſſe posset ratione formalis illius malitiæ, quàm ratione realis huius entitatis: huius autem entitatis ratione ineſſe non potest, vt & ex iam dictis constat, & ex mox dicendis ampliùs constabit.

V.

Nec dicas, actui eiúsque entitati reali soli ineſſe vim physicam producendi vel intendendi habitum: sed prout huic entitati inexistit hæc aut illa formalis peccati malitia quæ priuatio est, ineſſe ipsi vim physicam productiuam aut intensiuam huius aut illius habitus. Ne, inquam, id dicas. Primò, quia cùm volitio occidendi, exempli causa, ex quocunque motiuo eliciatur, fit, vt superiùs dictum est, actus habens formalem peccati malitiam contra virtutem iustitiæ particularis, si hic actus ratione malitiæ huius sibi inexistentis posset per entitatem suam realem producere vel intendere specialem illum iniustitiæ habitum qui particulari iustitiæ opponitur, consequens esset, actum hunc, etsi ex formali motiuo odij, vel alterius vitij eliceretur, & proinde etsi esset realiter ac essentialiter verus odij, aut huius alterius vitij actus, habiturum vim physicam producendi aut intendendi prædictum illum specialem iniustitiæ habitum, sicque habitum hunc produci & intendi posse per alios actus, quàm per eos qui ex proprio eius motiuo formali exercentur, quod fieri non posse paulò ante docuimus.

VI.

Secundò, quia cùm vni eidemque & specie & numero actui reali insit plerumque multiplex specie malitia, vt volitioni occidendi sacerdotem, quarum vna est contra iustitiam particularem, altera contra religionem, sequeretur, hunc vnum specie numero actum habiturum ratione duplicis istius malitiæ sibi inhærentis vim producendi aut intendendi duplicem vitioſum habitum, vnum iniustitiæ specialis oppositum virtuti iustitiæ particularis, alterum oppositum religioni: cùm tamen hic actus ex vtriusque vitio habitus proprio motiuo simul non eliciatur, alioqui non esset vnus specie & numero actus, contra hypotheſim, sed è contrario multiplex: imò fieri possit, vt ex neutrius eliciatur formali motiuo, sed vel ex odij, vel alterius vitij, cùm ex quocunque motiuo fit elicitus, duplicem illam specie malitiam sit habiturus: ex quo semper, vt patet, sequeretur, habitum ali-

VII.

VIII.

quem per alios actus produci posse, quàm per eos qui ex eius proprio motiuo efficiuntur.

Ex dictis colliges primò, specialem iniustitiæ habitum, qui iustitiæ vel legali, vel particulari opponitur, non concurrere effectiuè ad omnẽ illum actum, qui formalem malitiam habet peccati iniustitiæ contra huius illiúsve iustitiæ virtutem: constat enim ex suprà dictis illum concurrere non posse ad alium actum, quam ad eum qui ex proprio eius formali obiecto, seu motiuo elicitur, non omnem autem actum qui formalem illam habet iniustitiæ malitiam, ex proprio ipsius formali motiuo elici. Colliges secundò, voluntatem ad iniustitiæ peccatum contra iustitiam legalem aut particularem inclinari, non à solo illo specialis iniustitiæ habitu, qui huic aut illi iustitiæ opponitur, sed ab aliis quoque licet specie diuersissimis habitibus, & in vniuersum ab iis omnibus, qui inclinant ad proprios suos actus ex proprio suo formali obiecto exercendos, in quos ex materiali obiecto circa quod versantur, redundat formalis iniustitiæ malitia contra iustitiam, siue legalem, siue particularem.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm quis volens pati possit iniustum formaliter?

SECTIO PRIMA.

Pars negatiua defenditur, & probatur.

MVLTO communior est inter Theologos sententia negans, quam expresse tuentur & Philosophus lib. 5. Ethic. cap. 9. & Diuus Thomas hac 2.-2. qu. 59. artic. 3. cuius titulus est, vtrùm aliquis possit pati iniustum volens. Ad hanc autem quæstionem S. Doctoris responsio iniusti distinctione nititur, quod duobus dici modis, sicut & iustum, potest: primo materialiter: secundo formaliter: atque vt iustum materialiter illud dicitur, quod reipsa æquale est iuri alterius, sic iniustum materialiter, quod eius iuri reipsa inæquale est: iustum verò formaliter sicut opus illud est, quod est opus veræ virtutis, & formalem habet iustitiæ honestatem, ita formaliter iniustum, est opus illud quo violatur ius alterius, contrahiturque formalis iniustitiæ malitia contra iustitiam: qua distinctione præmissa facilior est ad intelligendum D. Thomæ responsio, quæ est, posse quidem volentem pati iniustum materialiter, vt cum creditor à debitore centum aureos debente recipit 99. hisque contentus est, sicut & potest quis nolens facere iniustum materialiter, vt cum quis occidit hominem bona fide putans esse feram, quem si hominem esse sciuisset, occidere noluisset: at neminem posse pati iniustum formaliter nisi nolentem, sicut & nullus facere potest iniustum formaliter, nisi volens. Quæ sententia probatur primò ex hoc Iurisperitorũ axiomate cõmuniter recepto, quod habetur de regulis Iuris in 6. reg. 27. *scienti & consentienti non fit iniuria.*

Probatur 2. hac ratione. Non potest quis pati iniustum formaliter, nisi qui facit, peccet contra iustitiam: atqui ille qui pati dicitur iniustum, patitur volens, ille qui etiam sciens, volensq. facit, non peccat contra iustitiam: ergo qui patitur volens, non patitur iniustũ formaliter. Maioris veritas constat ex eo quòd nemo patitur iniustum formaliter, nisi is cuius violatur ius, cuique proinde fit iniuria, cùm hæc nihil aliud fit, quàm iuris istius violatio: nemo autem violare ius alterius, iniuriámve ei facere possit, quin contra iustitiam formaliter peccet, si sciens & volens facit. Minorem sic probo. Non peccat is contra iustitiam, qui etsi sciens volénsque operetur, non infert iniuriam: peccatum enim iniustitiæ ideo tãtùm committitur, quia scienter & voluntariè iniuria infertur: dum autem is qui pati iniustum dicitur, volens patitur, is qui sciés volénsque facit, nõ infert ipsi iniuriam: si enim ius ipsius non violat, profectò ipsi iniuriam nõ infert, cùm vt paulò antè dixi, nihil aliud iniuria fit, quàm iuris violatio: atqui ius ipsius non violat: ius enim quod habet aliqua persona, ne quid ab alia patiatur, in eo reuera consistit, vt illi nolenti, seu contra voluntatem eius non fiat ab hac persona id ad quod illa ius habere dicitur, vt constat inductione per iura omnia quæ habere dicimur, ne aliqua ab aliis patiamur: at dum persona quæ pati iniustum dicitur, volens patitur, etiamsi qui facit, sciens volénsque faciat, istud ius eius non violat: vt enim violaret, deberet id quod sciens volensque facit, facere contra voluntatem eius, in quam facere, & quæ pati dicitur: at contra voluntatem eius non facit, quandoquidem ipsa è contrario volens esse supponitur.

Probatur 3. hac altera ratione. Non patitur iniustum formaliter qui non patitur iniuriam: sed qui volens patitur, in eo patiendo quod patitur non patitur iniuriam: ergo nec iniustum formaliter. Maior certa est: idẽ enim sunt pati formaliter iniustum, & pati iniuriam, ideóque quis pati dicitur iniustum formaliter, quia iniuriam patitur. Minorem probo ex eo quòd iniuria vt iniuria, spectata non penes eum qui facit, sed cui fit, includit in essentiali suo conceptu quidpiam factum non ex voluntate ipsius, sed potiùs contra eiusdem voluntatem: est enim in moralibus iniuria, seu iniurioſa actio respectu eius cui fit, quod in naturalibus est motus violentus respectu eius qui motum hunc recipit: vnde sicut hic motus, quatenus violentus est, includit in essentiali suo conceptu quidpiam ab extrinseco proueniens in eum qui violentiam patitur, ipso nõ habente se per modum agentis respectu violentiæ istius quam patitur, neque ad eam conferẽte vim aliquam actiuam, sed potiùs per naturalem suam inclinationem contra nitente: ita iniurioſa actio, vt iniurioſa est respectu eius qui eam patitur, inuoluit in essentiali conceptu suo quidpiam ab extrinseco proueniens in eum qui iniuriam patitur, ipso, respectu huius iniuriæ, non habente se per modum agentis, aut ad eam conferentis actiuam vim, sed potiùs renitentis, ac per consequens eodem ipso habente se non per modum volentis, sed potiùs nolentis: quia si volens esset, haberet se ad eam

per modum agentis, & vim actiuam conferentis, cùm voluntas in moralibus sit actiua vis hominum, & velle, sit agere, seu vim actiuam conferre.

Ex qua ratione facile est ad intelligendum argumentum quo S. Doctor in corpore citati articuli 3. vtitur, vt suam nostramque probet conclusionem: cuius vis vt sit clarior, sic a me proponitur. Iniuria vt iniuria respectu eius cui fit habet rationem puræ passionis, hanc autem rationem non haberet, si ad eam ille actiuè cocurreret: haberet enim etiam tum ratione actionis, nec proinde censeretur idem ille esse tãtùm iniuriam patiens, sed etiam faciens: ad eam autem actiuè concurreret, si ipsam libere vellet, quia voluntas in hominibus agendi principium est, & illud proprie ac per se homo facit, quod volens facit.

I. A V.

Atque cùm ex hoc D. Thomæ argumento, & illa nostra secunda ratione satis constet, de ratione iniuriæ vt iniuria est, respectu eius cui fit, esse, vt sit quidpiam factum non ex ipsius voluntate, sed potius contra voluntatem, idipsum quoq. confirmatur efficaciter ex eo quòd omnium consensu homo qui seipsum sciens & volens occidit, non peccat cõtra iustitiam, quia peccatum iniustitiæ consistit in illata iniuria, nullam autem sibi infert iniuriam, eo ipso quo volens sibi mortem infert. Qua præcipuè ratione probauit lib. 5. Ethic. cap. 11. Philosophus, neminem à seipso iniuriam pati posse, quòd nimirum quidquid à seipso patitur, ex libera sua voluntate patiatur.

II. B VI.

Probatur postremò ex eo quòd si quæ ratio est existimandi volentem pati posse iniustum formaliter, hæc maximè, quòd contra volentem possit aliquando peccari per iniustitiam, peccetúrque reipsa tribus saltem in casibus: quorum primus est, dum quis volens ab alio occiditur: secundus, cùm violatur vxor aliena, ipsa & marito consentientibus: tertius, cùm stuprum virgini consentienti infertur: at hæc ratio nulla est: nego enim his in casibus contra volentes peccari per iniustitiam, negántque Lessius lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 9. dub. 3. & cap. 10. dub. 1. Greg. à Valent. in 2. 2. disput. 5. quæst. 3. de iniustitia puncto 2. & Gab. Vasq. in 1. 2. disput. 112. cap. 2.

III. C VII.

Etenim si quæ causa est, ob quam huiusmodi violatio & occisio peccatum sit iniustitiæ contra volentes, hæc certè, quam solam proferunt aduersarij, quòd videlicet ius habeat virgo ne sibi à quoquam extra matrimonium virginitas eripiatur: & vxor aliena ne ab vllo violetur: homo denique ne ab alio occidatur: cui iuri renuntiare non possunt personæ istæ, cùm dare ius nulli possint ad pudicitiam sibi vel vitam eripiendam: at hæc causa nullius momenti est: ius enim iustitiæ quod habent personæ istæ, quódque alios ex iustitia obligat, ad non eripiendam ipsis vel vitam, vel pudicitiam, non in eo simpliciter & præcisè consistit, ne ab alio vel violentur, vel occidantur, sed in eo ne ipsis non volentibus, vel etiam inuitis, hoc aut vitæ, aut pudicitiæ damnum inferatur: iura enim omnia, vt antè monui, quæ habemus ne quid ab aliis patiamur, in eo consistunt, vt ne patiamur non volentes, aut etiam inuiti & repugnantes: cui iuri suo non renuntiant personæ illæ, dum sponte consentiunt in occisionem sui, vel violationem: cum hoc enim earum consensu simul stat ius quod habent, quodque retinent, ne à quoquam non volentes aut repugnantes vel violentur, vel occidantur: contra quod earum ius nihil agitur: vt enim ageretur, oporteret eas non volentes, sed potiùs repugnantes id pati quod patiuntur: quod non fit, vt supponimus: quòd si nihil contra earum ius fit, nulla ipsis infertur iniuria, nullúmque proinde iniustitiæ peccatum admittitur.

IV. D VIII.

Et certè si in alienæ vxoris violatione, marito consentiente, contra hunc licet consentientem & volentem peccaretur per iniustitiam, eíque proinde licet volenti fieret iniuria, ob causam paulò antè relatam, consequens primò esset, peccari quoque per iniustitiam contra ipsam vxorem licet volentem, & ita duplex illo adulterio committi peccatum iniustitiæ, vnum in maritum, alterum in vxorem: quia sicut maritus habere ius dicitur ne sua vxore vllus abutatur, & huic iuri ille renuntiare non potest, eo quòd alteri dare ius nequit ea abutendi, ita & ipsa vxor simile ius habet, ne se quisquam abutatur, & huic iuri suo renunciare ob eandem causam non potest. Consequens secundò esset, eum omnem qui cum muliere non nupta fornicatur, peccare semper duplici peccato, nempe fornicationis contra castitatem, & iniustitiæ contra mulierem hanc licet vltro consentientem: fornicando enim ille ageret contra ius quod hæc haberet, ne suo corpore quisquam turpiter vteretur: cui iuri renuntiare non posset, eo quòd ad hunc turpem vsum ius dare nemini posset.

Aduerte autem me negantem prædictis actibus peccari per iniustitiam, adiunxisse, *contra volentem*: non enim nego quin iisdem actibus peccari possit iniustitiæ peccato contra iustitiã, vel legalem, vel particularem, respectu cuiusdã alterius, cuius nolenti ius per illos ipsos actus læditur: quod accidit reipsa, cùm vxor aliena violatur volens, at non consentiente marito, cui per actum adulterij fit iniuria contra iustitiam particularem: aut cùm ille qui volens occiditur in alterius hominis dominio est, cui similiter in hanc necem non consentienti contra eandem virtutem iniuria fit: aut talis est, vt ex eius nece Respublica cuius pars est detrimentum patiatur: cui proinde per hanc necem fit iniuria contra iustitiam legalem: contra quam si peccat is qui seipsum occidit, vt peccare docent Philosophus lib. 5. Ethic. cap. 11. citato, & D. Thomas citato item art. 3. in resp. ad secundum, peccabit sanè ille qui ipsum licet volentem occidet.

Ex dictis concludes, falsum esse quod aduersarij dicunt, tunc solùm volenti non fieri iniuriam, cùm volens patitur in iis bonis quorum dominus est, vt sunt pecuniæ, aliáque fortunæ, bonaut cùm patitur volens quidem, at non per quamcunque voluntatem, sed per eam solam per quam transferatur in alterum aut dominiú rei in qua pati, aut ius agendi id quod volens pati dicitur: hócque sensu Philosophum & Diuum Thomam locis citatis & Iurisperitos in suprà citata regula docuisse, scienti

& consentienti non fieri iniuriam. Etenim rationes superius allatæ euincunt vniuersaliter, nullam inferri posse volenti iniuriam, siue in bonis quorum dominus est, siue in iis quorum dominus non est, cuiusmodi sunt membra, vitaque corporis, siue item sit volens per I. voluntatem translatiuam dominij iurisve prædicti, siue per non translatiuam eius, qualis est voluntas qua quis occidi vult, vel in membris suis mutilari.

Quod quidem etiam vniuersaliter docuerût Philosophus D iuus Thomas, & Iurisperiti, docentes volenti non fieri iniuriam: Philosophus quidem, cùm 5. Ethic. cap. 9. tractans hanc ex professo quæstionem, an volenti fieri possit iniuria, & neganti parti subscribens, ponat ex Euripide exemplum eius qui matrem volentem & rogantem occiderat. Diuus verò Thomas, cùm citato sæpius artic. 3. illud etiam doceat quod loco illo Philosophus: quem etiam S. Doctorem interpretes hîc obseruant, hunc articulum, quæstioni 59. in qua explicanda nunc occupamur, inseruisse, exponendæ tradendæque doctrinæ gratia, quam II. ille illo Ethicorum loco tradiderat, docens iniuriam volenti fieri non posse. Iurisperiti denique, ex lege 1. ff. de iniuriis & famosis libellis, vbi Vlpianus ait: *Si volentem filium quis vendiderit, patri competere suo quidem nomine actionem iniuriarum, filij verò nomine non competere, quia nulla fit volenti iniuria.* Quo loco sermo est de filio volente vendi, nec habente plenum dominium suæ libertatis, neque per hanc suam voluntatem tradente venditori dominium hoc in suam libertatem, aut ius ad exercendum hunc actum venditionis: si enim tale dominium suæ libertatis haberet, & illud in venditorem transferret, eíve ius vendendi communicaret, patri iniuriarum actio suo nomine contra venditorem non competeret: vt- III. pote qui nullam ab ipso pateretur iniuriam, quandoquidem habens aut plenum dominium in libertatem filij, aut ius eum vendendi, & reipsa vendens, re tantùm sua, suóve iure vteretur, quo dum vtitur, nulli facit iniuriam.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM ducitur ex variis exemplis, quibus non soli nolentes iniuriam pati videntur. Primum est infantium, contra quos peccatur per iniustitiam ab iis à quibus occiduntur, nec tamen nolentes occiduntur, cùm nullam adhuc liberam voluntatis siue volitionem, siue IV. nolitionem exercere valeant. Secundum est pupilli, cuius etiam volentis bona qui accipit, peccat per iniustitiam. Tertium est Christi domini, Martyrúmque contra quos dum interficiebantur, peccabatur per iniustitiam, qui tamen maximè volentes mortem patiebantur. Quartum est eius, qui non ex necessitate aut metu, sed ex concupiscentia, quæ potiùs auget quam minuat voluntarium, ex D. Thom. 1. 2. quæst. 6. artic. 7. vt ex affectu fornicandi, petit mutuum ad vsuram, quam dum solA B C D

uit, & is qui mutuum dedit, accipit, fœnerator est, peccátque per iniustitiam contra soluentem, qui tamen volens soluit. Quintum est eius, qui incidens in latrones, metu mortis, ne ab iis interficiatur, suas eis volens dat pecunias: qui metus non impedit quo minus volens det, cùm quæ ex metu fiunt, sint simpliciter voluntaria: vnde & sunt formaliter peccata, quando ex obiecto aut aliqua circumstantia sunt rectæ rationi repugnantia: qui V. tamen ab iis pecunias datas accipientibus veram iniuriam contra iustitiam accipit.

Respondeo, peccari reuera in iis omnibus exemplis contra iustitiam, sed in nullo exemplorum istorum, eum contra quem peccatur per iniustitiam, esse volentem, ea volitione, de qua cum Philosopho, Iurisperitis, D. Thoma, cæterisque Theologis loquuti sumus, dum volenti nullam posse fieri iniuriam docuimus: quæ volitio qualis esse debeat, ex iis quæ ad illa singula exempla respondebimus, constabit.

Ad primum ergo respondeo, prædictos infantes dum occiduntur, ideo pati iniuriam, peccaríque contra eos per iniustitiam, quia VI. ius habent ne minimè volentes occidantur: quod ius eorum violatur, dum non volentes occiduntur: qui sanè sunt non volentes, cùm nullum liberum volitionis actum exercere valeant. Ex qua responsione tria intelliguntur. Primum est, peccari pariter per iniustitiam contra amentes, ebrios, dormientes, dum tempore amentiæ, ebrietatis, somni occiduntur: quandoquidem eorum eadem quæ infantium quoad hoc ratio est. Secundum est, cùm dicatur aliquis nolens duobus modis, positiuè scilicet, & negatiuè: positiuè quidem, quando positiuum nolitionis actum elicit: negatiuè verò, quando non elicit actum volitionis circa rem quam nolle dicitur, licet VII. non eliciat circa eandem positiuum actum nolitionis, infantes qui dicuntur occidi nolentes, dici nolentes posteriori modo, non priori, sufficereque posteriorem hunc nolendi modum, vt vera ipsis & quibusuis aliis iniuria inferatur, dum sic nolentes aliquid patiuntur, quod ne patiantur non volentes, ius habent. Tertium est, vt quis censeatur volens pati id quod patitur, esse necessarium, vt per actum volitionis liberum id velit: quandiu enim nullum huiusmodi actum exercebit, erit non volens, ac proinde nolens posteriori saltem modo ex duobus allaris.

Ad secundum dico, ideo pupillo donanti bona sua fieri iniuriam ab eo à quo accipiuntur, quia ab ipso ius illius violatur: habet enim ius pupillus, ne sibi non volenti bona VIII. sua eripiantur, sic autem eripiuntur. Nec dicas ipsum esse volentem, cùm, vt supponimus, eorum donationem vltro faciat per liberum & positiuum actum volitionis: hæc enim eius volitio donatióque perinde se habet, atque si nunquam elicita ab ipso, & facta fuisset: quia per leges dominium quod habent in bona sua pupilli ita vinculantes, vt hæc à se alienare non possint, aut ius in illa ad alterum transferre, prædicta illorum libera volitio non minùs

cassa nullâque redditur, quàm si reipsa nunquam extitissent. Vnde pupillus, quantum ad vim volendi dare bona sua, & donandi, similis est infanti, aut dormienti, eorumque donatio quam facit, prorsus similis donationi, quam faceret infans, aut dormiens, qua donatione non obstante, qui bona sic ab iis donata
I. retineret, in eos haud dubiè per iniustitiam peccaret.

Ad tertium dico in primis, mirum non esse, si Christi martyrumque interfectores peccauerunt peccato iniustitiæ, cùm in nece ipsis inferenda minimè attenderent, vtrùm volentes, an nolentes paterentur, sed perinde inferrent, atque si essent maximè nolentes. Dico secundò eos volentes quidem oppetiisse mortem, & tormenta sustinuisse, sed non illa voluntate quæ inferentes vendicare posset ab iniuria ipsis inferenda: voluerunt enim tormenta mortémque pati, & reipsa passi sunt æquissimis animis, at hanc inferri sibi, & illa infligi non propterea voluerunt, aut si voluerunt, non nisi simplici &
II. inefficaci affectu voluerunt, non verò efficaci volùtate, qua si hæc inferri sibi voluissent, mortaliter peccassent, quia per hanc voluntatem causæ fuissent (alioquin hæc efficax non fuisset) illius illationis tormentorum & mortis, quæ mortale peccatum erat, cuius qui causa est, peccat mortaliter.

Vt autem censerentur esse, & essent pati volentes, ea voluntate quæ tortores ab inferenda ipsis iniuria eximeret, oportuisset ipsos habere voluntatem efficacem, qua vellent à tortoribus tormenta sibi & mortem inferri: oportet enim volentem cui non fit iniuria, esse volentem per volitionem per quam habeat rationem agentis respectu rei quam pati dicitur, & per quam proinde sit causa efficiens ipsius: ex quo patet volitionem hanc efficacem esse debere: quod etiam constat in primis authoritate D. Thomæ,
III. eáque ratione superiori sectione explicata qua vsus est, vt probaret volenti non fieri iniuriam: constat deinde inductione per illos omnes particulares casus, in quibus nullam volenti iniuriam fieri admittimus.

Ad quartum & quintum vna eadémque responsio est, & mutuatarium soluentem vsuras iniuriam pati à fœneratore, & viatorem à latrone, cui suas tradit pecunias, quia vterque aliquo modo nolens & inuitus tradit, iusque habet, vt non tradat sic inuitus & nolens, quod violatur ab iis qui sic inuitos & nolentes cogunt ad tradendum.

Nec refert, quod quæ fiunt ex concupiscentia & metu fiant libere & voluntariè: duobus enim modis aliquid fieri voluntariè potest: primo, voluntario perfecto quod non
IV. habet adiunctum inuoluntarium secundùm quid: secundo, imperfecto, quod hoc inuoluntarium habet adiunctum. Deinde imperfectum istud voluntarium ortum ducere potest vel ab iniusta actione alterius, vel aliunde: licet autem prædicti suas pecunias fœneratori & latroni tradentes tradant voluntariè, non tamen voluntario perfecto, sed imperfecto: ità enim voluntariè tradunt, vt tamen libentissimè non traderent, nollentque absolutè tradere, nisi cogeret fœnerator aut ad mutuum non accipiendum, aut ad persoluendum pro accepto pretium: nisi item latro viatorem cogeret aut ad vitam amittendam, aut pro vita retinenda ad pecuniam suam tradendam: quæ coactio cùm sit iniusta contra iustitiam actio, habet enim vterque qui cogitur ius ne ad hoc cogatur, ortúmque ducat A V.
voluntarium imperfectum ex quo soluere & tradere volunt, soluúntque, ac tradunt reipsa, ex iniusta illa coactione, hinc est, quod iniuriam verè patiuntur ab iis à quibus sic coguntur, suisque pecuniis priuantur.

Vbi aduerte, me consultò distinxisse inter imperfectum voluntarium ortum ex iniusta eius actione cui pecunia traditur, aut merces venduntur, aut quid simile fit, & inter imperfectum voluntarium ortum aliunde, eo nimirum fine, vt significarem, quòd etsi pecuniarum traditio, mercium venditio, similisve contractus inter vendentem aut tradentem, & eum cui traduntur aut venduntur initus, nullius valoris sit, quando vendens aut tradens inuoluntariè secundùm quid tradit,
B VI.
aut vendit; seu voluntario imperfecto orto ex iniusta actione eius cui tradit aut vendit, aut cum quo similem alium contractum celebrat: valida tamen est earundem pecuniarum traditio, mercium venditio, omnisque alius similis contractus, quando is qui voluntario imperfecto tradit aut vendit, ei tradit, aut vendit, cuius ex nulla iniusta actione ortum ducit imperfectum illud tradentis vendentisque voluntarium, vt cùm metu naufragij, vel pestilentiæ, donat liberaliter, aut vendit ea quæ extra hunc metum positus nec donaret, nec venderet: tunc enim donat & vendit voluntario habente adiunctum inuoluntarium secundùm quid, non secus atque cùm merces eiusdem naufragij
C VII.
metu in mare proiicit, cuius inuoluntarij secundùm quid, seu voluntarij imperfecti causa non est per aliquam actionem suam ille cui donat, aut vendit, cùm, vt suppono, nulla sua actione causa sit metus istius, periculique naufragij, vel pestilentiæ quæ metuitur.

Secundum argumentum: Si qui volentem occidit, non peccaret contra iustitiam, sequeretur, eum qui nolentem occideret, peccare duplici specie peccato, vno contra iustitiam, altero contra virtutem alteram. Consequens falsum est: igitur & antecedens. Minor certa videtur ex communi hominum iudicio, qui in huiusmodi occisione nullam aliam quàm iniustitiæ malitiam concipiunt. Maioris consequentia probatur ex eo quòd certum
D VIII.
est, eum qui volentem occidit, occidendo peccare: ergo vel peccato iniustitiæ, vel alio secundùm speciem distincto: primum autem dici non potest, nisi contra nostram doctrinam concedatur, contra volentem peccari posse per iniustitiam, fierique proinde volenti iniuriam: secundum igitur dicendum est: sed ex hoc manifestè sequitur, eum qui nolentem occidit, peccare duplici secundùm speciem peccato, vno quidem contra iustitiam occidendo nolentem, altero contra eandem virtutem, contra quam peccat occidendo is qui

volentem occidit: is enim contra virtutem à iuſtitia diuerſam peccans occidendo volentem, ex eo præcisè capite peccabit, quòd occidat hominem ſine legitima occidendi poteſtate: quod cùm pariter faciat ille qui nolentem occidit, peccabit pariter contra eandem virtutem.

I. Reſpondeo conceſſa Maiore, cuius conſequentia optimè probata eſt, negando Minorem, cuius ad probationem dico, tis argumentis, quibus vna ex parte probauimus contra volentem non poſſe peccari per iniuſtitiam, illiſque quibus ex altera parte certum eſt, & eum qui nolentem occidit peccare contra iuſtitiam, & eum qui volentem occidit, peccare contra virtutem à iuſtitia diuerſam, euinci, in iſta nolentis hominis occiſione duplicem admittendam eſſe malitiam ſpecie diuerſam, vnam contra iuſtitiam, alteram contra virtutem illam, contra quam eſt eius occiſio qui volens occiditur: quæ virtus videtur eſſe potiùs charitas, quàm vlla alia, nos obligans ad malum mortis homini etiam volenti non inferendum.

II. Tertium argumentum. Inferre nocumentum alteri ſine iure inferendi eſt facere ipſi iniuriam: atqui poteſt quis inferre nocumentum volenti ſine iure inferendi: ergo poteſt quis volenti facere iniuriam. Minor certa eſt ex prædictis exemplis perſonarum illarum, quibus volentibus infertur damnum vel pudicitiæ, vel vitæ, ſine iure inferendi. Maior probatur, tum ex eo quòd ſic inferre nocumentum, peccare haud dubiè eſt, hócque peccatum non contra aliam virtutem quam iuſtitiam videtur eſſe: tum ex iniuriæ definitione à Iuriſperitis tradita lege 1. ff. de iniuriis, vbi Vlpianus ait, *iniuriam dici quòd ſine iure fiat, & quod non iure fit, dici fieri iniuriâ.*

III. Reſpondeo conceſſa Minore, negando Maiorem. Vt enim fiat alicui iniuria, non ſatis eſt vt inferatur ei nocumentum ſine iure inferendi, ſed præterea requiritur, vt inferatur contra ius quod habet is cui infertur: cùm iniuria, vt iniuria, ſit violatio iuris exiſtentis in eo cui iniuria fieri dicitur: quare cùm quoties infertur nocumentum volenti, ab eo qui nullum habet ius inferendi, non toties inferatur contra ius volentis, vt ex dictis conſtat, propterea nocumentum inferens, etſi ſine iure inferendi inferat, non ſemper facit iniuriam. Cuius reſponſionis bonitas euidens ex eo fit, quòd ſi conciperemus hominem nullum habere ius in feras, nihilominus eas occidendo non faceret eis iniuriam, nec peccaret contra ipſas per iniuſtitiam, quia etſi vitæ damnum ipſis inferret ſine iure inferendi, nihil tamen ageret contra ius ipſarum, cùm omni iure careant.

IV. Hinc ad primam Maioris probationem dico, peccatum hoc contra virtutem à iuſtitia diuerſam eſſe, vt contra charitatem, quando volenti vita eripitur. Ad ſecundam dico, iniuriam ab Vlpiano definitam ſumi vel latè, vel ſtrictè: latè quidem, pro actu iniuſto, ſeu peccati malitiam habente, quodcunque ſit illud peccatum: ſtrictè verò, pro actu quo violatur ius alterius, peccatúrque contra ipſum per iniuſtitiam. Si primum, ſenſus definitionis erit, illum actum dici fieri iniuriâ, & iniuſtum ſeu malum eſſe, qui ſine iure fit, id eſt, ſine legitima faciendi poteſtate, ideóque malum eſſe, quòd ſine iure fiat, id eſt, ſine hac poteſtate: quod verum quidem eſt, ſed concludi ex eo non poteſt, inferre nocumentum alteri ſine iure inferendi, eſſe iniuriam ſtrictè ſumptam, peccatúmque iniuſtitiæ oppoſitum iuſtitiæ ſpeciali virtuti. A V.

Sin ſecundum, cùm ait iniuriam dici quòd ſine iure fiat, ideo hoc ait, quia quoties iniuria fit, toties agitur contra ius illius cui iniuria fieri dicitur, ideóque ipſi iniuria fit, quia contra ius ipſius agitur: ex eo autem quòd agatur contra ius ipſius, ſequitur in eo eſſe ius, vt id in eum non agatur: ex eo autem quòd tale ius in eo ſit, conſequens neceſſariò eſt, vt in agente ius agendi non ſit, cùm ius illud in illo exiſtens, imponat iſti obligationem ex iuſtitia id non agendi contra illum, cum qua obligatione ius id agendi in iſto eſſe non poteſt. Quòd ſi in agente ius agendi non eſt, profectò ſine iure agit: qui proinde rectè dicitur iniuriam facere, quòd ſine iure agat, cùm iure agendi careat ex eo quòd in patiente ius eſt, vt id in ipſum non agatur: quod ius ipſius illa agentis actione violatur. Vnde cùm Vlpianus vult iniuriam fieri ſine iure, non vult excludere ſimul fieri contra ius: cúmque dicit iniuriam eſſe, quia ſine iure fit, non vult ideo non eſſe iniuriam, quia ſimul etiam contra ius fiat. B VI.

Ex dictis hac reſponſione concludes, quòd ſi Deus hominem quempiam ſpoliaſſet iure illo in ſuam vitam, ſuorúmque membrorum integritatem, quod habent cæteri in ſuam, quo perinde ſpoliare ipſum poteſt, ac dominio fortunarum ſuarũ, nullam poſtea ipſi inferret iniuriam qui ipſum etiam nolentem vel mutilaret, vel occideret: quem nihilominus occidendo aut mutilando peccare poſſet contra charitatem, non ſecus ac cùm volentem occidit, aut mutilat. C VII.

DISPVTATIO VIII.

Quinque de iudicio quæſtionum explicationem continens.

AGit de iudicio ſanctus Thomas quæſt. 60. cuius articulo primo concludit iudicium pro ſententia iudicis ſumptum actum eſſe iuſtitiæ: ſecundo docet actum hunc eſſe licitum, dummodo ſeruatis tribus conditionibus exerceatur: quarum prima eſt, vt proferatur ex affectu iuſtitiæ: ſecunda, vt authoritate legitimi iudicis: tertia, vt ſecundùm rectam rationem, ſeu prudentiæ regulas: quòd ſi conditionum iſtarum aliqua defuerit, prædictum actum illicitum fore: & quidem ſi prima, iudicium dici peruerſum ſeu iniuſtum: ſi ſecunda, vſurpatum: ſi tertia, ſuſpicioſum, ſeu temerarium. Articulo tertio tres iudicij ſuſpicioſi D VIII.

gradus distinguit : quorum primum ait esse veniale peccatum: secundum verò & tertium pro grauitate vel leuitate materiæ esse graue, vel leue. Articulo quarto & quinto præcepta tradit, ne in suspiciosum seu temerarium iudicium incidamus: ex quibus vnum est, dubia meliorem in partem esse interpretanda. Quibus omnibus explicandis inseruient tum præsens disputatio, tum duæ sequentes: præsens quidem quinque quæstionum explicationem continens, quarum tres priores erunt circa substantiam actus iudicandi, duæ posteriores circa relatas conditiones requisitas, vt hic actus licitus sit. I.

Prima est, vtrùm iudicium sit actus iustitiæ? Respondeo esse, siue iudicij nomen sumatur pro sententia iudicis, siue pro sententia cuiuslibet alterius etiam priuatæ personæ, qua per intellectum aliquid statuit apud se de moribus aliorum, aliisve rebus ad eorum famam pertinentibus. Et quidem quòd priori modo acceptum actus iustitiæ sit, constat vel ex ipsa nominis etymologia, iudex enim quasi ius dicens, & iudicium quasi dictio iuris appellatur. Quòd verò & in priori & in posteriori simul, liquet ex eo quòd ille est actus iustitiæ, qui est alteri ex iustitia debitus, & iuri ipsius adæquatus: talis autem est iudicandi actus tam priori quàm posteriori modo sumptus: priori quidem, quia ius habent litigantes, vt à iudice in officio iudicis legitimè constituto iudicium iuri suo adæquatum exigant, & accipiant: qui proinde iudicij actus ipsis est debitus, & quidem ex iustitia: tum quia vt sit ex hac debitus, solùm requiritur vt istud debitum in debente oriatur ex iure alterius cui debetur, debitum autem quod habet iudex ferendi sententiam iuri litigantium adæquatam ex eorum iure oritur: tum quia ille actus ex certa aliqua virtute debitus dicitur, qui cùm omittitur, vel contrarius exercetur, peccatur contra certam illam virtutem, peccaret autem contra iustitiam iudex, si prædictum iudicij actum non exerceret, vel si contrarium exerceret, eum nimirum quo ius litigantium non adæquaret: hoc enim committens, vel illud omittens, iniuriam litigantibus faceret, quia ius eorum accipiendi sententiam iustam manifestè violaret, iniuria autem nihil aliud quàm violatio iuris est. II. III.

Posteriori verò, quia ius habet quilibet ad bonam famam suam, bona autem fama cuiuslibet, in bona quam alij de ipso habent existimatione consistit: vnde concluditur, quemlibet habere ius, vt bonam de ipso alij concipiant existimationem: ex quo iure cùm non possit, vt ex disput. 1. constat, non oriri debitum in his aliis, sequitur euidenter, actum bonæ existimationis de alio concipiendæ debitum esse ei de quo hæc existimatio concipitur: & quidem debitum ex iustitia, tum quia ex prædicto iure debitum hoc nascitur: tum quia contra iustitiam peccaret, qui contra debitum istud malam de alio opinionem conciperet, sicut & contra eandem peccat, qui de eo detrahit, malamque de ipso in aliorum mentibus opinionem ingenerat. IV.

Secunda est, quodnam sit discrimen inter modum quo prior actus iudicandi debitus est, & quo posterior? Respondeo hoc intercedere. A quòd prior absolutè debitus est, id est, non ex sola hypothesi quòd velit iudex aliquem iudicij actum exercere, circa iura litigantium, sed absolutè, præsuppositâ legitimi iudicis personâ quam sustinet. Posterior autem non est absolutè debitus, sed tantùm ex hypothesi quòd velimus aliquem formare iudicij actum circa proximi mores, aliasque res, ex quibus ipsi bona vel mala fama nostris in mentibus comparatur: ex hac enim hypothesi debemus bonam concipere de ipso existimationem, quando nullam, aut non sufficientem habemus malè de ipso sentiendi causam. V.

Ratio est, quòd nemo nostrûm ad famam suam hoc absolutè ius habeat, vt alij de ipso rectè sentiant, sed hoc solùm, ne malè sentiant, quando non sufficientem habent malè sentiendi occasionem: si enim nemo nostrum illud absolutè ius habet, vt alij de ipso cogitent, multò minùs habet absolutè ius, vt præclarè cogitent. Atque vt nemo nostrûm hoc habet absolutè ius, vt opus laude dignum quod exercet, laudetur apud alios, sed tantùm, ne apud ipsos B vituperetur: ita ius absolutè nemo habet, vt bona de ipso concipiatur ab aliis existimatio, sed tantùm, vt mala minimè concipiatur, quando non adest sufficiens concipiendi ratio. Quoniam autem hoc habet ius: ex hypothesi verò quòd quis circa proximum exercere actum iudicij velit, necesse est vt vel benè vel malè de ipso iudicet, rectè sequitur, ipsum habere ius, vt ex illa hypothesi per positiuum iudicij actum bene de ipso iudicetur: si enim ex illa etiam hypothesi ius ad hunc positiuum actum non haberet, profectò nihil contra ius ipsius fieret, si positiuus hic bene de ipso iudicandi actus non exerceretur, & proinde si contrarius exerceretur, cùm, vt dixi, necesse sit illo non elicito, hunc elici. Quòd si contra ius ipsius nihil fieret, sanè ius non haberet ne male de ipso iudi- VI. VII.
C caretur.

Dices primò, non posse sinistrum de proximo iudicium iniustum esse, nisi contrarius bene de ipso iudicandi actus sit ipsi absolutè, & non ex sola prædicta hypothesi, debitus: sed hoc manifestè falsum est: sæpè enim contingit positiuum aliquem actum esse iniuriosum alteri, licet actus oppositus non fuerit ei absolutè ex iustitia, aut vlla etiam alia ex virtute debitus: detractio enim iniuriosa est ei de quo detrahitur, cui tamen absolutè, seu independenter à prædicta hypothesi, contraria detractioni illi laudatio non debebatur: actus item furandi & occidendi sunt haud dubiè iniurioſi illis contra quos committuntur, nec tamen iis absolutè ab homicida & fure debebantur vlli actus positiui, quibus hi eorum vitam & fortunas tueri vellent, & reipsa tuerentur. VIII.
D

Dices secundò, non posse nos sine proximi iniuria bonam de ipso conceptam opinionem deponere: hunc ergo bonæ semel conceptæ opinionis actum positiuum ipsi esse debitum. Sed respondeo in primis duobus modis deponi posse opinionem hanc: primo, contrariam concipiendo: secundo, merè cessando ab illo actu bonæ opinionis: & priori quidem modo non posse deponi sine eius iniuria, quia ius habet, ne mala de se opinio sine causa concipiatur:

posteriori posse : quia sicut absolutè ius non habet vt bona illa de ipso opinio concipiatur, ita nec habet, vt semel concepta positiue continuetur. Respondeo secundo, hunc positiuum bonæ opinionis semel conceptæ actum toto tempore consequente esse proximo debitum, non absolutè, sed ex hypothesi, quòd in aliquo iudicij circa ipsum actu toto illo tempore perseuerare velimus.

I.

Ex dictis colliges, obligationem quam de fama proximi conseruanda habemus, non ex præcepto affirmatiuo oriri, sed ex negatiuo. Cùm enim præceptum affirmatiuum per se & absolutè obliget ad actum aliquem positiuum exercendum, vt inductione constat per præcepta omnia affirmatiua, si præcepto huiusmodi ad bonam proximi famam conseruandam obligaremur, teneremur absolutè positiuum bonæ de eo existimationis actum exercere, & non solùm ex prædicta hypothesi. Econtrario verò cùm præceptum negatiuum ad nihil aliud absolutè obliget, quàm ad non eliciendum aliquem positiuum actum, vt inductione per negatiua omnia certum est, præcepto autem de bona proximi fama tuenda ad nihil aliud obligemur absolutè, vt probaui, quàm ad non exercendum temere sinistrum de proximo iudicium, sequitur, obligationem conseruandæ eius famæ non ex alio quàm negatiuo præcepto ortum ducere.

II.

Nec dicas, ex hypothesi saltem quòd aliquem iudicij actum circa ipsum exercere velimus, obligari nos, vt ante docuimus, ad positiuum bonæ de ipso opinionis actum exercendum, ex eaque proinde hypothesi habere nos ex affirmatiuo præcepto obligationem proximi famam conseruandi. Ne, inquam, id dicas: nam ne tunc quidem obligatio aliunde quàm ex præcepto negatiuo est: hoc enim est discrimen inter affirmatiua & negatiua præcepta, quòd illa per se directè & absolutè ad alicuius actus positiui exercitium obligant: ista verò per se & directè ac absolutè non obligant quidem ad quidquam aliud, quàm ad aliquem actum positiuum non exercendum, secundariò tamen obligant ad aliquem exercendum, ex hypothesi quod mere negatiuè nos habere nolimus circa rem, circa quam directè & absolutè vetant certi alicuius actus exercitium: vt constat tum exemplis præceptorum negatiuorum, tum ex eo præterea quòd huius actus secundariò imperati omissio, & contrarij vetiti productio vnicum numero peccatum est, nec aliud quàm commissionis: quòd sanè etiam esset omissionis, si prædicti actus exercendi obligatio ex præcepto affirmatiuo esset: omnis enim actus ex præcepto affirmatiuo debiti omissio, peccatum omissionis est.

III.

IV.

Tertia est, vtrùm aliud discrimen inter priorem iudicij actum & posteriorem intercedat? Respondeo istud quoque intercedere, quòd prior possit esse verum de proximi prauitate iudicium, simúlque verus iustitiæ actus: posterior autem possit quidem esse verum de eiusdem prauitate iudicium, sed iustitiæ actus esse negare. Ratio prioris partis est, quòd ille sit verus iustitiæ actus, qui est alteri ex iustitia debitus, & æqualis iuri ipsius: actus autem quo iudex aliquando reum aliquem & nocentem verè esse iudicat, & pronuntiat, talis actus est: debet enim ex iustitia iudex eum sua sententia pronuntiare reum & nocentem, qui reus & nocens authoritate testium aliisve argumentis probatus & conuictus est: non ex iure quod habeat is qui reus probatus est ad hanc à iudice contra se sententiam accipiendam: nullum enim huiusmodi ius habet: vnde nec faceret ei iudex iniuriam, si contra eum hanc non ferret sententiam, aut si contrariam ferret, qua eum innocentem declararet, imò conferret beneficium: sed partim ex iure quod habet aliquando alter litigantium ad famæ suæ cõseruationem, honóríve sui læsi reparationem, qui nonnunquam satis reparari non potest, nisi sententiâ iudicis alter famæ suæ detrimentum patiatur, reusque declaretur: partim ex iure quod habet Respublica, vt fures, homicidæ, aliíque malefactores, per sententiam iudicis ad mortem, aliamve pœnam damnentur: ad quam damnari non possunt, quin eadem sententiâ rei nocentesque declarentur.

A

V.

B

Posterioris autem partis ratio ex opposito est, quòd ille non possit esse iustitiæ actus, qui non potest esse alteri ex iustitia debitus: talis autem est actus quo verum de proximi prauitate iudicium nostris in mentibus formamus: neque enim ipse proximus quem prauum esse iudicamus, neque alius ius habet ad hùc actum à nobis exigendum, vel absolutè, vel ex hypothesi quòd aliquem iudicij actum circa ipsum exercere velimus: vnde nec proximo ipsi, nec vlli alij iniuriam facimus, si cum prauus sit, suæque prauitatis argumenta sufficientia nobis dederit, hoc tamen verum de eius prauitate iudicium continemus, & vel mere negatiuè nos habemus, vel iudicio contrario licet falso bonum illum esse iudicamus.

VI.

C

Notandum autem, priorem illum, & hunc posteriorem iudicij actum, cùm in duobus suprà dictis differant, non in eo solùm conuenire, quòd vterque est iustitiæ actus, vt prima quæstione hîc probauimus, sed in eo quoque, quòd vterque est actus iustitiæ externus: quòd enim prior per externam corporeámque facultatem exerceatur, posterior per intellectum, in quo immaneat, non impedit quo minus tam hic quàm ille censeri externus debeat: omnes enim actus qui per aliquem voluntatis actum instar obiecti sunt voliti, quique per potentiam à voluntate diuersam exercentur, censentur externi & ipsi voluntati, & habitibus in ipsa sedem habentibus, eo ipso quo extra voluntatem sunt, extraque per consequens illud subiectum in quo sunt illi habitus.

VII.

D

Quarta est, quo sensu dicat D. Thomas actum iudicandi illicitum fore, nisi procedat ex affectu iustitiæ? Respondeo, non isto, quasi velit hunc actum toties peccatum fore, quoties ex formali motiuo iustitiæ non exercebitur, nec habebit proinde formalem & propriam virtutis huius honestatem: certum enim est non futurum peccatum, imò futurum formaliter bonum, si ex formali motiuo virtutis alicuius à iustitia distinctæ exerceatur, vt potest exerceri. Quod ergo ait D. Thomas, sic accipiendum est, vt aut velit iudicij

VIII.

actum fore peccatum, si procedat ex affectu iniustitiæ, seu iniuriæ faciendæ, quod certissimum est: aut nisi procedat ex hoc affectu voluntatis, Volo quod iustum est iudicare: qui affectus dicitur iustitiæ, non quòd necessariò ex formali motiuo virtutis huius exerceatur: ex alio enim siue bono, siue malo exerceri ex
I. natura rei potest: sed quia tendit in proprium iustitiæ obiectum, quod est, vt ex prima disputatione constat, actus externus alteri debitus & æqualis iuri ipsius: ex quo iustitiæ affectu procedens actus iudicij licet malus esse queat, cùm hic affectus ex malo motiuo elici possit, nisi tamen ex illo procedat, malus semper erit: oportet enim omnem iudicij actum libere elicitum, ex aliquo voluntatis affectu, quo velit actum hunc exerceri, procedere: nisi autem in voluntate exercentis actum hunc sit affectus quo iustum iudicium ferre velit, erit necessariò affectus, quo vel iniustum ferre volet, vel quo volet absolutè ferre iudicium, siue à parte rei iustum, siue iniustum futurum sit: qui vterque affectus cùm certissimè malus sit, malus
II. quoque erit iudicij actus ex affectu illo malo, tanquam effectus ex causa procedens.

Quinta est, quale sit peccatum actus iudicij, cui deest vna ex tribus relatis conditionibus? Respondeo esse ex genere suo peccatum mortale: sæpe tamen esse reipsa tantummodo veniale. Ratio prioris partis est, quod iudicij actus cui deest aliqua conditionum illarum peccatum iniustitiæ est: peccatum autem iniustitiæ ex suo genere mortale est. Illud enim peccatum ex genere suo mortale dicitur, quod ex obiecto suo mortale est: illud autem ex obiecto suo dicitur mortale, quod ex se suáque natura versatur aut versari potest circa obiectum tam graue, vt ab eo malitiam mortalis peccati possit obiectiuè desumere, cuiusmodi esse peccatum iniustitiæ notum omnibus est.

III. Ratio posterioris partis est, quòd per huiusmodi actum leuis tantum iniuria fieri aliquando possit, vt inductione per singulas illas conditiones constat. Etsi enim quis velit ex formali etiam affectu iniustitiæ, seu iniuriæ faciendæ, ferre iudicium iniustum, si tamen hoc iniusto iudicio leue solummodo nocumentum affert ei contra quem fert hoc iudicium, leuem tantùm iniuriam ipsi infert. Quòd si quis etiam in re nullius aut parui momenti semel vsurpet sibi iudicandi authoritatem quam non habet, cogitque aliquo modo eos de quibus iudicat suæ stare sententiæ, hac tamen coactione nihil graue contra eorum libertatem, iúsque quod ad illam habent, facit, hic quoque non nisi leuem eis quos sic cogit, facit iniuriam: alioqui si coactio quælibet contra ius quod habet ad
IV. libertatem suam persona quæ cogitur, esset grauis iniuria, peccaret semper ille grauiter qui alterum vel loco suo consistere, vel moueri ad exiguum tempus inuitum cogeret. Quòd si denique quis de altero temere malum iudicet, & quidem iudicio firmo, sed malum leue, ratione leuitatis huius materiæ leuem duntaxat ei faciet iniuriam, peccabítque proinde solùm leuiter.

DISPVTATIO IX.

An iudicium suspicioſum sit mortale peccatum?

SECTIO PRIMA.

Quid sit sentiendum declaratur, & authoritate probatur.

V. NOTANDVM primò sensum quæstionis non esse, an hoc iudicium sit ex genere suo peccatum mortale: constat enim ex proximè ante dictis esse: sed, an qui iudicium hoc exercet plenè aduertens & volens, peccet toties mortaliter, quoties exercet. Notandum secundò, iudicij nomine nos intelligere internum illum mentis actum, quo quis apud se de proximo iudicat. Notandum tertiò, suspicioſum iudicium, seu quod idem est, suspicionem duobus in genere
VI. modis sumi: 1. latè, 2. strictè: latè sumitur, dum accipitur pro quouis mentis assensu, siue firmo, siue debili quo quis ex leuibus causis malum non certò inexistens proximo, de ipso cogitat: strictè sumitur, dum capitur pro solo mentis assensu debili & vacillante quo prædictum malum de proximo cogitatur. Notandum quartò, suspicionem hoc posteriori modo sumptam duplicem iterum esse: aut enim est assensus quo determinatè malum aliquod inesse proximo iudicamus, sed iudicio debili & titubante: aut est actus quo nihil determinatè iudicamus, neque affirmantes, neque negantes malum ipsi illud inesse, sed quo vtrùm insit, an non insit, dubitamus. Notãdum quintò, malum hoc esse graue, vel leue: graue appello, quod magnam proximo infamiam parit: leue, quod paruam.
VII.

Quibus prænotatis, Dico in primis, nemini dubium esse, quin suspicio latè sumpta sit toties mortale peccatum, quoties est assensus firmus quo leuibus ex causis malum graue non certò inexistens proximo, de ipso cogitatur: aut enim nullum iniustitiæ mortale peccatum admitti potest contra bonam proximi famam, aut si aliquod potest, istud profectò est: certum autem est aliquod posse, cùm bona fama sit vnum ex maximis bonis ad quæ ius habemus, & in qua non secus ac in bonis vel fortunæ vel corporis graue damnum pari per iniustam alterius actionem possumus, grauémque proinde accipere iniuriam.

Dico secundò, nemini quoque dubium esse, suspicionem siue latè, siue strictè sumptam
VIII. esse tantùm veniale peccatum, quando malum quod de proximo temere seu leuibus ex causis suspicamur, leue est: huius enim materiæ leuitas facit, vt quemadmodum leue famæ suæ detrimentum patitur, ita leuem solummodo per hanc suspicionem iniuriam accipiat.

Quæ duo cùm, vt dixi, apud omnes certa sint, restat hoc vnum controuersum, vtrùm suspicio sumpta pro prædicto debili assensu, quo graue malum temere de proximo suspi-

camur, peccatum mortale iniustitiæ sit. De qua quæstione, prima sententia est Dom. Bann. & Aragonij in tertium quæstionis huius 60. articulum, suspicionem hanc, cùm plenè voluntaria est, semper esse mortale peccatum.

I. Secunda est Lessij lib. 2. de Iust. & Iure cap. 29. dub. 3. suspicionem in materia graui aliquando mortale peccatum esse, aliquando tantùm veniale, affirmantis, vt autem assignet, quandonam mortale sit, quandonam tantùm veniale, duo in suspicione distinguentis, nempe substantiam ipsius suspicionis, quòd videlicet sit assensus debilis quo graue malum de proximo iudicamus, & temeritatem eius, quod nimirum temere, seu leuibus ex causis concipiatur, hacque præmissa distinctione asserentis, cùm suspicionis actus plenè voluntarius est quoad substantiam tantùm, non item quoad temeritatem, esse tantummodo veniale peccatum, etiam in materia graui: at cùm plenè voluntarius est tam quoad hanc quàm quoad illam, esse mortale: tunc autem dicit esse plenè voluntarium quoad hanc, & illam, dum

II. suspicans aduertit plenè se non modò suspicari, sed etiam leuibus ex indiciis, nec sufficientibus suspicari, & tamen ex iis suspicari vult: quoad substantiam autem solam esse plenè voluntarium, dum plenè quidem aduertit se suspicari, sed non plenè aduertit se leuibus ex causis suspicari, quia vel causas illas, licet à parte rei leues, graues esse, licet imprudenter, putat, vel certè vtrùm leues sint, tantùm dubitat, non verò leues esse firmiter iudicat.

III. Tertia est Dominici Soti lib. 3. de Iustit. & Iure, quæst. 4. art. 3. & Gregorij à Valent. hic punct. 3. suspicionem de qua loquimur in materia graui esse ordinariè peccatum solum veniale, in materia tamen grauissima fore mortale: vt si quis de persona notæ sanctitatis magnæque famæ, suspicaretur temere peccatum hæresis, aut parricidij, aliudve grauissimum.

IV. Quarta omnium probabilissima est, suspicionem nunquam esse peccatum mortale: in ea sunt Caiet. ad art. 3. quæstionis huius 60. & Petrus Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 4. quæ & communis inter Theologos videtur esse. In qua probanda si ostendero suspicionem pro debili assensu sumptam licet plenissimè voluntariam in quacunque materia nunquam esse peccatum mortale, multò magis id euicero de suspicione sumpta pro dubitatione cuius in quarta notatione memini: cùm dubitatio hæc, sicut ex se minus lædit famam proximi, vt pote qua nullum de eo malum determinatè affirmatur, quàm assensus ille debilis, vtpote quo determinatè aliquod affirmatur, ita sit ex se assensu illo minus peccatum iniustitiæ.

Iam illud quod dixi probo in primis authoritate S. Thomæ qui prædicto art. 3. tres suspicionis gradus distinguens, & in primo gradu debilem illum assensum reponens, disertis verbis docet, primum gradum suspicionis esse tantùm veniale peccatum: quod confirmat testimonio Glossæ, quæ est D. Augustini tract. 90. in Ioannem dicentis genus istud suspicionis *ad humanam tentationem pertinere, sine qua vita ista non ducitur*, sicque ibidem concludentis: *Si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitiuas firmásque sententias continere debemus*: quo profectò modo nunquam esset de suspicione loquutus D. August. quam aliquando mortale peccatum esse existimasset: quis enim de mortali peccato rectè dixerit, ipsum ad humanam tentationem pertinere, sine qua vita ista non ducitur? seu, quod eodem recidit, ad illud peccatum, à quo nullus hominum est immunis? aut non posse nos vitare peccatum mortale, quia homines sumus? quæ de veniali peccato optimè dicuntur eo sensu quo in Tractatu de gratia explicari solet à Theologis, & à nobis disp. 1. sect. vltima explicatum est: quæque de eo intellexit S. Doctor citato articulo ex hoc loquendi D. Augustini modo suam confirmans sententiam, nempe primum suspicionis gradum esse solùm veniale peccatum.

Respondent aduersarij primò, S. Thomam tantùm velle, primum hunc suspicionis gradum ordinarie esse peccatum veniale, sed hoc non impedire quo minus aliquando licet raro mortale sit. Verùm hæc responsio nulla est: eodem enim prorsus modo docet primum illum gradum esse veniale peccatum, quo secundum gradum in materia leui veniale, in graui mortale esse docet: at hoc de secundo illo gradu dum docet, non solùm docet ordinariè ita rem habere, sed semper: itavt secundus iste gradus in materia leui nunquam sit mortale peccatum: & in graui, nunquam sit veniale: quod & reipsa verum est.

Respondent secundò, in primo illo suspicionis gradu non reponi à S. Thoma prædictum debilem assensum, sed solam præfatam dubitationem. At hæc etiam responsio falsa est. Cùm enim hic assensus debilis propriè suspicio sit, fateantur oportet aduersarij ipsum in aliquo suspicionis gradu ex tribus enumeratis à S. Thoma fuisse repositum: quod cùm negare non possint, dicunt fuisse repositum in secundo. Verùm cùm secundus ille gradus, ex ipsius expressa doctrina, comprehendat solos assensus quibus quis pro certo malitiam alterius ex leuibus indiciis æstimat, vt loquitur, quos assensus paulò post vocat definitiuas firmásque sententias, tam certum debet esse, ipsum à secundo illo gradu prædictum illum debilem assensum excludere, quàm exploratum est, hunc assensum debilem non esse assensum, quo quis certò malitiam alterius æstimat, seu non esse definitiuam firmamque sententiam, cùm è contrario sit infirmus, & semper cum incertitudine seu formidine aliqua vacillantis animi eo modo coniunctus, quo tertia sectione explicabitur.

V. VI. VII. VIII.

Vnde cùm hic assensus tertio suspicionis gradu non comprehendatur, vel non magis quàm secundus, & primus, quia gradus ille tertius in eo actu constituitur, quo iudex ex suspicione procedit ad ferendam contra aliquem damnationis sententiam, quod æquè facere potest ex suspicione, quæ sit vel præfata dubitatio, vel prædictus assensus debilis, vel etiam firmus, sequitur euidenter, assensum hunc debilem primo suspicionis gradu à S. Thoma fuisse comprehensum: quod & expressè docet Caiet. in art. 3. huius quæstionis, &

I. II. III. IV.

facilè colligitur ex verbis S. Doctoris, dicentis primum illum gradum esse, cùm homo ex leuibus causis de bonitate alterius dubitare incipit: de qua profectò dubitare secundùm communem hominum loquendi morem dicitur, non tum solùm cùm perfectè dubius est, nihil affirmando, aut negando, sed etiam tum cùm malum aliquod affirmat inesse, sed assensu debili, seu cum aliqua hęsitatione & formidine, vtrùm reipsa insit, an non, coniuncto.

I.

SECTIO II.

Idem præterea ratione probatur.

PROBATVR secundò hac ratione à priori. Assensus ille non potest esse mortale peccatum iniustitiæ contra bonam proximi famam, quo fama ipsius non notabiliter læditur: atqui prædicto debili assensu nulla in materia notabiliter læditur: ergo hic assensus nunquam esse potest mortale peccatum iniustitiæ. Maior est certissima, tum quia quando assensus mortale peccatum est, ideo est, quia proximi famam lædit notabiliter: tum quia si non notabiliter lædit, sed tantùm leuiter, non notabilem, sed leuem tantùm infert proximo iniuriam, leuis autem iniuria leue iniustitiæ peccatum est. Ad Minoris probationem tria præmittenda sunt. Primum est, quòd sicut bona proximi fama consistit formaliter in actu nostræ mentis quo præclarè de ipso existimamus, ita læsio famæ ipsius, seu infamia sita formaliter est in eo mentis nostræ actu, quo de ipso malè sentimus.

II.

Secundum est, quantitatem infamiæ quam per hunc actum nostrum formaliter proximo inferimus, non esse metiendam ex quantitate positiuæ existimationis bonæ quæ de temere suspicantis animo per suspicionem tollitur, nec proinde esse existimandum, tantam nos per illum nostrum actum inferre formaliter ipsi infamiam, quantam eidem ipsi conciliaremus formaliter famam per positiuum actum bonæ existimationis: qui quoniam est cum illo nostro suspicionis actu incompossibilis, per hunc actum de animo nostro tollitur: vnde licet per quamcunque vel leuissimam suspicionem, vel dubitationem, num aliquod leue vitium insit proximo, excludatur formaliter ob prædictam incompossibilitatem naturalem à nostris mentibus positiua illa & præclarissima existimatio, qua iudicaremus illum esse omnis prorsus vitij expertem, non propterea tamen per illam suspicionem dubitationémve tantum ipsi inferimus infamiæ, & iniuriæ, quantum ipsi conciliaremus apud nos famæ per hoc nostrum iudicium. Cuius rei ratio est, quod, vt antè docui, ius non habet absolutè proximus, vt positiuè bonam de ipso concipiamus opinionem, sed tantùm ne malam sine legitima causa concipiamus: hinc enim fit, vt ad quantitatem iniuriæ infamiæque quam per temerariam suspicionem ipsi inferimus colligendam, non debeamus attendere, quanta sit bona positiua opinio quam de eo non concipimus, cum ad eam ille ius non habeat, sed tantùm quanta sit in se mala existimatio quam de ipso concipimus.

III.

IV.

Tertium est, magnam notabilémque malæ illius existimationis quantitatem pendere necessariò ex duobus, quorum vno deficiente non potest censeri magna eius notabilisque quantitas. Primum est, mali quod de proximo cogitamus notabilis quantitas, id est, grauitas. Secundum est, actûs quo notabile malum cogitamus, magna notabilisque quantitas, id est, perfectio in genere cogitationis, seu iudicij & assensus: ex his enim duobus si primum desit, quantumcúque actus quo malum cogitamus, sit perfectus in ratione iudicij seu assensus, id est, quantúmcunque sit firmus (firmitas enim assensus ad eius perfectionem pertinet, sicut debilitas & vacillatio ad eiusdem imperfectionem: vnde multò perfectiùs vni propositioni assentitur is, qui assentitur assensu firmo, & excludente omnem de oppositò formidinẽ, quàm qui assensu debili cum hac formidine coniuncto) omnium tamen iudicio leue tantum infertur famæ proximi detrimentum, solúmque leue peccatum est.

A

V.

Quòd si dum primum adest, secundum absit, tunc quoque non notabiliter, sed leuiter tantùm famam proximi lædamus, ostendo ex eo quòd sicut tam de bonæ quàm malæ famæ essentia est mentis assensus, seu actus quo bonum vel malum de alio cogitamus, ita ad eiusdem magnitudinem essentialiter pertinet magnitudo seu perfectio assensus in ratione assensus seu actus, quo bonum aut malum cogitamus, itavt nec possit esse, nec intelligi magna fama siue bona, siue mala, nisi ille mentis assensus seu actus magnus sit in ratione huiusmodi actus seu assensus: quòd si verum est de bona fama, erit haud dubiè pariter de mala, cùm par vtriusque ratio sit: verum autem esse de illa ex eo patet, quòd nullus hominum dicet eum in magna apud homines fama esse, de quo hi præclara quidem magnificaque cogitabunt, sed per imperfectum mentis assensum in ratione assensus, seu actum in ratione actus, quo ista de illo cogitantur, nempe vel meram dubitationem, vel per assensum debilem cum formidine de oppositò coniunctum, si præsertim leuibus indiciis nitatur: sed tum demum aliquem magnæ famæ putamus esse, cùm firmis definitiuisque iudiciis magnum quiddam & egregium inesse ipsi pro certò existimamus, & quò certiùs ac firmiùs id existimamus, eò maiorem ipsius esse famam arbitramur.

B

VI.

Quibus ex tribus præmissis minoris propositionis veritas est euidens: cùm enim vna quidem ex parte constet malæ famæ seu infamiæ magnitudinem pendere non à sola mali, quod de alio cogitatur magnitudine, sed etiam ab assensus seu actus quo tale malum cogitatur magnitudine seu perfectione in ratione huiusmodi actus seu assensus: ex altera verò constet prædictum assensum debilem esse quid imperfectum in ratione assensus, & quidem ita imperfectum, vt nullum genus assensus dari possit imperfectius: sequitur euidenter, si istiusmodi tantùm assensu malum quantumuis graue de alio cogitetur, non propterea famam eius lædi notabiliter per illum assensum, quod in nostra minori propositione dicebamus.

C

VII.

D

VIII.

Atque cùm hæc vna ratio tres priores supra relatas sententias falsitatis arguat, contra tertiam hoc speciatim proponi argumentum potest: quòd nimirum si de persona magnæ sanctitatis & famæ suspicari grauissimum aliquod peccatum, esset peccatum mortale, sequeretur, suspicionem cuiusuis peccati grauis, imò etiam alicuius venialis inter venialia paulò grauioris, posse esse mortale peccatum: posset enim dari persona supra personam illam alterâ tantæ celebritatis & famæ, vt de ea suspicari quoduis graue peccatum, aut etiam aliquod veniale tale quale dixi, non minùs, imò magis eius famam læderet, quàm lædat illius alterius famam suspicio grauissimi peccati quod de illo suspicamur. Dices ita rem se habere, ex eoque euidens esse, quòd qui minimum veniale peccatum de B. Virgine suspicaretur, lethaliter peccaret. Respondeo peccaturum quidem lethaliter, at non per iniustitiam contra bonam eius famam, sed per hæresim contra fidem, quam omnis suspicio & dubitatio plenè deliberata destruit.

I.

II. Contra secundam autem hæc duo possunt opponi. Primum est, non rectè in ea asseri suspicionem plenè voluntariam tam quoad substantiam suspicionis, quàm quoad eius temeritatem, in materia graui mortale peccatum esse, in eademautem materia veniale tantùm fore, si suspicionis temeritas non est plenè voluntaria, id est, si suspicans non pro certo iudicat se leuibus ex causis suspicari. Contendo enim sentiendum esse, si temeritas suspicionis plenè prædicto sensu voluntaria in materia graui sufficit ad peccatum mortale, sufficere quoque cùm plenè voluntaria non est: aut si cùm plenè voluntaria non est, veniale tantùm peccatum est, esse quoque tum, cùm plenè voluntaria est.

III. Etenim suspicio peccatum esse non potest, nisi temeritas suspicionis aliquo modo voluntaria sit: nam si sola eius substantia voluntaria est, peccatum non erit: tunc enim est voluntaria, cùm quis liberè suspicatur plenè aduertens se suspicari, & bona fide, licet falsò, putans se grauibus ex causis suspicari: quo tamen casu ob hanc bonam fidem sine peccato illa suspicio est. Vt autem suspicionis temeritas voluntaria sit, necessarium est aliquo modo cognosci leues esse causas quibus nititur: cùm enim suspicionis temeritas in eo posita sit, quòd suspicio leuibus ex causis concipitur, non potest hæc temeritas esse cognita, nec proinde volita, nisi causarum illarum leuitas aliquo modo cognoscatur. Vnde cùm bona fide putantur causæ esse graues, suspicionis temeritas volita non est, quia nihil volitum, nisi cognitum, non cognoscitur autem, quia ratione bonæ illius fidei, causarum, quæ bona fide putantur graues, leuitas ignoratur: siue autem causæ istæ leues esse cognoscantur perfectè, siue imperfectè, id est, siue intellectus pro certo iudicet ipsas leues esse, siue an tales sint, solùm dubitet, & proinde siue suspicionis temeritas sit plenè voluntaria, siue non plenè, iuxta mentem Authoris secundæ sententiæ contra quem agimus, peccatū suspicionis semper eiusdem generis est, nempe semper aut mortale, aut veniale.

IV.

A B C D

Ratio autem est, quia retenta eadem materia, cæterisque omnibus eodem modo se habentibus, hoc solo dempto, quòd intellectus prædicto sensu ad leuitatem causarum nunc plenè aduertat, nunc non plenè, manet necessariò idem peccati genus, si veniale, veniale: si mortale, mortale: nec ob hanc modò plenæ, modò non plenæ aduertentiæ mutationem mutari peccatum de veniali in mortale potest, aut de mortali in veniale: vt constat exemplo eius qui mentitur, qui mentiendo peccare non potest, nisi aliquo modo aduertat se non vera loqui: nam si bona fide vera loqui se putat, etsi falsum dicat, nonpeccat: siue autem aduertat plenè se non vera loqui, siue non plenè, id est, siue id pro certo iudicet, siue ea de re tantùm dubitet, idem mendacij & peccati genus committit, & vtrobique vel veniale tantùm, vel mortale. Vnde si in materia graui, vt cùm mendacium valde pernicioſum est, plenè aduertens, id est, certò iudicans esse valde pernicioſum, peccat mortaliter, peccabit quoque mortaliter, non plenè aduertens, id est, non pro certo iudicans sic pernicioſum esse, sed ea de re solummodo dubitans: vt constat item exemplo eius, qui sagittam emittens in id quod procul videt, siue plenè aduertens, id est, certò iudicans esse hominem, siue non plenè aduertens, id est, vtrum homo sit an fera dubitans, peccat mortaliter contra iustitiam.

V.

VI.

Secundum est, prædicti authoris argumentum ex quo suspicionem hanc mortale peccatum esse sibi persuasit, nullum esse. Nam quod ait, ideo tunc eum qui suspicatur peccare mortaliter, quia ex maleuolentia suspicatur, non valet ad concludendam in hac suspicione malitiam peccati mortalis. Primò enim falsum esse potest, eum ex maleuolentia suspicari, quia potest multis aliis ex motiuis quàm ex maleuolentiæ affectu suspicari velle, etsi suspicionis suæ causas leues esse pro certo iudicet. Deinde quāuis verum esset omnem huiusmodi suspicionem oriri ex maleuolentia, ex ea tamen accipere lethiferi contra iustitiam peccati malitiam non posset, si alias non habeat: quemadmodum si quis ex maleuolentia seu formali odio erga proximum, assem vnum aut alterum, aut quid similiter leue, furto subripere ipsi vellet, etsi concederetur ipsum peccare per odium mortaliter contra charitatem, furtum tamen istud etiam ex odio profectum, veniale tantummodo peccatum esset contra iustitiam, ex leuitate damni quod in fortunæ bonis proximo inferretur: quódque semper æquale est, siue ex odio, siue alio ex affectu inferatur: quod & pariter in bono famæ locum habet, cuius detrimentum æquale est, siue ex hoc, siue ex illo alio motiuo sit illatum.

VII.

VIII.

Denique nec ex illa maleuolentia directè repugnante charitati in suspicionem illam mortalis peccati malitia etiam contra charitatem derriuaretur. Etenim non quodlibet odium proximi mortale peccatum est, sed illud solùm quo graue ipsi malum appetitur, appetitu siue efficaci, siue inefficaci: per illam autem maleuolentiam non graue malum ipsi appeteretur, sed leue tantummodo, leuis nimirum infamia, quam in quacunque materia leuem esse ostendimus,

dimus, dum solo prædicto debili assensu malum de ipso cogitamus.

Ex dictis facilè concluditur, vt iudicium quo de proximo malum iudicamus peccatum mortale sit, tres habere debere conditiones: prima est, vt firmum sit: secunda, vt de graui malo:
I. tertia, vt leuibus ex causis conceptum, nam si A ex sufficientibus concipitur, nec temerariũ est, nec peccatum. Verum occasione trium istarum conditionum tribus quæstiunculis respondendum est, quod sequenti sectione faciemus.

SECTIO III.

Tribus quæstiunculis respondetur.

PRIMA est, quænam dum suspicamur, leues suspicionis causæ censeri debeant? Rectè cũ Dominico Soto, lib. 3. de Iust. & iure, quæst. 4. art. 3. respondent communiter Theologi, nõ posse hac in parte dari regulam generalem, sed hoc iudicio prudentis definiri debere, qui rationem habeat personarum, locorũ, negotiorum,
II. temporum, aliarúmve similium circumstantiarum. B Etenim quæ causæ seu indicia sufficiunt ad malum suspicandum aut iudicandum de homine vitioso, possunt esse leuissima ad idem de viro probo vel iudicandum, vel suspicandum. Item quæ causæ sufficiunt ne suspicio vel iudicium temere vna in materia formetur, non sufficiunt in altera: verbi causa, hominis in templo tempore sacri immodestè se gerentis immodestia, sufficiens argumentum est animi non ita pij, non est sufficiens argumentum hæresis.

Denique ne pluribus aliis in particulari recensendis circunstantiis immorer, quæ causæ sunt graues vno tẽpore, alio leues esse possunt: exempli gratia, videre hominem ignotum de nocte scalas admouentem ad fenestras domus locupletis hominis, grauissima causa est suspi-
III. candi furtum, aut homicidium: videre autem C eũdem hominem idem media die multis inspectantibus facientem, leuis causa est idem suspicandi. Hoc vnum adiungo, cùm duobus modis suspicari malum de proximo possimus, primo per assensum debilem, secundò per puram dubitationem, non tam graues causas, nec tam aperta signa requiri, vt quis absque temeritate dubitationem hanc concipiat, quàm vt assensum illum: cùm minus sit ita dubitare, quàm sic assentiri: minúsque cæteris paribus per dubitationem illam, quàm peristum assensum fama proximi minuatur.

Secunda est, quodnam, dum malum de proximo suspicamur, censeri debeat graue, quod leue? significaui superiùs illud graue censeri de-
IV. bere, quod eius famæ notabile damnum affert: leue, quod non notabile: quænam autem res D notabile, vel non notabile afferant, non potest in vniuersum definiri: siquidem quæ res vni grauem pareret infamiam, alteri vel nullam, vel non nisi leuem parit: aut quæ vno tempore parit alicui aliquam, & forte grauem, alio tempore nullam eidem aut exiguam pareret: hæc tamen in particulari monebo.

Primum, non esse existimandum, solis culpæ malis hominem infamari: infamatur enim etiã aliis, vt pœnæ, & naturæ: sicut & non ob solam virtutem conciliatur ipsi magna apud alios fama, sed etiam ob alia & animi & naturæ bona. Vnde qui de clarissimo viro iudicaret temere, ipsum esse progenitum à parentibus ob crimina per publicam authoritatem morte mulctatis: aut qui de viro, qui passim habetur doctus, & ingeniosus, temere iudicaret, ipsum nullius esse
V. ingenij, & doctrinæ, læderet haud dubiè famam eius contra iustitiam.

Secundum, nec sentiendum esse, quodlibet peccatum graue seu mortale, esse malũ grauiter proximi famam lædens: nec quodlibet leue seu veniale, esse malum eandem lædens leuiter: fieri enim potest, vt peccato aliquo veniali lædatur grauiter certæ cuiusdam personæ fama, mortali verò cuiusdam alterius, vel nullo modo, vel nõ nisi leuiter: vnde si quis de Episcopo notæ sanctitatis, & clarissimæ apud omnes existimationis, temere iudicaret ipsum habere consuetudinem mentiendi, peccaret haud dubiè mortaliter: contra verò, qui leuibus ex causis de adolescente mundi vanitatibus addicto, impudicũ
VI. mulieris alicuius amorem, aut de milite hominis in singulari certamine occisionem iudicaret, non peccaret mortaliter, nec fortè etiam venialiter cõtra iustitiam, quia huiusmodi peccata illius ordinis & status homines, secundùm communem hominum æstimationem, vel parum, vel nihil infamant: & ea illi de se credi, vel parum vel nihil curant, gloriæque sibi potiùs quàm dedecori esse ducunt.

Tertia. Quodnam in præsenti negotio iudicium firmum appellemus? Respondeo, non illud solùm quod omnem vel physicè vel moraliter excludit de opposito formidinem, cuiusmodi sunt iudicia quæ ferimus de rebus quarum habemus euidentiam, aut de illis aliis quarum etsi careamus euidentia, certitudinem tamen eam habemus, vt stultum putemus eas in
VII. dubium reuocare: cuiusmodi sunt iudicia quibus credimus Romam esse, aut Constantinopolim: quin potius illud in præsenti firmum iudicium censendum est, quo quispiam sibi rem ita persuadet, vt coniunctam de opposito formidinem, neque actu, neque in potentia propinqua habeat.

Etenim si in hac de qua loquimur materia non aliud firmum iudicium censendum esset, quàm illud quod omnem vel physicè vel moraliter excluderet formidinem, quis vnquam reperiretur, qui firmo iudicio malum de proximo temerè iudicaret? Nam nemo vel physicam firmitatem seu certitudinem, vel moralem habere potest de re illa, quæ leuibus tantùm coniecturis nititur, nisi fortè corde leuissimus est, imò insanit. Quis enim, nisi fortè insanus, ex leuibus indiciis sibi persuadebit vnquam hoc
VIII. aut illud de alio malum, tanta assensus firmitate, quanta credit esse Romam, aut Constantinopolim? Quapropter illa sola iudicia defectu firmitatis non esse mortalia peccata existimandum est, quæ aut actu, aut in potentia propinqua habent admixtam de opposito formidinem: cuiusmodi sunt ea quibus sic malum de alio iudicatur, vt qui iudicant, simul statímve cogitent, rem fortè habere aliter, séque decipi: aut quamuis de sua deceptione nihil actu cogitent, ita tamen sunt comparati, vt

si interrogarentur, an malum quod iudicant, certò credant, responderent, se non plane certò credere, & fortè rem aliter habere.

Vbi aduerte, me non absolutè dixisse, iudicia illa non esse firma censenda, quæ adiunctam habent formidinem aut actu, aut potentia, sed I. adiecisse, propinqua: nam nullum iudicium temerarium esse potest, quod non habeat adiunctam in potentia saltem remota formidinem: nullum enim esse temerarium potest, quod non leuibus signis nitatur, nullum autem iudicium est huiusmodi signis nixum, quod non semper habeat adiunctam formidinem in potentia saltem remota: sicut enim hæc signa intellectum ad assensum vni parti dandum perfectè determinare non possunt, ita potentiam saltem remotam formidandi de oppositio ipsi necessariò relinquunt.

SECTIO IV.

Aduersariorum argumentis respondetur.

II. VENIO iam ad argumenta nostræ doctrinæ contraria, quæ tria sunt. Primum est, per assensum debilem, imò per puram dubitationem qua leuibus ex causis malum graue de proximo cogitamus, lædi notabiliter famam ipsius, ac proinde peccari mortaliter: huiusque rei certum à posteriori argumentum esse, quòd plerique boni rerum suarum æstimatores malent magnum fortunarum detrimentum pati, quàm se ita esse de graui malo suspectos.

Secundum est, detractorem peccare mortaliter, dum in animis eorum apud quos detrahit, ingenerat huiusmodi debilem assensum aut dubitationem grauis mali de eo de quo detrahit: ex quo rectè concluditur, ipsum quoque lethaliter peccare, dum similem in animo suo leuiIII. bus ex causis concipit aut assensum, aut dubitationem: cùm siue per hunc suum, siue per illum aliorum debilis assensus aut dubitationis actum, æquale famæ proximi detrimentum iniustè afferat.

Tertium est, aliquando saltem contingere, vt ingenerata in animo alterius grauis mali suspicio de proximo, vel dubitatio, graue nocumentum ipsi inferat: ergo contingere saltem aliquando, vt ingenerare in animo alterius huiusmodi suspicionem graue peccatum sit: ergo IV. etiam vt ingenerare in animo suo: cuius secundæ consequentiæ bonitas ex proximè dictis patet. Veritas autem antecedentis ex eo constat, quòd sufficit aliquando huiusmodi ingenerata in animo superioris suspicio, vt conferre nolit beneficium ei de quo concepit suspicionem hanc, cui erat alioqui collaturus. Primæ verò consequentiæ bonitas ex eo patet, quòd graue nocumentum inferri proximo non potest, nisi cum graui iniuria, ac proinde nisi cum graui peccato.

Ad primum respondeo in primis, eo pariter concludi, per prædictum debilem assensum, imò per præfatam dubitationem, qua leuibus ex causis malum ex se leue de proximo cogitamus, lædi saltem aliquando famam ipsius notabiliter, peccarique proinde lethaliter: quia non dubium, quin plerique boni rerum suarum æstimatores mallent aliquando grauem pecuniæ iacturam facere, quàm apud alios certasque nominatim personas de re aliqua, certa, licet per se leui, suspecti esse.

Respondeo secundo, per dubitationem aut assensum cuius in obiectione mentio est, non A lædi notabiliter famam proximi: & ad argumentum à posteriori, quo contrarium probatur, dico, bonos illos rerum suarum æstimatores vel prudenter malle grauem illam pecuniarum iacturam facere, quàm se ita esse suspectos, vel non prudenter: si secundum, nullam esse vim argumenti, cùm nulla sit habenda ratio æstimationis illius, quandoquidem contra prudentiam est: si primum, non esse propterea concludendum, famam ipsorum per illum assensum aut dubitationem lædi notabiliter, sed eos ideo prudenter hoc malle, quia quamuis leuiter tantùm lædatur, fic tamen & meritò afficiuntur ad famam suam, quæ bonum est pecuniarum bono multò præstantius, & superioris ordinis, vt malint grauem in illo inferiori bono, quàm leuem in isto B superiori, iacturam facere. V. VI.

Ad secundum dico, detractorem, qui detrahendo nihil aliud facit, nec intendit facere, quàm in animis audientium ingenerare de illo de quo detrahit, suspicionem similem suæ, non peccare mortaliter, sicut nec mortaliter peccat, hanc in animo suo suspicionem leuibus ex causis ingenerans, vt probauimus: fieri tamen hoc non obstante facile potest, vt huiusmodi malum graue de proximo referens peccet mortaliter, idque variis ex capitibus. Primò ex mala intentione, qua fortè vult non solam ingenerare suspicionem mali quod narrat, sed firmum assensum. Secundò ex eo quòd plerunque firmum huiusmodi assensum licet temerarium seu leuibus causis innixum in alterius animo ingenerat, C aut ingenerandi periculo se exponit. Tertiò, VII. quia ipse detrahens sæpe firmum ingenerat in audientibus assensum grauis mali quod narrat, & quidem non temerarium, sed sufficientibus causis nixum.

In primis enim præter indicia & signa suæ suspicionis quæ plerunque aperit, dat nouum ipsis indicium, authoritatem nimirùm suæ propriæ opinionis, qua permouebuntur ipsi eò magis ad sibi persuadendum malum quod refert, quò maior erit ipsius detrahentis apud eos authoritas. Deinde relatione signorum ob quæ suspicatur, plerunque ianuam aperit multis alijs signis, quæ suis auditoribus veniunt in mentem, quæque tam multa & talia esse possunt, vt possint iis nixi absque temeritate, immo prudenter, firmo assensu persuadere sibi de proximo malum illud graue D quod à detrahente relatum est. Qui si mortaliter peccat, dum firmum assensum temerarium in eorum animis de hoc malo ingenerat, multò magis peccabit mortaliter, ingenerando in eorundem animis prudentem de eodem malo assensum firmum grauibus causis innixum, cùm tanto maius famæ proximi detrimentum afferat, quanto firmiorem ingenerat: tantò autem firmiorem ingeneret, quanto sunt graviores causæ quibus assensus nititur. VIII.

Ad tertium respondeo primò, ipsum pari efficacitate concludere, esse aliquando mortale peccatum ingenerare in animo alterius suspicionem leuis alicuius mali de alio, cùm facile fieri possit, vt ex hac leuis istius mali suspicione, nolit is cui ingenerata est, illi de quo leue malum suspicatur, conferre beneficium quod erat alioqui collaturus. Respondeo secundò, distinguendo antecedens: graue enim nocumentum quod proximo inferri dicitur per ingeneratam illam grauis mali suspicionem, vel est graue nocumentum in bono famæ, vel in alio bonorum genere: si secundum, concedi potest antecedens: si primum, negandum est: nos autem, dum eum qui talem in alterius mente suspicionem ingenerat, dicimus non inferre proximo graue nocumentum, de solo graui nocumento in bono famæ loquimur.

I.

Hinc ad probationem antecedentis dico, ea non probari, per ingeneratam eam suspicionem graue nocumentum inferri proximo in bono famæ, quod probandum tamen esset, sed solùm probari, inferri graue nocumentum in alio bonorum genere, nempe in beneficio, aut officio, commodisque ex eo prouenientibus: cuius nocumenti consideratio ad præsentem disputationem non pertinet. Ex quibus facile est videre, quid ad primam, quid ad secundam consequentiam dicendum sit.

II.

Ad primam enim respondendum est, graue quidem nocumentum non inferri iniustè nisi cum graui iniuria, ac peccato contra iustitiam, sed illud graue nocumentum esse vel in bono famæ, vel in alio boni genere: in nostro autem casu, esto, inferatur graue in alio boni genere, inferri tamen leue in bono famæ: ad secundam verò dicendum est, ea nihil aliud euinci, quàm eum qui temere malũ graue de proximo suspicatur, & eum qui similem suspicionem in animo eius ingenerat, qui postea non est daturus ob hanc suspicionem beneficium, quod erat alioqui daturus, æquale inferre famæ proximi detrimentum, æqualémque in hoc boni genere iniuriam, & æquale per consequens iniustitiæ peccatum admittere: vtrumque autem leue duntaxat esse, seu veniale, vt constat ex antedictis.

III.

DISPVTATIO X.

Quam in dubiis partem sequi debeamus?

SECTIO PRIMA.

Duarum quæstionum explicationẽ continens.

IV.

AD faciliorem earum & sequẽtium intelligentiam, prænotanda duo sunt: primũ est, per dubia intelligi eas res de quibus non habemus euidentiam, aut omnimodam certitudinẽ, excludentem vel physicè vel moraliter omnem de opposito formidinẽ, qualem habemus quòd sit Roma, vel Constantinopolis: qualem item habemus de rebus per scientiam aut fidem diuinam cognitis. Secundum est, partem quam sequi possumus in dubiis esse meliorem aut peiorem, probabiliorem aut minus probabilem, tutiorem aut minus tutam. Meliorem appellamus eam, quam dum amplectimur, meliùs de proximo sentimus: Peiorem è contrariò, qua minùs bene, aut etiam male de ipso sentimus. Probabiliore dicimus eam quæ firmioribus argumentis defenditur: minùs verò probabilem, quæ licet minùs firmis defendatur, ea tamẽ quibus defenditur, non sunt sufficiente probabilitate destituta. Tutiorem denique vocamus eam, in qua aut nullum peccatum esse potest, aut ad vitandum maius malum minus eligitur, cùm necesse esset in alterutrum incidere: Minùs verò tutam eam, in qua peccatum aliquod potest esse, aut vnius vitandi gratia, maius incurri potest, quando in hoc aut in illud incurrere necessarium est.

A

V.

Et quoniam nullo in casu concedi debet aliquem necessariò esse perplexum, id est, in has angustias redactum, vt siue hanc, siue illam contradictionis partem eligat, non possit non peccare formaliter, certum esse debet eum qui dubius est, vtrum hoc aut illud facere sit peccatũ, & an non facere peccatum item sit, eligítque id quod secundùm se minus est, vt euitet quod est secundum se maius, nullum ex his duobus peccatis committere: non quidem maius, vt patet: neque etiam minus, quia maioris illius incurrendi periculum tollit omnem minoris istius euitandi obligationem: vbi autem nulla rei alicuius euitandæ obligatio est, si non euitetur, peccatum esse non potest.

B

VI.

Ex dictis colligitur, non idem esse, partem aliquam esse magis tutam, & magis probabilem: minùs probabilem, & minùs tutam: imo euenire posse, vt quæ pars probabilior est, minùs tuta sit: quia scilicet pars tutior potest habere pro se rationes infirmiores iis quas pro se habet pars quæ minus tuta est. His prænotatis,

C

VII.

Iam prima est quæstio est, vtrum dubia proximorum bona, factáque meliorem in partem interpretari debeamus? Cuius quæstionis facilis erit ex supradictis resolutio: dubia autẽ appello bona, eruditionem, probitatem, & similia ornamẽta, de quibus, vtrum huic aut illi insint, an potiùs contraria vitia, non habemus prædictam vel euidentiam vel certitudinem: facta verò sunt in triplici differentia: aut enim ex se mala sunt, vt furtum, homicidium, aut ex se bona, vt ieiunium, eleemosyna: aut ex se indifferentia: quæ quidem secundi tertiique generis facta vitiose vel honestè fieri possunt, dubiaque ordinariè sunt, quia ordinariè caremus vel euidentia vel certitudine, quòd ab eo à quo exercentur, bono vel malo fine exerceantur.

D

VIII.

Etsi autem quæ primi generis sunt ordinariè fiant cum peccato, quia tamen fieri absque eo possunt, vt ex motibus primò primis, ex passione rationis vsum impediente, tempore ebrietatis, aut amentiæ, nec quoties fiunt, toties habemus euidentiam certitudinémve præfatam, quòd fiant cum peccato, propterea meritò ipsa quoque in dubiis reponuntur: hæc autem tam bona, quàm facta duobus modis in meliorem partem interpretari possumus: negatiuè scilicet, & positiuè: primo modo interpretamur, cùm negatiuè nos habẽdo, neque positiuo

actu in bonam, neque positiuo in malam partem interpretamur. Secundo verò modo, cùm per positiuum actum bonam in partem interpretamur.

Hinc dico primò, obligari nos ad bona & facta proximorum meliorem in partem negatiuè I. interpretanda, quando non habemus sufficientem causam interpretandi positiuè malam in partem: ex iure enim quod habet proximus, ne quis malè de se positiuè sentiat absque sufficiẽte causa, obligamur ad non exercendum actum positiuum quo malè de ipso sentiamus, quando huius actus exercendi causam legitimam non habemus: ad hoc autem obligari aliud nihil est, quàm obligari ad prædicta bona vel facta meliorem in partem negatiuè interpretanda, cùm actum illum positiuum malè sentiendi non exercere, sit in meliorem partem negatiuè interpretari.

Dico secundò, nos absolutè non obligari ad illa vel bona vel facta meliorem in partem positiuè interpretanda. Constat hoc ex eo quod suprà docuimus, nempe proximum non habere II. tale ius ad famam suam, quo absolutè obligemur per positiuum actum præclarè de ipso sentire, sed solùm habere ius, ne malè sine legitima causa sentiamus.

Dico tertiò, ex hypothesi quòd bona vel facta proximi positiuè in partem aliquam interpretari velimus, obligari nos interpretari in meliorem positiuè, quando positiuè interpretandi in peiorem, sufficientem causam non habemus: quòd si sufficientem habemus, licitè posse nos in peiorem positiuè interpretari. Prima pars assertionis patet ex eo quòd necessariũ est ex hac hypothesi interpretari positiuè vel in meliorem, vel in peiorem: in hanc autem licitè non possumus, vt ex dictis constat, in illam ergo debemus. Secundæ verò partis veritas liquet ex eo III. quòd positiuè interpretando in peiorem partem, tunc temporis nullam proximo & famæ ipsius iniuriam facimus: ius enim quod habet ad famam suam in eo solùm consistit, vt de ipso malè per positiuum actum non sentiamus, quando sic sentiendi legitimam causam non habemus.

Dico quartò, dum temerè bona vel facta proximi positiuè peiorem in partem interpretamur, tunc tantùm nos peccare mortaliter per iniustitiam, violando ius quod ipse ad famam suam habet, cùm leuibus de causis firmo assensu malum aliquod graue de ipso iudicamus: temerè enim bona vel facta proximi peiorem in partem positiuè interpretari, aliud peccatum non est, quàm iniustitiæ, quo violatur ius quod habet ad famam suam: hoc autem peccatum nunIV. quam mortale est, nisi cùm ipsius fama notabiliter lædit: nunquam autem lædit notabiliter, vt superiori disputatione probatum est, nisi cùm graue malum leuibus ex causis per firmum assensum ei attribuitur.

Dico postremò, etsi minimè licitum sit, firmo assensu, sine sufficientibus causis, de proximo peiorem in partem sentire, licitum tamen esse, etiam tum cùm sufficientes firmi illius assensus causas non habemus, perinde nos gerere, seu nobis nostrisque rebus aut alienis prospicere, atque si sufficientes illius assensus causas haberemus. Exempli causa, videt quis hominem qui nonnulla furis habet indicia, nec tamen sufficientia, vt firmiter fur credatur, non debet ille quidem hunc firmo assensu iudicare furem: ne quod tamen in bonis suis damnum patiatur, licitè potest perinde prouidere rebus suis, atque A si furem esse certò crederet. Ita docet expressè V. D. Thomas art. 4. ad 3. communiterque Theologi, & verissimè, quia dum nos ita gerimus, non propterea temerè malum de proximo iudicamus, sed prudenter tantùm nostris rebus timemus, damnoque quod in iis pati possemus occurrimus.

Secunda quæstio est, quid sit opus facto, si contingat audire virum aliquem graue & probum referentem crimen aliquod graue de alio viro graui notæque probitatis: si enim referenti credimus, facimus, vt videtur, iniuriam ei de quo crimen refertur, quia nota eius probitas videtur à nobis exigere, ne huiusmodi criminis reum ipsum esse putemus: sin verò non credimus, facere videmur iniuriam ipsi referenti, cuius authoritas & probitas videtur à nobis postulare, vt ipsi credamus. Respondeo primò, B VI. consultissimum esse, dum hoc contingit, omne positiuum intellectus iudicium suspendere, quo referenti vel crederemus, vel discrederemus: sic enim nos omni periculo faciendi alterutri iniuriam liberabimus, cùm, vt ex antè dictis cõstat, nullam absolutè obligationem habeamus rectè sentiendi de proximis per positiuum intellectus nostri iudicium, etiam eo tempore quo sufficientissimã habemus causam ita sentiendi.

Respondeo secundò, nos ad ita suspendendum omne positiuum intellectus iudiciũ obligari, quando pro hac potiùs quàm pro illa parte non est vlla ratio sufficiens: iudicare enim tunc actu positiuo pro parte vna potiùs quàm pro altera non possumus, quin alteri virorum illorum faciamus iniuriam: si enim referenti C credimus, iniuriam alteri facimus, cùm ius habeat, ne malum de ipso sine legitima causa credamus: tunc autem legitimam credendi nõ habeamus, quando nullam credendi potiùs quàm discredendi sufficiẽtem causam habemus: quòd si eidem referenti discredimus per positiuum actum, ipsi similiter ob eandem causam iniuriam facimus. VII.

Respondeo postremò, posse nos licitè pro ea parte quæ probabilioribus signis nititur, positiuum iudicium elicere, tantò firmius, quantò partis huius argumenta probabiliora sunt argumentis partis alterius: dum enim ita iudicamus, prudẽter, nos gerimus, nec vlli facimus iniuriam: prudenter quidem nos gerimus, quia prudentia dictat esse de rebus iudicandum pro merito rerum ipsarum: res autem vna præ alia D tantò firmiorem meretur assensum, quantò præ ipsa firmioribus argumentis nititur: nulli verò iniuriam facimus, tum quia, vt probaui, nos prudenter gerimus, nullus autem prudenter se gerẽdo peccare contra virtutem aliquam potest, nec per consequens facere iniuriam, cùm hanc facere sit peccare contra iustitiam: tum quia ius habet vnusquisque iudicandi de rebus pro merito rerum ipsarum: qui autem iure suo vtitur, vtendo nulli facit iniuriam. VIII.

SECTIO II.

Duarum præterea quæstionum explicationem continens.

I. PRIMA est, quando de rebus agendis pars vtraque contradictionis dubia est, & circa vtramque aliquis dubius & hæsitans est, quam ille partem sequi debeat? Sciendum autem est aliud esse de vna aut vtraque contradictionis parte dubitationem seu hæsitationem habere, aliud opinionem, aliud formidinem: dubitationem enim seu hæsitationem is habere dicitur, qui circa vel vnam vel vtramque contradictionis partem ita manet animo iuspensus, vt de eius vel veritate vel falsitate nullum determinatè assensum eliciat: opinionem autem habet is qui per assensum aliquem partem hanc contradictionis veram, illam alteram falsam esse determinatè iudicat: formidinem denique eis, qui quamuis assensu determinato iudicet hanc contradictionis partem veram esse, & alteram falsam, veretur tamen ne à parte rei res aliter habeat. Dubitatio autem duobus in intellectu modis esse potest: primo, negatiuè quodammodo: secundo, positiuè: negatiuè appello, quando realiqua intellectui proposita, partem vtrâque contradictionis quis apprehendit, conaturque rationibus cognoscere in vna propositionum contradictoriarum conuenientiam seu cõnexionem prædicati cum subiecto, nec tamen in vlla earum videre eam potest, ibique sistit intellectus, nullum vltra positiuum iudicium eliciens quo aliquid affirmet: positiuè verò, cùm homine in neutra prædictarum propositionum præfatam connexionem cognoscere valente, progreditur intellectus vlteriùs, & expresso iudicio affirmat dubium esse, quæ pars contradictionis vera, quæ falsa sit: siue autem hoc, siue illo modo quis dubius sit & hæsitans, prima nostra quæstio locum habet.

II.

III.

Ad quam respondeo, homini siue hoc siue illo modo dubitanti partem tutiorem semper amplectendam esse. Probatur primo ex hoc axiomate ab omnibus recepto. In dubiis tutior pars est eligenda: quod axioma, si aliquando verum est, tum certe, cùm circa vtramq. contradictionis partem quis dubius est. Secundò ex his Apostoli verbis ad Rom. c. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* vbi fidei nomine intelligitur ex cõmuni Theologorum interpretatione bonæ cõscientiæ iudicium, quod vulgò bonam fidem appellamus: sensusque est, non tantum esse peccatum facere id quod est contra fidem, id est, contra conscientiæ iudicium quo iudicatur aliquid esse peccatum: sed etiam id, quod non fit ex determinato iudicio, quo credatur illud licere quod fit: qui autem habet circa rem aliquã conscientiam dubiam, eo ipso quo dubiam habet, non potest tali determinato iudicio credere rem illam sibi esse licitam: non potest ergo illam ex fide amplecti, nec proinde absque peccato. Cùm igitur is de quo loquimur dubiam habeat conscientiam circa partem contradictionis minùs tutam, vt supponimus, eam sequi absque peccato non potest: aliunde verò, cùm ex necessitate aut hanc aut alteram contradictorie oppositam quæ tutior est, sequi debeat, concludi-

IV.

A B C D

tur euidenter hanc ipsi esse sequendam.

Tertiò & postremò, ex eo quod nunquam licet operari cum dubia de peccato conscientia, quia sic operari, peccatum formaliter est: omnis autem qui circa vtramque partem contradictionis dubius eligit minùs tutã, operatur cum dubia de peccato conscientia. Exempli causa, qui dubitat, vtrùm in aliquo casu obligetur ad restituendum, an non: eligitque posteriorem hanc partem quæ minùs tuta est, nec restituit, non restituendo dubitat, vtrùm non restituere peccatum sit, quandoquidem supponimus ipsum esse dubium, num ad restituendum obligetur: facit ergo id de quo dubitat, an illud facere peccatum sit, ergo peccat: non potest igitur licitè hanc partem minùs tutam amplecti: vnde cùm hanc aut alteram contradictoriam tutiorem amplecti necessariò debeat, vt dixi, consequens est ipsum amplecti debere tutiorem.

V.

Secunda quæstio est, quando de rebus agendis pars vtraque contradictionis dubia est, & circa vtramq. est opinionum varietas, quarum quælibet est probabilis, licet vna sit probabilior & tutior, altera minùs tuta, minúsque probabilis, quam sequi partem debeamus? Respondeo licitum nobis esse quam voluerimus sequi, & proinde licitum relicta probabiliore & tutiore opinione, quamuis nostra sit, sequi in praxi minùs probabilem, minúsque tutam, licet alienam. Ita sentit Bartholom. Medina in art. 6. quæst. 19. 1. 2. Vasq. in eundem art. disp. 62. cap. 4. & communiter iam Theologi, quorum sententia sic intelligenda est, vt cuique liceat sequi in praxi opinionem alienã licet minùs tutam ac probabilem, retenta adhuc sua opinione huic contraria, quæ est tutior, ac probabilior. Probatur autem primò ex eo quòd quando opinio aliqua est probabilis, sicut absque nota vlla possumus eam tueri, & in scholis publicè docere, sic etiam sine peccato possumus secundum eandem operari: quod enim quis defendit docetque licitum esse facere, nulla propterea nota aut reprehensione dignus, si fecerit, cur erit dignus reprehensione? sanè si faciendo dignus est, facit id quod ipsi facere non censetur licitum: si autem non est facere licitum, quomodo licitũ esse potest defendere, & docere esse licitũ facere? Quare cùm certum sit esse cuiuis licitum probabilem opinionem tueri ac docere, censeri ex consequenti debet cuique licitum esse secundùm eandem opinionem operari.

VI.

VII.

Secundò, quia non potest non esse licitum facere id, quod dum fit, prudenter fit: atqui quod fit sequendo probabilem opinionem, prudenter fit: quod enim fit sequendo iudicium sanum peritorum in arte, prudenter fit, nam actus prudentiæ est sanis peritorum in arte iudiciis acquiescere: quod autem fit sequendo probabilẽ opinionem, fit sequendo iudicium sanum peritorum in arte, omnis enim probabilis Theologorũ opinio est sanum peritorũ in arte iudiciũ.

VIII.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contraria.

PROBATVR 3. refutatione præcipuarum rationum, quæ suadere videntur non esse licitum sequi in praxi opinionem alienam minùs

tutam, minúſque probabilẽ, relicta propria ſua tutiore, & probabiliore. Prima eſt, quòd ſicut ei qui de re aliqua conſultationem inſtituit, tribuitur imprudentiæ, ſi relicto meliore conſilio minus bonum ſequitur: ita & ei tribuendum videtur, qui relicta tutiore & probabiliore ſententia minùs tutam probabilemque in praxi amplectitur. At reſpondeo in primis, quòd ſicut is qui relicto meliore conſilio, minus bonum ſequitur, non eſt accuſandus imprudentiæ, quando minus bonum quod ſequitur, licet minus bonum ſit, eſt tamen conſilium prudens, quia prudenti conſilio acquieſcere, non poteſt eſſe actus imprudentiæ: imò non poteſt non eſſe actus prudentiæ, licet meliori ſeu prudentiori acquieſcere, ſit actus maioris prudentiæ: ita nec accuſandus imprudentiæ eſt, qui relicta tutiore & probabiliore ſententia minùs tutam minúſque probabilem ſequitur, dummodo ea quam ſequitur ſit tuta & probabilis, qualem eſſe ſupponimus. Dico deinde ſi cenſeri debeat imprudens ille qui relicta tutiore & probabiliore ſententia minùs tutam & probabilem eligit, & ideo, cenſeri debeat, quia illa priore relicta, hanc poſteriorem eligit, erit quoque cenſendus imprudens, quando pars minùs tuta probabiliſque quam eligit, cedit in ipſius eligentis magnum commodum, nemo autem tum imprudentem eum cenſebit: quis enim eum imprudentem iudicet, qui relicta & tutiore, & probabiliore ſententia qua obligari ad reſtitutionem decem millium aureorum dicitur, ſequitur eam in praxi qua non obligari dicitur, dummodo hæc ſit probabilis, & in praxi tuta, vt eſſe ſupponimus?

I. A

II. B

Secunda eſt, quòd videatur opinio probabilior ſemper præferenda minus probabili. Sed nego eſſe obligationem aliquam priorem illam in praxi præferendi iſti poſteriori: alioqui cùm pars minus tuta poſſit eſſe probabilior parte tutiori, quia melioribus illa quam hæc niti poteſt argumentis, ſequeretur, eſſe aliquando obligationem eligendi partem minùs tutam relicta tutiore, quod aperte falſum eſt.

III. C

Tertia eſt, quòd ex relato ſuperiùs axiomate, in dubiis pars tutior eligenda ſit. Verùm cùm pars tutior poſſit eſſe minùs probabilis, ſi hoc axioma locũ haberet in iis omnibus rebus quæ dubiæ ſunt, id eſt, de quibus ſupradictam euidentiam & certitudinem non habemus, obligaremur aliquando relicta magis probabili ſententia amplecti minus probabilem, quod nemo conceſſerit. Adde quòd axioma illud tum ſolũ vniuerſim verum eſt, cùm non modò pars vtraque contradictionis dubia eſt, ſeu nec euidens, nec omnino certa, ſed etiam circa vtramque dubij & hæſitantes ſumus: qualis, vt ſupponimus, non eſt is cui licitum eſſe dicimus, relicta probabiliore & tutiore ſequi minùs tutam & probabilem: ſupponimus enim illum habere determinatum aſſenſum circa partem illam contradictionis quam in praxi ſequitur, quo aſſenſu iudicet, & illam opinionem quã in praxi ſequitur eſſe probabilẽ, & ſibi licere eam in praxi ſequi.

IV. D

Quarta, quòd nulli liceat exponere ſe periculo faciendi id quod peccatum eſt, ei autem ſe exponat, qui minùs tutam opinionem in praxi ſequitur. Verùm ſi hæc ratio valeret, ſequeretur nunquam eſſe licitum, ſequi probabiliorem ſententiam relicta minùs probabili, quando illa probabilior minùs tuta eſt: tunc enim etiam diceretur eligens probabiliorem exponere ſe alicui periculo faciendi id quod peccatum eſt.

V.

Deinde ad rationem illam dico, quoties de aliqua parte contradictionis habetur aſſenſus opinionis determinatus & probabilis, nec dubia circa eam manet conſcientia, hominem partem hanc licet minùs tutam amplectentem non exponere ſe periculo peccandi, itavt ad peccatum ipſi formaliter imputetur, ſi partem hanc amplectatur, ſed tantùm exponere ſe periculo faciẽdi id quod in re forſitan obiectiue malum eſt, & prohibitum: cui periculo ſe exponere, non poteſt ad peccatum formaliter imputari, quando quis opinione probabili ductus ſic operatur: alioquin etiam ad peccatum imputari deberet, quando quis probabiliorem opinionem quæ minùs tuta eſt, ſequitur: eo enim ipſo quo minùs tuta eſt, quantumcunque ſimul ſit probabilior, qui eam ſequitur, exponit ſe periculo alicui faciendi id quod in re forte malum obiectiuè eſt, & prohibitum.

VI.

Atque cùm hæ quatuor rationes afferantur, ad oſtendendum in genere, non eſſe licitum relicta probabiliore & tutiore ſententia ſequi minùs tutam, minúſque probabilem: tres quæ ſequuntur, afferuntur ad oſtendendum, id non eſſe licitum ei, cuius propria opinio eſt illa ipſa quæ tutior & probabilior eſt. Prima eſt eum qui retenta ſua probabiliore & tutiore ſententia alienam minùs tutam probabilemque in praxi ſequitur, non poſſe non habere ſemper aut ordinarie actualem de oppoſito formidinem: cum hac autem formidine nunquam eſſe licitum operari: qui enim formidat de oppoſito, id eſt, ne pars oppoſita, nempe tutior & probabilior, exempli cauſa, quæ dicit reſtituendum, vera ſit, ex conſequenti formidat ne pars minùs tuta & probabilis, quæ non eſſe reſtituendum aſſerit, falſa ſit, ſitque proinde peccatum non reſtituere: nunquam autem licitum eſt facere id, quod dum facis, formidas ne facere peccatum ſit.

VII.

Reſpondeo primò, ſi hæc ratio quidquam probaret, probaturam quoque, vix vnquam fore licitum, alienam opinionem minùs tutam licet probabiliorem in praxi ſequi contra ſuam tutiorem, ſed minùs probabilem, quia qui minùs tutam licet probabiliorem in praxi ſequitur, ordinariè formidat, ne pars oppoſita nempe tutior, vera ſit, & per conſequens falſa minùs tuta quam ſequitur: licet enim probabilior ſit, quia tamen maior eius probabilitas non affert de ipſius veritate vel euidentiam, vel omnimodam certitudinem, non poteſt excludere omnem actualem de oppoſito formidinẽ.

VIII.

Reſpondeo ſecundò, conceſſa maiore negando minorem, & ad eius probationem dico, verum quidem eſſe, quòd qui formidat, ne pars oppoſita ei quam in praxi ſequitur vera ſit, ex conſequenti formidat ne pars quam in praxi ſequitur falſa ſit, ſitque proinde peccatum, id eſt, à parte rei malum materialiter, ſeu obiectiuè, & prohibitum, facere id quod facit: at falſum eſſe, nunquam eſſe licitum facere id, quod dum facis, formidinem habes, ne facere,

malum materialiter & prohibitum sit: imò verò licitum id esse semper, si nihil aliud quàm ista formido obstet: tum quia formidinem hanc habere, non est habere dubitationem, cum qua nunquam licet operari: quantum enim differant hæc dubitatio, & illa formido, constat ex initio sectionis secundæ: tum quia, I. cùm ex ibidem dictis formido non excludat assensum determinatum circa partem illam de cuius ex rei natura falsitate, & oppositæ partis veritate formido est, sanè qui prædictam habet formidinem, ea non impeditur, quo minùs simul habeat assensum determinatum, quo partem illam minùs tutam quam in praxi sequitur, probabilem iudicet, & sibi licitum esse hîc & nunc illam in praxi sequi: quo cum assensu quia licitum est operari, licitum est ex consequenti operari cum prædicta formidine, si nihil aliud quàm ista formido impedimento sit.

Secunda est, eum qui contra propriam opinionem operatur, aut agere contra conscientiæ suæ iudicium, aut habere duos assensus contradictorios: quod tamen est impossibile: concedendum ergo esse illum agere contra conscientiæ suæ iudicium, II. hoc autem nunquam licere: ergo nec vnquam licere contra propriam opinionem operari. Respondeo in primis hac ratione etiam concludi, si propria opinio nostra tantummodo sit, simúlque minùs tuta & probabilis, opposita verò sit cæterorum omnium Doctorum, simúlque tutior, & probabilior, nobis non fore licitum contra propriam opinionem sequi in praxi oppositam, quod nemo concesserit: pari enim iure dicerem, hunc sequentem istam in praxi aut habere duos assensus contradictorios, aut agere contra conscientiæ suæ iudicium.

Respondeo secundò, illum neque agere contra iudicium conscientiæ suæ, neque duos contradictorios assensus habere: non quidem primum, quia solus ille contra conscientiam suam III. operatur, qui aut iudicat sibi nō licere id quod facit, aut qui faciendo, dubius est, vtrùm liceat: ille autem de quo loquimur contra propriam opinionem alienam in praxi sequens, dum hāc sequitur, neque sic dubius est, neque illud iudicat: sed è contrario habet, vt supponimus, hunc determinatum assensum. Mihi licet hic & nunc hanc partem in praxi sequi. Neque secundum: assensus enim quem habet de parte tutiore & probabiliore, iste, exempli gratia, est, in hoc casu obligatio restituendi ex natura rei est: at assensus quem de parte opposita minùs tuta probabilisque habet, non est iste, in hoc casu obligatio restituendi ex natura rei nulla est: quos assensus si haberet, sanè contradictorios haberet: sed iste. Probabilis est aliorum opinio asserentium in hoc ipso casu nullam esse IV. ex natura rei restituendi obligationem: inter quem posteriorem & priorem illum assensum nulla, vt patet, contradictio est: cùm in vna propositionum illarum non negetur, quod affirmatur in altera. Præter quos duos assensus is qui contra propriam opinionem operatur, habet & hūc tertium: Licitum est mihi in praxi sequi probabilem aliorum opinionem: quem item assensum patet non esse contradictorium vlli duorum præcedentium.

Tertia est, consequens ex nostra sententia fore, licere cuique docto, à quo indoctus aliquis consilium petit, dare consilium contra propriam suam opinionem sequendo alienam: hoc autem videri absurdum. Respondeo concedendo consequens, modò vir doctus qui consilium dat contra opinionem suam, A det iuxta alienam quam scit esse probabilem. Quod absurdum videri non debet, cùm sit eadē prorsus ratio eius qui contra propriam opinionem sequitur in propria sua operatione alienam probabilem, & illius qui dat alteri consilium contra suam opinionem, vt operetur iuxta alienam tem probabilem. V.

Vbi rectè Vasquez obseruat c. vlt. citatæ disp. quamuis quilibet vir doctus possit iuxta probabilem Doctoris alterius opinionem contra propriam dare consilium, faciendi id, quod ipse quidem iudicat ex natura rei esse illicitum, iuxta probabilem autem Doctoris alterius ex natura rei licitum est, non posse tamen contra suam propriam, iuxta probabilem alterius opinionem condemnare quempiam, vel ad restituendum, vel ad quiddam simile ipsi graue B & molestum, quando ipse sola illius authoritate sententiáque permotus restitueret, aut id ad quod condemnatur faceret, itavt si existimaret illam non esse opinionem eius, id minimè facere vellet: qui enim sic dispositus, vtrùm restituere, aut quid aliud simile facere debeat, petit, non petit, quid facere debeat iuxta aliorū opinionem, sed solùm iuxta ipsius à quo petit: qui si iuxta non suam, sed aliorum respondeat, fingit aliorum opinionem esse suam, cùm non sit: sícque eum qui consilium petit, decipit, quod iniquum est. VI.

SECTIO IV.

Tria consectaria & vnum obseruandum continens. VII.

EX dictis tria colliguntur. Primum est, subditum contra propriam suam opinionem licet tutiorem & probabiliorem non tantùm posse, sed etiam debere Superiori suo obedire imperanti partem minùs tutam, minúsque probabilem. Ratio est, quòd si licitè possit, debeat: atqui licitè potest. Cuius Minoris veritas constat ex suprà dictis: Maioris verò, ex eo quòd nemini dubium esse potest, quin præceptum superioris seruandum sit in eo omni casu in quo superior seruari vult, & licitè potest: quod tamen antequam faciat subditus, formare sibi debet hoc conscientiæ iudicium: Mihi licitum est operari contra meam opinionem, sequendo propriam mei superioris quæ probabilis est: sicut & quisquis alienam probabilem sequitur contra propriam, iudicium huiusmodi formare sibi debet, ne si non formet, operetur vel cum conscientia dubia, vel contra conscientiæ suæ iudicium, quò iudicaret sibi non esse licitum contra suam propriam operari iuxta alienam opinionem: quo modo operari nunquam licet. VIII.

Aduerte autem, subditum antequam superiori suo sic imperanti pareat, scire quidem, aut supponere debere, partem à superiore impera-

tam esse probabilem, at non debere ex eo præcise capite probabilem iudicare, quòd eam superior imperet, quia superioris præcipientis dignitas & authoritas per se præcise non habet vim faciendi probabile id quod præcipit, sed aliunde scire aut supponere debere esse probabilem, nimirum vel ex eo quòd est satis communis inter Theologos opinio, quorum authoritas sufficienter facit esse probabilem: vel ex eo quòd ipse superior vir probus & doctus est, prudenterque propterea creditur non imperaturus id faciendum, de quo nulla esset probabilis opinio, quòd facere sit licitum, vel alia simili ex causa. I.

Secundum est, quemlibet sacerdotem, siue proprium, seu ordinarium, siue ex commissione, non tantùm posse, sed etiam debere contra suam propriam opinionem absoluere pœnitentem perstentem in opposita opinione probabili, siue hæc pœnitentis opinio cedat in damnum alterius, vt cùm opinatur se certo aliquo in casu non obligari ad restituendum, ideóque non vult restituere, cùm sacerdos contrarium opinetur, siue non cedat. II.

Tertium est, quemlibet item sacerdotem non tantùm posse, sed etiam debere cõtra propriam opinionem absoluere pœnitentem, qui morti proximus sola signa contritionis exhibet, quãdo nullum potest explicitè confiteri peccatum, etsi supponatur propria sacerdotis opinio, qua opinatur huiusmodi homini non posse valide aut fructuosè conferri sacramentum Pœnitentiæ, nec licere conferre, esse contraria opinione multò probabilior. Ratio vtriusque eadem est cum superiori, quòd nimirum si his in casibus licitè absoluere possit, debeat: licitè autem possit. III.

Et quidem quòd in posteriori casu licitè possit, constat ex eo quòd, vt probauimus, licitum est contra propriam opinionem, quamuis probabiliorem & tutiorem, conformare se in praxi oppositæ probabili, quãuis minùs tutæ, minúsque probabili: est autem saltem admodum probabilis opinio licitum esse conferre sacramentum illud istiusmodi homini, & validè ac fructuosè posse conferri. Quòd autem debeat, si licitè possit, hinc patet, quòd non possit non habere sacerdos saltem ex charitate obligationem conferendi tunc temporis sacramentum illud proximo, quod collatum ipsi nocere non potest, & sine quo collato salutis suæ damnum fortè patietur: sicut & medicus non potest non habere saltem ex charitate obligationem ægro suo in periculo mortis constituto conferendi remedium, quod certò scit ei nocere non posse, si conferatur, iuxta probabilem autem peritorum medicorum opinionem vim habet eum restituendi sanitati, licet ipse contrarium, & quidem probabiliùs opinetur. IV.

Quòd autem prædictus sacerdos in priori etiam casu licitè possit absoluere præfatum pœnitentem, constat: cùm vna quidem ex parte supponamus pœnitentis opinionem esse probabilem: ex altera verò, sit probatum posse licite quemlibet contra propriam opinionem alienæ se in praxi conformare. Quòd verò in licite possit, etiam debeat, hinc constat, quòd sacerdos cùm licitè potest, debeat absoluere pœnitentem illum cuius confessionem audiuit, quémque videt esse rectè dispositum ad fructuosè recipiendam absolutionem: pœnitentem autem illum de quo loquimur, videt ad hoc esse ritè dispositum: quam enim videt in illo indispositionem? nullam aliam, vt supponimus, quàm quod contrariam suæ opinioni sententiam tuetur, nec illam, sed propriam vult in praxi sequi: at non est propterea ad recipiendam fructuosè absolutionem indispositus, cùm non propterea perstat in peccato aliquo, aut voluntate peccandi, quandoquidem licitè suæ illi opinioni probabili adhæret, eámque vult in praxi sequi. V.

Restat hic vnum obseruandum, nempe cùm docuimus esse licitum in praxi sequi quam voluerimus opinionem ex duabus, quarum quælibet est probabilis, nos solùm esse loquutos eo casu, quo varietas illa opinionum probabilium est de rebus agendis: Quod consultò moneo, quia varietas opinionum etiam probabilium non est aliquando de rebus agendis, sed de aliquo priori, ex quo quis inferre statim posset, esse quoque probabilium opinionum varietatem de re aliqua agenda, licitúmque proinde hoc vel illo modo operari, cùm tamen ex opinionum probabilium varietate de illo priori, non semper sequatur probabilium opinionum de re agenda varietas, nec proinde sit licitum hoc vel illo modo operari. VI.

Quod hoc exemplo clarum fiet. Quæstio esse potest inter Theologos controuersa, vtrum hoc aut illud sacramentum hoc vel illo modo administratum validum sit? vtrùm, verbi causa baptismus hac forma collatus, Ego te abluo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque sit validus? supponimúsque opinionem tam affirmantem quàm negãtem esse probabilem: iam dico, ex eo quòd de quæstione ista sit varietas probabilium opinionum, non ideo esse concludendum, existere quoque opinionum probabilium varietatem, quod illa forma baptismum conferre liceat, quod non liceat: fieri enim potest, vt quamuis probabilissima opinio esset, baptismum illa forma validè conferri, aut sacramentum aliud hoc vel illo modo validè confici, sit tamen opinio, quæ asseret, licitum esse ipsum reipsa tali forma, talíve modo conficere & conferre, prorsus improbabilis, vel propter Ecclesiæ præceptum sub peccato prohibens tali modo conficere, vel propter aliud ad legem naturalem pertinens: quale est illud quod obligat ad baptismi sacramentum puero mox morituro conferendum ea forma, qua dum confertur, certum est ipsum validè conferri, non verò conferendum ea forma, qua dum confertur, certum non est ipsum validè confici, sed probabilis tantùm opinio: cùm non possit non obligare virtus charitatis ad succurrendum proximo in extremo discrimine salutis animæ vel corporis posito, eo remedio quo certissimè scitur liberandus, loco illius, de quo id certum non est, sed tantùm probabile: aliter enim se gerere, esset salutem proximi in discrimen adducere, cùm extra discrimen poni certò posset, quod manifestè contra charitatem est. VII. VIII.

DISPVTATIO XI.

De speciebus Iustitiæ, distributiua scilicet & commutatiua.

SECTIO PRIMA.

In quo hæ duæ species differant?

I. DVæ sunt hac de re opiniones. Prima est Suaris in Opusculis, disputat. de Iustitia Dei, sect. 3. à num. 14. duplex in vniuersum ius distinguentis: vnum, quod est proprium dominium rei, vel isti dominio æquiualens: alterum, quod nec est proprium rei dominium, nec ei æquiualens: & hinc discrimen hoc inter commutatiuam & distributiuam iustitiam assignantis, quòd illius proprium sit actum priori iuri æqualem exercere: huius verò sit proprium exercere actum

II. æqualem iuri posteriori.

Vt autem clarior sit iuris vnius ab altero allata distinctio, prius ius vocat illud, quod est aut proprium dominium rei illius, ad quam vel recipiendam, vel retinendam ius habere quispiam dicitur, quale est ius quod quilibet habet retinendi rem suam quam possidet, eáque recipiendi, si per furtum ablata est: aut quod non est quidem proprium dominium rei prædictæ, sed est tamen ius isti dominio æquiualens, quia tanti æstimatur, quanti dominium ipsum: quale est ius hominis illius, cui ex contractu debetur aliqua res, cuius nondum est dominus: quod proinde ius ad hanc rem habendam non est ius dominij, est tamen ipsi æquiualens, quia tanti æstimatur quanti ipsum dominij ius, quatenus res ad quam ius istud

III. æquiualens habet, tanto pretio æstimari potest ab habente ius istud, quanto posset, si reipsa iam dominium eius haberet: sicut enim ius dominij in rem valoris decem aureorum, valet decem aureos, ita & ius ad rem possidendam valoris eiusdem tantundem valet.

At verò posterius ius, vult esse ius non ita proprium & rigorosum ac præcedens, quòd fundatum sit in quadam dignitate seu conditione personæ quæ est pars alicuius communitatis, cui ratione dignitatis huius seu conditionis, iurisque ex ea exorti, debeatur aliquid ex bonis publicis dignitati seu conditioni ipsius proportionatum: quod quidem ius ad hanc rem non est proprium huius rei dominium, cùm res ista nunquam talis personæ fuerit, nec adhuc sit: nec etiam est dominio æqui-

IV. ualens, cùm istud ad eam ius non habeat ratione dominij quod haberet in aliam rem quam pro isto iure comparando dederit, aut cuius simili aliquo modo detrimentum passus sit, quod hoc exemplo declarat. Nam si quis, inquit, beneficium cum aliis petat, quibus omnibus dignior sit, ius habet ad illud possidendum, nec tamen habet ex eo quòd eius vel dominium actu habeat, vel aliquando habuerit, vel alterius rei æquiualentis, quam pro comparando beneficio dederit, sed quia ratione maioris dignitatis ei consequendo magis quàm vllus alius competitorum proportionatus est.

A V.

Secunda est Gabrielis Vasquez prima parte disputat. 86. cap. 3. & 1. 2. disputat. 223. cap. 4. & sequentibus, iustitiæ particularis generice sumptæ, & a commutatiua, distributiuaque præcisæ, proprium esse adæquare ius alterius, seu æqualitatem constituere: duplicem autem esse æqualitatem, vnam quam arithmeticam appellant, alteram quam geometricam: & commutatiuæ quidem iustitiæ proprium esse priorem illam æqualitatem, distributiuæ verò, posteriorem hanc constituere. Porrò æqualitas arithmetica, quæ & vnius ad vnum dicitur, est ea, quæ est inter rem & rem: at geometrica, quæ & proportionis, & secundùm proportionem dici solet, ea est, quæ reperitur inter duas proportiones, qualis est inter duo ad sex vna ex parte, & quatuor ad duodecim ex altera: æquali enim proportione se habent duo ad sex, & quatuor ad duodecim: nam qua proportione sex excedunt duo, quæ ter in senario continentur, eadem quoque duodecim excedunt

B VI. quatuor, quæ ter etiam duodenario comprehenduntur, ad quam proinde æqualitatem constituendam necessarium est, vt qua proportione se habent duæ pluresve personæ, quibus distributio fit, adinuicem comparatæ, parem quoque inter sese seruent proportionem res quæ ipsis distribuuntur: ita nimirum vt si sint æquales illæ personæ in dignitate seu titulo participandi bonis distribuendis, æqualia quoque singulis bona distribuantur: si sint inæquales, quantum vna excedet alteram, si duplo, si quadruplo, res quoque quam accipit, tantundem excedat rem quæ alteri tribuitur.

Quæ quidem geometrica æqualitas tum perfectè constitui potest, cùm res distribuenda diuisibilis est: non autem ita perfectè, cùm est in-

C VII. diuisibilis: vt cùm est vnicum beneficium, quod vni tantum conferri potest, & ex multis competitoribus dignis digniori est conferendum: quo tamen in casu seruari eatenus geometrica æqualitas potest, & debet, quatenus vt collatio beneficij illius vni potiùs quàm alteri facta iusta sit, spectari debet omnium competitorum dignitas, & vna cum altera conferri, vtrùm scilicet sint omnes æquales, an vna reliquis maior. Ex quo colligitur, quod quando res per iustitiam distributiuam conferenda diuisibilis est, ad eam exercendam spectari debent quatuor vt minimum termini, nempe duę personæ ius habentes, & duæ res duabus illis personis conferendæ ea qua paulò ante dixi proportione: quando verò indiuisibilis est, tres vt minimum termini spectari debent, duæ

D VIII. personæ, quarum dignitas & iura inter se comparentur, & res illa indiuisibilis quæ vni earum danda est.

Hanc ego posteriorem sententiam amplector, quæ multò communior est inter Theologos, quamque probo in primis authoritate Philosophi, & D. Thomæ: quorum ille, postquam cap. 2. lib. 5. Ethic. duas particularis iustitiæ species, commutatiuam scilicet & distributiuam assignauit verbis istis, *Sed iustitia, iustique quod ab ea ducitur, vnum genus est, quod*

in distribuendo honore vel pecuniis cernitur, cæteríve rebus quæ diuidendæ inter eos sunt qui in ciuili societate versantur: alterum genus est quod in pactis contrahendísque rebus tanquam regula adhibetur: Capite tertio primum illud iusti genus, quod spectat distributiua iustitia, in proportionum æqualitate docet consistere, seu ea in proportione qua res quæ distribuuntur illam inter sese seruant proportionem, quam habent inter sese dignitatis & iuris proportionem personæ quibus distribuuntur: quam a mathematicis vocari geometricam expressè dicit. Vnde addit, iustum hoc distributiuum in quatuor vt minimum consistere, duabus scilicet in personis ius habentibus, & duabus in rebus quæ personis illis distribuuntur: iniustumque quod isti iusto distributiuo contrarium est, illud esse quod à prædicta proportione alienum est, & exorbitat. Capite autem quarto posterius iusti genus, quod spectat commutatiua iustitia, in quo positum sit explicans, & huius ab illo priori iusto discrimen assignans, sic loquitur: *Huius autem generis* (nempe posterioris) *alia quædam forma est atque superioris: nam quod ius* (id est iustum) *in diuidendis tribuendísque communibus inter ciues rebus consistit, semper ea qua dixi proportione constat: at verò ius quod in contrahendis negotiis cernitur, non ad illam analogiam seu comparationem, verùm ad arithmeticam pertinet.*

I. A

II. B

Diuus autem Thomas non modo sic Philosophum locis illis intellexit, sed idem prorsus etiam hac 2. 2. quæst. 61. sensit: vt in primis clare significant hæc eius verba in Corp. art. 2. *In iustitia distributiua non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundùm proportionem rerum ad personas, & ideo dicit Philosophus* (quinti scilicet Ethicorum cap. 3. vt ad marginem textui sancti Doctoris apponitur) *quod tale medium est secundùm geometricam proportionalitatem: sed in commutatiua redditur aliquid alicui singulari personæ, propter rem eius quæ accepta est, & ideo oportet adæquare rem rei, & sic fit æqualitas secundùm arithmeticam medietatem.* Deinde hæc alia eodem artic. in responsione ad 2. *Dicendum, quòd forma generalis iustitiæ est æqualitas, in qua conuenit iustitia distributiua cum commutatiua: in vna tamen inuenitur æqualitas secundùm proportionalitatem geometricam, in alia secundùm arithmeticam.*

III. C

Quibus tam Philosophi, quàm Diui Thomæ verbis, cùm pro nostra sententia vix quidquam possit esse clarius. Respondent tamen aduersarij, ipsos distinxisse quidem commutatiuam distributiuamque iustitiam per illam arithmeticam & geometricam æqualitatem: at non ideo sic distinxisse, quòd putauerint commutatiuam constitui per ordinem ad æqualitatem illam arithmeticam, tanquam ad obiectum suum formale, distributiuam verò per ordinem ad geometricam, tanquam item ad formale obiectum suum, sed quia commutatiua ordinariè exercet eam actionem qua constituitur æqualitas arithmetica: distributiua eam quà geometrica: licet & hæc iustitia illam aliquando arithmeticam, & commutatiua istam nonnunquam geometricam

IV. D

æqualitatem constituere valeat.

Verùm cùm neque Philosophus, neque Diuus Thomas hoc dicant, nempe iusticiæ commutatiuæ proprium esse ordinariè constituere arithmeticam æqualitatem, distributiuæ geometricam, etiamsi hæc illam, illa istam constituere aliquando possit: sed hoc dicant, nempe commutatiuam circa constituendam æqualitatem arithmeticam versari totam, distributiuam verò circa geometricam: propriam vtriusque naturam qua constituuntur, & inuicem distinguuntur, explicare nobis haud dubiè voluerunt. Adde quòd, cùm aliam qua constituerentur in ratione commutatiuæ, & distributiuæ, quáque distinguerentur ab inuicem differentiam non attulerint, quàm prædictam arithmeticam & geometricam æqualitatem, si per eam nec in illa ratione constituuntur, nec ab inuicem differunt, fateri cogimur, non fuisse traditam ab ipsis propriam huius & illius iustitiæ rationem ac differentiam: quod quis credet ipsos nusquam feciſse, iisque præsertim locis, quibus ex professo declarandam propriam vtriusque naturam ac differentiam susceperant.

V.

VI.

Postremò, vbi quæso reperient aduersarij expressam apud Philosophum, aut D. Thomam distinctionem illam duplicis iuris, vnius quidem, quod est proprium dominium rei, aut ei æquiualens: alterius vero, quod nec est proprium rei dominium, nec ei æquiualens, hócque discrimen inter commutatiuam & distributiuam iustitiam assignatum, quòd illa ius illud prius adæquet, hæc istud posterius? quam distinctionem, quódque discrimen etsi ipsi dicant se recte ex nonnullis eorum locis colligere, (quod quàm rectè faciant, infrà constabit ex nostra ad primam eorum obiectionem responsione) certissimum tamen est longè clariùs & expressiùs, ex eorundem citatis locis colligi duplicem illam æqualitatem, arithmeticam & geometricam, & ex hac æqualitatis diuersitate differentiam, commutatiuam inter & distributiuam, à secunda sententia assignatam.

VII.

Quam probo secundo hac ratione indicata à S. Thoma in citata ad 2. responsione. Cùm natura iustitiæ particularis à commutatiua distributiuáque præcisè spectet æqualitatem alterius iuri debitam, tanquàm obiectum, quo in essentia talis virtutis constituitur, & à cæteris distinguitur, sane si iustitiæ illius sint diuersæ aliquæ species, per diuersam æqualitatem tanquam per obiectum erunt singulæ in propria sua ratione constituendæ, & ab inuicem distinguendæ: tum quia non est potior ratio constituendi iustitiam in ratione iustitiæ, distinguéndíq. à cæteris virtutibus per prædictam æqualitate, quàm diuersas huius iustitiæ species constituendi sua propria in ratione, distinguendíque ab inuicem, per diuersam æqualitatem: tum quia qua efficacitate prædicta illa æqualitas potest instar obiecti iustitiam in ratione iustitiæ constituere, & à cæteris distinguere, pari quoque poterit diuersa æqualitas instar obiecti diuersas iustitiæ constituere species, & ab inuicem distinguere: certum autem apud om-

VIII.

nes est, duas esse distinctas iustitiæ species, commutatiuam scilicet, & distributiuam: duas item esse diuersas æqualitates alterius iuri debitas, arithmeticam videlicet, & geometricam: ergo per diuersam istam æqualitatem tanquam per obiectum illæ in propria ratione iustitiæ commutatiuæ distributiuæque constituentur, & ab inuicem distinguentur.

I. Probo tertiò hoc argumento. Non possunt in hac ratione constitui, & ab inuicem distingui per illam iuris diuersitatem, quam assignant authores primæ sententiæ: ergo per illam æqualitatis diuersitatem constituuntur & distinguuntur, quam secundæ sententiæ authores assignant. Consequentiæ bonitas ex eo constat, quòd nulli dubium est, aut per illam iuris, aut per hanc æqualitatis diuersitatem esse constituendas, & distinguendas. Probatur antecedens. Si ius quod à distributiua iustitia spectari dicit prima sententia, non est saltem aliquando diuersum à iure quod ait respici à commutatiua, sanè non potest vna ab altera ex illis iuribus distingui, vt patet: atqui verum illud est, igitur & istud. Minorem sic probo. Ius quod à commutatiua spectari dicitur, est proprium rei dominium, aut ei æquiualens: atqui ius quod à distributiua spectatur, est proprium item dominium aut ei æquiualens.

II. Quod sic ostendo. Si tanti valet, est æquiualens: hoc est enim æquiualere, tanti valere: tantiautem valet: vt manifestum est exemplo iuris quod habent in exercitu milites, & in Republica ciues ad communia spolia, & bona quæ inter ipsos diuidenda sunt, quod ius à distributiua iustitia respici vltro etiam aduersarij consentiunt. Ius enim quod habet miles vnus aut ciuis ad illam spoliorum & bonorum communium partem, quæ ipsi ex ista iustitia debetur, tanti valet, quanti proprium dominium partis huius: tanti enim partem hanc ad quam ius illud habet vendere iustè potest, quanti

III. venderet, si iam dominium eius haberet: nisi fortè ratione periculi, vel alterius difficultatis de pretio illo minuendum esset, quo iustè venderetur, si dominium eius haberetur: quæ difficultas, quódque periculum non minùs habere locum potest, idémque efficere, respectu iuris quod ab aduersariis æquiualens proprio rei dominio appellatur, & a commutatiua iustitia spectari dicitur, quàm respectu iuris istius quod à distributiua respicitur.

IV. Dicent fortè, ius dici dominio æquiualens, quòd sit ius ad rem aliquam habendam, fundatum vel in commutatione rei valorem æqualem habentis, cuius dominium habebatur, & quæ pro re illa habenda data sit: vel in alio simili damno rei prædictæ quod dominus eius fecerit: vt cùm per furtum ipsi erepta, & à fure consumpta est, quo fit vt eadem numero restitui non possit, sed solùm alia ipsi æquiualens. Verùm ius quod non est proprium dominium, non ideo formaliter censeri debet æquiualens huic dominio, quòd sit in hac vel in illa re fundatum, sed quòd tanti valeat, quanti hoc dominium: quid enim refert, dummodo tanti valeat, qua in re fundatum sit: Quòd si fundatum sit in prædicta commutatione, vel damno, nec-tamen tanti valeat, vt aliquando contingit, ratione prædicti periculi, alteriúsve difficultatis, à quo quæso dicetur æquialens? Quare cùm ostenderimus ius aliquod ad distributiuam iustitiam pertinens, nec est proprium dominium rei, tanti tamen valere aliquando, quanti dominium ipsum, censeri debet æquiualens, licet nec in illa commutatione, nec in illo damno fundatum sit. V.

Deinde ius iustitiæ ad rem aliquam habendam ortum ex gratuita domini rei illius promissione, cùm non sit ius dominij, vel est ius huic dominio æquiualens, vel non est: si primum, habemus ius æquiualens dominio, quod nec in illa commutatione, nec in illo damno fundatum est: si secundum, habemus ius quod à iustitia commutatiua respicitur, nec tamen est proprium dominium rei, nec isti dominio æquialens. Certum enim apud omnes est, illum promittentem, ex commutatiua iustitia satisfacere debere iuri illi, & nisi satisfecerit, contra iustitiam hanc peccaturum. VI.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones quatuor.

PRIMA ducitur ex authoritate Philosophi, & S. Thomæ, quorum ille lib. 5. Ethic. cap. 2. hic verò 1. part. quæst. 21. artic. 1. expressè docuit, distributiuam iustitiam ad personæ dignitatem attendere, & secundùm eam vnicuique dare. At respondeo eos id non alio sensu dicere, quam seruata æqualitate proportionum, seu geometrica, vt apertè declarant, prior quidem capite illo 3. posterior verò hac 2. 2. quæst. 61. art. 2. Quod autem ille capite 4. sequenti dixit, ad commutatiuam iustitiam quæ illatum damnum reparat, nihil referre, vtrum qui intulit, aut qui passus est, probus, an improbus fuerit, nobis nihil nocet, nec prodest VII. aduersariis: verissimè enim hoc dixit, quia commutatiua spectat æqualitatem arithmeticam, seu rei ad rem: ad hanc autem constituendam nihil conducit spectare personæ damnum inferentis aut patientis probitatem, vel improbitatem, aliámve similem qualitatem, sed illati damni quantitas spectanda solùm est, & pari quantitate compensatio facienda.

At alia duo nobis opponunt S. Doctoris testimonia: primum citato art. 2. in quo ait, per distributiuam iustitiam dari aliquid priuatæ personæ, in quantum id quod est totius, est debitum parti; quibus ex verbis manifestam reliquit dicunt D. Thomæ sententiam, nempe commutatiuæ obiectũ esse debitum illud quo debetur aliquid alteri ratione dominij, vel iuris huic dominio æquialentis: distributiuæ VIII. verò, debitum illud quo alteri debetur quidpiam ratione iuris, quod nec est dominium, nec ei æquiualens. Verùm quis ex illis verbis hanc eius esse sententiam videre vel leuiter potest? Profectò qui sequentia omnia corporis illius articuli verba legerit, apertè videbit, ipsum non agnoscere aliud distributiuæ iustitiæ debitum, quàm debitum constituendæ geometricæ æqualitatis: neque aliud commutatiuæ, quàm constituendæ arithmeticæ.

Alterum teſtimonium petunt ex artic. 1. in reſponſ. ad 5. in quo ait iuſtitiam diſtributiuam à commutatiua diſtingui, non ſolùm ſecundùm vnum & multa, hoc eſt, quòd iſta ſit ad vnum ſolùm, illa verò ad multos: ſed etiam ſecundùm diuerſam debiti rationem: alio enim modo deberi alicui id quod eſt commune, alio modo id quod eſt proprium. I. At tantùm abeſt, vt teſtimonium hoc nobis obſit, vt proſit potiùs, & noceat aduerſariis. Cùm enim ait hanc & illam iuſtitiam diſtingui, non ſolùm in eo quòd vna ad vnam ſolam perſonam eſt, altera ad multas, ſignificat ex eo quoque capite diſtingui, quòd negant aduerſarij, cùm eorum expreſſa doctrina ſit, diſtributiuam erga perſonam vnam ſolam exerci poſſe, commutatiuam erga multas, & vtrique accidentarium eſſe, quòd nunc circa vnam, nunc circa multas exerceri poſſit: cùm autem addit, diſtingui præterea ſecundùm diuerſam debiti rationem, quòd alio modo debeatur commune, alio proprium, non poteſt meritò alio ſenſu ab illo dictum iudicari, II. quàm iſto, quòd nimirum diſtributiua ſpectet debitum ſecundùm æqualitatem geometricam, commutatiua verò debitum ſecundùm arithmeticam, cùm hunc ſenſum indicarit ipſe clarè in Corpore eiuſdem articuli, in ſequentis autem multò adhuc clariùs.

Secunda eſt, iuſtitiam particularem in ratione huius iuſtitiæ per æqualitatem non conſtitui, nec à cæteris virtutibus diſtingui: ergo nec commutatiuam & diſtributiuam in ratione commutatiuæ ac diſtributiuæ conſtitui & diſtingui per æqualitatem arithmeticam, & geometricam: probant autem antecedens ex eo quòd aliæ virtutes æqualitatem quoque conſtituere poſſunt, vt miſericordia, quæ tantum tribuere poteſt, quantum neceſſe eſt indigenti, ſícque conſtituere quandam cum eius indigentia æqualitatem. III. Reſpondeo ad antecedens, iuſtitiam non conſtitui, & diſtingui quidem per æqualitatem in genere, aut per quamlibet in particulari, & id ſolùm probatione antecedentis cuinci, ſed per æqualitatem debitam ex iure alterius. Vnde etiam rectè commutatiua & diſtributiua conſtituentur diſtinguenturque per æqualitatem arithmeticam, & geometricam, dummodo hæc & illa debita ſint ex iure vnius, aut plurium.

Tertia eſt, ſi diſtributiua iuſtitia per æqualitatem geometricam conſtitueretur, futurum, vt nullus vnquam exerceretur actus diſtributiuæ, quo non conſtitueretur geometrica æqualitas, multos autem exerceri quibus non conſtituitur, & huiuſmodi eſſe eos IV. omnes quibus vnicum beneficium conferendum datur digniori cæteris competitoribus, eos item quibus datur digno ſeſe offerenti, nullo ſimul alio ſe offerente: quos quidem actus eſſe diſtributiuæ iuſtitiæ, hinc probant, quod ad dandum beneficium vel iſti digno, vel illi digniori, ex iſta ſola iuſtitia obligatio eſt: contra quam etiam ſolam peccaretur, ſi non daretur: illis autem actibus non conſtitui æqualitatem geometricam, hinc probant, quòd hæc eſſe non poſſit ſine duabus vt minimum perſonis quibus aliquid diſtribuatur, & ſine duabus vt minimum rebus quæ diſtribuantur: tunc autem eſſe vel vnicam perſonam & vnam rem, vel perſonas quidem duas, aut plures, ſed rem vnicam.

A Reſpondeo negando exerceri poſſe actum aliquem diſtributiuæ iuſtitiæ, quo non conſtituatur æqualitas geometrica vel perfectè, V. vel imperfectè, ſeu quantum rei quæ per eam confertur natura patitur: perfectè quidem, quando res diſtribuenda diuiſibilis eſt; imperfectè verò, quando eſt indiuiſibilis: in eóque ſatis commutatiuam à diſtributiua diſtingui, quòd illa ſolam ſpectet æqualitatem arithmeticam, hæc ſolam geometricam vel perfectè, vel imperfectè, prout ſuperiori ſectione referentes ſecundam ſententiam fuſiùs diximus. Vnde conſequenter nego per actum quo confertur beneficium omnium competitorum digniſſimo, quem fateor eſſe actum diſtributiuæ iuſtitiæ, non conſtitui geometricam æqualitatem, ſaltem imB perfectè, ob rei conferendæ indiuiſibilitaVI. tem.

Neque verò ad proprium huius iuſtitiæ actum magis requirendum eſt, vt perfectè conſtituat æqualitatem geometricam, quàm ad proprium commutatiuæ actum requiritur, vt perfectè conſtituat arithmeticam, quæ tum ſolùm perfectè conſtituitur, cùm inter duas res conſtituitur: vnde & æqualitas rei ad rem nominatur: vt cùm pecunia pro frumento æqualis pretij tribuitur, quam tamen non ſemper conſtituit commutatiua iuſtitia: quis enim neget proprium iuſtitiæ huius actum eſſe reddere depoſitum, & rem dare quam promiſiſti, & ad quam ei cui promiſſio facta eſt, ius dediſti? Cùm tamen per hos actus nulla conſtituatur inter duas res C æqualitas, ſed tantum inter vnius rei vel redVII. ditionem, vel donationem cum iure eius cui redditur, vel donatur: quæ haud dubiè minùs perfectè eſt æqualitas arithmetica.

Iam verò quod in obiectione addebatur, eum quoque actum quo beneficium datur vni digno, nullo competitore ſe offerente, actum eſſe proprium diſtributiuæ iuſtitiæ, falſum eſt: nam ſolius commutatiuæ eſt, ex qua ſola tunc ius ad illud habet eíque debetur: quæ tam communis eſt inter Theologos ſententia, vt etiam ij qui ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ in beneficiorum collatione nullam reſtitutionis obligationem oriri ſentiunt, eo tamen in caſu quo ſoli illi digno beneficium petenti negaretur, doceant, negantem obligatum iri ad reſtitutionem: ex D quo manifeſtè arguitur, ipſos cenſere, vioVIII. lari tunc commutatiuam iuſtitiam, & proinde petentem ius ad illud beneficium ex hac iuſtitia habuiſſe, & negantem ex eadem habuiſſe debitum non negandi.

Neque opponas, à negante peccari tunc peccato, quod acceptio perſonarum dicitur, ſi ſupponamus ipſum nolle dare digno petenti, vt alteri nec petenti, nec digno tribuat: peccatum autem acceptionis perſonarum eſſe contra iuſtitiam diſtributiuam, ex D. Thoma

quæſt.

quæſt. 63. artic. 1. Ne, inquam, id opponas: per acceptionem enim perſonarum peccari contra iuſtitiam & commutatiuam & diſtributiuam poteſt: nam ſi duo coram iudice de re aliqua contendant, vtroque ſuam eſſe dicente, iudex autem ſatis cognoſcens quis eorum verus illius dominus ſit, eam alteri adiudicet, vel quòd conſanguineus eſt, vel ob alium peculiarem affectum erga perſonam hanc, peccatum acceptionis perſonarum admiſiſſe ab omnibus iudicabitur: quod tamen peccatum contra iuſtitiam commutatiuam eſt, cùm ex ea obligaretur ad rem illam vero eius domino adiudicandam. Perſonarum igitur acceptio contra commutatiuam peccatum eſt, quando per eam violatur æqualitas arithmetica inducenda ex obligatione commutatiuæ iuſtitiæ: contra diſtributiuam autem, quando per ipſam æqualitas geometrica ex obligatione iuſtitiæ huius inducenda violatur.

Neque repugnat D. Thomas loco citato, in quo nihil aliud docet, quàm perſonarum acceptionem eatenus eſſe peccatum oppoſitum diſtributiuæ iuſtitiæ, quatenus per eam geometrica æqualitas violatur, vt ſignificant hæc verba, quibus citati articuli corpus ita concludit: *Sic ergo patet, quòd perſonarum acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, in hoc, quòd præter proportionem agitur*, id eſt, præter æqualitatem proportionis ſeu geometricam, de qua corporis initio ſic loquutus fuerat: *Reſpondeo dicendum, quòd perſonarum acceptio opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ: conſiſtit enim æqualitas diſtributiuæ iuſtitiæ in hoc, quod diuerſis perſonis diuerſa tribuuntur ſecundùm proportionem ad dignitates perſonarum.*

Quarta. Per actum iuſtitiæ commutatiuæ conſtituitur æqualitas geometrica: ergo non poteſt ab illa diſtingui in eo diſtributiua, quòd huius proprium ſit hanc æqualitatē conſtituere. Probatur antecedēs: actus quo debitor vnus multis ſuis creditorib. vel æqualia vel inæqualia debita perſoluit integrè, proprius commutatiuæ actus eſt, per eum tamē æqualitas prædicta conſtituitur: quia ſicut ſe habet ius creditoris vnius ad ius alterius, ita ſolutio vni facta ad ſolutionem factam alteri. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: duob. enim modis dici poteſt per actum commutatiuæ iuſtitiæ conſtitui æqualitatem geometricam, primo per ſe: ſecūdo per accidens: ſi primo modo dicitur, falſum eſt: ſi ſecundo, verum: quod non impediet, quin veriſſimè dicatur diſtributiua à commutatiua differre, in eo quòd huius proprium eſt conſtituere æqualitatem arithmeticam, illius geometricam: dum enim hoc dicitur, ſenſus eſt, illius eſſe proprium conſtituere per ſe geometricam, licet per accidens arithmeticam etiam poſſit: huius verò per ſe conſtituere arithmeticam, licet per accidens poſſit etiam geometricā.

Et quidem quòd hæc poſſit conſtituere geometricam, per accidens tamen, patet exēplo actus, cuius in antecedentis probatione mentio fit, qui reuera eſt actus cōmutatiuæ, ex quo tamē reipſa reſultat hæc æqualitas, vt ibidem rite probatur. Quod autem diſtributiua quoq. per accidens conſtituere valeat arithmeticam, conſtat ex eo quòd nullus eius actus exerceri poteſt, ex quo non reſultet à parte rei iſta æqualitas, & quidem tam multiplex numero, quàm multæ ſunt perſonæ, quarum ſingularum iura ſingulari re quam per diſtributionem accipiunt, adæquantur.

Dicitur autem cōmutatiua per ſe conſtituere æqualitatem arithmeticā, per accidens geometricam: quia quod ex natura ſua ſpectat, hoc ſolùm eſt, nempe ius vnum, & adæquatio iuris iſtius: ius, inquam, vnum per ſe ſeorſim, nō per cōparationem ad alterius aut plurium iura cōſideratum, cuius iuris adæquatione cōſtituitur, vt patet, æqualitas arithmetica. Vnde & debitor qui multis ſuis creditoribus debita vel æqualia vel inęqualia perſoluit, quíque, vt dixi, propriū commutatiuæ iuſtitiæ actum exercet, dum vni perſoluit, nihil aliud attendit, quam vt id quod ipſi ſoluit exæquetur iuri ipſius, nullam in hac ſolutione facienda habens rationem aliorū quibus debet, cùm perinde cuilibet in particulari perſoluat, ac ſi nihil vlli alij deberet: adquam tamē ſolutionē reſultat reipſa geometrica æqualitas, ſed per accidens, quoniam ad illā ſolutionem faciendam iſtam æqualitatem nec conſiderat, nec conſiderare debet. Vnde facile intelligitur, quam ob cauſam ſimiliter dicatur diſtributiua iuſtitia conſtituere per ſe geometricam æqualitatem, & per accidens arithmeticam.

SECTIO III.

Soluitur quinta omniumque grauiſsima obiectio.

QVINTA & omnium præcipua iſta eſt. Per aliquos actus commutatiuæ iuſtitiæ proprios æqualitas geometrica etiam per ſe conſtituitur: ergo non poteſt illa diſtingui in eo à diſtributiua, quòd huius proprium ſit hanc per ſe conſtituere æqualitatem, illius verò per ſe conſtituere arithmetica. Probant antecedens exemplo trium præſertim actuū, quos commutatiuæ proprios eſſe dicunt, & quibus per ſe conſtitui geometricam æqualitatem contendunt. Primus eſt, quo redditur id quod pluribus pauperib. teſtamento legatum eſt: ſi quis enim teſtamento legaſſet centum aureos nummos diſtribuendos in certos decē pauperes, & ita diſtribuendos, vt pro cuiuſque inopia fieret diſtributio, per actū quo ab exequutore teſtamenti diſtribuerentur, conſtitueretur æqualitas geometrica, quia qua proportione vnius indigentia alterius indigentiam excederet, res quoque quā acciperet, rem quam acciperet alter excederet: & quidem cōſtitueretur per ſe, quia & teſtator hanc ſeruari directè vult, & exequutor teſtamenti eandem directè intendit, & obligatur intendere.

Secundus eſt is quo redditur id quod debitū eſt ex contractu ſocietatis: quando enim multi contractum hunc inierunt, ſingulíq. certam pecuniæ ſummam in cōmune contulerūt, lucrum quod ex ea factum eſt, in ſocios ea proportione diſtribuendū eſt, vt quò plus vnus alio pecuniæ contulit in cōmune, tanto maiorem lucri facti partem reportet: qua diſtributione ſeruari geometricam æqualitatem patet, & quidem ſeruari per ſe, cùm diſtribues ea directè ſpectet, & ſpectare obligetur. Tertius eſt is quo debitor creditorib. ſuis impotēs ſoluere integrè, ita ſoluit, vt ſingulis aliquid perſoluat, tantò autem plus vni quàm alteri, quantò plus ab vno creditore

quàm ab altero mutuæ pecuniæ accepit: quo etiam actu seruatur, vt patet, æqualitas geometrica, & quidem per se, cùm soluens eam directè intendat, & obligetur intendere.

I. Quòd autem tres illi actus sint proprij commutatiuæ iustitiæ, probant aduersarij, primò quia proprium eius est æqualitatem constituere debitam ratione vel donationis factæ liberaliter, vel commercij & contractus initi: quod illis actibus fit. Secundò, quia actus quibus constituitur æqualitas ex iustitia debita, nec spectatur eorum dignitas inter quos constituitur, commutatiuæ proprij sunt: distributiuæ enim proprij esse non possunt, cùm hæc semper in omnibus suis actibus spectet dignitatem, & pro dignitate distribuat: tales autem sunt tres prædicti actus. Tertiò, quia iidem tres actus non versantur circa propriam materiam actuum distributiuæ iustitiæ, quæ sunt bona communia: ergo versantur circa propriam materiam actuum commutatiuæ: ergo & proprij eius actus sunt.

II. Et id quidem de tribus illis actibus probant his communibus argumentis: duobus autem aliis in particulari idem euincere conantur de tertio actu: quorum primum est, ex eadem virtute obligari debitorem ad totam solutionem quando potest, & ad partem solutionis, quãdo integram non potest: eiusdemq. proinde virtutis proprium actum esse, & hanc, & illam solutionem: illum autem obligari ad totam quando potest ex virtute commutatiuæ iustitiæ.

III. Secundum est, si tertius ille actus de quo loquimur, esset proprius distributiuæ, consequens fore, vt esset ex hac iustitia debitus: sicut enim nullus est proprius iustitiæ externus actus qui non sit ex iustitia debitus, ita nullus esse potest proprius vel commutatiuæ, vel distributiuæ, qui non sit vel ex hac, vel ex illa debitus: quòd si ex distributiua debitus esset, sequuturum deinde, vt debitor qui vni creditorum suorum partem illam quam deberet, postquam aliis omnibus suis creditoribus persoluisset, non persolueret, peccaret duplici specie iniustitiæ peccato, vno contra iustitiam commutatiuam, altero contra distributiuam: contra hanc quidem, quia hanc violaret retinendo partem illam quam ex hac iustitia dare deberet: contra illam vero, quia & illam violaret eandem partem retinendo, quam ex hac quoque iustitia reddere deberet, & perinde deberet, atque si nihil vnquam aliis creditoribus debuisset, quo casu, certissimè illam ex commutatiua deberet.

IV. Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem dico, tres illos actus qui nobis obiiciuntur, esse proprios distributiuæ iustitiæ, quandoquidem, vt in obiectione rectè dicitur, illis æqualitas geometrica per se constituitur. Vnde ad primum ex tribus argumentum, quo probatur esse proprios commutatiuæ solius, dico proprium huius esse constituere æqualitatem arithmeticam per se & non per accidens debitam, ratione vel donationis gratuitæ, vel contractus initi: distributiuæ verò proprium esse constituere geometricam per se debitam ratione rerum prædictarum, talem autem esse, quæ tribus illis actibus constituitur.

Ex quo colliges, falsum esse quod Molina hîc dispur. 12. & 1. parte quæst. 21. art. 1. significat, omnem obligationem ortam ex contractu esse iustitiæ commutatiuæ. Quid enim vetat priuatum quempiam cum multis aliis sic cõtrahere, vt ab iis ipse aliquid honoris aut commodi accipiat, idémque ipse vicissim se obliget ad diuisionem bonorum suorum illis secundũ æqualitatẽ geometricã certo tempore faciendam? aut Principem conscribentem exercitiũ sic pacisci cum militibus, vt obligetur ad omnia quæ detracta fuerint hostibus spolia iuxta prædictam æqualitatẽ in ipsos diuidenda? quæ obligationes ex his ortæ contractibus erunt distributiuæ iustitiæ, quam & violabit priuatus ille, vel Princeps, si pactum non seruauerit.

A

V. Ad secundum dico, tribus illis actibus spectari dignitatem, quæ ad actus distributiuæ iustitiæ exercendos spectanda est: huius enim dignitatis nomine intelligitur titulus, ratione cuius pecunia, vel res alia distribuenda est, & in vnum tantò plus quam in alium, quantò titulus ille maior in vno quam in alio est: cuiusmodi titulum spectari tribus illis actibus certum est:

B

VI. quem quidem titulum non vnum semper & eũdem esse, sed multiplicem, docent expresse Aristoteles lib. 5. Eth. cap. 3. citato, & D. Thomas hac qu. 61. art. 2. dum dicunt, apud aliquos nobilitatem, apud alios diuitias, aut virtutem hunc titulum esse: cuius tituli rationem non istæ solæ res, sed haud dubiè multæ aliæ sibi vendicant.

C

VII. Ad tertium dico, si per bona communia intelligantur bona communitatis, vt exercitus, vt Reipublicæ, fateri me bona circa quę tanquam circa materiam tres illi actus de quibus agimus exercentur, non esse bona communia: sed hoc non impedire, quo minus sint actus proprij distributiuæ iustitiæ: quoniam hęc non circa sola illa bona tanquam circa materiam versatur, sed circa quęcunque alia, quorum vt iusta distributio fiat, spectanda per se est æqualitas geometrica. Nec referre, quòd S. Doctor & Philosophus locis citatis hęc bona tanquam materiam distributiuæ iustitię assignent: hoc enim meritò faciunt, non quòd ipsam circa nulla alia versari posse putent, sed quòd circa ea frequentius exerceatur, in eorúmque diuisione clariùs appareat æqualitas geometrica, quæ propria huius iustitiæ est. Quod doctrinæ S. Thomæ maximè conforme est, quæstionis huius art. 3. expressè docentis, operationes externas tam commutatiuæ quàm distributiuæ proprias circa eandem materiam posse exerceri. Quòd si per bona communia intelligantur ea omnia, ad quę possidenda, vel tota, vel ex parte, multi commune ius habent, sic concedo quidem distributiuæ iustitiæ materiam propriam esse bona hoc sensu communia,

D

VIII. sed nego tres prædictos actus circa bona hoc ipso sensu communia non versari, versantur enim, vt perspicuum est.

Restat vt ad illa duo argumenta, quæ speciatim tertij actus gratia facta sunt, respondeam. Ad primum dico, solutionem quidem integram totius debiti semper esse actum commutatiuæ iustitiæ, nec mirum, cùm ad eam faciendam nihil sit aliud spectandum, quam singulare proprium quę ius illius creditoris cui totum debitũ soluitur: solutionẽ quoque partis debiti eiusdẽ

iustitiæ actum esse posse, & reipsa toties esse, quoties ad eam faciendam non est necessario spectandum vllum aliud ius, quàm propriù creditoris illius cui pars debiti persoluitur: at etiã partis debiti solutionem proprium distributiuæ actum toties esse, quoties vt rectè fiat, & iusta sit, non est spectandum solùm ius illud I. proprium quod habet creditor, cui pars debiti soluitur, sed & aliorum iura spectanda sunt, & inuicem comparanda, vt pro quantitate iuris cuiusque, cuique maior vel minor pars debiti soluatur, sícque in solutione æqualitas geometrica obseruetur.

Ad secundum respondeo, concedendo omnia quæ in eo dicuntur, ex hypothesi quòd cõmutatiua distributiuáque iustitia duplex specie virtus sit, & æqualitas proinde arithmetica, quam prior illa vt obiectum spectat, specie distincta sit à geometrica, quam spectat vt obiectum hæc posterior. Ex hac enim hypothesi, verum est, eum de quo in argumento sermo est, duplex iniustitiæ peccatum specie diuersum commissurum: vnum simile prorsus illi, quod committeret is, qui de bonis communibus vel Reipublicæ, vel exercitus, habens mille aureos in ciues aut milites aliquot II. pro cuiusque dignitate, & secundum æqualitatem geometricam distribuendos, daret quod debetur omnibus, vno dempto, cui partem debitam non daret, sed sibi retineret: cuiusmodi furtum fore peccatum contra iustitiam distributiuam omnes consentiunt, etiam aduersarij.

Cuius rei ratio est, quòd ex ista iustitia obligaretur ad eam sibi non retinendam, sed ei dandam cui debebatur, quamproinde violat, dum retinet: quæ ratio cùm pariter locum habeat in homine illo de quo loquitur argumentum, quoniam non minus habet ex iustiIII. tia distributiua obligationem soluendi creditoribus suis partem debiti seruata æqualitate geometrica, quàm ille alius illos mille aureos eâdem seruata distribuendi, euincit quoque hunc non minùs quàm illum alium contra iustitiam distributiuam peccaturum, retinendo sibi partem illam quam vni creditorum suorum dare deberet: quam eandem partem cùm ex commutatiua quoque iustitia debeat eidem persoluere, vt in argumento illo secundo bene probatur, & hinc confirmatur euidenter, quòd sicut ex commutatiua obligatur totum debitum soluere, quando potest totum, ita ex eadem obligatur partem debiti soluere, quando potest partem, rectè sequitur, eundem hominem retinentem sibi partem eandem de qua loquimur, violare quoque iustitiam commutatiuam.

IV. Quòd si hæc, & distributiua specie non differunt, non committet ille de quo loquimur duplex specie peccatum, sed vnicum, quod tamen ex duplici æqualitate inducenda, arithmetica scilicet, & geometrica, tanquam ex duplici capite ortum habebit: & ita vt vnum ex illis sufficeret, ad huiusmodi peccatum committendum: sicut cùm vnus idémque vnius virtutis aut vitij actus est duobus præceptis, vno naturali, altero positiuo, imperatus, aut vetitus, & omittitur, vel committitur, vnicum peccatum est, quod ex duplici præcepto tanquam ex duplici capite ortum habet, quorum quodlibet seorsim sufficiebat, vt idem peccatum contraheretur.

SECTIO IV.

A V.

Vtrum commutatiua & distributiua iustitia essentialiter differant?

HACTENVS ostendimus per quid ab inuicem differant, & singulæ iua propria ratione constituantur: nunc videndum, vtrum ea quæ inter eas est differentia, essentialis sit. Negat esse Buridanus 5. Ethic. quæst. 7. dicens hanc & illam iustitiam non esse duas virtutes specie distinctas, sed vnam eandemque & specie & numero, quæ per ordinem ad diuersas operationes & materias diuersis inadæquatis conceptibus apprehenditur, & prout vno concipitur, commutatiua, prout altero, distributiua nuncupatur. Ego pro affirmante sententia nullum video firmius ar- VI.
B gumentum authoritate Philosophi, Diui Thomæ, & Theologorum, quorum primus lib. 5. Ethicor. cap. 5. secundus vero hac quæstione 61. artic. 1. docet expresse commutatiuam & distributiuam esse duas particularis iustitiæ species: quo modo loquuntur etiam Theologi communiter. Nam quod ad rationes attinet, nullam satis firmam pro hac sententia video.

In primis enim ad id quod dici posset, vbi sunt diuersæ difficultates, & honestates, duas esse ponendas virtutes. Respondebit Burid. in actu iustitiæ commutatiuæ & distributiuæ exercendo vel non esse diuersas difficultates, & honestates, nisi forte secundùm magis aut minus: ob quam diuersitatem nemo virtutum habitus multiplicat: vel si diuersæ alio quàm VII.
C isto modo sunt, non esse ideo inducendas diuersas particularis iustitiæ virtutes: cùm propter illam solam honestatis & difficultatis diuersitatem virtutes specie distinctæ concedendæ sint, quæ non potest satis commode ad vnicam specie virtutem reuocari, seu ab vnica exerceri, & superari: honestates autem & difficultates quæ sunt in actibus commutatiuæ & distributiuæ exercendis, quocunque modo diuersæ esse dicantur, posse commode ad vnam particularis iustitiæ virtutem reuocari, ab eadémque exerceri, & superari: quod de eius specifica natura sit, constituere æqualitatem ex iure debitam, ad eamque volendam ac constituendam facilitare potentiam in qua est, & per consequens constituere omnem ac quamlibet æqualitatem ex iure VIII.
D debitam, atque adeo arithmeticam, & geometricam, debitam ex hoc, vel illo, vel quouis alio iure ad particularem iustitiam pertinente, atque ad omnem ac quamlibet eiusmodi æqualitatem volendam constituendamque eam in qua est facilitatem dare potentiæ.

Quod confirmabit ex eo quòd sicut actuum commutationis & distributionis dicitur esse diuersa difficultas, & honestas, ita similiter multarum commutationum inter sese comparatarum diuersa est & honestas, & difficultas;

vnde & diuersa peccata commissionis contra commutatiuam iustitiam dantur certissimè, quæ sic diuersa non essent, nisi contrarij virtutis actus diuersas specie honestates haberent, in omnium quidem sententia, at in eorum præsertim, qui peccata illa specie diuersa in honestatum istarum priuatione essentialiter consistere sentiunt: quæ honestates si specie differunt, different quoque difficultates, cùm quælibet huiusmodi specialis honestas specialem suam secum difficultatem afferat. Quod si propter has specie diuersas in diuersis commutatiuæ iustitiæ actibus exercendis & honestates, & difficultates, non multiplicantur multæ specie commutatiuæ iustitiæ, cur propter illam diuersam honestatem difficultatémque, quæ reperitur in exercendis commutationis & distributionis actibus, admitterentur duæ à parte rei iustitiæ particularis species, quarum vna commutatiua, altera distributiua sit?

I.

Quod deinde dicere quis posset, virtutes illas esse distinctas essentialiter, quæ habent obiecta formalia essentialiter diuersa, concedet quidem Burid. sed negabit commutatiuam & distributiuam, cùm sint vnus idémque specie virtutis habitus, habere à parte rei diuersa essentialiter obiecta formalia. Quòd si quis instet, commutatiuæ vt sic obiectum formale esse propriam commutationis actibus æqualitatem, & honestatem: distributiuæ verò vt sic, propriam actibus distributionis æqualitatem honestatémque: respondebit, vel hæc obiecta formalia non differre essentialiter: vel si differunt, non esse nisi partialia respectu iustitiæ particularis, cuius in obiecto formali adæquato continentur, quæque inadæquatè concepta, vt nimirum est elicitiua quorundam voluntatis actuum circa partem obiecti sui formalis adæquati, commutatiuæ nomine: prout quorundam aliorum circa partem alteram eiusdem obiecti sui, distributiuæ vocabulo nuncupatur: cùm tamen sit vnus simplex infima specie habitus his duobus nominibus insignitus: alioqui pari iure concedendas esse multas specie diuersas commutatiuas: cùm, vt paulò ante dictum est, actuum commutatiuæ propriorum multi diuersas specie honestates habeant, quæ dici pari iure deberent esse formalia obiecta essentialiter diuersa, propter quæ diuersæ secundùm speciem commutatiuæ iustitiæ essent admittendæ.

II.

III.

Ad id denique quod dici posset, peccatum acceptionis personarum opponi distributiuæ iustitiæ, respondebit idem in primis, opponi etiam aliquando commutatiuæ, quod verum esse, constat ex dictis secunda sectione. Deinde dicet, etsi verum esset opponi semper soli distributiuæ, vt distributiua est, non fore consequens, vt hæc à commutatiua distingueretur à parte rei, sed hoc tantum sequuturum, nempe peccatum illud opponi iustitiæ sumptæ non adæquatè, sed inadæquatè, prout nimirum elicitiua est actuum distributionis quibus æqualitas geometrica constituitur: sicut & peccata homicidij & detractionis quæ diuersa specie sunt, opponuntur soli commutatiuæ, vt commutatiua est, nec tamen arguunt esse reipsa [illegible] specie iustitiam commutatiuam,

IV.

A

B

C

D

quarum vni vnum, alteri alterum ex his peccatis opponatur, sed hoc tantùm, videlicet vnum ex his peccatis opponi commutatiuæ iustitiæ inadæquatè sumptæ, prout nempe elicitiua est quorundam actuum iustorum circa vitam hominis: alterum verò eidem opponi spectaræ item inadæquatè, prout scilicet elicitiua est aliorum quorundam actuum iustorum circa famam proximi.

V.

Atque cùm ad istas tres rationes pro affirmante sententia adductas responderi satis facilè & probabiliter possit, ad alias duas, quæ pro negante proponi possunt, non est ita facile respondere. Prima est, si nec ius, nec æqualitas, nec debitum quod spectat commutatiua vt sic, differt essentialiter vel à iure, vel ab æqualitate, vel à debito quod spectat distributiua vt sic, non possunt hæc & illa ab inuicem specie à parte rei distingui: atqui verum est antecedens, igitur & consequens. Consequentia maioris constat ex eo quòd non possunt sic distingui, nisi earum formalia obiecta sint essentialiter diuersa, non erunt autem, si verum est antecedens. Minor probatur, ac in primis debita quæ spectant non erunt essentialiter diuersa, si nec iura ex quibus oriuntur, nec æqualitates quæ debentur essentialiter differant, sicut & in aliis virtutibus à iustitia diuersis, debita ad eas pertinentia nunquam specie diuersa sunt, quando & ea ex quibus oriuntur, & honestates seu formæ quæ per illa debentur specie non differunt: vnde & peccata quæ priuant eiusmodi formis debitis nunquam specie differètia sunt: iura autem ex quibus illa debita oriuntur, & æqualitates quæ debentur specie non differunt.

VI.

Non quidem iura: si enim specie differrent, sanè vel quia ius quod commutatiua spectat est ius dominij, aut ei æquiualens: ius verò quod distributiua, tale non est: at ex suprà dictis constat ius distributiuæ proprium, esse etiam ius aut dominij aut huic æquiualens. Vel quia ius commutatiuæ proprium est vnum, & vnius numero personæ, ius verò proprium distributiuæ est multiplex, & in multis personis existens: at inter vnum & multa, quando nulla alia differentia est, quàm vnitatis & multitudinis, non est differentia essentialis, alioquin inter vnum & multa eiusdem infimæ speciei indiuidua essentialis differentia intercederet.

VII.

Neque etiam æqualitates: hæ sunt enim arithmetica, & geometrica: hæc autem ab illa non videtur esse distincta essentialiter, quando inter hanc & illam nulla alia differentia est, quàm quòd vna geometrica sit, altera arithmetica: nam geometrica nihil aliud à parte rei videtur esse quàm arithmetica numero multiplex sumpta collectiuè, quarum vnà adæquatur integrè ius illius qui dignior est, alterà item plenè adæquatur ius alterius qui minus dignus est: quæ autem non alia ratione differunt, quàm vnitatis & multitudinis, vt iam dixi, nunquam essentialiter differunt. Vnde sicut actus quo fit vni soli pauperi eleemosyna indigentiam eius adæquans, & actus quo fit multis, singulorum quoque adæquans indigentiam, spectata cuiusq. indigètia, & proinde tantò maior vni quàm alteri, quàtò

VIII.

maior est indigentia vnius quàm alterius, sunt actus eiusdem speciei virtutis, nempe misericordiæ, imò sunt ipsi vnius eiusdemque speciei: sic actus iustitiæ, quo ius vnius solius adæquatur, & quo proinde æqualitas arithmetica constituitur, & actus quo simile ius plurium item I. adæquatur, spectata quantitate iuris vniuscuiusque, & quo proinde æqualitas geometrica constituitur, videntur esse vnius specie virtutis actus, imò & esse ipsi vnius eiusdemque speciei.

Nec vim quisquam in eo faciat, quòd ad æqualitatem geometricam constituendam spectanda sit, & inuicem comparanda dignitas eorum inter quos constituitur: nam & ad constituendam arithmeticam spectanda aliquando est, quando nimirum iniuria illata, quæ ex iustitia ad æqualitatem hanc compensari debet, crescit ex dignitate personæ læsæ: & quemadmodum non est hæc spectanda personæ dignitas, nisi vt ex ea cognita cognoscatur quantum habeat hæc persona læsa iuris ad exigendam satisfactionem, & quanta proinde II. sit exhibenda, vt ius ipsius adæquetur, ita nec spectanda, & inuicem comparanda est eorum quibus communium bonorum distributio fit, dignitas, nisi vt ex ea cognita cognoscatur quantum quisque iuris habeat, seu ad quantam quisque bonorum illorum partem accipiendam ius habeat, & proinde quantum cuique distribuendum sit, vt cuiusque ius adæquetur: quæ dignitatis vel vnicæ personæ, vel plurium inter se collatarum consideratio, non magis per se potest inducere in prædictos actus essentiale discrimen, quam id per se possit, vel consideratio iuris vnius in vnica persona existentis, & plurium in pluribus personis existentium, quando hæc iura sunt ad eandem rem, & eiusdem rationis sunt: vel consideratio indigentiæ vnius tan- III. tùm pauperis, & plurium quorum indigentiæ inuicem conferantur, vt tanto plus vnus alio in eleemosynam accipiat, quanto maior est eius indigentia, quàm alterius, per se possit in illos actus eleemosynæ discrimen essentiale inuehere, quorum vno vnius tantùm pauperis indigentia integrè subleuatur, alio illorum aliorum.

Altera ratio hæc est: si vnum non modò specie, sed etiam numero peccatum contra iustitiam commutatiuam & distributiuam est, IV. non potest hæc ab illa à parte rei specie distingui: atqui verum est antecedens: igitur & consequens. Consequentia Maioris constat ex eo quòd quæ peccata contra diuersas specie virtutes sunt, eo ipso sunt distincta non tantum numero, sed etiam specie. Ad Minoris probationem tria principia ex communi Theologorum doctrina certa supponenda sunt. Primum est, primam rei alienæ vsurpationem, eiusdémque continuatam retentionem esse vnum etiam numero peccatum. Secundum est, omissionem restituendi rem illam quæ huic continuatæ retentioni coniuncta necessariò est, non esse distinctum numero ab illa continuata retentione peccatum. Tertium est, restitutionem eam saltem quæ fit vni tantùm singulari personæ, & ad quam faciendam nullum aliud ius quàm singularis illius personæ considerandum est, esse proprium commutatiuæ iustitiæ actum, ex eaque proinde debitum: vnde consequens est, omissionem actus restituendi ex commutatiua debiti esse peccatum contra commutatiuam. V.

Quibus præsuppositis principiis facilè concludo veritatem minoris propositionis hoc modo. Qui habet centum aureos ex bonis communibus in plures distribuendos, quos ita distribuit, vt partem vni debitam ipsi non tribuat, sed sibi vsurpet, peccat haud dubiè contra iustitiam distributiuam, nec tantùm peccat eo tempore quo primùm vsurpat, sed etiam eo toto quo retinet, & quo proinde omittit restituere, hócque peccatum primæ vsurpationis, & continuatæ retentionis est vnum numero peccatum, ex primo principio præsuppositio: peccatum quoque quod admittit omittendo restitutionem rei illius, non est VI. diuersum numero peccatum ab illa continuata retentione, ex secundo principio, & tamen est peccatum contra iustitiam commutatiuam, quia est omissio restitutionis faciendæ vni soli personæ, & proinde quæ est actus ex commutatiua iustitia debitus, contra quam proinde peccat, dum prædictam rem non restituit, sed continuè retinet, ex tertio principio: ergo vnum & idem numero peccatum contra iustitiam distributiuam & commutatiuam simul est.

His pro negatiua parte sic disputatis, vnum monebo, nempe ei qui affirmantem tueri volet, dicendum consequenter esse, vnum eundémque numero externum actum, non vno tamen modo consideratum, esse posse proprium iustitiæ tam commutatiuæ quàm di- VII. stributiuæ actum, & tam ab vna quàm ab altera procedere: illum scilicet quo debitor aliquis multis creditoribus debens, nec potens integrè soluere, ita soluit, vt nulli soluat totum quod debet, sed singulis aliquid, tanto autem plus vni quàm alteri, quanto plus ab vno quàm ab altero creditore mutuò acceperat: quilibet enim actus solutionis ita factæ cuilibet creditorum commutatiuæ simul & distributiuæ actus est, varia consideratione: illius quidem, quatenus per illum satisfit ad æqualitatem arithmeticam pro parte debiti, quæ pars ex commutatiua soluenda tota est, quando solui tota potest, sicut & ex eadem totum debitum soluendum est, quando solui totum potest: huius verò, quatenus per eundem satisfit ad æqualitatem geometricam, tantò plus aut minùs dando cuilibet, quanto VIII. plus aut minùs acceptum ab eo quàm ab alio est: ad quam æqualitatem constituendam obligatio ex distributiua iustitia est, quæ debitorem non potentem singulis creditoribus integrè soluere, obligat ad soluendum singulis, ea proportione qua dictum est.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm commutatiua & distributiua iustitiam strictè sumptam adæquatè diuidant?

SECTIO PRIMA.

Probatur partis affirmantis veritas.

COMMVNIS Theologorũ sententia est affirmans, nullam huius iustitiæ speciem præter illas duas agnoscentium, quæ vera est, & probatur primò hac ratione. Cùm iustitiæ strictè sumptæ obiectum sit iustum, hoc autem sit æquale, sicut iniustum inæquale est, æquale autem duplex tantum esse possit, vnum æqualitate geometrica, alterum arithmetica, & prius illud æquale spectet distributiua, posterius istud commutatiua: sequitur tam esse impossibile dari quandam aliam iustitiæ strictè sumptæ speciem, quàm impossibile est dari quoddam aliud æquale, præter illud duplex.

Probatur secundò: si datur præterea aliqua iustitiæ species, maximè iustitia legalis, & vindicatiua: atqui neque hæc, neque illa: ergo nulla. Minorem probo in primis ex eo quòd etsi tam hæc quàm illa essent veræ iustitiæ species, necessariò essent aut commutatiua, aut distributiua: non enim essent iustitiæ species, nisi iustum seu æquale aliquod spectarent; quod cùm duplex tantummodo sit, arithmeticum scilicet, & geometricum, hoc aut illud spectare deberent. Si primum, essent commutatiua: sin secundum, distributiua. Deinde quia neutra est iustitia strictè sumpta, ergo neutra est iustitiæ strictè sumptæ species. Et quidem quòd vindicatiua non sit strictè iustitia, constat primùm authoritate S. Doctoris infrà quæst. 80. art. 1. ipsam reponentis inter potentiales iustitiæ partes, sicut & religionem, pietatem, aliasque similes virtutes, quæ eo ipso quo numerantur inter has eius partes, excluduntur ab his aliis eiusdem partibus quæ subiectiuæ vocantur, id est, quæ ei tanquam species generi subiiciuntur, & quæ proinde iustitiæ strictè sumptæ essentiam participant.

Probo secundò. Illa virtus non est iustitia strictè sumpta, quæ nõ respicit æqualitatem cum iure alterius ipsi debitam: atqui vindicatiua talis est. Maior ex supra dictis certa est, confirmatúrque ex articulo primo citatæ quæst. 80. in quo S. Doctor ait partes potentiales iustitiæ ideo à propria iustitiæ strictè sumptæ natura deficere, quòd aut à ratione debiti deficiant, aut à ratione æqualitatis. Minorem probo eo quòd si vindicatiua respiceret æqualitatem cum iure alterius ipsi debitam, proprius vindicatiuæ externus actus deberet esse æqualis iuri alterius, ipsíque debitus: sicut quia iustitia ex se prædictam æqualitatem respicit, proprius eius externus actus æqualis est iuri alterius, ipsíque debitus: certum autem est, proprium vindicatiuæ iustitiæ externum actum non esse æqualem iuri alterius, ipsíque debitum: vindicatio enim, quæ est proprius eius externus actus, non est huiusmodi: non enim est debita ei de quo vindicta sumitur, ex iure quod hic habeat exigendi ab vlciscente vltionem, seu delicti pœnam, quia pateretur alioquin iniuriam contra iustitiam, si pœna hæc ipsi condonaretur.

Oppones pœnam reo infligendam per iustitiam vindicatiuam, ipsamque vindicationem non esse reo debitam, sed Reipublicæ, iudicémque non illi quidem, sed huic facturum iniuriam, si pœnam reo sine causa remittat. Respondeo verum id esse, sed vim nostræ rationis nihil imminuere: nam vt vindicatiua iustitia esset iustitia strictè sumpta, deberet proprius eius externus actus nempe vindicatio, pœnaque per hanc infligenda esse ipsi reo ex prædicto iure debita, eidémque proinde fieri iniuria, si illa ipsi condonaretur, cùm vindicatio, vt vindicatio est, non respiciat nisi pœnam quæ infligitur, & reum cui infligitur.

Quare quod ex illa oppositione colligi tantum potest, hoc est, iudicem ex stricta iustitia obligari ad exercendum aliquando proprium vindicatiuæ iustitiæ actum, non verò ipsam vindicatiuam iustitiam esse strictè sumptam iustitiam, eiúsque proprium actum, quatenus vindicatio est, actum esse strictæ iustitiæ, licet huius, & quidem commutatiuæ proprius actus sit, consideratus vt æqualis iuri Reipublicæ, ipsíque ex hoc iure debitus: alioqui si ex eo quòd proprius vindicatiuæ actus ex iustitia Reipublicæ debitus est, rectè concluderetur, ipsam vindicatiuam esse iustitiam strictè sumptam, rectè quoque concluderetur habitum artis in intellectu existentem esse strictè sumptam iustitiam, cùm proprius artis actus, vt ædificatio domus, ex iustitia plerumque debitus sit: quæ etiam ædificatio, vt est proprius artis actus, nempe vt ex eius præceptis hoc vel illo modo productus, non est actus iustitiæ, cùm intelligi sic productus possit, nec tamen esse cuiquam debitus, vt cùm artifex ipse sibi domum ædificat: cuius tamen proprius actus est spectatus vt æqualis iuri alterius, ipsíque ex hoc iure debitus.

Atque vt nostræ responsionis bonitas ad factam oppositionem ampliùs appareat, solùm addo, quòd sicut merè per accidens se habet ad artem & opus artis, quòd sit alicui ex iustitia debitum, ita merè per accidens se habet ad iustitiam vindicatiuam, & ad proprium eius actum, qui est vindicatio, quòd sit ex iustitia Reipublicæ debitus, cùm possit perinde exerceri quando nulli ex iustitia debitus est, & eo tempore quo si non exerceretur, nulla cuiquam fieret iniuria; vt cùm Princeps iubet eum pœna mortis affici, cui vitam licitè & sine cuiusquam iniuria dare poterat.

Iam verò quòd nec legalis iustitia sit strictè

sumpta iustitia, probo sic in primis. Illa virtus non est stricta iustitia, cuius proprius actus externus non est alteri necessariò debitus: atqui talis est iustitia legalis. Maior ex antè dictis sæpius certissima est. Minoris autem veritas probata est disput. 1. sect. 2. dum primum inter legalem particularémque iustitiam discrimen explicuimus. I.

Probo deinde hoc argumento. Illa virtus stricta iustitia non est, quæ non est ad eum qui perfectè alter est: atqui iustitia legalis non est ad eum qui sit perfectè alter. Maior certa est, ex communi enim Theologorum doctrina, iustitia strictè sumpta per hoc in ratione iustitiæ huius constituitur, & distinguitur à cæteris virtutibus, quòd sit ad perfectè alterum, seu, quod eodem recidit, quòd respiciat ius simpliciter, id est, ius eius qui sit alter non secundùm quid, sed simpliciter, cuiúsque proinde ius sit ius non secundùm quid, sed simpliciter: Minorem ex eo probo, quòd tota iustitiæ legalis essentia in eo posita est, ex dictis disput. & sect. citatis, vt benè disponat & afficiat ciuem ad Rempublicam, tanquam partem vt partem ad totum, vt totum est: sicut autem totum vt totum est, non est quid perfectè alterum à partibus, cùm eas in se contineat & includat, ita nec pars vt pars est, perfectè quid alterum à toto vt totum est, cùm sit aliquid ipsius totius. II.

Probo postremò, eo quòd si iustitia legalis esset stricta iustitia, quando contra illam peccaretur, contra strictam iustitiam peccaretur, quod tamen falsum est: alioquin ex admisso contra legalem iustitiam peccato, si quod damnum sequeretur, tanquam effectus ex causa, oriretur in eo qui peccasset obligatio restituendi, seu reparandi damnum illud cuius causa peccato suo extitisset: sicut ex peccato contra strictam iustitiam commisso semper & necessariò oritur: quam tamen in eo obligationem oriri, concedendum non est, nec concedunt communiter Theologi, & meritò: quis enim non iudicet nimis durum esse, ciuem ignauum, & ignauiâ suâ causantem expugnationem vrbis obsessæ, ac deprædationem, obligari ad restitutionem totius damni quod hostes intulerunt? cuius reuera causa fuit ignauia illa sua, quandoquidem, vt supponimus, si fortiter pugnasset, vrbs expugnata non esset: quæ etiam ignauia peccatum non fuit contra iustitiâ aliam quàm legalem, cùm nulla alia ex iustitia obligaretur tunc temporis gerere se fortiter, vtpote qui non ex alio capite ad iustitiam pertinente obligabatur ad id tum temporis, quàm conseruandi boni communis periclitantis, ad quod in periculis conseruandum inclinare & obligare, non est alterius iustitiæ, quàm legalis. III. IV.

SECTIO II.

Vni obiectioni, vni item quæstioni satisfit.

AT oppones in quolibet toto spectari posse triplicem ordinem: vnum partis ad partem: alterum totius ad partes: tertium partium ad totum: & quemadmodum vna iustitiæ strictè sumptæ species, nempe commutatiua, bene partem ad partem, ciuem scilicet ad ciuem ordinat: & altera, nimirum distributiua, totum ad partes, Rempublicam scilicet ad singulos ciues: ita & admittendam esse tertiam iustitiæ strictæ speciem, quæ bene partes ad totum ordinet, nempe singulos ciues ad Rempublicam: hanc autem aliam non esse quàm iustitiam legalem. A V.

Sed respondeo mirum non esse, si virtus bene partem ad partem ordinans, ciuem videlicet ad ciuem, possit esse stricta iustitia, cùm ciuis vnus sit perfectè alter ab alio, iusque tam vnius quàm alterius sit ius non secundùm quid, sed simpliciter. Adde quòd commutatiua iustitia non ordinat ciuem ad ciuem tanquam partem sub ratione partis ad partem vt pars est: per accidens siquidem se habet ad commutatiuam, quòd hi quos ad inuicem rectè ordinat, sint conciues: perinde enim ordinaret, etsi non eiusdem Reipublicæ ciues ac partes essent, imo etiamsi neuter vllius Reipublicæ ciuis esset.

Nec mirum item quòd distributiua sit iustitiæ strictæ species, cùm non ordinet totum vt totum est, ad partes vt partes sunt, sed eatenus tantùm dicatur illud ad has rectè ordinare, quatenus ad bona toti Reipublicæ communia in singulos ciues distribuenda pro cuiusque dignitate & iure distribuentem rectè disponit & afficit: qui distribuens est ordinarie persona publica totius Reipublicæ authoritatem habens, corpúsque repræsentans: quod quidem ad distributiuam se habet mere per accidens, cùm huiusmodi communium bonorum distributionem faciendam cuilibet particulari ciui committere possit Respublica, aut Reipublicæ Princeps, imò etiam homini de numero ciuium ad eam pertinentium non existenti: qui distribuens, quisquis ille sit, semper est perfectè alter ab iis quibus distribuit, consideratus saltem quatenus distributoris illorũ bonorũ personam sustinet, & munus exercet: quandoquidem ad illa distribuenda seruata geometrica æqualitate obligatur, vt supponimus, ex distributiua iustitia, quæ stricta iustitia est: ex qua tamen obligari nemo potest, nisi qui perfectè alter est ab iis, erga quos obligatur, cùm stricta iustitia inter eos solos esse possit, quorum vnus ab alio perfectè alter est. B VI. C VII.

Ex quibus meritò concludi non potest, iustitiam legalem esse quoque strictam iustitia, cùm ciues ad Rempublicam rectè non ordinet, nisi veluti partes vt partes sunt, ad totum vt totum est, inter quæ sic spectata, stricta non potest intercedere iustitia, cùm neutrum ex his sic spectatis sit quiddam ab alio perfectè alterum. Quòd si non ita spectentur, sed purè veluti materialiter, id est, si duo sumantur, quorum vnum sit ciuis Reipublicæ reipsa, ac proinde pars; alterum, ipsa Respublica, ac proinde totum, fatebor vltro inter ipsa posse multis in casibus strictam intercedere iustitiam, quod & sequenti disputatione ex professo probabitur: sed hæc alia esse non poterit, quàm vel commutatiua, vel distributiua, quia non alia constitui inter illa duo poterit æqualitas, quàm vel arithmetica, vel geometrica, quarum prior ad commutatiuam pertinet, posterior ad distributiuam. D VIII.

At hîc quæres, vtrùm hæc & illa iuſtitiam ſtrictam ſic adæquatè diuidant, vt neutra in ſpecies aliquas ſibi ſubiectas diuidi vlteriùs poſſit? Communis Theologorum opinio videtur affirmans eſſe, cùm nullam communiter mentionem faciant inferiorum aliquarum ſpecierum, quæ vel commutatiuæ vel diſtributiuæ tanquam generi ſubiiciantur. I.

Quod quamuis ita ſit, ei tamen qui ex Philoſophia ſupponet, naturalem habitum non poſſe natura ſua inclinare & concurrere ad alios actus quàm ad ſimiles in ſpecie ei à quo productus eſt, nec proinde poſſe ad actus ſpecie differētes inclinare & concurrere, dicendum ex conſequenti eſt, tot dari diſtributiuæ, tótque commutatiuæ iuſtitiæ diſtinctas ſpecies, quot ſunt actus illius, quótque huius ſecundùm ſpeciem diuerſi: quales eſſe multos conſtat ex multis peccatis commiſſionis ſpecie diuerſis, vel huic, vel illi iuſtitiæ oppoſitis: quæ quidem peccata non eſſent ſpecie differentia, niſi contrarij honeſti actus vel ad hanc vel ad illam pertinentes eſſent ſpecie differentes, diuerſamque ſpecie II. honeſtatem haberent, omnium quidem ſententia, vt ſuperiore diſput. monui, in noſtra autem præſertim, qui in Tract. de peccatis, diſp. 1. probauimus formalem peccati commiſſionis rationem in priuatione honeſtatis contrario virtutis actui inexiſtentis totam conſiſtere. Vnde manifeſtè concluditur, peccata illa commiſſionis vel commutatiuæ iuſtitiæ, vel diſtributiuæ oppoſita, non fore peccata ſpecie differentia, niſi priuarent diuerſa ſecundùm ſpeciem actuum vel ad hanc vel ad illam pertinentium honeſtate: cùm aliunde certum ſit, priuationes diuerſas ſpecie eſſe non poſſe, niſi formæ quibus priuant, diuerſæ ſpecie ſint.

Quòd ſi quis ex Philoſophia contrariū ſupponat, nempe vnum & eundem habitum naturalem ad diuerſos ſecundùm ſpeciem actus inclinare poſſe, & concurrere, non eſt quòd III. multas vel commutatiuæ vel diſtributiuæ iuſtitiæ ſpecies admittat: nam qua facilitate poteſt principium illud philoſophicum defendere, eâdem etiam poteſt tueri, omnes iuſtitiæ actus quibus æqualitas arithmetica conſtituitur, quātumcunque ſpecie differentes, ab vna eadémque ſecundùm eſſentiam commutatiua iuſtitia eſſe poſſe: omnes item quibus geometrica conſtituitur, etſi ſpecie differant, ab vna eadémque diſtributiua poſſe procedere.

Ex dictis hactenus de commutatiua diſtributiuaque iuſtitia, facilè intelligitur, verum in primis eſſe, quod D. Thom. artic. 4. docuit, nempe iuſtum ſimpliciter ſumptum in genere non eſſe idem quod contrapaſſum: verum item eſſe quod eodem articulo docuit, aliquod IV. iuſtum ſimpliciter idem eſſe quod contrapaſſum: & quidem prius illud verum eſt, tum quia non ibi ſemper reperitur iuſtum ſimpliciter, vbi contrapaſſum: ibi enim contrapaſſum eſt, vbi quis æquale patitur ſeu recipit ei quod egit, vel in alterum intulit: at non ibidem ſemper iuſtum ſimpliciter reperitur: nam ſi ruſticus Principi colaphum infregerit, & ipſe viciſſim æqualem recipiat, erit contrapaſſum, nec tamen iuſtum ſimpliciter, quia non erit æquale iuri Principis, qui ius habet maiorem exigendi pro accepta iniuria ſatisfactionem: aut ſi Princeps ruſtico alapam dederit, & æqualem ipſe à ruſtico recipiat, erit contrapaſſum, nec tamen iuſtum ſimpliciter, quia maiorem à ruſtico receperit iniuriam, quàm in ipſum intulerit: tum quia A V. nonvbicunque reperitur iuſtum ſimpliciter, ibi & contrapaſſum reperitur: in omni enim actu tam diſtributiuæ quàm commutatiuæ iuſtitiæ ſemper illud cernitur, non verò iſtud: nam in illo actu quo quis alteri dat id ad quod ipſi dandum ſe liberali promiſſione ex iuſtitia obligarat (qui eſt proprius commutatiuæ actus) nullum contrapaſſum cernitur, cùm qui accipit, nihil æquale, imò nihil abſolutè, vt ſupponimus, in dantem antea contulerit: ob eandémque cauſam in nullo diſtributionis actu quo communia bona diſtribuuntur contrapaſſum reperitur: ciues enim ſinguli communium bonorum partem recipientes nihil priùs de ſuo contulerunt, quo partem illam reciperent.

Nec dicas diſtributionem ſpoliorum hoſtilium in milites ſeruata æqualitate geometrica B VI. eſſe proprium diſtributiuæ actum, & in eo contrapaſſum reperiri, quòd ex iis quilibet tantum recipiat, quātum laboris in exercitu ſubiit, ſuóque illo labore condignè promeruit. Ne, inquam, id dicas: hoc enim ſi contingit aliquando, vt reipſa poſſet contingere, merè per accidens ad diſtributiuam iuſtitiam, diſtributionémq. quæ per eam fit, ſe habet: quia quod in ea per ſe ſpectatur, non eſt, vt de ſpoliis hoſtilibus quilibet tantum accipiat, quantum laboris ſubiit, & labore ſuo condignè meruit, ſed vt de iis vnus tantò plus quàm alius accipiat, quantò vel labore ſuo, vel alio titulo dignior eo eſt: in cuiuſmodi diſtributione ſi contrapaſſum per ſe reperiretur, toties reperiretur, quoties huiuſmodi diſtributio fieret, quod tamen non contingit, cùm quò minora ſunt ſpo- C VII. lia, pluréſque in quos diſtribuenda ſunt, eò minorem ſinguli partem accipiant, & contra, quò amplıora ſunt, pauciorésque ij in quos ſunt diuidenda, eò maiorem: qui tamen, ſiue hoc, ſiue illud contingat, non plus propterea minúſve laboris ſumpſerunt: quorum proinde ſingulorum labor illa diſtributione non ad æqualitatem compenſatur, ſed modò ſupra laboris meritum ac dignitatem, vt cùm ſpolia ampliſſima ſunt, modò infra, vt cùm pauca ſunt.

Iam verò quòd poſterius quoque D. Thomę dictum verum ſit, patet ex actu commutatiuæ iuſtitiæ, quo duæ res æqualis valoris, vt frumentum & pecunia inuicem commutantur: in eo enim omni actu reperitur iuſtum ſimpliciter, & contrapaſſum: illud quidem, quia perfectè æquale iuri alterius, alioqui iuſtitiæ actus D VIII. non eſſet: iſtud verò, quia quantum vnus ab altero in emolumentum ſuum accipit, quantúmque proinde accipiendo infert damni quodammodo huic alteri, ipſe viciſſim rem aliam ſuam æqualis valoris eidem tribuendo, tantundem damni quodammodo in re illa ſua, cuius dominium amittit, patitur.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm hominis ad seipsum, inter patrem & filium, dominum & seruum, Rempublicam & ciuem, superiorem & subditum, virum & vxorem stricta iustitia intercedat?

SECTIO PRIMA.

Vnum asseritur, & probatur.

I. PRIMA assertio. Hominis ad seipsum non potest esse stricta iustitia. Ita Philosophus lib. 5. Ethic. cap. vltimo. D. Thom. supra quæst. 58. art. 2. & communiter omnes Theologi. Probatur primò ratione à priori, qua S. Doctor eo loco vsus est: quòd nimirum iustitia præsertimque strictè sumpta veram quandam ac propriam æqualitatem ex essentia sua constituat, sitque proinde ad alterum, cùm nihil sibi sit æquale proprie, sed duntaxat alteri.

II. Probatur secundò hoc argumento. Hominis ad seipsum non potest esse iniustitia strictè sumpta, ergo nec strictè sumpta iustitia. Consequentia patet, idem enim est subiectum contrariorum. Antecedens constat ex eo quòd posset alioquin homo veram & strictè sumptam inferre sibi iniuriam, sicut quia potest ipsius ad alterum esse illa iniustitia, hanc quoque alteri inferre iniuriam potest: at hoc non potest, tum quia volenti non fit iniuria, vt sup-

S. Basilio Ob. conf. 14. Jun.
Todo arbolqno dicre buē fruto, serà cortado, y echado en el fuego. Mat. 3.
Por la reduccion de los Hereges.

mus: si autem aliquam sibi iniuriam volens inferret: tum quia eò ipso iuriam patitur, vim aliquam pati tem à seipso vim pati non potest tùm est, cùm ab extrinseco infert conferente passo, ad quam sanè ferret homo patiens, si à seipso suam voluntatem agente, & passionem inferente pateretur.

III. Sed hîc aduertenda sunt tria circa vsurpatam à D. Thoma cit. art. 2. propositionem, & communiter à Theologis receptam, qua iustitia dicitur esse ad alterum suppositi distinctum. Primum est, non propterea esse ad quemcunque alterum suppositi distinctum: tres enim inter diuinas Personas suppositi distinctas non intercedit stricta iustitia: imò nec inter Deum & hominem: patrem & filium, quâ pater, & filius: dominum, & seruum, quâ dominus, & seruus: cùm tamen inter eos etiam sic spectatos suppositorum distinctio sit. Secundum est, suppositi nomine intelligendum esse suppositum etiam incompletum, cuiusmodi sunt animæ rationales separatæ, contra quas per iniustitiam peccare ex rei natura tam homo quàm Angelus potest.

IV. Tertium est, non ita necessariò iustitiam esse ad alterum suppositi siue completo, siue incompleto distinctum, quin aliquo in casu concipi meritò possit esse ad seipsum, nempe in eo in quo suppositum vnum duabus in naturis completis existeret, quarum quælibet per se iustitiæ capax esset: vt si quemadmodum humana Christi diuinaque natura vnica eius personalitate subsistunt, ita duæ vel humanæ vel Angelicæ naturæ, vel humana vna, & Angelica altera vnica personalitate subsisterent: vnicum enim illud suppositum in duabus huiusmodi naturis completis existens, quarum quælibet est per se iustitiæ & iniustitiæ capax, posset per naturam vnam iustè vel iniustè agere erga alteram, ac proinde erga seipsum, vt in hac natura existens. Vnde etiam ij qui Deum inter & hominem strictam intercedere posse iustitiam sentiunt, dicunt Christum reipsa per humanam naturam suam satisfeciſſe ex iustitia Personæ Verbi diuini, ac proinde sibi, vt in diuina natura existenti.

V. Et sanè si suppositum illud de quo loquimur, per vnam naturam suam, huiusque naturæ liberam voluntatem, vt per Angelicam, de altera, vt de humana, sibi hypostaticè vnita detraheret, aut si huic vulnera inflgeret, peccaret haud dubiè eodem iniustitiæ peccato, quo si huic eidem naturæ non esset vnitum personaliter: & ratio à priori est, quòd istarum naturarum quælibet esset sui iuris, nec vna quidquam esset alterius, eo simili ve modo quo filius est aliquid patris, & seruus domini, haberétque proinde quælibet ius simpliciter, ne ab altera hoc aut illud inuita pateretur, quod per consequens si sic pateretur, veram ab ipsa contra iustitiam iniuriam acciperet: quod dum contingeret, vnum idémque suppositum sibi ipsi iniuriam inferre diceretur: quia sicut actiones à natura suppositi profectæ, sic & passiones in natura suppositi receptæ, supposito tri-

VI. quamuis ita sit, meritò tamen Theo- it absolutè hominis alteriusque sup- esse iustitiam ad seipsum, quia de quantur existente naturaliter: quo VII. exhibit, in vnica tantùm natura quatio non est erga seipsum capax vel iustitiæ, vel iniustitiæ, vt euincunt argumenta quibus assertionē nostram probauimus.

SECTIO II.

Duo alia asseruntur, & probantur.

VIII. SECVNDA assertio. Inter patrem quâ pater est, & filium quâ filius, inter dominum quâ dominus, & seruum, quâ seruus: inter Rempublicam quâ totum quoddam est, & ciuem, quâ totius istius pars est, non intercedit stricta iustitia. Ita Theologi communiter post Aristotelem lib. 5. Ethic. cap. 6. & D. Thom. supra quæst. 57. art. 4. vbi quamuis de solo patre ac filio, domino ac seruo loquantur, quia tamen ratio qua nostram hanc de illis assertionem probant, idem euincit de Republica & ciue, eo quo dixi modo, spectatis, propterea idem de his, quod de illis assero, & eorum authoritate confirmo. Rationis autem qua vtuntur vis sic à me proponitur. Inter eos non potest esse stricta iustitia, inter quos non potest esse iustum simpliciter, cùm hoc iustum sit illius iustitiæ proprium opus, & obiectum, ex antedictis:

At hîc quæres, vtrùm hæc & illa iuſtitiam ſtrictam ſic adæquatè diuidant, vt neutra in ſpecies aliquas ſibi ſubiectas diuidi vlteriùs poſſit? Communis Theologorum opinio videtur affirmans eſſe, cùm nullam communiter mentionem faciant inferiorum aliquarum ſpecierum, quæ vel commutatiuæ vel diſtributiuæ tanquam generi ſubiiciantur.

I. A V.

Quod quamuis ita ſit, ei tamen qui ex Philoſophia ſupponet, naturalem habitum non poſſe natura ſua inclinare & concurrere ad alios actus quàm ad ſimiles in ſpecie ei à quo productus eſt, nec proinde poſſe ad actus ſpecie differentes inclinare & concurrere, dicendum ex conſequenti eſt, tot dari diſtributiuæ, totque commutatiuæ iuſtitiæ diſtinctas ſpecies, quot ſunt actus illius, quotque huius ſecundùm ſpeciem diuerſi: quales eſſe multos conſtat ex multis peccatis commiſſionis ſpecie diuerſis, vel huic, vel illi iuſtitiæ oppoſitis: quæ quidem peccata non eſſent ſpecie differentia, niſi contrarij honeſti actus vel ad hanc vel ad illam pertinentes eſſent ſpecie differentes, diuerſámque ſpecie

II. B VI.

honeſtatem haberent, omnium quidem ſententia, vt ſuperiore diſput. monui, in noſtra autem præſertim, qui in Tract. de peccatis, diſp. 1. probauimus formalem peccati commiſſionis rationem in priuatione honeſtatis contrario virtutis actui inexiſtentis totam conſiſtere. Vnde manifeſtè concluditur, peccata illa commiſſionis vel commutatiuæ iuſtitiæ, vel diſtributiuæ oppoſita, non fore peccata ſpecie differentia, niſi priuarent di
actuum vel ad hanc v
honeſtate: cùm aliu
nes diuerſas ſpecie eſ
quibus priuant, diue

Quod ſi quis ex P
ponat, nempe vnum
turalem ad diuerſos ſecundum ipſ
inclinare poſſe, & concurrere, non eſt quòd

III. C VII.

multas vel commutatiuæ vel diſtributiuæ iuſtitiæ ſpecies admittat: nam qua facilitate poteſt principium illud philoſophicum defendere, eâdem etiam poteſt tueri, omnes iuſtitiæ actus quibus æqualitas arithmetica conſtituitur, quâtumcunque ſpecie differentes, ab vna eademque ſecundùm eſſentiam commutatiua iuſtitia eſſe poſſe: omnes item quibus geometrica conſtituitur, etſi ſpecie differant, ab vna eademque diſtributiua poſſe procedere.

Ex dictis hactenus de commutatiua diſtributiuáque iuſtitia, facilè intelligitur, verum in primis eſſe, quod D. Thom. artic. 4. docuit, nempe iuſtum ſimpliciter ſumptum in genere non eſſe idem quod contrapaſſum: verum item eſſe quod eodem articulo docuit, aliquod iuſtum ſimpliciter idem eſſe quod contrapaſſum:

IV. D VIII.

& quidem prius illud verum eſt, tum quia non ibi ſemper reperitur iuſtum ſimpliciter, vbi contrapaſſum: ibi enim contrapaſſum eſt, vbi quis æquale patitur ſeu recipit ei quod egit, vel in alterum intulit: at non ibidem ſemper iuſtum ſimpliciter reperitur: nam ſi ruſticus Principi colaphum intulerit, & ipſe viciſſim æqualem recipiat, erit contrapaſſum, nec tamen iuſtum ſimpliciter, quia non erit æquale iuri Principis, qui ius habet maiorem exigendi pro accepta iniuria ſatisfactionem: aut ſi Princeps ruſtico alapam dederit, & æqualem ipſe à ruſtico recipiat, erit contrapaſſum, nec tamen iuſtum ſimpliciter, quia maiorem à ruſtico receperit iniuriam, quàm in ipſum intulerit: tum quia non vbicunque reperitur iuſtum ſimpliciter, ibi & contrapaſſum reperitur: in omni enim actu tam diſtributiuæ quàm commutatiuæ iuſtitiæ ſemper illud cernitur, non verò iſtud: nam in illo actu quo quis alteri dat id ad quod ipſi dandum ſe liberali promiſſione ex iuſtitia obligarat (qui eſt proprius commutatiuæ actus) nullum contrapaſſum cernitur, cùm qui accipit, nihil æquale, imò nihil abſolutè, vt ſupponimus, in dantem antea contulerit: ob eandémque cauſam in nullo diſtributionis actu quo communia bona diſtribuuntur contrapaſſum reperitur: ciues enim ſinguli communium bonorum partem recipientes nihil priùs de ſuo contulerunt, quo partem illam reciperent.

Nec dicas diſtributionem ſpoliorum hoſtilium in milites ſeruata æqualitate geometrica eſſe proprium diſtributiuæ actum, & in eo contrapaſſum reperiri, quòd ex iis quilibet tantum recipiat, quàtum laboris in exercitu ſubiit, ſuóque illo labore condignè promeruit. Ne, inquam, id dicas: hoc enim ſi contingit aliquando, vt reipſa poſſet contingere, merè per accidens ad diſtributiuam iuſtitiam, diſtributionémq. quæ per eam fit, ſe habet: quia quod in ea per ſe ſpectatur, non eſt, vt de ſpoliis hoſtilibus quilibet tantum accipiat, quantum laboris ſubiit, & labore ſuo condignè meruit, ſed vt de iis vnus tantò plus quàm alius accipiat, quantò vel labore ſuo, vel alio titulo dignior eo eſt: in cuiuſmodi diſtributione ſi contrapaſſum per ſe reperiretur, toties reperiretur, quoties huiuſmodi diſtributio fieret, quod tamen non contingit, cùm quò minora ſunt ſpolia, pluréſque in quos diſtribuenda ſunt, eò minorem ſinguli partem accipiant, & contra, quò ampliora ſunt, paucioréſque ij in quos ſunt diuidenda, eò maiorem: qui tamen, ſiue hoc, ſiue illud contingat, non plus propterea minúſve laboris ſumpſerunt: quorum proinde ſingulorum labor illa diſtributione non ad æqualitatem compenſatur, ſed modò ſupra laboris meritum ac dignitatem, vt cùm ſpolia ampliſſima ſunt, modò infra, vt cùm pauca ſunt.

Iam verò quòd poſterius quoque D. Thomę dictum verum ſit, patet ex actu commutatiuæ iuſtitiæ, quo duæ res æqualis valoris, vt frumentum & pecunia inuicem commutantur: in eo enim omni actu reperitur iuſtum ſimpliciter, & contrapaſſum: illud quidem, quia perfectè æquale iuri alterius, alioqui iuſtitiæ actus non eſſet: iſtud verò, quia quantum vnus ab altero in emolumentum ſuum accipit, quantúmque proinde accipiendo infert damni quodammodo huic alteri, ipſe viciſſim rem aliam ſuam æqualis valoris eidem tribuendo, tantundem damni quodammodo in re illa ſua, cuius dominium amittit, patitur.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm hominis ad seipsum, inter patrem & filium, dominum & seruum, Rempublicam & ciuem, superiorem & subditum, virum & vxorem stricta iustitia intercedat?

SECTIO PRIMA.

Vnum asseritur, & probatur.

PRIMA assertio. Hominis ad seipsum non potest esse stricta iustitia. Ita Philosophus lib. 5. Ethic. cap. vltimo. D. Thom. supra quæst. 58. art. 2. & communiter omnes Theologi. Probatur primò ratione à priori, qua S. Doctor eo loco vsus est: quòd nimirum iustitia præsertimque stricte sumpta veram quandam ac propriam æqualitatem ex essentia sua constituat, sitque proinde ad alterum, cùm nihil sibi sit æquale proprie, sed duntaxat alteri.

Probatur secundò hoc argumento. Hominis ad seipsum non potest esse iniustitia stricte sumpta, ergo nec stricte sumpta iustitia. Consequentia patet, idem enim est subiectum contrariorum. Antecedens constat ex eo quòd posset alioquin homo veram & strictè sumptam inferre sibi iniuriam, sicut quia potest ipsius ad alterum esse illa iniustitia, hanc quoque alteri inferre iniuriam potest: at hoc non potest, tum quia volenti non fit iniuria, vt supra probauimus: si autem aliquam sibi inferret, non nisi volens inferret: tum quia eò ipso quò quis iniuriam patitur, vim aliquam patitur, homo autem à seipso vim pati non potest: vis enim tantùm est, cùm ab extrinseco infertur passio nihil conferente passo, ad quam sanè plurimùm conferret homo patiens, si à seipso per liberam suam voluntatem agente, & passionem inferente pateretur.

Sed hîc aduertenda sunt tria circa vsurpatam à D. Thoma cit. art. 2. propositionem, & communiter à Theologis receptam, qua iustitia dicitur esse ad alterum suppositò distinctum. Primum est, non propterea esse ad quemcunque alterum suppositò distinctum: tres enim inter diuinas Personas suppositò distinctas non intercedit stricta iustitia: imò nec inter Deum & hominem: patrem & filium, quà pater, & filius: dominum, & seruum, quà dominus, & seruus: cùm tamen inter eos etiam sic spectatos suppositorum distinctio sit. Secundum est, suppositi nomine intelligendum esse suppositum etiam incompletum, cuiusmodi sunt animæ rationales separatæ, contra quas per iniustitiam peccare ex rei natura tam homo quàm Angelus potest.

Tertium est, non ita necessariò iustitiam esse ad alterum suppositò siue completo, siue incompleto distinctum, quin aliquo in casu concipi meritò possit esse ad seipsum, nempe in eo in quo suppositum vnum duabus in naturis completis existeret, quarum quælibet per se iustitiæ capax esset: vt si quemadmodum humana Christi diuinaque natura vnica eius personalitate subsistunt, ita duæ vel humanæ vel Angelicæ naturæ, vel humana vna, & Angelica altera vnica personalitate subsisterent: vnicum enim illud suppositum in duabus huiusmodi naturis completis existens, quarum quælibet est per se iustitiæ & iniustitiæ capax, posset per naturam vnam iuste vel iniustè agere erga alteram, ac proinde erga seipsum, vt in hac natura existens. Vnde etiam ij qui Deum inter & hominem strictam intercedere posse iustitiam sentiunt, dicunt Christum reipsa per humanam naturam suam satisfeciisse ex iustitia Personæ Verbi diuini, ac proinde sibi, vt in diuina natura existenti.

Et sanè si suppositum illud de quo loquimur, per vnam naturam suam, huiusque naturæ liberam voluntatem, vt per Angelicam, de altera, vt de humana, sibi hypostatice vnita detraheret, aut si huic vulnera infligeret, peccaret haud dubiè eodem iniustitiæ peccato, quo si huic eidem naturæ non esset vnitum personaliter: & ratio à priori est, quòd istarum naturarum quælibet esset sui iuris, nec vna quidquam esset alterius, eo simili ve modo quo filius est aliquid patris, & seruus domini, haberétque proinde quælibet ius simpliciter, ne ab altera hoc aut illud inuita pateretur, quod per consequens si sic pateretur, veram ab ipsa contra iustitiam iniuriam acciperet: quod dum contingeret, vnum idémque suppositum sibi ipsi iniuriam inferre diceretur: quia sicut actiones à natura suppositi profectæ, sic & passiones in natura suppositi receptæ, suppositò tribuuntur.

Quod quamuis ita sit, meritò tamen Theologi negant absolutè hominis alteriusque suppositi posse esse iustitiam ad seipsum, quia de suppositò loquuntur existente naturaliter: quo modo dum existit, in vnica tantùm natura existit: per quam non est erga seipsum capax vel iustitiæ, vel iniustitiæ, vt euincunt argumenta quibus assertionem nostram probauimus.

SECTIO II.

Duo alia asseruntur, & probantur.

SECVNDA assertio. Inter patrem quà pater est, & filium quà filius, inter dominum quà dominus, & seruum, quà seruus: inter Rempublicam quà totum quoddam est, & ciuem, quà totius istius pars est, non intercedit stricta iustitia. Ita Theologi communiter post Aristotelem lib. 5. Ethic. cap. 6. & D. Thom. supra quæst. 57. art. 4. vbi quamuis de solo patre ac filio, domino ac seruo loquantur, quia tamen ratio qua nostram hanc de illis assertionem probant, idem euincit de Republica & ciue, eo quo dixi modo, spectatis, propterea idem de his, quod de illis assero, & eorum authoritate confirmo. Rationis autem qua vtuntur vis sic à me proponitur. Inter eos non potest esse stricta iustitia, inter quos non potest esse iustum simpliciter, cùm hoc iustum sit illius iustitiæ proprium opus, & obiectum, ex antedictis:

atqui inter prædictos eo quo dixi modo ſpectatos non poteſt eſſe iuſtum ſimpliciter.

Quod ſic oſtendo. Vbi non eſt ius ſimpliciter, ibi iuſtum ſimpliciter eſſe non poteſt: nam iuſtum ſimpliciter aliud nihil eſt quam perfectè æquale iuri ſimpliciter: vbi autem ius iſtud non eſt, ibi nihil perfectè æquale ipſi dari poteſt: atqui inter prædictos non eſt ius ſimpliciter: inter eos enim ius iſtud non eſt, quorum vnus non eſt perfectè alter ab alio: nam in eo ius iſtud à iure ſecundùm quid à Theologis omnibus diſtinguitur, quòd ius ſecundùm quid inter eos ſit, quorum vnus perfectè alter ab alio non eſt, ſed ſecundùm quid tantummodo: ius autèm ſimpliciter, inter eos ſolos, quorũ vnus perfectè alter ab alio eſt: ex prædictis autem eo ſemper quo dixi modo ſpectatis vnus ab alio alter perfectè non eſt: filius enim, quà filius, eſt aliquid patris, nempe pars ab eo deciſa, quod ait Ariſtoteles lib. 8. Ethic. cap. 12. vbi & addit, parentes diligere filios tanquam ſeipſos, quia cùm ex ipſis ſint orti, ſunt quaſi ipſi: ſeruus quoque, quà ſeruus, eſt aliquid domini, nempe animatum eius inſtrumentũ, & præterea quiddam de bonis ipſius, ex eodem Philoſopho, lib. 1. Politic. cap. 3. & 4. Ciuis denique, quà pars eſt, aliquid eſt Reipublicæ, vt hæc totum quoddam eſt, cùm pars vt pars ſit aliquid totius. Et ſanè cùm hominis nec ad ſeipſum, nec ad membra ſua ſit ſtricta iuſtitia, defectu perfectæ diſtinctionis ſeu alteritatis vel à ſeipſo, vel à membris ſuis, cùm defectus hic inter patrem & filium, dominum & ſeruum, Rempublicam & ciuem eo quo dixi modo ſpectatos intercedat, vt oſtendi, inter eos quoque ſtricta iuſtitia eſſe non poterit.

Hinc concludes, ea quæ debentur à patre vt pater eſt, filio, & à filio, vt filius eſt, patri: quæ item à domino vt dominus eſt ſeruo: & à Republica vt totum quoddam eſt, ciui, & vice verſa, non deberi ex iuſtitia: ſed ex alia virtute, vt pietate, obſeruantia, aut ſimili, nec proinde peccari contra iuſtitiam, ſed contra hanc aliam virtutem, quando hæc debita non perſoluuntur, aut quid contrarium ipſis admittitur.

Tertia aſſertio. Inter patrem & filium, dominum & ſeruum, Rempublicam & ciuem, non eo modo ſpectatos quo in ſuperiori aſſertione dictum eſt, ſtricta iuſtitia intercedit. Ita Theologi communiter. Probatur primò, inter illas perſonas intercedit hæc iuſtitia, quarum quælibet propria quædam bona ſic poſſidet, vt eorum dominium habeat, altera nullum in ea dominium habente: atqui quælibet perſonarum illarum propria quædam bona eo modo poſſidet. Maior conſtat ex eo quòd huiuſmodi perſonæ poſſunt ratione bonorum illorum ita ſibi propriorum celebrare inuicem contractus venditionis & emptionis, alióſque ſimiles, qui ſunt proprij iuſtitiæ ſtrictè ſumptæ actus, tum ex Philoſopho lib. 5. Ethic. cap. 2. dicente proprium huius iuſtitiæ munus eſſe conſtituere æqualitatem in commerciis, vt in emptione, locatione, & ſimilibus: tum quòd actus illi quibus æqualitas arithmetica ex iure ſimpliciter dicto debita conſtituitur, iuſtitiæ ſtrictè ſumptæ proprij actus ſunt: tales autem ſunt contractus inter illas perſonas initi de bonis eo quo dixi modo propriis: cùm enim hoc dominium ſit ius ſimpliciter, debitum in contractu conſtituendi æqualitatem arithmeticam quod ex eo neceſſariò oritur, vt diſput. 1. probauimus, non poteſt non eſſe debitum ortum ex iure ſimpliciter.

Minor probatione non indiget, quoad perſonas patris, domini, & ciuis: quamlibet enim ex iis habere dominium quorundam bonorum ſibi propriorum certo certius eſt: quòd autem Reſpublica propria ſibi quædam bona poſſideat, non in alios vſus quàm in communes vtilitates expendenda, in quibus, & ad quæ poſſidenda nullus in particulari ciuis ius habet, conſtat ex omnibus Rebuſpublicis, quarum quælibet ſuum ærarium habet, quod ita Reipublicæ proprium eſt, vt ſi quis in particulari ciuis illud furto ſpoliet, peccet haud dubiè contra iuſtitiam ſtrictè ſumptam. Quod autem & ſeruus habeat, aut habere propria quædam bona poſſit, dubium eſſe non debet: ſicut enim ex libera domini voluntate donari libertate poteſt, ſic & aliis externis bonis, quorum non minùs proprie dominus ſit, quàm ſuæ libertatis.

Quod denique etiam filius, conſtat tum ex eo quòd poſtquam eſt emancipatus, verus & proprius eſt bonorum ſuorum dominus: tum ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, quorum ita dominus eſt, vt nullum vel ad ea, vel in iis pater ius habeat: quorum etiam non minùs liberum vſum habet, quàm quiuis alius ſuorum, ídque vi conſtitutionum iuris ciuilis. Caſtrenſia autem bona appellantur, quæ militiæ titulo acquiruntur: quaſi caſtrenſia verò, quæ licet alio titulo acquirantur, vt liberali donatione Principis, aut pro ſtipendio publici alicuius officij, acquiruntur tamen eo modo, quo caſtrenſia, id eſt, cum pleno in ea dominio, liberrimaque iis vtendi ad arbitrium poteſtate.

Probo ſecundò hac altera ratione. Inter illas perſonas poteſt eſſe ſtricta iuſtitia, inter quas & iniuſtitia: idem enim eſt ſubiectum contrariorum: atqui hæc inter prædictas perſonas eſſe poteſt: quid enim, ſi Reſpublica ciuem aliquem ſuum nulla de cauſa, fortunis, aut vita ſpoliet? ſi ciuis ærarium publicum depræ detur? ſi dominus ſeruum ſuum bonis iis priuet, quorum dominium liberaliter ei conceſſit? ſi ſeruus domino vel famam, vel pecunias, vel vitam eripiat? ſi pater filio bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia? ſi ipſum interficiat? aut ſi filius etiam non emancipatus patrem vel fama, vel pecuniis, vel vita ſpoliet? non erit peccatum contra iuſtitiam ſtrictè ſumptam?

Reſpondent aliqui hæc filij in patrem peccata, & patris filium occidentis, non eſſe contra iuſtitiam, ſed pietatem. At in primis exiſtimo peccatum filij etiam non emancipati furto pecunias paternas ſurripientis non eſſe contra pietatem, ſed iuſtitiam, niſi forte per illud furtum patrem ad illam neceſſitatem adigeret, in qua ſi aliunde conſtitutus fuiſſet, obligaretur ei quà filius eſt ſuccurrere, & ni faceret, contra pietatem peccaret: ſed ſi furto ſuo ad illam ipſum neceſſitatem non adigat, dico peccatum

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

illud furti non videri mihi contra pietatem esse, ac proinde esse contra iustitiam, cùm nemo dubitet, quin contra istam sit, si contra illam non est.

Non enim mihi videtur filius, quâ præcisè filius, seu à patre genitus, obligari ad non surripiendas furto patris pecunias, sed ex eo solùm capite, quòd hæ pecuniæ alienæ sunt: quæ obligatio solius strictæ iustitiæ est: alioqui pari iure dici poterit illum ex priori illo capite obligari, ad ea omnia facienda, vel non facienda erga patrem, ad quæ certum est eundem ipsum aliquo ex capite obligationem habere: & vice versa patrem, ex eo etiam præcisè capite quòd pater est, obligari ad ea omnia præstanda, vel non præstanda filio, ad quæ certum est ipsum ex aliquo capite habere obligationem, sicque nullum à filio admitti posse vel omissionis vel commissionis contra patrem peccatum, nullum a patre contra filium, quod non sit semper contra pietatem, siue simul sit contra virtutẽ aliam, siue non: qua in re expresè nobiscum sentit Molina tract. 1. de Iustit. disput. 7. ad finem, hinc concludens filium non obligari in confessione dicere furtum factum fuisse patri, quòd peccatum hoc sit eiusdem speciei cum furto, quod factum aduersùs alium fuisset, quodque factum patri fuerit, non esse circunstantiam quæ culpam aggrauet.

Deinde dico prædicta peccata saltem aliqua non modò contra pietatem esse, sed etiam iustitiam. Ratio est, quòd sicut in patre duo sunt, duo item in filio: vnum, quòd hic & ille sit homo numero diuersus ab altero, vt & à quocunque alio: alterum, quòd ille sit genitor, hic genitus: ita duplex est vnius erga alterum obligatio: vna ex priori capite, altera ex posteriori promanans: & quidem patrem, ad non occidendum filium: & hunc, ad non occidendum patrem, ex posteriori capite obligari, fatentur omnes, hancque proinde occisionem, si committatur, fore peccatum cõtra pietatem. Quod autem ex priori ad id etiam obligentur, probo ex eo quòd tam necessariò hanc ad se se inuicem habent obligationem, quàm erga quemcunque alium, cùm hanc erga quemcunque alium non habeant, nisi quia quiuis alius homo est ab illis numero diuersus, illi autem sint homines inter se se non minus numero diuersi: quare sicut pater, aut filius quemcunque alium occidens peccat contra iustitiam, sic contra eandem peccabunt, si alter alterum interficiat.

Et sanè cùm cæteris omnibus vel re vel mente semotis, hoc solo supposito, quòd Petrus Paulo vitam eripiat sine legitima eripiendi potestate, intelligatur esse commissum peccatum homicidij, quæro cui repugnet virtuti hoc homicidium? Profectò iustitiæ: non enim pietati, cùm homicidium hoc nequeat contra pietatem esse, nisi præsupponatur Petrus occidens esse Pauli pater, & Paulus occisus Petri filius, aut vice versa: aut certè vnus cum alio habere communionem aliam & coniunctionem quàm eiusdem secundùm speciem humanæ naturæ.

SECTIO III.

Asseruntur alia duo, & probantur.

QVARTA assertio. Inter superiorem quâ superior est, & subditum quâ subditus, non intercedit stricta iustitia: inter eosdem tamen non sic spectatos intercedit. Hæc posterior pars apud omnes certa est: probatúrque duabus illis rationibus, quibus præcedens assertio probata est: constat enim vtramque superioris & subditi personam quædam sibi propria bona possidere posse, de quibus inuicem celebrare contractus emptionis, & alios possunt: vnam item per iniustitiam contra alteram posse peccare, reipsáque peccaturam, si vna alteri aut famam, aut pecuniam, aut vitam eripiat.

Priorem autem sic probo. Sicut inter patrem vt pater est, & filium vt filius, stricta iustitia non est, quia quod pater quâ pater debet filio, & vicissim quod filius quâ filius patri, non debet ex iustitia, sed alia ex virtute, vt pietate: vnde peccata tam omissionis quam commissionis quibus contra debitum hoc ab iis delinquitur, sunt opposita pietati, non iustitiæ: ita eandem ob causam superiorem inter & subditum eo quo dixi modo spectatos stricta iustitia esse non potest, quia quod superior quâ superior debet subdito, & subditus quâ subditus superiori, non debet ex iustitia, sed ex alia virtute: alioqui quidquid peccaret in subditum superior contra debitum quod habet quâ superior, & vice versa quidquid subditus in superiorem contra debitum quod habet quâ subditus est, esset peccatum contra iustitiam stricte sumptam: quod certissimè falsum est.

Oppones primò, superiorem quâ superior est habere potestatem iurisdictionis, seu præcipiendi subdito, ipsúmque puniendi: hanc autem esse verum aliquod ius, & ex iure oriri debitum iustitiæ: ex illa ergo potestate superioris oriri debitum iustitiæ in subdito, sicque inter hunc quâ subditus, & inter illum quâ superior intercedere strictam iustitiam. Respondeo in primis eodem argumento posse concludi, inter Deum & creaturam, patrem & filium, dominum & seruum, quâ tales sunt, strictam esse posse iustitiam: cùm dominus, pater, Deus, quâ tales sunt, potestatem habeant in seruum, filium, creaturam, quæ potestas verum ius est, ex quo pariter diceretur nasci debitum iustitiæ in creatura, seruo, filio, sícque inter has personas, quâ tales sunt, comparatas cum illis aliis personis, quâ sunt tales, strictam iustitiam posse intercedere.

Respondeo deinde non ex quolibet iure oriri debitu iustitiæ, sed ex illo solo quod est ius simpliciter, non verò tãtùm secundum quid: quale est ius quod habet superior in subditu quâ superior est: quod enim ex potestate superioris nascitur debitum in subdito quâ subditus est, debitum est obseruandi ipsum, ipsíq. obediẽdi: sicut autem obseruantia & obedientia non sunt species strictæ iustitiæ, sed eius partes solum potentiales, ita debitum ad has virtutes

pertinens ſtrictæ iuſtitiæ debitum non eſt.

Oppones ſecundò, præter debitum obſeruandi ſuperiorem, ipſique obediendi, naſci ex prædicta iuriſdictionis poteſtate aliud etiam debitum in ſubdito, nempe non impediendi per vim, quo minùs ſuperior illa ſua vtatur poteſtate, hócque debitum eſſe ſtrictæ iuſtitiæ, vt vel ex eo conſtat, quòd ſi ſubditus per vim vſum illius poteſtatis impediat, ſit haud dubiè contra hâc iuſtitiâ peccaturus. Sed reſpondeo, ſiue debitum iſtud ex iſta iuriſdictionis poteſtate naſcatur immediatè, ſiue mediatè tantùm, proximè autem ex quodam alio iure illam poteſtatem præſupponente, quo nimirum ſuperior ius habet, ne à quoquam in vſu illius ſuæ poteſtatis per vim impediatur: Reſpondeo, inquam, debitum iſtud, etſi ſit ſtrictæ iuſtitiæ, non euincere tamen, inter ſubditum quâ ſubditus eſt, & ſuperiorem quâ ſuperior, ſtrictam iuſtitiam eſſe poſſe: primo quia pari efficacitate euinceretur, inter patrem & filium, dominum & ſeruum, quâ tales ſunt, eandem iuſtitiam poſſe intercedere, quia etiam ex iure patris vt pater eſt, in filium, & domini vt dominus eſt, in ſeruum, naſcitur in filio, & ſeruo ſimile prorſus debitum, non impediêdi per vim, quo minùs illa ſua illi vtantur poteſtate.

Secundò, quia ſicut iſtud debitum, quod ex poteſtate patris & domini naſcitur in filio, & ſeruo, naſcitur ſimiliter in quibuſuis aliis perſonis, ita prædictum debitum, quod ex poteſtate ſuperioris oritur in ſubdito, ſimili etiam modo oritur in quibuſcunque aliis perſonis: quod argumento eſt, hoc debitum non oriri in eo præcisè quâ ſubditus eſt, alioquin in aliis non ſubditis non oriretur: & illud filij ac ſerui debitum non naſci in iis præcisè, quatenus hic ſeruus, ille filius eſt, alioquin in aliis nec filiis nec ſeruis non naſceretur: ſed & hoc, & illud debitum oriri in iis, quatenus ſunt quoad hoc perfectè alteri ab illis erga quos iſtud debitum habent.

Quòd ſi dicas filium, ſeruum, ſubditum, debitum illud de quo loquimur habere, non ex eo ſolùm capite, ex quo habent alij, qui non ſunt ſerui, filij, ſubditi, ſed ex eo etiam quòd filij, ſubditi, ſerui ſint: dicendum erit ex conſequenti, peccatum quod contra debitum illud fiet, fore duplex ſpecie peccatum: vnum ex priori capite contra iuſtitiam: alterum ex poſteriori contra pietatem, aut aliam ſimilem virtutem.

Oppones tertiò, ſubditum quâ ſubditus eſt, debere ſuperiori actum obedientiæ: hunc autem actum eſſe aliquando ſtrictæ iuſtitiæ, quia ſicut eſt actus modò temperantiæ, modò fortitudinis, modò alterius virtutis, prout res quæ præcepta eſt ad materiam huius aut illius, alteriuſve virtutis pertinet, contra quam peccatur, ſi non exerceatur ille actus, ita tum temporis eſt actus iuſtitiæ, cùm res præcepta ſpectat ad materiam huius virtutis: contra quam etiam peccabitur, ſi hic actus minimè exerceatur.

Verùm reſpondeo, cùm nullus externus ſtrictæ iuſtitiæ proprius actus eſſe poſſit, niſi ſit alteri debitus, nec poſſit intelligi ipſi debitus, niſi ſit in ipſo ius aliquod, ratione cuius ipſi ſit debitus, non poſſe per conſequens ſuperiorem per poteſtatem ſuam iuriſdictionis ponere in me debitum exercendi erga ſe, vel quempiam alium, ſtrictæ iuſtitiæ actum, quin per eandem naturâ priùs intelligatur dare vel ſibi, vel alteri ius aliquod, ratione cuius iſtud in me debitum oriatur: quod quidem fateor multis in caſibus ſuperiorem aliquem per illam ſuam iuriſdictionis poteſtatem facere licitè poſſe: ſed dum hoc facit, nec tamen fit actus iuſtitiæ quem imperauit, non peccatur per iniuſtitiam, niſi quatenus ius illud quod per iuriſdictionis poteſtatem vel in ſe vel in alium confert, violatur: quod ius, cùm non conueniat ſuperiori quâ ſuperior eſt, quandoquidem alteri non ſuperiori conferre illud æque ac ſibi poteſt, nec proinde debitum illud in me ex illo iure prouenies, proueniat in me ſubditum, quâ ſum ſubditus: ſequitur euidenter, etſi ratione iuris illius in ſuperiore exiſtentis, & iſtius in me debiti, ſtricta inter ipſum & me iuſtitia intercedat, non eſſe tamen conſequens, hanc intercedere inter ipſum & me, quatenus ipſe ſuperior eſt, ego ſubditus.

Quinta aſſertio. Inter virum & vxorem non modo ſpectatos abſolutè, ſed etiam ſub hac reduplicatione, quatenus ſunt vir, & vxor, ſtricta iuſtitia, quoad aliquos actus, eſſe poteſt: quoad quoſdam alios non poteſt. Aſſertionis tres ſunt partes. Prima facilè probatur iiſdem duobus argumentis, quibus aſſertionem tertiam probauimus: in primis enim ex his perſonis quælibet propria ſibi bona habere poteſt, de quibus inuicem celebrare contractus poſſunt: vir quidem, vt conſtat, vxor quoque ea ſaltem habere poteſt, quæ à Iuriſconſultis paraphernalia nuncupantur, quaſi diceres præter dotalia, quæ ſunt eius æquè propria, atque quiduis aliud proprium domini eſt. Deinde vna ex iiſdem perſonis erga alteram iniuſtè agere poteſt: nec enim dubitandum, quin iniuſtus ſit erga vxorem maritus, ſi quidpiam ex prædictis eius bonis furetur, ſi eam occidat: quin etiam ſit iniuſta vxor erga maritum, ſi eum occiderit, vt ex dictis illa tertia aſſertione conſtat.

Secunda pars ex eo probatur, quòd coniugalis actus iuſtitiæ ſtrictè ſumptæ actus eſt, vt pote vni coniugi ab altero ex hac iuſtitia debitus: quem tamen ſibi non debent quatenus ſunt vir & mulier, ſed præcisè quatenus ſunt coniuges: nec mirum quòd ex ſtricta iuſtitia hunc ſibi actum debeant, cùm vi matrimonij initi debeant, ac proinde vi contractus, quo quilibet alteri mutuam ſui corporis ad prædictum actum poteſtatem tradit: quod debitum tam neceſſariò eſt ſtrictæ iuſtitiæ, cùm ex legitimo contractu oriatur, quàm debitum quod habet venditor tradendi emptori rem quam vendidit, & viciſſim debitum quod habet emptor tradendi venditori rei emptæ pretium, iuſtitiæ ſtrictæ debitum eſt, eo quòd ex contractu illo naſcatur.

Nec dicas, iuſtitiam eſſe non poſſe niſi inter perſonas, quarum vna ab alia ſit perfectè altera, de coniugibus autem dici, Matth. 19. *Iam non ſunt duo, ſed vna caro*: cùm hac enim carnis vnitate, ſtat inter vtrumque coniugem ſufficientiſſima alteritas, vt quoad prætatum actu poſſit inter illos ſtricta iuſtitia intercedere: dicitur enim vna caro, quia caro vxoris cenſetur

eadem

eadem esse cum carne viri, seu quod idem est, cum viro, ob ius quod habet vir in carnem ipsius: & vicissim caro viri eadem cum carne vxoris, seu cum vxore, ob simile ius quod habet illa in carnem illius: quod vnitatis genus, tantum abest vt obsit strictæ iustitiæ, vt è contrario sit prorsus necessarium ad hoc, vt nimirum illud ius vtriusque coniugis sit ius strictæ iustitiæ, actúsque coniugalis non modò sit inter ipsos licitus, sed etiam vni ab altero ex ista iustitia debitus: sicut post celebratum venditionis emptionisque contractum, nondum facta per venditorem traditione rei venditæ, nec dum etiam persoluto ab emptore rei emptæ pretio, venditor & emptor sunt aliquo modo quid vnum, quatenus scilicet res vendita nondum tradita, quæ non est perfectè altera ab ipso venditore, cùm sit aliquid ipsius, est iam quodammodo res emptoris, propter ius quod ad illam rem habet: & vice versa pretium rei emptæ nec dum persolutum, quod non est quidpiam perfectè alterum ab ipso emptore, cum sit aliquid ipsius, est iam quodammodo res venditoris, propter ius quod hic ad istam rem etiam habet: quod vnitatis inter emptorem & venditorem genus necessarium prorsus est, vt ius vnius erga alterum sit ius strictæ iustitiæ, mutuáque rei venditæ ac pretij traditio sit vni ab altero debita ex stricta iustitia, sitque proinde verus huius iustitiæ actus, quando reipsa fiet.

I. A

II. B

Tertiæ demum partis veritas probatur ex Philosopho lib. 5 Ethic. cap. 6. & 1. Polit. cap. vltimo, & ex S. Thoma supra quæst. 57. art. 4. negantibus inter virum & vxorem ius politicum seu simpliciter dictum intercedere, sed tantum secùdùm quid, quod œconomicum appellatur, intercedere affirmatibus, nec proinde strictam iustitiam, sed œconomicam: quod si verum est, verum saltem esse debet de viro & vxore spectatis quatenus sunt coniuges, quoad aliquos actus, quos sibi sic spectati debeant, nec ex iure simpliciter seu stricta iustitia debeant, sed ex iure secundùm quid, & iustitia œconomica.

III. C

Probatur secundò eo quòd quilibet coniugum, quatenus coniux est, ius habet vt ab altero singulariter diligatur, & ad particularia quædam alterius erga se officia: & vir quidem, cùm sit caput mulieris, quam capitis rationem non haberet, nisi maritus eius esset, ius habet gubernandi familiam, & præcipiendi: vxor debitum in gubernatione familiæ se viro subdendi: hæc rursum ius habet, vt ab illo conuenienter alatur, vestiatur, gubernetur, vir debitum ista præstandi: quæ & similia iura debitáque mutua nascuntur in iis quatenus coniuges sunt: nec habent, quatenus ex eo præcise capite nascuntur, vt sint iura debitáque alterius iustitiæ quàm œconomicæ: vnde & peccata quæ contra illa fiunt, non alteri iustitiæ, quàm isti opponuntur.

IV. D

Restat hîc obseruandum, ius, quod secundùm quid dicitur, non ideo sic appellari, quòd sit imperfectius iure simpliciter dicto, & minorem minúsve strictam inferat obligationem: nam ius aliquod secundùm quid & perfectius eo est, & obligationem infert strictiorem: vt ius paternum quod pietas tanquam obiectum spectat, quæ quantò præstantior virtus est stricta iustitia, tantò ius illud iure simpliciter dicto præstantius est, tantóque strictiùs obligat: vnde & peccata quæ contra ius illud pietatémque fiunt, grauiora sunt, cæteris paribus, iis quæ contra ius simpliciter dictum, strictámque iustitiam committuntur. Dicitur ergo ius aliquod secundùm quid, eo quòd personæ illæ inter quas intercedit, quoad ea saltem, ratione quorum intercedit, non ita se habeant, vt vna sit simpliciter & perfectè altera ab alia, sed tantum secundùm quid.

V.

DISPVTATIO XIV.

Vtrùm inter Deum & hominem stricta iustitia esse possit?

SECTIO PRIMA.

Nonnulla præmittuntur.

VI.

PRIMVM est, quod de proposita quæstione definiemus, intelligendum quoque de Angelis, & quacunque alia creatura rationali, si supponeretur præter Angelicam & humanam, aliquam aliam esse posse: rationes enim quibus probabimus, nec Dei erga hominem, nec hominis erga Deum strictam iustitiam esse posse, idem euincent de Deo erga quamcunque creaturam rationalem, & de hac erga illum.

Secundum est, vt virtus aliqua, propriúsve alicuius virtutis affectus, & in genere vt perfectio aliqua, quæ reperitur formaliter in creaturis, Deo quoque formaliter tribuatur, ita esse tribuendam, vt absque vlla imperfectione tribuatur, cùm constet nullam in Deo imperfectionem formaliter esse posse. Ex quo sequitur euidenter, nullam perfectionem formaliter in creaturis existentem esse formaliter Deo tribuendam secundùm specificam illam naturam quam in creaturis existens obtinet: omnis enim illa perfectio sic spectata includit formaliter imperfectionem Deo repugnantem: nam est essentialiter quid creatum, & finitum: & si de virtutibus, earumque propriis affectibus sermo sit, sunt accidentia, cùm quidquid formaliter in Deo est, sit substantia, sit quid increatum, & infinitum.

VII.

Tertium, non esse propterea negandum inexistere Deo formaliter multas perfectiones, quæ formaliter in creaturis reperiuntur, his & illi proinde communes analogicè saltem secundùm aliquem gradum præcisum, secundùm quem de his & de illo, non eminenter, aut per metaphoram, sed proprie & formaliter prædicantur: alioqui nec intellectio, nec volitio, nec amor, nec sapientia, imò nec substantia Deo formaliter esset tribuenda, cùm hæc secundùm specificam quam in creaturis habent naturam, prædictas imperfectiones essentialiter includant.

VIII.

Quartum est, vt perfectio sic præcisa Deo

formaliter tribuatur, oportere perfectionem hanc secundùm essentiam sic præcisam nullam in se suáve formali ratione imperfectionem includere: si enim includit, Deo formaliter tribui non debet.

I. Dico in se suáve formali ratione: nam duobus modis potest aliqua perfectio includere A imperfectionem: primo sic vt imperfectio ipsi coniuncta non pertineat ad formalem eius rationem: secundo sic vt ad hanc quantumuis præcisam pertineat. Quando imperfectio priori tantùm modo pertinet, est nihilominus perfectio sic coniunctam habens imperfectionem Deo formaliter concedenda, secluſa tamen hac imperfectione, qua secluſa, adhuc meritò tribui Deo formaliter potest illa perfectio, cùm sublata huiusmodi imperfectione, non auferatur propterea formalis ratio illius perfectionis, quandoquidem imperfectio quæ tollitur, non pertinet ad eius formalem rationem, seu, quod idem est, non est ipsi coniuncta essentialiter. At quando posteriori modo

II. pertinet, non est Deo formaliter tribuenda illa perfectio sic includens imperfectionem, B quia cùm sit tribuenda sine imperfectione, ea autem ablata, auferatur formalis ratio illius perfectionis, quandoquidem ipsi coniuncta est essentialiter, sequitur euidenter illam Deo formaliter tribui non posse.

Dicitur autem imperfectio coniuncta essentialiter alicui perfectioni etiam præcisæ & abstractæ, quando vel ratione obiecti circa quod versatur hæc perfectio sic abstracta, vel aliquo alio ex capite, formalis eius ratio concipi, aut esse non potest, quin imperfectionem tam necessariò coniunctam habeat, vt vnum sine altero nec tolli, nec poni possit. Hinc est, quòd misericordiam, verbi causa, Deo formaliter tribuimus, iram minimè: licet enim illa

III. sit in nobis cum motu compassionis coniuncta, C quæ est imperfectio Deo repugnans, quia tamen imperfectio hæc ad formalem illius rationem non pertinet, in eo consistentem, quòd sit affectus subleuandæ miseriæ alienæ, propterea misericordiam semota ista imperfectione Deo formaliter concedimus.

At cùm ira duplicem includat imperfectionem, vnam in eo positam, quòd in nobis coniuncta sit cum feruore sanguinis circa cor, quæ ad eius formalem rationem non pertinet, alteram pertinentem ad hanc formalem eius rationem, quæ formalis ratio in hoc posita est, ex eiusdem definitione tradita à Philosopho libri primi de Ani. capite 1. text. 16. vt sit affectus doloris vicissim aduersario inferendi, qui affectus nec esse, nec concipi potest, quin concipiatur persona irascens accepisse dolorem, ac proinde capax

IV. doloris accipiendi, quæ est imperfectio Deo D repugnans: hinc est, quòd propter hanc imperfectionem, iram Deo formaliter tribuere non debemus, quam sic meritò ipsi tribueremus, si nullam aliam quàm priorem haberet: sicut enim motu compassionis semoto misericordiam ei formaliter concedimus, ita semota ista imperfectione iram formaliter concederemus.

Quintum est, cùm de virtute aliqua, proprióve eius affectu, aut qualibet alia perfectione quæritur, vtrùm insit Deo formaliter, nomine virtutis, aut affectus, aut perfectionis illius intelligendum id esse, quod Aristoteles, aliive periti in arte vel Philosophi, vel Theologi intellexerunt, propriam eius naturam nobis definitione explicantes: nam si relictis his communiter traditis & receptis rerum definitionibus permittitur nouas ad arbitrium fingere, vix vlla res erit, quam non possimus Deo formaliter tribuere, formaliterve negare: sic iram concedemus & discursum: nouam enim fingentes vtriusque definitionem, dicemus iræ formalem rationem totam in eo consistere, quòd sit affectus vlciscendæ iniuriæ illatæ, qui affectus in Deo formaliter est: dicemus item formalem discursus rationem in eo præcise non esse positam, vt sit cognitio vnius ex alio priùs cognito, nec proinde esse necessarium, duas vt minimum à parte rei diuersas interuenire in discursu cognitiones, sed in eo totam positam esse, vt sit cognitio vnius vel in, vel ex alio, sícque discursum Deo formaliter inesse, vtpote qui creaturas in se tanquam in medio cognito cognoscit, similitérque scientiam in eo formaliter esse negabimus: nomine enim scientiæ dicemus intelligi solam cognitionem certam & euidentem rei necessariæ partam per discursum, quod scientiæ genus certum est ei formaliter non inesse. V.

Sextum est, vt virtus aliqua, vel proprius eius affectus Deo formaliter tribuatur, non esse satis, quòd affectum aliquem circa virtutis illius proprium actum & obiectum concipere possit: hoc enim ad id si sufficeret, esset ipsi formaliter tribuenda Temperantia, Religio, Obedientia, & cæteræ virtutes, internique proprij earum omnium affectus, cùm certum sit ipsi placere proprios tam internos quàm externos harum

VII. ipsarum virtutum actus, quos vel homines, vel Angeli exercent. Requiritur ergo præterea, vt eundem saltem analogicè affectum concipere ipse possit, quem concipiunt homines, vel Angeli, quibus inest formaliter illa virtus, de qua, & de cuius proprio affectu quæritur, vtrùm Deo formaliter inexistat: cui proinde vt iustitiam strictè sumptam, propriumque eius affectum formaliter concedamus, videndum est, an quemadmodum homines, quibus hæc virtus inest formaliter, iaternum & efficacem affectum concipiunt, quo volunt seruare inter sese æqualitatem ex iure simpliciter dicto debitam, ita Deus eundem analogicè saltem concipere possit, quo velit inter se & nos eandem seruare æqualitatem.

VIII.

SECTIO II.

Dei erga hominem strictam iustitiam esse non posse, duobus argumentis probatur.

PRIMVM à priori istud est. Si non potest Deus esse homini debitor ex iure simpliciter dicto quod in homine sit, non est capax strictæ erga hominem iustitiæ. Atqui verum est prius. Igitur & posterius. Cõseq. Maioris patet ex eo quòd is solus capax est exercendę erga aliquem

strictæ iustitiæ, qui debitor ipsi esse potest ex iure simpliciter in ipso existente, cùm & ex dictis, & omnium consensu constet, iustitiam hanc ex essentia sua respicere debitum alteri, ratione iuris simpliciter dicti, quod in eo est, erga quem est debitum. Minorem probo. Is non potest esse debitor alteri ex iure simpliciter dicto, qui etsi supponeretur siue per possibile, siue per impossibile, non facere id cuius faciendi debitor esse dicitur, nullam tamen ei faceret, aut facere posset iniuriam: atqui Deus respectu hominis ita se habet: ergo non potest esse debitor homini ex iure simpliciter dicto, quod in homine sit. Maior huius syllogismi vera esse ex eo manifestè cernitur, quòd qui est alicuius rei faciendæ debitor alteri ex iure simpliciter, si vel per possibile, vel impossibile, supponatur non facere id cuius faciendi debitor est, necessariò intelligitur ei facere iniuriam cui debitor est: siquidem non faciendo intelligitur necessariò violare ius simpliciter dictum quod in eo est, iuris autem huius violatio aliud nihil quàm facta ipsi iniuria est.

I. A

II. Minorem eiusdem syllogismi probo ex absolutissimo infinitéque perfecto dominio quod habet Deus in res omnes: qui enim est absolutus alicuius rei dominus, is de re illa quomodocunque disponat, disponit sine cuiusquam iniuria: nam qui iure suo vtitur, nulli facit iniuriam, qui autem est absolutus alicuius rei dominus, quidquid demum de re illa faciat, iure suo vtitur. Cùm ergo Deus sit semper & necessariò absolutissimus rerum omnium dominus, quocunque modo supponatur, siue per possibile, siue per impossibile, de his disponens, nunquam intelligitur, aut intelligi potest cuiquam faciens, aut facere potens iniuriam. Ex quo concluditur, quòd si ipse iam supponeretur auferre beatis gratiam & gloriam quam dedit, eámque destruere, aut eam quam iustis hominibus se daturum promisit, nunquã daturus esset, intelligeretur quidem ex consequenti mendax, & infidelis in promissis, at non ipsis faciens iniuriam, cùm gratia hæc, & gloria, sicut & alia quælibet res creata, maneat semper sub absolutissimo eius dominio, ratione cuius habet, vt quidquid demum de ea faciat, sine cuiusquam faciat iniuria.

III. C

Et sanè cùm dominium in res omnes creatas sit ex certissima fidei doctrina Deo tribuendum, concedendum ei dominium est non imperfectum aliquod, sed perfectissimum, imò tam infinitum in ratione dominij, quàm eius cognitio, volitio, & quodlibet aliud attributum, infinitum est in ratione cognitionis, volitionis, & similis alterius attributi. Sicut ergo

IV. D

de ratione cognitionis infinitæ in ratione cognitionis, est, vt sit omnium rerum cognoscibilium non quidditatiua tantùm aut intuitiua, sed etiam comprehensiua cognitio: ita de ratione dominij infiniti in ratione dominij, est, vt sit ius disponendi de quacunque re, quocunque modo placuerit, sine cuiusquam iniuria: quod clarum est vel ex ipsis dominiis hominũ, qui quò sunt magis absoluti perfectique alicuius rei domini, eò plenius & liberius ius habent de ea pluribus in casibus disponendi pro arbitrio, sine aliorum iniuria.

Atque vt illud dominij iurisque genus quod Deo tribuimus, tribuendum reipsa esse certiùs constet, vtor in primis hac confirmatione, quòd omnis perfectio simpliciter simplex, seu nullam in formali suo conceptu imperfectionem includens, Deo formaliter concedenda est: tale autem est illud dominium & ius: primò, quia sicut ius disponendi de re aliqua aliquo in casu sine alicuius iniuria non nisi perfectionem sonat, ita ius disponendi de re qualibet, quouis modo, quouis in casu, sine cuiusquam iniuria, non aliud dicere quàm perfectionem potest: quod vel ex dominio in hominibus existente liquet, in quibus facultas siue ius disponendi de re aliqua sine aliorum iniuria laudi tribuitur, & excellentiæ, tantóque maiori, quantò ius istud amplius & liberius est: id est, quantò plura sunt de quibus ad arbitrium pluribus in casibus disponere possit absque vllius iniuria. V.

Secundò, quia si quam videtur imperfectionem includere, maximè ex eo capite, quòd excludat a Deo strictam iustitiam: at cùm hæc, si ipsi tribuatur, excludat ab ipso ius illud & dominium, sit autem multò maioris perfectionis hoc habere ius & dominium, quàm iustitiæ illius capacem esse, tantóque maioris, quantò præstabilius est vel ipsi homini ius habere de re sua disponendi sine cuiusquam iniuria, quàm eiusdem esse debitorem alteri: sequitur non esse negandum Deo ius illud & dominium, vt iustitia stricte sumpta ei concedatur, sed è contrario hanc ei esse negandam, vt ius illud in eo agnoscere & defendere valeamus. VI.

Vtor deinde hac altera confirmatione, quòd alioqui sequuturum sit, hominem alicuius rei magis esse dominum quàm sit ipse Deus: quod per se absurdum est. Cùm enim is sit magis dominus alicuius rei, qui eam sine vllius iniuria destruere funditus potest, quàm sit ille qui eam non nisi cùm alicuius iniuria potest destruere, homines iusti magis erunt domini gratiæ suæ sanctificantis, quàm sit Deus: quia ipse hanc in illis non poterit sine eorum iniuria destruere, nisi concedatur ipsi illud quod dixi ius & dominium: illi autem eandem poterunt sine facta cuiquam iniuria destruere, & reipsa cùm volent per mortale peccatum intemperantiæ, similisve vitij destruent, quo nullam vlli creaturæ iniuriam inferent, vt certum est, nullam quoque Deo, cùm vel nullo peccato mortali, vel saltem non quolibet inferatur ei iniuria strictæ iustitiæ oppositæ, vt ex sequenti sectione magis constabit, quolibet autem mortali peccato destruatur gratia sanctificans. VII.

Nec dicas, Deum libera sua voluntate priuare se potestate illa disponendi de gratia de qua loquimur, per liberam suam promissionem factam hominibus de ea ipsis danda, & conseruãda, idque satis esse, vt maneat semper magis dominus gratiæ promissæ, & datæ, quàm sint eius domini ij, quibus promissa & data est. Reuera enim id non est satis: nam Petrus, verbi causa, cui Rex mille aureos liberaliter promisit, & dedit, quique de iis disponere potest ad arbitrium sine vlla vel Regi, vel alteri facta VIII.

iniuria, magis est eorum dominus quàm sit ipse Rex, qui suppositâ promissione, & donatione facta, de iis ampliùs disponere non potest sine Petri iniuria: imò Petrus solus eorum absolutus dominus est, Rex nullo ampliùs modo.

I. Secundum item à priori argumentum hoc est. Stricta iustitia erga eum tantùm esse potest, qui perfectè alter est: atqui homo non est perfectè alter à Deo: ergo Dei erga hominem stricta iustitia esse non potest. Maior ex superiori disputatione, communíque tam Philosophorum quàm Theologorum consensu certa est. Minorem probo. Qui est aliquid Dei, non est perfectè alter à Deo: atqui homo est aliquid Dei. Maior huius syllogismi probatur tum exemplo filij, & serui, quorum ille non est perfectè alter à patre, iste à domino, quoniam ille est aliquid patris, iste, domini: tum hac ratione, quia nimirum id quod est aliquid alterius, in quantum est aliquid eius, in tantum habet vt sit quidpiam idem cum ipso, quod autem idem cum aliquo est, perfectè alterum ab ipso esse non potest. Minoris eiusdem syllogismi veritas

II. patet ex eo quòd nullus filius tam est aliquid patris, nullus seruus tam est aliquid domini, quàm quilibet homo, imò creatura quælibet est aliquid Dei: creatura enim quanta quanta est, tota Dei tanquam domini est, & quidquid in ea, vel ab ea est, totum etiam Dei tanquam domini est: nihil enim creatum est, aut esse potest, quod non sit in illo eius absolutissimo dominio, de quo superiori argumento sumus loquuti: quare sicut patris erga filium, domini erga seruum stricta iustitia esse non potest, ita nec potest esse Dei erga hominem.

Dices primò, nihil aliud hoc argumento euinci, quàm Dei erga hominem strictam esse non posse iustitiam in iis in quibus ipse non est perfectè alter ab illo, sicut & patris erga filium, & domini erga seruum in iis solis re-

III. bus esse non potest, in quibus nec ille perfectè alter à patre est, nec iste a domino. Sed respondeo, quemadmodum si nulla in re filius à patre, & à domino seruus posset esse perfectè alter, rectè sequeretur, patris erga filium, & domini erga seruum nunquam esse posse strictam iustitiam: ita cùm homo, & quælibet alia creatura nulla in re possit esse quidpiam perfectè alterum à Deo, rectè sequitur, Dei erga hominem, aut aliam creaturam, strictam iustitiam nunquam esse posse.

Quòd autem nulla in re possit homo, aut vlla alia creatura esse quid à Deo perfectè alterum, hinc facilè euinco, quòd creatura quælibet secundùm se totam, & quamcunque sui partem, ac quamlibet aliam rem suam, est ali-

IV. quid Dei, tanquam seruus domini, cùm Deus cuiuscunque rei creatæ sit magis dominus, quàm in humanis, homo est mancipij sui dominus. Vnde cùm ex certa, communitérque recepta Philosophi doctrina lib. 5. Ethic. cap. 6. nemo possit ad sua habere iustitiam, vel iniustitiam, ideóque non possit pater erga filium, quà filius est, & dominus erga seruum, quà seruus est, habere iustitiam, vel iniustitiam, quia filius quatenus filius non est suus, sed patris, & seruus quatenus seruus non est suus, sed domini, concluditur manifestè, nec posse Deum erga hominem, aut vllam aliam creaturam, habere iustitiam, vel iniustitiam, cum nulla creatura ita sit sua, quin multò magis tota sit Dei, tanquam domini: ad quam proinde si habere ipse posset iustitiam, ad nihil aliud quàm ad sua haberet.

A Dices secundò, etsi patris ad filium quatenus filius est, & domini ad seruum, quatenus seruus est, stricta iustitia esse non possit, posse nihilominus patrem filio, & dominum seruo, vel absolutè, vel sub conditione alicuius operis faciendi promittere, vel donare rem aliquam, ratione cuius rei vel promissæ, vel donatæ, stricta vnius ad alterum iustitia esse poterit: ergo similiter posse Deum vel absolutè, vel sub alicuius operis faciendi conditione promittere, vel donare quidpiam homini, vt reipsa dedit beatis gloriam, nobisque promisit sub conditione bonorum operum faciendorum, ratione cuius rei vel promissæ, vel donatæ, stricta illius erga hominem poterit esse iustitia. V.

Respondeo ad antecedens, patrem, & dominum duobus modis posse promittere, vel dare filio, vel seruo quidpiam. Primo, itavt

B quoad rem promissam aut donatam maneat ille in statu & conditione filij, iste in serui, seu, quod eodem recidit, vt promissio vel donatio fiat filio vt filius est, & seruo vt seruus est: quo modo pater dat filio paruulo vestem. Secundo, sic vt ea res illis promittatur, aut donetur, non vt filij aut serui rationem obtinent, sed vt homines sunt, capaces in quos alicuius rei dominium ab alio transferatur. Si primo modo fiat ipsis promissio, vel donatio, nego posse, ratione rei sic promissæ, vel donatæ, strictam esse patris ad filium, aut domini ad seruum iustitiam: hæc enim res post huiusmodi promissionem, & donationem, tam manet in absoluto patris aut domini dominio, quàm ante: vnde cùm nemo possit ad sua habere iustitiam, vel iniustitiam,

C non magis potest ratione huius rei esse patris ad filium, & domini ad seruum iustitia, post quam sic promissa & donata est, quàm antea. Vnde & sequitur, patrem si filio, & dominum si seruo rem promissam non dederit, aut iam datam eripuerit, nullam huic & illi facturum iniuriam, futurum quidem in promissis infidelem, at non iniustum. VI. VII.

Quòd si secundo modo facta fuerit, concedo ratione rei sic promissæ, vel datæ, posse esse patris ad filium, & domini ad seruum iustitia strictè sumptam: nec mirum, cùm quoad hanc rem filius & seruus sint tam perfectè alteri à patre, & domino, quàm à quouis alio homine, nec ista res ampliùs sit in dominio patris, aut domini, si iam donata est, sed in dominio solius filij, aut serui: vel certe si promissa est, nec dum data, non sit ampliùs in absoluto illo patris aut

D domini dominio, in quo ante promissionem erat, propter ius ad rem illam, quod illa promissione filius aut seruus comparauit, ratione cuius iuris non potest ampliùs disponere pater aut dominus ad arbitrium de re illa sine facta huic aut illi iniuria, cùm antea posset. VIII.

Hoc autem posteriori sensu concesso antecedente, nego consequentiam: ratio disparitatis manifesta est, quòd Deus nihil possit promittere, vel dare homini, nisi tanquá dominus

seruo, vt seruus est, & pater filio, cùm ipse sit semper necessariò absolutissimus rerum omniũ dominus, vi cuius dominij haber, vt quocunque modo de quacunq. re disponat, nulli facere possit iniuriam: sicut & pater, & dominus nullam ratione rei promissæ, vel datæ inferre filio vel seruo iniuriam possent, si nihil ipsis promittere, aut dare, nisi priori modo possent.

SECTIO III.

Hominis ad Deum strictam iustitiam esse non posse, duobus argumentis probatur.

PRIMVM est. Hominis erga Deum stricta iustitia esse non potest, si non potest esse iniustitia, seu iniuria, contra iustitiam stricte sumptam: atqui hæc esse non potest: ergo nec illa. Consequentia Maioris ex eo constat, quòd si non potest hominis erga Deum esse iniustitia, certum argumentum est, non esse in Deo ius illud simpliciter quod spectat stricta iustitia: nam si esset, ab homine profectò, vtpote peccabili, violari posset, sicque ab ipso inferri ei vera contra iustitiam strictam iniuria, cùm iuris illius violatio hæc ipsissima iniuria sit. Quòd si ius illud in eo non est, sanè nec stricta erga eum iustitia exercèri potest, cùm tota circa ius illud occupetur, seu circa æqualitatem cum iure illo constituendam, quæ æqualitas ibi impossibilis est, vbi ius illud non est. Qua maiori propositione sic à nobis probata, & ab aduersariis vltro concessa, Minorem ipsi negant, aiuntque Deo tam conuenire ius ad famam honorémque suum, quàm ad suum conueniat homini, tamque ius illud Dei esse ius simpliciter, quàm est istud hominis, nec minùs proinde inferri Deo veram & strictæ iustitiæ oppositam iniuriam, quando inhonoratur, quàm inferatur homini, cùm in honore suo per detractionem, vel alium similem modum læditur, vnde & sacrilegium & blasphemiam dicunt esse peccata, quibus iniuria Deo contra strictam iustitiam infertur.

Addunt præterea, sicut in hominibus admittenda est virtus aliqua, qua bene disponuntur ad famam & honorem proximi non lædendum, & postquam læsus est, reparandum, quæ quidem virtus stricta iustitia est, ita & in iisdem hominibus esse admittendam virtutem, qua bene disponantur ad non blasphemandum, ad sacrilegium non committendum, aliisve similibus modis Dei honorem non lædendum, & hanc quidem appellari communiter religionem, sed virtutem hanc esse strictam comparatione Dei iustitiam: admittendam item aliquam esse, qua bene disponantur ad satisfaciendum Deo pro iniuria per sacrilegium, per blasphemiam, aliúmve similem peccati actum illata, & hanc nominari quidem vulgò pœnitentiam, sed hanc pœnitentiæ virtutem esse veram & strictam respectu Dei iustitiam.

Contra quam doctrinam pro nostræ Minoris probatione, hoc in primis oppono, quòd si possit Deus accipere ab homine iniuriam, accipiátque reipsa, quando in honore suo quomodocunque læditur, sequitur, nullum esse peccatum, quod non sit iniustitiæ contra iustitiam strictè sumptam, cùm nullum sit quo non inhonoretur Deus, siue leuiter, siue grauiter. Ex quo sequetur etiam alterum non minus absurdum, & inauditum, nempe nullum posse committi contra Deum peccatum, quod non habeat duplicem specie malitiam, vnam iustitiæ stricte sumptæ, alteram virtuti alteri particulari repugnantem, vt temperantiæ, dum peccatur per ebrietatem, & ita de cæteris particularibus virtutibus à iustitia stricta diuersis: cõtra quas dum peccabitur, simul quoque malitia specie diuersa strictæ iustitiæ contraria contrahetur. Nisi forte dicant aduersarij, ipsam temperantiæ virtutem respectu quidem nostri, ac materiæ circa quam versatur, appellari temperantiam, sed respectu Dei esse essentialiter iustitiam aliquam strictè sumptam, quod per illam inclinemur ad non violandum ius illud quod habet Deus, ne per actus intemperantiæ à nobis inhonoretur: atque ita in peccato ebrietatis nõ fore duo peccata specie distincta, sed vnicum, vtpote vni virtuti oppositum, nempe temperantiæ, quæ essentialiter stricta aliqua iustitia est: & hoc vnicum peccatum fore essentialiter intemperantiæ ratione nostri, & materiæ circa quam committitur, & simul iniustitiæ stricte sumptæ, ratione iuris diuini quod violatur.

At cùm hoc de temperantia dici nequeat, quin pari iure similique prorsus modo dici possit de misericordia, fortitudine, cæterisque particularibus virtutibus, quis non videt, hinc in primis esse saltem consequens illud quod paulò ante dixi, nempe nullum posse committi peccatum, quod non sit strictæ iniustitiæ? Deinde quis etiam non videt, admittere quamlibet particularem virtutem esse veram aliquam strictam iustitiam, nihil aliud esse, quàm non modò tot iustitias strictas admittere, quot sunt particulares virtutes inter se specie diuersæ, quod nulli Theologo vnquam venit in mentem, sed etiam quam iustitiæ strictè sumptæ naturam à Philosophis hactenus & Theologis traditam, imò cæterarum quoque virtutum omnium, confundere penitus, & peruertere?

At forte dicet aliquis non sequuturum illud absurdum quod dixi, quia saltem in peccato furti, detractionis, homicidij, non reperietur nisi vnica malitiæ species, scilicet iniustitiæ contra iustitiam stricte sumptam. Sed respondeo in primis, quamuis ita res haberet, satis magnum absurdum fore, quòd saltem sequeretur, nullum contra temperantiam, fortitudinem, & quamlibet aliam particularem virtutem a iustitia stricta diuersam, posse committi peccatum, quin duplicem specie malitiam haberet. Deinde falsum est in illo furti, detractionis, homicidiique peccato non fore duplicem specie malitia: vna enim erit opposita illi strictæ iustitiæ quam homines inter se seruare debent: altera opposita alteri illi strictæ iustitiæ quam homo erga Deum seruare debet: quæ quidem non est eadem cum illa priore iustitia, sicut nec ius diuinum quod respicit eiusdem rationis est cum iure humano, quod ab eadem illa respicitur, sed est longè superioris ordinis: vnde etiam aduersarij virtutem hanc reli-

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

gionem appellant, quam nemo dubitat à prædicta illa iustitia specie esse diuersam.

Qui quidé quoniam dicturi sunt, non quodcunque peccatum quo Dei honor quomodocunque læditur, esse contra strictam iustitiam, sed quo certo tantùm modo læditur, vt per sacrilegium, & blasphemiam: sicut in humanis non quicunque modus quo læditur honor hominis, strictæ iustitiæ repugnat: toties enim legislatoris honor aliquo modo læditur, quoties lex eius violatur, quæcunque illa sit, & quacunque in materia versetur, nec tamen toties hæc violatio peccatum strictæ iniustitiæ est, sed certus tantùm modus quo læditur, vt per detractionem, contumeliam, propterea contra hanc illorum doctrinam, hoc secundo loco oppono, repugnare scilicet ipsos omnibus retro Theologis, cùm sacrilegium, & blasphemiam peccata esse dicunt contra iustitiam strictè sumptam. In illa quidem blasphemia quæ contra aliquam diuinæ fidei veritatem est, duplicem malitiæ speciem agnouerunt, vnam virtuti fidei, alteram religionis oppositam; in sacrilegio quoque vnam huic virtuti repugnantem: at vel in hoc vel in illo peccato esse aliquam strictæ iustitiæ contrariam, nunquam cogitauerunt. Nec dicas ipsam virtutem religionis esse iustitiam strictè sumptam, nam ex paulò pòst dicendis hoc falsum esse constabit.

Et quidem quod ad sacrilegium attinet, apertè repugnant S. Thomæ, qui ipsum inter peccata numerat religioni opposita, illi, inquam, religioni, de qua docuerat, ipsam non esse partem subiectiuam iustitiæ, sed potestatiuam dutaxat. Cùm enim hac 2. 2. quæst. 81. de religione disputare aggressus esset, eandémque superiori quæst. 80. sicut & pietatem, aliásque multas similes virtutes à subiectiuis iustitiæ partibus excluisset, & inter potentiales recensuisset, postquam eius tractationem absoluit, incepit à quęst. 92. de vitiis ipsi oppositis dicere, & 99. de sacrilegio tractauit, hinc manifestè duo significans contra relatam illam aduersariorum doctrinam: primum, in sacrilegio non esse repugnantem strictæ iustitię malitiam, quandoquidem est tantùm malitia repugnans illi religioni, quæ non est stricta iustitia: alterum, virtutem religionis non esse strictam iustitiam, quandoquidem non est eius subiectiua pars, sed tantùm potentialis. Cui D. Thomæ doctrinæ communiter à Theologis receptæ ne aduersarij repugnare viderentur, excogitarunt duplicem religionis virtutem: vnam, tribuentem cultum honoris Deo debitum per modum cuiusdam obseruantiæ: alteram, reddentem Deo quidquid est ipsi debitum ex iure simpliciter: & priorem quidem illam esse duntaxat potentialem iustitiæ partem, & de ea sola loquutum esse quęst. illa 80. S. Doctorem: at posteriorem hanc esse subiectiuam iustitiæ strictè sumptæ partem.

Verùm hîc etiam in duobus D. Thomæ cæterisque communiter scholasticis Doctoribus aduersantur. Primum in eo quòd sacrilegium vitium & peccatum esse dicunt huic posteriori religioni oppositum, quandoquidem dicunt esse contra strictam iustitiam, & iustitiam hanc non esse aliam, quam istam religionem, cùm tamen S. Thomas, vt vidimus, soli illi priori religioni oppositum esse agnouerit. Nec dicant esse vtrique oppositum, tum quia semper S. Doctori repugnant, qui soli illi priori putauit opponi: tum quia si vtrique opponitur, habet duplicem specie malitiam, vnam vni, alteram alteri distinctæ specie virtuti repugnantem. Secundò in eo quòd inuehunt duplicem religionis virtutem, cùm neque D. Thomas, neque vllus alius Theologus præter aduersarios qui recentissimi sunt, duplicis illius religionis vsquam meminerit: licet enim plerique cum S. Doctore Theologi virtutes pure morales eiusdem nominis duas agnoscant, vnam naturalem & acquisitam, alteram supernaturalem & infusam, nusquam tamen duas eiusdem nominis, quarum vtraque esset aut naturalis & acquisita, aut supernaturalis & infusa: cùm tamen aduersarij duplicem nobis intrudant religionem, & vtramque naturalem & acquisitam, quarum vna sit potestatiua solummodo iustitiæ pars, altera etiam subiectiua.

Postremò contra id quod dicunt, pœnitentiæ virtutem qua bene disponimur ad satisfaciendum Deo, strictam esse iustitiam, oppono in primis authoritatem S. Thomæ, 3. part. quæst. 85. art. 3. in quo diserte docet eam esse potestatiuam tantummodo iustitiæ partem: quam eius doctrinam amplexi sunt hactenus Theologi. Deinde ex illa eorum sententia est consequens, vt vel duas in nobis strictas erga Deum iustitias admittant, vel pœnitentiam cum virtute religionis confundant: si enim non confundunt, duas haud dubiè admittunt, religionem scilicet qua bene disponimur ad honorem Deo debitum ex iure simpliciter dicto non lædendum, & pœnitentiam, qua bene disponimur ad satisfaciẽdum postquam læsus est: quas duas admittere non modo nouum, sed etiam superfluum est, cùm eadem virtus strictæ iustitiæ, quæ bene disponit ad honorem alterius non lædendum, bene quoque disponat ad eum postquam læsus est, reparandum: vt vel ex ea quam inter se seruant homines, stricta iustitia patet, quæ vna specie & numero ad vtrumque simul & necessario disponit eum in quo est. Quod si confundunt, D. Thomæ repugnant, qui citata quæst. 85. art. 2. expresse docet eam esse specialem virtutem, distinctam à cæteris omnibus particularibus virtutibus: qui eãdem etiam nominatim à religione distinctam esse clarè significat in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 5. & distinct. 15. quæst. 4. artic. 7. quæstiuncula 2. ad 2.

Denique cùm vna quidem ex parte iustitia strictè sumpta non inclinet ad satisfactionem aliam, quam ad debitam pro illata contra iustitiam strictam iniuria, ex altera verò pœnitentiæ virtus inclinet ad satisfaciendum Deo pro quocunque peccato, sequitur euidenter, aut virtutem hanc non esse strictam iustitiam, aut in omni peccato esse veram aliquam iniuriam strictæ iustitiæ oppositam: imo nullum aliud esse peccatum formaliter, quàm iniustitiæ contra hanc iustitiam, cùm non inclinet illa virtus ad satisfactionem pro peccato alio, quam pro isto, inclinet autem ad satisfactionem pro omni, & quocunque peccato.

I. II. III. IV. A B C D V. VI. VII. VIII.

Secundum argumentum istud est. Si posset hominis erga Deum esse stricta iustitia & iniustitia, vt aduersarij docent, sequeretur, hominem obligari per se & ex natura rei post quodcunq. admissum peccatum, ad statim agendam de eo pœnitentiam, sícque Deo satisfaciendum. Consequens falsum est: igitur & antecedens. I. Consequentia Maioris probatur, eo quòd vna quidem ex parte in omni peccato reperietur iniuria facta Deo contra strictam iustitiam, qua in aliquo bono suo, vt in honore, lædetur, vt ex superiori argumento constat: ex altera verò, ex omni & qualibet huiusmodi illata iniuria oritur per se, & ex natura rei obligatio statim satisfaciendi, seu primo quoque tempore, quo possibilis est, in compensationem huius iniuriæ, satisfactio. Vnde est, quòd communi Theologorum consensu, qui de fama alterius iniuste detraxit, aut eius rem aliquam furto sustulit, ex iniusta illa actione obligatur statim per restitutionem famæ, aut ablatæ rei satisfacere, & nisi faciat quamprimum potest, vel nouo, vel eodem quidem numero, sed continuato II. peccato actuali peccat.

Et quamuis non in omni peccato contra Deum admisso reperiretur aliqua illata ipsi contra iustitiam strictam iniuria, nec proinde ex quolibet nasceretur hæc statim satisfaciendi per pœnitentiam obligatio, quia tamen iuxta expressam aduersariorum doctrinam, hæc iniuriæ ratio in sacrilegio, blasphemia, similibúsque aliis peccatis reperitur, saltem ex iis admissis oriretur in homine obligatio illa statim de iis agendi pœnitentiam, sícque Deo satisfaciendi: quod tamen, vt in minori nostra propositione dicimus, falsum est: cuius veritatem ex eo facile euinco, quòd alioqui cùm post quodlibet peccatum admissum sit, cuique possibile per diuinæ gratiæ auxilium, quod nulli deest, statim de peccato pœnitentiam agere, III. Deóque satisfacere, is qui per peccatum suum iniuriam de qua loquimur ipsi intulisset, nisi statim de eo pœnitentiam ageret, sícque Deo satisfaceret, actuale peccatum admitteret, vel nouum, numeróque diuersum à præcedente, vel idem quidem numero, sed continuatum: quod falsum est, cùm ex certissima Theologorum doctrina, post sacrilegium, blasphemiam, similiáque peccata, imò post quælibet alia commissa, possit sine peccato vllo per longum tempus nullam prorsus agere de iis pœnitentiam: satisfaciátque plene toti quam habet de agenda pro iis pœnitentia obligationi, dum præcepto confessionis annuæ satisfacit.

SECTIO IV.

IV. *Deum inter & hominem iustitiam commutatiuam non intercedere probatur.*

DE hac iustitia hoc probo duobus argumentis: quorum primum ducitur ex authoritate tum S. Doctoris, tum Scholasticorum: illius quidem clarissimè prima parte qu. 21. artic. 1. cuius in corpore postquam dixit, duplicem esse iustitiæ speciem, vnam in mutua datione & acceptione consistentem, hancque à Philosopho lib. 3. Ethicor. vocari commutatiuam, seu directiuam commutationum, subiungit immediatè verba hæc: *Et hæc non competit Deo.* Horum verò, quoniam hæc tam communis & constans inter eos fuit hactenus sententia, vt Vasquez disputat. 85. in citatam quæst. A V. cap. 2. dicat, nullum Scholasticorum ex iis qui ante nostra tempora scripta sua in lucem ediderint extitisse, qui commutatiuam iustitiam Deo tribuendam esse docuerit: ex his autem qui quæstionis huius, vtrùm esset tribuenda, mentionem fecerunt, repertum fuisse neminem, qui si negantem partem non sit amplexus: quamplurimos autem qui mentionem eius fecerint, citato cap. refert, in quo etiam nonnulla profert, & accuratè expendit eorum testimonia, quæ pro sua aduersarij opinione allegare possent, pulchrè ostendens illa nihil huic ipsorum opinioni fauere.

Neque vero ipsi illorum omnium authoritate se expediunt, dum dicunt, illos iustitiam commutatiuam Deo negantes loqui solùm de B commutatiua humana, seu coniuncta cum iis VI. imperfectionibus, cum quibus in creaturis reperitur: recte enim idem Vasquez ad finem citati cap. 2. hoc effugium vanum & inutile ostendit esse: primùm eo quòd multi ex Scholasticis illis Doctoribus, commutatiuam Deo negantes, distributiuam ipsi tribuunt, & cùm de vtraque in genere, seu absque additamento, *humana*, loquantur, eo prorsus modo quo hanc tribuunt, illam negant: atqui hanc non tribuunt cum iis imperfectionibus, cum quibus in creaturis reperitur.

Deinde quia si propter imperfectionem quam habet commutatiua iustitia in creaturis existens, disputantibus, vtrùm insit Deo, an non, liceret absolutè & in genere negare ei iustitiam hanc, pari iure liceret, intellectum, voluntatem, cæteráque attributa Deo creaturisque communia negare eidem ipsi absolutè & C VII. in genere: quod tamen nec licet, nec Theologi faciunt: quin imò cùm nonobstante hac, quam in creaturis habent hæc attributa, imperfectione, ea nihilominus absolutè & in genere Deo concedant, ei autem negent commutatiuam iustitiam æquè absolutè ac in genere, quo illa ipsi tribuunt, certissimo argumento est, eos in ista iustitia etiam absolutè & in genere spectata reperire aliquid imperfectionis, ratione cuius eam ipsi negant, quod in illis aliis attributis etiam absolutè & in genere spectatis non reperiunt: quæ sit autem ista imperfectio iustitiæ commutatiuæ absolutè & in genere spectatæ coniuncta essentialiter, aperiet sequens argumentum, quod rationem continet, quam sic propono. D VIII.

Inter illas personas non potest esse commutatiua iustitia, inter quas iustum commutatiuum constitui non potest: atqui iustum hoc Deum inter & hominem constitui non potest. Maior certissima est: cùm enim iustum commutatiuum sit proprium opus & obiectum cómutatiuæ iustitiæ, vt commutatiua est, sicut & iustum simpliciter in genere spectatum est proprium opus & obiectum strictæ iustitiæ in genere spectatæ, sanè quemadmodum inter eas

personas esse non potest stricta iustitia in genere, inter quas non potest constitui in genere iustum simpliciter, ita nec inter illas esse poterit commutatiua iustitia, inter quas iustum commutatiuum constitui non poterit. Minorem probabo duobus mediis, vbi præmisero,

I. iustum commutatiuum illud esse, quod in commutationibus reperitur: proprie autem & perfecte commutationem tunc esse, cùm vna res pro altera datur, & accipitur: vnde sectionis huius initio audiuimus D. Thomam dicentem commutatiuam iustitiam in mutua datione & acceptione consistere. Quo præmisso,

Primum medium istud est. Inter illas personas iustum cõmutatiuum constitui non potest, quarum vna nõ potest abdicare à se dominium rei quam dat, pro ea quã accipit: atqui Deus eiusmodi persona est: ergo inter ipsum & hominẽ iustũ cõmutatiuum constitui non potest. Minor est certissima, & ex ante dictis, & consensu etiã aduersariorum: Deus enim semper & necessariò est absolutissimus rerũ omnium dominus.

II. Maioris veritatem ostendo primùm authoritate Philosophi lib. 5. Ethicor. cap. 5. dicentis ad prædictam commutationem pertinere repassionem, in eo consistentem, quod qui aliquid ab alio accipit, retribuendo rem aliam valoris eiusdem, tantundem damni patitur abdicando à se dominium rei illius quam retribuit, quantum passus est ille alius à quo aliquid accepit.

Ostendo deinde ex natura mutuæ illius acceptionis & dationis, quæ commutatiuæ iustitiæ actus est: quis enim illam acceptionem & dationem mutuam dixerit esse actum strictæ iustitiæ, qualis cõmutatiua est, in qua qui dat, ita dat, vt dando retineat illud quod dat, tãquam suum, & æque suum, atque antequam daret? & in qua qui accipit, nihil accipit quod suum non sit? quis patrem dantem filio vestem, aut

III. dominum seruo, pro honore vel obsequio sibi ab eo præstito, ita autem dantem, vt data vestis tam sit in dominio patris, aut domini, postquam data est, quàm antequam daretur, existimet exercere actum commutatiuæ iustitiæ? aut quis non multò minus id existimabit, si supponamus hunc aut illum dare prædicto modo vestem, filium autem aut seruum pro accepta veste persoluere æquale in pecunia pretium, sed de illa ipsa pecunia, quæ sit patris, aut domini? Deus autem quidquid homini retribuit, ita retribuit, vt semper maneat absolutissimus eius dominus: & quidquid ab alio accipit, tanquam suum ab eo accipit, cùm quidquid creatum est, multò perfectius ipsius, quàm vllius creaturæ sit. Quæ omnia satis ostendunt,

IV. ad commutationem illam quæ proprius commutatiuæ iustitiæ actus est, esse necessarium, vt quod datur, transeat in dominium eius cui datur, cùm antea in eius dominio non esset, & quod retribuitur, desinat in eius esse dominio qui retribuit, cùm antea esset.

Secundum medium istud est. Inter eas personas non potest iustum commutatiuum constitui, quarum vel vna, vel vtraque talis est, vt capax non sit accipiendi commodi, & damni: Atqui Deus huiusmodi est. Maior probatur in primis ex Philosopho lib. 5. Ethicor. cap. 4. docente fusè iustum, quod est commutatiuæ iustitiæ proprium, esse medium inter plus & minus, id est, vt ipse explicat, inter lucrum & damnum, sæpiúsque concludente, iustum hoc in lucri damníque medio ac moderatione seu

A æqualitate cõsistere: & capite sequenti, dicente, V. iustum commutatiuum & contrapassum idem esse, contrapassione hac in eo quod paulò antè dixi, consistente: vnde quàm impossibile est inter eas personas reperiri contrapassum, hoc est, illud lucri damníque medium, quarum vel vna vel vtraque capax non est accipiendi lucrum, damnúmque patiendi, tam est impossibile inter eas constitui iustum commutatiuum.

Probatur secundò eadem Maior ex eo quòd omnes facilè intelligunt, inter patrem dantem filio vestem, eiúsque dominium penes se semper retinentem, & inter filium de paterna pecunia æquale pretium persoluentem patri, non intercedere iustum commutatiuũm, ex eo præ-

B cisè capite, quòd huiusmodi mutua donatione VI. pater neque damni quidquam, neque lucri accipit: qui etiamsi vestis donatæ dominiũ transferret in filium, ac proinde damnum aliquod pateretur, quia tamen ex prædicto quod accipit pretio, nihil lucri faceret, hinc præcisè intelligeremus, nullum ibi iustum commutatiuũ interuenire. Minorem probo primò ex his Scripturæ verbis, Iob 22. *Quid prodest Deo, si iustus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* & 35. *Si peccaueris, quid nocebis ei? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iustitia tua.*

Secundò hac ratione naturali, qua certum

C est, Deum seipso summè beatum esse, sibíque VII. sufficientissimum, cui sicut beatitudinis, ita nec vllius boni ipsi vtilis fieri proprie potest accessio, aut decessio, in cuius proinde commodum aut damnum nihil proprie loquendo cedere potest. Vnde quòd peccator ei satisfacere pro peccato teneatur, non oritur ex incommodo vel damno, quo peccando ipsum affecerit, vel ex commodo, quo per satisfactionem ipsum afficere debeat, aut possit, sed ex alio capite, quod 3. parte, vbi de pœnitentia agetur, à nobis explicabitur.

At respondent aduersarij primò, ad rationem solius iusti commutatiui quod inter homines seruatur, pertinere imperfectiones illas, quas vtroque nostro medio declarauimus, non verò etiam ad rationem iusti commutatiui absolutè & in genere, nullam vt sic ĩperfectio-

D nem includentis. Verùm si Doctores omnes VIII. Scholastici, quorum primo nostro in argumẽto mentionem fecimus, id existimassent, disputantes in genere & absolutè, Vtrùm commutatiua iustitia Deo insit, negare omnes absolutè & in genere non debuissent, sed è contrariò affirmare, sicut affirmant de intellectu, voluntate, aliisque eiusmodi attributis: vnde cùm negauerint ob imperfectiones illas quas secundo nostro argumento prosequuti sumus, certum indicium est, eos existimasse huic iustitiæ abso-

iuxtè & in genere ſpectatæ, quantum in genere ſpectari poteſt, conuenire, verſari erga iuſtum commutatiuum, quod prædictas habet imperfectiones.

Reſpondent ſecundò, etiam inter homines poſſe reperiri iuſtum commutatiuum, ſine dantis vtilitate & commodo, vt cùm quis dat alicui pecunias, vt alium occidat, vel alia in re ſuæ voluntati obſequatur. Verùm hoc onus occidendi, & voluntati obſequendi, eſt haud dubiè quidpiam pretio æſtimabile, ratione commodi quod ex natura rei prouenire poteſt in dantem, ex actu occidentis, aut obſequentis: quòd ſi nullū ex eō actu prouenire poſſe commodum in ipſum dantem ſupponeretur, illa pecuniarum donatio vel gratitudinis, vel alterius ſimilis virtutis eſſe poſſet, non poſſet autem eſſe iuſtitiæ commutatiuæ, de qua hactenus.

I.

SECTIO V.

Idem de diſtributiua probatur.

II. DE diſtributiua verò, licet ſatis multi, grauesque Theologi, quos citat Vaſquez prima parte diſputat. 86. cap. 1. ſenſerint eam formaliter ineſſe Deo, contrarium tamen cum multis aliis magnique nominis quos ſequenti cap. refert, defendemus, & duobus argumentis probabimus. Primum ducitur ex authoritate S. Doctoris, quiquidem in 2. diſtinct. 27. artic. 3. & lib. 1. contra Gentes cap. 93. docuit iuſtitiam diſtributiuam formaliter inexiſtere Deo, ſed opinionem hanc in Summa retractauit, vt obſeruat Capreol. citata diſtinct. quæſt. 1. artic. 3. ad 1. contra 14. concluſionem. Nam 1. 2. quæſt. 114. art. 1. docuit inter Deum & hominem non poſſe eſſe iuſtum ſimpliciter: quod falſum eſſet, ſi inter hunc & illum poſſet eſſe diſtributiua iuſtitia, cùm hæc ſit iuſtitia ſimpliciter. III. Deinde hac 2. 2. quæſt. 61. art. 4. ad 1. expreſsè dixit, Deum nec in remuneratione bonorum, nec in punitione malorum ſeruare iuſtitiam diſtributiuam, imò nec modum, ſimilitudinémve huius iuſtitiæ, cùm tamen omnes qui hanc in Deo iuſtitiam agnoſcunt, non niſi ex hoc, vel ex illo actu agnoſcant.

Nec refert, quòd prima parte quæſt. 21. artic. 1. poſtquam commutatiuam ipſi negauit, diſtributiuam conceſſit: non enim hanc formaliter, ſed huius tantùm ſimilitudinem conceſſiſſe videtur, quia non aliam conceſſit, quàm ſimilem ei quæ eſt in gubernatore, & patrefamilias, familiam, multitudinémque cui præeſt conuenienter regente: virtus autem qua hoc gubernator aut paterfamilias facit, non eſt diſtributiua iuſtitia formaliter, & ſtrictè ſumpta, ſed alia quandam habens cum ea ſimilitudinem. IV. Quòd autem non aliam conceſſerit, patet ex his eius verbis, quibus ſolis toto illius primi articuli corpore diſtributiuam iuſtitiam Deo videtur concedere: *Sicut ergo ordo congruus familiæ, vel cuiuſcunque multitudinis gubernatæ, demonſtrat huiuſmodi iuſtitiam* (nempe diſtributiuam in gubernante) *ita ordo vniuerſi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quàm in rebus voluntariis, demonſtrat Dei iuſtitiam. Vnde dicit Dionyſius cap. 8. de Diu. Nom. Oportet videre in hoc veram Dei iuſtitiam, quod omnibus tribuit propria, ſecundùm vnuſcuiuſque exiſtentium dignitatem, & vniuſcuiuſque naturam in proprio ſaluat ordine & virtute.*

Quibus ex verbis patet, non ſolùm id quod dixi, ſed hoc quoque, nempe S. Doctorem cum D. Dionyſio agnoſcere in Deo iuſtitiam A diſtributiuam ex ordine vniuerſi apparente in rebus ipſis etiam naturalibus rationis & libertatis expertibus, tanquam ex actu ad iuſtitiam illam pertinente: quem profectò ordinem in rebus iis conſtitutum, tam impoſſibile eſt ab illis fuiſſe exiſtimatum verum & proprium actū diſtributiuæ iuſtitiæ ſtrictè ſumptæ, quàm clarum eſt, eſſe impoſſibile aliquam a Deo vel ab vllo alio exerceri erga huiuſmodi creaturas iuſtitiam ſtrictam, qualis eſt diſtributiua illa, quæ commutatiuæ tanquam altera ſpecies adiungitur. V.

Secundum argumentum ſic propono. In Deo nullus agnoſcendus eſt actus diſtributiuæ iuſtitiæ: ergo neque hæc ipſa iuſtitia. Conſequentiam aduerſarij vltrò concedunt, cùm iuſtitiam hanc in Deo non agnoſcant, niſi ex B actu aliquo huic ipſi proprio, quem ſe in eo dicunt agnoſcere, & verò concedere omnes debent, cùm nullus in Deo debeat virtutem vllam ponere, cuius nullum in eo proprium actum poteſt reperire. Probatur antecedens: ſi quis enim in ipſo huiuſmodi actus agnoſcendus eſt, is præſertim, quo aut creaturis proprias ſuas naturales perfectiones, aut præmia bonis, aut ſupplicia malis diſtribuit: atqui nullus iſtorum actuum tanquam proprius diſtributiuæ iuſtitiæ actus agnoſcendus eſt. Maiorem concedunt ipſi aduerſarij, quorum nullus eſt, qui non propter aliquem iſtorum actuum diſtributiuam iuſtitiam Deo formaliter ineſſe doceat: ex quibus etiam aliqui hanc ei concedunt, tam propter ſuppliciorum in malos, quàm præmio- VII. rum in bonos diſtributionem, vt Richardus in C 4. diſtinct. 46. artic. 1. quæſt. 1. & Caietanus hac 2. 2. ad artic. 4. quæſt. 61. & prima parte ad artic. 1. quæſt. 21. alij verò nonnulli propter hanc ſolam præmiorum diſtributionem, vt Sotus lib. 3. de Iuſtitia quæſt. 5. artic. vltimo ad 1. & lib. 3. de natura & gratia c. 7. Minorem probo, primò quidem quoad iſtam vel ſuppliciorum vel præmiorum diſtributionem, expreſſa Diui Thomæ ſententia eſt citato artic. 4. quæſtionis huius 61. cuius in explicatione verſamur, Deum in ea facienda ne modum quidem ſeu ſimilitudinē diſtributiuæ iuſtitiæ ſeruare, vt paulò ante retuli: quoad verò naturalium perfectionū factam in creaturas diſtributionem, certiſſimum eſſe debet, hanc non eſſe proprium diſtributiuæ iuſtitiæ actum: tum quia nulla diſtributio cenſeri debet proprius huius iuſtitiæ actus, quæ nō D VIII. ſit debita ex hac iuſtitia, vt conſtat ex ante dictis ſæpiùs: quod autem habuit Deus ex iuſtitia alióve capite debitum condendi creaturas, ac propriam cuique perfectionem elargiendi: tum quia non alio modo creaturis ratione prædictis inter ſe collatis diſtribuit Deus perfectiones naturales, quas cuiuſque natura per ſe poſtulat, quàm creaturis rationis expertibus inter ſeſe comparatis: ſicut enim hanc illi creaturæ rationali perfectionem tribuit, quia illam

naturâ ſuâ deſiderat, aliam alteri, quia naturâ ſuâ iſtam aliam poſtulat, ita ob eandem cauſam, hanc vni creaturæ rationis experti perfectionem, aliam alteri tribuit. Vnde non magis exiſtimandum eſt, diſtributionem illam naturalium perfectionum factam creaturis ratione prædictis eſſe proprium actum iuſtitiæ I. A diſtributiuæ, quàm ſit ea quæ facta eſt creaturis rationis expertibus: hanc autem tam certum eſt non eſſe proprium huius iuſtitiæ actum, quàm exploratum eſt, erga creaturas iſtas neque a Deo, neque ab alio iſtam poſſe exerceri iuſtitiam.

Deinde eandem Minorem probo hoc argumento. Ille ſolus eſt actus diſtributiuæ iuſtitiæ, quo primariò & per ſe ſeruatur æqualitas geometrica, vt conſtat ex diſput. 11. ſect. 2. & 3. atqui neq. in prædicta naturalium perfectionum, neque in illa præmiorum, vel ſupplicium diſtributione, ſeruatur primò & per ſe æqualitas geometrica: hæc enim tum ſolum ſeruatur, cùm quod cuique tribuitur, ita tribuitur, vt ipſi tribuatur non ſeorſim ac ſolitarie II. B à cæteris, quibus etiam diſtributio fit, ſpectato, ſed contra cum ipſis comparato, conſideratoque proportione eius quam cum ipſis comparatus obtinet dignitatis, itavt quantum accipit, non acciperet, niſi comparatio iſta præceſſiſſet: at Deus naturales perfectiones creaturis, præmia bonis, pœnaſque malis diſtribuens, non ita ſe gerit. Et quidem quod ad illas perfectiones attinet, ideo cuique ſuam perfectionem tribuit, quia cuiuſque natura per ſe ſeorſim ſpectata talem perfectionem exigit: vnde cùm dat homini intellectum, & rectum corpus, non habet in dandis his ipſi perfectionibus rationem aliquam creaturarum, ſiue ſuperiorum homine, ſiue inferiorum, nec perfectionum quæ eis erunt tribuendæ, ſed eas illi dat, quia illius natura ſecundùm III. C ſe ſeorſim ab aliis omnibus creaturis conſiderata illas poſtulat.

Quòd autem ſpectat ad pœnas, & præmia, ita quoque tam hæc quàm illas decernit, vt dum vni decernit vel pœnam, vel præmium, nullam aliorum rationem habeat, ſed conſideret tantùm, quid iſte vnus ſecundùm ſe ſolitarie ſpectatus præmij vel pœnæ meruerit: quo fit, vt neque maius neque minus præmium, aut ſupplicium ipſi decernat, ſiue plures, ſiue pauciores afficiendi ſint, vel præmio, vel ſupplicio: imò vt perinde decernat, atque ſi ipſe ſolus vel puniendus eſſet, vel remunerandus. Quod multis Scripturæ teſtimoniis efficaciter confirmatur, hiſque nominatim, ad Rom. 2. *Reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* 2. Corint. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante* IV. D *tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Apocal. 18. *Quantum ſe glorificauit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

Nec refert quod in facta per Deum præmiorum bonis, & ſuppliciorum improbis ſolutione reperietur æqualitas geometrica, quia quanto quiſque dignior alio vel pœna vel præmio ſorte, tanto quoque maiori, quàm ille alius afficietur. Secundariè enim & mere per accidens reſultabit, non ſecus atque dum debitor multis ſuis creditoribus ſummas inæquales debens, ſingulis totam quam debet ſoluit, ex qua ſolutione reſultat geometrica æqualitas, cùm qua proportione ſe habuit debitum vni, ad debitum alteri, ita ſolutio ad ſolutionem, ſed reſultat mere per accidens, nec ex ſolutione, quæ fuerit proprius diſtributiuæ iuſtitiæ actus, V. ſed ſolius commutatiuæ, vt Theologi omnes conſentiunt.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta quibus in genere Deum eſſe capacem ſtrictæ iuſtitiæ probatur.

PRIMVM ducitur ex authoritate Scripturæ, quæ multis locis Deo iuſtitiam tribuit, hiſque nominatim, ad Roman. 3. *quem* (ſcilicet Chriſtum) *propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.* 2. ad Timoth. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet in illa die iuſtus iudex.* & ad Hebræos 6. *Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri.* Quæ, ſimiliaque loca, cùm non ſint per metaphoram accipienda, ſed proprie, ſequitur proprie in ipſo eſſe iuſtitiam. Reſpondeo concedendo illa Scripturæ loca in proprio ſenſu accipienda eſſe, Deóque per conſequens ineſſe proprie iuſtitiam, non tamen eam quam ſtrictam dicimus, & in commutatiuam ac diſtributiuam tanquam in ſpecies diuidimus: nomen enim iuſtitiæ, etiam in proprio ſenſu, & abſque metaphora, non de hac ſola ſtricta iuſtitia dicitur, ſed etiam de quacunque virtute quæ ad alterum eſt, etſi pars huius ſtrictæ iuſtitiæ ſit tantùm potentialis: imò ſic dicitur vniuerſim de quacunque virtute, ſicut & opus cuiuſcunque virtutis, iuſtum, & ex qualibet virtute operans, iuſtè operari denominatur. Dicitur ergo Deus proprie ac formaliter iuſtus, iuſtéque agere, iuſtitiæ nomine ſumpto non in prima, ſed in ſecunda, tertiave ſignificatione. VII.

Et quidem Diuus Anſelmus multis locis Deum iuſtum dixit, iuſti nomine, in tertia ſignificatione ſumpto, vt cùm in Proſolog. cap. 10. ſic ſcripſit: *Iuſtus es, non quia reddis debitum, ſed quia facis id quod te decet ſummè bonum.* & cùm capite ſequenti ſic: *Illud ſolùm iuſtum eſt, quod vis, non iuſtum, quod non vis.* Sumpto quoque in ſecunda, vt patet ex his eius verbis capite 10. citato. *Cùm punis malos, iuſtum eſt, quia illorum meritis conuenit: cùm vero parcis malis, iuſtum eſt, non quia illorum meritis, ſed quia tuæ bonitati conuenit.* VIII. Vbi miſericordiam qua parcit, & iuſtitiam punitiuam qua punit, iuſtitiam appellat, cùm tamen neutra ſtricta ſit, ſed eius pars ſolùm potentialis, vt de miſericordia apud omnes certum eſt, de iuſtitia verò punitiua nos ſuprà probauimus.

Addo & peculiarem cauſam, ob quam merito iuſtitia Deo proprie tribuitur: iuſtus enim propriè & abſque metaphora dicitur, qui ſeruat æqualitatem inter meritum & præ-

mium, siue præmium istud sit ex stricta iustitia debitum, siue ex fidelitate tantùm, aut gratitudine, siue etiam nullo ex capite debitum esse supponatur : Deus autem hanc seruat, reddens vnicuique tantum præmij quantum meruit.

I. Hinc ad primum Scripturæ testimonium dico nullum ex Patribus, vel illius loci interpretibus, iustitiæ vocabulo quod ibi vsurpatur, intellexisse strictam iustitiam, vel commutatiuam, vel distributiuam : sed aut fidelitatem Dei, qui promisit iustificationem per Christum : aut iustitiam qua iustificantur impij, quod significari videtur verbis his sequentibus, *Vt sit ipse iustus, & iustificans*: aut iustitiam punitiuam, quam ex dictis constat non esse strictam iustitiam. Ad secundum & tertium dico, in iis tribui iustitiam Deo, tum ratione fidelitatis, tum prædictæ æqualitatis, quam inter merita præmiáque constituit.

II. Secundum. Inter eos potest esse stricta iustitia, in quibus dominium reperitur : atqui in Deo & homine dominium reperitur, vt constat. Maior ex eo probatur, quod vbi est dominium, ibi est proprium, ac stricte sumptum ius, ac proinde illud quod est obiectum strictæ iustitiæ : inter eos autem hæc iustitia esse potest, in quibus ius illud reperitur. Respondeo concessa Minore negando Maiorem, quæ vniuersaliter accepta falsa est, vt vel ex eo constat, quòd in singulis diuinis personis reperitur dominium, nec tamen inter eas stricta iustitia esse potest.

Ad probationem autem eius dico, duplex esse in genere dominium : vnum appellatur humile & vulgare, quale est illud quod singuli particulares homines habent respectu propriorum bonorum : alterum, quod altum dicitur, & superioris ordinis, cuiusmodi est illud quod ex multorum sententia habet Respublica in bona suorum ciuium, & quod habet certissimè Deus in res omnes creatas : inter quæ duo dominia hoc ad rem nostram faciens intercedit discrimen, quòd prius illud in vno existens, non patiatur in altero dominium alterum vulgare, seu eiusdem ordinis circa rem eandem : istud verò posterius in aliquo existens patiatur in aliis inferiora illa vulgariaque dominia, circa eadem numero res. Vnde & Respublica, ex prædicta illa sententia, dominium habet eorundem numero bonorum, quorum singuli ciues domini sunt : & haud dubiè Deus eorundem, aliorúmque omnium dominus est. Iam verò licet vbicunque reperitur dominium, ibi ius quoque reperiatur, non tamen ius stricte sumptum, quod strictæ

III. iustitiæ obiectum est : sed ibi solùm reperitur, vbi dominium humile & vulgare est : quod ius ille solus ex stricta iustitia seruare debet, & violare contra iustitiam hanc potest, qui dominij eiusdem rationis capax est : quo fit vt inter eos solos stricta iustitia esse possit, quorum dominia eiusdem rationis seu vulgaria sunt.

IV. Cuius rei ratio est, quòd si soli ita se habent, vt eorum quilibet sit perfectè alter ab alio, faciátque ei iniuriam, si contra ius eius operetur. Nam qui dominium altum habet in bona, in quæ alius humile ac vulgare obtinet, disponendo de bonis istis ad placitum, etiam contra voluntatem hominis hoc humile dominium habentis, nullam ei facere potest iniuriam, cum sic disponendo de iis iure tantùm suo vtatur : nec iste quoad illa bona est perfectè alter ab eo, qui dominium altum in eadem habet, cùm è contrario quoad ipsa sit aliquid eius. V.

Tertium. Inter Angelos potest esse stricta iustitia : ergo etiam Deum inter & hominem. Vasq. 1. 2. disput. 223. cap. 1. negat antecedens. Ego verò consequentiam, quam necipse admitteret, etsi antecedens illud concederet, quod concedendum puto, quia non video, cur non alter alteri sit facturus iniuriam, si alter alterum, verbi causa, inuitum per vim in loco detineat, aut de loco pellat. Nam quod ait Vasq. vnum non facturum tunc alteri iniuriá, quòd sit eum solo nutu suæ voluntatis depulsurus, vel retenturus, isque proinde qui detinetur, aut depellitur sit natura sua illius alterius voluntati subiectus, probare non possum : primò, quia supponit vim motricem Angeli esse ipsius voluntatem, volitione sua immediatè efficientem vel in se vel in alio motum localem, aut oppositam in loco consistentiam, quod falsum esse docui, disp. 21. sect. 1. in tractatu de Angelis. VI.

Secundò, quia existimo quòd sicut inter homines, quorum certissimè alij natura sua sunt aliis corpore robustiores, vt viri pueris, is qui robustior est, si infirmiorem inuitum loco pellat, aut in eo retineat, iniuriam ei infert : ita inter Angelos, quorum alij aliis sunt natura sua præstantiores, præstantiorique proinde virtute motrice præditi, is qui vi mouendi fortior est, iniuriam faciet infirmiori, si illum repugnantem loco suo deturbet, aut in eo detineat. Etsi autem prædictum antecedens verum sit, non valet tamen consequentia : duo enim Angeli ad inuicem se habent, sicut habent inter se se duo homines : nam quilibet est perfectè alter ab alio, suique iuris, habéque famæ suæ ac libertatis similiúmque bonorum dominium vulgare, ac eiusdem ordinis : ex quo fit, vt inter duos Angelos tam possit esse stricta iustitia, quam inter duos homines, cùm tamen ex eo quòd inter hos hæc intercedere possit, non sit consequens ipsam Deum inter & homines posse intercedere. VII.

SECTIO VII.

Soluuntur argumenta quibus probatur Deum capacem esse commutatiuæ iustitiæ.

PRIMVM. Christi satisfactio fuit actus commutatiuæ erga Deum iustitiæ : ergo inter Deum & hominem potest hæc iustitia intercedere. Probatur anteced. ex communi loquendi more Theologorum, qui est, Christum satisfeciisse pro peccatis nostris Deo ex rigore iustitiæ, non distributiuæ, vt certum est, ergo commutatiuæ. Respondeo negando antecedens : sola enim illa satisfactio proprius commutatiuæ iustitiæ actus est, quæ debetur & VIII.

exhibetur pro iniuria, persónæ cui satisfit, illata contra strictam iustitiam: talis autem non potuit esse Christi satisfactio, cùm Deus nullam à nobis huiusmodi iniuriam accepisset.

Ad probationem autem antecedétis dico, antiquiores Theologos, vt D. Thomam, Bonau. Alex. nunquam ita esse loquutos, sed tantùm
I. dixisse, Christi satisfactionem fuisse perfectam, A V.
id est, tantum habuisse dignitatis & meriti, quantum peccatis nostris omnibus inerat indignitatis & demeriti: quo modo vt perfecta esset, nihil erat opus vt esset ex stricta iustitia. Dico præterea Theologos qui illo loquendi modo vsi sunt, (excepto Suare, aliisque nonnullis eiusdem circiter temporis Theologis, strictam in Deo iustitiam tam commutatiuam, quàm distributiuam admittentibus) non ideo vsos, quòd putarent Christi satisfactionem fuisse actum iustitiæ commutatiuæ, cùm iustitiam hanc inter Deum & hominem non agnoscerent, sed solùm vt significarent, in illa eius satisfactione interuenisse modum seu similitudinem commutatiuæ iustitiæ etiam rigorosæ:
II. commutatiuæ quidem, quia sicut in humanis B VI.
homo homini iniuriã passo pro iniuria satisfacit, quæ satisfactio inter ipsos (cõmutatiuæ iustitiæ actus est, ita Christus Deo offenso pro offensa satisfecit. Rigorosæ verò, quia tam perfecte satisfecit, vt eius satisfactio dignitate sua meritóque offensæ indignitatem & demeritum non exæquarit modò, sed infinitis etiam partibus excesserit.

Secundum. Inter Deum & hominem potest esse mutua ex pacto inito obligatio: ergo ex commutatiua iustitia: ergo virtus hæc inter vtrumque esse potest. Respondeo negando primam consequentiam: falsum enim in genere est, obligationem mutuam, quæ ex pacto inter
III. duos inito nascitur, esse semper commutatiuæ C VII.
iustitiæ: & in particulari dico, obligationem quæ est in Deo paciscente cum homine, esse solius fidelitatis, quæ strictæ iustitiæ pars solùm potentialis est, & eam quæ est in homine pactum cum Deo ineunte, esse solius religionis, quæ est item iustitiæ strictæ pars potentialis: quando enim homo cum Deo pactum init, promittit aliquid Deo, promissio autem ipsi facta, votum est, obligatio autem ex voto ad religionem pertinet.

Neque vrgeas, inter homines pactum ineuntes, præter mutuam ex virtute fidelitatis obligationem, reperiri mutuam aliam ex commutatiua iustitia: hoc enim verum aliquando saltem est, sed inter Deum & hominem paciscentes locum non habet. Ratio disparitatis manifesta est, quòd homo cum homine paciscens, non solum promittit, ex quo nascitur
IV. obligatio ad fidelitatem pertinens, sed pro- D VIII.
missione etiam sua verum & strictum ius ei adrem suam quam promittit, tribuit: cuius cùm sit dominus, dominio illo humili, de quo suprà, sicut ex libertate sua potest hoc suum rei suæ in alterum transferre dominium, quod est aliquod ius in re, ita & ius ad eandem rem eidem ipsi tribuere, ex quo nascitur obligatio iustitiæ commutatiuæ: at homo cum Deo paciscens non potest promissione sua ipsi prædictum ius humile vel in re vel ad rem suam tribuere, quia Deus iuris huius capax non est, vt nec strictæ iustitiæ: Deus quoq. paciscens cum homine, nõ potest promissione sua dare ius aliquod ei, ex quo ipse obligationem contrahat strictæ iustitiæ: cùm quidquid promittit creaturæ, promittat vt pater filio quâ filius est, & dominus seruo quâ seruus est, maneatque proinde necessariò res promissa sub absoluto eius dominio post promissionem, non secus ac ante, ad quam proinde dandam non magis obligari ex stricta iustitia post promissionem, quàm ante potest, vt ad finem secundæ sectionis fusiùs dictum est.

Tertium. Si quod est in Deo ius, cuius violatio obligationem restituendi pariat, erit & iustitia commutatiua: atqui verum est antecedens, igitur & consequens. Consequentia Maioris ex eo constat, quòd in quo tale ius est, est obiectum commutatiuæ iustitiæ: in quo autem huius obiectum est, & hæc esse potest. Minor probatur eo quòd est in Deo ius ad honorem suum, & istius iuris violatio restituendi obligationem parit: tum quia si quis de hoc eius honore detraxerit, verbi causa, mendaciter alicui persuadendo, Deum aliquando mentiri, aut peccare, tenebitur non solùm agere de hoc delicto suo pœnitentiam, sed illam etiam opinionem ab eo cui persuasit, auferre: tum quia ius quod habet homo ad honorem suum, quando vel detractione, vel simili modo læsum est, obligationem restituendi parit: ergo multò magis pariet ius quod ad suum habet Deus, cùm honor ipsi debitus ab hominibus, & bonum eius multò excellentius, maioríque momenti, honore illo qui homini debetur.

Respondeo primo, negari meritò posse consequentiam Maioris, & ad eius probationem dici, si sit in Deo ius quod est obiectum commutatiuæ iustitiæ, solùm esse consequens, posse ab homine circa ius istud exerceri actum iustitiæ, vel iniustitiæ commutatiuæ: ex quo non potest inferri Deum quoque capacem esse iustitiæ huius erga hominem: vt enim esset, oporteret in homine esse posse respectu Dei ius simile, seu cuius violatio pareret obligationem restituendi, essétque per consequens vera contra iustitiam strictam iniuria: cuiusmodi ius in homine comparatione Dei esse minimè posse, ex suprà dictis notum est.

Respondeo secundò distinguendo Maiorem: duplex enim sensus illius esse potest. Primus, Deum fore capacem commutatiuæ iustitiæ, si sit in ipso ius aliquod, cuius violatio obligationem pariat restitutionis, etiamsi hæc restitutio sit actus, non commutatiuæ iustitiæ, sed religionis, vel pœnitentiæ, alteriusve virtutis quæ non est stricta iustitia. Secundus, si faciẽda restitutio debeatur ex commutatiua iustitia, sítque proinde proprius eius actus. Priore sensu falsa est Maior, & ad eius probationem dicendum, in eo in quo est tale solùm ius, non esse ius quod est obiectum commutatiuæ iustitiæ: iuris enim istius violatio parit restituendi obligationem ex hac ipsa iustitia: posteriori sensu negari posset, vt monui, Maioris illius consequentia, sed ea nunc gratis concessa,

Respon-

Respondeo tertiò negando Minorem : iuris enim quod habet ad honorem suum Deus, violatio, vel nullam restituendi obligationem parit, vel si quam parit, non aliam quam ex religione, vel pœnitentia debitam, vel alia virtute, quæ stricta iustitia non est : restitutio enim propter læsum honorem facienda nunquam ex iustitia commutatiua debetur, nisi quando læsio honoris fuit iniuria contra strictam iustitiam : huiusmodi autem iniuriam inferre Deo homo non potest, cùm suprà sit probatum, hominis erga Deum nec iustitiam nec iniustitiam esse posse.

I. A V.

Ad primam Minoris probationem, dico hominem quidem illum, sicut contra iustitiam peccare potuit in eum cui mendaciter falsam illam de Deo opinionem persuasit, ita posse respectu eiusdem obligari ex iustitia ad hunc ab eo errore liberandum : sed respectu Dei, honorísque eius læsi, ad nullam ex iustitia saltem restitutionem faciendam obligari : quod vel ex eo euidens est, quod vbi læsus est honor Deo debitus, nec simul data proximo peccandi occasio, illatúmque ipsi contra iustitiam, aut virtutem aliam aliquod malu, nulla est restitutionis Deo faciẽdæ saltem ex iustitia obligatio, imò tantum obligatio est ad actum perfectæ contritionis ante mortem eliciendum, vel ad pœnitentiæ sacramentum semel in anno suscipiendum : quod intelligendum est de peccatis omnibus contra Deum commissis, prout contra ipsum sunt, etiam iis, quibus simul proximus contra iustitiam aliamve virtutem læditur : omnis enim alia facienda pro præterito peccato præter suprà dictam satisfactio, non nisi ob læsum proximum facienda est.

II. B VI.

Ad secundam eiusdem Minoris probationem respondeo, violationem quidem honoris homini debiti parere posse obligationem restitutionis ex commutatiua iustitia faciendæ, at non violationem honoris Deo debiti : cum ius quod ad honorem suum habet homo, sit strictum ius, & eius violatio, stricta iniuria : secus autem de iure quod habet ad honorem suum Deus, & iuris huius violatione, vt constat ex ante dictis. Nec refert, quòd honor Dei sit excellentior, maioríque momenti honore hominis : hinc enim recte concludi non potest, admittendam esse in homine strictam iustitiam, ad illud ius diuinum non violandum, honorémque ei suum reddendum, sed potiùs ad id admittendam esse virtutem aliquam hac iustitia excellentiorem, quam etiam admittimus, nempe religionem.

III. C VII.

Quartum. Si potest hominis erga Deum esse iniustitia iustitiæ commutatiuæ contraria, poterit etiam in Deo esse hæc erga hominem iustitia. Atqui verum est prius. Igitur & posterius. Consequentia Maioris ex eo constat, quòd si hominis erga Deum esse potest illa iniustitia, potest & esse iustitia opposita : ergo & in eo vicissim circa hominem eadem est iustitia. Minor probatur : affectus enim quo quis vellet, si posset, Deo vitam eripere, illius iniustitiæ peccatum est.

IV. D VIII.

Respondeo primò, negari posse consequentiam Maioris ob allatam rationem *in superiori argumento*, cùm maioris propositionis ibi positæ consequentiam meritò negari posse diximus : quam efficaciter confirmare ex eo possumus, quòd si inter homines seruus aliquis totus esset domini sui quoad vitam, cæteráque omnia corporis, famæ, fortunæque bona, peccare is posset contra dominum suum per iniustitiam strictam, & reipsa peccaret eripiendo ipsi vitam, aut famam, aut pecuniam : ex quo rectè sequeretur seruum hunc esse capacem strictæ iustitiæ erga dominum exercendæ : vnde tamen concludi non posset, dominum hunc esse vicissim capacem eiusdem erga seruum illum suum, cuius reipsa incapax esset : tum quia propter dominium illud absolutum quod in illum haberet, nullam ei facere posset iniuriam, quidquid demum ageret : tum quia vt suprà ex Philosopho vidimus, nullus erga sua iustitiam vel iniustitiam exercere potest.

Respondeo secundò, negando Minorem, & ad eius probationem dico, affectum illum non fore peccatum iniustitiæ illius : tum quia dicendum alioquin esset, damnatos nunc peccare contra Deum per iniustitiam illam, cùm nunc illum affectum habeant : qui quidem illorum affectus ex formali motiuo quo mouentur, malitiam habet odij contra charitatem : ex obiecto autem materiali, si quam habet malitiam, habet oppositam religioni : sicut affectus quo quis vult occidere aut sacerdotem, aut parentem, ob illam sacerdotis, aut parentis circunstantiam, habet ex obiecto materiali malitiam religioni, aut pietati repugnantem : tum quia pari iure dici deberet, affectum, quo quis vellet Deo famam & honorem apud homines auferre, si posset, futurum iniustitiæ illius peccatum, quale tamen non est, cùm ne affectus quidem efficax auferendi, ipsáque actualis, quæ sæpe contingit, ablatio, huiusmodi peccatum sit, vt suprà docuimus, sed contra virtutem stricta iustitia nobiliorem, nempe religionem.

Quintum. Retributio gloriæ æternæ est actus commutatiuæ iustitiæ : ergo huius virtutis Deus capax est. Probatur antecedens ex Diuo Thoma hac quæst. 61. artic. 4. ad primum, expressè dicente, Deum in hac retributione seruare rationem commutatiuæ iustitiæ. Respondeo negando antecedens : cuius ad probationem dico, S. Doctorem eo loco nihil aliud velle, quàm Deum retribuendo æqualem meritis gloriam, seruare modum quendam & similitudinem commutatiuæ iustitiæ : ibidem enim similiter dicit, eundem ipsum retribuentem condignam peccatis pœnam seruare quoque eiusdem iustitiæ rationem, cùm tamen & ex suprà dictis, & ex ipsa etiam omnium fere aduersariorum sententia certum sit, retributionem hanc actum commutatiuæ iustitiæ non esse, sed eius tantùm similitudinem aliquam ac modum habere.

SECTIO VIII.

Soluuntur argumenta quibus probatur Deum capacem esse distributiuæ iustitiæ.

I. PRIMVM. Illa virtus per quam quispiam vnumquemque suo in loco ac ordine collocat, distributiua iustitia est: Atqui in Deo est virtus per quam hoc facit: Ergo in Deo distributiua iustitia est. Minor probatur, est enim in Deo virtus, per quam reddit præmium bonis, maiúsque melioribus, & pœnas malis, grauioréque peioribus: hoc autem dùm facit, vnumquemque suo in loco ac ordine collocat. Respondeo distinguendo Maiorem: si enim eius sensus sit, virtutem per quam id fit, ita esse iustitiam distributiuam, vt per nullam aliam fiat, falsa est: per multas enim alias virtutes idipsum fit: per commutatiuam quidem, dum debitor singulis suis creditoribus totum debitum soluit, aut paterfamilias operariis æquale labori pretium reddit: per fidelitatem verò, dum Deus promissam singulorum meritis æqualem gloriam ex ea retribuit: per iustitiam quoque punitiuam, dum idem condignas peccatis pœnas infligit.

II. Quòd si sensus sit, id per distributiuam iustitiam fieri posse, licet non per solam, vera est, sed ex ea hoc sensu sumpta concludi non poterit, virtutem per quam Deus vnumquemque suo in loco ac gradu collocat, esse distributiuam iustitiam, cùm per aliam id fieri possit, per quam etiam id re ipsa non fiat: vt neque per commutatiuam: cùm per distributiuam tunc solùm fiat, dum in cuiusque collocatione suo in gradu & ordine, spectatur per se à collocante debita ex iure simpliciter dicto æqualitas geometrica: quam æqualitatem non spectat Deus, vt suprà probatum est. Et quamuis spectaret, non tamen spectaret, vt debitam ex iure simpliciter, cùm debitum huiusmodi nullum in eo possit esse, vt etiam ex supradictis notum est: tunc autem solummodo per commutatiuam fiat, dum in prædicta collocatione spectatur æqualitas arithmetica, & quidem debita ex iure simpliciter: quam æqualitatem etsi spectet Deus, reddens vniuscuiusque meritis æquale præmium, aut supplicium, non spectat tamen vt ex prædicto iure debitam, cùm huius debiti capax non sit: quam nihilominus æqualitatem arithmeticam, quia spectat in retribuendo bonis præmio, malísque supplicio, ideo dicitur in hac retributione seruare modum commutatiuæ iustitiæ, non item distributiuæ, cùm in hac ipsa retributione geometricam non spectet.

III. Secundum. Deus in scripturis dicitur in die iudicij cuique iuste secundùm opera sua redditurus: ergo ex iustitia distributiua. Consequentia probatur ex eo quòd Apostolus ad Romanos secundo, postquam dixit Deum redditurum vnicuique secundùm opera sua, rationem hanc huius rei attulit, *Non est enim acceptio personarum apud Deum*: significauit ergo illam Dei retributionem iustam esse, quia personarum acceptor non est, & proinde iustam esse iustitiâ vitio acceptionis personarum oppositâ: hæc autem est distributiua, nam vitium hoc isti iustitiæ opponitur. Respondeo negando consequentiam: cuius ad probationem dico, non solam iustitiam distributiuam esse personarum acceptioni oppositam, sed etiam commutatiuam, vt suprà ostendimus: imò etiam eam, quæ eo titulo iustitiæ nomine appellatur, quòd per eam æqualitas inter præmium & meritum, pœnam & peccatum constituatur, siue hæc æqualitas sit debita, siue non, siue ex stricta iustitia, siue alia ex virtute debita sit.

IV. Ex quo sequitur acceptionem personarum esse triplici illi iustitiæ oppositam: & primæ quidem opponitur, dum æqualitas geometrica in distributione seruanda, & debita ex distributiua iustitia, non seruatur, ob affectum distribuentis erga personam aliquam: secundæ verò, tùm, cum ob eundem affectum æqualitas arithmetica debita ex commutatiua non seruatur: tertiæ denique, dum ex hoc eodem affectu æqualitas inter præmium & meritum, vel pœnam & demeritum non seruatur, siue debita sit, siue non sit.

V. Et quoniam Deus nullum habere potest debitum ex stricta iustitia, siue distributiua, siue commutatiua, seruandi vllo in actu suo æqualitatem aut geometricam, aut arithmeticam, rectè sequitur, ipsum in vitium acceptionis personarum, quod opponitur primæ & secundæ iustitiæ, labi non posse, quocunque tandem modo præmium meritis, suppliciúmque peccatis rependat. Imò quoniam personarum acceptio vitium & peccatum non est, quando æqualitas, quæ ob peculiarem erga personam aliquam affectum non seruatur, debita non est, concludes, quòd etiamsi Deus, ex duobus iustis æqualia merita habentibus, vni plus gloriæ retribueret quàm alteri, aut ex duobus damnatis æqualia habentibus demerita, minorem vni quàm alteri pœnam infligeret, personam quidem acciperet, nullo tamen propterea vitio laboraret. Quoniam autem nullo huiusmodi priuato erga personam aliquam affectu ducitur in retribuenda vel pœna, vel gloria, sed solam bonorum & malorum dignitatem spectat, propterea hæc eius retributio non modò caret vitio acceptionis personarum, sed etiam vmbra vitij huius, & similitudine.

VI. Tertium. Retributio gloriæ à Deo est proprius actus distributiuæ iustitiæ: ergo hæc iustitia in eo est. Probatur Antecedens, quia distributio quæ fit pluribus, & pro cuiusque dignitate, proprius actus est distributiuæ iustitiæ, talis autem est retributio gloriæ. Respondeo negando antecedens, cuius ad probationem dico primò, ea pariter probari, retributionem supplicij à Deo esse pariter actum distributiuæ iustitiæ. Dico secundò, distributionem quæ fit pluribus pro cuiusque dignitate, posse esse actum tam commutatiuæ iustitiæ quàm distributiuæ, posse etiam neutrius esse: commutatiuæ quidem solius est, dum in hac distributione pro cuiusque dignitate facienda,

VII. VIII.

hoc tantum debitum ex hac iuſtitia interuenit, ſeruandi ſcilicet arithmeticam æqualitatem: ſolius verò diſtributiuæ eſt, dum in ea facienda nullum aliud ex hac iuſtitia debitum interuenit, quàm ſeruandi æqualitatem geometricam: neutrius autem eſſe, dum nullum vel ex hac, vel I. ex illa debitum eſt huius aut illius æqualitatis A ſeruandæ: talis autem eſt diſtributio gloriæ, quam beatis Deus facit, vt ex ſuprà dictis notum eſt.

SECTIO IX.

Duplici quæstioni reſpondetur.

VT huic noſtræ de iuſtitia, an in Deo ſit, diſputationi nihil deſit, ſupereſt, vt breuiter ad duas quæſtiones reſpondeamus. Prima eſt, vtrùm in Deo ſit formaliter legalis iuſtitia? Reſpondeo non eſſe: Iuſtitia enim legalis ex eſſentia ſua ſuprà declarata bene afficit partem vt pars eſt, ad totum ſeu communitatem, vt totum & communitas eſt, ipſámque partem, II. & bonum ipſius ordinat & refert ad commu- B nitatem, & bonum ipſius, tanquam ad aliquid altius & diuinius: impoſſibile autem eſt Deum alicuius communitatis partem eſſe, aut ſe, bonumque ſuum, ad communitatem, & ad bonum communitatis tanquam ad quidpiam excellentius diuiniúſque referre.

Secunda eſt, vtrùm in Deo ſit vindicatiua iuſtitia? Reſpondeo eſſe. Probatur primò. Iuſtitia punitiua formaliter & proprie in Deo admittenda eſt: ergo & vindicatiua. Conſequentiæ bonitas ex eo conſtat, quòd hæc ab illa diuerſa non eſt: præter enim iuſtitiam legalem, particularem commutatiuam, & diſtributiuam, aliam non agnoſcunt Theologi quàm vindicatiuam: vnde cùm haud dubiè punitiua in Deo admittenda ſit, vt ex antecedentis probatione VII. III. mox conſtabit, dicendum per conſequens hanc C cum aliqua iſtarum eandem eſſe: quòd ſi ita eſt, dubium eſſe non poteſt, quin eadem cum vindicatiua ſit. Antecedentis autem veritas ex eo certa eſt, quòd formaliter & proprie eſt in Deo affectus etiam efficax puniendi, cùm reipſa puniat, qui affectus, cùm iuſtiſſimus ſit, proprius iuſtitiæ punitiuæ affectus eſt.

Probatur ſecundò. Proprius vindicatiuæ iuſtitiæ actus in Deo formaliter & proprie eſt: ergo & hæc ipſa iuſtitia. Conſequentia certa eſt: cùm enim proprius alicuius virtutis affectus ſeu actus in Deo proprie & formaliter eſt, virtutem hanc ipſi proprie & formaliter tribuendam eſſe, nulli dubium eſſe poteſt. Antecedens probo ex eo quòd non is ſolus eſt proprius huius iuſtitiæ affectus, & actus, qui eſt IV. condigna pœnæ inflictio, pro iniuria propria D contra iuſtitiam ſtrictam accepta, qui reuera affectus in Deo eſſe nequit, cùm, vt ſupra probatum eſt, accipere non poſſit iniuriam contra ſtrictam iuſtitiam, ſed in primis ille quoque, quo pœna infligitur pro iniuria propria contra virtutem aliam accepta: quid enim, ſi Reſpublica à ciue læſa, damnúmque paſſa contra iuſtitiam legalem, propter hanc acceptam iniuriam meritas exigat pœnas, nónne dicitur factam ſibi iniuriam vindicaſſe? Deus autem infligit condignas pœnas pro offenſis & iniuriis, quas contra virtutes à ſtricta iuſtitia diuerſas accipit. V.

Deinde ille etiam quo pro iniuria aliis illata condignum inferenti ſupplicium rependitur, ſiue hæc iniuria contra ſtrictam iuſtitiam, ſiue contra virtutem aliam ſit: vnde & inter homines is qui læſus nō eſt, illatam alteri iniuriam, ſiue contra iuſtitiam ſtrictam, ſiue contra virtutem alteram, vlciſcitur aliquando iuſtiſſimè: & quemadmodum homo vnus illatam alteri iniuriam vindicare poteſt, ita etiam poteſt illatam Deo per blaſphemiam, ſacrilegium, aliúdve ſimile peccatum, quod non eſt ſtrictæ iniuſtitiæ contra Deum, vt ex ſuprà dictis conſtat: Deus autem condignas rependit pœnas iniuriis, quas hominum alij aliis inferunt, nec pro ſolis ſtrictæ iuſtitiæ oppoſitis, ſed etiam pro quibuſcunque aliis: quam ob cauſam dicitur ipſe frequenter in Scripturis ſeruos ſuos VI. & ſanctos vlturus, & ipſi ab eo vltionem iniuriarum quas acceperunt repoſcere, & expectare.

Ex quibus facile eſt concludere, iuſtitiam vindicatiuam in Deo concipiendam eſſe tanquam ſpeciale attributum, cùm tam differat à miſericordia, fidelitate, cæteríſque ſimilibus attributis, quàm hæc ipſa attributa inter ſeſe: & quidem concipiendam eſſe tanquam ſpecialem virtutem, cùm iuſtitiæ illi vindicatiuæ quæ in hominibus eſt, reſpondeat, hæc autem ex Diui Thomæ doctrina hac ſecunda ſecundæ quæſt. 80. articulo primo, communiter à Theologis recepta ſpecialis virtus ſit.

Atque hæc de commutatiua diſtributiuáque iuſtitia, de vtriuſque differentia, déque iis in VII. quibus & inter quos eſſe hæc & illa poteſt, circa 61. Diui Thomæ quæſtionem dicta ſint. A 62. vſque ad 79. incluſiue, qua tractatio de Iuſtitia & Iure abſoluitur, agit idem S. Thomas de vno ſtrictæ iuſtitiæ actu, nempe de reſtitutione, déque vitiis, & peccatis huic iuſtitiæ tam diſtributiuæ quàm commutatiuæ oppoſitis, ex quibus omnibus, vel ferme omnibus reſtitutionis obligatio oritur. Circa quas quæſtiones nec ea repetemus quæ ſupra iam alia occaſione dicta ſunt, nec pertractabimus omnia quæ tractari appoſitè poſſent, ſed ea tantùm quæ accurata tractatione digna ſunt, & à Scholaſticis Theologis tractari hoc loco ſolent: eo autem tractabimus ordine, qui nobis & naturæ rerum conuenientior, & doctrinæ quæ tradenda eſt faciliùs percipiendæ accommodatior viſus eſt. Quam ob cauſam de dominio, de quo VIII. S. Doctor agit quæſt. 66. diſputabimus hîc priùs, quàm de reſtitutione dicamus: de quo etiam priùs quàm de illa egerunt Scotus, & Gabriel in 4. diſtinct. 15. Sotus lib. 4. de Iuſtitia, multíque alij Theologi.

DISPVTATIO XV.

De natura dominij.

SECTIO PRIMA.

Prima quæstionis explicationem continens.

I. DOMINII natura perspicua fiet ex intelligentia quinque quæstionum, quarum prima est, quid sit discriminis inter ius in re, & ius ad rem? iuris nomen vsurpamus pro dicta sæpius facultate, cui si voluntariè sine legitima causa, & eo in quo est inuito contraueniatur, fit iniuria eam habenti: contrauenire autem iuri alicuius, non est ius quod habebat ab eo tollere, sed eo permanente contra illud agere: vnde dominus à procuratore suo

II. ius quod ad tempus concesserat, auferens, iuri eius non contrauenit, nec vllam ei infert iniuriam, quam tamen inferret, si iure in eo manente, quidpiam contra illud ageret.

Ad propositam autem quæstionem respondeo cum Molina tract. 2. de iustit. disputat. 2. Ius in re esse ius circa rem aliquam, cui res ipsa deuincta est: ius verò ad rem esse ius circa rem cui res ipsa nondum deuincta est: dicitur autem res illa deuincta iuri alicuius, quæ sic ipsi addicta est vbicunque locorum ea sit, & cuiuscunque in manus venerit, vt facultatem habeat, eam vbicunque repererit recipiendi, & à quocunque repetendi, obligetúrque ex

III. iustitia eam ipsi restituere, quisquis acceperit. Ex quo facile intelligitur, ius ad rem illud esse, ratione cuius res ad quam haberi ius dicitur, nõ est eo modo deuincta personæ ius istud habenti: quamquam ratione huius ipsius iuris toties vna persona est obligata alteri, quoties hoc ius fundatur in titulo aliquo apto ad transferendum rei ad quam ius habetur dominium ab vna persona in alteram, vt est emptio, aliáque similis actio.

Quæ vt exemplo clariora reddantur, supponamus Socratem à Platone emisse equum centum aureis, eósque ipsi iam numerasse, nondum tamen hunc illi venditum equum tradidisse: Socrates nec dum est equi dominus, nec circa eum ius in re comparauit: traditio enim necessaria est ad ius istud & dominium comparandum, vt nunc suppono ex communi & certa tam Theologorum, quàm Iurisperitorum doctrina: vnde fit vt si quo tempore Plato vendi-

IV. tum equum non tradit Socrati moriatur equus, aut furto abducatur, non Socrati, sed Platoni pereat, obligetúrque hic illum indemnem facere, & ei centum aureos antea numeratos restituere: ad quod minimè obligaretur, si ille ex die emptionis equi, ante factam sibi eius traditionem, ius in re circa eum comparauisset.

Quocirca ius quod circa ipsum comparat, est tantum ius ad rem, ratione cuius iuris quia res non est deuincta personæ ius istud habenti, si contingeret Platonem illum ipsum equum Socrati iam venditum iterum alteri vendere, aut gratis dare, statímque tradere, Socrates nullum ius haberet eum ab isto altero repetendi, vti haberet, si ius in re circa eum acquisiuisset: ratione tamen huius iuris sui per quod personam Platonis sibi obstrinxisset, V. posset eum iure compellere, vt sibi persolueret quantum sua intererat contractum venditionis antea celebratum firmum esse, & ad vltimum perduci effectum. Ex quibus facile est intelligere, quid sibi velint leges ciuiles, dum dicunt ei qui ius in re habet, conuenire actionem realem, hoc est, eam qua res ipsa sumi possit vbicunque sit: ei verò qui ius ad rem (fundatum scilicet in titulo apto ad transferendum huius rei dominium) personalem tantùm, id est, eam, non quæ res ipsa ad cuiuscunque manus deuenerit, possit accipi, sed qua exigi possit à persona illa cuius erat, cùm circa eam ius ad rem acquisitum est, si quidem eam adhuc ipse possidet: aut si non possidet ampliùs, qua saltem exigi possit damni compensatio.

VI.

SECTIO II.

Secundæ quæstionis explicationem continens.

SECVNDA quæstio est, quotuplex sit dominium? Respondeo duplex in genere: Iurisdictionis scilicet, & Proprietatis. Prius illud est potestas gubernandi sibi subditos, de quo tractandi hìc locus non est, sed de isto solo posteriori, quod est illud ratione cuius aliquis aliquid tanquam suũ ac proprium possidet: quod vniuersim subdiuiditur in altum, & in humile seu vulgare, quorum istud est inferioris ordinis, illud superioris: cuiusmodi est ex omniũ Theologorum certissima doctrina diuinum comparatum cum humano: cuiusmodi item est domi- VII. nium quod communitas habet in bona subditorum sibi ciuium, si tamen aliquod in ea dominiũ proprietatis habet, vt habere multi Theologi sentiunt, aliis negantibus, & asserentibus ipsam habere tãtùm dominium seu potestatem iurisdictionis, qua dum Reipublicæ necessitas exigit, imperare potest cuilibet subditorum sibi ciuium, vt tantum de bonis sibi propriis tribuat, quantum opus est ad præsenti Reipublicæ necessitati subueniendum.

Hoc autem humilis seu vulgaris dominij genus multis subdiuidi modis potest: ac primò quidẽ diuisione sumpta ab eius origine, & causa veluti efficiente, in naturale, quod videlicet ipsa natura tribuit, quale est dominiũ proprio- VIII. rum actuum, & in positiuum, vt ita loquar, quod scilicet ex libera voluntate diuina vel humana ortum habet: secundò verò in commune, & particulare: quæ subdiuisio petitur ex parte modi habendi dominium. Etenim commune illud dicitur, ratione cuius singuli communitatis alicuius ciues facultatem habent vtendi rebus communitati addictis, vtendi, inquam, non iure sibi priuatim proprio, sed iure communitatis: quo modo quilibet eorum, quatenus pars communitatis est, dominus est montium, pratorum, fontium, & aliorũ

huiusmodi, quibus ciues communiter vtuntur: vi cuius dominij excluduntur ab vsu & fruitione rerum, quæ in illud cadunt, ij omnes qui communitatis illius ciues non sunt, ad quam earundem rerum dominium primario pertinet. Particulare autem est, quod alicui priuatim conuenit speciali aliquo titulo, quo modo Socrates est dominus agri, quem vel ex contractu emptionis, vel hæreditatis iure possidet: quod dominij genus non tantum huic aut illi personæ priuatim in indiuiduo sumptæ conuenire potest, sed etiam Reipublicæ, prout iam alio loco diximus.

I. A

Tertiò & postremò in Plenum, seu Perfectum & Absolutum, & in non plenum. Plenum appellatur, quod est coniunctum cum potestate perfectè disponendi ad arbitrium de re cuius haberi plenum dominium dicitur: Non plenum verò, quod cum huiusmodi potestate non est coniunctum: quod à Theologis & Iurisperitis subdiuidi solet in directum, & vtile. Directum vocant, quod continet solam substantiæ rei proprietatem, absque iure vel vtendi re illa, vel eius fructus percipiendi: vtile verò, quod huiusmodi ius continet absque illa erga substantiam rei proprietate, quale est in vsuario, in vsufructuario, in emphyteuta & feudatario. Vsuarius autem dicitur, qui vsum habet rei alicuius: vsufructuarius, qui vsumfructum: emphyteuta & feudatarius, qui rem aliquam fruendam per emphyteusim aut feudum accipit.

II. B

Vsus hic appellatur vis vtendi duntaxat re aliena, salua eius substantia. Per particulam, *vtendi*, reiiciuntur iura quæ non sunt ad vtendum, quale est ius depositarij respectu depositi: & creditoris, respectu pignoris: quæ tantum abest vt sint iura vtendi deposito, vel pignore, vt si creditor & depositarius iis vtantur, inuito domino, & peccent, & valorem vsus restituere obligentur. Per particulam, *duntaxat*, excluditur vsusfructus, qui quidem est ius ad vtendum, sed non tantùm, verùm etiam ad fruendum, vt paulò pòst explicabimus. Per has voces, *re aliena*, significatur, rem, qua vtendi ius habet vsuarius, non in ipsius, sed in alterius directo dominio esse. Tribus sequentibus particulis excluditur in primis ius ad vsum, quo res vel consumitur, vel alienatur: quale est ius ad comedendum panem, ad alienandam pecuniam, quæ res actu illo & vsu consumuntur: significatur deinde vsuarium ita ius habere ad vtendum re, verbi causa, domo aliena, vt huius substantiam destruendi ius non habeat, imò obligationem habeat eam, quantum potest, in integram conseruandi.

III. C

Vsusfructus definitur ius vtendi fruendi re aliena, salua eius substantia: cuius definitionis particulæ omnes explicatæ proximè ante fuerunt, excepta illa *fruendi*, qua significatur hoc inter vsuarium & vsufructuarium esse discriminis, quòd ille sic potest vti re cuius vsuarius est, vt eius percipere fructus non possit: hic è contrario possit, itavt eo ipso quo illos colligit, acquirat eorum plenum dominium: qui tamen fructus licet maturi iam sint, acquiruntur domino directo rei, cuius vsumfructum habet Vsufructuarius, non verò huius vsufructuarij hæredibus, si prius moriatur, quàm eos collegerit. Cuius rei ratio est, quòd quandiu adhærent fundo, censentur vnum quid cum ipso: vnde sicut fundus, sic ad fundi dominum pertinent, donec eos vsufructuarius colligendo, dominium eorum comparauerit. Vnde hoc quoque inter vtrumque discrimen est, quòd vsuarius rei illius qua vtendi ius habet, non potest alteri vel pro pretio vel gratis tribuere, potest vsufructuarius.

IV. D

Emphyteusis est contractus quo res aliqua immobilis alicui fruenda traditur sub onere pensionis ea de causa reddendæ domino directo rei illius, qui & proprietatis communiter dicitur: traditur autem res illa nonnunquam in perpetuum, aliquando ad certum tempus tantummodo, quod minus non sit quàm decennium: nam si minus sit, non censetur esse emphyteusis, sed locationis contractus. Feudum denique propriissimè sumptum est concessio fruendæ alicuius rei immobilis, aut quæ pro immobili habeatur, sub onere personalis seruitij, exhibendi domino retinenti directum dominium rei quam in feudum concedit: in quo præter alia differt ab emphyteusi feudum proprie sumptum, quòd scilicet in illa soluatur quidda reale, aut quidpiam aliud simile: in isto verò personale obsequium, vel in bello, vel aliquod aliud, prout fuerit inter feudatarium & infeudatorem constitutum.

V. VI.

SECTIO III.

Tertiæ quæstionis explicationem continens.

TERTIA quæstio est, Quæ sit dominij pleni definitio? Hæc à Iurisperitis communiter traditur, nominatim à Bartolo in leg. *si quis. §. Differentia.* num. 4. ff. de acquirenda possessione. *Est ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Eam communiter Theologi recipiunt, omisso tamen vocabulo, *Corporali*, & meritò quidem, non modò, quia Deus plenum dominium habet in res incorporeas æquè ac corporeas, cùm sit omnium rerum creatarum Dominus, sed etiam quia homo huiusmodi dominium habet in res aliquas incorporeas, vt in famam suam, in internos & liberos actus suæ voluntatis & intellectus, in officium aut beneficium suum: quæ ipse quoque Bartolus incorporea appellat, vtpote quæ nec palpari, nec cerni, nec alio externo sensu percipi possunt. Eandem definitionem iidem paulò clariùs tradunt, dùm dominium de quo loquimur definiunt, Ius in re extendens se ad omnem eius vsum seu dispositionem, nisi lege prohibeatur. Qua in definitione, ius in re, locum generis obtinet: omne enim dominium plenum ius in re est, nec tamen omne ius in re dominium plenum est, vt constat ex pignore, vsu, vsufructu: cætera autem sunt loco differentiæ.

VII.

VIII.

Et quidem particulis illis, *perfectè disponendi*, seu istis æquiualentibus, *Extendens se ad omnem vsum, seu dispositionem*, excluditur in primis à ratione pleni dominij, ius illud quod habet procurator disponendi de rebus domini sui: modus enim dis

ponendi de re aliqua dependenter ab aliena authoritate, non est perfectus deca disponendi modus. Excluduntur deinde iura pignoris, & hypothecæ, & similia: quamuis enim per hæc obtineatur ius aliquod in re ad aliquem determinatum effectum, non tamen ad omnem, quia res, in quibus hæc habentur I. iura, vendi non possunt, donari, destrui. Excluduntur denique iura quæ dominia sunt, sed vel directa tantùm, vel vtilia tantùm: habentes enim huiusmodi dominia non habent ius extendens se ad omnem vsum rei, vt ex antè dictis, tam de directo quàm de vtili dominio, clarum est.

Postremis autem his definitionis particulis, *Nisi lege prohibeatur*, significatur fieri posse, vt quis plenum habeat alicuius rei dominium, de qua tamen ad arbitrium disponere non potest, impedimento orto ex lege, ius de ea disponendi ita ligante, vt in actum secundum prodire nequeat, aut si prodit, factum nullam vim habeat: vnde legis nomine intelligitur lex non tantum prohibens, sed etiam simul inualidans. II.

Neque verò per istud vinculum quo prædictum ius ligatur, tollitur ratio pleni dominij, cùm nulla pars iuris illius tollatur, sed solum secundus eius actus impeditur: sicut etiam dum legem, qua vinculum istud iniecit, reuocat Princeps, hócque per consequens soluit, nullum ius tribuit, sed impedimentum tantummodo tollit, quo sublato ius præexistens prodire in actum secundum valide potest, non secus atque qui naturalem videndi facultatem habet, impeditur aliquando ne ea vti possit ad videndum, per quod impedimentum nulla pars facultatis istius ipsi demitur: eo autem sublato, cùm nulla noua pars eiusdem facultatis ei tribuatur, prodit nihilominus repente, si vult, in actum secundum visionis: non secus item atque homo dormiens, qui tempore somni retinet plenum dominium rerum suarum, nec tamen eas tunc à se valide alienare potest, similive de iis modo disponere, ob impedimentum somni, instar vinculi ius de illis valide disponendi ligantis: quod dum soluitur, nullum nouum ius acquiritur, sed impedimentum tantùm tollitur. III.

SECTIO IV.

Quartæ quæstionis explicationem continens.

QVARTA est, vtrùm tradita dominij pleni definitio sit essentialis? Affirmat Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 2. Negant Rebellus lib. 1. de præludiis iustitiæ quæst. 7. sect. 7. Molina tract. 2. de iustit. disput. 3. nec pauci alij, asserentes ius disponendi de re, per quod definitio illa tradita est, habere se per modum proprietatis, & effectus, ex prædicti dominij essentia aliquo modo dimanantis: qui facilè inter sese cociliantur, dicendo, hos, dum negant ius disponendi de re esse de essentia dominij pleni, negare de hoc dominio, nó vt plenum est, sed vt dominium est: illum autem dum affirmat, affirmare de hoc eodem dominio, non vt in genere dominij est, sed vt plenum est: quod & verum est. IV.

Et quidem quòd de essentia dominij in genere non sit ius disponendi de re, probatur in primis ex dominio directo, vt directum est, & ab vtili distinguitur: est enim essentialiter dominium, nec tamen habet istud ius adiunctum, vt ex iis constat quæ secunda sectione de hoc & illo dominio diximus. Et sanè cùm is qui alicuius rei dominus est, multiplex habere ius possit de ea disponendi, ius nimirum vtendi, fruendi, donandi, vendendi, destruendi, & similia, nullum autem ex iis sit, quod non possit ex libera sua voluntate transferre in alium, retento sibi eiusdem rei directo dominio, quia sicut potest vnum, sic potest & quodcunque aliud, cùm nulla sit potior vnius ratio quàm alterius, sequitur euidenter, nullum de eius essentia esse posse, quandoquidem nullum est quod ab eo non sit separabile. A V.

Probatur secundò ex eo quòd relatio dominij, per quam dominus formaliter rem aliquam vt suam respicit, est id ex quo tanquam effectus ex causa ius ea de re disponendi oriri aptum est, non contra, ex iure dominium: vnde cùm quis vtrumque simul habet, non ideo a priori dominus rei est, quia ius habet de eà disponendi, sed e contrario ius istud habet, quia dominus est. B VI.

Iam verò quod ius disponendi de re sit de essentia dominij pleni, vt plenum est, hinc probo, quòd ius istud est id quo primum intellecto, primùm intelligitur dominium plenum esse, & quo primùm sublato, etiamsi manere cætera concipiantur, statim esse plenum definit, vt inductione constat per dominium plenum, tam diuinum quam humanum. Quod confirmatur ex eo quòd dominium plenum eo magis aut minùs plenum seu perfectum esse censetur, quo plus, minusve iuris vtendi re, de eáque disponendi habet adiunctum: vnde & humanum dominium censetur esse plenissimum, quando coniunctum est cum iure vtendi re ad omnes vsus humanæ potestati possibiles, tantumque a plenissimo deficere, quantum iuris istius ipsi subtrahitur: vnde & diuinum semper & necessariò plenissimum est, quia semper est in Deo coniunctum cum iure vtendi re ad vsus omnes, qui sunt omnipotentiæ diuinæ possibiles. C VII.

Nec dicas dominium plenum in ratione pleni primò constitui per quandam dominij relationem, ex se prædictum ius inferentem tanta necessitate, vt ab ea separari nunquam possit. Ne, inquam, id dicas, tum quia etsi diuinum dominium tale sit, vt sit necessariò cum iure perfectè de re disponendi semper coniunctum, non prius tamen plenum formaliter concipimus, quàm ius istud intelligamus: quod similiter de humano dominio pleno dici deberet, si humanum aliquod tale esset, vt cum prædicto iure semper esset coniunctum necessariò: tum quia datur aliquod humanum dominium plenum, nec tamen vllum est ius ex humano dominio consequens, quod homo ex natura rei per liberam suam voluntatem transferre non possit in alterum, retento rei de qua disponendi ius concedit, dominio: aut certè dicendum esset, hominem vel minimum ius disponendi de re sua quod antea habebat D VIII.

alteri tradentem, amittere totum illud essentialiter dominium circa rem hanc quod habebat antea, & totum nouum in eo exurgere, quod à præcedente differat, quatenus præcedens ex se erat necessariò cum iure de re perfectè disponendi coniunctum, quod autem exurgit, tale ex se non est, sed è contrariò tale, vt ius istud sit ab eo necessariò separatum.

I. Ex dictis colliges primò, dominium nihil aliud dicere essentialiter, quàm relationem illam rationémque formalem, qua formaliter aliquis habet aliquid vt suum, non quomodocunque tamen, alioquin esset vnusquisque dominus animæ ac vitæ suæ, quod falsum est: sed sic, vt nisi quid obstet, oriatur statim in illo ius perfectè de illa re disponendi: quod quidem semper in Deo necessariò oritur, cum nihil obstare possit, quo minus oriatur: in creaturis verò non semper, nec necessariò, cùm ne oriatur impediri possit ex libera hominis voluntate, vt ex supradictis liquet.

II. Colliges secundò, dominium plenum à directo differre tantùm accidentaliter: differt enim tantum penes ius perfectè disponendi de re, quod inest pleno, non item directo: quod quidem ius dominij secundum essentiam sumpti accidens tantum est, & quidem accidens natura sua separabile, reipsáque frequenter separatum, vt ex dictis clarum est.

III. Colliges tertiò, dominium plenum esse aggregatum per accidens, conflatum scilicet ex essentia dominij, & prædicto iure tanquam accidente: quod ius, quoniam, vt antè dixi, varium & multiplex est, nuncque hoc aut illud, nunc plura, nunc pauciora dominio secundum essentiam sumpto coniunguntur, propterea dominium ex hac essentia & prædicto iure coalescens, nunc maius, nunc minus aggregatum est. Ex quo non potest merito inferri, malè nos supra dixisse, traditam pleni dominij definitionem esse huic dominio essentialem: definitiones enim essentiales sunt, non eæ solæ quæ de entibus per se traduntur, sed illæ quoque quæ de entibus per accidens, quando per id traduntur, quo primò in ratione formali talis entis constituuntur, & à cæteris omnibus distinguuntur.

SECTIO V.

Quintæ quæstionis explicationem continens.

IV. QVINTA quæstio est, vtrùm vsus rei absque eiusdem dominio esse possit? Notandum primò domini nomine intelligi eum, qui formaliter huius rei substantiam vt suam possidet. Notandum secundò, rerum alias esse, quæ vnica actione seu vnico earum vsu omnino consumuntur, vt panis, vinum, aliique cibi, vt etiam pecuniæ: hæ enim vnico actu perfecto quo quis eis vtitur, distrahuntur, alienanturque quod est moraliter eas consumi; alias contra, quæ aut non consumuntur omnino, aut non vno perfecto actu quo quis eis vtitur, vt ager, domus, vestis. Notandum tertiò, vsum duplicem esse, vnum facti, alterum ad factum, vt Iurisconsulti appellant: prior est ipse vtendi actus, quo pacto veste indui, equitare, habitare in domo, vsus vestis, equi, domúsque dicitur: posterior est ius ad hunc priorem vsum exercendum, qui prior sine posteriori semper est illicitus.

V. Notandum quartò, posteriorem hunc vsum duplicem esse posse: vnum independentem ab alio iure, quod aut proprius rei illius dominus, aut quis alius habeat, alterum dependentem: posterioris exemplum est, cum dominus ex beneuolentia alium in domum suam aut hortum excipit, eique per hunc & illam ambulare concedit: eo enim ipso ius ad hunc actu ei tribuit: quod ius est semper à voluntate domini dependens, cùm hic nullam ei inferendo iniuriam, possit ipsi concessum antea rerum illarum vsum prohibere: vnde cùm prior vsus non sit reuocabilis ad arbitrium eius qui illum contulit, posterior hic è contrario est.

VI. Notandum vltimò, posteriorem hunc vsum esse posse non tantum circa res vno actu non consumptibiles, quarum exempla proximè ante attulimus: sed etiam circa vno actu consumptibiles: vt patet exemplo domini procuratori suo aut amico tribuentis facultatem vtendi pecuniis suis, similibúsve rebus eas etiam alienando, alitérve consumendo, vsque dum tamen facultatem hanc reuocet: exemplo item religiosorum sigillatim sumptorũ, qui ius habent vtendi rebus omnibus quas superior eis concedit, atque adeo etiam vno actu consumptibilibus: quod tamen eorum ius ita est à voluntate superioris dependens, vt quandocunque voluerit, reuocare possit.

His prænotatis, Dico primò vsum facti separari posse à dominio, tam in rebus vno actu consumptibilibus, quàm in aliis, patet ex eo quod hic vsus esse potest circa res alienas inuito rationabiliter domino, ac per consequens iniustus.

VII. Dico secundò, vsum ad factum separari posse à dominio in rebus quæ vno perfecto actu non consumuntur: patet etiam, eo quod dominus horti, domus, equi, dare potest alteri ius vtendi, ac etiam fruendi re illa sua, retento tamen eius apud se dominio, itavt hæ res non in eius dominio sint, qui earum vsum, aut etiam vsum fructum accipit, sed in illius qui concedit. Vnde Iurisconsulti vsum hunc, eodemque modo vsumfructum, duplicem faciunt: vnum quem causalem nominant, quod a dominio rei qua vtimur, causetur per modum cuiusdam proprietatis, cuiusmodi est vsus quem rei dominus habet circa illam ipsam rem: alterum, quem formalem nuncupant, illum scilicet qui subiecto separatus est à dominio rei, qualis in vsuario, & vsufructuario reperitur.

VIII. Dico tertiò, vsum ad factum in rebus vno perfecto actu consumptibilibus, qui est ab alterius voluntate independens, & ad eius arbitrium non reuocabilis, non solere separari ab earundem rerum dominio, ac proinde ordinariè quemcunque habentem vsum illum, esse quoque illarum dominũ. Huic assertioni præter communem Theologorum consensum fauet maximè ius ciuile, §. *constituitur*. Institut. de vsu fructu, & toto titulo, ff. de vsufructu rerum quæ vsu consumuntur, vbi dicitur, si

alicui testamento vel legato relinquatur vsus-fructus pecuniæ, proprietate eiusdem alteri tradita, legatarium constituendum esse dominum legatæ pecuniæ, cautione data, de illa alteri suo tempore restituenda. Ex quo decreto habetur, legare hunc vsum in his rebus, idem esse, ac legare earum dominium, quamuis non plenum seu absolutum, sed cum onere seu obligatione restituendi certo tempore. Fauet quoque quotidiana experientia, qua videmus eum qui independenter ab alterius voluntate potest pecunias distrahere, cibos sumere, dominium harum rerum obtinere, non secus ac is dominium domus illius obtinet, qui eam independenter ab alterius voluntate potest donare, vendere, euertere.

I. A V.

Aduerte autem assertionem nostram intelligendam esse de vsu ad factum, seu de iure ad vtendum iis rebus ad quemcunque vsum, aut certè ad eum qui est ordinarius, & earum maxime proprius. Nam si quis haberet tantum ius iis vtendi secundùm minus præcipuum earum vsum, non esset ipsarum dominus, quantumcunque ius istud esset independens, & ad alterius arbitrium non reuocabile: vt constat ex eo qui tantùm haberet ius vtendi pecuniis instar calculorum ad computum faciendum, aut cibis ad ostentandum, aliúmve similem vsum, ac non etiam ad alienandum, & comedendum: quod quidem ius quantumvis independens esset, & ad alterius placitum non reuocabile, esset tamen separatum ab earum rerum dominio, quod haud dubiè remaneret apud eum qui ius illud alteri concessisset.

II. B VI.

Dico quartò, vsum ad factum in rebus vno actu consumptibilibus, ab alterius voluntate independentem, & ad eius arbitrium non reuocabilem, posse absolutè ab earundem dominio separari. Probatur primò, eo quòd vsus ille cùm sit aliquod ius, non potest esse de essentia dominij, nec ei conuenit ad modum accidentis prorsus inseparabilis, vt vniuersim de quolibet iure dominij essentiam consequente superiori quæst. & sectione ostensum est.

III. C VII.

Probatur secundò à simili, ex rebus quę vno actu non consumuntur, vt sunt domus, equus, vestis, in quibus nihil repugnat, quo minùs detur vsus ad factum perpetuus absque dominio, vt constat ex antedictis de emphyteusi: & hac ratione, quòd nimirum in eiusmodi rebus, nihil repugnet, dominium esse breui saltem tempore ab illo ad factum iure separatum, vt reipsa est in eo qui vsum, aut etiam vsumfructum earum rerum alteri concessit, retento sibi earundem directo dominio. Nam si hoc illis in rebus nullam habet repugnantiam, nec habebit in rebus vno actu consumptibilibus. Cùm enim res vno actu non consumptibiles tales sint, saltem pleræque, vt vsu diu continuato tandem absumantur, profectò si in eiusmodi rebus reperiri potest sine dominio ius illis tam diuturno tempore vtendi, vt vsu tandem consumantur, quid poterit impedire, quo minus tribuatur alicui ius vtendi rebus vno actu consumptibilibus, vtendi, inquam, independenter ab aliena voluntate, absque vero harum rerum dominio? quandoquidem quod circa istas res facit vnicus vsus, hoc circa illas facit vsus perpetuus, seu ad earum vsque consumptionem continuatus.

IV. D VIII.

Oppones primò, vsum ad factum qui à dominio separatur, esse ius vtendi re, salua eius substantia: vsum autem ad factum in rebus vno actu consumptibilibus, esse ius vtendi re, destructa etiam seu consumpta eius substantia: ergo non esse vsum à dominio separatum. Sed respondeo, non illum solum vsum, qui est ius independens vtendi re salua illius substantia posse à dominio separari, sed etiam eum qui est ius similiter independens vtendi re vno actu consumptibili, ac eius substantiam destruendi seu consumendi. Quòd si quæras, quid erit huiusmodi dominium ab isto iure separatum? Respondeo fore relationem, quam dominus habebit ad rem hanc vt ad suam, quandiu consumpta non est ab eo qui ius independens eam consumendi à domino accepit.

Oppones secundò, licitum ergo fore duo pretia accipere pro re vno actu consumptibili, quæ mutuò datur, vt pro pecunia, vnum pro iure ea vtendi, eandemque consumendi absque dominio, alterum pro dominio ipso: quod tamen minimè licet, vsurámque continet, vt expresè docet D. Thom. infra quæst. 78. art. 1. Respondeo primò, hoc argumentum æquè proponi posse, contra eos, qui ius vtendi re vno actu consumptibili, pendens ab alterius voluntate, & ad eius arbitrium reuocabile, dicunt ab eiusdem dominio posse separari, quod tamen plurimi magnæque authoritatis dicunt, & verum est, vt paulò post videbimus.

Respondeo secundò, dominium à iure rebus vno actu consumptibilibus vtendi, siue dependente, & reuocabili, siue independente & non reuocabili, seorsim spectatum, vel alicuius valoris esse, vel nullius: si secundum, nego fore licitum id quod in obiectione dicitur: pro re enim quæ nullius valoris est, accipere pretium non licet: si primum, nego fore vsuram duo pretia accipere, vnum pro iure vtendi, alterum pro dominio, dummodo vtrumque pretium non excedat valorem vtriusque, nempe iuris illius, & istius dominij: quo casu ius seorsim sumptum à dominio minus valebit, quàm cum ipso coniunctim acceptum: & vice versa dominium seorsim à iure acceptum valebit minùs quam cum ipso copulatiuè sumptum. Et quoniam, siue dominium rei vno actu consumptibilis seorsim à iure vtendi sit alicuius valoris, siue nullius, centum aurei, verbi causa, mutuo dati abunde compensantur per centum aureos qui redduntur, quia tantum isti valent, quantum illi, iúsque iis vtendi, dominiumque eorum quod à debitore redditur creditori, tantum valet, quantum ius vtendi illis aliis centum, eorundemque dominium à creditore mutuò datum debitori, ideo committit vsuram creditor, si pro centum aureis mutuo datis, aliquid à debitore supra centum quos reddit, exigit.

Quod attinet ad D. Thom. respondeo ipsum loco illo vel supponere dominium rei illius de qua sermo est à iure vtendi præcisum, nullius esse valoris, vel supponere oppositum: si primum, recte docet vsuram committi, si duo pretia accipiantur, & nos idem asserimus: si secundum, loquitur de duplici, quorum

vnum exæquat valorem iuris & dominij rei quæ mutuò datur, & supra quod aliud exigitur.

Dico quintò, vsum ad factum dependentem ab alterius voluntate, & ad eius arbitrium reuocabilem, esse posse sine dominio tam circa res vno actu non consumptibiles, quàm consumptibiles. Probatur primò ex dictis superiori assertione: si enim, vt ex iis constat, vsus ad factum independens tam circa res has, quàm illas esse potest absque dominio, multò magis poterit esse ille, qui est dependens. Probatur secundò exemplis notatione quarta & quinta relatis, in quibus ius istud à dominio separatum reipsa cernitur.

Probatur tertiò authoritate totius Ordinis sancti Francisci, cuius religiosi amore paupertatis profitentur se cuiusvis externæ rei, siue vno actu non consumptibilis, siue consumptibilis, abiecisse dominium, non modò in particulari, vt quilibet alius religiosus professus: sed etiam in communi, solúmque vsum facti, & ad factum habere dependentem ab alterius voluntate, nempe illius, qui rerum quibus vtũtur dominus est, quem respectu earum quæ vno actu non consumuntur, dicunt esse summum Pontificem, aliarum verò quæ consumuntur, eum qui eas ipsis in eleemosynam dedit, & quidem tandiu, quandiu consumptæ non sunt.

Quod etiam de ipsis, & cum ipsis sentiunt Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 1. art. 1. Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 8. Rebellus lib. 1. de Prælud. Iust. quæst. 7. sect. 5. Molina tract. 2. de Iustit. disput. 6. Greg. à Val. quæst. 1. punc. 1. aliíque multi Theologi, quibus adiungo multos summos Pontifices, Nicolaum III. Extrauag. *Exiit qui seminat.* de Verb. signific. in 6. Clementem V. Clem. *Exiuit de paradiso.* Innocentium IV. Alexandrum IV. & Gregorium IX. quos tres posteriores prædictus Nicolaus pro eadem sententia citat.

Nec refert quòd Ioannes XXII. in Extrauag. *Ad conditorem*, contrarium senserit: huic enim tot alios iam citatos summos Pontifices opponimus: præterea Alexandrum VI. aliósque eius successores, qui dominium rerum prædictorum religiosorum, quod à se ille abdicarat, receperunt, vt habetur in priuilegiis prædicti Ordinis, verbo *Paupertas*.

Nec quisquam nos reprehendat, quòd concedamus illum ipsum, in re quæ nec ad fidem pertinet, nec ad honestatem morum necessaria est, tanquam priuatum Doctorem minùs bene sensisse, cùm ille ipse ita respondeat ad authoritatem Nicolai tertij prædecessoris sui, quam ipsi quidam obiiciebant: qui Nicolaus, vt hoc obiter addam, cùm loco citato vsum quem præfati religiosi habent, appellat vsum facti, nõ vult habere ipsos nudum vsum facti absque vsu ad factum, alioqui vellet ipsos vti rebus quibus vtuntur, absque iure vtendi, sicque iniustè agere, quod vt certissimè falsum est, ita proculdubio ab eius voluntate alienum est.

DISPVTATIO XVI.

De subiecto dominij.

SECTIO PRIMA.

Primæ & secundæ quæstionis explicationem continens.

HVc pertinent tres quęstiones, quarum prima est, vtrùm sola natura rationalis sit dominij capax? de qua prima sententia negans fuit Gersonis de potestate Ecclesiastica considerat. 13. & de vita spiritali lectione 3. Conradi in prioribus quæstionibus de Contractib. & Maioris in 4. dist. 15. quæst. 10. qui cùm quamcunque facultatem ad rem quamlibet dominium esse dicerent, ex consequenti dixerunt, creaturas etiam rationis, imò cognitionis & animæ expertes esse dominij capaces, cùm haud dubiè sint facultatis alicuius ad rem aliquam, vt sol ad illuminandum, elementa grauia ad motum deorsum, leuia ad sursum, equus ad sumendum pastum. Sed secunda quæ est affirmans, & inter Theologos communissima, vera est, tum quia quicunque capax est dominij, capax est iuris, cuius violatio est aliqua vel latè vel strictè sumpta iniuria, cùm dominium propriè sumptum aut formaliter sit aliquod huiusmodi ius, aut saltem natura sua sit aptum illud inferre, proprietatis instar, & accidentis, vt ex superiori disput. constat: bestiæ autem, résque cognitionis ac vitæ expertes, capaces non sunt huiusmodi iuris, vt nec iniuriæ: alioqui qui prohiberet corpora grauia sursum posita ne descenderent, animalia bruta ne pastum sumerent, inferret illis iniuriam, quod ridiculum est.

Secundò, quia quæ creaturæ capaces non sunt dominij suarum propriarum actionum, nec possunt esse rerum aliarum, cùm idem sit fundamentum dominij respectu tam harum, quàm illarum: prædictæ autem creaturæ rationis expertes dominij propriarum actionum non sunt capaces: huius enim dominij fundamentum, liberum arbitrium est: vnde homo eatenus dicitur habere propriarum actionum suarum dominium, quatenus iis vti pro arbitrio potest, eas eliciendo, vel non eliciendo, & postquam elicitæ sunt, continuando quandiu placuerit, & cùm placet, interrumpendo, sicque destruendo. Atque cùm fundamentum dominij respectu cuiuscunque rei, sit liberum arbitrium, quia dominiũ per se ordinatur ad vsum, liberamque dispositionem rei cuius quis dominus est, patet esse consequens, solam naturam libero arbitrio præditam, dominij esse capacem. Quare dum creaturæ ratione carentes, vt hoc, aut illud astrum, dominari, aut prædominari dicuntur, sermo metaphoricus est, quo vis & actiuitas earum maior significatur.

Secunda est, vtrùm omnis natura rationalis sit dominij capax? Respondeo esse, nulla enim natura rationalis est possibilis, præter diuinam,

angelicam & humanam: certum autem id est de diuina, cùm Deus sit absolutissimus rerum omnium creatarum dominus: de angelica quoque, cùm Angelorum quilibet suorum saltem propriorum actuum quos libere elicit, dominium habeat, ob eandem causam, ob quam paulò antè diximus hominem propriorum suorum habere dominiu, qui cùm certissimè multarum quoque externarum rerum, vt pecuniarum, agrorum, domorum, & similium dominium habeat, dubitari non potest, quin humana natura sit dominij capax.

I.

SECTIO II.

Tertiæ quæstionis explicationem continens.

TERTIA, vtrùm quilibet hominum sit capax dominij quarundam externarum rerum? Nam propriorum actuum quemlibet natura sua capacem esse dominij, tam certum est, quàm exploratum quemlibet natura sua capacem esse liberi arbitrij, quod iſtius dominij fundamentum est. Quo loco quæstio esse solet de quinque præsertim hominum generibus: ac primò de existentibus extra statum gratiæ ac charitatis: secundò de filiis familiàs non emancipatis: tertiò de seruis: quartò de infantibus: quintò de amentibus.

II.

Ac de primis quidem error fuit Armacani lib. 10. de quæst. Armenorum cap. 4. & in dialogo quem inscripsit Defensorium pacis, eum qui in peccato mortali est, non esse magis dominum eorum quæ possidet, quam sit fur earum rerum quas furto sustulit, quod dominij fundamentum sit gratia sanctificans, extra quá est omnis qui in peccato mortali est. Quem errorem sequuti sunt Vvicleffus, & Ioanes Hus, non quidem quoad omne dominium, sed quoad præcipuam tantùm eius speciem, dominium scilicet seu potestatem iurisdictionis, vt videre est apud Valdensem libro 2. doctrinalis fidei, cap. 81. & sequenti, ac in Concilio Constantiensi, sess. 8. & 15. quod etiam multò antè docuerant quidam alij hæretici, quorum meminit D. Bern. serm. 66. in Cantica.

III.

Verum contraria sententia de fide est, fuitque illo in Concilio definita, in quo inter hæreticas propositiones Vvicleffi, & Ioannis Hus, triceſima huius, & decima quinta illius hæc refertur, & damnatur, *Nullum esse Dominum ciuilem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum est in peccato mortali.* Vbi licet Concilium loquatur tantùm, sicut & illi hæretici, de dominio seu potestate iurisdictionis, non dubium tamen quin eius definitio extendi possit ad dominium proprietatis, ac proinde intelligi de dominio vniuersim: cùm si potestas iurisdictionis, quæ nobilissima est dominij species, non requirit in subiecto suo sanctificante gratiá, potéstque cum mortali peccato consistere, certum esse debeat de dominio proprietatis, eandem non requirere, possequè stare cum eodem peccato. Adde quòd ex multis Scripturæ locis, vt ex his Christi verbis, Matth. 22 *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: & ex cap. 13. epistolæ ad Rom. in quo docet Apostolus sublimioribus potestatibus, id est, Regibus, ac Principibus, qui tunc temporis alij non erant quàm infideles, esse soluenda etiam à Christianis subditis vectigalia & tributa, efficaciter concludi potest, homines in peccato mortali existentes habere quarundam rerum dominium proprietatis.

IV.

Cuius, sicut & iurisdictionis, si soli sanctificante gratia & charitate prædití capaces essent, quanta sequeretur perplexitas, & perturbatio? Perplexitas quidem, quia nec oues agnoscerent pastores suos, nec subditi superiores, cùm de his illi nesciant, vtrum in gratia, an in peccato mortali sint: vnde & meritò semper formidarent, ne iurisdictionis actus quos exercent, irriti forent: quod & formidare de se ipsi Prælati meritò etiam semper possent, cùm vtrù amore, an odio digni sint, ignorent: vnde quoque quilibet semper esset incertus, vtrùm eorum quæ possidet sit verus legitimúsque reipsa dominus. Perturbatio verò, quia latissimus pateret campus deprædationibus, vno in alterius tanquam a gratia & charitate, consequentérque à dominio lapsi, bona inuolante: subditisque maxima daretur occasio negandi tributa Principibus suis, & in eos rebellandi: Deum autem sapientissimum & optimum, eo modo, ex quo tot & tanta nascerentur incommoda, res disposuisse, nemo vel leuiter sapiens suspicari potest. Denique falsum est sanctificantem gratiam fundamentum esse dominij, siue iurisdictionis, siue proprietatis: neque enim dubitandum, quin in statu puræ naturæ esse posset, & reipsa futurum esset illud vtrumque dominium, quo tamen in statu nulla esset gratia sanctificans.

V.

At de filiisfamilias nondum emancipatis dicendum videtur ex doctrina Philosophi, lib. 5. Ethic. cap. 6. eos capaces non esse dominij bonorum externorum, vt pecuniarum, agrorum, similiúque rerum, quæ pecunia æstimari, commutari inuicem, & in ciuiles contractus cadere solent: docuit enim eo loco inter patrem & filium, quandiu paruus est, & non separatus, id est, quandiu sub patris adhuc potestate constitutus est, nec adhuc sui iuris effectus, non posse esse iustitiam, quòd ad sua nullus habere iustitiam possit, talis autem filius non sit suus, sed patris, nihilque habeat suum, sed quæcunque habeat, sint patris.

VI.

Verum hoc rectè docuit Philosophus loquens de filiis nondum emancipatis sui temporis, quibus tunc nullum inerat prædictorum bonorum dominium, quod totum penes patrem erat. At cùm postea iure Cæsareo sit introductum, vt huiusmodi filij proprium aliquod bonorum illorum dominiù habere possent, affirmandum est absolutè, ipsos nunc saltem huiusce dominij capaces esse. Est autem triplex bonorum genus, quorum ipsis proprium dominium iure illo constitutum est: primum Castrensium: secundum quasi Castrensium: tertium aduentitiorum: hoc tamen discrimine, quod Castrensium, & quasi Castrensium non tantum dominium, sed etiam vsumfructum habent, aduentitiorum verò solum dominium directum, remanente penes patrem vsufructu.

VII.

Castrensia dicuntur quæ militiæ titulo comparantur, vt stipendia militum, aliorumque

VIII.

qui castra sequuntur: prædæ ex hostibus, donariua ducum, vel commilitonum, testamento relicta, & legata occasione militiæ, mobilia data à parentibus vel ab aliis eunti ad militiam: Item quæ in obsequio Principis in palatio, & quæ in alicuius arcis custodia comparantur, acquiruntúrque: denique lucra omnia quæ talibus ex bonis proueniunt. In quasi Castrensibus numerantur quæ titulo publici officij non mechanici acquiruntur, vt iudicis, aduocati: quæ professione artis alicuius liberalis, quæcunque dantur intuitu talis functionis, vt libri qui à parentibus aut ab aliis donantur ei qui profitetur, aut professurus est artem liberalem, quæ item liberalitate Principis, quæ denique sic dantur, vt sint quasi Castrensia, id est, ea conditione, vt filius eorum dominium & vsumfructum perinde ac Castrensium habeat, etsi non sint Castrensia, id est, militiæ titulo comparata.

I. A

Aduentitia vocantur quæ neque Castrensia sunt, neque quasi Castrensia, nec profecta ab eo parente cuius comparatione bona filij aduentitia dicuntur, nec proximè ac principaliter intuitu talis parentis sunt ab aliquo ipsi filio collata. In quorum bonorum genere numerantur ea quoque omnia, quæ filius industria sua, labore, aut fortuna acquirit. Vnde quod à matre aut auis maternis hæreditario iure ad eum peruenit, aduentitium bonum eius dicitur, si cõparatione patris spectetur: similiterque quæ à patre, auisque paternis hæreditario iure ad ipsum peruenium, & aliunde in genere, quàm aut à matre, aut proximè & principaliter intuitu matris, sunt aduentitia filij bona, si hic comparatione matris consideretur: de quibus bonorum generibus plura videre qui volet, poterit apud Molinam, tract. 2. de Iustitia, disput. 230. & sequentibus.

II. B

De seruis autem seu mancipiis sentiendum est, eos capaces esse proprij dominij externorum bonorum, vt pecuniarum, & similium. Ratio est, quòd quamuis quidquid acquirit seruus, agens vt seruus, seu in ministerium domini, debitum titulo seruitutis, acquirat domino, non tamen id quod acquirit vt homo præcisè, cùm vt homo præcisè non habeat quòd sit seruus: nec bona serui censeri meritò possint bona domini, nisi quatenus sunt bona serui vt seruus est. Inter bona autem quorum seruus habere proprium dominium potest, numerantur ea quæ dominus ipsi dat non vt seruo, sed vt homini, seu voluntate transferendi à se in ipsum eorum dominium: ea deinde quæ à quocunque alio ei donantur, hac conditione, vt ipsius propria sint, non domini: quo modo quisque res ei suas dare potest, cùm in cuiusque libera potestate sit de rebus suis ad arbitrium disponere, illisque cõditionem hanc apponere, ne ad hunc aut illum deueniant: ea etiam quæ persolutis omnibus obsequiis quæ domino debet, lucratur arte aliqua, aut opera alteri præstanda: ea præterea quæ per pecuniam sibi propriam lucratur, sicut quæ lucratur filius familias ex peculio Castrensi, vel quasi Castrensi: ea denique, vt alia omittam, quæ ipsi dantur in compensationem iniuriæ ei illatæ: quorum ipse tam proprium dominium comparat, quam

III. C

IV. D

per iniuriosam actionem propria personæ ipsius iniuria facta est.

Quod quidem intelligendum est de iis solis bonis, quæ ipsi dantur in compensationem illatæ iniuriæ, vt formaliter propria eius iniuria est. Nam eorum quæ darentur in compensationem iniuriæ illatæ domino in persona serui, non iste, sed ille dominium acquireret. Quòd si eodem iniurioso actu fiat iniuria domino in persona serui, & ipsi simul seruo, sicut fiet duplex iniuria, vna domini propria, altera serui, ita duplex erit facienda compensatio, vna illi, altera isti. Et quemadmodum ille fiet dominus bonorum, quæ dabuntur in compensationem factæ sibi iniuriæ, ita fiet & iste eorum, quæ dabuntur in iniuriæ sibi factæ compensationem: quam duplicem iniuriam non esse necessariò connexam, vel ex eo patet, quòd ipse dominus cùm inferre sibi non possit iniuriam, potest tamen seruo: quo casu per consequens quod in compensationem ipsi dabit, non in alterius quàm in serui dominium deuenire poterit.

V.

VI.

Neque opponas leges ciuiles passim pronuntiantes, seruum quidquid acquirit, domino acquirere: Respondet enim Molina dispurat. 38. intelligendas esse, regulariter seu ordinariè acquirere. Addit Lessius lib. 2. c. 4. dub. 4. leges illas esse consuetudine mitigatas. Addere & nos possumus, intelligi debere de iis quæ acquirit seruus vt seruus est, prout à nobis paulò ante explicatum est: quam responsionem legibus illis consentaneam esse, vel hinc constat, quòd lege prima §. *seruos. ff. de officio præfecti vrbi. & lege, vix ff. de iudiciis*, aperte significatur seruum habere posse proprias sibi pecunias.

VII.

Iam verò de pueris seu infantibus certum ex fide est, eos prædictarum externarum rerum dominium habere posse, cùm Apostolus ad Galat. 4. sic aperte pronunriet: *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium.* De amentibus denique idem sentiendum est: horum enim & infantium, eadem quoad hoc ratio à priori hæc est, quòd dominium rerum illarum non fundatur in actuali vsu rationis, alioqui cùm hic nec in ebriis nec in dormientibus sit, simul atque quis vel dormiret, vel ebrius fieret, dominium bonorum suorum amitteret: sed in ipsa natura rationali, potentiis intelligendi ac volendi prædita, quæ cum his suis facultatibus integra est in infantibus, & amentibus, aliisque hominibus rationis vsu carentibus.

VIII.

Nec refert, quòd eo tempore quo illo carent, disponere actu nequeant de rebus, quarum dicuntur domini, eo quòd actualis de iis dispositio libera esse debeat: hoc enim non impedit, quo minùs earum dominium habeant, sed solum efficit, vt illud quoad vsum ligatum sit: sicut per leges sæpe ligatur eorum qui rationis vsum habent. Vnde quemadmodum hi, si leges istæ abrogentur, vel si in iis dispensetur, nullo nouo iure per hanc abrogationem dispensationémve sibi concesso, liberè possunt validéque de rebus suis disponere: sic & illi poterunt, si rationis compotes fiant, quamuis per hoc nullum nouum ius acquirant. Adde quòd cùm tam amentes quàm infantes sint

capaces strictæ iniuriæ accipiendæ contra iustitiam, sunt haud dubiè iuris, quod obiectum strictæ iustitiæ est, ergo & dominij, cùm vtriusque idem necessariò, & subiectum, & fundamentum sit.

I.

DISPVTATIO XVII.

De obiecto dominij.

SECTIO PRIMA.

An res quæ extra hominem sunt in humanum dominium cadant?

QVOD attinet ad obiectum dominij, seu ad res quæ in dominium cadere possunt, constat, in diuinum cadere res omnes creatas: res autem de quibus quæstio esse potest, an in humanum cadant, sunt aut intra nos, aut extra: &

II. hæ quidem posterioris huius generis ad triplex proprie bonorum genus reuocantur, ad famam scilicet, ad honorem, ad diuitias: de quibus diuitiis nihil dicemus, cùm res certissima sit. De fama autem & honore cùm omnes Theologi consentiant, aut neutrum, aut vtrumque sub humanum dominium cadere, quod vtriusque, quoad hoc, eadem ratio sit, Caietanus ad art. 4. quæst. 73. Maior in 4. dist. 16. aliíque nonnulli negant hominem honoris & famæ propriæ dominum esse, asserentes habere tantùm vsum, sicut & vitæ suæ, ac membrorum. Affirmant autem Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 3. art. 3. Adrianus in materia de Restit. quæst. penultima. Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 11. Aragonius in materia de dominio, dominiique obiecto, & alij quos ibidem citat, asserentes hominem

III. vtriusque tam proprium habere dominium, quam diuitiarum. Cui sententiæ aperte fauet S. Thom. quæst. 73. art. 4. ad 1. affirmans in cuiusque arbitrio esse pati detrimentum famæ suæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.

Probatur autem hæc sententia primò hac ratione ex illis D. Thomæ verbis desumpta. Tam est in nostra libera potestate propriæ famæ ac honoris detrimetum facere, quàm diuitiarum: ergo tam illius quàm harum domini sumus. Consequentiæ bonitas ex eo constat, quòd si nostra illa libera potestas faciendi iacturam nostrarum diuitiarum certum argumentum est nostri in eas dominij, eadem quoque potestas famæ nostræ ac honoris iacturam faciendi certum argumentum esse debet, nos tam huius,

IV. quàm illarum dominos esse. Antecedentis veritas probatur in primis, eo quòd multi sunt casus, in quibus non modò sine cuiusquam iniuria, sed etiam licitè possumus famam nostram non secus ac pecuniam profundere, illi scilicet omnes, in quibus licitum nobis est infamare nos, seu crimen aliquod nostrum occultum prodere: qui permulti sunt, híque inter cæteros, primus ad petendum consilium: secundus ad nostri humiliationem: tertius ad peccatum cuius in periculo sumus euitandum: quartus ad Dei misericordiam magis hominibus declarandam, & commendandam: similémque alium honestum ob finem, ob quem D. Augustinus libris Confessionum suarum peccata sua nota fecit omnibus. Quòd si homo sicut vitæ suæ & membrorum vsum tantùm habet, non dominium, sic & famæ solùm haberet, profectò sicut ipsi non licet sibi vitam eripere, vel pro vitanda culpa, corporalíve miseria licet grauissima, vel pro consequenda salute æterna, sic neque liceret ipsi propter hos alioſve prædictos fines infamare se, quod tamen licet.

A V.

Probatur deinde, eo quòd tam in nostra potestate est ei qui nos infamauit restituendæ nobis famæ obligationem remittere, quàm illi qui pecunias nostras furto sustulit, harum restitutionem condonare: quam liberam nostram potestatem Adrianus loco citato negat esse efficax argumentum nostri in famam nostram dominij, confirmátque ex eo quòd membrorum nostrorum dominium non habemus, vno tamen eorum mutilati, possumus pro libertate nostra remittere ei qui mutilauerit satisfaciendi obligationem: sed vt efficax esse clariùs appareat,

B VI. supponendum est, rem ab alio iniustè nobis ablatam, posse aliquando eandem aut numero aut specie restitui, aliquando non posse: prioris generis est pecunia, fama, resque aliæ externæ similes: posterioris, brachium, aliúd ve mẽbrum abscissum: pro cuius proinde abscissione, vel nihil restituendum est, vel si quid est, illud est pecunia, aliáve res similis externa in compensationem damni ex abscissione illa sequuti.

Quo supposito, dico, si membrum abscissum, posset idem vel numero vel specie restitui, non fore nobis licitum restitutionem eius remittere, quandoquidem domini eius non sumus: hanc enim remittere, idem virtute seu æquiualenter esset, ac illud sibi abscindere: quod autem licitum nobis sit pecuniæ in compensationem dandæ remittere obligationem, mirum

C VII. non est, cùm pecuniæ sint de numero rerum quarum proprium dominium habemus, quas in compensationem datas sicut postea reddere possumus ei qui dedit, sic antequam det, debitum eas dandi condonare. Vnde sicut hæc nostra potestas debitum istud condonandi, argumentum est, pecunias de numero rerum esse, quarum domini sumus: ita potestas illa nostra remittendi debitum restituendæ nobis famæ, argumento est, hanc ex natura sua nostro dominio comprehendi.

Probatur secundò eadem sententia, quia bona nostra fama duplex vniuersim est: vna consequens bonum aliquod indifferens, vt scientiam, diuitias: altera, bonũ veræ virtutis: vtriusque autem dominium habemus. Prioris quidem, quia tam plenam habemus de ea disponendi potestatem, quàm de bonis illis ex quibus sequitur: cùm vna quidem ex parte hæc ex

D VIII. illis sequatur: ex altera verò, eo ipso quo de antecedente liberam habemus disponendi potestatem, habeamus quoque disponendi de consequente. Vnde si plena illa potestas de bonis illis disponendi certum indicium est nostri in illa bona dominij, certum etiam eadem indicium erit nostri in hanc nostram famam dominij. Posterioris verò, ob eandem causam: hæc enim ex nostris virtutum actibus sequitur,

horum

horum autem actuum domini sumus, plenámque de ipsis disponendi potestatem habemus.

Probatur tertiò refutatione præcipuarum rationum, quæ pro Caietani sententia afferri possunt. Prima est, hominem plerunque peccare infamando se, ergo famæ suæ dominum non esse. Sed negatur consequentia, peccat enim etiam sæpe prodigè effundendo pecunias suas, quarum tamen dominus est.

Secunda est, si famæ nostræ domini essemus, licitum nobis fore hanc negligere, cùm tamen licitum non sit, Deo præcipiéte Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine*, quam & habendam monet D. August. lib. de Bono viduitatis cap. 20. Respondeo posse nos licitè negligere famam multis in casibus, quos paulo antè enumeraui, neque id prohiberi à Deo, aut D. August. locis citatis, sed solùm prodigam eius effusionem, aut in alterius nocumentum redundantem: quo etiam modo commendari cuique diuiti potest cura conseruandæ suæ pecuniæ, ne nimirum eam effundat prodigè, néve in perniciem aliorum, imò vt habeat, vnde aliis benefaciat.

Tertia, quòd bona nostra fama non in nobis, sed in aliorum mentibus sit, non secus ac mala, vnde non magis illa quàm hæc in nostrum dominium cadere videtur. Verùm respondeo, quòd bona nostra fama sit extra nos, & in aliorum mentibus, non impedire quo minùs eius domini simus: non enim omnia quorum domini sumus, eodem à nobis modo possidentur, sed hoc, aut illo, pro natura rerum possessarum: aliter enim possidétur à nobis actus nostri proprij, aliter vestis, ager, pecunia, aliter etiam fama: quæ cùm in solis aliorum mentibus sit, possideri aliter non potest, quàm vt existens in ipsorum mentibus: quòd autem mala nostra fama in aliorum quoque mentibus sit, non sufficit vt eius domini simus: res enim quæ in dominium nostrum cadere potest, talis natura sua esse debet, vt si nobis non volentibus eripiatur, inferatur nobis iniuria: non est autem huiusmodi mala nostra fama, cùm in ea nobis etiam inuitis eripienda nullam à quoquam pati possimus iniuriam.

Quæres, an homo cuiusuis bonæ famæ suæ dominus sit? Rectè respondet Aragonius loco citato, non esse: esse quidem eius, quæ propriæ ipsius vitæ & moribus meritisque respondet; illius quoque, quæ licet eius meritis ac moribus à parte rei non respondeat, ei tamen à parte rei debetur: vt cùm quis interiùs improbus est, exteriùs autem probus apparet, de quo bonâ concipere existimationem obligamur, cùm secundum ea quę exteriùs parent iudicare debeamus: vnde qui hanc aut illam ei famam eripit, veram ipsi infert iniuriam: at non esse illius, quæ nec eius meritis respondet, nec debetur: vt cùm, verbi causa, concionator aliquis parum aut doctus, aut eloquens, habetur apud imperitam multitudinem doctissimus, aut eloquentissimus: de quo nullus capax ferendi sanú de doctrina eius & eloquentia iudicium, obligatur concipere præclaram illam de eo existimationem, imò licitè potest concipere eam tenuem, quam meretur tenuis eius aut doctrina, aut eloquentia: cuius quidem famæ apud imperitos partæ dominum ipsum non esse, ex eo constat, quòd qui famam hanc ipsi eripit, dicendo ipsum parum esse vel doctum, vel eloquentem, nullam ei facit iniuriam: quam profectò faceret, si illa in eius dominio existeret.

Ex dictis concluditur, infamare se etiam absque legitima causa, quando ex illa infamatione nullum in alios redundat nocumentú, nec in ipsum sui diffamatorem aliud vllum, quàm propriæ famæ detrimentum, nunquá esse mortale peccatum: quod enim tunc peccatum committitur, cuiusdam tantùm prodigalitatis est: peccatum autem quod solùm prodigalitatis est in effundendis iis rebus, quarum domini sumus, veniale tantùm est.

SECTIO II.

Vtrùm res quæ intra hominem sunt, & ad corpus pertinent, in humanum dominium cadant?

VENIO iam ad res prioris generis, nempe ad eas, quæ intra nos sunt: quę quidem sunt in duplici differentia: aliæ enim ad corpus, aliæ ad animum pertinent: & priorum quidem illarum aliæ sunt vita, & membra, aliæ pulchritudo, libertas opposita seruituti, réspque similes nobis internæ, à quibus non pendet necessariò vel vita nostra, vel nostrorum membrorum integritas: quibus de rebus dicemus primùm, tum de iis quæ ad animum spectant.

Quoad vitam ergo nostram & mẽbra, communis Theologorum sententia negat, nos in hæc aut illam habere dominium. Ita D. Thomas hîc quæst. 64. art. 5. ad 1. & 3. & sæpe alibi. Caiet. ibidem, & in summa verbo *homicidium*. Victoria Relect. de homicidio, num. 23. & sequenti. Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 2. art. 3. & Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 10. qui dum hoc negat, loquuntur de directo plenóque dominio, non de vtili, cùm certum apud omnes sit, quemlibet habere vitæ suæ, suorumque membrorum dominium vtile, seu vsum, & ius vtendi: quod non est habere proprie dominium directum, & plenum in vitam suam, ac membra, sed in quasdam vitales eorum actiones.

Et quidem ratio, ob quam negandum est homini directum ac plenum vitæ suæ dominium, hæc præsertim est, quòd ad istius dominij rationem necessarium sit, vt dominus ius habeat vtendi suum in commodum re cuius habet dominium directum ac plenum, vtendi, inquam, ad omnem vsum naturaliter humanæ potestati possibilem, atque adeo eam destruendi, quando naturaliter destrui potest: cuiusmodi ius homini non competit in suam vitam, cùm seipsum iure non possit interficere, etiam illis in casibus, in quibus suiipsius interfectio, vere cederet in magnum eius siue corporale, siue spirituale commodum: corporale quidem, vt cùm morte liberaretur tot & tantis corporis doloribus, quibus meritò quis mortem præoptaret: spirituale verò, cùm quis moraliter certò iudicat se lapsurum in mortale peccatum, si diutius viuat, aut se in statu gratiæ moriturum, si nunc moreretur.

Neque dicas licitum homini esse multis in

casibus permittere vitam sibi eripi : nam & multis in casibus permittere licitè potest eripi vitam alienam, & pecuniam, cuius non ideo dominus est, quandoquidem aliena est. Atque hæc eadem ratio valet ad probandum, hominem non habere membrorum suorum directum plenumque dominium, cùm iis iure nequeat propria & priuata sua authoritate in suum commodum vti ad omnem vsum naturalem possibilem, qualis est eorum obtruncatio : quæ, si dominium illud haberet, licita ipsi esse deberet, sicut & pecuniarum alienatio, aliarúmque similium rerum consumptio & destructio illis omnibus in casibus, in quibus illa cederet in ipsius obtruncantis commodum, siue corporale, siue spiritale.

I.

Nec dicas homini licere pro vitæ suæ conseruatione membrum sibi aliquod amputare: nam & medico licet ægroti membrum resecare, ad vitam ipsi conseruandam, & cuiuis ob eundem finem iniustum aggressorem occidere, nec tamen ista potestas est efficax argumentum directi plenique dominij, quod habeat medicus in ægroti sui membra, aut quilibet in vitam alienam. Adde quod si homo dominium huiusmodi in sua membra haberet, haberet ex consequenti in suam vitam, cùm ex membrorum integritate vita pendeat.

II.

His de vita membrisque breuiter dictis, dico iam de pulchritudine, similibúsque rebus in genere ad vitæ conseruationem, & membrorum integritatem minimè necessariis, eas in nostro pleno dominio esse : nec vlla est ea de re inter Theologos controuersia, cùm certum sit nos habere plenissimam potestatem de iis propria nostra authoritate disponendi nostrum in commodum, ad omnem vsum naturaliter possibilem, vsque ad ipsarum etiam destructionem.

III.

Dico deinde, certum eandem ob causam esse debere, hominem suæ libertatis habere directum plenumque dominium, cùm eam possit vel retinere sibi, vel alienare à se, tradendo se alteri in seruum seu mancipium : quod licitum esse constat illustri S. Paulini exemplo, multisque Scripturæ locis ex Leuitico, Exodo, & Deuteronomio : de quo genere libertatis & seruitutis, cùm multa dici possent, nos hæc quæ sequuntur pauca dicemus, quoniam fusior de iis tractatio magis ad Iurisperitos, quàm Theologos pertinet.

Primum est, iure naturæ neminem esse seruum, seu mancipium alterius hominis : quilibet enim ex propria humanæ suæ naturæ conditione liber est, nisi forte iure positiuo seruus alterius effectus sit, vnde in l. *libertas.* ff. *de statu hominu.* instit. *de iure personarum.* §. 1. dicitur seruitus contra naturam esse, seu naturæ ius, non quidem positiuè, quasi ius istud eam positiuè vetet, sed negatiuè, quia neminem alteri tanquam mancipium addicit. Nec dicas ex Philosopho libri primi Politicorum capite tertio & quarto seruitutem esse duplicem, vnam naturalem, alteram legalem : nomen enim seruitutis ibi non accipit pro seruitute, qua quis alterius mancipium est, sed pro subiectione qua quis alterius superioris subditus est : aliúdque nihil vult, quàm quosdam ex rei natura iis esse corporis animique dotibus præditos, vt præesse, & imperare naturaliter apti sint : alios iisdem ita destitutos, vt ad hoc inepti sint, quibus proinde ex rei natura conuenit, & expedit, aliis vt superioribus subiici.

IV.

A

Secundum est, seruitutem de qua loquimur duplici vniuersim ex capite oriri posse : vno, ex propria voluntate : altero, ex aliena. Cùm enim, vt dixi, non sit naturalis seu ex rei natura seruitus, necessarium est, vt sit ex positiua alicuius voluntate, quæ alia esse non potest, quàm aut propria cuiusque, aut aliena. Et quidem ex priori capite contrahi seruitus potest, homine alteri se liberè pro pretio vel absque pretio in mancipium tradente : spectata enim sola rei natura, non positiuo iure, quod huiusmodi gratuitam suæ libertatis donationem inualidare potest, eiusdemque venditioni, vt valida sit, certas conditiones præscribere, (vt de facto præscripsisse constat ex lege 1. & 4. ff. *quibus ad libertatem proclamare non licet*, lege *liberis.* ff. *de liberali causa.* lege *liber homo.* ff. *de statu hominum.* aliisque legibus,) potest quilibet se gratis, multóque magis pro pretio, licet non æquiualenti, in mancipium alteri tradere : quoniam ex rei natura potest quilibet rei suæ dominus, eam, si commutationis capax sit, commutare cum altera, atque adeo vendere, siue res cum qua commutatur sit æqualis cum ea valoris, siue non : quidquid autem licitè validóque vendere quis potest, potest etiam donare gratis & liberaliter : cùm enim possit vendere, & postquam pretium rei venditæ ab emptore acceperit, possit ipsi acceptum pretium gratis reddere, potuit ex consequenti nullo pro ea re pretio accepto aut petito, eam primò donare liberaliter : sic enim vendere, donare est.

V.

B

VI.

C

VII.

Ex posteriori autem capite orta seruitus triplici rursus ex fonte ortum habere potest : primo, ex potestate parentum in liberos : pater enim, vt extremæ suæ necessitati subueniat, vendere potest filium etiam nolentem : quo loco obseruandum est, ius ciuile, lege *transactione.* codice *de transactionibus.* & lege 2. codice *de patribus qui filios distraxerunt*, statuisse, vt in ea venditione, tacitum semper pactum intercedat de retrouendendo patri filio, quando pater æquualens aliud mancipium, aut iustum pretium obtulerit : quod pactum, quia ex solo iure ciuili est, locum tantùm habet vbi ius istud ciuile receptum est : sicut & hoc, quòd nimirum solus pater in casu supradictæ necessitatis potestatem habeat vendendi filium, non item mater : quod à iure ciuili statutum esse dicit Glossa suprà citato codice *de patribus qui filios distraxerunt.* id colligens ex citata lege *transactione.* quamuis id in ea clarè non statuatur.

D

VIII.

Secundò, ex natiuitate : nam secundùm idem ciuile ius, qui ex matre serua nascitur, siue pater liber sit, siue non, seruus est eiusdem domini, cuius mater serua est. Vnde illud, *partus sequitur ventrem.* Cuius constitutionis ratio-

nem vnam affert S. Thomas in 4. dist. 36. quæst. prima art. 4. præter quam reddi possunt & istæ, quòd nimirum mater certiùs cognoscatur, quã pater, quodque illa magis impediatur ex opere generationis ab exhibendo famulatu domino, constituatúrque in aliquo vitæ periculo, non sine ipsius domini detrimento: quam ob causam dictum videtur lege. *Lex naturæ*. ff. de statu hominũ, de iure naturæ esse, vt talis matris filius, seruus sit: non quòd naturale ius præcipiat hunc seruum esse domini cuius mater serua est: sed quia illud est huic iuri, seu rectæ rationi valde consentaneum: quod etiam ex §. *ejus autem*, Instit. de ingenuis, intelligendum est de matre, quæ serua fuerit tempore conceptionis, nativitatis, totóque intermedio, cuius proinde filius seruus non erit, si aliqua parte temporis illius ipsa serua non fuerit.

I. A

Vbi obseruandum est, S. Thomam loco suprà citato dicere, extra Romanum Imperium aliam vigere consuetudinem, nimirum vt filius ex alterutro parente seruo progenitus seruus sit: & Panormitanum cap. *Licet*, de coniugio seruorum, docere alicubi esse introductum, vt filius matris seruæ, patris aũtem liberi, liber sit: quæ omnia cùm solo iure positiuo, quod non idem vbique est, introducta sint, vera esse possunt, & seruanda sunt, vbi ius illud receptum est.

II. B

Tertiò ex delicto, quo ex fonte contrahi seruitus duobus modis potest: vno per sententiam Iudicis delinquenti pœnam hanc imponentis, quam imponere iustè potest, cùm delictum ea dignum est: quæ quidem minor est morte, quam tamen inferre iustè plerunque pro peccato potest. Quod confirmatur ex eo quòd multa sunt delicta, quæ in iure ea puniri pœna iubentur, vt constat ex capite. *Ita quorundam*, de Iudæis & Saracenis, & cap. *Eos qui*, distinct. 32. & cap. *Cum multa*, causa 15. quæst. 8. cap. denique. *De raptoribus*, causa 36. quæst. 1. Altero per causam iusti belli vim habentem ex iure gentium, quo introductum est, vt iniustum bellum gerens à capiente iustum bellum gerente possit inuitus in seruitutem redigi: cui tamen iuri derogatum esse quoad Christianos, quibus etiam hæretici comprehenduntur, aliàs monuimus.

III.

Tertium est, ius dominorum in seruos extendere se ad omnes operationes quas licitè ab iis exigere possunt: ad omnia quoque bona quæ acquirunt: regulariter tamen, prout agendo de subiecto dominij explicatum est: at se minimè extendere ad eorum corporalem vitam, & membra corporis, quia dominus serui maiorem in eum potestatem non habet, quàm haberet ipse seruus in se, antequam seruus fieret, cùm ad summum, id quod ante seruitutem habebat in se iuris ac dominij, in illum transtulerit: ex quo sequitur, dominos sine rationabili causa vel occidentes, vel mutilantes seruos, eosdémque immoderatis laboribus opprimentes, peccare contra iustitiam, obligaríque ad condignam pro illata iniuria compensationem.

IV. D

Quartum est, certum in primis esse, licere eis qui iniustè serui facti sunt, fugere ad suos, aut quocunque aliò voluerint, cùm verè seruitui non sint, sed liberi, suíque iuris. Certum deinde, illicitam iis esse fugam, qui vel sponte se vendiderunt, vel à parentibus venditi sunt, vel ex matre alterutro duorum istorum modorum serua geniti sunt: vel denique qui ob delictum per iustam legitimi iudicis sententiam pœna seruitutis mulctati sunt, obligaríque, si fugiant, restituere se dominis suis, damnáque sequuta illa ex fuga resarcire, si possunt: ij enim perinde sunt in dominio dominorum suorum, atque pecuniæ, aliæque huiusmodi res, quæ si furto tollantur, restituendæ sunt, sequutáque ex hoc furto damna resarcienda.

V.

Quintum est, satis magnam inter Theologos controuersiam esse, vtrùm seruis captis in bello iusto ex parte capientium, liceat à dominis fugere, negatiuam partem defendentibus, Sylvest. verb. *seruitus*, quæst. 3. Nauar. in Manuali præsertim ex vltima editione cap. 17. num. 103. & Molina Tractat. 2. de Iustit. disputatione 37. affirmatiuam autem tuentibus Couarr. in Regula *Peccatum*, parte 2. §. 11. numero 6. & lib. primo Varia. Resolut. cap. 2. numero decimo, Soto lib. 4. de Iust. quæstione 2. artic. 2. Dom. Bann. hîc quæstione 40. articulo primo, dubio penultimo, & Gregorio à Valent. punct. 3. asserentibusque licere fugere, dummodo fugiant ea intentione, vt egrediantur fines dominorum suorum, ad suósque perueniant: quod additur, quia cùm non consequantur libertatem, nisi postquam fines eorum egressi sunt, ad suósque peruenerunt, peccant haud dubie, cùm non ea intentione fugiunt, quia priuare dominos suos obsequio debito licitè non possunt eo tempore quo adhuc serui sunt, nisi fuga ad recuperandam libertatem ordinetur, & proinde nisi prædicta intentione fiat.

VI.

Quam sententiam non modò in praxi tutam, sed etiam priore probabiliorem iudico, ob hanc rationem, quòd cùm seruitus quæ ex bello contrahitur, iure gentium, vel ciuili, vel vtroque introducta sit, tanta solùm est, tamque diuturna eius obligatio, quantam placuit esse hominibus huius aut illius iuris authoribus: non placuit autem tantam esse, vt nunquam seruis liceret fuga moliri reditum ad suos, nec tam diuturnam, vt isto reditu non desineret: vt patet ex lege 7. ff. de acquirendo dominio, vbi liberi homines dicuntur fieri posse serui, ita tamen, vt si hostium potestatem euaserint, recipiant pristinam libertatem: quod & habetur lege 27. ff. de captiuis: quibus ex legibus factum puto, vt aliqui partis huius affirmatiuæ defensores, visi sint velle, seruis licere fugere, dummodo ea intentione fugiant, vt dominorum suorum fines egrediantur, & si ad suos redire non intendant: ipsos quoque pristinam libertatem recuperare, statim atque fines eorum egressi sunt: quamquam alij addunt ad hanc consequendam esse præterea necessarium, vt ad suos redeant, & per consequens, vt licitè fugiant, ea mente esse fugiendum, vt ad suos reuertantur: quod addunt propter ea quæ habentur in §. *Item ea*. Instit. de rerum diuisione. Vbi postquã Iustinianus dixit eos qui in bello

VII. C

VIII.

capiuntur, iure gentium fieri seruos capientium, statim addit, *Quòd si nostram potestatem euadant, & ad suos redeant, pristinum statum recipiunt.*

I. Aduerte autem, hanc quam defendimus sententiam non de solis illis seruis esse intelligendam, qui in bello iusto ex parte capientium capti sunt, sed de quibuscunque, quorum seruitus ex seruitute titulo iusti belli orta, tanquam ex prima radice nascitur: quo fit, vt si captus in bello iusto venundetur postea à domino suo alteri, aut si quis seruus est, qui filius sit matris seruæ titulo iusti belli effectæ, liceat ipsi perinde fugere, atque ei qui solo isto titulo seruus effectus est: cùm enim seruitus ex illa venditione, vel ista generatione orta, nascatur per se tanquam ex prima radice, ex seruitute titulo iusti belli contracta, vna eadémque est vtriusque seruitutis ratio quoad obligationem seruiendi, & licentiam fugiendi.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones.

II. AT opponunt nobis aduersarij primò Glossam in cap. ius gentium dist. 1. verb. *seruitutes*, diserte affirmantem, captum in bello iusto peccare mortaliter cùm à domino fugit. Respondet Couarr. supracitatus, intelligendam esse, quando fugit animo non egrediendi fines intra quos non recuperat libertatem.

Opponunt secundò iure ciuili statui, vt serui fugitiui in fuga deprehensi, vel amputatione pedis vnius, vel ad metalla deputatione plectantur, quæ pœna iniustè constitueretur, si licita fuga esset. Respondeo leges has de seruis fugitiuis intelligendas, qui alio titulo quam belli iusti serui facti sunt.

III. Quòd si quis inster, dominum seruo suo titulo iusti belli, deprehenso in fuga, posse iustè cruciatus infligere, concedo quidem posse, at non in pœnam arreptæ fugæ, cùm licitè arripuerit, sed ad cautelam, securiorémque serui sui possessionem, qui reuocatus ex fuga metu similis cruciatus iterum incurrendi tardior reddetur ad fugam iterum tentandam: sicque tutius à domino possidetur: quo modo possessionem ipsius sibi conseruandi eodem iure dominus potestatem accepit, quo ipsam eiusdem possessionem. Vnde quæ iure gentium aut ciuili data est seruis titulo iusti belli redactis in seruitutem licentia fugiendi ad suos, vt recuperent pristinam libertatē, data est cum hoc onere, periculi scilicet vapulandi, si in fuga deprehendantur, antequam ad eum locum peruenerint, in quo pristinam libertatem recuperasse censeantur.

IV. Opponunt tertiò, si seruis illis fugere liceret, licitum quoque fore fugam illis conflare, ad eamque cooperari præbendo equum, similiáque adiumenta: contrarium autem videri definitum in Concilio Gangrensi, vt habetur in cap. 37. causa 17. quæstione quarta, verbis istis. *Si quis seruum alienum occasione religionis docet dominum suum contemnere, & eius ministerium destituere, anathema sit.* Concessa consequētia Maioris, nego Minorem. Ad Concilium autem dico, vel intelligendum esse de seruis alio titulo, quàm iusti belli, vel si de iis quoque loquitur, & in genere de omnibus, sic esse accipiendum, vt solùm velit, non esse cuiquam licitum consulere seruis vt à dominis fugiant, alitérve ministerium ipsis debitum deserant, occasione religionis, quasi Christiana religio seruos eximat de potestate dominorum, soluátque omni debito ipsis seruiendi, quod quidam hæretici temporis illius asserebant.

V. Opponunt quartò, captos iusto bello iure gentium aut ciuili tam constitui seruos capientium, quàm qui venditione sui ipsorum serui efficiuntur: vnde sicut his à dominis fugere non licet, ita nec illis licitum fore. Sed respondeo ad antecedens, tam quidem constitui, in eo quòd sicut hi, sic illi serui sunt, & mancipia dominorum suorum: at non tam simpliciter & absolutè, quia hi vi venditionis ita serui facti sunt, vt ad pristinam libertatem fuga licitè aspirandi facultatem omnem amiserint: at illi prædicto iure non ita serui facti sunt, quin eodem iure concessam habeant ad id quod dixi potestatem.

VI. Opponunt postremò, non licere ab aliquo auferre id cuius dominium ei datum est, in satisfactionem pro accepta iniuria: seruum autem iure prædicto datum domino suo esse, in satisfactionem pro iniuria quam intulit, dum iniustum bellum gessit. Respondeo, illud quidem, cuius datum dominium in satisfactionem pro iniuria est, licitè auferri ei non posse cui datum est, eo modo quo datum est: nego autem seruum in satisfactionem pro iniuria datum esse domino suo eo modo, vt fugam ad suos licitè tentare non posset.

SECTIO IV.

Vtrùm res quæ intra hominem sunt, & ad animum pertinent, in humanum dominium cadant.

VII. SVPEREST vt de rebus nobis internis, & ad animum pertinetibus breuiter dicamus: hæ autem sunt in nobis per modum vel actus, vel habitus in entitate vel naturalis, vel supernaturalis. De actibus autem nostris, siue naturalibus, siue supernaturalibus, si liberi natura sua sunt, certum esse debet, nos eorum habere plenum dominium, cùm pro libertate nostra possimus eos producere, vel non producere: productos continuare, vel interrumpere, de eorúmque proinde substantia ita disponere, vt hæc in rerum natura sit, vel non sit. De necessariis verò cuiusmodi est visio beatifica contrarium sentiendum, contrariam ob causam.

VIII. De habitibus autem siue naturalibus siue supernaturalibus, dico primò, nos habere plenum in eos omnes dominium, quos per aliquem actum nostrum liberum destruere possumus. Ita docet expresse Aragonius in citata de dominio materia; loquiturque etiam de supernaturalibus gratiæ, charitatis, fidei, similibusq; habitibus. Canus quoque Relect. de pœnit. part. 4. in respons. ad 2. argumentum. Ratio autem est, quòd eo ipso quòd sic illos destruere

possumus, liberam habemus potestatem de eorum substantia disponendi perfectissimo modo, qui est rei quæ possidetur destructio: præter hanc autem potestatem nihil requiritur, vt hæres pleno à nobis dominio possideri censeatur.

Dices habitus virtutum, siue naturalium, siue supernaturalium, destrui non posse per nostros actus liberos nisi vitiosos, & cum peccati malitia coniunctos, qui cùm nunquam liciti esse possint, nec licita per consequens esse potest illorum habituum destructio, quæ tamen licita saltem aliquando esse deberet, vt illi à nobis pleno dominio possiderentur. Sed respondeo rei alicuius destructionem illicitam esse posse duobus modis: primo, quia id per quod destruitur illicitum est, & peccatum, ratione præcisè rei quæ destruitur: secundo, quia alio ex capite illicitum & peccatum est: hoc autem posteriori modo quamuis illicita sit cuiusuis habitus virtutis, siue naturalis, siue supernaturalis destructio, priori tamen non est: nam qui per mortale peccatum intemperantiæ, verbi causa, destruit habitum temperantiæ, gratiæque sanctificantis ac charitatis, non peccat ex eo præcisè capite, quòd hos habitus destruat, vt ex dictis in Tractatu de peccatis disputatione 16. de macula peccati satis constat, sed ex eo solo capite, quòd actum malum præcepto vetitum exercet, siue per hunc prædictos habitus destruat, siue non: vt autem habitus hi pleno dominio possideantur, sufficit quòd illorum destructio non sit illicita modo illo priori.

Dico secundò, nos non habere dominium in quosdam nostros habitus: lumen enim gloriæ habitus quidam est, nec tamen habent beati eius dominium, cùm nec per aliquem eorum actum acquiratur, nec in eorum libera potestate sit eius substantiam destruere, imò nec eo vti, vel non vti, cùm vti solùm possint ad videndum Deum, qui vsus est simpliciter ipsis necessarius. Hinc concluditur, Angelos nō habere suarum specierum dominium: has enim nec acquirunt per proprios actus, sed à Deo infundente accipiunt, nec earum substantiam destruere possunt, licet eis vti vel non vti pro arbitrio possint.

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

A B C D

DISPVTATIO XVIII.

De dominiorum diuisione, rerumque appropriatione.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm olim licita fuerit, nunc que sit rerum dominiorumque diuisio?

NOTANDVM primò, dominiorum nomine nos hic sola proprietatis dominia particularia intelligere, horum enim tantummodo facta diuisio est. Secundò, rerum nomine intelligi externas, tam mobiles, quàm immobiles, tam vno perfecto actu non consumptibiles, quàm consumptibiles, quæ vno verbo diuitiæ nuncupantur, harum enim etiam rerum solùm diuisio facta est. Tertiò, ante hanc diuisionem, homines harum rerum dominium in communi habuisse, ita autem in communi, vt non solùm tota hominum communitas indiuisim sumpta dominium in eas haberet, sed etiam vt singuli seorsim haberent, possentque iis vti ad arbitrium: vnde commune tunc non erat eo modo, quo ius ad hæreditatem indiuisam in hæredibus commune esse dicitur, cùm vnus eorum sine consensu aliorum nullam determinatam hæreditatis partem assumere sibi possit: sed eo potiùs modo quo nunc fontes dicuntur esse communes, ex quibus aquam haurire non solùm tota hominum communitas potest, sed etiam singuli homines absque aliorum consensu, imò iis etiam inuitis possunt.

Quod quidem commune tunc dominium de iure naturali fuisse docet expresè D. Thomas hîc quæst. 66. art. 1. hacque ratione rectè probat, quòd vna quidem ex parte res exteriores natura sua propter hominem sunt, vt ei scilicet in alimentum aliósque vsus cedant, aliunde verò homo natura sua ratione & libertate præditus est, per quas vti rebus illis exterioribus ad vtilitatem suam potest, eas etiam destruendo, vt occidendo, & consumendo: quod profectò est ipsum in illas ex rei natura, seu naturale habere dominium. Qua etiam ratione Philosophum lib. 1. Politic. cap. 5. probasse dominium hominis in res illas externas esse naturale, refert eodem artic. 1. idem S. Thomas. Quare dum Genes. cap. 1. dixit Deus primis nostris parentibus, vt subiicerent sibi terram, dominarentúrque piscibus maris, &c. non tam ipsis contulisse dominium in res istas existimandus est, quàm declarasse ius & dominium, quod in easdem ex natura rei habebant.

Iam vt de proposita quæstione dicamus, ei dederunt occasionem quidam hæretici, qui vt testis est Diuus Augustinus libro de hæresibus, hæresi 40. & Epiphanius hæresi 32. Apostolicos se nominabant, quique quamuis non negarent dominiorum & rerum diuisionem olim fuisse licitam, negabant tamen nunc licere Christianis quidquam tanquam proprium possidere. Contra quam hęresim hanc ponimus assertionem: Non tantùm olim fuisse licitum siue fidelibus, siue infidelibus, habere proprium ac particulare rerum aliquarum externarum dominium, sed nunc quoque idem ipsis Christianis licitum esse. Et quidem cùm Christus Matth. 22. dixit ratione oblati numismatis, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, satis significauit Cæsarem, Imperatorem infidelem, licitè proprias aliquas & particulares possessiones habere. De Abrahamo verò aliisque sanctis Patriarchis & Prophetis veteris legis cùm certum sit ipsos eiusmodi possessiones habuisse, dubium esse non potest, quin licitum olim fidelibus fuerit proprium aliquod externarum rerum habere dominium. Quòd autem nunc idem liceat ipsis quoque Christianis, clarum est primò ex iis D. Petri verbis ad Ananiam Actorum quinto: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Deinde ex his Christi

Domini, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes*, &c. Quibus apertè declarat abdicationem rerum ac possessionũ suarum non esse necessitatis, sed perfectionis. Præterea ex vsu totius Ecclesiæ. Denique ex Conciliis Palæstino, Gangrensi, & Constantiensi, I. in quibus contraria doctrina tanquam hæretica damnata est: & in isto quidem sess. 8. reperiuntur speciatim danati articuli duo Vvicleffi, decimus scilicet, & tricesimus sextus, quibus asserebat Ecclesiasticis saltem non licere proprium vllius externæ rei dominium habere: quod & postea à Ioan. 22. Extrau. *ad conditorem* condemnatum est.

Obiic. tamen primo hæc Christi verba, Lucæ 14. *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Communis & vera responsio est, his verbis aut contineri consilium tantum, aut si etiam præceptum, intelligenda esse non de externa & actuali renuntiatione, sed de interna, ac in præparatione animi, ad externam hanc & actualem, quando id II. aut ad animæ salutem, aut ad diuinam gloriam erit necessarium. B

Obiic. 2. verba hæc Clementis Papæ epistola 5. quæ habentur cap. *Dilectissimis*. 12. quæst. 1. *Vsus omnium quæ sunt in mundo communis omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud, atque ita inter mortales facta est diuisio.* Ex quibus concluditur, illicitum esse nunc retinere rerum dominiorũmque proprietatem, cùm sit illicitum retinere, quod per iniquitatem fuit vsurpatum. Sed respondeo verba hæc (*per iniquitatem*) in quibus est tota vis obiectionis, non esse sumenda in sensu formali, quia sensus eorum non est, ipsam rerum dominiorumque diuisionem ac proprietatem formaliter iniquam esse, sed in causali, quia sensus est, causam seu occasionem talis diuisionis faciendæ fuisse iniquitatem: nisi enim hæc præcessisset, & innocentiæ status si perpetuus extitisset, non fuisset illa III. diuidendarũ rerum necessitas quæ postea fuit, C nec facta diuisio illa esset, etsi licitè fieri potuisset. Vnde Pontifex eo loco loquutus est eodem modo quo Christus ex multorum interpretatione, Matth. 5. cùm sic præcepit, *Sit sermo vester, est, est, non, non, quod autem amplius est, à malo est.* Quibus significare noluit quodlibet iuramentum formaliter malum esse, cum tamen quodlibet verbis illis quiddam amplius sit, sed causaliter: id est, iuramenti inter homines multis in casibus necessitatem ex peccato tanquam ex causa ortam esse: nisi enim mendaces homines essent, nulla esset, vt illis crederetur, necessitas iuramento confirmandi id quod dicunt.

IV. Obiic. tertiò multos ex sanctis Patribus in D rerum proprietatem inuehi. Ambrosium serm. 81. non procul à fine sic loquentem. *Nemo proprium dicat, quod communi plusquam sufficeret, sumptum, & violenter obtentum est.* Chrysostomum sic scribentem in caput 4. primæ ad Corinth. homilia 10. circa medium, *Meum & tuum verba tantùm inania sunt, re autem non existunt, licet domum tuam esse dixeris, inaniter loqueris.* Basilium homilia prima ad diuites circa finem, affirmantem eos qui ea quæ possident sua dicunt, & ab eorum vsu alios prohibent, similes esse ei, qui ad communem spectaculorum locum primus veniens, alios eiusdem loci ingressu prohiberet: inter cætera autem hæc habentem. *Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam in conclaui seruas, discalceati calceus qui penes te marcescit, indigentis argentum quod possides inhumatum: quocirca tot iniuriam facis, quot dare vales.* Vera & ex D. Thoma citata quæst. 66. art. 2. desumpta responsio, est, sanctos illos Patres aliósque simili modo loquentes velle aliud nihil, quàm res externas debere esse quoad vsum communes, licet non sint quoad dominij proprietatem, itavt illicitum sit, res quas quisque possidet vsque adeo sibi proprias efficere, vt eas cum proximo in necessitate constituto ipse extra hanc constitutus non communicet. Quod satis aperte declarauit idem S. Basilius immediate ante verba ex ipso relata, hæc habens. *Si fateris ea* (bona scilicet temporalia) *tibi diuinitus prouenisse, an iniustus est Deus inæqualiter nobis res distribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat? nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ præmiis decoretur?*

Obiic. quartò, id licitum esse non posse, quod est contra ius naturale: dominiorum autem diuisionem, rerumque proprietatem contra naturale ius esse, cùm rerum dominiorumque communitas de iure naturali sit. Vera & ex D. Thoma citato art. 2. ad 1. petita responsio, est, illud quidem quod est contra ius naturale præcipiens licitum esse non posse: at quod contra ius naturale permittens licitum posse esse: alioqui seruare virginitatem non esset licitum, cùm fit contra ius naturale permittens vxorem ducere: diuisionem autem dominiorum, rerumque proprietatem, esse quidem contra ius naturale permittens res in commune possideri, nec diuidi: at non esse VII. contra ius naturale præcipiens: cum nec præcipiat res in commune possideri, nec vetet ipsas earumque dominia diuidi. Ex quo intelligitur, quod in obiectione dicitur, rerum dominiorumque communitatem de iure naturali esse, veritatem habere de iure naturali permittente, at non de præcipiente.

Obiic. postremò, diuisionem rerum fuisse saltem iis iniuriosam, qui nunc nihil possident, & olim nihil possederunt: qui tamen, si res vt antea communes permansissent, erant in eas æquale ius cum cæteris habituri. Sed respondeo fore quidem illis iniuriosam, si quando primùm facta est, ita facta fuisset, vt vel ipsi, vel ipsorum parentes nulla rerum quæ diuidebantur parte donati fuissent: at cum non ita facta fuerit, eis minimè fuisse iniuriosam. Quare quòd nunc aliqui nihil possideant, olímque fuerint qui nihil possederint, per accidens est respectu diuisionis rerum antea communiũ quæ facta est: neque ex ea tanquam ex vera causa, sed aliunde id ortum est: nempe vel ex eo quòd eorum maiores quas initio habuerunt facultates augere vel conseruare neglexerunt, aut etiam dissiparunt, vel ex eo quòd illis in pœnam criminum suorũm spoliati sunt, vel alia simili de causa.

SECTIO II.

Quo iure introducta sit rerum diuisio?

I. IVRE gentiũ introductã diuisionem satis significat D. Thom. partim quæst. 57. art. 3. in Corp. partim 66. art. 2. ad 1. docentque cõmuniter Theologi. Sanè cũ aliquo iure introducta fuerit, nec naturali, vt constat ex ante dictis, restat vt positiuo, non quidem diuino: nulla enim vspiam extat de ea diuina lex, ergo humana: non ciuilis, ergo gentium: vt constat in primis ex eo quòd cùm prædictarum rerum dominiorúmque diuisio facta apud omnes gentes fuerit, penes quas etiam erat earundem commune dominium, prout initio disputationis huius explicuimus, oportuit, vt licitè fieret, eam ex iure gentium originem trahere. Secundò, quia ius ciuile non cœpit nisi post constitutas ciuitates & Respublicas, rerum autem dominiorumque diuisio earum constitutionem haud dubiè antecessit.

II. Nec opponas D. August. tract. 6. in Ioan. significare diuisionem hanc esse de iure ciuili, dum sic loquitur: *Quo iure defendis villas Ecclesiæ, diuino, an humano? Diuinum ius in Scripturis habemus, humanum in legibus Regum: vnde ergo quisque possidet, quod possidet? nonne iure humano? tolle iura Imperatorum, quis audeat dicere, hæc villa mea est, mea est hæc domus?* Respondeo enim cum per iura imperatorum aliud nihil intelligere, quàm ius humanum vagè, siue ciuile sit, siue gentium, quod eo loco non curauit distinguere, vtpote satis ad institutum suum existimans ostendere diuisionem rerum ac proprietatem non alio iure quam humano introductam, fuisse quam iure gentium fuisse introductam ita defendimus, vt simul fateamur, iura ciuilia ad eam multa postea diuersíque addidisse, pro varietate regionum, ac Rerumpublicarum, prout huic aut illi regno, vel Reipublicæ magis expedire visum est, partim præscribendo certos rerum possidendarum, & transferendorum dominiorum modos, partim etiam alicuius rei, siue alterius antea esset, siue nullius, dominium alicui concedendo, partim aliter: quam ob causam in Instit. titulo de rerum diuisione §. *singulorum*, dicitur quarundam rerum dominium obtineri iure gentium, quarundam autem aliarum iure ciuili.

III. At obiicies, in hoc saltem statu naturæ lapsæ diuisionem rerum de iure naturali esse, quia illud de iure naturali est, ad quod faciendum ex natura rei obligatio est, talis autem est hæc in isto lapsæ naturæ statu diuisio. Cùm enim hoc supposito statu, necessaria sit, propter multa quæ recenset S. Doctor citata quæst. 66. art. 2. nominatímque ad conseruandam inter homines pacem, euitandáque multa iurgia, grauioráque peccata, quæ non facta illa rerum diuisione infallibiliter sequerentur, sicut ad hæc peccata cauenda ex natura rei obligatio est, ita & ad illam diuisionem faciendam.

IV. Respondeo duobus modis aliquid in obligationem ex natura rei cadere posse. Primo, per se, & ratione sui. Secundo, per accidens & ratione alterius, ad quod per se ex natura rei, obligatio est; quod primo modo cadit in obligationẽ ex natura rei, est per se & ratione sui de iure naturali: quod verò posteriore, per accidens tantùm & ratione alterius de hoc ipso iure est. obiectio autem vt summu euincit, in hoc statu naturæ lapsæ diuisionẽ rerũ hoc posteriori modo de iure naturali esse, cùm non per se & ratione sui cadat in obligationem ex natura rei, sed per accidens, & ratione alterius, nempe euitandorum illorum peccatorum quæ sequerentur nisi fieret, & ad quæ euitanda obligatio ex natura rei est: quod non impedit, quin per se & ratione sui de iure positiuo humano sit, quod solùm volumus, cùm iure gentium factam esse asserimus. Quemadmodum quòd quadragesimale ieiunium sit alicui ad superandas carnis tentationes necessarium, non obstat quo minus per se & ratione sui sit de iure positiuo Ecclesiastico: quamuis per accidens & ratione alterius, nempe euitãdorum contra castitatem peccatorum, ad quæ euitanda obligatio ex rei natura est, cadat in obligationem ex natura rei, sitque proinde per accidens & ratione alterius de iure naturali. Et quoniam res denominandæ sunt simpliciter ab eo quod eis per se conuenit, non autem ab eo quod per accidens, sicut simpliciter loquendo prædictum ieiunium de iure naturali esse non dicitur, sed de positiuo humano, ita diuisio rerum ac proprietas simpliciter & absolute de hoc ipso iure esse, non de illo dicenda est.

Adde quod etsi per accidens & ratione alterius sit obligatio ex natura rei faciendæ illius de qua loquimur diuisionis, sequuta tamen ex vi diuisionis ob hanc etiam obligationem facta rerum dominiorúmque proprietas de iure positiuo humano est: quod enim ex humana auctoritate ortum habet, de iure humano est, hæc autem rerum dominiorúmque proprietas talis est: immediatè enim oritur ex communium bonorum per humanam auctoritatem facta singulis distributione, licet ad hanc faciendam fuerit per accidens ex natura rei obligatio: sicut etsi ad euitandas in Republica mutuas ciuium cædes Reipublicæ Princeps obligetur aliquando ex natura rei, ferre legem qua vetet vllum ex ciuibus ferre vel habere domi suæ arma, sequuta nihilominus ex hac lege lata armorum carentia de iure positiuo humano est, cùm immediatè ex humana legislatoris authoritate ortum habeat.

V. At hic quæres primò, quandonam cœperit rerum dominiorúmque proprietas? Respondeo videri cœpisse ab ipso mundi initio. Genesis enim cap. 4. non obscure significatur Cain & Abel habuisse peculia distincta: cum iste dicatur obtulisse Deo de primogenitis gregis sui: ille verò ædificasse ciuitatem cui etiam filij sui nomen imposuit: quam ita cœptam, & ad diluuium vsque semper progressam, statim à diluuio repetitam fuisse, satis eadem Scriptura cap. 10. insinuat, cùm sic de filiis Noë loquitur: *Ab iis diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis.*

VI. Quæres secundò, quonam introducta modo sit? Respondeo multis modis introduci potuisse. Primo, ex consensu expresso gentium

VII.

VIII.

omnium, aut ferme omnium. Secundo, ex eorundem consensu tacito, his nimirum hæc sibi bona vsurpantibus, illis illa, ab eorundémque vsu & participatione cæteros prohibentibus. Tertio, ex statuto primorum parentum, vel Noemi post diluuium, vel alterius quem sibi
I. in Principem cæteri delegissent, & cui ex æquitate diuidenti bona communia acquiescere deberent: Probabilissimum autem est sic factam fuisse, eos nempe à quibus primò facta est, singulos de aliorum consensu certas aliquas accepisse possessiones, hunc, verbi causa, agrum istum colendum, illum, alium, relicta cuilibet potestate dominium suum extendendi ad terras & res nondum ab aliis possessas, itavt hæ essent eius qui primus illas occuparet. Vnde & nunc eodem iure gentium quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis.

Ex quo colligitur, non omnium rerum antea communium diuisionẽ factam fuisse: quod & ex sequenti disput. certiùs constabit: imò ex his rebus aliquæ ita sunt hactenus indiuisæ, vt nullo vnquam tempore videantur diuidendæ, cuiusmodi est mare quoad eas sui partes,
II. quæ à continenti maximè distant: quò fit vt in iis cuilibet nauigare liceat, & piscari. Dixi, quoad eas partes, nam quoad illas quæ terræ vicinæ sunt, eæ illorum sunt, quorum sunt illæ regiones, qui propterea externis piscationem illis in partibus prohibere iure suo possunt.

DISPVTATIO XIX.

De modis quibus dominium acquiritur.

SECTIO PRIMA.

III. *Quomodo rerum ratione carentium quæ antea nullius erant, dominium comparetur?*

HARVM rerum duplex est genus: primum earum quæ cognitione præditæ sunt: alterum earum quæ illa carent: res prioris generis, vno bestiarum nomine contentæ, sunt in duplici rursus genere: quædam enim suapte natura feræ sunt, vt cerui, lepores: quædam non item, vt gallinæ, oues: atque vt ex illis quædam educatione cicurantur, vt cerui, accipitres, ita ex istis quædam in syluis sibi ipsis relictæ efferantur, vt capræ, aliæque id genus. Res verò posterioris generis in quadruplici
IV. rursus genere sunt. Primum est earum quæ nunquam dominum habuerunt, vt lapilli, gemmæ, & huiusmodi alia, quæ in littore maris, fluminibus, aliisve in locis inueniuntur, insulæ quoque quæ nunquam fuerunt habitatæ.

Secundum est earum quæ dominum aliquando habuerunt, diuturnitate tamen longi temporis quo desierunt possideri, domino carent, & aliquo ad quem hæreditario iure pertineant: cuiusmodi sunt ex rebus immobilibus insulæ, & loca quæ licet aliquando fuerint habitata, à multo tamen tempore deserta sunt, & sine domino. Ex mobilibus verò ea quæ à longo tempore naufragio perierunt, & in fundo maris continentur, casu autem aliquo vel extrahuntur, vel in littore reperiuntur: thesauri quoque, quo nomine cum iurisperitis
A leg. *vnquam.* ff. de acquirendo rerum dominio, & leg. vnica. Cod. de thesauris, lib. 10. intelligendum est id tantùm, quod à tam multo tempore repositum alicubi & conditum est, siue sit pecunia, siue gemmæ, aliæve eiusmodi opes mobiles, vt ratione tam diuturni temporis quo desiit possideri, domino iam careat: vnde si sciri posset à quorum maioribus sit thesaurus ille reconditus nihil referret, quia quod tanto tempore desiit possideri, in cuiusquam etiam dominio esse desiit. V.

Tertium est earum quæ peculiari nomine solent in iure bona vacantia nuncupari, suntque ea quæ relinquunt ij, qui ab intestato decedunt, non habentes hæredes, qui ipsis iuxta decreta iuris ciuilis ab intestato succedant. Quartum illarum quæ paulò antè dominum habuerunt,
B nuncautem domino carent, quòd ab eo derelicta sint: pro derelictis autem habentur, quæ dominus ea mente abiecit, vt in numero rerum suarum esse nollet: vt patet ex §. penultimo instit. de rerum diuisione. Vnde sequitur ea quæ leuandæ nauis gratia tempore tempestatis in mare proiiciuntur non haberi pro derelictis: libentissimè enim dominus seruaret, si posset, & postquam proiecit, ac in portum euasit, recuperaret: quò fit, vt si paulò pòst ad littus iecta reperirentur, vellet ea sibi restitui, essentque ipsa restituenda. VI.

Neque verò quòd res eæ certò fuerint perituræ, nisi tu eas periculo eripuisses, ideo poteris retinere. Vt enim habetur, leg. *Pomponius.* ff. de acquirendo dominio, quælibet res nostra, quantúcunque periclitetur, manet nostra, quã-
C diu consumpta non est. Quare quod ait Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 99. posse nos res illas retinere, si cum aliquo vitæ nostræ periculo eas ex ignibus, fluctibúsve, in quibus certò fuerant perituræ eripuerimus, absolutè verum non est, sed tum solùm, cùm rationabiliter credi potest dominum res huiusmodi sic periclitantes permittere ei qui se periculo exponere voluerit: si quando autem id rationabiliter præsumi potest, tum sanè, cùm res illæ essent statim perituræ, nec sine tanto periculo possent liberari, quin periculum tanti moraliter, aut ferme tanti æstimaretur, quanti ipsæ res. VII.

Quo casu, etsi rei dominus ius adhuc habeat absolutè rem periculo ereptam tanquam suam sibi vendicandi, quia tamen ille qui eripuit, exigere meritò potest sui laboris ac periculi pretium, obligatur dominus aut ereptam periculo
D rem ipsi pro pretio relinquere, aut pretiũ aliud æquiualens labori ac periculo persoluere: quod persoluere si nolit, potest ille qui periculo eripuit, eam sibi retinere pro pretio sui laboris ac periculi; quam etiam licitè retinebit, si ereptam periculo dominus non repetierit: censebitur enim tunc temporis eam ipsi ratione periculi tacitè concedere. Ad hæc adiungo, videri pro derelictis habẽda, quæ fluctibus similiue modo VIII.

abrepta procul sunt, & à domino sciente vbi sint, nec quæruntur, nec curantur, vel quia sunt res parui momenti, vel quia ad earum recuperationem magni sumptus essent faciendi.

His præmissis. Dico res omnes tam prioris quàm posterioris generis, spectato naturæ ac gentium iure, fieri primò occupantis, vbicunque reperiantur, siue in proprio ipsius reperientis & occupantis fundo, siue in alieno, (nisi ius ciuile de aliquibus in particulari aliter constituat) vnde hæc occupatio modus est, quo prædictarum rerum dominium acquiritur. Ita docent Theologi communiter, patétque ex §. *ferè.* instit. *de rerum diuisione.* ex lege etiam 1. *ff. de acquirenda possessione*, & ex lege 1. *& 3. ff. de acquirendo rerum dominio.* Et sanè quando facta est prima rerum diuisio, cùm necesse fuerit multas res indiuisas relinqui, necesse quoque fuit esse modum aliquem, quo eæ, aliæque similes domino carentes appropriarentur, is autem commodissimus visus est, naturalíque rationi maximè consentaneus, & haud dubiè fuit, vt fierent eius qui primus eas occuparet: vnde sicut iure gentium prædicta diuisio facta est, ita & eodem effectum, vt quæ res nullius erant, essent primò occupantis.

I. A

II. B

Dixi, nisi ius ciuile &c. aliter enim reipsa constituit de thesauris, & suprà dictis bonis vacantibus. Et hæc quidem ex istius iuris constitutione ad fiscum Principis deuoluuntur, vt patet ex leg. *Vacantia.* Cod. de bonis vacantibus lib. 10, exceptis bonis mobilibus peregrinorum in hospitali ob intestato decedentium, quæ per Episcopum loci in pios vsus distribuenda sunt, vt in authentica *omnes peregrini*, cap. *communia*, de successionibus constitutum est.

III. C

Thesauri verò, si magica arte, aliáve legibus interdicta reperti fuerint, ad eundem fiscum pertinent, vt constat ex leg. vnica. Cod. de thesauris lib. 10. Quòd si aliter inuenti sint, distinguendum est: nam vel inuenti sunt in loco publico, qui proprie nullius est, sed omnium vsibus deputatus, vt in effossa platea, aut via publica: vel in priuato & alicuius proprio. Si primum, toti sunt inuentoris, nulla verò ex parte vel Reipublicæ, vel Principis, vt docet Couarr. regula, *Peccatum*, parte 3. §. 2. num. 3. aliíque multi quos citat & sequitur Lessius libro 2. cap. 5. dub. 16. rationem hanc huius rei reddens, quòd Respublica, vel Princeps non est dominus talis loci, dominio proprietatis, sed vt summum iurisdictionis, de quo non loquuntur leges, sed de solo illo priori, dum definiunt, thesauri inuenti in loco, alterius quàm inuentoris dominio subiecto, mediam partem esse inuentoris ipsius, alteram domini loci illius.

IV. D

Quòd si opponas hæc verba, §. *thesauros*, instit. de rerum diuisione: *Si quis in fiscali loco vel publico vel ciuitatis thesaurum inuenerit, dimidium esse fisci, vel ciuitatis.* Respondent nomine loci publici ibi non intelligi forum, plateam, similémve locum omnium vsibus deputatum, qui proprie nullius est, sed locum in quem Respublica dominium speciale seu proprietatis possidet, vt syluam, hortum, domum, &c. quanquam fatentur contrarium esse probabile, dandam videlicet esse inuenti thesauri medietatem vel Reipublicæ, vel Principi, propter authoritatem multorum Iurisperitorum, qui sic sentiunt.

V.

Si secundum, rursus est distinguendum: locus enim ille proprius alicuius, vel est ipsius inuentoris proprius, vel alterius, siue priuatæ personæ, siue communitatis: si prius illud, totus thesaurus inuentus est inuentoris: vt constat ex citato §. *thesauros.* & lege vnica. Cod. de thesauris lib. 10. sin istud posterius, dimidium erit inuentoris, & dimidium domini loci in quo inuentus est, si inuentor fortuitò inuenerit: quòd si de industria quæsierit, totus erit domini loci istius, vt ex iisdem locis constat. Quòd si locus in quo thesaurus inuenitur, duos dominos habeat, vnum proprietarium, qui dominium directum loci illius obtinet: alterum emphyteutam, aut feudatarium, qui dominium vtile eiusdem loci possidet, medietas erit inuentoris, altera in duas rursus medietates erit diuidenda, & vna vnius domini erit, altera alterius: vnde si inuentor est ipse directus dominus, aut emphyteuta, aut feudatarius, quartam tantummodo inuenti thesauri partem debebit alteri domino: ratione enim inuentionis mediam eius partem sibi iure vendicat: alterius verò medietatis mediam item partem, ratione dominij vel directi, vel vtilis quod habet in locum, in quo inuentus est.

VI.

Quòd si quis loci in alicuius dominio existentis vsum tantùm, aut etiam vsumfructum habet, in eóque thesaurum reperiat, medietatem eius ratione inuentionis sibi iure vendicabit; alteram verò medietatem debebit totam domino loci illius tradere: quo fit, vt si inuentor sit ipse dominus, totum sibi iure vendicet, nec vllam eius partem vsuario, aut vsufructuario debeat: hic enim ex eo quòd alicuius loci vsufructuarius est, ius tantùm habet vtendi fruendíque re illa, seu fructus eius percipiendi: thesaurus autem in loco existens in fructibus loci non numeratur: quæ omnia constant ex constitutionibus iuris ciuilis, vt videre est apud Less. loco citato dub. 15. & Molinam tract. 2. disput. 56.

VII.

SECTIO II.

Tria hîc obseruanda declarantur.

AT hîc obseruandum primò est, de bonis vacantibus, & thesauris, leges prædictas, qua parte bona illa fisco Principis adiudicant, & horum thesaurorum inuentori aut totum thesaurum, aut mediam partem, & alteram alteri attribuunt, non esse pœnales, sed definientes quis cuiusque rei dominus sit, proinde obligare in conscientia ante omnem sententiam iudicis: vt rectè docent Caietanus quæst. 66. art. 5. & Nauarr. citato cap. 17. num. 175. & alij quos sequuntur Lessius & Molina locis citatis.

VIII.

Dixi (qua parte, &c.) nam qua parte thesaurum inuentum arte magica, vel alia legibus interdicta, ad fiscum deuolui cõstituunt: qua item parte inuentorem in alieno fundo ex industria quærentem & reperientem priuant medietate quam haberet, si fortuitò reperisset, pœnales

sunt, & quidem non latæ, sed ferendæ sententiæ, nec proinde in conscientia ante iudicis sententiam obligantes, vt expresè docent Nauarr. & Lessius locis citatis dub. 17. Rebellus quoque prima parte de obligationibus iustitiæ lib. 1. quæst. 15. sect. 2. citans pro eadem sententia multos alios. Vnde si magica similive arte I. repertus fuerit thesaurus in loco proprio, vel publico & nullius, inuentor poterit tutus in conscientia totum retinere, donec ad dandum sententia iudicis condemnetur, eiúsque medietatem sibi pariter vendicare, si in proprio alterius fundo eum aut eadem arte, aut ex industria quæsierit, & repererit.

Adde quòd etsi prædicta lex totum thesaurum arte legibus interdicta repertum fisco Principis adiudicans non esset pœnalis, sed definitiua proprietatis rerum, non esset tamen sic intelligenda, vt vellet totum arte prædicta quæsitum, & repertum in proprio alicuius alterius fundo thesaurum ad fiscum Principis pertinere: cur enim huius fundi dominus sua II. medietate priuaretur ob crimen alterius, si particeps criminis ipse non fuit? cùm præsertim ex leg. *sancimus*. Cod. de pœnis. *Pœna suos authores egredi non debeat*. Vnde Lessius dub. 17. cit. docet expresè solam illam medietatem inuenti thesauri adiudicandam esse fisco Principis, quæ inuentoris fuisset, si fortuitò inuenisset.

Obseruandum secundò, quod ante dixi, iure ciuili constitutum esse, vt si quis ex industria thesaurum quærat, & reperiat, nullam eius partem obtineat, intelligendum de eo solo qui ex industria quærit in proprio alterius fundo: nam si quærit in publico loco qui nullius est, thesaurum totum suum efficit: locus enim publicus qui nullius est non censetur alienus, sed communis: lex autem illa lata est contra eum solum qui ex industria quærit alieno in loco, III. ad puniendam iniuriam, quam inuentor domino loci intulisse videtur, dum absque eius consensu in proprio ipsius fundo de industria quæsiuit.

Obseruandum tertiò, ea quæ de thesauris à iure ciuili constituta esse hactenus diximus, intelligenda de iure ciuili communi: vnde si aliqua in prouincia sunt aliquæ ciuiles leges particulares, aut consuetudines vim legis obtinentes quæ aliter constituant, obseruandæ sunt. Sed vt eorum de quibus hîc agimus, sit accuratior tractatio, subiungemus duas quæstiones circa res prioris generis, tres circa posterioris.

SECTIO III.

Quinque quæstionum explicationem continens.

IV.

PRIMA quæstio ex duabus est. Quænam bestiæ censeri debeant nullius? Respondeo primò, quoad eas quæ suapte natura mansuetæ sunt, ipsas ordinarie proprios habere dominos, non modò dum in domibus dominorum suorum commorantur, sed etiam dum procul vagantur: quo fit, vt tunc non fiant primo occupantis, sed dominis restituendæ sint. Dixi, ordinarie: nam nonnunquam huiusmodi res habentur pro derelictis, túncque dominum non habent, & iure gentium sunt primò occupantis. Respondeo secundò, quoad eas quæ feræ sunt, eas in primis in nullius esse dominio, quæ hactenus in nullius potestate fuerunt, cuiusmodi esse etiamnunc permultas certum est: deinde eas quoque, quæ etsi vel multò, vel paulò ante in alicuius potestate fuerint, de ea tamen exierunt, pristinámque libertatem consequutæ sunt. V.

Sed hîc obseruandum diligenter, non omnes huiusmodi feras eodem modo de potestate nostra exire, pristinámque recuperare libertatem. Nam quæ ita feræ sunt, vt nunquam mansuefactæ fuerint, censentur exisse de nostra potestate, statim atque redditur absolutè difficilis earum comprehensio, quia eo ipso censentur ad eum statum libertatis reductæ, in quo erant antequam caperentur: vnde postquam sic nostram potestatem euaserunt, sunt iure gentium primò occupantis. Hoc modo de nostra potestate exiit pisces, vel auis, de manibus nostris elabens, & vel in fluuium desiliens, vel in apertum aerem euolans. At feræ quæ mansuefactæ VI. sunt, itavt abeundi redeundíque consuetudinem habeant, vt habent aliqui cerui, & accipitres, non censentur exisse de nostra potestate, nostroque proinde dominio, nisi cùm hanc redeundi consuetudinem amiserunt: quandónam autem censeri debeant amisisse, non potest generali regula definiri, sed prudentis iudicio relinquendum est.

Vnde non est recipienda ad id dignoscendum tradita à Nauarro regula, in Manuali cap. 17. & nonnullis aliis definientibus, satis fore, vt amisisse existimentur, si bis diebus & horis solitis non redeant. Etenim vt rectè Molina tract. 2. disputat. 41. si dum more solito non reuertuntur, facilè quæruntur, & reducuntur domum, siue quòd non fugerint in syluas procul remotas, sed in suburbanis morentur, VII. siue quòd per alienas domos vagentur, &c. quamuis per dies quindecim & plures non reuertantur, non sunt existimandæ redeundi animum & consuetudinem amisisse: quam tamen si amisissent, & si notas, & impressa signa circumferrent, vt cuius erant agnosceretur, fierent nihilominus primò capientis, quia hac amissa consuetudine, de nostra potestate dominióque exiissent, essentque proinde iure gentium primò occupantis.

Secunda quæstio est, vtrùm earum ferarum, quas proxime ante dixi esse nullius, dominium sibi comparet venator, venationi prohibitæ dans operam, easque per huiusmodi venationem capiens. Respondeo comparare: iure enim gentium feræ, cęteráque quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis, quocunque in loco capiantur: ex eo autem quòd eas venari sit prohibitum, non desinunt esse nullius. VIII.

Iam prima ex tribus est, vtrùm qui inuenit thesaurum alieno in fundo obtenta à fundi domino facultate, illum sibi, an ipsi domino acquirat? Respondeo primò, si dominus facultatem quærendi concessit ea conditione, similíve pacto interueniente, vt inuentori certa tantùm pars inuenti thesauri cederet, reliquum domino fundi, standum esse pacto quod initum fue-

rit: quòd si nulla conditione adhibita, sed absolutè facultatem quærendi dederit, distinguendum est: vel enim hanc facultatem petens sciebat in fundo illo latere thesaurum, domino fundi id ignorante, vel non sciebat: si primum, Respondeo secundò, totum acquiri domino fundi: inuentor enim eo casu censetur de industria quæsiuisse, sine domini voluntate.

Nec refert, quod ab eo quærendi facultatem obtinuerit: hæc enim facultas ex parte concedentis satis voluntaria non fuit, ob ignorantiam qua laborabat, vt censeatur is qui quæsiuit, ex voluntate domini quæsiuisse: quare cùm leges antè citatæ definiant, thesaurum in alieno fundo quæsitum ex industria, & inuentum, præter domini fundi voluntatem, totum esse domini ipsius, totum eiusdem esse eo in casu, de quo agimus, existimandum est. Quoniam tamen antea diximus, leges has, qua parte inuenti thesauri medietatem, quæ, si fortuitò esset inuentus, fuisset inuentoris, domino fundi in quo inuentus est, attribuunt, esse pœnales, nec obligare ante sententiam iudicis; consequens est, eum qui obtenta eo quo dictum est modo facultate thesaurum quæsiuit, & inuenit, mediam eius partem tutò in conscientia sibi retinere posse, donec ad eam domino fundi tradendam per sententiam iudicis condemnetur.

Quòd si secundum, Respondeo tertiò, totum acquiri ipsi inuentori, vt expressè docent Nauarr. citato sæpius cap. 17. num. 172. Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 15. Molina tract. 2. disput. 54. & alij. Ratio est, quòd dominus libere & absolutè facultatem concedens censeatur simul cedere iure suo, totumque condonare thesaurum quærenti, si forte inuenerit. Idem iudicium esse debere monet ibidem Molina de eo, qui cum sola spe inueniendi thesauri facultatem quærendi à domino fundi peteret, simul aperiens ipsi coniecturas, ob quas inuenturum se sperat, inuentum scilicet totum ipsius futurum, ob eandem causam.

Secunda est, an qui scit in alieno agro latere thesaurum, agrum illum eodem pretio emere licitè possit, quo potuisset, si nullus in eo latuisset? Affirmant rectè Lessius & Molina locis citatis, ipse quoque S. Doctor quæst. 66. artic. 5. ad 2. & communiter alij. Ratio autem qua vtuntur, est, quòd vna quidem ex parte, agri venditor non sit dominus latentis in agro suo thesauri, cùm thesaurus nec pars agri sit in quo latet, nec fructus ipsius, imò absolutè domino careat, antequam inueniatur: ex altera verò, non obligetur emens indicare venditori latentem thesaurum, sed vti sua scientia possit in suum commodum, post habito commodo illius: ex iis enim fit, vt qui agrum hunc emit, nihil agri venditori persoluere pro latente thesauro debeat, ac per consequens, vt eum licitè emere eodem pretio possit, quo posset, si nullus in eo thesaurus lateret.

Tertia est, an venæ auri, argenti, aliorúmque metallorum domino careant, nulliúsque sint antequam inueniantur? Affirmat Lessius suprà dub. 11. melius negat Molina tract. 2. disputat. 54. asserens, stando præcisè in iure gentium, illas in eius esse dominio, qui est dominus loci in quo delitescunt. Cuius rei ratio à priori est, quòd cùm huiusmodi venæ iis in locis generentur, in quibus reperiuntur, sintque veluti partes locorum istorum, ex consequenti, quo iure quis huiusmodi locorum dominus est, eodem quoque venarum illarum dominium obtinet. Quod confirmatur efficaciter ex venis aliis, vt aquarum, saxorum, carbonum, quas apud omnes constat in illius esse dominio, qui locorum in quibus reperiuntur dominus est, cùm tamen hæ venæ non sint magis partes locorum istorum, quàm sint illæ priores eorum in quibus inueniuntur.

Etsi autem stando in prædicto iure gentium res ita habeat, iure tamen ciuili, vel communi, vel particularium regnorum Reipúmque publicarum, vbicunque sint ac reperiantur, deputatæ sunt Principi, vel Reipublicæ, nec proinde sunt primò eas reperientis, & occupantis, sed Reipublicæ, seu Principis: qui propterea meritò potest quibus voluerit, & prout voluerit, dare facultatem eas inquirendi & effodiendi etiam in agro alieno, præmiáque earum inuentoribus constituere, compensando tamen damnum quod infertur loco in quo quæruntur, & ex quo effodiuntur. Vnde soluitur argumentum Lessij, quod probat quidem, iure ciuili venas istas ad Principem, vel Rempublicam pertinere: at non euincit, stando præcisè in iure gentium, non esse illius, qui est loci dominus in quo inueniuntur, etiam antequam inueniantur.

Nec dicas, non posse ciuile ius iuri gentium derogare: posse enim non modò huic, sed etiam naturali derogare, quando istud vtrumque ius parè permissiuum est, vt reipsa est, respectu multorum de quibus hîc egimus, tam certum est, quàm notum est, per ciuile ius præcipi vel vetari multa posse, quæ nec naturale ius, nec gentium præcipit, aut vetat, sed purè permittit: imò quomodo iuri gentium præceptiuo derogari per ius ciuile possit aliquando, in Tractatu de Legibus explicatum est.

SECTIO IV.

Quot modis rerum quæ antea alicuius erant, dominium comparetur?

DVOBVS in vniuersum: primo, per voluntatem propriam domini rei suæ dominium in alterum transferentis: secundo, per voluntatem superioris, rei alicuius dominium ab vno auferentis, & alteri tribuentis: qui posterior modus in lege præscriptionis potissimum cernitur: prior autem ille duplex in genere est: dominus enim rei suæ dominiú transfert in alium, aut per contractum, aut absque contractu, vt gratuita donatione, aut promissione: quamquam per hanc de præsenti non transfertur, vt per illam, sed in futurum, quia res quæ promittitur nondum datur. Vt autem res tota pleniùs intelligatur, proponemus hîc aliquot circa vtrumque illum modum quæstiones, & circa priorem quidem, septem: circa posteriorem, tres: quas tribus posterioribus sectionibus complectemur, septem illas alias anterioribus.

Prima est, vtrùm contractus, promissiones, & donationes per legem positiuam humanam vel ciuilem vel canonicam irritæ; quæ stando in solo naturali iure, secluſáque illa humana lege validæ essent, obligarentque in conscientia, sint in externo tantùm foro irritæ, an etiam
I. in interno conscientiæ? Respondeo primò, contractus omnes huiusmodi in foro etiam conscientiæ esse irritos. Cùm enim iura sic eos irritare haud dubiè potuerint, expresse autem eosdem irritos prorsus esse decreuerint, nec quidquam sit quod ostendat aliam fuisse legislatorum mentem, quàm eos prorsus irritos reddendi, ac proinde etiam in conscientia, non est quod irriti tantùm esse in externo foro existimentur.

Nec refert, quòd legibus illis quibus irriti prorsus redduntur, non addatur expresè, etiam in foro conscientiæ esse irritos: nam si solus ille contractus lege humana irritus in foro conscientiæ putandus est, de quo lex expresse definit in hoc foro irritum esse, de nullo contractu id putandum erit, quia de nullo
II. sic loquitur: cùm tamen certissimum sit aliquos contractus, vt à pupillis factos, irritos esse tam in interno conscientiæ foro, quàm in externo, eo ipso quo per legem inualidi nullique redduntur, nec quidquam est quod ostendat legislatoris mentem fuisse eos in externo duntaxat foro irritandi.

Respondeo secundò, idem ob eandem causam intelligendum esse, de promissionibus, donationibus (iis tamen exceptis quas mox excipiam) beneficiorum & officiorum collationibus, electionibus, præsentationibus, similibúsque actibus, qui, vt validi sint, requirunt ex constitutione iuris humani ciuilis aut canonici certas solemnitates, vt certam verborum formulam, certum locum, aut tempus, certum testium numerum, aut similes, quæ dum deficiunt, actus illos irritos esse decernitur: quod
III. etiam aliquot argumentis lib. 2. cap. 19. dub. 3. confirmat Lessius.

Donationes autem excipiendæ, sunt testamentariæ quæ prædicto iure positiuo irritantur: quæ quidē in duplici genere sunt: aut enim sunt ad pias causas, vt loquuntur, vt cùm Ecclesia, monasteria, pauperes, hæredes instituuntur, eísve bona aliqua testamento legantur: aut ad non pias, vt cùm amicis, propinquis, aliísve quàm iis qui ab intestato succederent, relinquitur hæreditas, aut quidpiam bonorum siue mobilium, siue immobilium. Quibus de donationibus tres reperio præcipuas Theologorum sententias. Prima asserit omnes illas donationes, siue ad pias, siue ad non pias causas, in ex-
IV. terno duntaxat foro esse irritas. Secunda nihil distinguens, inter donationes factas ad pias causas, & non pias, vniuersim ait, irritas esse etiam in interno. Tertia inter vtramque media, factas ad pias causas affirmat esse in externo tantum foro irritas, factas autem ad non pias, irritas esse etiam in interno.

In prima sunt Lessius cap. 19. citato dub. 2. & 3. & Molina disputat. 81. qui multos citant tam pro prima illa, quàm pro tertia Theologos. In secunda satis aperte est Gabr. Vasquez prima secundæ tomo 2. disput. 164. cap. præsertim vltimo, clarissimè autem Petrus Aragonius in suprà citata sæpius de dominio materia, pro qua multos etiam refert: cui plurimùm fauent in primis Lex *Hac consultissima*. Cod. de Testamentis, vbi Imperator sic loquitur: *Non subscriptum à testibus, & non signatum testamentum, pro infecto habere conuenit.* Deinde quod in Instit. quibus modis testamentum infirmetur, *ex eo*, dicit Iustinianus, pronuncians imperfectum testamentum nullum esse: ad quæ tamē authores primæ sententiæ respondent, infectū & nullum quidem esse, at in externo foro, id est, insufficiens & inualidum ad probandam in hoc foro defuncti voluntatem, non verò etiam in interno conscientiæ, quòd aliæ leges sint quas citatis locis referunt, quibus huiusmodi testamenta, cùm nihil aliud eis deest, quàm solemnitas à iure humano requisita, valere in conscientia debere non obscurè decernitur.

Quæ est etiam tota, aut præcipua saltem ratio qua nituntur in prima illa sententia defendēda, cùm secundæ sententiæ authores hac valde probabili ratione nitantur, quòd solemnitates à
B iure positiuo requisitæ ad contractus, donationésque, siue testamentarias, siue alias, ad substantiam ipsius contractus donationísq. pertineat, non quidem ex natura rei, seu ex vi iuris naturalis, sed humani positiui, iísque proinde deficiētibus non sit substantia contractus aut donationis, nec vlla per consequens in foro conscientiæ obligatio, cùm necessarium sit obligationē in foro conscientiæ ortam ex donatione, vel contractu, præsupponere ipsam veri contractus aut donationis substantiam. Quomodo Concilium Tridentinum à clandestino matrimonio omnem in interno etiam foro obligationem abstulit, efficiens nimirum vt ad substantiam cōtractus illius qui in matrimonio includitur, certæ solemnitates essent necessariæ, quæ dum abessent, sicut non adesset substantia contra-
C ctus illius, ita nec vlla posset ex eo sequi in interno conscientiæ foro obligatio.

Qua in controuersia ego breuiter respondeo tertiò, quamlibet ex relatis sententiis esse probabilem, tutámque in conscientia: quod fatentur vltro relati suprà Theologi, & alij: licitúmque proinde in conscientia esse ei qui in testamento minùs solemni hæres institutus est, hæreditatem occupare, defectúmque solemnitatis celare eum, qui, si testamentum confectum non fuisset, hæres ab intestato in defuncti bona successisset: iuxta primam enim sententiam hoc licitum proculdubio est, eam autem tuta conscientia amplecti in praxi potest is, qui in minùs solemni testamento hæres institutus est: licitum quoque esse ei qui hæres ab intestato successisset, perinde adire hæreditatem alteri
D per testamentum non solemne relictam, atque si defunctus nullo testamento condito decessisset, eúmque celare rem, qui testamento non solemni hæres scriptus est, ab ipsóque reposcere in iure hæreditatem, si hanc ipse prior occuparit. Iuxta secundam enim opinionem hoc potest, & iuxta tertiam, tum saltem, cùm testamentum non solemne ad non pias causas factum est: hanc autem & illam in praxi sequi tuta conscientia potest is qui hęres ab intestato succederet.

V. VI. VII. VIII.

SECTIO V.

Vtrùm promissio homini facta obliget in conscientia?

I. NOTANDVM est, eam aut internam esse, aut externam: prior illa solâ mente fit, nec externo signo vllo se prodit: posterior hæc, verbo, similíve signo sensibilis fit: hæc autem est aut acceptata ab eo cui fit, aut non acceptata: duobúsque modis potest esse non acceptata: primo positiuè, secundo negatiuè quodammodo: positiuè quidem, quando promissarius eam repudiat: negatiuè verò, quando necdum acceptat, neque etiam repudiat, vt cùm absenti per nuntium aliquid promittitur, aut cùm præsenti quidem, sed dubitanti, vtrùm acceptare debeat, an respuere. Quibus præmissis,

Dico primò, promissionem acceptatam obligare in conscientia. Ita communi consensu Theologi omnes, & meritò sanè: aut enim nulla homini facta promissio obligare in conscientia potest, aut ista obligat: certum autem est aliquam obligare: tum quia promissio à nudo proposito differt in eo quòd istud per se loquendo nullam parit in conscientia obligationem faciendi id quod propositum est, illa verò parit faciendi id quod promissum est: tum quia per promissionem astringit promittens fidem suam seu fidelitatem alteri, quam liberare faciendo quod promissum est, sicut honestum est, & ex honestate virtutis fidelitatis debitum, quandoquidem virtutem hanc suam alteri obstrinxit, ita fallere nō faciendo, non potest non esse inhonestum ac peccatum, cùm quidquid nt contra debitum ex virtute, seu virtutis honestate, eo ipso peccatum sit. Et quidem promissionem parere ex honestate virtutis obligationem id faciendi quod promissum est, diserte docet S. Doctor quæst. 88. art. 3. ad primum, inquiens, secundùm honestatem ex qualibet promissione hominem homini obligari.

Dico secundò, promissionem priori modo seu positiuè non acceptatam non obligare in conscientia. Ita etiam Theologi omnes, & rectè, tum quia promissio etiam Deo facta, & priori illo modo ab ipso non acceptata, nullam parit in conscientia obligationem faciendi id quod ipsi promissum est: tum ob rationem à priori qua sequens assertio probabitur, quæ à fortiori valebit ad probandum id quod in hac secunda asserimus.

Dico tertiò, promissionem posteriori modo seu negatiuè non acceptatam nullam parere in conscientia obligationem, sed ab eo qui fecit tandiu reuocari licitè posse, quandiu acceptata non est. Ita communiùs & probabiliùs Theologi, nominatim Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 5. art. 1. Aragon. in citata de dominio materia. Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 6. & Suarez tomo 2. de Religione lib. 4. cap. 2. Est autem contra Couarr. Mol. & Ledesm. qui promissionem ante acceptationem asserunt obligare in conscientia, stando in solo iure naturali, itavt is qui promisit, eam reuocare licitè non possit, sed teneatur declarare illi cuius in gratiam facta est, eandémque postea exequi, si ipsam ille acceptauerit: quod tamen hi auctores hoc discrimine asserunt, vt primus id affirmet de sola externa promissione, duo autem sequentes idem quoque de interna doceant.

II. B

III. C

IV. D

Probatur assertio hoc argumento. Promissio vel interna vel externa stando in iure naturali non obligat in conscientia ante acceptationem: ergo nec vlla promissio non acceptata. Consequentiæ bonitas patet: præter internam enim & externam nulla alia est. Antecedens probo in primis ratione à priori, petita ex natura promissionis: sicut enim de eius natura est, vt fiat in gratiam ac bonum eius cui fit, sítque proinde de re quam ipse gratam & acceptam habeat, ita de eiusdem natura est, vt obligationem in conscientia faciendi quod promissum est parere non possit, nisi hac conditione subintellecta, quòd promissarius rem sibi promissam, promissionémque gratam habeat & acceptam, quæ conditio non ponitur, vt patet, quando illam non solùm priori modo, seu positiuè, sed etiam posteriori, seu negatiuè non acceptat. Vnde est, quòd si primo acceptauerit, postea autem repudiarit, statim soluta est tota promittentis obligatio, quæ stante acceptatione ipsi inerat, & eo ipso præcise soluta est, quo per hanc repudiationem fit, vt promissio non acceptata sit.

V.

VI.

Confirmatur ex promissione Deo facta, seu ex voto, quod quoniam naturam habet veræ promissionis, non priùs intelligitur obligare vouentem, quàm concipiatur Deus votum acceptans. Quòd si obligatio naturam promissionis consequens præsupponit necessariò acceptationem vt conditionem, non potest is qui vel interiùs, vel exteriùs promisit, esse obligatus in conscientia ad promissionem suam promissario declarandam, nec reuocandam eo tempore quo nondum acceptata est, alioquin obligatio naturam promissionis consequens ab illa conditione non penderet.

VII.

Probo deinde antecedens hoc medio. Interna promissio nullam parit huiusmodi obligationem: ergo nec externa. Veritas huius antecedentis constat ex D. Thoma quæst. 88. art. 1. cùm ponit hoc discrimen inter promissionem Deo factam, & homini: quòd illa fieri possit solo animo, eo quòd Deus intuetur cor: hæc nequaquam, sed per signa sensibilia fieri debeat, eo quòd homines ea tantùm quæ exteriùs parent, videant: quo loco loquitur haud dubiè de promissione, non vt sit promissio, sed vt obliget, alioquin falsum discrimen afferret, cùm certum sit hominem homini æquè ac Deo posse solo animo quidpiam promittere. Clarè autem in 4. dist. 38. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 1. in qua disertis verbis asserit, hominem non posse per solam voluntatem obligari alteri, quàm ei qui voluntatis est cognitor: hunc autem esse solum Deum: ex quo manifestè sequitur, nec obligari posse per internam promissionem alteri, quàm ei qui eiusmodi promissionis cognitor est, éstque solus Deus. Consequentiæ autem bonitas ex eo constat, quòd nullam aliam ob causam requiritur ex natura rei ad promissionem homini factam, quò vim obligandi habeat, vt externo aliquo signo manifestetur,

VIII.

quandoquidem purè interna obligare non poteſt, quàm vt per hoc ſignum innoteſcat ei cui fit: quam autem aliam ob cauſam requiri poteſt, vt huic innoteſcat, quàm quòd ab ipſo acceptari debeat, vt obliget, non poſſit autem acceptari, niſi innoteſcat?

I. Nec dicas ad legem poſitiuam, quò vim obligandi habeat, requiri tanquam conditionem, vt exteriùs manifeſtetur, nec tamen hanc requiri manifeſtationem, vt lex acceptetur. Diſpar enim poſitiuæ legis, & promiſſionis quoad hoc ratio eſt, cum lex illa non ipſum legiſlatorem obliget, promiſſio autem obliget ipſum promittentem: neque illa lex natura ſua requirat acceptationem eorum quibus imponitur, vt obliget, propter abſolutam quam habet legiſlator poteſtatem obligandi ſibi ſubditos etiam inuitos: promiſſio autem natura ſua conditionem hanc vt obliget, inuoluat, vt antè oſtendimus.

SECTIO VI.

II. *Tres obiectiones ſoluuntur, alia duo aſſeruntur, & probantur.*

OBIIC. primò. Simplex alicuius rei faciendæ propoſitum, tam purè internum, quàm exteriùs manifeſtatum differt à promiſſione tam purè interna, quàm exteriùs manifeſtata, etiam nondum acceptata, in eóque potiſſimùm differt, quòd illud nullam pariat obligationem in conſcientia, hæc è contrario pariat. Reſpondeo falſum eſſe in eo differre, quin imò illis hoc eſſe commune, quòd nullam pariant in conſcientia obligationem: hanc tamen ab illo etiam quoad obligandi vim in eo diſtingui, quòd hæc vt obliget, requirat tantùm eius cui facta eſt acceptationem, tanquam conditionem ſine qua non obligaret, illud verò nullam huiuſmodi III. conditionem requirat vt obliget, nec per ſe vim obligandi habeat, ſiue ab eo cuius in gratiam & commodum fit, acceptetur, ſiue non.

Cuius reſponſionis bonitas confirmatur à ſimili, ex lege poſitiua purè interna, quæ cùm à nudo propoſito purè interno differat haud dubiè, non in eo tamen differt, quòd iſtud nullam vim obligandi habeat, illa vero habeat: ſed quòd vt illa habeat, requirit tantum externam promulgationem ſufficientem: iſtud verò nihil huiuſmodi requirat vt obliget, nec obligare poſſit, etiamſi exteriùs manifeſtetur.

Obiic. ſecundò, quaſdam promiſſiones ante omnem acceptationem obligare, vt quando ciuitati promiſſio facta eſt, ad reparandum id quod incendio ſimilive ruina periit: IV. item quando facta eſt ex gratitudine, propter honorem à ciuitate aut Republica promittenti habitum, & nonnullas huiuſmodi alias, vt conſtat ex lege *paſſum.* lege *propter incendium.* & lege *ob tanſam.* ff. *de poſtulationibus.* Quibus etiam legibus conceditur in externo foro ciuitati actio contra promittentem, qui ante promiſſionis acceptationem reuocare eam vellet: atqui eadem promiſſionum omnium ex natura rei ratio eſt, quæ aliquarum: ergo omnes ante acceptationem ex natura rei obligant.

Ad Maiorem rectè reſpondet Leſſius loco citato, iure ciuili, citatiſque ex eo legibus, nec tributam fuiſſe vim prædictis illis promiſſionibus obligandi ante acceptationem, quam natura ſua non haberent: nec declaratum, vim habere obligandi antequam accepientur: ſed effectum, vt promiſſiones illæ quæ ſtando in ſolo naturali iure ante acceptationem reuocari licitè & validè poterant, dum exteriùs ſunt manifeſtatæ, reuocari ampliùs non poſſint, itavt irrita ſit reuocatio, ſi fortè reuocentur: quo fit, vt ſemper acceptari poſſint ab iis quibus facta ſunt, hácque ſuppoſita acceptatione obligare in conſcientia: vbi etiam aduertit nullam legem præcipere, vt promiſſor aliquam illiuſmodi promiſſionem ſuam ciuitati cui facta eſt, aperiat.

Obiic. tertiò. Promiſſio purè interna, multóque magis externa necdum acceptata, ſi iuramento confirmetur, obligat in conſcientia: ergo etiam obligabit, quamuis iuramento non confirmetur. Probatur conſequentia, tum quia iuramentum promiſſorium non obligat niſi ratione promiſſionis obligantis: tum quia huiuſmodi iuramentum ſequitur naturam factæ promiſſionis, eodémque tantùm modo quo ipſa obligat. Reſpondeo negando conſequentiam, cuius in prima probatione quod dicitur, falſum eſt: obligatio enim ex promiſſione orta ad virtutem fidelitatis pertinet, vt infrà docebimus: quæ autem ex iuramento oritur, ad religionis: ex illa autem priori virtute non oritur obligatio ſtandi promiſſis, niſi dum promiſſio acceptata eſt ab eo cui facta eſt: ex hac autem poſteriori naſcitur obligatio ſtandi iuratis, vt debita Deo in teſtem adhibito reuerentia ſeruetur, ſiue res iurata acceptata ſit, ſiue non ſit: vt vel hinc enidenter conſtat, quòd vbi nulla promiſſio eſt, ſed ſimplex tan- C VII. tum propoſitum aliquid faciendi, nullam per ſe obligationem ad hoc faciendum afferens, ſi tamen iuramento confirmetur, ſtatim ratione iuramenti oritur ex religione obligatio illud faciendi.

Ad ſecundam dico, promiſſorium iuramentum in eo quidem ſequi naturam promiſſionis, eodémque quo ipſam modo obligare, quòd ſicut qui promittit cenſetur obligare ſe velle ad aliquid faciendum, ſi modo promiſſarius rem hanc fieri gratum habeat: ita qui promiſſionem iuramento confirmat, hac ipſa conditione ſubintellecta iurat ſe facturum quod promiſit: vnde ſicut ſimplicis promiſſionis obligatio pendet ab arbitrio promiſſarij, ipſique cùm placuerit ſoluitur, ita & promiſſionis iuratæ, vt expreſsè docet Suarez loco cit. At non in omnibus ſequi D VIII. naturam promiſſionis, in eóque nominatim, quod cùm hæc reuocari poſſit ad libitum, antequam acceptetur, non item iuramentum quo confirmata eſt: quo fit, vt ratione iuramenti ſit obligatio in conſcientia ſtandi promiſſis etiam nondum acceptatis, quantum eſt ex parte promittentis. Aduerte autem, quod hac noſtra aſſertione aſſeruimus, etſi à parte rei falſum eſſet, ita tamen eſſe probabile, vt meritò quiuis illud in praxi tuta conſcientia ſequi poſſit, vt conſentiunt vltrò contrariæ partis authores.

Dico quartò, iure ciuili promissiones etiam externas priusquam acceptentur, nullam ordinarie in externo saltem foro parere obligationem. Ita Doctores communiter, constatque ex Leg. *pactum*. ff. de pollicitationibus, adiuncta glossa loci huius. Ex lege item, *Nuda pollicitatio*. Cod. de contrahenda stipulatione, aliisque expresè permittentibus promissionis nondum acceptatæ reuocationem. Dixi, ordinarie, vt exciperem promissiones paulò antea secunda obiectione relatas.

Dico quintò, eodem iure ciuili promissiones antequam acceptentur, nullam ordinarie in foro etiam conscientiæ afferre obligationem, licitéque proinde reuocari posse, quandiu necdum acceptatæ sunt. Ita Bartolus leg. *si vnus. §. pactum.* num. 16. ff. *de pactis*. Couarr. cap. *quamuis pactum*. part. 2. §. 4. num. 15. & alij. Ratio est, quòd ciuile ius potestatem habeat ab actibus qui ex natura rei vim haberent obligandi, vim eiusmodi auferendi, cùm id ad commune bonum necessarium, aut vtile est: abstulit autem à promissionibus nondum acceptatis, esto concedantur ex natura rei obligandi vim habere: vt patet ex legibus superioris affert. relatis: adde & legem *Si pater*, in principio. ff. de manumissis. legem quoque *Nec ambigit*. ff. de donationibus. Dixi rursus, ordinarie, vt rursus exciperem prædictas illas promissiones, à quibus ciuile ius auferre noluit vim obligandi quam habent ex natura rei, ex hypothesi quòd promissiones externæ nec dum acceptatæ vim obligandi ex natura rei habeant.

Quòd si quis idem sentiat de promissionibus purè internis, non propterea tamen existimare debebit præfatas illas promissiones bis iam à nobis exceptas, à iure ciuili, si purè internæ sunt, fuisse relictas in ea naturali obligatione, quam per se haberent: vt enim rectè Molina disput. 266. cùm ciuile ius à promissionibus nondum acceptatis generaliter vim omnem obligandi naturalem, si quam habent, abstulerit, vniuersalémque dederit eas reuocandi facultatem, nullæ ab hac generali regula excipiendæ sunt promissiones, præter eas quas exceperit: nullas autem excepit, præter paucas illas ciuitati factas suprà memoratas: quas non videtur excepisse dum purè internæ essent, sed tantùm dum exteriùs manifestatæ, quandoquidem actionem in externo foro concessit promissario contra promittentem, si eas ante acceptationem reuocare voluisset: quæ concessa ab ipso facultas satis ostendit ipsum præsupponere promissiones illas exteriùs fuisse manifestatas.

Aduerte autem, quod his quinque nostris assertionibus diximus de promissione homini facta tam interne, quàm externa, tam acceptata, quàm non acceptata, quoad vim obligandi quam habet, aut non habet, siue iure ciuili, siue naturali, siue in externo tantùm foro, siue etiam in interno conscientiæ, intelligendum quoque de donationibus, tam internis, quàm externis, tam acceptatis, quàm non acceptatis: harum enim donationum, & promissionum illarum eadem quoad prædicta omnia ratio est, vt & communiter Theologi docent.

SECTIO VII.

Ad quam virtutem spectet obligatio implendi promissionem quæ homini facta est?

DICO primò spectare ad fidelitatem. Ita Theologi communiter. Probatur in primis authoritate sancti Thomæ quæst. 88. art. 3. dicentis vniuersim ad fidelitatem homines pertinere, vt soluat id quod promisit. Deinde eo quòd ad illam virtutem spectat illa obligatio, contra quam peccatur, dum non satisfit illi obligationi: peccatur autem contra fidelitatem: vnde qui promissa non implent, infideles in promissis dicuntur: qui implent, fideles.

Dico secundò, obligationem illam nonnunquam saltem ad solam fidelitatis virtutem pertinere. Ita Caiet. ad art. 1. citatæ quæst. Molina disput. 263. Lessius libro 2. cap. 18. dub. 8. Gabr. Vasquez tomo 1. in primam partem. disput. 85. cap. 6. Suarez Relect. de libertate diuina, disp. 2. à num. 19. aliique multi. Probatur primò ex promissis quæ facit dominus seruo vt seruus est, & pater filio vt filius est, prout supra disputat. 13. explicatum est: nam ex sola fidelitate ad hæc implenda pater & dominus obligantur, non ex iustitia, vt ex ibidem dictis notum est.

Probatur secundò ex diuinis promissis homini factis, ad quæ implenda Deus habet debitum solius fidelitatis, non autem strictæ iustitiæ, cùm, vt disputat. 14. fusè probauimus, non sit eius capax. Probatur tertiò ex eo quòd sicut promissio, ita & promissionem consequens obligatio pendet ex libera voluntate promittentis: vnde se tantum obligat, quantum obligare vult, nec magis: potest autem velle sic obligare se promittendo, vt solùm velit fidem suam alteri astringere, seu seipsum constituere debitorem seruandi suis in actionibus eam honestatem, quam fidelitatis virtus exigit, non verò simul ei cui promittit ius vllum ad rem quam promittit tribuere, nec proinde le ex iustitia obligare ad id quod promisit implendum.

Dico tertiò, obligationem ortam ex promissione, quæ pura promissio est, esse solius fidelitatis. Ita Caietan. loco citato. Præterea artic. 8. eiusdem quæstionis ad primum, & quæst. 113. articulo 1. & Suarez Relectione, sectione, numeróque citatis, qui efficaci ratione nostram hanc assertionem probat, quam sic propono. Si pura promissio potest aliquando præter obligationem fidelitatis, aliam quoque ex altera virtute obligationem inducere, maximè ex iustitia: atqui ex hac non potest: ergo nullam. Consequentia Maioris ex eo certa est, quòd omnes qui ex promissione volunt oriri posse obligationem, præter eam quæ fidelitatis est, eam solam quæ iustitiæ strictæ propria est, assignant. Minorem sic probo. Non potest ex pura promissione oriri obligatio iustitiæ faciendi quod promissum est, nisi per hanc promissionem

detur promiſſario verum ac proprium iuſtitiæ ius vel in re, vel ad rem quæ promiſſa eſt: obligatio enim ſeu debitum iuſtitiæ ius iſtud in alio prærequirit, ex eóque naſcitur, vt ex dictis diſputatione prima certum eſt: atqui per puram promiſſionem dari promiſ-
I. ſario nullum huiuſmodi ius poteſt: & ra- A tio à priori eſt, quòd pura promiſſio in eſſentiali ſuo conceptu non includit vllam actualem de præſenti donationem, imò excludit, ſed includit tantummodo præſentem dandæ rei promiſſæ in futurum obligationem: vnde ſi promiſſione daretur de præſenti ius in re, vel ad rem, iam non eſſet pura promiſſio, ſed donatio, ſi non ipſius rei promiſſæ, ſaltem iuris ad rem hanc, quod quidem ius res quædam eſt, quæ & à Iuriſperitis res incorporalis appellatur, vt ſuprà diximus, quæque ſicut vendi, ſic gratuitò donari poteſt.

Nec dicas fieri non poſſe, vt quis velit ſe per promiſſionem alteri obligare ad
II. rem aliquam ipſi dandam, quin ſimul & B eo ipſo velit illi dare ius ad rem iſtam: hoc enim dicere, eſt dicere nullam dari poſſe puram promiſſionem, ſed omnem eſſe ſimul alicuius rei, nempe prædicti iuris de præſenti donationem. Quod tamen falſum eſſe conſtat ex ſuperiori aſſertione, in qua probauimus, obligationem ſtandi promiſſis eſſe nonnunquam ſolius fidelitatis: quod ſi verum eſt, oportet huiuſmodi promiſſione nullum dari ius ad rem promiſſam: nam ſi datum eſſet, obligatio faciendi quod promiſſum eſt, non eſſet fidelitatis ſolius, ſed præterea iuſtitiæ orta ex illo iure: vnde & qui promiſſis non ſtaret, non contra ſolam fidelitatem peccaret, ſed etiam contra iuſtitiam, quia ius iſtud in promiſſario exiſtens violaret.

III. Dico quartò, ex promiſſione, præter obligationem fidelitatis, naſci nonnunquam obligationem ex ſtricta iuſtitia faciendi quod promiſſum eſt. Ita Molina & Vaſquez locis ſecunda aſſertione citatis. Probatur autem hac ratione. Obligatio qua promiſſor ex promiſſione aſtringitur ad aliquid dandum promiſſario, quæ illo promiſſore moriente non moritur, ſed ad eius hæredes cum hæreditate tranſit, non eſt fidelitatis, ſed iuſtitiæ: atqui obligatio quam quis aliquando promiſſione contrahit, eiuſmodi eſt, vt cum moriente non moriatur, ſed ad hæredes tranſeat: ergo iuſtitiæ eſt. Minor certa eſt: neque enim cuiquam dubium eſt, quin pec-
IV. cent nonnunquam hæredes non implendo promiſſa eorum, quorum in bona ſucceſſerunt: vnde & in externo foro datur actio promiſſario, eiúſque hæredibus, contra promiſſoris hæredes, Leg. *ſi quis argentum*. §. vltimo. Cod. *de donatione*: & inſtitut. eodem titulo. §. *aliy autem*: quæ tamen actio dari iuſte non poſſet, nec daretur, niſi ſupponeretur promiſſoris hæredes cum hæreditate contraxiſſe ſimul obligationem implendi quod ab eo promiſſum eſt. Maioris veritas conſtat in primis ex eo quòd illa hæredum obligatio ex ea virtute eſt, contra quam peccabunt, ſi deſint illi obligationi: contra iuſtitiam autem, & quidem ſolam peccabunt: non enim contra fidelitatem, vel religionem, etiamſi promiſſor voto aut iuramento promiſſionem ſuam confirmauerit: vnde nec erunt vel homini, vel Deo infideles, aut periuri, ſi promiſſum non impleuerint, V. vtpote qui nihil promiſerint, vouerint, iurauerint.

Conſtat hinc ſecundò, quòd neceſſe eſt eos qui obligationem alicuius rei dandæ alteri contrahunt eo ſolùm nomine, quòd in defuncti res & bona ſuccedant, ideo contrahere obligationem hanc, quòd hæ res eſſent illi alteri quodammodo deuinctæ & obligatæ: ſic autem illi deuinctæ non ſunt, niſi ratione iuris quod ad illas habet: quæ autem ex hoc iure naſcitur obligatio dandi rem ad quam ius habetur, propria iuſtitiæ eſt. Vnde eſt, quòd cùm aliarum virtutum obligationes dicantur perſonales, vtpote ſolam eam perſonam quæ eas contraxit obligantes, & cum ipſa pereunte pereuntes, iuſtitiæ, reales appellantur, quòd ſcilicet ex hoc VI. iure ad res oriantur.

Quòd ſi quis quærat, quandonam contingat eum qui promittit, promiſſione ſua obligare ſe etiam ex iuſtitia? Reſpondendum eſt id contingere, quando fidem ſuam promiſſario ſic aſtringit, vt ſimul velit ius ad rem promiſſam ei tribuere, ſícque debitum iuſtitiæ in illius gratiam in ſe ſuſcipere: quod quoniam pendet ex eius intentione, eiuſdem intentioni in conſcientiæ foro ſtandum eſt: in externo autem, quoniam nulla ſunt ſigna quæ certò demonſtrent hanc fuiſſe promittentis intentionem, niſi forte diſertis verbis eam ipſe expreſſerit, coniecturis vtendum eſt: inter quas magnam vim habet promiſſio confirmata proprio promittentis
C chirographo, aut publica ſcriptura: vnde VII. etiam ex ea prædicto in foro hic iudicabitur obligare ſe voluiſſe ex iuſtitia: & meritò, cùm vix ſit aliqua legitima ratio, ob quam promiſſionem ſuam ſic ſcripto confirmare voluerit, niſi vt poſſet promiſſarius eam hæredibus repræſentare, & contra eos in iudicio contendere, ſi forte promiſſor ante mortem ei minime ſatisfeciſſet.

SECTIO VIII.

Vtrum fidelitas ſit ſpecialis virtus à cæteris omnibus vulgò numerari ſolitis diſtincta?

D DOMINICVS Sotus libro 7. de Iuſtit. quæſt. 2. artic. 1. in ſolutione primi, vi- VIII. detur aperte velle eandem prorſus eſſe cum ſtricta iuſtitia. Suarez Relectone diſput. & ſect. ſuprà citatis num. 26. Vaſquez in primam partem diſput. 85. cap. 6. Rebellus lib. 18. quæſt. 4. aſſerunt eandem eſſe cum virtute veritatis, ſeu veracitatis, ſequuti Caietanum ad artic. 1. quæſtionis 113. id expreſsè affirmantem: at contrà Leſſius libro 2. cap. 18. dubit. 8. & Molina diſputat. 262. eam ab hac etiam veritatis virtute diſtinguunt, voluntque

esse proinde specialem virtutem à cæteris omnibus communiter receptis distinctam. Quam ego sententiam vt probabiliorem amplector, & probo hoc argumento. Non est eadem cum iustitia, aut veracitate: ergo specialis & à cæteris omnibus distincta virtus est. Consequentiæ istius bonitas euidens ex eo est, quòd fidelitas cum nulla particulari virtute tantam habet similitudinem, quantam cum iustitiæ, aut veracitatis, vt spectata propria illius aliarúmque omnium natura certissimum est: quo fit, vt si nonobstante hac tanta similitudine non sit eadem cum hac aut illa virtute, cum nulla alia possit eadem esse. Antecedentis veritas, quantum ad iustitiæ virtutem attinet, patet in primis ex iis omnibus argumentis quæ superiori sectione, & quæstione, in secundæ tertiæque assertionis probationem attulimus. Deinde ex authoritate S. Doctoris, qui quæst. 80. art. 1. ad 3. eam inter potentiales iustitiæ partes connumerat.

I. A

II. Quòd autem spectat ad Dominicum Sotum, visus quidem est loco citato fidelitatem cum iustitia confundere: verum, cùm ipse Relectione de tegendo secreto, quæst. 1. memb. 1. duplicem fidelitatis virtutem distinxerit: vnam quæ versatur circa debitum legale, seu ex iure alterius, quale resultat ex contractibus & commerciis, legale dictum, quòd leges persolui debitum imperantes de huiusmodi solùm aut potissimùm debito loquantur, per easque concedatur in externo foro actio contra eos præcipuè qui istiusmodi debita non persoluunt: alteram quæ versatur circa debitum morale, seu quod non est ex iure debitum, sed ex naturali quadam honestate, & ad hanc virtutem velit pertinere simplicis seu puræ promissionis obligationem, dicátque virtutem hanc non esse proprie iustitiam, imò doceat in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 2. ipsam ad virtutem veritatis pertinere: cùm, inquam, ita sit, dicendum est, ipsum libro illo septimo citato asserentem fidelitatem ad iustitiæ virtutem spectare, de sola illa priore fidelitate loqui, nobisque proinde minimè contrarium esse, cùm de sola posteriori loquamur in hac nostra secunda quæstione.

B

III. C

Iam quantum ad virtutem veracitatis, probo nostri antecedentis veritatem tribus argumentis, quorum primum hoc enthymemate continetur. Infidelitas in promissis non est idem vitium ac peccatum cum vitio ac peccato quod veracitati opponitur: ergo nec fidelitas in iisdem erit eadem cum veracitate. Consequentiæ huius bonitas constat à simili: nam si infidelitas illa non est idem vitium ac peccatum cum vitio ac peccato iniustitiæ, rectè sequitur fidelitatem illi infidelitati oppositam, non esse eandem virtutem cum iustitia: si enim illa idem esset cum hac aut iustitiæ, aut veracitatis virtute, profectò oppositum illius idem esset cum opposito istius: vnde si oppositum vnius non est idem cũ opposito alterius, nec vna idem est cum altera. Probatur autem antecedens enthymematis ex eo quòd vitium & peccatum veracitati oppositum mendacij vitium ac peccatum est: infidelitas verò in promissis mendacij vitium & peccatum non est: qui enim promittit habens animum faciendi quod se facturum promittit, etsi postea mutet animum, nec faciat, mendax nõ est: si enim verax est, profectò mendax non est, atqui verax est, tum ex D. Thoma manifestè q. 89. artic. 7. ad primum sic loquente: *Sufficit ad veritatem verbi, quòd aliquis dicat id quod proponit se facturum, quia iam hoc verum est in sua causa, scilicet in proposito facientis*: tum ex hac clara ratione, quòd nimirum is verax sit, qui quod habet in mente loquitur: id autem facit, qui verbis dicit se facturum quod se facturum mente iudicat, & voluntate proponit.

IV. D

Dices, contra veracitatem esse falsum dicere, eum autem qui promisit se facturum, nec fecit, falsum dixisse. Respondeo falsum duplex esse, sicut & verum: quemadmodum enim verum dicitur id quod est conforme menti loquentis: & id præterea quod conforme à parte rei est rei dictæ verbo vel oris, vel mentis: ita falsum dicitur id quod menti loquẽtis difforme est: quod falsum priori illi vero opponitur: & præterea id quod à parte rei difforme est rei dictæ verbo mentis, aut oris: quod falsum posteriori vero est oppositum: qui autem promittit se quidpiam facturum, animo faciendi, nec tamen postea facit, in posterius hoc falsum incidit, non in illud prius: solum autem illud prius contra veracitatem est, vt patet ex eo qui putans aliquid esse quod à parte rei non est, dicit ore, quod mente putat: qui quidem posterioris generis falsum dixit, nec tamen egit contra veracitatem, imò ex ea eiusque formali motiuo loquutus est, aut loqui potuit.

V.

VI.

Atque vt genus istud falsi virtuti veracitatis non repugnat, imò ex ea dici potest, ita posterius genus veri huic falso oppositum, ei esse repugnans, & contra eam dici potest, vt patet ex eo qui dicit id quod à parte rei est, mente tamen iudicans sic à parte rei non esse: is enim posterioris generis verum dicit, & tamen contra veracitatem dicit, formalitérque mendax est: quia nimirum virtus veracitatis per se tantùm spectat prius veri genus in conformitate cum loquentis mente consistens, siue præterea conforme sit rebus ipsis quæ dicuntur verbo mentis, aut oris, siue non sit, quod ad ipsam se habet mere per accidens: e contrario vero vitium mendacij per se spectat solummodo prius genus falsi oppositum illi priori vero, in prædicta cum mente loquentis difformitate consistens, siue sit præterea difforme rebus ipsis quæ dicuntur verbo vel oris, vel mentis, siue non sit. quod ad ipsum habet etiam se pure per accidens.

VII.

VIII.

Secundum argumentum istud est. Obligatio implendi promissa est ex fidelitate, non ex veritate: ergo fidelitas non est veritas. Consequentia euidens est: quòd autem obligatio illa ex fidelitate sit, nullus dubitat, cùm nulli dubium sit quin obligationis illius violatio contra fidelitatem sit, & qui violat, sit in promissis infidelis. Quod verò non sit ex veritate, sic probo: si ex ea est, maximè ob hanc causam, quòd ex eadem virtute sit obligatio efficiendi & vt verba menti, & vt facta verbis respondeant: quam etiam solam aduersarij afferunt,

dum dicunt, ideo implere promissa ad virtutem veritatis pertinere, quia eiusdem virtutis est conformare verba menti, & facta verbis, vt loquitur Caietanus : atqui hæc causa nulla est. Primò, quia si ob hanc causam esset
I. obligatio implendi promissum, ob eandem quoque esset faciendi id quod quis non promisit, sed proposuit tantummodo, dixitque verbo vel mentis vel oris se facturum : nisi enim fiat, non verificabuntur verba per facta, neque hæc verbis conformabuntur, ad quæ tamen conformanda sic & verificanda ex virtute veritatis obligatio esse dicitur. Ex quo fieret, vt sicut standi promissis ex natura rei obligatio est, sic esset ex natura rei quoque perseuerandi dictis in propositis: quod tamen falsum est, cùm ex communi Theologorum doctrina propositum in eo à promissione differat, quòd qui tantummodo proposuit facere, dixítque se facturum, nullam habet per se loquendo faciendi obligationem: qui verò voluit promittere, séque facturum promisit, habeat obligationem faciendi quod promissum
II. est.

Secundò, quia si ob prædictam illam causam esset obligatio standi promissis, sequeretur violationem promissi leuius esse peccatum mẽdacio officioso, vel iocoso, quod certissimè falsum est: ideo enim peccatum esset, quia facta verbis non responderent, seu quod idem est, quia non faceres quod te facturum affirmasti: hoc autem, si peccatum est contra veritatem, est haud dubiè leuius quàm mendacium officiosum, vel iocosum : magis enim communi omnium iudicio à veritate recedit, qui falsum, id est, difforme menti loquitur, quàm qui conforme menti, sed difforme rebus: quorum duorum prius illud facit is qui mentitur officiosè, vel iocosè : istud verò posterius, qui
III. non fecit quod dixerat se facturum, habens in mente & voluntate facere, cùm diceret.

Dixi, si peccatum contra veritatem est, vt significarem non esse, quod est contra Lessium citata dubit. 8. asserentem virtutem veracitatis, quam, vt monui, à fidelitate distinguit, ad duo obligare : videlicet vt conformemus dicta nostra menti, ne dicamus mendacium: & vt conformemus facta dictis, ne dicamus falsum : quæ eius sententia ex eo refellitur in primis, quòd esset ex rei natura obligatio perseuerandi nostris in propositis verbo mentis aut oris enuntiatis : nisi enim in iis perseueraremus, falsum diceremus : cuiusmodi tamen obligationem nullam per se loquendo ex natura rei esse, antea dictum est.

Deinde eo quòd qui promissum non im-
IV. pleret, duplex specie peccatum admitteret, vnum veracitati oppositum, quatenus falsum diceret : alterum fidelitati, quatenus promissum, ad quod ex hac virtute seruandum obligabatur, non seruaret : quam duplicem peccati malitiam in violatione simplicis promissionis admittere, nouum videtur, & in Schola hactenus inauditum.

Postremò, quia apertè repugnat his S. Doctoris verbis antea relatis, *Ad veritatem verbi sufficit, quòd aliquis dicat id quod proponit se facturum*, &c. Hoc enim profectò ad eius veritatem non sufficeret, si præterea ex virtute veritatis obligatio esset cõformare facta dictis, ne iis inesset falsitas, quæ peccatum esset contra hanc virtutem.

Tertium argumentum ex hac ratio neà pio-
A ri ducitur, ex eò nimirum quod vbi sunt honestates diuersæ prorsus rationis, ibi sunt admittendæ distinctæ virtutes : in vero autem V.
dicendo, seu consentanea menti loquendo, quod ad veracitatem spectat, & in implendis opere promissis, quod ad fidelitatem, diuersæ prorsus rationis honestates sunt, vt & diuersæ prorsus rationis sunt illæ, in quibus fundantur, conformitates, quarum vna est conformitas cum mente loquentis, altera cum obiecto, verbo mentis, aut oris enunciato, quarum prior ad veracitatem pertinet, non item posterior : quis enim eum dixerit contra veracitatem agere, qui verbo mentis aut oris dicit id quod à parte rei non est conforme rebus per hoc verbum enuntiatis, putans esse? quæ tamen
B posterior ad fidelitatem pertinet, suppositа VI.
promissione : vnde contra virtutem hanc censebitur ab omnibus agere, qui in verba sua conformitatem cum re per hæc enuntiata non induxerit.

Neque tantum diuersa penitus prædictarum honestatum ratio perspicitur ex ista duplici diuersæ prorsus rationis conformitate, sed ex his etiam indiciis. Primò ex difficultate : longè enim maior est alteriúsque generis difficultas, opere implere quod promiseris, quàm quod mente putas, dicere. Secundò ex diuersæ penitus rationis obligatione seruandæ honestatis quæ ad veracitatis virtutem pertinet, & illius quæ ad fidelitatem: nam obligatio seruandi honestatem spectantem ad veracitatem, ita absoluta est, vt ex
C hypothesi quòd quis loqui velit, obligetur VII.
ex natura rei propriam ipsi honestatem seruare : nec eum quisquam possit obligatione illa per liberam suam voluntatem soluere : obligatio autem seruandi honestatem propriam fidelitatis non ita absoluta est, vt quis ex hypothesi quòd loqui velit, & hoc etiam alicui dicere, promitto tibi me facturum, obligetur hoc facere: nisi enim præterea in eo præfuerit expressa voluntas obligandi se ad hoc faciendum, etiamsi dixerit, ad faciendum tamen non obligabitur. Quod ita verum est, vt ex communi quoque Theologorum doctrina, qui verbis vouet & promittit Deo se quidpiam facturum, sine præuia voluntate obligandi se ad faciendum, nullam reipsa habeat faciendi obligationem.

Deinde etsi dum exteriùs homini vel Deo
D promittit quis se quidpiam facturum, voluntatem quoque habeat obligandi se ad faciendum, obligatio tamen faciendi non ita absoluta est, etiam ex hypothesi quòd cum hac voluntate promittat, quin adhuc conditionata sit, nuoluátque conditionem hanc, si promissarius acceptauerit, & quin etiam postquam acceptauit, si remittat postea obligationem, liber prorsus sit ab omni obligatione faciendi quod promiserat. VIII.

SECTIO IX.

Soluuntur obiectiones.

ATQVE hinc facile soluitur prima aduersariorum obiectio, continens rationem à priori ipsorum sententiæ, in eóque tota consistens, quòd eandem à parte rei honestatem habeat, verum dicere, seu conformare verba menti, quod veracitatis est, vt veracitas dicitur, & à fidelitate vt sic, ratione distinguitur, & facta dictis conformare, quod est fidelitatis, vt fidelitas est, & à veracitate vt sic, ratione distinguitur. Constat enim ex dictis non esse eandem seu eiusdem rationis honestatem, sed diuersæ penitus.

Secunda continet authoritatem S. Doctoris variis locis: ac primò 2. 2. quæst. 80. art. 1. ad 3. expresè dicentis, fidem per quam fiunt dicta, includi in veritate, quantùm ad obseruantiam promissorum. Deinde quæst. 110. art. 3. ad 5. infidelitatem illam qua non impletur promissio, inter mendacia, & peccata veritati contraria reponentis. Denique cùm de virtutibus agit in particulari, nullam facientis specialem mentionem fidelitatis, contra autem, veritatis: ex quo concluditur, ipsum non agnouisse virtutem fidelitatis tanquam distinctam à virtute veritatis.

At ad primum dico ipsum ibi includere infidelitatem in veritate, tanquam speciem in genere: est enim fidelitas, quædam specialis moralis veritas, inclinans ad verificanda verba, seu promissa per facta, & ad hoc obligans: sicut & sapientiæ & scientiæ habitus sunt quædam speciales veritates intellectuales, inclinantes ad conformitatem cognitionis cum obiectis cognitis: quæ conformitas veritas cognitionis dicitur. Quam nostram D. Thomæ interpretationem sibi faciliùs persuadebit, qui considerabit in primis, ipsum verbis immediate præcedentibus dixisse similiter, obedientiam includi in obseruantia quam Tullius posuit inter annexas iustitiæ virtutes: quod simili modo interpretandum est: nam obedientia qua fit quod imperatum est, quia imperatum est, specialis virtus est, & specificè distincta ab ea obseruantia qua honor exterior superioribus debitus exhibetur.

Deinde eundem ipsum hoc de obedientia, & fidelitate dixisse quod retuli, vt solueret quod erat argumento tertio ex authoritate Tullij obiectum, nempe hunc inter virtutes iustitiæ annexas non enumerasse obedientiam, & fidelitatem, sicque virtutes has vel non esse iustitiæ annexas, vel à Tullio non rectè fuisse assignatas annexas iustitiæ virtutes: quas ne concederet malè ab ipso fuisse assignatas, vtque simul doceret esse iustitiæ annexas, dixit ab eo fuisse comprehensas obseruantia, & veritate, quas inter annexas iustitiæ virtutes enumerauerat. Ex quo quis meritò concluserit, ex mente aut Tullij, aut S. Doctoris, obedientiam esse à parte rei eandem cum speciali obseruantiæ virtute, & fidelitatem cum veritatis?

Neque de Tullio hîc opponas, eum lib. 1. Offic. fidem seu fidelitatem definiuisse, *pactorum dictorumque constantiam, & veritatem*: meritò enim definire per veritatem potuit, quandoquidem est aliqua veritas, licet ab illa secundùm speciem distincta, quæ solet appellari veracitas. Adde quòd, si quia definiuit per veritatem, concludendum est, esse eandem cum veritate seu veracitate virtutem, concludendum pariter erit, eandem esse cum constantia, cum per hanc etiam definierit: atque ita fidelitatem, aut esse eandem cum multis specie virtutibus, nempe cum veracitate, & constantia, aut has duas virtutes non esse specie distinctas. Adde preterea quòd Soti citata superius Relectione de tegendo secreto opinio est, fidem ibi a Tullio definitam, esse ipsam iustitiæ strictæ virtutem, ex qua ad pacta conuentaque, seu ad contractus initos obseruandos obligatio est: quam etsi per veritatem in recto definierit, sicut non est propterea consequens, ipsam eandem à parte rei esse cum virtute veracitatis, cum certissimum sit apud omnes non esse: ita nec consequens erit, fidelitatem eandem esse cum hac virtute, etsi illam per virtutem hanc definierit.

Ad secundum nego S. Doctorem ibi infidelitatem inter mendacia, vitiaque veracitati opposita numerasse: contrarium enim constat ex his eius ad prædictum quintum argumentum verbis, *Ad quintum dicendum, quòd ille qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id quod gerit in mente, si verò non faciat quod promisit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quòd animum mutat.* Vbi promissionis violatorem non mendacem, sed infidelem appellans, clare significat violationem hanc non esse mendacium, aut vitium peccatúmve virtuti alteri quàm fidelitati oppositum.

Neque instes, solere nos appellare mendaces eos, qui promittere solent se facturos, nec tamen faciunt: nam etiam mendaces appellamus eos qui proponere solent, & dicere se facturos, quæ propoluerunt, nec tamen faciunt: qui nihilominus nec ex veracitate obligantur ad hæc sua proposita implenda, vt supra probatum est: nec mendacium, proprie loquendo, quod formaliter totum in loquutione contra mentem consistit, committunt, dum ea non implent, quia tunc temporis nihil contra mentem loquuntur, nec commiserunt, dum dicerent se facturos, dummodo faciendi voluntatem tunc habuerint: quæ similiter locum habent in iis qui promittere solent se facturos, nec faciunt: vnde si tam hos quàm illos alios meritò mendaces appellamus, ideo appellamus, quia meritò supponimus ipsos dum dixerunt se facturos, siue dixerint promittendo, siue simplex propositum suæ voluntatis explicando, non habuisse voluntatem faciendi quod dicebant, atque ita esse mentitos.

Adde quòd solemus non eos tantum mendaces vocare, qui dissona menti loquuntur, quæ proprie mendacia sunt: sed eos quoque qui falsa dicunt, licet suæ ipsorum menti non dissona: hoc autem mendacij genus nunquam est vitium aut peccatum virtuti veracitatis oppositum, sed aliquando nullum, vt cùm quis simpliciter proposuit & dixit se facturum: ali-

quando autem est fidelitati contrarium, & toties, quoties ex ea ad implenda promissa obligatio est.

Ad tertium dico S. Doctorem satis supérque specialem fecisse mentionem fidelitatis, & infidelitatis ipsi oppositæ, partim quæst. 88. I. quæ de voto, seu promissione Deo facta est, articulo præsertim 3. partim quæst. 110. art. 3. ad 5. vbi eum qui promissis deest, infideliter agere dicit, duásque in vniuersum causas adiungit, ob quas, etsi desit, excusari tamen ab infidelitatis vitio & peccato potest: quibus locis specialem à D. Thoma fuisse institutam de fidelitate, ipsique opposita infidelitate tractationem, notauit ipse Caietanus expresse ad art. 1. quæst. 113.

SECTIO X.

Trium aliarum quæstionum circa eundem priorem comparandi dominij modum explicationem continens.

II. PRIMA est, quale peccatum sit violatio promissionis, ad quam implendam ex sola fidelitate obligatio est? Suarez supracitata Relect. de libertate diuina, disput. 2. sect. 2. num. 22. & Lessius lib. 2. cap. 18. dubit. 8. mortale ex suo genere esse affirmant, totiesque reipsa mortale, quoties in materia graui promissio violatur. At Caiet. ad art. 1. citatæ paulò ante quæstionis, Molina supracitata disp. 262. & Rebellus parte 2. de obligationibus Iustitiæ lib. 18. quæst. 4. docent esse tantùm veniale ex genere suo, ac proinde nulla in materia quantumuis graui vnquam esse mortale: pro qua etiam sententia ipse Suarez refert Sotum in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 2. Lessius verò Henriquem de excommunicatione, cap. 17. sumum. Verbo. *perfidia.* & Franciscum Garciam de contractibus. 1. parte, cap. 3. Rebellus autem præterea Armillam, Tabienam, Cordubensem, Syluestrum, & Antoninum: quorum ego sententiam tanquam probabiliorem amplector.

Et probo in primis ex communi hominum iudicio, qui simplicium promissionum in quacunque materia violationem parui solent æstimare, propterea que parum esse soliciti de implendis huiusmodi promissionibus, quas non dubium est plerunque esse de re graui, seu quæ in magnum promissarij commodum cederet, si implerentur. Quod certo argumento est, communem hominum sensum esse, paruam esse implendarum huiusmodi promissionum obligationem. Quod & confirmatur efficaciter ex eo quòd si plerique, dum promittunt, interrogarētur, an vellent promissionem suam IV. vel iuramento, vel chirographo confirmare, D renuerent, diceréntque nolle se tam strictè esse ad implendum promissum obligatos: hinc haud dubiè significantes per simplicem promissionem nec velle se tam strictè obligare, vt sub mortali peccato obligent, nec existimare se ita esse strictè obligatos.

Deinde quia non nisi difficillimè determinari posset, quæ materiæ grauitas requireretur, & sufficeret, vt promissionis violatio mortale peccatum esset, si hæc in materia graui huiusmodi peccatum esse posset. Nam materiam illam grauem dicere, quæ sufficeret ad mortale peccatum iniustitiæ, si furto surriperetur, nimis rigidum est, & ab ipsis etiam aduersariis reiicitur, nominatim à Lessio citata dubit. 8. docente expresse, quòd si vnus aureus nummus ad mortale furti peccatum necessarius est A V. plures aurei requiruntur, vt eorum donandorum promissio sub mortali obliget.

Denique eo quòd cùm fidelitas sit virtus veracitati valde affinis, vt omnes fatentur, & tam affinis, vt plerique illam ab hac non distinxerint, vt suprà vidimus, imò sit essentialiter aliqua veritas, licet ab illa veracitatis virtute specie distincta, vt supra etiam docuimus, consimilem quoque illi habet obligandi vim: illa autem ex genere suo strictiùs obligare quàm sub veniali peccato nunquam potest: vnde ex communi Theologorum doctrina, nullum mendacium, vt purè mendacium est, seu prout virtuti veracitatis oppositum, est vnquam mortale peccatum: & ratio est, quia per B mendacium, vt mendacium est, decipitur tantùm proximus absque vllo suo damno: quod VI. quidem non est per se grauiter rectæ rationi repugnans: quæ pariter ratio locum habet in violatione simplicis promissionis: per hanc enim proximus tantùm absque damno suo decipitur.

Obiicies primò, quando res notabilis, vt magna argenti copia, ipsi promissa est, magno suo cum damno decipitur, si promissio non impleatur, quia carentia rei promissæ magnum damnum est. Respondeo carentiam hanc non debere appellari damnum à promittente illatum, alioquin etiam qui simpliciter proposuisset dare centum aureos alicui, declaránsque ei suum hoc propositum dixisset se daturum, si postea mutaret animum, nec daret, magnum ei damnum inferret: quando ergo per III. promissionis violationem, aut propositi mutationem C damnum inferri dicitur, damni nomine intelligenda non est ipsa præcisè carentia rei quæ danda dicebatur, sed detrimentum aliquod aliud ex hac carentia consequens, quod in suis bonis propriis patiatur ille qui decipitur, & cuius causa sit ille qui non implendo propositum, vel promissum, decipit: quod quidem detrimentum dum graue est, graue quoque peccatum committitur: at non contra fidelitatem, sed contra iustitiam, aut charitatem. VII.

Obiicies secundò, sequi ex nostra sententia, eum qui promisisset mille aureos alteri, ad quos dandos ex sola fidelitate se obstrinxisset, si non daret, peccaturum tantùm venialiter: si autem vnicum aureum promisisset, & promittendo, se ex iustitia obligasset, peccaturum mortaliter, si non daret: hoc autem videri absurdum. Respondeo verum esse consequens quoad vtramque partem quam continet, sed absurdum videri non debere: & prior quidem eius pars vera est, ob eandem causam, ob quam si mentiendo dixisset se daturum, non quidem promittēs, sed tantum affirmans, mendacium hoc esset solummodo veniale peccatum, quia nimirum contra veracitatem, & fidelitatem, nulla in materia peccari mortaliter potest, vt supra proba- VIII.

uimus: posterior autem vera est, quia violatio promissionis illius esset peccatū iniustitiæ, hoc autem peccatum ex genere suo mortale est, vt & supra docuimus, & Theologi omnes consentiunt, & toties reipsa est, quoties in materia graui committitur: vnde si vnicus aureus nummus esse grauis materia supponitur, iniustitia circa materiam hanc commissa graue seu mortale peccatum erit. I. A V.

Obiicies tertiò. Potest violatio promissionis, ad quam implendam nullo alio ex capite obligatio est, quàm fidelitatis, ratione grauitatis materiæ, & dignitatis hominis cui fides frangitur, repurari moraliter sufficiens ad dissoluendam inter eos amicitiam: ergo etiam potest esse peccatum mortale. Respondeo amicitiam humanam aut meritò dissolui posse pro ea erga hominem offensa, quæ veniale tantummodo peccatum sit coram Deo, aut non posse: si primum, concesso antecedente, malam esse consequentiam: si secundum, antecedens falsum esse.

Obiicies quartò. Violatio promissionis Deo factæ in materia graui peccatum mortale est, ex certissima Theologorum omnium doctrina: ergo & violatio promissionis homini factæ in materia saltem grauissima. Duplex responsio esse potest, quoniam duplex est de fidelitate, qua ad seruanda Deo promissa obligamur, opinio. Vna est, eandem esse specie & numero cum ipsa virtute fidelitatis qua tenemur implere promissa quæ homini fecimus. Altera est, esse ab ea specificè diuersam, eandemque cum virtute religionis. Supposita prima illa sententia, respondendum est ad antecedens, violationem voti in materia graui esse veniale peccatum tantùm contra fidelitatem: at contra religionem esse mortale: ad omnem autem promissionem factam Deo seruandam semper fore obligationem ex duplici virtute, fidelitatis scilicet, & religionis: & peccatum contra illam priorem non esse ex suo genere nisi veniale: contra hanc autem ex genere suo esse mortale, totiésque proinde reipsa esse, quoties in materia graui committitur: quemadmodum si ad quamliber promissionem homini factā implendam esset semper obligatio ex duplici virtute, fidelitatis scilicet, & strictæ iustitiæ, violatio illius in materia graui, leue tantùm peccatum esset contra fidelitatem, quia hæc ex genere suo nunquā obligat sub mortali: esset autem graue contra iustitiam, quia hæc ex genere suo sub mortali obligat, ac proinde reipsa toties, quoties materia grauis est. II. B VI. III. C VII.

At supposita hac secunda sententia, concesso antecedente, neganda consequentia est: manifesta enim disparitatis allatæ ratio est, quod nimirum fidelitas obligans ad promissa hominibus seruanda ex genere suo non obligat sub mortali: contra autem, religio. Omitto hîc argumenta multa quæ citato loco nobis opponit Lessius: aliud enim nihil probant, quam violationem promissionis, cuius implendæ erat obligatio, tam ex iustitia, quàm fidelitate, in re graui mortale peccatum esse contra iustitiam, quod vltro concedimus. IV. D VIII.

Secunda quæstio est, vtrùm per donationem rei alicuius de præsenti factam transferatur huius ipsius rei dominium à donante in donatarium? Respondeo per eam nec dum consummatam non transferri ordinarie: tunc autem consummata censetur, cùm res iam donata traditur: traditio enim ad acquirendum in rem donatam dominium ordinarie requiritur: vt habetur leg. *Traditionibus*. Cod. *De pactis*. & Instit. *De rerum diuisione*, §. *per traditionem*, & quatuor sequentibus, éstque communis Theologorum doctrina: vnde donatarius in rem sibi donatam necdum traditam non habet ordinarie ius in re, sed ad rem duntaxat, iure illo in re vsque ad traditionem permanente in donatore. Dixi semper, ordinarie, propter speciales quasdam donationes, quas enumerat Molina tract. 2. de Iustit. disput. 3. per quas etiam ante traditionem res donata transit in dominium donatarij.

Tertia est, ex qua virtute sit obligatio tradendi rem quæ donata est? Respondeo, ex Iustitia: qui enim donat, fidelitatem suam non astringit alteri, sed ius ad rem confert ei cui donat: ex quo iure solius iustitiæ debitum oritur in donante tradendi rem quam donauit: contra quam proinde solam peccabit, si eam non tradit: leuiter autem aut grauiter, prout violatio iuris istius in materia leui aut graui versabitur.

SECTIO XI.

Duarum quæstionum circa posteriorem comparandi dominy modum explicationem continens.

MODVS iste quoniam præscriptione potissimùm continetur, tres de ea sequentes quæstiones proponemus: ad quas tantò breuius respondebimus, quantò materia hæc Iurisperitorum magis quàm Theologorum propria est.

Prima est, quid sit inter præscriptionem & vsucapionem discriminis? Sciendum est, præscriptionem generalius acceptam quàm cum ab vsucapione distinguitur eo modo quē paulò pòst referemus, significare, iuxta iuris ciuilis Doctores, exceptionem: apud eosdem autem exceptio est oppositio vniuersim quæ fit ad excludendam actionem seu litem quæ ipsi excipienti ab alio intentatur, quæcunque tandem sit illa lis, & actio, dummodo tamen hac oppositione non negetur ab opponente fundamentum actionis seu litis intentatæ: nam si negetur, tunc oppositio non dicetur exceptio, sed commune defensionis nomen retinebit.

Exempli gratia Petrus intentat actionem & litem Paulo, vt sibi soluat centum aureos pro equo quem ei vendidit: litis huius & actionis fundamentum est equi venditio, cui actioni & liti si Paulus opponat se equum non emisse, nō dicetur excipere, sed se defendere, quia fundamentum actionis litisq. negabit: at si confitens emisse se, opponat se persoluisse, tunc dicetur excipere, quia oppositionem facit, qua litem intentatam excludit, qua tamen ipsum intentatæ litis fundamentum non negat: cuius exceptionis seu oppositionis factæ probatio tunc ad reum ipsum pertinet: quæ quidem

exceptio, si litem hanc ad tempus tantùm aliquod excludit, dicitur dilatoria: vt cùm excipiens intentanti opponit, iudicem cuius ad tribunal vocatur, non esse suum iudicem: quam oppositionem etsi probet, non extinguit tamen funditus actionem & litem, sed coram alio legitimo iudice intentandam relinquit: at si non ad tempus tantùm eam excludat, sed omnino destruat, peremptoria vocatur: qualis est ea qua quis opponit se persoluisse rei venditæ pretium quod exigitur, huius enim oppositionis probatio intentantis actionem & litem excludit penitus, & extinguit.

I.

Hinc ad propositam quęstionem respondeo, iuris ciuilis Doctores hoc inter vtramque constituere discrimen, quòd vsucapio est acquisitio dominij circa rem illam, quam quis toto tempore quod à iure constitutum est, seruatisque cæteris requisitis ab eodem iure conditionibus, vt suam possedit: præscriptio verò est specialis illa exceptio seu oppositio ad excludendam actionem intentantis litem, rémque iam vsu captam vt suam repetentis, qua opponit is qui vsucepit, se rei illius tanquam iuæ possessorem fuisse eo tempore, iisque omnibus cum circunstantiis, quæ necessariæ sunt, vt eius dominium acquisierit, sicque se iam eiusdem dominum esse: quæ oppositio si probari possit ab opponente, peremptoria erit, quia litem & actionem intentatã funditus destruet. Ita Molina Tract. 2. disput. 60. Lessius lib. 2. cap. 6. dubit. 1. communitérque iam Theologi.

II.

Ex quo colliges, iisdem etiam consentientibus, hoc à nonnullis inter vtramque discrimen male assignatum fuisse, quòd præscriptio sit acquisitio dominij, sed rerum immobilium: vsucapio verò mobilium: demonstrant enim, nominatimque Couarr. Regula, *Possessor.* part. 1. §. 1. differentiam hanc commentitiam esse, nulloque iure niti, præscriptionémque ac vsucapionem in mobilibus & immobilibus indifferenter locum habere, hoc tamen semper discrimine, quod vsucapio, iuxta ciuilis iuris Doctores, est ipsa rerum siue mobilium, siue immobilium dominij acquisitio: præscriptio verò, supradicta exceptio seu oppositio litis & actionis intentatæ ratione rerum siue mobilium, siue immobilium. Dico, iuxta ciuilis iuris Doctores, vt significem ius canonicum nullum inter hanc & illam discrimen ponere, sed tam huius quàm illius nomine indifferenter intelligere prædictam dominij circa res siue mobiles siue immobiles acquisitionem: quo fit, vt iam à Theologis passim, imò etiam ab ipsis Iurisperitis vna cum altera confundatur, & per vtramque acquisitio ista intelligatur: quo etiam sensu nos in posterum præscriptionis nomen vsurpabimus.

III.

Secunda est, an præscriptio in foro conscientiæ locum habeat? de externo enim nulla quæstio est, quia certum omnibus est, quòd si quis rem aliquam vt suam possederit toto illo tempore quod legibus constitutum est, seruatisque cæteris per easdem leges requisitis conditionibus, ei in externo illo seu contentioso foro adiudicabitur, non verò antiquo eiusdem rei domino, etsi progressu temporis certissimè cognoscatur. Tres sunt autem de propositæ quæstione sententiæ. Prima paucorum quorundam negantium locum habere, & quod est consequens, asserentium eum qui rem aliquam seruatis omnibus à iure requisitis conditionibus præscripsit, seu quod idem est, vsucepit, teneri in conscientia illam dimittere, & antiquo domino restituere, postquam is illi innotuerit.

IV.

Secunda est plurium aliorum, vt Adriani in 4. in materia de Restitutione, speciali quadam in quæstione de præscriptionibus. Ioannis Medinæ Codice de restitutione, quæst. 16. 17. & 18. Maioris in 4. dist. 15. quæst. 11. num. 11. asserentium quando is aduersus quem præscribitur, negligens fuit in re sua quærenda, & recuperanda, valere præscriptionem in foro conscientiæ, itavt qui præscribit, rem vere suam efficiat, nec tenearur eam antiquo domino restituere, si postea eum certò etiam compererit: negantium autem in eodem foro valere, si nulla huiusmodi negligentia vsus fuerit. Tertia Molinæ, disput. 61. Lessij lib. 2. cap. 6. dubit. 17. aliorumque omniũ iam inter Theologos communissima, affirmantium valere, siue is contra quem præscribitur in sua re quærenda negligens fuerit, siue non: quæ vera est.

V.

Probatur autem, eo quòd si legum de præscriptione conditores præscribenti dominium rei quæ præscribitur concedere potuerunt, & voluerunt, dubium non est, quin præscriptio vim habeat in foro conscientiæ: atqui potuerunt, & voluerunt: & quidem potuerunt, quia in Principe cõmunitatis est plena potestas tam in subditos, quàm in eorum bona, quatenus commune bonum, & publica vtilitas exigit: hanc enim potestatem habet communitas in quodlibet membrum suum, quam communicat ei quem in Principem sibi deligit, & eo ipso communicat, quo deligit: quod autem commune bonum exigat per legem præscriptionis, seruatis iis conditionibus quæ ad eam requiruntur, transferri dominium ab eo qui ante præscriptionem erat rei præscriptæ dominus, in præscribentem, constat in primis ex hac Caij Iurisconsulti leg. 1. ff. de vsucap. communiter recepta approbatáque sententia. *Bono publico introducta vsucapio est, ne diu, & fere semper incerta essent rerum dominia, cùm sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium.*

VI.

Constat deinde ex eo quòd grauissima per legem hanc incommoda euitantur, quorum etiam euitandorum gratia condita est: ac primum quidem illud quod author ille attigit, quòd nimirum alioquin aliquando diu, aut fere semper incerta rerum dominia essent, ex quo permulta alia nascerentur, vt plurimæ grauissimæque lites, & summè intricatæ, vtpote quarum frequenter exordium à tempore immemoriali repeteretur: vnde & maximi sumptus faciendi necessariò essent, in earum tum probatione, tum defensione: vnde etiam sæpissime iustitia in huiusmodi causarum decisione periclitaretur, cùm adeo obscurum esset, cuinam adiudicari deberet res de qua litigaretur.

VII.

Quod autem non modò potuerint, sed etiam voluerint, constat primum ex ipsa vsucapionis definitione tradita leg. 3. ff. de vsucapionibus. *Vsucapio est acquisitio dominij per continuationem*

VIII.

temporis lege definiti. Deinde ex relatis Cuj Iurisconsulti verbis, prædictóque fine ob quem præscriptionem introduxerunt, quem sanè nó obtinerent, vt per se patet, nisi id quod dico voluissent. Denique quia omnes illæ leges, vi quarum in externo foro adiudicanda est res præscribenti, iniquæ essent, iniustæque illæ iudicum sententiæ quibus adiudicaretur, nisi præscribens in eam dominium per præscriptionem acquireret. Nam alioqui constituerent, vt res aliena, manens aliena, talisque cognita, alteri quàm vero domino adiudicetur, eámque iudices suis sententiis reipsa adiudicarent, quod iniquum est.

Nisi forte quis dicat, legibus illis fuisse constitutum, vt iudices eam præscribenti adiudicarent, suáque hac sententia transferrent eius dominium in præscribentem: sed si leges illæ tunc saltem temporis transferre per iudices voluisse dominium hoc conceduntur, non est quòd negetur eas etiam ante sententiam iudicis transferre ipsum voluisse, cùm eas id voluisse, sit ipsarum verbis multò conformius, earundem authoritati congruentius, naturæ quoque iudiciorum conuenientius, quæ de rebus in litem venientibus dum exercentur, præsupponunt verum rei de qua litigatur dominum, eum inquirunt, & per legitimas probationes iudici ostendunt, vt ei rem tanquam vero eius domino adiudicet, non vt sententia sua ipsum eiusdem dominum efficiat.

Atque cùm hæ rationes æquè vim habeant, siue is contra quem præscribitur in re sua quærenda negligens fuerit, siue non fuerit, pro certo habendum est, præscriptione dominium acquiri, siue aliqua eius negligentia interuenerit, siue nulla. Adde quòd leges vniuersim adiudicantes rei præscriptæ dominium ei qui præscripserit, immeritò restringuntur ad eos solos casus, in quibus aliqua eius negligentia interuenit, cùm in iure ciuili, & canonico nullum huiusce restrictionis vestigium sit, vtpote quod nusquam significat præscriptionis legem latam esse in pœnam negligentiæ eorum qui suis in rebus curandis negligentes fuerint: quod etsi alicubi significarent, quia tamen hæc pœna minimè esset præcipuus legis illius finis, sed commune bonum, & supradictorum incommodorum à Republica exclusio, propterea lex illa vim suam semper obtineret, etsi nulla illius, cuius res præscribitur, interuenisset negligentia.

Neque opponas quod cap. *Vigilanti*, aut Alexander tertius, *præscriptionem institutam fuisse, ad vitandam segnitiem*: Hæc enim verba non significant legem præscriptionis pœnalem esse, sed eo fine fuisse conditam, vt homines aduertentes se vi eius dominium illorum amittere, quæ alius præscripserit, excitarentur ad diligentiam in conseruandis suis rebus adhibendam. Quòd si dicas, neminem sine culpa sua priuari re sua debere, respondebo verum id esse, nisi cùm ratio boni communis aliud exigit, vt in re præsenti accidit. Si secundò dicas, ex regula *Locupletari*, de regulis iuris in 6. neminem cum alterius damno locupletari debere, quod tamen eueniret, si præscriptio in foro conscientiæ vim haberet: respondendum erit, regulam illam intelligendam esse, nisi id eueniat ratione alicuius iustæ legis, qualis est lex præscriptionis.

Ex dictis concluditur, aliam esse rationem legis istius, aliam sententiæ iudicis, qua rem quæ in litem venit vni litigantium adiudicat: hæc enim, quoniam nec ius in re, nec ad rem, nec dominium tribuit, sed illud tantùm declarat, ac proinde præsupponit, vim in foro conscientiæ non habet, nisi is cui adiudicatur, antequam sententia ferretur, dominus eius eliet, aut verum aliquod circa eam ius haberet. Vnde si is cui adiudicata est prudenter & iustè ex allegatis & probatis, rescire certò postea inciperet, eam fuisse alterius, ante latam à iudice sententiam, teneretur in conscientia eam ipsi restituere: è contrario autem illa lex, ob contrariam causam.

SECTIO XII.

Tertiæ quæstionis circa eandem posteriorem comparandi dominij modum explicationem continens.

TERTIA quæstio est, quæ conditiones requirantur, vt præscriptio in foro conscientiæ locum habeat? Respondeo requiri sex istas. Prima est, vt qui præscribit, capax sit dominij rei præscribendæ: cùm enim præscriptione transferatur rei præscriptæ dominium in præscribentem, sanè qui dominij in rem illam incapax est, præscribere non potest.

Secunda, vt res præscribenda sit de numero earum quæ possunt præscribi: non enim potest quælibet, cuiusmodi est libertas: nam qui liber est, per nullam præscriptionem seruus effici potest, vt constat ex lege vltima, Codice de longi temporis præscriptione: cuiusmodi sunt etiam nonnullæ aliæ res, quas breuiter enumerant Gregorius à Valentia disputatione 5. quæst. 6. de restitut. punc. 5. & Lessius lib. 2. cap. 6. dubio 15.

Tertia est, possessio rei præscribendæ, ex 3. siquidem regula iuris in 6. sine possessione rei præscribendæ non datur præscriptio. Cùm autem triplex in genere possessio sit, vna naturalis tantum, altera ciuilis tantum, tertia naturalis & ciuilis simul: prima non sufficit, secunda contrà, multóque magis tertia. Exempli causa, si quis mercator ad nundinas aut aliò proficiscens domum suam vacuam deseruisset, nec vllum in ea reliquisset, hanc autem quidam alius occuparet animo possidendi, vt suam, hic inuasor naturalem tantum eius possessionem haberet, mercator autem ille tantùm ciuilem retinuisset: sic enim corpore ab ea discedens naturalem amisisset, quandoquidem nec per se, nec per seruum, filium, aliúmve ipsam eius nomine possidentem, eam amplius corporaliter possideret: ciuilem tamen adhuc retineret, quia domum illam sic à se relictam, animo vt rem suam adhuc possideret, eiusdémque reputaretur adhuc possessor secundùm communem hominum existimationem, donec reuertens non admitteretur in naturalem eiusdem domus suæ possessionem, vel suspicans se non admittendum, nec præualiturum aduersus eum qui inuasit, & possidet na-

turaliter, ab illa aggredienda & occupanda desisteret : eo enim ipso censeretur secundum communem existimationem delectus è possessione illa ciuili, inuasorque qui antea possidebat tantùm naturaliter, inciperet possidere etiam ciuiliter, licet iniustè.

I. Dixi autem inuasorem fieri eius naturalem A possessorem, si eam occupet animo possidendi vt suam : nam hic animus ad comparandam possessionem etiam naturalem, multóque magis ciuilem ac tertiam, ex hac & illa conflatam, necessarius est: vnde si eam inuahisset, animo solùm inhabitandi, non diceretur illam possidere naturaliter, sed tenere: quæ tentio pro varietate animi quo res tenetur, varias habet appellationes : vnde est quod aliter dicitur locator tenere rem locatam, commodatarius commodatam, depositarius depositam, quarum nullus istorum possessor dicitur.

Quarta est, certum tempus possessionis rei quæ præscribitur : quod quidem ad præscriptionem rerum mobilium, debet esse annorum trium : decem autem inter præsentes ad immo-
II. bilium, inter absentes verò viginti : dicuntur B autem præsentes qui in eodem territorio degunt, vt in Parisienſi, licet non degat vterque in ipsa vrbe Parisiorum. Atque hæc præscriptio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, vocatur in iure, *longi temporis*: quæ verò *longissimi*, requirit vt minimum triginta aut quadraginta annos : quæ etiam necessaria est ad res Ecclesiasticas immobiles præscribendas : nam Ecclesiæ cuiusuis res immobiles non nisi possessione quadraginta annorum præscribi possunt, Romanæ autem Ecclesiæ, non nisi centum. Dixi immobiles, nam res mobiles Ecclesiæ cuiuslibet etiam Romanæ possessione trium annorum præscribuntur.

Occasione quartæ huius conditionis ad validam in foro conscientiæ præscriptionem re-
III. quisitæ, dicam hic obiter, quandonam dicatur C præscriptio non procedere, dormire, interrumpi. Non procedere dicitur, quando aliquam ob causam non incipit, aut incipere non potest: dormire verò, quando iam inchoata, aliquanto tempore cessat, ita tamen vt eo elapso rursus vim obtineat, continuetúrque cum tempore præcedente per quod inchoata fuerat, & durauerat : interrumpi denique, quando inchoata ita cessat, vt si rursus vim resumat, non continuetur cum tempore præcedente, per quod inchoata fuerat, & durauerat, sed inchoari de nouo debeat.

Quinta est, vt possessio rei quæ præscribitur iusto aliquo titulo comparata fuerit : vbi tria aduertenda sunt : primum est, iusti tituli nomi-
IV. ne non intelligi iustum à parte rei, & dominium rei possessæ transferentem in eum qui D possidet : per hunc enim titulum quia rei possessæ dominium reipsa cõpararetur, nihil opus esset præscriptione ad illud in eam comparandum : sed intelligi eum qui iustus & validus probabiliter præsumitur, licet verè nõ sit, qualis est venditionis, aut donationis factæ ab eo qui ius vendendi donandíve non habebat, probabiliter tamen & bona fide ab emente, & accipiente habere putabatur.

Secundum est, hanc conditionem requiri tantùm ordinarie : nam absolutè non requiritur, possumúsque res illas præscribere, de quibus ignoramus, quonam titulo in earum possessionem venerimus : sed tunc ad valide præscribendum præscriptionis tempus prorogandum diutiùs, quam alioqui prorogari deberet : nam sine titulo res siue mobiles, siue immobiles non præscribuntur nisi possessione triginta annorum, vt constat ex leg. *sicut in rem*, & leg. *si quis emptionis*. Cod. *de præscriptione* 30. *annorum*. Vnde quod dicitur cap. *Dilectio*. §. *Potest*. 16. quæst. 3. eum scilicet qui nullo titulo possidere incipit, præscribere non posse, intelligendum est non absolutè, sed ordinarie.

Tertium est, quæ superiorem conditionem referentes diximus de possessione trium, decem, aut viginti annorum, requisita ad res siue mobiles siue immobiles præscribendas, intelligenda esse de possessione quæ iusto aliquo titulo comparata sit, iusti nomine intelligendo eum quem præmonui. Atque cùm ea quæ de tertia, quarta, quintaque conditione asseruimus, constent authoritate iuris ita constituentis, videat Molinam à disput. 60. & Lessium lib. 2. cap. 6. à dubit. 2. qui nosse cupiet leges & loca, quibus in iure ita vt docuimus constitutum est.

Sexta est bona fides, nam malæ fidei possessor nullo tempore præscribit, vt habetur regula, *Possessor*, de regulis iuris in 6. & capite vltimo de præscriptionibus, in quo refertur ea de re decretum Concilij magni Lateranensis sub Innocentio tertio, quod huiusmodi est. *Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est, Synodali iudicio definiuimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quàm ciuilis, cum generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari : vnde oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte habeat alienæ rei conscientiam.*

SECTIO XIII.

Difficultas vna proponitur, & soluitur.

CIRCA hanc vltimam conditionem occurrit hîc vnica difficultas, vtrum scilicet dubium, an res quam quis possidet sua sit, præscriptionem impediat, eámve interrumpat? Vera responsio est, dubium illud impedire quidem, ne rei præscriptio inchoetur, seu tempus iure constitutum quo res præscribenda possideri debet, antequam veniat in dominium possidentis : at non impedire, nec interrumpere præscriptionem, seu prædictum possessionis tempus, si eo iam inchoato superuenerit. Vtrámque responsionis partem tuentur Lessius citato cap. dub. 3. Molina disput. 63. aliíque multi quos ibidem citant. Prioris partis ratio est, quòd ad præscriptionem requiratur bona fides, qui autem illam cum prædicto dubio inchoat, non bona fide inchoat: possessio enim illa bonæ fidei dici non potest, quæ peccatum est : nam vbi bona fides est, peccatum non est : at inchoata cum tali dubio possessio peccatum est: nullus enim sine peccato potest rem antea à se non possessam vsurpare sibi, dubius, vtrum suum accipiat, an alienum, quia non est me-

V. VI. VII. VIII.

lior

lior ipsius conditio, quàm alterius, tuncque præsertim id non potest, dum res antea à se non possessa quam vsurpat, ab alio possidebatur, quia in dubiis melior est conditio possidentis.

I. Posterioris autè partis ratio est, quòd si quæ causa est, ob quam dubium inchoata iam possessione superueniés præscriptionem impediat, seu interrumpat, hæc certè, quòd bonam fidem interrumpit, hæc autem necessaria est toto tempore ad præscribendum definito, itavt nulla in parte temporis istius qui possidet, malæ fidei possessor sit: atqui hæc ratio nulla est: falsum enim est dubium illud superueniens bonam fidem interrumpere: nam sicut illa possessio bona fide inchoatur, quæ sano conscientiæ iudicio incheatur, & absque peccato, ita possessio illa bona fide continuatur, quæ sana conscientia & absque peccato continuatur: talis autem est cotinuata possessio post prædictum dubium superueniens. Cùm enim in dubiis melior sit conditio possidentis, qui bona fide possidere incepit, postea dubius factus, vtrùm res possessa sua sit, an aliena, potest tuta conscientia eam retinere, hócque de se certò iudicare: quod cùm sic iudicat, & retinet, absque peccato retinet.

II. Adde quòd hanc posteriorem partem confirmat efficaciter caput *si virgo* 34. quæst. 1. in quo dicitur tandiu vnumquemque possessorem bonæ fidei dici, quandiu possidere se ignorat alienum. Caput etiam vltimum citatum de præscriptionibus, cùm hæc inter cætera quæ supra retuli verba habet. *Vnde oportet vt qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Qui enim post inchoatam bona fide possessionem dubius est, vtrùm res possessa sua sit, an alterius, adhuc ignorat se possidere alienum, nec habet conscientiam rei alienæ, seu sibi conscius non est

III. rem alienam esse.

Adde postremò, quod verba hæc eiusdem capitis vltimi, *Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, cùm sit omni constitutioni derogandum quæ absque peccato mortali non potest obseruari*, post quæ immediatè subiunguntur illa alia, *Vnde oportet, vt qui præscribit*, &c. satis indicant, bonam fidem à Concilio Lateranensi, ex quo ista omnia prædicti capitis vltimi verba desumpta sunt, requisitam, ad validè continuandam præscriptionem, seu rei quæ præscribenda est possessionem, esse eam, qua rei possessio sana conscientia, & absque peccato continuatur.

IV. Aduerte autem duo hæc capita citata loqui de continuatione possessionis, non de inchoatione. Vnde etsi qui dubius, vtrùm res sua sit, an aliena, eam primò possidere incipit, ignoret adhuc esse alienam, nec sibi conscius sit alienam esse, quia tamen non nisi mala conscientia, & cum peccato possessionem eius inchoat, ac proinde non bona fide, propterea validè inchoare non potest, cùm bona fides ad inchoandam & continuandam necessaria sit, vt dictum est.

Ex dictis colligitur primò, eum cui post inchoatam bona fide possessionem præfatum dubium superuenit, si moralem diligentiam non adhibeat, vt de rei veritate certior fiat, non bona fide continuare possessionem: quia, vt dixi, non bona fide continuatur possessio, quæ cum peccato continuatur, ab eo autem qui sic dubius est, nec prædictam adhibet diligentiam, cum peccato continuatur, quia constitutus in huiusmodi dubio obligatur in conscientia adhibere diligentiam illam, ad continuandam licite rei de qua dubius est, possessionem: huic autem obligationi deest, dum diligentiam illam non adhibet. V.

Colligitur secundò, si quis post inchoatam bona fide possessionem postea dubitans, vtrùm res sua sit, an aliena, simul dubitet, an liceat eam retinere, hócque cum posteriori dubio retineat, eum non bona fide continuare possessionem suam, quia cum conscientia sic dubia continuans, cum peccato continuat. Vnde etiam non procedit ipsi præscriptio, ex lege *si fur*, §. 1. ff. de vsucapionibus, vbi sic definitur. *Si quis id quod possidet non putet per leges sibi licere vsucapere, dicendum est, etsi erret, non procedere tamen eius vsucapionem, vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia in iure erranti non procedit vsucapio.* VI.

Nec dicas eos de quibus in his duobus consectariis loquuti sumus, etsi peccent continuando possessionem eo modo quo continuat, hoc tamen non obstante non habere conscientiam rei alienæ, & adhuc ignorare, an aliena sit: quamuis enim hoc verum sit, quia tamen bona fides in omnibus & singulis partibus temporis ad præscribendum per leges definiti necessaria est, & hac carent in aliqua saltem parte temporis illius, vt ostendimus, ideo tempore illo non procedit eis nec continuatur præscriptio, sed interrumpitur. Hactenus de dominio diximus, cuius tractationem restitutionis tractationi præmittendam duximus, in posterum de ea dicemus. VII.

DISPVTATIO XX.

An restitutio necessaria sit ad salutem, & cuius virtutis actus ea sit?

QVOD ad primum attinet, necessariam esse affirmat D. Thomas quæst. 62. artic. 2. communitérque Theologi, qui de solius præcepti necessitate loquuntur, non etiam de medij. Et quidem quòd necessitate præcepti necessaria sit, ex eo constat, quòd cùm ad salutem sit necessarium carere omni peccato mortali, ille actus necessitate præcepti necessarius ad eam est, qui omitti contra præceptum sine mortali peccato non potest, restitutionis autem actus talis est: ad eum enim exercendum obligationem esse ex præcepto etiam naturali certissimum omnibus est, & quidem obligationem sub mortali peccato, quando rei restituendæ est notabilis quantitas. VIII.

Et sanè cùm rem alienam inuito rationabiliter domino retinere, seu non restituere eandem habeat nocumenti, atque adeo malitiæ rationem cum iniusta eiusdem rei prima vsurpatione, sicut hæc in materia graui mortale peccatum est, ita & ista retentio, seu non restitutio: imo cùm ex rei veritate, communique Theologorum doctrina, prima iniusta rei alienæ acceptio, eiusdémque continuata retentio, sicut est vna iniusta vnius nocumenti continuata illatio, ita sit vnum & specie, & numero iniustitiæ peccatum actuale, continuatum tandiu quandiu res retinetur, seu non restituitur, consequens est, quòd sicut prima illa acceptio est mortale peccatum commissionis contra præceptum negatiuum, vetans furtum, similémve damni proximo illationem, ita & continuata hæc retentio, seu non restitutio.

I. A V.

Neque opponas, restitutionem esse actum positiuum, obligationemque proinde eius exercendæ esse ex affirmatiuo præcepto, per consequens eiusdem omissionem esse peccatum, non commissionis, sed omissionis. Ne, inquam, id opponas: tunc enim solùm ex præcepto affirmatiuo est obligatio alicuius actus positiui exercendi, huiúsque actus omissio peccatum est omissionis, quando præceptum affirmatiuum ad hunc actum exercendum per se directéque obligat, independenter ab vllo negatiuo vetante quidpiam, quod seruari non possit, nisi mediante exercitio actus illius positiui: at præceptum affirmatiuum imperans positiuum restitutionis actum tale non est: ad hoc enim solùm obligat dependenter à præcepto negatiuo vetante primam & continuatam rei alienæ iniustam vsurpationem, quæ vna eadémque numero actio est, vel physicè, vel moraliter saltem: quod præceptum seruari non potest, nisi mediante exercitio positiui actus restitutionis, quia quandiu hic actus non exercebitur, iniusta illa rei alienæ retentio continuabitur.

II. B VI.

III. C VII.

Iam verò quòd restitutio non sit ad salutem necessaria necessitate medij, certum ex eo est, quòd medium necessarium ad salutem, eo ipso quo sic necessarium est, tale est, vt sine eo salus obtineri non possit: at sine restitutione salus obtineri potest, & re ipsa obtinebitur ab eo, qui decesserit in gratia, nec tamen ante mortem restituerit, vel ob ignorantiam inuincibilem qua ignorauit se ad restitutionem obligari, vel ob restituendi impotentiam, vel alias ob causas à facienda restitutione excusantes, à qua tamen eum nec inuincibilis ignorantia, nec impotentia, nec vlla alia res excusare posset, si illa esset necessitate medij necessaria: sicut quia baptismus infantibus necessitate medij necessarius ad

IV. D VIII.

salutem est, etsi ignorent inuincibiliter necessitatem hanc, & suscipere non possint, vel aquæ vel personæ quæ conferat defectu, non excusantur tamen, nec salutem consequuntur.

Dices, hinc euinci tantummodo, restitutionem in re non esse necessariam medij necessitate, at saltem in voto esse, quoniam præcepti sub mortali obligantis obseruatio saltem in voto hic ad salutem necessaria est: præceptum autem ad restituendum obligans sub mortali obligat. Sed respondeo, concedere me vltro restituendi actum esse eadem necessitate, eodémque modo in voto necessarium, quo omnes alij actus, vel omittendi, vel committendi, qui præceptis affirmatiuis & negatiuis sub mortali obligantibus vetiti & imperati sunt: sed cùm istorum actuum vel omissio, vel commissio in voto necessaria necessitate medij dicitur, hoc tantùm significatur, eam videlicet rem, quam dum habemus, votum obseruandorum præceptorum omnium sub mortali obligantium habere censemur, éstque ipsa gratia sanctificans, esse in re necessariam necessitate medij ad salutem, quod verum est, cùm sine ipsa actu habita salutem consequi nemo possit.

Quod spectat ad secundum, communis & D. Thomæ loco citato, & Theologorum sententia est, esse iustitiæ particularis actum, & quidem commutatiuæ. Quòd iustitiæ actus sit, certum ex eo est, quòd ille sit huius virtutis actus, qui est alteri ex iure debitus, cuius item omissio peccatum est contra virtutem: talis autem est restitutio: huius enim nomine intelligitur actus, quo quis iterum statuitur in possessione rei suæ, aut peculiariter ei ex iure quod ad eam rem habet debitæ: cuius item actus omissionem peccatum esse contra iustitiam, tam certum est, quàm exploratum, quod ex iure debetur, deberi ex iustitia, omissionem autem actus ex aliqua virtute debiti, peccatum esse contra virtutem ex qua debetur.

Quòd autem etiam sit actus commutatiuæ iustitiæ, hinc constat, quòd ille omnis est commutatiuæ iustitiæ actus, quo per se constituitur æqualitas arithmetica ex iure debita, vt ex disputat. 12. notum est: talis autem restitutio est: qui enim rem alienam restituit, damnáve iniustè illata per restitutionem resarcit, siue restituat vni, siue pluribus, nihil aliud in hac restitutione attendit, quàm vt singulis tantum restituat, quantum debet, perindéque restituit singulis, ac si vni soli restituere deberet.

Vnde facilè colligetur, restitutionem sic esse commutatiuæ iustitiæ actum, vt etiam distributiuæ esse possit: si enim potest actus restitutionis esse per se secundùm æqualitatem geometricam ex iure debitus, potest esse actus distributiuæ iustitiæ: nam ex citata disputatione constat, omnem huiusmodi actum distributiuæ proprium esse: atqui potest: si quis enim damnum multis intulerit, & vni maius, alteri minus, nec singulis restituere tantum possit, quantum damni intulit, tenetur is sic restituere, vt facta personarum comparatione secundùm æqualitatem geometricam restituat, id est tanto plus vni, quàm alteri, quantò damnum illatum vni maius est, quàm illatum alteri: quemadmodum debitor multis creditoribus debens inæquales summas, nec potens singulis soluere tantum quantum debet, obligatur ita soluere, vt facta creditorum comparatione soluat secundùm geometricam æqualitatem, id est, tanto plus vni quàm alteri, quanto summa vni debita debitam alteri summam excedit. Vnde etiam, sicut ex dictis disputatione illa, solutio hæc verus est actus iustitiæ tam distributiuæ, quàm com-

mutatiuæ simul, ob allatam ibi rationem, ita & illa restitutio ob eandem omnino causam verus iustitiæ distributiuæ simul & commutatiuæ actus est.

Quare dum Theologi cum S. Thoma docent restitutionem commutatiuę actum esse, eo sensu id docent, quo de pecuniæ debitæ solutione docere solent, eam eiusdem commutatiuæ iustitiæ proprium actum esse. Vnde sicut dum hoc de solutione ista docent, sic intelligendi sunt, vt aut solùm velint id ordinariè verum esse, quia ordinariè in solutione non attenditur per se æqualitas alia quàm arithmetica, raróque contingit casus ille quo per se spectanda geometrica est: aut loquantur tantummodo de solutione qua totum cuique creditori debitum soluitur, qua in solutione nunquam alia spectari per se debet æqualitas quàm arithmetica, ita dum illud de restitutione docent, eodem prorsus modo intelligendi sunt.

I. A V.

DISPVTATIO XXI.

II. B VI.

Vnde nascatur restitutionis obligatio?

TRIPLEX huc pertinet quæstio. Prima, vtrũ ex violatione vtriusque iustitiæ, commutatiuæ scilicet, & distributiuæ, hæc nascatur obligatio? Affirmant Diuus Thom. quæst. 62. artic. 1. ad 3. Caietanus ibidem. Palud. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. Medina lib. 1. Instit. conf. cap. 1. §. 2. Petrus Nauarr. lib. 1. de restit. cap. 2. Gab. Vasq. in 1. 2. disput. 223. cap. 6. ac plerique alij. Et quidem quod ex violatione commutatiuæ iustitiæ nascatur restitutionis obligatio, nullus Theologus dubitat: cui enim dubium est, aut esse potest, furem obligari rem quã furto, quod peccatum contra commutatiuam iustitiam est, sustulit, restituere, si adhuc extat, aut æquiualentem, si non extet ampliùs?

III. C VII.

Quòd verò oriatur etiã ex distributiuæ violatione, vel ex eo certum mihi videtur, quòd ille qui communia Reipublicæ bona in ciues, aut hostium spolia in milites distribuenda secundùm æqualitatem geometricam, ea proportione qua vnus alium dignitate excedit, non distribueret hac seruata æqualitate, sed quod vni dandum esset, alteri daret, aut sibi reseruaret, obligaretur ad faciendam ei restitutionem quem parte debita fraudasset, ideoque obligaretur, quia fraudasset, qui tamen sic fraudando peccasset contra solam distributiuam iustitiam, cùm ex ea sola sit obligatio distribuendi seruata prædicta illa æqualitate bona illa spoliáque communia, vel in ciues, vel in milites.

IV. D VIII.

Cauendum autem hoc loco, ne quis existimet, quòd sicut ob violatam commutatiuam iustitiam restitutio facienda huius ipsius iustitiæ actus est: ita facienda ob violatam distributiuam sit actus huius iustitiæ: nam ordinariè non ita est, quia quod ex violata distributiua nascitur restituendi debitum, non est ordinariè debitum restituendi secundùm æqualitatem geometricam, sed secundùm solam arithmeticam: quo fit, vt ordinariè restitutio hæc sit actus solius iustitiæ commutatiuæ.

Dixi, ordinariè, vt significarem ex violatione distributiuæ posse absolutè oriri obligationem restituendi secundum hanc ipsam iustitiã: quæ & reipsa otiretur eo in casu, quo quis bona communia in multos secundum æqualitatem geometricam distribuenda non distribueret, sed omnia sibi retineret, quíque postea singulis integrè restituere tantum non posset, quantum abstulit: hic enim obligaretur restituere sic, vt facta personarum omnium quibus est debitor comparatione, secundùm geometricam æqualitatem restitueret, id est, tantò plus vni quàm alteri, quantò plus vni quàm alteri abstulisset.

Aduerte autem, me hîc ita decernere, ex violatione iustitiæ tam distributiuæ, quàm commutatiuæ nasci restituendi obligationem, vt non propterea asseram, omnem tam huius quàm illius iustitiæ violationem obligationem hanc parere: vtrum enim aliqua sit tam huius quàm illius violatio quæ non pariat, ex infra dicendis intelligetur.

Secunda quæstio est, vtrum restitutionis obligatio nascatur ex violatione virtutum aliarum à particulari iustitia distinctarum? Affirmat Caiet. in sum. verbo. Restitutio, cap. 1. Richar. in 4. dist. 15. art. 5. quæst. 4. aliique apud Medinam Cod. de restitutione quæst. 9. docentes ex violatione charitatis obligationem hanc oriri posse: hinc concludentes, eum qui potest impedire damnum alterius, & non facit, teneri ex iustitia illud resarcire, licet ex sola charitate fuerit ad impediendum obligatus, & proinde contra hanc solam, non impediendo, peccauerit. Negant Alexand. prima parte quæst. 24. memb. 5. art. 3. Adri. in 4. quæstione de Restitutione, §. de concurrentibus cum fure, & duobus sequentibus. Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 7. art. 3. & lib. 5. quæst. 2. art. 4. Medina loco supracitato, Antoninus 2. part. titulo 1. cap. 12. §. 12. Nauarr. cap. 17. Manualis num. 11. & cap. 24. nu. 7. & Petrus Nauar. lib. 2. de restitutione c. 2.

Quorum sententia multò est probabilior, probatúrque primò à priori. Restitutionis obligatio ex nullo alio peccato nascitur, quã ex eo quo iuri alterius contrauenitur: atqui peccatum hoc est solius iniustitiæ contra iustitiã particularem. Minor hæc certa est. Maioris veritatem ostendo ex eo, quòd cum, vt ex antedictis constat, restitutio sit iustitiæ actus, alterique proinde ex iure debitus, nec alium ob finem sit debitus, quàm vt inæqualitas aliquo ex capite inducta ad oppositam æqualitatem reducatur, sane sicut hæc æqualitas propria iustitiæ est, ita inæqualitatem oppositam propriam iniustitiæ esse oportet: vnde si aliquo ex peccato nascitur obligatio restituendi, oportet esse peccatum quo inæqualitas illa iniustitiæ propria inducta fuerit, & per consequens peccatum hoc fuisse peccatum iniustitiæ.

Probatur secundò à posteriori, ac in primis quia cum illa aduersariorum doctrina quam impugnamus stare non potest hæc alia communis inter Theologos, nempe primam damni illationem, eiusdémque per omissionem restitutionis continuationem, esse vnum specie saltem, imò & numero peccatum: quod fieri non posset, si prima damni illatio esset contra

charitatem, eiusdem autem continuatio per omissionem restitutionis esset peccatum contra iustitiam, vt reipsa esset ex prædicta aduersariorum doctrina: quæ enim peccata diuersis specie virtutibus opponuntur, non possunt esse eiusdem speciei, multóque minùs vnum numero peccatum. Deinde eo quòd si verum est ex violatione charitatis oriri restituendi obligationem, consequens erit eum qui proximo fame morienti non succurrerit, obligatum iri ad restitutionem ipsi vel hæredibus ipsius faciendam, si quod inde damnum incurrit: eum item qui equum suum commodatò non concesserit ei quem hostes insequuntur, si ex eo quòd concessus non est, factum fuerit vt ab insequentibus caperetur, pecuniis spoliaretur, & plagis afficeretur, obligatum fore ad faciendos sumptus in plagarum curationem necessarios, & ad compensandum damnum quod in pecuniis suis accepit: cùm ex misericordia, quæ vel est eadem cum charitate virtus, vel cuius eadem prorsus hac in parte ratio est, quæ charitatis, aut ipsâ etiam ex charitate obligaretur, ad illa damna impedienda: quod nemo tamen asserere audeat. I.

Tertia est, quot & quibus ex capitibus vniuersim oriatur obligatio restituendi? Respondeo ex his duobus, nimirum ex re aliena, & ex eiusdem rei acceptione. Ita D. Thom. artic. 6. quæst. 62. Caiet. ibidem, & in summa. Verbo. *Restitutio.* ac cæteri communiter, quorum etsi aliqui paulò aliter ad propositam quæstionem respondeant, magis tamen verbis quàm re à nobis differunt. Rectè autem hæc duo tantũ capita assignantur, cùm nullum assignari possit præterea, quod non ad aliquod duorum istorũ pertineat. Sed aduerte, per rem alienam intelligi non eam solam quæ in alterius dominio est, sed tam hanc quàm illam omnem, ad quam alter aliquod ius vel in re, vel ad rem habet, licet eius dominus non sit: acceptionem autem esse in genere duplicem: iustam scilicet, & iniustam: sub iniusta comprehendi furtum, & vniuersim eam omnem actionem qua ius aliquod proximi violatur, ipsique damnum inique infertur: sub iusta contineri depositi acceptionem, commodati item, similiumque rerum: omnem quoque actionem qua damnum aliquod proximo infertur, sed iustè, id est, non iniustè, sed inculpabiliter. II.

Et quidem quòd ex priori capite nascatur restitutionis obligatio, constat: eo enim ipso quo quis habet apud se rem alienam, etsi nec iustè, nec iniustè acceperit, sed ab alio translatam inuenerit, obligatur ad ipsam restituendam: habet enim quidpiam non suum, & plusquam suum, alter è contrario minùs quàm suum, vnde vt inter hunc & illum æqualitas iustitiæ, per quam cuique suum tribuitur, propria constituatur, oportet illum plus illud quod habet huic alteri tribuere, vt sic vterque de rebus suis tantum habeat, quantum debet. III.

Quòd autem ex posteriori etiam nascatur, certum ex eo est, quòd aliquando est restituendi obligatio, non ex priori capite, ergo ex posteriori, cùm omnis hæc obligatio ad aliquod ex duobus illis capitibus reducatur: nulla enim ex priori capite oritur, IV.

nisi cùm aut res aliena eadem numero adhuc extat apud eum qui restituere obligatur, aut aliquid eius loco successit, ex quo factus est ditior, vt ex progressu certiùs constabit: at aliquando incumbit restitutionis obligatio, quando nec res aliena ampliùs extat apud eum cui inest illa obligatio, nec quidquam eius loco successit, ex quo ditior effectus sit: pereuntibus enim rebus depositis, aut commodatis, obligatur plerunque commodatarius, aut depositarius ad earum valorem restituendum, etsi ditior ex iis factus non sit, vt ex sequentibus patebit. A V.

Aduerte autem primò, obligationem restituendi ita oriri ex vtroque illo capite, vt quandoque ex solo priore, quandoque ex posteriore solo, quandoque etiam ex vtroque coniunctim oriatur, vt in fure qui rem alienam furtiuè accepit, eandémque adhuc apud se habet: quam si non restituerit, non propterea duplex numero peccatum admittet, sed vnicum tantùm, quia ex vtroque illo capite coniunctim ad eundem penitus restitutionis actum obligatur, ad quem ex vno seorsim. Aduerte secundò, me ita asserere ex duplici illo capite, siue coniunctim, siue seorsim, nasci restitutionis obligationem, vt non asseram nasci semper & in omni casu, aliquando enim non nasci ex infrà dicendis constabit. B VI.

At obiicies, eum qui ex contractu ad restituẽdum obligatur, non obligari ex aliquo duorum prædictorum capitũ, ergo ex his solis non oriri restituendi obligationem. Duo respondet Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 5. primum est, eum qui ex contractu obligatur, non obligari propriè ad restitutionem, sed ad solutionem, restitutionis autem nomen propriè sumi, dum eius faciendæ obligatio duobus tantùm ex prædictis capitibus oriri dicitur. Secundum, si restitutionis vocem minùs propriè vsurpare velimus, & ita latè, vt solutionem etiam debiti comprehendat, assignanda esse tria faciendæ restitutionis capita, duo scilicet à nobis assignata, & præterea contractum. C VII.

Verùm cùm in primo ipsi assentiar, non item in secundo: si enim contractus adiungendus est, tanquam tertium caput, ex quo restitutionis oriatur obligatio, adiungenda sunt pari iure nonnulla alia: nam obligatio soluendi non tantùm ex contractu nascitur, sed etiam ex liberali promissione dandi centũ aut mille aureos, qua quis alteri se non ex sola fidelitate, sed etiam ex iustitia obligauit: ex gratuita item eorundem aureorum donatione, quorum necdum facta traditio est: cùm tamen hæc duo postrema capita non magis ad rem alienam, eiúsque acceptionem reuocari valeant, quàm contractus: quo fit, vt si contractus non possit, nec ista possint, nec proinde assignarit author ille capita omnia, ex quibus restitutionis improprie & latè sumptæ obligatio nascitur: si verò possit, non debuerit illum assignare tanquam tertiũ caput diuersum à duobus quæ nos assignauimus. D VIII.

Addo ego circa primum ab illo datum responsum, si aliquando ex contractu aliquo, vt ex commodato, deposito, locatione, & similibus, oritur restitutionis proprie dictæ obligatio, ex illo non oriri, nisi ratione vel rei,

alienæ, vel acceptionis eius, per rem alienam, & eius acceptionem intelligendo eam omnem rem & acceptionem, quam initio tertiæ huius quæstionis intelligendam esse diximus, sicque contractum non esse tanquam tertium duobus illis capitibus adiungendum, ex quibus restitutionis obligatio nascitur.

I.

DISPVTATIO XXII.

De restitutione facienda ex capite rei alienæ.

SECTIO PRIMA.

Primæ quæstionis explicationem continens.

II. HVC pertinent quatuor potissimùm quæstiones. Prima est, vtrùm quis tunc solùm ex isto capite habeat obligationẽ restituendi, cùm apud se habet ipsam rem alienam, vt equum, vestem, &c. an verò etiam cùm ampliùs non habet, sed aliquid, quod eius in locum successit, vt est pecunia, aliúdve simile? Communis & vera responsio distinctione nititur: vel enim is qui rem habet in locum alienæ succedentem factus est ex ea succedente ditior, vel non: si primum, obligatur ad restituendum id quo factus est ex ea ditior: si secundum, ad nullam restitutionem obligatur. Ratio prioris partis est, quòd ex bonis alienis nemo iustè fieri possit ditior: quo fit, vt quidquid lucri ex huiusmodi bonis quispiam percipit, id suum non efficiat, tantóque plus habeat quàm sit suum, quanto maius hocce lucrum fuerit: dominus verò rei illius cuius III. in locum ista successit, tanto minus habeat, quàm sit suum: inter quem proinde & illum alium ditiorem ex prædicta re succedente effectum, vt æqualitas iustitiæ suum cuique tribuentis propria constituatur, oportet illum isti dare quidquid lucri ex illa re percepit.

Posterioris autem ratio est, quòd qui ex sola re aliena obligatur, tandiu solùm obligari ea potest, quandiu ipsa apud eum aliquo modo extat: nullo autem modo apud ipsum extat, quando nec in seipsa extat apud eum ampliùs, nec in alia re eius locum tenente ex qua sit factus ditior, quàm fuisset, si nunquam rem illam alienam apud se habuisset. Qua etiam ratione concluditur, re aliena ampliùs non extante, id tantùm lucri restituendum esse domino rei illius, quod ex ea fecit is qui rem illam alienam apud se habuit: sicut enim ex re ista fiebat ditior, ita ipsa ampliùs non extante id tantùm eius locum tenere censetur, quo ex ea ditior efficitur. IV.

Cuius etiam conclusionis hanc reddere rationem possumus, ex discrimine intercedente inter ipsam rem alienam, & aliam eius loco succedentem, in eóque consistente, quòd prior illa res proprium dominum habet: ista verò posterior nunquam fuit in dominio eius qui prioris illius rei dominus est: hinc enim fit, vt qui rem illam alienam habet, totam domino restituere teneatur, quia dominus eius est: qui verò habet id quod in eius locum succedit, non teneatur ei dare, quòd eius dominus sit, cùm reuera nec sit, nec vnquam fuerit, sed ideo solùm dare debeat, quòd iustum non sit, V. vt quis ex alienis bonis cum aliorum detrimento locupletior euadat: ex quo patet esse consequens, vt ex re in locum alienæ succedente id tantùm dare debeat quo factus est locupletior.

Hinc colliges primò, eum qui rem furtiuam cum amicis bona fide consumit, ignorans esse alienam, ad nullam restitutionem teneri, si nihil minùs interim domi expendit, quàm expendisset, si ad huius rei furtiuæ participationem inuitatus non esset: ad nullam item teneri eum qui bona fide rem alienam vendidit eodem pretio quo illam emerat, vel certè illam bona fide consumpsit in alenda familia, cùm eam emisset ordinario pretio quo rem alienam similem ad alendam familiam emere debuisset: ad nullam denique obligari eum, qui VI. rem alienam quam bona fide putabat suam, donauit liberaliter, non donaturus aliam similem suam, vel dissimilem, si eam quam dedit non habuisset: nullus enim istorum ex re vel consumpta, vel vendita, vel donata, factus est locupletior.

Colliges secundò è contrario, eum qui ad rem furtiuam bona fide participandam inuitatus eos sumptus domi non faceret, quos alioqui feciisset: aut qui vestem alienam consumpsit parcens interim alteri suæ minoris æqualisve pretij quam pariter consumpsisset: eũ denique qui liberaliter eam donauit, donaturus aliam ex suis, nisi hanc donasset, ad restitutionem obligari: quilibet enim istorum ex re aliena ditior euadit: vnde obligatur restituere domino rei illius id quo ex ea factus est ditior. VII.

At obiicies hinc sequi, plus aliquando fore restituendum domino rei quæ bona fide consumpta, vel vendita, vel donata est, quàm valeret hæc ipsa res: vt cùm quis inuitatus ad comedendam rem furtiuam non magni pretij, parcet interim multò maioribus sumptibus quos domi feciisset: aut cùm aliquis vestem alienam bona fide induet & consumet, parcens interim suæ alteri multò pretiosiori, quam alioqui consumeret: hic enim & ille cùm sit ratione vestis huius, & illius rei furtiuæ consumptæ, factus ditior toto pretio pretiosioris vestis suæ quam reseruauit, illorumque sumptuum quos non fecit, obligabitur ad totum istud pretium restituendum, si verum est, id restituendum esse, quo quis ex re aliena factus est ditior.

Sed negandum est illud ex nostra doctrina sequi: non enim vniuersim docuimus, eum qui bona fide rem alienam vendidit, similive modo consumpsit, domino rei huius restituere debere id omne quo factus est ditior, sed id omne tantùm, quo factus est ex ea ditior: id autem quo fit ex ea, siue ex eius vsu tanquam ex causa ditior, dum interim aliis suis rebus parcit, non potest rei alienæ consumptæ excedere pretium: vnde si quid amplius lucratur, vt reipsa lucra- VIII.

tur in exemplis obiectione contentis, non est istud maius lucrum rei illi alienæ per se tanquam causæ ascribendum, sed vel voluntati domini volentis interim parcere maioribus sumptibus, vel etiam naturæ præstantiori pretiosioríque vestis, aut similis rei quam reseruat.

I. Et sanè cùm æqualitas iustitiæ præcisè ex capite rei alienæ inducenda nihil aliud postulare possit, quàm vt vel ipsa res, vel alia ipsi æquialens restituatur, consequens est, ex hocipso capite rei alienæ, postquam consumpta est, obligationem vt summum esse restituendi pretium ipsi æquialens, si modò tanto pretio ditior ex ea factus est, qui eam consumpsit.

SECTIO II.

Secundæ quæstionis explicationem continens.

II. SECVNDA quæstio est, an qui rem alienam bona fide retinet, teneatur ad restitutionem fructuum, quos ex ea eiusve vsu percipit. Notandum est, fructus qui ex re aliena quoquo modo percipiuntur, esse in triplici genere. Primum genus est eorum qui sunt omnino naturales, quos nimirum ipsa res aliena parit, absque labore hominis & industria, vt sunt herbæ pratorum, fœtus animalium, & similes. Secundum eorum qui sunt prorsus ex labore, vel industria, quia scilicet non ex ipsa re aliena nascuntur, sed ex hominis industria vel labore, qui re illa vtitur, cuiusmodi est lucrum factum per negotiationem ex alienis pecuniis. Tertium eorum qui mixti dicuntur, quos scilicet ipsa quidem res aliena profert, sed adhibita hominis industria, vel opera, vt ab illa proferri possint, quales sunt herbæ quas horti, & racemi quos producit vitis.

III. Atque vt fructus tertij huius generis discerni faciliùs queant ab iis qui sunt secundi, hac vtendum regula est, vt ad tertium pertineant omnes, qui vel à re aliena propriè producũtur, adhibita tamen extrinsecùs hominis industria aliqua, aut opera, cuiusmodi sunt ij quos recensuimus: vel qui licet ab ipsa re aliena propriè non producantur, sic tamen ex ea percipiuntur, vt ei potiùs respondeant, quàm operæ, aut industriæ in iis percipiendis positæ: ad secundum verò spectent illi soli qui toti quanti sunt, respondent hominis industriæ ac labori.

IV. Ex quo colligitur primò, ad tertium genus pertinere pretium locationis, vel ostensionis domus alienæ, commodationis item vestis, similisve supellectilis alienæ: pretia enim quæ ob istas res accipiuntur, multò magis ipsis rebus, quam industriæ laboríve respondent, vt constat.

Colligitur secundò, spectare ad secundum fructus qui percipiuntur ex opere facto per instrumenta furto sublata, ex emptione quoque rei alicuius ex aliena pecunia: ex ludo item, in quo pecuniæ quæ sciuntur alienæ exponuntur: lucrum enim quod ex ludo reportat ille qui sic ludit, totum respondet æquali periculo amittendi aliquid de suo, cui se collusores exponunt, & proinde ille ipse qui pecuniis ludebat alienis: qui quidem aliquid exponit de suo, quatenus si amitteret, & ex aliena pecunia solueret, maneret semper obligatus alteri ad tantum de propriis suis pecuniis restituendum, quantũ ex aliena soluisset. Ex quo etiam intelligitur, secundo genere cõtineri eos fructus quos solus labor, solumq; periculum parit. Vnde cũ scholastici Doctores in secundo isto genere reponunt solos industriæ fructus, nomen industriæ non ita strictè sumunt, quin prædictum laborem periculúmque comprehendat.

A V.

His præmissis, dico primò, eum qui bona fide rem alienam retinet, non obligari restituere fructus vllius generis ex ista re perceptos, si neque fructus hi extant ampliùs, neque fit ex iis factus ditior: fructuum enim istorum restituendorum obligatio maior esse non potest, quàm ipsius rei alienæ, ex qua aliquo modo percipiuntur, cùm si restituendi sunt, ex eo solo capite sint, quòd alieni sint: at vt ex proximè antedictis constat, qui ex solo capite rei alienæ obligatur ad restitutionem, eo tantum casu obligatur, quo aut extat adhuc ipsa res aliena,

B VI. aut quo ex ea factus est ditior: quare fructibus iis ampliùs non extantibus, si quid dominó rei ex qua percepti sunt, restituendum est, id solum est quo ex iis ditior factus est.

Dico secundò, fructus primi generis qui adhuc extant, esse domino rei alienæ, ex qua percipiuntur, restituendos ab eo qui bona fide illos percepit. Cùm enim res quælibet, quod attinet saltem ad fructus mere naturales, domino suo fructificet, fructus illi sunt eiusdem, cuius est ipsa res quæ eos profert: quare sicut ex primo capite restitutionis faciendæ, nempe ex re aliena, obligatio est restituendi rem hanc dum adhuc extat, ita & illos fructus adhuc extantes.

C VII. Dico tertiò, fructibus primi generis ampliùs non extantibus, restituendum esse id quo factus est ex illis ditior is qui eos bona fide percepit. Re enim aliena ampliùs non extante, restituendum esse id quo quis ex ea factus est ditior, supra probauimus: fructus autem illi cùm sint eiusdem cuius est ipsa res ex qua percipiuntur, perinde sunt alieni, atque hæc ipsa res.

Dico quartò, fructus tertij generis adhuc extantes restituendos esse domino rei, ex qua percipiuntur: si non extent ampliùs, esse restituendum id quo factus est ex iis ditior ille qui eos bona fide percepit: deducendæ tamen, siue adhuc extent, siue non, expensæ, si quæ factæ sunt ad hos fructus percipiendos, valórque operæ ac industriæ in eum finem collocatæ: horum enim fructuum eadem prorsus ratio est quę merè naturalium, si modò deducantur expensæ prædictæ, & præfatus valor: sicut enim semota extrinseca hominis opera ac industria, sunt fructus merè naturales, mixtíque solùm dicuntur ob adiunctam hanc extrinsecam operam & industriam, ita quoad eorum restituendorum obligationem, non potest non esse eadem penitus quę merè naturalium ratio, dummodo valor operæ & industriæ, expensæque aliæ si quæ factæ sunt, deducantur.

D VIII.

Cæterùm hîc duo aduertenda sunt. Primum

est,si adhuc extent prædicti fructus,aut prædicta res aliena ex qua percepti sunt, non esse satis restituere rem illam. istósve fructus, sed restitui quoque debere id quo ex ipsis adhuc extantibus fuerit prædictus possessor effectus ditior: restitutioni enim semper obnoxium est

I. lucrum quod ex alienis rebus factum est, A

siue extent adhuc ipsæ res,siue non extent.

Secundum est, esse nonnullos qui quartam hanc assertionem nostram veram esse volunt, intellectam de solis illis fructibus mixtis, quos ipse rei quam alienam vocamus dominus percepisset, si rem hanc suam domi habuisset, quia similem illi laborem & industriam extrinsecus adhibuisset, quam bonæ fidei possessor adhibuit: falsum autem, intellectam de mixtis illis fructibus quos prædictus dominus non percepisset, etsi rem illam suam domi habuisset, quia laborem & industriam nullam, vt supponitur, adhibuisset: cùm tamen illa res sine aliquo huiusmodi labore & industria non fructificet. Videntur enim velle, fructibus istis mixtis amplius non extantibus,

II. nihil esse restituendum B

domino rei ex qua percepti sunt, ab eo qui bona fide illos percepit, etsi sit ex iis factus ditior.

Verùm sic restringenda non est assertio nostra. Sicut enim iisdem consentientibus, fructus illi mixti adhuc extantes restituendi sunt domino rei ex qua percepti sunt, etsi dominus ipse eos non fuisset percepturus, quia prædictum laborem & industriam ad eos percipiendos necessariam non adhibuisset, ratioque est, quòd à possessore bonæ fidei percepti & adhuc extantes non sunt ipsius, sed illius qui rei ex qua percepti sunt dominus est, ad suum autem cuique tribuendum ex iustitia obligatio est: ita si possessor ille factus est ex illis ditior, quamuis iste dominus non esset ex iis ditior futurus, vtpote qui non esset illos percepturus, vt

III. supponimus, obligabitur id quo factus est ex C

iis ditior restituere, quia lucrum ex iis proueniens non ipsius est, sed eiusdem cuius sunt fructus ex quibus prouenit: quemadmodum enim fructus, quos non erat dominus percepturus, si rem suam eos producentem domi habuisset, eo tamen ipso quo in rerum natura ponuntur fiunt eius, eíque ex iustitia obligati sunt: ita & lucrum quod ex eis non fecisset, eo tamen ipso quo ex iis tanquam ex causa in rerum natura ponitur, fit eius, seu ei ex iustitia addictum & obligatum est.

Dico quintò, fructus secundi generis etiam extantes non esse restituendos, neque id quoque quo ex iis siue extantibus, siue non extantibus factus est ditior ille qui eos percepit. Ita communiter Theologi, probaturque à fortiori

IV. ex communi eorundem doctrina, idem asserentium de possessore malæ fidei, nominatimque D

de fœneratore, qui negotiando pecunijs per vsuram acquisitis aliquid præterea acquirit: docent enim eum comparare dominium rei per pecunias illas sic acquisitæ, & per consequens dominium quoque lucri ex ista re tanquam ex causa consequentis, quo factus est ditior: cùm lucrum istud sit huiusce rei proprius veluti partus & fructus, quælibet autem res domino suo fructificet.

Id autem meritò docent, eo quòd res illa sic acquisita non est propriè fructus pecuniæ per vsuram acceptæ, sed potiùs industriæ quam fœnerator adhibet, quæ cum tota sit ipsius, nulla esse causa potest, ob quam rem illam restituere obligetur. Vnde cùm fructus secundi generis de quibus hîc agimus, sint industriæ fructus, sequitur alienæ rei possessorem, siue bonæ, siue malæ fidei, nullam ad eos restituendos habere obligationem: qui autem id quod dixi docent, sunt inter cæteros Sanctus Thomas hac 2. 2. quæst. 78. artic. 3. Sotus lib. 6. de iustit. quæst. 6. artic. 4. Ioan. Medina Cod. de rebus per vsuram acquisitis, quæst. 4. Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 2. Gabriel quæst. 11. artic. 2. & Maior quæst. 18.

V.

SECTIO III.

Tertiæ & quartæ quæstionis explicationem continens.

VI.

TERTIA quæstio est, an possessor bonæ fidei rem alienam, eiúsve fructus apud se sua siue leui siue graui negligentia perire sinens, aut non efficiens vt fructus aliquos ferat, obligetur ad horum fructuum, illiúsque rei alienæ restitutionem, huius rei domino faciendam? Respondeo non obligari: cùm enim erga rem hanc bona fide se gerat, tanquam erga rem suam, nec aliam eius conseruandæ curandæque obligationem habeat, quàm cuiusuis alterius rei suæ, sanè sicut rem suam eiúsve fructus sua etiam graui negligentia perire sinens, aut ne fructificaret efficiens, non obligeretur ad horum fructuum, illiúsve rei restitutionem cuiquam faciendam, ita nec ob eandem negligentiam ad prædictorum fructuum, præfatæque rei alienæ restitutionem obligabitur. Vnde si quo ex capite ad eam obligatur, profectò ex solo rei alienæ: at nunquam ex ea obligatio restituendi oritur, vt ex suprà dictis constat, cùm nec ipsa ampliùs extat, nec quidquam quo sit ex ea factus ditior is qui bona fide eam possedit: quando autem possessoris huius negligentia res aliena, eiúsque fructus perierunt, non extant ampliùs. Quare si quid ex iis restituendum est, id solum est quo factus est ex ipsis locupletior: fructus verò qui ex aliena re producti non sunt per negligentiam prædicti possessoris, cùm nunquam fuerint, nec proinde fit ex illis factus ditior, nullam ipsi possunt afferre restitutionis obligationem.

VII.

Quarta quæstio est, an possessor bonæ fidei rem alienam suis expensis, suóve labore aut industria melioratam restituere debeat? Dicendum primò debere: cùm enim ex eo quòd apud ipsum sic meliorata sit, non propterea desinat aliena esse, non potest ex capite rei alienæ non esse obligatio eius domino suo restituendæ.

VIII.

Dicendum secundò, prædictum possessorem exigere ab eo posse expensarum quas in ea melioranda fecit compensationem, pretiúmque laborís sui & industriæ in eam rem, ac proinde in vtilitatem domini collocatæ, siue rei melioratæ dominus tantundem erat expensurus,

laborisque ac industriæ positurus in sua re ad meliorem statum perducenda, siue non: sicut enim æquum non est, vt ex re aliena quis capiat emolumentũ cum damno domini, ideóque bonæ etiam fidei possessor obligatur rem hanc restituere, si adhuc extat, idque quo factus est ex ea ditior: ita nec æquitati consentaneum est, vt hic ipse possessor ex re aliena detrimentum capiat: caperet autem, & aliquando maximum, si prædictam compensationem & pretium non posset exigere, nec ad illud persoluendum obligaretur rei melioratæ dominus, cùm expensæ illæ maximæ esse possint, operáque ac industria positæ plurima, maximóque proinde pretio æstimabilis. Hæc de restitutione facienda ex re aliena, in posterum de ea, quæ ex eius acceptione.

I.

DISPVTATIO XXIII.

II. *Vtrùm omnis qui proximo damnum infert, ad restitutionem obligetur?*

SECTIO PRIMA.

Nonnulla præmittuntur.

NOTANDVM primò, proximo damnum inferri posse & extra contractum, & ex aliquo præsuppositio contractu: extra contractum quidem, vt mutilando, occidendo, domum alienam incendendo: ex præsuppositio verò contractu, vt perdendo res per contractum commodati, depositi, pignoris, aliúmve similem acceptas.

III. Notandum secundò, contractum quo res aliena accipitur esse duplicem in genere: vnum quo dominium huius rei transfertur in accipientem, qualis est contractus venditionis & emptionis, mutui, & similes: alterum quo non transfertur, sed adhuc manet aliena: quales ij sunt quos prænotatione prima recensuimus.

Notandum tertiò, posteriorem hunc contractum in triplici genere esse: aliquando enim cedit in vtilitatem solius accipientis, cuiusmodi ordinariè est commodatum, quod in solius commodatarij commodum cedit ordinariè, nullum inde emolumentum capiente eo qui commodat: aliquando verò è contrario in solius dantis cedit vtilitatem, cuiusmodi ordinariè est depositum: nonnunquam denique in vtriusque emolumentum, vt locatum, & conductum: ad quod tertium genus pertinent quãdoque commodatum, & depositum: illud quidem, quando cõmodanti soluit aliquid pro vsu rei cõmodatæ commodatarius: istud verò, quando depositarius pro rei depositæ cura & custodia pretium aliquod à deponente accipit: quam ob causam dixi paulo antè, non semper, sed ordinariè duntaxat, commodatum & depositum ad primum & secundum genus ex his tribus pertinere.

IV.

Notandum quartò, duobus in vniuersum modis inferri posse damnum proximo, siue extra contractum, siue eo præsuppositio: primò inculpabiliter: secundò, culpabiliter: culpam autem in genere duplicem esse: vnam iuridicam: alteram, Theologicam. Iuridica est quæ in iure & apud Iurisperitos culpa dicitur, siue sit in conscientia & coram Deo culpa, seu peccatum, siue non sit. Theologica appellatur quæ coram Deo & in conscientia peccatum est, siue mortale, siue veniale. A V.

Notandum quintò, culpam iuridicam esse quintuplicem, Latissimam, Latiorem, Latam, Leuem, Leuissimam: & quidem duas priores culpæ species vocari à Iurisperitis, non culpæ, sed doli mali nomine: hoc tamen discrimine, quod Latissima sit dolus malus apertus, id est, habens manifesta doli mali indicia: Latior verò sit dolus malus præsumptus, id est, habens indicia doli mali non omnino debilia, sed nec omnino etiam manifesta: tres verò posteriores appellari ab iisdem nomine culpæ simpliciter. B VI.

Dolus autem malus, siue apertus, siue præsumptus, est, vt definit cum Labeone Vlpianus lege 1. ff. de dolo. Calliditas omnis, fallacia, & machinatio vel aperta vel præsumpta ad circumueniendum, fallendum, ac decipiendum alterum adhibita. Vnde sub se complectitur calliditatem, fallaciam, fraudem, & machinationem: quas inter hoc discrimen est, quòd calliditas tunc sit, quando quis exteriùs omittit id quod facere aut dicere tenebatur: vt cùm venditor rei quam vendit vitium reticet, quod ementi aperire obligabatur: fallacia consistat in verbis quibus alter alterum decipit, intendítve decipere: fraus in similibus factis, authore D. Thom. quæst. 118. art. 8. Machinatio tam fraudem quàm fallaciam in se contineat: quæ quidem sic inter se differentes in eo conueniunt, quòd per eas proximè damnum directè intendatur, siue voluntas ab hoc damno quod directè intendere dicitur, tanquam à formali obiecto seu motiuo moueatur, siue non, sed ob aliquid aliud damnum illud appetatur, vt cùm quis equum vitiosum vendens, vitium quod ementi aperire deberet, reticet, non eo fine vt ei iniuriam, seu malum, quâ formaliter iniuria, seu malum est, inferat, sed vt cariùs vendat, sicque ex eius damno bonum sibi, quia bonum sibi est, procuret. C VII.

Iam verò tres posteriores species, in eo inter sese conueniunt, & à dolo malo differunt, quòd per hunc proximi damnum eo quo dixi sensu directè intendatur: per illas verò quando damnum infertur, nunquam inferatur, ex directa eius inferendi voluntate, sed vel ex obliuione, inconsideratione, negligentia, similíve alio modo, absque expressa damnum inferendi intentione: sic autem culpæ illæ inter sese differunt, vt lata tunc sit, dum quis facit, omittítve id, quod passim homines eiusdem conditionis ea in parte non facerent, aut omitterent: leuis, dum id facit, aut omittit, quod diligentiores illius professionis homines eo in negotio non fa- D VIII.

cerent, omitterétúrve: leuiſſima denique, cùm id omittit, aut facit, quod diligentiſſimi non facerent, aut omitterent.

Aduerte autem, quòd cùm pro qualitate rerum ac pretio, maior aut minor adhiberi ſoleat & paſſim ab hominibus, & à diligentioribus, & I. à diligentiſſimis diligentia in eis aſſeruandis, & quo res eſt pretioſior, eo ſoleat ab illis omnibus diligentiùs aſſeruari, ſpectari debet rei quæ periit qualitas, & pretium, vt diiudicetur ex qua culpa perierit, an ex nulla: fieri enim poteſt vt certa alicuius rei aſſeruandæ cura diligentiáque fuerit adhibita, quæ ſufficit, vt iſta res nulla eius culpâ apud quem periit periiſſe cenſenda ſit: quæ ſi ſola fuiſſet adhibita ad conſeruationem alterius rei multò pretioſioris, periiſſe cenſeretur eiuſdem culpâ, vel latâ, vel leui, vel leuiſſimâ: quæ autem res perit nullâ eius apud quem perit culpâ etiam leuiſſimâ, perire caſu fortuito dicitur.

Notandum poſtremò, culpam iuridicam coincidere ex parte cum Theologica, ex parte non coincidere: ex parte quidem coincidit, II. quia latiſſima ſaltem peccatum coram Deo eſt, vel mortale, vel veniale, pro materiæ vel grauitate, vel leuitate: ex parte verò non coincidit, quia lata, leuis, & leuiſſima ſine vllo peccato etiam veniali poteſt eſſe, túncque eſt, cùm quis ex obliuione merè naturali, vel ex inconſideratione, quam nec præuidit, nec præuidere potuit, facit, aut omittit id quod vel paſſim homines, vel diligentiores, vel diligentiſſimi non facerent, aut omitterent.

SECTIO II.

De reſtitutione facienda ob illatum damnum extra contractum.

III. PRIMA aſſertio. Nullus extra contractum proximo damnum inferens inculpabiliter, ſeu abſque Theologica culpa, ad reſtitutionem obligatur. Ita D. Thom. quæſt. 64. art. 8. Caietanus ibidem. Medina Cod. de reſtit. quæſt. 7. Couarr. in Clement. *ſi furioſus* de homicidio part. 2. §. 4. num. 1. Petrus Nauarr. lib. 2. de reſtit. cap. 1. dub. 4. multíque alij id aſſerentes de eo qui occidit, aut mutilat, aut ſimili modo damnum infert ex ignorantia inculpabili: quod quidem de eo non aſſerunt, niſi quia ſic ignoranter inferens, infert abſque culpa Theologica: quod à fortiori ſentiunt ij qui expreſsè docent, nullum ad reſtitutionem cuiuſuis damni extra contractum illati obligari ſaltem ſub mortali, præter eum qui cum culpa Theologica mortali intulit: de quorum numero eſt Leſſius lib. 2. cap. 7. dubit. 6. num. 27. in quo multos alios pro eadem ſententia citat, qui ne ſibi IV. contrarius videatur num. 24. aſſerens eum qui ex lata culpa damnum infert ad reſtitutionem obligari, dicendus eſt ſupponere culpam hanc peccatum eſſe, & mortale, ii quidem ex ea reſtituendi ſub mortali obligatio eſt.

Probatur primò ex capite vltimo de iniuriis, vbi Gregorius nonus aperte ſignificat ab obligatione reſtituendi excuſari eum qui damnum intulit, ſed ne inferret, nihil eorum omiſit, quæ adhiberi debuerunt: qui autem abſque culpa Theologica intulit, nihil eorum omiſit quæ adhibere debuit: nam ſi quid iſtorum omiſiſſet, non ſine peccato intuliſſet. Nec dicas Pontificem requirere vt nihil omittat eorum quæ adhiberi debent, tam ad culpam Theologicam vitandam, quam ad iuridicam, quæ plerunque ſine peccato committitur. Ne, inquam id dicas: A eum enim quem ob adhibitam diligentiam ne damnum inferret, excuſat ab obligatione reſtituendi, opponit ei quem dicit ab ea non excuſari ob damnum per ignorantiam & negligentiam illatum: illiúſque diligentiam, huius ignorantiæ, & negligentiæ: per hanc autem intelligit eam quæ culpa Theologica eſt: vnde per illam intelligit eam quæ culpa omni Theologica vacat. Quòd autem illius ignorantiæ & negligentiæ nomine culpam Theologicam intelligat, ſatis indicat eo ipſo quo poſtquam dixit eum non excuſari, cuius imperitia vel negligentia damnum eſt illatum, hæc verba ſubiungit: *Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere.* V.

B Probatur ſecundò ex leg. 3. ff. ad legem *Aquiliam*, cuius in legis cap. 1. cùm dicatur, tunc eſſe reſarciendi damni obligationem, quando per iniuriam infertur, poſtea lege citata Vlpianus ait requiri iniuriam, quia ſatis non eſt ad pariendam reſtitutionis obligationem ſeruum occiſum eſſe, ſed oportet præterea vt id iniuriâ factum ſit. Quod confirmat lege 5. inquiens iniuria id fieri quod fit contra ius, & infantes atque amentes excuſari ab obligatione reſtituendi, quia ſine iniuria damnum inferunt. Certum autem eſt iniuriam non inferri ſine peccato, cùm non inferatur niſi ab eo qui ſciens & volens agit contra ius alterius ex Philoſopho lib. 5. Ethic. cap. 6. & 9. ex quo concluditur, ad reſtitutionem damni ſaltem extra contractum illati requiri vt ſit illatum cum peccato, C & quidem iniuſtitiæ, cùm requiratur vt ſit illatum per iniuriam, quæ peccatum iniuſtitiæ eſt. VII.

Probatur tertiò, ex eo quod nullum caput eſt ex quo dici poſſit ad reſtitutionem obligatus ille de quo loquimur: non enim ex re aliena, cùm occidens, incendens domum alienam, ſimiliterve damnum inferens, nec ipſam rem alienam habeat, nec ex ea, damnóve in ea illato factus ſit ditior, vt ſupponimus: neque etiam ex eius acceptione: hæc enim acceptio in præſenti negotio alia eſſe non poteſt, quam damni illatio: at ex illato damno præcisè nunquam is qui intulit ad reſtitutionem obligatur, niſi ille cui illatum eſt, tale damnum rationabiliter inuoluntarie patiatur, vt conſtat ex eo qui panem alienum in extrema neceſſitate poſitus cõſumeret, cuius valorem reſtituere non deberet, D quia dominus eius tale detrimentum non rationabiliter inuoluntarie pateretur: atqui cùm damnum infertur ex ignorantia, ſimilíve cauſa vacante omni culpa Theologica, is cui infertur, id inuoluntarie pati non poteſt rationabiliter, alioqui velle rationabiliter poſſet, vt inferens ad impoſſibile obligaretur, nimirum vt obligaretur ad nõ inferendum damnum, quod aliquando non poteſt non inferre: vt cùm illud ex ignorantia quam vincere, vel ex inconſi- VIII. VI.

deratione mere naturali, aut obliuione quam præuidere & auertere non potuit, necessario sequitur, vt sæpe accidit.

At obiicies, si seruus, aut brutum animal damnū intulerit absque vlla domini culpa, obligabitur hic nihilominus damnū illatum resarcire, aut seruum, animálve quod illud intulit ei tradere cui illatum est, vt cōstat ex multis iuris ciuilis legibus: ergo etiam qui per seipsum sine vlla culpa sua damnum intulerit, ad illud resarciendum obligabitur. Respondeo negando antecedens, stādo præcisè in iure naturali, de quo solo loquimur, dum asserimus, nullam esse obligationem resarciendi damnum, quod extra cōtractum sine culpa Theologica illatum est: vnde etiam Exodi 22. tantùm statuitur, vt animalis dominus damnum ab animali illatum resarciat, si inferre permiserit, id est, si cùm posset & deberet impedire ne inferret, non impedierit, culpamq. proinde aliquam Theologicam non impediendo contraxerit.

I.

Quod autem spectat ad leges illas ciuiles quæ nobis obiiciuntur, vel dicito cum Glossa in supra citato cap. vltimo de iniuriis, eas esse pœnales, nec obligantes ante sentētiam iudicis, onus resarciendi damnum à seruo aut animali bruto illatum domino imponentis, in pœnam culpæ quam meritò præsumit ab eo commissam: aut etiam sua sententia non quidem proprie pœnā imponentis, cùm damnum resarciendum iudicat, sed declarantis esse ex natura rei damni huius resarciendi obligationem, quia prudenter præsumit in eo inferendo Theologicam aliquā domini culpam reipsa interueniisse. Ex qua cùm reipsa interuenit, est in eo ex rei natura ad illud resarciēdum obligatio. Vel dicito positiuis illis iuris ciuilis legibus id præcipi, ad quod ex natura rei, seu ex iure naturali, de quo solo loquimur, vt monui, nulla obligatio est: quod meritò potest ab illis fieri, tum præsertim, cùm commune bonum id videtur exigere, vt in re præsenti accidit, cùm ad communem vtilitatē spectet, vt quilibet seruetur indemnis, nec alterius actione damnum in rebus suis sine culpa sua patiatur: quod maximè procuratur per illas leges id quod dixi præcipientes, cùm per eas quilibet multò diligentior cautiórque reddatur, ne actione suorum vel animalium, vel seruorum, proximus detrimentum patiatur.

II.

III.

Etsi autem hoc leges ciuiles de damno per seruum, aut brutum animal illato, pérque dominum resarciendo, statuissent, non esset propterea consequens, iisdem legibus dominum obligari ad damnum quod nulla sua culpa per seipsum intulit, resarciendum, cùm illæ de solo illo damno loquantur, & præcipiant, quod non intulit per seipsum, sed per eius seruum, aut brutum animal illatum est.

IV.

SECTIO III.

Ex doctrina tradita nonnulla concluduntur.

EX dictis concluditur primò, dormientes, ebrios, aliósque qui per certā temporis interualla priuantur aliqua ex causa omni vsu rationis, tunc temporis damnum inferentes, occidendo, mutilando, incendendo, similíve modo, ad nullam obligari restitutionem, dummodo damnum hoc, tempore præcedēte quo rationis erāt compotes, nullo modo præuiderint: aut si præuiderunt, omnē quam in conscientia debebant diligentiam, ne sequeretur, adhibuerint: hi enim sine culpa vlla Theologica illud inferunt: non enim peccāt eo tepore quo inferunt, cùm, vt supponimus, omni tunc rationis vsu careant: nec præcedente quo rationis vsum habebant illud libere volūisse, eíque causam dedisse, ac proinde cum peccato intulisse, dici possunt cùm, vt etiam supponimus, vel illud nullo modo præuiderint, nullóque proinde modo voluerint, cùm nihil sit aliquo modo volitum, quod non sit aliquo modo cognitum: vel si præuiderint, omnem quam in conscientia debuerunt, diligentiam adhibuerint, ne illud inferrent.

A

V.

Concluditur secundò, eos qui damnum inferunt cum ignorantia, siue antecedente, siue comitāte, ad nullam restitutionem obligari: vtraque enim vt in Tractatu de peccatis disp. 9. sect. 5. docuimus, cùm sit inuincibilis, opus externū quo damnum infertur, & quodcunque aliud ex ea, vel cum ea factum, efficit non voluntarium, ac proinde sine Theologica culpa commissum. Cùm enim voluntarium esse non possit, quod nullo modo est cognitum, ignorantia autem inuincibilis, eo ipso quo inuincibilis est, excludat omnem operis ignorati cognitionem, sequitur necessariò, vt reddat opus ex ea vel cum ea factum non voluntarium.

B

VI.

Neque opponas, ex communi doctrina Theologorum, hoc differre antecedentem à comitāte, quod illa operantem excuset ab omni peccato circa obiectum ignoratum, hæc minimè: etsi enim hoc verum sit, simul tamen quod dixi verum est: vtraque enim hoc nonobstante opus externum ex ea vel cum ea factū excusat à peccato, cùm ipsum efficiat, vt ostendi, non voluntarium: antecedens tamen præterea dicitur excusare operantem ab omni peccato circa obiectum, seu opus externum ignoratum, quia cùm sit causa operis huius ex ea facti, quódq. proinde non fieret, si cōtraria scientia adesset, facit ex consequenti vt operans sit ita dispositus, vt si sciret, non faceret, nec habere possit hunc affectum malum. Si sciré, adhuc facerem, alioqui causa operis non esset: at comitans cùm nunquam sit causa operis, non excludit per se ac vi sua ab operante prauum istum affectum, nec proinde omne peccatum circa obiectum seu opus externum ignoratum: vnde & cum ignorantia comitante dirigens sagittam in id quod inuincibiliter ignorat esse hominem, & putat esse feram, hūc actū habere affectum potest. Si scirem esse inimicum meum, adhuc dirigerem, & occiderem, qui affectus peccatum est.

C

VII.

Quo cum affectu si dirigat, & reipsa suum inimicum, quem inuincibiliter feram putabat, occidat, non propterea tenebitur ad illati damni compensationem, cùm hic affectus causa externi operis non sit, sed solùm esset posita conditione, nempe scientiâ, quæ non ponitur: multóque minùs ad eandem tenebitur, si postquam factum cognouerit, de eo gaudeat: hoc enim gaudium cùm supponat factum, causa eius esse nequit: vnde non magis obligat gaudentem, quàm si ab alio factum gauderet.

D

VIII.

Quin etiam si supponeremus hominem ignorantia comitante laborantem, hoc actu cogitare, nempe euenturum forsitan sibi, quod reipsa euenire cuilibet alteri potest, vt post adhibitam omnem quam potuit & debuit diligentiam in explorando, vtrùm id quod apparet, homo sit, an fera, quódque prudenter & inuincibiliter
I. iudicatur fera esse, non sit, sed homo, & inimicus eius qui hac inuincibili laborat ignorantia, sicque forte futurum vt loco rei quam omni diligentia adhibita prudenter & inuincibiliter feram esse iudicat, inimicum suum interficiat, & ex affectu interficiendi sagittam emitteret, reipsaque interficeret: hoc, inquam, si supponeremus, dico nihilominus cum Lessio cap. 6. citato, num. 25. videri verius eum ad restitutionem non obligatum iri, quia etsi hic affectus prauus esset, & externum opus ex eo tanquam ex causa procederet, eandémque proinde iniustitiæ malitiam ab eodem deriuatam haberet, illud tamen opus externum post tantam diligentiam & circunspectionem factum non esset ex se vetitum, imò esset per se cuique licitũ, nec
II. proinde censeri meritò posset per se tendens ad homicidium, damnúque inferendum, aut periculosum: obligatio autem restituendi non oritur ex damno dato nisi per externam actionem liberè volitam per se tendentem ad damnum inferendum, in eóque genere ita periculosam, vt propter hoc inferendi damni periculum ipsi coniunctum vitari debeat.

Quod rectè confirmat idem Lessius exemplo medici illius, qui totam quam debet adhiberet diligentiam in ægri sui curatione, eíque daret pharmacum, quod aptissimum bona fide iudicat ad restituendam ipsi sanitatem, sed ea praua intentione daret, vt ex illo sumpto enecaretur, cogitans euenire aliquando, vt ex pharmacis quæ talia iudicantur mors obueniat, idque forsan ægro suo euenturum: hic enim etsi donando peccaret ob prauum affectum quo donat,
III. quia tamen ista donatio vetita per se non est, imo est secundùm se licita, nec proinde per se tendens ad mortem ægro afferendam, aut in eo genere periculosa, ideo nullam ad restitutionem obligaretur, etsi reipsa contingeret ægrotum ex illo sumpto pharmaco emori.

Concluditur tertiò, errare Theologos illos, qui vniuersim asserunt, ex culpa iuridica vel lata, vel leui, vel leuissima, damnum illatum parere in conscientia restituendi obligationem, nominatímque Gabrielẽ in 4. dist. 15. quæst. 14. & 15. dub. 2. docentem damnum ex leuissima illatum parere hanc obligationem in eo qui intulit dando operam rei illicitæ, vt prohibitæ venationi, non verò parere, si rei licitæ, vt venationi non prohibitæ, dans operam intu-
IV. lit: ostendimus enim vna quidem ex parte contingere posse culpam iuridicam non modò leuem, aut leuissimam, sed etiam latam sine omni culpa Theologica: ex altera verò, nusquam ex damno extra contractum dato consurgere restitutionis obligationem, quando absque Theologica culpa datum est.

Præfatus autem Gabriel contra rationem magis astringit ad illati damni compensationem eum qui dat operam rei illicitæ, quàm illum qui licitæ, cùm actio damni illatiua, nisi sit aliquo modo voluntaria, quatenus huius damni illatiua est, non pariat obligationem restituendi, ex eo autem quòd eam exercens det operam rei illicitæ, non fiat, vt censeri debeat ipsi voluntaria potiùs, quàm cùm rei licitæ det operam: vt patet exemplo eius qui venando
A occidit hominem putans occidere feram: qui V.
ex eadem prorsus ignorantia vel culpabili vel inculpabili id putare potest, & proinde occidere æqualiter, vel voluntariè, vel non voluntariè, siue venatio sit ipsi prohibita, siue sit licita, & proinde siue occidendo det operam rei licitæ, siue illicitæ.

SECTIO IV.

Altera assertio ponitur, & probatur.

SECVNDA assertio. Vt ob damnum illatum extra contractum consurgat restitutionis obligatio, requiritur quidem Theologica culpa iniustitiæ, vt constat ex antedictis: at
B non requiritur mortalis, sufficit venialis. Ita VI.
docet Adri. quodlib. 11. fauéntque Antonius Corduba tractatu de detractione, memb. 4. quæst. 3. & Petrus Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 1. num. 42. Probatur primò ex cap. vltimo de iniuriis supracitato, in quo absolutè dicitur, damnum si culpa sit illatum, esse resarciendum: culpa autẽ venialis verè culpa est. Secundò eo quòd venialis culpa aut talis est ex sola leuitate materiæ, aut ex imperfecta rationis aduertentia circa materiam siue grauem, siue leuem. Et quidem quòd veniale ex priori capite sufficiat, certum videtur: quis enim neget eum qui cum plena rationis aduertentia quidpiam leue furatus est, ad eius restitutionem obligari? Sanè ratio à priori quæ euincit eum qui furatus est rem grauem obligari ad restituendum, idem
C euincit de prædicto fure qui leue quidpiam est VII.
furatus: ratio enim illa est, quòd eandem iniustitiæ malitiam habeat rei alienæ prima vsurpatio, & eiusdem continuata retentio: tandiu autem rei siue grauis siue leuis continuatur retentio, quandiu non restituitur: sicut ergo peccatum est retinere, ita non restituere, & sicut ad non retinendum obligatio est, ita & ad restituendum.

Quòd autem veniale ex posteriore capite etiam sufficiat, hinc probo, quòd damnum illatum quod inuoluntarie proximus patitur rationabiliter, resarciendum est: atqui tale est damnum illatum per huiusmodi peccatum veniale: proximus enim rationabiliter patitur inuoluntariè damnum quod sibi sine legitima causa voluntariè infertur, imò cum iniuria: sicut & iniuriam hanc sibi illatam rationabili-
D ter inuoluntariè patitur: quod autem per prę- VIII.
dictum veniale peccatum infertur, sine legitima causa & voluntariè infertur, quandoquidem per peccatum, imò cum iniuria, quandoquidem per peccatum iniustitiæ, quod in violatione iuris, ac proinde in iniuria consistit essentialiter.

At oppones, si ex huiusmodi peccato posset oriri restituendi obligatio, certè tum præsertim, cùm illatum damnum graue esset: atqui etiam tunc non posset: nam si posset, sane sub

peccato vel veniali, vel mortali, neutrum autem dici potest: non primum, tum quia ridiculum videtur dicere, eum qui cum imperfecta rationis aduertentia damnum intulit decem millium aureorum, obligari sub veniali solùm peccato ad totidem aureorum millia restituenda: tum

I. quia obligatio restituendi in materia graui, aut A nulla, aut sub peccato graui seu mortali est.

Neque etiam secundum, tum quia sicut ex damno extra contractum illato sine peccato nulla consurgit restitutionis obligatio, ita ex illato sine mortali peccato consurgere non potest obligatio restituendi sub mortali: quod autem cum imperfecta rationis aduertentia fuit illatum, sine peccato mortali illatum fuit: tum quia sicut iniuriam nemo facit nisi volens, ita nemo perfectam facit, nisi perfecte volens: quod autem cum imperfecta solummodò rationis aduertentia fit, imperfecte solùm voluntarium est: cùm ergo iniuria ex hac imperfecta aduertentia illata imperfecta tantùm iniuria

II. sit, in ratione iniuriæ, si quam parit restitutionis obligationem, sanè non nisi imperfectam: B hæc enim obligatio perfectior seu maior in suo ordine esse non potest, quàm in suo sit iniuria ex qua nascitur: quòd si solùm imperfecta obligatio est, ergo sub veniali solummodò: nam quæ sub mortali obligatio est, perfecta est.

Respondeo, obligationem quæ oritur esse sub solo veniali, quādiu permanere supponitur imperfecta rationis aduertentia, cum qua initio damnum illatum est, & cum qua nullus vlla in materia obligari sub mortali potest: at supposita plena rationis aduertentia, esse sub mortali: & ad primam in contrarium probationem, respondeo concedendo paritatem, quandiu remanebit eadem causa, imperfecta scilicet rationis aduertentia, quę sola impediuit, ne prima grauis illius damni illatio esset mortale pec-

III. catum: negando autem, quando causa illa non C remanet, sed contraria ponitur, nempe plena rationis aduertentia, quæ si primò adfuisset, sicut effecisset, vt prima illa damni illatio peccatum mortale esset, ita efficiet, vt eadem moraliter continuata (moraliter autem continuatur quandiu restitutione damnum non compensatur) mortale peccatum sit.

Ad secundam respondeo, similiter concedendo, ex iniuria imperfecta non consurgere restituendi obligationem nisi imperfectam, ac proinde nisi sub veniali, hancq. in suo ordine perfectiorem seu maiorem esse non posse, quàm sit in suo iniuria ex qua oritur, quandiu permanebit in rerum natura causa, quæ iniuriam illam fecit in ratione iniuriæ imperfectam, nempe imperfecta rationis aduertentia: qua qui laborat, neque ad restituendum, neque ad quid-

IV. quam aliud obligari sub mortali potest: negando D autem, si remoueatur illa causa, & contraria ponatur, perfecta videlicet rationis aduertentia, quam in eo esse supponimus, quem post damnum ex imperfecta illatum, obligari sub mortali ad restituendum dicimus.

SECTIO V.

Ex dictis nonnulla colliguntur.

EX dictis hac secunda nostra assertione, colligitur primò, illatum cum ignorantia consequente damnum parere restitutionis obligationem, siue hæc ignorantia causa sit illati damni, quia si contraria scientia adfuisset, damnum illatum non fuisset, siue non sit, quia etsi scientia hæc adfuisset, opus tamen quo damnum illatum est, factum adhuc esset: hæc enim ignorantia cùm non tollat omnem omnino operis,

V. quod vel ex ea, vel cum ea fit, cognitionem, nec proinde reddat ipsum non voluntarium, imò e contrario faciat aliquo modo voluntarium, facit per consequens vt damnum ex ea, vel cum ea illatum, sit aliquo modo saltem imperfectè cognitum, ac volitum, ac proinde cum veniali saltem culpa illatum: ex qua cùm infertur, obligationem esse eius resarciendi, probatum est.

Colligitur secundò, ebrios, aliósque qui per certa temporis interualla rationis vsu priuantur, quíq. tempore quo ea priuantur damnum inferunt, ad illud resarciendum obligari, si ante tempus istud se illaturos, aut in periculo esse inferendi aliquo modo præuiderunt, nec omnem quam in conscientia debebant diligentiam ne inferrent, adhibuerunt: hoc enim damnum est ab illis cum culpa aliqua saltem ve-

VI. niali volitum, & illatum, quod ex dictis sufficit ad pariendam restitutionis obligationem.

Colligitur tertiò, eum qui ex supposito contractu damnum cum culpa aliqua Theologica intulerit ei cuius rem per contractum accepit, sinendo eam perire, aut deteriorem fieri, obligari ad illati damni compensationem: si enim ad hoc extra contractum obligatur, multò magis ad idem ex præsupposito contractu obligabitur: nam maior est ad illata damna ex eo præsupposito, quàm ad illa alia compensanda obligatio, cùm vt ad illa compensanda sit obligatio, requiratur aliqua Theologica culpa, ad hęc verò nulla absolutè multis saltem in casibus necessaria sit, vt ex sectione septima constabit.

VII. Colligitur postremò, quid sit respondendum ad quæstionem, quam nonnulli hîc proponũt, vtrum si contingat damnum ab aliquo inique illatum imputari innocenti, qui propterea condemnetur ad restituendum, aliaque etiam pœna plectatur, obligetur ille qui intulit, resarcire damna omnia quæ innocens iste passus est? Dicendum enim primò, illum teneri ad compensationem damni illius quod innocens passus est, resarciendo damnum ex homicidio, verbi causa, emergens, quod ipse non intulerat: cùm enim ille culpabiliter causa fuerit sicut homicidij, sic damni ex eo emergentis ab innocente compensati, debuit idem ille ex iustitia damnum illud compensare: vnde cùm alius innocens illud eius loco compensauerit, obligatur ex eadem iustitia eum indemnem facere.

VIII. Dicendum secundò, eundem non obligari ad compensanda alia damna ex homicidio patrato non emergentia, quæ forte passus fuerit innocens ob homicidium falsò ipsi imputatum. Vel enim verus homicidij patrator aliquo modo prævidit innocentem hæc damna passurum, vel nullo modo prævidit: si secũdum, eorũ causa non fuit, saltē moralis, seu cum peccato, nec proinde erit ad ea compensanda obligatus, vt ex dictis prima assertione constat: si primum, quia non obstante præuisione hac, videtur ipse damni illius vitandi non ex iustitia sed ex cha-

ritate

ritate obligationem habuisse, contráque hanc proinde non illam peccauisse, dum illud non vitauit, nullo autem alio ex peccato quàm contra iustitiam admisso, vt supra probauimus, cõsurgit restituendi obligatio, ideo ad restituendum non obligaretur.

I. Neque verò ratione præuisionis istius dici posset ille de quo loquimur, obligatus ex iustitia fuisse ad prædictum damnũ vitandum, alioqui quilibet præuidens proximi damnum futurũ quod impedire deberet, ad illud impediendũ esset semper ex iustitia obligatus, & non impediendo, semper contra eam peccaret, & nunquã contra charitatem salrem solam, quod certissimè falsum est. Ita censent nobiscum inter cæteros Lessius lib. 2. cap. 9. dubit. 16. alíique quos citat, addens, quod amplius est, eundem de quo loquimur, etsi non solùm præuideret damnũ illud sequuturum, sed etiam directè intenderet, non fore tamen obligatum ad eius compensationem, propterea quòd ista mala intentio ex obiecto suo peccatũ iniustitiæ non esset: actio enim externa quæ eius obiectum esset, & ex qua prædictum illud damnum sequeretur, non esset ex se, víque propriæ suæ conditionis illatiua damni illius, sed per accidens, ob aliorum vel malitiam, vel ignorantiam, similemve causam quæ se intermiscet, nec per consequens esset ex se suaque propria natura iniuriosa actio, & proprium iniustitiæ obiectum, si penes hoc damnum, quod per accidens illam sequitur, spectetur. Quòd si cui videatur probabilius, homicidam præuidentem illud innocentis damnum de quo agimus, ex iustitia ad illud vitandum obligari, dicere ex consequenti debebit, ipsum ad eius compensationem obligari, cùm ei causam per iniustitiæ peccatum dederit.

SECTIO VI.

III. *De restitutione facienda ob damnum ex præsuppositio contractu illatum.*

PRIMA assertio. Ad compensandum damnum ex præsuppositio contractu contingẽs fortuitò, nulla obligatio ordinariè est, vt cùm res deposita, vel commodata perit apud depositarium, aut commodatarium, nulla eius culpa etiam iuridica. Ratio est, quòd ex nullo capite dici possit ad restitutionem obligatus: non quidem ex re aliena, cùm hæc ex hypothesi perierit, neque is apud quem periit sit ex ea factus ditior: neque ex acceptione iniusta: nulla enim interuenit huiusmodi acceptio, nisi fortè talis acceptio dicatur ipsa damni illius illatio: at iniusta nõ est, cùm, vt supponimus, vacet omni culpa etiam iuridica: neque ex acceptione iusta, seu per legitimum contractum depositi, cõmodati,

IV. aliúmve similem, cùm huiusmodi contractus & acceptio rei alienæ per hunc contractum vi sua & per se neminem obligare possit ad id quod humano modo censetur impossibile, ad vitandos nimirum casus fortuitos, post omnem humanam, etiam maximam diligẽtiam adhibitam nonnunquam contingentes, ad quod tamen obligaret vi sua & per se, si eum apud quem res aliena fortuitò perit, ad eius restitutionem obligaret: vnde cùm ille non possit ordinariè ex alio capite eius restituendæ obligationem habere, sequitur eum ordinariè ad eam restituendam non obligari: quod & expressè definitur cap. vnico de commodato, leg. *si vt certo loco.* §. *nunc videndum.* leg. *in rebus.* in principio. ff. de commodato, multísque aliis in iure locis.

V. Dixi, ordinarie, quia tres sunt casus excipiendi. Primus est, cùm inter deponentem & depositarium, verbi causa, pactum expressum interuenit, vt hic ad rem depositam fortuito pereũtem restituendam teneatur: vnusquisque siquidem suis stare pactis obligatur: idipsumque sæpius in iure definitur, vt capite vnico de commodato, & alibi. Secundus est, cùm depositarius aut commodatarius aliter, aut ad aliud vtitur re deposita, aut commodata, quàm ad id ad quod ipsi concessa est: vt si quis equum cõmodatum ad iter faciendum ex hac vrbe in certam quandã aliam, non in hanc, sed in aliam ducat, quo in itinere casu fortuito pereat. Ratio est, quòd is quo ex tempore re ista aliter, aut ad aliud vtitur, quàm ad id cuius causa concessa est, incipit esse eius iniustus vsurpator: vnde si tunc pereat, perinde tenebitur ad eius restitutionem, atque si eam furtiuè domino eripuisset: qui sanè tunc obligaretur ad eam restituendã, etsi casu fortuito periisset. Tertius est, cùm is qui rem alienam ex contractu habet, diutius eã retinet, quàm debeat, vt ad quindecim dies, cùm ad octo tantùm acceperit: si enim his octo diebus elapsis pereat, ad eius restitutionem obligabitur, ob rationem proximè antè allatam: retinere enim eo tempore quo non deberet, est eo tempore illam iniustè vsurpare.

VI. Aduerte autem, quæ de duobus his posterioribus casibus dicta sunt, esse cum duplici restrictione intelligenda. Prima est, quando res aliena non erat eodem modo apud dominum peritura, quo perit apud hominem habentem ex contractu: si enim erat apud illum eodem modo peritura, quamuis apud hunc perierit in tempore vel vsu non concesso, nulla eius restituendæ erit obligatio: quod autem dico, si eodem modo erat peritura, intelligo eo solo sensu quem postea explicabo, dum disputabo, disput. 28. sect. 7. vtrùm fur rem furto sublatam restituere domino teneatur, si apud ipsum fuerat similiter peritura.

VII. Secunda est, quando is qui rem alienam ex contractu accepit, bona fide putauit eius dominum esse contentum, vt eam diutius retineret, aut aliter, ad aliudve ea vteretur, quàm ad id ad quod concessa fuerat, & erat reipsa contentus: tunc enim si casu pereat in illo etiã vel vsu, vel tẽpore, ad eam restituendã nõ obligabitur: quia nec eo tẽpore retinens, nec aliter, ad aliudve vtens peccauit contra iustitiã, quandoquidẽ bona fide domini voluntatẽ præsumpsit: vndenõ

VIII. potest ex iniusta actione seu acceptione esse ad restituendũ obligatus: nec quidquã contra voluntatẽ domini reipsa fecit, quãdoquidem hic, vt supponimus, erat reipsa cõtentus: quo fit, vt neq. ex aliqua rei vsurpatione cõtra domini voluntatẽ à parte rei facta, licet absq. peccato, propter hãc bona fide præsũptã, dici queat ad eius restitutionẽ adstrictus: ex quo sequitur, vt ad eã restituendam nõ magis teneatur, quàm teneretur, si ea casu fortuito periisset eo tẽpore, vel in

vsu illo, ad quem expresse concessa fuerat.

Additum autem à me in hac secunda restrictione est (& erat reipsa contentus) propterea quòd si à parte rei minimè contentus erat, vt sua res diutius retineretur, aut aliis vsibus inseruiret, tenetur is qui retinuit, eaque sic vsus est, pretium eius restituere domino, etiamsi casu fortuito perierit, bonáque fides ipsum omni peccato liberarit, quia licitè non potuit contra contractum commodati, depositi, similémve, ex quo rem alienam accepit, agere nisi subintellecta tacitè saltem hac conditione, vt si contingeret perire rem casu fortuito, pretium eius domino restitueret, si fortè in hanc contra prædictum contractum actionem non consentiret.

SECTIO VII.

Secunda assertio ponitur, & probatur, ex vtraque nonnulla colliguntur.

SECVNDA assertio. Quando contractus quo res aliena accipitur cedit in solius accipientis vtilitatem, accipiens ad eius restitutionem obligatur, si pereat, deteriórve fiat aliqua eius culpa iuridica, etiam leuissima: quando autem in solius dantis, accipiens ad eius restitutionem non obligatur, nisi pereat, deteriórve fiat lata eius culpa: quando denique tam in dantis quàm accipientis, hic ad eius restitutionem non tenetur, si perit, deteriórve fit culpa eius leuissima, secus autem si leui, multóque magis si lata. Assertio tres habet partes, quarum singulæ & ex iure constant, & ratione. Ex iure, prima quidem capite vnico de commodato, vbi sic dicitur. *Cui gratia sui tantùm quis accommodatum accepit, de leuissima etiam culpa tenetur.* Quod meritò Doctores interpretantur de culpa iuridicè accepta, vt Lessius monet lib. 2. cap. 7. dub. 8. cùm distinctio culpæ à iure allata in latam, leuem & leuissimam, de iuridica culpa accipienda procul dubio sit: ex lege etiam *de rebus commodatis.* ff. de commodato, præterea ex lege 1. ff. de actionibus & obligationibus, & alibi.

Secunda vero, ex Instit. *quibus modis re contrahatur obligatio.* §. *inter ea & is.* vbi quamuis dicatur tantùm depositarium, gratis scilicet & in solius deponentis vtilitatem rem depositam custodientem, teneri de dolo, doli tamen nomine lata quoque culpa comprehenditur, vt ibidem Glossa insinuat, constátque ex lege *Nerua.* ff. de deposito, & lege 1. cod. eodem titulo, iuncta etiam ibidem Glossa, quod & obseruauit Felinus in caput, *sicut dignum* de homicidio, & Syluester verbo *commodatum.* §. 8. Tertia denique ex lege supracitata *de rebus commodatis.* & ex lege *contractus.* ff. de regulis iuris, & ex instit. supra. §. *creditor.*

Iam primæ partis ratio est, quòd æquitas non patiatur, vt qui sine sua vtilitate rem suam alteri vtendam tradit, eíque sic in eum beneficus, patiatur ex eius negligentia & culpa quantumuis leui rei suæ detrimentum: alioqui mala esset conditio eius qui beneficium confert, quia re sine culpa sua pereunte, sed illius quem affecit beneficio, damnum sustineret, non autem ille cuius culpa perit.

Secundæ verò ratio est, quòd qui rem alienam custodiendam accipit, licet in solius tradentis vtilitatem, non obligatur quidem in ea custodienda maiorem ponere diligentiam ea quam communiter homines ponunt suis in rebus custodiendis: at tantam saltem ponere obligatur: cùm præsertim is qui eam tradit, eo fine tradat, vt in tuto sit, homines autem communiter in custodiendis rebus suis eam adhibent diligentiam qua eas lata culpa sua perire non sinunt.

Tertiæ denique hæc est ratio, quòd vna ex parte, quandoquidem contractus cedit in vtilitatem accipientis rem alienam ex contractu, æquum est, vt ad maiorem diligentiam in ea custodienda ponendam obligetur, eâ quam obligaretur ponere is qui ipsam sine vllo suo commodo custodiendam accepisset: vnde quoniam hic ad eam diligentiam obligaretur, quæ culpã latam excluderet, teneturque ad eius restitutionem, si hac eius culpa periisset, ille per consequens tenebitur eam adhibere quæ leuem culpam excludat, obligabiturque proinde ad restituendum, si hac eius culpa pereat: ex altera verò, quandoquidem idem contractus cedit etiam in dantis vtilitatem, æquitati cónsentaneum nõ est, vt ipse dans nullum onus sentiat, nullique se in eo contractu periculo exponat, tantúmque obligetur is qui accipit ad eam custodiendam, quantum si in suam solam vtilitatem acciperet: quod tamen eueniret, si ad eius custodiam, teneretur summam adhibere diligentiam excludentem culpam leuissimam.

Aduertendum autem, totam hanc assertionem & singulas eius partes veras esse, intellectas sola rei natura spectata, non verò etiam positiuis quibusdam iuris constitutionibus: quas si spectemus, à prima assertionis parte excipiendus erit contractus precarij, in quo quamuis res detur in solius accipientis vtilitatem, quia tamen est liberum danti repetere datum quando placuerit (in quo precarium à commodato differt, seu, vt alij loquũtur, quòd istud in certum tempus detur, illud in incertum, & ad arbitrium domini cùm libuerit rem suam repetentis terminandum) à iure constitutum est, vt patet ex lege *quæsitum est. §. Eum quoque.* ff. de precario, & lege *contractus.* ff. de regulis iuris, vt accipiens obligetur solùm ad eius restitutionem, quando vel dolo, vel lata eius culpa perierit: quod & in foro conscientiæ vim habere iudicari meritò potest, licet varij variè hac in parte sentiant, vbi iura illa ciuilia recepta sunt, propterea quòd sæculares Principes possunt, in iis præsertim quæ ad contractus ciuiles pertinẽt, aliqua decernere, quæ in foro etiam conscientiæ vim obtineant.

Excipiendi præterea à tertia eiusdem assertionis parte erunt nautæ, caupones, stabularij: hi enim eo ipso quo aliquid asseruandum accipiunt, aut quo in eorum naui, vel hospitio ponitur, ipsis, ipsorúmve ministris ad id deputatis cernentibus, obligantur ad eius custodiam sic, vt si culpa eorum etiam leuissima pereat, teneãtur ad restituendum, quamuis contractus, quo accipiunt, non in ipsorum tantummodo, sed etiam in dantium vtilitatem cedat, imo etiamsi cedat in horum solùm vtilitatem, vt constat ex multis eiusdem iuris legibus, vt ex lege 1. ff. 1. & sequentibus, ex lege 3. §. *& hoc edicto.* iunctis antecedentibus & consequentibus ff. *nautæ,*

caupones, &c. Et ex lege penultima in principio. ff. citatis. quas constitutiones licet aliqui existimēt niti culpæ leuissima maioris præsumptione, nec proinde obligare in conscientia, in qua nullum præsumptio locum habet, aliorum tamen & meo iudicio propabilior opinio est eas in conscientia quoque seruandas esse: qua de re videatur Molina disput. 527.

I.

Quòd si tamen prædictis hominibus ij qui res suas custodiendas tradunt, sic cum iis paciscerentur, vt accipientes, de leuissima, aut leui, imò de lata culpa non tenerentur, reipsa nō tenerentur: quia pactis istis, vt antea dixi, vtpote iustis, cùm volenti nō fiat iniuria, stare oporteret: neque enim iura citata sic illos homines accipientes obligant ad diligentiam excludentem culpam omnem etiā leuissimam, & ad restitutionem, si eorū culpa etiā leuissima res accepta perierit, vt velint ad hoc esse obligatos, si tradēs cum illis aliter lubens volénsque pactus fuerit: qui sanè sicut his nonobstantibus iuris constitutionibus, posset postquam sua res eorum culpa periisset, totam eis remittere restituendi obligationem, ita & haud dubiè potest, antequam pereat, & tradatur, sic cum iis contrahere, vt etsi pereat aliqua eorum culpa, nullam sibi velit fieri restitutionem.

II.

Ex hac, & superiori assertione, colligitur primò, commodatarium, aut depositarium, qui rē commodatam aut depositam ad dominum remittit per hominem alioqui fidelem, non obligari ad eius restitutionem, si forte accidat eum rem illam sibi vsurpare, nec cōparere amplius: secus autem si eius per quem remittitur fatis nō erat remittenti explorata fidelitas. Prima pars definitur lege, *Argentum*. ff. de commodato. habeturq. apud Glossam ibidem, & Bartolum: ratio autem est, quòd tunc nulla remittentis culpa periret, sed huius respectu, casu merè fortuito. Secundæ verò partis ratio ex opposito est, quòd tunc aliqua eius culpa periret.

III.

Colligitur secundò, eum qui ex cōtractu rem alienam accipit, teneri aliquando in conscientia ad eius restitutionem, etiamsi hæc nullo ipsius mortali vel veniali peccato perierit: probauimus enim teneri semper dum perit lata eius culpa, nonnunquam etiam dum leui, aut leuissima iuridica: at hanc, & istam, imò etiam primam illam culpam sine peccato vllo posse contingere, ex antè dictis quoque certum est.

Nec mirum cuiquā videatur, esse obligationem restituendi rē pereuntem absq. peccato eius apud quem perit: hæc enim obligatio non oritur ex iniusta rei acceptione, vel ex dāno iniquè illato, sed ex eius acceptione iusta, & quidē tal. nēp e per prædictum commodati, depositi, similémve contractū, cuiusmodi acceptio ex natura rei obligat ad rem acceptam custodiēdam ea diligentia qua diximus: obligat, inquam, non quidem sub peccato, sed sub onere restituendi, si hæc adhibita, quamuis absque peccato, non fuerit: quemadmodum si commodans & commodatarius inter se sic paciscantur, vt hic illius rem accipiens in vtriusque vtilitatem teneatur non modò de leuissima culpa iuridica, carente omni peccato, sed etiam de casu fortuito, qui semper sine peccato contingit, eius respectu cuius dicitur casus fortuitus, obligabitur vitare

IV.

A

B

C

D

casum hunc, non quidem sub peccato, quo modo obligari non potest, sed sub onere restituendi nisi vitauerit, etiamsi vitare non potuerit.

SECTIO VIII.

Soluuntur argumenta quatuor contra doctrinam secunda assertione traditam.

V.

AT contra doctrinam secunda assertione traditā, qua parte asserimus aliquem aliquādo de culpa iuridica etiā leui, leuissimáque teneri, obiicies nullam vnquam huiusmodi obligationē esse, aut si quæ est aliquando, eam esse non ex rei natura, sed ex sola vi legum humanarū, quas pro confirmandis singulis nostræ huius assertionis partibus citauimus. Primò, quia ex rei natura, seu iure naturali nullus obligatur maiorem ponere diligentiā in custodienda re aliena per contractum accepta, quam in propria sua: nullus autem obligatur ad rei suæ custodiam maiorem ea quæ latam culpam excludit. Ergo si is qui rem alienam ex contractu accepit, diligentiam hanc in ea custodienda ponat, & nihilominus pereat, ad eius restitutionem non obligabitur.

VI.

Secundò, quia quando res perit post adhibitam omnem diligentiam quæ adhiberi debuit, censetur casu fortuito perire: at quisquis adhibuit eam quæ latam culpam excludit, adhibuit omnem quam debuit adhibere, cùm ad maiorē adhibendam non obligetur, vt proximè præcedēte ratione ostensum est. Ergo si nihilominus pereat, casu fortuito peribit: ad rem autem sic pereuntem restituendam nulla ex dictis assertione prima obligatio est.

Tertiò, quia iure naturæ nō minorem postulat custodiam precarium, quàm commodatum: atqui precario pereunte apud eum qui accepit in suam etiam tantummodo vtilitatem, non est ex natura rei eius restituendi obligatio, nisi lata saltem eius culpa pereat, vt constat ex ea quam fecimus exceptione à prima parte prædictæ nostræ assertionis.

VII.

Quartò, quia nulla est ex natura rei obligatio damni illius resarciendi, quod is qui passus est non rationabiliter inuoluntarie patitur: at qui rei suæ depositæ aut commodatæ damnum patitur absque peccato vllo depositarij, vel commodatarij, non rationabiliter illud inuoluntariè patitur: vt enim suprà primam assertionem probantes diximus, qui damnum patitur absq. peccato eius, à quo illud patitur, non potest rationabiliter illud inuoluntarie sustinere.

Respondeo negando prædictā illā obligationē non esse ex natura rei: & ad primā in contrarium probationem dico, ea vt summum cuinci, neminē obligari sub peccato vel mortali vel veniali ad maiorē seruandæ rei per contractū acceptæ diligentiam ea quæ latam culpā excludit: eūmq. proinde qui diligentiam hanc adhibuit, licet eam non adhibuerit quæ leuem aut leuissimam excluderet, non obligatum iri ex damno iniustè, seu per iniustitiæ peccatum illato ad eam restituendam, quandoquidem nullum cum huiusmodi peccato damnum intulit, dum res per contractū accepta apud ipsum post adhibitam illam diligentiam periit: at non eūmci, cum

VIII.

qui rem alienam sic accepit nunquam obligari sub onere saltem restituendi ad ponendam eam in illa seruanda diligẽtiam, quæ culpam leuem, aut leuissimam etiam excludat: itavt si hanc illámve culpam admiserit, licet absque peccato,
I. obligetur tamen in conscientia ad eius restitutionem: nec mirum, cùm, vt ante dixi, restitutionis huius obligatio non ex iniusta rei acceptione, nec ex damno iniquè illato, sed ex iusta eiusdem acceptione, & quidem tali, nempe per contractum depositi, commodati, similémve ex natura rei nascatur.

Quòd autem aliud sit, aliquem obligari sub peccato ad ponendam diligentiam, ne res aliena per contractum accepta pereat: aliud autem ad hoc ipsum obligari non sub peccato, sed sub solo prædicto onere restituẽdi, patet ex multis quæ paulò antè diximus, nominatímque de eo qui ex pacto expresè inito de casu etiam fortuito teneretur: de eo quoque qui re conducta aut commodata ad aliud vtitur, quàm ad id ad
II. quod à domino cõcessa est, quo in vsu perit nulla eius culpa, bona fide præsumens, falsò tamẽ, vsum hunc non ingratum domino futurum: denique de eo cuius lata culpa res periret, qui omnium consensu ad eam restituendam obligaretur, cùm tamen huiusmodi culpa mere naturali obliuione, similíve prorsus modo vacante omni peccato, possit contingere.

Ad secundã dico, solã rem illã dici perire casu fortuito, quæ perit post adhibitam omnem diligentiam, quæ adhiberi debuit, ad vitandam culpam omnem, tam iuridicam quàm Theologicã: qui autem adhibuit omnem quam debuit, ad Theologicam vitandã, non propterea omnem quam debuit adhibuit vt omni iuridica vacare censeretur. Quòd si quis vellet id fortuitò perire, quod perit absque culpa Theologica, negandum esset quod in ista secunda probatione additur, nempe ad restituẽdam rem casu fortuito
III. pereũtem nullam esse ex suprà dictis obligationem: dicẽdum enim esset, ad rei illo fortuito casu pereuntis restitutionem esse obligationem ex natura rei, prædictorúmq. casuum commodati, depositi, & similium: neque nos de fortuito illo casu loquutos esse, dum suprà, prima scilicet assertione, negauimus ad rei casu fortuito pereũtis restitutionem obligationem esse, sed de eo solo qui contingit adhibita omni diligentia debita, culpam omnem etiam iuridicam excludente.

Ad tertiam dico, precariũ quidem, si soli suæ naturę relinquatur, tantam postulare custodia, idémq. ex rei natura restitutionis onus inferre secum in accipientem, quod commodatum, aut conductum, dummodo non interueniat aliqua
IV. iuris humani constitutió, iustam ob causam aliter statuens, vt reipsa interuenit: sicut ex oppositoad rem ex contractu depositi, commodati, alióve simili acceptam, quæ fortuito casu periit, restituendam, nulla erit ex natura rei seu naturali iure obligatio, si hæc rei alienæ per huiusmodi contractum acceptio naturæ suæ relinquatur, nec quidquam aliud superueniat, vt reipsa superuenit, dum præterea accedit pactum, quo illi contrahentes sic inter se paciscuntur, vt accipiens de casu etiam fortuito teneatur: qui si contigerit, erit vi pacti huius superuenientis eius restituendæ obligatio, quæ alioqui non fuisset.

Ad quartam dico primò, si quid valeret, probaturam quoque, eum qui rem commodatam in sui solius vtilitatem accepisset, non obligatum iri ad eius restitutionem, si lata ipsius
A culpa periisset, quæ nihilominus absquepeccato contigisset: eundem quoque nec obligatum fore ad eam restituendam, si fortuitò perisset, quod haud dubiè absque vllo eius peccato euenisset, etsi pactum expressum inter ipsum & dantem interuenisset, quo sehuic ille de casu fortuito obligasset, vtpote quod non efficeret, vt illa re fortuito pereunte, ex eius aliquo peccato periret. Nam in hoc vtroque casu diceretur is qui damnum patitur, non rationabiliter illud inuoluntariè pati, cùm absque vllo alterius peccato patiatur. V.

Dico secundò, falsam esse Minorem probationis illius: cuius ad Minoris probationem respondeo, nos prima illa assertione hoc tantùm dixisse, eum scilicet qui damnum pati-
B tur absque peccato vllo inferentis, non rationabiliter illud inuoluntariè pati, ex capite damni illati, seu illationis eius, ex eodémque proinde capite non posse meritò compensationem eius exigere, cùm inferens absque peccato intulerit: ille autem qui rei suæ depositæ vel commodatæ damnum patitur, licet absque vllo depositarij aut commodatarij peccato, quémque concedimus illud rationabiliter inuoluntariè sustinere, non ex capite damni illati, seu illationis eius, conceditur à nobis illud ita sustinere, sed ex capite acceptionis per contractum, ex quo qui damnum patitur per rei suæ depositæ, aut commodatæ similíve modo datæ amissionem, absque vlla etiam eius qui accepit Theologica culpa contingentem, rationabiliter illud ita inuoluntariè sustinet, vt ob illud caput velit huius damni fieri sibi compensationem:
C ad quam etiam faciendam, & per leges humanas quas citauimus, & ex rei natura esse obligationem, satis constat ex antè dictis. VI. VII.

SECTIO IX.

Tertia assertio ponitur, & probatur.

TERTIA assertio. Qui res alienas ex contractu habet, eásque simul & suas in naufragio, incendio, similíve periculo seruare non potest, sed aut has, aut illas tantùm, alienas potiùs quàm suas seruare debet, quando suis illæ pretiosiores sunt, quamuis contractus quo eas accepit cedat in solius dantis vtilitatem: si secus fecerit, ad earum restitutionem obligabi-
D tur: si autem sunt viliores suis, potest suas seruare potius quam illas, licet contractus quo eas accepit cedat in sui solius emolumentum: quòd si illæ æqualem cum suis valorem habeant, obligatur illas potiùs seruare quàm suas, si contractus quo eas accepit, in eius tantùm commodum celebratus sit: & si secus fecerit, ad earum restitutionem obligabitur: sin autem contractus iste fit initus in solius dantis vtilitatem, aut in dantis & accipientis coniunctim, suas seruare potiùs quam illas potest. Assertio VIII.

tres habet partes, quas ex Mol. disput. 196. desumpsimus, quas etiam singulas ex eiusdem ibi doctrina probabimus.

Ac primæ quidem partis ratio est, quòd qui res alienas custodiendas accipit, quamuis in solius dantis commodum, obligatur eam saltem ponere in iis custodiendis diligentiam, quam vulgò solent homines suis in rebus conseruandis: hanc autem solent, vt duabus è rebus quarum altera tantùm seruari potest, pretiosiorem seruent. Aduerte autem, ex eodem Molina ibidem, posse te ex re aliena pretiosiore seruata tuam viliorem cuius iacturam fecisti compensare, dummodo contractus quo illam accepisti, cesserit aut in solius dantis commodum, aut coniunctim in tuum, & illius: id verò te non posse, si tuum solum in commodum cesserit. Ratio cur id tunc non possis, est, quòd vi contractus & beneficij per eum accepti, obligaris ad rem acceptam tuis sumptibus custodiendam, non autem illius à quo accepisti: ratio autem cur id aliàs possis, est quòd ille ipse, quando contractus talis est, qualem dixi, teneatur ad sumptus pro rei suæ conseruatione necessarios.

Iam verò secundæ partis ratio est, quòd accipiens ex contractu res alienas, non obligatur pro iis conseruandis nisi ad summam illam diligentiam, quam quilibet prudentissimus in sua re conseruanda adhiberet: nemo autem prudentissimus rem suam pretiosiorem pro viliore conseruanda perire sineret. Sed hic aduerte, quòd cùm contractus quo res ista accepta est, cedere possit in solius accipiẽtis vtilitatem, aut in solius dantis, aut coniunctim in vtriusque, si primum, tenebitur is qui accepit, quique pro rei suæ pretiosioris conseruatione viliorem alterius perdidit, pretium vilioris huius ipsi restituere, quia cùm vi talis contractus obligetur ad eam suis sumptibus conseruandam, fas ei non fuit ea in periculo relicta, suam pretiosiorem periculo eripere, nisi hac lege, & cum hoc onere, vt eum à quo accepit seruaret indemnem restitutione pretij rei illius: si verò secundum, aut tertium, ad nullam restitutionem obligabitur: quia, vt etiam paulò antè dixi, qui per huiusmodi contractum rem alienam accipit, non tenetur ad sumptus pro eius conseruatione necessarios.

Tertiæ denique partis ratio est, quòd vna quidem ex parte, quando contractus quo res aliena æqualis valoris accepta est, cedit in solius accipientis commodum, hic obligatur vi contractus istius, & beneficij per eum accepti, ad eam conseruandam suis sumptibus: vnde debet sumptu, seu amissione rei suæ æquiualentis eam seruare, & ni seruauerit, eiusdem sumptu damnum illius resarcire: ex altera verò, quando contractus vel in solius dantis, vel in vtriusque cessit vtilitatem, non obligatur ad eam conseruandam suis sumptibus: vnde nec obligatur pro eius conseruatione suam æqualis valoris perdere, alioquin ad eius conseruationem suis sumptibus obligaretur, nempe dispendio rei suæ.

DISPVTATIO XXIIII

De restitutione bonorum animæ faciendæ.

SECTIO PRIMA.

Ponitur assertio prima, & probatur.

ADhæc bona pertinẽt ea quę spiritalia vocantur, & quæ spiritalibus annectuntur, de quibus propterea hac & sequenti disputatione dicemus. Animæ autem bona sunt in duplici genere, quædam ad æternam vitam nihil per se conducentia, alia è contrario aliquid conducentia: quæ prioris generis sunt, aut sunt naturalia, id est, nobis à natura data, vt sunt intelligendi volendique potentiæ, earumque vsus merè naturalis: aut sunt acquisita, vt naturales artes & scientiæ: quæ verò sunt posterioris, aut sunt in entitate naturalia, vt virtutes morales ex genere suo acquisitæ, earumdémque proprij actus: aut supernaturalia, vt virtutes ex genere suo infusæ, propriique actus ipsarum. His præmissis,

Prima assertio. Qui alium vel non sciens, vel si sciens, non tamen iniustè, priuauit aliquo bonorum istorum, ad nullam restitutionem obligatur. Ratio est, quòd ad eam obligari non possit nisi vel ex re accepta, vel ex eius acceptione: at non ex priori illo capite, cùm res qua priuatur ille in rerum natura non sit: neque ex isto posteriori, acceptio enim rei alienæ duplex tantùm est, iusta scilicet, & iniusta: certum autem est eum de quo loquimur non ex iusta obligari, prædictam enim rem per legitimum contractum aliúmve similem nunquam accepit, aut apud se habuit, sed eatenus tantùm accepisse dicitur, quatenus eius damnum intulit, & illatio damni in re aliena aliqua eius acceptio censetur: qui autem rem alterius nullo alio modo quàm isto accepit, nunquam ad eius restitutionem obligatur, nisi acceptio hæc iniusta fuerit, seu nisi damnum in ea re iniustè illatum sit, vt ex superiori disputatione notum est.

Hinc concluditur primò, non modò eum qui nulla sua culpa, aut non ex aliqua contra iustitiam, priuauit aliquem vel ad tempus, vel in perpetuum, vsu rationis, aliarúmve facultatum, sed etiam eum qui alteri persuasit, sine vi, metu, fraude, similive modo iustitiæ repugnante, ne artem aliquam, aut scientiam addisceret, etiamsi ex eius odio id fecerit, & ex eius artis, aut scientiæ ignoratione multa damna patiatur, ad nullam restitutionem obligari: etsi enim qui sic persuasit peccauerit, non tamen contra iustitiam, sed caritatem.

Concluditur secundò idem de eo, qui similiter alterum sine vi, fraude, similive modo repugnante iustitiæ, ad peccandum induxit, licet ex huius peccati commissione multis ille

qui inductus est commodis careat, vt Ecclesiastico beneficio, & aliis: ratio eadem est, quòd ille sic persuadendo contra iustitiam non peccauerit, respectu eius cui sic persuasit. Quæ postrema verba addo, quia respectu alterius tertij peccare contra eam potest, & ad restitutionem obligari, vt si Petrus Paulo eo I. A quo dictum est modo persuadeat vt Ioannem occidat. Etsi autem Petrus inducens non teneatur ad vllam Paulo inducto restitutionem faciendam, tenetur tamen ad eum à peccato in quod ipsum induxit dehortandum, si quidem hic in eo adhuc perseuerat, etiamsi in eo non perseueret vi præcedentis inductionis, itavt hæc perseuerantia ipsi inductori ad peccatum non imputetur.

Verùm cum hæc obligatio sit solius charitatis aut misericordiæ ad fraternæ correctionis præceptum pertinens, inductor ille pro eius quem induxit reditu ad statum gratiæ nihil aliud obligatur facere, quam id ad quod ex præcepto correctionis huius obligatio est: quamquam ad hoc tenetur strictius, quam II. quisquam alius, cæteris paribus, cum ipse B ruinæ eius causa fuerit, non alij: quod ante nos ita docuerunt Diuus Thomas quodlib. 5. quæst. 25. Nauarr. cap. 14. Manual. num. 32. Petrus Nauarr. lib. 2. de restitut. cap. 2. Syluester. verbo *Restitutio.* quæst. 1. & alij. Dixi paulò antè, (etiamsi in eo non perseueret vi præcedentis inductionis) nam si vi huius in eo perseueraret, obligaretur præterea inductor ex præcepto ad virtutem illam pertinente, contra quam est peccatum in quo inductus perseuerat, eum ab hoc peccato dehortari: sicut antequam eundem ad hoc ipsum peccatum induceret, obligabatur ex eadem virtute ad illum in peccatum istud non inducendum.

Concluditur tertiò, eum quoque qui vo- III. lentem ingredi religiosum aliquem ordinem, C aut iam ingressum, siue nouitium, siue professum, ab eo reuocat sine causa legitima, vt ex affectu cognationis carnalis, imò ex ipsius religionis odio, dummodo nec vi, nec metu, nec fraude, similive modo iustitiæ repugnante reuocet, ad nullam vel ei qui reuocatur, vel Ordini à quo reuocatur, faciendam restitutionem obligari, cùm neque huic, neque illi vim, metum, aliúdve iustitiæ repugnans afferat, neque priuet Ordinem illum aliqua re ad quam peculiare iustitiæ ius habeat: cùm religiosus ordo in suos religiosos etiam professos nullum huiusmodi ius habeat.

Nec refert, quòd sit causa damnorum quæ IV. ordo ille incurrit ob egressum illius sui religiosi, tum quia ipse religiosus egrediens eorundem haud dubiè causa pariter est, & quidem magis præcipua, nec tamen ad eorum compensationem obligatur, quòd ipsorum causa non sit violans aliquod iustitiæ præceptum: tum quia dum subtrahitur alicui vel persona, vel res aliqua, & ex eius subtractione detrimentum in eum cui subtrahitur damnum aliquod, nunquam illatio damni istius peccatum contra iustitiam est, nec istud proinde damnum ex iustitia resarciendum, nisi subtractio vel personæ, vel rei istius, à damnis cum consequentibus præcisa, peccatum contra iustitiam sit, vel ratione modi quo subtrahitur, vt vi, fraude, similíve repugnante iustitiæ, vel ratione rei quæ subtrahitur, eo quòd hæc ipsa res erat ei cui subtrahitur debita ex iustitia, quorum neutrum hîc locum habet, vt ex dictis constat. V.

SECTIO II.

Ponitur secunda assertio & probatur.

SECVNDA assertio. Qui maleficis artibus, aliáve ratione scienter & culpabiliter rationis, aliarúmve facultatum vsu quempiam priuauit, aliáve animi bona à natura data, simili modo abstulit, aut ad tempus impediuit: ille quoque qui per vim, dolum, similémve modum iustitiæ repugnantem, priuauit aliquem bonis prioris generis, sed acquisitis, aut ab eorum consequutione ipsum impediuit, vt qui fraude quempiam ab aliqua arte addiscenda reuocauit, tenetur ad re- VI. stitutionem tum bonorum illorum quæ iniquè abstulit, tum damnorum quæ ex illis bonis vel ablatis, vel impeditis idem patitur. Ratio est, quòd vterque contra iustitiam peccauerit, sic vel auferendo, vel impediendo bona prædicta, fuerítque peccato illo suo vera causa moralis eorum omnium damnorum, quæ ex bonis illis vel ablatis vel impeditis sequuntur: quisquis enim talis est, obligatur procul dubio ad restitutionem, tum bonorum illorum iniustè ablatorum, procurando scilicet quantum potest, vt rationis, aliarúmve facultatum vsus, aliúdve simile bonum ablatum recuperetur ab eo cui ablatum est: tum prædictorum damnorum emergentium. Verùm cùm huiusmodi bonorum quantitas certa non sit, non potest generaliter definiri, quanta pro iis VII. restitutio facienda sit, sed id relinquendum iudicio viri prudentis, qui personarum, temporum, locorum, negotiorum, occasionum lucrandi, similiúmque rationem habeat, ex quibus æstimari potest, quantum hîc & nunc damni fuerit illatum, quantúmque proinde restituendum sit.

Hinc concluditur primò, eum qui vi, metu, fraude, alium ad peccandum induxerit, obligari ad restitutionem; cùm vis, metus, dolus sint contra iustitiam. Restitutio autem ab eo facienda in his consistit: in primis vt vim, metum, dolum remoueat, si hæc adhuc perseuerent: sicut enim hæc primùm inferre, peccatum iniustitiæ est, ita eadem continuare, eiusdem peccati continuata productio est.

Deinde vt adiungat aliquam ad bonum co- VIII. hortationem, quam, præter physicam illam veluti fraudis, aut metus, aut violentiæ remotionem, requiri rectè monet à Valent. hic puncto 5. colum. 1206. quod tamen existimo verum esse tum temporis solum, quo nisi hæc ad bonum cohortatio adiungeretur, censeretur adhuc aliquo modo perseuerare virtute, vis, dolus, aut metus antè illatus, peccatúmque quod postea fieret, adhuc illi illato antea metui, aut dolo, aut violentiæ, tanquam

causæ meritò ascriberetur: nam si remota plane sit omnis antè illata vis, aut fraus, aut metus, nec peccatum, si quod postea fiat, illi vt causæ meritò possit ascribi, profectò ille qui prius vim illam aut fraudem aut metum intulerat, peccati huius postea consequentis causa non erit ratione metus, aut fraudis, aut violentiæ antè illatæ: vnde vel nullo modo causa eius erit, vel certè non erit peccando contra iustitiam, sed contra virtutem alteram: quare cohortationem illam ad bonum adiungere non obligabitur ex iustitia, sed ex altera virtute: cuiusmodi cohortatio dici non potest propriè restitutio, cùm hæc, vt ex antedictis constat, solius iustitiæ actus sit, ex eaque sola debeatur. I.

Denique, vt resarciat damna temporalia, quæ passus est is, qui per vim, fraudem, similémve modum iustitiæ repugnantem ad peccandum inductus est, vt si non fuerit consequutus beneficium, quod erat alioqui consequuturus.

Concluditur secundò, eum qui per vim, fraudem, aut metum, aliquem volentem ingredi religiosum ordinem reuocauerit ab ingressu, aut iam ingressum, siue nouitium, siue professum, ab eo abduxerit, teneri ad restitutionem non modo ei faciendam quem reuocauit, aut abduxit, in iis quæ proximè ante dixi pariter consistentem, sed etiam ipsi Ordini à quo reuocatus, aut abductus est, resarciendo damna omnia quæ hinc ipse patitur, & lucra quibus priuatur: vt si ille qui abductus est, vir erat cuius ex doctrina docendique munere percipiebat Ordo stipendia cathedræ alicui annexa, quibus postea caret: aut si ille ipse alios ordinis sui religiosos docebat, fiatque propter eius egressum, vt hi vel doctore careant, vel externum aliquem suis sumptibus conducere necesse habeant. Ratio est, quòd nimirum sic abducens vera causa moralis huiusmodi damnorum sit per actionem suam iniustam, per vim scilicet illatam, aut fraudem, aut metum, quæ contra iustitiam, vt dixi, inferuntur. II. A B III. C

Adde quod abductor iste vi, metu aut fraude vtens non tantùm peccat per iniustitiam contra religiosum quem sic abducit, sed etiam contra Ordinem ipsum, eo ipso præcisè, quo per illam abductionem prædicta ipsi damna infert: quemadmodum enim si cui diuiti volenti dare eleemosynam pauperi quidam tertius vim afferret, & per hanc illatam impediret ne daret, non tantùm faceret iniuriam diuiti, sed ipsi quoque pauperi, eo ipso præcisè quo ipse ab accipienda eleemosyna impediretur per illam diuiti dare volenti vim illatam, quia non tantùm diues ius habet ne volens eleemosynam facere vim patiatur, sed etiam ipse pauper similiter habet ius, ne à quoquam impediatur accipere per illatam vim ei qui dare voluerit: Ita & religioso illi, & ordini fiet iniuria, quia & ille ius habet, ne à quoquam per vim aut metum aut dolum à religione abducatur, & hic habet similiter ius, ne per metum, vim, aut fraudem suo religioso illatam prohibeatur ex eo percipere bona, quæ perciperet alioquin, & cogatur sustinere damna, quæ cæteroqui non sustineret. IV. D

Nec refert, quòd religiosus ille, si contra expressum superioris sui præceptum docere nollet, imò si à religione deficeret, eamque proinde fructibus illis priuaret, ad nullam restitutionem obligaretur: ideo enim non obligaretur, quòd nolendo, & deficiendo, non peccaret contra iustitiam strictè sumptam, sed contra religionis virtutem violando vota quæ emisit. A V.

SECTIO III.

Vni quæstioni respondetur.

AT hic quæres, vtrùm præfatus abductor obligari possit aliquando propter hoc abductionis peccatum, ipse religionem ingredi à qua religiosum præsertim professum abduxit. Affirmant Maior in 4. dist. 15. quæst. 17. Palud. quæst. 2. art. 2. Richar. art. 1. quæst. 2. Adri. in materia de restitutione, quæstione speciali quam de restituendis animæ bonis instituit, & Antoninus 2. parte, tit. 2. cap. 2. §. 1. asserentes tunc obligari, cùm nec ei quem abduxit reditum ad Ordinem persuadere potest, nec alium æquè vtilem ipsi ordini procurare. Negant autem Sotus lib. 4. de Iustit. quæst. 6. art. 3. Greg. à Valent. disput. 5. quæst. 6. punc. 5. columna 1160. Lessius lib. 2. cap. 8. dubit. 3. & alij, quorum sententia mihi videtur probabilior, & cuius probandæ gratia præmitto, duplex tantùm caput excogitari posse, quorum ex aliquo prædictus abductor præfatam religionem obligetur ingredi: primum est, ipsa religiosi abducti persona qua priuatur religio: secundum, damna quæ hæc sustinet illius ab ipsa discessum consequentia: nisi enim obligetur ingredi, vel vt loco religiosæ personæ quam subtraxit Religioni, substituat, restituatque aliam, ac proinde seipsum, cùm nullum alium potest, vel vt ingressu suo illa damna resarciat, nusquam obligatur ingredi: vnde & nullus est ex iis qui ad id obligari cum volunt aliquando, qui non etiam velit ex aliquo capitum istorum obligari. VI. VII.

Hoc autem præmisso, Dico primò, ex priore capite nullam ad id esse obligationem: ratio est, quòd pro ipsa præcisè abducti religiosi persona, nulla sit religioni facienda restitutio, vt expressè docent Sotus, & Lessius locis citatis, ex solo posteriori agnoscentes restitutionis ei faciendæ obligationem: & probo ex eo quòd pro ipsa præcisè iniuria, id est, quatenus ab illato per eam damno præscinditur, nihil est ex iustitia restituendum, sed tantùm satisfaciendum sustinendo pœnam quæ iniuncta fuerit, vt disput. 26. dicemus fusius: postquam autem is qui religiosum abducendo per iniustitiam peccauit contra Religionem, resarciuit damna omnia ex religiosi discessu sequuta, remanet sola iniuriæ illatæ ratio, pro qua cum nihil sit, vt dixi, restituendum, sequitur, nec quidquam restituendum esse pro ipsa abducti religiosi persona præcisè, seu prout à damnis ex eius à religione discessu consequentibus præscinditur. VIII.

Dices, præter iniuriam, & hęc damna, esse aliud damnum quod religio sustinet, non minùs ex iustitia resarciendum, quàm illa sint, ipsúmque consistere in priuatione præcisè reli-

gioſi qui abducitur : quemadmodum præter iniuriam quam patitur dominus, dum ei ſeruus eripitur, prętęrque damna ex hac iniqua ſerui ſubreptione conſequentia, quæ item patitur, eſt & aliud damnum quod ſuſtinet, non minus quàm hæc ex iuſtitia reſarciendum, conſiſtens in priuatione ſerui ipſius.

I. At perfacilis & clara eſt huius obiectionis ſolutio, ex euidenti inter hunc ſeruum, & religioſum illum diſcrimine. Etenim quoniam ſeruus eſt aliqua domini poſſeſſio, ſicut & equus, & veſtis, & pecunia, non mirum, ſi is qui ſeruum domino ſuo furtiuè ſubriperet, obligaretur non modò reſarcire damna quæ ipſe ſuſtineret abſentiâ ſerui ſui ſubſequentia, ſed etiâ ſeruũ ipſum reſtituere, ſi poſſet, aut æquiualens pretium, ſi non poſſet: non ſecus atque ſi veſtem eiuſdem domini furatus eſſet, aut pecuniam, teneretur & ad hanc, ſi poſſet, reſtituendam, aut rem æqualis pretij, ſi non poſſet, & præterea ad compenſanda damna omnia quæ hoc furtum eſſent ſequuta: at cùm è contrario

II. religioſus etiam profeſſus non ſit ipſius religionis, aut Prælati poſſeſſio, hicque proinde & illa, nonobſtante illius abductione præciſè, nihil minus habeat de poſſeſſionibus ſuis, rebúſque ad quas habet proprium iuſtitiæ ius, quàm priùs haberet, fit vt ipſa pręcisè religioſi abductio, ſeu à damnis eam conſequentibus præciſa, non ſit aliqua damni illatio, nec proinde ſit quidpiam pro ea reſtituendum: alioqui peccaret ipſe religioſus contra iuſtitiam ſponte à religione deficiens, obligaretúrque ex iuſtitia ſe ipſi reſtituere, ſicut & ſeruus contra eam peccaret, ſe domino ſuo ſubtrahens, ſéque ipſi reſtituere ex ea obligaretur: quod tamen conſequens falſum eſt, & à nullo hactenus conceſſum: quia religioſus etiam profeſſus

III. non alio quàm votorum vinculo religioni ſuæ aſtrictus eſt, nec proinde ex iuſtitia, cùm obligatio quę ex voto eſt, non ad hanc, ſed ad aliam virtutem pertineat.

Dico ſecundò, ex poſteriori etiam capite nullam ad idem eſſe obligationem. Primò, quia ſi damna ex iniuſta religioſi abductione in religionem redundantia reſarcire aliter poteſt abductor, quàm ſuo in eam ingreſſu, non eſt ad ingreſſum hunc obligandus, vt patet, cùm ad aliud nihil per ſe obligetur, quàm ad ea reſarcienda: poteſt autem, quia æquè facilè, imò facilius lucrari quis extra religionem, quàm in religione poteſt ea quibus illata religioni damna reſarciat.

Secundò, quia etſi ſupponeretur ipſum non poſſe aliter ea reſarcire, quàm per ſuum in eam ingreſſum, eundémque ipſum talem præterea eſſe, vt probabiliſſimum eſſet, eum ex

IV. religionis illius inſtituto vitam poſſe traducere, nihilominus ad eam ingrediendam non eſſet obligatus, propterea quòd illata illa damna, vel moraliter, vel abſolutè loquendo, nunquam tanta eſſe poſſunt, vt qui intulit, reſarcire ea teneatur tanto ſuo cum incommodo, quantum eſt religioſæ vitæ profeſſio: quod quidem multò grauius eſt, quàm eſſet illud quod ſubiret ille, qui vt decem aureos quos debet, certo tempore reſtitueret, centum aliorum ex ſuis iacturam facere neceſſariò debe-

A ret: ratione cuius tam grauis incommodi, cùm iſte non obligetur certo illo tempore reſtituere, multò minùs obligabitur ille ad prædicta damna reſarcienda religioſam vitam profiteri: cuius etiam profeſſio tam grauis crux reipſa eſt, & ab vniuerſa Eccleſia cenſetur, vt quamuis ob enormia quædam ſcelera eum qui deliquit, includat in monaſterium aliquando, aut includere poſſit tanquam in carcerem, nunquam tamen cogat, aut etiam cogere poſſit ad religioſam vitam profitendam: vnde multò minus vel ipſa, vel quius alius ſeueriſſimus iudex prædictum abductorem, ſi vocaretur in iudicium, condemnaret ad huius vitæ profeſſionem, vt illata per iniuſtam religioſi abductionem damna reſarciret, etſi ſupponeretur hæc ab illo aliter non poſſe reſarciri: quod argumento eſt illum ad profeſſionem illam ex natura rei non obligari: nam ſi obligaretur, ipſe quoque illum ad eam condemnare non ſolùm iuſte poſſet, ſed etiam teneretur. V.

B

DISPVTATIO XXV. VI.

De reſtitutione facienda bonorum quæ ſpiritalibus annectuntur.

SECTIO PRIMA.

An prælati aliique electores conferentes beneficium indigno, digno prætermiſſo, ad aliquam reſtitutionem teneantur?

C QVI confert beneficium indigno, prætermiſſo digno, peccat, obligatúrque ad reſtitutionem tum ipſi digno qui prætermiſſus eſt, tum Eccleſiæ cui indignus ille datus eſt, faciendam. Aſſertionis tres ſunt partes. Prima probatur: triplex enim peccatum admittit, primum contra religionem, ſecundum & tertium contra iuſtitiam: primum quidem, quia eo ipſo quo confertur indigno beneficium, quod neceſſariò coniunctum eſt officio diuini cultus, imò quod propter hoc ipſum officium eſt: eo, inquam, ipſo conſtituitur ineptus miniſter officij cultúſque diuini, quod vt huic cultui, ſic virtuti religionis cultum hunc per ſe ſpectanti, aduerſatur. Et ſanè ſi quis ex hypotheſi quòd orare Deum velit, licet aliunde nullam habens orandi obligationem, obligatur ex virtute re-

D ligionis, ad quam oratio ſpectat, orare attentè, ſeruatiſque cæteris neceſſariis ad bene orandum conditionibus, profectò etiam ex hypotheſi quòd quis officio cultuíque diuino præficere aliquem velit, etſi nullam præficiendi habeat aliunde obligationem, obligabitur ratione cultus huius & officij, atque adeo ex virtute religionis, cultum hunc ſpectantis, præficere eum qui non ſit ineptus ad iſtud miniſterium, nec indignus proinde beneficio: vocatur enim hîc à nobis indignus ille, in quo ob de- VII. VIII.

fectum conditionis alicuius, vt probitatis, aut scientiæ, aut alterius, non est facultas congruè obeundi diuinum illud munus, cui beneficium, quod ipsi confertur, annexum est.

Secundum verò peccatum, quia ius digni quem prætermittit violat: quod ius, vt proprium est iustitiæ modò distributiuæ, modò commutatiuæ, prout constat ex dictis ad quæst. 61. disput. 12. ita contra iustitiam hanc aut illam peccat. Tertium denique, quia violat ius illius Ecclesiæ, cui per illam suam electionem indignum beneficio ministrum attribuit: eo enim ipso facit, vt Ecclesia illa rationabiliter inuitè conferat ea indigno ministro stipendia, quæ nec vult, nec tenetur velle alij conferre, quàm ei qui dignus est: cuius iuris violationem peccatum esse contra commutatiuam ex eo liquet, quòd contra hanc peccaret ille, qui alium rationabiliter inuitum cogeret ad aliquam bonorum suorum partem ei dandam, cui nec dare vellet, nec velle obligaretur: beneficia autem sunt propria quædam Ecclesiæ bona.

I. A

Secunda vero pars assertionis probatur ex eo quòd si qui confert beneficium digno, digniore prætermisso, tenetur ad huic digniori restitutionem faciendam, pari saltem iure qui contulerit indigno, prætermisso digno, tenebitur ad huic aliquid restituendum: verum autem esse antecedens ex sequenti assertione constabit.

II. B

Tertia denique pars hinc probatur, quòd obligatur tantum restituere, quantum indignus ille minister indignè participat de beneficio Ecclesiastico, & præterea quantum requiritur ad alia damna compensanda quæ incurrit illa, si tamen aliqua huiusmodi incurrit, ob illius ministri sui indignitatem: cùm enim hæc omnia damna sustineat ex iniustitiæ peccato, contra ius eius & iustitiam commutatiuam admisso, certissimum autem sit, obligationem ex hac iustitia esse compensandi damna omnia per istiusmodi peccatum illata, certum esse debet, electorem de quo agimus, obligari ex iustitia restituere aliquid Ecclesiæ prædictæ, & quidem tantum, quantum diximus.

III. C

Quæres, vtrum ipse indignus electus ad restitutionem obligetur? Respondeo, si indignus est, eo quòd careat conditione aliqua necessaria, vt beneficij collatio valida sit, obligari ad restitutionem Ecclesiæ in qua beneficium obtinet, omnium fructuum quos ex beneficio percepit. Cùm enim collatio nulla sit, fructus beneficij non magis suos efficit, quam is cui beneficium collatum nunquam fuit. Quòd si indignus sit ex alio capite beneficij collationem non irritante, dicendum est, obligari ad restitutionem eidem Ecclesiæ faciendam, vel omnium fructuum ex beneficio perceptorum, vel alicuius partis eorum: omnium quidem, quando ad nullam officij sui partem obeundam aptus est: partis verò, cùm ad aliquam solùm sui muneris explendi partem est idoneus. Cùm enim beneficiariis beneficium detur propter officium, tanquam operariis stipendium pro labore, & ministerio, tenentur illi ex iustitia, si nullam sui ministerij partem obeant, nullum beneficij fructum attingere: aut si iam attigerint, restituere: nullam autem obeunt ij, qui

IV. D

ad nullam obeundam apti sunt: sin autem solùm aliquam obeant, eam solùm fructuum partem attingere, quæ parti illi sui muneris quod obeunt condigne respondet: cæteróſque proinde fructus vel non percipere, vel si perceperint, restituere: partem autem tantùm obeunt, qui ad aliquam tantùm obeundam idonei sunt.

V.

SECTIO II.

An iidem conferentes beneficium digno, digniore prætermisso, ad aliquam restitutionem obligentur?

QVI digno confert beneficium, digniore prætermisso, peccat, obligatur etiam ad aliquam huic digniori restitutionem faciendam, non tamen obligatur ad vllam faciendam Ecclesiæ, cui talem ministrum tribuit. Tres item sunt assertionis huius partes. Primam Theologi communiter defendunt, ciúsque veritas ex eo constat, quòd ille collator violat ius dignioris ad iustitiam distributiuam pertinens, vt ex supradicta disput. 12. notum est.

VI.

Sed circa primam hanc partem aduertendum primò, nonnullos Theologos eam coarctare ad sola beneficia Episcopalia, aliáque Curata, ac proinde velle, nullum fore peccatum, beneficia non Curata, seu simplicia conferre dignis, prætermissis dignioribus. At de his quoque simplicibus beneficiis partem illam primam nostræ assertionis intelligendam esse probo, tum authoritate, tum ratione: authoritate quidem S. Doctoris in primis, quodlib. 8. art. 6. & hac secunda secundæ, quæst. 63. art. 2. ad 1. & 3. docentis in genere, beneficia danda esse iis, qui magis idonei sunt ad ea officia, quibus huiusmodi beneficia annexa sunt, vt apertè significant verba in citata ad 1. responsione, quibus vniuersim ait, Prælatum qui consanguineos suos minus dignos prætulerit dignioribus, peccaturum peccato acceptionis personarū: quod art. primo docuit esse contra iustitiam distributiuam: hæc quoque verba quæ habet in prædicta responsione ad tertium: *Quantum ad hoc, quòd electio impugnari non possit, in foro iudiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calúniam: sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.*

VII.

Deinde Innocentij tertij, qui vt refertur capite vnico, titulo *vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, sic inter cætera dixit, loquens indifferenter de beneficio Ecclesiastico, nec de eo solo, quod animarum curam annexam habet. *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium & beneficium in personam magis idoneam dispensare.* Denique eorum Patrum quos citat Lessius libro 2. cap. 34. dubit. 14. quorum multi disertè dicentes Ecclesiastica beneficia in digniores esse conferenda, loquuntur in genere, nihil inter Curata & non Curata distinguentes. Ratione verò, quòd horum quæ illorum eadem prorsus ratio sit: nam sicut illa, sunt bona quædam communia, publicaque eorum stipendia qui

VIII.

animarum curam gerunt, ita & hæc sunt communia quædam bona, eorumque publica stipendia qui funguntur iis officiis, quibus hæc stipendia annexa sunt: vnde si priora illa ob eam causam ex distributiua iustitia sunt in digniores conferenda, ista quoque posteriora ob eandem causam erunt. I.

Aduertendum secundò, non videri verum, quod quidam alij Theologi docent, scilicet eligere dignum, prætermisso digniore, non esse mortale peccatum, quando munus ad quod eligitur, magni momenti non est: itémque cùm non est notabilis excessus quo dignior dignum superat. Nam violatio iustitiæ distributiuæ, sicut & commutatiuæ in materia graui, seu per quam graue damnum infertur ei cuius violatur ius, mortale peccatum est: illa autem iustitia violatur, quando dignior prætermittitur, siue sit in eo notabilis excessus, siue non, siue etiam munus, ad quod eo prætermisso dignus eligitur, magni momenti sit, siue non: per eamque violationem graue damnum ei toties infertur, quoties redditus illi officio coniuncti magni sunt: quamquam fateor contrariam sententiam ob Theologorum contrà sentientium multitudinem & authoritatem esse probabilem, & in praxi tutam. II.

Aduertendum tertiò, etsi tum peccetur, cùm dignus, digniore prætermisso, eligitur, validam tamen esse hanc digni electionem, ipsique factam collationē: magna enim sequeretur alioquin in Ecclesia perturbatio, vixque vlla esset electio, quæ litem, aut calumniam non pateretur: vnde id expresse statutum est cap. *cùm electus*. Extra. *de elect.* Nec huic repugnat quod Pius V. in quodam decreto edito anno 1566. statuerit Metropolitanum irritare posse electionem digni, in fauorem dignioris prætermissi: non enim propterea voluit eam ipso iure & facto esse irritam. Et hinc intelligimus, quo sensu iura quædam tam antiqua quàm noua, imò & aliqua Concilia, requirant vt beneficia dignis conferantur: requirunt enim, non vt collatio sine peccato sit, sed vt valida sit. III.

Aduertendum quartò, dum collationem beneficij factam digno, digniore prætermisso, peccatum esse dicimus, nos loqui de solo illo beneficio quod necdum alicui appropriatum est, quódque proinde commune aliquod bonum est. Monet enim rectè Petrus Nauarr. lib. 2. de Restit. cap. 2. amplectunturque communiter Theologi, non esse peccatum, resignare beneficium digno, prætermisso digniore, quoniam huiusmodi beneficium bonum commune non est, cùm sit factum proprium ipsius resignantis, qui de re sua disponens in fauorem digni, nullam facit iniuriam digniori quem prætermittit, quia nullum hic ius ad illud beneficium accipiendū potiùs quàm quiuis alius minùs dignus habet, nisi quando rationem boni communis obtinet. IV.

Aduertendum quintò, esse nonnullos casus, in quibus conferre beneficium digno, digniore prætermisso, nullum peccatum est, etsi beneficium illud commune bonum sit, primámque proinde huius nostræ assertionis partem extra casus istos esse intelligendam. Ex iis vnus est, cùm iusta aliqua lege constitutum est, aut consuetudine vim legis obtinente receptum, vt certa quædam beneficia certis cuiusdam societatis aut familiæ personis conferantur, vt Papatus, Cardinalibus: Episcopatus aliquis, solis illius Ecclesiæ Canonicis: beneficium aliquod aliud, solis ad illud accipiendum designato petitioni concursuique tempore sese offerentibus: nam si quis alius iis omnibus dignior, quia ad proprium beneficij munus obeundum est aptior, hoc elapso tempore occurrat, legitime nihilominus prætermittetur, eo quòd non obstante illa sua maiori dignitate, nullum ad istud beneficium accipiendum ius habet. A V.

Secundus est, si qui dignior iudicatur, prudenter existimatur illud beneficium non acceptaturus, nisi vt paulo post alteri minus digno resignet: tunc enim licitè potest, vt videtur, iste dignior prætermitti, alteríque minus digno conferri, saltem si hic minus dignus sit eo digniori cui resignare vult: quoniam maius Ecclesiæ bonum, cuius habenda potissimùm ratio est, cuíque meliùs per hanc electionem consulitur, liberam facit potestatem conferendi digno beneficium, prætermisso digniore. B VI.

Tertius est, cùm electio ex multorum suffragiis pendet, & electorum vnus aduerteret paucos suffragari dignissimo, séque huic nihil profuturum dando suum ipsi suffragium: è contrario autem dando alteri digno, effecturum vt aliorum electio indigno suffragantium effectum non sortiretur: tunc enim non modò licite posset huic digno dare suffragium, omisso digniſsimo, sed etiam deberet, ad illud malum vitandum, quod alioquin Ecclesiæ ex illius indigni electione proueniret: quam etiam ob causam obligatio aliquando esse potest eligendi indignum, quando scilicet nullus dignus reperitur: aut si reperitur, non admittitur, & nisi indignus eligeretur, beneficium aut ad hæreticos, aut ad aliquem indigno illo qui eligitur indigniorem deueniret. C VII.

At iam obicies contra illam primam nostræ assertionis partem, ex ea esse consequens, nunquam licitum fore ei qui se non existimabit omnium competitorum digniſsimum, offerre se ad beneficium vacans, & ex iustitia distributiua conferendum, accipiendum: si enim non licet collatori conferre digno, digniore prætermisso, nec licebit illi alteri petere, quia petere id sibi dari, quod alter dare non potest nisi cum peccato, peccatum est. Respondeo negando hoc ex ea esse consequens: duobus enim saltem in casibus licet ei de quo in obiectione sermo est offerre se, & petere, quorum alteruter quia ordinarie locum habet, dicendum consequenter est, id ei ordinarie licitum esse. D VIII.

Primus est, cùm tibi clarum non est planeque certum, ob circunstantiam aliquam vel ad corpus, vel ad animam, vel ad res externas, vel ad quidpiam aliud, si quid aliud esse potest, spectantem, alterum, cui alioqui beneficium conferretur, esse te absolutè digniorem: tunc enim potes bona fide te, & quod est in te capacitatis ac sufficientiæ, offerre electori seu collatori, non quidem absolutè desiderando, & petendo vt tibi conferat, etiamsi alium te digniorem iudicet: hoc enim esset desiderare & procurare

peccatum alterius, quod non licet, sed omnia iudicio ipsius & prudentiæ permittendo, cùm eius, non tuum sit, singulorum dotes, capacitatémque perpendere: quem si postea certò scias, non iudicio, sed fauore te cæteris prætulisse, tibi non imputabitur, si vel tibi non petenti collatum fuerit beneficium, vel petenti quidem, sed bona fide, nec fauorem hunc postulanti, nec desideranti. I.

Secundus est, cùm beneficium non esset dandum digniſſimo, sed alteri qui vel te esset indignior, vel te non dignior: tunc enim non obstante maiore digniſſimi dignitate, licitè potes petere, cùm præsertim ex hypothesi quòd digniſſimus illud non esset habiturus, si sis cæteris competitoribus dignior, sis simpliciter & omnibus consideratis futurus Ecclesiæ omniũ vtiliſſimus, ac proinde omnium digniſſimus: quòd si non sis cæteris dignior, sed vnus ex iis, aut plures sunt æquè digni ac tu, potes nihilominus petere, tum quia non liceret alioquin vlli eorum petere qui æqualem dignitatem haberent: tum quia tunc licet electori aut collatori vni ex iis cui placuerit tribuere, cùm, suppoſita æquali omnium dignitate, non obligetur ad vni potiùs quàm alteri tribuendum. II.

SECTIO III.

Positæ assertionis secunda tertiaque pars probatur.

VENIO iam ad secundam assertionis partem, quam nobiscum defendunt Caiet. quæst. 63. art. 2. Palud. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. Petrus Nauarr. loco supracitato, Bannes & Aragonius ad art. 2. quæstionis 62. aliique multi recentiores: quam in primis probo authoritate S. Doctoris hac 62. quæst. art. 2. ad 4. docentis, cum qui consuleret alteri, ne beneficium daret ei cui dandum erat, obligatum iri ad restituendum aliquid ei, quem à consequendo beneficio impediuisset, & quidem ad restituendum æquale, seu æquiualens beneficio, si firmatum iam erat, vt loquitur, id est, firma electoris voluntate constitutum, quòd ei beneficium tribueretur: quia qui tunc impedit, perinde facit, ac si iam collatum & acceptum auferret: si verò firmatum nondum erat, non quidem ad æquale, sed tamen ad tantum, quanti spes, & probabilitas obtinendi beneficij, ritè perpensis omnibus secundùm iudicium prudentis æstimatur. Quòd si ex sententia S. Doctoris etiam consulens ad restituendum obligatur, multò magis obligabitur ipse vel electori, vel collator, non conferens ei beneficium cui conferre debebat. III.

IV. Probo secundò ex eo quòd ex violatione iuris & iustitiæ strictè sumptæ, per quam in bonis temporalibus damnum infertur ei cuius violatur ius, oritur obligatio restituendi, seu resarciendi damnum illatum: per iniustam autem beneficiorum collationem stricta iustitia, iúsque digniorum qui prætermittuntur, certò violatur, per eandémque tam certò damnum ipsis in bonis temporalibus infertur, quàm certum est, eum in iis bonis pati damnum, qui à consequendis huiusmodi bonis iniustè impeditur. D

Probo postremò à simili. Iniustus bonorum communium in ciues, aut spoliorum nostriu. in milites distributor ad restitutionem tenetur, ex communi Theologorum, etiam aduersariorum sententia. Ergo & iniustus beneficiorum collator: cùm vtraque bona communia sint, & ex distributiua iustitia distribuenda. Negant aduersarij consequentiam, dicúntque, inter bona communia in ciues militesve distribuenda, & inter Ecclesiastica beneficia, hoc esse discrimen, quòd in his conferendis non spectetur primariò bonum & commodum eorum quibus conferuntur, sed Ecclesiæ, cuius ministerio deputantur, eorundémque collatio primariò sit operariorum conductio, secundariò verò bonorum communium distributio, ipsáque beneficia sint primariò stipendia ministerij laborisque futuri, secundariò autem præmia dignitatis ac laborum præteritorum: è contrario autem in illis distribuendis spectetur primariò bonum & commodum ciuium militúmve quibus fit distributio, non autem exercitus, aut Reipublicæ, hæcque bona sint aliquando saltem præmia dignitatis ac præteriti laboris, vt dum spolia militibus pro cuiusque merito ac labore distribuuntur. A V. B VI.

Verùm quid refert, quòd bonum & commodum eorum quibus distributio facienda est, sit primariò à distribuente spectandum, vel secundariò tantùm, vel etiam nullo modo, dummodo sit ex stricta iustitia distribuendum iis id quod reipsa cedit in eorum bonum & commodum? Sanè ex allato discrimine concludi vt summum potest, quòd quando in bono communi ex distributiua iustitia distribuendo spectari debet primariò commodum eorum quibus distributio fit, si hæc iniustè fiat, oritur primariò ex hac iniustitia restituendi obligatio: at quando secundariò solùm spectari commodum illud debet, secundariò saltè hæc obligatio nascitur, sicut & secundariò saltem bonorum illorum iniusta distributio peccatum contra iustitiam distributiuam est, per quod & iniuria infertur, & damnum in bonis temporalibus. C VII.

Opponunt aduersarij primò, consequens ex nostra sententia futurum, vt beneficium digno collatum sit ei auferendum, vt digniori qui præteritus fuit conferatur: sed negatur hoc futurum consequens: non enim semper est facienda restitutio per eam ipsam rem in qua quis damnum passus est, sed tunc solùm, cùm res illa ei deuincta est per ius in re quod habet, ipsa re adhuc extante: vt constat exemplo venditoris, qui equi sui venditi pretium ab emptore iam accepit, quíque non tenetur equum hunc ei restituere, si priusquam illum ei traderet, alteri emptori vendiderit, & tradiderit, eo quòd primus ille emptor ius ad equum, non in equo, seu ad rem, non in re comparauerat, secundus verò emptor, respectu eiusdem equi venditi & traditi ius in re dominiúmque acquisiuit: dignior autem cui beneficium conferri debebat, respectu beneficij ius ad rem tantùm habebat, dignus autem cui valide collatum est, ius in re, & dominium comparauit. VIII.

Opponunt secundò, consequens etiam fore,

œconomum, qui à domino suo mandatum haberet conducendi dignissimos ad opus aliquod faciendum operarios, obligari ad resarcienda damna quæ hi dignissimi incurrerent, si iis omissis alios minùs dignos conduceret. Sed
I. respondeo negando item hoc fore consequens: dispar enim ratio est conductionis illius, & malæ communium bonorum distributionis: per hanc enim peccatur contra iustitiam distributiuam, violaturque ius eorum quibus beneficia non distribuuntur: per illam verò conductionem non peccatur contra iustitiam, nec operariorum qui non conducuntur ius aliquod ad iustitiam pertinens violatur, sed contra virtutem fidelitatis quam debet œconomus domino, quæ fidelitas est iustitiæ pars duntaxat potentialis.

Opponunt tertiò, sequuturũ quoque, Principes sæculares officia publica dignis conferentes, prætermissis dignioribus, obligari ad faciendam iis restitutionem qui prætermittuntur. Concedit Aragonius supracitatus hoc sequuturum, supponens hæc officia tam esse bo-
II. na communia, ex distributiua iustitia distribuenda, quàm sint Ecclesiastica beneficia: quę suppositio si vera esset, illud quoque consequẽs esset admittendum: at quoniam negari illa meritò potest, negatur quoque & illud consequens: illa autem negata, disparitatis ratio est, quòd sæcularis Princeps illorum officiorum absolutus dominus est, vnde & licite potest ea si voluerit vendere: quo fit, vt eadem distribuere dignis, sine digniorum prætermissorum iniuria, non minùs possit, quàm rem aliam suam: collator autem beneficiorum Ecclesiasticorum non sit eorum dominus, sed dispensator: neque hæc sint propria eius bona, sed communia, in eos qui ad ea ius habent ex iustitia distribuenda.

Opponunt postremò, sequuturum, dignum
III. qui electus est obligari ad faciendam digniori prætermisso restitutionem. Respondeo sequuturum, si ad iniustam electoris electionẽ scienter & liberè concurrerit, non sequuturum autem, si non concurrerit: licet autem supponatur concurrisse, & proinde ad aliquid restituendum obligatus esse, non tamen ad restituendum benencium quod accepit, cùm valide acceperit, eiúsque dominium comparauerit: sicut etsi secundus emptor, de quo paulò antè diximus, iniustè concurrerit ad sibi factam equi alteri iam antea venditi venditionem & traditionem, non propterea obligatur ad hunc ipsum equum primo emptori restituendum, ob rationem quam ibidem attulimus.

Et hæc de secunda parte assertionis: cui parti
IV. contrariam sententiam, propter maximam Doctorum à quibus defenditur multitudinem, authoritatémque, fateor esse probabilem, & in praxi tutam: quam haud dubie communiter omnes in praxi sequuntur, cùm certum sit sæpe peccari in beneficiorum collatione contra iustitiam, raro autem, aut nunquam restitutionem à conferentibus fieri dignioribus quos præterierunt. Cùm autem hæc sententia in praxi tuta sit, tuta per consequens est illa, quæ nullam a collatore faciendam restitutionem asserit digno prætermisso, quando beneficium indigno contulit: eadem enim prorsus ratio est vnius, quæ alterius: vnde & iidem authores qui illud primum, istud quoque secundum ob easdem causas sentiunt: nullam item faciendam ab eo cui beneficium collatum est, aut à quocunque alio, quem supponamus ad iniu-
A stam collatoris collationem concurrisse consi- V.
lio, intercessione, similibúsve modis: si enim ipse collator, qui damni illati ei qui prætermissus fuit magis præcipua causa est, ad nullam faciendam ei restitutionem obligatur, multò minùs ad aliquam eidem faciendam obligabitur, qui eiusdem damni minùs præcipua causa est.

Iam probo tertiam assertionis partem, communiter à Theologis defendi solitam, eo quòd ille de quo loquimur collator nullum Ecclesiæ, cui talem ministrum tribuit, damnum infert: nam si inferret, ideo inferret, quia sua electione & collatione faceret, vt Ecclesia rationabiliter inuita dato sibi ministro beneficij fructus pro stipendio tribueret: at hoc non facit. Cùm enim minister hic sit beneficio dignus, omni-
B búsque proinde beneficij fructibus, Ecclesia VI.
lubens volénsque hos omnes pro stipendio ipsi tribuit: quos si inuita tribueret, non rationabiliter inuita esset. Et sanè si rationabiliter inuita eos daret, dignus ille cui daret, non minùs ad eorum restitutionem ipsi faciendam, quàm ipse beneficij collator obligaretur: nullus autem dixerit ad id illum obligari, cùm toto illo stipendio dignus sit eo ipso quo beneficio dignus est.

Quod & hinc confirmatur, quòd nimirum si dignissimus electus fuisset, & is de industria sua ac labore aliquid remitteret, ita vt non perfectiùs officio suo fungeretur, quàm dignus ille de quo agimus, non esset tamen obligandus ille dignissimus ad aliquam Ecclesiæ faciendam
C restitutionem, quia licet aliquid sic remitteret, VII.
adhuc tamen beneficio dignus esset: ergo nec obligabitur alius ille dignus, cùm non obstante minori sua dignitatẽ, qua dignissimo minùs dignus est, dignus tamen beneficio sit.

At obiicies, si seruo suo dominus imperasset, vt certam mercedem amplissimam daret operariis, sed dignissimis, hic autem eam daret non his, sed vulgaribus operariis, obligaretur excessum mercedis illius restituere domino: ergo cùm Ecclesia certa quædam beneficia tanquam amplissima stipendia suis assignet ministris, eaque velit conferri dignissimis, is qui dignis quidem, sed communibus ministris contulerit, obligabitur ad aliquam ei restitutionem faciendam. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam: seruus enim ille tam
D copiosam mercedem tribuens vulgaribus ope- VIII.
rariis, facit iniuriam domino, eique iniustè damnum infert, dans operariis plus mercedis quam opere suo mereantur, nolente domino dari tam amplam mercedem, nisi iis qui eam opere suo promeruerint: at collator ille nullam facit iniuriam Ecclesiæ, nullumque iniustè ei damnum infert conferens beneficia dignis, licet non dignissimis, cùm ij quibus confert, toto illo stipendio, quod ab Ecclesia recipiunt, digni sint.

SECTIO IV.

Ex doctrina tradita conſectarium vnum concluditur, & probatur.

I. EX dictis concluditur, hunc iniuſtum collatorem hac collatione non peccare, niſi contra iuſtitiam diſtributiuam: ſi enim contra virtutem ſimul aliam peccat, maximè contra commutatiuam, & contra religionem, vt prima noſtra aſſertione de eo qui indigno confert, diximus: at contra commutatiuam non peccat: ſi enim contra hanc peccaret, ſanè ratione Eccleſiæ cui dignum miniſtrum tribuit prætermiſſo digniore quem tribuere debebat: at ratione ipſius contra eam non peccat, cùm nullam ipſi faciat iniuriam, nullúmque damnum iniuſtè inferat, vt probantes tertiam aſſertionis noſtræ partem oſtendimus. Contra religionem verò nec peccare videtur, ſaltem ex natura rei, ſeu ex præcepto aliquo naturali ad religionis virtutem pertinente contra quod agat, ſed ex

II. ſolo poſitiuo dignioris electionem præcipiente, cuiuſmodi extare præceptum ſaltem Eccleſiaſticum, nulli dubium eſt: quamquam ex hoc præcepto ſatis concludi non poteſt, ipſum peccare contra prædictam religionis virtutem: quia facilè dici poteſt hoc præceptum ex eo ſolo capite ad id obligare, ex quo ad idem faciendum ob ius dignioris lege naturali obligatio eſt, quæ obligatio cum ſit ſolius iuſtitiæ diſtributiuæ, peccatum quod contra hoc naturale, & illud poſitiuum præceptum committetur, huic ſoli iuſtitiæ erit oppoſitum.

III. Quòd autem nullam ex rei natura, ſeu naturali lege collator habeat obligationem ad virtutem religionis ſpectantem conferendi digniſſimis, probo primùm eo quod videtur toti quam habet ex hac virtute obligationi naturali ſatisfacere, conferendo ei qui dignus eſt, ſeu aptus ad debitum Deo cultum aptè congruentérque exhibendum. Sicut enim ex hypotheſi, quòd quis orare Deum velit, obligatur quidem naturali præcepto religionis ad orandum attentè, & eo quo decet modo, non tamen ea omni qua poſſet perfectione: ita & beneficiorum collatorem obligat quidem naturale religionis præceptum conferre digno, ſeu ei qui officio ſit bene functurus, cultúmque proinde Deo debitum ritè perſoluturus, at non obligat digniſſimo, ſeu ei qui ſit functurus & perſoluturus optimè & perfectiſſimè.

IV. Secundò, quia pari iure dici deberet, eum qui beneficium ſuum reſignat alteri, obligatum eſſe eodem naturali præcepto religionis reſignare digniſſimo: nam quòd beneficium vacans à collatore conferendum ſit commune aliquod bonum, quod autem reſignatur ſit proprium reſignantis, facit quidem vt hic reſignando cui volet, non peccet contra diſtributiuam iuſtitiam, ille verò contra hanc peccet, ſi alteri quàm digniſſimo conferat: at impedire non poteſt, quo minus hic reſignator contra religionem ex natura rei peccet, ſi collator ille contra eam ſic peccat: ſi enim cultus Deo exhibendus hunc collatorem obligat ad conferendum ei qui ſit omnium optime cultum hunc ipſi Deo exhibiturus, obligabit pariter & illum reſignantem ad reſignandum beneficium huiuſmodi homini, cùm ad hunc Dei cultum merè per accidens & impertinenter ſe habeat, quòd beneficium ſit, aut aliquod commune bonum, aut alicuius proprium.

V. Probo poſtremò, quia conſequens etiam eſſet, digniſſimum qui electus eſſet, obligari ex natura rei, ſeu præcepto naturali ad religionem pertinente, officium ad quod electus eſt obire perfectiſſimè, ipſúmque proinde contra virtutem hanc ex natura rei peccaturum, ſi aliquantum ſibi parceret, aut ita ſaltem, vt nihilo meliùs illud obiret, quàm obiiſſet alius minùs eo dignus, qui tamen abſolutè dignus eſſet: quod falſum eſſe certum omnibus eſt, eſſet nihilominus conſequens, quia ſi electorcollatórque obligatur ex religione, naturalíque præcepto virtutis huius, eligere ſemper digniſſimum, eíque beneficium conferre, certe ideo vt cultus Deo tribuendus optimè perfectiſſiméque tribui poſſit, & reipſa tribuatur: quòd ſi cultus hic illum ad

VI. hanc digniſſimi electionem obligat, idem profectò cultus digniſſimum electum obligabit ad implendum officium ſuum optime ac perfectiſſimè, itavt ſit contra religionem peccaturus, ſi ſibi parcat, ſaltem tantum, vt eo melius non fungatur, quàm functus eſſet alius qui ſimpliciter dignus extitiſſet.

VII. Aduerte autem, quòd etſi certum eſſet, ex præcepto poſitiuo ad præfatam ſæpius virtutem pertinente, incumbere obligationem electori, collatoríque, ſemper eligere digniorem, eíque conferre beneficium, ipſúmque proinde contra hanc peccare, dum prætermiſſo digniore digno confert, non eſſet tamen conſequens, digniſſimum contra eandem virtutem peccaturum, ſi ſibi parcens ea tantùm perfectione ſuum munus obiret, qua obiiſſet alius, qui ſolummodo dignus fuiſſet: præcepta enim poſitiua cùm ex ſola libera præcipientium voluntate obligent, obligant eos ſolos quos hi obligare præceptis ſuis voluerunt: at ſi vel Deus vel Eccleſia præcepto ſuo poſitiuo obligare electorem collatorémque ad id quod dixi voluiſſet, non propterea tamen ad idem obligare digniſſimum qui electus eſt, intendiſſet.

SECTIO V.

An Beneficiarij ſuo etiam officio rite fungentes teneantur aliquando ad aliquam bonorum ſuorum partem reſtituendam?

VIII. NOTANDVM primò, quemlibet beneficiarium triplicis generis bona habere poſſe. Patrimonialia ſcilicet, cuiuſmodi ſunt ea quæ hæreditate, vel donatione, vel induſtria, ſimilibuſque aliis quibus Laici ſolent modis comparata poſſidet. Deinde quaſi patrimonialia, qualia ſunt ea quæ ſibi comparat propriis Clericorū beneficio etiam carentium miniſteriis, vt celebratione Miſſarum, concionibus habendis, confeſſionibus audiendis, & id genus liis: poſtremò merè Eccleſiaſtica, cuiuſmodi

sunt prouentus quos ex beneficio suo percipit.

Notandum secundò, prouentus istos in duas partes diuidi posse, in eam scilicet quæ necessaria est ad congruam ipsius beneficiarij sustentationem: & in eam quæ isti sustentationi redundat: sub hac autem sustentatione congrua comprehendi non modò victum, vestitum, habitationem, suppellectilem, famulorum numerum moderatum, seu dignitati beneficiarij & gradui quem in Ecclesia obtinet conuenientem ac proportionatum, sed etiam moderatam corporis ludendo oblectationem, moderata cum amicis conuiuia, moderatas donationes tam gratuitas, quàm remuneratorias, & similia, quæ moderatè quilibet beneficiarius pro suo gradu facere potest. I.

Notandùm tertiò, eandem congruam sustentationem non in indiuisibili consistere, sed habere latitudinem, sicut & iustum rerum pretium, quod sicut est aut infimum, aut medium, aut summum, ita est aliquis sumptus infimus, alius medius, alius summus qui ad eam necessarius est: & quemadmodum quo res aliqua pretiosior est, eo, per se loquendo, maior est inter infimum, medium, supremúmque pretium distantia, quod pro ea re iustè exigi potest: ita quo beneficium aliquod alio honorabilius est, & quo proinde plus ad congruam huius beneficiarij, quàm alterius sustentationem necessarium est, eò maior est distantia inter infimum, medium supremúmque sumptum, quem ad sui congruam sustentationem ille facere licitè & honestè potest. Exempli causa, si sumptus infimus quem ad se congruè suæque dignitati conuenienter sustendandum Canonicus certæ alicuius Ecclesiæ facere debet, sit ducentorum aureorum: medius, ducentorum & quinquaginta: supremus, trecentorum: non propterea tamen sumptus aut medius aut summus quem Episcopus aliquis ad prædictum suæ congruæ sustentationis finem facere poterit, excedet tantum quinquaginta aut centum aureis infimum sumptum quem facere debebit, sed multò pluribus poterit excedere: nam si pro infimo sumptu octo, verbi gratia, aureorum millia debeat impendere, pro medio fortè nouem, pro summo decem millia impendere fortè poterit. II.

Notandum postremò, per partem illam quam congruæ sustentationi redundantem appellauimus, intelligi eam quæ redundat illi sustentationi congruæ, pro qua supremus quilicitè fieri potest sumptus necessarius est: de qua potissimùm parte controuersia est inter Theologos, an beneficiarij, si eam in alios vsus quàm vel in pauperes, vel in alia pietatis opera expenderint, ad eius restitutionem obligentur. III.

Dicendum autem primò, eos ad nullam bonorum patrimonialium partem restituendam obligari, quoscunque in vsus ea expenderint. Ratio est, quòd huiusmodi bonorum tam sunt absoluti domini, quàm Laici suorum: neque enim per Clericatum, vel Beneficium fiunt incapaces dominij bonorum istorum, aut se eorum dominio priuant, liberáque potestate de iis ad arbitrium disponendi, aut se obligant ad ea in pauperes, aliósve pios vsus expendenda, aliis in casibus, quàm in iis in quibus ad patrimonialia sua bona eosdem in vsus impendenda ipsi laici obligati sunt. Idem ob eandem causam de bonis quasi patrimonialibus sentiendum est: vnde & quasi patrimonialia appellantur, quòd eorum, quoad dominium, liberamque de iis disponendi facultatem, quæ patrimonialium ratio est; sicut & bona quasi Castrensia quæ vocantur, sic vocantur, quòd etsi Castrensia non sint, vtpote militiæ titulo non comparata, eorum tamen eadem est quæ Castrensium ratio, quantum ad dominium in ipsa, liberamque de iis disponendi potestatem. A V.

Dicendum secundò, eos quoque non teneri ad restituendam particulam vllam partis illius ex redditibus sui beneficij, quam totam expendere in suam congruam sustentationem possunt licitè, etiamsi supponantur eam totam in eam rem non expendisse. Ratio eadem quoque est, quòd nimirum totius illius partis tam sint domini, quàm bonorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium: cùm enim tota illa pars sit iusta merces ipsorum, quia iustum est vt qui Ecclesiæ seruit, de Ecclesia viuat, ab eaque proinde congruam sustentationem accipiat, existimandum est, Ecclesiam iis partem hanc conferentem, conferre perinde, atque conferri solet merces operariis, in agro vel vinea laborantibus, quæ sic haud dubiè confertur, vt hi sint absoluti eius domini, nec ad vllam eiusdem partem restituendam obligentur, quoscunque demum in vsus eam expenderint. B VI.

Et sanè cùm totam illam partem in suam sustentationem consumere licitè possint, fatendù est, eos absolutè nullam habere peculiarem obligationem, aliquam huiusce partis particulam vel erogandi in pauperes, vel in alia pietatis opera expendendi: alioqui contra hypothesim licitè non possent eam totam in illam suam sustentationem impendere: quòd si ita est, cur ex hypothesi quòd parciùs viuere voluerint, partémque proinde partis illius aliquam in sui sustentationem non consumpserint, sed reseruarint, obligabuntur ad eam in pauperes, aut alios pios in vius expendendam, aut si in profanos iam expenderint, ad restituendam? profectò sicut ob absolutum illud dominium quod in eam totam habent, potuerunt ad arbitrium eam totam in suam sustentationem profundere: ita ob illud ipsum possunt de parte illa, quam viuendo parciùs in eam non profuderint, disponere ad arbitrium, similem in vsum ei in quem de ipsa disposuissent, si viuendo lautiùs eam sui in sustentationem consumpsissent. C VII.

Nec opponas authoritatem Conciliorum, Patrúmque vetantium ne beneficiarij de redditibus suorum beneficiorum consanguineos suos ditent, quos tamen licitè de parte illa quam parciore victu reseruarunt ditare possent, si dominium in eam perinde haberent, atque in bona sua patrimonialia, de quibus eos procul dubio ditare, sicut & quemlibet alium possunt. Loquuntur enim Concilia & Patres de redditibus illis beneficij, qui supradictæ congruæ sustentationi redundant, ad quos expendendos in pauperes, vel alios pios in vsus, obligationem esse, paulò pòst docebimus. D VIII.

Hinc concluditur, quòd si beneficiarius partem suorum bonorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium, in victum, vestitum, vel in aliam suæ congruæ sustentationis partem expenderit, aut si in pauperes erogarit, aliósve pios in vsus conuerterit, tantundem
I. poterit ex beneficij redditibus, eáque eorum A parte quam redundantem appellamus sumere, recondere, & quos volet in vsus expendere, non secus atque id licitè potest de patrimonialibus. Cùm enim ius habeat sumendi totam sustentationem suam congruam ex beneficij redditibus; non obligatur ex aliis suis bonis sumere: vnde si eorum partem in se sustentando consumpserit, licitè poterit in compensationem tantundem de redditibus sui beneficij, quos in se sustentando licitè consumere potuisset, accipere, de eoque ad arbitrium disponere.

Atque cùm etiam bona sua patrimonialia, vel quasi patrimonialia non obligetur in pauperes vel alios pios vsus expendere, sed quo
II. tempore obligatur ex præcepto ad hæc opera B facienda, licitè possit ex parte beneficij sui redundante accipere, quod ad hæc exercenda necessarium ex præcepto est: sequitur, ipsum quoque, si partem suorum bonorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium, in exercendis iis operibus impenderit, vti licitè posse compensatione, tantundémque de parte illa redundante sumere: de quo perinde etiam disponet quos volet ad vsus, licet profanos, atque de bonis illis aliis licitè potuisset. Atque cùm de duabus his assertionibus non sit inter Theologos controuersia, de sequente grauissima est.

SECTIO VI.

Tertia assertio ponitur & probatur.

III. DICENDVM tertiò, Beneficiarios ad nullam restitutionem obligari, etiamsi redundantem suæ congruæ sustentationi partem, nec in pauperes, nec in alios pios vsus, sed in profanos, ac etiam inutiles expenderint: obligari tamen ipsos ex præcepto misericordiæ, & quidem sub mortali peccato, ad ipsam erogandam in pauperes, nisi pios alios in vsus expendere maluerint. Vtramque assertionis partem tuentur nobiscum recentiores communi consensu Theologi, & ex antiquioribus Adri. de restitut. quæstione quæ incipit, Pro clariori intelligentia. Sylvest. verbo Clericus 4. quæst. 20. & verbo Restitutio. 3. quæstione 5. Driedo libro secundo de libertate Christiana cap. 4. Sotus lib. 10. de Iustitia,
IV. quæst. 4. artic. 3. & alij quos citat & sequitur Lessius libro secundo, cap. 4. dubit. 6. contra Nauarr. in Apologia, monito 24. & 27. Alensem tertia parte, quæstione 36. numero quinto, articulo 2. Richardum, Maiorem, Gabrielem, aliósque multos ab eodem Lessio ibidem citatos, quorum est hęc doctrina, beneficiarios obligari ex iustitia ad prædictam partem redundantem expendendam vel in pauperes, vel in alia opera pia, & per consequens, si in alios vsus expenderint, teneri ex eadem iustitia, ad tantundem de suis aliis bonis vel pauperibus restituendum, vel in alios pios vsus expendendum.

Iam probo priorem assertionis nostræ partem authoritate sancti Doctoris infrà quæstionis 185. articulo septimo, cuius vt verba V. paulò pòst referenda facilius intelligantur, præmoneo in primis, postquam Christiani, nominatímque Clerici in commune viuere, nihilque proprium possidere desierunt, redditus Ecclesiarum quatuor in partes diuidi cœptos, quarum prima Episcopo tribuebatur, secunda inter clericos diuidebatur, tertia fabricæ Ecclesiæ deputabatur, quarta in pauperes erogabatur. Moneo deinde partis in vsus Episcopi designatæ, & illius quæ cuique Clerico in proprium vsum datur, eandem haud dubie rationem esse, quoad dominium in eam, obligationémque expendendi, & restituendi, aut ab hac obligatione immunitatem: partem autem quæ eorum vnicuique beneficium habenti iam datur, esse ipsum beneficij prouentum.

Iam verba sancti Doctoris hæc sunt. *Siergo distincta sint bona quæ debent in vsum Episcopi cedere, ab iis quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de iis quæ sunt pauperibus eroganda, vel in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda, non est dubium, quin mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur: de iis autem quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis, vt scilicet propter immoderatum affectum, & vsum, peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subueniat, sicut requirit debitum charitatis.* Quibus ipsius verbis hæc deesse videntur, *Non tamen ad restitutionem teneatur.* vt post Sotum rectè notat Lessius citata dubitatione, & bene probat, tum
VII. C ex eo quòd hanc verborum istorum additionem postulat particula *quidem* ante posita, ne maneat alioquin oratio imperfecta: tum quòd idem requirat oppositio quam facit inter partem vsui Episcopi specialiter assignatam, & inter eas quæ aliis deputantur: quam oppositionē particula *autem* aduersatiua ibi indicat.

Adde quod etsi verba illa non addantur, satis tamen ex illis antecedentibus colliguntur, quibus dicitur illius ipsius partis specialiter assignatæ Episcopo eandem esse rationem, quæ est bonorum propriorum, seu patrimonialium: quæ eadem ratio intelligenda saltem est quantum ad dominium, immunitatémque ab obligatione restituendi, quoscunque in vsus partem illam, sicut & hæc bona consumpserit. Iam verò cùm partis in Episcopi vsum assignatæ, & illius quæ cuique Clerico in proprium VIII. D vsum datur, eadem procul dubio ratio sit: pars autem quæ eorum vnicuique beneficium habenti datur, sit ipse beneficij prouentus, sequitur ex doctrina S. Doctoris, quemlibet beneficiarium de toto beneficij sui prouentu, atque adeo de parte congruæ suæ sustentationi redundante, disponere posse eodem modo quo de propriis bonis, seu patrimonialibus ac proinde sic, vt etsi peccare mortaliter possit per immoderatum affectum, & vsum,

non subueniendo proximi necessitatibus, sicut exigit debitum charitatis, non tamen ad restitutionem obligetur.

Probo secundò eandem primam nostræ assertionis partem hac ratiocinatione. Si Beneficiarij sint illius partis redundantis domini, nec ad eam in pauperes erogandam, aut alios pios I. in vsus expendendam ex iustitia obligatur, non sunt ad eam restituendam obligandi, etiamsi aliter ipsam expenderint: atqui verum est prius: igitur & posterius. Maioris consequentia bona est, tum ex mente aduersariorum, qui propterea volunt eos ad prædictæ partis restitutionem obligari, quòd existiment ipsos partis istius nò esse dominos, sed tantummodo dispensatores: aut saltem non sic esse dominos, quin hoc onus habeant dominio adiunctum, obligationem videlicet ex iustitia partem illam in pauperes, aut in alios pios vsus insumendi: tum ex rei veritate, quia nulla alia afferri ratio potest, ob quam ad restitutionem præfatæ partis obligentur. Minorem probo: & quidem quòd dominium partis, de qua loquimur, habeant, oftendo II. ex eo quòd sunt domini redditui omnium quos ex beneficio percipiunt, vt in primis satis aperte colligitur ex iure Canonico, nominatimque ex cap. vnico de clericis non residentibus, in Sexto, vbi sic dicitur. *Qui diuinis officiis non interfunt, nisi infirmitas, seu rationabilis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusset, non sunt domini quotidianarum distributionum, neque faciunt eas suas, sed ad restitutionem sic perceptorum obligantur.* Supponitur ergo eos qui interfunt, quique suo funguntur officio, propter quod beneficium acceperunt, fieri distributionum illarum, aliorúmque omnium similiter beneficij fructuum dominos.

Deinde ex tribus Concilij Tridentini locis, nempe ex sess. 22. cap. 3. de reformat. ex sess. 23. cap. 1. de reformat. & ex sess. 24. cap. 12. item de III. reformat. Primo enim illo in loco statuitur, vt ij de quibus ibi agitur, *qui die aliquo personaliter seruitium competens non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ, vel alteri pio loco applicetur.* In secundo verò constituitur, vt Episcopi qui vltra tres menses, nisi vrgente necessitate, absunt ab Ecclesiis suis, *fructus non faciant suos pro rata temporis absentiæ, sed teneantur fabricæ vel pauperibus loci erogare.* In tertio denique decernitur, vt quidã beneficiarij fidei professionem certo tempore à die possessionis beneficij emittant, *alioqui non faciant fructus suos, nec illis possessio suffragetur.* Quibus omnibus locis satis significat Concilium, Beneficiarios officium suum ritè implentes, fieri dominos omnium reddituum, quos ex beneficiis suis colli- IV. gunt.

Quòd autem prædictæ partis habeant absolutum dominium, nec proinde cum præfato onere coniunctum: Probo hinc primò, quòd dum officio suo rite funguntur, dicuntur absolutè & sine addito fieri domini omnium illorum reddituum, ac proinde partis redundantis: qui autem fit absolutè, & sine addito alicuius rei dominus, eo ipso intelligitur nulla lege iustitiæ obligatus ad eam in pauperes, vel alios pios vsus expendendam, nisi forte sibi ipse sua libera voluntate obligationem hanc superinducere voluerit.

Probo deinde ex eo quod cùm hoc onus sit grauissimum, non est beneficiariis imponendum, nisi constet rem ad quam restituendam obligari dicuntur, esse aut alienam, aut pauperibus, aliisve piis vsibus ex iustitia debitam: V. atqui neutrum vel ratione, vel authoritate constat: non quidem primum, cùm probatum sit eos illius rei habere dominium: neque etiam secundum. Nam quod attinet ad authoritatem, quod in primis afferri potest ex Clem. lib. 7. Constit. cap. 29. & 30. similibusque aliis ex capitibus, nihil aliud euincit, quàm beneficiarios obligari præcepto misericordiæ ad partem fructuum beneficij congruæ sustentationi redundantem erogandam in pauperes, nisi pios alios in vsus conuertere maluerint. Quod deinde ex Canonibus & Patribus passim asserentibus Ecclesiasticos beneficiarios non esse bonorum Ecclesiæ dominos, sed dispensatores, & hæc bona esse patrimoniũ Christi, res Dei, bona pauperum, nihil contra nos efficit. VI. Dicuntur enim Christi patrimonium, Deique res, quia propter Christum & Deum, ad ipsius cultum Ecclesiis donata sunt: dicuntur quoque bona pauperum, tum quia bona omnia superflua etiam laicorum dicuntur ab iisdem aliquando pauperum bona, vtpote pauperibus eroganda, etiam ex præcepto saltem nonnunquam: tum quia Ecclesiastici ad redundantem fructuum beneficij partem, vel pauperibus dandam, vel in alios pios vsus conuertendam obligantur ex peculiari præcepto, vt paulò pòst probabimus.

Dum autem iidem Ecclesiastici bonorum Ecclesiæ suæ non domini, sed dispensatores dicuntur, intelligendum hoc est vel de immobilibus Ecclesiæ bonis, vel de sacra supellectile ad eam pertinente: quarum rerum nullus in particulari dominium habet, sed ipsa VII. Ecclesiasticorum communitas: vel tanquam per exaggerationem dictum accipiendum est: quo modo frequenter loquuntur haud dubiè Patres, vt cùm distinct. 42. cap. *Ordinamus.* & 12. quæst. 2. cap. *Gloria*, & alibi passim, Ecclesiasticos non largientes pauperibus quod ipsis supereft, vocant raptores, pauperum interfectores, aut similibus appellationibus: quo etiam modo sæpe inuehuntur in quoscunque, qui omittunt id ad quod ex misericordiæ præcepto obligantur.

Adde quòd totum id quod secundo loco ex authoritate Patrum & Canonum allatum est, sic explicari potest, vt dicatur referendum ad illud tempus, quo clerici in commune viue- VIII. bant, nihil proprium possidentes, & quo proinde nondum erant erecta diuisim beneficia: tunc enim temporis bona Ecclesiæ erant bona pauperum, quia erant bona clericorum, qui tunc pauperes erant, cùm nihil proprium possiderent, sed more religiosorum in commune viuerent: ex quibus quoniam aliqui erant communium bonorum administratores, vt nunc in familiis religiosis esse videmus, propterea meritò dicebantur ipsi non eorum domini, sed dispensatores.

Quod denique dici potest iure Canonico

prohiberi Eccleſiaſticos à condendo de bonis Eccleſiaſticis teſtamento, nihilo maiorem contra nos vim habet: tum quia hinc tantùm ſequitur, vſum abſoluti etiam dominij, quod in prouentus omnes ſuorum beneficiorum habent Eccleſiaſtici, quoad hunc actum condendi de iis teſtamenti impediri per legem po- A
I. ſitiuam Eccleſiaſticam: quod meritò fit, vt nimirum præcludatur aditus immoderatæ accumulandi cupiditati, ſintque ipſi dum viuunt liberaliores in pauperes, aut in alios vſus pietatis, ex iis bonis, de quibus morituri diſponere pro voluntate non poterunt: tum quia iure illo non abſolutè prohibentur, ſaltem vbique, teſtamentum de prædictis bonis condere, ſed ad certos quoſdam vſus: vnde poſſunt plurimis ſaltem in locis de iis bonis teſtari ad pias cauſas: ad honeſtè remunerandum officium aliquod amicorum, aut famulorum obſequium, ſimiléſque alias honeſtas ad cauſas. Imò nonobſtantibus canonicis illis decretis, de iis ipſis bonis teſtari poſſunt, prout placuerit, vbi hæc conſuetudo viget, B
II. vt ait Anton. 3. part. tit. 10. cap. 3. §. vltimo, Sylueſt. verbo *clericus*. 4. & Couarr. in cap. *cùm in officiis*. num. 9.

Iam verò quod ſpectat ad rationem, nihil noſtræ doctrinæ officit quod dici primùm poteſt, fideles non aliter tranſtuliſſe bonorum ſuorum dominium in Eccleſiam, quàm vt Eccleſiaſtici lege iuſtitiæ tenerentur, ſuæ ipſorum congruæ ſuſtentationi redundans erogare in pauperes, alióſve pios in vſus expendere: probari enim hoc ab aduerſarijs non poteſt, támque facilè à nobis negatur, quàm ab illis aſſeritur. Neque item eidem officit, quod dici ſecundo loco poteſt, quartam illam partem pauperibus olim aſſignatam, cuius antea meminimus, & tunc temporis ex
III. iuſtitia in eos diſtribuendam, eſſe nunc cum C
redditibus ſingulorum Eccleſiaſticorum permixtam, cùm nuſquam compareat, obligarique proinde nunc ſingulos ex iuſtitia, ad partem aliquam ſuorum reddituum dandam pauperibus, & eam ſaltem, quæ ipſorum congruæ ſuſtentationi redundat. Reſponderi enim in primis poteſt, quòd nuſquam compareat, non propterea eſſe permixtam, cùm fieri poſſit, vt ad Principes pro Eccleſia pugnantes deuenerit, quibus multa olim collata fuiſſe conſtat à ſummis Pontificibus ex Eccleſiæ redditibus ſubſidia.

Secundò, etſi permixta eſſe concedatur, non eſt tamen conſequens, vt ad aliquam ſinguli ſuorum reddituum partem pauperibus largiendam ex iuſtitia teneantur: tum quia pari iure', ſi tertia pars quæ olim fabri-
IV. cæ deputabatur, nuſquam aliqua in Eccleſia D
compareat, obligabuntur ex iuſtitia illius Eccleſiæ miniſtri partem etiam aliquam reddituum ſuorum in eius fabricam conferre, quia pars illa tertia, quæ tunc temporis non minùs ex iuſtitia ad hoc erat conferenda, quàm quarta pars in pauperes, permixta cum eorum redditibus eſſe dicetur: tum quia iidem ex iuſtitia quoque obligabuntur ad aliquam ſuorum reddituum partem, etſi nullam habeant redundantem, vel in Eccleſiæ fabricam, vel in pauperes erogandam: nam pars olim fabricæ, vel pauperibus aſſignata, ſi cum eorum permixta redditibus eſt, perinde eſt, ſiue nihil ex iis eorundem congruæ ſuſtentationi redunder, ſiue aliquid.

Denique quia quo tempore bona Eccleſiæ quatuor in partes erant diuiſa, ideo quarta pars erat danda pauperibus, & quidem ex iuſtitia, itavt contra hanc peccaſſet ille clericus qui eam ſibi vſurpaſſet, & ad eius proinde reſtitutionem fuiſſet obligatus, quoniam nihil iuris & dominij tunc temporis in eam obtinebat: nunc verò cùm ſinguli beneficiarij domini ſint, vt antea probauimus, omnium reddituum beneficiorum ſuorum, & per conſequens partis illius quartæ, ſi cum iis eorum redditibus permixta eſt, non mirum, ſi nunc nullam habeant obligationem ex iuſtitia vllam ex iis partem etiam redundantem vel in pauperes, vel in alios pios vſus expendendi. V.

Supereſt vt probetur pars aſſertionis noſtræ poſterior: probatur autem ex eo quòd
VI. omnium & Theologorum, & Canoniſtarum ſententia eſt, eos de quibus agimus Eccleſiaſticos peccare mortaliter, ſi notabilem quantitatem eorum quæ ipſis poſt acceptam congruam ſuſtentationem ſuperſunt, impendant in alios vſus, quàm pios. Ergo obligantur ſub mortali peccato ad partem huic congruæ ſuſtentationi redundantem, tum ſaltem cùm notabilis quantitatis eſt, in pauperes conferendam, niſi pios alios in vſus conferre malint: atqui non obligantur ad id ex iuſtitia, vt ante probauimus, ergo ex miſericordia: quin enim ex hac virtute ad hoc obligentur, ſi non ex illa, nulli dubium eſt: quæ quidem obligatio non ex præcepto aliquo legis naturalis oritur, ſed ex poſitiuo Eccleſiaſtico, quod extare præceptum, præ-
VII. terquam, quòd vt dixi, communis eſt omnium opinio, clarum præterea eſt ex his Tridentini verbis (ſeſſ. 25 cap. 1. de Reformat. *Omnino inculcare* (nempe Epiſcopis) *S. Synodus, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiaréſve ſuos augere ſtudeant, cùm & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiæ, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſunt, eis vt pauperibus diſtribuant.* & infrà. *Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolùm in quibuſcunque Eccleſiaſtica beneficia obtinentibus pro gradu ſuæ condutionis obſeruari, ſed etiam ad S. R. Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit.*

Aduerte autem hoc loco, non eam cenſeri notabilem quantitatem, & ad mortale peccatum contra præceptum hoc ſufficientem, quę in materia furti ad mortale ſufficeret, ſed longè
VIII. maiorem requiri, tantóque maiorem, quanto beneficiarius ad congruam ſuſtentationē ſuam pluribus indiget: quo fit, vt exempli gratia, quæ quantitas in Canonico ſatis eſſet aliquando ad mortalem culpam contra prædictum præceptum, in Epiſcopo minimè ſufficeret.

At oppones S. Doctorem verbis ex ipſo ſuprà relatis videri nobis aduerſari, iis ſcilicet, quibus ait, eorum reddituum qui ſunt ſpecialiter vſui beneficiarij deputati, eandem eſſe rationem quæ propriorum bonorum eſt. Hinc

enim aperte concluditur, quòd ſicut hi ex his propriis ſeu patrimonialibus bonis non obligantur vllo peculiari præcepto vel eleemoſynas facere, vel alia pietatis opera exercere, quo non ad idem laici ex ſuis obligentur, ita nec ſpeciali præcepto poſitiuo obligabũtur ad redditum ſuorum partem redundantem, vel in pauperes, vel alios pios in vſus conferendam. Sed reſpondeo ipſum nolle, eandem eſſe quoad omnia rationem, ſed quoad dominium, immunitatemque ab obligatione reſtituendi, quocunque tandem modo de iis diſpoſuerint, vt ex antecedentibus in eiuſdem articuli corpore verbis ſatis colligitur.

I. A

DISPVTATIO XXVI.

De reſtitutione facienda pro bonis corporis, vt cùm quis alteri contra iuſtitiam membrum amputauit, aut vitam eripuit.

II. B

SECTIO PRIMA.

Vtrùm ſit aliquid pro ipſa præcise erepta vita, aut amputato membro reſtituendum?

DE duobus hac in materia grauis eſt inter Theologos controuerſia, quorum vnum hac prima ſectione, alterum vltima pertractabimus: quibus præmitto quod apud omnes certum eſt, nempe iniuſtum mutilatorem, aut occiſorem obligari ad damna omnia ex nece interfecti, vel ex amputatione membri ſequuta reſarcienda, compenſatione pecuniæ, vel alterius rei æquiualentis: quare ſi quæ in curatione vulneris inflicti mutilato vel occiſo homini expenſæ factæ ſunt, eæ ſunt integrè ab iniuſto mutilatore vel occiſore reſtituendæ, vel ipſi mutilato, vel occiſi hæredibus: ſimiliterque ſi hic aut ille impeditus eſt ne ſibi ſuiſque lucraretur, & acquireret ea quæ alioquin acquiſiuiſſet, id totum ab eodem compenſandum eſt.

III. C

Quòd ſi quæras, an etiam ad faciendas honeſti funeris expenſas idem obligetur? Reſpondeo cum Petro Nauarr. lib. 4. de reſtit. cap. 1. num. 73. & Leſſio lib. 2. cap. 9. dubit. 24. non obligari, quod eſt contra Nauarr. in Manuali cap. 15. num. 22. Ratio autem eſt, quòd iniuſtus occiſor harum expenſarum moralis cauſa cenſeri non debet, ſed tantùm accelerationis earum, cùm hæ faciendæ perinde poſtea eſſent, poſtquam ſcilicet naturali morte obiiſſet: ſi tamen ob mortis accelerationem, ſumptus in funere faciendi fuiſſent maiores iis qui futuri erat eo naturali morte obeunte, teneretur iniuſtus occiſor ad exceſſum illum ſumptuum compenſandum, vtpote cuius vera cauſa moralis per iniuſtam ſuam actionem extitiſſet: quod & docent citatis locis Petrus Nauarrus, & Leſſius.

IV. D

Quod ſi præterea quæras, an de quantitate lucri ceſſantis, quod compenſandum paulò antè diximus, ſit aliquid detrahendum, eo precisè nomine, quo mutilatus aut occiſus cuius lucrum impeditur, non eſt in eo lucro faciendo laboraturus, cùm alioqui fuiſſet? Reſpondeo cum Soto lib. 4. de Iuſtit. quæſt. 6. artic. 3. & Leſſio cap. citato dubit. 19. non eſſe, contra Maiorem in 4. diſt. 15. quæſt. 19. affirmantem: tum quia, vt rectè Leſſius ibidem, ſi aliquid eo nomine detrahitur, ſeu quod eodem recidit, ſi tantum de quantitate lucri ceſſantis demitur, quantum eius labor æſtimaretur, ſæpe nihil ſupererit pro lucro ceſſante reſtituendum: nam ſæpe lucrum laboris æſtimatione maius non eſt, vt quando totum lucrum per modum mercedis & pretij labori reſpondet: tum quia qui alium iniuſtè impediuit à labore diurno, tenetur reſarcire totum illius diei lucrum ceſſans, nec partem eius detrahere poteſt ratione laboris non poſiti, cùm impedimentum ipſi ne laboraret obiectum, non ſit aliquod ipſius commodum, ſed incommodum, contra voluntatem eidem ipſi & per impedientis iniuriam accidens: quod propterea non poteſt meritò ipſum, ipſiúſve hæredes fraudare parte lucri illius, quod erat laborando facturus.

V.

VI.

Verum nihilominus mihi videtur, quod & ibidem addit Leſſius, nimirum tantum detrahi poſſe de lucro, quantum artifex, cuius lucrum impeditum dicitur, libenter dediſſet, vt laborem redimeret: at ſi laborem cum aliqua lucri pretiſve imminutione redimere noluiſſet, ſed hunc totum ſubire maluiſſet, quàm diminutionem aliquam lucri huius pati, tunc integre lucri ceſſantis compenſationem eſſe faciendam.

VII.

Venio iam ad propoſitam quæſtionem, cuius partem affirmantem tuentur Scotus in 4. diſt. 15. quæſt. 3. Rich. art. 4. quæſt. 2. Maior quæſt. 14. Adria. in materia de reſtitut. quæſt. vltima, & quidam alij aſſerentes faciendam aliquam pro ipſa præcisè erepta vita, vel amputato membro reſtitutionem in pecunia, vel alia re pretio ſimiliter æſtimabili, tantam vero, vel tantam, prout vir prudens definierit. Negantem defendunt Nauarr. cit. cap. 15. num. 22. Petrus Nauarr. lib. 4. de Reſtit. cap. 1. num. 80. Couarr. libro 2. variarum Reſolut. cap. 10. num. 7. circa medium, Leſſius dub. 23. capitis 9. citati. Molina diſput. 516. aliíque multi, quorum ego ſententiam amplector, & probo hoc in primis argumento. In amputatione membri, vel ereptione vitæ, duo tantùm conſiderare poſſumus, ratione quorum dici poſſit eſſe pro vita aut membro aliquid reſtituendum: primum eſt, ipſa ratio iniuriæ illatæ per membri amputationem, vel vitæ ereptionem. Secundùm eſt, damnum cum hac iniuria coniunctum, & in ipſa præcisè membri, vel vitæ carentia conſiſtens, ſeorſim ab aliis damnis ex iſta carentia emergentibus: atqui neque ratione primi, neque ſecundi, quidquam eſt pro erepta vita, vel amputato membro reſtituendum.

VIII.

Non quidem ratione primi: nam pro iniuria, vt iniuria eſt, præciſa ab omni damno quod ipſi coniungatur, nunquã eſt aliquid reſtituendum,

sed ad summum luenda pœna, ad quam iudex condemnauerit : tum quia quando faciendæ restitutionis obligatio solùm oritur ex delicto contra iustitiam, tantùm oritur ratione damni per delictum illud illati : vnde si quo huiusmodi delicto nullum damnum fuit illatum, nulla I. est restituendi obligatio, vt inductione constat A V.
per omnes restituendi obligationes ex istiusmodi delicto nascentes: cùm tamen nullum istiusmodi delictum esse possit, quin sit iniuria contra iustitiam strictam illata, vtpote in qua delictum hoc essentialiter positum est: tù quia consequens esset, ex quocunq. delicto contra iustitiam hanc comissò consurgere restituendi obligationem, quod tamen falsum est: quis enim dixerit eum qui iniquè alterum percusserit, aut per vim loco suo depulerit, in eove detinuerit, nec vllum ipsi in vitæ, corporis, honoris, aut fortunæ bonis damnum per hanc iniuriam intulerit, ad restitutionem aliquam obligari?

Neque etiam ratione secundi, cuius solius ratione volunt aduersarij restitutionem aliquam pro vita, vel membro esse faciendam: quod falsitatis arguo primùm authoritate iuris ciuilis
II. locis illis quibus agitur ex instituto, de restitutione facienda ratione bonorũ vitæ, & corporis vt lege 1. ff. de iis qui deiecerint, vbi dicitur, cùm liber homo periit, nullam corporis æstimationem fieri posse. & lege vltima eiusdem tit. in qua sic statuitur: *Cùm liberi hominis corpus ex eo quod deiectum quid erit, læsum fuerit, iudex computet mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia quæ in curatione facta sunt: præterea operarum quibus caruit, aut caruturus est, ob id quod inutilis factus est: cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Idem definitur in lege 3. ff. si quadrupes. lege autem 7. ff. ad legem Aquiliam similiter decernitur quidem, propter vitiatum oculum filij restituendũ
III. esse patrì quod ob hanc læsionem minus habet ex operibus filij, sumptus quoque in curatione vulneris factos, at præterea nihil. Quibus omnibus, similibusque aliis iuris ciuilis decretis significatur, haud dubiè nullam ratione ereptæ vitæ, vel læsi, amputatíve membri, vel inflicti vulneris, cicatricis, & deformitatis præcisè, restitutionem faciendam esse, ob hanc causam, quòd humani liberíque corporis vita, & naturalis integritas nullam æstimationem recipit.

Quæ est ratio à priori, ob quam sic refello secundò sententiam aduersariorum, nostram autem probo. Nulla est obligatio restitutionis faciendæ pro re illa ablata, quæ nec eadẽ numero reddi potest, nec altera ipsi æquiualens: atqui membrum amputatum, & erepta vita res eiusmodi est. Maior patet, quia restitutio, cùm sit
IV. actus iustitiæ, & quidem commutatiuæ, quando ex iustitia hac facienda est, facienda haud dubiè est ad æqualitatem arithmeticam: ad hanc autem fieri non potest, si non potest pro re ablata restitui vel ipsa numero res, vel altera ipsi æquiualens. Minor probatur: in primis enim membrum ipsum amputatum, aut ipsa vita quæ erepta est, restitui non potest: deinde nec altera æquiualens: si quæ enim æquiualens potest, certè aliqua pecuniæ summa ad arbitrium viri prudentis, vt expresse aduersarij volunt: atqui nulla pecuniæ summa est, quæ vel amputato membro, vel vitæ ereptæ dici possit æquiualens, seu secundùm æqualitatem arithmeticam æqualis: quia vt citatis ex iure legibus dicitur, corporis humani liberi nec vita, nec integritas æstimationem recipit, id est, æstimari pecunia ad æqualitatem potest: quod verissimum est, ex eoque confirmatur, quòd vir prudens nullam pro amputato membro vel erepta vita pecuniæ summam æquiualentem definire potest: si enim dicat deberi centum, quæram cur non bis centum, & amplius? vnde & ipse mutilatus, vel occisi hæres, si ius habet reposcendi pro prædicta re pecuniam, suoque de iure nihil velit remittere, poterit quacunque summa maiorem poscere, vereque dicere, pluris esse faciendam corporis integritatem, aut ereptam vitam.

Quæ etiam causa est a priori, ob quam qui per fraudem, aut vim, atque adeo iniustè alterum in mortale peccatum induxit, quique per consequens eidem damnum gratiæ sanctificantis per hoc peccatum, vt suppono, amissæ intulit, ad nullam pro hoc damno compensationem in pecunia, aut re alia pretio similiter æstimabili faciendam, obligetur: hæc enim gratia nullam huiusmodi æstimationem recipit: & qui damnum huius gratiæ per iniustam alterius actionem passus est, si ius haberet exigendi aliquam pro eius compensatione pecuniã, posset qualibet assignata maiorem exigere, quia iure optimo, verissimèque diceret, se gratiam quam amisit multò pluris illa pecunia facere.

Quo gratiæ huius exemplo confirmo iterum efficaciter nostræ sententiæ veritatem: si enim pro vel erepta vita, vel amputato membro summa aliqua pecuniæ alteriusve rei pretio similiter æstimabilis restituenda est, non video, cur non sit item aliqua pro illato iniuste damno
VII. prædictæ gratiæ sanctificantis: aut si nulla est pro hoc damno, cur pro illo altero aliqua sit: cùm præsertim si quæ ratio est, cur propter illius gratiæ damnum nulla sit obligatio restituendæ pecuniæ, hæc sit, quòd nimirum nulla pecuniæ rerumque similium summa censeri possit illi gratiæ æquiualens, nec rerum superioris ordinis iactura resarciri possit, aut debeat per res inferioris, sed eiusdem tantum: quòd ea sola quæ sunt eiusdem ordinis bona, sicut inter se commensurabilia sunt, sic sint æquiualentia: gratia autem & pecuniæ, resque similes sint diuersissimi ordinis: quæ ratio euincit quoque, propter prædictum vitæ vel membri damnum nullam esse pecuniæ restitutionem ex obligatione faciendam, cùm & hæc bona sint diuersi prorsus ordinis, & istud illi censeri
VIII. nequeat æquiualens, vt dictum est.

Probo tertiò & postremò à posteriori, ex eo quod iuxta communem omnium etiam aduersariorum doctrinam, si iniustus mutilator aut occisor talionis pœnam sustineret, ad nullam vel in pecunia, vel in alia re faciendam pro amputato membro vel ablata vita restitutionem obligaretur: ergo ad nullam obligatur, etsi pœnam hanc non sustineat. Consequentia hæc probatur: si qua enim restitutionis illius faciendæ obligatio est, hæc per istam

pœnam toleratam non tollitur, aut minuitur: vnde si post eius tolerationem nulla est, nulla quoque ante fuerit. Ratio autem ob quam nec tollitur, nec minuitur, est, quòd quantumuis qui mutilauit aut occidit, æqualem suscipiat in corpore suo passionem ei, quam
I. alterius corpori intulit, nullo tamen modo amputati huic alteri membri aut ereptæ vitæ damnum compensat: hic enim nihil propterea ab illo pro re sua sibi ablata accipit, vt neque acciperet pro re sua sibi furto sublata ab illo fure, qui pro pœna furti commissi obligaretur ad tantam pecuniæ suæ summam proiiciendam in fluuium, quantam furto abstuliſſet. Vnde nunquam videmus obligationem resarciendi damni quod iniustè illatum est extingui minuíve per pœnam qua punitur ille qui intulit. Vnde etiam constans & certa Theologorum sententia est, hæredes furis in patibulo suspensi perinde obligari ad restitutionem rei furto sublatæ, vel æquiualentis, atque ipsemet fur esset obligatus, si suspensus non fuisset.

II.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM ex S. Doctoris, imò etiam Scripturæ authoritate ducitur: illius quidem quæst. 62. art. 2. ad 1. expresè dicentis, *quando id quod ablatum est restitui non potest per aliquid æquale, debere fieri compensationem qualis possibilis est: puta cùm alicui membrum abstulit, debere ei recompensare in pecunia, vel in honore, considerata conditione vtriusque personæ, secundum arbitrium boni viri.* Huius verò capite 21. Exodi, in quo præcipitur, vt qui læsit oculum serui sui, liberum illum dimittat. Respondeo D. Thomam aliud nihil velle,
III. quàm pro membri amputatione, cùm restitui non possit ipsum membrum amputatum, nec alterum ei æquiualens, restituendum esse aliquid vel in honore, vel in pecunia, non quidem pro ipso præcisè damno membri amputati, sed pro damno honoris quod aliquando ipsi coniungitur, quodque honore æquiualenti quantum fieri potest, resarciendum est, vel pro damno bonorum fortunæ, quod etiam æquiualentibus fortunæ bonis compensandum est.

Et sanè nisi vellet faciendam in honore restitutionem, debitam esse ratione damni quod in honore suo passus supponitur ille qui mutilatus est, cur diceret honorem aliquem restituendum esse ad arbitrium viri boni, considerata vtriusque personæ, mutilantis scilicet & mutilatæ conditione? Si enim pro ipso membro amputato restituendus honor aut pecunia est, nihil
IV. est necesse considerare personæ mutilantis conditionē, cùm eadem prorsus mutilatio sit, idémque penitus damnum amputati mēbri, siue mutilans sit persona nobilis, siue ignobilis, & cuiuscunq. demum sit conditionis: at si pro damno honoris ablati simul cum amputatione mēbri, dicatur honor restituendus, rectè dicitur vtriusq. personam considerandam esse, cùm quo persona suo in corpore percussa nobilior & dignior est, percutiens autē ignobilior & vilior, eo danum illud honoris maius sit: cuius proinde ad magnitudinem æstimandam, iudicandúmq. per consequens quantum honoris restituēdum sit, considerandā vtriusque personæ conditio est. Quod si S. Doctor restitutionem honore aliquo faciendam vult esse debitam, non præ-
A cisè ratione damni in bono corporis illati, sed honoris, faciendam etiam aliqua pecuniæ summa restitutionem volet esse debitam non ratione prædicti damni, sed alterius in fortunæ bonis ex illo amputati membri damno emergentis: non enim aliter de facienda vel in honore vel in pecunia restitutione loquitur, sed eodem prorsus modo. Ad Scripturæ locum dico, eo contineri præceptum vnum positiuum veteris legis, quo præscribebatur pœna per iudicem imponenda ei, qui seruum suum sic iniquè læsisset. V.

Secundum istud est: qui damnum intulit in fortunæ bonis, nec potest illud totum ad æqualitatem arithmeticam resarcire, obligatur ad illud nihilominus aliquo modo prout potest
B resarciendum: ergo etiam qui membrum amputauit, aut vitam eripuit. Respondeo negando consequentiam, primò, quia pari iure & efficacitate concluderetur, esse obligationem restituendi summam aliquam pecuniæ, aut alterius rei pretio similiter æstimabilis, ad compensandum damnum sanctificantis gratiæ iniustè illatum, de quo superiore sectione diximus. Secundò, quia dispar prorsus est ratio damni in fortunæ bonis illati, cuius in antecedente mentio fit, & illius alterius de quo in consequente sermo est: quia etsi quis illatum in fortunæ bonis damnum totum ad æqualitatem arithmeticam resarcire non possit, potest tamen aliquam huius damni partem: vnde non mirum, si cùm hanc partem possit, obligetur ad hanc iuxta prædictam æqualitatem compensandam: at
C qui damnum amputatione membri, vel ereptione vitæ intulit, neque totum hoc damnum, neque vllam eius partem resarcire ad illam æqualitatem potest. VI. VII.

Tertium est, qui virgini per vim virginitatem eripuit, tenetur aliquam ei pecuniæ summam refundere, pro ipso præcisè damno virginitatis ereptæ: qui item mancipium alienum occidit, aut mutilauit, tenetur ad pecuniam restituendam pro ipsa præcisè vita vel mutilatione mancipij: ergo multò magis ad idem obligabitur, qui liberum hominem aut mutilauerit, aut occiderit. Respondeo negando antecedens: & quidem quod ad ereptam virginitatem attinet, nihil pro ea præcisè restituendum est: præcisè, inquam, id est, prout à damnis vel in honore, vel in fortunæ bonis eius ereptionem comitantibus aut consequentibus, quæ procul
D dubio integrè compensanda sunt, præscinditur: cùm & erepta virginitas sit irreparabilis, & pecuniâ ad arithmeticam æqualitatem minimè sit æstimabilis, vt & hominis siue liberi, siue serui vita, ac membrorum integritas, si secundùm se præcisè consideretur. Vnde Lessius lib. 2. cap. 10. dubit. 2. aliíque qui pro damno amputati membri, aut ereptæ vitæ docent nihil restituendum esse, idem eandem ob causam de ipso præcise damno virginitatis ablatæ sentiunt. VIII.

Dixi, si secundùm se præcisè consideretur: nam si spectetur penes vtilitatem ad humanos vsus quam afferre alicui potest, certo pretio æstimabilis est, tanto scilicet, quanto quis liber se alteri vendere in seruum potest: aut quanto mancipij dominus hoc ipsum mancipium vendere alteri domino potest: quo fit, vt facienda sit in fortunæ bonis æqualis restitutio iis, qui vel mutilatione, vel occisione iniustè priuantur vtilitate illa pretio æstimabili, quam ex occisi vel mutilati membrorum integritate, aut vita erant relaturi. I.

Quartum est, Iudicem condemnare solere iniustum mutilatorem, aut occisorem ad aliquam pecuniæ summam, pro iniusta mutilatione, aut occisione, mutilato, vel occisi hæredibus refundendam. Respondeo obligare, vel ratione præcisè damnorum consequentium, ad quæ resarcienda ante sententiam iudicis obligatio ex iustitia est: vel si ratione præcisè amputati membri, aut ereptæ vitæ obligat, obligare in pœnam commissi criminis, quod iustè potest: sed ad eam subeundam, nullam esse ante sententiam ipsius obligationem. II.

SECTIO III.

Quibus personis restituere teneatur iniustus occisor, ratione damnorum quæ ex iniusta occisione oriuntur.

DE vxore ac liberis occisi consentiunt Theologi omnes, faciendam iis esse restitutionem totius damni, quod eam ob causam patiuntur. Solùm aduertendum, quod de liberis dicitur, intelligendum quoque de hæredibus aliis, qui, si occisus liberos non haberet, ius haberent in eius bona succedendi simile prorsus illi iuri quod habent ipsius liberi, quando liberos habet: dummodo tamen de occiso certum moraliter fuerit ipsum liberos nunquam habiturum: nam si fortè fuisset habiturus, si diutiùs vixisset, nihil videtur illis aliis restituendum: quia non videntur ob mortem eius damnum passi, sed potiùs accepisse commodum, cùm ex ea factum fuerit, vt certò fruerentur ipsius bonis, quod fortè nunquam illis contigisset, quia fortè liberos, aliósque proinde hæredes habuisset. Ita quoad istam restrictionem Lessius lib. 2. c. 9. dubit. vltima, citans in eandem sententiam multos alios. Vnde videtur esse pariter consequens, ipsis liberis eo minus esse restituendum, quo maior est probabilitas patrem interfectum, si diutiùs vixisset, alios adhuc liberos habiturum: eo enim minus damnum patiuntur ex eius morte liberi ad quos tota peruenit hæreditas, quæ cæteroquin ex parte tantùm ad eos peruenisset, vtpote cum aliis quoque qui nascituri fuissent, diuidenda. III. IV.

Atque cùm, vt dixi, de vxore, & liberis occisi nulla sit inter Theologos controuersia, de duobus aliis personarum generibus aliqua est, de creditoribus scilicet quibus debebat interfectus, & de illis quos ex liberalitate sustentabat, aut similibus beneficiis afficiebat. Et quidem cùm de creditoribus non magna sit, de posterioribus his personis est maxima. Quod ergo spectat ad creditores, dico nullam ab interfectore deberi ipsis restitutionem. Ita Lessius citata dub. vltima, aliique quos ibidem citat. Ratio est, quia iis ille nullius damni causa est, cùm hæredes maneant ipsis ad soluenda debita obligati perinde atque ipse erat, nec propter interfectionem fiat, vt hæredes de bonis in quæ succedunt minus soluere possint, quam potuisset ipse interfectus, si interfectus non fuisset: hic enim soluendo fuisset, vel per bona quæ moriens relinquit, vel per ea quæ lucratus esset, si occisus non fuisset: in illa autem bona cùm succedant hæredes, & hæc lucra cessantia, cùm sint ipsis ad æqualitatem resarcienda, &, vt suppono, resarciantur, patet eosdem ipsos tam esse soluendo, quàm fuisset ille ipse qui interfectus est. Quòd si hic, neque cum his, neque cum illis bonis adhuc soluendo fuisset, interfector, non factæ, nec vnquam faciendæ solutionis causa nō fuisset, nec vllius proinde damni creditoribus causa extitisset, quandoquidem etsi non interfeciisset, adhuc tamen interfectus ipsis nunquam soluisset, vtpote qui nunquam soluendo fuisset. A V. B VI.

Ex quo colligitur, interfectorem obligatum iri ad creditoribus restituendum, eo casu, quo interfectus & nullum hæredem haberet, & nulla bona eo quo interficitur tempore, sed acquisiturus aliqua fuisset ante mortem, si naturali morte obiisset, per quæ soluere, vel ex parte, vel integrè potuisset: tunc enim tantum illis restituere deberet, quantum integræ solutioni deesset ob illatam ipsi mortem, & per hanc impedita consequenter acquirenda bona, quorum defectu non fit illa solutio, quæ per hæc acquisita fieri potuisset: tantum enim illis damni per iniustam illam suam actionem intulisset, quantum per eam integræ illi solutioni impedimenti attulisset.

Iam quòd attinet ad posterius personarum genus, etsi sententia quæ negat iniustum occisorem obligari ad vllam eis faciendam restitutionem, tam multos, & tam graues authores habeat, vt non dubitem eam in praxi tutam esse, affirmantem tamen, quam tuentur multi suprà citati, vt Scotus & Adrianus, speciatim Petrus Nauarr. libro 4. cap. 1. num. 74. ac duobus sequentibus, iudico longè probabiliorem, propter argumenta duo, vnum à priori, alterum à posteriori. Primum & à priori hoc est. Quisquis per iniustam suam actionem est alicui causa damni, obligatur ex iustitia ad damnum istud resarciendum: at quisquis iniustè quempiam occidit alios liberaliter sustentantem, aut similibus beneficiis afficientem, est per iniustam suam actionem causa damni iis quibus benefaciebat. Ergo ad resarciendum damnum hoc ex iustitia obligatur. Veritas Maioris ex eo in primis constat, quòd restitutionis obligatio nascitur ex iniusta acceptione, sub qua comprehenditur iniusta damni illatio, vt suo loco monuimus. Deinde ex eo quòd iniustus occisor ad restituendum occisi liberis obligatur, quia per iniustam actionem suam iis damni causa extitit. Minorem sic probo: quisquis per iniustam suam actionem impedit alios à consequutione bonorum eorum, quorum sicut consequutio lucrum aliquod seu commodum fuisset, ita carentia damnum aliquod & incommodum est, C VII. D VIII.

procul dubio est ipsis causa damni per iniustam suam actionem: at quisquis iniustè occidit liberaliter aliquos sustentantem, per iniustam suam actionem eos impedit à consequutione prædictorum bonorum: ergo iis est causa damni per iniustam suam actionem.

I. Cuius syllogismi Minor certissima est. Maioris autè veritas præterquam quod ex terminis constare videtur, constat etiam hac ratione, quòd nimirum qui per iniustam suam actionem, siue occisionem, siue aliam, impedit aliquem à consequendo bono, cuius priuatio ipsi damnosa est, non modò violat ius personæ illius quam occidit, aut erga quam similem actionem iniustam exercet, sed eius etiam quam, impedit per illam suam iniustam actionem à consequutione boni illius: ius enim habet quilibet, ne per iniustam actionem elicitam erga volentem benefacere, impediatur à consequendo bono, quod in ipsum conferre vult.

II. Constat denique exemplo eius qui aliquem impediuisset ab alicuius magistratus consequutione, per fraudem, aut vim factam ei qui erat alioqui collaturus: aut qui pauperem aliquem impediret ab accipienda eleemosyna, per vim illatam diuiti conferre volenti, qua fieret, vt conferre non posset: sic enim impediens censeretur communi omnium iudicio causa damni illi, quem à bono illo consequendo impediuit, eiúsque violasse ius, & non tantùm personæ illius, cui vim fecit, aut fraudem.

III. Vnum addo, quod maximè confirmare vim argumenti nostri mihi videtur: neminem scilicet dubitaturum, quin si quis diuitem dare pauperi eleemosynam, aut quid aliud alteri liberaliter volentem, grauibus minis reuocare vellet à proposito, & cùm non posset, occideret, ex directa expressáque intentione, ne quod ipsis dare vult, daret, neminem, inquam, dubitaturum, quin ille sic iniustè impediens violaret ius, tam eius qui dare, quàm illorum qui accipere impediuntur, quin esset istis quos accipere impedit, causa damni, & quin ad huius compensationem ex iustitia obligaretur: at quod attinet ad obligationem hanc, nihil refert, vtrùm ille expressa illa intentione occiderit, impediuerítque, an absque illa fecerit: si enim ex ipsa externa occisionis actione facta scienter & libere non oritur obligatio restitutionis iis quos dixi faciendæ, quando ex prædicta illa intentione eam non exercuit, neque orietur ex eadem actione, quamuis eam illa cum intentione exercuerit: atque si è contrario

IV. oritur ex ea facta cum ista intentione, orietur etiam ex eadem, etsi cum intentione hac facta minimè sit: restitutionis enim obligatio quando ex illato damno nascitur, perinde nascitur, siue damnum sit expresse directéque volitum, siue non sit: siue sit ex odio erga personam illud patientem illatum, siue quocunque alio ex fine.

SECTIO IV.

Idem altero argumento probatur.

SECVNDVM argumentum istud est. Si iniustus occisor non obligatur ad cõpensationem damnorum, quæ ob eius necem patiũntur ij quos liberaliter sustentabat, consequens erit ipsum non obligari ad ea damna compensanda, quæ liberi ob eandem causam sustinent: atqui falsum istud est, igitur & illud. Maioris consequentia probari meliùs non potest, quàm ostendendo liberorum, & illorum aliorum, quoad rem præsentem, eandem esse rationem: ostendo autem ex eo quòd si quæ diuersa ratio esset, maximè trium quas subiungam, vna. Prima est, liberos habere ius in paterna bona succedendi, eorúmque dominium acquirendi, & ex consequenti ius habere ne pater per vim, aliámve actionem iustitiæ repugnantem, impediatur ab acquirendis iis bonis, quæ si acquisiuisset, ipsis hæreditario iure, sicut iam alia parta, obuenissent. Verùm in primis hæc ratio, si quid valet, valet pariter ad concludendum, non magis esse faciendam vxori occisi restitutionem, quàm iis quos liberaliter sustentabat: nam si non istis, sed liberis facienda restitutio est, propterea quòd hi ius habent in occisi bona succedendi, non illi, nulla quoque facienda eius vxori est, cùm hæc in mariti bona succedendi ius non habeat, sed soli liberi.

A V.

B VI.

Deinde non obstante hoc inter hos & illos alios discrimine, parem horum & illorum esse rationem, quoad obligationem resarciendi damna, quæ per occisi necem patiuntur, hinc ostendo, quòd sicut liberi ius habent in paterna bona succedendi, eorum que dominium acquirendi, ita & illi quos liberaliter sustentabat, ac quicunque alij, ius habent accipiendi rem illam, dominiúmque eius acquirendi, quam alius ipsis liberaliter dare voluerit. Et quemadmodum ex illo liberorum iure fieri dicitur consequenter, vt hi ius habeant, ne per iniustam actionem pater impediatur ab acquirendis illis bonis, quæ si acquisiuisset, in eorum dominium cessissent: ita dico similiter, ex iure quod singuli habent accipiendi rem quam alius liberaliter dare voluerit, eiúsque dominium comparandi, fieri consequenter, vt ius habeant, ne per iniustam aliquam actionem impediatur is qui dare vult, ne det id, quòd si daret, in eorum dominium cederet quibus daret. Quare si ex violatione prioris illius iuris quod habent liberi nascitur obligatio restituendi, ex violatione quoque posterioris istius iuris, quod habent

C VII.

D VIII. personæ, de quibus agimus, eadem nascetur obligatio.

Secunda est, patrem & filium censeri moraliter personam vnam, similiter maritum & vxorem: benefactorem autem non censeri moraliter vnam personam cum eo cui liberaliter benefacit. Verùm hæc ratio concludit, non magis ob patrem interfectum restituendum esse filio, quàm ob interfectum filium restituendum patri, si quemadmodum ex morte patris redundat damnum in filium,

nempe carentia bonorum quæ pater erat ipſi lucraturus, ita ex morte filij redunder damnum in patrem, nimirum carentia bonorum eorum quæ filius erat in patrem collaturus: vnde ſi hunc ille non ex obligatione aliqua, ſed ex mera liberalitate ſuſtentabat, obligabitur iniuſtus occiſor hæc patris damna reſarcire: quòd ſi ad hoc erga patrem obligatur, cur non ad idem obligabitur erga quemcunque alium, cui ſimiliter ex pura liberalitate benefaciebat interfectus? Si enim pater habet ius, ne per iniuſtam filij occiſionem, aut iniuſtam aliam erga filium actionem, impediatur à conſequendis bonis quæ filius erat ipſi collaturus, ſimile quoque ius habebit quiuis alius cui ſimiliter idem filius benefaciebat: hoc enim ius non habet pater, quia pater eſt, & quia proinde vna moraliter cum filio perſona, ſed quia vnicuique à natura ius ineſt, vt non impediatur per iniuſtam erga benefactorem ſuum actionem à conſequendis bonis quæ per ipſum erat conſequuturus: vt vel ex eo certum eſt, quòd ſi benefactor interficeretur ex directa expreſſaque intentione, ne benefaceret ei cui benefacere vult, eſſet ab interfectore reſarciendum hoc damnum, quod iſte pateretur.

I. II.

Ex quo ſequitur euidenter, ipſum habere ius, ne per occiſionem, aliamve iniuſtam erga benefactorem elicitam ex prædicta intentione actionem impediatur à conſequutione bonorum, quæ per ipſum eſſet conſequutus: quod ius ſi habet, habebit quoque ius ne ab iiſdem bonis conſequendis impediatur per eandem actionem, ſiue ex prædicta illa intentione, ſiue ex alia profectam, cùm ad iniuriam reipſa faciendam, non ſit neceſſarium iniuſtam actionem externam quæ ſcienter & libere exercetur, ex prædicta illa intentione exerceri, nec illa ipſa actio ſit à parte rei minus iniuſta, iuſque proinde violans, ſiue ex intentione illa exerceatur, ſiue non.

III.

Tertia diſparitatis ratio, qua maximè nituntur aduerſarij, in eo conſiſtit, quòd pater occiſus liberos alere, ſimilibuſque eorum commodis proſpicere obligabatur: erga eos autem quibus liberaliter benefaciebat, nullam haberet ipſis benefaciendi obligationem.

Refellitur in primis eo quòd conſequens hinc eſſet, eum qui iniuſtè patrem aliquem occideret, qui liberis ſuis bona plurima eſſet acquiſiturus, præter ea ad quæ in ipſos conferenda, erat ex proprio patris officio obligatus, non obligatum iri ad reſarciendum liberis bonorum illorum plurimorum quibus carent detrimentum, cùm pater eſſet ex pura liberalitate hæc eis bona acquiſiturus: quod conſequens cùm nemo ſit admiſſurus, quia ſentiunt omnes iniuſtum patris occiſorem obligari ad bona illa omnia reſtituenda liberis quæ pater erat ipſis acquiſiturus, ſiue ad acquirenda obligaretur, ſiue non, quæro, vnde oriatur hæc in iniuſto interfectore reſtitutionis obligatio? non ex iure quod habeant liberi, quatenus liberi, in patrem, hęc ab ipſo bona exigendi & accipiendi, quandoquidem pater nullum habet, vt ſuppono, hæc ipſis acquirendi conferendique debitum, ſed ſi facit, faciat merè liberaliter: nec profectò aliunde, quàm ex iure quod habent erga quemcunque, ne ſcilicet ab vllo per iniuſtam actionem erga patrem elicitam impediantur ab iis per ipſum bonis accipiendis, quæ erant ex ipſius liberalitate accepturi, quod ius eorum violat iniuſtus patris occiſor. Cum ergo ſimile ius habeant pariter iidem liberi, & quicunque alij, vt etiam conſtat ex antedictis, ne ab vllo per iniuſtam actionem elicitam erga ſiue patrem, ſiue quemcunque alium benefacere ſimiliter ex liberalitate volentem, impediantur ab iis bonis conſequendis, quæ per ipſos erant conſequuturi, hócque pariter ius eorum violetur ab exercente iniuſtam illam actionem, ſequitur etiam ipſum obligari ad reſtituendum omnibus, quos ſic à bonis illis conſequendis impediuit, ſi liberis ad hoc obligatur: aut ſi ad hoc ipſum non obligatur illis omnibus, nec liberis obligari.

A V.

IV.

Refellitur ex eo deinde, quòd cùm dicunt aduerſarij patrem obligari ſuſtentare liberos, eorumque commodis proſpicere, vel volunt ad id obligari ex iuſtitia, vel ex alia virtute. Si primum, falſum eſt: tum quia hæc obligatio patri ineſt qua pater eſt, ſeu genitor: patris autem ſic ſpectati erga liberos obligatio ſtrictæ iuſtitiæ non eſt, vt conſtat ex dictis diſput. 13. tum quia ius quod habent liberi exigendi à patre victum, veſtitum, ſimiliáque commoda, ex quo naſcitur illa in patre obligatio, non eſt ius ſtrictæ iuſtitiæ, vnde nec illa ipſa obligatio huius iuſtitiæ eſſe poteſt, vt ex ibidem dictis facilè conſtat, & ex eo præterea quòd conſequens eſſet, patrem peccaturum contra iuſtitiam, & obligatum iri ad reſtitutionem liberis faciendam, ſi iis prout obligatur non proſpiceret. Si ſecundum, verum quidem eſt, ſed ad præſens negotium nihil confert: quid enim confert ad contrahendam reſtitutionis obligationē, quòd quis obligetur ad quidpiam tribuendum, modò non obligetur ex iuſtitia, cùm ex huius ſolius virtutis violatione conſurgat, vt ſupra probauimus, faciendæ reſtitutionis obligatio?

B VI.

C VII.

Si dicas, quod non teneatur ex iuſtitia pater ad victum, veſtitum, ſimiliáque commoda præſtanda liberis, hoc quidem efficere, vt hæc ipſe non præſtans non peccet contra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem obligetur: at efficere tamen, vt qui patrem per iniuſtam actionem impedit ab his præſtandis, peccet per iniuſtitiam, non tantùm contra patrem, ſed etiam contra liberos, qui ius ſtrictum habent, ne à quoquam per vim iniuſtè patri ſuo illatam impediantur ab aſſequendis per eum bonis quæ ipſe in eos conferre obligatur, licet aliunde quàm ex iuſtitia obligetur. Si hoc, inquam, dicas, dico ego contra, hinc ſaltem ſequuturum, eum qui per vim illatam diuiti eleemoſynam dare volenti, eo tempore quo ex miſericordia dare tenetur, vel ex voto quod emiſit, vel ex promiſſione qua ſe daturum promiſit, impediret pauperem ab hoc bono conſequendo, obligatum iri ad huius damni compenſationem ipſi faciendam: habebit enim pari ratione pauper ius, ne à quoquam per vim illi diuiti illatam, impediatur ab hoc bono conſequendo, quod illi dare diues obligatur, licet aliunde quam ex iuſtitia obligetur. Atque vt facilè quiſque intelligit, obligationem hāc dandi ex miſericordia,

D VIII.

vel religione, vel fidelitate in diuite existentem non fundare ius istud strictæ iustitiæ in paupere, ita cuique sentiendum est, prædictam illam obligationem patris ad victum, vestitum, similiáque commoda procuranda liberis, non fundare in iis ius illud strictæ iustitiæ quod habent, ne à quoquam per vim patri illatam impediantur à consequendis iis bonis, quæ procurare ipsis ille tenetur. I.

SECTIO V.

Vnum circa doctrinam traditam obseruandum continens.

HACTENVS partem affirmantem, quæ visa nobis est verisimilior, probauimus. Circa eam hoc vnum supereſt obseruandum, quosdam huius partis nobiscum defensores hac vti restrictione, vt dicant, tunc quidem iniustum interfectorem obligari ad restituendum iis quos liberaliter sustentabat interfectus, cùm priusquam interficeret, satis cognouit hos ab ipso sustentari: non obligari verò, cùm hoc prorsus ignorauit: quorum ratio est, quòd illa cognitione præsuppositа, non contra solum interfectum peccauit per iniustitiam, sed contra eos quoque quos liberaliter sustentabat, damnúmque quod his perillius mortem intulit, fuit ipsi voluntarium: vnde non mirum, si tunc ad illud resarciendum obligetur: Contra autem, ista ignoratione præsuppositа, peccauerit quidem per iniustitiam contra eum quem occidit, at non contra eos quos occisus liberaliter sustentabat, damnumque quod hi ex illius morte patiuntur non fuerit illi voluntarium, vt pote prorsus ignoratum. II.

Verùm si hæc restrictio ratióque recipienda est, ex eadem quoque erit concludendum, primò nec obligatum iri iniustum interfectorem ad damna liberorum & vxoris interfecti hominis resarcienda, si prorsus ignorauit, an vxorem, an liberos haberet. Secundò eum quoque qui inimici sui domum incenderet, ita vt vicini domus eodem incendio conflagrasset, cùm tamen author incendij nihil minus quàm hanc vicinæ domus conflagrationem aut præuidisset, aut voluisset, non obligatum iri ad compensationem damni quod vicino intulisset: aut si amicus eius cuius domũ sciens & volens incendit, paucos ante dies res aliquas suas magni pretij in illa domo asseruandas domino domus tradidisset, & hoc author incendij prorsus ignorasset, res autem istæ simul cum aliis incendio illo periissent, nec obligatum illum fore ad restitutionem vllam ei faciendam, cuius res illæ pretiosæ periissent. III. IV.

Quæ opinor cùm nemo sit admissurus, sicut in his casibus dicendum est, vt iste ad hæc damna resarcienda obligetur, satis esse, quòd vel per occisionem, vel domus incensionem iniustam, quam sciens & volens fecit, causam dederit damnis istis ex ea consequentibus, licet quod hæc ipsa damna ex ea sequutura non præuiderit, efficiat, vt contra eos qui hæc patiuntur, per iniustitiam non peccauerit formaliter, sed contra eum solum cui vitam eripuit, aut cuius domum incendit: Ita dicendum pariter, vt iniustus interfector eius qui alios liberaliter sustentabat, obligetur ad damnum, quod hi ex illius iniusta nece patiuntur, compensandum, satis esse, quòd per iniustam occisionem quam sciens & volens exercuit, causa fuerit damni, quod isti patiuntur, licet quòd hoc damnum in eos redundaturum nullo modo cognouerit, efficiat, vt contra eos non peccauerit formaliter per iniustitiam, sed contra illum solum quem sciens & volens interfecit. A V.

At obiicies, nos suprà docuisse, iniustum alicuius hominis interfectorem non obligari ad resarcienda certa quædam damna, quæ alius falsò criminis illius accusatus ob hanc causam patitur, etsi præuiderit ipsum hæc damna passurum: cuius rei rationem esse diximus, quòd in hunc falsò criminis illius accusatum per iniustitiam non peccauerit, sed contra solam caritatem. Respondeo nos ad hanc rationem hoc quoque adiunxisse, quòd iniusta illius hominis occisio non sit per se ex natura rei illatiua damni quod iste alius falsò accusatus patitur, sed hoc damnum merè per accidens ei coniungatur: quo fit, vt occisor ille non obligetur ex iustitia illud proximi damnum cauere, quantumuis ipsum per accidens ita sequuturum præuiderit, sed solum ex caritate: at iniusta hominis occisio est per se illatiua damni in eos omnes quibus occisus erat vel ex pura liberalitate, vel ex alicuius virtutis obligatione benefacturus: vnde etiã si hoc in eos damnum ex ea sequuturum præuidit, obligatur ex stricta iustitia, proprióque iustitiæ huius quod hi habent iure, damnum istud eis non inferre, & si infert, peccat per iniustitiam formaliter, non solùm contra eum quem iniustè occidit, sed etiam contra istos quibus hoc iniustè damnum infert. B VI. C VII.

Nec dicas, damnum quod patiuntur ij quos occisus liberaliter sustentabat, videri merè per accidẽs sequi ex iniusta eius occisione. Reuera enim tam per se ex ea sequitur, hec que iniusta occisio tam per se est damni huius in eos illatiua contra iustitiam, quàm iniusta patris interfectio est per se illatiua contra iustitiam damni illius quod patiuntur liberi, ex carentia bonorum illorum, quæ pater erat ipsis acquisiturus, præter ea ad quæ ipsis acquirenda obligabatur: aut quam vis alleata diuiti dare eleemosynam volenti est per se illatiua contra iustitiam damni quod pauper patitur: quæ quidem actio tum saltem est ex consensu aduersariorum illatiua per se damni istius contra iustitiam, cùm qui vim affert, ea expressa intentione affert, vt hoc pauper damnum patiatur. Vnde propterea docent tunc pauperi faciendam huius damni compensationem, ad quam tamen nullus ob eam actionem suam obligatur, ex qua per accidens tantummodo damnum sequitur. Quòd si actio illa, dum fit ex præfata ista intentione, damni huius per se illatiua contra iustitiam est, erit etiam, dum absque intentione illa fiet, imo quocunque ex motiuo ac fine fiat, cùm actio externa per se, & secundùm se non habeat D VIII.

quòd

quòd sit iusta, vel iniusta, lucri, vel damni, iuxta vel contra iustitiam illatiua, ex bona vel mala eam exercentis intentione, sed ex rei natura, obiectóque circa quod versatur.

DISPVTATIO XXVII.

De restitutione famæ.

SECTIO PRIMA.

An quisquis vel se, vel alium infamauit, ad famæ restitutionem obligetur?

QVOD spectat ad eum qui seipsum absque legitima etiam vt supponimus causa infamauit, propositæ de eo quæstioni cum distinctione respondendum est: hic enim diffamando se, vel se solum diffamauit, vel alterum simul: quod secundum duobus accidere modis potest. Primo, cùm suum siue verum siue falsum crimen defectúmve prodendo, prodit simul alienum. Secundo, cùm illa sui criminis defectúsve manifestatione, facit vt audientes sinistram de communitate, vt de religiosa familia cuius membrum est, opinionem concipiant: quod non est putandum euenire toties, quoties aliquis alicuius ordinis religiosus aliquod suum graue crimen aperit, aut etiam iactat, cùm certum sit in familia etiam sanctissima sceleratum aliquem & reprobum posse reperiri. Si primum, negandum est teneri. Si secundum, affirmandum, non quidem ratione sui, suæque famæ quam prodegit, sed alienæ cui contra iustitiam nocuit.

Ratio prioris partis est, quòd nemo de re sua disponens ad arbitrium, siue licitè, siue illicitè, dummodo sic disponendo nulli alteri quam sibi nocumentum afferat, obligetur ex iustitia ad recuperandam rem cuius detrimentum fecit: qui autem se sine legitima causa infamat, disponit de re sua, nempe de fama, ad arbitrium, illicite quidem, quandoquidem sine legitima causa; atque adeo prodigè, non secus ac is qui in pecuniarum suarum effusione prodigus est, at nulli tamen alteri famæ damnum, vt supponimus, procreans.

Posterioris autem ratio est, quòd sicut ex iniustitiæ delicto, quo quis alteri in fortunæ bonis damnum infert, oritur ex iustitia obligatio damni huius resarciendi, ita & multò magis ex iniustitiæ peccato quo alienæ famæ damnum infertur, oritur ex eadem iustitia reparandi damni istius obligatio: cùm ex natura rei tam famæ bonum ereptum restitui possit, quàm fortunæ bona: & sicut illud bonum est his bonis secundùm se multò præstantius, ita damnum illius horum damno longè sit grauius: quare ex hypothesi quòd ille sui, de quo loquimur, diffamator non possit famam, quam diffamando se simul alteri eripuit, restituere, nisi diffamationem sui retractando, famámque suam quantum potest recuperando, ad id ex iustitia obligatur, vt alterius famæ damnum quod intulit reparet: qui proinde si posset ei cuius famæ nocuit restituere famam, absque eo quod suam ipse repararet, ad reparandam suam minimè ex iustitia obligaretur.

Iam quod ad eum spectat, qui alterum diffamauit, Dicendum primò, eum qui iustè diffamauit alterum, id est, diffamatione licita ex natura rei, etiam si scienter & liberè volita, nō obligari ad famam ei restituendam. Dicendū secundò, eum qui iniustè alterum diffamauit, id est, diffamatione quæ peccatum iniustitiæ formaliter fuit, ad restituendam obligari. Vtriusque assertionis veritas cum apud omnes certa sit, & ex suprà dictis clara, superflue hîc probaretur.

Dicendum tertiò, eū qui alterum infamauit, infamatione naturā suâ, & obiectiuè iniustā, sic tamen vt formaliter iniustitiæ peccatum non fuerit, vel quia diffamatori verbum diffamationis non aduertenti repente excidit, vel quia inuincibiliter ignoranti illicitam esse hanc diffamationem, obligari ex iustitia ad famæ restitutionem, postquā aduertit diffamationem hanc ex natura rei seu obiectiuè fuisse iniustam: omnes quidem fatentur ad hoc obligari, sed quidam asserunt ex sola charitate obligari, cùm sic diffamando contra iustitiam formaliter non peccauerit: alij autem sentiunt obligari etiam ex iustitia, vt Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 22. in qua ego pariter sum sententia.

Etenim etsi qui sic diffamauit, non obligetur ex capite iniustæ acceptionis, seu iniustæ formaliter diffamationis ad restituendū, quandoquidem diffamatio hæc non fuit iniustitiæ peccatū formaliter, quia tamen obligatio restituēdi nascitur, non ex sola rei acceptione iniusta formaliter, sed etiam ex iniusta materialiter & obiectiuè, quādo res aliena cognoscitur aliena esse, & restitui potest, eiusq. retentio per consequēs materialiter & obiectiuè iniusta esse cognoscitur, vt constat ex eo qui rem alienam non cogitans accepisset, & sua in domo retineret, quam postea sciret esse alienā, posset que restituere, ad quam haud dubiè restituendā obligaretur, propterea diffamator ille de quo loquimur ad ablatæ famæ restitutionem ex iustitia obligatur: famam enim alienam, quam cognoscit, vt supponimus, alienam, nempe talem, vt ad eam ius haberet ille cui ablata est, quamque nouit actione sua materialiter seu obiectiuè iniusta fuisse ablatam, potéstque restituere, famam, inquā, alienam retinet quodāmodo tandiu, quādiu prauā opinionem à se ingeneratā relinquit in eorū mentib. apud quos diffamauit: quæ proinde retentio non potest nō esse iniusta formaliter, si eam sciens volensque continuet, ac per consequens nisi famam ablatam restituat.

Dicendū quartò, eum cui de aliquo crimen aliquod narranti contingit, vt auditores non de eo de quo loquebatur dictum putarint, sed de alio intellexerint, non obligari ex iustitia ad famam isti sic in eorum mentibus diffamato restituendam, sed ex charitate. Prima pars ex eo probatur, quòd ad famam alteri restituendam ex iustitia non obligatur ille, qui nullam in aliorum mentibus prauam de eo ingenerat opinionem: talis autem est diffamator de quo loquimur: narratione siquidem sua causa non fuit malæ illius opinionis quā conceperunt auditores de eo de quo non loquebatur, sed mala

eorum intelligentia. Secunda pars hinc constat, quòd charitas nos obligat, vt malum à proximo repellamus, quando sine magno nostro incommodo possumus: vnde hæc ex charitate restitutio non tam dicenda restitutio, quæ propriè dicta solius strictæ iustitiæ actus est, quàm
I. alieni mali propulsatio. A

SECTIO II.

Ad cuius rei restitutionem obligetur ex iustitia iniustus alterius diffamator?

NON dubium, quin ad famę in primis quam eripuit: deinde ad bonorum fortunæ, quorum damnum incurrit diffamatus, aut etiam aliquis alius ex iniusta illa diffamatione, tanquam ex causa: quod enim damnum infertur alicui, siue in fama, siue in fortunæ bonis, per iniustam actionem, ex iustitia resarciendum est, restitutione tam famæ, quàm fortunæ bonorum æquiualentium.

Sed cùm hæc diffamatio duobus modis iniusta esse possit: primo materialiter seu obiectiuè tantùm: secundo etiam formaliter: aduerte magna duo, quoad rem præsentem, intercedere discrimina inter eum qui iniustè primo modo
II. diffamat, & eum qui secundo. Nam qui primo modo, obligatur quidem ex iustitia ad restituendam famam, vt ex superiori sectione liquet, at ad id non obligatur cum notabili famæ suæ detrimento: sicut qui rem alienam putans bona fide esse suam accepit, & habet apud se, postquam comperit alienam esse, obligatur ex iustitia domino remittere: quia tamen sine iniustitiæ culpa accepit, non obligatur eam magnis suis expensis remittere, quantumcunque illa eius acceptio materialiter & obiectiuè reipsa iniusta fuerit: at qui secundo modo, obligatur ablatam famam restituere etiam cum notabili
III. famæ suæ detrimento, quando famam alienam C notabiliter læsit iniuste formaliter: sicut qui graue in fortunæ bonis damnum alteri sic iniustè intulit, nec aliter potest, quàm cum aliquo satis graui fortunarum suarum damno illud resarcire, ad resarciendum cum hoc etiam damno suo ex iustitia obligatur.

Deinde qui primo modo diffamauit, si quæ damna in fortunæ bonis redundant in diffamatum, vel in alium, ob illam diffamationem, nõ obligatur ex iustitia ad hæc compensanda, vt si ob eam non obtinet magistratum, aut beneficium, aut eo iam obtento priuatur. Qui autem secundo modo diffamauit, ad id ex iustitia obligatur: hic quidem obligatur, quia ex iniustitiæ peccato quo damnum alicui in fortunæ bonis infertur, oritur ex iustitia resarciendi huius
IV. damni obligatio: sic enim iniusta damni illatio D sub iniusta formaliter alienæ rei acceptione, vt alias monui, comprehenditur, ex qua consurgit haud dubiè restitutionis obligatio: ille autem ad id minimè obligatur, quia nec ex re aliena obligatur, cùm rem alienam apud se non habeat, nec habuerit, nec quidquam eius loco, ex quo ractus sit ditior: neque ex eius acceptione: vel enim ex iusta, vel iniusta, neutrum autem dici potest. Non quidem ex iusta, cùm rem alienam per contractum, similémve modum iustum non acceperit, imò cùm eam non aliter accepisse censeatur, quàm quia eius damnum intulit: nec ex iniusta, qui enim eo tantùm nomine rem alienam censetur accepisse, quòd eius damnum intulerit, nunquam ad eius restitutionem obligatur, nisi huiusmodi acceptio fuerit iniusta formaliter, seu peccatum iniustitiæ: vt enim suprà probauimus, qui extra cõtractum nulla sua contra iustitiam culpa damnum alteri infert, ad hoc resarciendum nullam habet ex iustitia obligationem: qui autem primo modo diffamauit, damnum quidem in fortunæ bonis intulit, quatenus diffamationis, ex qua tanquam ex causa sequutum est illud in his bonis damnũ, author fuit: quia tamen hæc diffamatio iniusta formaliter non fuit, nulla per consequens sua contra iustitiam culpa damnum illud bonorum fortunæ intulit. V.

Quod autem dicimus hunc ad damnum istud resarciendum non obligari, intellige, quando sequutum est ex diffamatione materialiter iniusta, priusquam eam talem esse cognosceret. Nã si postquam eam talem esse comperit, fuerit in
VI. mora faciendæ restitutionis famæ, B ad quam ex iustitia obligatur, vt suprà probauimus, & tempore moræ istius damnum illud eueniat, ad hoc resarciendum ex iustitia obligabitur, quia ab eo tempore quo illud comperit, & in prædicta mora est, famam proximi detinet iniustè formaliter: vnde cùm ex ista detentione tanquam ex causa sequatur illud, vt supponimus, in fortunæ bonis detrimentum, sicut eius causa est per actionem suam iniustam formaliter, ita ad eiusdem compensationem ex iustitia obligatur.

SECTIO III.

Quomodo, & apud quos fama restituenda sit?

VII. QVOD ad modum attinet, dico primo, sufficere eo modo restituere, quo tota præcedens infamia illata tollitur,: ad nullam enim aliam illati damni compensationem obligatur is qui iniustè intulit, quam qua totum damnum aufertur.

Dico secundò, requiri etiam, vt hoc ipso modo restituatur: ratio est, quia qui iniustè damnum vel in fama vel in fortunæ bonis intulit, sicut obligatur ex iustitia ad huius totius damni compensationem, ita & ad restituendum eo modo, quo totum hoc damnum tollatur. Cæterùm quod dico iniustum diffamatorem obligari ad eo modo restituendam famam, quo illata priùs infamia penitus abstergatur, intelligendum est, quando hic restituendi modus est ipsi possibilis, VIII. absque tanto incommodo, quod ipsum soluat obligatione restitutionis: quantum autem hoc incommodum esse debeat, vt ista obligatione soluat, ex vna sequentiũ sectionum intelligetur.

Ex dictis concluditur, errare eos, qui dicunt plus esse restituendum, quando bona fama per falsum crimen erepta est, quàm quando per verum. Etsi enim, cæteris paribus, qui falsum crimen affinxit, grauiùs peccauerit, quam qui verum retulit, non obligatur tamen plus famæ reddere, quam abstulerit: ergo cùm ablata fama, siue per verum, siue per falsum

crimen, æqualis sit, aut esse possit, æqualis quoque famæ restitutio debita est, aut esse potest, siue veri, siue falsi criminis relatione ablata fuerit.

Iam quod ad eos spectat, apud quos famæ restitutio facienda est, quæstio est, vtrùm iniustus diffamator apud eos solos eam facere debeat, coram quibus iniustè diffamauit, an etiam apud illos qui ab istis postea referentibus crimen audierunt? Dicendum autem primò, satis esse famam restituere apud illos, coram quibus diffamauit, quando hi tales fuerunt, vt de eorum silentio nihil esset dubitandum, aut ipse prudenter nihil dubitaret: si enim hi crimen auditum aliis referunt, relationis huius, & infamiæ ex ea sequutæ causa censeri non debet.

Dicendum secundò, diffamatorem hunc obligari famam restituere apud illos, qui ex eorum quib. narrauit relatione didicerunt, quando tales isti fuerunt, de quorum silentio dubitare poterat prudenter: obligabatur enim ex iustitia, non solum nō narrare istis quibus narrauit, ne is de quo narrauit, famæ suæ detrimētum in eorum mentibus pateretur, sed etiam ne isti aliis referrent, & sic idem ipse suæ quoque famæ damnum in horum aliorum mente sustineret: vnde per iniustitiam peccauit contra bonam proximi famam, tam respectu eorum quibus ipse narrauit, quàm illorum quibus ipsi retulerunt, hócque peccato suo tam illius in illorum, quàm huius in horum mentibus infamiæ causa fuit, vt propterea mirum non sit, si ad eam tam apud hos, quàm illos restituendam obligetur: qui tamen hac obligatione soluitur, si illi qui aliis retulerunt, apud eos quibus retulerunt famam restituant, quam procul dubio restituere tenentur, cùm eam iniusta sua relatione abstulerint: sicut & isti hac liberantur obligatione, si diffamator ille eam apud eosdem quibus hi retulerunt, restituerit, quoniam hac restitutione, siue per hos, siue per illum facta, sublata est inæqualitas, ad quam tollendam, erat famæ restitutio apud ipsos, siue ab illo, siue ab his ex iustitia facienda.

At idem ille diffamator iniustus tenebitúrne ad famæ restitutionem, eo casu, quo alius eundem hominem de quo detraxit, apud eosdem, de eodem crimine postea diffamarit? Certè tenebitur, nisi quid aliud quàm simplex superueniens diffamatio impediat: alioqui quando duo seorsim aliquem de eodem crimine apud eosdem diffamassent, neuter ad famam ei restituendam obligaretur. Cur enim potiùs prior ex posterioris diffamatione liberaretur obligatione restituendæ famæ, quàm posterior ex prioris? Vterque ergo obligabitur, cùm vterque per iniustitiam famæ proximi damnum intulerit. Verum tamen est, vno sic restituente, vt nihil remaneat infamiæ præcedentis, alterum consequenter solui obligatione restituendi, quoniam statim atque illatum damnum plene sublatum est, cessat restitutionis obligatio, quocunque modo sublatum sit.

Dixi, nisi quid aliud quàm simplex superueniens diffamatio impediat: quia fieri potest, vt quæ superuenit diffamatio, talis sit, vt ob ipsam prior diffamator liber fiat ab obligatione faciendæ restitutionis: vt cùm per diffamationem superuenientem peccatum diffamati tam certis indiciis habetur compertum, vt quidquid dicat, faciatque, non possit amplius ab eorum mentibus apud quos detraxit, auellere malam illam quam de diffamato conceperunt opinionem.

Nec opponas, hinc sequi, priorem diffamatorem toties solui obligatione restituendi, quoties qui posteriùs diffamauit, maioris authoritatis est, propterea quòd ob huius maiorem authoritatem, quantumcunque se prior ille retractet, adhuc tamen in opinione sua permansuri sunt illi, apud quos detraxit. Ne, inquam, id opponas, quia reuera non sequitur. Etsi enim qui posteriùs diffamauit, maiorem habeat illo alio apud homines authoritatem, fieri tamen potest, vt isto qui primus diffamauit se retractante, cogitent ij qui retractantem audiunt, fortè illum quoque cuius ex narratione idem de eodem crimen postea audierunt, deceptum fuisse, aut id etiam certò sibi persuadeant: ex quo vel tota præcedens infamia tolletur, vel saltem ex parte minuetur: ad quam minuendam haud dubiè obligatio est, cùm minui potest, sicut ad totam tollendam, cùm tolli tota potest.

Adde quòd contingere poterit, vt secundus diffamator se postea retractet, ij autem apud quos se retractabit, aliquid adhuc malæ opinionis de diffamato retineant, vi primæ diffamationis, quam proinde radicitus euelleret secundi diffamatoris retractatio, si primi retractatio præcessisset: aut quam hæc primi retractatio penitus extirparet, si secundi diffamatoris retractationi superueniret: ad quam ideo faciendam, nonobstante hac diffamatione posterioris huius diffamatoris maiorem apud homines authoritatem habentis, obligatur, cùm teneatur id ex se conferre, sine quo fortè ablata fama nunquam vel tota, vel ex parte restituetur, & quo posito, forte vel tota, vel ex parte saltem restituetur: fatcor tamen quòd si secundus diffamator tantæ esset authoritatis, vt quidquid primus diceret, facerétque, ij qui audierunt, essent nihilo minùs propter illius authoritatem in opinione sua permansuri, nec ille restituere ampliùs posset, vt si iam mortuus esset, non obligaretur ampliùs ad famæ restitutionem qui primus diffamauit, quandoquidem nihil eorum omnium quæ dicere posset aut facere, ad conciliandam diffamato bonam famam conducere quidquam posset.

SECTIO IV.

An sufficienter famam restituat, qui quempiam certa in materia diffamauit, conciliando ei bonam famam in altera?

RES erit exemplo clarior: diffamarit ergo aliquis alium, dicendo eum ebriosum esse:

quæstio est, an sufficienter famæ restitutionem faciat, dicendo eundem esse liberalem, aut misericordem, sícque conciliando ei famam & existimationem liberalis hominis aut misericordis apud eosdem, apud quos dixit esse ebriosum? Rectè negant Nauarr. cap. 18. Manualis num. 42. & Petrus Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 4. num. 369. Ratio est, quòd restitutio ob illarum damnum facienda, debeat esse sublatio illati damni: quandiu enim hoc sublatum non est, tandiu manet faciendæ restitutionis obligatio: per restitutionem autem qua bona fama vna in materia conciliaretur diffamato in altera, non tolleretur famæ damnum ipsi illatum, quia tunc tantùm restitutio est illati damni sublatio, cùm per eam vel ipsamet res ablata redditur, vel cùm hæc reddi non potest, altera saltem ipsi æquiualens: at qui diffamauit vna in materia, & bonam famam conciliat in altera, nec ipsam famam ablatam restituit: bonam enim temperantis hominis famam abstulit, quam non restituit, cùm bonam famam conciliando liberalis hominis, aut misericordis, non efficiat vt temperans sicut priùs existimetur.

I. II.

Neque etiam huic ablatæ famæ æquiualens reddit: solæ enim illæ res censentur æquiualentes, quæ inuicem commutari possunt, eo similíve modo quo fortunæ bona inuicem commutantur: at non ita se habet bona fama in vna materia, cum bona fama in materia altera: vna enim cum altera non venit in commutationem, idque ex ipsa famæ natura, vt vel ex eo constat, quòd is cui damnum illatum antea per restitutionem rei æquiualentis, ac proinde in commutationem cum altera quæ ablata est venientis, sublatum est, perinde à parte rei se habet, & ab hominibus habere se iudicatur, atque si nullum damnum passus esset, eoque loco censetur repositus, quo erat, antequam damnum pateretur: vnde & nullum de præsenti sustinere existimatur. Quod euidentissimum est in damno fortunarum illato, & per rei æquiualentis ablatæ restitutionem compensato, qua restitutione facta, is cui facta est, æque diues censetur atque antea, nullumque de præsenti bonorum fortunæ damnum sustinet: at is cui bona fama in vna materia ablata est, & bona in materia altera conciliatur, non perinde se habet, nec ab hominibus perinde se habere iudicatur, atque si nullum famæ damnum passus esset: reuera enim etiam post conciliatam ipsi bonam illam in materia liberalitatis aut misericordiæ famam, patitur adhuc famæ suæ detrimentum: adhuc enim & reipsa, & communi hominum iudicio est infamis, eo ipso quo non obstante bona illa fama, adhuc existimatur ebriosus.

III. IV.

Adde, quòd etsi bona fama in vna materia cum bona fama in materia altera posset commutari, non videretur tamen illa famæ restitutio sufficiens, de qua quærimus hîc, an sufficiens sit. Ratio est, quòd ad sufficientem restitutionem necessaria sit restitutio eius ipsius rei quæ ablata est, si illa ipsa restitui potest: atqui bona fama in vna materia restitui eadem ipsa potest, & de facto restituitur, cùm bona fama in eadem materia conciliatur. Nec refert, quòd Metaphysicè loquendo, bona fama in aliqua materia præcedens diffamationem in eadem materia non sit eadem numero cum bona fama quæ in hac ipsa materia restituitur, sicut actus bonæ opinionis qui ante diffamationem fuerat elicitus, non est idem numero cum eo qui post diffamationem, famæque restitutionem elicitur: moraliter enim eadem numero fama reputatur: vnde & ij de quorum virtute quotidie nouos subinde bonæ existimationis actus elicimus, eandem semper & inuariatam retinere apud homines famam censentur.

A V.

SECTIO V.

Vtrùm si duo se vicissim æqualiter infamarint, vnúsque nolit alteri famam restituere, teneatur iste alter illi alij famam quam eripuit restituere?

B VI.

QVÆSTIO non proponitur nisi de duobus qui se infamarint æqualiter, quia si inæqualis esset diffamatio, illo qui leuiùs diffamasset nolente restituere, non solueretur obligatione restituendi, pro diffamationis saltem excessu, ille qui grauiùs diffamasset: sicut si duo sibi vicissim in fortunæ bonis damnum intulissent, sed vnus alteri maius, eo qui minus intulisset nolente restituere, obligaretur nihilominus ille qui grauius intulisset, ad tantum saltem alteri restituendum, quantum damnum quod intulit, excedit damnum quod ab altero accepit: qua in re omnes conueniunt, sicut & in ista, nimirum eum qui diffamatus ab aliquo est, non posse licitè vicissim ipsum diffamare, quando hæc diffamatio nihil conducit ad infamiam propriam impediendam, aut ad propriam famam recuperandam, sed tantùm ad alienam vicissim eripiendam: id enim esset illata iniuria acceptam iniuriam vlcisci, quod vindictæ genus priuata authoritate sumptæ constat esse illicitum.

C VII.

Nec refert, quòd si alicui de propriis fortunæ bonis sit quidpiam iniustè subreptum, nec illud aliter recuperare possit, quàm ei qui surripuit, surripiendo clam aliquid æquiualens, id licitè possit: hoc enim in hisce bonis licitum est, quia hoc modo resarcitur damnum quod illatum est: quod in ista vicissim facta diffamatione de qua loquimur, non accidit: is enim qui diffamat eum à quo diffamatus est, sicut non propterea famam suam recuperat, ita nec famæ suæ damnum quod passus est, resarcit.

D VIII.

Dixi paulò antè (quando hæc diffamatio nihil conducit, &c.) Si enim aliquo te iniustè diffamante, non possis impedire, ne audientes malam de te concipiant opinionem, nisi defectum eius aliquem aperias, quo cognito fiet, vt ei fides non habeatur, licitè id potes: sicut enim quisque ius habet tuendæ

vitæ suæ cum detrimento alienæ, quando aliter suam eripere mortis periculo non potest: ita & famæ suæ cum damno alienæ, quando aliter eam ab infamiæ periculo seruare non potest. Verum sicut in propria vita tuenda cum periculo alienæ, vtendum est moderamine inculpatæ tutelæ, ita vt si ad tuam seruandam I. sit satis vulnus alteri non lethale infligere, vulnus illud solùm infligas: ita & in propria fama defendenda simili moderatione vtendum est, itavt si ad eius defensionem sufficiat leuius aliquod diffamatoris vitium aperire, grauius ne aperias: & quemadmodum ne in infamiam incidas, hoc tibi licitum est: ita & licitum est, postquam in eam incidisti, perditam famam vt recuperes, si aliter recuperare non possis: eadem enim quoad hoc ratio est bonæ famæ conseruandæ, cuius amittendæ periculum est, & postquam amissa est recuperandæ, cùm & ad eam conseruandam, & ad recuperandam ius æqualiter habeas.

De proposita autem quæstione partem negantem amplectuntur Sotus lib. 4. de Iustit. II. quæst. 6. artic. 3. ad 4. Adrian. in 4. quæstione penultima de Restitutione. §. *Circa prædicta.* Corduba de Detractione, quæst. 3. concluſ. 14. Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 25. Affirmantem quam probabiliorem iudico tuentur Caietanus ad articulum secundum quæstionis 62. Nauarr. cap. 18. num. 47. Petrus Nauarr. cap. 4. num. 395. Maior in 4. dist. 1. quæst. 16. Panormit. in cap. *bona fides.* de depositio, & alij. Eam autem probo ex eo quòd quando per damnum à te illatum ei qui tibi priùs intulit, nec compensas damnum quod ab eo accepisti, nec ei quidquam eripis, quod ipse tibi dare potuerit ad resarciendum damnum tibi illatum, obligaris ad compensationem damni quod ipsi intulisti, etiamsi nolit ipse compensare illud, quod tibi intulit: atqui III. res ita habet in proposito. Minoris veritas certa est: dum enim eum qui te diffamauit infamas, nec famæ tuæ damnum reparas, quia non propterea bonam famam tuam recuperas: nec ei quem infamas quidquam eripis, quod ille tibi dare potuerit ad compensandum tibi illatum damnum: suam enim illi famam eripis, quam, vt patet, tibi dare non potuit, vt sic famæ tuæ tibi ablatæ damnum compensaret. Maior autem hinc constat, quòd vbi est illatum contra iustitiam damnum, illius resarciendi obligatio est, nisi fortè per illius damni illationem damnum tibi illatum, tibique ab eo qui intulerat resarciendum, resarcieris, aut ei tantum de suo eripueris, quantum tibi dare potuit, & debuit, ad illati tibi damni compensationem: tunc IV. enim mutua damni illatio mutuæ compensationis rationem obtinet: quo fit, vt neuter ampliùs ad restitutionem obligetur, quoniam vbi illati damni compensatio est, ibi restitutionis cessat obligatio.

Quod fiet euidentius exemplo reciproci damni in fortunæ bonis illati: si quis enim tibi surripuerit centum, & tu ei centum postea surripias, aut si quis tuas segetes combusserit, tu postea illius comburas, nec obligabitur tibi quidpiam restituere pro damno tibi illato, nec illi tu pro eo quod vicissim intulisti: quia licet per damnum à te illatum non resarcieris illud quod accepisti, ei tamen qui intulerat, abstulisti tantum de suo, quantum dare tibi potuit, vt illatum tibi damnum resarciret: & vice versa ille tantum de tuo tibi priùs abstulit, quantum dare potuisti, vt damnum ei postea illatum resarcires, sicque mutua hæc damni illatio, mutua quædam illati damni compensatio est: vnde cùm hæc compensatio sit tota ratio propter quam hic & ille restituendi obligatione soluitur, hæc autem in mutua diffamatione locum non habeat, vt in probatione minoris propositionis ostendi, fit vt eorum qui se mutuò diffamauerunt, alter alteri famam restituere obligetur, & proinde, vt si ex iis vnus nolit eam restituere, hic tamen illi restituere obligetur. V.

Et hinc patet, nullam esse responsionem Lessij loco citato respondentis, per mutuam damni illationem tolli debitum satisfaciendi, propter compensationem: hanc enim in mutua diffamatione non interuenire probauimus. Ex VI. quo etiam falsum esse intelligitur quod ibidem ait, nempe si eum qui te diffamauit, de grauiori crimine diffamaueris, quàm ille te, & famam tibi restituere nolit, posse te famam ipsi non restituere, eamque quodammodo pignoris instar retinere, vt sic eum ad restitutionem compellas, qui proinde quòd non restituas imputare sibi debebit: sicut, inquit, si quis tibi debeat aureum vnum, & huius annulum aureum maioris pretij habeas, retinere potes, vt sic eum cogas ad solutionem. Verùm cùm ideo possis annulum hunc, aliúdve simile pignus retinere, quia eo retento damnum quod tibi inferretur non solutione debiti compensas: retentione autem, seu non restitutione famæ quam eripuisti, siue maioris ea quæ tibi ablata est, siue minoris, siue æqua- VII. lis, compensare non possis famæ tuæ tibi ablatæ detrimentum, vt ex ante dictis notum est, etsi licitum illud sit ob prædictam compensationem, istud eius defectu licitum non erit.

Ex dictis concludes, si quis te infamauerit, eique postea damnum in fortunæ bonis inferas, obligatum iri te ad hoc damnum resarciendum, licet famam restituere tibi ipse nolit: per hanc enim damni illationem, neque damnum famæ tuæ reparas, nec quidquam illi eripis, quod ipse dare tibi in compensationem famæ tibi ereptæ debuerit, vel absolute, vel ex hypothesi quòd nollet, aut non posset famam tibi tuam restituere: vt enim ex sequenti sectione constabit, ad ereptam famam pecunia compensandam, etiam tum cùm in proprio genere restitui non potest, nulla ex rei natura obligatio est. VIII.

Quoniam tamen contraria sententia, quæ asserit in compensationem ablatæ famæ dari debere pecuniam aliquam ab eo qui diffamauit, quando hæc in suo genere non restituitur, siue quia sic restitui ampliùs no potest, siue quia diffamator eam sic restituere minime vult, etiáſi possit, & debeat, non caret probabilitate, dicendum consequenter iuxta sententiam hanc, licitú fore diffamato, qui diffamatori nolenti, vel non valenti famam restituere, damnum in fortunæ

bonis intulit, non resarcire damnum hoc, dummodo maius non sit illa pecuniæ summa quam iste diffamator dare deberet in compensationé famæ quam abstulit : quandoquidem enim hanc iure suo pecuniæ summam ab eo sibi ex iustitia debitam posset exigere, nec illam tamé I. acciperet, eiúsque proinde damnum sustineret, ipse postea par in fortunæ bonis ei damnum inferens, eo ipso aliquid eidem de suo eriperet, quod pro pecunia debita nec soluta dare potuisset: quo fieret, vt illa damni in diffamatorem illatio, compensationis pro damno quod in fortunæ bonis infert diffamato rationem haberet, sícque diffamatum liberaret obligatione resarciendi damnum quod in fortunæ bonis diffamatori intulisset.

SECTIO VI.

An eo casu quo fama restitui amplius non potest, vel quia diffamati crimen factum est publicum, vel aliam iustam ob causam, II. *teneatur iniustus diffamator aliqua pecuniæ summa ablatæ famæ damnum compensare?*

AFFIRMANTEM partem tuentur Sotus loco suprà citato, Adri. quodlib. 11. Couarr. lib. 1. Variarum resolutionum cap. 2. num. 8. & nonnulli alij. Negantem, quam amplector, defendunt Nauarr. in Man. cap. 17. num. 90. Petrus Nauarr. lib. 2. c. 4. parte 3. quæ est de restitutione famæ, num. 417. Sylues. Verbo, *detractio.* quæst. 4. & Lessius lib. 2. cap. 11. dubit. 16. Eam autem probo in primis hac à priori ratione. Dum nō est possibilis illati damni sublatio, cessat ob hoc damnum illatum faciendæ restitutionis obligatio: atqui dum fama iniustè ablata restitui per bonæ famæ conciliationem amplius non potest, non est possibilis huius illati damni sublatio : ergo cessat III. omnis ob hoc illatum damnum faciendæ restitutionis obligatio : ergo & obligatio pro fama ablata dandi certam pecuniæ summam. Vtraque consequentia euidens est. Maioris veritas ex eo patet, quòd tota faciendæ restitutionis ob illatum damnum obligatio, eò tendit, vt per eam reparetur, seu tollatur damnum illatum, ideóque solùm facienda est, vt reparetur. Minor probatur, quia tunc tantùm illatum damnum tollitur, aut tolli potest, quando vel illa ipsa res quæ ablata est redditur, aut reddi potest, vel altera ipsi æquiualens : atqui dum impossibilis est ablatæ famæ restitutio per bonæ famæ conciliationem, nec bona fama IV. quæ ablata est reddi potest, nec alia res ei æquiualens.

Dices, certam pecuniæ summam censeri posse æquiualentem. Sed contra. Vt enim constat ex dictis sectione 4. illæ solæ res censentur æquiualentes ad damnum in vna illatum tollendum per alteram, quarum vna cum altera commutari ad humanos vsus potest, eo simili modo, quo pecuniæ inuicem, aut frumentum cum pecunia cōmutántur : non sic autem pecunia cum fama, aut hæc cum illa commutatur, vt patet : cum illa ipsa ratione, qua citata sectione probauimus bonam famam in vna materia cum bona fama in materia altera non posse commutari : tum ex eo quòd non sicut triticum cum vino commutatur, aut aliqua eiusmodi res pecunia emitur, ita & fama. Nec dicas pecuniam esse mensuram quandam rerum humanarum : hæc enim secundùm communem hominum existimationem & vsum, mensura tantummodo est rerum venalium, seu earum quas solent homines commutare pecuniis, fama autem neque natura sua, neque hominum consuetudine pecuniis solet commutari. V.

Probo secundo hac ratione à posteriori. Si cum fama iniustè ablata restitui non poterit, manet ex iustitia obligatio eam pecunia compensandi, pari ratione dici debebit, pro ipsa præcisè vita ablata quæ restitui non potest, manere obligationem faciendæ alicuius in pecunia compensationis, quod falsum esse ex superiori disputat. constat: dicendum quoque pariter erit, eum qui vi aut fraude aliquem in peccatum pertraxerit, per quod gratiæ sanctificantis iacturam fecerit, obligatum esse pro ipso præcisè damno spirituali quod intulit, certam aliquam pecuniæ summam rependere: eum quoque qui illatum alteri in pecuniis aliísve fortunæ bonis damnum resarcire pecunia, alióve simili & æquiualenti fortunæ bono non poterit, teneri ex iustitia compensare damnum hoc, aut aliquo honore ei exhibendo, aut aliqua bona fama ipsi concilianda : illam enim admittendi pro famæ damno pecuniariæ compensationis obligationem, & non istas obligationes, nulla legitima causa est, cùm harum & illius eadem ratio sit : & sicut per compensationes quas inferimus fore ex istis obligationibus faciendas, non potest tolli damnum illud cuius in compensationem fient, ita per factam in pecunia compensationem VII. tolli non possit ereptæ famæ detrimentum quod pecunia compensandum dicitur, vt ex suprà dictis certum est: & sicut hæc compensatio, dicitur aliqualis, licet non prorsus æqualis, pro hoc damno satisfactio, ita pari iure quæ fiet iis quibus diximus modis compensatio pro illis aliis damnis, dici possit si non prorsus æqualis, at aliqualis saltem satisfactio.

Ex hac nostra doctrina duo colliges. Primum est, eum qui vel vero vel falso crimine relato quempiam diffamasset, in aliqua certa materia, nec posset amplius in eadē materia famam illi infamiæ oppositam restituere, minimè obligatum fore ad bonam famam ei in materia altera conciliandam, etsi facilè posset. Sicut enim non obligatur dare pecuniam, quia pecunia famæ damnum compensari non potest: ita nec conci- VIII. liare bonam famam in materia altera ab ea in qua famam eripuit, quia famæ huius detrimentum illius famæ conciliatione non potest compensari seu tolli, vt ex dictis sect. 4. notum est.

Secundum est, hæredes diffamatoris qui ante mortem non restituit famam quam iniustè ripuerat, non obligari dare pecuniam aliquam in eius compensationem, cùm ad id ipse diffamator nullam habuerit obligationem.

Quòd si contraria sententia, asserens hunc ad id obligari, ex hypothesi quod ereptam famam restituere aut nolit, aut non possit amplius, vera esset: dici consequenter deberet, hæredes ipsius obligari ad eam pecuniæ summam dadam diffamato, quam ipse diffamator ex hypothesi I. prædicta dare debuisset: sicut enim in eius bona succedunt, ita & in obligationes quas habuit dum viueret, soluendi de suis his bonis debita creditoribus, & quæcunque alia ex iustitia debita quibusvis aliis personis.

At contra nostram doctrinam oppones primò authoritatem S. Doctoris quæst. [illegible] ad 2. expresse dicentis, iniustum diffamatorem, si non possit famam restituere diffamato, *debere ei aliter recompensare.* Sed cùm his verbis, hæc immediatè adiungat, *sicut & in aliis dictum est*, id est, in solutione ad primum, vt ad marginem loci huius annotatur, eodémque proinde sensu dicat hîc ad 2. pro ablata fama compensationem in pecunia, aut alia re simili fieri debere, quo in illa ad primum solutione dixit, pro amputato membro faciendam esse in pecunia, aut in honore compensationem, sicut hunc locum II. suprà post Syluestrum sic interpretati sumus, vt diceremus, ostenderemusque ex aliis eiusdem loci verbis, compensationem in pecunia faciendam, non pro ipso præcisè amputati membri damno fieri debere, sed pro damno in fortunæ bonis ex illo priori consequente: ita nunc dicimus faciendam in pecunia compensationem, non pro ipso præcisè ereptæ famæ detrimento, sed pro alio in fortunæ bonis ex eo emergente, si quod forte emergit, esse faciendam.

Oppones secundò diffamatū acceptare posse pro diffamatione pecunias, hocque eas acceptante, diffamatorem fore liberum ab obligatione famæ restituendæ. Respondeo verum id esse, sed non posse propterea concludi, hunc ex natura rei obligari ex iustitia ad faciendam pro ablata fama in pecuniis compensationem, ex III. hypothesi quod nolit, aut non possit amplius eam restituere. Non enim diffamator obligatione famæ restituendæ soluitur, diffamato pecunias acceptante, quasi illatum famæ damnum sustulerit, & prōinde quasi vere, & à parte rei restituerit, sed quia diffamatus ei remittit faciendæ restitutionis obligationem, ea tamen conditione, vt certam pecuniæ summam tribuat.

SECTIO VII.

Vtrùm famam ablatam debeat iniustus diffamator quocunque suo cum incommodo restituere?

IV. AD clariorem huius quæstionis intelligentiam præmittendum est, quatuor distingui à Theologis bonorum ordines: quorum primus est superior secundo, secundus tertio, tertius quarto: primus spiritalia bona comprehendit, vt gratiam, virtutum habitus, & actus; secundus bona corporis, vt vitam, & membrorum integritatem: tertius, honoris & famæ: quartus, fortunæ. Quo præmisso, subiungo tres assertiones, de quibus nulla inter Theologos cōtrouersia est, dicturus postea de eo, quod non parum inter eos controuersum est.

Prima assertio. Bonum vnius ordinis aliquando restituendum, est cum detrimento boni eiusdem ordinis. Exempli causa, furatus est quis rem alienam certi pretij, nec potest eam aut æquiualentem restituere, nisi præterea iacturam aliquam saltem non notabilem fortunarum suarum faciat, obligatur etiam cum hoc incommodo suo restituere: imò ad hoc quoque obligatur, cùm hæc iactura maior non est ea quam fecit is, cuius res furto sublata est, & quam continuè pateretur, nisi res ipsi ablata, aut æquiualens restitueretur. Ratio est, quia pari in causa melior est conditio innocentis, quam nocentis: vnde quando necessarium est innocentem hanc aut illam suorum bonorum iacturam facere, nisi nocens aliquam, imo æqualem suorum faciat, hanc iste facere debet, ne ille faciat. A V.

Euincit autem hæc ratio, cum qui iniustè diffamauit, ad famam restituendam obligari, etiam cum æquali famæ suo detrimento: eum item qui iniusta diffamatione coniecit diffamatum in apertum vitæ suæ discrimen, obligari B VI. ad famam ei restituendam, non modò cum æquali famæ suæ damno, sed etiam cum pari vitæ suæ discrimine. Ex hac assertione à fortiori colligitur, bonum vnius ordinis esse aliquando restituendum cum damno proprij boni inferioris ordinis, & quidem saltem cum eo, quod secundùm prudentem hominum æstimationē, non pluris sit illo damno boni superioris ordinis, cuius tamen cum damno restituere deberet ille, qui proximo damnum boni superioris eiusdem ordinis intulisset.

Secunda assertio. Bonum vnius ordinis necesse non est aliquando restituere cum detrimento boni sui eiusdem ordinis, nempe cum detrimentum boni huius incurrendum, notabiliter maius esset bono restituendo, & per C VII. consequens damno quod patitur proximus. Ratio est, quod quando damnum rei propriæ à restituente incurrendum notabiliter maius est damno quod sustinet proximus ex re sua sibi non restituta, non potest rationabiliter inuito animo ferre dilationem omissionemve restitutionis. Ob hanc causam excusatur omnium iudicio à centum aureis quos furto sustulit restituendis, qui non potest restituere, nisi vendat agrum suum, aliámve rem similem, quadruplo minori pretio quàm valeat: ob quam pariter esset à restituendæ famæ obligatione solutus ille Prælatus, aut vir alioqui valde illustris, qui vilis conditionis hominem diffamasset, nec nisi cum iactura famæ suæ, quam, vt suppono, præclaram haberet, famam ablatam posset restituere. D VIII.

Dices, hinc esse consequens, virum illum illustrem, qui falsa criminatione vilis alicuius personæ vitam in certum periculum coniecisset, non obligatum iri cum vitæ suæ periculo suæ criminationis falsitatem aperire, ad personam illam mortis periculo liberandam. Sorus paulo pòst citandus hoc consequens vltro concederet, cùm quidpiam maius concedere non dubitet, nempe, famam iniusta diffamatione ablatam tantam esse posse, vt iniustus diffamator obligetur ad eam, non modò cum famæ

suæ iactura, sed etiam cum vitæ suæ periculo restituendam: si enim vult famam alicuius certæ personæ pluris esse faciendam vita cuiusdam alterius, itavt si illa iniustè erepta ab ista persona fuerit, hæc illius damnum resarcire etiam cum vitæ suæ detrimento debeat, multo magis
I. concedet, vitam vnius hominis tantum excellere posse supra vitam cuiusdam alterius, vt quamuis hæc ab illo iniustè in discrimen adducta sit, non obligetur tamen ad eam periculo eripiendam cum detrimento vitæ suæ, tam notabili excessu superante damnum vitæ suæ quod hic alius patietur.

Nonnulli sunt, qui etiamsi concedant, ea proportione qua fama personæ cuiusdam illustris famam cuiusdam alterius vilis conditionis superat, vitam quoque illius vitam huius superare posse: consequens tamen illud concesso antecedente negant, hanc negationis suæ reddentes rationem, quòd præceptum ad restituendam famam obligans affirmatiuum est, præceptum autem ad non occidendum, & proinde ad non coniiciendam iniustè vitam proximi in periculum obligans, negatiuum est:
II. cùm autem negatiua præcepta pro semper, vt loquuntur, obligent, affirmatiua autem, non pro semper, seu quouis tempore, & quolibet in casu, hinc fieri, vt quisquis coniecit iniustè vitam proximi in discrimen, obligetur, vt pro semper, sic cum suæ etiam vitæ periculo eam ex illo discrimine eripere: qui autem proximo famæ damnum iniustè intulit, cùm non obligetur pro semper, seu quouis in casu eam restituere, non obligari nominatim in eo, in quo vt restitueret, necesse haberet pati famæ suæ detrimentum notabiliter excedens damnum illud suæ quod patitur proximus.

Verùm admissa semel illa proportione inter famam & famam ex vna parte, & vitam ac vitam ex altera, dico concesso antecedente, concedendum illud consequens: aut si negatur, negandum quoque antecedens ex quo infertur:
III. propterea quòd vtriusque eadem prorsus ratio est. Nec obstat allatum ex præcepto affirmatiuo & negatiuo discrimen: primò, quia præceptum ad famam restituendam obligans, licet eatenus affirmatiuum dici possit, quatenus actu aliquem positiuum imperat, quia tamen ita affirmatiuum est, vt totam vim suam obligandi habeat ex præcepto negatiuo vetante iniustè proximo in re sua, siue pecunia, siue fama, damnum inferri, totumque peccatum quod omissione restitutionis rei ablatæ contrahitur, sit commissionis tantummodo, ac proinde contra solum præceptum negatiuum, vt supra iam in hac de restitutione materia docuimus, fit vt
IV. obligatio restituendæ famæ tam ex præcepto negatiuo sit, quàm ex negatiuo est obligatio non occidendi, vitámque proximi iniustè in discrimen non adducendi, eademque proinde ratio sit præcepti ad hoc & ad illud aliud obligantis.

Secundò, quia quemadmodum authores contra quos agimus, duo distinguunt in ablatæ famæ restitutione, primum est, ipsa iniusta eius ablatio, quam expressè & rectè dicunt esse contra præceptum negatiuum eam prohibens: secundum, præsupposita ista ablatione, rei ablatæ restitutio, quam dicunt esse ex præcepto affirmatiuo, quia vident illo positiui actus exercitium imperari: ita pari ratione in vita proximi iniustè in discrimen adducta, & ex isto discrimine liberanda, duo distinguere debent. Primum est, ipsa iniusta illius in discrimen adductio, quæ contra præceptum negatiuum est, eam vetans. Secundum, suppositA ista iniusta adductione, vitæ sic in discrimen adductæ ex hoc discrimine liberatio: quam si constanter loqui volunt, dicere debent tam ex præcepto affirmatiuo esse, quàm ex affirmatiuo sit rei ablatæ restitutio: cùm illa liberatio tam sit actus positiuus eius qui iniustè alterum in vitæ discrimen adduxit, quàm restitutio, eius qui furatus est, & restituit: nec minùs ille ex natura rei & per se ad hunc actum liberationis exercendum obligetur, quàm hic ad istum restitutionis. Quare cùm huius & illius actus exercendi obligatio vel ex solo præcepto negatiuo sit, vel si vnius ex affirmatiuo est, sit similiter & alterius: sequitur euidenter, vtriusque præcepti ad hunc & ad illum actum exercendum obligantis eandem prorsus esse rationem, eodemque proinde modo de prædicto antecedente & consequente esse philosophandum, itavt vno concesso, concedi alterum: negato, negari pariter debeat.

Quòd si cui admissa veritate antecedentis illius, quæ nemini videri dubia meritò potest, falsum videtur istud consequens, vt videri meritò potest, neget prædictam famæ & vitæ proportionem, qua tota vis obiectionis nititur, & dicat, si præcisè vita hominis illustris cum cuiusuis alterius vita præcisè comparetur, esse inter vtramque pretij & valoris æqualitatem, sicut & inter vtriusque animam rationalem est: gradus autem nobilitatis, aliáfve similes dignitates morales suum quidem pretium ac valorem apud homines habere: at vitam ipsam præcisè, vt & animam rationalem, non ita afficere,
VII. vt ipsius præcisè valorem augere possint, dum adsunt, aut dum absunt, minuere: aut certè si inter huius vitam & illius præcisè spectatam non est omnimoda æqualitas, non esse tamen ratione nobilitatis, alteriúsve similis dignitatis tantam inter vtramque inæqualitatem, vt propter hanc excusari quis possit ab obligatione vitæ suæ exponendæ periculo, vt eam quam iniustè in discrimen adduxit, ex eo liberet, quando aliter liberare non potest: quod non impedit, quo minus ab hac obligatione liber esset eo casu, quo vita ipsius esset ad commune bonum vel necessaria, vel non parum vtilis: eius autem quem in periculum coniecit, ad illud nec ita vtilis esset, multóque minùs necessaria.

Tertia assertio. Nulla est aliquando obligatio bonum inferioris ordinis restituendi, quando restitui non potest sine iactura boni ordinis
VIII. superioris. Verbi causa, si quis mediocris conditionis nobilem aliquem diffamarit, nec ei famam restituere possit sine vitæ suæ periculo, non obligatur restituere: si enim ad id non obligatur eo etiam tempore quo eam restituere non potest, nisi cum detrimento famæ suæ notabiliter excedente damnum famæ quod illi nobili intulit, vt ex superiori assertione constat, multò minùs ad hoc ipsum obligabitur cum

periculo vitæ ſuæ: cùm meritò poſſit vitam ſuam pluris quàm illam famam ſuam, cuius ipſi facienda iactura eſſet, æſtimare. Confirmatur aſſertionis veritas hoc altero exemplo: ſi quis alienæ pecuniæ non notabilem quantitatem furto ſuſtulerit, nec eam reſtituere poſſit ſine notabili famæ ſuæ detrimento, notabiliterque proinde excedente damnum illud pecuniæ quod intulit, non obligatur reſtituere: ſi enim cum damno fortunarum ſuarum notabiliter excedente damnum iſtud ad ipſum reſarciendum non obligaretur, multò minus ad id obligabitur, cum eo famæ ſuæ damno, quod maius eſſet illo fortunarum ſuarū detrimento.

I.

SECTIO VIII.

Grauis controuerſiæ deciſionem continens.

AT cùm nulla ſit inter Theologos de tribus his aſſertionibus controuerſia, vt iam monui, maxima eſt, vtrùm nulla vnquam vllo in caſu ſit obligatio reſtituendi bonum inferioris ordinis, quantumcunque magnum in ſuo ordine ſit, quando reſtitui non poteſt ſine damno aliquo boni ſuperioris ordinis, etiamſi in hoc ſuperiori ordine leue ſit? Prima ſententia aſſerit nullam vnquam eſſe obligationem. Eam defendunt Caiet. ad art. 3. quæſt. 62. & in ſumma verbo *reſtitutio.* cap. 6. Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 89. & duobus ſequentibus. Sylueſt. verbo *detractio.* quæſt. 4. Corduba lib. 1. quæſtionarij quæſt. 31. Petrus Nauarr. libro 2. cap. 4. num. 405. & Leſſius lib. 2. cap. 11. dubit. 15. Secunda è contrario ait aliquando aliquam eſſe reſtitutionis iſtius faciendæ obligationem: eam autem tuentur Sotus lib. 4. de Iuſtit. art. 3. ad 3. vbi primæ illius ſententiæ doctrinam pernicioſam eſſe dicit. Maior in 4. diſt. 15. & Couarr. regula, *peccatum*, parte 1. num. 8. & lib. variarum reſolut. cap. 1. num. 4.

II.

III.

Præcipua autem quæ pro prima illa ſententia fieri argumenta poſſunt, hæc ſunt. Primum, nullū obligari præcepto reſtitutionis ad quidpiam reſtituendum, quando eius reſtitutione fieret, vt damnum excedens notabiliter illud quod alter ex omiſſione reſtitutionis pateretur, ſuſtineret: atqui eum qui bonum inferioris ordinis, vt pecuniam, reſtituere non poteſt, ſine iactura boni ſuperioris ordinis, vt famæ, non poſſe reſtituere niſi cum damno ſuo notabiliter excedente damnum quod ex omiſſa reſtitutione alter accipiet: quia ſicut bonum ſuperioris ordinis, quantumcunque paruum ſit in iſto ordine, maius ſemper eſt, & præſtantius bono inferioris, quantumuis magno in hoc inferiori ordine, ita damnum boni illius ſemper huius boni damno maius eſt.

IV.

Secundum, neminem obligari reſarcire damnum pecuniarum quod iniuſtè intulit quantumlibet graue, iactura ſuæ libertatis, ſeipſum tradendo ſeu vendendo in ſeruum, quia libertas bonum eſt fortunæ bonis ſuperioris ordinis: ergo nec iactura ſuæ famæ: cùm bona fama ſit libertate ſuperior: vnde mallet honeſtiſſima mulier duriſſimam ſeruitutem ſeruire, quā minimum dedecus aſperſum famæ ſuæ ſuſtinere: ergo etiam vniuerſim nullam eſſe obligationem reſarciendi damnum boni inferioris ordinis cum iactura boni ſuperioris.

Tertium, mulierem adulteram ad prodendum adulterium ſuum cum periculo famæ ſuæ non teneri, ex communi Theologorum doctrina, etiamſi ex eo occultato futurum ſit, vt legitimi hæredes magna illa parte hæreditatis quæ ad ſpurium deueniet, priuentur: idque Innocentium tertium definiuiſſe in cap. *officiis*, de Pœnit. & remiſſion. nec huius rei aliam eſſe cauſam, quàm quia fama bonum ſuperioris ordinis eſt fortunæ bonis: nemo autem tenetur illatum in inferiori bono damnum reſarcire, aut impedire cum damno boni ſuperioris.

A

V.

Quartum, nullum temporale bonum reſtituendum cum damno boni ſpiritalis, quia hoc illo ſuperioris ordinis eſt: ergo nec vllum in genere bonum inferioris ordinis reſtituendum, cum damno boni ordinis ſuperioris.

At non obſtantibus his argumentis, & authoritate tam grauium, támque multorum Doctorum, à quibus illa ſententia defenditur, ſecundam verosimiliorem iudico. Primò, quia incredibile mihi videtur, furem nec illuſtris familiæ, nec præclaræ apud homines famæ, qui centum millia aureorum aut multò amplius furatus eſſet, nec ea reſtituere poſſet, niſi veniens in leuem aliquam furti à ſe commiſſi ſuſpicionem, propter hoc leuiſſimum famæ ſuæ damnum, quod per hanc ſuſpicionem pateretur, ſolui obligatione reſtituendi.

B

VI.

Secundò, quia rariſſima alioquin erit faciendæ reſtitutionis obligatio, cùm vix vnquam iniuſtè erepta fortunæ bona reſtitui poſſint, quin fur aliquo modo ſe prodat aut ei cuius fortunas abſtulit, aut alteri, & quin per conſequens aliquod famæ ſuæ damnum incurrat. Nec dicas, poſſe reſtitui per intermedium Confeſſarium, cui fur obligatur ex præcepto diuino de facienda peccatorum omnium mortalium confeſſione, furtum ſuum confiteri. Nam quid ſi nolit aut non poſſit Confeſſarius hoc onus in ſe ſuſcipere, ſolueturne fur ille omni obligatione reſtituendi? Ergo ſi ſacramentalis peccatorum confeſſio inſtituta & præcepta non eſſet, omnis huiuſcemodi fur illa eſſet ſemper, aut fere ſemper obligatione ſolutus, ob illud leuiſſimum ſaltem famæ ſuę detrimentum, ſemper aut ferme ſemper illi reſtitutioni coniunctum? Ergo ante confeſſionem hanc inſtitutam nullus aut fere nullus ad iſtam reſtitutionem obligabatur? Ergo nunc inter Ethnicos nullus obligatur?

C

VII.

Tertiò, quia ex aduerſariorum ſententia conſequens eſt, eum qui famam alterius leuiſſimè læſiſſet, nec eam reſtituere poſſet ſine damno ſuarum omnium fortunarum etiam ampliſſimarum, obligatum iri nihilominus, non obſtante damno hoc, ad eam reſtituendam: quandoquidem enim ex aduerſariorum ſententia, quodlibet damnum boni ſuperioris ordinis excedit quodlibet damnum boni inferioris ordinis, damnum autem famæ ſuperioris ordinis eſt fortunarum damno, ſicut & fama fortunis, ſane ille qui leue famæ ſuæ damnum iniuſte ab iſto acceperit, maius damnum ſuſtinebit eo damno quod patietur iſte reſtituens ex detri-

D

VIII.

mento isto suo, ad illud alterum famæ detrimentum quod intulit resarciendum obligabitur : cùm præsertim si ereptam alteri iniustè famam restituere non posset sine pari damno famæ suæ, non obstante damno hoc ad eam restituendam obligaretur, vt ex supradictis, & omnium consensu certum est, damnum autem istud famæ suæ maius sit damno suarum omnium fortunarum, ex prædicta eorundem aduersariorum sententia.

I. A V.

Quod tamen consequens non videtur admittendum, imò communi omnium iudicio repugnare videtur, nec aliam ob causam, quàm quia, etsi bonum superioris ordinis ex se suóque genere seu ordine sit maius bono ordinis inferioris, secundùm se item suumque genus ac ordinem spectato, & per consequens damnum illius boni sit ex se suóque ex genere seu ordine maius damno boni istius similiter considerato, vnum tamen cum altero, & vnius pretium seu valor cum alterius pretio seu valore venire ex natura rei in comparationem potest,

II. B VI.

& ita, vt cæteris quidem paribus, illud quod est superioris ordinis, sit semper maius eo quod est inferioris : at vbi cætera paria non sunt, & parua quantitas boni vel damni superioris comparatur cum magna quantitate boni damnive inferioris, possit huius quantitatis excessus tantus esse supra quantitatem illam paruam, vt secundùm prudentem hominum æstimationem, tantum bonum, damnúmve inferioris ordinis maius sit absolute bono illo, damnóve paruo ordinis superioris, nec proinde sit obligatio boni damnive tam parui licet ordinis superioris compensandi, cum tanto damno licet ordinis inferioris.

III. C VII.

Ex quo à contrario concludo contra primæ sententiæ authores, fore aliquando obligationem restituendi bonum inferioris ordinis cum damno superioris, eo nimirum casu, quo secundùm prudentem hominum æstimationẽ, damnum hoc, ob exiguam illam boni superioris ordinis quantitatem, cuius iactura fiet, leue censebitur, comparatum cum damno boni ordinis inferioris in maxima quantitate amissi, aut certè ipsum non omnino exæquare, vel non notabiliter excedere iudicabitur.

Ex quo patet primi argumenti supra pro prima sententia propositi solutio. Neque concludas, si bonum & damnum vnius ordinis ita comparari cum bono damnóque alterius ordinis potest, futurum, vt vnum alteri æquiualens esse possit, & per consequens, vt vnum per aliud compensari ex iustitia valeat, & debeat, tum saltem, cùm fieri compensatio per bonum eiusdem ordinis non potest, contra doctrinam

IV. D VIII.

à nobis supra hac ipsa disputatione traditam: non enim istud inde futurum rectè concluditur : quia etsi vnum cum altero sic rectè comparari possit, vt secundùm prudentem hominum æstimationem de duobus illis bonis aut damnis esset potiùs vnum eligendum, quàm alterum, si simul vtrumque haberi, aut euitari non posset : vnum tamen alteri censeri non potest æquiualens, æquiualentia illa, vt ita loquar, quæ necessaria est inter eas res, quarum vna compensari ex iustitia potest, aut etiam debet damnum illatum in altera : illa enim inter eas æquiualentia requiritur, ratione cuius per vnam rem auferri possit damnum quod iniustè illatum in re altera est, vt etiam ex dictis hac disputatione notum est : at non obstante prædicta, & quacunque comparatione quæ fiat inter bona diuersorum ordinum, damnum tamen illatum in bono vnius ordinis tolli non potest per bonum alterius ordinis, vt ex eadem certum est.

Ad secundum argumentum respondeo concedendo antecedens, non ob eam causam quæ ibi affertur, sed quia damnum libertatis, & seruitus, secundùm communem & prudentem hominum æstimationem, maius damnum incommodumque censetur quocunque damno pecuniarum ordinariè contingente. Quod si supponeretur persona aliqua tam vilis tantam pecuniarum copiam furto sustulisse, nec posse restituere, nisi cum damno suæ libertatis, hanc autem eius libertatem, non tanti æstimandam esse, quin secundùm prudens hominum iudicium, damnum opum suarum quod ille alter passus est, tantum esset, vt suæ libertatis detrimentum quod fur pateretur, vel illud non exæquaret, vel non notabiliter excederet, dicendum esset ex consequenti, ipsum ad restituendum etiam hoc suo cum detrimento obligari. Concesso autem antecedẽte ob eam quam dixi causam, nego primam, & secundam consequentiam : & ad hanc quidem nihil antedictis necesse est addere : ad illam autem addo, bonàm famam ex se suóque genere libertate potiorem esse, ac cæteris paribus : posse tamen aliquod famæ damnum aliqua in materia tam leue esse, vt damnum libertatis esset eo notabiliter grauius : nec honestissimam illam mulierem de qua ibi sermo est, posse prudenter malle durissimam seruitutem, quàm aspersum suæ famæ dedecus, nisi quando dedecus in tali materia versaretur, taleque esset, vt secundùm prudens hominum iudicium, maius esset ipsi malum damno amissæ libertatis.

Ad tertium dico, communem Theologorum de adultera doctrinam non esse, ita rem semper habere, sed vt plurimùm, aut etiam ordinariè, non propter eam quæ in tertio illo argumento affertur rationem, cuius falsitas ex supradictis patet, sed quia ordinariè, aut vt plurimùm, damnum suę famæ, quod adultera prodens crimen suum pateretur, comparatum cum damno fortunarum quod legitimi filij ex eius occultatione patiuntur, tantum est, vt secundùm prudentem hominum æstimationem notabiliter isti præponderet : posse tamen interdum contingere, vt patrimonium quo illi defraudarentur tam amplum esset, è contrario autem infamia mulieris ex manifestatione criminis proueniens tam leuis, vt obligetur crimen aperire, si nihil aliud obstet, quàm istud leue famæ damnum quod patietur : neque contrarium à Theologis doceri, aut ab Innocentio tertio fuisse definitum.

Ad quartum dico, ideo nullum temporale bonum cum damno boni spiritalis esse ex obligatione restituendum, quia vel damnum istud boni spiritalis non potest non esse cum peccato coniunctum, nunquam autem peccandum est vllius boni faciendi gratia : vel si aliquando

coniunctum cum peccato non est, tantum tamen reputatur iuxta prudens hominum iudicium, vt comparatum cum damno cuiusuis boni temporalis, notabiliter grauius sit. Vnde si damnum aliquod boni temporalis tam graue esset, vt aliquod spiritalis boni detrimentum
I. cum eo collatum censeretur prudenti hominum iudicio esse eo leuius, aut paulo tantùm grauius, aut ipsi par, esset illud prius damnum cum isto etiam damno ex obligatione compensandum.

Quæres, vtrum bona fama per iniustam diffamationem ablata possit esse aliquando tanta, vt iniustus diffamator ad eam cum certo vitæ suæ periculo restituendam obligetur? Sotus affirmat loco citato, sed contrarium videtur probabilius, quod à primæ sententiæ authoribus, & ab aliquibus etiam secundæ defenditur. Probatúrque primò ex eo quòd vita tantum bonum est, tantáque ad illud conseruandum inclinatio, vt quilibet videatur meritò & rationabiliter eam æstimare pluris, plúsque diligere, quàm externa omnia proximi bona, atque
II. adeo quàm bonam ipsius famam, multóque magis quàm bona fortunæ, quæ sunt illo famæ bono inferiora.

Secundò quia consequens esset, posse illatum in fortunæ bonis damnum tantum esse, vt qui intulit, obligetur ad illud resarciendum cum certo vitæ suæ periculo. Si enim vna quidem ex parte, alicuius famæ damnum tantum est, vt obligetur diffamator ad illud cum certo vitæ suæ periculo resarciendum: ex altera verò, cùm certa opum quantitas possit alicui certæ quantitati famæ secundùm prudens hominum iudicium exæquari, vt antè diximus, & per consequens possit opum quantitas in tantum excrescere, vt quantitatem illam famæ excedat,
III. pro qua restituenda, vita in certum discrimen adducenda dicitur, patet esse consequens, posse esse tantam opum iniustè ablatarũ copiam, vt hæc cum certo vitæ discrimine restituenda sit: quod tamen consequens non est admittendum, tum ob rationem proximè ante allatam: tum quia Theologis communiter repugnat.

SECTIO IX.

Quæ causæ ab obligatione restituendæ famæ excusent?

AD hanc quæstionem eò breuiùs respondebimus, quò ad eam responsio, ex doctrina supra tradita, & facilior, & certior est. Dico igitur has præsertim esse quæ sequuntur. Prima est, cùm ex diffamatoria detractione, similíve actione, nullum reipsa famæ damnum
IV. sequutum est, quia vel diffamanti non est vllo modo creditum, vel quod retulit crimen, iam erat aliunde notum iis quibus retulit, nec eius relatione factum est, vt infamia diffamati fuerit aucta, aut in eorum mentibus confirmata: obligatio enim restituendi non oritur ex voluntate conatúque damni inferendi præcisè, sed ex ipso reipsa damno illato. Dixi, vel in eorum mentibus confirmata: nam si malam opinionem, quam de diffamato iam antea conceperant, ita confirmauit in eorum mentibus, vt si illi qui priùs cum diffamauerant, se retractarent, adhuc tamen eam, vel absolutè, vel aliquo modo, nempe per dubitationem suspicionémve aliquam retinerent, obligaretur ad eam restituendam, quia reuera tunc aliquod famæ damnum intulisset.

A Secunda causa est, cùm fama iam aliunde V.
recuperata est: vbi enim nullum ampliùs damnum est, ibi nulla esse potest obligatio damni reparandi. Tertia, cùm impossibilis est illati damni sublatio: ad nullam enim aliam restitutionem obligamur, quàm ad eam qua illatum damnum tollitur, aut tolli potest. Quarta, cùm tolli quidem absolute posset, sed non nisi cum damno restituentis notabiliter excedente damnum, quod ex re sua sibi non restituta patietur proximus: tunc enim non est restitutionis obligatio, vt ex septima sectione clarum est.

Quinta, cùm crimen occultum aliquibus à diffamatore narratum, alia ratione fit publicum: tunc enim non obligatur restituere, tum
B quia eo ipso quo publicum factum est, ius a- VI.
misit famæ suæ recuperandæ, quia ius amisit, vt homines aliter de se sentiant, vt inter cæteros docet Lessius dubit. 13. citati capitis 11. tum quia eo etiam ipso censetur esse impossibilis famæ reparatio, quia censetur impossibile diffamatori efficere, vt aliter de ipso sentiant homines.

Sexta, cùm id, cuius narratione quis diffamatus est, prudenter existimatur, ex eorum quibus narratum fuerat ita excidisse memoria, vt & non magis vnquam recordaturi sint, quàm si nunquam audiuissent, & eandem habeant de diffamato existimationem, quam antequam diffamaretur, habebant: tunc enim per huiusmodi obliuionem, famam suam diffamatus plene recuperauit.

C Septima, cùm restituendæ famæ obligatio VII.
diffamatori relaxata est ab eo cuius famam læsit: hac enim relaxatione facta diffamator perinde liber erit ab obligatione restituendi, atque fur, cui rei ablatæ restitutio à domino rei remissa est: siue illa relaxatio licitè facta fuerit, siue illicitè, & cum peccato aliquo prodigalitatis propriæ famæ, sicut & iste fur liber est, etsi dominus illicitè, seu cum vitio profusionis bonorum suorum, remissionem illam eorum restituendorum fecerit.

Quando tamen alicuius infamia redundat in alios, nec eorum fama recuperari potest, nisi per factam famæ priori illi restitutionem, tunc non potest ille diffamatori remittere sic obligationem restituendi, vt hic ab ea liber sit: quia sicut idem ille non est aliorum famæ dominus, sed tantùm suæ, ita non potest sua re-
D laxatione soluere diffamatorem ab obligatione VIII.
restituendi famam ipsis ereptam, & per consequens ab obligatione suæ sibi famæ restituendæ, quandoquidem illorum fama, vt supponimus, restitui ipsis non potest, nisi per huius suæ famæ sibi factam restitutionem: qui tamen diffamator, si non restituat famam diffamato, supposita illa quam ab eo accepit relaxatione, non peccabit contra iustitiam respectu istius diffamati, qui vt dominus famæ suæ est, ita potest remittere famæ restitutionem

sibi proprio suo ex iure faciendam, sed contra illos solos in quos redundauit infamia, cùm ex solo eorum iure, & propter solam eorundem famam restituendam, obligetur ad famam restituendam illi alteri qui diffamatus est.

I.

DISPVTATIO XXVIII.

De restitutione bonorum fortunæ.

SECTIO PRIMA.

Vtrum accepta ob honestam causam sint restituenda?

AD faciliorem quæstionis hîc propositæ, & tertia sectione proponendæ intelligentiã, tria præmitto breuiter. Primum est, ea hîc dici accipi ob honestam, vel turpem causam, quæ

II. accipiuntur ob actum virtutis, aut vitij, vel B elicitum, vel eliciendum, vt ad ferendam iustam aut iniustam sententiam, aut propter prolatam: ad iuramentum aut votum factum implendum, aut propter impletum: ad patrandum homicidium, aut propter patratum. Secundum est, virtutis actus esse in duplici genere: quidam enim sunt strictæ iustitiæ, siue pôsitiui sint, vt debita soluere, siue negatiui, vt non furari, non occidere: alij aliarum virtutum, siue item positiui sint, siue negatiui: similitérque vitiorum actus esse aut iustitiæ repugnantes, aut aliis virtutibus, siue positiue repugnent per commissionem alicuius actus positiui, siue negatiuè, per omissionem. Tertium est, virtutum à iustitia diuersarum actus

III. rursum esse in duplici genere: quidam enim C necessarij sunt, seu in præcepto, quidam liberi, vt qui omitti sine peccato possunt. Quibus prænotatis sit

Prima assertio. Accepta propter actum virtutis, siue positiuum, siue negatiuum, elicitum, aut eliciendum, ex iustitia debitum, restituenda sunt. Ita Theologi communiter, ac nominatim Nauarr. in Manuali cap. 17. num. 33. Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 6. Adria. quodlib. 10. quæst. 1. & Lessius lib. 2. cap. 14. dubit. 9. Probatur. Res acceptæ per iniustam acceptionem sunt restituendæ, vt per se constat, & ex antedictis: atqui res propter illum virtutis actum acceptæ, sunt acceptæ per iniustam acceptionem; quod probo, quia pro eo quod est absolutè debitum ex iustitia, nihil accipi per modum pretij nisi iniuste potest: eo enim ipso quo sic alteri debitum est, is qui debet, caret iure illud

IV. vendendi, similiue modo de eo disponendi, ac proinde quidquam pro eo per modum pretij accipiendi: imò obligationem habet illud absque pretio vllo tradendi, seu soluendi ei cui debet: alioqui posset venditor equi necdum traditi, ab emptore qui pretium equi venditi iam soluisset, nouum exigere pretium pro actu tradendi equum ex iustitia debito: posset item debitor à suo creditore pretium postulare & accipere, pro actu solutionis factæ, vel faciendæ quem ex iustitia debet: imò fur pro actu restitutionis rei furto sublatæ, ab eo cui sustulit, & latro à viatore, ne eum occidat, aut quòd non occiderit.

Hæc assertio aliqua ex parte contra Sotum est, lib. 4. de Iustit. quæst. 7. art. 1. ad 2. vbi ait, aliquid in pretium pro actu negatiuo ex A V. iustitia debito, vt pro non commisso, aut non committendo homicidio accipi posse, non quidem ab eo cui per homicidium inferretur iniuria, sed ab alio, vt à Ioanne, qui quidpiam donet Petro, ne Paulum occidat. Sed refellitur, eo quòd actûs negatiui ex iustitia debiti eadem prorsus est ratio quæ positiui: tam enim negatiuus est absolutè debitus ex iustitia, quàm positiuus: vnde si propter hunc nihil accipi per modum pretij potest; vt concedit Sotus loco citato, neque quidquam pro illo poterit.

Nec dicat omissionem actus homicidij, aut similis iniusti esse quidem à Petro debitam Paulo, sed non esse debitam ab ipso Ioanni, vt nimirum in gratiam Ioannis Paulum non occidat. Ne, inquam, id dicat: tùm quia si propterea potest Petrus à Ioanne per modum pre- B VI. tij quidpiam accipere pro non occisione Pauli, quem in eius gratiam non occidit, poterit & ab eodem quidpiam accipere pro actu positiuo iustitiæ, vt pro solutione debiti, pro restitutione rei furto sublatæ, quem item in gratiam Ioannis erga Paulum exercebit: tum quia ab ipso etiam Paulo, pro actu siue positiuo, siue negatiuo iustitiæ quem ipsi debet, poterit aliquid per modum pretij accipere, vt in ipsius Pauli gratiam eum exerceat: eum enim ipsi non debet in gratiam ipsius: vnde si in alterius gratiam faceret, nullam ipsi Paulo faceret iniuriam, nullúmve aliud peccatum committeret.

Denique quia, vt rectè Lessius loco citato, quando actus siue negatiuus, siue positiuus, est C VII. absolutè debitus ex iustitia, obsequium quo fit in mei, vel alterius tertij gratiam, non censetur pretio dignum apud homines, sed vt summum amicitiæ: actus enim absolutè ex iustitia debitus secundum se est inuendibilis, & proinde obsequium quoque quo fit in alterius tertij gratiam secundùm se inuendibile est: alioqui posset iudex aliquid exigere, quòd tua causa seu amore tui iustam sententiam ferat: & beneficij collator, quòd in tui gratiam huic alteri conferat: & vsurarius, quod tua item causa det mutuum alteri petenti: quod nemo admittet, nisi qui manifestè volet vsuris patrocinari.

Ex hac assertione colligitur primò, eum qui rem alienam inuenit, pro eius redditione, ni- D VIII. hil exigere, & accipere posse per modum pretij, & si quid sic acceperit, esse obnoxium restitutioni, cum ad inuentæ rei redditionem ex iustitia teneatur: qui tamen validè liciteque poterit quidpiam exigere, & accipere in compensationem sumptuum, si quos fecit, in re aliena inuenienda, & conseruanda, vt domino suo redderetur: aliquid item in pretium laboris ac industriæ in ea re positæ, si quid huiusmodi quod sit pretio dignum adhibuit: quod etiam pretium, quámque compensationem rei inuentæ dominus ipsi inuentori exigenti debebit ex

iuſtitia perſoluere: qui etiam inuentor validè & licitè poterit præterea accipere, id quod illi dominus inuentæ rei dare voluerit, ſiue ex liberalitate, ſiue ex gratitudine, ſiue ex affectu lætitiæ propter illam rei ſuæ inuentionem: quo modo ſemper aliquid dari ſolet, & eo plus, quo res inuenta eſt pretioſior. I.

Colligitur ſecundo, milites, iudices, alióſque iuſtitiæ miniſtros, quibus à Principe, vel Republica ſunt conſtituta ſtipendia publica ſufficientia, pro militiæ, iudicaturæ, aliorúmque officiorum ſuorum partibus obeundis, nihil à particularibus ad ipſos accedentibus accipere poſſe per modum pretij, & quod ita acceperint, reſtitui ab eis debere: ad has enim officij ſui partes obeundas, ex iuſtitia obligantur, poſt contractum quo ſtipendia illa ipſis conſtituta ſunt. A

Idem iudicandum de iis iuſtitiæ miniſtris, quibus huiuſmodi publica ſtipendia non ſunt conſtituta, quibus tamen aut Principis, aut Reipublicæ, aut alia legitima auctoritate taxatur pretium quod accipere poſſunt ab iis qui eorum opera vtuntur: ſi quid enim ſupra id quod taxatum fuerit, accipiant per modum pretij, illicitè facient, & reſtituere obligabuntur: per quam enim authoritatem rerum pretia iuſta taxantur, per eandem efficiuntur ita iuſta, vt ſummi pretij rationem obtineant: quandiu vigebit illa taxatio: quia vi eius quiſque ius acquirit, ne rem ita taxatam maiori pretio cogatur emere, ad quod proinde qui cogitur, & iniuriã patitur, & quod amplius dat, non eſt ſponte datum, ſed ab inuito contra ius extortũ, ac proinde ex iuſtitia reſtituendũ. II. B

Hîc autem aliqua aduertenda ſunt, circa ſecundum iſtud ex noſtra aſſertione conſectariũ. Primum eſt, quod in eo diximus de obligatione reſtituendi id quod acceptum eſt, intelligi tantum debere de eo quod fuerit acceptũ per modum pretij, pro iis actibus, ad quos exercendos, illi de quibus ibi loquuti ſumus, ratione ſuſcepti officij ex iuſtitia obligantur. Nam ſi quis ab eorum aliquo petat, vt plus laboris, diligentiæ, temporis ponat in negotio ſuo, quam ponere ex iuſtitia obligetur, poteſt ille ex natura rei exigere, & accipere condignum exceſſus iſtius pretium, præter publicum ſtipendium quod accipit, aut pretium, quod taxatum eſt. III. C

Secundum eſt, eos quoque iuſtitiæ miniſtros quibus publica ſtipendia conſtituta ſunt, poſſe nonnunquã præter hæc aliquid accipere, etiam per modum pretij, ab iis qui eorum opera vtuntur, quando nimirum in adiumentum quodammodo ac complementum ſtipendiorum quæ accipiunt, eis tacitè, vel expreſsè, vel lege, vel publica authoritate permittitur, vt ab illis aliquid accipiant: quod tamen moderatum debet eſſe, tantóque minus, cæteris paribus, quanto ſunt ampliora ſtipendia quæ accipiunt: ne ſi moderatum non ſit, ſupremum ex natura rei rerum pretium iuſtum excedat, ſitque proinde iniuſtum, & quod conſequens eſt, ex iuſtitia reſtituendum. IV. D

Tertium eſt, tam eos quibus publica ſunt aſſignata ſtipendia, quàm illos quibus aſſignata non ſunt, ſed taxata pretia, quæ accipere ab iis poſſunt, quorum in commodum laborem ſuum & induſtriam impendunt, licite ex natura rei poſſe accipere, quidquid ipſis offertur non per modum pretij, ſed vel ex liberalitate, vel ex gratitudine, vel ex gaudio obtentæ, ſiue in iudicio, ſiue in bello victoriæ, vel vt eo dono miles, aut publicus iuſtitiæ miniſter excitetur ad pugnandum ſemper ſtrenuè, aliáſve ſui muneris partes obeundas, vel alio ſimili modo, dummodo ex rerum ita donatarum acceptione, nec proximo ſcandalum generetur, nec vllum peruertendæ iuſtitiæ periculum incurratur, neque alia ſimili ex circunſtantia iſta acceptio mala & illicita ex natura rei reddatur: his enim ſeclusis, ſicut quilibet licitè ex natura rei poteſt id accipere & retinere, quod alius de rebus iis quarum eſt dominus ipſi ſponte dare voluerit, ita poſſunt ij de quibus in illo ſecundo conſectario loquuti ſumus. V.

Quæ etiam rerum ſic donatarum acceptio, ſi ex aliquo capite illicita eſſet ex natura rei, vt ob periculum peruertendæ iuſtitiæ, ſi tamen ipſi donanti non eſſet iniurioſa, vt cùm dat liberrimè, nulla vi coactus, nullo iniuſtè incuſſo metu adductus, valida eſſet ex natura rei, nec ex ea naſceretur rei acceptæ reſtituendæ obligatio: acceptio enim rei alienæ extra contractum, per quam nulla danti, deque re ſua prout placet diſponenti fit iniuria, valida eſt, nec vllam parit rei acceptæ reſtituendæ obligationem. VI.

Dixi ſemper, ex rei natura, ſeu, quod eodem recidit, habita ratione ſolius iuris naturalis: nam ſi ſit aliqua poſitiua lex huiuſmodi rerum ſic donatarum acceptionem, iure naturali cæteroqui permiſſam, prohibens, illicita erit earum acceptio: imò etiam inualida, ſecúmque proinde rem acceptam reſtituẽdi obligationem afferens, ſi mens legiſlatoris fuerit, non modò prohibere rei quæ donatur acceptionem, ſed etiam irritam inualidámque eius donationem efficere, ſeu dominij ipſius tranſlationem impedire. VII.

SECTIO II.

Ponuntur alterę duæ aſſertiones, & probantur.

SECVNDA aſſertio. Pro virtutum à iuſtitia diuerſarum liberis ſeu non præceptis actibus, ſiue poſitiuis, ſiue negatiuis, ſi quod pretium acceptum eſt, non eſt reſtituendum, niſi forte ſimonia interuenerit, de qua hic dicendi locus non eſt. Probatur: pretium acceptum per dantis donationem validam, ſeu dominij tranſlatiuam in accipientem, non eſt reſtitutioni obnoxium: atqui pretium pro prædictis actibus acceptum, per validam dantis donationem acceptum eſt: quid enim impediret, quo minùs valida eſſet illa donatio? cùm vna quidem ex parte res data, ſit, vt ſupponimus, in dantis dominio, liberáque proinde poteſtate, vt cui volet, det etiam merè gratis, multóque magis ſub conditione alicuius operis, ſiue poſitiui, ſiue negatiui: ex altera verò, is qui accipit, neque actum pro quo pretium accipit, vllo modo debeat ei à quo accipit, quandoquidem expreſsè ſupponimus actum hunc nullo ex præcepto eſſe debitum, neque donantem, vi, metu, frau- VIII.

de, similive modo iustitiæ repugnante cogat ad donandum: sed hoc solùm modo se habeat, vt cùm pro sua libertate possit actum, siue positiuum, siue negatiuum facere, vel non facere, sit facturus, nisi ab eo qui, ne faciat, experit, aliquid accipiat, vt non faciat: aut contra, non sit facturus, nisi ab eo qui, vt faciat, perit, aliquid accipiat, vt faciat: quo modo se habere cùm per se non sit illicitum, consequens est, pro prædictis actibus accipi per modum pretij quidpiam posse, non tantùm validè, sed etiam licite.

I. A

Tertia assertio. Pro quibusdam virtutum à iustitia diuersarum actibus præceptis, siue positiuis, siue negatiuis, non potest licite quidquam per modum pretij accipi, pro quibusdam aliis licite potest: si quid autem fuerit siue licite, siue illicitè acceptum, nulla eius restituendi obligatio est, nisi forte simonia interuenerit, de qua hîc non agitur, vt iam monui. Tres sunt assertionis partes. Prima probatur primò, eo quòd pro his saltem prædictarum virtutum præceptis actibus pretium accipi licitè non potest, pro quibus dum accipitur, simonia committitur. Secundò, quia qui iurauerit, aut Deo vouerit, se nullo pretio accepto bonum aliquod opus facturum, nullum pro eo licitè pretium potest accipere.

II. B

Secunda pars probatur primò exemplis quorundam actuum præceptorum ad virtutes à iustitia diuersas pertinentium: quis enim meritò negare potest licitum esse sacerdoti aliquid accipere pro Missæ sacrificio, eo etiam die, quo ad illud celebrandum obligaretur, etsi nullus esset, qui quidpiam ei pro eo celebrando dare vellet? quis item neget licitum esse Medico, & Aduocato pretium aliquod accipere laboris sui & industriæ, in ægri curatione, aut alienæ causæ defensione, etiamsi supponeremus hunc & illum curationem hanc & defensionem suscepisse, eo casu, & tempore, quo ad suscipiendum obligabantur sub mortali peccato, ex virtute charitatis, aut misericordiæ? Denique si quis ægrotis ministret, quia vouit Deo se ministraturum, pretium autem ministerij sui aut exigat, aut oblatum accipiat, de cætero nihilominus ministraturus, vt obligationi quam habet ex voto satisfaceret, etiamsi nullum vnquam operæ suæ pretium esset accepturus, poteritne meritò alicuius peccati & illicitæ acceptionis condemnari? certè non posse, ratio hæc, qua secundò probo eandem secundam nostræ assertionis partem, ostendet.

III. C

Si quid impedit, quo minus id quod dixi licitum sit, sanè hoc vnicum est, quòd actus ille sit ex aliqua prædictarum virtutum iam debitus: at hoc nihil impedit: si enim debitus non esset, illud liceret, propterea quòd actus ille quando non est debitus, est secundùm se condigno pretio æstimabilis: at non est æstimabilis minore pretio, ex eo quòd sit ex aliqua prædictarum virtutum debitus: quia cùm ita debitus est, non cedit in minorem proximi vtilitatem, quàm cum debitus non est: nec istud debitum, quandoquidem non est debitum iustitiæ, sed alterius virtutis, impedit quo minùs idem ille actus tam sit in absoluto dominio ipsum debentis, quàm esset, si nullum ex vlla virtute debitum eius exercendi haberet: sicut enim tunc de eo disponere posset ad arbitrium, siue gratis, siue pro pretio, sine cuiusquam iniuria: ita & nunc potest, cùm quidquid tandem de eo agat, siue exerceat, siue non exerceat, nulli facere possit iniuriam, vtpote qui nulli ipsum ex iustitia debet.

IV. D

Probatur denique tertia pars assertionis: ac primùm quòd pretij licitè accepti restituendi nulla sit obligatio, dubium esse non potest, cùm certum sit, quod ab alio datur licitè retineri, quando licitè datur, & accipitur. Deinde quòd illicitè quoque accepti restituendi obligatio nulla sit, ostendo exemplo eius qui iurauerit, aut vouerit se ministraturum ægris aut quid huiusmodi, nullo pretio accepto: si enim aliquod accipit, illicitè quidem, & cum peccato contra religionem accipit, at non illicitè retinet, nisi forte iuramento etiam aut voto obstringere se voluerit, ad id quod acceperit non retinendum. Et quamuis ad hoc ita se obstrinxisset, non tamen ex iustitia ad acceptum pretium reddendum obligaretur, sed ex virtute religionis, ad quam votum & iuramentum pertinet.

V. VI.

Ostendo præterea hac ratione. Illius rei restituendæ nulla ex iustitia obligatio est, quæ per validam seu dominij translatiuam donationem accepta est: atqui pretium etiam illicitè acceptum pro actibus de quibus hîc loquimur, per validam donationem acceptum est: quid enim impediret, quo minùs esset valida? cùm vna quidem ex parte qui donat sit rei donatæ dominus, possitque dominium eius in quem voluerit transferre, vel absolutè, vel sub conditione alicuius operis faciendi: ex alia verò, is qui accipit, ei à quo accipit, actum quem exercet, debeat quidem ex charitate, aut simili virtute, at non ex iustitia: nec vllam per consequens sit ipsi facturus iniuriam, etsi debito isti non satisfaciat, & præterea hunc ipsum donantem ad donandum non cogat iniustè, per vim, metum, similemve modum iustitiæ repugnantem.

VII.

Nec dicas, accipientem, eum à quo accipit, cogere iniustè ad donandum, eo ipso quo cogit ipsum, aut carere commodo actus sibi ex charitate, similive virtute debiti, aut carere pretio quod dat, vt ille actus exerceatur: illa enim coactio nullam iniustitiam continet, quādoquidem sicut nō est ille actus vlli ex iustitia debitus, ita nec commodum ex illo actu prouenies: tunc autē solū est iniusta coactio, qua quis cogitur carere re sibi aut alteri cōmoda, vel pretio huius ipsius rei, quando res hęc ei qui pretium istud dare cogitur, aut alteri debita iam aliūde ex iustitia est.

VIII.

Neque opponas contra secundam & tertiam partem assertionis, non licere pro vero testimonio dicendo pretium accipere, & si quod acceptum fuerit, restituendum esse, vt patet ex cap. *non sine*. 14. quæstione 5. Cuius rei ratio, hæc sola videtur esse, quòd testis obligatur verum testimonium ferre: facilè enim respondetur, in actu ferendi veri testimonij duo distinguenda esse: nempe quòd testimonium feratur, & quod feratur verè, seu in fauorem innocentis: quorum secundum facere tenetur ex iustitia quisquis testimonium ferre vult: primum autē

minimè, nisi fortè se quispiam ad id sponte ex contractu, vel alio modo obligationem ex iustitia patiente obstrinxerit, sed vel ex charitate tantùm, vt si versetur in periculo innocens, nisi pro illo testimonium dicatur, vel etiam nulla ex virtute. Etsi autem pro secundo nemo pretium possit accipere, pro primo tamen accipi validè & licitè potest, spectato solo naturæ iure, quod hîc spectamus. I. A

Vnde si pro testimonio dicendo non licet pretium accipere, ex solo iure positiuo id vetante prouenit: quod quidem inde solùm prouenire facilè intelliget, qui aduertet, eodem loco citato qui nobis obiicitur, æquè prohiberi ne pro falso testimonio, atque pro vero quidpiam accipiatur, cùm tamen paulò pòst ostensuri simus, iure naturæ non esse illicitum pro falso testimonio pretium accipere. Adde quòd etsi pro testimonio ferendo, seu persona testis assumenda, non sit licitum vi iuris positiui pretium aliquod accipere, non propterea inualida est acceptio, & quod acceptum est, restituendũ: cùm ex natura rei valida sit, vt probauimus, II. ius autem positiuum prohibens accipere, non B propterea personas dantes & accipientes faciat inhabiles ad dandum, & accipiendum, seu ad transferendum acquirendumque rei donatæ & acceptæ dominium.

Neque secundò opponas eodem iure positiuo fieri potestatem repetendi in iudicio, & foro externo, id quod alicui datum fuerit, ne committat sacrilegium, vt constat ex leg. 2. ff. de condictionibus ob turpem causam: quod item fuerit datum mulieri, ne fiat meretrix, vt etiam constat ex lege 4. eorundem Digestorum: tãtum enim abest, vt hoc arguat, esse rei ob hanc causam acceptæ restituendæ obligationem in conscientia, ante sententiam iudicis, vt ne I. euincat quidem efficaciter illicitam in conscientia fuisse huiusce rei acceptionem: solùm enim arguit C acceptionem hanc in externo foro præsumi illicitam, III. seu cum peccato coniunctam, eo quòd personæ accipientes præsumuntur habuisse voluntatem committendi peccata, ob quæ non committenda pretium acceperunt, nisi pro iis non committendis pretium acciperent: quę voluntas turpis est, & mala: ob quam eius malitiam & turpitudinem externæ acceptioni postea sequutæ coniunctam, puniendam, ius positiuum concessisse videtur in externo foro actionem, qua datum eam ob causam pretium repeteretur.

SECTIO III.

Vtrum accepta ob turpem causam sint restituenda?

D

IV. PRIMA assertio. Quod accipitur ob turpem causam, opere turpi iam commisso, si sola rei natura spectetur, iúsque duntaxat naturale, non modò valide accipitur, sed etiam licitè, siue opus turpe iam commissum, turpe sit ex obiecto, siue ex aliqua circunstantia, siue item sit contra iustitiam, vt adulterium, homicidium, falsum testimonium, iniusta iudicis sententia, siue cõtra virtutem etiam à iustitia diuersam. Ita Molina disput. 94. & Lessius lib. 2. cap. 14. dubit. 8. in qua multos alios pro eadem sententia citat Theologos. Et quidem quod validè accipiatur, nec proinde restitutioni sit obnoxium, non obscurè colligitur in primis ex duobus D. Thomæ locis, hac secunda secundæ, nimirum ex quæst. 32. artic. 7. in corp. in quo nihil distinguens inter opus malum contra iustitiam, & contra virtutes alias, docet vniuersim, quod V. propter opus malum admissum acceptum fuerit, retineri posse, de eoque fieri eleemosynas: & ex quæst. 62. art. 5. ad 2. vbi de rebus ob illicitum opus acceptis agnoscit id solum restituendum esse, quod accipiens à dante, per fraudem, vel dolum, similémve modum iustitiæ repugnantem extorserit: eum autem qui propter opus malũ admissum, pretium à donante accipit, supponimus accipere absque vi, fraude, dolo, similíve modo, quo donanti iniuriã fecerit.

Probatur deinde, eo quòd quisque validè retinet, & absque vllo restituendi onere, pretium quod accipit pro re sua pretio æstimabili, tradita alteri, nec ipsi, aut vlli alij vllo ex capite debita, ipso cui traditur eam sibi tradi cupiente, liberrimèque pro ea rem aliam cuius est dominus, pretij loco donante: qui autem pretium VI. pro prædicto opere turpi iam commisso accipit, illo prorsus modo accipit. Nam accipit pro re aliqua sua, nempe pro actu aliquo suo turpi, cuius dominus est, cùm quisque liberorum suorum actuum dominium habeat: qui quidem actus pretio æstimabilis est, non ratione formalis malitiæ suæ, sed partim ratione boni vel delectabilis, vel vtilis quod affert ei cuius in gratiam exercetur: partim laboris subeundi in opere malo patrando, qui sæpe est non exiguus: partim periculi cui se obiicit is qui malum opus, vt homicidium, alterius gratia committit: hũc autem actum tradit ei cuius in gratiam & commodum ipsum exercet, non secus atque operarius in aliena vinea colenda operam suam collocans: eundémque actum sic tradi sibi, seu in C gratiam sui, commodumve fieri exposcit ille VII. cui traditur, liberrimèque pretium pro eo promittit, & tribuit, vt supponimus: nec denique ei cuius in gratiam fit, aut cuiuis alteri actus ille debitus est, quia actus malus nulli debitus ex præcepto aliquo esse potest, cùm sit contra præceptum.

Probatur postremò, quia si pretium pro prædicto actu acceptum restituendum est, erit ei restituendum qui dedit: huic autem restituendi nulla obligatio esse potest: cùm in accipiendo nulla ipsi facta fuerit iniuria, fueritque ipse rei donatæ dominus, poténsque proinde ad transferendum eius in quem vellet dominium absolutè, multòque magis sub alicuius operis faciendi conditione.

Iam verò quòd licitè etiam prædictum pre- VIII. D tium accipi possit, ex eo patet, quòd nihil est causæ, cur non possit: ratio enim ob quam pro actu turpi committendo, antequam fit commissum, non licet dare pretium, aut accipere, est, quòd hæc donatio & acceptio in prauum finem, nempe ad turpem actum committendum referatur, participetque proinde malitiam finis in quem refertur: & illa quidem donatio sit inductio qua ad peccandum persona cui donatur inducitur: hæc autem acceptio sit promissio quædam donanti facta patrandi

peccari, quia quod tunc datur & accipitur, sub ista conditione datur & accipitur: at postquam peccatum iam patratum est, donatio & acceptio nec illius inductionis, nec istius promissionis rationem habet, nec amplius vllũ in prauum
I. finem ordinatur, cùm in peccatum committendum amplius non ordinetur: quo fit, vt nullum caput sit, ex quo malitiam habeat, & ex quo proinde illicita reddatur. Vnde etiam concluditur, eum cuius gratia turpis actus commissus est, obligari ad soluendum pretium, quod pro eius commissione promiserat: quandoquidem enim sine peccato soluere illud potest, ad soluendum in conscientia obligatur.

Nec in primis dicas, in male promissis esse rescindendã fidem: rescindenda enim est, quando seruari sine peccato non potest: at quando potest, rescindenda non est. Nec deinde dicas, eum qui pretium ob turpem actum commissum accipit, eo ipso quo accipit, approbare quod commisit: hoc enim falsum est, alioquin etiam qui dat post actum commissum, dici pari iure
II. deberet, eo ipso quo dat, approbare turpe facinus quod commissum est: isque qui retinet, quandiu retinet, eo ipso idem approbare facinus: quæ omnia falsa sunt: tantùm enim abest, vt dare & accipere, sit crimen admissum probare, vt qui dat, & qui accipit, dando, accipiendoque, detestari illud possit, maximeque cupere ipsum nunquam commissum fuisse: quemadmodum qui vendidit equum, dum pretium eius accipit, non propterea venditionem factam approbat, quia accipiendo potest eam tam vehementer auersari, vt si reuocare illam posset & infectam reddere, reuocaret, & redderet.

Dixi autem in assertione, si sola rei natura spectetur, iusque duntaxat naturale: vt significarem, si qua prohibitio est accipiendi pro turpi actu commisso pretij, eam ex iure positiuo
III. esse: quæ etsi esset, non propterea statim concludendum esset, acceptum pretium restituendum esse, vt constat ex dictis ad finem superioris sectionis.

Neque contrarium colligi potest ex lege, generaliter, ff. de verborum obligationibus, vbi sic habetur, *Generaliter nouimus turpes stipulationes nullius esse momenti, velut si quis homicidium, aut sacrilegium se facturum promittat. Sed & officio Prætoris continetur, ex huiusmodi obligationibus actionem denegari.* aut ex lege, Pacta. Codice de Pactis, vbi sic. *Pacta quæ contra leges constitutionésque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitatum est.* Hæ siquidem leges, & similes decernere solùm videntur, pacta illa de turpi actu committendo, ante commissum actum inualida esse, non modò in foro
IV. conscientiæ, quod certum est, sed etiam in externo, quòd ex illis non oriatur obligatio ciuilis, id est, ob quam peti possit in iudicio quod promissum est: non autem irritam reddunt eius rei acquisitionem, quæ post turpem actũ commissum acquisita est: nec dantes & accipientes inhabiles faciunt ad transferendum, acquirendumque istius rei dominium: quod tantum abest vt faciant, vt etiam meretrici post fornicationem peractam concedant in externo foro actionem, ad exigẽdum à fornicatore pretium, ante fornicationem promissum, aut consuetum pretium, si de pretio antea non conuenerant, vt obseruat Couarr. ad regulam, *Peccatum*, parte 2. §. 2. habeturque expresse lege 4. §. sed & quod meretrici. ff. de cõdictionibus ob turpẽ causam.

Secunda assertio. Pro turpi actu committendo, antequam reipsa commissum sit, pretiũ accipi licitè non potest: acceptum licitè retineri non potest, retinẽdo tamen non semper contra iustitiam peccatur. Assertionis tres sunt partes, omnes ex communi cõsensu & doctrina Theologorum. Et primæ quidem veritas euidens ex eo est quod paulò ante dixi, donationem pretij & acceptionem pro turpi actu committendo, in hunc turpem actum committendum, referri vt in finem, cuius malitiam necessariò participat, illámque donationem esse inductionem ad peccandum, & istam acceptionem esse patrandi criminis promissionem quandam, quæ illicita esse constat. Et hinc quoque clara est secundæ partis veritas: quandiu enim acceptum pretium retinetur, tandiu in eundem malum finem refertur, quia tandiu pro patrando turpi opere retinetur.

Tertiæ demum veritas hinc liquet, quòd si opus committendum pro quo pretium datur, non sit oppositum iustitiæ, sed alteri virtuti, vt simplex fornicatio soli castitati, pretij acceptio & retentio huic soli virtuti repugnat, ex eáque sola est obligatio non accipiendi pretium, & postquam acceptum est, non retinendi, dummodo neuter contrahentium à contractu resiliat: tunc enim malum non est accipere, & retinere pretium, nisi quia malus est actus, cuius committendi gratia datur, accipitur, retinetur: vnde tunc donatio, acceptio, retentio aliam habere malitiam non potest, quàm ipsius actus committendi.

Dixi, dummodo neuter contrahentium à contractu resiliat. Cùm enim vterque ex ipsa virtute, cui turpis actus cõmittendus opponitur, obligetur in conscientia à proposito illo resilire, si qui pretium dedit, resiliat, datumque proinde iam pretium reddi sibi velit, reddendum ex iustitia est: similitérque si qui pretium accepit patrandi operis voluntatem deponat, statim obligatur ex eadem iustitia acceptũ reddere. Cùm enim qui dedit, dandi voluntatem non habuerit, nisi sub conditione quòd accipiens opus patrabit, hæc autem conditio tollatur per depositam patrandi operis voluntatem, nisi res accepta redderetur, res aliena inuito rationabiliter domino, ac proinde per iniustitiam retineretur.

SECTIO IV.

Quæstioni vni respondetur.

QVÆSTIONI hactenus explicatæ affinis ista est. Vtrùm accepta per liberalem alicuius donationem ob fictam causam, vt cũ quis simulata infirmitate, paupertate, sanctitate, eleemosynam accipit, restituenda sint? Respondendum autem affirmatiuè, per se loquendo, seu spectata rei natura. Primò, quia quod per iniustam acceptionem acquisitum est, restituendum est; quod autem sic acquiritur, per iniu-

V. VI. VII. VIII.

ſtam acceptionem acquiritur: nam fraus & dolus in iſta acceptione interueniens contra iuſtitiam eſt. Secundò, quia quæ per inualidam donationem accipiuntur, reſtituenda ſunt: accipiuntur autem per inualidam donationem, quę ob fictam cauſam accipiuntur: nam qui donat ob fictam cauſam, quam ipſe non fictam, ſed à parte rei exiſtentem & veram putat, cenſetur eo animo donare, vt niſi cauſa ob quam donat, vera ſit, donare nolit. A I.

Dixi, per ſe loquendo, quia per accidens contingere poteſt, vt rei fictam ob cauſam acceptæ reſtituendæ nulla ſit obligatio: quod toties contingit, quoties is qui dedit, ex hypotheſi, quòd iam dederit, etſi iniuſtè per alterius ſimulationem deceptus ſit, eſt in ea animi diſpoſitione, vt nolit ſibi rem donatam, aliamve æquiualentem reſtitui, ſicque ratam habeat antea factam donationem, vt cùm res donata parui momenti eſt, darique paſſim ſolita, cuiuſmodi ſunt eæ quæ dari ſolent pauperibus eleemoſynam petentibus. Quòd ſi exiſtimaretur velle rem donatam aut æquiualentem ſibi reſtitui, eſſet reſtituenda: II. B deque hac eius voluntate ſi neutram in partem conſtet, etiam tunc reſtituenda eſt: tum quia nemini fraus & dolus patrocinari debent: tum quia etſi qui accipit rem datam poſſideat, peior tamen eſt ipſius conditio quàm donantis, cùm mala fide poſſidere cœperit, & in huiuſmodi dubio melior ſit conditio innocentis.

Aduerte autem de re ob fictam cauſam accepta, & de accepta per gratuitam alicuius donationem ob veram cauſam, atque à parte rei ſubſiſtentem, ſic tamen vt donans aliquam accipientis conditionem ignorauerit, quam ſi ſciuiſſet, nunquam donaſſet, donationémque, ſi fieri poſſet, vellet inualidam eſſe, atque irritam, non eodem eſſe modo iudicandum: res enim priori modo accepta fuit iniuſtè accepta, éſtque ex natura rei reſtituenda, vt diximus: III. C at accepta poſteriori, nec fuit accepta iniuſtè, nec eius reſtituendæ vlla ex natura rei obligatio eſt: primò, quia ſi quis hæreticus, aut alius vere pauper poſtulet eleemoſynam à diuite, cui multa olim furto ſuſtulit, & hanc ipſe det titulo paupertatis, quis accipientem dicet iniuſtè accipere, aut ad accepti reſtitutionem obligari? etiamſi diues qui dedit, ſi ſciuiſſet hæreticum eſſe, odio hæreſis nunquam dediſſet, aut ſi ſciuiſſet eſſe furem à quo multa damna paſſus eſt.

Secundò, quia alioqui vix quiſquam eorum qui gratuita donatione quidpiam ab alio accipiunt, ſine peccato acciperet, tutúſque in conſcientia retineret: quilibet enim meritò formidare de ſe poſſet, ne conditio aliqua ſua, vel circa mores, vel circa res alias donantem IV. D latuiſſet, quam ſi ſciuiſſet, dare noluiſſet, immo vellet irritam eſſe factam antea donationem. Denique quia & acceptio illa ex parte accipientis iniuſtitia caruit, cùm cauſa ob quam petiit, & accepit eleemoſynam factam gratuitò, vera extiterit, nec hæreticum ſe, aut furem, aliamve ſimilem conditionem ſuam aperire obligatus fuerit: & ex parte donantis donatio fuit valida, vtpote plenè voluntaria, nullum habens adiunctum inuoluntarium, ex quo inualida reddi poſſit.

Quòd enim ita diſpoſitus ſit, vt ſi conditionem furis, aut hæretici, aliámve ſimilem noſſet, dare nollet, non eſt inuoluntarium donationem inualidans: tum quia non eſt inuoluntarium ex accipientis aliqua iniuſtitia ortum habens, quale eſt inuoluntarium quo mutuatarius vſurario ſoluit vſuras, aut viator latroni ad redimendam vitam ſuam ſuas tribuit pecunias: tum quia dando, nec apud ſe, nec ei cui dat, dicit ſe ea tantùm conditione dare, vt nec ſit hæreticus, nec fur, nec ſimili vitioſa conditione laborans, ſed nihil iſtorum cogitans, vt ſupponimus, dat eo ſolùm nomine, quòd pauper eſt: vnde cùm tota donandi cauſa ſit paupertas, & hæc vera ſit, ſicut hic nihil ex parte cauſæ iſtius fictum eſt, ita nihil inuoluntarium: quo fit, vt donatio ob hanc ſolam cauſam facta, tota voluntaria ſit, ac proinde valida. V.

SECTIO V.

Vtrùm acquiſita per ludum reſtituenda ſint?

PRIMA aſſertio. Acquiſita ludo ex parte colludentium iuſto, no modò licito, quòd nulla lege ſit vetitus, ſed etiam illicito, quòd lege aliqua vetitus ſit, reſtituenda non ſunt. Ita Sotus lib. 4. de Iuſtit. qu. 5. art. 2. Maior, & Gabriel in 4. diſt. 15. qu. 17. Adria. in 4. tract. de reſtit. §. *quia in ſuperioribus.* Ioan. Med. cod. de reſtit. qu. 22. Nauarr. in Man. c. 19. num. 19. Leſſius lib. 2. cap. 26. dubit. 3. & alij. Ratio eſt, quòd acquiſita per contractum ex parte contrahentium validum reſtituenda non ſunt: quæ autem per prædictum ludum acquiruntur, per huiuſmodi contractum acquiruntur: ludus enim cõtractus quidam eſt, quo colludentium quilibet aliquam rem ſuam in colluſoris ſui commodum exponit hac conditione & pacto, vt cui ceſſerit in ludo victoria, quod ab altero fuerit expoſitum, faciat ſuum. Et ſanè ſicut ex rei natura in cuiuſlibet libera poteſtate eſt, rem ſuam alteri donare gratis nulla adhibita conditione: ita & donare ſub aliqua conditione, ſiue ea ex fortuna pendeat, ſiue ex arte & induſtria. VI. VII.

Neque eſt, quòd quis exiſtimet hunc ludi contractum eo præcise nomine inualidum eſſe ad transferendum rei dominium in alterum, quo eſt illicitus, ſeu per legem aliquam vetitus: contractus enim aliquis illicitus eſſe poteſt, qui vel naturali lege, vel poſitiua prohibitus, qui tamen initus valet: vt conſtat ex contractu venditionis, quo quis rem vẽdit quam Deo vouerat, aut quo rem primo emptori venditam, necdum traditam vendit & tradit alteri, multiſque ſimilib. Neque verò iure poſitiuo ludi contractus, de quo loquimur, inualidus redditus eſt: nulla enim lex poſitiua proferri poteſt ex iure communi vel Canonico, vel Ciuili, quæ ludũ etiam alearum, qui ſolus lege poſitiua vetitus reperitur, ita vetet, vt irritum ſimul & inualidũ efficiat: præterquam quòd ſi quæ olim eiuſmodi fuiſſet, nũc tamen minimè talis eſſet, quia tota vis eius, quantum ad irritandum ludi contractum, eneruata eſt per contrariam conſuetudinem vbique receptam, quæ eſt, vt qui ludendo vincit, quod vincit, vt ſuum habeat, & retineat. VIII.

Quæcunq. enim eiuſmodi lex proferri contra nos poteſt, vnum tantùm de his duobus effi-

cit, nimirum aut ſolummodo dat in odium ludi, pœnámque victoris colludentis, victo poteſtatem repetendi in iudicio quod amiſit, ſi iam ſolutum eſt: quod proinde tunc tantum obligabitur victor reddere, cùm ad reddendum fuerit ſententiâ iudicis condemnatus: aut dat ſolummodo, quando necdum ſolutum eſt, poteſtatem non ſoluendi quod victus amiſit, adimítque victori actionem, qua in externo foro victum cogere poſſit ad ſoluendum. I.

At hîc ex occaſione quæres, an leges poteſtatem hanc poſteriorem victo concedẽtes concedant in externo tantùm foro, an etiam in interno conſcientiæ? Primum affirmant Medina loco citato, & à Caſtro lib. 2. de lege pœnali, cap. 2. Coroll. 3. Secundum autem Sotus & Adrianus ſupracitati. Nauarr. cap. 20. nu. 17. Couarr. ad regulam, *Peccatum*, parte 2. §. 4. num. 8. Molina diſput. 515. & Leſſius citato cap. 26. dubit. 4. quorum ſententia probabilior eſt: tum quia leges illæ poteſtatem illam concedunt in odium ludi, & ad homines ab eo auertendos: multò autem efficaciùs ab eo illos auertent, ſuumque in eum odium declarabunt, ſi victum ſoluant obligatione ſoluendi, non in externo tantùm foro, ſed etiam in conſcientia: tum quia legiſlatorũ per illas leges prædictam poteſtatem concedentium intentio videtur eſſe, dum hanc concedũt, vt victus non ſoluat, & victor lucro minimè fruatur: vnde & eidem victo concedunt poteſtatem in iudicio repetendi quod amiſit, ſi iam ſoluit: eorum autem intentio non eſt, vt non ſoluat contra obligationem qua teneatur in conſcientia ſoluere, peruerſa enim eſſet hæc intentio: eorundem ergo intentio eſt ipſum liberare obligatione ſoluendi etiam in conſcientia. II.

Nec dicas primò, leges victo poteſtatem facientes non ſoluendi, facere in pœnam victoris, pœnales autem leges non habere vim ante ſententiam iudicis. Reſpõderi enim in primis poteſt, facere non tam in pœnam victoris, quàm in odium ludi, prædictúmque finẽm homines à ludo auertendi. Deinde concedendo facere in pœnam victoris, dico leges aliquas pœnales vim habere poſſe ante ſententiam iudicis, ſi pœna quam ſtatuunt, nullam ex parte eius qui punitur, actionem exequutionémque requirit, vt in re præſenti accidit: vt enim victus non ſoluat id quod amiſit, nulla eſt neceſſaria victoris actio, imò nec vlla victi ipſius. III.

Nec dicas ſecundò, victum promiſiſſe ſe ſoluturum, obligari autem iure naturali quemlibet ſtare promiſſis, quando iis ſtare ſine peccato poteſt: quilibet enim iis ſtare tenetur iure naturali, dummodo per legem poſitiuam non fiat legitima poteſtas ei qui promiſit, non implendi promiſſum.

Neque tertiò dicas, victorem fuiſſe ſoluturum ſi amiſiſſet: liberum enim ei fuiſſet vti priuilegio legis, quo ſi noluiſſet vti, ſed ſoluere maluiſſet, ex libera liberalique voluntate feciſſet, quæ non obligat victum ad ſimilem ſoluendi voluntatem, aũt ad non vtendum conceſſo per legem priuilegio. IV.

Aduerte autem, quod ſi leges præfatam victo poteſtatẽ non ſoluendi facientes ſint alicubi per contrariâ conſuetudinem abolitæ, victus obligatur iure naturali ſoluere: nihil enim eſt quod ipſum eximat in cõſcientia ab obligatione ſoluendi. Cæterũ etſi leges poſitiuæ alearum ludũ vetantes eſſent alicubi aut paſſim vbique per contrariam impune ludendi conſuetudinẽ abrogatæ, nõ propterea ſtatim eſſet inferendũ, abolitas etiam eas eſſe quæ victo dant facultatem non ſoluendi, quod necdum ſolutum eſt, & repetendi in iudicio quod ſolutum iam eſt: vt enim recte Panorm. obſeruat cap. penultimo de vita & honeſtate Clericorum, quòd victi ludo non conſueuerint amiſſa, iámque ſoluta repetere in iudicio, non eneruat vim legum repetendi poteſtatem concedentium, quia lex aliquid permittens non eneruatur per non vſum eius rei quam permittit, ſed per vſum contrarium: quo fit, vt ad has leges eneruandas oporteret, vt tempore ad præſcribendum aduerſus leges neceſſario, poſtularetur in externo foro repetitio eius quod per ludum amiſſum & ſolutum eſt, eaque denegaretur. Vnde ſimiliter dico, quòd qui amiſerunt, ſoleant poſtea ſoluere, non eneruare vim legum poteſtatem non ſoluendi facientium, ſed ad eas eneruandas opus fore, vt prædicto tempore, victor à victo pretium nondum ſolutum repeteret in externo foro, & hic ad ſoluendum condemnaretur. A B C D V. VI. VII. VIII.

SECTIO VI.

Ponitur altera aſſertio, & probatur.

SECVNDA aſſertio. Acquiſita ludo ex parte colludentium non iuſto reſtituenda ſunt, etſi ludus ille nulla lege eſſet vetitus: tum quia quod iniuſtè damnum alteri infertur, ex iuſtitia reſarciendum eſt: qui autem ludo ex parte colludentium non iuſto lucratur rem colluſoris ſui, iniuſtè lucratur, & per hanc iniuſtitiam tantum ei damnum infert, quantum ex eius bonis lucratur: tum quia quæ per contractum inualidum acquiruntur, reſtituenda ſunt: talia autem ſunt quæ per huiuſmodi ludum acquiruntur: ludi enim contractus validus non eſt, nec vim habet transferendi rerum ludo expoſitarum dominium in colludentes, niſi quantum ad id ipſi validitatis dare voluerint: at nullus colludentium habet voluntatem transferendi rei ſuę dominium in colludentem, niſi ludus ex eorum parte iuſtus ſit.

Tribus autem præſertim modis contingit ludum ex hac eorum parte non eſſe iuſtum. Primus eſt, cùm colludentium alter non habet liberam vllius rei, quam ludo exponat, diſpoſitionem, itavt eam alienare non poſſit: iniuſtum enim eſt, & contra colludentis, rei quam ludo exponit dominium transferre valentis, voluntatem, rem ſuam exponere amittendi periculo in alicuius commodum, hoc viciſſim nullam rem amittendi periculo in commodum ipſius exponente.

Ex quo colligitur primò, ipſum obligari ad reſtituendum totum lucrum quod fecerit: quod eodem modo ſentiendum eſt de eo, qui initio quidẽ habuit aliquid ſuũ, quod validè amitteret, ſed poſtquã totum illud amiſit in ludo progreditur, & recuperat antè amiſſa omnia, aut etiã multò plura lucratur: ad totũ enim lucrum

ab hac in ludo progreſſione factu reſtituendũ obligatur, quia ab iſto tempore perinde ſe habet, ac ille qui ludi initio nihil ſuum quod ludere poſſet habuit: de eo item, qui ſingulis vnius ludi continui iactibus ſeu commiſſionibus maiorem pecuniæ ſummam lucratur, ea quam ſingulis amittere valide poſſit: ad totum enim iſtud incrementum reſtituendum obligatur: quia ratione iſtius incrementi ludus eſt inæqualis ſeu iniuſtus: ſicut enim iniuſtus eſt, quando vno rem ſuam exponente, alter nihil viciſſim exponit: ita & iniuſtus eſt, quando vno de ſuo quinque exponente, alter de ſuo quatuor tantùm viciſſim exponit: reſpectu enim iſtius quinti quem ille exponit, iſte nihil exponit: quod non impedit, quin vno iactu valide lucrari poſſit duodecim, etſi quatuor tantùm vno poſſit amittere, dummodo quatuor habeat colluſores, quorum quilibet vno iactu poſſit quatuor exponere: ſinguli enim exponendo ſe periculo amittendi quatuor, poſſunt lucrari duodecim: atque ita ludus quoad hoc inter illos æqualis & iuſtus eſt. I.

Colligitur ſecundo, eum qui ludit cum filiofamilias in paterna domo, aut alibi commorante, habente bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, valide lucrari quod ab ipſo lucratur, cùm plenum bonorum iſtorum dominium penes filium ſit. Quòd ſi aduentitia tantùm habet, quoniam eorum adminiſtratio & vſusfructus apud patrem eſt, patre ea ſibi reſtitui volente ab eo qui lucratus eſt, reſtituenda erunt, quoniam contra voluntatem eius valide dominium ipſorum in alium transferre non potuit filius: quia tamen aliunde in eadem bona idem filius directum dominium obtinet, eaque proinde ludo exponens nihil expoſuit niſi ſuum, atque ſi lucratus eſſet, valide lucrum factum retinuiſſet, manet ipſe ex ludo, iure naturali obligatus victori, ad ſoluendum ipſi tantum, quantum amiſit, ſtatim atque bona aliqua habebit, de quibus ad arbitrium diſponere poterit, non ſecus ac ſi creditò luſiſſet contra alterum pecuniam præſentem exponentem, & amiſiſſet. II. III.

Quòd ſi ne aduentitia quidem habet, nec vlla proinde quorum dominium non ſit apud patrem, ſi nihilominus habet aliqua ex his ſibi ab eo conceſſa ad animi oblectationem, vel ad liberam prout placuerit diſpoſitionem, poterit ea valide ludo exponere, valideque proinde lucrari, & perdere. At ſi nulla huiuſmodi ita ſibi conceſſa habeat, neque lucrari valide, neque perdere poteſt: quare quod amiſerit, erit ipſi reſtituendum, & quod lucratus fuerit, reſtituere debebit: aut ſi quis dicat ipſum valide lucrari poſſe, neceſſarium eſt vt dicat ipſum valide amittere etiam poſſe, non quidem rem quam ludo exponit, quandoquidem aliena eſt, ſed æquiualentem, itavt iure naturæ obligetur ad ſoluendum victori quamprimùm habebit bona liberæ ſuæ diſpoſitioni ſubiecta, quibus ſoluere quod amiſit poſſit. Quod etiam reipſa dicit Leſſius lib. 2. cap. 26. dubit. 5. num. 36. quando is cum quo ludit bona fide putat, rem quam ille expoñit, eſſe in libera eius diſpoſitione, quia ludi contractus ob bonam vtius contrahentium fidem validus eſt, ſicut & quando res furtiua ludo exponitur, contra eum qui bona fide putat rem hanc eius eſſe propriam qui illam ludo exponit: ſecus autem ſi rem ludo expoſitam ſciret eſſe furtiuam, aut non eſſe in eius libera poteſtate qui exponit, propterea quòd tunc ludi contractus irritus eſſet, cùm ſit ex parte vtriuſque ludentis mala fides. IV.

Cæterùm non eſt exiſtimandum, filium familiâs, qui à patre, vel in aula Principis, vel in Academia aliqua ſuſtẽtatur, nullam poſſe partem ſummæ quam ad ſui ſuſtentationem ab eo accipit, in ludum validè inſumere: poteſt enim moderatam aliquam, ex communi Theologorum doctrina, quatuor aut quinque, verbi cauſa, aureos nummos ex centum quos accipit, vt iidem definiunt: ad hoc enim meritò præſumitur pater facultatem filio concedere: ex qua etiam ſumma ludo expoſita quidquid lucrabitur, ludo pariter exponere valide poterit, quia ad hoc ipſe quoque facultatem tacitè dare cenſetur. V.

Secundus modus eſt, cùm fraus in ludo interuenit: ſciendum autem eſt, non quamcunque fraudem quæ lucri cauſa extitit, reſtitutionis obligationem parere, ſed eam ſolam, quæ vel contra leges ludi eſt, vel contra receptam communiter ludendi conſuetudinem, vel in quam aut expreſsè aut tacite ludentes non conſentiunt: ludi autem leges ſunt eæ, quas aut communi conſenſu illi inter ſeſe conſtituerint, aut ſi nihil ea de re cogitant, quæ receptæ ſunt eo loco, aut apud illam gentem, cuius more ludere decreuerunt. Nam vt recte Leſſius dubit. 3. citati cap. 26. contractus, niſi aliud exprimatur, cenſentur celebrari ſecundum loci conſuetudines, etſi vel alter, vel vterque contrahentium earũ aliquas forſitan ignoret. Ex quo colliges, eum qui per huiuſmodi fraudem lucratus eſt, obligari ad reſtitutionem non tantum lucri quod iniuſtè fecit, ſed etiam lucri quod iuſtè alter feciſſet, niſi per illam fraudem ab eo faciendo fuiſſet impeditus: hoc enim lucrum non impedire ex iuſtitia obligabatur: impediendo ergo, iniuſtè damnum intulit: nam lucrum ceſſans damnum aliquod eſt: damnum autem iniuſtè illatum eſt ex iuſtitia reſarciendum. VI. VII.

Si tamen ludus erat humana lege vetitus, non eſt in conſcientia ad reſtitutionem lucri quod per fraudem impediuit, obligatus, vi legum illarum humanarum, quæ, vt ſupra diximus, facultatem victo concedunt non ſoluendi quod amiſit: quarum vti priuilegio cùm vult, ſicut licitè poteſt non ſoluere quod amiſit, ita non ſoluere lucrum iſtud quod per fraudem impediuit: dum hoc enim ſic impedit, dempto tamen iniuſtitiæ peccato, perinde facit, ac ſi non impediret, & per conſequens rem ſuam amitteret, ſed hanc tamen rem ſuam quam lucratus alter eſſet, adhuc apud ſe retineret: quam ſicut vi legum iſtarum ſoluere, vt dixi, non teneretur, ita nec tenetur lucrum illud ceſſans reſarcire: quòd ſi earum priuilegio vti nolit, illud reſarcire tenetur, dummodo certa res eſſet, alterum, niſi fraus interueniſſet, lucraturum. Nam ſi dubium ſit, an nulla interueniente fraude fuiſſet lucraturus, non obligatur is qui fraudem fecit, rem ſuam quam ludo VIII.

exposuerat dare, quia in dubio melior est conditio possidentis: si tamen fraude facta rem alterius lucratus fuerit, dubius an eam lucratus esset, nisi fraus interuenisset, obligatur eam ipsi restituere: quia rem alienam cum eiusmodi dubio non potest sibi vendicare: eo quòd in
I. tali dubio melior est conditio prioris domini possidentis.

Tertius modus est, cùm quispiam alterum per fraudem, vim, metum, similemve modum iustitiæ repugnantē ad ludendum inducit: quod enim sic inductus ludendo perdit, resarcire tenetur qui sic induxit: quia hic illi damni huius causa fuit per iniustam suam actionem, qua sic ad ludendum induxit: quisquis autem alteri causa damni est per iniustam actionem suam, ad illud resarciendum ex iustitia obligatur.

At quæres, vtrùm si sic inductus vicerit, restituere lucrum obligabitur? Sane si iniusta actio qua ludere coactus est, ludi contractum inualidum efficeret, ad illud restituendum obligaretur: ex contractu enim inualido, ac proinde nullo, neuter contrahentium capere lucrum aut damnum valide potest: sed defendi rectè potest, ludi contractum, non obstante illa præcedente coactione, validum esse: qualem reipsa etiam esse docent Lessius citato cap. dub. 2. & Molina disput. 516. qui etiam ita validum censet, vt velit victorem qui victum ad ludendum iniustè induxit, ad nullam lucri ex eo reportati restitutionem faciendam obligari: in quo tamen fallitur, quantumuis ludi contractus validus fuerit, ob rationem qua probauimus ipsum ad eam obligari, quæ locum habet, etiamsi contractum hunc fuisse validum supponatur.

Quod autem non obstante illa præcedente coactione, validus esse possit, probo ex eo quòd
III. quantumuis sic inducens inducto faciat iniuriam, violando ius quod habet, ne per vim, similémve alium modum iustitiæ oppositum ad ludendum inducatur, supposita tamen hac iniuria accepta, facilè intelligere possumus, eum qui inductus est, pleno voluntario & perfecto, quantum ad validitatem cōtractus ludi sufficit, velle sic ludere, vt ex vi contractus ludi, suū faciat, quod ludendo lucrabitur, & per consequēs si amittat, vt quod amittet, victor suum faciat: prius enim illud ex vi contractus ludi velle non potest, quin ex vi eiusdem cōtractus hoc posterius velit, alioqui contractus inæqualis esset & iniustus. Confirmatur, eo quòd si per vim Petrus Paulum cogat cum Ioanne ludere, contractus ludi validus esse poterit, & lucrum ab hoc vel illo validè retineri, dummodo Paulus sup-
IV. posita illa accepta à Petro iniuria, velit absolutè sic ludere, vt suum faciat, quod à Ioanne lucrabitur, & per consequens Ioannes suum, quod à Paulo fuerit lucratus: ergo & validus esse poterit, si Paulus cum eo ipso ludat qui ad ludendum iniustè induxit, dummodo id absolutè velit: par enim vtrobique ratio est.

Dices, si collusor, qui suum collusorem iniustè coegit ad ludendum, facit suum quod ab eo lucratur, quo modo verum esse potest, quod antè dictum est, eum obligari ad resarciendum damnum, quod perdendo fecit is qui ad ludendum iniustè inductus est? Respondeo verum nihilominus esse, quia licet, quantum est ex vi contractus ludi, vtpote validi, suum efficiat quod lucratur, & ex hoc ipso capite ad nullam restitutionem obligetur, lucrum tamen factum obligatur ex alio capite restituere, nempe vt damnum quod inductus perdendo fecit, resarciat, cuius ipsi causa fuit, per iniustam illam actionem suam qua ipsum ludere coegit: sicut & ex eodem capite obligaretur Petrus ad resarciendum damnum quod fecisset Paulus in Ioannem ludens, si sic in hunc ludere à Petro iniustè coactus esset, qui tamen Ioannes lucrum ex Paulo reportatum valide retineret.

SECTIO VII.

Ad quam restitutionem fur vel furtiua percunte teneatur?

HVc pertinent tres potissimùm quæstiones: quæ autem in iis de fure definiemus, intelligenda pariter erunt de quouis alio iniusto possessore rei alienæ, quæ perierit eo tempore, quo erat iniustus eius possessor.

Prima quæstio est, vtrùm fur obligetur ad restituēdum, eo casu quo res furtiua quæ apud ipsum periit, erat certò apud dominum, vel casu, vel iusta alterius actione nullam agenti afferente restituendi obligationem, vt iusta hostium incursione, peritura? Non est dubium quin obligetur, si certo erat apud dominum peritura, sed iniusta alterius actione: sicut enim hic eius rei damnum domino iniustè afferens restituere obligaretur, ita tu cùm intuleris, obligaberis: quòd enim præueneris ipsum iniustè damnum inferendo, facit vt restituendi obligationem quam subiisset subeas, ipsumque sic præueniendò, ne subeat, impedias, sicut & ne damnum inferat, impedis. Neque item dubitandum, quin obligetur, si dubium tantùm erat, an res apud dominum vel casu, vel iusta alterius actione periisset, in huiusmodi enim dubio melior est conditio innocentis.

At si certò erat apud ipsum eo quo dictum est modo peritura, controuersia est, in qua negatiua pars amplectenda est cum Nauarro, Sylvest. Medina, & aliis quos citat & sequitur Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 15. quam & rectè probat ex lege finali §. finali. ff. de lege Rhodia, de iactu. in qua dicitur, si ea conditione nauem conduxisti, vt ea merces tuæ deportarentur, eāsque nauta nulla necessitate coactus transtulerit in nauem deteriorem, & merces cum ea naue perierint, habere te ex conducto cum nauta illo actionem: (qua nimirum ipsum ad resarciendum damnum possis compellere, ad quod etiam in conscientia obligatur) contra autem, si modò ea nauigatione vtraque nauis periit: contra, inquam, id est, te non habere eiuscemodi aduersus illum actionem, nec ipsum ad tuæ rei iacturam resarciendam obligari, quandoquidem illa erat in meliore naui similiter ac in deteriore peritura.

Ratio autem est, quòd quæ res apud dominum certò peritura est, & ita, vt ex ea ipse nihil iuris aut commodi percepturus sit, eadem in statu isto considerata ipsi domino nullius pretij

censetur esse, secundùm moralem & prudentem hominum æstimationem: vnde & nullus est, qui rem alioqui pretiosissimam, quam certò sciret statim post emptionem casu aliquo perituram, ita vt ex ea nullum referre commodum posset, nullúmque ius percipiendæ restitutionis ab eo per quem periisset, emere obolo vellet: qui autem rem alienam suo nullius pretij domino, etiam sciens & volens destruit, destruendo, nullum ipsi damnum infert: ergo nec ad vllam restitutionem obligatur ratione damni illati: ergo nec ad vllam absolutè, si nullo alio ex capite obligari ad eam potest: cuiusmodi est fur de quo loquimur: non enim ex re accepta, cùm ipsa non extet ampliùs, vtpote quæ apud ipsum periit, vt supponimus, neque sit ex ea factus ditior, vt etiam supponimus, aut si factus est, id tantùm obligetur restituere quo ditior ex ea factus est: ergo ex sola eius acceptione, neque ex alia quàm iniusta, quia non aliter accepit. I.

Quod autem dico eum ad nullam teneri restitutionem rei quam sciens etiam ac volens destruit, intelligendum cum hac restrictione est, dummodo rem hanc eo loco ac tempore destruat, quo certò erat apud dominum, eo quo dixi modo, peritura. Nam vt rectè Lessius ibidem, si eam destruat alio loco vel tempore quo peritura non erat, ad restitutionem obligabitur. Exempli causa, si frumentum alienum furto sublatum detulerit in eum locum, in quo non periisset, illúdque ibi consumat, ad restitutionem obligabitur: tali enim loco positum domino suo valere incipit: vnde hic ipsi valor restituendus est, quocunque modo prædictum frumentum eo loco pereat, siue casu, siue furis voluntate. Nec refert, quòd si illud domino restituisset, apud ipsum certò periisset: quia enim in illum alium tutúmque locum asportatum fuit, ac proinde extra periculum istud positum, ideo valorem suum retinuit: vnde à fure, vel casu, vel aliter destrui, sine restituendi obligatione non potuit. II. III.

At oppones, si res deposita apud dominum certò peritura, apud depositarium ex eius aliqua libera voluntate periret, vt quia de loco in quo periit, transferre noluit in alium locum, in quem poterat, & in quo non periisset, obligaretur ad eius restitutionem: ergo etiam fur obligabitur, si furtiua res apud ipsum pereat, quia de loco in quo periit, transferre noluit in alium in quem poterat, & in quo periisset. Respondeo concedendo consequentiam, iis in casibus, in quibus fur haberet, sicut habet depositarius ex iustitia obligationem tranferendi rem hanc eum in locum in quo non periret: sed quoniam depositarius ex contractu depositi obligationem illam habet, fur autem ratione furti commissi non obligatur ad id ex iustitia, sed summum ex charitate, cuius violatio non parit obligationem restituendi, propterea concesso vniuersim antecedente neganda consequentia est: disparitatis ratio est, quòd depositarius rem depositam non transferendo de loco in locum iniustè feciset, per hancque iniustitiam suam damni causa fuisset quod impedire poterat, & ex iustitia obligabatur: vnde non mirum si ad illud resarciendum obligaretur: fur autem damni causa contra charitatem vt summum extitisset: vnde nec mirum, si ad hoc damnum sic illatum resarciendum non teneretur. IV.

SECTIO VIII.

Secundæ quæstionis explicationem continens.

SECVNDA quæstio est: An fur teneatur rem restituere iuxta summum pretium, quod tempore iniustæ detentionis habuit: vt si modium tritici furatus est, tunc valoris trium aureorum, qui deinde ad quinque valorem excreuit, decreuítque postea, & ad trium valorem rediit, vtrùm ad quinque aureos restituendos obligetur? V.

Dicendum primo, si res furto sublata extet adhuc apud furem, sed apud ipsum facta sit melior, quàm esset eo tempore quo eá furatus est, hunc obligari ad eam etiam cum huiusmodi incremento domino restituendam, quia nimirum cũ hoc etiam incremento in eius dominio permanet: tenetur tamen hic furi soluere pretium expensarum factarum, laboris, ac industriæ in re illa melioranda, quando hic ipse dominus tantundem expendisset: quia æquum non est, vt ipse rem suam habeat alieno sumptu perductam ad eum statum, ad quem ipsa non nisi pari sumptu perduci potuisset: quòd si ipse minori sumptu erat eam ad illum statum perducturus, tantundem solùm quantum expendisset in ea ad statum hunc perducenda soluere furi tenebitur, sed hic excessum sumptuum quos fecit, imputare sibi debebit. Cùm enim sumptus hi facti cedere debeant aut in furis, aut in domini, si eos soluat, damnum, æquum est, vt ille potiùs, cùm sit malæ fidei possessor, quàm hic damnum istud sustineat: alioqui posset fur pro arbitrio cogere alium ad quantumcunque magnos circa rem suam sumptus faciendos: quod tamen, vt patet, iniquum est, quia posset circa rem à se furto sublatam, quos luberet sumptus facere, qui postea à domino solui ipsi deberent. VI. VII.

Dicendum secundò, rem furto sublatam quæ vel periit apud furem, vel post meliorationem facta deterior est, siue casu, siue aliqua furis culpa, restituendam esse domino, secundùm summum pretium quod habuit dum optimo in statu erat, si dominus erat eam tali in statu, summóque illo pretio venditurus. Ita Theologi communiter, & ratio manifesta est, quòd qui est alteri causa damni per iniustam suam actionem, obligatur ex iustitia ad illud resarciendum: fur autem ille per iniustam illam rei detentionem impedit lucrum quod aliquando dominus eius facturus erat, & per consequens est causa damni quod sustinet, in istius lucri futuri carentia consistentis. VIII.

Hæc autem assertio nostra, & ratio, vt patet, locum habet, tam quando res aliena fit melior aut deterior intrinsecè, seu intrinseco incremento, aut decremento, vt cùm equus magnitudinis, roboris, similiumque perfectio-

num sibi internarum incrementum aut decrementum accipit, vnde maioris, aut minoris est pretij: quàm quando melior aut deterior fit extrinsecè, seu extrinseco incremento, aut decremento: vt cùm tritici modius nihil in se mutatus, ob extrinsecam aliquam circunstantiam, vt copiam, aut penuriam, nunc maioris, nunc minoris pretij est.

I.

Quòd si sit incertum, an dominus, si rem suam à fure iniustè retentam habuisset, eam venditurus esset in optimo statu, summóque pretio, fur non obligatur tantum restituere, quantum si certum illud esset: at si certum illud esset, obligaretur tantum restituere summum rei pretium: non enim obligatur plus restituere, quàm damni intulerit: quando autem illud incertum est, minus intulit, quàm quando certum est: quia illud incertum æstimationem damni minuit. Quam ob causam cùm alienæ segetes incenduntur, de quibus incertum erat, an ad maturitatem essent, naturalémque perfectionem peruenturæ, non est tantum restituendum, quantum fuisset, si ad

II. eam peruenturas certum fuisset.

Dicendum tertio, si rei furto sublatæ pretium vel intrinsecè, vel extrinsece decreuerit, aut illa apud furem perierit, dominus autem non erat eam venditurus tempore optimi status, summique pretij quod habuit, sed erat eam apud se ad hoc vsque tempus seruaturus, quo apud ipsum æquè atque apud furem decrementum illud optimi status, & pretij accepisset, Dicendum, inquam, furem non obligari ad eam restituendam nisi iuxta pretium quod hoc tempore habet. Ita Lessius lib. 2. cap. 12. dubit. 16. Sylvest. verbo, *Furtum*. quæst. 16. Ioann. Med. Cod. de restitut. quæst. 6. Couarr. ad regulam, *Peccatum*. parte secunda §. 6. num. 2. & Petrus Nauarr. lib. 4. de restitut. cap. 1. dubit. 4. num. 30.

III. contra Nauarrum cap. 17. num. 26. cuius ratio est, quòd quidquid iniustæ detentionis tempore rei alienæ accessit incrementi vel extrinseci, vel intrinseci, totum domini fuit: totum ergo fuit ei tunc ex iustitia à fure reddendum: hic autem nunc ista obligatione liberatus nullo ex capite dici potest.

Verùm etsi totum illud incrementum tunc temporis domini fuerit, eique ex iustitia reddi debuerit, peccatúmque iniustitiæ fur retinendo tunc commiserit, & eo grauius, quo maius tunc incrementum illud fuit, hoc tamen tempore quo incrementum illud periit, & quo perinde periisset, vt expresè supponimus, apud dominum, atque apud ipsum furem periit, hic obligatione restituendi huius incrementi nunc liberatus est: eo enim

IV. ipso quo sic periit, nullum amplius caput est, ex quo ad eius restitutionem obligari possit: cùm tunc obligaretur ex duplici, nempe ex capite rei alienæ, incrementi scilicet illius tunc extantis quod domini erat: & ex capite iniustæ eius acceptionis, quia tunc iniustè detinebatur: quorum ex neutro nunc obligatur: non quidem ex primo, quia incrementum illud amplius non extat, nec ex eo fur ditior factus est, vt supponimus. Neque ex secundo: non enim quælibet iniusta rei alienæ acceptio parit restitutionis obligationem, sed ea sola qua damnum infertur: at fur iniusta illa actione qua illud incrementum, quod nunc periit, retinuit, nullum eius domino damnum intulit: quia, vt hac sectione probauimus, per illam iniustam rei A alienæ acceptionem aut retentionem nullum domino damnum infertur, per quam accipitur aut retinetur res quæ similiter apud dominum peritura erat: incrementum autem illud de quo loquimur à fure iniustè retentum, domino sic periisset, vt in assertione expresè supponimus, eo ipso quo supponimus eum, rem suam quæ incrementum acceperat, perinde apud se seruaturum ad illud vsque tempus quo periit, atque si nunquam accepisset, & quo illud perinde erat apud eum periturum, atque apud furem periit. V.

Dicendum quartò, si fur alienam rem intrinseco augmento meliorem effectam vendiderit, tenebitur domino restituere æstimationem quam habet res in illo statu (demptis tamen expensis, vt hîc iam explicatum est) e- VI.

B tiamsi apud dominum non esset melior futura: quòd si extrinseco tamen augmento melior effecta sit, eámque vendiderit, nec dominus erat eam venditurus, neque eam ipsi aut aliam similem æqualis bonitatis reddere possit, tenetur illud tantùm eidem ipsi pretium soluere, quo dominus eam tempore quo incrementum accepit, vendidisset, aut quod tunc apud ipsum dominum seruata haberet. Vtramque assertionis partem desumo ex Lessio citata dubit. 16. Priorem rectè probat ex eo quòd cùm totum illud intrinsecum rei incrementum, ob quod ipsa maioris est pretij, sit totum domini, vt & ipsa res: sicut huius ipsius rei pretium ob hanc causam domino restituendum est, ita & illius incrementi VII.

C pretium: cùm etiam sicut in illa re ipsius domino iniustè damnum illatum à fure est, ita & iniustè sit eidem ab eodem illatum in illo huiusce rei incremento. Vbi etiam rectè meo iudicio addit, cùm istud incrementum, sicut & quælibet alia res pretio æstimabilis, triplex iustum pretium habeat, infimum, medium, supremum, furem non obligari ad restituendum supremum illius incrementi pretium, etiamsi supremo vendiderit, nisi rei, & incrementi dominus erat illud supremo venditurus: satis ergo fore restituere pretium incrementi medium, aut infimum.

Posteriorem quoque ex eo rectè probat, quòd pretium incrementi à fure venditi, & à domino, vt supponimus, non vendendi, & proinde inutilis ipsi perinde futuri, atque si VIII.

D nunquam istud incrementum accepisset, est fructus industriæ furis: quos fructus non obligatur restituere, vt paulò pòst dicemus. Sicut enim est industriæ transferre rem eum in locum in quo pluris valet, ita & scire eo tempore vendere, quo pluris item valet: quæ causa est, ob quam non obligatur supremum prædicti incrementi pretium reddere, quando illud supremo pretio vendidit, nec dominus erat eo venditurus, quia nimirum supremum istud pretium fructus industriæ est: re-

ctè enim venditoris industriæ tribuitur, rem triplici iusto pretio vendibilem scire non solo infimo, aut medio, sed supremo etiam vendere.

SECTIO IX.

Tertiæ quæstionis explicationem continens.

TERTIA quæstio est, vtrum fur obligetur ad restitutionem fructuum quos ex re furtiua, eiusve vsu percepit? Reuocandum hic in memoriam est quod disputat. 22. diximus, nimirum hos fructus aut esse purè naturales, aut puræ industriæ, aut mixtos. Dicendum autem primò ipsum non obligari ad restitutionem fructuum secundi generis, siue adhuc extent, siue non, siue sit ex iis factus ditior, siue non sit. Huius assertionis veritas ex illa disputatione clara est.

Dicendum secundò, obligari ad restituendos fructus secundi & tertij generis, siue adhuc extantes, siue non: idque quo factus est ex iis ditior, siue extet adhuc, siue non, id est, siue adhuc maneat nunc ex iis ditior, siue non: deducendæ tamen erunt expensæ quas fecerit, pretiumque laboris ac industriæ quam in iis fructibus percipiendis collocauit, eo sensu quo superiori quæstione, assertione prima explicatum est. Et quidem quòd si fructus illi adhuc extent, aut si adhuc extet id quo factus est ex illis ditior, obligetur & illos, & id totum restituere, constat ex dictis disputatione citata. Nam si bonæ fidei possessor ad hoc ipsum obligatur, vt ibidem probatum est, & quidem ex capite rei alienæ, pari saltem iure fur obligabitur.

Quòd verò ad id totum obligetur ex capite iniustæ acceptionis, ad quod obligari hac secunda nostra assertione dicimus, constat ex eo quòd illorum primi tertiique generis fructuum, eorumque omnium quibus inde factus est ditior, siue adhuc extantium, siue non, eadem est ratio quæ ipsius rei alienæ, cùm eo ipso quo sunt illius primi tertiique generis, sint domini, sicut & ipsa res ex qua percepti sunt, vt citata disputatione probatum est: ergo sicut obligatur ex capite iniustæ acceptionis restituere rem alienam, siue extet adhuc, siue non extet amplius, siue sit ex ea ditior effectus, siue non, & siue id quo factus est ex ea ditior maneat adhuc, siue non: ita etiam ex eodem capite obligabitur ad fructus illos restituendos, eáque omnia quibus inde ditior factus est, siue extent adhuc, siue non extent amplius.

Neque soluetur hac obligatione restituendi, etsi supponatur dominus, si rem suam apud se habuisset, fructus istos non percepturus, quia necessariam ad eos percipiendos operam non posuisset: fructus enim isti eo ipso quo producuntur, sunt in dominio eius cuius ex re producuntur, sicut & ipsa res: vnde cùm fur eos percipiens & retinens percipiat & retineat iniustè, tam ad eorum restitutionem, quàm illius ipsius rei obligabitur.

Dicendum tertiò, furem obligari ad restitutionem fructuum primi, secundi, tertiique generis, quos rei dominus percepisset, si eam apud se habuisset: per iniustam enim suam huius rei acceptionem, retentionémque, est illi causa huius lucri cessantis, ac proinde damni in hac eius cessatione seu carentia consistentis, quod proinde compensare ex iustitia obligatur.

Dicendum postremò, si fur rem furto sublatam meliorem fecerit, ex eaque sic meliore reddita fructus exiguos sua negligentia postea perceperit, hanc autem sic meliorem effectam si dominus recepisset, multò plures fructus ex ea percepisset, quæ tamen illud bonitatis incrementum apud eum habitura non fuisset, Dicendum, inquam, furem ad omnes illos fructus restituendos obligari, quos dominus ex ea meliorata percepisset. Ratio est, quòd res illa cum illo suo bonitatis incremento tota domini est, ipsíque reddenda, quam proinde dum fur detinet, iniustè detinet, per quam iniustam detentionem causa est lucri cessantis quod dominus ex ea meliorata fecisset, si eam recepisset, & per consequens damni quod patitur in illius lucri carentia consistentis.

DISPVTATIO XXIX.

De restitutione facienda ab eo qui alteri iniustè damnum inferenti cooperatur.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla prænotantur.

NOTANDVM primò, posse aliquem alteri ad inferendum damnum iniustè cooperari nouem modis, qui duobus his versibus comprehenduntur.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ex quibus sex priores positiui sunt, id est, positiua quadam actione perficiuntur: tres verò posteriores, negatiui, seu omissione positiuæ actionis.

Notandum secundò, illum solum tacendo, non obstando, non manifestando, causam hîc censeri damni iniustè illati, qui ex iustitia obligatur, ad impediendum damnum hoc, non tacere, obstare, manifestare.

Notandum tertiò, inter iussionem, consilium, & mandatum, hoc esse discrimen, quòd iussio significet præceptum superioris imperandi potestatem habentis: consilium verò & mandatum inter æquales etiam esse possint: sed hac differentia, quòd consilium refertur in eius commodum cui consilium datur: mandatum verò in mandantis: mandatum enim munus est susceptum gratis in mandantis commodum. Dico gratis, nam si mandans dat aut promittit mandatario pretium pro re mandata exequenda, non iam propriè mandatum est, sed contractus quidam locationis dicitur in Instit. Titulo de mandato, ad finem.

Notandum quartò, circa quatuor sequentes cooperandi modos positiuos, consensum duplicem esse posse, vnum quo quis consentit in opus iniustum faciendum antequam fiat: alterum quo consentit in opus, postquam factum est, & quo ratum ipsum habet. Ad palpationem vero pertinere non solam laudationem, qua crimen patrandum, aut patratum laudatur, vel ipse criminis siue facti siue faciendi patrator, sed etiam vituperationem oppositam, vt ignauiæ exprobrationem, quòd iniuriam acceptam non sis vltus homicidio, alióve opere iniusto. Per recursum autem intelligi actionem, qua iniusti operis siue facti siue faciendi patrator ab eo ad quem recurrit ita recipitur, vt hic illum vel apud se occultando, vel eius instrumenta abscondendo, vel simili modo recipiendo, censeatur ipsi cooperari ad damnum inferendum, aut postquam illatum est, non resarciendum. Denique participantem duob. modis participare posse iniuste damno iniuste illato: primo sic vt sit particeps prædæ: secundo sic vt sit particeps iniustæ actionis, qua damnum infertur, præbendo auxilium ad damni illationem, furem, verbi gratia, adiuuando ad conscendendum in alienam domum, scalas admouendo, excubias agendo, similibusque modis opitulando.

I. A V.

II. B VI.

SECTIO II.

Vtrùm quisquis aliquo modorum illorum contra iustitiam peccat, ad restitutionem obligetur?

III. C VII.

IV. D VIII.

DICENDVM primò, non omnem sic peccantem ad restituendum obligari: non enim quælibet iniusta actio parit obligationem restitutionis, sed ea sola qua damnum infertur, vt constat ex antè dictis. Vnde colligitur primò, neque iubentem, neque consulentem, neq. mandantem furtum, aut homicidium, aliudve opus iniustum, ad restitutionem obligari, quando is cui iubetur, consulitur, aut mandatur, iam aliunde propositum habet patrandi criminis, & ita, vt illa iussione, consilio, mandato ad illud patrandum non moueatur: qui sic enim iubet, consulit, mandat, non est causa operis iniusti, damnique per illud illati, quandoquidem ex vi & influxu iussionis illius, aut consilij, aut mandati nihil efficitur.

Colligitur secundò, eum qui iussit aut mandauit opus iniustum patrandum, antequam tamen patraretur, reuocauit iussionem suam, aut mandatum, itavt ei cui iusserat, aut mandarat, reuocatio innotuerit, non obligari ad compensationem damni illati, si postea opus perpetretur, & damnum inferatur: per hanc enim reuocationem suam efficit, vt qui perpetrat & infert, censeri non possit perpetrare & inferre ex vi & influxu iussionis aut mandati præcedentis, cùm per illam reuocationem huius & illius totam vim & influxum perimat. Dixi, itavt ei cui iusserat aut mandarat reuocatio innotuerit: nam si non innotuit, sicut ex vi iussionis & mandati non minùs agit ille, quàm si reuocatio nulla facta esset: ita qui iussit, aut mandauit, non minùs est causa operis & damni, quàm si non reuocasset.

Colligitur tertiò, consulentem reuocantem cõsilium suum antequam opus iniustum quod consuluit exequutioni mandetur, obligari aliquando ad restituendum, si nihilominus fiat quod consuluit, aliquando non obligari: non obligatur quidem, quando consilium quod dedit falsum fuit, seu falso fundamento nixum: vt si contractum aliquem celebrandum, aut bellum inferendum consuluit, asserendo licitum & iustum contractum & bellum esse: postea enim consilium istud reuocans, affirmando bellum & contractum iniustum esse, si nihilominùs celebretur, ac geratur, & ita damnum proximo inferatur, liber erit ab omni obligatione restituendi, quia per hanc reuocationem, vim consilij præcedentis omnem, ac influxum in opus iniustum ac damnum sequuturum permit: non enim in illud influere censeri potest, nisi affirmatione, & ingenerata in animo consilium petentis opinione contractus bellíve liciti & iusti: hanc autem affirmationem, & ingeneratam à se opinionem contraria affirmatione funditus euertit: obligatur autem, quando consilium verum fuit, ostendendo vel honorem, vel vtilitatem quæ verè reipsa ex iniusto opere patrato illatóque damno sequeretur: quantumuis enim postea ipse consulat oppositum, asserátque opus illicitum esse, si tamen is cui consuluit ostensa sibi ab eo vtilitate, & gloria ex opere sequutura permotus, maneat in sententia patrandi facinoris, & perpetret, ad illati damni compensationem obligabitur: quia non obstante reuocatione hac, facinoris patrator agit ex vi & influxu consilij dati, ex motione scilicet vtilitatis & gloriæ sibi antea ostensæ.

Nec refert, quòd quantum potuit, motionem hanc & influxum peremerit, consulendo contrarium: reipsa enim non peremit: quòd autem aliter perimere non potuerit, solùm euincit, eum motionem hanc semel positam tollere ampliùs non potuisse, nec per consequens potuisse non esse causam prædicti operis iniusti, & damni: sicut quòd is qui sagittam emisit in aduersarium, reuocare eam ampliùs non possit, ipsíque vim impressam cohibere, etsi maxime velit, facit, vt non possit non esse causa homicidij.

Colligitur quartò, eum quoque qui ratum habet opus iniustum factum, illatumque damnum, postquam factum & illatum est, etiamsi ab eo qui fecit, & intulit, dicatur illatum & factum eius nomine, seu in gratiam ipsius, non obligari ad restitutionem: per hunc enim consensum suum nec influit, nec influere potest in hoc opus, & damnum, vt pote quod hoc consensu & natura & tempore prius est.

Nec dicas primò, satis esse vt ad eius compensationem obligetur, quòd in eius gratiam opus factum fuerit, & damnum illatum, ac proinde propter ipsum tanquam ob causam finalem: in primis enim nullus obligatur ad resarciendum damnum eo quòd eius causa sit, nisi sit eius causa efficiens, siue

physicè, siue moraliter: qui autem aliam non exercet causalitatem quam causæ finalis, vt causa finalis est, non habet rationem efficientis, vt efficiens est, & à finali distinguitur. Deinde etsi causalitas seu motio causæ finalis qua quis alium mouet ad inferẽdum damnum, I. sufficere per se posset ad pariendam in eo qui A causat obligationem restitutionis, requireretur saltem, vt voluntaria ipsi illa motio esset: agimus enim hîc de obligatione restituendi, quæ ex iniusta cooperatione nascitur, ac proinde ex delicto, nec qualicunque, sed iniustitiæ: non potest autem illa motio esse iniusta cooperatio, vel delictum, nisi voluntaria sit, necesse autem non est, vt voluntaria sit ipsi motio illa, quia qui gratia alterius quidpiam facit, tam facere potest ipso penitus ignorante, quàm sciente: quod autem penitus ignoratum, nec voluntarium.

Neque verò si ipso sciente fiat, imò etiam volente, seu gratum habente, statim erit concludendum, ipsum obligatum iri ad restitutionem: vel enim tenetur ex iustitia aliquid exteriùs facere quo impediat, ne propter ipsum opus I. iniustum fiat, damnúmque inferatur, & B omittit facere: vel ex ea nõ tenetur. Si primum, tunc quidem obligatur ad damnum resarciendum, sed non mirum, quia tunc illud infert per modum causæ efficientis, per modum scilicet vel muti, vel non obstantis, vel non manifestantis, quo modo, sicut & quolibet alio sex priorum supra relatorum, qui causa est damni, est eius causa efficiens. Si secundum, non magis ad illud resarciendum obligatur, quàm qui videns furem furantem, aut occidentem, non impedit, cùm posset impedire, etsi ad impediendum ex iustitia non teneatur, furtúmque aut homicidium quod committi videt, approbat: qua approbatione etsi contra iustitiam peccet, non tamen ad restituendum obligatur, quia III. damni quod infertur causa efficiens, siue C physica, siue moralis, per aliquam iniustam suam actionem non propterea censetur.

Nec dicas secundò, cõsensus illius quo ratum habetur opus aliquod perpetratum, præsertimque illud quod in gratiam ratum habentis factum est, & mandati eandem esse rationem, consensúmq. illum mandato comparari, vt dicitur de regulis Iuris in sexto, reg. 10. & regul. 194. ff. de regulis Iuris: ex qua colligit summus Pontifex in capit. 23. de sententia excommunicationis, lib. 6. excommunicatum illum esse, qui quamuis non mandauerit, approbat tamen percussionem Clerici violentam factam in sui gratiam, mandantem autem obligari ad cõpensationem damni quod eius mãdato illatum est. Ne, inquam, id dicas: etsi enim mandantis & approbantis, mandatique & approbationis eadem IV. ratio sit quoad culpam, & culpæ genus, quia D vterque peccat, & contra eandem virtutem peccat: quoad etiam pœnæ dignitatem & reatum qui malitiam culpæ ex rei natura sequitur: imò quoad pœnam in externo foro, in quo nonnunquam saltem qui ratum habet crimen admissum punitur, sicut & ille qui commisit: denique quoad pœnam aliquam Ecclesiasticam, vt excommunicationem, aliámve similem, quæ iustè pro quibusdam peccatis infligitur, tam ei qui mandat fieri, quàm illi qui factum approbat: non tamen quoad onus & obligationem restitutionis: disparitatis ratio est, quòd qui mandat inferri damnum, causa est efficiens saltem moralis damni quod à mandatario physice infertur: qui autem illatum damnum approbat, eius efficiens causa non est, nec physica, nec moralis. V.

Colligitur quintò, neque illum etiam ad reparandum damnum illatum obligari, qui iniustum eius illatorem laudat: aut in domo sua occultat, alitérve ad se recurrentem recipit, ita tamen vt laudatione, receptionéque sua, nec illum excitet vllo modo ad aliud simile postea audendum, aut ad damnum quod intulit non compensandum: etsi enim quoties ita laudat, aut recipit, peccaret contra iustitiam, quia tamen ita laudando & recipiendo ad nullum damnum inferendum mouet, nec vllius proinde damni causa est, ad nullam restitutionem obligatur. Dixi, etsi peccaret contra iustitiam: quia etsi qui laudat, semper peccet contra iustitiam, sicut & qui VI. recipit, quando laudat & recipit ex complacentia, qua placet ipsi iniuria contra iustitiam illata, itavt hæc formale motiuum sit illius complacentiæ, non tamen semper hic receptator, aut laudator contra iustitiam peccat: vt cùm aliquo alio ex motiuo laudat, aut recipit: imò receptio hæc virtutis actus esse potest: vt cùm quis reum furti vel homicidij qui ad mortem quæritur, ex charitate recipit, & occultat, quò mortem euadat.

Dicendum secundò, eum omnem qui aliquo nouem illorum modorum per iniustitiam peccat, simúlque est causa damni quod infertur, ad restitutionem obligari: ex iniusta enim actione qua damnum infertur, consurgit restitutionis obligatio. Vnde colligitur, eos ad restituendum non obligari, qui etiam positiue damno quod VII. infertur cooperantur, vt scalas admouendo, instrumenta suppeditando, similíve modo furẽ furtũ machinantem adiuuando, dummodo id sponte nõ faciant, sed per vim, seu grauem metum iniectum, & id quod faciunt, per se malum non sit: cuiusmodi sunt ea quę retuli, quæ per se indifferentia sunt: quamuis enim ex iis factis dãnum sequatur, & ita sequatur, vt nisi fierent, nõ sequeretur, quia tamen qui ita coacti faciũt, nõ peccant contra iustitiam, imò nec plerunq. saltem contra vllam aliam virtutem, propterea ad illati damni compensationem non obligantur.

Nec refert, quòd opera illa per se indifferentia à fure referantur in furtum faciendum, tanquam media in finem: hinc enim tantùm sequitur, ipsum peccare per iniustitiam iis mediis vtendo, at non illos qui faciunt, sed vt eo malo se liberent, cuius ipsis grauis metus incutitur: in quo metu periculóque constituti ius habent opera illa per se indifferentia faciendi, quantumcunque ex malitia furis iis in malum finem vtentis, ex iisdem damnum proximo obueturũ sit. Quo ex capite permulti Theologi Christianos à Turcis captos, & qui metu mortis adiguntur ad impellendos in triremibus Turcicis remos in bello iniusto quod ab illis geritur, excusant ab omni peccato, & obligatione restituendi. Nec refert, quod hi remiges Christiani VIII.

licitè occidi possint ab iis contra quos iniustum bellum geritur: possunt enim, non iure iustæ vltionis, cùm nihil peccent, sed iure necessariæ defensionis, quo licitè possunt defendere se, victoriamque persequi, & consequenter ea facere quæ ad hunc finem necessaria sunt.

I. Dicendum tertiò, eum qui aliquo nouem modorum antea relatorum per iniustitiam peccat, & ita se habet, vt absque ipsius iussione, vel consilio, vel consensu, vel aliquo alio consequentium modorum damnum quod infertur, non inferretur, esse veram illati damni causam: nisi enim qui ita se ad hoc damnum habet, eius vera causa censeri debeat, nullus erit qui causa ipsius meritò censendus sit, cùm aut nulla, aut hæc vera causa sit censenda, qua posita ponitur effectus, & qua non posita, non ponitur.

II. Dicendum quartò, illum quoque veram illati damni causam censeri debere, qui iubendo, consulendo, alióve simili modo ex nouem relatis, ita mouit causam exequentem ad inferendum damnum, vt ex vi iussionis, consilij, &c. causa hæc opus iniustum exequatur, & damnum inferat, quantumuis supponatur, quòd licet ille non iussisset, aut consuluisset, &c. non defuisset alius qui eidem causæ exequenti idem opus & damnũ exequi ità iussisset, aut consuluisset, vt ex vi iussionis huius, aut consilij, idem opus factum esset. Probatur ex eo quòd non illa sola causa censenda est, qua posita ponitur effectus, & qua non posita, non ponitur: sed etiam illa qua posita ponitur, etli ea non posita adhuc poneretur: quia idem effectus multis ex causis habere ortum potest, vt mors, & cæcitas, cuius vera causa est cordis aut oculi vulneratio, ex qua priuatio vitæ, & visus sequitur, quantumuis eiusdem priuationis alia quoque causa esse possit.

III. Adde quòd consequens alioquin esset, furem aut homicidam non futurum causam illati per furtum, aut homicidium damni, nec proinde obligatum iri ad restitutionem, si alius erat eundem hominem occisurus, aut eandem rem furto sublaturus: quod certissimè falsum est. Imò sicut iste qui erat hoc facturus, nisi alius eum præueniisset, erat per hoc suum iniustitiæ peccatum futurus vera causa damni, contracturúsque eius resarciendi obligationem: ita qui furando occidendóve præuenit, causalitatem hanc prior exercuit, obligationémque contraxit.

SECTIO III.

Quid de non mediocri inter Theologos controuersia sit sentiendum statuitur, & probatur.

IV. ATQVE cùm in suprà positis assertionibus conueniant communiter Theologi, non parua inter eos dissensio est, vtrùm cùm iubens, consulens, similisve causa moralis causam exequentem iam ad facinus & damnum inferendum aliunde determinatam, ita permouit, vt vi motionis istius illud inferat animosiùs, aut celeriùs, aut alio loco, aliáve simili cum circumstantia, cum qua non intulisset, nisi iussio, consilium ve interuenisset, censeri debeat causa damni, quod à causa exequente infertur, & per consequens vtrùm ad illud compensandum obligetur? Negatiuam partem tuentur Diuus Thomas, Antoninus, Syluester, & Nauarrus locis à Lessio citatis libri secundi capite decimo tertio, dubit. 2. quam & ipse probabilem iudicat. Affirmantem Caietanus, Medina, Sotus, & Petrus Nauarr. ibidem ab ipso citati. V.

Ergo priorem illam opinionem isti posteriori præferendam censeo, tum propter eorum à quibus defenditur authoritatem: tum ob vnam aut alteram rationem. Vna est, quòd huiusmodi causa moralis non tam est causa substantiæ damni, quàm modi alicuius seu circumstantiæ cum qua infertur, vt quòd hoc animi ardore, hoc loco, hoc tempore: ex qua circa modum hunc, seu circumstantiam causalitate non oritur obligatio restituendi, sed ex illati damni substantia, seu ex iniusta circa substantiam hanc causalitate: ideo autem causa illa moralis non est causa substantiæ damni illati, propterea quòd iam est aliqua prior per se sufficiens & efficax causa substantiæ damni illius, nimirum causa exequens determinata iam aliunde ad illud damnum inferendum, & vi determinationis istius, illud nihilominùs (licet non illo modo) illatura, quo si nulla præditæ causæ moralis causalitas interuenisset: quando autem datur aliqua huiusmodi causa per se sufficiens & efficax substantiæ damni, aut alicuius alterius effectus, causæ posteriùs aduenientes per se futuræ causæ alioqui sufficientes, & respectu eiusdem effectus efficaces, nullam ergo ipsum causalitatem exercere censentur, secundùm communem & prudentem hominum existimationem. Vnde & ex communi sententia Theologorum, cùm alicuius electio ex secretorum suffragiorum pluralitate pendet, illi qui posteriores suffragium ferunt, & iniustæ electioni suffragantur, postquam iam sufficiens est pro ea suffragiorum numerus, non censentur suffragio suo causæ damni per iniustam electionem illati, nec per consequens ad illud resarciendum obligantur, quia præcedentibus suffragiis sufficienter & efficaciter illud ipsum damnum iam illatum est. VI. VII.

Altera est, quòd si quæ ratio sit existimandi causam moralem de qua loquimur esse causam illati damni, & ad eius proinde compensationem obligari, hæc certè, quæ etiam vnica ab aduersariis profertur, quòd nemo possit esse causa modi illius cum quo fit actus iniustus per quem damnum infertur, quin sit etiam vera causa effectiua indiuiduæ substantiæ huius ipsius actus singularis, quia si actus non fuisset hoc modo factus, non fuisset idem numero, sed alius: at hæc ratio nulla est: etsi enim id verum sit, ex eo tamen concludi recte non potest, eum qui est causa substantiæ numericæ huius indiuidui actus, quo damnum hoc infertur, esse causam substantiæ huius ipsius damni, quando iam datur alia ea prior per se sufficiens & efficax causa aliunde determinata ad hoc damnum inferendum, per aliquem eiusdem rationis actum cum eo singulari, qui cum hoc aut illo modo exercetur: quia consequens alioquin esset, in primis, eum qui latroni determinato ad inferendam alicui viatori necem VIII.

certo quodam modo, & instrumento, suaderet, vt inferret alio, quo redderetur morituro minùs acerba mors, futurum causam damni ex morte sequuti, & ad eius compensationem obligari, cùm sit causa substantiæ illius indiuiduæ actionis, qua mors & damnum infertur.

I.

Deinde eum quoque qui furi determinato ad furandum, volentique furtum hodie committere, consuleret, vt illud differret in crastinum, futurum causam illati damni, & ad restitutionem obligatum iri, cùm sit etiam causa substantiæ singularis illius actionis, qua furtum tali tempore fit, & damnum infertur.

SECTIO IV.

Ad quam restitutionem teneantur singuli ex iis qui illato damno iniustè cooperantur?

II.

NOTANDVM primò, duobus modis singulos ex iis ad hoc damnum cooperari posse. Primo sic, vt cooperentur ad totum, & quamlibet eius partem. Secundo sic, vt vnus ad vnam damni partem, alius ad aliam, & ita singuli ad singulas, omnes autem collectiue sumpti ad totum: vt si tot homines ingrediantur alienam vineam, quot in ea racemi sunt, & vnus vnum furetur, alius alium, & ita singuli singulos, nec vnus vel exemplo suo, vel alio modo causa sit furti quod committit alius.

Notandum secundò, ex causis ad damnum cooperantibus, alias esse primarias, alias secundarias. Primariæ dicuntur, quibus vt principalibus agentibus attribuitur iniusta actio,

III.

per quam damnum infertur, vt Duci iubenti militi suo, vt occidat, spoliet. Secundariæ verò, quibus attribuitur tanquam agentibus minùs principalibus, & agenti principali per modum instrumenti aut alium similem deseruientibus, vt huic ipsi militi, cui sic attribuitur facta iussu ducis occisio, aut spoliatio. Quibus prænotatis,

Dico primò, quando multi sic ad totum damnum cooperantur, vt vnus ad vnam tantummodo damni partem cooperetur, alius ad aliam, & ita singuli ad singulas, obligantur singuli ad illam solùm damni partem compensandam quam intulerunt: nullus enim obligatur compensare damnum cuius causa non est, nec ad aliud compensandum obligatur, quam

IV.

ad illud cuius causa est. Ex quo colligunt Sotus in 4. distinct. 22. quæstionis primæ articulo secundo, & Lessius libri secundi capite 12. dubitat. 9. quòd si multi alienam vineam totam deprædentur, eo modo quo paulò antè dictum est, nullus eorum mortaliter peccabit, & ad restitutionem sub mortali obligabitur, non solùm cùm id casu fit, & vnus post alium carpit ex ea racemum vnum, itavt alter alterius furti non sit conscius, sed etiam cùm conscius est, vidétque notabile damnum inferri: nullus enim eorum grauis damni causa dici merito potest, cùm quilibet eorundem vnicum tantùm racemum furetur, vt supponimus, nec vllo modo causa sit, vt alius idem, aut simile faciat.

A

Et certè qui furatur racemum vnum, qui adiunctus aliis furto sublatis facit notabilem racemorum quantitatem, per se sufficientem ad mortale peccatum, non propterea censetur furari notabilem hanc eorum quantitatem, si causa non est furti aliorum: nec proinde notabile damnum infert, si causa non est damni per aliorum furta illati: alioqui sequeretur in primis, neminem posse sine peccato mortali furari regi asses vnum, quia cùm moraliter certum sit alios non deesse, qui multa furantur, vel seorsim, vel coniunctim saltem sufficientia ad peccatum mortale, nullus furari vnum asses posset, qui non eo ipso furaretur summam, quæ adiecta summis aliis furto sublatis efficeret notabilem summam, & ad mortale peccatum, damnúmque notabile plusquam sufficientem. Sequeretur deinde, vix vllum viatorem posse sine mortali peccato racemum vnum ex aliena vinea iuxta viam posita

B

tollere, quia vix vllus id posset sine rationabili dubio, ne viatores priores tantam iam eorum quantitatem sustulissent, vt vnus ei adiunctus satis esset, aut plusquam satis ad notabilem quantitatem per se ad notabile damnum, & ad mortale peccatum sufficientem.

V.

VI.

Dico secundò, quando multi ad idem damnum ita cooperantur, vt quilibet ad totum, & ad quamlibet eius partem cooperetur, si cooperantes sint omnes causæ primariæ, aut omnes secundariæ, singuli tenentur ad æqualem partem conferendam, quò totum damnum resarciatur: quilibet autem in defectum aliorum tenetur in solidum ad totius damni compensationem, vno autem totum resarciente damnum, tenentur alij pro rata tantum ipsi refundere, quantum ij singuli pro

C

VII.

sua parte debebant restituere ei, cui damnum fuerat illatum: exempli causa, si tres domum pretij trium millium aureorum incenderint, singuli mille aureos tenentur restituere: in defectum duorum tenetur tertius restituere tria aureorum millia, ipso tria millia restituente, tenetur quilibet aliorum duorum ipsi mille aureos refundere. Quæ tres assertionis huius partes sunt ex communi ac certa Theologorum doctrina. Et primæ quidem veritas ex eo patet, quòd cùm damnum trium millium aureorum ad æqualitatem compensetur restitutione totidem millium, tres illi qui damnum intulerunt, non obligantur plusquam tria millia restituere, nec vnus solus, cùm

D

VIII.

illud tres intulerint, nec vnus potiùs quàm alius, ergo ipsi tres: nec ex iis vnus plusquam alius, cùm vt supponimus, sint omnes causæ vel primariæ, vel secundariæ, ex quo concluditur euidenter, singulos ad mille aureorum restitutionem obligari.

Secunda verò pars hinc constat, quòd quilibet eorum per modum causæ partialis totum damnum, & quamlibet eius partem intulit: vnde quilibet ad resarciendum totum & quamlibet eius partem obligatur in defectum

aliorum : quia ipſis deficientibus perinde res habet, atque ſi ſolus intuliſſet : cùm præſertim ex defectu aliorum contingente, ille cui damnum illatum eſt, non amittat ius compenſationem totius damni quod accepit exigendi ab eo qui intulit.

I. Tertia demum liquet primùm ex eo quòd ius quod habebat is qui damnum paſſus eſt exigendi à ſingulis mille aureos, tranſlatum eſt in eum qui pro ſociis ſatisfecit, eo ipſo quo ſic pro ipſis ſatisfecit : neque enim ea voluntate ſatisfecit vt eſſent abſolutè liberi, ſed vt ipſe debito in ſolidum reſtituendi quod habebat, ſatisfaceret, retento ſibi iure, relictoque in aliis debito, quod ex tali reſtituendi modo ex natura rei oritur.

Secundò, quia duo nolentes ſoluere, faciunt tertio iniuriam, dum eum ſic cogunt ad reſtituendum id quod reſtituere debebat : ergo iure ſuo poteſt ab illis repoſcere ſummam, ad quam pro ipſis dandam, ab iis ipſis iniuſtè coactus eſt. Neque propterea ſoluentur ij obligatione reſtituendi, ſi tertius ille iam totum

II. reſtituerit, & eos ad damnum pariter inferendum ob communem vtilitatem precibus aut conſilio induxerit : non enim induxit faciendo illis iniuriam, ſed vt ſupponimus vltro conſentientes induxit : vnde quemadmodum iſta inductio non impedit, quo minus ij ſtatim atque damnum illatum eſt, obligentur ad ei qui paſſus eſt pro ſua parte reſtituendum, ita nec impedire poteſt, quominus obligentur ad tertio totum damnum reparanti reſtituendam eam partem, quam reſtituere domino rei damnum paſſo debebant.

Neque etiam quòd vnus in illatum damnum magis aut minùs alio influxerit, maiorem aut minorem illo partem reſtituere obligabitur, dummodo minore ſuo influxu illi ipſi damno ſingulari ſit cooperatus, cui alius

III. maiore cooperatus eſt : ſicut enim reſtitutionis obligatio ex iniuſta actione non oritur, niſi ex ea damnum ſequatur, ita non oritur obligatio magis aut minùs reſtituẽdi ex maiori minoríve influxu, quando per influxũ ſiue maiorem ſiue minorem idem damnum infertur : vnde cùm vnus eſt cauſa totalis illati damni, non obligatur ad maiorem aut minorem reſtitutionem, ex eo quòd damnum per vberiorem, aut minùs vberem influxum intulerit, ſed ad eandem, quia idem damnum, nec maius, nec minus intulit, ſiue vberiore, ſiue minùs vbere influxu intulerit.

Dico tertiò. Quando ex duobus ad idem damnum cooperantibus, quilibet ad totum & quamlibet eius partem cooperatur, ſed vnus

IV. vt cauſa primaria, alter vt ſecundaria tantum, cauſa primaria primariò tenetur ad totũ damnum reſarciendum, ſecundaria ſecundariò tantum : ſicut enim ex iniuſta damni illatione obligatio reſtituendi deriuatur in inferentem, ita ex iniuſta illatione per modum cauſæ primariæ, vel ſecundariæ, in inferentem deriuatur vel primariò, vel ſecundariò, reſtitutionis obligatio.

Dicitur autem ea cauſa primariò ad reſtitutionem teneri, quæ per ſe ad id tenetur, & non ex ſolo alterius defectu : ſecundariò verò, quæ ad hoc non per ſe, ſed ex alterius ſolo defectu tenetur. Hinc fit, vt primaria per ſe teneatur ad totum damnum

A illatum compenſandum, cùm illud totum primariò intulerit : & ſecundaria ad nihil, niſi ex primariæ defectu. Nam ſi primaria ad partem tantùm per ſe obligaretur, & cauſa altera ſecundaria per ſe ad partem alteram, hácque deficiente, & partem hanc ſuam non reſtituente, obligaretur illa primaria tunc temporis ſolum, ad totum reſtituendum, iam non obligaretur primariò ad totum, cùm primariò tamen totum intulerit, ſed ſecundariò duntaxat, quia ad totum non obligaretur niſi ex defectu cauſæ alterius. Quòd ſi primaria ad totum per ſe obligatur, neceſſarium eſt, vt ſecundaria ad nihil reſtituendum obligetur, niſi ex primariæ defectu : ſi enim hac non deficiente illa ad aliquid obligaretur, iam non obligaretur ſe-

B cundariò, ſed primariò, quia non ex ſolo alterius defectu, ſed aliunde obligaretur.

Deinde cauſa primaria non deficiente, ſed ſatisfaciente toti ſuæ obligationi, ac proinde totum illatum damnum compenſante, nullam poteſt ſecundaria quidquam reſtituendi habere obligationem : non quidem illi qui damnum paſſus eſt, alioquin eſſet obligatio plus reſtituendi quàm ablatum fuerit : nec ipſi cauſæ primariæ, alioqui cauſa ſecundaria non obligaretur tantùm ſecundariò, ſeu ex primariæ cauſæ defectu : hac enim non deficiente, ſed e contrario totum damnum reparante, obligaretur illa ad ipſi aliquid refundendum.

C Iam verò ſi primaria nihil reſtituente, ſecundaria totum reſtituat, vt reſtituere obligatur, quandoquidem inſtar cauſæ ſecundariæ cum primaria comparatæ totum damnum intulit, primaria tenetur ipſi refundere totum id quod reſtituit : in primis quia cùm teneretur primo loco totum ſoluere, & ipſa ſoluente, ſecundaria ad nihil ſoluendum teneretur, vt dixi, dum cogit eam primo loco ſoluere, facit ipſi iniuriam : poteſt ergo hæc ab illa repetere totum id ad quod ſoluendum ipſam iniuſtè coegit. Deinde quia ius quod habebat is qui damnum paſſus eſt, exigendi ab illa cauſa primaria totius illati damni compenſationem, tranſlatum eſt in cauſam ſecundariam, eo ipſo quo pro primaria, quæ totum compenſare debebat, ſatisfecit, eodem modo quo paulò ante

D ſecunda aſſertione diximus, eum qui partem ab altero reſtituendam ipſo deficiente reſtituit, ſuccedere in ius quod habebat damnum paſſus partem hanc exigendi ab eo qui non reſtituit, húncque eſſe illi partis huius refundendæ debitorem.

V.

VI.

VII.

VIII.

SECTIO V.

Ex doctrina tradita vnum concluditur, quod & probatur.

I. EX his assertionibus, quæ sunt ex communi sententia Theologorum, nominatimque ex secunda, concluditur cum Caietano ad art. 7. quæst. 62. D. Antonino 2. part. tit. 1. cap. 12. Soto lib. 4. de Iustit. quæst. 7. art. 3. Couarr. ad regulam, *Peccatum*. parte 2. §. 12. num. 2. & recentioribus ferè omnibus contra Nauarr. cap. 17. num. 21. & Lessium lib. 2. cap. 13. dubit. 4. milites iniustum bellum gerentes, vrbem aliquam obsidentes, & captam diripientes, obligari singulos in solidum ad totius illati damni compensationem aliis deficientibus, seu non restituentibus: quilibet enim obligatur in solidum ad totum damnum cuius causa fuit compensandum aliis deficientibus, vt constat ex dictis: quilibet autem eorum per modum causæ partialis causa fuit totius damni quod direptæ vrbi illatum est.

II. Quod sic ostendo primò. Quotiescunque per multitudinem aliquam damnum aliquod infertur, & ad illud totum inferendum, ac qualibet eius partem, multitudo illa necessaria est, tota non modo totius collectiuè damni causa est, sed etiam diuisiuè cuiuslibet partis ipsius: tum quia cum illa necessaria sit ad quamlibet etiam diuisiuè damni partem inferendam, est causa sine qua non fieret vlla pars damni huius: tum quia non minus cuiuslibet diuisiuè partis, quàm totius damni collectiuè causa est: ideo enim causa est totius collectiuè sumpti, quia necessaria est ad totum collectiuè inferendum, & cùm ad hoc necessaria sit, est causa sine qua non fieret totum damnum: at etiam, vt supponimus, necessaria est ad quamlibet diuisiuè damni

III. partem, & proinde cùm ad hoc necessaria sit, erit etiam causa sine qua non fieret vlla pars damni: atqui per multitudinem militum vrbem obsessam expugnantium & diripientium infertur damnum vrbi quæ diripitur, & ad totum hoc damnum, & quamlibet eius partem, necessaria fuit militum obsidentium & expugnantium multitudo, tum quia sine multitudine non potuisset vrbs capi, nec vlla proinde pars eius diripi: tum quia ea etiam capta non potuisset hæc vnius ciuis domus ab iis tribus aut quatuor militibus diripi, illa illius alterius, à tribus aut quatuor aliis, & ita de singulis illati damni partibus, nisi multitudo militum simul adfuisset: ab hac enim sola singuli diuisim ciues coacti sunt suæ domus, rerúmque suarum direptionem pati: nam si pauci tantùm fuissent

IV. vrbem ingressi ad eam diripiendam, facilè à ciuibus repulsi fuissent, & prohibiti vel exiguum vllum vni damnum inferre.

Ostendo deinde sic. Quotiescunque multitudo aliqua singulos ex ea damnum inferentes animat ad illud inferendum, damni quod singuli inferunt, causa est: quia eo ipso quo ad hoc damnum animat, eius causa est: sicut eo ipso quo socius socium suum ad inferendum damnum exstimulat: atqui multitudo militum vrbem obsidentium singulos animat ad illud damnum, quod singuli inferant. Sicut enim singulos animat ad obsidendum, quia nullus eorum in particulari obsidere auderet, si solus esset, aut cum paucis, hoc autem audet ob præsentiam multitudinis, à qua se roborari & adiuuari putat: ita singulos animat ad diripiendum id quod in vrbe capta diripiunt: quia nullus auderet, aut vrbem, aut ciuis alicuius domum ad eam diripiendam ingredi, si solus esset, aut cum paucis, sed noc audet, fretus præsentia multitudinis, qua putat ciues impediri ab illa domo defendenda, quam diripiendam ingreditur, & qua reipsa impediuntur, quaque proinde roboratur de facto in ea diripienda, & adiuuatur. Iam verò quoties aliqua multitudo causa est totius damni quod infertur, & singularum eius partium, singuli multitudinis illius homines sunt causæ partiales huius ipsius damni, & singularum eiusdem partium: quia nulla ratio est, ob quam hi potius huius effectus causæ partiales dicantur, quam alij: sicut si quatuor hominum multitudo domum aliquam incendat, & ita vt multitudo

VI. hæc sit causa damni totius, & singularum eius partium, necessarium est quemlibet illorum quatuor hominum esse causam partialem huius effectus: quia nulla ratio est, ob quam vnus potius quàm alius causa eius esse dicatur.

Nec refert, quòd si ex tota multitudine militum vrbem diripientium centum aut ducenti abfuissent, cæteri nihilominus animati ad eam expugnandam, & diripiendam fuissent, reipsaque expugnassent, & diripuissent. Nihil, inquam, refert: non enim propterea centum aut ducenti existimandi sunt non fuisse causæ totius illati damni, & singularum eius partium: quia nulla ratio est, ob quam hoc de iis centum aut ducentis potiùs existimetur, quàm de illis aliis, cùm siue hi centum

VII. & ducenti, siue illi alij abfuissent, dici pari iure posset, cæteros non minus animatos fore ad expugnandum, & diripiendum, nec minus expugnaturos, & direpturos: sicut ex eo quòd si è prædictis quatuor domum eo quo dixi modo incendentibus vnus abfuisset, cæterorum multitudo nihilominus incendisset, idemque penitus damnum intulisset, non fit vt vnus ex iis existimandus sit huius damni causa non fuisse: cùm nulla ratio sit, ob quam id de hoc potiùs quàm de illo existimetur, quia quolibet ex iis absente, dici pariter potest idem damnum à cæteris inferendum. Quoniam ergo quamuis totum damnum quod infertur, & quælibet eius pars inferri potuisset, aut etiam reipsa illata fuisset, sine cuiusuis in particulari militis solitariè sumpti præsentia, non tamen sine præsen-

VIII. tia multitudinis in qua ipse includitur: propterea sicut hæc multitudo causa damni est, ita & quælibet huiusce multitudinis pars, cùm non sit potior ratio vnius quàm alterius.

Illustratur hæc doctrina nostra clarissimo exemplo sex aut septem latronum nocte domum furandi gratia ingredientium, quibus domesticorum nullus audet opponere se ob eorum multitudinem: quo fit, vt quilibet latronum illorum aliorum præsentiâ animetur ad audendum fur-

tum, & roboretur, & ita quilibet sit causa totius damni quod infertur, & singularum eius partium.

DISPVTATIO XXX.

De circunstantiis faciendæ restitutionis bonorum fortunæ.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla præmittuntur.

I. ANVMERANTVR octo vel nouem hæ circunstantiæ, duobus his versibus comprehensæ.

Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodo, quando,
Quo ordine, quóve loco, quæ causa excuset iniquum.

II. Quamquam causa à restitutione excusans nō est proprie eius circunstantia, cùm non ipsam, sed ipsius omissionem comitetur, & afficiat. Causæ autem præcipuæ quæ excusant à facienda bonorum fortunæ restitutione, sunt ferme eædem cum iis quæ à restituenda fama excusant, de quibus sectione vltima disputationis 27. diximus. In primis enim cùm ex nostra actione, quamuis iniustissima, nullum in fortunæ bonis damnum illatum est, nulla faciendæ restitutionis obligatio est, vt ex suprà dictis certum est. Secundò, cùm illatum in iis bonis damnum iam aliunde reparatum est, vt per alium pro nobis liberaliter satisfacientem. Tertiò, cùm est impossibilis restitutio. Quartò, cùm possibilis quidem absolutè est, sed non nisi tanto cum damno restituentis, vt notabiliter III. excedat damnum, quod ex re sua sibi non restituta patietur proximus. Quintò, cùm faciendæ restitutionis obligatio, per eum cui facienda erat, validè remissa est: quas causas excusare à restitutione facienda ex dictis citata sectione notum est. Addi potest sexta, nimirum cùm rei restituendæ præscriptio interuenit, quandoquidem per hanc, vt suprà probauimus, rei quæ præscribitur dominium transfertur in præscribentem, perinde atque si nunquam in alterius dominio extitisset.

Atque hæ sunt generales causæ à facienda restitutione excusantes: præter quas, aut sub quibus quamplurimæ sunt particulares, quas hic ego non refero: tum quia alienum à præsenti negotio est: tum quia prope infinitum foret: tum deniq. quia ex tradita superioribus disputationibus doctrina, de iis facilè, multis in IV. particularibus casibus, vtrùm à restitutione facienda excusent, an non, diiudicabitur: ex qua etiam cùm plenè intelligantur tres circunstantiæ quis, quid, quantum, de iis esset hic supernuum dicere.

Quoad circunstantiam modi quo faciēda restitutio est, sufficit vniuersim dicere, eo faciendam esse modo, quo plenè satisfiat debito iustitiæ quod habemus satisfaciendi: dummodo autem sic isti debito satisfaciamus, nihil interesse, vtrùm palam, an occultè, vtrùm per nos, an per alios, similibúsve aliis modis satisfaciamus: cùm is cui ex iustitia debitores sumus, nihil aliud exigere à nobis iustè possit, quàm vt ius quod habet, restitutione nostra plenè exæquemus.

Quoad verò circunstantiam temporis, hoc vnum dicendum habeo, restituendum primo quoque tempore, moraliter loquendo, quo restitutio fieri potest, nisi fortè vel nimium incōmodum restituentis tunc temporis, vel alia similis rationabilis causa excusset à restitutione eo tempore facienda, aut etiam nisi restituendæ rei dominus prudenter præsumatur non inuito animo laturus restitutionis rei suæ dilationem: alioqui qui non primo illo tempore restituet, erit in mora: nec solùm dum sic retinebit, peccabit actuali peccato, tandiu continuato, quandiu retentio rei restituendæ continuabitur, & quidem eodem numero peccato cum prima rei alienæ vsurpatione, vt aliàs docuimus, nisi fortè interrumpatur per aliquam causarum earum, quæ faciūt, vt peccatum quod per se fuisset alioquin vnum numero, fiat numero multiplex: sed etiam si rei dominus ob hanc moram damnum patiatur, is qui in mora est ad illud resarciendum obligabitur, quia eius causa erit per iniustam rei restituendæ retentionem. De tribus reliquis restitutionis circunstantiis, nempe personæ cui facienda est, ordinis, & loci quo facienda, tres totidem sectionibus proponemus & soluemus quæstiones. V. VI.

SECTIO II.

Cui bonorum incertorum restitutio facienda sit?

NOTANDVM primò, incerta bona dici ea quæ dominum habent, sed quorum dominus ignoratur post eam inquisitionem, quæ iudicio viri prudentis sit pro rei qualitate sufficiens, ad notitiam veri domini comparandam: vnde si quis ante hanc diligentiam adhibitam, ea vel in pauperes, vel in alios pios vsus expendat, domino postea comparente, tenebitur ad ea integrè ei restituenda, vt communis & certa Theologorum omnium doctrina est. VII.

Notandum secundò, non censeri dominum ignorari, quando cōstat ea deberi alicui cōmunitati, vel toti, vel maiori eius parti, etsi quibus determinatè personis illius cōmunitatis debeatur, non constet: vt quandò oppidum aliquod vel totum, vel magna ex parte vastatum iniustè à militib. est: tunc enim cōmunitati illi facienda restitutio est, operà Episcopi, aut Parochi, aut alterius, qui diligentia adhibita rescire possit, quinam ex illa communitate damnum acceperint, qui maius, qui minus, vt his potiùs quàm illis, magis aut minùs restituat. VIII.

Notandum tertiò, bona incerta diuidi in inuenta, & in alia quæ inuenta non sunt: inuentorum autem nomine comprehendi etiam bona naufragorum ad littus iecta: quorum si dominus ignoretur, post diligentem eius inquisitionē, eadem erit ratio quæ aliorum quorumlibet inuentorum: si autem innotescat, restituenda ei erunt: quæque qui in littore reperta occupant

tanquam domino carentia, non modò peccant contra iuſtitiam, ſed per Bullam Cœnæ excommunicantur: quæ autem incerta ſunt bona, nec inuenta, ſunt in duplici genere: aut enim habentur ex iniuſtitiæ delicto, vt ex furto, vſura, & iniquis contractibus: aut abſque delicto, vt
I. ex contractu legitimo depoſiti, vel commodati, cuius iam dominus ignoratur. Quibus prænotatis, A

Dico primò, nullam ex natura rei ſeu iure naturali eſſe obligationem incerta bona in pauperes erogandi, vel in alios pios vſus conuertendi. Ita Leſſius lib. 2. cap. 14. dubit. 6. de bonis omnibus incertis, etiam iis quæ ex delicto comparata ſunt: de inuentis autem idem ſentiunt Sotus lib. 5. de Iuſtit. quæſt. 3. art. 3. ad 2. Petrus Nauarr. lib. 4. cap. 2. num. 75. & Alexander Pezantius ad art. 5. quæſt. 62. huius partis: qui cùm doceant inuentorem eorum poſſe poſt diligentem domini inquiſitionem licitè ea ſibi retinere, certè exiſtimant nullam eſſe ex iure naturali obligationem, vel in pauperes, vel in alios pios vſus erogandi. Atque cùm incer-
II. torũ, aliorum eadem quoad hoc ratio ſit, quæ B
inuentorum, ſentiunt per conſequens iidem authores de bonis incertis id quod eos ſentire dixi de inuentis. Dico autem eandem eſſe inuentorum & quorumlibet aliorum etiam ex delicto comparatorum rationem, quoad hoc, id eſt, quoad exiſtentem, vel non exiſtentem ex iure naturali ea in pauperes, aut alios pios vſus expendendi, obligationem: quia ſi quæ ad hoc obligatio ex iure naturali eſt, reſpectu bonorum incertorum non inuentorum, eorúmque maximè quæ per delictum comparata ſunt, ea potiſſimum eſt, quòd aliena ſint, & dominum reipſa habeant, quantumuis quis ille ſit ignoretur: quæ ratio æquè locum habet in inuentis, vt patet.

Iam probo aſſertionem noſtram, in primis refutatione rationis huius, qua ſola, aut præcipua nituntur authores contrariæ ſententiæ, aſ-
III. ſerentes incerta bona, quæcunque ea ſint, in C
pauperes, aut alios pios vſus ex iure naturali eſſe conferenda: propterea quòd alienorum bonorum & dominum habentium reſtitutio facienda dominis eſt, quando poteſt, & quando non poteſt: vt dum ignorantur, facienda eſt in ipſorum vtilitatem eo quo fieri poteſt modo, quíque eorum voluntati maximè conformis eſſe iudicatur: hic autem modus eſt, vt diſtribuantur in pauperes, aut in alios pios vſus eorum nomine: ſic enim ſpiritale commodum ex bonis ſuis capere poterunt: cùmque non poſſint temporale, ex iis iſtud ſpiritale capere velle iudicandi ſunt; quia quiſque de ſuis ita fieri cuperet. Refellitur autem hæc ratio, in primis eo
IV. quòd tunc ſaltem nulla eſſet ex natura rei obli- D
gatio ea in prædictos vſus expendendi, cùm certum eſſet eorum dominum in peccato infidelitatis eſſe mortuum, ac proinde damnatum: hoc enim caſu nec voluntatem haberet percipiendi ex iis vtilitatem ſpiritalem, nec percipere vllam poſſet.

Refellitur ſecundò, quia quantumuis ſupponatur in eo ſtatu eſſe, in quo & capax ſit percipiendæ huius vtilitatis, & percipiendi voluntatem habeat, non tamen ex iſta etiam hypotheſi obligari poteſt ex iuſtitia, idque ex iure naturali, de qua ſola obligatione hîc loquimur, ad ea præfatos in vſus conferenda: quia, vt ſupra docuimus, nulla eſt ex iuſtitia & iure naturali facienda reſtitutio boni alicuius, niſi vt illatum in hoc bonorum genere damnum compenſetur, & tollatur: nec vlla eſt ex iuſtitia iureque V.
naturali obligatio damnum temporale compenſandi bono ſpiritali, cùm temporale compenſari tollique non poteſt: atqui poſſeſſione ſeu retentione bonorum incertorum damnum in his duntaxat bonis, ac proinde temporale, eorum dominus patitur, nec eorundem in pauperes, aut pios alios in vſus erogatione damnum hoc ab eo tollitur, vt conſtat: & quamuis bono ſpiritali ex eleemoſynis in ipſum redundante quodammodo compenſetur, nulla tamen eſt, vt dixi, ex iuſtitia ac iure naturali ad faciendam huiuſmodi compenſationem obligatio.

Refellitur tertiò, quia ſi meritò præſumi poteſt voluntatem dominorum efficacem non eſſe, vt ea in pauperes, aut ſimiles vſus expendantur, ſed potiùs vt ab eo qui poſſidet retineantur, VI.
nulla eſt ſic ea expendendi ex iure naturali obligatio: atqui meritò id præſumi de ipſis poteſt, quia meritò de vnoquoque præſumitur, eum optare recuperare rem ſuam amiſſam, ſi recuperari aliquo modo poteſt: at ſi ſemel illa bona ita expendantur, fruſtrantur eorum domini omni ſpe, modóque, moraliter loquendo poſſibili, ea aliquando recuperandi: ſecus autem ſi ab eo qui illa poſſidet retineantur: hoc enim ea retinente recuperare ea poterunt, quia tenebitur ille qui retinet, poſtquam comparuerint, ea ipſis reſtituere: pauperes autem ad hoc minimè tenebuntur, quia bona fide ea conſumunt, nec fiunt ex iis ditiores, nec vllum proinde caput eſt, ex quo ad ea reſtituenda obligari poſſint: & licet aliquod eſſet ex quo ad id obligarentur, ſanè ſi non eſſet moraliter impoſſibile hæc ab illis recipere, ſaltem eſſet longe difficilius, quàm à poſſeſſore qui ea retinuiſſet. VII.

Probo ſecundò aſſertionem noſtram, eo quòd ſi ad hoc quod dixi eſſet ex iure naturali obligatio, non poſſent licitè bona incerta ab aliis occupari, & retineri: quod enim ex naturali iure debetur alicui, dandum ei eſt, nec ab alio licitè occupari, & retineri poteſt: atqui licitè ab aliis occupantur, & retinentur incerta bona, quàm à pauperibus, aut huiuſmodi perſonis: nam & in quibuſdam locis, vt refert Leſſius loco citato, fiſcus Principis occupat certa quædam huiuſce generis bona, & in Hiſpania incertorum dominorum animalia oberrantia poſt diligentem eorum perquiſitionem magnatibus aliquibus applicantur: & in Gallia idem fit multis aliis in rebus inuentis, teſte Couarr. ad regulam *Peccatum*, parte 3. §. 1. VIII.
num. 5. Imò ſummus Pontifex dat aliquando facultatem bona incerta etiam iniuſtè parta retinendi: quæ quo iure fieri poſſent, ſi bona hæc ex iuſtitia & naturali iure pauperibus, aliiſve eiuſmodi perſonis deberentur? Nam neque Principum, neque ſummi Pontificis ea authoritas eſt, vt poſſint rem alterius, aut ei ex iure debitam transferre in alterum, niſi vel in pœnam commiſſi criminis, vel iis in caſibus, in

quibus ob commune bonum subditus authoritate superioris priuari re sua, aut ei ex iure debita potest.

Dico secundò, bona incerta ex delicto comparata iure positiuo in pauperes eroganda esse. Ita Theologi communiter, constátque ex cap. *Cùm tu.* de vsuris. vbi Alex. 3. præcipit, vt ea I. quæ vsuris parta sunt, si non supersunt illi quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus: & vsurarij, eorumque hæredes pœnis Ecclesiasticis ad hoc cogantur: quod præceptum Theologi communi consensu extendi dicunt ad incerta bona, parta non solis vsuræ peccatis, sed aliis quoque contra iustitiam, vt furto, rapina, & quibusuis iniquis contractibus: & meritò sanè, cùm acquisitorum per vsuram, & per alia iniustitiæ peccata eadem ratio sit, quoad acquirendi modum, nempe iniustum: finémque præcepti illius, qui est impedire ne quis ex iniuriis iniustitiáque ditescat. Nomine autem pauperum in quos bona sic acquisita distribui ex hoc præcepto debent, intelliguntur non solùm mendici, sed etiam ij quibus II. necessaria desunt ad decentem statum, & quæuis opera pia, vt Nauarr. docet Manual. cap. 17. num. 93. Less. dubit. 6. citata num. 34. & alij.

Dico tertiò, bona incerta quæ non ex delicto parta sunt, sed aliunde, siue sint inuenta, siue non inuenta, retineri licitè posse, ab eo qui aut inuenit, aut possidet, si post diligentem inquisitionem eorum adhuc nihilominus dominus ignoretur. Hanc assertionem, quoad inuenta saltem bona, defendunt Sotus, Petrus Nauarr. & Alex. Pezan. supracitati, probabilemque iudicat Lessius dub. 7. licet contrariam affirmantem ea in pauperes, aliósve pios in vsus eroganda esse, sequendam potiùs in praxi asserat: eandem quoad incerta bona non inuenta, III. sed parta absque delicto, vt legitimo ex contractu depositi, vel commodati, vel simili, defendit idem Petrus Nauarr. lib. 4. cap. 2. num. 47. & non improbabilem esse dicit idem Lessius dubit. 6. num. 38. Illam autem quoad vtraque bona probo ex eo quòd neque iure naturali, neque positiuo obligatio est ea in pauperes erogandi, aut in alios pios vsus expendendi: non quidem naturali, vt constat ex dictis ad primam assertionem: neque etiam ex positiuo, quia nullum reperitur huius iuris præceptum quod hoc præcipiat, vt iidem authores docent, nec ab aduersariis vllum huiusmodi profertur.

Neque opponas S. Doctorem quæst. 62. art. 5. ad 3. & 66. art. 5. ad 2. Respondeo enim in primis, etsi concedatur ipsum locis illis videri IV. in contraria esse sententia, tanquam in magis verisimili, atque probabili, sicut est Lessius supracitatus, non negare tamen oppositam quam defendimus esse probabilem, & in praxi tutam, quod neque negat Lessius, quódque præcipuè volumus. Addo deinde eundem S. Doctorem priore illo loco posse intelligi de incertis bonis quæ iuste parta sunt, quæ supra docuimus, esse in pauperes, aut pios alios in vsus conferenda: posteriore vero intelligi debere de inuentis, quæ ab inuentore sine vlla domini inquisitione retinentur: quæ dum sic retinentur, furtum committi verissimè asserit.

Quòd si quæras, quid sit opus facto, si bonorum incertorum dominus diu diligentérque perquisitus, & ignoratus, postea compareat? Respondeo bona illa vel adhuc esse penes eum qui inuenit, aut possedit, vel antè fuisse in pauperes, aut alios pios in vsus collata. Si primum, A esse restituenda domino comparenti: quia V. quantumuis licitè retinerentur eo non comparente, hac tamen semper cum obligatione illis annexa, vt si compareret, ipsi restituerentur. Si secundum, distinguendum rursus est: is enim qui distribuit in pauperes, vel in se tanquam in verè pauperem contulit, vel in alios: si secundum, ad nihil ampliùs tenetur: non enim tenetur ratione rei acceptæ, cùm hæc ampliùs in eius potestate non sit: neque ratione iniustæ acceptionis, quia quamuis iniustè, vt per furtum, aut vsuram acceperit, toti tamen quam habuit ex hoc capite obligationi restituendi plenè satisfecit per factam pauperibus restitutionem, cùm eo in casu quo bonorum illorum dominus diligenter quæsitus ignoB ratur, non sit possibilis melior restituendi VI. modus.

Quòd si in seipsum tanquam in pauperem contulerit, quod meritò facere potuit, distinctione opus iterum est. Vel enim res quam sibi contulit, adhuc extat, vel non. Si secundum, tenetur solùm restituere id quo ex ea ditior effectus est: non enim tenetur ex alio capite, quàm rei alienæ, quando autem res aliena non extat ampliùs, nec ex alio capite quàm isto eius restituendæ obligatio est, restituendum id solùm est, quo quis ex ea factus est ditior, vt suo loco probauimus. Nec dicas teneri ex capite iniustæ acceptionis, nempe per vsuram, aut furtũ: toti enim ex hoc capite obligationi satisfecit, vt dictũ est, dum in pauperem contulit, ac proinde in seipsum, verè, vt supponimus, pauperem. Quòd si adhuc extat, restiC tuenda domino est: per collationem enim eius VII. in pauperem, non est translatum eiusdem dominium in eum cui collata est, sed concessum tantummodo ius eam retinendi, eaque vtendi, quandiu dominus non compareret.

SECTIO III.

Quo teneantur ordine ad restitutionem ij qui vni eidemque damno iniuste cooperantur?

CONSTAT ex dictis ad propositam à nobis superiore disputatione, sect. 4. quæstionem, ex causis ad idem damnum cooperantibus, quasdam esse primarias, quasdam D secundarias: & primariam quidem vnam cum VIII. primaria altera comparatam, quando plures primatiæ simul ad idem damnum concurrunt, secundariam item vnam cum secundaria altera collatam, quando item plures simul secundariæ ad idem cooperantur, æquè primò teneri ad restitutionem: id est, non priùs, aut posteriùs vnam quàm alteram, sed singulas æqualiter, & æquè immediatè ad partem suam restituendam obligari: quamlibet tamen ex iis in solidum teneri in defectum aliarum: at

primariam cum secundaria comparatam hoc ordine teneri, vt primaria per se primò teneatur in solidum restituere, secundaria secundario duntaxat, seu in defectum tantum primariæ, & ita vt secundaria restituente loco primariæ, hæc illi teneatur refundere totum quod restituerit: quod cùm ita sit, sanè necessarium est ad dignoscendum iis omnibus in particularibus casibus in quibus multi ad idem damnum cooperantur, quo singuli ordine restituere teneatur, probè nosse, quænam causæ damni primariæ, quænam secundariæ censeri debeant: quod vt explicetur,

I. Dico primo, quando damnum à multis illatum est per ablationem rei alienæ, vt pecuniæ, illum ex iis ad quem res aliena adhuc extans peruenit, obligari primariò, seu ante cæteros omnes ad eam restituendam: hic enim obligatur etiam ex capite rei acceptæ, quæ obligatio maxima est, eo quòd res aliena adhuc extans nullo iusto titulo retineri potest inuito rationabiliter domino: hac autem restituta, cessat omnis in omnibus restituendi obligatio: quod

II. satis ostendit, eum qui rem illam habet, primò per se, ac ante cæteros ad restituendum obligari. Quòd si ampliùs res illa in se non extet, sed in aliquo sui, id est, in alio quod ei successerit, & quo sit factus ditior idem ille qui rem illam antea in se ipsa extantem habebat, obligatur etiam æquè primò ac per se restituere id quod ei rei successit, atque rem illam dum adhuc extat. Ratio eadem est: ad vtrumque enim obligatur ex capite rei acceptæ: nam id quod in locum rei illius succedit, eo ipso quo succedit, huius ipsius rei rationem obtinet, estque proinde eadem huius & illius restituendæ obligatio.

Etsi autem non sit factus ex ea ditior, cùm tamen eam mala fide consumpserit, vtpote sciés esse alienam, quandoquidem fuit, vt supponimus, vnus ex cooperantibus ad eam iniustè au-

III. ferendam, obligatur nihilominus primò & per se, ac ante cæteros omnes eius totum valorem restituere: ad id enim obligaretur, vt probauimus, si res ipsa apud eum adhuc extaret, quòd autem non extet ampliùs, nec in se, nec in alio quod eius loco successerit, non soluit eum illa obligatione restituendi: alioquin ex noua quam domino rei consumptæ intulit iniuria, dum eam mala fide consumpsit, magnum commodum caperet, nempe solutionem obligationis restituendi primo ac ante cæteros: quod absurdum est, cùm ex ea nouum potiùs onus, & incommodum sentire debeat.

Dico secundo, quando damnum à multis illatum est per destructionem rei alienæ, vt incendio, similibúsve modis, eum qui causam exe-

IV. quentem iussu suo mouit ad exequendum, primò & per se teneri ad totum damnum resarciendum, exequentem verò, solùm secundariò. In hac assertione, sicut & in præcedente Theologi omnes conueniunt, eamque tradit S. Thomas quæst. 62. artic. 7. ad 2. Ratio est, quòd causa præcipiens, si non physicè, saltem moraliter est causa principalis, quæ per sibi subditam personam, cui imperandi potestatem habet, & imperat, tanquam per instrumentum aliquod suum operatur. Vnde dicitur regula 129. ff. de regulis iuris, is damnum dare qui iubet dari. & lege 27. ff. ad legem Aquiliam definitur, quòd si quis iussu alterius iniuriam intulerit, actio erit cum eo qui iussit, si ius habuit imperandi: quòd si non habuit, agendum erit cum eo qui fecit.

A Dico tertiò, quando ex multis ad idem damnum concurrentibus vnus habet rationem causæ exequentis, alij verò rationem causæ ipsi cooperantis, siue positiuè, siue negatiuè, per aliquem modum ex octo superiori disputatione relatis, qui iussionem sequuntur, causam exequentem per se primò ad compensationem totius illati damni obligari, cæteras cooperantes secundariò solui. Hæc assertio contra Caiet. est, quæst. 62. art. 6. ad 3. Sotum lib. 4. de Iustit. quæst. 7. art. 3. ad 2. & Lessium lib. 2. cap. 13. dubit. 5. num. 42. asserentes eum qui mandat opus iniustum quo damnum infertur, primò ac per se teneri ante causam exequentem, ac per consequens ante cæteras, ante quas tenetur ipsa causa exequens, vt nobiscum docent: quorum quadruplex potissimùm ratio est. Prima,

B quòd is qui suo nomine, siue sua causa damnum inferri procurat, obtinet rationem causæ principalis respectu causæ exequentis, & hæc tantum secundariæ, cùm hanc illa moueat instar finis, & causæ moralis efficientis ad damnum inferendum.

Secunda, quòd qui commodi sui, vel honoris, vel oblectamenti gratia cupit, & procurat inferri damnum, censetur eo ipso implicitè in se suscipere totum onus, obligationémque restituendi. Tertia, quia damnum illud magis est voluntarium mandanti, quàm exequenti. Quarta, quòd mandans est causa iniusta actionis quam exercet exequens mandatum, & per consequens causa damni quod infert, & obligationis restituendi quam in-

C currit.

Est autem assertio nostra ex mente Syluestri, verbo *Restitutio*, 3. quæst. 6. concluf. 6. Angeli verbo *furtum*, num. 16. & Petri Nauarri lib. 3. cap. 4. num. 84. quæ & probatur primò authoritate tum D. Thomæ, tum iuris ciuilis: illius quidem, quæst. 62. artic. 7. ad 2. diserte docentis, *principaliter teneri præcipientem, secundario vero exequentem, & consequenter alios per ordinem.* Quibus verbis, sicut aperte significat exequentem obligari ad restitutionẽ post præcipientem, ita & ante quoscunque alios ex cooperantibus, atque adeo ante consulentem, siue consulat in ipsius exequentis vtilitatem, quod dum facit, consulens dicitur: siue in priuatam ac propriam suam, quod dum facit, mandans vocatur, vt superiori disputatione

D obseruauimus.

Huius verò, partim citata iam lege ff. ad legem Aquiliam, in qua dicitur, *Si is qui iussit, non habuit ius imperandi, agendum esse cum eo qui fecit.* Quibus verbis manifestè declaratur, eum qui alio modo quàm imperio ex imperandi potestate profecto mouit aliquem ad inferendum damnum, non nisi post exequentem ad restituendum obligari: sicut dum antecedentibus, & supra relatis eiusdem legis verbis dicitur, *Si insserit, & iubendi potestatem habuerit, agendum esse cum eo qui iussit*, significatur exe-

V. VI. VII. VIII.

quentem non nisi post iubentem ad restitutionem teneri: partim l. 5. Instit. tit. 17. de mandato, §. Illud quoque, vbi dicitur, *Si mandatarius damnum inferat, ac delicti pœnam soluat, nullam illum habere actionem contra mandatorem:* qui profectò aliquam haberet, si hic priùs illo

I. resarcire damnum illatum obligaretur: quoniam, vt antè docuimus, dum causa secundariò, seu post alteram ad restituendum obligata ipsa deficiente restituit; hæc illi totum refundere obligatur.

Probatur secundò hac ratione: quòd scilicet causa quæ physicè exequitur opus, & nec imperio habentis imperandi potestatem, nec minis, nec simili alterius operatione ipsi exequenti iniurioſa vrgetur, & quodammodo cogitur ad exequendum, est simpliciter & absolutè magis principalis causa actionis, quàm quæcunque alia ipsi vel positiuè, vel negatiuè cooperans ad eandem actionem: tum quia cùm nullo ex his modis mouetur ad agendum, sed alio, dici non potest agere tanquam instrumetum causæ à qua mouetur: tum quia quis neget eum qui

II. sponte percutit, incendit, aut quidpiam aliud iniustum agit, incitatus socij consilio, esse magis principalem causam iniustæ actionis? Eadem autem ratio est mandantis, quæ istius consulentis, cùm in eo solo differant, vt supra docuimus, quòd hic in commodum ipsius exequentis consulit, ille in proprium suum: quo ex discrimine non potest vnus potiùs quàm alius habere rationem causæ principalis respectu iniustæ actionis, quam causa exequens exequitur.

Probatur postremò solutione quatuor illarum rationum, quas pro sententia aduersariorum paulò antè retulimus. Ad primam, patet ex dictis negandum esse quod in ea dicitur, eum qui sua causa damnum inferri cupit, & procurat, esse principalem causam damni quod infertur. Nec refert, quòd sit eius causa finalis: nam

III. finalis etiam esset, si in eius non scientis, aut nolentis gratiam & commodum damnum inferretur: nec tamen ad restituendum, aut primariò, aut secundariò, aut vllo alio modo obligaretur.

Nec magis refert quòd sit moralis eiusdem damni causa efficiens: nam & consulens, & consentiens, & laudans, moralis quoque eius causa efficiens est: neque quòd hic consulat, aut consentiat, aut laudet in vtilitatem & gratiam ipsius exequentis, mandans verò mandet in suum commodum, suíve gratia, variat rationem causæ principalis efficientis, sed solùm rationem causæ finalis, quod nihil refert ad contrahendam vel primariò vel secundariò restituendi obligationem, cùm non ex causalitate

IV. causæ finalis, vt supra dictum est, sed ex sola causalitate causæ efficientis deriuetur hæc obligatio in eum qui illam exercet, & deriuetur vel primario, vel secundariò, prout huius causæ causalitatem vel primariò, vel secundariò exercet.

Ad secundam consequenter negandum est, eum qui sua causa damnum cupit inferri, & procurat, eo ipso suscipere in se onus obligationemque restituendi. Cur enim hoc onus eo ipso suscipiat, cùm eo ipso nõ suscipiat rationẽ causæ principalis? imò sicut exequens mandatum eo ipso quo exequitur, suscipit in gratiam mandantis rationem causæ principalis, ita & in eiusdem gratiam suscipit ex consequenti onus obligationemque restitutionis.

Ad tertiam nego damnum illatum magis esse voluntarium mandanti, quàm exequenti: A V.
cùm exequens & physicè inferat, & moraliter, seu libera voluntate, nullo modo à mandante coactus; vt supponimus.

Ad vltimam concedo totum quod in ea dicitur, sed ex eo concludi contra nos nihil potest: etsi enim mandans causa sit obligationis restituendi quam mandatum exequẽs incurrit, non ideo tamen obligatur vel ipsi exequenti restituere, vel primariò ei cui per exequentem damnum illatum est: non quidem ipsi exequenti, quia mandando nullam ei fecit iniuriam, cùm absque fraude, minis, & vi mandauerit, vt supponimus: neque primariò ei cui damnum illatum est, quia quòd sic mandauerit, non propterea tamen est illati damni causa principalis: alioqui pari iure concludi posset, consulentem, consentientem, laudantem obligari restituere, vel ipsi causæ exequenti, vel primariò ei qui damnum passus est, quia etiam hi sunt causæ iniustæ operationis quam exercet exequens, & obligationis restituendi quam incurrit. B VI.

Aduerte autem, quòd dum hac assertione nostra docemus exequentem ad restituendũ obligari ante mandantem, consulentem, & quoscunque alios simili modo ipsi cooperantes, loquimur de solo mandante, consulente, &c. absque vi, fraude, vel simili modo iustitiæ contrario, & iniurioso respectu ipsius exequentis. Nam qui hoc modo mandaret, aut consuleret, priùs & ante ipsum exequentem restituere obligaretur: tum quia esset damni per eum illati causa principalis, eo quòd tunc illo tanquam

VII. instrumento aliquo suo vteretur ad damnum C inferendum: qui profectò eo magis instrumenti rationem haberet, quò minùs esset plenè volens: non esset autem plenè volens, quandoquidem non nisi vel vi coactus, vel fraude, similive iniusta actione adactus id vellet, aut faceret: tum quia vi, fraude, similíve modo iustitiæ repugnante causam exequentem inducens ad opus exequendum, damnumque inferendum, esset ipsi per iniustam suam actionem causa damni quod sustineret, si ad restituendum obligaretur, & restitueret: ad hoc ergo damnum eius resarciendum ex iustitia teneretur: tantum autem damni sustineret, quantum restitueret ei cui damnum per exequutionem operis intulisset, ad tantum ergo huic ipsi exequenti restituendum obligaretur: quod certo argumento est, hunc secundariò solùm, VIII. illum autem primariò ad damni per operis D exequutionem illati compensationem obligari.

Dico quarto, inter mandantem, consulentem, consentientem, laudantem, receptantem, participantem, quæ sunt causæ positiuè cooperantes exequenti, nullum esse ordinem quoad obligationem restituendi, sed omnes & singulas æque primo post exequentem obligari: vnde si exequens deficiat, seu non restituat,

singulæ tenentur æqualiter partem suam ad illati damni compensationem tribuere, & quælibet in aliarum defectum ad totum damnum compensandum obligatur. Ita Lessius lib. 1. cap. 13. dubit. 6. aliíque multi recentiores: nulla enim est ratio asserendi, ex his causis sic
I. positiuè cooperantibus causæ exequenti, vnam A V.
priùs teneri quàm aliam, cùm vna vni non deseruiat instar instrumenti, aut tanquam causa minùs principalis magis principali, sed omnes exequenti proprio sibi modo deseruiant, consulens consulendo, consentiens consentiendo, & ita de cæteris, tanquam minus principales magis principali.

Quòd si quis contrarium supponat, vnam nimirum ita deseruire & cooperari exequenti, vt immediatiùs cuidam alteri causarum istarum deseruiat, verbi gratia, participanti: vt si quis non quidem immediatè consulat exequèti vt damnum inferat, sed participanti & præbenti instrumenta causæ exequenti ad opus exequendum, vt participet, & hæc instrumenta præbeat, tunc consulens non nisi post partici-
II. pantem restituere obligabitur: quia causa B VI.
hæc participans tam habet rationem causæ exequentis consilium datum, respectu causæ dantis istud consilium, quàm causa immediatè exequens opus iniustum, & damnum inferens habet rationem causæ exequentis respectu consulentis ipsi, vt hoc opus exequatur, & istud damnum inferat: vnde sicut hæc causa exequens obligatur ante consulentem, ita & illa exequens consilium datum ante causam illam consulentem obligabitur.

SECTIO IV.

Nonnullæ dubitationes soluuntur, ex dictis item nonnulla concluduntur.

III. VTRVM autem inter causas negatiuè C VII.
concurrentes ad damnum aliquod, comparatas cum causis ad idem damnum positiuè concurrentibus, sit aliquis ordo, nonnulla dubitatio est. Lessius citato cap. 13. lib. 2. dubit. vltima, affirmat esse, aitque causas illas negatiuas teneri tantùm ad restituendum post has omnes positiuas, hàsque proinde illati damni primarias causas esse, illas verò solùm secundarias: cuius ratio est, quòd sicut causa positiua potior est, magisque influit, quàm negatiua, seu permissiua, ita etiam priorem locum obtinet in obligatione restituendi.

Verùm ego nullum inter eas ordinem, quoad hanc restitutionis obligationem, peruidere possum: sicut enim nullus ab ipso etiam Lessio dubit. 6. eiusdem capitis constituitur ordo in-
IV. ter causam consulentem, exempli gratia, & in- D VIII.
ter consentientem, cooperantem consilio, & consensu suo causæ exequenti, eo quòd consulens non seruit consentienti, nec consentiens consulenti, sed vterque exequenti, nec vnus cooperatur ad damnum quod ab exequente infertur tanquam instrumentum alterius, sed quilibet suo sibi proprio modo æquè immediatè soli cooperatur exequenti, quia nec consulens per intermedium consentientem, nec consentiens per intermedium consulentem cooperatur: ita ob hanc ipsam causam nullus videtur inter causas negatiuas seu permissiuas comparatas cum positiuis ordo constituendus: non enim negatiua vna alteri positiuæ seruit, sed vtraque exequenti: nec vna cooperatur ad damnum quod infert exequens, tanquam instrumentum alterius, sed quælibet suo sibi proprio modo: positiua scilicet positiuè, negatiua negatiuè soli cooperatur exequenti, & æquè immediatè vna atque altera: quia nec positiua per negatiuam tanquam per intermediam, neque hæc per illam tanquam item per intermediam causæ exequenti cooperatur.

Neque relata prædicti Authoris ratio videtur efficax, quia quòd causa concurrens positiuè sit potior, magisque influens, quàm permissiua, id est, præstantiorem concurrendi modum habeat, & vberiorem influxum, non arguit esse principalem causam respectu negatiuæ: nam ex causis positiuè concurrentibus, quæ sunt secundariæ respectu exequentis, vna ordinariè sic potior est, magisque influit, quàm altera: nec tamen ideo vna respectu alterius rationem primariæ causæ obtinet, aut priùs vna quàm altera ad restitutionem obligatur.

Vtrùm etiam inter causas negatiuè concurrentes inuicem comparatas aliquis ordo ponendus sit, dubitatio aliqua est. Dico autem videri mihi, nullum ponendum, quando negatiua vna cum negatiua altera ad idem damnum simul & æquè primò concurrit suo sibi proprio modo, mutus tacendo, non obstans non obstando, non manifestans non manifestando: sicut & nullus ordo est inter consulentem, consentientem, & laudantem, quando simul, & æquè primo ad idem damnum positiuè, suo sibi proprio modo, causæ exequenti cooperantur: tunc enim sicut vna causarum istarum positiuarum positiuæ alteri non seruit, vel instar instrumenti, vel alio modo, ratione cuius dici meritò possit causa minùs principalis respectu alterius tanquam principalioris, ita nec vna negatiua alteri negatiuæ.

At si ex pluribus negatiuis in eodem negatiuæ causæ genere concurrentibus, vt ex multis non obstantibus ne damnum inferatur, cùm obstare deberent, causa vna non æquè primò cooperatur ad damnum, atque altera, quod euenit, quando non æquè primò ad illud impediendum ex iustitia obligatur, vt quando vna primò & per se obligatur illud impedire, altera verò ad id per se primò non obligatur, sed in defectum tantum illius: tunc vna priùs ad restituendum obligabitur quàm altera, nempe illa priùs quæ primò & per se damnum impedire obligatur: eo enim ipso quo non impedit, primò & per se ad illud damnum cooperatur.

Vnde colligitur, custodem particularem rei alicuius particularis non obstantem quo minùs hæc res furto surripiatur, priùs teneri ad restitutionem, quàm magistratum eidem damno non obstantem: ille enim primò ac per se obstare tenetur: hic verò, qui custos solùm vniuersalis est, non obligatur obstare primò & per se, sed solummodo in defectum illius non obstantis, ac proinde tantùm secundario. Vnde & illius ipsius custodis particularis negli-

gentia communi hominum iudicio causa damni propinquior est, quàm negligentia magistratus non obstantis, postquam illum non obstitisse, & ita defecisse videt: imò ob rationem allatam negligentia illius causa primaria damni est, huius verò tantùm secundaria, si cum illa comparetur.

I. Ex dictis concluditur primò, si is qui damnum passus est à multis eidem damno cooperantibus, obligationem restituēdi remittat causæ principali, reliquas causas cooperantes manere, velit, nolit, liberas ab omni restituendi obligatione: hæ enim restituere tantùm obligantur in defectum causæ principalis: hæc autem non deficit, quando ei ab eo qui damnum passus est, restitutionis obligatio remittitur: tunc enim perinde est, atque si illi restituisset, ille autem rem restitutam confestim ei liberaliter reddidisset: quo sanè casu constat causas alias ab omni restitutionis obligatione fore liberas.

II. Concluditur secundò, quod si ille ipse damnum passus obligationem restituendi remittat causæ secundariæ, non propterea remanet ab hac obligatione libera causa primaria: ideo enim remissione facta primariæ causæ, secundaria ex consequenti manet libera, quia secundariæ obligatio restituendi obligationem primariæ, eiusdémque defectum præsupponit, & inde pendet: at obligatio primariæ non præsupponit obligationem secundariæ, eiusque defectum, nec inde pendet, sed è contrario antecedit: quare in hac remissione perinde fit, atque si ille damnum passus secundariæ causæ sic diceret, Si primaria defecerit, obligaberis mihi restituere, ex hypothesi autem quod deficiat, hanc tibi remitto obligationem: quo ex loquendi modo euidens est nullam fieri causæ primariæ obligationis remissionem.

III. Concluditur tertiò, quod si idem damnum passus vni causarum primariarum, vel vni secundariarum remittat totam quam habet aut habere potest restitutionis obligationem, non propterea liberæ manent aliæ causæ vel primariæ, vel secundariæ ab obligatione partis illius soluendæ, quam soluere debuissent, si nulla facta fuisset remissio. Eadem ratio est quæ prioris conclusionis. Cùm enim omnes causæ primariæ inter sese comparatæ, causæ item omnes secundariæ inter se collatæ, æquè primò seu immediatè ad partem suam restituendam obligentur, nec vna priùs quàm alia, nec proinde vnius obligatio ex alterius obligatione pendeat, eamve præsupponat, etsi remissio fiat vni, non propterea fit cæteris.

IV. Quòd si quæras, facta vni causarum istarum remissione totius obligationis restituendi quam habebat, aut habere poterat, quantum aliæ restituere debeant, si earum aliqua defecerit: exempli causa, si tres causæ exequentes, nulla alia causa cooperante, damnum trecentorum aureorum intulerint, & tertiæ facta sit ab eo qui damnum passus est prædictæ obligationis remissio, secunda autem defecerit, quantum prima restituere obligetur? Rectè respondet Lessius lib. 2. cap. 17. dubit. 8. hanc non obligari ad ducentos aureos restituendos, sed tantum centum quinquaginta: si enim tertiæ nulla remissio facta fuisset, & secunda defeciisset, prima fuisset obligata ad centum quinquaginta, & tertia ad totidem alios restituendos. Cùm ergo damnum passus huic tertiæ liberaliter remiserit totam quam habere poterat obligationem restituendi, remisit ex consequenti eam quam habuisset, si secunda causa defeciisset, habuisset autem obligationem restituendi centum quinquaginta: qua summa ipsi relaxata, patet restare solummodo centum quinquaginta aureos à prima causa restituendos. A V.

Quare si tertiæ causæ fit, vt supponimus, totius obligationis restituendi quam habere poterat, remissio, triplex ei remissio fit: prima, partis illius, nempe centum illorum aureorum quos deberet, singulis aliis duabus causis partem suam, nempe centum aureos, restituentibus: secunda, partis illius quam restituere deberet vna duarum illarum causarum deficiente, nimirum centum & quinquaginta aureorum: tertia, totius summæ quam restituere debuisset, vtraque alia causa deficiente, nempe trecentorum aureorum. Quòd si damnum passus non intendit aliud ei remittere, quàm partem illam, cuius soluendæ debitum habebat, aliis singulis suas soluentibus, vna deficiente ad quinquaginta soluendum obligabitur, vtraque autem deficiente, ducentos soluere tenebitur. B VI.

SECTIO V.

Quo loco, & cuius expensis facienda sit restitutio, quando vt certo loco fiat, expensæ aliquæ faciendæ sunt.

DICENDVM primò, quæ restituenda sunt ex solo capite rei acceptæ, vt cùm res aliena à fure eam vendente, vel donante, accepta bona fide est, restituenda esse eo loco vbi habentur, & habentem non obligari suis expensis ea mittere ad locum distitum in quo eorum dominus commoratur, sed domini. Ita Theologi omnes communiter, & meritò sane: cur enim teneatur suis expensis, suóque proinde cum damno dominum in pristinam rei suæ possessionem restituere, sicque ab eo damnum auertere? cùm de illa possessione eum per iniuriam non deiecerit, nec rem eius ex aliquo cum ipso inito contractu acceperit, sed bona fide tanquam propriam eius qui vendebat, aut donabat, emerit, aut acceperit. Vnde si hunc contigerit alium in locum commigrare, nec posse eam turò apud aliquem qui ipsam domino restituat deponere, sicque cogi secum transferre, faciendas expensas, ad eam è loco illo in quem C VII. translata est restituendam domino, potest ab D VIII. eo repetere, hícque tenetur reddere, quia tenetur ad expensas omnes rei suæ custodiendæ, aut recipiendæ necessarias, factas in suam ipsius vtilitatem. vt lege 2. ff. de negotiis gestis expressè dicitur.

Dicendum secundò, quæ restituenda sunt ex iniusta acceptione, esse restituenda eo loco, in quo dominus ea possessurus fuerat, si ablata non essent. Ita etiam Theologi communiter, & meritò. Ius enim habet dominus ab eo qui iniustè accepit exigendi, vt perinde restituatur in

rei suæ

rei suæ sibi iniustè ablatæ possessionem, atque si nunquam ablata iniustè fuisset: quare cum esset eam, vt supponimus, tali in loco possessurus, si sic ablata non fuisset, hæc ei eo ipso in loco restituenda est.

Cuius autem expensis illo in loco restituenda sit, vtrum iniusti possessoris, an domini, vt definiatur, distinguendum est: vel enim eas expensas quæ ab iniusto possessore faciendæ sunt, vt rem ablatam eo in loco restituat, facere ipse dominus debuisset, vt rem ipsam illo ipso in loco possideret, etsi nunquam ablata fuisset, vel non, sed absque expensis illis eam ibi possedisset: si primum, restituenda est expensis domini: si secundum, iniusti possessoris. Ratio prioris partis est, quòd iniustus possessor non obligatur cum lucro domini rem ipsi restituere, sed sufficit, si ita restituat, vt ipse ex iniusta rei suæ ablatione nihil damni patiatur: nihil autem ex eo damni patietur, si expensas illas de quibus loquimur fecerit, quandoquidem eas erat facturus, vt rem suam illo in loco haberet, etsi ablata nunquam fuisset.

I. A

II. B

Ratio posterioris partis est, quòd æquum non sit dominum sentire damnum ex iniqua rei suæ ablatione tanquam ex causa emergens: sentiret autem, si expensas de quibus agimus facere deberet: eæ enim ex iniqua rei ablatione tanquam ex causa emergunt, quandoquidem si res hæc ablata non fuisset, eam illo in loco possedisset sine expensis illis quæ nunc faciendæ sunt, vt eam eo ipso in loco recipiat.

Adde quòd si dominus eas facere deberet, obligaretur iniustus possessor ad damnum expensarum istarum illi postea resarciendum: quia damni huius per iniustam suam actionem causa illi fuisset, per iniquam scilicet rei alienæ ablationem: quoniam nisi hæc iniusta actio interuenisset, expensas istas facere dominus non debuisset: quandoquidem, vt iam dixi, si nunquam ablata ipsi fuisset, eam absque expensis his illo de quo loquimur loco possedisset: superuacaneum autem esset dicere, dominum teneri eas facere, & postea iniustum possessorem ad eas domino refundendas obligari: vnde dicendum est, illum ad eas faciendas teneri, qui sibi, suæque iniustitiæ debet ascribere, quòd præter rei restitutionem, & illati damni compensationem, hoc insuper fortunarum suarum detrimentum facere obligetur.

III.

Nec dicas ipsi non esse imputandum, quòd rei ablatæ dominus in locum alium commigrauerit, & per consequens ipsum non obligari ad eam suis expensis in locum illum domino mittendam: mala est enim hæc consequentia, falsumque consequens, quia propter iniustitiam iniusti possessoris, dominus rei iniustè ablatæ non priuatur iure se quo voluerit conferendi, remque suam sibi ablatam eo in loco recipiendi, si non ablatam erat eo secum translaturus.

IV.

Iam verò quo ad ea quæ restituenda sunt ex capite iustæ acceptionis, vt ex legitimo contractu depositi, commodati, mutui, vel simili, Dicendum primò & in genere est, ea eo in loco restituenda esse, & eius sumptibus, quo, & cuius, in contractu communi contrahentium consensu constitutum fuerit, dummodo hic contrahendi modus nullo iure seu naturali seu positiuo sit inualidus: suis enim quisque pactis sponte initis stare tenetur.

Dicendum secundò in particulari, cum initus contractus quo res aliena accepta est, aut cedat in solius accipientis vtilitatem, aut in solius dantis, aut in vtriusque: dicendum inquam est, si cedat in solius dantis, aut in solius accipientis vtilitatem, rem eius solius expensis restituendam esse eo in loco, in quo tradita est, nisi per contractum aliter constitutum fuerit. Prioris partis veritas constat ex eo quòd æquũ non est, vt qui nullum ex contractu commodum percipit, sentiat onus & incommodum rei per contractum acceptæ suis sumptibus restituendæ. A V.

Posterioris autem ex eo quòd in huiusmodi contractibus censentur tacitè pacisci contrahentes de re restituenda eo in loco in quo accepta est, nisi aliud expresse in contractu communi contrahentium consensu constitutum fuerit. Vnde qui in commodum suum ab amico commodatum equum accepit, tenetur suis expensis illum eo loco reddere commodanti, quo ab ipso accepit, nisi fortè propter casum aliquem fortuitum ingentes & extraordinarij sumptus essent faciendi, vt eo loco redderetur: tunc enim tanto suo cum damno, notabiliter, vt suppono, excedente damnum quod ex re sua sibi loco illo non reddita commodator pateretur, restituere eo in loco non teneretur: qui quidem commodator, si interim dum equum suum commodato dedit, in locum procul remotum commigraret, non obligaretur commodatarius suis expensis in eum locum remittere, quia eo loco ipsum non accepisset, nec illius in eum locum discessus causa esset. B VI.

Dicendum tertiò, rem ex contractu depositi acceptam restituendam esse solius deponentis sumptibus, etsi depositarius aliquod ab illo pro ea custodienda pretium accipiat. Ratio est, quia vi contractus huius obligatur solum depositarius ad rem depositam bona fide custodiendam, etiam cùm eam pro pretio custodit, non autem ad vllos in ea restituenda sumptus faciendos, si aliqui faciendi sunt. Vnde l. 12. ff. *depositi* decernitur, quòd si res vno in loco deponitur, & in alio redditur, hoc expensis deponentis faciendum est. Si tamen depositarius migraret in locum aliquem remotum ab eo in quo depositum custodiendum accepit, expensas facere deberet necessarias ad ipsum in hunc locum in quo acceperat referendum, quia rem depositam obligatur eo in loco repræsentare in quo eam accepit. C VII.

Quòd si res deposita ipsi depositario clam surriperetur, & in locum alium transferretur, si nulla ipsius depositarij culpa etiam leuissima id contigisset, quærenda & referenda esset expensis deponentis: id enim imputari depositario non deberet, quandoquidem nulla eius culpa interuenisset: sin autem culpa aliqua depositarij contigisset, teneretur propriis expensis quærere, & referre depositum in eum locum ex quo furto sublatum est, & in quo acceptum est, vt postea eo ipso loco deponenti redderet, sumptibus ipsius deponentis, si qui faciendi essent, ad illud ex hoc ipso loco restituendũ: teneretur, D VIII.

inquam, ad id quod dixi, sed hac limitatione, vt si rem depositam custodiendam gratis suscepisset, non teneretur ad id nisi lata eius culpa hoc euenisset: sin autem pro pretio custodiendam accepisset, teneretur ad id, si hoc ipsum leui aliqua eius culpa contigisset: non autem si leuissima, iuxta ea quæ à nobis disputat. 23. dicta probatáque sunt. I.

Dicendum postremò, quæ restituenda sunt ex contractu cedente in vtilitatem vtriusque tam dantis quàm accipientis, vt ex contractu venditionis, mutui, alióque simili, quo non eadem numero res necessariò reddenda est, sicut in deposito de quo proximè ante loquuti sumus, restitutionem non quouis loco faciendam esse, sed in eo in quo res per huiusmodi contractum accepta est, nisi contrahentes aliud communi consensu constituerint, quia in huiusmodi contractibus censentur tacitè pacisci contrahentes de eo loco in quo res accipitur, nisi aliud in contractu expresse exprimatur. Et sane iniquum esset, & in magnum alteruttius contrahentis incommodum cedens, si, exempli causa, emens merces Parisiis vellet pretium Romæ soluere: aut vendens illic, vellet istic sibi ab emptore pretium solui: debet igitur locus aliquis constitui quo soluatur pretium, nullus autem commodior ex natura contractus constitutus intelligi potest, quando nullus alius in contractu exprimitur, eo in quo res venditur, aut per alium huiusmodi contractum accipitur. II.

Quòd si quispiam hîc quærat, quo loco, & cuius expensis reddi debeant ea quæ debentur ratione factæ liberaliter donationis, vt legati, testamenti? Respondendum cum Lessio est lib. 2. cap. 25. dubit. 8. num. 59. reddenda esse eo in loco in quo erant cùm donarentur, nisi aliud in ipso testamento, vel legato, vel donatione fuerit expressum, & expensis ipsius donatarij, si aliquæ faciendæ sint, vt hæc ipsi ex hoc ipso loco reddantur: vt si is absit ab eo loco, & sumptus aliqui necessarij sint, vt eo in quo est loco rem sibi donatam accipiat. Et sanè si rem aliquo in loco sic donatam hæres in alium procul dissitum locum transferret, ex quo vt donatario postea traderetur, magni sumptus faciendi essent, iniuriam ipsi faceret, si ipsum ad hos sumptus faciendos obligare vellet, cùm antea sine his sumptibus rem tradere eo ex loco posset in quo donata est: vnde vel eam tradere ipsi tenetur eo in loco in quo donata est, vel si aliò transtulerit, obligabitur suis sumptibus eam remittere, vbi priùs erat, cùm donata fuit. Quòd autem donatarius obligetur ad sumptus faciendos, si qui faciendi sunt, vt eam ex eo loco accipiat, patet ex eo quòd qui rem aliquam gratis dat, aut legat, non intendit ad aliud obligare se, sed eam donatario permittit, vt si velit, suis ipsam sumptibus accipiat, si nolit, relinquat. Atque hæc de iustitia & iure dicta sufficiant. A B III. IV.

INDEX DISPVTATIONVM,
QVÆ TRACTATV DE IVSTITIA & iure continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De obiecto materiali, & formali iustitiæ.

Sectio 1. *Prænotantur tria ad rem intelligendam necessaria.*
Sectio 2. *Quodnam sit obiectum materiale iustitiæ declaratur, & probatur.*
Sectio 3. *Quodnam sit obiectum formale iustitiæ declaratur, & probatur.*
Sectio 4. *Continens propositionem triplicis difficultatis circa iustitiæ obiectum cum aliarum virtutum obiectis comparatum.*
Sectio 5. *Vt triplex hæc difficultas soluatur, nonnulla præsupponuntur.*
Sectio 6. *Propositæ difficultates soluuntur.*

DISPVTATIO II.

De iuris diuisione.

DISPVTATIO III.

Vtrum admittenda sit aliqua generalis, seu legalis iustitia, distincta essentialiter à cæteris omnibus virtutibus?

Sectio 1. *Pars affirmatiua defenditur, & ratione vna probatur.*
Sectio 2. *Eadem pars altera ratione probatur.*
Sectio 3. *Vnum obseruatione dignum continens.*
Sectio 4. *Soluuntur argumenta tria contra doctrinam suprà traditam.*
Sectio 5. *Soluuntur alia duo contra eandem argumenta.*

DISPVTATIO IV.

Vtrùm iustitia legalis habeat aliquas sub se species?

Sectio 1. *Pars negatiua defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Alia duæ eius species assignantur, & refelluntur.*

DISPVTATIO V.

Vtrum iustitia legalis sit præstantior cæteris virtutibus?

DISPVTATIO VI.

Vtrum aliquod speciale iniustitiæ vitium sit admittendum?

Sectio 1. *Duo asseruntur, & probantur.*
Sectio 2. *Tertium asseritur, & probatur.*

DISPVTATIO VII.

Vtrum quis volens possit pati iniustum formaliter?

Sectio 1. *Pars negatiua defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO VIII.

Quinque de iudicio quæstionum explicationem continens.

DISPVTATIO IX.

An iudicium suspicio sum sit mortale peccatum?

Sectio 1. *Quid sit sentiendum declaratur, & probatur.*
Sectio 2. *Idem præterea ratione probatur.*
Sectio 3. *Tribus quæstiunculis respondetur.*
Sectio 4. *Aduersariorum argumentis respondetur.*

DISPVTATIO X.

Quam in dubiis partem sequi debeamus?

Sectio 1. *Duarum quæstionum explicationem continens.*
Sectio 2. *Duarum præterea quæstionum explicationem continens.*
Sectio 3. *Soluuntur argumenta contraria.*
Sectio 4. *Tria consectaria, & vnum obseruandum continens.*

DISPVTATIO XI.

De speciebus iustitiæ, commutatiua scilicet, & distributiua.

Sectio 1. *In quo hæ duæ species differant?*
Sectio 2. *Soluuntur obiectiones quatuor.*
Sectio 3. *Soluitur quinta, omniumque grauissima obiectio.*
Sectio 4. *Vtrùm commutatiua & distributiua iustitia essentialiter differant?*

DISPVTATIO XII.

Vtrùm commutatiua & distributiua iustitiam strictè sumptam adæquatè diuidant?

Sectio 1. *Probatur partis affirmantis veritas.*
Sectio 2. *Vni obiectioni, vni ite quæstioni satisfit.*

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm hominis ad seipsum, inter patrem & filium, dominum & seruum, Rempublicam & ciuem, superiorem & subditum, virum & vxorē stricta iustitia intercedat?

Sectio 1. *Vnum asseritur, & probatur.*
Sectio 2. *Duo alia asseruntur, & probantur.*
Sectio 3. *Asseruntur alia duo, & probantur.*

DISPVTATIO XIV.

Vtrùm Deum inter, & hominem stricta iustitia esse possit?

Sectio 1. *Nonnulla præmittuntur.*

Sectio 2. *Dei ergà hominem strictam iustitiam esse non posse duobus argumentis ostenditur.*
Sectio 3. *Hominis ad Deum strictam iustitiam esse non posse duobus argumentis probatur.*
Sectio 4. *Deum inter, & hominem iustitiam commutatiuam non intercedere probatur.*
Sectio 5. *Idem de distributiua probatur.*
Sectio 6. *Soluuntur argumenta, quibus in genere Deum esse capacem strictæ iustitiæ probatur.*
Sectio 7. *Soluuntur argumenta, quibus probatur Deum capacem esse commutatiuæ iustitiæ.*
Sectio 8. *Soluuntur argumenta, quibus probatur Deum capacem esse distributiuæ iustitiæ.*
Sectio 9. *Duplici quæstioni respondetur.*

DISPVTATIO XV.

De natura dominy.

Sectio 1. *Primæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 2. *Secundæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 3. *Tertiæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 4. *Quartæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 5. *Quintæ quæstionis explicationem continens.*

DISPVTATIO XVI.

De subiecto dominy.

Sectio 1. *Primæ, & secundæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 2. *Tertiæ quæstionis explicatione continens.*

DISPVTATIO XVII.

De obiecto dominy.

Sectio 1. *An res, quæ extra hominem sunt, in humanum dominium cadant?*
Sectio 2. *Vtrùm res, quæ intrà hominem sunt, & ad corpus pertinent in humanum dominium cadant?*
Sectio 3. *Soluuntur obiectiones.*
Sectio 4. *Vtrùm res, quæ intra hominem sunt, & ad animam pertinent, in humanum dominium cadant?*

DISPVTATIO XVIII.

De dominiorum diuisione, rerumque appropriatione.

Sectio 1. *Verum aliis licita fuerit, núncque sit rerum dominiorumque diuisio?*
Sectio 2. *Quo iure introducta sit rerum diuisio?*

DISPVTATIO XIX.

De modis, quibus dominium acquiritur.

Sectio 1. *Quomodo rerum talium rerectum, quæ antea nullius erant, dominium comparetur?*
Sectio 2. *Tria hic obseruanda declarantur.*
Sectio 3. *Quinque quæstionum explicationem continens.*
Sectio 4. *Quot modis rerum, quæ antea alicuius erant, dominium comparetur?*
Sectio 5. *Vtrùm promissio homini facta obliget in conscientia?*
Sectio 6. *Tres obiectiones soluuntur, aliæque afferuntur, & probantur.*
Sectio 7. *Ad quam virtutem spectet obligatio implendi promissionem, quæ homini facta est?*
Sectio 8. *Vtrùm fidelitas sit specialis virtus à reliquis omnibus vulgo numerari solitis distincta?*
Sectio 9. *Soluuntur obiectiones.*
Sectio 10. *Trium aliarum quæstionum circa eundem priorem comparandi dominij modum explicationem continens.*
Sectio 11. *Duarum quæstionum circa posteriorem comparandi dominij modum explicationem continens.*
Sectio 12. *Tertiæ quæstionis circa eundem posteriorem comparandi dominij modum explicationem continens.*
Sectio 13. *Difficultas vna proponitur, & soluitur.*

DISPVTATIO XX.

An restitutio necessaria sit ad salutem, & cuius virtutis actus ea sit?

DISPVTATIO XXI.

Vnde nascatur restitutionis obligatio?

DISPVTATIO XXII.

De restitutione facienda ex capite rei alienæ.

Sectio 1. *Primæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 2. *Secundæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 3. *Tertiæ & quartæ quæstionis explicationem continens.*

DISPVTATIO XXIII.

Vtrùm omnis, qui proximo damnum infert, ad restitutionem obligetur?

Sectio 1. *Nonnulla præmittuntur.*
Sectio 2. *De restitutione facienda ob illatum damnum extra contractum.*
Sectio 3. *Ex dictis tradita nonnulla concluduntur.*
Sectio 4. *Altera assertio recitatur, & probatur.*
Sectio 5. *Ex dictis nonnulla colliguntur.*
Sectio 6. *De restitutione faciendaob damnum ex præsupposito contractu illatum.*
Sectio 7. *Secunda assertio ponitur, & probatur, ex vtraque nonnulla colliguntur.*
Sectio 8. *Soluuntur argumenta quatuor contra doctrinam secunda assertione traditam.*
Sectio 9. *Tertia assertio ponitur, & probatur.*

DISPVTATIO XXIV.

De restitutione bonorum animæ facienda.

Sectio 1. *Ponitur assertio prima, & probatur.*
Sectio 2. *Ponitur secunda assertio, & probatur.*
Sectio 3. *Vni quæstioni respondetur.*

DISPVTATIO XXV.

De restitutione facienda bonorum, quæ spiritalibus annectuntur.

Sectio 1. *An Prælati, aliique ecclesiæ conferentes beneficium indigno, digno prætermisso, ad aliquam restitutionem teneantur?*
Sectio 2. *An iidem conferentes beneficium digno, digniore prætermisso, ad aliquam restitutionem obligentur?*
Sectio 3. *Posita assertionis secunda tertiáque pars probatur.*

Sectio 4. *Ex doctrina tradita consectarium vnum concluditur, & probatur.*
Sectio 5. *An beneficiary suo etiam officio rite fungentes teneantur aliquando ad aliquam bonorum suorum partem restituendam?*
Sectio 6. *Tertia assertio ponitur, & probatur.*

DISPVTATIO XXVI.

De restitutione facienda pro bonis corporis, vt cùm quis alteri contra iustitiam membrum amputauit, aut vitam eripuit.

Sectio 1. *Vtrum sit aliquid pro ipsa præcise erepta vita, aut amputato membro restituendum?*
Sectio 2. *Soluuntur argumenta contraria.*
Sectio 3. *Quibus personis restituere teneatur iniustus occisor ratione damnorum, quæ ex iniusta occisione oriuntur.*
Sectio 4. *Idem altero argumento probatur.*
Sectio 5. *Vnum circa doctrinam traditam obseruandum continens.*

DISPVTATIO XXVII.

De restitutione famæ.

Sectio 1. *An quisquis vel se, vel alium infamauit, ad famæ restitutionem obligetur?*
Sectio 2. *Ad cuius rei restitutionem obligetur ex iustitia iniustus alterius diffamator?*
Sectio 3. *Quomodo, & apud quos fama restituenda sit?*
Sectio 4. *An sufficienter famam restituat qui quempiam certa in materia diffamauit conciliando ei bonam famam in altera?*
Sectio 5. *Vtrùm si duo se vicissim æqualiter infamarint, vnúsque nolit alteri famam restituere, teneatur iste alter illi aly famam, quam eripuit, restituere?*
Sectio 6. *An eo casu, quo fama restitui amplius non potest, vel quia diffamati crimen factum est publicum, vel aliam iustam ob causam teneatur iniustus diffamator aliqua pecuniæ summa ablatæ famæ damnum compensare?*
Sectio 7. *Vtrum famam ablatam debeat iniustus diffamator quocunque suo cum incommodo restituere?*
Sectio 8. *Grauis controuersiæ decisionem continens.*
Sectio 9. *Quæ causæ ab obligatione restituendæ famæ excusent?*

DISPVTATIO XXVIII.

De restitutione bonorum fortunæ.

Sectio 1. *Vtrum accepta ob honestam causam sint restituenda?*
Sectio 2. *Ponuntur aliæ duæ assertiones, & probantur.*
Sectio 3. *Vtrum accepta ob turpem causam sint restituenda?*
Sectio 4. *Quæstioni vni respondetur.*
Sectio 5. *Vtrùm acquisita per ludum restituenda sint?*
Sectio 6. *Ponitur altera assertio, & probatur.*
Sectio 7. *Ad quam restitutionem fur re furtiua pereunte teneatur?*
Sectio 8. *Secundæ quæstionis explicationem continens.*
Sectio 9. *Tertiæ quæstionis explicationem continens.*

DISPVTATIO XXIX.

De restitutione facienda ab eo, qui alteri iniustè damnum inferenti cooperatur.

Sectio 1. *Nonnulla prænotantur.*
Sectio 2. *Vtrùm quisquis aliquo modorum illorum contra iustitiam peccat, ad restitutionem obligetur?*
Sectio 3. *Quid de non mediocri inter Theologos controuersia sit sentiendum statuitur, & probatur.*
Sectio 4. *Ad quam restitutionem teneantur singuli ex iis, qui illato damno iniustè cooperantur?*
Sectio 5. *Ex doctrina tradita vnum concluditur, quod & probatur.*

DISPVTATIO XXX.

De circumstantiis faciendæ restitutionis bonorum fortunæ.

Sectio 1. *Nonnulla præmittuntur.*
Sectio 2. *Cui bonorum incertorum restitutio facienda sit?*
Sectio 3. *Quo teneantur ordine ad restitutionem ij, qui vni eidémque damno iniustè cooperantur?*
Sectio 4. *Nonnullæ dubitationes soluuntur, ex dictis item nonnulla concluduntur.*
Sectio 5. *Quo loco, & cuius expensis facienda sit restitutio, quando, vt certo loco fiat, expensæ aliquæ faciendæ sunt?*

TRACTATVS DE FILII DEI INCARNATIONE.

DISPVTATIO PRIMA.

An conueniens fuerit Deum incarnari?

AD quæstionis huius intelligentiam notandum primò, nomen Incarnationis, quod ex his Ioānis primo verbis traxisse videtur originem, *Verbum caro factum est*, significare mysterium, quo Deus factus est non tantùm caro, quæ est hominis altera pars, sed etiam homo, qui carnis nomine frequenter in Scriptura significatur, vt Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*, & citatis ex Ioan. cap. 1. verbis, & sæpe alibi. I.

Notandum secundò, conuenientis vocabulum non sumi hoc loco pro eo quod relatiuè bonum est, seu bonum alicui: quo sensu calor igni, & frigus aquæ conueniens esse dicitur: neque pro eo quod vtile est ad finem aliquem obtinendum, quo modo apta ad finem aliquem media conuenientia ad eundem finem esse dicimus: sed pro eo quod alicui personæ consentaneum ac decens est, habita ratione conditionum, seu qualitatum eius: quo pacto munificentiam regi conuenientem dicere solemus. Vnde quæstionis propositæ sensus est, vtrum consentaneum Deo decénsque fuerit hominem fieri, per assumptionem humanæ naturæ ad hypostaticam vnionem. II.

Cui quæstioni respondet affirmatiuè S. Doctor hac 3. parte, primæ quæst. art. 1. Probat autem in articuli corpore vnica ratione, cuius vis vt clarior fit, sequentes quatuor argumentationes conficiendæ sunt, quæ etiam in illa eius ratione implicitè continentur. Prima. Vnicuique rei conueniens illud est, quod ei conuenit secundùm rationem propriæ naturæ: atqui propria Dei natura est ipsa ratio & essentia bonitatis: ergo conueniens est Deo quidquid est conueniens rationi & essentiæ bonitatis. Secunda. Conueniens est Deo quidquid est conueniens rationi & essentiæ bonitatis: atqui huic conueniens est se communicare: ergo etiam est conueniens Deo se communicare. Tertia. Sicut essentiæ & rationi boni conuenit communicare se, ita rationi & essentiæ summi boni se summè communicare: atqui Deus est ipsa ratio & essentia summi boni: ergo Deo conuenit se summè communicare. Quarta. Summè se communicare Deo conuenit: atqui per vnionem hypostaticam summè se communicat: ergo vnio hypostatica Deo est conueniens, ac proinde Incarnatio, quæ est quædam hypostatica vnio. Circa quam ratiocinationem, totam in natura bonitatis fundatā, obseruandum est, bonitatis huius nomine non intelligi relatiuam, qua res aliqua bona alicui alteri esse dicitur, sed absolutam, quam & entitatiuam appellant, qua res aliqua, licet vnica, & simpliciſsima, præcisè in se ac secundùm se considerata, bona diceretur, dummodo integra perfectâque esset, etsi nulla alia res intelligeretur, cui bona esset. Ex quo colligitur, cuilibet rei esse conueniens communicare sese, cùm quælibet res, eo ipso quo res est, participet naturam entis, & per consequens entitatiuæ bonitatis. III. A IV.

At contra prædictam ratiocinationem obiicies primò, ex ea tantùm euinci, Deo fuisse conueniens vnire se hypostaticè alicui naturæ creatæ, at non euinci, fuisse ipsi conueniens sic vnire se humanæ naturæ potiùs quàm Angelicæ, ac proinde incarnari potiùs, quàm non incarnari. Respondeo, directè quidem & immediatè nihil aliud euinci quàm quod in obiectione dicitur: nobis tamen cum D. Thoma quærentibus, vtrùm Deo conueniens esset incarnari, satis esse probare efficaciter, conueniens ipsi esse vnire se hypostaticè alicui naturæ creatæ, cùm hoc rite probato, satis intelligatur, fecisse Deum conuenienter, dum se hypostaticè humanæ naturæ vniuit: propterea quòd si cui videri debebat, aut poterat, vel impossibilis, vel Deo non conueniens Incarnatio, ex eo vel solo, vel potissimùm capite videri poterat, aut debebat, quòd vel esset impossibilis, vel Deo non conueniens hypostatica cum vlla natura creata vnio, ob infinitam diuinæ naturæ à qualibet creata distantiam, & per consequens vnius cum altera ad hoc genus vnionis, vt prima fronte videtur, disproportionem. Vnde cùm non obstante hac inter vtramque naturam distantia, ac disproportione, ratiocinatio illa directè & immediatè euincat, conuenientem Deo fuisse hypostaticam cum natura aliqua creata vnionem, B V. C VI.

(præsuppoſita ſaltem huius vnionis poſſibilitate, quam reipſa S. Doctor præſuppoſuit, non probauit, nos autem infrà commodiùs probaturi ſumus) ſatis quoque euincit, remotè ſaltem & mediatè, conuenientem eidem fuiſſe hypoſtaticam vnionem cum humana natura, atque adeo Incarnationem.

I. A

Obiicies ſecundò, illa ipſa ratiocinatione cõcludi pari efficacitate poſſe, Deo conueniens eſſe aſſumere hypoſtaticè naturam Angelicam, imo omnes ſubſtantiales naturas, tam ſpecificas, quàm indiuiduas quæ ſic aſſumi poſſunt: hoc enim ſi faceret, ſummè ſe communicaret, ſummo autem bono, qualis eſt per eſſentiam ſuam Deus, ſummè ſe communicare conueniens eſt. Reſpondeo id illa ratiocinatione reuera concludi: ſed hinc nihil inferri poſſe, aut concluſioni Diui Thomæ in corpore citati articuli primi poſitæ, aut prædictæ ratiocinationi, qua ſuam ille noſtrámque concluſionem probauit, repugnans. Et ſanè cùm nihil poſſit Deus facere naturæ ſuæ perſonæque diſſentaneum ac diſconueniens, imò nihil poſſit niſi conſentaneum & conueniens, dicendum conſequenter eſt, quidquid ipſi eſt poſſibile, eidem quoque conueniens ac conſentaneum fore facere: vnde cùm poſſibile ei ſit non tantùm agere, ſeu producere, ſícque creaturis ſe communicare, ſed etiam non agere, ſeu non producere, ſícque reipſa ſe non communicare, propterea ſicut dum agit, ſícque ſe communicat, conuenienter id facit, ita ſi hoc non faceret, conuenienter non faceret: & quæcunque reipſa non facit, conuenienter non facit: licet aliqua ab ipſo fieri potiùs quàm non fieri, & è contrario quædam alia non fieri potiùs quàm fieri, ſit ipſi conuenientius.

II. B

Obiicies tertiò, ex natura boni, ipſique propria ſui communicatione, concludi non poſſe efficaciter, conueniens Deo fuiſſe communicare ſe humanæ naturæ per Incarnationem, cùm hæc Dei communicatio ſit in genere cauſæ efficientis, propria autem naturæ boni communicatio ſui ſit in genere cauſæ finalis: vt enim rectè S. Doctor prima parte quæſt. 5. art. 4. ad 2. illud D. Dionyſij, *Bonum eſt ſui diffuſiuum*, explicans, *eo*, inquit, *modo eſt diffuſiuum, quo finem mouet*. Quod nimirum bonum ſe communicet alliciendo & mouendo appetitum ad amorem ſui: qui communicandi ſe modus eſt, vt conſtat, in genere cauſæ finalis. Reſpondeo negando quod obiicitur: cuius ad probationem dico, hanc boni diffuſionem communicationémque ſui in genere cauſæ finalis propriam quidem eſſe bono, ſed non ita, quin ipſi quoque propria ſit, ſeu natuæ eius conſentanea quæcunque alia communicatio ſui in alio cauſæ genere, vel materialis, vel formalis, vel efficientis, dummodo res, quæ bona dicitur, in aliquo cauſarum iſtarum genere communicare ſe poſſit: propter hunc enim etiam ſe communicandi modum, bonum dicitur ſui diffuſiuum, ſeu communicatiuum, vt idem S. Doctor explicat lib. 1. contra Gent. cap. 37.

III. C

IV. D

Obiicies quartò, in præfata ratiocinatione ex natura boni petita falſum aliquid aſſumi, nempe communicationem qua Deus ſe per Incarnationem communicat eſſe ſummam: ſumma enim illa communicatio non eſt, qua ſuperior aliqua ſeu perfectior eſt, cuiuſmodi eſt ea qua ſe pater æternus per æternam generationem filio communicat, & qua idem pater ac filius per ſpirationem ſe Spiritui ſancto communicant. Reſpondeo negando idem quod obiicitur. cuius ad probationem dico, hanc quidem poſteriorem communicationem eſſe perfectiorem communicatione illa priore per vnionem hypoſtaticam, vtramque tamen in ſuo genere eſſe ſummam, cùm nullam in hoc ipſo genere ſuperiorem ſeu perfectiorem habeat: poſteriorem quidem in genere communicationis ad intra, & neceſſariæ: priorem autem in genere communicationis ad extra, & liberæ: ſummo autem bono, cuiuſmodi eſt Deus, conueniens eſſe, non ſolùm vt ſummè ſe ad intra, ſed ad extra etiam communicet.

V.

Obiicies quintò, ſi ad rationem ſummæ ſeu diuinæ bonitatis pertinet ſummè ſe ad extra communicare, ac proinde vnire ſe hypoſtatice alicui naturæ creatæ, conſequens futurum, vt non poſſit Deus non communicare ſe ſic, & vnire alicui creaturæ, cùm non poſſit Deus non facere quod eſt de ratione ſuæ bonitatis: falſum autem hoc conſequens eſſe, cùm certum ſit quamcunque Dei communicationem ad extra ipſi liberam eſſe. Reſpondeo negando conſequens iſtud futurum: ad eius autem probationem dico, illud quidem quod ad rationem diuinæ bonitatis pertinet tanquam quid ipſi intrinſecum non poſſe non eſſe, cùm quidquid eiuſmodi eſt, ſit à parte rei ipſe Deus: at verò quod ad eiuſdem diuinæ bonitatis rationem pertinet tanquam quid ipſi extrinſecum, quódque eo ſolùm nomine dicitur ad rationem huius bonitatis pertinere, quòd ſit aliquid ipſi conueniens ſeu conſentaneum, poſſe non eſſe, Deúmque poſſe illud non facere, ac proinde dum facit, facere liberè: hoc autem ſolùm poſteriori modo communicationem ſui per vnionem hypoſtaticam, & quamcunque aliam ad extra, dici ad rationem diuinæ bonitatis pertinere.

VI.

VII.

Quærunt hîc multi, an Incarnatio fuerit cõueniens humanitati aſſumptæ? Reſpondentque omnes conuenientiſſimam fuiſſe, id eſt, maximum ei bonum & perfectionem attulliſſe: quod certiſſimum eſt, & clariſſimum: cùm per eam effectum ſit, vt verus aliquis homo eſſet realiter & ſubſtantialiter verus Deus, quæ eſt dignitas omnium quæ creaturæ tribui poſſunt maxima. Vnde D. Auguſt. lib. de prædeſt. Sanct. cap. 15. dixit, tantam & tam excelſam eſſe hanc humanæ naturæ ſubuectionem, vt quo attollatur altius non habeat.

VIII.

Cui doctrinæ non repugnat D. Thom. citato articulo 1. ad 2. negans humanæ naturæ fuiſſe conueniens vniri Deo in vnitate perſonæ: ſolùm enim negat, vnionem hanc ei fuiſſe conuenientem eo, ſimilíve modo quo conuenientem Deo eſſe dixerat: vnde cùm dixiſſet eam Deo fuiſſe conuenientem, eo quòd in ipſo eſt naturalis, imò eſſentialis ipſi perfectio, nempe infinita eius bonitas, cui conueniens eſt ſe per hypoſtaticam vnionem communicare humanæ naturæ, meritò poſtea negauit hoc ipſo modo vnionẽ hanc humanę iſti naturę fuiſſe cõuenien-

tē, cùm nulla sit in hac ipsa natura perfectio ipsi naturalis, ratione cuius per se, & à principio intrinseco vnionem hanc tanquam sibi conuenientem dari sibi deposcat.

Neque sibi repugnauit S. Doctor, licet in responsione ad primum dixerit Incarnationis
I. mysterium assumptæ creaturæ esse conueniens: duobus enim modis Incarnationem considerauit. Primo, vt in genere mutatio quædam est. Secūdo, prout in specie est supernaturalis communicatio diuinæ personæ quæ fit assumptæ naturæ: & priore quidem modo consideratam negauit esse conuenientem Deo, quòd natura sua non sit mutationis capax: & affirmauit esse conuenientem assumptæ creaturæ, vtpote natura sua mutabili: at spectatam posteriore, dixit esse conuenientem Deo, negauit autem conuenientem esse humanæ naturæ, ob eam rationem quæ paulò antè allata est: inter quæ nihil esse repugnantiæ, perspicuum est.

DISPVTATIO II.

II.

An necessarium fuerit Deum incarnari, seu naturam aliquam creatam hypostaticè assumere?

SECTIO PRIMA.

Vtrum id necessarium fuerit simpliciter & absolutè, nulla facta hypothesi, vel lapsus humani generis in peccatum, vel creationis huius vniuersi, vel alia?

III. NEgari Catholico dubia esse potest quæstionis huius negatiua pars: nam si sic necessaria Incarnatio esset, Deo libera non esset: ex certissima autem fidei doctrina omnis cuiusuis creaturæ productio, & quælibet operatio Dei ad extra ipsi simpliciter libera est: ergo & Incarnatio, cùm haec esse nequeat sine aliqua Dei ad extra operatione, & sine alicuius creaturæ productione, nimirum substantialis illius naturæ, quæ Deo hypostatice vniretur.

Ar opponet mysterium Incarnationis esse bonum actu infinitum, quod autem tale est, inferre necessitatem voluntati etiam diuinæ: proinde Deum non posse non velle efficaciter bonum illud, & producere. Respondeo mysterium illud esse infinitum actu, ratione diuinitatis &
IV. diuinæ personæ quæ est actu infinita, quam includit: bonum autem actu infinitum, si quam infert diuinæ voluntati necessitatem, inferre tantummodo secundùm id, secundùm quod actu infinitum est: vnde cùm in mysterio Incarnationis duo sint, vnum humanitas assumpta, alterum diuinitas, & diuina persona assumens, & illa prior sit ex se actu finita, ista verò posterior actu infinita, Deus ex necessitate voleт quidem diuinitatem diuinámque personam assumentem, non autem humanitatem, eiusque proinde ab hac persona assumptionem.

Instabis, in mysterio Incarnationis, præter Dei personam diuinitatémque actu infinitam, meludi triplex aliud infinitum actu, nempe vnionem hypostaticam, meritum Christi, eiusdemque satisfactionem. Respondeo primò vnionem illam non esse quid infinitum actu, sed simpliciter actu finitum, secundùm quid tamen
A actu infinitum, terminatiuè scilicet, ratione V.
termini vnius actu infiniti quem connectit, & ad quem essentialem habet ordinem, nempe Verbi diuini: quemadmodum visio beatifica est simpliciter actu finita, secundùm quid tamen actu infinita, obiectiuè videlicet, ratione Dei obiecti actu infiniti quod formaliter repræsentat, & ad quod essentialem ordinem habet: si quod autem infinitum necessitatem afferre diuinæ voluntati potest, illud debet esse actu simpliciter infinitum, alioqui Deus non liberè, sed necessario beatificam visionem vellet, & produceret.

Et quamuis concedatur vnionem hypostaticam esse simpliciter infinitā actu, sicut & Christi meritum ac satisfactio est: Respondeo secun-
B dò non propterea consequens esse, Deum ne- VI.
cessariò velle tria hæc infinita, aut aliquod ex illis, ac proinde mysterium Incarnationis, quod cum his tribus infinitis, & quolibet eorum necessariò connexum est: propterea quòd illud solum bonum actu simpliciter infinitum afferre potest Deo necessitatem ad ipsum volendum efficaciter, & producendum, quod est actu simpliciter infinitum in omni genere; sola autem diuina persona eiusmodi bonum infinitum est: quodhoc verò ex tribus illis infinitis, etsi concedatur esse simpliciter actu infinitum, est tantùm infinitum in vno genere, nimirùm in genere aut vnionis, aut meriti, aut satisfactionis: alioqui si quodlibet actu simpliciter infinitum in aliquo tantùm genere diuinæ voluntati posset inferre necessitatem ad volendum ipsum effi-
C caciter, & producendum, qui censent esse pos- VII.
sibile infinitum actu vel in magnitudine, vel in multitudine, vel in intensione, quod est infinitum actu in aliquo tantùm genere, nempe aut magnitudinis, aut multitudinis, aut intensionis, consequenter dicere deberent, Deum non posse non velle illud efficaciter, & producere: quod tamen nullus eorum dicit, & certissimè falsum est, cùm cuiuslibet creaturæ productio ipsi libera sit.

SECTIO II.

Vtrùm idem necessarium fuerit ex hypothesi creationis huius vniuersi?

REFERT Gabr. Vasq. disput. 1. in art. 2. prædictæ primæ quæstionis cap. 2. Raymundum Lullium partem affirmantem defendisse, hoc solo nixum fundamento, quòd cùm Deus sit natura sua perfectus opifex, non potuit, ex hypothesi quòd huius vniuersitatis opificium producere voluerit, non velle ipsum esse perfectum, non futurum autem perfectum sine
D mysterio hypostaticæ vnionis naturæ alicuius VIII.
creatæ cum diuina persona: propterea quòd vt hoc vniuersum perfectum esse censeatur, requiritur vt constet omnium rerum generibus, non

constaret autem, si prædicto mysterio careret, quia mysterium hoc vnum nouumque rerum genus constituit.

Sed negatiua pars ab omnibus communiter defenditur, & defendi debet. Cùm enim, vt suprà dixi, mysterium istud esse nequeat sine aliqua Dei ad extra operatione, & alicuius creaturæ productione, certumque sit etiam ex fide, quamlibet Dei ad extra operationem, & cuiusuis creaturæ productionem ipsi simpliciter liberam esse, concedendum non est, Deum ex hypothesi quòd creaturam aliquam condere velit, non posse non velle condere quandam aliam, nisi vt vna sit, necessarium ex natura rei sit alteram esse, aut vna necessariò secum alteram inferat, sicque sit necessaria prorsus inter vtramque ex rei natura connexio: aut certè nisi Deo vnam volente, ni alteram quoque vellet, hoc argueret aliquam in ipso imperfectionem: atqui nec inter hoc vniuersum prædictumque mysterium intercedit aliqua huiusmodi necessaria ex natura rei connexio, neque si Deus velit hoc vniuersum condere, nec tamen velit prædictum mysterium efficere, vllam hoc in eo imperfectionem arguet. Non quidem primum, cùm tot sæculis hoc vniuersum, & quidquid ad rerum generationem conseruationemque necessarium est, sine mysterio isto fuerit, nec minus potuisset absque eodem permanere in futurum. Neque etiam secundum: si quam enim hoc argueret in Deo imperfectionem, profectò istam, quòd nimirum ipse non esset perfectus opifex: at hanc non argueret: quid enim si neque vniuersum, neque quidquam aliud aliquando producere decreuisset, non esset tamen natura sua omnipotens, ac proinde perfectus opifex? aut si volens vniuersum condere, nolit tamen ipsum omnibus numeris quibus posset absolutum perfectumque condere, eritne hoc argumentum imperfecti opificis? quasi verò debeat perfectus in aliqua arte opifex, aut nullum artis suæ opus efficere, aut ex hypothesi quod aliquod liberè velit, debeat tam perfectum efficere, vt nullum perfectionis genus ei desit quod posset adiungere.

Adde quòd etsi verum esset, Deum ex hypothesi voluntatis huius non posse non velle condere perfectum hoc vniuersum, non esset tamen consequens, ipsum etiam ex ista hypothesi non posse non velle mysterium hypostaticæ vnionis: sicut enim vniuersum hoc secundùm se totum singulásque sui tam essentiales quàm integrantes partes quibus constare ex se postulat, ens naturale est, seu naturalis ordinis, ita quo perfectum censeri meritò debeat, nullum aliud genus perfectionis quàm mere naturalis desiderat: vnde nec ad aliud genus perfectionis ei volendum, & dandum necessitari posset Deus, etsi ex hypothesi voluntatis illud condendi, non posset non velle ipsum perfectum condere: præfatum autem mysterium sicut supernaturalis ordinis est, ita productum in vniuerso superaddit ei genus perfectionis supernaturalis.

Ex quibus patet, falsum in primis esse quod dicebat Lullius, Deum ex hypothesi quòd vellet hoc vniuersum condere, non potuisse non velle perfectum condere: falsum deinde quod adiungebat, non futurum hoc vniuersum perfectum sine præfato mysterio: licet enim perfectum non foret omni perfectione possibili, siue naturali, siue supernaturali, qua perfici amplius posset, perfectum tamen dici simpliciter deberet: quia vt perfectum dicatur simpliciter & absolutè, sufficit vt ei nihil naturalis perfectionis desit quod habere postulet, constetque omnium rerum naturalis ordinis generibus, quibus reipsa constat, & constaret, etsi mysterio vnionis hypostaticæ careret.

I. II. III. IV. A B C D V. VI. VII. VIII.

SECTIO III.

Vtrum ex hypothesi lapsus humani generis a Deo permissi, necessarium fuerit vt illud ipse repararet?

COMMVNIS & vera sententia negat. Primò, quia multis locis Scriptura reparationem generis humani Dei erga nos charitati & misericordiæ tribuit, vt ad Titum 3. *Secundùm misericordiam suam saluos nos fecit.* & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Quod sanè reparationis humanæ beneficium malè tribueret Dei misericordiæ & charitati, si non ex libera voluntate, sed ex necessitate illud ipse humano generi contulisset: beneficium enim ex misericordia & amore collatum, supponit eius qui confert in conferendo libertatem, & excludit ab eo conferendi necessitatem.

Nec dicas duplicem esse necessitatem, vnam antecedentem, alteram consequentem, seu ex hypothesi existente in libertate eius qui necessitate ista consequente agere dicitur: & priorem quidem necessitatem repugnare libertati, posteriorem verò minimè, quòdque ex ea fit, fieri simpliciter & absolutè liberè, adhúcque proinde & ex misericordia, & ex charitate neri posse: Deum autem hac sola necessitate compulsum humanum genus reparasse, cùm eius reparandi necessitatem habuerit ex hypothesi tantùm quod ipsum creare, & in peccatum labi permittere voluerit, quæ hypothesis fuit in libera eius potestate, quia poterat non creare, & postquam creauit, poterat non permittere vt in peccatum laberetur. Ne, inquam id dicas: etsi enim hæc omnia vera sint, duobus tamen illis Scripturæ locis quæ retulimus, rectè concluditur negantis sententiæ veritas quam probandam suscepimus: propterea quod ex communi & Interpretum & Theologorum consensu loca illa reparationis humanæ beneficium charitati Dei & misericordiæ tribuentia, & per consequens significantia hoc liberè fuisse ab eo collatum, plus aliquid volunt quàm quod ista responsione dicitur, illudque quod volunt, est, Deum supposita generis humani creatione, lapsuque in peccatum, cùm posset pro iustitia sua condignis ipsum pœnis afficere, maluisse tamen ex misericordia & charitate ipsum reparare. Ex quo manifestè sequitur, eum, ex prædicta etiam suppositione, non necessitate fuisse adductum ad ipsius reparationem, sed liberrima voluntate.

Probatur secundò, eo quod nulla maior inesse potest Deo reparandi hominis necessitas ex hypothesi creationis eius, permissíque lapsus in

peccatum, quàm reparandorum Angelorum ex eadem hypothesi: nullam autem habuit Deus ipsos reparandi necessitatem, cum nec repararit, nec vnquam reparaturus sit.

Probatur tertiò, quia id omne fieri à Deo potest quod nullam inuoluit contradictionem, & I. quod ab ipso si fieret, nullam argueret in eo vel A iniquitatem, vel imperfectionem: at non reparari genus humanum ex prædicta hypothesi, nullam contradictionem inuoluit, nec vllam in Deo vel iniquitatem, vel imperfectionem arguit: non primum, quæ enim contradictio est, si qui cecidit non resurgat? maximè cùm per se suasque vires resurgere non potest, vt est genus humanum lapsum in peccatum, à quo sine speciali Dei auxilio non potest resurgere. Nec secundum Deus enim erga creaturam suam se gerens prout ipsa meretur, nihil facit quod vel iniquitatem vel imperfectionem aliquam in ipso arguat: hominem autem lapsum in peccatum, si non reparasset, sed in statu peccati damnationisque perpetuò reliquisset, erga ipsum prout merebatur se gessisset: hoc enim ipso in II. statu relinqui in perpetuum dignus ob peccatum suum erat. Vnde rectè Sapiens Sapient. 12. sic Deum alloquitur. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?*

At obiicies primo D. Athanasium libro de Incarnatione Verbi eiúsque aduentu, disertis verbis asserentem, absurdum, indecorum, indignúmque Dei bonitate futurum, genus humanum non reparari: quod autem tale est, esse simpliciter impossibile, cùm & ex rei veritate, & ex D. Anselmo lib. 1. Cur Deus homo. cap. 20. minimum inconueniens, aut indecens respectu Dei, rationem habeat impossibilis. Respondeo D. Athanasium verbis illis noluisse significare aliquid reipsa absurdi, vel indecentis, vel indigni Dei bonitate futurum, si genus humanum in statu peccati damnationisque perpetuò relinqueret: alioqui cur pari iure non sentiret absurdum, indecens, indignum eiusdem Dei bonitate, III. C ac proinde impossibile, Angelos in peccatum semel lapsos in statu peccati sine remedio, damnationisque relinqui in perpetuum? Sed hoc tantum significare voluisse, fururum vt hominũ oculis & iudiciis id tale prima fronte appareret, licet tale reipsa non esset. Hoc modo respondet Vasquez disputat. 1. cap. 4. Suarez autem disputat. 4. sect. 1. alio: nempe illa Athanasij verba per exaggerationem oratorio more esse dicta, piéque interpretanda, sic videlicet vt non sint intelligenda de indecentia & indignitate positiua seu contraria, quasi Deus contra decentiæ bonitatisque rationem aliquid faceret, si genus humanum non repararet, sed de negatiua: quia scilicet nisi repararet, id facere omitteret, IV. D quod si faceret, rem sibi suæque bonitati maxime conuenientem faceret, & omittendo, eo se gereret modo, qui non esset ita suæ bonitati conueniens, atque est ille quo se gerit modus, dum non omittit, sed reparat: imò qui tantum abesset à conuenientia & decentia modi huius, vt cùm hoc ille comparatus videri posset positiuè, seu contrarie Deo indignus atque indecens, licet absolutè nullum eiusmodi indecentiam indignitatémque contineret.

Obiicies secundò D. Anselmum lib. 1. Cur Deus homo. cap. 15. & 17. clarè docentem non potuisse non reparari à Deo humanam naturam lapsam in peccatum. Omissa duplici responsione Suaris sect. 2. citatæ disputat. vtpote neutra conformi verbis, & doctrinæ quam tradit D. Anselmus libro illo primo & sequenti, quarum priorem sumit ex Bonau. & Alensi, D. Anselmum exponentibus de necessitate non absoluta, sed ex hypothesi liberi decreti Dei quo reparare decreuerat, quod vt immutabile est, ita non potest non sortiri effectum qui per ipsum decretus est, posteriorem autem ex ingenio suo adducit, eundem S. Patrem exponens de necessitate non simpliciter, sed ad melius esse, eo quòd id erat multò melius & conuenientius, quàm in statu peccati relinqui in perpetuum. Vera responsio est, necessarium Deo fuisse reparare genus humanum lapsum in peccatum, non simpliciter & absolutè, nec ex hypothesi solius creationis humanæ naturæ, permissísque lapsus eius in peccatum, sed ex hypothesi cuiusdam decreti diuini quod agnoscit in Deo, citato cap. 16. & clarius 18. in quo aperte signifi- V. cat, Deum ante vel Angeli, vel hominis lapsum, B voluntate sua prædefiniuisse certum quendam numerum electorum & saluandorum, quem dicit fuisse maiorem tota multitudine Angelorum, tam bonorum, quàm malorum, ne si minorem poneret, cogeretur fateri, fuisse necessarium ex hypothesi diuini illius decreti, aliquos ex creatis Angelis labi in peccatum, & damnari: sin autem parem tantùm admitteret, fateri etiam cogeretur, aut non creandos homines, si nullus Angelorum cecidisset, aut si nihilominus crearentur, nullum eorum saluum futurum: aut cadentibus Angelis si creati essent, eo solùm fine videri creatos, vt ex iis ruinæ lapsorum Angelorum repararentur. Ex vi igitur decreti huius quod admittit in Deo, siue reipsa sit admittendum, siue non sit, quod definire huius loci non est, infert non potuisse Deum non reparare genus humanum lapsum in peccatum, hocque discursu infert: VII.

Cùm Deus certum illum saluandorum numerum efficaci voluntatis suæ decreto prædefinierit, fieri non potuit vt minor esset reipsa saluandorum numerus, quàm ille à Deo prædefinitus, alioquin efficax Dei decretum fieri irritum posset, quod repugnat: cúmque prædefinitus hic numerus tota multitudine Angelorum tam bonorum quàm malorum maior fuerit, cadentibus aliquibus Angelis, necesse fuit ad complendum hunc numerum prædefinitum ruinas eorum instaurari: ergo ex natura aliqua rationis compote, cùm hæc sola beatitudinis æternæ capax sit; ergo ex Angelica, vel humana: cùm præter hanc & illam nulla sit possibilis creatura rationis particeps. Atqui non potuit ex Angelica: ergo ex humana necessariò debuit: non potuit autem ex humana lapsa in peccatum, nisi repararetur, & à statu peccati rediret ad statum gratiæ: ergo lapsum hominem à Deo reparari fuit necessarium. VIII.

In quo Diui Anselmidiscursu, etsi nihil esset falsi, ex eo tamen toto concludi nihil posset contra doctrinam à nobis hac sectione traditam: solum enim definimus, ex hypothesi præcisè creationis humani generis, permissísque

lapsus eius in peccatum, non fuisse necessarium, ipsum à Deo repararí: cuius contrarium ex illo D. Anselmi discursu non potest, vt patet, colligi. In quo hoc saltem falsum est, ruinas lapsorum Angelorum restaurari ex Angelica natura non potuisse: potuerunt enim, tum quia illi ipsi Angeli qui ceciderunt, potuerunt per aliqua gratiæ efficacis auxilia conuerti ad pœnitentiam, redireque ad statum sanctificantis gratiæ, & in eo perseuerare, sicut cæteri: vnde falsò supponit Diuus Anselmus Angelos esse liberi arbitrij tam inflexibilis, vt ab eo quod semel liberè elegerunt conuerti nullo modo possint ad oppositum: quod fusè refutaui in Tractatu de Angelis disputat. 52. tum quia etsi sic inflexibiles essent, cùm tamen transitus à statu peccati ad statum gratiæ fieri possit absque motu vllo liberi arbitrij creaturæ transeuntis ab vno statu in alterum, nempe per infusionem habitualis gratiæ sanctificantis, potuerunt absolutè à statu peccati redire ad statum gratiæ, Deo ipsis habitualem hanc gratiam infundente: tum denique quia etsi nulla vi resurgere potuissent illi ipsi Angeli qui ceciderunt, potuisset Deus totidem alios de nouo creare, qui in gratia sanctificante perseuerassent, & salui facti fuissent, sicque ruinas eorum qui lapsi sunt reparare.

I. II.

SECTIO IV.

Vtrùm ex hypothesi quòd voluerit Deus humanum genus reparare, necessarium fuerit vt per vnionis hypostaticæ mysterium repararet?

VERA communisque Theologorum & Patrum sententia, quos citatos reperies apud Gregorium à Valentia hîc disput. 1. quæst. 1. puncto 5. Suarem disput. 4. sect. 2. & Gabr. Vasquez disputat. 1. cap. 3. negatiua est. Vnum pro ea proferam Hugonem de sancto Victore lib. 1. de Sacram. parte 8. caput 10. ab his de prædicto mysterio clarissimis verbis inchoantem. *Veraciter profitemur, quòd redemptionem generis humani alio modo Deus perficere potuisset, si voluisset.* Et sanè potuisset in primis omnem ipsi remittere offensam liberaliter, nulla postulata præuia pro commisso peccato satisfactione. Deinde potuisset exigendo quidem præuiam aliquam satisfactionem, sed imperfectam, qualem homo lapsus in peccatum offerre potest excitatus & adiutus diuinæ gratiæ auxiliis: quia dona gratiæ vel habitualis vel actualis homini communicanda ad ipsum à peccato emundandum, siue præuia aliqua eius satisfactione, siue nulla, non habent necessariam ex natura rei cum mysterio de quo loquimur connexionem: vnde ex vera communiorique sententia Theologorum, quam postea fusè probabimus, Angelis bonis in statu viæ, & malis ante lapsum, & primis nostris parentibus ante peccatum, dona illa concessa sunt, non ex incarnati Verbi seu Christi meritis, sed independenter ab hoc vnionis hypostaticæ mysterio.

III. IV.

At rursum obiicies D. Anselmum lib. 1. cur Deus homo. cap. 12. & 19. clarè docentem, Deum non potuisse generi humano remittere peccatum nisi præuia satisfactione pro ipso exhibita: & ex doctrina capitis vtriusque, & vicesimi sequentis, & capitis 4. libri 2. aperte colligi, ipsum velle, Deum item minime potuisse remittere peccatum illud, nisi priùs exhibita perfecta & condigna satisfactione; solum autem Christum potuisse hanc exhibere: quod & expresè docet consequentibus libri primi capitibus, & nominatim 25. in quo concludit hominem lapsum in peccatum saluari non potuisse nisi per Christum, cùm saluari non posset nisi à Deo peccati remissionem acciperet, nec accipere posset, nisi præuia satisfactione condigna perfectáque, solus autem Christus hanc posset exhibere. Imò quod amplius est ex doctrina quam tradit capite 21. libri 2. non obscurè intelligitur, eum existimasse, Christum non potuisse condignam pro peccato generis humani offerre Deo satisfactionem, nisi pro ipso sustinendo mortem, indèque concludere, diaboli cum Deo reconciliationem fuisse prorsus impossibilem: quòd reconciliari ipsi ille non posset lapsus semel in peccatum, nisi præuia satisfactio condigna & perfecta exhiberetur, ipsum autem hanc exhibere non potuisse, sed eam, si exhiberi debuit, exhiberi necessariò debuisse ab Angelo vnito hypostaticè personæ diuinæ, & pro diaboli peccato moriente, sicut pro peccato hominis exhiberi condigna satisfactio non potuit ab alio, quàm ab homine vnito Deo hypostaticè, & pro eo mortem sustinente: vnde cùm Angelum mori sit impossibile, impossibilem proinde fuisse condignam pro diaboli peccato satisfactionem, & per consequens eius cum Deo reconciliationem.

A B C D

V. VI. VII. VIII.

Respondeo D. Anselmum locis illis hæc reuera videri docuisse quæ nobis obiiciuntur, sicque doctrinæ à nobis hac sectione traditæ esse contrarium. Verùm Anselmo opponimus in primis ipsum Anselmum in hæc Apostoli verba ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus*, clarè dicentem, potuisse Deum modis aliis innumerabilibus redimere genus humanum quàm eo quo reipsa redemit: ex eóque maximè suam erga nos charitatem commendasse, quòd per Incarnationem filij sui redimere, quàm alio modo maluerit: quamquam fateor esse qui arbitrentur commentaria illa non Anselmi esse, sed Heruæi. Deinde oppono communem Theologorum Patrumque consensum, idem sentientium, quod hac quarta sectione docuimus: ex quibus tres solùm adiungam Hugoni à S. Victore, cuius egregium testimonium iam retuli, nempe S. Athanasium, Leonem Papam, & Augustinum, quorum primus serm. 3. contra Arianos procul à fine dicit, *potuisse Deum sine vllo Christi aduentu loqui solummodo, & soluere maledictionem.* Secundus autem serm. 2. de Natiuit. cap. 3. sic ait, *Verax misericordia Dei, cùm ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ.* Tertius denique lib. de agone Christiano cap. 11. *Sunt*, inquit, *stulti qui dicunt, Non poterat aliter sapientia Dei liberare hominem, nisi susciperet hominem.*

Quare cùm hi sancti Patres, aliique videntur aliquibus locis, vt reuera videntur, sentire, & dicere, non potuisse genus humanum reparari nisi per vnionis hypostaticæ mysterium, sic intelligendi sunt, vt solùm velint, non potuisse reparari nisi per istud mysterium, non absolutè, sed ex hypothesi decreti, quo statuerat Deus, se non remissurum homini offensam, nisi prævia exhibita satisfactione condigna atque perfecta, quæ sine prædicto mysterio exhiberi non poterat, vt infrà probabimus. Et cùm iidem docere videntur, non potuisse reparari nisi per ipsam Verbi incarnati mortem, vt D. Ambros. in caput 9. epistolæ ad Hebræos sic scribens: *Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non possemus aliquando, nisi omnipotens Dei filius pro nobis moreretur*: simili modo sic intelligendi sunt, vt velint, non potuisse, non quidem absolute, sed ex hypothesi decreti quo constituerat Deus, se nunquam aliter remissurum humano generi offensam, nisi per Christum morientem, suâque morte pro hac offensa satisfacientem.

I.

II. Oppono postremo falsitatem quatuor propositionum, quæ in eius doctrina nobis obiecta continentur. Prima est, non potest Deus homini peccatum dimittere, absque aliquâ pro eo exhibita satisfactione. Secunda, non potest idipsum absque exhibita perfecta, seu condigna: vtriusque enim falsitas satis constat ex dictis hac ipsa sectione. Tertia, non potuit exhiberi condigna pro peccato lapsorum Angelorum satisfactio, nisi per mortem Angeli hypostaticè Deo vniti. Quarta, non potuit exhiberi condigna pro peccato hominis satisfactio, nisi per mortem hominis vniti Deo hypostaticè. Vtraque enim falsa est, & vtriusque falsitas hinc constat, quòd cùm quælibet honesta liberaque actio vel hominis vel Angeli vniti Deo hypostaticè sit infiniti simpliciter valoris, ac proinde sufficientis ad condigne satisfaciendum pro quibuscunque peccatis tam hominum quàm Angelorum, vt ex infrà dicendis certiùs constabit, ad condignam pro peccatis vel horum, vel illorum satisfactionem non potuit esse necessaria mors vel hominis vel Angeli Deo hypostaticè vniti, sed per quamcunque liberam ac honestam huius aut illius actionem satisfieri condignè potuit pro peccatis omnium hominum, ac etiam Angelorum.

III.

SECTIO V.

Vtrum vt humanum genus repararetur per condignam pro peccato eius exhibitam Deo satisfactionem, necessarium fuerit mysterium hypostaticæ vnionis?

IV.

AFFIRMAT Diuus Thomas articulo 2. cui cùm titulum hunc posuisset, vtrùm necessarium fuerit ad reparationem humani generis Verbum Dei incarnari, respondit ad hanc à se propositam quæstionem tribus conclusionibus, quibus præmisit, duobus modis dici quidpiam necessarium ad aliquem finem. Primo simpliciter, cuiusmodi est id sine quo finis ille obtineri non potest. Secundo non simpliciter, sed ad melius esse, vt loquuntur. Quo præmisso, prima eius conclusio est, non fuisse primo modo necessarium ad humani generis reparationem Deum incarnari, quod quidem superiori sectione fusè probauimus.

A

Secunda est, fuisse secundo modo necessarium: quod probat enumeratione decem magnarum vtilitatum ex Dei Incarnatione in homines redundantium, quarum priores quinquè pertinent ad promotionem hominis in bonum: quinque posteriores ad remotionem mali ab homine. Circa quas notandum, quinque illas priores non præsupponere lapsum humanæ naturæ in peccatum, sed in statu naturæ integræ locum pariter habituras: sanè enim in hoc statu homo non minùs esset capax fidei, spei, charitatis, participationis diuinæ naturæ, & rectæ seu honestæ operationis, quàm sit in statu naturæ lapsæ, nec minùs in illo integræ naturæ statu posset ex Incarnatione Dei iuuari & promoueri ad hæc bona consequenda, & amplificanda, quàm possit in isto statu lapsæ naturæ, vt constat: ex quinque autem posterioribus priores quatuor non præsupponere etiam humanæ naturæ lapsum in peccatum, sed in prædicto statu naturæ integræ locum quoque habere posse, cùm duobus modis remoueri possit malum ab homine: primo, præueniendo ne insit, secundo, postquam ipsi iam inest, illud expellendo: & quemadmodum per Dei Incarnationem nunc & in hoc statu naturæ lapsæ remouentur hoc secundo modo quatuor illa mala quæ D. Thomas enumerat, ita per eandem in illo integræ naturæ statu non minùs remoueri eadem primo illo modo potuerint: sola quinta vtilitas in remotione mali consistens, nimirum in liberatione hominis à seruitute diaboli & peccati quam incurrerat, præsupponit, vt patet, lapsum humanæ naturæ in peccatum, & in statu naturæ integræ, qui eo ipso quo naturæ integræ est, omne peccatum excludit, locum habere non potuit.

V.

B

VI.

C

VII.

Cæterùm, quia duobus modis ab hac seruitute liberari poterat, & quod consequens est, in statum gratiæ amicitiæque diuinæ à quo exciderat restitui: primo, absque vlla satisfactione Deo exhibita pro offensa in eum commissa: secundo, mediante aliqua satisfactione: & hoc rursum duobus modis: primo, mediante satisfactione aliquali tantùm & imperfecta: secundo, mediante perfecta & condigna: hinc est tertia D. Thomæ conclusio, ad reparationem generis humani per exhibitam Deo pro offensa condignam & perfectam satisfactionem necessarium priore modo ex duobus initio præmissis fuisse, Deum incarnari: quam probat ex eo quòd nec purus Deus sic satisfacere, nec purus homo poterat, Deus autem homo poterat: quibus ex tribus sequitur euidenter, vt condignè satisfieret pro peccato generis humani, ac proinde vt per condignam satisfactionem repararetur, necessarium fuisse mysterium hypostaticæ vnionis.

D

VIII.

Verum vt huius consequentis veritas certa sit, probanda sunt nobis tria illa ex quibus infertur: primum autem longa probatione non eget, cùm eius veritas apud omnes constet, & per se satis nota sit: cuius enim satis perspicuum est, solis naturæ creatæ liberis honestisque actionibus inesse posse vim merendi quidpiam

à Deo,

à Deo, siue de congruo, siue de condigno, & satisfaciendi ipsi siue imperfectè, siue perfectè seu condignè pro peccato contra ipsum commisso: ac per consequens purum Deum, id est, nulli naturæ creatæ vnitum hypostaticè, non potuisse satisfacere vel perfectè, vel imperfectè pro peccato generis humani, aut reparationem eius reditúmque à statu peccati ad statum gratiæ mereri, vel congruè, vel condignè: secundi autem & tertij veritas vt constet, sequentes instituemus disputationes, ante quas duo notanda sunt.

I.

Primum est, quod de puro homine hîc dicitur, ipsum scilicet non potuisse satisfacere perfectè seu condignè, intelligendum quoque de qualibet alia pura creatura, cùm puri hominis, & cuiusuis alterius puræ creaturæ sit prorsus eadem quoad hoc ratio, vt ex sequentibus disputationibus constabit. Secundum, puri hominis, aut puræ creaturæ nomine intelligi hominem, aut creaturam non vnitam Deo hypostaticè, itavt puri vocabulum solam hanc neget & excludat vnionem: quo modo

II.

sumpsit istud ipsum vocabulum D. Thomas citato art. 2. ter vsurpans puri hominis voces, semel in corpore, bis tursus in responsione ad 2.

Quod moneo contra Caiet. asserentem puri hominis nomine intelligi eum hominem qui caret non modò gratia hypostaticæ vnionis, sed quacunque etiam alia Dei gratia, & saltem sanctificante: quo modo non sumi à S. Doctore, sed eo quo dixi, vel hinc constat, quòd in articuli Corpore concludens oportuisse Christum, Deum & hominem esse, vt condignam pro peccato hominis satisfactionem exhiberet, aut hoc non concludit efficaciter, aut eius argumentatio necessario de puro homine procedit, id est, non vnito Deo hypostaticè, quantumuis gratiam etiam sanctificantem habeat. Dicens enim Deum non potuisse satisfacere, purum item

III.

hominem non potuisse satisfacere perfectè seu condignè, supponens autem Deum hominem id potuisse, & ex his concludens, oportuisse Christum esse Deum & hominem vt condignè satisfaceret, nisi puri hominis nomine intelligat id quod dixi, meritò à quolibet negabitur ista conclusio, quia facilè respondebitur, purum quidem hominem, id est, carentem omni gratia Dei, ac saltem sanctificante, illud quod dictum est non potuisse: at id potuisse hominem sanctificante gratia præditum, licet non vnitum Deo hypostaticè: atque ita minimè necessarium esse personam condignè satisfacientem esse Deum simul & hominem.

Deinde cùm in responsione ad 2. ex eo quod puri hominis satisfactio sufficiens, seu perfecta condignaque pro peccato esse non potuerit; concluserit ad condignam satisfactionem oportuisse vt actus satisfacientis habuerit efficaciam infinitam, vtpote Dei & hominis existens, manifestè aut puri hominis nomine intellexit eum qui non est Deus & homo simul, sed homo tantùm, quamuis gratia sanctificante præditus sit, aut hoc ex illo non rectè concluserit: ad hanc enim eius conclusionem idem alioqui responderi posset, quod ad illam aliam in articuli Corpore contentam. Præterea cùm ad condignam satisfactionem necessarium esse dicat, vt actus satisfacientis habeant efficaciam infinitam, id est, dignitatem & valorem infinitum, puri autem hominis quantacunque gratia sanctificante præditi non vniti Deo hypostaticè actus non nisi finitam efficaciam seu dignitatem ac valorem habere possint: patet ipsum, cùm asserit purum

A

hominem non posse condignè satisfacere, ex eóque concludit, oportuisse personam satisfacientem Deum simul & hominem esse, per purum hominem intellexisse eum qui non est Deus & homo simul, sed homo tantùm, siue sanctificantem gratiam aut aliam habeat, siue non.

V.

Denique dum in eadem ad 2. responsione loquens de imperfecta satisfactione, dicit talem esse posse puri hominis satisfactionem, nomine puri hominis non potest intelligere eum qui caret non modò gratia hypostaticæ cum Deo vnionis, sed etiam alia quacunque, cùm nulla creatura possit etiam imperfectè satisfacere Deo pro peccato siue proprio, siue alieno, nisi cum aliqua diuina gratia: vocat ergo purum hominem etiam eum qui gratiam Dei aliquam habet, caret tamen gratia prædictæ vnionis, ac proinde

VI.

B à puro homine de quo loquitur aliam non excludit gratiam, quàm illius vnionis.

DISPVTATIO III.

Vtrùm purus homo possit pro suo mortali peccato perfectè Deo satisfacere?

SECTIO PRIMA.

Refertur ratio vna qua negatiuæ partis veritas ab aliquibus defenditur.

C

VII.

NOTANDVM primo, ex vera D. Thomæ citato artic. 2. communíque Theologorum doctrina, duplicem esse posse pro peccato satisfactionem: perfectam vnam, imperfectam alterâ. Priorem eam S. Doctor dicit esse, quæ condigna est per quandam adæquationem ad compensationem culpæ commissæ, seu quod eodem recidit, quæ per se sufficiens est, eámque habet cum culpa adæquationem, vt offensus nihil vltra possit à satisfaciente pro culpa exigere, tanquam necessarium ad plenam pro ea debitam satisfactionem. Posteriorem verò dicit eam esse, quę est sufficiens imperfectè, scilicet secundùm acceptationem eius qui est ea liberaliter & benèuolè contentus tanquam condigna & sufficiente; cùm per se nec condigna sit, nec sufficiens.

D

VIII.

Notandum secundò, quęstionem hîc esse de sola priori satisfactione: nam de posteriori nulla dubitatio est, quin purus homo peccator pro suo mortali peccato possit imperfectam aliquam exhibere Deo satisfactionem, totiesque exhibeat reipsa, quoties & auxilio diuinæ gratiæ preuenientis & adiuuantis concipit de peccato isto dolorem, aut alios verę virtutis actus exercet: qui omnes cum aliquo modo

cedant in honorem Dei, ſicut ſingulis honorem ipſi exhibet, ita ſingulis imperfectè ſaltem eidem ipſi ſatisfacit pro inhonoratione illa qua peccando ipſum inhonorauit.

Quæſtionis autem propoſitæ negatiua pars
I. quæ vera eſt, communiter à Theologis defenditur, nominatim à Bonauent. Capreolo, Richardo, Gabri. Almai. Ferrar. Caietano, Soto, Ioan. Medina, & Andrea de Vega, quos citant & ſequuntur ad citatum articulum 2. Suarez, Vaſquez, à Valentia, aliique recentiores. Sed cùm partis iſtius negatiuæ veritas multis infirmis rationibus à variis probari ſoleat, duas ſolùm omnium præcipuas hac diſputatione ob eam cauſam referam, & refutabo, quòd ex earum refutatione plurima percipi poſſit vtilitas.

Prima eſt, ideo purum hominem non poſſe plenè ſatisfacere pro ſuo mortali peccato, quia ſatisfactio cuiuſuis puræ creaturæ eſt finitæ dignitatis, bonitatis, & valoris: quodlibet autem mortale peccatum eſt actu infinitum: finiti autem ad infinitum nulla eſt pro-
II. portio, multóque minus æqualitas. Et quidem B quòd illa ſit finitæ bonitatis, dignitatis, & valoris, nulli dubium eſt, cùm ſatisfactio bonitatem ſuam, dignitatem, ac valorem accipiat ex perſona ſatisfaciente, pura autem creatura ſatisfaciens nec infinita ſit, nec in ſe quidquam habeat infinitum, ex quo procedens ab ipſa ſatisfactio haurire poſſit infinitam bonitatem, dignitatem, ac valorem.

Quòd autem mortale peccatum ſit actu infinitum, multis probatur modis. Primo, quia contra Deum eſt, qui eſt actu infinitus.

Secundo, quia tanta eſt mortalis peccati malitia, quanta eſt offenſæ grauitas qua Deus per peccatum illud offenditur, iſta autem grauitas eſt actu infinita, quia eò grauior eſt offenſa quò dignior eſt perſona quæ offenditur: vnde cùm Dei
III. qui per mortale peccatum offenditur dignitas ſit C actu infinita, neceſſarium eſt offenſam hanc eſſe actu infinitam.

Tertio, quia per peccatum mortale paſſio infertur in Deum, quantum inferri à creatura poteſt, & eo modo quo paſſionis Deus capax eſt, eoque ipſo infertur, quo fit aliquid quod ſimpliciter contra voluntatem eius eſt: ex paſsione autem infinitæ actu perſonæ patientis tam neceſſariò deriuatur infinita actu malitia in actionem malam per quam infertur, quàm in actionem bonam infinita actu bonitas & dignitas, ex infinita actu dignitate perſonæ agentis: tum quia nulla quoad hoc afferri poteſt inter vtrumque diſparitatis ratio: tum quia ſicut habet ſe actio ad agens, ita paſsio ad patiens.

Quarto, quia quodlibet mortale peccatum
IV. dignum eſt æterna pœna, ergo infinita: ergo D infinitam actu habet malitiam: finitam enim ſi haberet, non niſi finita pœna dignum eſſe poſſet.

Quinto, quia tanta eſt peccati malitia, quantum hæc Deo diſplicet: non enim ei plus quàm par ſit diſplicet: atqui diſplicet infinitè: tantùm enim diſplicet, quantùm ei ſua ipſius increata bonitas placet: hæc autem ei placet infinitè: quòd autem illa ei tantùm diſpliceat, quantum hæc bonitas placet, hinc patet, quòd illa bonitati iſti opponitur: quantum autem vnum oppoſitorum placet, tantum alterum diſplicet.

Sexto, quia mortale peccatum priuat nos Deo, tantum autem eſt malitiæ in priuatione, quantum bonitatis in re qua priuat: at in A Deo eſt actu infinita bonitas: ergo & in mor- V.
tali peccato infinita actu malitia.

Septimo, quia tanto maior eſt peccati malitia, quanto eſt maius malum quod peccando in aliquem infertur: at quiſquis peccat mortaliter, quantum in ipſo eſt, infert malum infinitum Deo, quia per mortale peccatum conſtituitur finis vltimus in creatura, ſicque ratio finis vltimi, quæ eſt perfectio actu infinita, Deo eripitur, cui proinde æquale malum infertur, dum hæc ipſi perfectio eripitur.

Poſtremo, quia cùm mortale peccatum non ſit committendum pro re vlla mundi huius, imò pro omnibus ſimul ſumptis etiam poſsibilibus, eſt ſuper omne quod non eſt Deus, cùm ſit ſupra res omnes creatas poſſibiles etiam collectiuè ſumptas, quandoquidem pro iis omnibus ſic ſumptis non eſt com- VI.
mittendum: quod autem ſupra res iſtas omnes eſt, actu infinitum eſt, cùm ſit ſupra id quod nullam dicit finitam limitatámque perfectionem, cuiuſmodi ſunt omnes creaturæ poſsibiles ſimul ſumptæ. Quæ poſtrema ratio ex Diuo Anſelmo lib. 1. *Cur Deus homo.* capit. 21. deſumpta eſt. Quæ ego argumenta omnia, pro aſtruenda cuiuſlibet peccati mortalis infinita actu malitia, non congeſsiſſem in hunc locum, niſi viderem aliquos etiam hoc tempore Theologos magnam in iis quæ infirmiora ſunt vim facere, cùm vel nulla meo iudicio, vel exigua ſit.

SECTIO II.

Relata ratio refellitur. VII.

REFELLEMVS hanc rationem efficaciter oſtendentes falſum eſſe, quodlibet mortale peccatum habere malitiam actu infinitam. Et ſanè cùm peccatum illud ſit aut originale, aut actuale, hoc autem ſit vel commiſsionis, vel omiſsionis, nullum autem ex iis malitiam habeat actu infinitam, falſum id eſſe quod iam monui, plane ſequitur.

Et quidem cùm actuale peccatum omiſsionis ex Theologorum communi veráque ſententia poſitum ſit eſſentialiter in priuatione actus debiti, hic autem actus ſit finitus tantùm, finitæque ſolummodo ſicut entitatis, ſic bonitatis, ſiue phyſicæ, ſiue moralis, pec- VIII.
catum illud eſſe non poteſt infinitum: quia priuatio formæ non poteſt plus habere malitiæ, quàm ſit bonitatis in forma qua priuat, cùm ex eo ſolo capite malitiam habeat, quòd priuet bonitate formæ, imò malitia eius in bonitatis iſtius priuatione formaliter poſita ſit. Peccatum verò actuale commiſsionis, cùm ex communi Sanctorum Patrum, Diui Thomæ, Theologorúmque doctrina, à nobis tradita, & probata in Tractatu de peccatis diſputatione prima, conſiſtat eſſentialiter in priuatione rectitudinis alicuius ſeu honeſtatis

moralis, quæ vel alicui actui nostro vel potentiæ deberet inesse, hæc autem rectitudo seu honestas debita sit haud dubiè finita, sequitur peccatum illud esse finitum tantum, cùm priuatio formæ finitæ infinita esse nequeat.

Quòd si quis cum Caietano sentiat formalem peccati commissionis rationem esse ipsam realem entitatem actus positiui qui peccatum dicitur: aut cum Gabriele Vasquez dicat eam sitam esse in positiua, non reali, sed rationis relatione disconuenientiæ seu difformitatis cum natura rationali vt rationalis est, sicut huic opposita moralis bonitas ex eodem authore sita est in positiua, non reali, sed rationis relatione conuenientiæ, seu conformitatis cum eadem natura rationali vt rationalis est, non propterea poterit ostendi peccati illius malitiam esse actu infinitam. Imo cùm entitas actus qui peccatum dicitur, sit simpliciciter finita, nec ab vlla pura creatura produci possit aliqua realis entitas actu infinitè, peccatum de quo loquimur non poterit esse actu infinitum, si formalis ipsius ratio sit realis entitas actus positiui qui peccatum dicitur.

Deinde cùm prædicta disconuenientiæ ratio seu relatio eo ipso quo eiusmodi relatio est, non sit actu infinita, alioqui veniale peccatum commissionis foret quoque malitiæ actu infinitæ, nam ex eadem sententia in illa disconuenientiæ relatione positum quoque essentialiter est: nec eo ipso quo grauis est, & magna hæc disconuenientia, infinita actu sit, quia grauis, imo grauissima esse potest, & simul actu finita: sicut & huic opposita cum natura rationali conuenientia potest esse maxima, & finita simul: nec denique eo ipso quo formaliter est mortalis, seu mortem animæ generat, nempe priuationem gratiæ sanctificantis, quæ gratia animæ vera vita est, infinita actu sit, quia potest hæc supernaturalis animæ vita formalem habere repugnantiam cum peccati graui malitia, licet finita, sicut & naturalis vita nostri corporis plerunque repugnantiam habet naturalem cum graui aliqua ægritudine, & tamen finita. Cùm hæc, inquam, ita sint, sequitur ex nullo capite mortale peccatum commissionis dici posse infinitæ actu malitiæ, etiamsi formalis eius ratio in positiua disconuenientiæ relatione sita esse dicatur.

Supereſt vt ostendamus originale peccatum non habere malitiam actu infinitam: facile autem est nobis illud ostendere, præsupposita doctrina quam in Tractatu de Peccatis disputat. 13. sect. 6. tradidimus, quâque probauimus ipsum formaliter esse positum in priuatione gratiæ sanctificantis nobis ab ortu inesse debitæ: quam cùm certum sit finitam esse, tam secundùm essentiam, quàm gradus intensionis, finitæque proinde bonitatis & perfectionis, neque enim infinitè intensam habere debuimus: certum ex consequenti debet esse, peccatum in eius priuatione formaliter consistens finitum esse, finitæque malitiæ, cùm, vt antè dixi, priuatio ciusque malitia maior esse non possit forma, & bonitate formæ qua priuat.

At dicet hic fortè quispiam, peccatum originale, si reipsa non fuit actu infinitum, potuisse saltem esse, quia potuit Deus velle nobis in ortu nostro dare gratiam infinitè actu intensam, & ad eam habendam nos obligare, sicut dare voluit aliquam certæ cuiusdam & determinatæ intensionis, & ad eam habendam nos obligauit. Imo potuit velle dare nobis gratiam vnionis cum diuina persona hypostaticæ, sanctitatémque ex ea necessariò promanantem, quæ actu infinita est, & ad ipsam habendam obligare nos: quo casu, si cum huius aut illius infinitæ gratiæ nobis ab ortu inesse debitæ carentia nasceremur, contraheremus originale peccatum actu infinitum, vtpote consistens in priuatione gratiæ siue sanctitatis actu infinitæ debitæ, cuius proinde esset infinita actu malitia, sicut & esset infinita formæ bonitas qua priuaret.

Verùm in primis nego potuisse esse actu infinitam, cuius rei ratio petenda est ex tradita doctrina citatæ disputationis sectione septima, qua dixi peccatum originis nec fuisse, nec potuisse esse positum in priuatione gratiæ sanctificantis debitæ tantæ vel tantæ, huius determinatè, vel illius, aut specie, aut numero, sed præcisè in sola priuatione gratiæ sanctificantis secundùm essentiam vagè spectatæ, prout est essentialiter gratia sanctificans, secundùm quam actu finita est, aut saltem actu infinita non est: alioquin omnis gratia quæ esset essentialiter gratia sanctificans, esset secundùm essentiam actu infinita, quod apertè falsum est.

Quòd si ita est, consequens est, peccatum originis non posse esse situm formaliter in priuatione gratiæ sanctificantis intensionem actu infinitam habentis, etsi supponeretur hæc intensio reipsa possibilis: aut in priuatione vnionis hypostaticæ, sanctitatisque actu infinitæ quam necessariò communicat naturæ creatæ sic vnitæ cum Deo: alioqui situm esse posset in priuatione gratiæ sanctificantis debitæ tantæ, vel tantæ, huius etiam aut illius determinatè, siue specificæ, siue numericæ, quod tamen fieri non potest, vt dixi: & ratio a priori est, quòd peccatum originis sit essentialiter aliud nihil quàm mors animæ vitam habere debentis, vt ibidem probatum est: vitam autem habeat eo ipso formaliter, quo sanctificantem gratiam habet, siue creatam, siue increatam, siue hanc illámve specie aut numero, siue aliam, siue multùm intensam, siue parum: nam quælibet huiusmodi forma animam afficiens est vera eius vita: mortua autem è contrario sit, non eo ipso quo hac vel illa, siue specie, siue numero gratia sanctificante priuata est, tantâve eius intensione, vel tanta: nam si aliam habeat quantumlibet remissam, viuit formaliter, sed eo ipso præcisè quo nihil habet essentiæ gratiæ sanctificantis, seu quo priuata est eius essentia: vnde fit vt peccatum originis, quod est essentialiter animæ mors, situm esse non possit in priuatione huius determinatè vel illius gratiæ, tantæ vel tantæ, sed in sola præcisè priuatione essentiæ gratiæ sanctificantis,

quæ nobis deberet ineſſe.

Cuius etiam rei hæc à poſteriori ratio ibidem allata eſt, quòd ſi peccatum originis conſiſtere poſſet eſſentialiter in priuatione huius aut illius gratiæ determinatè, tantæ etiam aut tantæ intenſionis, conſequens neceſſariò eſſet,
I. poſſe mortale peccatum ſimul conſiſtere cum gratia, imò mortem animæ ſimul cum eiuſdem animæ vita: peccatum enim originale mortale peccatum eſt, imò ipſa formaliter animæ mors: tam facilè autem cum gratia ſanctificante, quæ eſt vera animæ vita, conſiſteret, quàm facilè ſimul in eadem anima eſſe poſſunt hæc aut ſpecie aut numero gratia ſanctificans, ſimúlque priuatio alterius aut numero aut ſpecie gratiæ ſanctificantis: aut gratia ſanctificans habens intenſionem gradus vnius, ſimúlque priuatio duorum plurimúmve graduum eiuſdem gratiæ: quæ priuatio peccatum originis eſſe poſſet, ſi hoc conſiſtere poſſet in priuatione huius aut illius determinatè gratiæ ſanctificantis ſiue ſpecificæ, ſiue numericæ, vel gratiæ
II. duorum aut plurium graduum intenſionem habentis.

Reſpondeo deinde, quòd etſi peccatum aliquod mortale, ſiue originale, ſiue actuale, infinitam actu malitiam habere poſſet, puræ autem creaturæ nulla ſatisfactio aliam poſſit habere bonitatem, dignitatémque, quàm finitam, cuinci vt ſummum poſſet ex illa prima ratione quam impugnamus, non poſſe puram creaturam perfectè pro huiuſmodi peccato ſatisfacere: non euincere-tur autem non poſſe pro quocunque ſuo mortali peccato ſic ſatisfacere, cùm non quodlibet eius mortale peccatum ſit infinitæ actu malitiæ, vt oſtendimus: quod tamen ſi fieri poteſt, euincendum eſt, quia eſt hæc, vt dixi, vera communiſque Theologorum do-
III. ctrina, non poſſe puram creaturam pro vllo ſuo mortali peccato perfectè Deo ſatisfacere: quod firma aliqua ratione probare & euincere enitendum eſt.

SECTIO III.

Reſpondetur argumentis prima ſectione relatis, quibus infinita actu malitia peccati mortalis aſtruitur.

AD primum reſpondeo, ſi quid valeret, probaturum quoque veniale peccatum eſſe infinitæ actu malitiæ, cùm ſit etiam contra Deum, quia quodlibet peccatum ſicut aliqua Dei offenſa eſt, ita etiam contra ipſum eſt: imò ſatisfactionem noſtram dum per actum
IV. perfectæ contritionis de peccato dolemus, & quemlibet alium Theologicæ virtutis actum habere bonitatem actu infinitam, quia circa Deum eſt qui eſt actu infinitus, tanquam circa obiectum, à quo ſpeciem ſuam & perfectionem accipit. Sicut ergo ex Deo, licet ſit actu infinitus, non deriuatur in hos actus infinita actu bonitas & perfectio, ſed finita ſimpliciter, ad ſummum autem ſecundùm quid infinita: ita in mortale peccatum deriuari non poteſt malitia actu infinita, ex eo præcisè quòd contra Deum eſt, qui eſt actu infinitus, ſed tantùm finita ſimpliciter, ad ſummum autem ſecundùm quid infinita.

Ad ſecundum dico, cùm offenſæ ratio ſit à parte rei eadem cum formali ratione peccati, aut licet ab hac illa diſtinguatur, vnius tamen grauitas pari proportione creſcat, aut decreſcat, qua A grauitas alterius, vt inductione per peccata omnia certiſſimum eſt, nos autem oſtenderimus peccati mortalis malitiam actu finitam eſſe, ſequitur & offenſæ rationem in peccato mortali incluſam eſſe quoque finitam. Imò cùm ſuppoſita iſta huius ab illa diſtinctione, prior ordine naturæ ſeu rationis ſit formalis peccati ſeu malitiæ ratio, quàm offenſæ: non enim ideo peccatum eſt formaliter, quia offenſa eſt, ſed è contrario ideo offenſa eſt, quia peccatum formaliter eſt: nam ideo Deus offenditur, & offenſum ſe putat, quia formaliter peccatur, non è contrario ideo formaliter peccatur, quia ſe putat offenſum, & offenditur: ſequitur, in omni peccato formalem malitiæ quantitatem B grauitatémque, eſſe prædicto ordine quantitate offenſæ & grauitate priorem: nec proinde poſſe, niſi præpoſterè & peruersè, quod ab aliquibus recentioribus fit, ex huius grauitate & quantitate, illius grauitatem & quantitatem, tanquam ex cauſa & à priori æſtimari: ſed è contrario ſemper ex illius quantitate & grauitate, quantitatem huius & grauitatem ſic eſſe metiendam: ex quo tandem concluditur nunquam eſſe aſſerendam offenſæ grauitatem infinitam, niſi prius aliquo aliunde argumento conſtet infinita peccati ſeu malitiæ grauitas.

V.

VI.

Nec refert, quòd eo grauior ſit offenſa, quo dignior eſt perſona quæ offenditur, Deus autem infinitam actu dignitatem habeat: in primis enim hinc pari iure liceret concludere, quodlibet veniale peccatum eſſe offenſam actu
VII. C infinitam, cùm ſit vera & propria offenſa Dei. Deinde claram Dei viſionem, actum charitatis, & quemcunque Theologicæ virtutis, eſſe infinitæ actu perfectionis: ſicut enim creſcit offenſa ex dignitate perſonæ quæ offenditur, & quo dignior eſt perſona, eo grauior eſt offenſa, ita creſcit actus perfectio ex obiecti dignitate, & quo dignius eſt obiectum, eo perfectior eſt actus quo attingitur vnde ſi rectè concluditur, offenſam commiſſam contra Deum eſſe actu infinitam, quia Deus offenſus, eſt actu infinitus, pari iure rectè concludetur, quemlibet ex prædictis actibus eſſe actu infinitum, quia eſt circa Deum obiectum actu infinitum. Quare quam ob cauſam non licet hoc de actibus iſtis concludere, ob eandem non licet quo-
VIII. que illud infinitum offenſæ incrementum ar- D guere ex infinita perſonæ offenſæ dignitate.

Ad tertium reſpondeo primò, eo æquè efficaciter probari cuiuſcunque peccati venialis malitiam eſſe actu infinitam, cùm ſicut per quodcunque mortale peccatum paſſio infertur in Deum, ita pari modo inferatur per quodcunq. veniale: quia quodcunq. veniale tam vere, propriè, ſimplicitérque contra voluntatem eius eſt, quàm verè, propriè, ſimpliciterque contra præceptum eiuſdem eſt. Nec dicas non eſſe contra voluntatem eius vt finis vltimi: hoc enim dicere nihil

aliud est, quam dicere, non ita grauiter contra voluntatem eius esse, vt propterea dissoluat omnem cum creatura peccante amicitiam : quod non impedit quo minus adhuc verè, propriè, simplicitérque sit sicut contra eius præceptum,
I. sic contra eiusdem voluntatem : quasi vero peccata filiorum non sint verè proprie ac simpliciter contra parentum voluntatem, nisi tam grauiter parentes offendant, vt ab his illi exhæredari mereantur : aut præcepta parentum filiis præcipientium non sint verè, propriè, simplicitérque præcepta, nisi sub pœna exhæredationis eos obligent.

Respondeo deinde, eodem argumento concludi, & nullam vel leuissimam potuisse inferri passionem in humanitatem Christi, nisi cum peccato non modo mortali, sed etiam infinitæ actu malitiæ, ex illa passione deriuatæ in actionem per quam illata fuisset : & nullum exerceri vel leuissimum virtutis opus ab homine saltem iusto, quod non sit infinitæ actu bonitatis, consequentérque valoris & meriti actu infiniti.
II. Primum quidem illud concluditur, quia passio illa erat passio personæ infinitæ actu dignitatis patientis, sicut & actio ab eadem humanitate proxime & immediatè elicita erat actio personæ infinitæ actu dignitatis agentis. Istud quoque secundum, quia sicut per mortale peccatum passio infertur in Deum ipsi ingrata & iniuriosa, eo quod fit contra voluntatem eius simpliciter : ita vir iustus per quodlibet veræ virtutis opus infert passionem in Deum gratam ipsi & honorificam, eo quod quodlibet huiuscemodi opus secundùm voluntatem eius simpliciter est. Vnde si ex passione priore deriuatur in actionem malam per quam infertur infinita actu malitia, ex posteriore non poterit non deriuari in actionem bonam infinita actu bonitas.

III. Respondeo denique tantum abesse, vt argumento illo rectè concludatur cuiuslibet peccati mortalis esse infinitam actu malitiam, vt concludatur potius nullam prorsus esse, cùm per mortale peccatum nulla verè, proprie & realiter passio inferatur in Deum : vnde si peccati malitia non aliunde quam ab ista passione desumitur, nulla reipsa est, sicut & nulla reipsa Dei passio. Quemadmodum si personæ agentis nulla esset verè, proprie & à parte rei dignitas, sed infinita tantùm apparens & adumbrata, tantum abesset, vt ex infinita eius dignitate concludi posset bonæ actionis quam exerceret infinita actu bonitas, vt nulla potius concluderetur, & nulla reipsa foret, si non aliunde quàm ex illa infinita personæ agentis dignitate bonitatem haberet. Quare manifesta
IV. est disparitatis ratio, ob quam in actionem bonam personæ infinitæ dignitatis agentis deriuatur infinita actu bonitas, cùm nec infinita, nec vlla malitia deriuetur in actionem malam ex passione Dei personæ infinitæ patientis : quòd illius personæ sit vera, propria, & realis actio, sítque eadem illa persona verè, propriè, & realiter agens : huius verò personæ nulla sit vera, propria, & realis passio, neque hæc proinde persona sit verè, propriè, & realiter patiens. Quamobrem quod in argumento nobis obiecto ad extremum dicitur, ita se habere passionem ad patiens sicut habet se actio ad agens : verum, vt summum est, quando sicut est vera, propria, & realis agentis actio, ita & vera, propria, ac realis patientis passio est.

A Ad quartum dico, peccato mortali deberi quidem pœnam seu damni, seu sensus infinitam secundùm durationem, at non secundùm intensionem, sed finitam tantummodo : nam & pœna damni finita est, vtpote consistens in priuatione visionis Dei, quæ visio finita est: & pœna sensus, cùm sit aliqua vitalis operatio creaturæ quæ punitur, finita quoque est, sicut & quæuis alia finitæ creaturæ operatio. Ex quo colligi solum potest, mortale peccatum esse infinitum secundùm durationem : quod verum est : durat enim in perpetuum, propterea que dignum est quod in perpetuum puniatur : quia quandiu manet peccatum, tandiu facit hominem dignum pœna, & proinde tandiu iustè à Deo punitur. At tantum abest, vt colligi possit esse infinitum secundùm malitiæ quantitatem & grauitatem, vt è contra- V.
B rio rectè colligatur secundùm eam esse actu finitum : si enim secundùm eam infinitum esset, dignum esset puniri pœna secundùm intensionem infinita durante per totam æternitatem. Et sanè si ex eo quòd mortale peccatum dignum est æterna pœna puniri, & punitur in inferno, rectè concludi posset ipsum esse malitiæ actu infinitæ, idem liceret concludere de veniali, cùm in hac vita non remissum, & existens in homine moriente extra statum gratiæ sit quoque dignum in æternum puniri, reipsaque in inferno puniatur.

Ad quintum, nego mortale peccatum displicere Deo infinitè, si sermo sit, vt est, de displicentia ex parte obiecti, non ex parte Dei, seu actus increati, qui est ipsa Dei de peccato displicentia, qua ex parte displicen- VI.
C tia hæc infinita actu est, sicut & quælibet quam habet cuiusuis etiam minimi mali displicentia : sicut & è contrario cuiusuis boni complacentia quam habet est actu infinita : qua proinde ex parte mala omnia licet maxime inæqualia æqualiter ei displicent, & bona omnia placent æqualiter : nec mirum, cùm illa siue complacentia, siue displicentia sit ipse reipsa increatus & infinitus Dei actus quo se vult & amat, qui vnicus & simplicissimus est : quo non obstante sicut ex bonis aliqua plus ex parte obiecti seu bonorum ipsorum ei placere dicuntur, quam quædam alia, ita ex malis aliqua plus ex parte obiecti, seu malorum ipsorum ei displicere, quam alia : qua ex parte dum nego peccatum mortale ipsi infinitè displicere, nego consequen- VII.
D ter tantum displicere, quantum placet sua ipsius increata bonitas, quæ reuera etiam ex parte obiecti placet infinitè, cùm in se sit actu infinita.

Nec refert, quòd quantum vnum oppositorum placet, tantum displiceat alterum : etsi enim hoc absolutè verum esset, nullam tamen contra nos vim haberet, cùm mortale peccatum non sit proprie oppositum vllo oppositionis genere increatæ Dei bonitati, sed proprie opponatur formæ, cuius essentialiter priuatio est,

quæ non est increata Dei bonitas: gratiæ item sanctificanti & charitati, quando mortale est, cùm hanc ab eodem subiecto expellat, in quo recipitur: quorum sicut nullum infinitam actu bonitatem habet, ita nullum ex parte obiecti Deo placet infinitè.

I. Deinde verum illud non est, nisi dum vni oppositorum tanta inest ratio mali, quanta boni ratio inest opposito alteri: vnde cùm vtrique nō nisi ratio boni ineſt, vt dum vtrumque reale est, vtrumque Deo placet, & tantum, quantum haber bonitatis: aut dum vni plus inest mali, quam boni alteri, aut è contrario minùs mali vni, quam alteri boni, Deo plus vnum oppositorum displicet, aut minùs, quàm placeat alterum: tum autem solùm vni ex oppositis tantum necessariò inest mali, quantum alteri boni, quando vnum alterius negatio seu priuatio est: quia cùm negatio seu priuatio neget & excludat totam bonitatem formæ cuius priuatio seu negatio est, huiusque priuationis malitia non sit alia, quàm ipsa exclusio

II. illius bonitatis, tantam necessariò habet malitiam, quantam illa forma bonitatem. Ex quo sequitur, id quod tantum Deo displicet, quantum placet ipsi sua increata bonitas, esse ipsam bonitatis huius negationem, non verò mortale peccatum, quod in hac negatione positum non est.

Hinc facilis est ad sextum responsio, ad quod dicendum est, mortale peccatum priuare nos Deo tanquam fine, & obiecto, cui coniungebamur, aut coniungendi eramus mediante aliqua forma, vt charitate & gratia: non priuare autem Deo tanquam forma opposita: quemadmodum cæcitas priuat eum qui cæcus est colore tanquam obiecto, cum quo coniungebatur antea, aut coniungi poterat mediante forma aliqua, nempe videndi facultate, & visione, non vero priuat eodem colore tanquam

III. opposita forma, sed sola ista videndi facultate. Etsi autem priuationis quantitas ex eo quo priuat tanquam forma opposita petenda sit, non tamen ex eo quo priuat tanquam fine, aut obiecto. Vnde etsi Deus infinitam habeat bonitatem, non propterea tamen mortale peccatum priuans ipso tanquam fine, & obiecto, infinitam habebit malitiam, & tantam, quanta est Dei bonitas: quemadmodum si color infinitam haberet bonitatem & perfectionem in ratione coloris, non tamen cæcitas tantam haberet malitiam, aut aliam, quam nunc habet, quia ipso priuaret tantùm tanquam obiecto, sola autem videndi facultate tanquam forma opposita.

IV. Ad septimum dico, eo potiùs probari peccatum nullam habere malitiam, quàm habere infinitam, quia tantum abest, vt qui peccat etiam mortaliter, malum infinitum Deo inferat, vt reipsa nullum inferat, aut possit inferre, iuxta illud Iob 35. *Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Nec refert quòd peccando mortaliter finem suum vltimum in creatura constituat: non enim propterea Deo diuinitatem eripit, ipsámque proinde increatam & infinitam Dei bonitatem, à diuinitate minimè distinctam, ratione cuius ei conuenit esse finem vltimum rerum omnium, in quem omnes creaturæ se suaque omnia referre debeant: sed tantùm se suaque refert in creaturam, tanquam in vltimum finem, cùm hoc non facere deberet: ex quo tamen eius facto nullum in Deum infertur malum, aut incommodum, cùm sit incapax à creaturis accipiendi commodi vllius, aut incommodi. V.

Adde quòd etsi quis expressè supponeretur directè volens inferre, quantum potest, malum infinitum in Deum, vt ipsum destruere, sicque non esse Dei quodammodo ei inferre, non propterea contraheret infinitam peccati malitiam: sicut ex opposito qui vult Deo per actum perfectæ dilectionis ipsum esse Dei, & per consequens bonum actu infinitum, non propterea exercet actum habentem infinitam actu bonitatem: illud enim infinitum siue bonum siue malum, est tantummodo obiectum actus boni vel mali quo illud Deo appetitur, ab obiecto autem actu infinito non deriuatur in actus creaturæ infinitas simpliciter, sed vt summum secundùm quid, vt ex paulò antè dictis constat. VI.

Ad vltimum ex D. Anselmo petitum rectè respondet Vasquez disput. 2. cap. 2. ex eo quòd pro nulla re mundi, vel pro omnibus etiam collectiuè sumptis non sit mortale peccatum committendum, non posse rectè colligi, ipsum esse supra omne id quod non est Deus, aut habere malitiam actu infinitam. Primò, quia idem alioqui de peccato veniali colligeretur, cùm neque pro omnibus simul acceptis mundi rebus sit admittendum. Secundo, quia neque pro vnione hypostatica, & ipsa diuinitate per hanc vnionem habenda peccatum vllum aut mortale aut veniale committendum esset: neque item

C pro virtutum actibus in ipsa natura Deo hypostaticè vnita habendis, seu exercendis: nec tamen hinc sequitur, plus ineſſe malitiæ peccato siue veniali, siue mortali, quàm bonitatis, dignitatis & valoris sit in vnione illa, & diuinitatis per hanc vnionem possessione, aut in opere virtutis, elicito à natura hypostaticè Deo vnita; cùm è contrario vnico isti operi, etiam ex Diui Anselmi sententia, vt suo loco ostendemus, plus insit bonitatis, dignitatis, & valoris ad satisfaciendum, & merendum, quam in omnibus omnium hominum peccatis sit malitiæ, indignitatis, ac demeriti. Quare cùm verè dicimus, non esse peccatum vllum committendum pro quacunque re mundi, aut

D pro omnibus possibilibus simul sumptis, non ideo significamus, plus ineſſe malitiæ cuilibet peccato, quàm bonitatis cuicunque rei pro qua committendum non est: sed hoc solùm significamus, nimirum non esse iuxta, imo esse contra regulam & ordinem rectæ rationis, eligere peccatum ad quamcunque rem obtinendam, etiam ipsam vnionem hypostaticam, & diuinitatem vnitam hypostaticè, opusque virtutis in natura sic vnita: quia quamuis ista longè plus habeant bonitatis, ac valoris, quàm quodcunque pec- VII. VIII.

catum malitiæ, & indignitatis, contra tamen ordinem regulamque rationis peccatum aliquod etiam leuissimum ordinaretur veluti medium, ad tale tantúmque bonum, tanquam finem consequendum.

SECTIO IV.

Refertur altera ratio qua eiusdem negatiuæ partis veritas à multis hodie defenditur.

I. DESVMITVR hæc secunda ratio ex infinita Dei offensi dignitate, & infinita creaturæ offendentis vilitate: quælibet enim creatura quantumlibet in se perfecta comparata cum Deo infinitè vilis est, cùm Deus illa sit infinite dignior & perfectior, hæcque ab ista infinita Dei dignitate & perfectione distet infinitè: sic autem hinc desumitur. Etsi mortale peccatum à creatura contra Deum commissum finitam simpliciter malitiam habeat, duplicem tamen habet infinitatem secundùm quid. Vnam ex parte personæ offensæ petitam, nempe Dei, qui est II. actu infinitus: qua ex parte non potest non deriuari in offensam infinitas saltem secundùm quid, cùm eo grauior sit offensa, quò dignior est persona quæ offenditur, vt vel ex offensis in homines commissis certum est: ex quo fit necessariò, vt cùm persona quæ offenditur infinitam actu dignitatem habet, offensa contra eam commissa infinitè grauior esse debeat offensa facta contra personam finitæ dignitatis, infinitè inquam, si non actu, saltem secundùm quid. Alteram ex parte creaturæ offendentis, quæ comparata cum Deo quem offendit, est infinite vilis: quo rursus ex capite non potest non deriuari in offensam infinitas saltem secundùm quid, cùm non tantùm eo grauior sit offensa quo est dignior persona quæ offenditur, sed III. etiam quo est vilior persona quæ offendit.

Atque vt faciliùs hæc offensæ infinitas secundùm quid ex posteriori capite petita distinguatur ab ea quæ ex priori petitur, concipiamus personam aliquam infinitæ dignitatis, imò tantæ, quantæ est Deus, Deum offendere, quod fieret, si persona vna diuina alteram offenderet: offensa hæc ex parte personæ offensæ infinitam saltem secundùm quid grauitatem haberet, ex parte tamen personæ offendentis minimè, propter æqualem eius cum offensa personam dignitatem.

Iam verò cùm quodlibet mortale peccatum duplicem illam infinitatem habeat ex duplici illo capite, vt puræ creaturæ pro suo mortali peccato satisfactio perfecta seu æqualis esse posset, oporteret eius satisfactionem habere bonitatis & dignitatis quandam infinitatem secundùm quid, & quidem duplicem: vnam ex parte personæ cui satisfit, alteram ex parte personæ satisfacientis desumptam: neutram autem habere potest: non quidem priorem, licet enim persona cui satisfit sit actu infinita, nempe Deus, ex eo tamen, vt habet rationem personæ cui satisfit, non potest deriuari in actum quo satisfit infinita secundùm quid bonitas, aut dignitas, imò nulla hinc in eum deriuari potest: ex persona enim cui satisfit, non potest in satisfactione deriuari vlla dignitas vllus valor: nam siue satisfiat regi, siue duci, siue nobili, nulla ex istarum personarum dignitate deriuatur dignitas in actum quo satisfit: & si posset aliqua deriuari, certe ex digniori persona deriuaretur maior, eóque maior quo est illa dignior, cùm tamen certissimum sit, si eadem satisfactio tribus illis personis exhibeatur, eam quæ digniori exhibebitur, non eo fore maiorem, quò dignior aliis erit persona cui exhibebitur. A V.

Nec refert, quòd actus quo satisfit, sit actus charitatis, aut alterius Theologicæ virtutis, habeatque proinde Deum pro obiecto, ex quo dum est actu infinitum, redundat in actum infinita secundùm quid dignitas. Nihil, inquam, hoc refert: nam hinc solùm habetur, actum satisfactorium ex Deo tanquam obiecto posse desumere quandam secundùm quid infinitatem, quando ex natura sua Deum pro obiecto habet: at non habetur, posse desumere eiusmodi infinitatem ex ipso tanquam ex persona cui satisfit, quod tamen esset necessarium, vt satisfactio infinitate sua exæquaret infinitatem quæ in offensa est, quæ non est tantummodo infinita B VI. secundùm quid ex Deo tanquam ex obiecto, quando ipsum pro obiecto habet, vt cùm per odium Dei peccatur, quod genus infinitatis pauca habent peccata, quia pauca sunt quæ versantur circa ipsum tanquam obiectum: sed etiam infinita præterea est ex ipso tanquam ex persona quæ offenditur, quod genus infinitatis in omni mortali peccato reperitur, quia quolibet eius persona offenditur.

Posteriorem etiam habere non potest: cùm enim satisfactionis valor & dignitas crescat ex dignitate personæ satisfacientis, & quo dignior est persona satisfaciens, eo maior sit ipsius satisfactio, vt vel ex ea constat quam hominum alij aliis exhibent: vt personæ Deo pro suo mortali peccato satisfacientis satisfactio infinitum C VII. secundùm quid valorem & dignitatem haberet, oporteret personam satisfacientem infinita actu dignitatem habere, nullam autem aliam habere potest pura creatura quàm actu finitam.

Adde quòd licet aliqua satisfactio puræ creaturæ posset ex dignitate satisfacientis accipere infinitam secundùm quid dignitatem, hæc tamen dignitas non exæquaret offensæ infinitam secundùm quid indignitatem, ex infinita creaturæ Deum offendentis vilitate deriuatam, proptereà quod hæc indignitas & grauitas esset altioris ordinis illa satisfactionis dignitate: vt vel hinc intelligitur, quòd pura creatura, quantacunque gratia, aliaue perfectione prædita, esset adhuc comparata cum Deo infinitè vilis, vtpote ab eius dignitate & perfectione distans infinitè, indigniúsq. est creaturam infinitè vilem, Deum IV. quodammodo infra se deprimere, séque supra D VIII. ipsum attollere, quod peccando facit, quàm sit decens illam suæ conditionis memorem se suo infra Deum loco tenere, quod tantùm facit, quando ipsi pro suo peccato satisfacit, quantumcunque perfecta satisfactione.

Additur postremò in rationis istius confirmationem ab iis qui ea tanquam firma vtuntur, cùm ex eodem capite, ex personæ scilicet offendentis vilitate, decrescat satisfactionis eius valor & dignitas, ex quo crescit offensæ grauitas,

quia quò vilior est persona satisfaciens eo minor est eius satisfactio, vt certum est ex ea quæ fit inter homines, quælibet autem pura creatura quantumuis perfecta cum Deo comparata sit infinitè vilis: impossibile esse vllam puræ creaturæ satisfactionem adæquare grauitatem offensæ contra Deum commissæ, & proinde esse condignam seu perfectam.

I.

SECTIO V.

Relata ratio duobus argumentis refellitur.

CONTRA hanc rationem primo intuitu tam speciosam, etsi nihil præter hoc vnum possemus opponere, nimirum si quid euincit, euincere quoque, nullam puram creaturam posse satisfacere perfectè seu condignè pro vllo suo peccato veniali, non dubitarem eam inefficacem esse. Id autem euincit, si quid euincit, quia peccatum veniale, sicut est verè & propriè peccatum, vtpote verè propriéque contra diuinam legem & voluntatem, ita est verè & propriè offensa qua Deus persona infinitæ dignitatis offenditur â creatura habente infinitam, si cum Deo comparetur, vilitatem. Quo ex duplici capite non potest non accipere duplicem suprà memoratam secundùm quid infinitatem, quam exæquare non poterit vlla puræ creaturæ satisfactio, quoniam ad eam exæquandam necessarium foret satisfactionem hanc habere duplicem secundùm quid valoris & dignitatis infinitatem, deriuatam ex iisdem capitibus, ex quibus offensa venialis accipit duplicem suam grauitatis & indignitatis secundùm quid infinitatem: neutram autem habere potest, vt euincunt causę in serie rationis illius allatæ, si quid euincunt.

II.

Nec dicat hic quispiam, peccatum veniale non esse perfectè simpliciterque peccatum, sed imperfectè tantùm, & secundùm quid, offensamque proinde ipsi necessario coniunctam esse imperfectè tantummodo & secundùm quid offensam: solum mortale peccatum esse perfectè peccatum, & simpliciter: quocunque enim modo sit peccatum & offensa, semper est peccatum & offensa per quam creatura infinitè vilis Deum personam infinitę dignitatis offendit: ex quo deriuatur in illam necessariò duplex grauitatis & indignitatis infinitas secundùm quid, quam pura creatura nulla sua satisfactione potest exæquare, vt ratione illa rectè concluditur, si quid rectè concluditur.

III.

Nec rursum dicat, peccatum veniale non tam esse contra Deum & voluntatem eius, quàm prętęr, nec proinde esse propriè offensam contra ipsum: reuera enim propriè est & peccatum & offensa contra ipsum, & voluntatem ipsius: tum quia omnis offensa contra eum est qui per illam offenditur, omni autem veniali peccato Deus offenditur: sicut enim quodlibet peccatum veniale, peccatum aliquod est, ita & aliqua offensa, qua quis offenditur si non Deus? iis prętęrtim peccatis quibus nulla offenditur creatura, cuiusmodi multa esse certum est: tum quia veniale peccatum tam verè propriéque non modò prętęr, sed etiam contra Deum, eiusque voluntatem est, quàm vere ac propriè non modò prętęr, sed etiam contra prętęptum eiusdem est:

IV.

tum denique quia tam verè & propriè contrà ipsum Deum, ipsiúsque voluntatem, ac prætęptum est, quàm verè, propriè, realiterque ab ipso punitur. Omitto ea quibus idem probaui sectione 3. in responsione ad tertium argumentum.

Sed prætęr illud vnum alia multa contra eandem rationem afferre possumus, quæ partim hac, partim sequenti sectione producemus, atque in primis hæc absurda duo ex ea consequentia. Primum, si conciperetur aliqua creatura plures & plures in infinitum actus satisfactorios, & quidem præstantissimos exercere, & offerre Deo in satisfactionem prò suo vnico mortali peccato, aut infinitam actu sanctificantem gratiam & charitatem habere, & ex ea elicere verum actum perfectæ charitatis & contritionis infinitè intensum, non fore tamen in hoc infinito actu, vel in illis omnibus pluribus ac pluribus in infinitum, tantum bonitatis & dignitatis, quantum est indignitatis & malitiæ in vnico peccato mortali. Imò si conciperentur reipsa producti omnes tam homines quàm Angeli possibiles, & singuli esse charitate prædìti, ex eaque exercere aliquos actus satisfactorios pro vnius vnico peccato mortali, non fore etiam in illis omnibus illorum omnium actibus tantum bonitatis & dignitatis, quantum est in illo malitiæ & indignitatis: haberet enim semper illud peccatum, & quodcunque aliud, duplicem malitiæ infinitatem secundùm quid, ex infinita personæ offendentis vilitate, & infinita offensæ personæ dignitate petitâ, quâ illi actus exæquare non possent: quia duplicem dignitatis & bonitatis secundùm quid infinitatem ex persona cui satisfieret, & ex ea quæ satisfaceret accipere non possent: non quidem ex priori illa persona, quia nulla satisfactio ex persona cui satisfit bonitatem & dignitatem accipit, vt suprà ostendimus: neque ex ista posteriore, quia quælibet creatura quantumlibet perfecta, imò possibiles omnes simul acceptæ quantumcunque perfectæ comparatæ cum Deo sunt infinitè viles: sunt enim adhuc nihilominus creaturæ creatam tantùm perfectionem habentes, ac proinde ab infinita & increata Dei perfectione adhuc infinitè distantes.

V. VI. VII. VIII.

Nec dicas satisfactionem hanc bonitate sua & dignitate non adæquaturam modò, sed etiam infinitè superaturam mortalis peccati malitiam, quæ simpliciter finita est, cùm tamen hæc creaturarum omnium possibilium satisfactio, aut ea quam creatura quæ offendisset pro suo peccatò offerret, actum charitatis infinitè intensum eliciens, esset infiniti actu valoris, ac dignitatis. Ne, inquam, id dicas: nam non obstante hac infinita actu satisfactionis bonitate ac dignitate, simpliciter tamen & absolutè non adæquaret hæc bonitas dignitásque illam peccati malitiam, quia malitia hæc esset illa bonitate ac dignitate superioris ordinis, ob eam causam quæ illa in ratione refertur: quia nimirum indignius esset creaturam infinitè vilem Deum quodammodò deprimere infra se, quod peccando facit, quàm sit honestum ac decens, ipsam, aut omnes etiam creaturas possibiles simul sumptas suæ conditionis memores suo se infra Deum loco tenere: quod tantùm faciunt, dum ipsi quan-

tumlibet multis & intensis actibus satisfactionem & honorem exhibent, quo, & adhuc infinitè maiori est dignissimus.

Secundum est, si conciperemus personam vnam diuinam peccare contra alteram, peccato finitam duntaxat habente malitiam, non posse tamen ei perfectè ac condigne satisfacere. Imò reipsa iam Christum Dominum pro peccatis hominum non satisfeciisse condignè perfectéque, nec potuisse satisfacere. In primis enim quam exhibuit Christus, & illa quam persona diuina alteri exhiberet satisfactio, nullum accepit, aut acciperet valorem ex persona offensa cui satisfactum est, aut satisfieret, cùm tamen offensa contra eam commissa ex hoc capite malitiam & indignitatem secundum quid infinitam acceperit, & acciperet.

I. A

Deinde etsi Christi satisfactio ex infinita personę satisfacientis dignitate infinitam actu bonitatem & dignitatem habuerit, similiterque habitura esset ea quam persona diuina satisfaciens alteri pro suo erga eam peccato exhiberet, illa tamen bonitas & dignitas malitiam peccati & indignitatem nunquam æquauerit, quia hęc semper erit superioris illa bonitate & dignitate ordinis, eo quòd sit indignius, aut infinitè vilem creaturam infra se Deum aliquo modo deprimere, quod peccando facit: aut personam vnam diuinam non superiorem altera alteram contra quam peccaret infra se etiam deprimere quodammodo, quod peccando faceret, quàm sit decens, aut ipsam, aut Christum suo se loco tenere: quod tantùm facit, aut faceret, dum satisfactione sua infinitum actu honorem Deo exhibet, aut exhiberet, cùm sit hoc honore Deus alióque omni possibili dignissimus.

II. B

SECTIO VI.

Eadem ratio argumentis quoque aliis refellitur.

III. C

OPPONO preterea contra eandem rationem, falsum esse, vt satisfactio sua bonitate, dignitate ac valore exæquet offensę contra Deum a pura creatura commissę malitiam, requiri necessario, vt illa ex iisdem, aut ex totidem capitibus accipiat bonitatis ac dignitatis secundum quid infinitatem, ex quot, & quibus ista malitię secundum quid infinitatem accipit: dummodo enim habeat simpliciter & absolutè tantum bonitatis dignitatísque, quantum habet offensa malitię, quid curę nobis esse debet, imò aduersariis? qui nullum alium ob finem requirere possunt in actu satisfactorio duplicem illam secundùm quid infinitatem, nisi vt sua bonitate ac dignitate exæquet offensam, in qua est prędicta duplex malitię infinitas: atqui actus satisfactorius simpliciter & absolutè tantum habere potest dignitatis & bonitatis, etiamsi nullo ex capite accipiat, aut accipere intelligatur aliquam secundùm quid infinitatem: ex se enim & essentia sua, ex obiecti sui præstantia, ex intensione, & aliis humanorum actuum circunstantiis, ex quibus augmentum bonitatis & dignitatis solet in actum deriuari, potest habere tantam, quantam dixi, bonitatem ac dignitatem.

IV. D

Atque in primis, si vt sit tantum bonitatis & valoris in actu satisfactorio, quantum est malitiæ in peccato, necesse non est vt hic quandam eius infinitatem accipiat ex persona cui satisfit, cur erit magis necessarium, vt accipiat aliquam ex ea quæ satisfacit? Illud autem necesse non esse, admittendum omnibus est, aut negandum, posse vllius puræ creaturæ vllum actum satisfactorium tantum habere bonitatis dignitatísque, quantum habet malitiæ minimum peccatum veniale: aut Christi Domini satisfactionem pro peccatis hominum tantam habuisse dignitatem bonitatémque, quantam hæc peccata malitiam, cùm quodcunque peccatum etiam veniale malitiam habeat secundum quid infinitam ex Deo persona infinita quæ offenditur, satisfactio autem vel Christi, vel puræ creaturæ pro peccato nullam habeat, aut habere possit ex persona cui satisfit, dignitatem & valorem. Deinde cum quæ deriuatur in offensam grauitas ex vilitate creaturæ offendentis sit simpliciter finita, quid vetat, quo minùs actus satisfactorij ab ea eliciti dignitas ac bonitas tantum excrescat, vt tandem exæquet, imo superet illam grauitatem?

V.

VI.

An forte dices, quantumcunque crescat, etiam in infinitum, nunquam tamen exæquaturam offensæ grauitatem & malitiam ex vilitate creaturæ offendentis petitam, licet absolutè finitam, quòd hæc illa sit ordinis superioris, quia indignius est creaturam se supra Deum attollere, quod peccando facit, quam sit decens eam se suo infra illum loco tenere, quod facit, dum satisfacit? At cùm hoc esse falsum iam constet ex dictis, nominatimque ex eo quod de peccato veniali, contra rationem quam impugnamus, superioris sectionis initio positum est, hinc præterea falsum esse constat, quòd hoc dicere, sit reuera dicere, malitiam ex vilitate personæ digniorem offendentis deriuatam in offensam quæ committitur, esse superioris ordinis bonitate, dignitate, ac valore actus satisfactorij, quantumcunque ex obiecto & circunstantiis boni, quo digniori personæ offensæ satisfit: quia magis indignum est personam vilem, digniorem personam aliquo modo infra se deprimere, quod ipsam offendendo facit, quam sit decens ipsam se suo infra illam loco tenere, quod facit, dum ipsi satisfacit: nec per consequens posse personam offendentem offensa persona viliorem vnquam ei perfectè seu condignè satisfacere: quod manifestè falsum est, vt patet discurrendo per multas offensas, quas personæ viliores possunt contra digniores committere, & pro quibus possunt ipsis nihilominus perfectè condignéque satisfacere.

VII.

Quæ quidem offensæ sunt vniuersim in duplici tantum genere: nimirum aut sunt offensæ habentes formalem rationem iniuriæ contra strictam iustitiam: aut offensæ non habentes hanc iniuriæ rationem, quales sunt eæ, quibus offendimus legislatorem, dum eius legem violamus: cuius posterioris generis sunt illæ quibus Deum offendimus, vt tractantes de Iustitia & iure disput. præsertim 14. probauimus. Et quidem quòd plerunque saltem possit vilior persona satisfacere perfectè pro offensa primi generis, constat multis exemplis, ac in primis plebeij hominis, qui nobili, imò Regi iniuriam in fortunæ, aut

VIII.

famæ bonis intulerit, cuius vilitas non impedit quo minùs plenè perfectéque satisfaciat, dum quidquid abstulit vel pecuniæ furando, vel famæ detrahendo, restituit.

Deinde eiusdem hominis qui nobilem in honore læserit, percutiendo eum baculo, aut simili modo, qui profectò in illius nobilis obiequium, & iniuriæ contra eius honorem illatæ compensationem, potest demittere se ad tam multa, tamque vilia & abiecta officia, vt prudenti hominum æstimatione, plus illi multò detulerit honoris his officiis, & obsequiis, quàm antea inhonorationis: tamque perfectè pro iniuria ipsi satisfecerit, vt nihil vltra ipse iure possit ab illo in satisfactionem exigere.

I.

Adde quòd etsi ille nulla sui abiectione, nulla honoris exhibitione posset ad æqualitatem læsum eius honorem reparare, aliunde tamen condignè ipsi satisfacere posset, idque reipsa faceret, si exempli causa, versaretur ille nobilis in euidenti mortis periculo, plebeius autem de quo loquimur, amore nobilis illius, & dolore offensæ antea contra eum admissæ, eidem se periculo exponeret, vt illum a morte liberaret, idque reipsa perficeret. Quis enim non censeret, eum tanto beneficio in nobilem illum collato pro illata antea iniuria cumulate satisfeciſſe? Non quidem in eadem materia in qua antè læserat, & proinde non per modum satisfactionis ex iustitia debitæ, sed in alia, per modum meriti, quó dignus esset, vt nobilis acceptam antea iniuriam penitus condonaret, nec magis quidpiam pro ea exigeret, quàm si nunquam accepisset: quo modo mereri condignè condonationem offensæ & iniuriæ, est condignè pro ea satisfacere: cùm Christus eatenus pro offensa generis humani perfectè satisfecerit, quatenus eos actus in honorem Dei fecit, quibus dignus fuit, vt hanc offensam Deus humano generi remitteret.

II.

III. Quòd si in bonis vitæ non possit vilior persona digniorem offendens, vt eam occidens, satisfacere perfectè, non oritur id ex vilitate & inæqualitate personæ offendentis, & satisfacientis: nam si viliorem dignior occideret, ei quoque perfectè pro hac iniuria contra strictam iustitiam satisfacere minimè posset, sed defectu boni quo tale damnum perfectè compensari queat, quia nec vita restitui potest, nec vllum bonum est quod vitæ æquiualeat.

Iam verò quod vilior persona possit digniori perfectè satisfacere pro offensa posterioris generis, certissimum est, aut dicendum, si filius patrem, seruus dominum, subditus regem offenderit, quòd præceptum eius aliquod sit transgressus, eum, quidquid exhibeat honoris, obseruantiæ, obsequij, etiam ex vero erga personam offensam amore, & perfecto de offensa dolore, nunquam tamen perfectè & condignè satisfacturum: quod quàm sit absurdum & incredibile quis non intelligit? Quòd si, vt ex his patet, malitia ex vilitate personæ digniorem offendentis in offensam deriuata exæquari bonitate & dignitate actus satisfactorij ab hac ipsa persona viliore exhibiti, imo superari multis partibus potest, falsumque proinde est, hac illam esse superioris ordinis, essèque semper indignius viliorem personam infra se aliquo modo deprimere digniorem peccando, quàm sit decens eam se suo infra illam loco tenere illi satisfaciendo: clarum relinquitur, aduersarios nullum ex vilitate personæ Deum offendentis habere firmum argumentum, quo probent deriuatam ex eo capite malitiam in offensam esse superioris ordinis

A quacunque bonitate, & dignitate actus satisfactorij quem potest exercere, esseque semper indignius & peius ipsam Deum offendere, quàm sit bonum ac decens eandem ei pro offensa satisfacere. V.

Postremò contra rationem illam quam impugnamus oppono, totum eius, si quod est, robur duobus niti principiis tanquam vniuersim veris, cùm tamen vniuersim vera non sint. Primum est, eo grauiorem esse offensam, quo dignior est persona quæ offenditur: quod quidem verum est de offensa qua honor alicuius contra iustitiam violatur: ex quo nihil pro se contra nos concludere possunt aduersarij, cùm offensa creaturæ contra Deum istius generis non sit, eo quòd illius ad ipsum nec stricta iustitia, nec iniustitia est, aut esse potest, vt tractantes de iustitia &

B re citata disput. 14. fusè probauimus: at verum non est vniuersim de quacunque offensa, vt ex ea patet quæ per furtum committitur: non enim est grauior offensa & iniuria in ratione offensæ & iniuriæ contra iustitiam furari homini nobiliori mille aureos, quàm totidem alteri minùs nobili. VI.

Secundum est, eo grauiorem esse offensam quo vilior est persona quæ offendit: quod solùm verum est, cùm per offensam honor alicuius contra strictam iustitiam violatur: quia tunc vt est grauior ex personæ offendentis maiori vilitate inhonoratio, ita grauior honoris contra iustitiam læsio. Ex quo rursum nihil concludi contra nos potest, ob rationem paulò antè allatam: manifestam autem habet falsitatem in multis aliis offensis, vt in ea qua rusticus furatur regi

C centum aureos, nobilis item aliquis eidem regi tantundem: cuius furtum in ratione offensæ & iniuriæ contra iustitiam non est leuius ex ea qua rusticum antecellit dignitate nobilitatis: vt item ex ea qua vterque Deum offendit fornicando, verbi causa: non enim vnius fornicatio offensa leuior contra Deum aut grauior alterius fornicatione esse intelligitur ex maiori minoríve fornicantis dignitate. VII.

Et sanè si vniuersim quo vilior est persona offendens eo grauior esset offensa, cuiuscunque demum generis sit, siue prioris, siue posterioris ex duobus antea memoratis, sequeretur esse grauiorem offensam hominis, quàm dæmonis, & plebeiorum hominum, quàm nobilium, & inter nobiles, minùs nobilium, quàm nobiliorum:

D quod tam longè abest à veritate, vt è contrario communiter apud Theologos habeatur pro certo, offensas quæ à creaturis dignioribus committuntur contra Deum esse ordinariè graviores: Angelorúmque peccata esse grauiora quam hominum, vel quia plus ingratitudinis in digniorum creaturarum peccatis reperitur, quàm in aliarum: cùm eo ipso quo dignitate aliis præeminent, plus aliquid à Deo hac in parte acceperint: vel quia cum hac earum maiori dignitate atque præstantia coniuncta est ordinarie acutior intelligendi vis, plenior boni ac mali cogni- VIII.

tio, maior rationis aduertentia ad singula in quibus versatur peccati actio, aliæque similes circunstantiæ, ex quibus non parum augetur offensæ grauitas. Quam doctrinam confirmat hæc D. Augustini sententia tractatu 110. in Ioan. *Cùm nouerimus bonorum omnium creatorem reparandis Angelis malis nihil gratiæ contulisse, intelligimus, quòd tantò damnabilior eorum iudicata sit culpa, quantò erat natura sublimior: tantò enim minus quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerunt: nunc autem in offendendo creatorem tantò execrabiliùs beneficio eius ingrati extiterunt, quantò beneficentiùs creati sunt.*

I.

SECTIO VII.

Eiusdem negatiuæ partis veritas efficaci ratione probatur.

VTITVR ea Gabr. Vasq. disput. 2. cap. 5. & 6. eámque desumpsit ex doctrina Caietani in citatum sæpius art. 2. Ferrar. 4. contra gent. cap. 54. & Dom. Soti lib. 3. de natura & gratia. cap. 6. asserentium ideo puram creaturam pro suo mortali peccato non posse perfectè satisfacere, quia quamuis actu perfectæ contritionis & charitatis erga Deum totam illius maculam purgare, omnémque offensam delere possit, hic tamen actus ab ea exerceri non potest ex propriis eius viribus, sed solùm ex auxilio gratiæ ac beneficio accepto ab ipso Deo: quod quantum impediat ne illa pro suo mortali peccato satisfacere ipsi condignè queat, vt intelligatur meliùs, tria prænotanda sunt.

II.

Primum est, nullam formam quæ sit habitus, aut quæ per modum habitus se habeat, quantumuis eum in quo est sanctificet vi sua formaliter, emundétque ab omni peccati macula, posse esse satisfactionem: hæc enim ex essentia sua dicit aliquam satisfacientis actionem: nam satisfacere, vt & ipsa vox apertè indicat, est aliquid facere, nec quidlibet, sed tantum quantum satis est: vnde ne ipse quidem Christus dominus pro nostris peccatis satisfecit formaliter alia re, quàm bonis suis actionibus.

III.

Secundum est, si aliquo actu pura creatura pro suo mortali peccato satisfacere condignè posset, maximè perfectæ contritionis & dilectionis Dei super omnia, supposito quòd hic actus sit per se formalis animæ sanctitas, prorsus cum mortalis peccati macula ex natura rei incompossibilis: nullus enim puræ creaturæ actus ad perfectam pro mortali peccato satisfactionem aptior potest excogitari: vnde nemo dubitat, quòd si isto perfectè satisfacere non potest, nullo potest: & quin si aliquo possit, isto possit: vnde etiam cùm Alensis 3. part. quæst. 1. memb. 5. art. 2. Palud. in 3. dist. 20. quæst. 2. art. 2. aliique nonnulli Scholastici censeant posse puram creaturam pro suo mortali peccato condignè satisfacere, non alio actu quàm eo de quo loquimur, id eam facere posse existimant.

IV.

Tertium est, creaturam in mortali peccato existentem cum peccato mortali quod contrahit, contrahere quoque debitum seu dignitatem carendi in perpetuum, non modò visione Dei, sed etiam eius amicitia & gratia, imò quibusvis gratiæ excitantis & adiuuantis auxiliis, quibus

A

à statu peccati resurgere, & redire ad statum diuinæ gratiæ & amicitiæ posset: ob hoc enim peccatum potest Deus iustissimè decernere priuare eam in perpetuum his omnibus donis, quod iustè non posset ob hoc eius peccatum, nisi ob ipsum illa carere donis istis in perpetuum digna esset.

V.

Quibus prænotatis, sic à me ratio illa proponitur. Non potest illa satisfactio esse perfecta, in qua non potest non interuenire eius cui satisfit liberalis & gratuita donatio, qua partem debiti remittit: atqui talis est satisfactio puræ creaturæ per actum perfectæ contritionis & charitatis pro suo mortali peccato satisfacientis, quantumcunque præsupponatur hic actus talis esse, qualem dixi: ergo hæc eius satisfactio perfecta esse non potest. Maior certa est, satisfactio enim solutio quædam est: ad perfectam autem solutionem requiritur vt integra sit: sicut autem integra actu non est, quando pars aliqua debiti non soluitur, sed à creditore gratis remittitur, ita nec integra esse potest, quando pars aliqua debiti solui non potest, sed à creditore debet necessariò gratis remitti. Minoris veritas constat ex eo quòd cùm pura creatura perfectæ contritionis & charitatis actum nequeat exercere ex solis naturæ suæ viribus, sed vt illum exerceat, indigeat necessariò diuinæ gratiæ præuenientis & adiuuantis auxiliis gratuitò per Deum conferendis, non potest intelligi per actum illum satisfacere Deo, quin priùs intelligatur Deus gratuitò hæc ei auxilia conferre, ac proinde partem contracti per mortale peccatum debiti gratis remittere: contraxerat enim per hoc peccatum, vt prænotatione tertia dixi, debitum carendi in perpetuum non modò æterna gloria, Deíque amicitia, sed his quoque gratiæ præuenientis & adiuuantis auxiliis, pro cuius debiti parte nullam omnino satisfactionem seu solutionem Deo exhibet, sed priusquam actum contritionis & charitatis exerceat, ac proinde antequam satisfaciat, remissionem partis huius debiti gratis accipit, & eo ipso accipit, quo gratis has à Deo gratias accipit: has enim sic à Deo accipere, cùm deberet iis in perpetuum carere, nihil est aliud formaliter quàm remissionem debiti huius ab eodem gratis accipere.

B

VI.

C

VII.

Circa quam rationem aduerte duo. Primum est, ea vniuersim concludi puram creaturam satisfacere Deo perfectè non posse pro suo mortali peccato, siue originali, siue actuali: vtrumque enim mortale est, quodlibet autem mortale infert in eum qui illo infectus est, dictam prænotatione tertia dignitatem, ac debitum.

Secundum est, non ideò præcisè puræ creaturæ exercentis perfectæ contritionis & charitatis actum, satisfactionem perfectam non esse, quòd hunc actum ex proprtiis naturæ viribus exercere nequeat, sed ad ipsum exercendum beneficio diuinæ gratiæ excitantis & adiuuantis opus habeat: aut quòd hic actus ab ipsa ex auxilio huius gratiæ elicitus, non modò sit bonum aliquod acceptum à Deo, cui tanquam creditori soluere & satisfacere illa debet, sed etiam ita sit acceptum, vt magis in dominio Dei, postquam acceptum est, remaneat, quàm in ipsius creaturæ accipientis & satisfacientis: nam si aliud nihil esset, hoc obstare minimè posset, quo-

D

VIII.

minus perfectè satisfaceret: alioqui Christus pro peccatis nostris non perfectè satisfeciſſet, cùm pro ipsis non satisfecerit nisi per actus ex beneficio diuinæ gratiæ elicitos, & proinde à Deo, cui tanquam creditori satisfaciebat, acceptos, & ita acceptos, vt nihilominus magis in
I. Dei dominio remanerent, quàm in ipsius humanitatis, per quam eos exercebat: ideo ergo precisè puræ illius creaturæ prædictum actum exercentis satisfactio perfecta non est, quòd eum exercere nequeat, nisi priùs auxilium diuinæ gratiæ, quo ob suum mortale peccatum carere in perpetuum debebat, gratis à Deo accipiat, & per consequens nisi priùs ab eodem obtineat gratuitam debiti huius remissionem.

SECTIO VIII.

Soluitur prima contra nostram rationem obiectio.

PRIMA hæc obiectio sic ab aduersariis proponitur. Etiamsi verissimum sit, creaturam
II. per mortale peccatum quod contraxit, contraxisse quoque debitum carendi omnibus præuenientis & adiuuantis gratiæ auxiliis, eámque sine iis perfectæ contritionis & charitatis actum exercere non posse: falsum tamen est, dum hæc ipsi dantur auxilia, remitti simul partem aliquam debiti quod per peccatum mortale contraxerat: ergo falsum est, ideo eam per prædictum actum non posse perfectè pro hoc peccato satisfacere, quòd hic actus ab ea elicitus præsupponat partem aliquam debiti iam remissam. Probatur antecedens, debitum enim carendi illis auxiliis nihil est aliud formaliter, quàm dignitas iis carendi, seu quod idem est, quàm indignitas ea habendi: at nihil istius siue indignitatis, siue dignitatis creaturæ remittitur, dum illa auxilia gratis à Deo concedun-
III. tur: tota enim hæc dignitas ac indignitas in ea perseuerat, etiam tum, cùm hæc ab ipso sic accipit: nam tandiu perseuerat, quandiu peccati mortalis macula in qua fundatur, & cum qua necessariò coniungitur: hæc autem macula in ea adhuc perseuerat, dum hæc auxilia accipit à Deo, quia per illa à peccato formaliter non emundatur.

Respondeo negando antecedens, cuius ad probationem dico, debitum quidem illud nihil aliud esse, quàm dignitatem illam & indignitatem, eámque tandiu perseuerare in creatura, quandiu mortalis peccati macula in ea perseuerat: rectè tamen dici debitum illud ei remitti, dum ei auxilia de quibus agimus communicantur, non quòd istud debitum in ea esse desinat, sed quod res qua carere ratione istius
IV. debiti debebat, ei gratis tribuatur, perinde atque si carendi debitum non haberet amplius, nec vnquam habuisset: quo modo se erga debitorem gerere, est debitum ipsi remittere, etiamsi ipsa carendi dignitas seu debitum in ipso perseueret. Sic dicimus B. Virgini, quæ primo suæ conceptionis instanti debitum habuit contrahendi peccatum originis, & carendi sanctificante gratia, remissum à Deo fuisse istud debitum, eo ipso quo non obstante hoc debito contulit ei nihilominus gratiam hanc, sicque eam ab illo peccato seruauit immunem: quæ tamen hoc ipso instanti quo istam gratiam accipiebat, debitum illud retinebat, cùm hoc in ea fuerit, nec minori mora esse quàm primo illo instanti potuerit. Sic etiam in rebus humanis, si alicui reo ob peccatum aliquod suum dignitatem seu debitum habenti duplicis pœnæ luendæ, vna tantùm infligatur, remissum dicitur alterius luendæ pœnæ debitum, non quòd ab eo sit ablata dignitas hanc alteram quoque luendi, sed quia gratis hæc ei pœna remissa est, cùm infligi iure posset, & hanc ipse luere deberet, seu ob peccatum dignus esset.

SECTIO IX.

Soluitur secunda contra eandem rationem obiectio.

SIC obiiciunt secundo aduersarij. Si creaturæ perfectæ contritionis & charitatis actum exercentis satisfactio ideo perfecta non est, quia non est pro toto debito per peccatum contracto, sed aliquam huius debiti partem gratis remissam præsupponit: sequetur Christi pro peccatis hominum satisfactionem non fuisse perfectam, quia non fuerit etiam pro toto quod per peccata contraxerant debito, sed aliquam istius debiti partem gratis remissam supponet: sicut enim per peccata contraxerant dignitatem seu debitum carendi gratiæ auxiliis, ita etiam carendi redemptore: cuius collatio fuit immensæ gratiæ donatio: atque vt illorum gratiæ auxiliorum gratuita collatio est partis debiti gratuita remissio, ita gratuita istius immensæ gratiæ seu redemptoris donatio erit quoque partis debiti liberalis condonatio: & sicut perfectæ contritionis actus illam auxiliorum illorum collationem necessariò præsupponit, ac proinde partis debiti remissionem, cùm sine his auxiliis exerceri non possit; ita Christi pro peccatis hominum satisfactio Christum ipsum, vt sui principium effectiuum præsupponit necessario, ac proinde donationem redemptoris, & quod consequens est, partis debiti condonationem.

Respondeo negando illud sequuturum: & ad rationem qua sequuturum probatur, nego hominem peccantem lethaliter, hoc peccato suo contrahere debitum carendi redemptore, aut etiam posse contrahere: nullus enim hominum dignus esse potest vi vllius peccati sui, ne Deus vllis aliis vel hominibus vel Angelis benefaciat, & gratiæ suæ dona largiatur: & proinde dignus, ne alicui humanæ vel Angelicæ naturæ gratiam hypostaticæ secum vnionis communicet. Ex qua communicata vnione qui consurgit homo, vel
D Angelus, eo ipso redemptor est: id est, plene perfectéque potens ad eos condigno pretio redimendos qui redemptione opus habuerint. Quare quàm absurdum esset & improbabile dicere, peccatorem peccato suo dignum esse, ne Deus vlli mulieri virginitatis simul & fœcunditatis singularem prærogatiuam tribueret: sanè tam improbabile est & absurdum asserere, eundem dignum esse, ne vlli hominum aut Angelorum singularis gratia hypostaticæ cum Deo vnionis ab ipso Deo conferatur.

V. VI. VII. VIII.

At dices

At dices primò, etsi peccator non possit peccato suo dignus ista re fieri, cum tamen fieri dignum, ne ab eo qui fuerit vnitus Deo hypostaticè, reipsa & in actu secundo redimatur, seu ne hic pro illo suæ bonæ & honestæ actionis pretium & valorem infinitum Deo offerat. Verùm vt hoc concedatur, quod negari meritò posset, non desinet propterea Christi pro eius peccato satisfactio condigna esse & perfecta: nullâ enim hæc partis debiti per hoc peccatũ contracti gratuitam remissionem præsupponet. Si quam enim præsupponeret, certè debiti carendi redemptore, cuius vnius mentionem facit aduersariorum obiectio: at non hanc, quia Christi redemptoris satisfactio præsupponet quidem productum à Deo ipsum Christum redẽptorem, vt effectiuum sui principium: at eius à Deo productio non erit vllius debiti condonatio, quia ne hic ab eo produceretur, homo peccando non contraxit debitum, nec contrahere potuit, vt ostendimus. I.

Dices secundò, præsupponere gratuitam cuiusdam alterius debiti remissionem, nempe donationem auxiliorum gratiæ, quibus excitabitur à Deo Christus vt pro peccatoris hominis peccato satisfaciat, quorum donatio erit partis debiti condonatio, illius scilicet quod contraxit homo peccando, ne Christus his auxiliis à Deo excitaretur. Respondeo hominem peccato suo nõ contraxisse debitum hoc, nec posse contrahere: nullus enim vi peccati sui dignus fieri potest, ne conferantur vlli alteri ea diuinæ gratiæ dona quæ cedunt in accipientis vtilitatem, honorem, & gloriam, si præsertim sint aliunde connaturaliter ei debita: alioqui punire condignè peccantem hominem non posset Deus, nisi priuaret quoslibet alios iis omnibus gratiæ donis, ex quibus aliqua in peccatorem redundare posset vtilitas: quod absurdum per se & incredibile est. Cedunt autẽ certissimè in singularem Christi vtilitatem, gloriam, & honorem ea gratiæ dona, quibus excitatur à Deo vt pro hominis peccato satisfaciat, & reipsa satisfacit: omniâque hæc eius humanitati ratione suæ cum diuina persona vnionis connaturaliter debita sunt. II. III.

Dices tertiò, hominem peccando contrahere saltem debitum, ne dum Deus Christum eius redemptorem aut producet, aut prædictis auxiliis ad satisfaciẽdum pro eo excitabit, id velit, & faciat amore ipsius hominis peccatoris, quia hic peccato suo non potest non esse formaliter & positiuè indignus hac tanta Dei beneuolentia. Sed vt omittam dicere, non esse existimandum, peccatorem quolibet suo mortali peccato fieri formaliter & positiuè indignum qualibet diuina beneuolentia, vt eà nominatim qua vult ei Deus & confert bona quædam ad naturæ integritatẽ, perfectionem & commodũ purè temporale pertinentia: cum distinctione respondeo. Vel enim Deus Christum siue producens, siue excitans ad exhibendam sibi pro peccato hominis satisfactionem, id potest solius Christi amore velle, & facere, aut non potest, sed necessariò vult & facit amore etiam ipsius hominis peccatoris, ex hypothesi quòd amore Christi velit, & faciat. Si primum, etsi concedatur peccatorem contrahere peccato suo prædictum debitum, erit nihilominus condigna pro eo Christi satisfactio: nõ enim hæc necessariò præsupponet gratuitam huius debiti factam à Deo remissionem, quandoquidem Deus Christum non necessariò aut producet, aut ad id quod dixi excitabit amore ipsius peccatoris hominis, sed amore solius Christi poterit velle producere, & excitare, reipsaque, vt suppono, eius solius amore & volet, & faciet. Sin autem secundum, nego peccatorem posse peccando contrahere præfatũ debitum: sicut enim dignus peccato suo fieri formaliter & positiuè non potest, vt Deus nullam creatam naturam hypostaticè assumat, aut assumptam prædictis gratiæ auxiliis non præueniat, & ad pro eo satisfaciendum excitet, vt ostendi: ita nec positiuè dignus carentia rei quæ cum illa assumptione, aut cum hac istorum auxiliorum collatione necessariò connexa est: cuiusmodi esse diuina illa erga peccatorem beneuolentia dicitur: qua proinde indignus peccato suo formaliter & positiuè nec constituitur, nec constitui potest. A V.

Vtrùm autem ex duobus allatæ distinctionis membris primum potiùs quàm secundum dici debeat, aut contra, pendet ex dictis in Tractatu de Deo, disput. 32. in quâ natura liberi decreti Dei explicata est, probatumque, nullum in eo liberum decretum admittendum, cui non respondeat in rebus aliqua mutatio, nec moralis solùm, sed etiam physica. Quare si Deo volente Christum producere, & ad id quod dictum est excitare, reipsaque producente, & excitante, siue solius Christi amore velit & faciat, siue non solius, sed hominis quoque peccatoris, nulla sit futura physica in rebus mutatio, secundum potiùs quàm primum dicendum est. Nam si liber esset vt hoc huius etiam amore vellet & faceret, aut non, dari posset in Deo decretum aliquod liberum, cui nulla physica in rebus mutatio responderet. Sin autem quis existimat reperire se posse aliquam huiusmodi in rebus mutationem Deo id volente & facrente amore quoque peccatoris hominis, quæ non esset, si solius Christi amore id vellet & faceret, is primum potius quàm secundum dicere debebit. B VI. C VII.

SECTIO X.

Altera eiusdem obiectionis solutio.

AT volunt aduersarij concedi sibi tanquam verissimum, hominem peccantem lethaliter hoc peccato suo contrahere debitum carendi redemptore, quamuis huius debiti neque Suarez, neque Vasquez, neque eiusdem temporis scriptores vlli, multòque minus iis antiquiores, vllam vnquam mentionem fecerint. Quod non leui argumento est, nullum esse hoc peccatoris debitum, quod eorum nulli venit vnquam in mentem. Illo autem concesso, putant relatum quod opponunt nostræ doctrinæ secundum argumentum solui non posse. Acquiescamus igitur hac in parte eorum voluntati, eisque debitum illud gratis concedamus, & hoc nihilominùs argumentum dissoluamus: cuius ad plenam perfectámque solutionem pauca dicere non possumus, cùm tam multa in eius confirmationem dicant aduersarij. D VIII.

Concedo igitur in primis primum nostrum parentem, in eóque humanum genus, peccato suo contraxisse debitum redemptore carendi. Concedo deinde factam à Deo gratuitam hu-

mano generi redemptoris donationem, fuisse gratuitam partis debiti per peccatum contracti remissionem. Nego tamen hoc impedimento fuisse, quo minus Christi satisfactio perfecta fuerit, licet creaturæ satisfacienti pro peccato suo facta remissio partis debiti per gratuitam auxiliorum gratiæ collationem impedimento sit, quo minus eius satisfactio perfecta esse possit. Non enim quælibet gratiæ collatio, partisque debiti, imo totius debiti remissio antecedens subsequentem satisfactionem, impedit, quo minus hæc pro toto etiam debito condigna perfectáque solutio sit, sed illius tantum gratiæ collatio debitique remissio hoc impedit, quæ necessaria prorsus est ei qui offendit ad subsequentem eius postea satisfactionem, quamque proinde natura sua hæc ipsius satisfactio, totusque quem habet valor & dignitas necessario præsupponit: talis autem est gratiæ adiuuantis & excitantis ad actum perfectæ contritionis & charitatis exercendum collatio, debitique hac carendi gratia remissio, non verò donatio redemptoris, ac debiti redemptore carendi condonatio.

I. A

II. B

Et quidem, quòd non quælibet gratiæ donatio, partisque debiti, imo totius debiti remissio subsequentem satisfactionem antecedens impediat id quod dixi, euidens ex eo est, quòd si Petrus, verbi causa, Paulum offenderit, & tam grauiter, vt hac offensa sua dignitatem seu debitum contraxerit carendi in posterum non solum Pauli amicitia, sed etiam quibusuis minimis ipsius beneficiis, aut benevolentiæ signis, vt alloquutione, salutatione, Paulus autem nihilo minus ipsum alloquatur aut salutet peramanter & honorifice, aut beneficio aliquo afficiat, sicque debiti quod contraxerat partem, aut etiam ipsum totum debitum gratis remittat: propter hanc tamen beneficij collationem, & debiti remissionem, non impeditur Petrus, quo minus ipsi postea plene perfecteque satisfacere pro offensa possit, totóque quod per eam contraxit debito: quia nimirum vt ipsi sic satisfaciat, non indiget hac gratuita beneficij collatione, & debiti remissione, sed absque ea, & independenter ab ipsa, siue præcesserit, siue non, potest actum aliquem amoris, aut obsequij erga Paulum exercere, quo totam formaliter delebit offensam, totumque quod per eam contraxerat debitum, seu dignitatem carendi eius amicitia, & amicitiæ signis: & quo proinde pro toto per eam contracto debito perfecte satisfaciet, quia per huius actus exercitium, & vi ipsius actus non magis his carere rebus dignus erit, quam si nunquam illum offendisset.

III.

IV. D

Iam verò quòd excitantis & adiuuantis gratiæ collatio, debitique hac carendi gratia remissio, sit necessaria ei qui offendit ad subsequentem eius satisfactionem, hæcque proinde, totusque eius valor præsupponat necessariò collationem illam ac remissionem, certum ex antè dictis est: quòd autem donatio redemptoris, ac proinde debiti eo carendi condonatio non sit ad hoc necessaria, certissimum est, cùm ad actum perfectæ contritionis, & charitatis & quorumcunque aliorum satisfactorum exercendum, creatura non indigeat redemptore, nec vllis eius meritis, sed quemlibet huiusmodi actum elicere possit, & reipsa elicitura sit, dummodo Deus eam efficacis gratiæ auxilio præueniat, & concomitantis adiuuet: quod facere potest ex pura misericordia, independenter ab vllo redemptore, aut aliquo cuiuspiam merito, siue congruo, siue condigno.

C

Quod cùm ad obiectionis solutionem sufficiat, quò tamen pleniùs soluatur addo quatuor. Primum est, vt alicuius pro alio satisfactio condigna sit, duo tantùm requiri: vnum est, vt nullum satisfacienti debitum remittatur: alterum, vt satisfaciens vi suæ satisfactionis dignus sit, vt creditor debitori vel extrinseca sua voluntate totum debitum remittat, si sic remitti potest, vel det formam aliquam, vi cuius formaliter totum debitum extinguatur: quæ duo in Christi satisfactione reperiuntur: nihil enim ei remissum est, quoniam nihil debebat: & vi suarum actionum fuit dignissimus, vt Deus peccatoribus omnibus peccata remitteret, vel donando immediate sanctificantem gratiam qua formaliter hæc delentur, & contractum per ea debitum: vt reipsa immediate per Sacramenta donat: vel gratias actuales ad peccati remissionem necessarias, & ad actum perfectæ contritionis, & charitatis exercendum, quem si gratiis illis actualibus cooperando consentiendoque, vt possunt, eliciant, eo formaliter vniuersum contractum debitum extinguent, aut extinguere poterunt: vt comprehendam etiam debitum pœnæ temporalis luendæ, quod non semper actu satisfactorio totum extinguitur.

V.

VI.

Secundum est, dum de aliqua persona quæritur, vtrùm possit pro peccato, vel suo, vel alieno, condigne satisfacere, quæstionem hanc, vt patet, necessariò præsupponere personæ illius existentiam productionémque: ac proinde si quod affertur impedimentum, propter quod non possit, illud eiusdem personæ existentiam ac productionem debere supponere, eáque esse posterius: consequentérque si nullum aliud esse potest, quam ipsa personæ illius existentia ac productio, nullum prorsus esse iudicari simpliciter & absolutè debere: at nullum aliud aduersarij impedimentum, ob quod non possit Christus condignè satisfacere, nobis obiiciunt, quàm eiusdem Christi productionem & existentiam. Id euidenter confirmo exemplo hominis in mortale peccatum lapsi, qui ex hoc peccato dignitatem seu debitum contrahat statim moriendi, & æternas in inferno pœnas luendi, vt multis accidit, qui tamen à nemine iudicaretur impotens ad condignè satisfaciendum Deo, pro suo illo peccato, si nullum aliud impedimentum haberet, quàm istud, quòd nimirum satisfactio quam offerret, præsupponeret continuatam ei à Deo vitam & existentiam, ac proinde remissum debitum quod peccando contraxerat, existentiæ statim ac vitæ amittendæ: vnde & nullus est qui impotentiæ istius hanc causam vnquam afferat, quòd quæstio qua quæritur, vtrùm condignè pro illo suo peccato satisfacere possit, necessariò præsupponat continuatam ei à Deo misericorditer existentiam & vitam: & proinde impedimentum prædictæ impotentiæ aliud requirat, & quidem

VII.

VIII.

eiusmodi, quod continuatam existentiam & vitam necessariò præsupponat, eáque sit posterius.

Tertium est, quòd etsi vt Christi satisfactio perfecta esset, necessarium foret ipsum pro debito carendi redemptore, quod genus humanum peccando contraxerat, satisfacere, nulla I. facta debiti huius liberali per Deum præuia remissione, ac proinde satisfactione ex natura sua non præsupponente remissionem hanc, sed eam potius antecedente, nullum ex hoc capite esset impedimentum, quominus eius satisfactio perfecta esse posset: nam posset absolutè Christus huiusmodi satisfactione antecedente pro debito illo satisfacere, quia posset absolutè in decreto & præscientia Dei prior esse lapsu humani generis in peccatum: quo profectò in casu eius à Deo productio non posset censeri liberalis & gratuita debiti illius remissio, cùm hæc debitum illud præsupponat, sicut & cuiusuis debiti remissio debitum quod remitti dicitur: prior autem illa Christi productio fuisset lapsu humani generis in peccatum, ac proinde debito per illud contracto. II.

Quartum est, quod etsi supponeretur Christus decerni à Deo non posse in alium finem, quàm in peccati remedium, nec proinde posset eius in rerum natura productio non esse gratuita contracti per peccatum debiti carendi redemptore condonatio, consequenterque non posset eiusdem satisfactio non præsupponere gratuitam hanc huius debiti condonationem, id tamen impedire minimè posset, quominus condigna esset & perfecta: quod trib. modis ostendo. Primus est, eam perfectam condignamque fore, aduersariorum etiam consensu, si vel pura creatura peccando non contraheret indignitatem habendi redemptorem, seu debitum eo carendi: vel si contraheret quidem, sed nullam eius prævuiam à Deo remissionem acciperet. Ergo etiamsi contrahat, & accipiat, condigna ni- III. hilominus & perfecta est: quid enim ad Christum attinet, vel indignitas tua, vel indigno tibi facta à Deo gratia & remissio? quid hæc eius obesse potest & præiudicare seu potentiæ, seu bonitati? Ideóne, quoniam erga te indignum vtitur indulgentia, aliquid indulget Christo Deus? ideone, quia tu nequam es, minùs bonus erit ipse Christus? ideóne opera eius bona minùs habebunt bonitatis, & dignitatis, quia tua habent malitiæ plurimum & indignitatis? ideone, quia tu debitor, & egenus es, erit ipse minùs ad soluendum dives, & potens? quæ cùm per se absurdissima sint, iudicent aduersarij quid de sua ipsi obiectione sentire debeant, ex qua hæc sequuntur.

Secundus modus huius propositionis certissima clarissimáque veritate nititur, quod nimirum qui nullum habens proprium debitum, ad IV. soluendum creditori pro debitore aliquo sese offert & obligat, non alia in se debita suscipit, quàm quæ propria erant debitoris istius: nec aliud proinde, vt plenè atque integrè pro vniuersis eius debitis soluat, debet soluere, quàm quod deberet ipse debitor, si pro se solueret. Christus ergo liber prorsus ab omni proprio debito, sicut & peccato, sponte se offerens Deo ad satisfaciendum ipsi, soluendumque pro nostris & peccatis, & debitis omnibus, non alia in se suscipit debita, quàm nostra, nec proinde debet, vt pro iis condigne perfecteque soluat & satisfaciat, aliud soluere, quàm quod nos deberemus, si nos pro nobis ipsi satisfaceremus, & solueremus: nos autem vt pro debito carendi redemptore quod peccando V. contraximus plenè & integrè solueremus, necesse non haberemus, condigno merito mereri nobis à Deo vel ipsum Christum, vel similem alium redemptorem: sufficeret vt eliceremus actum tantæ bonitatis, qui vi sua formaliter isto nos debito solueret, ipsúmque prorsus extingueret. Christus ergo, vt condigne perfectéque posit pro hoc nostro debito satisfacere Deo atque soluere, necesse non habebit, posse condigno merito mereri seipsum nobis à Deo, quod reuera non potest, ob apertam repugnantiam ex natura meriti peritam, vel alium sui similem redemptorem, quod tamen facillimè potest: alioquin aliud debitum quàm nostrum suscepisset, cùm debitum istud nos non habeamus, sed sufficit vt tantæ bonitatis actum possit elicere, quo condigno VI. merito mereri nobis possit formam illam qua formaliter soluetur istud debitum nostrum, & funditus delebitur: potest autem, & reipsa sic meruit: potest ergo sic pro eo satisfacere, & reipsa satisfecit. Quòd si pro hoc nostro debito potest Christi satisfactio condigna esse & perfecta, consequens necessariò est, consentientibus etiam aduersariis, vt pro nostris omnibus debitis possit: cùm ideo solùm videatur esse non posse condigna pro omnibus, quia non potest esse pro vno ex iis, nempe pro debito carendi redemptore quod peccando contraximus, vt euincere sua illa obiectione aduersarij conantur.

Tertius modus iste est: Cùm tam impossibile sit Christi pro peccatis nostris & debitis VII. satisfactionem esse condignam per modum formæ formaliter hæc nostra debita delentis, quàm impossibile est nos propriis eius actibus bonis & satisfactoriis emundari formaliter à peccatis nostris, & iustificari, Christus pro iis aliter satisfacere non potest, quàm per modum meriti quo eorum nobis à Deo plenam & integram remissionem mereatur: nec proinde eius pro iisdem satisfactio condigna aliter esse potest, quàm per modum condigni meriti quo mereatur hanc nobis à Deo remissionem: Christum ergo condignè pro peccatis nostris & debitis omnibus satisfacere, aliud nihil est, quàm condignè nobis eorum omnium remissionem à Deo mereri: nihil igitur obstare potest condignitati satisfactionis eius, quàm quod obstare potest isti condigno eiusdem merito, seu condignitati meriti istius: at- VIII. qui nec quod eius satisfactio præsupponat gratuitam nobis factam à Deo debiti carendi redemptore condonationem, nec quidquá aliud, obstat aut obstare potest condignitati meriti istius, quia eo non obstante plenam illam & integram peccatorum omnium debitorumque remissionem nobis à Deo condignissimè meruit: ergo nec obstat aut obstare potest condignitati satisfactionis illius: ergo quàm verè nobis illud condignè de facto meruit, tam verè pro nobis

condignè reipsa satisfecit, eóque ipso satisfecit, quo meruit.

SECTIO XI.

Nouæ obiectionis contra traditam præcedente sectione doctrinam solutio.

I. AT contra nostram hanc doctrinam sic aduersariorum nonnulli obiiciunt. Si satisfactionis Christi condignitatem non impediuit remissio debiti carendi redemptore quam illa satisfactio præsupponit, quia remissio hęc nobis quidem facta est, at non illi, vtpote qui nullum debitum contraxerat: ergo si Adamus post admissum peccatum quo se totumque simul humanum genus perdidit assumptus à Deo hypostaticè fuisset, satisfacere condignè nec pro suo, nec pro nostro peccato potuisset: quia per illud peccatum suum contraxisset debitum carendi gratia necessaria ad satisfaciendum siue pro se, siue pro nobis: nec satisfacere vel pro se, vel pro nobis potuisset, quin priùs hanc gratiam accepisset, ac proinde remissionem partis debiti quod peccando contraxerat. II. Consequens autem absurdum videtur, quia non obstante illa remissione satisfactio eius tam infiniti valoris fuisset, quàm fuit reipsa Christi satisfactio, & ob eandem omnino causam fuisset, ob quam ista fuit.

Respondeo negando consequentiam, quia satisfacere nihilominus pro peccato nostro condignè potuisset, licet pro suo non posset. Non posset quidem pro suo, quia satisfactio eius, licet valoris simpliciter infiniti, tamque infiniti quâ fuit Christi satisfactio, præsupponeret essentialiter remissionem vel totius, vel partis debiti per illud ipsum peccatum contracti, ab eaque totum suum valorem licet infinitum acciperet: sicut etsi nostra cõtritio de peccato nostro mortali multò plus in se suáque ex natura bonitatis habere III. dicatur quàm peccatum hoc habeat malitiæ, imò infinitè intensam habere supponatur, cùm hoc finitam tantùm reuera habeat, tamen illa pro eo condigna satisfactio non erit, quia præsupponet essentialiter gratuitam remissionem partis debiti per hoc ipsum peccatum contracti, ab eáque totam suam bonitatem accipiet: at pro peccato nostro satisfacere condignè potuisset, quia satisfactio illa condigna est pro debito aliquo, per quam totum illud debitum perfectè & ad æqualitatem ita soluitur, vt hanc solutionem nulla præcedat gratuita partis istius debiti facta à creditore remissio: Adamus autem assumptus à Verbo hypostaticè sic pro peccato nostro satisfeciss set: valore enim infinito suæ satisfactionis condignè nobis & remissionem peccati nostri, & IV. totius debiti per ipsum à nobis contracti meruisset, hancque eius satisfactionem nulla præcessisset gratuita partis debiti remissio, quæ condignitatem huius satisfactionis impedire posset.

Quæ enim hîc obiicitur tanquam impediens, quod nimirum peccato suo cõtraxisset debitum carendi gratiæ auxiliis necessariis ad satisfaciendum pro nobis, impedit vt summum ne pro peccato suo condignè satisfaciat: at impedire non potest ne pro nostro: quia condignam pro peccato aliquo satisfactionem impedit ea sola gratuita remissio partis debiti quod per ipsummet peccatum contractum est pro quo satisfit: at Adamus pro peccato nostro satisfaciens, non per hoc nostrum peccatum, sed per proprium suum contraxisset debitum carendi gratia ad satisfaciendum pro nobis necessaria.

A Quòd autem impediat condignam pro peccato aliquo satisfactionem prævia remissio solius illius debiti quod contractum est per ipsummet peccatum pro quo satisfit, patet exeplo peccati venialis, pro quo purus homo, ex communi Theologorum consensu, potest condignè satisfacere, quantumcunque non possit pro suo mortali peccato, & per hoc mortale peccatum contraxerit debitum carendi gratia necessaria tam ad actum perfectæ contritionis de illo veniali, quàm de isto mortali: quia nimirum etsi conteri non possit de veniali, quin priùs accipiat gratuitam remissionem debiti contracti, carendi scilicet gratiæ auxilio ad hanc contritionem necessario, debitum tamen hoc non contraxit per istud veniale, sed per illud aliud mortale, quia per solum mortale indignum se positiuè ac formaliter illo gratiæ dono reddit. V.

B

SECTIO XII.

Soluitur tertia contra eandem rationem obiectio.

VI. TERTIA aduersariorum contra nostram rationem obiectio ista est. Si creaturæ pro suo mortali peccato satisfacientis per actum perfectæ contritionis, & charitatis, satisfactio perfecta non esset, ob eam solùm causam quam attulimus, hæc duo sequerentur, nimirum & hanc per illum actum satisfactionem nunc reipsa perfectam esse, si non pro toto per mortale peccatum contracto debito, saltem pro ipsa peccati mortalis macula, debitóque mortis æternæ luendæ, & quouis alio cum hac macula coniuncto C necessariò, cuius gratuitam per Deum remissionem ille contritionis & charitatis actus ex natura sua non necessariò præsupponit: & eandem præterea satisfactionem fore omnimode perfectam, si creatura naturæ suæ viribus absque gratiæ præuenientis auxilio posset actũ illum exercere: vtrumque autem falsum esse: ad perfectam enim satisfactionem requiritur in actu quo satisfit æquiualens valor ac bonitas grauitati peccati, debitíque pro quo satisfit: non esset autem in actu illo contritionis & charitatis valor ac dignitas æquiualens grauitati mortalis peccati, debitique totius quod per illud contrahitur, etsi a creatura solis eius viribus posset exerceri: neque nunc in eodem actu est æquiualens valor ac dignitas grauitati maculæ peccati mortalis, debiti quoque mortis æternæ luendæ, & cuiusuis D alterius cum illa macula necessariò coniuncti, cuius gratuitam per Deum remissionem ipse contritionis actus & charitatis non necessariò præsupponit: cùm præsertim mortalis peccati malitia crescere possit magis ac magis in infinitum, contritionis autem & charitatis actus possit esse remissior & remissior in infinitum, eiusque proinde valor ac dignitas magis ac magis in infinitum minui. VII. VIII.

Atque cùm hac ratione probetur tam primum quàm secundum ex duobus illis falsum esse, de

primo nominatim idem probatur ab aduersariis variis rationibus : quibus etiam concluditur , contritionis actum ne imperfectam quidem esse posse pro prædicta macula, & debito satisfactionem. Prima est , illum contritionis & charitatis actum præsupponere mortalis peccati maculam deletam, remissumque simul
II. A debitum mortis æternæ luendæ, & quodcunque aliud cum ista macula necessariò connexum, quia præsupponit vt priorem in genere causæ efficientis infusionem gratiæ sanctificantis habitualis, vi cuius formaliter totum istud debitum remittitur , & tota illa macula deletur : non posse ergo actum illum esse satisfactionem aliquam pro peccati mortalis macula debitóque de quo loquimur , cùm satisfactio pro offensa, contractóque per eam debito, ad hoc tendat, vt & istud , & illam extinguat , & proinde iam extinctam non præsupponat.

Secunda est, Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. nullam agnoscere hominis per opera bona satisfactionem pro mortalium peccatorum
II. B macula , & æterna pœna luenda , sed pro sola pœna temporali , cuius luendæ debitum remanet, post remissam æternam pœnam, & mortalis peccati maculam.

Tertia, etsi pro macula sui peccati mortalis actualis , debitóque mortis æternæ luendæ ex ea consequente satisfacere per aliquem actum suum creatura possit, non tamen posse pro macula peccati originalis, debitóque luendæ mortis æternæ quod ex ea sequitur : cùm sicut hoc peccatum & debitum non potest non esse ab alio deriuatum, ita non possit nisi alterius satisfactione deleri.

Respondeo concedendo duo illa sequutura, sed nego vllum ex iis falsum esse: & primi quidem veritatem defendit Vasquez hîc disputat. 2. cap. 5. & 6. Secundi verò expressè Caietanus in citatum sæpiùs artic. 2. Ad rationem au-
III. C tem qua vtrumque falsum esse probatur, dico, ad perfectam satisfactionem qua creatura pro suo mortali peccato satisfacit , non requiri in actu quo satisfacit aliam bonitatem æquiualentem grauitati peccati , debitique pro quo satisfit, quàm eam vi cuius totam peccati maculam formaliter delet, totumque per eam contractum debitum : eam autem nunc habet actus perfectæ contritionis quantumcunque remissus , respectu ipsius maculæ peccati mortalis, quantumcunque grauis, & debiti æternæ pœnæ luendæ, ac cuiusuis alterius ex ista macula consequentis, cuius gratuitam remissionem actus ille non necessariò præsupponit : quàm vim , quoniam circa totum per peccatum mortale contractum debitum, ac proinde etiam circa ipsum debitum
IV. D carendi gratiæ præuenientis & adiuuantis auxiliis ex se suâque natura haberet, si solis naturæ viribus a creatura posset exerceri , nec proinde gratuitam debiti istius remissionem natura sua præsupponeret , ideo si solis illis viribus exerceri posset , esset perfecta satisfactio pro macula peccati mortalis, & pro toto per illud peccatum contracto debito.

Et quidem in actu quo perfectè satisfit, non requiri aliam bonitatem æquiualentem , quàm prædictam , probatur in primis a simili , ex actu quo Petrus Paulo quem offenderat perfectè satisfacit , qui est plena perfectaque pro offensa, totóque per eam contracto debito satisfactio, eo ipso quo bonitatem hanc & valorem habet, vt vi eius deleat totam à se commissam offensam , totumque debitum quod per eam contraxerat. Deinde ex eo quòd ad V.
perfectam satisfactionem pro debito pœnæ temporalis luendæ quod remanet post dimissam mortalis peccati maculam , non requiritur in actu quo pro debito illo satisfit alia bonitas , quàm ea vi cuius satisfaciens totum illius pœnæ debitum extinguit : eóque ipso actus ille est perfecta pro debito illo satisfactio, quo talis est , vt ex se tollat formaliter ab eò qui satisfacit debitum illud , seu temporalis illius pœnæ luendæ dignitatem.

Ad primam autem rationem , qua primum ex prædictis illis duobus falsum esse probatur, concesso gratis quod multi negant , & quo negato tota vis istius rationis manifestè rueret, concesso, inquam, gratis, quod perfectæ con-
VI. tritionis actus in momento iustificationis à peccatore elicitus supponat gratiam habitualem sanctificantem , tanquam priorem in genere causæ efficientis, per eámque iam deletam peccati mortalis maculam, & dignitatem æternæ pœnæ luendæ, respondeo , non præsupponere tamen prorsus necessariò , sed è contrario fieri absolutè posse, vt ille actus naturæ ordine priùs exerceatur, quàm prædictus habitus infundatur, & per eum prædicta macula dignitásque deleatur, hancque proinde dignitatem & maculam posse per ipsum contritionis actum remitti formaliter, dummodo sit per se & natura sua forma sanctificans , vt esse in Tractatu de gratia disputatione duodecima, fusè probauimus, idque sufficere, vt ille ipse actus pro prædicta macula & dignitate seu debito etiam nunc in actu secundo satisfa-
VII. ctio sit: falsum enim est hanc natura sua ad hoc tendere, vt offensam ac debitum pro quo satisfit deleat reipsa , & in actu secundo : siquidem pro offensa debitóque iam remissis exhiberi condigna satisfactio potest , & reipsa exhibetur ab eo, qui actum aliquem exercet non præsupponentem vllam eius rei, pro qua satisfactio esse dicitur , remissionem , qua totam offensam, totumque contractum per eam debitum deleret, nisi aliunde deletum reperiret : cuiusmodi est actus contritionis qui exercetur respectu maculæ debitique de quo loquimur : horum enim remissionem non necessariò præsupponit, cùm hæc vi sua remittere possit, reipsáque remittat, nisi aliunde remissa iam inueniat.

Instabis , si pro macula peccati mortalis, VIII.
æternáque pœna iam remissa , per infusionem habitualis gratiæ sanctificantis, actu contritionis ea posteriore satisfacimus , cur non pariter eodem actu satisfaciemus pro debito carendi gratiæ auxiliis , datis ad eum eliciendum, quantumcunque debitum istud priùs remissum sit per liberalem auxiliorum istorum donationem ? Respondeo disparem prorsus esse rationem : quoniam enim actus ille non necessariò præsupponit remissam aliunde peccati maculâ, ac pœnam æternam, sed antè eam remissam exer-

ceri potest, ipsamque vi sua delere, ideo nihil obstat quominus pro ea satisfactio sit, etiam tum cùm eam aliunde iam remissam inuenit: quoniam autem è contrario idem actus à creatura quæ mortale peccatum contraxit exercendus essentialiter & necessariò præsupponit liberalem
I. remissionem debiti carendi illis gratiæ auxiliis, A quia sine iis à Deo liberaliter datis exerceri non potest, Deum autem illa dare est debitum illud remittere, ideo tam repugnat huic actui esse natura sua, aut posse esse satisfactionem pro debito illo, seu ad illius debiti remissionem ordinari, quàm hac esse remissione priorem.

Nec dicas, debitum seu dignitatem carendi his auxiliis in peccatore tandiu remanere, quandiu remanet peccati mortalis macula, illam autem tam deleri formaliter per contritionis actũ quàm maculam hanc, quia non priùs illa quàm hæc deletur, per eandémque formam sanctificantem qua deletur vna, deletur necessariò & altera, cùm vtraque sit formæ sanctificanti repugnans. Ne, inquam, id dicas, licet enim verum sit, quia tamen actus contritionis eo quo
II. hîc dicitur modo delens carendi prædictis auxiliis debitum seu dignitatem, B præsupponit essentialiter & necessariò priorem quandam huius ipsius debiti liberalem condonationem, nimirum gratuitam eorum donationem, quæ est gratuita aliqua debiti huius condonatio, vt suprà diximus, nullam verò maculæ peccati liberalem condonationem necessariò præsupponit, ideo pro hac macula satisfactio esse potest, pro debito illo non potest.

Ad secundam dico, Concilium illo loco ita agnoscere satisfactionem pro pœna temporali, vt non neget aliquam exhiberi posse pro æterna, & pro ipsa mortalis peccati macula: imò hanc pro ea videtur potiùs admittere, cùm ait, maculam culpæ, & debitum æternæ pœnæ luendæ remitti per sacramentum, vel per votum sa-
III. cramenti, quod votum est ipsa perfecta contri- C tio, ex doctrina eiusdem Concilij sess. 14. cap. 4. Ideo autem sess. illa 6. cap. 14. expressè tantùm meminit satisfactionis pro pœna temporali, quia eo loco mens eius erat agere de sola illa satisfactione, quæ exhibenda est Deo post acceptam ab eo peccatorum remissionem, quæ non est alia satisfactio, quàm pro pœna temporali.

Ad tertiam dico posse quemlibet per actum perfectæ contritionis perfectè satisfacere, tam pro macula peccati sui originalis, debitóque mortis æternæ luendæ ex ea consequente, quàm actualis: nec referre, quòd originale peccatum aliena tantummodo voluntate contrahi possit: debitum enim aliena voluntate contractum propria voluntate solui potest, dummodo in eo qui aliena illud voluntate contraxit, sit vis &
IV. potestas exercendi propria voluntate actum aliquem, D vi cuius totum istud debitum dissoluatur: in eo autem qui aliena voluntate contraxit peccatum originis, & mortis æternæ debitum ex eo consequens, est vis & potestas eliciendi propria voluntate ex diuinæ gratiæ auxilio perfectæ contritionis actum, qui vi sua formaliter illud peccatum, & istud debitum extinguet.

Neque nobis contrarius est D. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 1. artic. 2. ad 3. negans posse per puri hominis satisfactionem satisfieri pro peccato originali: hoc enim negat de isto peccato, prout vniuersam naturam humanam inficit, non autem prout vnicum tantùm eius individuum: quod negare, est solummodo negare, purum aliquem hominem posse satisfacere tam pro suo originali peccato, quàm pro eo quod est in aliis
V. omnibus hominibus: quod nos non asserimus, asserentes tantùm quemlibet posse pro suo proprio satisfacere, eo sensu, & modo, quo à nobis explicatum est.

DISPVTATIO IV.

Vtrùm purus homo possit pro mortali alterius peccato condignè Deo satisfacere?

SECTIO PRIMA.

Negatiua pars defenditur, & probatur.

VI. QVÆSTIO hæc proponitur in primis spectata etiam absoluta Dei potentia: deinde de puro homine, aliáque qualibet pura creatura, quantacunque sanctitate prędita, dummodo non vnita Deo personaliter: denique de sola condigna seu perfecta satisfactione: nulli enim dubium est, quin pura creatura possit ex auxilio diuinæ gratiæ pro mortali alterius peccato imperfectam aliquam offerre Deo satisfactionem, quam misericorditer ipse, si voluerit, acceptabit vt sufficientem, cùm ex se sit non sit sufficiẽs. Quæstionis autẽ huius partem negantem Theologi ferme omnes amplectuntur, nominatim Albertus in 3. dist. 20. art. 3. Bonau. ibidem quęst. 3. & 4. Richardus quæst. item 4. Durandus quæst. 2. Capreol. quæst. 1. art. 2. conclus. 1. &
VII. S. Thomas hac 3. parte quæst. 1. art. 2. expressè docens, etsi purus homo potuisset aliqualiter & imperfectè satisfacere pro alieno peccato, Deo scilicet eius opera supra proprium ipsorum valorem liberaliter acceptante, non tamen perfectè, seu secundùm condignitatem & adæquationem: vbi per purum hominem intelligi ab ipso hominem non vnitum Deo hypostaticè, quantacunque alias gratia Dei præditum, supra disp. 1. sect. vltima contra Caiet. probauimus.

Probatur autem hæc sententia primò authoritate Patrum tam Grecorum, quàm Latinorum, quorum hæc est communis doctrina, necessarium fuisse mysterium hypostaticæ cum Deo vnionis, vt humanum genus per condignam perfectámque satisfactionem repararetur: ex
VIII. quo manifestè concluditur, ipsos existimasse, nullam creaturam non vnitam Deo hypostaticè potuisse vel pro suo, vel pro alterius mortali peccato condignè Deo satisfacere: nam si hoc aliqua potuisset, sanè ad redemptionem humani generis, per condignam pro peccato eius satisfactionem, mysterium hypostaticæ vnionis necessarium non fuisset. Cùm autem Patres illi longo ordine citentur à Gabr. Vasq. disput. 4. cap. 3. à Suare disput. item 4. sect. 2. §. *Dico tertio.* & a Greg. de Valent. disput. 1. quæst. 1.

punct. 5. non hærebo hîc in omnibus iis referendis. Pauca solùm, & illustriora proferam eorum testimonia: & ex Græcis quidem, duorum tantummodo, D. Basilij scilicet, & Cyrilli Alexand. quorum prior illa psalmi 48. verba, *frater non redimit, redimet homo*, sic exponit. *Non homo nudus, sed homo Deus, qui solus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare potest.* vbi nudum hominem non opponit gratia sanctificante prædito, sed homini Deo, vt patet. Vnde cùm inferius addit, *si homo nos redimere nequit, qui redimit homo non est*: nudus subintelligitur, vt clarum est ex his verbis proxime sequentibus. *Noli igitur quia Dominus in carnis similitudine ad nos venit, & nobiscum est versatus, eum tantummodo hominem existimare.*

I. A

Posterior verò prima ad Valerianum de Verbi Incarnat. epistola, quæ habetur tomo 6. Concilij Ephesini, parte tertia, num. 40. iuxta editionem græcolatinam, circa medium, exponens hæc Isaiæ verba: *Cuius liuore sanati sumus*, sic ait. *Quo pacto vnus pro omnibus mortuus iustum pro omnibus pretium exolueret, si perpessio illa puri hominis fuisse putatur?* Vbi per purum hominem intelligit hominem non vnitum Deo personaliter, quantalibet gratia & sanctitate præditum: agit enim ibi contra Nestorium, qui Christum dicebat purum hominem fuisse, id est, hominem, nec simul Deum, quem tamen hæreticus ille fatebatur fuisse hominem sanctissimum, maximisque gratiæ donis exornatum: cuius proinde Patris argumentum contra ipsum nullam vim habuisset, nisi per purum hominem intellexisset eum, qui non est simul Deus, quantacunque Dei gratia exornatus: quoniam statim argumento respondisset Nestorius, Christi pro peccatis hominum satisfactionem condignam esse potuisse, etsi non esset Deus, quia licet puri hominis, id est, nulla Dei gratia ac sanctitate prædito satisfactio condigna esse non potuisset, Christi tamen potetat, eo quòd homo erat excellenti Dei gratia & sanctitate præditus.

II. B

III. C

Ex Latinis autem producam solùm duos sanctos Patres, Augustinum & Fulgentium: duos præterea summos Pontifices, Leonem, & Agapetum. Ex quibus D. August. *in Enchirid. cap.* 108. sic ait. *Neque per ipsum liberaremur mediatorem hominum Christum, nisi esset Deus.* Fulgent. verò lib. de Incarnat. & gratia cap. 4. hæc inter alia habet: *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione Verbi Dei:* ad auferendum scilicet modo perfecto, seu per condignam satisfactionem. Leo autem Papa serm. 1. de Natiuit. sic de Christo loquitur. *Si non esset Deus, non afferret remedium*, condignæ videlicet satisfactionis. Agapetus denique primus in epistola quinta ad Anthimum. *Quæ reconciliatio*, inquit, *esse posset qua humano generi repropitiaretur Deus, si hominis causam mediator Dei & hominum non susciperet?* quasi diceret, nulla, nisi imperfecta.

IV. D

Qui quidem Patres aliique necessitatem vnionis hypostaticæ agnoscentes ad condignam pro peccato generis humani satisfactionem, licet expresè solùm negent puram creaturam potuisse condigne satisfacere pro peccato generis humani, quod non erat vnicum numero, sed perquam multiplex: quoniam tamen vnius numero peccati mortalis, & plurium, eadem ratio est, quantum ad vim condignè pro iis satisfaciendi: atque si aliqua pura creatura posset pro vnico mortali alterius peccato satisfacere, posset & pro pluribus, vt & communis Theologorum consensus est, & hac ipsa disputatione infra obiter ostendemus, quo fit, vt quæ pro pluribus non potest, nec pro vnico possit: hinc est, quòd Patres negantes potuisse à pura creatura exhiberi Deo condignam pro peccatis humani generis satisfactionem, simul consequenter negant potuisse vel pro vnico alterius peccato mortali.

V.

Quæ veritas iam ratione probanda est: quam quidam ducunt ex infinita actu mortalis peccati malitia, finita autem puræ, cuiuslibet creaturæ satisfactione: aliqui ex infinita Dei per mortale peccatum offensi dignitate, & infinita creaturæ offendentis comparatæ cum Deo vilitate, quam vilitatem habebit quælibet pura creatura cum ipso comparata, pro alieno peccato satisfaciens: alij ex eo quòd nulla pura creatura satisfacere Deo potest pro alieno peccato, nisi ex auxilio gratiæ Dei, ac proinde nisi ex acceptis ab ipso, neque per alios actus, quàm per proprios suos, qui magis sunt in dominio Dei, quam ipsius creaturæ satisfacientis. Verùm cùm rationes istæ maiorem vim habere non possint ad probandum puram creaturam non posse Deo perfectè satisfacere pro mortali alterius peccato, quàm pro proprio suo, nullam autem ad hoc posterius habeant, vt ex superiori disput. constat, sequitur, ad illud prius nullam pariter habere. quare iis omissis vtar vnica & efficaci ratione, qua communiter cum Gab. Vasq. disp. 4. cap. 5. Recentiores alij iam vtuntur.

VI.

SECTIO II.

Eadem negatiua pars efficaci ratione probatur.

VII.

RATIO hæc sic à me proponitur. Non potest pura creatura pro mortali alterius peccato alio modo perfectè satisfacere, quàm condigno merito merendo ipsi à Deo vel auxilia gratiæ, quibus tandem à peccato iustificetur, vel ipsam sanctificantem gratiam, qua sine vlla sua præparatione à peccati macula formaliter emũdetur: atqui non potest isto modo perfectè pro mortali eius peccato satisfacere: ergo nullo. Maioris veritas hinc constat, quòd duobus tantùm modis potest aliquis pro altero, seu debitò alterius perfectè satisfacere. Primo sic, vt vi satisfactionis exhibitæ deleat formaliter ab eo pro quo satisfacit debitum quod antea habebat, ita vt ille cui debebat nihil amplius ab eo possit iure exigere: quo modo in materia strictæ iustitiæ, vnus pro alio perfectè satisfacit, Ioannes verbi causa dum pro Petro debente centum Paulo, eidem Paulo centum persoluit. Secundo sic vt qui satisfacit, vi satisfactionis suæ formaliter ab eo pro quo satisfacit, non deleat formaliter debitum quod contraxit, at condignè mereatur ab eo cui satisfacit, vt ei pro quo satisfecit, totum debitum remittat. Iam verò ex his duobus pro altero satisfaciendi modis, cùm prior locũ habere non possit, quando de satisfactione agitur exhibenda Deo pro peccato alterius, restat, vt

VIII.

quis habere locum potest, sit solus posterior.

Ideo autem prior locum habere non potest, quia non potest à peccatore contracta per peccatum mortale dignitas, seu debitum carendi diuina amicitia, luendi pœnam æternam, & quodvis aliud quod contraxit, deleri formaliter, nisi per eã formam qua formaliter à peccati macula emundatur, ac proinde sanctificatur: quandiu enim remanet hæc in illo macula, tandiu quoque remanet illud debitum & dignitas, cùm eam necessariò comitetur: nullus autem peccator à peccati macula emundari formaliter potest per actum alterius, aut per sanctitatem alteri inexistentem, sed solum per propriam in se receptam: quod ita verum est, vt ne nos quidem per actus Christi satisfactorios licet infiniti valoris, aut per eius infinitam sanctitatem emundari formaliter à peccatis potuerimus: vnde & ipse Christus non alio modo pro peccatis nostris satisfecit, quàm posteriori ex duobus antè relatis, seu eo de quo in maiori nostra propositione loquimur, quem sanè nemo diceret pro iis condignè satisfeciſſe, nisi condigno merito nobis vel illa gratiæ auxilia quæ in eadem Maiore dixi, vel illam sanctificantem gratiam, cuius ibidem memini, meruisset.

Iam probo sic Minorem. Si pura creatura posset alteri in statu peccati mortalis existenti condigno merito mereri à Deo aut hanc gratiam, aut illa gratiæ auxilia, vel id posset per opus factum extra statum gratiæ sanctificantis, vel factum in statu gratiæ istius: neutrum autem dici potest: non primum, nam certissimum est principium omnis huiusmodi meriti condigni esse gratiam sanctificantem: secundum autem dici non posse probo in primis authoritate Adriani primi summi Pontificis in epistola ad Episcopos Hispaniæ, colum. 4. de Christo disertè dicentis, quòd *sicut peccata nostra non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita nec adoptionis nobis gratiam tribueret*, (ex condigno scilicet merito, quo solùm modo eam nobis tribuere eius humanitas potest) *si gratiam adoptionis accepisset*. Id est, si solùm Dei filius adoptiuus per gratiam fuisset, & non naturalis eiusdem Dei filius per diuinitatem vnitam humanitati personaliter: atqui purus homo quantacunque gratia sanctificante præditus aliam non habet gratiam quàm adoptionis: vt enim aliam haberet, ipsum esse vnitum diuinitati personaliter oporteret, quod fieri non potest, quia per hanc vnionem esse purus homo desineret, sed Deus homo simul existeret. Ergo ex mente huius Pontificis nullus purus homo potest alteri mereri merito condigno gratiam adoptionis: ergo nec gratiam sanctificantem qua formaliter à peccato emundamur: hac enim adoptiui Dei filij constituimur: neque illa gratiæ auxilia de quibus hîc loquimur, quia licet per illa formaliter, sicut non emundamur à peccato, nec formaliter sanctificamur, ita nec formaliter adoptiui filij Dei constituamur, pereadem tamen sicut ad hanc emundationẽ & sanctitatem perducimur, sic adoptionẽ filiorum Dei consequimur: vnde si purus aliquis homo condigno merito mereretur alteri illa gratiæ auxilia, mereretur ipsi vero & proprio aliquo sensu gratiam adoptionis: sicut & Christus hanc nobis condignè promeritus, hanc eo ipso nobis promeruit: sicut & nunc dum hominum aliquis merito congruo meretur alteri auxilia illa, eidem eo ipso adoptionis gratiam meretur.

Nec dicat hîc quispiam, Pontificem negantem Christo vim merendi nobis gratiam adoptionis, si solam adoptionis gratiam habuisset, negasse non de potestate Dei absoluta, sed de lege solum ordinaria: negauit enim reuera de potestate absoluta: eodem enim prorsus modo negauit ipsi vim nobis merendi condigno merito gratiam adoptionis, si hanc solam gratiam habuisset, quo modo negauit eidem vim tollendi peccata nostra, per condignam scilicet satisfactionem, si peccatum ipse habuisset: vt satis indicat comparationis particula, *sicut*, quam vsurpat: at de potestate etiam absoluta minimè potuisset peccata nostra sic tollere, si peccatum ipse habuisset, vt certum omnibus est.

Idem probo deinde hoc argumento. Gratia sanctificans puræ illius creaturæ esset eiusdem rationis cum ea, quæ nunc est in iustis hominibus: ab ea enim solo numero differret: atqui naturæ gratiæ nunc in istis hominibus existentis repugnat esse principium operis, quo vnus alteri vel primam gratiam sanctificantem, vel eius incrementum, vel auxilia gratiæ ad illius consequutionem necessaria de condigno mereatur. Ergo etiam naturæ gratiæ in pura illa creatura de qua loquimur existentis repugnaret, esse principium alicuius operis, quo alteri gratiam hanc, aut illa gratiæ auxilia condigno merito mereretur. Sola Minor huius syllogismi probatione indiget: eam autem probo, eo quòd de natura gratiæ nunc in iustis hominibus existentis est, vt nulli operi bono quod iustus exercet alterius rei condignum meritum tribuere possit, quàm æternæ gloriæ, & incrementi ipsius gratiæ: aut aliud condignum meritum, quàm quo ipse iustus sibi soli æternam illam gloriam, & istius gratiæ incrementum mereatur. Quod nisi ita esset, quam haberent iustam Theologi causam, tam communi constantique consensu negandi iustis hominibus vim condigno merito merendi alteri gratiæ auxilia ad emundationem peccati necessaria, aut ipsam gratiam ea formaliter emundantem, ac proinde condignè pro alterius mortali peccato satisfaciendi?

An fortè dicetur ad hoc requiri, non quamcunque gratiam ac sanctitatem, sed aliquam singulariter excellentem, qualis in iustis hominibus non reperitur? At cùm tam singulariter excellens fuerit in B. Virgine, & in Apostolis, cur neque hi, neque illa, vlli vnquam alteri vel minimum gratiæ sanctificantis gradum, vel præuenientis auxilium condigno merito meruerunt? vt æquè communis & constans est Theologorum consensus. An quòd eorum gratiam & merita non ordinauerit Deus ad vllam alteri gratiam condignè promerendam? Creatura autem meritum habere nullum possit apud Deum, nisi secundùm præsuppositionem diuinæ ordinationis, vt D. Thom. prima secundæ quæst. 114. art. 1. loquitur. Verum si ex voluntate, seu ordinatione Dei pendet, vt opera facta à creaturis in statu gratiæ sanctificantis sint aliis meritoria gratiæ, vel non sint, pari iure ex eiusdem voluntate & ordinatione pendebit, vt sint ipsi operãti

I. II. III. IV. A B C D V. VI. VII. VIII.

meritoria, vel non ipsi, sed alteri: præterea vt sint ipsi meritoria, non quidem vitæ æternæ, & incrementi gratiæ, sed alicuius alterius rei: aut vt sint istius vitæ & gratiæ meritoria, & simul cuiusdam alterius rei, cuius modo meritoria non sunt, vt efficacis auxilij ad perseuerandum in gratia semel accepta. Quare sicut omnes concedunt de natura gratiæ sanctificantis esse, vt operibus I. A in ea factis non possit non tribuere condignum meritum, quo ipse operans sibi vitam æternam, & gratiæ incrementum mereatur, nec tribuere possit condignum meritum, quo sibi illud efficax auxilium ad perseuerandum, aut quiddam aliud promereatur, præter id quod reipsa iam promeretur: ita de eiusdem natura esse concedendum est, vt illis ipsis operibus condignum meritum dare non possit, quo operans vlli alteri vel minimum gratiæ auxilium condignè mereatur.

Quod autem dicitur, & D. Thomæ authoritate confirmatur, verum est, intellectum prout eo loco intellexit ipse D. Thomas, nimirum de ordinatione qua Deus ordinauit, seu decreuit dare iustis sanctificantè gratiâ, vt ex ea operarêtur, II. B & operando condignè mererentur id quod ex propria ipsius gratiæ natura sic mereri possunt, quod est ipsa æterna gloria, & huius gloriæ, pariterque gratiæ incrementum: quo modo se illud intellexisse manifestè declarauit, tum ex aliis quæ ibidem habet, tum ex similitudine ad hoc illustrandum appositа, petita ex rebus naturalibus, quas dixit per proprios motus & operationes consequi id ad quod sunt à Deo ordinatæ: quod non consequuntur per aliam Dei ordinationem, quàm per eam qua formas illis naturales decreuit dare, & reipsa dedit, ad hoc consequendum accommodatas.

Sed fortè dicetur gratiam & sanctitatem Apostolorum, ipsius quoque Virginis, licet ingentem, tamen non fuisse tantam, vt alicui alteri cõdignè mereri posset aliquod gratiæ auxilium: at III. C si ad certam quandam intensionem maiorem excreuisset, multóque magis si peruenisset ad infinitam, futurum vt id posset. Verum quia gratia illa intensiuè maior, imò etiam infinita, foret eiusdem naturæ ac rationis cum ea quæ nunc est in iustis hominibus, ab eaque solo numero differret, ac secundùm magis & minus duntaxat, cùm hæc in iis existens non sit principium alterius meriti condigni, quàm illius, quo sibi gratiam & gloriam merentur, maiorem aut minorem, prout maior aut minor est, opusque bonum ac meritorium cuius principium est, plus aut minus habet bonitatis, ideo illa quoque intensiuè maior, aut etiam infinitè intensa, in eo in quo existeret, non esset alterius condigni meriti principium, quàm eius quo sibi gratiam & gloriam mereretur, IV. D sed intensiorem, aut etiam infinitè intensam. Vnde rectè à Theologis eadem gratia, dum semen gloriæ dicitur, seminì comparatur, quod in eo solo agro in quo seminatum est ferre potest fructum, nec quemlibet, sed proprium suum tantum: maiorem tamen, aut minorem, prout maius aut minus, seu perfectius aut imperfectius est: quod etiamsi fieret maius ac maius in infinitum, non propterea posset ferre fructum suum in agro alio, quàm in eo in quo seminatum est.

Quod si, vt hæc ratio ostendit, nulla pura creatura, quantumlibet sancta, potest vlli alteri mereri condignè vllum gratiæ auxilium, nec proinde potest pro alterius peccato mortali condignè satisfacere, multò minùs id poterit pro peccato generis humani, quod & actuale primi parentis, & originalia omnia posterorum omnium comprehendit: quamquam si pura creatura potuisset illud pro vnico mortali alterius peccato, V. idem quoque potuisset pro peccato humani generis, imò pro omnibus quoque peccatis actualibus, quæ ad finem vsque mundi committentur: omnium enim illorum peccatorum tam originalium quàm actualium numerus finitus est, sicut & hominum, quorum nullus nisi finita numero peccata toto vitæ suæ tempore contracturus est: vnde si pura creatura posset actum aliquem exercere tanti valoris & meriti, vt hic esset condigna pro vnius mortali peccato satisfactio, cùm per absolutam saltem Dei potentiam possit exercere actus maioris in infinitum valoris ac meriti, potuisset per consequens aliquem exercere, qui tantum valorem ac meritum habuisset, VI. vt esset condigna satisfactio pro peccatis illis omnibus. Omitto quòd idem potuisset tot numero multiplicatis actibus meritoriis & satisfactoriis, vt illorum omnium peccatorum numerum finitum excederent, quolibet actu tantum habente valoris ac meriti, vt pro peccato vno posset esse condigna satisfactio.

SECTIO III.

Soluuntur duæ obiectiones.

PRIMA est. Nihil repugnat Deum puro homini tantam intensiuè gratiam habitualem conferre, quantam animæ Christi contulit, eíque promittere, si sua opera bona offerret pro aliorum in mortali peccato existentium salute, VII. daturum se illis gratiam, qua iustificationem à peccato, & salutem consequerentur: hac autem promissione suppositâ, nihil deesset bonis puri illius hominis operibus in eum finem factis, quo minus gratiam aliis & salutem condignè mererentur.

Sed nego nihil huiusmodi illis defuturum: quamuis enim puro illi homini habitualem gratiam infinitè intensiorem ea quam contulit animæ Christi, contulisset, & promissionem illam adiunxisset, tamen in eius bonis operibus non esset meritum, quo aliis vllum gratiæ auxilium condignè mereretur. Vt enim probaui in Tractatu de gratia disputat. 14. promissio mercedis facta bono operi nullam ei dignitatem, nullum meritum ad mercedem hanc accipiendam tribuere potest, quam & quod, secluſa illa promis- VIII. sione, ex se non habuisset: vnde cùm nullius puræ creaturæ quantacunque gratia & sanctitate præditæ vllum bonum opus possit secluſa promissione Dei esse de condigno meritorium vlli alteri vllius gratiæ, vt ratione nostra ostendimus, nec poterit esse, quantumcunque promittat Deus, se, si bonum aliquod opus fiat, gratiam aliis daturum: alioqui cùm promisisset primo nostro parenti daturum se nobis in ortu nostro sanctificantem gratiam, si præceptum quod imposuerat seruaret, gratiam hanc nobis

condignè meruiſſet opere illo bono, quo præceptum ſeruaſſet, quod nullus, vt opinor, Theologus concedet. Et ſanè ſi promiſſione mercedis alicuius opus fieret condignum tali mercede, nullum eſſet tam exiguum bonũ opus, quod non poſſet fieri condignè meritorium quantumcunque magnæ mercedis, quia nullum eſt huiuſcemodi opus cui non poſſit promitti maior ac maior merces in infinitum.

I.

Secunda eſt. Non repugnabat poſt lapſum Adami, & totius humani generis in peccatum, Deum ſe ſolo nouum & purum hominem producere, ſanctitate donare, caputque omnium hominum conſtituere, in quos poſſet aliquo ſuo opere bono tranſinittere gratiam, ſicut & Adamum caput omnium poſterorum conſtituerat, in quos poterat transfundere priuationem gratiæ, & reipſa opere ſuo malo transfudit: atqui Adamus hanc transfudit opere ſuo malo, itavt condigne transfuderit, ſeu vt poſteros ſuos priuari gratia condigno merito meruerit: ergo etiam nouus ille & purus homo aliquo ſuo opere bono gratiam transfundere in homines potuiſſet, itavt hanc illis opere ſuo condigne mereretur.

II.

Reſpondeo concedendo omnia, hac excepta conſequentia, quæ mala eſt: alioqui cùm Adamus fuerit reipſa caput omnium poſterorum conſtitutus, in quos erat transfuſurus de facto gratiam, ſi impoſito ſibi præcepto paruiſſet, meruiſſet poſteris condigno merito gratiam, ſicut violatione huius præcepti meruit huius gratiæ priuationem poſteris, & hac ipſe priuationis iſtius pœna puniri: cùm tamen Theologi hoc in eius peccato condignum meritum agnoſcant, ſimul negantes condignum illud aliud meritum in eius opere bono futurum, & rectè profectò: conſequens enim non eſt, vt ſi peccatum aliquod condignè mereatur pœnam aliquam, actus virtutis huic peccato oppoſitus præmium huic pœnæ oppoſitum condignè mereatur: alioqui cum quolibet actu peccati mortalis condigne mereamur non tantùm priuari in perpetuum viſione Dei, ſed etiam auxiliis gratiæ neceſſariis ad reſurgendum à peccato, quolibet actu virtutis oppoſito iſti peccato condigne mereremur, non modò viſionem Dei, ſed etiam auxilia gratiæ Dei, neceſſaria ad nunquam relabendum in mortale peccatum: quod certiſſimum eſt nos non condignè mereri.

III.

DISPVTATIO V.

Vtrùm poſsit purus homo perfectè Deo ſatisfacere pro ſuo, vel alieno peccato veniali?

IV.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit ſentiendum declaratur, & probatur.

QVÆSTIO hæc proponitur eodem ſenſu quo præcedens ſuperiori diſputatione propoſita, quem ſenſum ipſo diſputationis illius initio declarauimus. Dicendum autem primò, nullum purum hominem poſſe condignè ſatisfacere pro alterius peccato veniali: duobus enim illis tantùm modis, quos illa diſputatione explicuimus, poteſt quis pro alieno peccato, ſiue mortali, ſiue veniali, debitóque per ipſum contracto, perfectè ſatisfacere: neutro autem purus homo poteſt ſatisfacere perfectè pro alterius peccato veniali. Non quidem primo, quia debitum ex hoc peccato cõtractum deleri formaliter non poteſt, niſi per eam formam, per quam ipſa peccati venialis macula deletur, ob eandem omnino cauſam, ob quam ibidem dixi debitum ex mortali peccato contractum per eam ſolam formam deleri formaliter poſſe, per quam deleri formaliter poteſt ipſa peccati mortalis macula: peccati autem venialis, ſicut & mortalis, deleri non poteſt maculà formaliter, niſi per formam ſanctificantem, in eo qui ab hac macula emundatur receptam: nec proinde poteſt per vllum alterius actum quantæcunque bonitatis & valoris, imò etiamſi ſit infiniti, cuiuſmodi fuerunt actus Chriſti Domini, qui propterea primo illo modo pro peccatis noſtris venialibus ſatisfacere non potuit, ſed ſolùm ſecundo. Neq. etiã ſecundo, quia vt purus homo iſto modo poſſet ſatisfacere perfectè pro alterius peccato veniali, oporteret ipſum aliquo actu ſuo poſſe condignè mereri alteri, vel ipſam gratiam ſanctificantem quæ formaliter peccati venialis maculam delet, vel auxilia gratiæ neceſſaria, quibus ad eius remiſſionem peccator ipſe perducitur: neutrum autem ſic mereri ipſi poteſt, vt ex dictis ſuperiori diſputatione notum eſt.

A

V.

B

VI.

C

Dicendum ſecundò, purum hominem in peccato mortali exiſtentẽ, quandiu in eo manet, non poſſe condigne pro ſuo veniali peccato ſatisfacere: neutro enim duorum illorum modorũ poteſt, cùm tamen aliis non poſſit. Non primo, quandiu enim manet in peccato mortali, nullum exercet actum quo vel formaliter iuſtificetur, vel proximè ad gratiam iuſtificantem diſponatur: nam ſi aliquem eiuſmodi actum exerceret, eo momento quo exerceret, deſineret eſſe in peccato mortali: quandiu autem nullum eiuſmodi actum exercet, manet peccati venialis macula, debitúmque proinde ex hoc peccato contractum: nam & hoc debitum, & illa macula nõ deletur formaliter, niſi per formam quæ formaliter ſanctificat: quandiu autem hoc debitum & illa macula manent formaliter, nõ ſatisfit pro illis primo illo modo, quia conſiſtit ille modus in eo ſatisfactionis genere, vi cuius formaliter prædicta macula debitúmque delentur. Neque etiam ſecundo, quia quandiu quis eſt extra ſtatum gratiæ, nullo ſuo actu condignè mereri poteſt, vel ſanctificantem gratiam, vel auxilia gratiæ ad peccati venialis emundationem neceſſaria: eruſcemodi enim meriti condigni ſola gratia ſanctificans radix & origo eſt.

VII.

D

VIII.

Ex quo colligitur, quòd etſi quis nec in gratia Dei eſſet, nec in peccato mortali, vt ſi in ſtatu

puræ naturæ creatus esset, primúmq. peccatum quod committeret, esset veniale, quandiu supponeretur in hoc statu nec amici, nec inimici Dei remanere, non posset condignè satisfacere pro peccato suo veniali: non quidem secundo modo ex duobus prædictis, quia careret gratia seu amicitia Dei necessario requisita, vt actus aliquis habere possit meritum condignum vel gratiæ sanctificantis, vel auxiliorum gratiæ: nec primo, quia remanens in eo statu nullum actum exerceret, quo vel formaliter iustificaretur, vel ad iustificantem gratiam proximè disponeretur: nam si aliquem huiusmodi exerceret, eo momento quo exerceret, in eo statu esse desineret, & iustus coram Deo, eiúsque amicus fieret: quandiu autem talem actum non exercet, satisfacere primo illo modo non potest, vt ex proximè dictis constat. I.

Dicendum tertio, purum hominem iustum posse condignè satisfacere pro suo veniali peccato. Ita communiter Theologi, ac præsertim recentiores, nominatímque Vasq. disput. 3. cap. 3. Probatur autem efficaciter ea ratione, qua ipse ibidem vtitur, quam sic propono. Illa satisfactio pro peccato condigna est, quæ tantæ bonitatis est, ac valoris, vt vi sua totam peccati maculam & debitum dissoluat, absque vlla gratuita condonatione Dei partem aliquam debiti remittentis: atqui potest purus homo iustus huiusmodi satisfactionem pro suo veniali peccato exhibere Deo: ergo potest ei pro illo condignè satisfacere. Maioris veritas constat, tum quia illa perfecta & æqualis debito solutio est, quæ tanti valoris est, vt vi sua totum exhauriat debitum, absque vlla interueniente gratuita condonatione creditoris debiti partem aliquam remittētis: tum quia ideo præcisè non potest homo pro suo mortali peccato condignè satisfacere, quoniam in ea omni quam pro ipso potest exhibere satisfactione necessariò interuenit gratuita condonatio Dei creditoris remittētis partem aliquam debiti, vt constat ex sect. 7. tertiæ disputationis: vnde si in satisfactione pro veniali nulla pars debiti à creditore Deo liberaliter ipsi remittatur, aliunde verò per actum quo satisfacit, deleat omnem huius peccati maculam, ac debitum, non est quod negetur satisfactionem hanc perfectam esse atque condignam. II. III.

Iam probo Minorem: potest enim purus homo ex auxilio gratiæ Dei perfectam contritionē de peccato suo veniali concipere, quo actu delet omnem eius maculam, totumque ex ea ortum debitum necessariam habens cum ea connexionem. Quod si maculâ illâ per illū actum deletā, remanet aliquando in eo qui peccauit venialiter debitum seu dignitas pœnæ alicuius temporalis luendæ, nec proinde actus ille perfecta satisfactio est pro toto debito per illud peccatum contracto, Dico in primis hoc non impedire, quo minùs ille ipse actus perfecta satisfactio sit pro ipsa saltem peccati venialis macula, proque debito cum ipsa necessariam connexionem habente, cùm & illam maculam, & totum hoc debitum vi suæ bonitatis ac valoris formaliter exhauriat. Dico deinde hoc item minimè impedire, quo minùs possit purus homo iustus cōdignè satisfacere pro toto debito ortum habente ex peccato veniali: potest enim ex auxilio item gratiæ Dei tam feruentem perfectæ contritionis actum exercere, vt vi eius formaliter totum illud debitum, dignitatemque luendæ temporalis illius pœnæ destruat, absque eo quòd vlla pœnæ illius particula gratis ipsi remittatur: idéque potest per multos alios actus bonos, vt in materia de Pœnitentia & satisfactione ostendemus. IV.

Quod autem in hac satisfactione quam purus homo exhibet Deo, & qua totam peccati venialis maculam, totúmque ex ea ortum luendæ pœnæ debitum formaliter exhaurit, non interueniat vlla gratuita Dei creditoris remissio debiti partem aliquam condonantis, probo ex eo quod si quæ interueniret, maximè quia non potest ille perfectæ contritionis, aut alterius virtutis actus satisfactorius exerceri, sine prævio diuinæ gratiæ auxilio dato gratis, cuius hæc gratuita donatio est aliqua partis debiti condonatio: at quamuis prædicti actus satisfactorij exerceri nequeant sine prævio illo auxilio, gratuita tamen eius donatio non est aliqua gratuita partis debiti condonatio: vt enim esset, oporteret hominem per veniale peccatum contraxisse debitum seu dignitatem carendi in perpetuum auxilio gratiæ ad emundationem peccati venialis necessario: sicut gratuita donatio auxilij necessarij ad peccati mortalis emundationem est ob eam causam gratuita partis debiti condonatio, quod homo per mortale peccatum contraxerat debitum seu dignitatem carendi auxilio illo in perpetuum: atqui homo per veniale peccatum non contrahit, nec contrahere potest debitum, seu dignitatem carendi auxilio gratiæ ad actum contritionis, & per consequens ad illius peccati emundationem necessario: quoniam sequeretur alioqui peccatum veniale per se dignum esse puniri æterna pœna: peccatum enim tandiu puniri dignum est, quandiu est, eiúsque macula non deletur: dignum autem esset cuius macula nunquam deleretur, quia dignum esset carere omni gratiæ auxilio ad eius deletionem necessario: falsum autem est, peccatum veniale per se dignum esse puniri æterna pœna: tum quia hoc soli mortali proprium est, ex communi Theologorum doctrina, quam in Tract. de peccatis, disput. 17. probauimus: tum quia cùm veniale peccatum per se & natura sua simul esse possit cum gratia sanctificante, vi autem gratiæ huius homo non possit non habere dignitatem ad vitam æternam aliquando consequendam, fieri non potest, vt veniale peccatum ex se suáque natura dignum sit æterna pœna puniri: alioqui simul in eodem homine possent existere duæ dignitates, vna ad æternam vitam aliquando consequendam, altera ad luendam æternam pœnam, & per consequens ad vitam æternam nunquam habendam: quas duas dignitates inuoluere contradictionem, clarum est. V. VI. VII. VIII.

Dicendum quartò, purum hominem iustum nullo alio actu posse condignè satisfacere pro peccato suo veniali, quam eo quo formaliter huius peccati maculam delet, & contractum ex eo debitum extinguit: quandiu enim nullum huiusmodi actum exercet, primo modo ex duobus antè relatis non satisfacit, vt ex dictis patet: neque etiam secundo, quamuis enim præter actum vi cuius deleri formaliter illa macula

potest, & istud debitum extingui, multos alios bonos exercere possit, nullo tamen eorum mereri condignè potest quidquam aliud quàm incrementum gratiæ sanctificantis, & gloriæ, vt ex superiori disputat. constat, nec proinde potest, vel ipsam determinate gratiam qua formaliter ab
I. illa macula purgari posset, vel auxilia gratiæ ad eius purgationem necessaria.

Et sane quis dicet Deum pro quocunque puri hominis iusti actu bono retribuêtem quantumuis intensam habitualem gratiam, non compensaturum totum quod habet ille actus cõdignum gratiæ meritum, nisi conferat eum specialẽ gratiæ gradum, quo peccati de quo agimus macula formaliter deleri potest, & debet? quamquam si quis est, qui tueri posse se putet specialem hunc gratiæ gradum, aliúmve particularem modum, quo venialis peccati macula formaliter purgaretur, cadere posse in condignum puri hominis iusti meritum, dicat consequenter, hominem hunc posse pro suo veniali peccato condignè satisfacere duobus illis modis, quos supra retulimus.
II.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM est. Auxilium gratiæ necessarium ad perfectam de veniali peccato contritionem eliciendam, dum confertur homini iusto, confertur non digno cui tale auxilium conferatur: ergo illa contritio non est condigna pro peccato illo satisfactio. Sed negatur hæc consequentia: vt enim non esset, oporteret hac illius auxilij donatione fieri ipsi gratuitam partis debiti condonationem: ad hanc autem non sufficit conferri illud auxilium non digno ipsum habere, sed oporteret conferri indigno habere, seu digno non habere: alioqui dum primum gratiæ
III. donum contulit Deus primis nostris parentibus C in statu innocentiæ, & Angelis in statu viæ ante omne peccatum, debitum aliquod ipsis liberaliter condonasset, quia primum illud gratiæ donum gratis eis non dignis dedit, cùm omnem bonum eorum actum antecesserit: dum autem confertur homini iusto gratiæ auxilium de quo loquimur, etsi conferatur non digno, quia nullo opere suo bono condignè meruit vt illud acciperet, cùm iustus bonis suis operibus nihil præter æternam vitam, & incrementum gratiæ sanctificantis ac gloriæ condignè mereatur, vt supra probauimus, non tamen confertur indigno habere, seu digno carere, quia ratione peccati venialis hanc dignitatem non contrahit, nec contrahere potest, vt ostendimus.

Secundum est. Aliquando saltem homo indi-
IV. gnus est cui conferatur: ergo tunc saltem con- D dignè pro suo veniali peccato satisfacere non potest. Probatur antecedens: tunc enim indignus est cui conferatur, cùm in veniali peccato existit, habens simul aliquod mortale: ratione enim mortalis peccati dignus est carere omni auxilio gratiæ, & proinde eo quod ipsi ad delendum veniale necessarium est. Consequentiæ bonitas ex eo constat, quòd tunc non potest homo condignè satisfacere, quando in eius satisfactione necessario interuenit gratuita aliqua partis debiti condonatio: tunc autem necessariò aliqua interueniret, quia daretur auxilium gratiæ necessarium ad satisfactorij actus exercitium, cuius donatio esset gratuita partis debiti condonatio, quandoquidem is cui daretur, eo carendi debitum seu dignitatem haberet.

A Respondeo concesso antecedente, quod verum est, & eius probatione, quæ bona est, distinguendo consequens: si enim sensus sit, hominem V.
tunc non posse condignè satisfacere pro suo veniali peccato, quia tunc necessariò interuenit cõdonatio aliqua partis debiti contracti ex veniali peccato pro quo satisfacit, falsum est: prædicti enim auxilij donatione nullum debitum ex isto peccato contractum ei dimittitur: nam debitum carendi auxilio gratiæ necessario ad emundationem peccati venialis, quod ei dimittitur, dum auxilium istud donatur, non fuit contractum ex hoc peccato, licet cum mortali coniuncto, sed ex hoc solo mortali: veniale enim etiã cum mortali coniunctum per se non est dignum æterna pœna, nec proinde facit per se, seu ratione sui
B hominem dignum carere in perpetuum necessa- VI.
rio ad eius emundationem gratiæ auxilio. Sin autem sensus sit, hominem tunc non posse condignè satisfacere pro veniali, quin tunc interueniat necessariò gratuita condonatio debiti alicuius contracti per mortale peccatum hominis satisfacientis pro suo veniali, verum est, & hoc solùm euincit allata consequentiæ probatio. Verum hæc gratuita debiti istius condonatio non magis impedire potest, quo minus illa satisfactio pro veniali, totóque per ipsum contracto debito, condigna sit, quatenus præcisè pro eo satisfactio est, quàm gratuita condonatio partis vnius debiti contracti per mortale peccatum impedire potest, quo minus satisfactio pro parte altera debiti per idem peccatum contracti condigna sit. Vnde disputatione 5. sectione 12. docuimus purum hominem actu perfectæ con-
C tritionis & charitatis condignè satisfacere pro VII.
ipsa præcisè macula peccati mortalis, similitérque pro ipso præcisè debito mortis æternæ luendæ, etsi non possit pro debito carendi gratiæ auxiliis ad hunc actum eliciendum necessariis, nec per consequens pro toto debito quod per peccatum mortale contraxit.

Tertium est. Si veniale peccatum per se & ratione sui non facit hominem dignum carere gratiæ auxilio ad eius purgationem necessario, nec proinde donatio huius auxilij est gratuita partis debiti per peccatum veniale contracti condonatio: sequetur, gratiam hanc non esse gratiam redemptionis seu reparationis, nec proinde esse gratiam Christi, seu collatam nobis ex merito passionis eius & mortis. Cùm enim Christus non sit passus & mortuus, nisi vt
D humanum genus redimeret, ac repararet, tota VIII.
quam nobis meruit gratia, est, & dicitur gratia redemptionis, seu reparationis: vnde si aliqua gratia nobis confertur, quæ non sit redemptionis seu reparationis, non erit Christi gratia, seu collata ex merito passionis ipsius & mortis. Quod autem ex illo antecedente sequuturum sit, gratiam quæ dabitur ad remissionem peccati venialis, non esse gratiam redemptionis seu reparationis, hinc patet, quod ea sola sit gratia redemptionis & reparationis, quæ nobis datur,

etiamsi

etiamsi ea carendi debitum & dignitatem per peccatum contraxissemus: vnde quæ collata fuit Angelis, gratia redemptionis & reparationis non fuit, quia ea carendi debitum per peccatum non contraxerant.

I. Respondeo negando ex illo antecedente istud sequuturum, & ad rationem qua sequuturum probatur, dico eam omnem gratiam esse redemptionis & reparationis, quam Christus merito suæ passionis & mortis nobis promeruit, & qua carendi debitum dignitatémque per peccatum nostrum contraxeramus: talis autem est gratia quæ nobis datur ad emundationem peccati venialis: hanc enim Christus nobis meruit, & ea nos carendi in perpetuum contraxeramus debitum, non quidem per aliquod nostrum veniale peccatum, sed per mortale tam originale, quàm actuale, quia quodlibet per se reddit hominem dignum carere quibuslibet gratiæ donis, ac proinde auxiliis quæ necessaria sunt ad remissionem peccati venialis: vnde cum hæc auxilia nobis à Deo liberaliter donantur, non dimittitur aliquod debitum ex veniali peccato cõtractum, sed ex solo mortali: debitum autem his

II. carendi auxiliis tunc nobis à Deo remittitur, quando ob Christi merita à mortali peccato iustificamur: ab hoc enim iustificati, sicut ampliùs iniusti & inimici Dei non sumus, sed è contrario iusti & amici, ita nec ampliùs digni qui in posterum gratiæ auxiliis careamus: hæc enim dignitas mortalis peccati maculam necessariò sequitur, & cum ea desinente desinit.

Quartum. Orant iusti Deum sibi ab ipso remitti peccata venialia: ipse quoque dicitur ea illis remittere, non modò dum ex opere operato ab eis purgantur in sacramento, sed etiam dum ex opere operantis per actum perfectæ contritionis extra sacramentum: ergo iusti pro suo veniali

III. peccato condignè non satisfaciunt. Probatur cõsequentia: primò, quia quod orantes à Deo consequi petimus, tanquam gratiam ipsius petimus: ergo dum venialium peccatorum remissionem orantes petimus, eam tanquam Dei gratiam petimus: vbi autem gratia creditoris est, ibi perfecta solutio seu satisfactio non est. Secundò, quia debitũ quod condigna solutione extinguitur, nõ dicitur à creditore remitti, sed à debitore solui.

Respondeo concesso antecedente negando cõsequentiam: & ad primam eius probationem, fateor remissionem peccati venialis esse veram aliquam factam à Deo ei cui remittitur gratiam, hánc que nos ab eo petere, dum oramus, vt nobis venialia peccata remittat, quandoquidem per solas naturæ nostræ vires nos ab iis emundare non possumus, sed solùm ex auxilio diuinæ gratiæ: nego autem hanc, & quamlibet gratiam creditoris impedire, quo minùs exhibita pro debito

IV. solutio siue satisfactio sit perfecta: alioquin, vt aliàs dixi, ne ipsius quidem Christi pro peccatis nostris satisfactio talis fuisset, cùm eam exhibere ipse non nisi ex diuina, & quidem multiplici gratia potuerit. Cur autem gratia illa quæ iustis necessaria est ad eluendam maculam peccati venialis per actum perfectæ contritionis, quam orando petunt, non impediat quo minùs hæc contritio sit perfecta pro peccato illo satisfactio, dictum est assertione tertia superioris sectionis: vnde cùm gratiam illam petunt, & obtinent, gratiam condignè satisfaciendi pro suo veniali peccato petunt, & obtinent.

Ad secundam dico, quòd quantumuis homo iustus actibus suis omne debitum peccati venialis perfectè soluat, simul tamen rectè dicitur peccati huius & debiti remissionem à Deo accipere: tum quia gratiæ præuenientis & adiuuatis auxilium necessarium ad illos actus exercendos ab eo accipit, quorum vi formaliter debitum illud & peccatum deletur: tum quia effectus, quos non nisi ex auxilio diuinæ gratiæ producimus, Deus potiùs producere quàm nos dicitur, & meritò, cùm eorum magis præcipua causa sit: remissio autem peccati venialis, & omnis debiti ex eo contracti, est effectus aliquis, quem non nisi ex auxilio diuinæ gratiæ producimus.

Quintum: plus malitiæ est in quolibet veniali peccato, quàm sit bonitatis in vllo opere bono hominis iusti: ergo iustus nullo opere suo bono condignè satisfacere potest pro suo peccato veniali. Cõsequentiæ bonitas ex eo probatur, quod ad perfectam pro peccato satisfactionem, requiritur in opere quo satisfit æquiualens bonitas malitiæ peccati pro quo satisfit. Probatur antecedens ex eo quòd cuiuslibet venialis peccati malitia superioris ordinis est bonitate cuiuscunque actus boni ab homine iusto eliciti, cùm turpius sit & indignius, Deũ personam infinitæ dignitatis & bonitatis quomodolibet offendere, quàm sit honestũ ac decens, ei quolibet actu bono cultum, & honorem deferre, cùm sit eo omni, & quocunque alio possibili dignissimus.

Respondeo primò, quidquid sit de antecedente, de quo mox, negando consequentiam: cuius ad probationem dico, non aliam requiri in actu perfectè satisfactorio æquiualentè malitiæ peccati bonitatem, quàm eam quæ vi sua formaliter totam huius peccati maculam delet, & vniuersum ex eo contractum debitum dissoluit, abs-

VII. que vlla intercedente gratuita partis debiti condonatione, prout disput. 3. sect. 12. fusiùs diximus, & probauimus.

Respõdeo secundò, negando antecedens, quod falsum est, sicut & id omne quod in eius probatione dicitur: cuius falsitas cõstat in primis ex eo quòd alioqui Deus plus odisset veniale peccatum ratione suæ malitiæ maioris, & superioris ordinis, quàm amaret opus bonũ hominis iusti, ratione suæ bonitatis minoris, & inferioris ordinis. Ex quo rectè consequens esset, vt homo iustus ratione sui peccati venialis plus absolutè simpliciterque displiceret Deo, quàm placeat ipsi ratione boni operis eliciti in statu gratiæ iustificantis: quod non modò contra veritatem, sed etiam fidem Catholicam est, ex qua certum est, hominem iustum ratione bonorum operum quæ exercet in statu gratiæ iustificantis sic placere Deo, vt propter hæc mereatur, & ab eo sit accepturus in præmium æternam gloriam: ratione autem peccati venialis quod committit, non ita displicere, vt propter hoc mereatur, & ab eo sit recepturus æternam pœnam, sed tantummodo temporalem. Quo fit vt hinc pro certissimo sit habendum, quòd sicut est plus bonitatis in æterna vita quæ bono operi iusti hominis in præmium redditur, quàm sit mali in pœna temporali

qua peccatum eius veniale iustè à Deo plectitur, hócque malum; illa bonitate longè inferius est: ita plus est bonitatis in bono opere iusti hominis, quàm in eius peccato veniali malitiæ sit, hæcque malitia est illa bonitate multò inferioris ordinis.

I. Constat deinde eo quòd consequens alioquin A esset, plus inesse malitiæ vnico peccato veniali, etiam leuissimo, quàm insit bonitatis omnibus bonis actibus collectiuè sumptis iustorum omnium & hominum, & Angelorum, etiamsi concipiantur hi actus fieri numero plures, ac simul intensiores in infinitum: Deo proinde plus displicere peccatum vnum veniale etiam leuissimum, cúmque plus hoc vnico peccato inhonorari, quàm placeant omnes illi actus simul sumpti, & quàm iis omnibus sic sumptis honoretur. Quæ profectò non modò procul à veritate, sed à communi etiam sensu abhorrentia sunt: imò idem omnino consequens esset de quocunque peccato veniali comparato cum bonis actibus Christi, licet infinitæ actu bonitatis & dignitatis: quia pari iure & ratione diceretur, malitiam cuiuslibet peccati venialis esse superioris ordinis bonitate quorumlibet actuum bonorum siue à Christo, siue à puris creaturis elicitorum: turpiúsque esse, & indignius, Deum personam infinitæ dignitatis, & bonitatis quomodolibet offendi, quàm sit honestum, ac decens, ei quibuslibet actibus bonis, quantæcunque bonitatis etiam actu infinitæ, cultum & honorem deferri, cùm sit hoc omni cultu & honore dignissimus.

II. B

DISPVTATIO VI.

An Christi pro peccatis humani generis satisfactio perfecta ex se seu condigna fuerit?

III. C

SECTIO PRIMA.

Pars affirmans Scripturarum authoritate probatur.

PARTEM negantem amplexi sunt Scotus in 3. dist. 19. qu. vnica §. *in ista quæstione*. Gabriel eadem dist. qu. vnica art. 1. notab. 3. & art. 2. concl. 2. Almainus ad eandem dist. q. 1. notab. 3. Durandus in 3. dist. 20. qu. 2. & Ioan. Medina cod. de pœnit. tract. 6. de satisfactione, qu. 1. docentes Christi opera non habuisse ex se sufficientem dignitatem & valorem ad perfectam seu condignam pro peccatis humani

IV. generis satisfactionem, sed à Deo fuisse liberaliter acceptata, quasi sufficientis ad hoc valoris & dignitatis, cùm tamen ex se reipsa non essent. At contraria affirmans tam communis est, vt eam omnes alij tam veteres quàm recentiores sequantur, tamque certa, vt contrariam aliqui non satis piam, doctrinæque fidei consentaneam existiment. Eam autem in primis Scripturæ authoritate, deinde Patrum testimonijs, postremò ratione probabimus.

Quod ad Scripturam attinet, non vtar hic, vt quidam faciunt, his Iob 6. verbis, *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Quæ verba in persona Christi dicta esse volunt, eorumque sensum esse, Christi perpessiones collatas cum peccatis hominum, quæ sua vocat, eo quòd pro iis V. satisfacere debebat, habuisse sine comparatione plus dignitatis & valoris ad satisfaciendum, quàm peccata omnia generis humani malitiæ & indignitatis. Illa enim verba, ex communi Interpretum expositione, non in persona Christi, sed ipsius Iobi dicta sunt, & de peccatis eius, & ea quam patiebatur calamitate intelligenda, vel eo sensu quem Latini sequuntur, & qui magis editioni vulgatæ consentaneus est, vel eo in quem Græci magis inclinant. Prior ille sensus est, Iobum de se dicere, quòd si vna in lance ponerentur peccata quibus iram Dei promeruit, & in altera calamitas quam patiebatur, hæc illis tantò præponderaret, quantò maris arena leuissimo oneri. Posterior est, eundem Iobum amicis suis iram sibi ac impatientiam obiicientibus sic re-

VI. spondere, si ponerentur vna in lance ira mea, & irati animi externa signa quæ vobis ostendo (nam pro verbis his *peccata mea*, legunt Græci *ira mea*) & in altera calamitas quam patior, tantò hæc illis præponderaret, quantò arena maris oneri leuissimo.

Non vtar etiam ad idem probandum his aliis Scripturæ verbis ex Psal. 129. *Et copiosa apud eum redemptio*: eorum enim sensus est, Deum esse maxime misericordem ad condonanda hominibus peccata, vt multi tam Græci quàm Latini Patres interpretantur: vel vt exponit Iansenius, ipsum abundantis & copiosæ esse misericordiæ ad populum suum ab omni vniuersim malo liberandum. Non vtar denique illis quibus dicitur humanum genus emptum, aut redemptum: emptus enim redemptusque captiuus ille

VII. merito diceretur, qui liber dimissus è carcere fuisset ob persolutum pro eo pretium præsertim per se magnum, licet non penitus sufficiens, & æquale debito.

Vtar autem tribus aliis Scripturæ locis, quibus etiam vtuntur alij, nominatimq. Vasq. disp. 5. cap. 2. & Suarez disp. 4. sect. 3. Primus habetur cap. 7. ep. ad Hæbr. in quo constituitur hoc discrimen ab Apostolo inter Christum & Leuiticos sacerdotes, inter vnicum ab eo semel oblatum in cruce suiipsius sacrificium, & illa multa quæ quotidie ab ipsis offerebantur, quòd nimirum ipsi infirmi essent, suisque istis tot & toties repetitis sacrificiis purgare populi peccata non possent, & afferre ei salutem æternam: Christus autem tam potens fuerit, vt id vnica sui oblatione perfecerit: quod discrimen nullum esset,

VIII. si Christi oblatio non fuisset ex se condigna & sufficiens. Nam si Christus merito suæ oblationis non condigne, sed congruè tantummodo remissionem peccatorum nobis, & æternam salutem meruit, impetrauitque, cùm Leuitici sacerdotes suis sacrificiis congruè quoque iis pro quibus offerebantur purgationem peccatorum & salutem æternam promeriti sint, ac impetrauerint, aut promereri saltem ac impetrare potuerint, nullum quoad hoc inter hos & Christū, eorumq. & ipsius sacrificiū discrimen intercesserit: nullū quoque

extiterit, si Christi satisfactio non fuerit ex se sufficiens, sed à Deo tanquam sufficiens liberaliter acceptata sit. Nam & Leuiticorum sacerdotum oblationes satisfactionésque, licet ex se minimè sufficientes, ab ipso tamen tanquam sufficientes acceptari potuerunt.

I. Secundus habetur cap. 10. eiusdem epistolæ, A in quo sic Apostolus: *Impossibile enim est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio.* Quibus in verbis, aduertendum primò quod ait Apostolus, impossibile taurorum & hircorum sanguine auferri peccata, intelligendum esse, tanquàm condigna, & æquiualenti pro peccatis satisfactione: quis enim neget posse tolli tanquam imperfecta & insufficiente, quam tamen Deus liberaliter vt sufficientem acceptaret?

Aduertendum secundò, quod additur, Deum oblationes, & hostias noluisse, eas ipsi non placuisse, non sic intelligi debere, quasi hæ ei aut

II. nullo modo placuerint; aut absolutè displicuerint: multis enim Scripturæ locis constat euidenter eas ipsi placuisse, easdémque offerri sibi non semel imperasse: sed intelligi sic debere, vt sensus sit, eatenus oblationes illas & hostias pro peccatis non fuisse ab ipso acceptatas, sed è contrario reiectas, id est, redemptionem à peccatis non esse consequutas, quatenus erant ex se valoris & pretij insufficientis ad eam consequendam.

Aduertendum tertiò, eundem Apostolum manifestè docere, Christi sacrificium priscis illis sacrificiis & oblationibus, quibus placari Deus non poterat, & redemptio peccatorum obtineri, fuisse subrogatum ad hunc ipsum finem, vt placaretur ipse Deus, & redemptio peccatorum obtineretur. Vnde necessariò concluditur, fuisse in Christi sacrificio vim aliquam placandi Dei, ob-

III. tinendæque redemptionis istius, quæ non inerat, C nec inesse poterat illis aliis sacrificiis & oblationibus: quæ sanè vis alia non fuit, quàm condignæ, & æquiualentis pro peccatis satisfactionis, inexistens ipsis Christi operibus, independenter ab omni beneuola Dei acceptatione, ea supra valorem eorum acceptantis. Nam vis placandi Deum, obtinendique ab ipso peccatorum remissionem per modum satisfactionis ex se insufficientis, quam tamen ipse liberaliter ad hunc effectum, si velit, acceptet, fuit illis aliis in oblationibus & sacrificiis.

Adde quòd si Christi satisfactio fuisset ex se insufficiens, cur non pariter diceret de ea Apostolus, ipsam Deo non placuisse, Deum eam noluisse: cùm id de illis aliis sacrificiis & oblationibus dixerit, eo solùm nomine, quòd sufficienti illa ex se & æquiualenti dignitate carerent? Dein-

IV. de cur non etiam dixisset, impossibile fuisse Christi sanguine auferri peccata, sicut dixit de taurorum hircorúmque sanguine? cùm ob eam solùm causam dixerit, quòd huius sanguinis effusio pretium ex se sufficiens esse non posset ad remissionem peccatorum à Deo consequendam?

Tertius habetur epist. ad Rom. cap. 5. in quo sic Apostolus: *Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Quibus verbis præfert, vt patet, meritum Christi ad saluandos homines, Adæ peccato ad perdendos: non præfert autem in eo quòd vita gratiæ sanctificantis sit efficaciùs in Adæ posteros deriuata ex Christi merito, quàm peccati mors in eosdem ex eiusdem Adæ peccato: hæc enim efficaciùs quàm illa deriuata est, cùm in omnes peccati mors deriuata sit efficaciter, vita autem gratiæ in quamplurimos non sit efficaciter deriuata, nimirum in eos omnes, qui reipsa nunquam ab originali peccato iustificati sunt. Nec præfert etiam in eo quòd ex Christi merito gratia aliqua deriuata sit in plures homines, quàm peccatum ex Adami peccato: non enim in plures illa deriuata est, cùm in solos homines deriuata sit, in eosdem autem vniuersos sit deriuatum peccatum ex Adami delicto. V.

Nec quemquam moueat, quòd Apostolus dicat *in plures*: Vox enim ista, non comparatiuè, sed absolutè accipienda est, idémque significat, VI. B atque in multos, vt ex Græco textu intelligitur, in quo non habetur εἰς πλείονας, id est, in plures, sed εἰς πολλούς, id est, in multos. Vnde restat vt illud Christi meritum ad saluandum Adæ merito ad perdendum præferat in valore, dignitate, virtutéque saluandi genus humanum, maiore, quàm fuerit illa vis, & virtus in Adami peccato existens ad idem genus humanum perdendum: nihil enim aliud in quo præferat colligi ex relatis verbis potest. Quare cùm in Adæ peccato fuerit vis & virtus perdendi condignè genus humanum, sequitur ex Apostoli mente fuisse multò magis in Christi merito vim ac virtutem reparandi condignè idem humanum genus: quem in sensum tres Summi Pontifices illum Apostoli locum intellexerunt, Caius primus, Leo primus, & Agapetus primus, quorum verba tertiæ se-

VII. ctionis initio referemus. C

Dicet forte quispiam, Apostolum Christi meritum ad saluandum præferre Adami merito ad perdendum, eo quòd hic peccato suo vnum tantùm in posteros suos originale peccatum traduxit, Christus autem redemptionem & ab hoc peccato, & ab omnib. aliis actualibus quæ commissuri erant meruit. Verùm vt omittam Apostolum verbis quidem ea quæ retuli consequentibus in eo quoque quod hîc dicitur præferre Christi meritum Adami demerito, at non illis ipsis verbis quæ retuli, Dico non fore simpliciter & absolutè illius meritum huius demerito præferendum, imò nec exæquandum, si cùm peccato suo peccatum illud vnicum in posteros suos condignè transfuderit, Christus merito suo redemptionem nobis neque ab hoc peccato, ne-

VIII. que ab aliis condignè meruit, sed ex solo Dei fa- D uore, & beneuola exhibitæ satisfactionis acceptatione obtinuit: sicut neque à quoquam puræ creaturæ satisfactio, quæ hoc ipso modo redemptionem nobis & iustificationem ab illis omnibus peccatis obtinuisset, illi peccato primi nostri parentis exæquaretur, tantum abest, vt præferretur.

SECTIO II.

Eadem pars affirmans Patrum teſtimoniis probatur.

I. AD eiuſdem veritatis confirmationem adiungo ſacræ Scripturæ ſanctos Patres, ex quibus produco in primis illos ſimul omnes, quos diſputat. 4. retuli, aſſerentes neceſſarium fuiſſe myſterium hypoſtaticæ cum Deo vnionis, ad humani generis redemptionem per condignam ſatisfactionem: concludentes quoque ex ea quam pro nobis exhibuit Chriſtus ſatisfactione, ipſum fuiſſe non purum hominem, ſed Deum ſimul & hominem: quos clariſſimum eſt illud nunquam aſſerturos, & iſtud nunquam concluſuros, niſi exiſtimarent, creaturam vnitam Deo hypoſtaticè poſſe condignam exhibere Deo ſatisfactionem pro peccatis humani generis, & talem reipſa fuiſſe eam quam Chriſtus exhibuit.

II. Produco deinde ſigillatim ex iis aliquos, eorúmque nonnulla, ſed illuſtria teſtimonia. Primum eſt Diui Athanaſij in Euangelium de paſſione & cruce Domini, folio circiter quinto, docentis humanum genus ad ſui redemptionem non fuiſſe ſibi ſufficiens, ideóque Chriſtum pro ipſo ſatisfeciſſe, ſatisfaciendo autem *parua magnis compenſaſſe*: qui niſi exiſtimaret Chriſtum exhibuiſſe ſufficientem ex ſe condignámque pro humano genere ſatisfactionem, non diceret ideo Chriſtum pro ipſo ſatisfeciſſe, quòd ipſum ſibi ad ſui redemptionem non ſufficeret, cùm ſufficeret ipſum ſibi ad ſui redemptionem per imperfectam aliquam ſatisfactionem, quam Deus liberaliter quaſi ſufficientem acceptare poterat: imò cum dicat genus humanum ſibi non ſuffeciſſe ad ſui redemptionem per æquiualentem condignámque ſatisfactionem, dicere de Chriſto
III. pariter deberet, ipſum ad humani generis redemptionem non ſuffeciſſe, ſi putaret eum pro redemptione iſta ſufficientem ex ſe & condignam ſatisfactionem exhibere non potuiſſe: falsò denique diceret Chriſtum ſatisfaciendo parua magnis compenſaſſe: imò potiùs, eum magna paruis compenſaſſe, dicere deberet.

Secundum eſt ſancti Cyrilli Alexandr. lib. 1. ad Regin. de recta fide, capite, *quod mors Chriſti mundo ſalutaris*, in hæc verba ex epiſtola ad Timotheum, *Vnus enim Deus*, &c. ſic ſcribentis: *Ex confeſſo ſalutaris eſt mors Chriſti, ſed ſi non eſſet Deus, quomodo ſolus ſufficit ad hoc, quòd ſit pretium? ſed ſufficit ſolus pro omnibus mortuus, quia ſuper omnes eſt*
IV. *Deus*. Quo loco non modò colligit Chriſtum eſſe Deum, ex eo quòd ſufficiens pro redemptione generis humani pretium perſoluit, quod niſi de ſufficienti ex ſe ac æquialenti pretio intelligeret, malè colligeret, cùm pura creatura poſſit inſufficientem aliquam exhibere ſatisfactionem, quam Deus liberaliter vt ſufficientem acceptet: ſed etiam pretij huius ſufficientiam condignitatémque refundit in ipſam perſonæ ſatisfacientis, quæ eſt ſuper omnes Deus, dignitatem, tanquam in cauſam, non in beneuolam Dei acceptationem: & meritò ſanè, cùm pretium quod ex ſe non eſt ſufficiens, & æquiualens debito, per liberalem creditoris acceptationem reddi non poſſit æquiualens, aut ſufficiens.

A Tertium eſt Diui Chryſoſtomi homilia 10. in caput 5. epiſtolæ ad Romanos ante medium ſcribentis, Chriſtum pro debito primi parentis, & totius humani generis ſatisfeciſſe, quemadmodum ſi quis in carcerem coniiciat quempiam decem obolos debentem, neque ipſum ſolum, ſed cum illo præterea vxorem, liberos, ac famulos, veniat autem aliquis alius, *qui non ſolum ſoluat decem illos obolos, ſed etiam innumera auri talenta largiatur*. Vnde paulò pòſt ſubdit, Chriſtum multò plura quàm debebamus, ſoluiſſe pro nobis, *tantóque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immenſum*: peccatúmque ac mortem, pro quibus ſatisfecit tanquam *ſcintillulam* ſatisfactione quam exhibuit, tanquam *ſupereffuſo mari ſolutam fuiſſe, ac extinctam*. Qui ſanè nunquam
B peccata noſtra cum Chriſti ſatisfactione comparata ſic extenuaret, nec vnquam hanc illis tantopere anteferret, niſi eam fuiſſe ſufficientis ex ſe valoris ac pretij ad ea delenda exiſtimaret. V. VI.

Poſtremum eſt Clementis VI. ſummi Pontificis in Extrauag. *Vnigenitus*. de pœnitentiis & remiſſionibus, cuius initio affirmat *guttam ſanguinis Chriſti modicam propter vnionem ad Verbum, ſufficere potuiſſe pro totius humani generis redemptione*: quam ſi ſufficere tantùm vellet non ex ſe, ſed ex beneuola Dei acceptatione, idem de gutta ſanguinis cuiuſuis hominis dicere potuiſſet, & quolibet eius opere bono, cùm ſic etiam ſufficere potuerit: quòd ſi de quouis eius opere bono, guttave ſanguinis hoc fuiſ-
C ſet pariter dicturus, cur vnam ſanguinis Chriſti guttam ſufficere pro illa redemptione potuiſſe dixit propter vnionem cum Verbo, tanquam ob veram & propriam huius ſufficientiæ cauſam? VII.

SECTIO III.

Eadem pars affirmans duplici ratione probatur.

PRIMA & à poſteriori petitur ex hoc abſurdo, conſequente ex doctrina aduerſariorum, nimirum in aliquo puræ creaturæ peccato poſſe plus eſſe dignitatis ac meriti ad perdendum nos, quàm in vllis
D Chriſti, Dei ſimùl & hominis bonis operibus ad nos liberandos: peccatum enim primi parentis condigno merito nos perdere potuerit, & reipſa perdiderit: nullum autem bonum Chriſti opus ex ſe ſuáque dignitate nos liberare, ſed ex ſola Dei beneuola acceptatione potuerit: quod abſurdum, & falſum eſſe cuiuis meritò videri debet, ſicut reipſa viſum eſt tribus ſuprà citatis Summis Pontificibus, Caio, Leoni, & Agapeto, quorum primus epiſtola VIII.

Decretali, secundus sermone 12. de passione, tertius epistola ordine quinta ad Anthimum comparans Christi meritum ad liberandum nos cum Adami merito ad perdendum, dixit inter cætera, *validius fuisse donum libertatis, quàm debitum seruitutis*: id est, fortius & potentius
I. fuisse Christi meritum ad nos à seruitute peccati & diaboli liberandos, quàm fuerat primi parentis peccatum ad nos huic seruituti mancipandos: quo sanè peccato fortius illud potentiúsque meritum non fuisset, si ex se proprióque valore ac dignitate libertati restituere nos non potuisset, cùm in oppositam seruiturem nos coniicere peccatum illud ex se suaque propria dignitate potuerit, & reipsa coniecerit.

Secunda & à priori hæc est. Christi satisfactio pro peccatis omnibus humani generis fuit simpliciter infiniti valoris, & ita infiniti, vt nullus alius maior seu quodammodo intensior, nullus perfectior seu altioris ordinis esse potuerit: ergo condigna fuit & sufficiens. Consequentiæ bonitas patet ex eo quòd
II. valor qui eo modo infinitus est, eo ipso quo sic infinitus est, sufficiens ex se est ad emendum à Deo ac redimendum quidlibet, siue finitum, siue infinitum, quod emi ab ipso ac redimi pretio aliquo & valore ex natura rei potest. Antecedens probabo duobus mediis, quibus ostendam directè Christi satisfactionem fuisse simpliciter infiniti valoris, additurus aliquid postea, quo constabit fuisse eo modo infiniti quo dixi. Primum medium erit authoritatis: secundum rationis.

Quod ad illud attinet, profero triplicem solùm authoritatem, Clementis scilicet sexti, Diui Chrysostomi, & Anselmi, quorum primus suprà citata Extrauag. postquam dixit modicam sanguinis Christi guttam pro totius humani generis redemptione sufficere potuisse,
III. subiicit Christum reliquisse Ecclesiæ militanti thesaurum infinitum, quem beato Petro commisit dispensandum, deque ipsius consumptione non esse timendum, quòd exhauriri nequeat, vt neque ipsa infinita Christi merita. Secundus dicit loco suprà citato, Christum pro peccatis nostris satisfeciisse perinde ac si quis pro debito decem nummorum infinita auri talenta largiretur, quod verum non esset, nisi eius satisfactio valoris esset simpliciter infiniti. Tertius denique libro secundo, *Cur Deus homo*, capite decimo quarto, scribit redemptionis nostræ pretium malitiam peccatorum totius mundi *plusquam in infinitum* excedere.

Iam quod attinet ad medium rationis, quadruplex solùm afferri potest caput, ex quo,
IV. vel quorum aliquo valor infinitus in Christi satisfactionem deriuari potuerit. Primum est, ipsa natura, propriaque ratio actuum quibus satisfaciebat. Secundum, horum ipsorum actuum compositio seu coniunctio cum internis diuinæ voluntatis actibus. Tertium, res quam offerebat Deo in satisfactionem, proprius nimirum sanguis & vita, quæ erat infinitæ dignitatis & valoris, ob hypostaticam cum Deo vnionem. Quartum ipsa personæ satisfacientis infinita dignitas. Ex primo autem capite non potuit, quia erant eiusdem prorsus naturæ cum nostris, sicut & eius humanitas erat eiusdem speciei cum nostra: vnde spectata præcisè illorum actuum natura non poterat alius in eos deriuari valor, quàm qui potest in nostros: in nostros autem nullus infinitus potest deriuari: & si quis posset V. infinitus, non esset tamen sufficiens ad satisfaciendum condignè Deo, pro vel vnico alterius peccato mortali, sed tantùm ad condignè promerendam ipsi operanti infinitam gloriam, & gratiam, vt ex quarta disputat. constat.

Neque etiam ex secundo capite potuit, quia inter proprios actus humanæ Christi voluntatis, quibus pro nobis satisfaciebat, & inter proprios diuinæ nulla fingi compositio potest, ratione cuius possit ex propriis istius actibus in proprios illius alterius actus valor infinitus deriuari: vel enim compositio illa esset physica, vel moralis: physica prorsus impossibilis est inter actus tam diuersos, tamque diuersarum facultatum, quàm diuersæ sunt vo- VI.
luntates, vna diuina, & increata, altera creata & humana: quámque diuersi sunt actus, non modo in diuersis facultatibus recepti, sed etiam quorum vnus est essentialiter creatum accidens, alter à parte rei increata substantia.

Moralis verò, si qua est, certè vel in eo consistit, quòd humana Christi voluntas, & eius proprij actus diuinæ voluntati subiiciantur, & propriis eius actibus, ab ipsisque dependeant: vel in eo quòd actus vtriusque voluntatis, diuinæ scilicet & humanæ in vnum actum meritorium concurrant, sic tamen vt totus valor, visque merendi quæ est in actu proprio humanæ voluntatis, desumatur ex actu qui diuinæ proprius est, sicut actus nostri interni externique concurrunt in vnum a- VII.
ctum meritorium, sic tamen vt totus valor, totaque merendi vis quæ in externo est, ab interno desumatur: at ex priori illo modo moralis compositionis, si compositio appellanda est, non potuit valor infinitus, aut etiam vllus in proprios humanæ Christi voluntatis actus deriuari: tum quia Beatæ Virginis voluntas eiúsque actus hoc semper modo diuinæ voluntati fuere subiecti, ab eaque dependentes, neque tamen ab ea valorem infinitum, aut vllum traxerunt: tum quia subiectio humanarum voluntatum volitionumque sub diuina, non magis est respectu personæ vnius diuinæ, quàm alterius, sed æqualiter est respectu trium personarum diuinarum, quia per hanc subiectionem humanæ voluntates & volitiones æqualiter tribus diuinis personis VIII.
subiiciuntur: vnde si aliquem inde, seu à diuina voluntate valorem hauriunt, æqualiter à tribus diuinis personis hauriunt, nec magis ab vna, quàm ab altera: at valorem satisfactionis Christi infinitum peculiari modo pendere à persona Verbi, quo non pendet a persona Patris, aut Spiritus sancti, certissimum est, cùm certissimum sit valorem illum dependere ab vnione hypostatica, qua non Patri aut Spiritui sancto, sed soli Verbo vnitur.

Neque etiam posteriori modo prædictæ moralis compositionis : falsum enim est huiusmodi moralem compositionem inter actus humanæ diuinæque Christi voluntatis intercedere : tum quia diuina voluntas ad actum meritorium non concurrit, nisi effectiuè : hinc autem non potest actus meritorius valorem vllum habere : alioquin omnis puræ creaturæ bonus & meritorius haberet, cùm ad omnem sic concurrat : tum quia dispar est manifestè ratio actus externi nostri vnum actum meritorium cum interno nostro moraliter componentis, ab eóque totum suum valorem ac merendi vim accipientis, & actuum diuinæ humanæque voluntatis : actus enim noster externus non habet aliam libertatem, nec aliud esse morale, quam quod ab interno accipit : vnde non mirum si valorem suum, vimque merendi desumat ab illo, cùm vt aliquam merendi vim habeat, sit necessarium, ipsum esse liberum, & ens morale : at actus humanæ Christi voluntatis, & cuiusuis alterius voluntatis creatæ, quatenus præcisè ab hac voluntate sunt, rationem entis liberi & moralis obtinent. I. A II. B

Neque etiam potuit ex tertio capite, tum quia & beata Virgo Christum ipsum in templo obtulit, & sacerdos offert in Missa quotidie, neque tamen ex re oblata quantumuis in se simpliciter infinita, vel illius oblatio valorem infinitum habuit, vel istius habet : tum quia res oblata, vt oblata, respectu oblationis habet rationem obiecti : obiectum autem, quantumuis actu infinitum, actui qui circa ipsum versatur non propterea tribuit infinitatem simpliciter, sed tantùm secundùm quid, vt constat ex actu beatificæ visionis, aliisque Theologicarum virtutum actibus.

III. C Ex quibus sequitur, ex solo quarto capite valorem infinitum de quo loquimur deriuari in Christi satisfactionem potuisse, ex quo reipsa deriuatus est : at cùm hoc duobus modis possit probari, solus posterior ad hoc ipsum vtilis est. Prior ille modus hoc syllogismo continetur : Satisfactio tantò plus habet valoris, quantò est dignior persona satisfaciens, itavt qua proportione crescit personæ satisfacientis dignitas, pari quoque crescat valor satisfactionis : atqui persona Christi satisfaciens est simpliciter infinitæ dignitatis, ob Verbum diuinum quod includit in se, quódque simpliciter infinitam habet dignitatem : ergo eius satisfactio est valoris simpliciter infiniti.

IV. D Cuius argumenti rationisque inefficacitatem, ad probandum fuisse in Christi satisfactione valorem illum infinitum de quo hîc quæstio est, qui nimirum ex se fuerit sufficiens ad condignè Deo pro peccatis humani generis satisfaciendum, seu quod eodem recidit, ad promerendam hominibus condigno merito peccatorum remissionem, & gratiam, ostendo ex eo quòd si supponeremus diuinitatem Verbi vel non esse formaliter sanctitatem, vel etiam si sit, non sanctificare tamen Christi humanitatem, imò humanitatem hanc licet vnitam hypostaticè Verbo eiúsque diuinitati, infectam esse peccato aliquo mortali, vel originali, vel actuali, eandémque à Christo sustineri passionem & mortem, quam reipsa sustinuit : posset tunc nihilominùs ille ipse syllogismus confici ad probandum hanc Christi patientis & morientis satisfactionem esse valoris simpliciter infiniti : adhuc enim persona satisfaciens, nimirum Christus, esset infinitæ dignitatis ob diuinum Verbum, quod tunc includeret, neque tamen tunc hoc syllogismo concluderetur efficaciter, illi satisfactioni inesse valorem illum infinitum de quo loquimur : ergo neque nunc eo id efficaciter concluditur. V.

Quòd autem tunc id efficaciter non concluderetur, certum ex eo est, quòd nullum opus hominis in mortali peccato existentis potest esse condignè satisfactorium pro peccato vllo, vel proprio, vel alieno, aut vlli de condigno meritorium remissionis peccatorum & gratiæ, cùm status gratiæ amicitiæque diuinæ sit cuiuis creaturæ operanti principium omnis huiusmodi satisfactionis & meriti : illa autem Christi patientis & morientis satisfactio esset opus hominis in mortali peccato existentis, quandoquidem eius humanitas hoc peccato infecta esset, vt supponimus, quod nihilominus opus, tam esset opus Verbi diuini, quàm nunc sit, támque esset immanens in ipso diuino supposito, quàm nunc reipsa sit. Ex quo manifestè concluditur, infinitum illum valorem ex se sufficientem ad condignè satisfaciendum pro peccatis omnibus humani generis, qui reipsa fuit in Christi satisfactione, peti præcisè non posse ex infinita diuini Verbi dignitate ac maiestate, cui tanquam agenti, & tanquam recipienti, propriæ humanitatis Christi & satisfactoriæ actiones per communicationem idiomatum tribuuntur, cùm tamen illinc præcisè peti syllogismo illo apertè supponatur. VI. VII.

At hîc huius syllogismi occasione quæres primò, num eo rectè concludatur in Christi satisfactione non potuisse non esse valorem aliquem simpliciter infinitum ? Respondeo rectè concludi, sed ei similem, qui inesset satisfactioni Regis cuiuspiam, cuius regia maiestas, in ratione dignitatis huius esset infinita : aut etiam similem ei, qui inexisteret alicuius hominis non existentis in statu gratiæ actui moraliter bono infinitam intensionem habenti, qui valor ex se sufficiens non esset ad condignum gratiæ meritum, condignámque pro peccato vel proprio, vel alieno satisfactionem, defectu gratiæ sanctificantis in operante, quæ omnis huiuscemodi valoris ac meriti necessarium principium est. Vnde si supponeretur Christi humanitas, nec per Verbi diuinitatem personámque sanctificata esse, vel per aliam formam sanctificantem, nec infecta vllo peccato, eius satisfactio valorem illum sufficientem de quo loquimur non habuisset, quia nullius creaturæ non existentis in statu gratiæ amicitiæque diuinæ opus valorem illum ha- VIII.

bere potest, aut condignum vllius gratiæ à Deo consequendæ meritum: quòd, vt dixi, status gratiæ amicitiæque diuinæ omnis huiusmodi valoris ac meriti principium sit.

Quæres secundo, si supponeretur eiusdem humanitas fuisse sanctificata sola gratia habituali, simili ei quæ in nobis est, an eius satisfactio valorem illum habuisset? Respondeo non habituram: illa enim eius satisfactio vel fuisset formaliter actus virtutis, vt si ex honesto motiuo elicita fuisset, vel non: vt si fuisset elicita ex indifferenti. Si secundum, actus ille non magis fuisset satisfactorius, aut meritorius coram Deo, quàm esset actus ille satisfactorius, qui à prædicto rege, cuius regia dignitas supponeretur infinita, eliceretur absque honesto motiuo, quique proinde non esset formaliter actus virtutis. Si primum, vim satisfaciendi & merendi eam solum haberet, quam bonis operibus tribuere habitualis gratia sanctificans in puris creaturis existens potest; hæc autem, vt ex disput. 4. constat, bonis operantis actionibus quantumuis infinitè bonis non potest tribuere vim condignè satisfaciendi pro peccato alterius, aut ei condignè merendi vllum gratiæ gradum, aut auxilium.

I. II.

Posterior modus quo rectè probatur in Christi satisfactionem deriuatum fuisse valorem illum de quo loquimur, ex infinita Verbi dignitate, in eo consistit. Supponitur in primis Verbi diuinitatem esse quandam formaliter sanctitatem, quod nemini dubium est. Supponitur deinde, quod ad quæstionem 7. probabitur, Christi humanitatem, supposita hypostatica eius cum Verbo vnione, per diuinitatem sanctificari formaliter, & quidem infinitè, cùm forma sanctificãs sit infinita sanctitas, nempe diuinitas, sicut humanitas nostra sanctificatur formaliter per gratiam habitualem sanctificantem, præsupposita nostræ humanitatis cum ea vnione, seu gratiæ istius in nobis inhæsione, quoniam gratia hæc est formaliter quædam sanctitas, finitè tamen per eam sanctificatur, quia hæc finita tantùm sanctitas est.

III.

Quibus præsuppositis addo, quòd quemadmodum hæc eadem gratia propriis naturę quam formaliter sanctificat actibus liberis & honestis tribuit necessariò formalem quandam sanctitatem ac dignitatem, suæ sibi propriæ sanctitati ac dignitati proportionatam: ita Christi humanitatis per Verbi diuinitatem sanctificatæ sanctitas propriis huius ipsius humanitatis actibus liberis & honestis communicat necessariò quandam sibi proportionatam dignitatem, sanctitatémque, ac proinde infinitam, cùm illa sanctitas infinita sit. Addo præterea, quòd quemadmodum in ea sanctitate ac dignitate quam illa habitualis gratia nostris bonis operibus communicat, fundatur necessariò valor illi sanctitati ac dignitati proportionatus, valor ille scilicet, quo tantum valent apud Deum, vt de condigno meritoria sint gratiæ & gloriæ: ita in infinita illa sanctitate & dignitate, quam infinita humanitatis Christi sanctitas bonis ipsius humanitatis operibus communicat, fundatur necessariò valor aliquis illi operum istorum sanctitati & dignitati proportionatus, ac proinde infinitus, quo tantum valeant apud Deum, vt apud ipsum habere condignum meritum infinitum possint: nisi enim esset infinitus, illi operum dignitati ac sanctitati infinitæ non esset proportionatus, cùm finiti ad infinitum nulla proportio sit.

IV.

Hactenus ostendimus Christi satisfactionem infinitum simplicis valorem habuisse: restat vt ostendamus ita habuisse infinitum, vt maiorem & altioris ordinis habere non potuerit. Id autem facilè ostendo ex eo quòd diuinitas Verbi sanctificans Christi humanitatem, ita est infinita sanctitas, vt nec maior, nec altioris ordinis vlla esse possit: ex quo sequitur, humanitatem Christi illa sanctitatè formaliter sanctificatam, sanctam esse non modò infinitè, sed etiam ita infinitè, vt nec magis sancta esse possit, nec sanctitate superioris ordinis. Ex quo rursus sequitur, bona humanitatis Christi opera eam habere sanctitatem, vt non modò habeant infinitam, sed etiam ita infinitam, vt nec maiorem, nec superioris ordinis aliam habere possint, cùm sanctitas humanitatis ea sanctificans talis sit, qualem dixi. Ex quo tandem consequens est, hæc eadem opera habere valorem non modo infinitum, sed etiam ita infinitum, vt maior alius esse non possit, nec superioris ordinis: vt enim aliquis huiusmodi esse posset, oporteret esse possibilem maiorem aliquam aut superioris ordinis sanctitatem in qua valor ille fundaretur, nulla enim alia in re fundari posset.

A V.

B VI.

Quòd si bonorum Christi operum valor ita infinitus est, vt nec alius maior, nec altioris ordinis esse possit, profectò iis operibus concedendus est valor, quo Christus mereri de condigno possit, non tantùm sibi, sed etiam aliis gratiam & gloriam, imò quidlibet, quod tanquam præmium meriti retribui à Deo ex natura rei non repugnat. Et sanè cùm hoc valoris & meriti genus non sit magis eleuatum supra valorem & meritum, quo iusti sibi condignè gratiam & gloriam promerentur, quàm humanitatis Christi bonorumque ipsius operum sanctitas est eleuata supra iustorum hominum, bonorumque operum quæ exercent sanctitatem: nec minus illa sanctitas apta sit illum ex se profundere valorem, & meritum, quàm ista istud: sequitur, non minùs agnoscendum esse in bonis Christi operibus illum valorem & meritum, quam in bonis iustorum hominum operibus istud agnoscitur. Atque iuxta hunc posteriorem modum intelligendi sunt summi antè relati Pontifices, & Patres, aliique ex iis, qui in Christi satisfactione valorem infinitum agnoscunt deriuatum ex vnione hypostatica, tanquam ex causa, seu ex infinita diuini Verbi dignitate, cui eius humanitas vnita hypostaticè est: neque enim dubium, quin valorem illum deriuari putauerint ex infinita sanctitate, quam hæc eadem humanitas à Verbi diuinitate accipit, & qua tanquam vnguento illam vngi dixerunt, vt ad quæst. 7. videbimus.

C VII.

D VIII.

Supereſt vt aduersariorum obiectiones diluamus: sed cùm eæ multæ sint, ne multitudo confusionem pariat, eas ad triplex genus reuocabimus. Ad primum pertinebunt eæ, quibus directè probatur Christi satisfactionem sufficientem condignámque non fuisse. Ad secundum illæ, quibus directè concluditur in eius satisfactione non fuisse valorem actu infinitum. Ad tertium denique eæ, quibus concluditur infinitum

illum valorem ex eo capite non esse deriuatum, ex quo deriuatum diximus.

SECTIO IV.

Soluuntur primi generis obiectiones.

I. PRIMA est. Christus pro salute nostra Patrem suum orauit: ergo hanc nobis condignè non meruit: ergo nec condignè pro nobis satisfecit: cùm tota eius satisfactio sit per modum meriti, quo salutem nobis meretur. Respondeo negando consequentiam: fuit enim in quolibet eius opere bono, ac per consequens in ipsius oratione, sufficiens valor ad condignè nobis gratiam salutémque promerendam, ac proinde ad condignè pro peccatis nostris satisfaciendum. Neque verò oratio eius qui rem aliquam ab alio petit efficax argumentum est, petentem non esse condignè promeritum id quod petit: nam & nos gloriam quam bonis nostris operibus condignè meriti sumus, petere possumus à Deo, & miles ab Imperatore præmium,

II. quod condignè promeruit: neque propterea superfluè petit, cùm non petat vt accipere dignus sit, iam enim est, vt supponimus, sed vt accipiat reipsa ab ipso id quod accipere dignus est, & quod habere non nisi ex ipsius dantis libera voluntate potest. Imo licet multa petere possimus ab aliis, quæ nec dum condignè meruimus, nec ipsa petitione condignè meremur, secus tamen de Christo, qui nihil à Deo Patre petere potuit, quod non ipsa petitione consequi esset dignissimus.

Secunda. Necessarium fuit ad redemptionem nostram, vt Christi satisfactionem Deus acceptaret: ergo condigna non fuit, & sufficiens. Respondeo negando consequentiam: nam & ad vitam æternam habendam necessarium est, vt

III. Deus iustorum opera bona acceptet, per quæ tamen illam condignè promeriti sunt: præter enim condignum meritum quo iusti vitam æternam merentur, vel Christus salutem nostram, necessaria est acceptatio Dei, non vt bonis iustorum, aut Christi operibus, insit valor aliquis, aut meritum aliquod, quod alioqui non inesset: nam ex ista acceptatione, sicut nulla bonitas in opus deriuari potest, ita nec vllus valor, vllúmve meritum: sed vt illud à Deo accipiant quod condignè meriti sunt, & quod habere, nisi ipso libera voluntate dante, non possunt: vnde hæc Dei acceptatio nihil est aliud, quàm liber actus diuinæ voluntatis hæc opera bona de condigno meritoria tam accepta seu grata habentis, vt pro iis retribuere velit præmium quod condignè merentur: quod etiamsi

IV. retribuere nollet, nec ea proinde acceptaret, non minus tamen essent illius de condigno meritoria, quàm sunt, dum retribuit.

Tertia. Christus non potuit condignas Deo agere gratias pro beneficiis acceptis: ergo nec condignam offerre satisfactionem pro peccatis nostris. Caietanus ad art. 2. primæ quæst. huius 3. partis, aliique nonnulli recentiores negant antecedens, aiuntque Christum pro quibusvis beneficiis acceptis potuisse condignas Deo reddere gratias, eo quòd eius gratiarum actio esset infiniti valoris, imò infiniti eo modo quo superiori sectione declarauimus. Ego concedendum puto, quia ipsa gratiarum actio nouum Dei beneficium est, ipsi gratias agenti collatum: esse enim gratum pro beneficiis à Deo acceptis, sicut nouum virtutis opus est, ita nouum Dei donum est: & ex duobus qui easdem virtutes, & eadem

A prorsus beneficia à Deo acceperint, hoc solo V. dempto, quòd eorum vnus gratum se pro his Deo exhibuerit, alter minime, ille plus beneficij à Deo accepisse, quàm iste censebitur, eo solùm nomine, quòd gratitudinem insuper acceperit. Vnde licet Christi gratiarum actio ob infinitum illum valorem quem habuit, potuerit ex se esse condigna & sufficiens pro quibusuis beneficiis à Deo ipsi collatis, hoc gratiarum actionis beneficium antecedentibus: non tamen pro hoc ipso beneficio, quia pro eo, seu quod idem est, pro seipsa non potuit exhiberi. Sicut autem vt sit condigna pro illis antecedentibus, eam exhiberi pro iis oportet: ita vt pro seipsa esset, eam pariter exhiberi pro seipsa oporteret: quod fieri non potest, ob eam causam, ob quam alicuius obiecti visio, sui ipsius visio esse non potest. Ex

B quo concludendum est, quòd si pro seipsa potest VI. exhiberi, vt posse sentiunt ij, qui visionem alicuius obiecti, sui quoque ipsius visionem posse esse putant, cùm vtriusque ratio eadem sit, negari non debet, eam tam posse esse condignam pro seipsa, simulque aliis omnibus beneficiis eam præcedentibus, ob infinitum illum valorem quem habuit, quàm pro iis beneficiis potuit.

Quare concesso antecedente, neganda consequentia est: etsi enim supponatur verum esse antecedens, mala tamen consequentia est, quia euenire potest, vt quis ad æqualitatem alicui Principi possit satisfacere pro debito alterius, etiamsi ipse condignas & æquales eidem Principi gratias agere nequeat pro acceptis ab eo beneficiis: quia debitum alterius pro quo satisfacit, potest esse longè minus acceptis beneficiis VII. pro quibus gratias agit. Adde quod cum ex D. Thoma in 3. distinct. 20. quæst. 1. art. 2. & ex rei veritate, ideo nemo possit æquales agere gratias Deo pro beneficiis, quia ipsa gratiarum actione crescunt beneficia, propterea quod ipsa nouum beneficium est, pro quo gratiæ non aguntur, quia pro seipsa gratiarum actio non exhibetur: consequens non est, vt qui non potest Deo condignas pro beneficiis acceptis gratias agere, non possit eidem condignè pro alterius peccato satisfacere, cùm ipsamet satisfactione non crescat debitum peccatorum, vt nec vllum nouum peccatum admittitur, sicut ipsa gratiarum actione crescit debitum beneficiorum, vt & nouum beneficium accipitur.

D Quarta. Si Christi humanitas manens vnita Verbo mortaliter peccaret, non posset pro hoc VIII. suo peccato condignè satisfacere, ob eandem causam, ob quam pura creatura pro suo mortali non potest: ergo neque pro nostris potuit. Consequentia hæc probatur ex eo quòd minùs potest quis pro alieno peccato, quàm pro suo satisfacere: vnde disputat. 5. diximus hominem iustum posse quidem pro suo veniali peccato satisfacere condignè, at pro alieno non posse. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens: vel enim postquam humanitas

Christi purgata esset ab illa macula peccati mortalis, præsupponitur eodem modo sanctificata per diuinitatem Verbi quo nunc est, vel non, sed solùm sanctificata per gratiam, per quam puri homines sanctificantur. Si secundum, concedo consequentiam: hoc enim gratiæ genus, nullum
I. operantis operibus tribuere valorem potest, quo A condignè alteri mereri possit à Deo vllum gratiæ auxilium, & quo proinde possit pro alterius peccato condignè satisfacere, vt supra disput. 4. probauimus. Si primum, nego: quandoquidem enim tunc per diuinitatem sanctificaretur eodem modo quo nunc, eius opera tanti valoris tunc essent, quanti nunc sunt. Ad probationem autem consequentiæ dico, quod in ea dicitur verum esse de eo solo, cuius satisfactio valorem habet ex ea sola gratia, quæ in puris creaturis est: cuiusmodi non esset illa Christi satisfactio, quæ valorem haberet ex gratia hypostaticę vnionis, seu ex sanctitate diuinitatis Verbi cui humanitas eius esset vnita hypostaticè.

SECTIO V.

II. B *Soluuntur quatuor secundi generis obiectiones.*

PRIMA est. Operatio quæ versatur circa obiectum infinitè præstans non accipit ex eo dignitatem infinitam: ergo neque satisfactio procedens ex persona infinitè præstante capere ex ea poterit infinitum valorem. Negatur hæc consequentia, propter hoc discrimen, quòd quamuis operatio circa nobilius obiectum sit cæteris paribus perfectior operatione circa obiectum ignobilius, illa tamen non pari proportione crescit in perfectione, qua crescit obiectum circa quod versatur, seu qua eius obiectum obiecto imperfectioris operationis est nobilius: vnde si illud in ea crescat infinitè, non propter-
III. ea illa ad infinitam vsque perueniet perfectionem. C At valor satisfactionis non tantùm maior est, dum hæc à digniori persona exhibetur, sed etiam tanto maior, quanto hæc persona dignior est, paríque proportione crescit, qua personæ huius dignitas: vnde si personæ satisfacientis dignitas in infinitum excrescat, valor satisfactionis ab ipsa exhibitæ infinitus esse necessariò debebit. Quod illustratur exemplo Regis vnius alteri Regi pro sua, vel aliena offensa satisfacientis, cuius satisfactio eo plus valoris habet, quàm haberet satisfactio alicuius alterius Principis, quanto Rex ille plus habet illo Principe dignitatis: cuius regia dignitas si augeretur magis, maiorem quoque eius satisfactio valorem haberet, tantóque maiorem, quanto magis regia eiusdem dignitas augeretur: vnde
IV. si hæc etiam à nobis conciperetur fieri actu infinita, D statim eo ipso consequenter fieret, vt illa eius satisfactio esset infiniti actu valoris.

Quòd si quæras, vnde procedat hoc discrimen? Hinc dico procedere, quòd actio sequatur propriam suæ causæ efficientis conditionem & modum, non verò obiecti sui: cuius rei signum à posteriori est, quòd facultas spiritalis circa res materiales exerceat actiones spiritales: & increatus ac infinitus intellectus res finitas & creatas per increatam & infinitam cognitionem intelligat. A priori verò, quòd actus omnis egrediatur quodammodo à potentia per quam producitur, & vniuersim omnis effectus à causa sua efficiente, in qua contineri debet tota eius perfectio, vel formaliter, vel eminenter: quam neutro modo contineri in obiecto circa quod versatur necesse est: quò fit, vt multi sint actus V. obiectis suis perfectiores, nulli autem sua causa efficiente principali. Vnde cùm causa hæc finitæ perfectionis est, & proinde virtutis ad efficiendum, necesse est vt omnis eius effectus finitus sit, quantumuis circa infinitum obiectum versetur: dum autem infinita est, & infinitæ virtutis ad agendum, infinitum saltem syncategorematicè effectum producere potest, imò etiam actu infinitum, dummodo ex parte huius effectus nulla repugnantia sit. Quare cùm satisfacientis dignitas instar causæ efficientis valorem in satisfactionem eius influat, & quò maior est, eo maiorem possit influere, & necessario influat, sequitur, vt dum illa actu infinita est, necessario influat actu infinitum, dummodo satisfactioni non repugnet habere infinitum actu valorem: quod non magis ipsi repugnat, V.I. quàm repugnet satisfacienti habere infinitam actu dignitatem.

Et sanè si agitur in particulari de valore satisfaciendi, & condignè merendi apud Deum, non dubium, quin multò magis ad hunc valorem conferat operantis dignitas, & sanctitas, quàm obiecti circa quod eius operatio versatur, cùm hæc, quando ex se suâque natura non est formalis sanctitas, valorem hunc ex obiecto suo habere non possit, quantumuis infinito, & quantamlibet ex eo moralem bonitatem accipiat, sed à sola sanctitate illius qui operatur: vt mirum non sit, si Christi satisfactio, ex obiecto circa quod versatur, valorem illum infinitum satisfaciendi merendique quem ipsi concedimus non habeat: nec tamen hinc consequens VII. sit, non habere ex ipso satisfaciente, cùm ipse infinitè sanctus sit etiam quoad humanitatem, quæ per Verbi diuinitatem infinitè sanctificabatur, prout suprà declarauimus.

Secunda. Christus non satisfecit vt Deus, sed solùm vt homo: atqui vt homo non fuit infinitæ dignitatis: ergo non potuit in suam satisfactionem transfundere dignitatem & valorem infinitum. Multi maiorem negant, dicuntque, Christum non satisfeciſſe in quantum Deus est, vel in quantum homo, sed in quantum erat Deus homo. Ego vero tanquam verissimam concedendam puto, cuius veritatem probat egregiè disput. 8. cap. 2. Vasq. tum D. Athanasij aliorúmque authoritate, nominatimque S. Doctoris: tum hac ratione, quòd dum de Christo loquentes vtimur aliqua particularum istarum, in quantum, quatenus, secundùm, secundũ quod, VIII. vt, prout, signantes vnam naturam ex duabus iis quibus constat, siue diuinam, siue humanam, eíque tribuentes genus aliquod operationis, particula ista nota est specificationis, quæ designat naturam cui talis operatio tãquam propria conuenit vt principio elicienti: vnde sicut dum dicimus Christum in quantum Deus est, seu secundùm diuinitatem esse creatorem cœli & terræ, designamus naturam, cui tanquam principio elicienti creatio, vt propria operatio conuenit,

significamuſque naturam hanc eſſe diuinitatem: ita ſi dicimus Chriſtum in quantum Deus eſt, aut in quantum homo, aut in quantum Deus ſimul & homo eſt, redemiſſe genus humanum, ac pro peccatis eius ſatisfeciſſe, deſignamus naturam cui redemptio & ſatisfactio vt principio elicienti tanquam propria operatio conuenit, I. significamúſque naturam hanc eſſe, aut diuinitatem ſolam, aut ſolam humanitatem, aut vtramque ſimul. Quare cùm tam falſum ſit Chriſti diuinitatem eſſe principium elicitiuum operationis quæ redemptio prædicta & ſatisfactio eſt, quàm falſum eſt, eiuſdem humanitatem eſſe principium elicitiuum actionis, quæ creatio cœli & terræ eſt: fit vt tam falſum ſit de Chriſto dicere, ipſum, in quantum Deus eſt, redemiſſe nos, & ſatisfeciſſe pro nobis, quàm falſum eſt de eodem dicere, ipſum in quantum homo eſt creaſſe cœlum & terram, ſitque proinde tam verum de eodem ipſo dicere, eum ſecundùm ſolam humanitatem, ſiue in quantum ſolùm homo eſt, ſatisfeciſſe pro nobis, & redemiſſe nos, quàm verum eſt dicere, eundem ſecundùm ſolam diuinitatem, ſiue in quantum ſolùm Deus II. eſt, creaſſe cœlum & terram.

Quocirca conceſſa Maiore nego Minorem: Chriſtus enim vt homo, ſiue ſecundùm humanitatem, infinitam habet dignitatem, non quidem à ſe, ſeu ratione ſuæ humanitatis, ſed diuinitatis, cui hypoſtaticè vnitur. Dices, diuinitatem eſſe radicem totius valoris infiniti quem ſatisfactioni Chriſti concedimus, cùm ſit radix totius ſanctitatis quam habet à diuinitate Chriſti humanitas, & ex hac humanitatis ſanctitate idem ille valor in eius ſatisfactionem immediatè & proximè deriuetur: dum autem dicitur ſecundùm ſolam humanitatem ſatisfeciſſe pro nobis, non ſignificari, diuinitatem eſſe radicem valoris illius infiniti, è contrariò verò id ſignificari, dum dicitur ſatisfeciſſe ſecundùm diuiIII. nitatem & humanitatem ſimul, hócque proinde poſteriori modo, non illo priori eſſe loquendum.

Reſpondeo in primis, priori quidem loquendi modo non ſignificari diuinitatem eſſe radicem valoris illius infiniti, at etiam non negari: hócque ſufficere vt ille loquendi modus verus ſit: ad veritatem enim propoſitionis in qua vſurpatur aliqua prædictarum particularum deſignans naturam, cui vt principio elicienti operatio aliqua conuenit, ſatis eſt, naturam particula illa deſignatam eſſe à parte rei tale operationis illius principium, neceſſe verò præterea non eſt, vt ſi hæc operatio vim habeat ad effectum aliquem, vt valorem ad ſatisfaciendum, eadem particula, deſignet radicem eius, aut alia apponatur ad eam deſignandam: vnde de homiIV. mine iuſto verè dicimus, ipſum ſecundùm animam mereri de condigno vitam æternam, quia operatio cui ineſt hoc condignum meritum ab ea tanquam à principio elicitur, quod principium particula iſta, *ſecundùm*, deſignat, licet non deſignet, nec neget gratiam habitualem ſanctificantem, ex qua tanquam ex radice deriuatur in iſtam operationem illud condignum æternæ vitæ meritum, nec vlla alia particula ad eam deſignandam adhibeatur.

Reſpondeo deinde falſum eſſe, poſteriori loquendi modo ſignificari diuinitatem eſſe radicem prædicti valoris: dum enim dicitur in quàtum Deus, aut ſecundùm diuinitatem ſatisfeciſſe, non magis deſignatur eam eſſe radicem valoris illius, quàm de humanitate deſignetur eam eſſe huius ipſius valoris radicem, dum dicitur A Chriſtus in quantum homo, aut ſecundùm humanitatem ſatisfeciſſe pro nobis: idem enim loquendi modus eſt, idémque ſignificans: aut ergo de diuinitate & humanitate hoc æquáliter ſignificans, aut de neutra. V.

Reſpondeo poſtremò, quòd ſi quis vna propoſitione deſignare velit tam naturam, quæ eſt proprium principium elicitiuum ſatisfactionis Chriſti, quàm radicem infinitæ ſanctitatis quæ fuit in humanitate eiuſdem, & per conſequens infiniti valoris qui fuit in ipſius ſatisfactione, deſignabit, ſi hoc modo, ſimilíve dicat: Chriſtus pro nobis ſatisfecit, ſecundùm humanitatem deificatam, ſeu diuinitate ſanctificatam: vel ſic, Chriſtus ſatisfecit in quantum homo Deus: nec dicat, in quantum Deus homo, vel in quantum homo & Deus: hoc enim & illo loquendi modo ſignificaretur vtramque naturâ eſſe principium eliciens operationem quæ eſt ſatisfactio: B VI. ſed dicat, in quantum homo Deus: vbi vox Deus non ſignificat diuinitatem eſſe principium huius operationis elicitiuum, ſed eam eſſe prædictam radicem. Idem enim valet ille loquendi modus, atque ſi quis diceret, Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe in quantum eſt homo deificatus, ſiue in quantum homo vnctus, diuinitate ſcilícet vt vnguento.

Tertia. Si opera Chriſti infinitum valorem haberent, infinitè Deo placerent: ergo etiam tantum quantum increatus ipſe Dei actus, atque ipſa diuinitas, à qua ille actus à parte rei non diſtinguitur: atqui hoc conſequens abſurdum eſt: igitur & antecedens. Reſpondeo primò, hoc argumento poſſe etiam concludi, humanitatem Chriſti non habere ſanctitatem infiC VII. nitam, quia ſi haberet, placeret Deo infinitè, ergo tantum quantum ipſa diuinitas. Reſpondeo ſecundò, tantum placere Deo Chriſti opera bona, eiúſque humanitatem, quantum placet ipſa diuinitas, & actus increatus: nec mirum, cùm ſanctitas & dignitas operum, & humanitatis, ob quam tantopere ipſi placent, ipſam formaliter diuinitatis dignitatem & ſanctitatem includat, tanquam formam, à qua in genere cauſæ veluti formalis, denominatione ſaltem extrinſeca infinitè digna ſanctáque denominantur. Vbi tamen aduerte, hoc diſcrimine ea quæ dixi, tantum Deo placere, quantum placet ipſa diuinitas, quòd nimirum hæc ipſi infinitè placet per ſe, & ratione ſui: illa verò alia non per ſe & ratione ſui, cùm non per ſe, ſuive ratione D VIII. ſanctitatem ac dignitatem infinitam habeant, ſed per ſolam diuinitatem, & huius ſolius ratione.

Quarta. Conſequens eſſet in vno Chriſti opere bono non fuiſſe plus valoris, quàm in quolibet alio, imò non plus in omnibus collectiuè ſumptis, quàm in vnico: atqui hoc abſurdum eſt. Negandum eſt abſurdum eſſe, ſi ſermo ſit, vt eſt, de valore operum ortum habente ex vnione hypoſtatica, cùm valor ſingulorum operum, ſingularúmque operis vnius partiũ ſit infinitus,

& ita, vt nec maior alius, nec superioris ordinis iis inesse potuerit, & huius valoris ratione quodlibet opus, & quælibet eiusdem operis particula omne præmium possibile mereri condignè potuerit. Vnde in pluribus operibus non fuit plus valoris intensiuè quodammodo, quàm in vno, I. sed tantùm extensiuè: cùmque vnum opus multos habebat gradus intensionis, valor secundi gradus non intendebat valorem primi, licet secundus gradus primum intenderet, nec proinde cum eo collectiuè sumptus faciebat aliquid intensiuè maius, sed tantum extensiuè. Dixi, si sermo sit, vt est de valore operum, &c. nam si sermo sit de valore, quem eadem opera habebant, quatenus erant opera huius aut illius virtutis, aut quem habebant præcisè ex habituali gratia sanctificante simili ei quæ in nobis est, quemadmodum opera hæc sic spectata erat eiusdem prorsus naturæ cum nostris, ita eiusdem rationis valorem obtinebant: quare sicut operum nostrorum omnis huiusmodi valor finitus est, & vnius maior, quàm alterius, & plurium, quàm pauciorum, ita & illorum.

II.

SECTIO VI.

Soluitur quinta omniúmque præcipua eiusdem secundi generis obiectio.

QVINTA obiectio est. Consequens item esset, non posse à Deo vlli bono Christi operi reddi præmium adæquatum: atqui hoc absurdum est: igitur & illud. Consequentia Maioris probatur; si enim non potest vlli eius actui reddi tantum præmij quantum meretur, sequitur non posse reddi adæquatum: illud autem non poterit: quia si quodlibet Christi bonum opus est valoris eo modo infiniti quo diximus, quodlibet à Deo condignè merebitur, quidquid ab ipso poterit reddi præmij: vnde cùm nunquam possit ab eo tantum reddi, quin adhuc III. reddere ipse plus possit, sicut nunquam potest ab ipso res tantæ magnitudinis effici, quin adhuc possit ipse maioris efficere, sequetur euidenter, nunquam reddi posse vlli bono Christi operi præmium adæquatum: ex quo sequetur à fortiori, eius merita non fuisse reipsa condignè, seu ad æqualitatem compensata. Minor probatur, eo quòd absurdum est Christi merita maiora esse omnipotentia Dei: erunt autem, si per hanc illis nequeat reddi præmium adæquatum.

Ad pleniorem clariorémque huius obiectionis solutionem, præmittendum primò, duplex in Christi bonis operibus meritum esse posse: vnum quo sibi condignè quidpiam mereatur: alterum quo aliis: inter hoc autem & illud Christi meritum discrimen hoc esse, quòd ad primum sufficit sola bonitas & dignitas operis: ad IV. secundum requiritur præterea eiusdem operis oblatio & directio pro aliis: sicut etiam vt pro nobis non modo de congruo, sed de condigno quoque per opera bona quidpiam mereamur, vt gratiam & gloriam, sufficit operum nostrorum bonitas & dignitas, nec requiritur vt ea pro nobis offeramus & dirigamus: at vt per eadem aliis de congruo mereamur, præter eam illorum dignitatem bonitatémque, necessaria est insuper eorundem oblatio & directio pro illis.

Et sanè nisi vt Christus bonis suis operibus mereretur aliis, necessaria esset istorum operum oblatio directióque pro illis, sequeretur hoc grauissimum absurdum, eum scilicet tam satisfeciſſe pro peccatis dæmonum, quàm hominum, támque illorum, quàm horum esse redemptorem. Cùm enim quodlibet eius opus bonum infinitam habuerit dignitatem, eóque modo infinitam quo diximus, si hæc operis dignitas sufficit ad meritum pro aliis, sufficiet ad cuiuscunque præmij meritum, cùm infinita sit, & eo modo infinita quo dictum est: ergo reipsa tam suffecerit ad condignè merendum dæmonib. peccatorum remissionem, & salutem, quàm hominibus: nec vlla ratio erit, ob quam negari queat, Christum æquè reipsa hanc illis, atque istis meruisse: ergo tam pro illorum quàm horum peccatis condignè reipsa satisfecerit, támque proinde illorum quàm horum erit de facto redemptor: cùm vna quidem ex parte sit hominum redemptor, eo ipso quo pro eorum peccatis condignè satisfecit: ex altera verò, eius satisfactio sit per modum meriti, eóque ipso pro peccatis B VI. eorundem condignè satisfecerit, quò condignè meruit illis à Deo peccatorum remissionem, ac salutem.

Præmittendum secundò, in nullo Christi opere pro hominibus oblato fuisse actuale meritum infinitum: meritum enim infinitũ dicitur, quod est infiniti præmij meritum: & è contrario finitum, quod finiti tantummodo præmij meritum est. Vt ergo in eius bonis operibus fuisset actuale meritum pro aliis infinitum, oporteret eum infinitum aliis præmium de facto meruisse: solum autem finitum meruit: nam solis hominibus aliquando futuris in aliqua differentia temporis meruit, quos finito numero comprehendi certum est, quia pro iis solis opera sua bona direxit, & obtulit: nec eis quidquam aliud quàm gratiæ & gloriæ dona meruit, quæ finita esse certum pariter est. Neque verò finitum hoc pro aliis C VII. meritum in ipsius operibus admittere, vllam habet repugnantiam cum doctrina antè tradita, quæ est, eius opera singula fuisse valoris infiniti: dicũtur enim valoris infiniti fuisse, non quòd actuale meritum infinitum pro aliis habuerint, sed quia licet in actu secundo infinite merentia non fuerint, infinite tamen meritoria fuerunt: id est, tantæ in actu secundo sanctitatis & dignitatis, vt hæc singula per se valere possent ad quidlibet aliis condignè merendum, & ipse Christus per illa singula posset si vellet condignè mereri illis quodcunque præmium possibile, reipsáque meriturus in actu secundo fuisset, si hæc ad istud illis præmium obtinendum direxisset.

Quibus præmissis, iam ad Maiorem, eiúsque probationem tria dico. Primum est, si sensus illius Maioris sit, non posse vlli bono Christi operi reddi præmium adæquatum merito actuali, per quod aliquid aliis meretur, falsam esse: sicut enim in illo opere non est actuale meritum pro aliis, nisi opus illud pro iis offerat, ita solum illud præmium iis meretur pro quo consequendo illud ipsum offert: pro nullo autem præmio consequendo potest offerre, quod non possit ipsi Deus rependere: nam si quod est quod rependere Deus non potest, non poterit Christi

voluntas pro eo consequendo bonum suũ opus dirigere, cùm non possit velle dirigere opus suum ad rem illam consequendam, cuius consequutionem ei repræsentat intellectus impossibilem. Nec probatio Maioris vllam contra hoc vim habet: supponit enim in quolibet Christi opere esse meritum actuale cuiuscunque præmij per absolutam Dei potentiam possibilis, quod falsum esse constat ex dictis.

I. A

Secundum est, si eiusdem Maioris sensus sit, non posse Deum vllo præmio adæquare totum valorem operis Christi, húncque per tale opus maius præmium condignè mereri potuisse, veram esse, sed Minorem falsam: ad cuius probationem paulò pòst respondebo: veram inquam esse, quia quodlibet bonum opus Christi meritorium est de condigno omnis illius præmij pro quo consequendo dirigi ab ipso potest: quocunque autem præmio assignato, potest aliud maius assignari, pro quo consequendo potuit illud dirigi. Vnde non assentior Suari dicenti, si Deus aliquam personam diuinam alicui naturæ humanæ aut Angelicæ hypostaticè vniuisset, in

II. B

compensationẽ quorumcunque meritorũ Christi, præmium hoc fore illis adæquatum: præmium enim illud merito adæquatum est, quod cùm est redditum, nihil supereſt meriti compensandum: & præter quod si quid vltra datur, censeri nõ potest meriti præcedentis præmium, sed gratis datum: at potuisset Christus opus aliquod suum dirigere in eum finem, vt multis Angelis & hominibus Deus personam diuinam hypostatice vniret, & hoc opere suo condignè istud mereretur: hoc autem eius meritum adæquatè non compensaretur hypostatica vnione cum vnica singulari natura: nam præterea supereſſet illud meriti compensandum, quo meritus esset, vt aliis indiuiduis naturis vnio hypostatica tribueretur: & dum tribueretur, censeri non posset donum gratis Christo collatum,

III. C

sed verum præmium condigno eius merito retributum.

Tertium est, si prædictæ Maioris sensus sit, Deum non potuisse reddere præmium adæquatum vlli bono operi Christi, quo sibi merebatur, veram esse: singulis enim suis operibus meruit gloriam corporis infinitam, seu non tantam, quin maiorem: vnde cùm non possit Deus tantam reddere, quin adhuc maiorem possit, sequitur Deum non posse vnquam quacunque data gloria corporis adæquatè compensare hoc Christi meritum, nisi det actu infinitam, imò omnem omnino possibilem. Quòd autem Christus singulis suis bonis operibus meruerit infinitam, probo ex eo quòd nulla dari ipsi potest, licet detur maior ac maior in infinitum, qua ob

IV.

quælibet opera sua bona non debeat censeri dignissimus: dignum autem esse opere suo præmium aliquod accipere, est præmium illud condignè meruisse, quia, vt antè dixi, ad condignum meritum quo nobis aliquid meremur, sufficit operis bonitas & dignitas, nec præterea requiritur in eum finem eius oblatio & directio per operantem. Atque vt Christus singulis suis bonis operibus meruit tantam, quantam dixi, gloriam corporis, ita similiter ob eandem causam isdem singulis parem animæ gloriam, & habitualem gratiam sanctificantem meruisset, si viator quoad animam, sicut quoad corpus, extitisset. Hoc verò Christi operibus meritum tribuere, quod adæquato præmio compensare Deus non valeat, non est absurdum, vt in obiectionis minori propositione dicitur.

Cuius ad probationem dico primò, si rectè concluditur meritum Christi pro seipso merentis maius esse omnipotentia Dei, ex eo quòd huic merito adæquatum gloriæ corporis præmium reddi non possit à Deo, concludi pariter necessariò, humanitatis eius sanctitatem dignitatémque maiorem esse eadem Dei omnipotentia, quia illi sanctitati dignitatíque reddi non potest adæquatum gloriæ corporis præmium, cùm Christus per hanc sit hac gloria quantumlibet magis ac magis in infinitum intensa dignissimus. V.

Dico secundò, ex eo quòd reddi nequeat adæquatum dignitati aut merito operum Christi pro se merentis præmium, non esse consequens, hanc eorum dignitatem aut meritum esse quid maius omnipotentia Dei: sicut neque hoc de humanitatis Christi sanctitate & dignitate verum est, etsi par illi sanctitati ac dignitati gloria corporis reddi à Deo nequeat: sicut etiam ex eo quòd non possit omnipotentia Dei producere quidpiam, quod per naturam sit Deus, non est consequens, perfectionem hanc esse omnipotentia illa maiorem. VI.

Ex quibus omnibus duo præterea intelliguntur. Primum est, quòd etsi concederetur, Christo pro aliis merenti non posse reddi præmium adæquatum, non sequeretur istud eius meritum esse Dei omnipotentia maius, nec quidquam ex eo præcisè capite concederetur absurdum, cùm idem de merito quo sibi meretur concedendum sit. Secundum est, Christi pro se merentis gloriam corporis meritum non fuisse adæquatè compensatum, cùm meruerit maiorem ea, quam accepit. Cur autem hanc potiùs quàm aliam maiorem aut minorem acceperit, refundendum est in Dei voluntatem, cui, cùm nullus esset definitus gloriæ gradus qui adæquatè meritum eius compensaret, placuit eum determinatè retribuere, quem de facto retribuit. Eiusdem verò merita pro aliis fuisse adæquatè compensata, si non direxit, obtulitque opera sua bona ad maius consequendum præmium eo quod reipsa consequutus est, cùm per opera sua nullum aliud eis præmium meruerit, quàm illud pro quo consequendo ea direxit, & obtulit. VII.

SECTIO VII.

Soluuntur tertij generis obiectiones.

D PRIMA est. Si valor infinitus operum Christi ex infinita humanitatis eius per diuinitatem sanctificatione deriuatur, hic operum eius valor non magis ex Verbo petetur, quàm ex Patre, aut Spiritu sancto: atqui hoc falsum est: igitur & illud. Maioris consequentia probatur: petetur enim ex diuinitate, hæc autem tam Patri & Spiritui sancto, quàm Verbo communis est. Respondeo negando consequentiam hanc, cuius ad probationem dico, diuinitatem quidem esse æqualiter communem tribus diuinis personis: at prædictum valorem infinitũ non deriuari VIII.

ex illa,

ex illa, prout his personis communis est, aut prout in Patre, vel Spiritu sancto est, sed tantùm prout in Verbo est: quæ causa est, ob quam non à Patre, aut Spiritu sancto, sed à solo Verbo deriuatus ille valor dicendus est: non enim petitur ex diuinitate nisi prout ei humanitas Christi
I. hypostaticè vnita est, hæc autem illi non est vnita hypostaticè, prout illa est communis tribus A
diuinis personis, aut prout in Patre, vel Spiritu sancto est, sed tantùm prout est in Verbo: non est enim humanitas vnita hypostaticè diuinitati, nisi prout est vnita hypostaticè personalitati & personæ Verbi, in quo est diuinitas.

Secunda. Si valor ille operum infinitus oriretur ex infinita illa humanitatis per diuinitatem sanctificatione, sequeretur, ex duobus puris hominibus inæqualem gratiam habitualem habentibus, idem aut æquale per omnia bonum opus exercentibus, eum plus mereri, cuius maior esset habitualis gratia: atqui hoc falsum videtur: ergo & illud. Consequentia Ma-
II. ioris probatur: si enim sanctitas operantis confert aliquam operi bono dignitatem ac valo- B
rem, quem alioqui non haberet, & infinita infinitum, maior quoque, licet finita, maiorem, licet finitum, conferet. Minor probatur, tum quia sequeretur alioquin hominem aliquem magis iustum posse minimo virtutis actu plus condignè mereri gratiæ & gloriæ apud Deum, quam aliquem alium minùs iustum intensissimo actu perfectissimæ virtutis: posset enim iustioris illius sanctitas tot gradibus antecellere sanctitatem istius alterius minùs iusti, vt ex illa eius tam excellenti sanctitate deriuaretur in aliquod minimum opus ipsius plus valoris ac meriti, quàm sit in opere
III. illo perfectissimo istius alterius: tum quia in Scriptura dicitur retribuendam esse mercedem C
bonis iustorum operibus, prout vniuscuiusque opus postulauerit, non prout fuerit maior aut minor operantis sanctitas.

Propter has duas istius Minoris probationes Gabriel Vasquez cap. 4. disput. 6. eam concedit, Maioris autem consequentiam negat, quæ etsi mala esse supponatur, falsumque consequens quod per eam infertur, non dubito tamen operum Christi valorem fuisse infinitum: eo quòd cùm humanitatis eius per diuinitatem sanctificatæ sanctitas tantò sit altioris ordinis, sanctitate gratiæ habitualis in puro homine existentis, quantò valor ille, quem bonis illius operibus tribuimus, altioris ordinis est valore, qui in puri hominis gratia sanctificante præditi bonis operibus exiftit, & hæc gratia possit his operibus valorem condigni meriti gratiæ & gloriæ tri-
IV. buere, quem alioquin ex se non haberent, sa- D
nè, siue maior maiorem eiusmodi valorem tribuere iis possit, siue non, non minùs poterit illa humanitatis deificatæ sanctitas bonis eius operibus tribuere eum valorem quem iis concedimus, cùm ex se haud dubiè tam apta proportionataque sit ad valorem hunc eis tribuendum, quàm puræ creaturæ habitualis gratia ad bonis eius operibus tribuendum valorem illum condigni meriti, quem diximus.

Verùm existimo probabilius consequentiam illam Maioris bonam esse, & consequens quod per eam infertur, veritatem habere, falsamque proinde Minorem: primò quia sanctitas operantis est circunstantia boni operis quod exercet: nisi enim ipsum per modum circunstantiæ afficeret, ipsi valorem illum condigni meriti, quo alioqui careret, non tribue- V.
ret: quæ autem circunstantia actui quem afficit tribuit bonitatem, aut malitiam, meritum aliquod præmij aut supplicij, eadem aucta maiorem adhuc, ac maius tribuit: vt constat inductione per omnes huiusmodi circunstantias.

Secundò, quia si in rebus humanis, quando dignitas operantis tribuit eius actioni valorem aliquem, maior tribuat maiorem, cur non similiter eueniet in rebus diuinis, si dignitas seu sanctitas puræ creaturæ operantis tribuit operi valorem condigni meriti æternæ gloriæ? cúrque proinde maior maiorem non tribuet? Videmus autem hoc in rebus humanis euenire perpetuò, vt si nobilitas aliáve similis dignitas tribuit alicui operantis actioni valorem aliquem, siue ad satisfaciendum hominibus, siue ad laudem, aut quidpiam aliud tem- VI.
porale ab eis promerendum, eadem dignitas aucta eidem actioni maiorem eiusmodi valorem tribuat. Postremò, quia si maior puræ creaturæ operantis sanctitas operi bono meritorio de congruo alicuius rei quæ sub meritum congruum cadere potest, ac non etiam sub condignum, confert maius meritum huiusce rei, quàm alioquin in illo opere fuisset, maior quoque eiusdem creaturæ sanctitas operi bono meritorio de condigno æternæ gloriæ, conferet etiam maius huius gloriæ meritum, atque adeo maioris huius gloriæ meritorium efficiet: atqui verum est prius: igitur & posterius. Maioris huius consequentia bona est: si enim auget meritum congruum, seu rei quam de con-
VII. gruo tantùm mereri possumus, cur non augebit condignum meritum, seu rei quam de condigno promeremur? Minoris istius veritas ex eo patet, quòd si ex duobus hominibus iustis inæqualis sanctitatis vnus Deum oraret pro re aliqua obtinenda, alter pro opposita impetranda, vnus, verbi causa, pro victoria exercitus vnius, alter pro alterius contra hunc pugnaturi, & vterque oraret oratione aquè diuturna, attenta, feruente, cæterisque omnibus paribus, & vtriusque oratio esset de congruo meritoria victoriæ quæ petitur, vt haud dubiè esse posset, iustioris hominis oratio magis illius de congruo meritoria esset, quàm alterius, qui minùs iustus est: quis enim neget Deo decens conueniénsque esse, vt cæteris paribus eum potiùs exaudiat, quem magis amat, & à quo magis se amari videt?

Vnde ad primam minoris propositionis à
VIII. nobis negatæ probationem dico, euenire absolute illud posse quod in ea dicitur, sed nihil absurdi continere. Ad secundam respondeo, Scripturam dicere retribuendam bonis iustorum operibus mercedem, prout vniuscuiusque opus postulauerit, id est, maiorem aut minorem, prout cuiusque opus magis aut minùs bonum moraliter fuerit, ac maioris aut minoris mercedis meritorium, ex quocunque tandem capite fiat magis aut minùs bonum,

& meritorium: fieri autem tale ex circumstantiis quibus afficitur magis aut minùs bonis, earúmque de numero esse sanctitatem operantis, quæ eò melior est, quo est maior, seu intensior.

Ex dictis colligitur, quòd si alicuius puræ creaturæ habitualis gratia sanctificans, esset actu infinita, cuilibet eius operi bono tribueret condignum meritum infinitum, seu infinitæ actu gloriæ: maius enim tribuere deberet quacunque finita, cùm quacunque finita maior sit, ergo infinitum: nam si finitum tantum tribueret, non tribueret maius quacunque finita, cùm nullum assignari finitum possit, quod non ab aliqua finita assignabili possit tribui, si maior maius tribuit, vt probauimus. I. A

SECTIO VIII.

Hinc exortæ quæstioni vni respondetur.

AT ex occasione solutionis postremi huius argumenti quæret aliquis, quantum valoris & meriti adueniat operi bono, & æternæ gloriæ meritorio ex ea quam habet operans gratia & sanctitate, quandoquidem ex ea aliquid aduenire defendimus. Respondeo, etsi nemo mortalium id definire præcisè possit, certum tamen videri, non aduenire ex ea tam intensæ gloriæ meritum, quàm intensa est ipsius operantis gratia & sanctitas. Primò, quia deberet alioquin esse prope infinita sanctitas cuiuslibet hominis iusti, qui satis diuturno tempore in statu gratiæ constanter permansisset, licet hoc toto tempore remississimos duntaxat virtutis actus exercuisset: quoniam quiuis istorum actuum tantam gratiam gloriámque mereretur, quantam omnes antecedentes, imò etiam maiorem: quod probabilitatis speciem nullam habet. Mereretur quidem tantam, quia quilibet istorum actuum tantæ gloriæ gratiæque meritorius esset, quanta esset operantis sanctitas, tanta autem saltem esset, quantam præcedentibus actibus meruisset. Vel enim totam quam meruit præcedentibus actibus à Deo recepisset, vel non: si primum, clarum est, quòd tantam haberet, quantam illis præcedentibus actibus meruit: si secundum, etsi tantam physicè non haberet quantam meruit, moraliter tamen tantam haberet: moralis enim sanctitas quæ formaliter ab ipsis actibus bonis operanti communicatur, tanta est, quanta esset ea physica, quæ prouenire ab augmento habitus gratiæ sanctificantis quod operans bonis illis actibus præcedentibus meruit: vnde postquam homo augmentum illud à Deo recepit, non est absolutè sanctior, quàm antequam reciperet, sicut neque est æternagloria dignior. Mereretur verò maiorem, quia operi bono aduenire etiam aliquod nouæ gratiæ gloriæque meritum ex gratia sanctificante operantis, quàm per sacramenta ex opere operato acquisiuisset: ex intensione quoque ipsius operis boni, ex obiecti circa quod versaretur præstantia, ex aliis denique circumstantiis, ex quibus crescere potest operis boni sicut moralis bonitas, ita gratiæ & gloriæ meritum. II. B III. C IV. D

Secundò, quia sequeretur quodlibet hominis iusti bonum opus esse infinitæ gratiæ, gloriæque meritorium: si enim in opus bonum ex sanctitate operantis præcisè deriuaretur tantæ gratiæ & gloriæ meritum, quanta est ipsius operantis sanctitas, sanè deriuaretur in illud opus bonum, licet haberet tantum intensionem gradus vnius, aut dimidij, imo etiamsi esset remissius & remissius in infinitum: & per consequens de facto deriuabitur in quamlibet determinatam, & vni certæ æqualem partem actus qui exercebitur: si enim tantum meritum quælibet istarum partium acciperet, si seorsim à cæteris producta fuisset, vt produci potuit, accipiet quoque etiamsi coniunctim cum cæteris producatur, cùm hæc coniunctio cum ipsis, sicut non impedit quo minùs producatur ab homine tantam sanctitatem habente, ita impedire non possit, quin tantum gratiæ gloriæque meritum ex producentis sanctitate accipiat, quanta est hæc ipsius sanctitas. Quòd si quælibet istius actus certa pars & æqualis alteri meritoria est tantæ gratiæ & gloriæ, quanta est operantis sanctitas, cùm in quolibet actu possint accipi plures & plures in infinitum partes vni certæ æquales, sequitur euidenter fore in quolibet actu meritum gratiæ & gloriæ maioris & maioris in infinitum. V. VI.

Quod & illustratur exemplo infinitæ Christi sanctitatis, quæ cùm ex se præcisè transfunderet in quodcunque bonum ipsius opus valorem infinitum, idem quoque faciebat in quamcunque boni illius operis partem: vnde quilibet eius actus non solùm secundùm se totum, sed etiam secundùm quamlibet sui partem erat valoris infiniti, sufficientisque ad quidlibet condignè merendum.

Nec retorqueas hoc argumentum contra nos, dicendo ex sanctitate operantis, etsi non tantæ gloriæ gratiæque meritum deriuetur in opus bonum, quanta est ipsa sanctitas, deriuari tamen certæ alicuius ac determinatæ gratiæ & gloriæ meritum, hócque sufficere, vt quilibet hominis iusti bonus actus sit infinitæ gratiæ gloriæque meritorius: quia in quolibet huiusmodi actu accipi poterunt plures & plures partes in infinitum vni certæ æquales, quælibet autem earum erit certæ determinatæque gloriæ ac gratiæ meritoria. Ne, inquam, retorqueas: validè enim contra nos retorqueri non potest, alioqui pari iure probare possem, nunc in quolibet actu bono hominis iusti aliunde esse meritum gratiæ & gloriæ maioris ac maioris in infinitum. VII.

Cùm enim ex maiori rationis aduertentia, verbi causa, ex præstantiori item obiecto, cæteris páribus, deriuetur in actum maior aliqua bonitas moralis, & per consequens maius gratiæ gloriæque meritum, quàm alioquin in eo fuisset, ego iam similiter dicerem, ex illa rationis maiori aduertentia, vel obiecti præstantia, deriuari certæ gratiæ & gloriæ meritum, non modo in actum totum, sed & in quamlibet eius partem, cùm quælibet illius actus pars fiat ex maiori illa rationis aduertentia, sicut & totus actus, versetúrque circa præstantius illud obiectum, sicut & totus actus versatur. Vnde concluderem, cùm partes illius actus VIII.

vni certæ æquales accipi in illo actu possint plures & plures in infinitum, multiplicari quoque in infinitum certum illum gratiæ gloriæque gradum, cuius quælibet pars prædicti actus est meritoria, & sic haberi meritum gratiæ & gloriæ maioris & maioris in infinitum.

I. Quare sicut de maiori rationis aduertentia, vel de maiori obiecti præstantia, sic etiam de maiori puræ creaturæ operantis sanctitate dicendum non est, ex ea præcisè, ac seorsim à cæteris omnibus considerata, deriuari in actum bonum certæ determinatæque gloriæ meritum, quod æquale semper sit quando erit vel æqualis rationis aduertentia, vel æqualis obiecti præstantia, vel personæ operantis æqualis sanctitas, siue bonus ille actus modo sit intensior, modo remissior: siue modò sit ex quibusdam aliis circumstantiis melior, siue non sit, alioqui sequetur infinitum illud in quolibet actu bono hominis iusti gratiæ & gloriæ meritum, de quo proximè antè dictum est: sed

II. dicendum est etiam ex æquali rationis aduertentia, vel ex æquali obiecti præstantia, vel ex æquali personæ sanctitate, deriuari in actum bonum modo maius, modo minus bonitatis moralis augmentum, & per consequens modò maius modò minus gratiæ & gloriæ meritum, prout ille actus bonus aut intensior est, aut remissior, aut alio simili ex capite magis vel minùs bonus moraliter est: vt & ex æquali continuatione cuiusdam actus boni non semper æqualis in actum continuatum deriuatur moralis bonitas, & per consequens non semper æquale gloriæ meritum, sed modò maior, modò minor bonitas moralis, maiúsque proinde aut minus meritum gloriæ, prout actus qui continuatur aut intensior est, aut remissior, aut ex alio simili capite magis minúsve bonus moraliter.

III. Et ratio est, quia sicut actum bonum aliquandiu continuare bonum & laudabile est, & tandiu continuare meliorem, adhuc melius est, & laudabilius: ita actum bonum cum tanta vel tanta rationis aduertentia, aut circa tantæ vel tantæ præstantiæ obiectum, aut cum tanta vel tanta personæ sanctitate producere, bonum est, & laudabile: & cum eadem vel aduertentia, vel sanctitate circa eandem obiecti præstantiam producere meliorem, vel ex maiori graduum intensione, vel ex alio simili capite, adhuc melius est & laudabilius, & proinde magis adhuc gratiæ gloriæque meritorium. Quo posito facilè intelligitur, quòd sicut ex finita continuatione actus boni non deriuatur in actum hunc nisi finitum bonitatis moralis, ac proinde meriti gratiæ & gloriæ augmentum, quod minuitur, non modo quantum de mora continuationis demitur, sed etiam eâdem eius duratione retenta, tantum, certâ quadam proportione, quantum vel de intensione ipsius boni actus, vel de morali eius bonitate quam ex aliis capitibus habebat, tollitur: ita ex finita rationis aduertentia, ex finita obiecti præstantia, ex finita item personæ operantis sanctitate, deriuari non potest in actum bonum nisi finitum bonitatis moralis, & per consequens meriti gratiæ & gloriæ incrementum; quod non modo tantum decreſcet, quantum vel de rationis aduertentia, vel de obiecti præstantia, vel de personæ operantis sanctitate detrahetur, sed etiam iisdem omnibus in eadem perfectione remanentibus, tantum, certa proportione, quantum vel de intensione actus boni, vel de eius bonitate morali quam ex aliis capitibus deriuatam habebat, diminuetur. V.

DISPVTATIO VII.

Ex qua virtute Christus, & cui satisfecerit?

SECTIO PRIMA.

An ex stricta iustitia satisfecerit?

SENTENTIA quorundam recentiorum est, Christum satisfeciſſe ex stricta iustitia: neque hoc tantùm, sed etiam ex rigore iustitiæ huius. At cùm nos tractantes de iustitia & iure disput. 14. fuse probauerimus, nec hominis ad Deum, nec Dei ad hominem strictam esse posse iustitiam, ex quò manifestè sequitur Christi satisfactionem ex hac iustitia esse non potuisse, multóque minùs de rigore iustitiæ huius, non hærebimus nunc in illa sententia refutanda, nisi tantum, quantum necesse est, vt ostendamus, quòd etsi eius satisfactio ex stricta iustitia fuisset, ex rigore tamen huius iustitiæ minimè esse potuisset. VI.

Id autem ex eo probo, quòd huic satisfactioni tres vt minimum desunt conditiones, quæ singulæ necessariæ sunt, vt satisfactio ex rigore strictæ iustitiæ sit: Prima est, vt hæc exhibeatur ex propriis bonis debitoris, & non ex gratis acceptis à creditore. Nam si quis debitor soluendo non esset, creditor autem misericordia motus ei vel alteri pro eo donaret summam pecuniæ, ex qua postea ipse posset, vel alter pro eo debitum creditori soluere, non censeretur hæc solutio ex rigore iustitiæ: quin potius censeretur in ea interuenire gratuita debiti condonatio, quia pro eodem reputantur apud homines, creditorem gratis remittere debitori debitum, & de suis bonis ei dare liberaliter quantum opus est ad debitum soluendum. VII.

Quòd autem hæc conditio satisfactioni Christi defuerit, sic ostendo. Christus non satisfecit vt Deus, sed solùm vt homo: atqui vt homo non satisfecit ad æqualitatem ex propriis bonis, sed tantùm ex gratis acceptis à Deo, cui vt creditori pro debito generis humani satisfaciebat. VIII. Maior probata est superiori disput. sect. 5. in responsione ad secundam obiectionem. Minor hinc probatur, quòd Christus vt homo nihil habuit proprium quo posset satisfacere, præter humanitatem, & opera propria humanitatis: at per hæc & illam præcisè satisfacere condignè, seu ad æqualitatem non poterat: illis enim sic præcisè consideratis inesse non potest sufficiens dignitas ad æqualem & condignam pro debito de quo loquimur satisfactionem, vt ex superiori disputatione constat. Imò cùm Christi per humanitatem

suam, & per propria ipsius opera satisfacientis satisfactio sufficiētem dignitatem ad condignam satisfactionem habere non potuerit aliunde, quā ex infinita per diuinitatem sanctificatione, vt superiori item disput. probatum est, sicut hæc sanctificatio fuit eius humanitati collata tam gratis, quàm ipsa vnio hypostatica, cum qua simul & necessariò communicatur: ita hæc eius humanitas ad æqualitatem non satisfecit ex propriis, sed solum ex gratis à creditore Deo acceptis.

I. A

Respondebis primò, debitorem posse ex bonis gratis acceptis à creditore, postquam ea fecit sua, de rigore iustitiæ ipsi creditori satisfacere pro suo, vel alieno debito, contracto postquam hæc ab eo bona gratis accepit. At quamuis ita sit, quoniam tamen quando post contractum debitum datur à creditore pecunia alicui, eo fine, siue expressè, siue virtute, vt ex ea pro suo vel alieno debito satisfaciat, satisfactio hæc de rigore iustitiæ esse non potest, imò hæc gratuita pecuniæ donatio, secundùm communem hominum æstimationem gratuitæ debiti remissioni æquiualet, ideo Christi satisfactio censeri non debet de rigore iustitiæ, cùm post contractum ab humano genere peccati debitum, Deus ei gratiam hypostaticæ vnionis dederit, eo fine, vt ex ea pro debito illo ipsi tanquam creditori satisfaceret.

II. B

Respondebis secundò, debitorem, qui à suo creditore pecuniam gratis acceperit non sufficientem ad solutionem, posse cum accepta gratis pecunia negotiari, & industria sua tantum ex negotiatione lucrari pecuniæ, quantum necessarium est ad totum debitum soluendum, ex eáque si hoc totum soluerit, solutionem fore de rigore iustitiæ, non obstante pecunia alia gratis accepta cum qua negotiatus est: Christum ergo similiter potuisse per gratiam vnionis hypostaticæ gratis acceptam operari, opere autem suo tanquam æquiualente pretio pro nobis exhibito satisfacere Deo creditori, pro nostro debito, non modò ad æqualitatem, sed etiam ex rigore iustitiæ.

III. C

At nego huius & illius solutionis parem esse rationem. Ideo enim prior illa solutio de rigore iustitiæ est, quia fit ex bonis quæ debitor lucratus est per pecuniam gratis acceptam, tanquam per instrumentum, per seipsum autem, & per industriam suam, tanquam per causam lucri principalem: at posterior hæc solutio de rigore iustitiæ esse non potest, quia ita per Christum, & eius humanitatem fit ex accepta gratis à Deo gratia prædictæ vnionis, vt ipse Deus, cui tanquam creditori fit, per hanc suam gratiam causa eius præcipua sit, non vero Christi humanitas: quemadmodum etiam debitor ille ex accepta gratis pecunia negotiationem faciens, & tantum lucrum reportans, quantum sufficit ad totius debiti solutionem, ex eáque totum hoc debitum soluens, non satisfaceret pro debito ex rigore iustitiæ; si non ipse per industriam suam, sed creditor per pecuniam suam gratis datam, lucri cum ea facti causa præcipua esset, quia tunc solutio non tam fieret ex bonis propriis debitoris, quàm ex gratis a creditore acceptis, quandoquidem per lucrum ex negotiatione reportatum fieret, cuius lucri ipsa gratis accepta à creditore pecunia

IV. D

causa præcipua esset, aut ipse per hanc suam pecuniam creditor.

Secunda conditio est, vt satisfactio quæ exhibetur, fiat ex bonis sufficientem ex se valorem habentibus, seu quorum valor ab ipso creditore non proueniat, sed sit ipsis proprius, & ab eo nullo modo dependens. Nam si quis Rex, verbi causa, debitori suo pauperi, nec ad æqualitatem soluere valenti, permittat vt ex materia plumbea quam habet, & per quam debitum ad æqualitatem soluere nunquam posset, cudat pecuniam, huicque pecuniæ idem Rex liberaliter valorem nummorum aureorum tribuat, ex eáque postea debiti solutionem accipiat, nemo dixerit solutionem hanc esse de rigore iustitiæ, imò propter valorem hunc isti tam vili pecuniæ liberaliter a Rege creditore superadditum, facilè omnes intelligunt, in ista solutione plurimum interuenire gratuitæ condonationis. Quòd autem hæc conditio in Christi satisfactione defuerit, probatur: non enim per alia formaliter opera satisfecit, quàm per propria humanitatis: istis autem operibus tanquam pecuniæ ex plumbea materia excusæ inesse non poterat ex se proprius aliquis valor sufficiens ad condignam pro debito nostro solutionem: nēc aliunde sufficiens hic valor in iis esse potuit, quàm ab ipso Deo creditore humanitatem Christi sanctificante, iisdémque sufficientem hunc valorem tribuente, & quidem tam liberaliter & gratis, quàm se illi gratis hypostaticè vniuit. V.

Respondebis, valorem hunc ab ipsa præcisè Verbi diuini personalitate proueniſſe, vt personalitas est, & per rationem ab eiusdem diuinitate distinguitur: satisfactionem autem exhibitam fuisse huic ipsius diuinitati tanquam creditori, quoniam hæc peccatis nostris offensa fuerat, vt pote commissis contra eius voluntatem, ac legem: atque ita nihil ex hoc capite secundæ conditionis fuisse impedimenti, quo minus illa satisfactio de rigore iustitiæ esset, cùm valor ipsius non ex creditore, sed aliunde proueniret. VI.

Verum hæc responsio nulla est, in primis, quia falsum est valorem de quo agimus proueniſſe à personalitate vt personalitas est, non autem à diuinitate, vt est diuinitas: valor enim ille proueniebat ex infinita humanitatis à Verbo assumptæ sanctificatione, vt ex superiori disput. constat, hæc autem sanctificatio non erat ab ipsa formaliter personalitate, vt per rationem à diuinitate distinguitur, sed ab hac, vt diuinitas est, quoniam hæc, vt sic, est per se formalis infinita & increata sanctitas, personalitas autem vt sic non includit, nec dicit aliam quam diuinitatis ipsius sanctitatem, cui à parte rei identificatur: alioqui non esset vnica numero trium diuinarum personarum sanctitas, sed triplex, sicut & triplex personalitas est: aut præter vnam numero sanctitatem absolutam ipsis tribus communem, essent admittendæ tres aliæ sanctitates relatiuæ inter se realiter distinctæ, sicut & tres trium illarum personarum personalitates realiter distinguuntur: quod falsum est, & in Theologia hactenus inauditum. Secundò, quia quæcunque tandem in persona Verbi terminantis humanitatem assumptam per rationem VII. VIII.

distinguantur, tamen illud ipsum ens increatum cui à parte rei exhibita à Christo satisfactio est, & exhiberi debuit tanquam creditori, est à parte rei idem ipsum ens increatum, à quo sicut infinita humanitatis assumptæ sanctificatio processit, sic exhibitæ satisfactionis valor sufficiens: ergo à parte rei de rigore iustitiæ non fuit, cùm ad eiusmodi satisfactionem requiratur, vt eius valor à parte rei non proueniat ab eo, qui est à parte rei creditor. I. A

Tertia conditio est, vt satisfactio fiat ex bonis quæ ita sunt in dominio debitoris, vt in creditoris dominio non sint: nam si debitor creditori debitum soluat ex pecunia ipsius, nemo solutionem hanc dicet esse de rigore iustitiæ. Quòd autem conditio hæc satisfactioni Christi defuerit, constat ex eo quòd non satisfecit Deo creditori, nec satisfacere per alia bona potuit, quàm per opera propria suæ humanitatis: horum autem operum Deus dominium habebat æque saltem atque humanitas, quæ ea exercebat, cùm sit absolutissimus rerum omnium dominus.

Respondebis primo, opera illa fuisse speciali quadam ratione propria humanitatis, qua non erant Dei, nempe quatenus erant libera: non enim denominabantur, erantve libera à libertate Dei, sed à sola libertate humanæ voluntatis. Verùm hæc responsio nullius momenti est: etsi enim quod in ea dicitur sit verissimum, tamen cùm humanitas Christi per illam liberi denominationem non satisfaciat, quam sola suis operibus tribuebat, sed per opera sua denominationem hanc habentia, hæc autem tam essent in dominio Dei creditoris, cui satisfactio exhibebatur, quàm humanitatis satisfacientis, sequitur, hanc eius satisfactionem de rigore iustitiæ esse non potuisse. II. B

Respondebis secundò, inter homines aliquando contingere, vt debitor satisfaciat de rigore iustitiæ ex bonis, quorum dominium creditor habet absolutum, dummodo eorundem bonorum dominium quoque absolutum habeat debitor: Christum ergo secundùm humanitatem potuisse ex rigore iustitiæ satisfacere Deo, per opera, quorum Deus creditor absolutum dominium habebat, cùm eorundem operum eiusdem Christi humanitas dominium pariter absolutum haberet. Reiicitur hæc responsio, primò, quia falsum est id inter homines posse contingere, cùm sit impossibile duos homines vnius eiusdemque rei esse dominos in solidum, sic vt quilibet eorum seorsim sit in solidum, seu absolutus eius rei dominus: quod quamuis ita sit, possunt nihilominus duo pluresve homines simul ac indiuisè sumpti habere dominium in solidum vnius eiusdémque rei, quæ diuisionem non patitur, vt mancipij, at nullus eorum seorsim sumptus est dominus totius vtilitatis ex ea re prouenientis, vel pretij huius rei, sed hoc pretium, si res illa vendatur, diuidendum est. III. C IV. D

Secundò, quia quamuis fieri posset vt in rebus humanis duo homines diuisiuè sumpti essent domini in solidum vnius eiusdémque rei; falsum tamen esset, eum qui ex re cuius dominium in solidum haberet, soluere creditori in eandem rem absolutum pariter dominium habenti, soluturũ de rigore iustitiæ: Petrus enim debeat Paulo centum aureos, ille autem habeat aureos centum, quorum sit in solidum dominus, ipseque pariter Paulus, si ex iis debitum Paulo soluerit, quis solutionem hanc de rigore iustitiæ esse dicet? quis ad eam non exiget, vt fiat ex aliis centum aureis, in quos nullum dominium Paulus creditor habeat? certe illa solutio dici de rigore iustitiæ non debet, in qua creditor à debitore nihil accipit nisi suum, imò nihil, aut saltem nihil aliquo pretio æstimabile: centum autem aureos illos accipiens nihil nisi suum acciperet, imò nihil acciperet, nisi præter illos aliquid aliud acciperet: qui enim creditor à debitore nihil nisi suum accipit, nihil censetur accipere. V.

Quòd si dicas, Petrum debitorem dare Paulo creditori præter illos centum aureos quos soluit, dominium quoque absolutum in eosdem aureos, nego dare, quandoquidem Paulus iam erat eorundem absolutus dominus. Quod si dicas Petrum præterea dare Paulo illud ipsum dominiũ in solidum quod in aureos illos habebat, ita vt Paulus iam duplex quodammodo dominium in solidum seu absolutum in eos habeat: aut saltem eundem Petrum abdicare à se per solutionem illam dominium illud in solidum quod habebat in aureos quos persoluit: contra ego dico, ipsũ Paulo tribuentem vel dominium illud quod habebat, vel illius sui dominij abdicationẽ, nihil prætio æstimabile. tribuere, quia centum illi aurei Paulo dominium in eos iam absolutum habenti non plus valent, post acceptam huius dominij abdicationem, aut acceptum illud ipsum Petri dominium, quàm valerent, antequam acciperet. VI.

Respondebis tertiò, diuersam esse rationem restitutionis bonorum fortunę, à restitutione honoris antea per offensam ablati, quæ satisfactio dici solet: & illam quidem priorem fieri non posse ex propriis bonis creditoris, quia per huiusmodi bonorum restitutionem non potest ad æqualitatem compensari illatum in fortunæ bonis damnum, nec damnũ pallus fieri tam diues, quàm erat priùs quàm in iis damnum pateretur, & quam fieret, si restituerentur bona propria solius debitoris: hanc autem posteriorem fieri posse ex propriis bonis creditoris, quòd per hæc æque possit accipere tantum honoris offensus, quantum antea per offensam inhonorationis passus est, atque per alia, quæ non essent in dominio ipsius, sed solius satisfacientis. VII.

Reiicitur primo, quia etsi verum sit, per hoc ipsum posse tantum honoris accipere, verum similiter est, & à nemine negari potest; satisfactionem non tam esse rigidam, quando fit vtendo bonis propriis creditoris, quàm dum fit vtendo propriis solius debitoris: cùm præsertim ius habeat creditor, cui pro honore læso satisfaciendum est, vt qui læsit, eum suis quodammodo impensis reparet, vtendoque propriis suis rebus, non autem vtendo propriis ipsius creditoris: quod proinde si condonetur, gratia quædam est: vbi autem hæc interuenit, rigorem iustitiæ minuit. VIII.

Reiicitur secundò, quia dum homo homini pro læsa fama vel honore satisfacit, restituendo famam, vel honorem, nunquam de rigore iustitiæ satisfacere censebitur, si non aliam famam honorémve restituat, quàm eum qui iam pertinet ad dominiũ illius cui restituit, nec magis pertinet ex eo quòd restituat. Vnde necessarium est

ad restitutionem ex iustitia, in quorumcunque bonorũ genere, præsertimque ex rigore iustitiæ, vt per restitutionem tribuatur aliquid ei cui fit restitutio, quod vi factæ restitutionis ponatur in eius dominio, fiatque de propriis ipsius bonis, cùm antea non esset, nec poneretur, aut tale fieret ex se, nisi à restituente tribueretur. At Deo per restitutionem honoris, siue satisfactionem, nihil potest istiusmodi tribui: nihil enim potest tribui præter id quo potest satisfieri, non potest autem satisfieri nisi opere honorifico, opus autem honorificum Deo aliud non est, quàm moraliter bonum, hoc autem opus ex se totum est in dominio Dei, nec magis in eius dominio ponitur ex eo quod à creatura restituente siue satisfaciente in compensationem exhibeatur: quodnam enim Deus vi restitutionis huius seu satisfactionis dominium acquireret? Profectò non vtilitatis, cùm ex rebus crearis capere vtilitatem nullam possit: neque excellentiæ seu potestatis causæ in effectum, cùm ex se habeat omnem sibi possibilem in illud opus tanquam causæ in effectum potestatem.

I. A

II. Nec opponatur nobis authoritas illorũ Theologorum, qui dixerunt Christum ex rigore iustitiæ satisfeciſſe. In primis enim dico, nec D. Thomam, nec Bonau. nec Alexandrum, nec vllum alium ex antiquioribus hoc loquendi genere vsum esse, sed solùm dixisse Christi satisfactionem fuisse perfectam, & ex se debito pro quo offerebatur æqualem: qualis vt esset, necesse non fuit, vt esset ex stricta iustitia, multòque minùs ex rigore iustitiæ istius. Dico deinde Aureolum, qui primus eo loquendi genere vsus est, Capreol. Ferrar. & Vegam qui postea vsi sunt, asserentes Christi satisfactionem ex rigore iustitiæ fuisse, non de stricta iustitia loquutos esse, sed eo sensu intelligendos, quo paulò post dicemus eam ex iustitia fuisse, & ex rigore iustitiæ.

B

III. C

SECTIO II.

An ex aliqua iustitia Christus satisfecerit?

ATQVE cùm hactenus ostenderimus Christi satisfactionem ex rigore strictæ iustitiæ esse non potuisse: quæres hoc loco in primis, an non concedendum sit, eam simpliciter & proprie loquendo ex iustitia fuisse? Respondeo esse concedendum, quia iustitiæ vocabulum, vt tractantes de iustitia & iure disput. 14. diximus, non de sola strictæ iustitiæ virtute proprie & absque metaphora dicitur, sed etiam de quacunque virtute quæ ad alterum est: imò de qualibet virtute, siue sit ad alterum, siue non sit: vnde cùm Christus ex aliqua proculdubio virtute satisfecerit, quia satisfactio eius fuit opus moraliter bonum ac honestum formaliter, imò cùm satisfecerit ex aliqua virtute quæ erat ad alterum, vt ex religione erga Deum, misericordia & charitate erga homines, concedendum est simpliciter & proprie loquendo eius satisfactionem ex iustitia fuisse.

IV. D

Adde quòd, vt citata disput. dixi, cùm æquale sit aliquod iustum proprie loquendo, iustúsque dicatur qui æqualitatem constituit, siue debitam ex stricta iustitia, vel ex alia virtute, siue non debitam, Deúsque ideo dicatur proprie & absque metaphora iustus in retributione præmiorum, & suppliciorum, quòd retribuendo constituat æqualitatem inter meritum & præmium: inter demeritum & supplicium, tantum cuique dando vel præmij, vel supplicij, quantum meruit, Christus autem satisfecerit ad æqualitatem pro peccatis nostris, quandoquidem eius satisfactio fuit iis æquiualens, propterea fatendum hanc iustam, seu ex iustitia fuisse.

V.

Quæres secundò, an fuerit ex rigore iustitiæ huius? Respondeo fuisse: cùm enim iusta, seu ex iustitia fuerit, quia fuit debito pro quo exhibebatur æqualis, si fuit ei perfectè ex se æqualis, profectò fuit etiam ex rigore iustitiæ istius: atqui satisfactio Christi fuit ex se huiusmodi, vt ex superiori disput. notum est.

Nec refert, quòd Christus non satisfecerit ad æqualitatem, nisi ex gratis acceptis à Deo creditore, & per opera propria suæ humanitatis, quæ magis erant in dominio Dei creditoris, quàm huius ipsius humanitatis: quòd etiam istorum operum valor infinitus dependens à Deo creditore fuerit: quòd denique satisfecerit multis operibus alio iam titulo Deo debitis. Nihil inquam istorum omnium refert, quia cùm Christi satisfactio non sit in materia strictæ iustitiæ, sitque debito æqualis per modum condigni meriti, quo eo ipso satisfecit pro toto debito ad æqualitatem, quo totius debiti remissionem à Deo creditore condignè promeruit, illa sola res obstare potest, quo minùs Christi satisfactio sit de rigore iustitiæ illius de qua loquimur, quæ hanc ab illa condignitatem remouere potest: at nihil eorum omnium quæ antedicta sunt id potest: imò quædam ex iis ad hoc necessaria sunt: istud enim illa condignum meritum non haberet, nisi fieret ex gratia hypostaticæ vnionis gratis à Deo creditore accepta: nisi etiam valor infinitus in eam à diuinitate deriuaretur, ac proinde à creditore dependens: quemadmodum opera bona iustorum de condigno non merentur gratiæ & gloriæ incrementum, nisi procederent à gratia sanctificante quam gratis à Deo acceperunt.

VI.

VII.

Quæres tertiò, ex qua speciali virtute Christus Deo satisfecerit? Respondeo non ex vna, sed ex omnibus quarum proprios actus exercuit: omnes enim & singuli fuerunt infiniti valoris, vt ex superiori disput. constat, omnésque & singulos pro redemptione nostra obtulit. Certissimum autem est eum non vnius tantùm virtutis actus exercuisse, sed omnium potiùs.

SECTIO III.

Cui Christus satisfecerit?

SCIENDVM est fuisse nonnullos, qui cùm tueri vellent Christum satisfeciſſe ex stricta iustitia, quæ tantùm est ad alterum, asseruerunt ipsum non sibi, sed soli Patri ac Spiritui sancto satisfeciſſe. At illi tripliciter errarunt: primo, in hac sua assertione: secundò, in fundamento quod ad eam probandam posuerunt: tertiò, in probandi modo. In assertione quidem, quia tam sibi, suæque diuinæ personæ satisfecit, & satisfacere debuit, quàm Patri & Spiritui sancto: debuit enim satisfacere, & reipsa satisfecit Deo

VIII.

peccatis hominum offenſo, Deus autem ipſe eſt, ſicut & Pater, & Spiritus ſanctus. Atque cum quolibet hominum peccato tota diuina Trinitas offendatur, ſatisfaciendum ei fuit, & proinde Patri, & Filio, ac Spiritui ſancto: Chriſtus autem ſatisfaciens erat ipſe Filius: ergo etiam ſibi
I. ipſi ſatisfecit.

Deinde ſatisfaciendum ei fuit, & reipſa ſatisfactum à Chriſto eſt, cuius erat propter exhibitam ſatisfactionem remittere offenſam hominibus, eoſque ſanctificare: id autem fuit non ſolius Patris, aut Spiritus ſancti, ſed etiam Filij, quia opera omnia ad extra, cuiuſmodi ſunt peccatorum remiſſio, & hominum ſanctificatio, ſunt ex æquo communia tribus diuinis perſonis.

Denique Chriſtus mediator Dei fuit & hominum, id eſt, inter Deum & hominem faciens pacem, per condignam vtique ſatisfactionem, quam illi pro iis exhibuit: Chriſtus autem eſt Deus: fuit ergo mediator inter hominem ac ſeipſum, ac proinde ſibi ipſi pro homine ſatisfecit. Vnde & Apoſtolus 2. ad Corint. 5. ſic
II. dixit: *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Et Diuus Auguſtinus præfatione in Enarrat. 2. in Pſalm. 29. non procul ab initio ait Chriſtum fuiſſe *mediatorem inter hominem, & Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum*, ac proinde inter hominem ac ſeipſum, cùm ſit ipſe filius: & Cyrillus in defenſione 10. anathematiſmi contra Orientales: *Non quod maiori*, inquit, *offerret ſacrificium*, cruentum ſcilicet quo redempti ſumus, *ſed ſibi & Patri.* Quod non impedit, quin ſicut per appropriationem creatio, aliáque omnipotentiæ opera attribuuntur perſonæ Patris, quantumcunque ſint reipſa toti Trinitati ex æquo communia, ita & frequenter per appropriationem eiuſdem perſonæ tribuatur, quòd ſibi homines reconciliet per Filium: quo modo explicari poſſunt illa omnia
III. Scripturæ loca, quibus dicitur Chriſtus eſſe apud Patrem aduocatus noſter: nos per eum habere acceſſum ad Patrem: aliáque ſimilia.

In fundamento verò, quoniam ſupponunt Deum inter & hominem ſtrictam iuſtitiam eſſe poſſe, reipſáque Chriſti ſecundùm humanitatem ſatisfacientis ſatisfactionem fuiſſe ex ſtricta iuſtitia, quod falſum eſſe conſtat ex iſtius diſputationis initio.

Denique in probandi modo, quoniam etſi verum eſſet illud quod ſupponunt, ex eo tamen rectè inferre non poſſunt Chriſtum ſibi ſeu perſonæ ſuæ diuinæ non ſatisfeciſſe. Vt enim huic perſonæ ſuæ ex ſtricta iuſtitia ſatisfaceret, ſufficeret diſtinctio naturarum diuinæ, & humanæ, licet vnitarum in vnico eodémq. ſuppoſito, ſi aliúde nihil impediret: ſicut ſi Angelus aliquis aut
IV. homo in duplici natura ſubſiſteret, humana, vel Angelica, vel in Angelica vna, & humana altera, poſſet per vnam ſibi ipſi veram inferre iniuriam in altera, & per eandem ex ſtricta iuſtitia ſatisfacere: quo fit, vt perfecta alteritas ad ſtrictam iuſtitiam requiſita, non neceſſariò debeat eſſe ſuppoſitorum, ſed naturarum: quod fuſiùs explicatum eſt, in Tractatu de Iuſtitia & Iure diſputatione 13.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm Chriſti ſatisfactionem Deus non acceptare potuerit?

SECTIO PRIMA.

Quid ſit ſentiendum declaratur, & probatur.

SENSVS propoſitæ quæſtionis non eſt, an Deus Chriſti ſatisfactionem potuerit habere nō acceptam, ſeu gratam: certum enim eſt, eam, cùm infinitæ eſſet ſanctitatis, bonitatis, & valoris, non potuiſſe non placere ipſi infinitè. Neque ſenſus eſt, an ex hypotheſi quòd promiſiſſet ſe eam acceptaturum, id eſt, ſe propter eam condonaturum hominibus peccata, ipſoſque recepturum in priſtinam amicitiam, potuerit non acceptare, ſeu non condonare illa ipſis, ipſóſque VI.
B in amicitiam hanc non recipere: certum enim etiam eſt, eum non poſſe non eſſe fidelem in promiſſis, ac proinde non poſſe non facere quod promiſit: nec vllum eſt inter Theologos dubium, quin ſe acceptaturum promiſerit: cúmque puræ creaturæ bonis operibus æternæ vitæ de condigno meritoriis hanc vitam pro mercede ſit pollicitus, quin multò magis condignis Chriſti meritis, eiúſque pro nobis ſatisfactioni ſalutem humani generis pro mercede pollicitus ſit, quam eius pollicitationem multis Scripturæ locis non obſcurè expreſſam habemus: Sed ſenſus eſt, an ſecluſa promiſſione acceptandi, potuerit Deus non acceptare Chriſti ſatisfactionem, id
C eſt, ea non obſtante nolle dimittere hominibus peccata, ſed hos tractare puniréque non ſecus atque ſi nulla pro his ſatisfactio fuiſſet exhibita. VII.

Suarez ſect. 5. 4. diſputat. affirmat, quantumcunque hæc ſatisfactio ex ſtricta iuſtitia fuerit, & ex rigore iuſtitiæ iſtius. Ego cum Gabriele Vaſquez hîc diſputat. 9. capite præſertim 1. 3. & 4. & prima parte diſp. 85. cap. 6. & 1. 2. diſp. 223. cap. 3. aliiſque multis potiſſimùm recentioribus, duo dicenda exiſtimo. Primum eſt, ſi ſatisfactio Chriſti ex ſtricta iuſtitia fuiſſet, Deum ſecluſa omni etiam promiſſione & pacto non potuiſſe eam non acceptare. Secundum eſt, cùm hæc ex illa iuſtitia non fuerit, illum eam non acceptare potuiſſe.

Primum probo hoc argumento. Quotieſcunque ſatisfactio ex ſtricta iuſtitia eſt, & æqualis debito pro quo offertur, non poteſt creditor eam non acceptare, aut ſi non acceptat, velit, nolit, extinguitur totum debitoris debitum, nec
D illud ampliùs poteſt ab eo exigere: ergo cùm VIII.
Chriſti ſatisfactio fuerit æqualis noſtro debito pro quo offerebatur Deo creditori, ſi fuit ex ſtricta iuſtitia, non potuit eam ipſe non acceptare, aut ipſo eam non acceptante, non potuit tamen non extingui totum debitum noſtrum: quod quoniam extingui non potuit, niſi nobis illud ipſe remitteret, nóſque ſuam in amicitiam reciperet, dicendum conſequenter eſt, ipſum non potuiſſe non acceptare Chriſti ſatisfactio-

nem. Consequentia hæc patet, suppositio antecedente, cuius veritatem ostendo in primis inductione, per quamcunque satisfactionem pro quocunque debito, siue pecuniæ, siue famæ ablatæ, siue honoris læsi, oblatam siue ab ipso debitore, siue ab alio pro eo: quæ quando æqualis est debito, velit, nolit creditor, omne debitoris debitum extinguitur, & hic ad nihil vltra tenetur

I. A

Deinde hac ratione, quòd per satisfactionem ex iustitia à quocunque oblatam, quando æqualis est damno, vel in honore, vel in fama, vel in fortunæ bonis per iniustitiam illato, non potest non esse tota præcedens inæqualitas ad æqualitatem reducta, & iniustitia ad iustitiam, nullaque proinde potest, velit, nolit creditor, remanere amplius soluendi seu satisfaciendi obligatio, quoniam hæc esse non potest, nisi vt iniustitia ad iustitiam, & inæqualitas ad æqualitatem reducatur.

II. B

Et hinc facilè respondetur ad exempla, quibus aduersarij nituntur ostendere, posse aliquando in rebus humanis satisfactionem ex iustitia fieri, & debito æqualem esse, liberum tamen esse creditori eam vel acceptare, vel repudiare, aliámque iure exigere. Primum est furis, qui furatus fuerit equum alienum pretij centum aureorum, quémque possit reddere, nolit tamen, sed pro eo pretium æquiualens, nempe centum aureos domino offerat, quos ille repudiare poterit, & equum suum repetere, ad quem etiam reddendum erit in fure obligatio. Secundum eius, cuius honor aut fama iniustè læsa est, qui non obligatur æquiualentem in pecuniis compensationem sibi oblatam acceptare, sed iure suo potest ipsius honoris aut famæ restitutionem exigere. Tertium hominis iure belli in seruitutem redacti, quem dominus non tenetur libertate donare, etsi ipse seruus iustum pro sua libertate, aut alius pro eo pretium offerat.

III. C

At tantum abest, vt his exemplis infirmetur nostra doctrina, vt potiùs confirmetur magis. Etenim in duobus prioribus non mirum si is cuius equus furto sublatus est, aut honor iniustè læsus, & erepta fama, centum aureos oblatos, aut oblatam in pecuniis pro fama vel honore compensationem repudiare possit: hæc enim satisfactio non est debito æqualis. Nam quoties res aliena iniustè erepta eadem numero vel specie debita est ex iustitia, sola illa satisfactio est æqualis debito, qua huius rei restitutio fit: toties autem est debita ex iustitia, quoties ipsa reddi potest, & eam sibi reddi vult dominus. Et sane cum rei iniustè ablatæ dominus in eo ipso patiatur iniustitiam, & inæqualitatem iustitiæ repugnantem, quòd re illa sua careat inuitus rationabiliter, quam eandem vel numero, vel specie habere vellet, & posset, hæc autem inæqualitas tandiu maneat, quandiu illa ipsa res non restituitur, patet quamcunque aliam restitutionem non esse debito æqualem: vt mirandum non sit, si quamcunque aliam repudiare possit, cùm ius habeat exigendi æqualem.

IV. D

Deinde postremo exemplo nulla solutio continetur, siue satisfactio debito æqualis, quia nullum præcessit debitum, ab eo, qui pro serui libertate iustum pretium offert, contractum, & ei soluendum tanquam creditori, qui serui dominus est: sed continetur aliquis contractus venditionis & emptionis, inter serui dominum, & eum qui iustum illud ei pretium offert, celebrandus, quem cum non teneatur dominus celebrare, quia nemo tenetur rem suam alteri pro iusto pretio tradere, non mirum si ipse seruum suum, tanquam rem aliquam verè suam possidens, iure possit oblatum illud pro eo pretium respuere. V.

Adde quòd duobus in prioribus exemplis satisfactio quæ interuenit, non est pura satisfactio, sed simul inuoluit contractum venditionis, aut alium, quo res vna cum altera commutetur, vt equus cum centum aureis, fama, vel honor cum pecunia: qui contractus ex natura sua postulat, vt dixi, consensum vtriusque contrahentis: at nos cùm hîc docemus, quamcunque solutionem ac satisfactionem debito æqualem quæ sit ex stricta iustitia, acceptari debere à creditore, per eámque, velit, nolit ipse creditor, extingui totum soluendi debitum, de solutione seu satisfactione loquimur, quæ pura solutio & satisfactio sit, & in qua proinde non permisceatur aliquis contractus inter creditorem & debitorem celebrandus, qualis fuit Christi Domini satisfactio. Illa enim pura satisfactio est nihil habens contractus admixtum, qua tantum pecuniæ redditur quantum debetur: qua item tantum famæ restituitur, aut honoris exhibetur, quantum ereptum est: Christi autem satisfactio talis fuit: per eam enim tantum honoris Deo redditum est, quantum à nobis ereptum fuerat: vnde cùm fuerit æqualis debito diuini honoris læsi reparandi, si præterea fuit ex stricta iustitia, vt aduersarij docent, concludere nobiscum debent, non potuisse Deum, cui tanquam creditori exhibebatur, eam non acceptare. Atque de primo hactenus. VI.

Iam probo secundum, in primis ex eo quòd Christi satisfactio quantumcunque pro nobis exhibita, quantumuis item sufficientis ex se valoris ac infiniti, non potest tamen vllum nostrum peccatum delere formaliter, seu per modum formæ vi sua peccata nostra delentis in genere causæ formalis, vt constat ex dictis disput. 5. nec proinde potest vllam pœnæ dignitatem per hæc peccata à nobis contractam formaliter tollere, cùm hæc dignitas sequatur necessariò peccati maculam, tandiúque saltem maneat, quandiu manet hæc macula. Quare cùm Christi satisfactio postquam exhibita est, tam nos relinquat coram Deo peccatores formaliter, dignósque pœna, seu pœnæ luendæ debitores, quàm eramus, priusquam exhiberetur: sequitur, Deum post ipsam exhibitam, tam posse negare nobis omne gratiæ suæ donum, punire nos æterna pœna, omníque alia quàm condignè peccatis nostris promeruimus, quàm ante eam exhibitam posset: idque si faceret, non minus iustè facturum, quàm iustè feciſſet, priusquàm exhiberetur. VII.

Probo deinde hoc argumento. Magis necesse non est Deum ob Christi satisfactionem remittere nobis peccata, nósque suam in amicitiam recipere, quàm ob bona iustorum opera ipsis retribuere vitam æternam: atqui secluſa omni promissione posset hanc ipsis non retribuere: ergo posset etiam nobis peccata non remittere: nec VIII.

in suam nos amicitiam recipere. Minorem concedunt Theologi communiter, agnoscentes ea solùm de causa Deum non posse bonis iustorum operibus non retribuere æternam vitam, quòd ad eam retribuendam promissione se sua obligauerit, huic autem obligationi deesse non possit, quia cùm fidelis sit, non potest non implere quod promisit. Maioris veritatem ostendo ex eo quòd sicut bona iustorum opera, nec sunt ipsa æterna vita formaliter, nec eam vi sua formaliter secum in subiectum suum inuehunt, alioquin inuecherent simul atque sunt, quod haud dubiè non faciunt: ita Christi satisfactio non est ipsa formaliter peccatorum nostrorum remissio, nostráque formaliter sanctificatio, vt paulò antè diximus, nec magis vi sua formaliter affert secum & inuehit in nos formam qua iustificemur, & à peccatis emundemur, quàm bona iustorum opera secum formaliter seu in genere causæ formalis vitam æternam afferant, & inuehant: & sicut opera ista bona non aliter iustis vitam æternam afferunt, quàm per modum condigni meriti, quo Dei voluntatem alliciunt ad conferendum æternæ vitæ præmium quòd condignè merentur: ita Christi satisfactio non aliter nobis affert remissionem peccatorum, diuinámque gratiam, quàm per modum condigni meriti, quo voluntatem Dei allicit ad eam nobis tribuendam, tanquam præmium quod ipse Christus sua satisfactione condignè promeritus est. Vnde si Deus potest, secluſa promissione, bonis iustorum operibus non retribuere vitam æternam, quia necesse non est vt condignè merenti præmium aliquod, illud retribuat: poterit quoque ob eandem causam Christi satisfactioni non reddere præmium quod condignè promeruit, nostrorum scilicet peccatorum remissionem, nostrámque salutem.

I. A

II. B

III.

SECTIO II.

C

Soluuntur obiectiones.

IV. D

PRIMA sumitur ex his D. Anselmi verbis lib. 2. Cur Deus homo. cap. 19. *Eum autem qui tantum donum sponte dat Deo, sine retributione debere esse non iudicabis: imo necesse esse video, vt Pater filio retribuat, alioquin aut iniustus esse videretur si nollet, aut impotens si non posset: quæ aliena à Deo sunt.* At salua, quæ illi Patri debetur, honorificentia, respondeo rationem hanc efficacem non esse: nam eâdem concludere potuisset, esse necesse, secluſa etiam omni promissione, Deum iustis, qui tam multa, támque pretiosa bonorum operum dona eius in gratiam ac amorem facta ei sponte dederunt, retribuere vitam æternam, aliúdve præmium: alioqui futurum, vt iniustus videretur si nollet, aut impotens si non posset. Sicut ergo dici debet, posse quidem his retribuere, si tamen nolit, non esse iniustum, quia nullam habet ex iustitia, vel ex alio capite retribuendi obligationem: ita idem dicendum de Christo est, si ipsi retribuere noluerit.

Secunda est, videri abhorrens à bonitate Dei eum non acceptare satisfactionem, in qua reperiuntur hæc quatuor: primum, quòd non modò sit æqualis offensæ, sed etiam multis eam partibus excedens: secundum, quòd offeratur pro ea re à Deo obtinenda, quam condignissimè meretur: tertium, quòd offerens sit infinite Deo gratus: quartum, quòd offeratur ei cuius charitas & bonitas infinita est: quæ quatuor in Christi satisfactione reperiri certissimum est. At quàm facilè dicitur hoc videri à Dei bonitate abhorrens, tam facilè negatur: fateor quidem quatuor has satisfactionis conditiones satis ostendere diuinæ bonitati multò esse conuenientius satisfactionem eiusmodi acceptare, quod reipsa fecit, quàm repudiare: nego tamen ostendere esse necessarium: cùm præsertim minimè necessarium sit Deum id semper facere, quod conuenientius est, aut conuenientissimum. V.

Tertia est, videri Deum ex virtute gratitudinis obligatum fuisse ad Christi satisfactionem compensandam mercede salutis hominum, quam condignè promeruit: at dici pariter posset, videri Deum ex gratitudinis virtute obligatum ad remuneranda bona iustorum opera æternæ vitæ præmio, quod condignè promerentur: sicut autem hoc posterius falsum est, ita & illud prius. & ratio est, quòd nemo sit obligatus ex virtute gratitudinis ad compensanda bona aliorum officia, & obsequia sibi ab illis reddita, quando hæc non superant beneficia quæ ipse prius in eos liberaliter & gratuitò contulit: certum autem est Christi officia & obsequia Deo reddita superare non potuisse beneficia, quæ prius in eum gratis & liberaliter contulerat, nominatímque beneficium hypostaticæ vnionis, cui beneficio nullum aliud Dei donum exæquari potest. VI.

Quarta ducitur ex eo quòd humana Christi voluntas, & diuina Dei contrariæ esse non potuerunt: vnde cùm Christus per humanam suam voluntatem suas offerret Deo satisfactiones in eum finem, vt ab ipso salutem humani generis impetraret, ac proinde vt ipse eas ad hoc acceptaret, non potuit diuina voluntas ad hoc ipsum eas non acceptare: si enim potuisset, inter hanc diuinam, & humanam illam Christi voluntatem contrarietas aliqua esse potuisset, vna voluntate vnum volente, & altera illud ipsum nolente. VII.

Respondeo voluntates illas non potuisse sic esse contrarias, vt vnius cum altera contrarietas haberet aliquam cum recta ratione repugnantiam, cùm vtraque esset impeccabilis: sed hoc impedire non potuisse, quin absolutè posset humana Christi voluntas aliquam rem velle, siue simplici affectu, siue efficaci, quantum ex se suaue parte erat, quam Deus etiam efficaciter nolebat: quemadmodum etsi beatorum voluntas diuinæ contraria sic esse nunquam possit, vt illa contrarietas habeat aliquid difformitatis à recta ratione, cùm hæc eorum voluntas sit impeccabilis, absolutè tamen fieri potest, vt illi aliquid quantum ex se est efficaciter velint, quod Deus fieri nolit efficaciter. Et quemadmodum hoc reipsa contigit duobus illis beatis Angelis, quorum mentio apud Danielem cap. 10. est, vno vnum efficere quantum poterat conante, altero illud ipsum fieri quantum valebat impediente, & vt oppositum fieret omni ope contendente, vtroque quid Deus fieri mallet ignorante: ita si Christi humanitas nesciuisset, vt absolutè fieri poterat, quid circa rem aliquam diuina voluntas efficaciter decreuisset, potuisset ei contrarium VIII.

velle, non modò simplici affectu, sed etiam quantum ex se efficaci, & per consequens ei suas offerre satisfactiones ex affectu quantum poterat efficaci impetrandi ab ipso per eas, & propter eas, humani generis salutem, Deo tamen efficax decretum habente non dandi propterea nobis salutem, sed tractandi nos perinde atque si pro nobis nulla satisfactio exhibita fuisset. I.

Adde quòd etsi præsupposita in humano Christi intellectu scientia, qua sciret, vt reipsa sciebat, quid Deus facere decreuisset efficaciter, aut quid ab aliqua creatura fieri vellet, non posset eiusdem humana voluntas velle contrarium efficaci affectu, poterat tamen simplici seu inefficaci; quod reipsa præstitit, dum simplici affectu declinare mortem voluit, quam tamen Deus efficaci voluntate decreuerat non auertere ab ipso, imo præceperat vt subiret: vnde similiter potuisset per humanam suam voluntatem ex simplici affectu desiderióque nostræ salutis offerre satisfactiones suas Deo, diuina interim voluntate efficaciter volente, iis non obstantibus, nec salutem dare nobis, nec vllam nostri debiti partem remittere. II.

Quinta est, quòd nihil repugnet dari actionem aliquam bonam, in obsequium Dei factam, cuius oblatio obligationem ipsi afferat, cùm præsertim constet dari multas in obsequium hominum factas, quæ ipsis afferunt obligationem, etiamsi se ad eas mercede compensandas non obligauerint: quod si aliqua huiusmodi dari potest, dubitandum non est, quin talia fuerint opera Christi, cùm iis meliora, maioríque valoris nulla esse possint. Respondeo repugnare dari aliquam huiusmodi actionem: repugnat enim dari actionem, quæ per se suáque vi Deum obliget, nec vlla tamen assignari virtus possit ex qua obliget: nulla autem potest assignari ex qua dicatur Deus vi actionis illius obligatus: si quæ enim potest, maximè gratitudo, & iustitia: sicut III. etiam si quæ virtus est ex qua possit homo homini esse obligatus vi obsequij ab eo accepti, altera sanè duarum illarum, aut vtraque: at non posterior, cùm Deus eius capax non sit, vt suprà monuimus, & prædicto loco fusè probauimus: neque prior, cùm illa virtus non possit, vt paulo antè diximus, afferre ei obligationem remunerandi accepta obsequia, cuius beneficia collata obsequenti maiora sunt acceptis obsequiis: Deus autem cuilibet creaturæ maiora semper contulerit beneficia obsequiis quæ ab ea accipit, aut accipere potest.

Neque verò eadem est Dei & hominis ratio: cùm enim fieri facilè possit, vt homo qui ab altero multa obsequia accipit, nullum vnquam in eum beneficium contulerit, aut longè minora IV. obsequiis acceptis, non mirum si ad hæc remuneranda ille possit esse ex virtute gratitudinis obligatus, Deus contra, ob contrariam causam. Deinde cùm etiam obsequium vnius hominis cedat in commodum & vtilitatem alterius, vt labor agricolæ agrum alienum aut vineam colentis, vidente & consentiente ipso agri vel vineæ domino, nihil item mirum, si hic ad retribuendam illi mercedem obligetur, non quidem ex promissione, quia non A promisit: vnde nec infidelitatis argueretur, si V. non retribueret, sed ex iustitia, ratione eius quod in suam vtilitatem ab illo accepit: Deus autem è contrario ex iustitia obligari non possit ad compensandos labores, siue Christi, siue alterius sua causa susceptos, cùm ex iis nullum commodum aut vtilitatem capiat, aut capere possit, vt certum est & sæpiùs citata disputat. 14. Tractatus de Iustitia & Iure probatum.

Sexta. Satisfactio puri hominis satisfacientis ad æqualitatem vni homini pro alio non potest ab eo cui satisfit meritò repudiari. Item satisfactio qua condignè quis Deo satisfacit pro sua culpa veniali, aut pro ipsa macula peccati mortalis, debitóque æternæ pœnæ luendæ, aut pro pœna temporali quæ remanet B luenda post purgatam maculam illam, & VI. extinctum illud debitum, non potest à Deo non acceptari: ergo multò magis Christi satisfactio non modò debitis nostris æqualis, sed infinite etiam superabundans non poterit non acceptari à Deo. Negatur hæc consequentia, ratio disparitatis manifesta inter hanc Christi, & illam puri hominis satisfacientis pro alio satisfactionem, est, quòd illa ex stricta iustitia est, & cùm ex ea sit, & sit ad æqualitatem, eo ipso formaliter extinguit omne à debitore satisfaciendi debitum, totúmque creditoris ius adæquat: quo fit, vt hic ab illo nihil amplius iure possit exigere, & huic ille nihil amplius debeat. At Christi pro nobis satisfactio, cùm ex stricta iustitia non sit, nec formaliter extinguat debita nostra, VII. C vt nec formaliter nos à peccatis emundat, & sanctificat, vt constat ex antè dictis, non mirum, si sicut relinquit nos adhuc peccatores coram Deo, & luendæ pœnæ debitores, ita nos ea non obstante iure adhuc punire possit, non secus ac antea poterat.

Vnde etiam patet disparitatis ratio inter hanc ipsam Christi pro nobis satisfactionem, & illam aliam condignam cuius in antecedente mentio fit: illa enim alia formaliter vi sua delet maculam peccati illius pro qua dicitur esse condigna satisfactio: delet etiam formaliter illud omne debitum pœnæ siue æternæ, siue temporalis, pro quo condigna satisfactio esse dicitur, vt mirum non sit si Deus eam repudiare non possit: Christi autem satisfactio, quamuis condigna & valoris infi- VIII. D niti, nihil istorum vi sua formaliter efficit, vt ostendimus.

DISPVTATIO IX.

An si primus parens non peccasset, Dei filius humanam naturam hypostatice assumpsisset?

SECTIO PRIMA.

Pars negatiua defenditur, & probatur.

I. QVÆSTIONIS huius duplex sensus esse potest. Primus, an vi illius ipsius decreti quo statuit Deus vt Verbum carnem assumeret, facta fuisset Incarnatio, etsi primus noster parens non peccasset. Secundus, an facta fuisset saltem vi alicuius alterius decreti quod habuisset, etiamsi idem ille non peccasset. Hoc posteriori sensu quæstio nec tractatur, nec proponitur à Theologis, quia de ea hoc sensu proposita nihil definiri potest, cùm eam eo casu
II. fieri vel non fieri, ex libera Dei voluntate penderet: quid autem esset facturus, nec reuelarit nobis, nec quidquam aliud, ex quo ipsum facturum vnum potiùs quàm oppositum concludere possimus. Priori ergo sensu proponitur, & tractatur: de qua illo sensu proposita definiri aliquid rectè potest, eo quòd cùm decretum ipse suum de facienda Incarnatione nobis reuelauerit, eáque quorum gratia ipsam fieri voluit, ex iis inuestigare, & colligere possumus, num vi decreti illius quo reipsa eam statuit, & fecit, reipsa fecisset, etsi primus parens non peccasset.

Duæ sunt autem de ea sententiæ. Prima affirmat, éstque Scoti in 3. distinct. 7. quæst. 3. & dist. 19. quæst. vnica. Alberti in 3. distinct. 20. artic. 4. Alexandri tertia parte, quæst. 2. memb. 13. Catharini Opusculo de eximia Christi prædestinatione, & paucorum aliorum, quos sequitur Suarez
III. hic disputat. 5. sect. 5. Secunda negat, éstque manifestè S. Thomæ hac 3. parte quæst. primæ, art. 3. ad propositam quæstionem duplici conclusione respondentis: quarum posterior est, nullo peccato existente potuisse Deum, si vellet, carnem assumere, de qua nulla inter Theologos controuersia est, nulla dubitatio, cùm certum sit occasione peccati Deum non esse factum potentiorem ad assumendum naturam humanam, & naturam hanc non fuisse factam magis assumptibilem, nec potuisse Deo deesse congruam rationem, idonetúmque finem, cuius gratia tunc incarnaretur, si tunc incarnari voluisset. Prior autem est, homine non peccâte filium Dei carnem
IV. nō assumpturum: est & omnium Thomistarum: præter hos autem Marsilij quæst. 1. art. 3. Argentinæ quæst. 1. art. 4. Abulens. quæst. 44. in caput 4. Matthæi, quos sequuntur Greg. à Valent. disp. prima quæst. 1. punct. 7. & Gab. Vasq. disput. 1c. cap. 4. aliíque recentiores.

Quam sententiam probo primùm authoritate Patrum, quorum cùm permulta & clarissima testimonia habeamus, hîc ea solùm proferam, quibus apertè dicunt homine non peccante Christum non fuisse venturum. Primum sit Leonis Magni serm. 3. in Pentecost. in quo non procul ab initio sic loquitur. *Si enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, creatoris mundi creatura non fieret: neque aut æternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Dei formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret.* Secundum Gregorij Magni lib. V. 4. Reg. cap. 1. in quo post medium sic scribit. *Et quidem si Adam non peccaret, redemptorem nostrum carnem suscipere non oporteret: non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.* Tertium D. Augustin. in Psal. 36. concione 2. circa medium sic de Christo loquentis. *Quis iste Deus homo? si tuò homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Et initio serm. 8. de Verb. Apostoli, præmissis his Apostoli verbis, *Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere*, subdit, *Si homo non periisset, Dei Filius non veniisset.* Quar-
VI. tum D. Irenæi lib. 5. aduers. hæres. cap. 14. cuius titulus est, *Nisi caro saluanda esset, carnem eiusdem substantiæ cum nostra Verbum non assumpsisset*, cuius capitis principio sic ait. *Si non haberet caro saluari, neqúaquam Verbum Dei caro factum esset.* Quintum Athanasij orat. 3. contra Arianos, in qua longè post medium sic de Christo loquitur. *Necessitas indigentiáque hominum anterior est quàm illius natiuitas, qua sublata carnem non induisset.* Sextum Origenis homilia 24. in Numer. ante medium sic scribentis. *Si non fuisset peccatum, Dei Filius mansisset hoc quod erat in principio, Deus Verbum.*

Ad hæc Patrum testimonia respondent aduersarij, iis solùm significari, Adamo non peccante, Christum non venturum in carne mortali & passibili: non negari autem venturum in carne impassibili, & immortali. Sed hæc responsio nullo modo satisfacit. Primò, quia Patres negantes Dei Filium carnem assumpturum, de ipsa In-
VII. carnationis substantia loquuntur apertissimè, non verò de aliqua eius circumstantia, qualis est assumptæ carnis passibilitas, vel impassibilitas: negant enim disertè & absolutè, nisi per peccatum primi parentis humana natura periisset, futurum vt Verbum Dei caro fieret: fieri autem carnem, est fieri hominem, siue passibilem, siue impassibilem: negant creatorem factum iri creaturam, *& sempiternum temporalem: ergo & factum iri hominem*, siue passibilem, siue impassibilem, cùm humanitas etiam impassibilis creatura sit, & temporalis.

Secundo, quia valde mirum esset eos existimasse, si primus parens non peccasset, Christum non esse venturum in carne passibili, venturum autem in impassibili, neminem tamen eorum id
VIII. vnquam vel leuiter indicasse: quod profectò propter rei grauitatem, si res ita habuisset, non prætermisissent, cùm tam sæpe, tamque prolixè de Filij Dei in carne aduentu, déque fine ob quem eam assumpsit differuerint.

Nec dicas satis indicasse, dum dixerunt, Adamo non peccante, Christum non venturum in similitudinem carnis peccati, id est, cum carne simili nostræ, quæ passibilis est. Ne, inquam, id dicas: tum quia etsi id dixerint, non propterea dixerunt, aut leuiter significarunt, ipsum nihilominus venturum in carne impassibili: quod

tamen mirum esset, vt dixi, si sic venturum existimassent: tum quia ita negarunt venturum in similitudinem carnis peccati, vt simul absolutè negauerint venturum in carne, abstrahendo à passibili & impassibili, sicut ex relatis eorum testimoniis constat: tum denique quia Patres per similitudinem carnis peccati nihil aliud intelligunt, quàm carnem nostræ in natura similem, quæ nostra ex se passibilis & peccabilis est: vnde cùm negant Christum in similitudinem carnis peccati venturum, negant venturum in carne secundùm naturam nostræ simili, ac proinde in humana carne, siue passibili, siue impassibili, cùm humana caro, siue passibilis, siue impassibilis, sit in natura nostræ similis.

I. A

Tertiò & postremò, quia si Patres absolutè, vt vidimus, pronuntiantes Adamo non peccante Christum in carne non venturum, solùm intellexissent, non venturum in carne passibili, falsò dixissent absolutè ipsum in carne non venturum: de eo enim quod duobus modis euenire potest, & vno non est euenturum, sed altero, non potest sine falsitate & mendacio absolutè pronuntiari, illud non euenturum: qui enim hoc absolutè pronuntiat, isto loquendi modo significat nullo modo euenturum, cùm tamen vno euenturum sit: vnde falsitatis ab omnibus argueretur, qui absolutè negaret Regem Parisiis in hanc aut illam regni sui vrbem esse profecturum, eo quòd non esset profecturus pedes, sed eques: aut si Patribus licuit sine falsitate & mendacio absolutè dicere Christum in carne non vēturum, eo quòd non erat venturus in carne passibili, licet esset vēturus in impassibili, cur iisdem, ac etiam nobis non liceret nunc absolutè dicere, Christum in carne nondum venisse? quia quamuis venerit in carne passibili, non tamen in impassibili, in qua reipsa supremi iudicij die venturus est.

II. B

Neque opponas eum Ioan. 7. absolutè dixisse, se non ascensurum ad diem festum, licet postea ascenderit, hócque ideo verè dixisse, quia cùm duobus modis, nimirum aut palam, aut occultè posset ascendere, solo priori modo se non ascensurum intelligeb t, ascendit autem posteriori. Ne, inquam, id opponas: falsùm enim est eum hoc ideo verè dixisse, quod profectò non nisi falsò dixisset, si non alio sensu quàm isto dixisset. Ideo autem verè dixit se non ascensurum ad diem festum, quia negando absolutè se ascensurum, negabat tantum absolutè se facturum id quod à suis vt faceret rogabatur: ab iis autem rogabatur vt ascenderet cum ipsis & manifestè, solùm ergo negauit se id facturum, id est, ascensurum cum illis & manifestè, quod etiam postea non fecit, quia postea non nisi clam, & absque eis ascendit. Omitto, quòd si Adamo non peccante filius Dei venturus erat in carne impassibili, profectò non mansisset hoc quod erat in principio, Deus Verbum, contra expressa verba Origenis.

III. C

IV. D

Eandem sententiam probo secundò hoc argumento. Si nullum alium ob finem Verbi Incarnatio à Deo decreta & facta est, quàm ob redemptionem generis humani à seruitute peccati, & diaboli, primo homine non peccante, Verbum carnem non assumpsisset: atqui verum est prius: ergo & posterius. Maioris consequentia optima est, & ab omnibus recepta, eiúsque bonitas patet ex eo quòd cessante volitione finis, cessat necessariò volitio eorum quæ non nisi illius gratia appetuntur: si autem primus parens non peccasset, sicut humani generis nulla fuisset sub peccati & diaboli iugo seruitus, ita nulla eius ab hac seruitute redemptio esse potuisset: ergo redemptionem hanc Deus tanquam finem intendere non potuisset: ergo nec Verbum carnem assumpsisset vi decreti eius, vi cuius eam assumpsit, si hanc nullum alium ob finem assumpsit, quàm ob illam generis humani redemptionem. Minorem ratione probare non possumus, cùm agatur de re, quam Deus ex libera sua voluntate in hunc aut illum finem ordinauit, cùm in alium ordinare potuerit: quam proinde in hunc potiùs quàm in illum fuisse ab ipso ordinatam, non nisi ipso reuelante cognoscere possumus.

V.

Eam ergo probabimus ex Dei reuelatione, seu ex Scripturis sacris ipsam Dei reuelationem cōtinentibus, quibus ille à nobis assignatus decretæ à Deo, & factæ Incarnationis finis clarè exprimitur, nullus autem alius exprimitur. Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, vt eos qui sub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.* Primæ ad Timoth. 1. *Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere.* Ad Hebræos denique, vt similia multa prætermittam, cap. 2. postquam dixit filium Dei participasse carni & sanguini, id est, factum esse participem nostræ humanitatis carne & sanguine constantis, finem adiungens ob quem particeps eius esse voluit, sic ait: *Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxy erant seruituti.*

VI.

Eandem Minorem probo præterea authoritate Patrum, nullum alium finem decretæ, & factæ Verbi Incarnationis agnoscentium præter eum quem assignauimus: quorum testimonia cùm permulta, & illustria sint, tres in classes ea maioris perspicuitatis gratia distribuemus. In prima reponemus eos Patres, qui dicunt Incarnationem à Deo decretam fuisse in eum finem quem diximus, nulla facta mentione finis alterius. In secunda illos qui asserunt finalem causam factæ Incarnationis esse eam quam assignauimus, nec alterius causæ finalis mentionem faciunt. In tertia eos qui expressè pronuntiant, non alium ob finem factam eam fuisse, quàm ob illum ipsum assignatum à nobis.

VII.

Iam ad primam pertinent Cyrillus & Athanasius, ille lib. 5. Thesauri cap. 8. circa medium, inquiens, *quia Deus sciebat nos fore mortales propter peccatum, ideo sua misericordia constituisse, vt Verbum homo fieret.* Hic verò orat. 3. contra Arianos, in qua procul à medio & fine, sic de filio Dei loquitur: *Cùm tamen homo efficitur, tunc causa substituitur, cur oporteat eum carnem gestare: necessitas quippe indigentiaque hominum anterior est quàm illius natiuitas, qua sublata, carnem non induisset.* Vbi cùm illam nostram necessitatem eius natiuitate dicit anteriorem, non de hac solùm natiuitate loquitur, vt in tempore facta, quam sic spectatam clarum est esse multis sæculis nostra illa necessitate posteriorem, sed etiam vt ab æterno à Deo decreta:

II.

vnde

vnde cùm velit illam ipsam hominum indigentiam fuisse causam cur oportuerit eum carnem gestare, seu naturam humanam assumere, manifestè vult, finem ob quem hæc eius Incarnatio & Natiuitas decreta est, fuisse indigentiam illam, seu remedium illi indigentiæ afferendum.

I. Ibidem quoque postquam dixit, culpam nostram Dei filio dedisse occasionem, nostramque præuaricationem eius elicuisse clementiam, vt ad nos contenderet, concludit in hæc verba: *Illius enim incorporationis nos causam dedimus, & ob salutem nostram ita humanus extitit, vt in humano corpore esse vellet, & apparere.*

Ad secundam spectant Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarc. non procul à fine. Irenæus lib. 3. cap. 20. initio: Damasc. lib. 3. de fide, cap. 1. & lib. 4. cap. 4. Chrysostomus homil. 2. & 3. in Matth. Basilius homilia 25. de humana Christi generatione, columna tertia, cuius hæc verba sunt: *Ex hoc Deus venit in carne, vt infitam mortis carnem interficeret.* Et Hieron. in cap. 7. Ecclesiastici, ad hæc verba, *Sapientia confortabit.* vbi sic loquitur: *Quia homo infixus in limo profundi peccati indiguit maiore auxilio, idcirco venit ipsa Sapientia.*

II. Ad tertiam pertinent Aug. ser. 8. de Verbis Apostoli sic non procul à fine loquens, *Filius hominis non venit nisi quærere, & saluum facere quod perierat.* & postea, *quare venit in mundum? Peccatores saluos facere: alia causa non fuit, quare veniret in mundum.* & principio serm. 9. *Nulla causa fuit veniendi Christo domino, nisi peccatores saluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ.* Ambros. lib. de Incarn. Dominicæ sacramento cap. 6. post medium sic scribens: *Quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro quæ peccauerat, per se redimeretur?* Nazianz. orat. 36. quæ est 4. de Theologia colum. 1. sic dicens: *Quæ humanitatis à Deo susceptæ pro nobis causa extitit? profecto vt nobis salus pararetur: quid enim aliud causæ afferri posset?* Clem.

III. Rom. lib. 1. Apost. Const. cap. 7. Bouio interpr. sic definiens: *Saluator noster non aliam ob causam venit quàm vt saluaret reos.* Chrysost. denique initio homiliæ 5. in caput 2. epist. ad Hebræos, tractans illa verba, *Nusquam Angelos apprehendit*, & scribens solam misericordiam & curam quam Deus de nobis habuit, ne scilicet ab eo profugi ex peccato semper maneremus, causam fuisse Incarnationis.

Probo denique eandem Minorem authoritate symboli à Nicæno Concilio editi, & tota in Ecclesia decantati, in quo nullum alium ob finem Dei filius descendisse de cœlis dicitur, quàm *propter nos homines, & propter nostram salutem*, per quam intelligit haud dubiè redemptionem à statu peccati, & perditionis, quem per peccatum

IV. primi parentis incurreramus: cùm ob eandem nostram salutem dicatur in eodem symbolo ipse Dei filius natus, passus, & mortuus, ob quam de cœlis descendisse dicitur: ob illam autem solam redemptionem nostra passus & mortuus fuerit.

SECTIO II.

Tres ad hoc argumentum responsiones refelluntur: tria ex dictis colliguntur.

AD hoc argumentum prima responsio est, præter humani generis redemptionem assignari frequenter à Scriptura & Patribus varios fines, ob quos Incarnatio Verbi decreta & facta est: cuiusmodi sunt hi, vt Christus esset Doctor iustitiæ: vt per eum iustitia Dei manifestaretur: vt exemplar nostrum esset: vt testimonium redderet veritati: vt noster esset legislator. Verùm hæc responsio non satisfacit, quia omnes isti fines, aliique similes qui ex Scripturis, Patribus, aut Conciliis assignari possunt, vel nihil differunt à fine redemptionis & salutis humanæ, vel ad eum referuntur, eóque veluti partes in toto continentur. Vnde Diuus Thomas cùm citato art. 3. finem totalem & adæquatum Incarnationis posuisset peccati remedium, seu quod idem est, humani generis à peccato redemptionem, & salutem, dixit, alios omnes fines reuocari ad remedium peccati, à quo vt homo liberaretur, fuit ei necessarius Doctor, Legislator, exemplar, &c. Gregorius quoque Nazianzenus oratione de natiuitate Saluatoris, ordine 38. non ita procul à fine enumeratis omnibus Christi officiis seu muneribus, *Horum*, inquit, *omnium vnum hoc caput est, mea perfectio & instauratio, & ad primum Adamum reditus.* VI.

Secunda est, testimoniis illis declarari finem Incarnationis non simpliciter & absolutè, sed Incarnationis in carne passibili, qui alius non fuit, quàm humani generis redemptio. Verùm omissis iis quæ circa istiusmodi responsionem ad primum nostrum argumentum diximus, reiicitur ex eo quòd Scriptura & Patres causam assignant, non cur Christus talis aut talis, seu tali aut tali modo venerit, sed absolutè cur venerit, nec aliam assignant, quàm nostram redemptionem: de eo autem quod causa solùm esset, vt quispiam in locum aliquem veniret tali aut tali modo, vt armatus, vel inermis, pedes, aut eques, magno cum comitatu, aut absque illo, non esset simpliciter & absolutè dicendum, VII. id esse causam ob quam in illum locum veniret: alioqui de Rege in vrbem aliquam regni sui proficiscente ad certa quædam in ea magni momenti negotia componenda, & suæ solùm commoditatis gratia proficiscente certo modo, nempe in curru, vel lectica, liceret absolutè pronuntiare, Regem suæ solùm commoditatis gratia in illam vrbem suam proficisci, quod falsum esset, vt patet.

Tertia est, Incarnationem esse decretam à Deo & factam propter duos fines, quorum quilibet seorsim sumptus est integer & totalis, vnusque ab altero independens, & vnus præuisionem lapsus humani generis in peccatum præsupponens, nempe redemptio eiusdem humani generis: alter autem lapsum hunc, & eius præuisionem antece- VIII. dens, nempe complementum vniuersi, & humanæ naturæ exaltatio: propter quorum quemlibet etiam seorsim spectatum, vtpote finem integrum & totalem, facta fuisset Incarnatio, etsi finis alter defuisset. Ex quo concludunt responsionis huius authores, Christum venturum, etsi primus noster parens non peccasset, vtpote qui ante futurum, & præuisum Adami peccatum, iam decretus erat efficaciter ob vniuersi complementum, & humanæ

naturæ exaltationem, tanquam ob finem integrum & totalem, licet præuiso eiusdem Adami peccato idem Christus decretus postea fuerit, vt humanum genus redimeret, tanquam ob finem integrum item ac totalem, ob quem solum reipsa veniſſet, etsi antea nullum alium ob finem fuiſſet à Deo decretus. Quemadmodum, inquiunt, I. A si quis efficaciter constituerit certo tempore proficiſci Romam, nullum alium ob finem, quàm viſendæ vrbis gratia, postea audiens in hoc ipsum tempus incidere annum Iubilæi, profectionem à ſe decretam efficaciter rursum ordinet in Iubilæum lucrandum, tanquam in finem totalem, ob quem Romam iret, etsi propter illum alium priorem finem ire non decreuiſſet.

Reiicitur hæc reſponſio, primùm, quia duplicem Incarnationis à Deo decretæ & factæ finem totalem aſſignare, eſt manifeſtè repugnare ſanctis illis Patribus, quos ad tertiam claſſem ſpectare diximus: illi enim diſertè negant eam factam & decretam vllum alium ob finem fuiſſe, quàm humani generis redemptionem: qui ſi dicuntur aſſignare cauſam Incarnationis, non abſolutè, ſed in carne paſſibili, inciditur in primam II. B reſponſionem antea refutatam. Deinde ex eo, quòd Scriptura & Patres in prima & ſecunda claſſe reponti non agnoſcunt duplicem illum Incarnationis finem, ſed poſteriorem tantummodo, cuius ſolius mentionem faciunt. Poſtremò, quia cùm finis Incarnationis, quem ſibi ex libera ſua voluntate præfixit Deus, cognoſci nequeat aliter quàm ex diuina reuelatione, ex ea autem nullum alium cognoſcamus, quàm humani generis redemptionem, quia libri qui verbum Dei ſeu reuelationem continẽt, nullius alterius mentionem faciunt, alterum proferre, diuinare eſt: ſi præſertim talis fuiſſe dicatur, vt propter eum etiam ſeorſim ab omni alio facta fuiſſet Incarnatio.

Ex dictis tria colliguntur: vnum eſt, primum III. C à Deo præuiſum Angelorum peccatum non potuiſſe in eo eſſe poſitum, quòd Chriſtum ſibi reuelatum & propoſitum ad adorandum, adorare per ſuperbiam noluerint: ſi enim in eo poſitum eſſe potuiſſet, conſequens neceſſariò eſſet, priùs decretum & præuiſum à Deo fuiſſe Chriſtum in carne venturum, quàm futurum, & præuiſum à Deo illud eorum peccatum, cùm tamen eo poſterius ille decretus & præuiſus fuerit: quandoquidem decretus non fuit, niſi in redemptionem generis humani, ac proinde non niſi poſt præuiſum Adæ peccatum, ante quod tamen præuiſum iam fuerat primum Angelorum peccatũ, vt pote qui iam in peccatum lapſi ſolicitarunt illum ad peccandum, & peccandi reipſa ei cauſa fuerunt.

Secundum eſt, gratiam & gloriam datam Angelis, non fuiſſe datam ex Chriſti meritis: quoniam hæc & illa non modò in re, ſed etiam in IV. D præuiſione ac decreto Dei prior Chriſto fuit: quem tamen ea priorem fuiſſe neceſſarium eſſet, ſi ex eius meritis data fuiſſet: & quidem quòd gratia ipſis data fuerit Chriſto prior in decreto Dei ac præuiſione, probatur ex eo quòd illa ſic prior fuit lapſu malorum in peccatum, hoc autem lapſu, eiúſque à Deo præuiſione, poſterior fuit Chriſtus, vt conſtat ex proximè antè dictis: quòd ſi gratiam Angeli ex Chriſti meritis non acceperunt, ſequitur, vt ex eiuſdem meritis gloriam non acceperint, cùm hæc propter illam à Deo tribuatur. Adde quòd cùm ſimul omnes Angeli in termino viæ fuerint, non priùs duratione vel reali vel rationis bonis propter perſeuerantiam in gratia eſt à Deo reddita æternæ vitæ merces, quàm malis ob peccatum inflicta pœna æternæ damnationis: quare cùm V. Chriſtus in decreto & præuiſione Dei fuerit poſterior peccato primi parentis, & proinde poſterior peccato malorum Angelorum, eorúmque damnatione, quæ peccatum eius anteceſſit, cùm dæmon in ſtatu peccati damnationiſque iam poſitus, vtpote iam deturbatus è cœlo eum ad peccandum induxerit, fuit per conſequens idem ipſe Chriſtus poſterior gloria qua boni à Deo donati ſunt, ſaltem prior ea non fuit, cùm tamen priorem eſſe oporteret, ſi hanc illis meruiſſet.

Tertium eſt, gratiam ſanctificantem datam primis noſtris parentibus, aliámque omnem ipſis à Deo collatam pertinentem ad ſtatum innocentiæ ſeu iuſtitiæ originalis in qua creati ſunt, ex Chriſti meritis datam ipſis non VI. fuiſſe: hæc enim gratia peccatum eorum anteceſſit, non modò in re, ſed etiam in Dei decreto, ac præuiſione: Chriſtus autem eo eiúſque præuiſione poſterior fuit: quem tamen non eo tantùm, ſed illa ipſa quoque gratia fuiſſe priorem oporteret, vt hæc ex eius meritis data eſſet.

SECTIO III.

Quinque dubitationum huc pertinentium explicationem continens.

PRIMA eſt, vtrùm vi decreti quo Incarnatio decreta à Deo eſt, Verbum humanam naturam aſſumpſiſſet, ſi ſolum illud primi parentis peccatum extitiſſet, ex quo originale deriuatur in poſteros, etſi nulla alia actualia extitiſſent, aut futura fuiſſent? Reſpondendum eſt affirmatiuè cum Gregorio à Valentia hic diſputatione prima, punc. 6. Suare diſputatione quinta, ſectione ſexta, Gabriele Vaſquez diſputatione 13. capite ſecundo, aliiſque permultis: & ratio eſt, quòd eo caſu maneret adhuc finis ob quem Incarnatio Verbi à Deo decreta efficaciter eſt: manente autem fine ob quem Deus aliquid facere efficaciter decreuit, manet diuinum de ea re facienda decretum, hócque efficaci decreto manente, vi eius adhuc iſta res fieret, etſi alia omnia tollerentur. VII.

Quòd autem maneret adhuc finis ille, patet ex omnibus antè citatis tum Scripturæ, tum Patrum teſtimoniis: euidens enim ex illis VIII. eſt, Verbi Incarnationem fuiſſe efficaciter à Deo decretam in eum finem, vt genus humanum quod perierat ſaluum faceret: ſublatis autem omnibus aliis actualibus peccatis, & illo ſolo manente primi parentis, ex quo deriuatur in omnes eius poſteros peccatum originis, manet adhuc ille finis, ſicut manet adhuc humani generis perditio, ratione peccati communis, quod totum humanum genus inficit, & reum æternæ

damnationis constituit. Imò cùm genus humanum non dicatur à Scriptura, aut Patribus periisse, nec reuera perierit propter actualia peccata, quæ soli illi personæ nocent quæ ea committit, sed ob solum illud actuale primi parentis delictum, ex quo deriuatur in omnes posteros originale peccatum: profectò dum Scriptura Patresque dicunt Deum Incarnationem Verbi decreuisse, & perfecisse in eum finem, vt genus humanum quod perierat redimeret, volunt haud dubiè vt redimeret à peccato ratione cuius perierat.

I. A V.

Secunda: Vtrùm si non extitisset peccatum illud primi parentis, nec vllum proinde originale posterorum, sed alia solùm actualia, vel primorum parentum, vel aliorum hominum, vel tam horum quàm illorum, Verbum diuinum carnem assumpsisset vi decreti quo decreta Incarnatio & facta est? Rectè negant Vasquez citato capite secundo, aliique nobiscum existimantes Adamo non peccante Christum non venturum. Ratio autem est, quòd sublato fine vel totali, vel primario, ob quem res aliqua facienda decernitur, tollitur quoque eius rei faciendæ decretum: quòd si decretum hoc tollitur, res illa vel nullo modo fit, vel si nihilominus fit, certè non vi decreti istius, sed alicuius alterius, quod de nouo propter quendam alium finem concipitur. De totali res per se patet: de primario quoque certa apud omnes est. Nam finis ille primarius est communi omnium iudicio, quo posito, & intento, etiamsi tollantur ea quæ simul cum eo, sed consequenter tantùm intendebantur, vi intentionis ipsius manet adhuc electio eorum quæ gratia illius tanquam media appetebantur: & quo solo sublato, etiamsi maneant cætera omnia simul quidem cum eo antea, sed consequenter tantùm intenta, tollitur electio eorum quæ antea illius gratia tanquam media appetebantur: atqui sublato peccato primi parentis ex quo originale propagatur in posteros, tolleretur finis primarius, ob quem Deus Incarnationem Verbi decreuit. Etsi enim Verbi Incarnatio decreta fuerit, vt à peccato originali totam naturam humanam inquinante, cum quo actuale primi parentis quod illius causa fuit coniungitur, & ab aliis nostris actualibus redimeremur, cùm reipsa Christus nos ab vtrisque redemerit: finis tamen primarius ob quem eius Incarnatio decreta est, fuit redemptio ab illo peccato totum humanum genus inquinante, cùm Scripturæ & Patres, vt antea vidimus, nullum alium eius decernendæ finem agnoscant: quod de fine saltem primario intelligendum est: qui redemptionis ab illo peccato finis tolleretur, essétque impossibilis, si tolleretur peccatum illud primi parentis, ex quo peccatum originis in omnes eius posteros deriuatur.

II. B VI.

III. C VII.

IV. D VIII.

Nec opponas primò Apostolum epistola ad Galat. capite 2. sic de Christo loquentem, *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me:* quemlibet autem hominem hæc sibi verba accommodare posse, & debere. Verè enim hoc quilibet potest, & debet, quia vt Chrysostomus & Anselmus exponunt, potest, & debet vnusquisque Christi Incarnationem & passionem agnoscere tanquam beneficium sibi singulariter præstitum, eo quòd per eam nos singuli tam perfectè redempti sumus, quàm si pro vno tantùm ex nobis decreta & facta fuisset: sicut Solis creationem quilibet nostrum tanquam beneficium sibi singulariter à Deo collatum debet agnoscere, eo quòd nos singuli tam perfectè eo fruimur, quàm si vnus tantummodo frueretur, aut pro vno solùm esset creatus. Atque vt hinc colligi non potest, solem creatum fuisse propter vnicum hominem, aut à Deo creandum, si vnicus tantùm homo futurus in mundo fuisset: ita nec illinc potest concludi, Christum venturum, etsi vnicus homo lapsus in peccatum esset, sícque redemptione indigeret.

Neque opponas secundò, Christum tanto flagrasse Dei & hominum amore, vt paratissimus fuerit mori pro quolibet nostrùm, etsi vnus tantùm ex nobis peccasset: quamuis enim credibilissimum sit, eum hunc amoris erga Deum, & nos actum per humanam suam voluntatem exercuisse, dum mortalis inter mortales viueret: ex hoc tamen eius tam excellenti erga Deum & nos affectu, sicut concludi non potest, ipsius Incarnationem Dei voluntate fuisse decretam, & factam pro vno solo nostrùm, ita nec magis concludi potest, futuram, vel vi decreti quo reipsa facta est, vel alicuius alterius, si vnus duntaxat nostrùm peccasset, sícque remedio Incarnationis indiguisset.

Tertia est: Vtrùm Incarnatio Verbi decreta fuerit ordine rationis priùs quàm actu futurum in Adæ posteris peccatum originis Deus præuideret? Respondeo affirmatiuè: si enim peccatum istud in eis actu futurum priùs præuidisset, quàm illam decreuisset, non potuisset ex Christi meritis quemquam in origine sua à peccato isto seruare immunem: quomodo enim ex eius meritis seruaret ab eo immunem illum, cuius actualem lapsum in illud priùs vidisset, quàm Christi meritum, quo moueri posset ad volendum lapsum hunc impedire? Atqui potuit ex Christi meritis quemlibet ex Adami posteris ab originali peccato seruare immunem: non enim minùs potuit quemlibet ex illis, quàm beatam Virginem, quæ fuit vna ex eius posteris: hanc autem non modò potuit, vt omnes fatentur, sed etiam reipsa seruauit, vt magis pia probabilísque Theologorum sententia est. Quare sicut dicendum propterea est, Deum quidem priùs ordine rationis vidisse peccatum actuale primi parentis, & debitum quod ex eo contraxit beata Virgo incurrendi peccatum originis, at priùs eodem ordine rationis decreuisse Christum, ac præuidisse, quàm videret in ea futurum actu istud peccatum, cùm nunquam hoc in ea actu futurum viderit, quia futurum actu non fuit: ita ob eandem causam de quolibet posterorum Adami dicendum est, Deum quidem ordine rationis priùs præuidisse debitum quod quilibet ex actuali eius peccato contraxit, incurren-

di originale peccatum: at posteriùs eodem ordine rationis vidisse incurrendum actu ab iis qui actu in origine sua incurrerunt, quàm Christi merita præuiderit, & proinde quàm eius Incarnationem decreuerit.

I. Quarta est, vtrùm eadem Incarnatio priùs rationis ordine decreta fuerit, quàm vlla posterorum Adæ peccata actualia Deus præuiderit? Respondendum item affirmatiuè est: tum quia cùm Deus non minùs potuerit ob Christi merita quemlibet posterorum Adæ præseruare ab omni actuali peccato committendo, quàm B. Virginem, quam non modò potuit, sed etiam reipsa præseruauit, sicut quòd hanc ab eo ob illa merita præseruare potuerit, fatendum necessariò est, Christum priùs à Deo decretum fuisse, quàm vllum eius actuale peccatum præuiderit: ita ob eandem causam idem de quolibet ex Adami posteris fatendum est: tum quia non minùs etiam potuit Deus, ob eadem Christi merita, quemlibet ex iis immunem seruare ab omni actuali peccato, quàm ab originali: ergo sicut ex eo quòd hoc potuerit, dicendum est, vt paulò antè probauimus, Christum priùs à Deo decretum fuisse, quàm in iis actu futurum peccatum originis præuideret: ita ex eo quòd illud potuerit, dicendum pariter ipsum priùs à Deo fuisse decretum, quàm vllum ex iisdem in peccatum aliquod actuale lapsurum præsciret: quæ vtraque ratio concludit quoque Verbi diuini Incarnationem ordine rationis in decreto Dei & præuisione fuisse priorem quolibet actuali primorum parentum peccato commisso ab illis, post illam Adami inobedientiam, qua se totúmque simul humanum genus perdidit.

II. Denique, quia si quæ ratio est existimandi priùs fuisse præuisa posterorum Adæ peccata aliqua actualia, quàm decretam præuisámque Verbi Incarnationem, hæc maxime, quòd decreta factáque sit non in solius originalis, sed in actualium etiam remedium: at hæc ratio non valet: si quid enim valeret, euinceret omnia & singula actualia omnium, & singulorum Adæ posterorum priùs à Deo fuisse præuisa, quàm hæc Incarnatio decerneretur, cùm hæc decreta fuerit in eorum omnium singulorumque remedium, sicut & reipsa omnibus & singulis Christus eo ipso remedium adhibuit, quo pro his omnibus & singulis condignè satisfecit: falsum autem est omnia & singula ordine rationis à Deo fuisse præuisa ante decretam Incarnationem: quæ enim committuntur, temere, verbi causa, per mortem Christi iurando, aut peierando, diuinitatem eius negando, alitérve ipsum blasphemando ob eam causam quòd in cruce mortuus fuerit, similiáque passionem eius & mortem vt actu iam præteritam præsupponentia, hoc ipso rationis ordine, non nisi post decretam iam à Deo Incarnationem, præuideri ab ipso potuerunt.

III. Quinta est ea, quam hîc primæ quæstionis artic. 4. proponit S. Doctor quærens, vtrùm principaliùs Christi Incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale. Quæ quæstio præsupponit, vt patet, incarnatum Dei Filium fuisse, tum vt ab originali peccato, tùm vt ab actualibus nos redimeret: quod & ex antè dictis constat, & fide diuina certissimum est, ex qua liquet Christum qui id reipsa perfecit cuius gratia in mundum venerat, pro his omnibus peccatis nostris satisfeciisse, gratiámque qua hæc delerentur nobis condignè meruisse, ita vt cuiuscunque peccati remissio etiam actualis venialis ex merito Christi sit: quod Ioannes Apostolus primæ epistolæ suæ cap. 1. tradidit his verbis, *Et sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato*: quæ non sunt de solo mortali, siue originali, siue actuali intelligenda, sed etiam de veniali, cùm statim adiungat: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: quem locum de venialibus intellexit Concilium Mileuitanum can. 6. 7. & 8. definiens vocem hanc Apostoli Ioannis iustis etiam hominibus conuenire, nec causa solius humilitatis, sed veritatis. Iusti autem, eo ipso quo iusti sunt, carent omni mortali peccato: de quo solo si prædicta verba intelligerentur, non argueret verè falsitatis & mendacij Ioannes Apostolus eos omnes qui se dicerent sine peccato, cùm & ipse Ioannes, & cæteri Apostoli, aliique permulti sancti viri verè dicere de se potuerint, si de peccatis mortalibus agitur, Peccatum non habemus.

A V.

B VI.

Hoc autem præsuppositio, notandum est propositæ quæstionis duplicem sensum esse posse. Primus est, vtrùm Deus Incarnationem in peccati remedium decernens, magis intenderit afferre remedium originali, quàm actuali: quòd profectò magis intenderit, si propter originale delendum venturus erat in carne, etsi nulla actualia extitissent: non erat autem venturus propter actualia delenda, si nullum originale extitisset: quod cùm paulò antè ad primam & secundam hîc propositam dubitationem respondentes affirmauerimus, patet propositæ primo isto sensu quæstioni esse affirmatiuè respondendum.

C VII.

IV. Secundus est, vtrùm Incarnatio facta sit propter delendum originale potiùs quàm actuale, tanquam ob peccatum Incarnationis remedio magis indigens, quàm istud. Rectè autem Suarez aduertit in commentario citati articuli quarti sanctum Doctorem solo isto posteriori sensu proposuisse quæstionem, ad quam duplici conclusione respondet. Prior est, si consideretur peccati grauitas secundùm intensionem, Incarnationem factam esse principaliùs propter actuale peccatum delendum, quàm propter originale: quia mortale peccatum actuale est originali intensiuè grauius, magisque proinde remedio Incarnationis indigens, eo quòd plus habet voluntarij, cùm illud non nisi propria voluntate peccantis contrahatur, istud verò absque vlla eius qui ipsum contrahit voluntate. Posterior est, si consideretur peccati grauitas secundùm extensionem, eandem Incarnationem factam esse principaliùs ad originale tollendum, quàm actuale: eo quòd illud isto maius extensiuè, seu grauius est, magisque proinde indigens remedio Incarnationis, cùm illud ad omnia & singula humanæ naturæ indiuidua se extendat, istud verò sistat in vnico eiusdem naturæ indiuiduo.

D VIII.

Nec dicas, actuale tantum extensiue esse, quantum originale, cùm nullus saltem adultus reperiatur originali peccato infectus, qui non sit etiam aliquo actuali. Ne, inquam, id dicas: peccatum enim originale per se humanam naturam inficit totam, & singula eius indiuidua: per se, inquam, suppositò peccato primi parentis, qui vt hoc peccato suo sibi suisque omnibus simul posteris sanctificantem gratiam amisit, sic in eos omnes & singulos peccatum originis æqualiter propagauit: at actuale peccatum per se eam solam personam inficit, quæ illud committit: éstque per accidens ratione cuiuscunque peccati actualis ab vna singulari persona commissi, quòd persona altera peccatum aliud actuale committat. I.

SECTIO IV.

Quo rationis signo seu ordine decreta Incarnatio fuerit?

NON vna est omnium hac de re sententia, etiam eorum qui nobiscum existimant Christum non venturum, si Adamus non peccasset. Prima est Caietani, & Medinæ ad citatum sæpiùs articulum 3. triplicem constituentium rerum ordinem: primum naturæ: secundum gratiæ & gloriæ: tertium vnionis hypostaticæ: quorum primum præsupponi dicunt à secundo, & secundum à tertio: ex quo concludunt, Deum in primo signo rationis constituisse per suam generalem prouidentiam primum rerum ordinem, & præsciuisse omnia quæ ad ipsum pertinebant, res omnes naturales, defectúsque naturæ, siue morales, vt peccata, siue physicós. In secundo statuisse ordinem gratiæ & gloriæ, & cognouisse quæ ad hunc statum pertinent. In tertio denique signo vnionem hypostaticam decreuisse. II. III.

Reiicitur hæc sententia. Primò, quia iuxta eam dicendum est, decretum Incarnationis posterius ordine rationis fuisse, non tantùm præuisione lapsus humani generis in peccatum, sed omnium etiam rerum aliarum, quod falsum est: multa enim ad primum, & secundum rerum ordinem spectant, quæ in decreto & præuisione Dei sunt rationis ordine posteriora mysterio Incarnationis: vt omnes liberi qui generantur votis & precibus à Deo impetrati: omnes item virtutum mere naturalium actus, qui sunt res ad primum ordinem spectantes, Christi tamen meritis ac prædicto proinde mysterio posteriores, cùm hi actus, si non omnes, plerique saltem, non nisi ex gratia ob Christi merita collata exerceantur: & illi liberi non nisi præsuppositis illis precibus & votis factis ex gratia data propter eadem Christi merita generentur: vt etiam peccata temere per Christi mortem iurantium, sacramenta ab ipso instituta indignè vel administrantium, vel susci pientium, similiaque plurima, signo rationis, vt patet, Incarnationis mysterium præsupponentia, quæ tamen ad primum ordinem pertinent: vt præterea habitualis gratia, & visio beatifica animæ Christi collata à Deo, quæ spectat ad secundum ordinem, posterior tamen fuit in decreto Dei & præuisione, eiusdem Christi Incarnatione, vtpote quæ propter hanc decreta & data est: nimirum ad ornandum his donis eum, qui in priori rationis iam erat homo Deus: vt insuper actus fidei diuinæ quo Verbi diuini Incarnatio facienda credebatur olim, & nunc facta creditur: qui quidem actus ad secundum ordinem pertinet: posterior tamen est ordine rationis mysterio Incarnationis vel faciendæ, vel factæ, cùm circa ipsam tanquam obiectum suum versetur: vt denique omnium electorum prædestinatio & electio ad gloriam, omnísque gratia sanctificans, & gloria ipsis collata: imò omnis omnino gratia data hominibus à Deo, post lapsum primi parentis in peccatum, quæ quidem ad secundum spectat ordinem, posterior tamen est Incarnatione Christi, cùm ex eius meritis ortum habeat. A V.

Reiicitur secundò, eo quòd multa ad primum ordinem spectant, quæ tamen in decreto ac præscientia Dei posteriora sunt quibusdam ad secundum ordinem spectantibus: vt liberi, virtutúmque actus, de quibus proximè loquuti sumus, ad primum ordinem spectantes, posteriores tamen gratia ad secundum ordinem pertinente, ex qua & hi actus exercentur, & illi liberi generantur, & sine qua nec exercerentur, nec generarentur. Neque refert, quòd gratia naturam præsupponat: præsupponit enim reuera tanquam accidens subiectum in quo recipi debet: at non propterea præsupponit quidquid ad rerum naturalium ordinem pertinet: aut res omnes & singulæ ad hunc ordinem spectantes præcedunt signo rationis omnem ac quamcunque gratiam, aut quidquid ad secundum ordinem spectat. B VI.

Secunda sententia est Gregorij à Valentia hic disputat. 1. puncto 7. in solutione quarti argumenti, docentis Christum in decreto & præuisione Dei fuisse signo rationis præuisione peccati & priorem, & posteriorem, sed diuersa consideratione: posteriorem quidem, quatenus decretus est in peccati remedium, quod peccatum præsupponit, vt patet: priorem verò, quatenus decretus est vt author gratiæ etiam illius quæ & Angelis, & homini in statu innocentiæ data est. C VII.

Refellitur, quia iuxta eam duo contradictoria defendenda sunt, nempe Adamo non peccante, Christum venturum, & non venturum. Non venturum quidem, tum quia id expresse sentit & docet author ille: tum quia vt res aliqua, sine alia in rerum natura non possit existere, necesse non est, vt sit ea posterior omnibus modis, aut in omni genere causæ vel quasi causæ ab ea pendeat, sed sufficit vt vno pendeat, & posterior sit, quantumuis alio modo, in alióve causæ genere sit illa ipsa re à qua sic pendet, prior: quam etiam ob causam idem Gregorius fatetur Christum non venturum Adamo non peccante, quòd scilicet velit eius Incarnationem fuisse vno modo, & in vno causæ genere peccato posteriorem, & ab eo dependentem, quantumuis illa ipsa eo prior alio modo fuerit. Venturum autem, quandoquidem decretus est vt au- D IV. VIII.

thor gratiæ illius quæ & Angelis, & homini in ſtatu innocentiæ collata eſt. Cùm enim Deus hanc gratiam ordine rationis dare ipſis voluerit priùs quàm eorum lapſum in peccatum permittere, priùs autem permittere voluerit, quàm peccatum futurum fuerit, cùm futurum eſſe non poſſet, ſi non ab illo permitteretur vt eſſet, & proinde priùs quàm peccatum futurum præuiderit, cùm ideo præuideat futurum, quia futurum eſt: certè ſi gratiam hanc ipſis dare voluit ob Chriſti merita, ſeu propter ipſum Chriſtum, priùs ipſum abſolutè efficacitérque decreuit, quàm permittendi peccati voluntatem habuerit, & proinde quàm peccatum futurum præuiderit, & per conſequens priuſquam eundem ipſum in peccati remedium decreuerit. Ergo vi illius abſoluti efficaciſque decreti venturus fuiſſet, etſi non fuiſſet venturus in remedium peccati, nullo ſcilicet exiſtente peccato, cui remedium adhiberi deberet. I. A V.

SECTIO V.

Duæ aliæ ſententiæ refutantur, quibus vera ſubiicitur. II.

TERTIA ſententia eſt Ludou. Molinæ prima parte, quæſt. 23. artic. 4. & 5. diſputat. 1. membr. 7. tria dicentis. Primum eſt, Deum, antequam quidquam de Chriſti aliarúmque rerum productione ſtatueret, non modò cognouiſſe per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ poſſibilia omnia, ſed etiam per ſcientiam conditionatorum, quam mediam appellat, quid quibuſque poſitis futurum eſſet: exempli cauſa, ſi produceret hoc vniuerſum, & in eo Angelos, & homines, quid in his & illis agendi occaſionibus, cum his aut illis gratiæ donis agerent, peccaturíne eſſent, an ſecus: poſtquam autem peccaturos vidit ſi conditiones illæ ponerentur, vidiſſe poſtea, vtrùm eis gratiam ad reſurgendum à peccato tribueret, an negaret, vtrùm hominibus Chriſtum redemptorem daret, an non, & ſi daret, quinam ex illis tanto beneficio forent ingrati, & abuſuri, qui minimè: ſícque cætera omnia; quæ ſi hæc aut illa ponerentur, futura fuiſſent, præuidiſſe, antequam aut creare mundum, aut Angelos, aut homines, aut Chriſtum, aut quidquam aliud decerneret. III.

Secundum eſt, Deum illa omnia cognoſcentem, vno ſimpliciſſimo actu, in quo nec debeat, nec iure poſſit diſtingui vllus ordo prioris aut poſterioris, decreuiſſe creare hoc vniuerſum eo modo quo nunc eſt, & cum omnibus rerum ordinibus quos reipſa continet, naturæ videlicet, gratiæ, & vnionis hypoſtaticæ: permittere quoque mala omnia & peccata, quæ vel iam commiſſa ſunt, vel poſtea committentur: ac proinde in nullo rationis ſigno decreuiſſe Verbi diuini Incarnationem ante, vel poſt voluntatem permittendi peccatum, nec ante vel poſt prædeſtinationem aut reprobationem cuiuſquam, imò neque ante vel poſt decretum de producendo Adamo, aliiſve eius poſteris. IV. C D

Tertium eſt, ipſum decreuiſſe Incarnationem propter duo, tanquam ob vnicum finem totalem, quorum alterutro ſublato eam non voluiſſet, nec facta fuiſſet vi decreti eius, vi cuius reipſa facta eſt: vnum iſtorum duorum ſit eſſe peccati remedium: alterum, dignitatem ipſius myſterij Incarnationis: propter cuius gloriam etiam dicit voluiſſe cætera, & peccata permiſiſſe: vnde frequenter inculcat, Deum nunquam permiſſurum fuiſſe lapſum humani generis, niſi feliciùs eſſet illud per Chriſtum reparaturus.

Reiicitur hæc ſententia, non propter primum quod in ea aſſeritur, ſed propter ſecundum & tertium. Et quidem hoc tertium probare non poſſum, primò, quia contra ſuperiùs relata ex Scripturis & Patribus teſtimonia, duplex ille finis Incarnationis admittitur, cùm ex iis conſtet, Deum in Incarnatione facienda non alium ſpectaſſe finem, quàm redemptionem humani generis, & ſalutem: aut ſi quid aliud ſpectaſſe dicatur, id fuiſſe tantùm quiddam acceſſorium & conſequens: quo proinde ſublato adhuc facta fuiſſet vi illius ipſius decreti quo reipſa facta eſt. VI.

Secundò, quia non ſatis cohærenter hæc duo à Molina dicuntur, nempe Chriſtum eſſe finem propter quem peccatum permiſſum eſt, & tamen ipſum Chriſtum decretum fuiſſe propter peccati remedium, hócque eſſe finem ſaltem partialem decretæ factæque Incarnationis. Ideo autem non cohærenter dicuntur, quia fieri nequit, vt duo ſint ſibi inuicem cauſæ in eodem genere cauſandi: quod tamen reipſa fieret, ſi illa Molinæ opinio vera eſſet, cùm Incarnationem & peccatum faciat ſibi eſſe inuicem fines cuius gratia. Atque cùm in cauſis omnibus impoſſibile ſit aliqua duo ſibi inuicem cauſas eſſe in eodem cauſandi genere, in cauſa finali reperitur etiam ſpecialis repugnantia. Nam quod alicuius finis gratia fit, debet eſſe prius in exequutione, quàm finis, cùm hic per illud obtinendus ſit: quo fit, vt ſi duo aliqua ſint ſibi mutuò fines cuius gratia, neceſſarium ſit, vt illa duo ſint ſe inuicem priora in exequutione, quod repugnat. VII.

Poſtremò, quia nimis indubitanter in eodem tertio aſſeritur, Deum nunquam fuiſſe permiſſurum lapſum humani generis, niſi illud fuiſſet feliciùs per Chriſtum reparaturus: vnde enim id ſcire mortalium quiſpiam poteſt? Certè ſcimus ex D. Auguſt. cap. 27. Enchiridij, Deum ex malis bona colligere, *Atque id ſapientiæ indicaſſe de malis bene facere, quàm nulla mala permittere:* Verùm ex lapſu humani generis in peccatum potuit Deus innumerabilia alia bona colligere, præter myſterium Incarnationis. VIII.

Illud verò ſecundum nihilo magis probare poſſum: primò, quia aut omnia ſigna rationis priora & poſteriora à diuinis decretis exterminanda prorſus ſunt, quod tamen fieri non debet, nec facit ipſe Molina, nec vllus alius Theologus: aut aſſignanda ſunt ex parte obiectorum per diuinam voluntatem volitorum, quando ſcilicet vnum aut natura ſua præſupponit aliquod aliud, aut vnum eſt & appetitui propter aliud, nec ſub diuinam voluntatem cadit, niſi quia ſub eandem cadit illud aliud: quod cùm locum habeat in Incarnatione, multiſque aliis rebus à

Deo decretis & volitis, quæ eodem signo rationis volitæ in secundo illo quod impugnamus dicuntur, necessarium est, vt non eodem signo rationis volitæ sint, sed aliquæ priùs, aliæ posteriùs: ac proinde vt inter ipsa decreta diuina quibus illæ res omnes decernuntur, ordo aliquis secundùm rationem prioris & posterioris admittatur. Et sanè sicut peccatum hominis hominem existentem ex natura rei & essentialiter præsupponit, non verò homo existens, peccatum: ita dicendum est, Dei præuisionem hominis peccatum præuidentis supponere tanquam signo rationis priorem præuisionem qua videt ipsum hominem existentem: similitérque decretum quo decernit peccatum eius permittere, præsupponere tanquam signo rationis prius decretum quo decreuit eum producere: cùm præsertim diuinum decretum hominem producendi, sicut rectè potest intelligi absque hominis peccato, & proinde absque decreto peccatum eius permittendi, ita nec peccatum ipsius, nec huius proinde peccati permittendi decretum inuoluat: at è contrario decretum permittendi peccatum hominis sicut peccatum inuoluit, & per consequens hominem existentem, nec absque eo potest intelligi, ita inuoluat necessariò decretum hominis producendi, nec absque illo intelligi valeat.

I. II.

Deinde cùm, vt ostendimus, priùs signo rationis decreuerit Deus Adamum producere, quàm peccatum eius permittere, dicat autem Molina Deum eodem signo rationis decreuisse, & Adami peccatum permittere, & Christum producere: consequenter dicere debet, Adamum priùs signo rationis à Deo fuisse decretum, quàm Christum: quod enim simul est cum posteriore, posterius est priore, vt patet.

Præterea cùm peccata crucifigentium Christum, temere per mortem eius iurantium, similiáque multa, Christum ipsum vt iam existentem, ac proinde vt iam à Deo decretum, ex natura rei & essentialiter præsupponant, Christus autem à Deo decretus & præuisus nec essentialiter, nec ex natura rei ea præsupponat, aut secum concomitanter inuoluat, quis meritò negare potest priùs signo rationis fuisse decretum à Deo Christum, quàm permissa illa peccata? Cùm præsertim hoc ea permittendi decretum necessariò inuoluat Christum vt existentem, & eius proinde producendi decretum, nec absque eo concipi possit: è contrario autem decretum Christi producendi illud aliud non inuoluat secum, sed absque eo optimè possit intelligi. Denique aut negandum est prædestinationem electorum ad gloriam esse propter Christi merita, quod tamen à nemine negari debet, aut si est, fatendum consequenter, esse posteriorem præuisis à Deo eius meritis, ac proinde decreto quod habuit de eo producendo: quemadmodum si electio electorum ad gloriam est propter ipsorum merita, dicendum est consequenter, illam his in decreto & præuisione Dei esse signo rationis posteriorem: quomodo enim si non prædestinat Deus, & eligit ad gloriam, nisi propter Christi, & ipsorum electorum merita, seu quod idem est, nisi quia mouetur & allicitur ad prædestinandum & eligendum ab horum & illius meritis quæ præuidet, intelligi potest eum non priùs hæc merita præuidere, quàm prædestinet, & eligat?

III. IV.

Secundò, quia cùm Molina secundum illud quod impugnamus asserens ait, decretum Incarnationis faciendæ non esse posterius decreto permittendi peccatum, non constanter loquitur, postea dicens, Incarnationem fuisse decretam in peccati remedium. Nam si decreta fuit in hunc finem, sanè oportet peccatum priùs fuisse præuisum, quàm fuerit istud decretum, aut saltem non fuisse præuisum posterius: si autem istud decretum simul fuit cum decreto permittendi peccatum, consequens necessariò est, decretum illud faciendæ Incarnationis fuisse prius quam peccatum præuisum fuerit: vnde aut illa duo decreta non simul fuerunt, aut Incarnatio decreta non fuit in peccati remedium. Et quidem præuisum iri peccatum post decretam Incarnationem, si decretum eius faciendæ simul fuit cum decreto permittendi peccatum, facilè probo ex eo quòd decretum hoc prius est peccato futuro, & proinde futuri peccati præuisione: quod enim simul est cum priore prius est posteriore, vt patet: quod autem hoc decretum permittendi peccatum sit prius peccato futuro, & proinde futuri peccati præuisione, hinc liquet, quod peccatum ideo præuideatur futurum, quia reuera futurum est, futurum autem non esset, nisi esset in Deo illud permittendi decretum, vt paulò antè iam dictum est.

A V. B VI.

Quarta sententia est quorundam apud Suarem disput. 4. sect. 5. dicentium duo: primum est, Deum decreuisse Incarnationem ante peccati præuisionem: secundum, Incarnationem nihilominus non fuisse futuram, nisi esset peccatum. Refellitur hoc argumento. Decretum Incarnationis faciendæ antecedens decretum permittendi peccatum, peccatíque proinde futuritionem ac præuisionem, vel per se esset absolutum, seu indefinitum, & illimitatum, vel è contrario definitum esset, & limitatum, quia nimirum non esset decretum faciendi Incarnationem simpliciter, sed determinato quodam modo, nempe in peccati remedium, nondum quidem præuisi absolutè, seu per scientiam visionis, sed præuisi tamen conditionatè, seu per scientiam conditionatorum, qua Deus cognouerat futurum vt peccaret Adamus, si eum crearet, ab eóque talem aut talem peccandi occasionem non auerteret: neutrum autem dici potest: non primum, quia vi decreti illius facta fuisset Incarnatio, etsi nullum fuisset futurum peccatum. Etenim decretum absolutum, & prorsus illimitatum non definit exequutioni mandari, dum non potest vno modo mandari, dummodo alio possit: quemadmodum si quis absoluto prorsúsque illimitato decreto decreuerit ire Romam, non desinet ire, si non possit ire vel in equo, vel in curru, dummodo aliter possit, aut si non eat, cùm aliter possit, desinet illud eius absolutum decretum, & in aliud mutabitur: quod in Deo vt pote immutabili locum habere non potest: vnde si absoluto decreto penitúsque illimitato ante peccati præuisionem decreuisset Incarnationem, licet peccatum postea futurum nullum præsciret, & sic illa in peccati remedium fieri non posset, non desineret tamen vi decreti illius absoluti fieri, cùm certissimum sit eam alio modo fieri posse.

C VII. D VIII.

vtpote quæ nullam habet ex natura rei cum peccato connexionem. Neque etiam ſecundum, quia cùm decretum illud ſit efficax, nec tamen poſſit exequutioni mandari, niſi poſito peccato, cuius in remedium conceptum eſt, cuiúſque præuiſionem & futuritionem antecedit, neceſſariò vi ſua peccatum inferret, Deúſque proinde per illud decretum ſuum author eius eſſet: quod contra fidem eſt.

I.

Reſpondebis, vi ſua inferre neceſſariò ſolam peccati permiſſionem, ſeu permittendi voluntatem, huiuſque proinde ſolius permiſſionis cauſam eſſe. Verùm etiamſi ita eſſet, id tamen de Deo dici non niſi abſurdiſſimè poteſt: etenim ſapientis & boni gubernatoris non eſt, velle permittere in Repub. ſeditiones, & iniquitates, ex intentione pacem & iuſtitiam læſam reſtituendi, ſeu remedium his malis afferendi: remedium enim iſtorum ſimiliúmque malorum in ſapiente bonóque gubernatore, multóque magis in Deo ſapientiſſimo, optimo, nunquam eſt primariæ intentionis, ſeu hæc mala eorúmque præuiſionem antecedentis, ſed tantùm ſecundariæ & conſequentis.

II.

Nec dicas, Deum, antequam decerneret efficaci decreto Incarnationem in peccati remedium, præuidiſſe peccatum non quidem abſolutè, ſed ſub conditione futurum, ſi nimirum homo crearetur, & in his illísve peccandi occaſionibus poneretur: etſi enim hoc verum ſit, Deus tamen ex ſola præuiſione peccati ſic futuri, decernere efficaci decreto non potuit Incarnationem in peccati ſic præuiſi remedium: quis enim ſapiens efficaci decreto decernet afferre remedium malo, quod præſens non videt, aut abſolutè futurum non præuidet, ſed futurum tantum ſub conditione? ſi præſertim & in eius libera poteſtate ſit, vt conditio ſub qua futurum eſt, ponatur, vel non ponatur, cuiuſmodi eſt Deus, cui liberum fuit vt non ponerentur conditiones illæ, quæ ſi ponerentur, præuidebat fore, vt homo peccaret, & præterea ſi malo illi poſtquam abſolutè futurum erit, & præuidebitur, idem remedium æquè commodè afferri poterit.

III.

Deinde dico non ita eſſe, ſed inferre quoque vi ſua peccatum ipſum, Deúmque per illud decretum ſuum eius authorem fore: tum quia qui antecedenti & efficaci voluntate vult remedium peccati, & quemcunque alium finem, neceſſariò vi volitionis illius velle debet ea omnia quæ eſſentialiter ad ipſum neceſſaria ſunt, vt inductione conſtat: peccatum autem eſſentialiter ad peccati remedium eſſe neceſſarium patet: tum quia quiſquis ex antecedenti & efficaci intentione finis alicuius neceſſariò vult medium aliquod remotum vtile ad hunc finem, vult quoque neceſſariò media omnia intermedia propinquiùs ad hunc ipſum finem conducentia: imò priùs vult ordine intentionis medium conducens ad eum propinquiùs, quàm remotiùs tantùm. Nam omne medium eatenus eligitur, quatenus vtile eſt ad finem intentum: vnde ſi ad eum non eſt vtile niſi per aliud ad eundem finem conducens propinquiùs, non niſi per illud aliud volitum & electum eligitur. Præterea cùm ordo exequutionis ſit contrarius ordini intentionis, ordine autem exequutionis ſint poſteriora media quæ propinquiùs finem attingunt, vt experientia certum eſt, oportet ea eſſe priora ordine intentionis, priúſque proinde fuiſſe volita & electa, quàm ea media quæ remotiùs ad finem conducunt: Deus autem antecedenti & efficaci decreto volens peccati remedium tanquam finem à ſe intentum, neceſſariò volet peccati permiſſionem, vt reſponſione illa vltro & rectè conceditur: volet ergo ipſum quoque peccatum, & quidem ordine intentionis priùs quàm permiſſionem illam, cùm illa remotiùs ad finem illum conducat, quàm peccatum, imò cùm ad hunc finem non conducat niſi per peccatum, quod eſt proxima remedij ſeu redemptionis ab illo materia.

IV.

Quinta & communis ſententia omnium ferme authorum nobiſcum ſentientium, Adamo non peccante Chriſtum non venturum, hæc ſigna rationis, circa ea quæ ad myſterium Incarnationis pertinent, conſtituit, cùm plura quidem conſtitui poſſent, ſed ad præſens negotium ſit minimè neceſſarium. Primum, in quo decreuit Deus efficaciter ex omnibus mundis poſſibilibus hunc producere, in eóque creare Angelos & homines, iiſque gratiam ſanctificantem dare. Secundum, in quo hæc omnia vi iſtius decreti futura præuidit. Tertium, in quo præſciuit perſeuerantiam bonorum Angelorum in gratia, propter quam decreuit ipſis conferre vitam æternam, lapſumque malorum in peccatum, ratione cuius ſtatuit eos punire pœna æternæ damnationis. Quartum, in quo præuidit dæmonem ſolicitaturum primos noſtros parentes ad peccandum, hoſque illi conſenſuros, ſícque tum ſibi, tum poſteris originalem iuſtitiam quam acceperant amiſſuros, totúmque proinde genus humanum reum æternæ damnationis, abſque vlla poteſtate emergendi ab hoc ſtatu perditionis, & ad ſtatum gratiæ redeundi. Quintum, in quo non obſtante primorum parentum, & totius humani generis indignitate per peccatum contracta, voluit omnibus hominibus ſalutem, & reditum ad priorem gratiæ ſtatum. Sextum, in quo vi voluntatis iſtius, ex omnibus mediis quibus ad illum à ſe volitum finem peruenirí poterat, hoc vnum elegit, nempe Verbi diuini Incarnationem. Septimum, in quo propter eius incarnati ſatisfactionem & merita, decreuit efficaciter conferre ſingulis hominibus illa gratiæ auxilia, & dona, quæ reipſa confert, quibus quilibet à peccato iuſtificari, in accepta iuſtitia progredi, & perſeuerare, ac æternam ſalutem conſequi tandem poteſt: qui ſignorum rationis priorum & poſteriorum ordo à nobis hîc poſitus, cùm ſufficienter probetur rectè aſſignatus, partim ex antè tradita & probata doctrina noſtra, partim ex aliena refutata, ſuperfluè hîc aliis argumentis probaretur.

V. VI. VII. VIII.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta contra doctrinam noſtram ex Patrum teſtimoniis deſumpta.

PRIMVM argumentum ex authoritate Rupertí ducitur, libro de gloria Trinitatis & proceſſione Spiritus ſancti, cap. 19. 20. & 21. &

lib. 3. in Matthæum de gloria & honore filij hominis, inter cætera dicentis, Christum non propter hominem, sed hominem propter Christum conditum fuisse, ipsúmque non indiguisse peccato humani generis vt homo fieret, delitias suæ charitatis cum hominibus habiturus.

I. Secundum ex D. Augustini libro 1. de Nuptiis & Concupisc. cap. 21. docentis, si peccatum non foret, bona tamen matrimonij non defutura: inter quæ numerat istud, quòd sit Sacramentum, seu signum coniunctionis Christi cum Ecclesia: cuius profectò rei signum non esset, nisi Christus nullo etiam existente peccato venturus fuisset. A

Tertium ex S. Cyrilli lib. 5. Thesauri cap. 8. scribentis, *Præfundatum ante nos fuisse Christum, & in ipso nos omnes superædificari, ordinéque diuino benedictionem*, quam scilicet nobis meruit, *antecessisse maledictionem*, quâ videlicet incurrimus, *& vitæ pollicitationem damnationem in mortem, & adoptionis libertatem dæmonis seruitutem*: & inferiùs adiungentis, *Creatorem nostrum nostræ salutis fundamentum Christum etiam ante*

II. *initium mundi fundasse, vt si prævaricatione caderemus, in ipso rursus renouaremur.* Quibus verbis aperte significatur, ipsum à Deo fuisse decretum ante præuisum aliquod absolutè futurum peccatum, ac proinde venturum, etiamsi nullum peccatum foret. B

Quod ad Rupertum attinet, fateor eum in contraria nobis fuisse sententia: sed ei Patres omnes prima sectione citatos opponimus. Quod D. August. quem suprà vidimus aperte nostram tueri sententiam, dico ipsum illo loco non docuisse matrimonium fore, aut fuisse actu

III. signum Christi venturi, etsi nullum esset peccatum: sed solùm dixisse, matrimonium, antequam esset peccatum, nec ex eo quòd futurum esset peccatum, sed ex se hoc inter cætera bonum habuisse, quòd sit Sacramentum, siue signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, quòd C sit, inquam, non actu, sed potestate, seu quòd sit signum non quidem actu significans hanc coniunctionem, sed aptum eam significare, eo quòd coniunctio maris & fœminæ quam matrimonium continet, ex se apta est significare illam Christi cum Ecclesia coniunctionem: quam aptitudinem sicut adhuc haberet, & necessariò haberet matrimonium, etsi Christus venturus nunquam fuisset, ita ex eo quod habeat, concludi non potest ipsum aliquandò fuisse venturum.

Quod denique ad D. Cyrillum attinet, quem etiam pro nostra sententia supra retulimus, dico eum prioribus verbis solùm velle, Christum, eiúsque merita quibus nobis libertatem & benedictionem meruit, in decreto & præscientia Dei

IV. fuisse priora maledictione, & seruitute peccati, quam nos Adæ posteri reipsa & in tempore incurrimus: quod non impedit, quin eadem maledictio & seruitus sit in præscientia Dei prior libertate & benedictione quam nobis ipse meruit, ipsiusque meritis, & ipso quoque mysterio Incarnationis. Quæ quidem dicit S. ille Pater, vt efficaciùs hortetur homines ad pœnitentiam, diuinamque gratiam recuperandam: ad quod non parum animantur, intelligentes antequam reipsa peccent, quod in tempore tantùm faciunt, & peccando, diaboli seruitutem, æternæque damnationis reatum incurrant, præparatam iam ab æterno fuisse ipsis à Deo benedictionem, qui ex his malis emergere, & oppositis bonis frui possint. D

Verbis autem posterioribus dico nihil aliud concludi, quàm Christum fuisse à Deo decretum ante absolutè præuisa certa quædam peccata, quæ quantumuis futura non fuissent, Christus nihilominus veniisset: quod verissimum est, sunt que peccata nostra actualia, de quibus hoc ipsum secunda sectione expressè docuimus. Dicit ergo S. Cyrillus, id quod super Christum tanquam nostræ salutis fundamentum primò ædificare voluit Deus, & reipsa ædificauit, fuisse humani generis iustificationem à peccato communi, quod totum hoc genus reum æternæ damnationis constituebat: cuius iustificationis tanquam finis gratia cùm Deus Christum decreuerit, hæc autem iustificatio præsupponat vt aliquid prius, illud peccatum, illiúsque à Deo præuisionem, manifestè consequens est, diuinum de Christo producèdo decretum fuisse peccato illo, & eius præuisione ordine rationis posterius. Addit idem S. Pater, Christum, cum primæ illius ædificationis fundamentum fuisset, fuisse factum præterea ita firmum fundamentum, vt si hæc ipsi superimposita prima ædificatio fortè corrueret per proprium nostrum actuale peccatum, rursus eidem ipsi superædificari possemus, id est, rursus per ipsum iustificationem ab hoc peccato nostro consequi, quod particula, *rursus*, qua ipse vtitur, aperte significat.

V.

VI.

SECTIO VII.

Soluuntur argumenta contra doctrinam nostram ex Scripturarum authoritate deprompta.

VII.

PRIMVM ducitur ex tribus locis, quibus aperte significari videtur Christum hominibus authorem fore, aut fuisse non solius gratiæ quæ lapsum humani generis ex peccato primi parentis præsupponit, sed etiam alicuius alterius à peccato abstrahentis: vnde concluditur ipsum venturum, etsi nullum foret peccatum. Primus habetur Ioan. 10. in quo sic de se Christus loquitur. *Ego veni vt vitam habeant.* Sed cùm immediatè addat, *& abundantius habeant*, significat se per vitam non intelligere quamcunque vitam gratiæ, seu quamcunque gratiam, etiam à peccato abstrahentem, illúdque antecedentem, sed vitam, seu gratiam mortem contracti peccati destruentem: quam gratiam dicit in hoc statu naturæ lapsæ futuram copiosiorem ob merita sua, quàm olim daretur in statu innocentiæ, vt D. August. tract. 45. in Ioan. & D. Chrysost. homil. 58. & alij in eum locum exponunt.

VIII.

Secundus habetur ad Ephesios cap. 1. vbi sic Apostolus de Deo, *benedixit nos omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo*: dicens enim omnem, comprehendere videtur gratias & benedictiones non solùm posteriores lapsu primi parentis, sed etiam anteriores, quæ in statu innocentiæ præcesserunt. Sed reuera eas omnes tantùm comprehendit, quas per ipsum vt humani generis redemptorem habemus: quæ sunt

solæ prædicto illo lapsu posteriores.

Tertius locus habetur 1. ad Corinth. cap. 2. in quo sic idem Apostolus: *loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in nostram gloriam.* Quibus verbis per Dei sapientiã intelligi Christum dicunt aduersarij: dici autem hunc prædestinatum in nostram gloriam: vnde colligunt, finem ob quem decretus est, non esse solam gratiam redemptionis à peccato, sed etiam humanæ naturæ gloriam, ob quam proinde venisset, etsi nullum peccatum extitisset. Verùm cùm cap. 1. illius epistolæ sic dixisset idem Apostolus: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & sapientiam*: non dubium esse debet, quin cùm postea cap. sequenti dicit se loqui Dei sapientiam in mysterio absconditam, loquatur de Dei sapientia abscondita non in solo mysterio Incarnationis, sed etiam passionis, & crucis: quæ sicut in illo mysterio infirmitate carnis, sic in isto ignominia supplicij tegebatur: quam Dei sapientiam in hoc & illo mysterio absconditam, seu quod Incarnationis, & passionis crucisque Christi mysterium, cùm dicit prædestinatum seu decretum ordinatúmque à Deo fuisse in nostram gloriam, manifestè loquitur de gloria quam beneficio passionis & crucis Christi consequuti sumus: quæ cùm non sit alia quàm ea quæ supponit peccatum, cuius expiandi gratia passus & crucifixus est, manifestum ex consequenti relinquitur, concludi ex Apostoli verbis non posse, Christum ob alium finem decretum fuisse, quàm vt à peccato redimeremur, redemptíque gloriam ac libertatem filiorum Dei consequeremur.

I. A

II. B

Secundum argumentum petitur ex tribus aliis eiusdem Scripturæ locis, quibus expressè dici videtur, Christum vt hominem priorem esse rebus aliis creatis: quod cùm intelligi nequeat de prioritate temporis, restat, vt sit intelligendum de prioritate in decreto ac præscientia Dei: quod si ita est, erit haud dubiè Christus vt homo non tantum prior peccato, eiúsque à Deo præuisione, sed etiam Adamo ipso, ac proinde venturus, etiamsi nullum vnquam peccatum futurum fuisset. Primus locus habetur Ioan. 17. vbi sic Christus Patri. *Clarifica me Pater claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te.* Sed hic locus nihil fauet aduersariis: particulæ enim, *apud te*, referendæ non sunt ad verba, *priusquam mundus esset*, sed ad hæc, *claritate quam habui*: vnde non significatur hoc loco Christum claritatem habuisse antequam mundus esset apud Deum, seu ante diuinum de creando mundo decretum, sed vel sensus est, Pater fac vt gloria quam semper habui apud te, in tua scilicet prædestinatione, sicut iam peruenit ad animam meam in mea conceptione, ita redundet in corpus in mea resurrectione: vt D. Athanas. contra Sabellij gregales, Cyrill. lib. 10. in Ioan. Chrysost. homil. 79. in eundem, & Ambros. lib. 4. de fide cap. 6. interpretantur: vel vt D. August. Tract. 105. in Ioan. exponit, Pater clarifica me nunc in executione illa claritate, quam antequam mundus crearetur habui apud te, in tuo scilicet decreto, seu prædestinatione.

III. C

IV. D

Secundus habetur ad Colos. 1. vbi sic Apostolus de Christo loquitur. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia*: loquitur autem de eo vt homine, cùm subiungat ipsum esse caput Ecclesiæ, primogenitum ex mortuis, & omnem in eo gratiæ plenitudinem inhabitare. Sed respondeo Apostolum eo loco loqui de Christo modò vt Deo, modò vt homine, quia illi quædam attribuit quæ ratione solius diuinitatis ipsi conueniunt, quædam alia quæ ratione humanitatis, vt omnes illius loci interpretes exponunt.

V.

Et quidem quod primogenitus omnis creaturæ dicitur, quibus in verbis vim aduersarij potissimùm faciunt, commodè exponi potest de eo, prout Deus est, sicut & quod immediatè præcedit, *qui est imago Dei inuisibilis*, de eo vt Deo intelligendum est: exposuitque reipsa D. Aug. lib. 1. de Trinitate cap. 12. ante medium sic de Christo loquens: *Secundum formam Dei, primogenitus omnis creaturæ, & ipse ante omnes est, & omnia in illo constant. Secundum formam serui, ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Imò hanc expositionem indicant verba proximè sequentia, *quoniam in ipso* (id est, per ipsum, iuxtà familiarem Scripturæ multis aliis in locis loquendi morem, communémque Patrum, & Interpretum expositionem) *condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia.* His enim videtur contineri ratio, qua probat Apostolus, ipsum esse primogenitum omnis creaturæ, seu quod idem est, ante quamcunque creaturam à Deo Patre genitum: hæc autem ratio est, quòd sit ipse omnis & cuiuslibet creaturæ, siue terrenæ, siue cœlestis, siue visibilis, siue inuisibilis conditor & creator: cuius sanè creator cùm sit, non secundùm humanitatem, sed solam diuinitatem, ratione illa solùm euincitur eius secundùm diuinitatem generationem cuiusuis creaturæ generatione esse priorem.

VI.

VII.

Quòd si concedamus, vt aduersarij volunt, dici primogenitum omnis creaturæ etiam secundum humanitatem, quod nonnulli Patres reuera voluerunt, & inter eos Hieronymus: Respondeo cum eodem Hieronymo, dici primogenitum, non quòd in decreto & præscientia Dei prior sit omnibus rebus creatis, de quo prioritatis genere nullus hactenus hæc Apostoli verba intellexit, sed quòd ordine dignitatis illis omnibus antecellat. Hieronymi verba in paruis in illum Apostoli locum commentariis, hæc de Christo sunt. *Primogenitus secundùm assumpti hominis formam, non tempore, sed honore.* Responderi secundò posset nomine omnis creaturæ solum hominem intelligi, iuxta illud Marci 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, ac proinde ipsum dici primogenitum omnis creaturæ, idem esse ac dici *primogenitum in multis fratribus*, vt Apostolus ad Rom. 8. loquitur: aut etiam *primogenitum ex mortuis*, vt idem ait ad Colos. cap. 1. Primogenitus autem in multis fratribus, & ex mortuis verè dicitur, non modo quia caput est omnium hominum, & inter eos dignitatis primatum obtinet, sed etiam quia priùs à Deo decretus est, quàm vllus hominum sit ad æternam gloriam prædestinatus, & quàm vllus eorum sit à morte peccati quam omnes

VIII.

incurrerunt, ad vitam gratiæ in decreto & præscientia Dei reuocatus.

Tertius habetur Prouerb. 8. in quo sic dicitur. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Sed huius loci triplex expositio est. Prima multorum Patrum citatorum à Gabr. Vasq. disput. 10. cap. 2. I. A eum de Christo vt homine intelligentium. Secunda est Basilij lib. 2. & 4. contra Eunomium, Epiphanij hæresi 69. Chrysost. serm. de Trinitate, Hilarij libro de Synodis, in quo etiam citat canonem quintum cuiusdam Concilij Orientalis, Athanasij serm. 3. contra Arrianos, & D. Thomæ lib. 4. contra gentes cap. 8. exponentium de Christo vt Deo, seu de sapientia diuina notionali. Tertia Ianseníj in eum locum interpretantis de sapientia diuina absoluta, ac communi tribus diuinis personis: iuxta quam, & secundam expositionem, nullum ex hoc loco desumere possunt aduersarij contra nos argumentum.

Licet autem iuxta primam desumant aliquod, infirmum tamen est, nam non propterea omnia quæ cap. illo 8. dicuntur de sapientia Dei incarnata, dicentur de ea secundùm carnem seu humanitatem spectata: hæcque nominatim quæ habentur ab eo loco, *ab æterno ordinata sum*, II. B erunt intelligenda de eius æterna à Patre generatione, prout intellexerunt D. August. Cyrill. Nazianz. & Athanas. locis pro prima illa expositione à Gabr. Vasq. supracitato cap. 2. relatis. Hoc verò solum, *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio*, vel vt Septuaginta vertunt, *Dominus creauit me initium viarum in*, vel *ad opera sua*, de eiusdem temporali generatione erit intelligendum: neque sensus erit humanitatem Christi fuisse prius à Deo decretam, quàm quidquam aliud decerneret, quo sensu nullus Patrum aut Interpretum hactenus hæc verba intellexit, sed III. C fuisse decretam, vt daret initium diuino illi operi, quod est humani generis reparatio: seu vt esset initium reditus ad Deum creaturis, quę ab eo per peccatum deflexerant: quæ interpretatio est D. Athanas. serm. 3. contra Arrianos, & oratione in illud, *omnia mihi tradita sunt à Patre*, libro de Incarn. Verbi, Hieron. in caput 2. ad Ephesios, August. lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. 1. de doctrina Christiana cap. 34. Fulgentij denique in solutione tertiæ obiectionis Arrianorum.

Tertium argumentum sumitur ex duobus aliis eiusdem Scripturæ locis, quorum priore qui habetur ad Rom. 8. verbis istis, *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*, significatur Christum secundùm humanitatem esse causam exemplarem prædestinationis hominum, ac proinde eum secundùm hanc IV. fuisse prius decretum à Deo seu prædestinatum, D quàm vllus hominum ad vitam æternam prædestinatus fuerit. At ex eo, quod verissimum puto, lubensque concedo, inferri non potest, ipsum ante peccati præuisionem fuisse prædestinatum, cùm nullus etiam hominum ante eiusdem peccati præuisionem fuerit ad vitam æternam prædestinatus.

Posteriore verò loco dicitur idem Christus secundùm humanitatem finis propter quem aliæ res omnes creatæ sunt, habetúrque locus hic primæ ad Corinth. cap. 3. in quo sic Apostolus: *Vos estis Christi, Christus autem Dei*: Verbis istis significans, quòd sicut Deus est finis Christi, seu propter quem voluit Christum, & produxit, ita cæterarum omnium creaturarum Christus finis est, & propter eum volitæ à Deo sunt, & productæ. Cui Apostoli doctrinæ conformis V. ea est quam tradit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. in quo dicitur idem Christus eodem modo spectatus causa finalis nostræ iustificationis: vnde concluditur ipsum non fuisse decretum propter nostram à peccatis iustificationem, tanquam propter finem, sed è contrario hanc propter illum prius à Deo iam volitum: qui proinde venisset, etsi nullum peccatum foret, nec vlla per consequens à peccatis iustificatio.

At quod ad hunc posteriorem locum attinet, nullus hactenus interpretum eum illo quo refertur in obiectione modo exposuit, nec exponi debet, vt euinci potest ex ipsis Apostoli eo loco verbis. Priusquam enim diceret Corinthiis: *Vos estis Christi, Christus autem Dei*, eosdem Corinthios sic alloquutus erat: *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus,* VI. *siue vita, siue mors, sine præsentia, sine futura: omnia enim vestra sunt*, immediate subiungens, *Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Vnde sicut ex illis ad Corinthios præmissis verbis non licet concludere, ipsos esse finem propter quem Paulus, Apollo, Cephas, cæteraque quæ ibi enumerantur creata sunt, priorésque fuisse in decreto ac præscientia Dei his rebus omnibus: ita neque meritò potest colligi ex his quæ subiunxit verbis, *Vos autem Christi*, Christum esse finem propter quem Corinthij creati sunt, húncque in decreto Dei ac præscientia illis fuisse priorem.

Quare loci illius sensus est, vt etiam ex verbis ea quæ retulimus antecedentibus certiùs constat, Corinthios non debere gloriari in hominiVII. bus à quibus de rebus fidei edocti, vel baptizati fuerant, quod tamen faciebant, vno dicente se esse Pauli, alio se esse Cephæ, alio alterius, non debere inquam, cùm omnes Apostoli & Doctores eorum saluti seruire sint parati, sícque ex his omnibus vtilitatem capere possint, imò & ex cæteris rebus, vt vita, morte, præsentibus, futuris: ex quo colligit omnia ipsorum esse, ipsos autem Christi, nempe seruos, spectati quidem secundùm diuinitatem ratione creationis, secundùm autem humanitatem ratione redemptionis: cui propterea subiici & obedire in omnibus debent: Christum autem Dei, scilicet filium facientem omnia secundùm voluntatem eius, vt exponit Diuus Anselmus in eum locum, vel etiam seruum seu subditum ratione humanitatis.

VIII. Quod denique spectat ad Concilij doctrinam illi Apostoli loco adiunctam, & nobis obiectam, Respondeo, falsum esse, citato illo cap. 7. dici Christum secundùm humanitatem, seu Christi Incarnationem esse causam finalem nostræ iustificationis à peccatis, ac proinde redemptionis: solùm enim ibi gloria Christi dicitur causa finalis illius: vnde concludi tantùm potest, illam nostram iustificationem & redemptionem fuisse, non quidem propter Christum incarnandum, sed propter ipsum incarnatum glorificandum:

quod non impedit quo minus ipsius Incarnatio fuerit propter illam ipsam iustificationem tanquam propter finem. Quemadmodum quòd Dux aliquis à Rege missus ad aliquam regni sui vrbem captam ab hostibus recuperandam, sit magnam laudem & gloriam ex vrbis expugnatione consequuturus, hâncque Rex ipsi Duci I. gloriam ex ea in ipsum redundaturam libenter A velit, imò dum eum mittit, proponat vt incitamentum rei bene gerendæ, finémque ac præmium aliquod laborum in expugnanda vrbe subeundorum, & eatenus proinde dicatur gloria Ducis illius esse finis expugnationis vrbis prædictæ, non impedit quo minùs Rex illum Ducem miserit ob hanc vrbem recuperandam, tanquam ob finem, sitque proinde recuperatio huius vrbis causa finalis ob quam à Rege Ducis illius missio decreta & facta est. Ex quo intelligitur, quo sensu & modo gloria Christi dicatur finis nostræ iustificationis ac redemptionis: eodem enim dicitur, quo gloria Ducis illius, expugnationis prædictæ vrbis causa finalis dicitur.

II. SECTIO VIII. B

Soluuntur argumenta contra doctrinam nostram ex ratione petita.

PRIMVM est: si Verbi Incarnatio decreta solùm fuisset in peccati remedium, consequens fore eam non esse bonam nisi occasionaliter, vt loquitur Scotus, qui hoc obiicit, seu occasione peccati, quod indignum tanto mysterio videtur. Respondeo negando consequens: aliud enim est, Incarnationem esse decretam solùm occasione peccati, aliud non esse bonam nisi occasione peccati. Primum siquidem tantùm significat non futuram Incarnationem nisi futurum fuisset peccatum, quod verum est, nec quidquam tanto mysterio indignum continet. Secundum III. verò significat non esse per se bonam, & inde- C pendenter à peccato, sicut medicina non est per se bona, & independenter à morbo, quem sicut essentialiter præsupponit vt sit, ita vt bona sit: sicut etiam pœnitentia non est per se bona, & independenter à peccato, quod item essentialiter præsupponit, vt sit, ac proinde vt bona sit: quod de Incarnatione falsum est, cùm hæc ex essentia sua peccatum non præsupponat, alióque fine fieri ex natura rei possit, quàm in peccati remedium.

Secundum eiusdem Scoti est, Deum velle eo ordine quæ vult, vt primò velit se ipsum, deinde Christum, tum cætera omnia: ergo Christum in decreto ac præscientia Dei esse ante omnes res alias creatas, ac proinde ante Adamum, eiúsque IV. peccatum. Probat antecedens ex eo quòd quæ- D cunque Deus vult, ordinatè vult: quisquis autem aliqua ordinatè vult, priùs vult finem quàm media: ex mediis autem priùs vult ea quæ sunt fini propinquiora. Cùm igitur Deus velit se & gloriam suam, vt finem rerum omnium creatarum, res autem omnes creatas, vt media, priùs volet se, quàm rem vllam creatam: rursus verò cùm ex rebus creatis Christus sit Deo proximus, quia nulla res alia creata tam prope ad Dei perfectionem accedit: Christum priùs volet quàm rem vllam creatam. Respondeo negando antecedens, cuius ad probationem dico, duobus modis aliquod medium dici fini propinquius: vno in perfectione, altero in causalitate: quia nimirum immediatiùs attingit finem, & viciniùs quàm alia media ad illum conducit: ex priori propinquitate putat Scotus assignandum ordinem in volitione diuersorum mediorum ad finem, & V. fallitur: ex sola enim posteriori assignandus est: quia maior aut minor perfectio seu dignitas existens in mediis, nihil facit proprie ad consequutionem finis, sed maior aut minor vtilitas: quæ aliquando maior est in mediis minorem physicè dignitatem & perfectionem habentibus, minor in habentibus maiorem, vt exemplis multis certum est. Quod cùm ita sit, non minor aut maior mediorum dignitas ac perfectio, sed maior aut minor eorumdem ad obtinendum finem vtilitas causa est, ob quam ex diuersis mediis quædam priùs, quædam posteriùs eliguntur.

Et sanè si ex priori propinquitate assignari prædictus ordo deberet, consequens manifestè esset, Deum non potuisse decernere Incarnationem post præuisum peccatum, ac proinde in eius VI. remedium: imò non potuisse non decernere Christum ante res alias creatas, ex hypothesi quòd aliquas vellet producere, cùm non possit nō decernere ordinatè quidquid decernit, Christúsque sit necessariò in perfectione ipsi propinquior qualibet alia re creata, aut creabili, vt constat. Iam verò licet Incarnatio propinquior Deo & fini intento ab ipso Deo in dignitate & perfectione fuerit, non tamen causalitate: immediatiùs enim & viciniùs ad hunc finem conducens fuit liberatio generis humani à seruitute diaboli & peccati, quàm Incarnatio, imò hæc ad illum non nisi per illam conducens fuit: nam cùm videret Deus humanum genus tam miserè lapsum in peccatum, finis eius fuit promouere gloriam suam, non iusta illius condemnatione & punitione, sed misericordi liberatione, tan- VII. quam proximo medio, cuius rei gratia Incarnationem Verbi decreuit, vt ex antedictis satis liquet.

Tertium est, merita quæ Adamus habuit in statu innocentiæ ortum habuisse ex Christi meritis: priora ergo in decreto ac præscientia Dei fuisse merita Christi, & Incarnationem, quàm illa merita Adami: hæc autem priora fuisse peccato, quo se postea totúmque simul humanum genus perdidit: priorem ergo hoc eius peccato fuisse in decreto ac præuisione Dei Christi Incarnationem: ac proinde hunc venturum, etsi nunquam ille peccaturus fuisset. Quòd autem illa Adami merita ex Christi meritis ortum habuerint, probatur ex eo quòd gloria quàm in cœlo Adamus obtinet respondens illis eius meritis, ex Christi meritis ortum habet, cùm Deus VIII. nulli hominum efficaci decreto dare gloriam statuerit, ac reipsa dederit, nisi post præuisa Christi merita: eadem autem est ratio meritorum Adami, quæ gloriæ ipsis in cœlo respondentis.

Respondeo negando antecedens: cuius ad probationem dico, Adamum nullam habere, aut habiturum vnquam fuisse in cœlo gloriam respondentem præcisè meritis illis quæ in statu innocentiæ habuit, seu prout illius status merita fuerunt, cùm in eo non fuerit permansurus,

sed

sed casurus ab eo per mortale peccatum, per quod fuit omnia merita mortificaturus, & reipsa mortificauit: in quo si fuisset perseueraturus, ac proinde gloriam in cœlo suis illis meritis respõdentem habiturus, dicendum consequenter esset, quòd sicut illa merita habuit independenter à Christi meritis, ita & ab iisdem independenter
I. illam gloriam habuisset. Fateor tamen Adamum nunc ex Christi meritis habere in cœlo gloriam respondentem meritis in statu innocentiæ acquisitis, mortificatis per mortale peccatum quod commisit, & reparatis per pœnitentiam, quam de eo egit, & per gratiam quam recuperauit: vnde concludi solùm potest, Christum in decreto & præuisione Dei fuisse priorem illa gloria, reparationéque seu reuiuiscentia meritorum illorum, quibus reparatis respondet, quod vltro concedimus, éstque verissimum.

Quartum est, Adamum in statu innocentiæ adhuc existentem accepisse à Deo reuelationem Christi venturi, vt communiter docent Patres, quorum plerique citantur à Suare in Comment. artic. 3. circa 5. argumentum, & à Gabr. Vasq. disp. 12. cap. 1. Imò eundem Adamum tunc temporis credidisse in Christum venturum, vt &
II. iidem Patres ab iisdem citati docent, & præterea D. Thomas secunda secundæ quæst. 2. art. 7. Ergo Christum in decreto ac præuisione Dei fuisse priorem Adami peccato, ac proinde venturum, etsi hic non fuisset peccaturus. Probatur autem consequentia, tum ex eo quòd cùm ei reuelatus est Christus venturus, simul quoque reuelatus est finis ob quẽ venturus erat, qui dici non potest fuisse redemptio à peccato, alioqui dicendum consequenter esset, Deum Adamo reuelasse futurum vt peccaret, sicque hunc fuisse præscium sui lapsus in peccatum, quod probabile non est: vnde aliquis alius finis assignandus est, ob quem facta esset Incarnatio, etsi nullum peccatum futurum fuisset: tum quia
III. fides illa Christi venturi quam in statu innocentiæ Adamus habuit, fuit ordine rationis posterior Christo venturo, prior autem fuit peccato quod postea commisit: ergo & Christus venturus ordine rationis hoc eodem peccato prior fuit.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam: & ad primam eius probationem dico in primis cum S. Doctore citato sæpius art. 3. ad 5. Deum primo parenti potuisse reuelare Christi Incarnationem, etsi non reuelaret finem ob quem erat facienda, cùm nihil prohibeat cognosci effectum, non cognito proprio & particulari fine ipsius. Dici deinde potest Deum ei quoque reuelasse finẽ ob quem facienda erat Incarnatio, sed in generali, atque ita, vt hinc præscius fieri non posset futuri sui
I. IV. lapsus in peccatum, commisso autem peccato, magis in particulari finem illum declarasse.

Ad secundam verò respondeo, fidem quidem illam Adami posteriorem fuisse ordine rationis Christo venturo, cùm hunc venturum vt obiectum suum respexerit: at illam ipsam fidem, etsi tempore priorem peccato quod postea commisit, ordine tamen rationis ac in decreto & præscientia Dei fuisse hoc ipso peccato posteriorem. Nec refert, quòd prior tempore fuerit: nam & Adami de commisso peccato pœnitentia, & antiquorum Patrum merita priora tempore fuerunt Christi meritis, iisdémque simul ordine rationis, ac in Dei decreto & præuisione posteriora: vnde hoc ordine res se habuerunt in decreto Dei ac præuisione, vt primò prædefiniretur & præuideretur Adamus creandus in iustitia originali: secundò præsciretur A peccaturus: tertiò occasione futuri peccati, & præuisi, atque in eius remedium decerneretur, & præsciretur Christus: quartò idem Christus iam à Deo decretus & præuisus reuelaretur Adamo in statu iustitiæ originalis adhuc existenti, hicque in isto statu existens in ipsum crederet. V.

Etsi autem hæc eius fides Christo venturo posterior ordine rationis, & in decreto ac præuisione Dei fuerit, non est quod propterea quisquam existimet, eam ex illius meritis ortum habuisse: reuera enim non habuit: & ratio est, quòd cùm Christus venerit ob solum finem redemptionis humanæ, vt antè probauimus, hæc autem redemptio morte Christi consummata fuerit, concedendum non est, aliquid fuisse datum
VI. B à Deo hominibus ob Christi merita, quod non fuerit ob meritum mortis eius titulo redemptionis ipsis à Deo datum, seu tanquam donum ac gratia aliqua redemptionis: fides autem illa Adami in statu innocentiæ adhuc existentis dici non debet ipsi à Deo collata ob meritum mortis Christi, titulo redemptionis, seu tanquam aliqua redemptionis gratia: constat enim nullam huiusmodi gratiam, nullúmque donum ei fuisse ob meritum mortis eius, titulo redemptionis à Deo collatum, nisi postquam ab illo innocentiæ statu per mortale peccatum excidit.

DISPVTATIO X.

C *Vtrùm vnio Verbi facta sit in natura?* VII.

SECTIO PRIMA.

Pars negatiua defenditur, & probatur.

QVÆSTIONEM hanc proponit S. Thomas hic art. primo secundæ quæstionis, cuius sensus non est, an per Incarnationem diuina humanaque natura vnitæ fuerint, hoc enim supponitur, cùm Incarnatio facta supponatur, quæ absque naturarum illarum vnione fieri non potuit: sed an ex vnione Verbi diuinæque eius naturæ cum humanitate vnica tantùm natura prodierit? itavt in Verbo in-
VIII. D carnato vnica tantùm natura sit. Negat autem, & verissimè: nam de fide est duas in eo esse naturas integras, inconfusas, & impermixtas, diuinam scilicet & humanam: quod in primis constat ex his omnibus Scripturæ locis, quibus Christus dicitur esse verus homo, & verus Deus: qualis profectò non esset, nisi diuina simul humanaque natura constaret. Deinde quàplurimis ex Conciliis in quibus id definitum est, vt Chalcedon. actione 5. in Symbolo fidei. Quinta Synodo generali can. 2. & 8. in sexta item act. 11. 13. & 18. Concilio Lateran. sub

Martino I. consult. quinta, à can. 4. vsque ad 9. in altero item Lateranensi sub Innocentio III. vt refertur in cap. *Firmiter.* de summa Trinitate, & Fide Catholica, & multis aliis, quæ referunt Vasq. disp. 14. cap. 2. & Suarez disp. 7. sectione 2.

I. Contra quam Catholicam doctrinam errauit Eutyches, agnoscens ante Verbi Incarnationem, vnionemque diuinitatis cum humanitate duas naturas, humanam scilicet, & diuinam: post vnionem autem admittens solùm vnicam in Christo naturam, sicut & personam vnicam, volensque per huius & illius naturæ vnionem, desiisse duas esse naturas, & conflatam fuisse vnicâ, nempe diuinam, quam solam in eo agnoscebat, consequenter Christum secundùm diuinitatem esse passum, & mortuum aiebat: cùm si passus & mortuus est, pati in aliqua sua natura, siue secundùm aliquam suam naturam necessariò debuerit, ac proinde secundùm diuinam, si hanc solam habuit.

II. Cæterùm cùm tribus modis dici possit ex duabus illis naturis vnicam fuisse conflatam, primo per conuersionem vtriusque naturæ in quandam aliam tertiam, eo modo quo ex transmutatione substantiali plurium elementorum mixtum generatur: secundo per conuersionem substantialem naturæ vnius in alteram, humanitatis scilicet in diuinitatem, aut è contrario huius in illam: tertio per compositionem, eo modo quo ex anima & corpore vnitis non transmutatis, sed in suo esse permanentibus fit vnica natura, quæ humanitas dicitur, dubium est, quonam modo prædictus hæreticus ex humanitate & diuinitate vnitis vnicam Christi naturam conflatam esse voluerit.

III. Et quidem certum in primis est noluisse primo modo, cùm in Christo diuinam naturam admiserit, & illam ipsam numero, quæ ante Incarnationem existebat: alioqui si ex humanitate & diuinitate ante Incarnationem existente transmutatis factam fuisse quandam tertiam diuinam naturam voluisset, consequens esset, ipsum admisisse multiplicem numero diuinitatem: vnam quidem transmutationis interitusque capacem: alteram verò ortus, & principij, quæ tam absurda, tamque impossibilia ab ipso fuisse somniata, nullus vnquam Patrum, aut aliorum authorum dixit. Certum deinde est noluisse secundo modo, itavt diuinitas in humanitatem conuersa fuerit, cùm diuinam, vt dixi, in Christo naturam agnouerit: vnde restat, vt tota dubitatio sit, vtrùm vnicam conflari naturam voluerit per conuersionem humanitatis in diuinitatem, an per compositionem ex vtraque, singulis non transmutatis, sed in suo esse permanentibus.

IV. Et quamuis communior videatur esse Theologorum sententia illum hoc voluisse priori modo ex duobus istis, probabilior tamen mihi videtur ea quæ asserit voluisse posteriori, quam amplectitur Vasquez disputat. 14. cap. 1. rectéque probat, primùm ex eo quòd cùm hæreticus ille fateretur, Verbum esse incarnatum, sentire simul necessariò debuit post Incarnationem seu vnionem carnem in Christo mansisse: nam si per vnionem caro consumpta, aut transmutata fuisset, ac in diuinitatem conuersa, dici non posset Verbum incarnatum.

A Secundò eo quòd idem hæreticus dicebat diuinitatem fuisse passam, crucifixam, & sepultam: id autem de diuinitate prout erat in Verbo ante Incarnationem nunquam diceret, nec vlla specie veritatis id ipsum sibi de ea persuaderet, nisi existimaret eam cum vera carne post vnionem extitisse.

V. Tertiò probatur, quia ante vnionē duas dicebat esse naturas, humanā scilicet & diuinam: quod dū dicebat, non erat intelligendus de prioritate durationis realis: nulla enim etiam momentanea dūratione reali extitit humana Christi natura, non vnita Verbo, eiusque diuinitati: nec vllus Eutycheti contrarium errorem tribuit: erat ergo intelligendus de prioritate naturæ, qua volebat humanitatem priùs in rerum natura extitisse, quàm vniretur: cùm autem id quod in rerum natura exiſtit, vno saltem instanti temporis existere debeat, primóque temporis instanti quo fuit in rerum natura Christi humanitas, fuerit vnita Verbo eiúsque diuinitati, necessarium est, vt voluerit illo ipso saltem instanti humanitatem illius simul cum diuinitate cui vnita erat, in rerum natura extitisse, nec proinde illam in hanc fuisse conuersam, cùm id quod in aliud conuertitur, eo momento temporis quo conuertitur non sit in rerū natura, sed intrinsecè esse desinat, fieri autem non possit, vt res aliqua vno eodémque temporis momento sit in rerum natura simul, & non sit. Ex quo concluditur efficaciter, prædictum Eutychetem non existimasse per vnionem naturam vnam fuisse conuersam in alteram, cùm primo illo temporis instanti quo humanitatem existentem admisit, eiusdem quoque cum Verbo, & Verbi diuinitate vnionem admiserit.

B VI. Quartò ex Vigilij Episcopi & Martyris verbis, libro tertio contra Eutychetem, qui liber in tomo quarto Bibliothecæ sacræ reperitur: cuius libri hoc initium est: *Quoniam Eutychiana hæresis in id impietatis prolapsa est errore, vt non solùm Verbi & carnis vnam credat esse naturam, verùm etiam hanc eandem carnem non de sacro Mariæ Virginis corpore assumptam, sed de cœlo dicat, iuxta infandum Valentini, & Marcionis errorem, fuisse deductam,* &c. quibus verbis apertissimè constat Eutychetem in Christo, ac post vnionem, agnouisse carnem humanam, seu humanitatem, quæ carnis nomine passim in Scripturis, Patribus, aliisque authoribus significatur per synecdochen qua pars pro toto ponitur.

C VII. Nec quemquam moueat, quòd multi summi Pontifices, & Patres de Eutychete dicant, ipsum humanam in Christo negasse naturam. Negauit enim, non quòd negarit in eo veram carnem, & animā rationalem carni vnitā, quæ est vera humanitas: sed quia voluit humanitatem, cùm ad vnionem cum diuinitate Verbi venisset, fecisse cum ea quandam vnius naturæ compositionem: post hanc autem compositionē naturæ nomen & rationem amisisse, non quòd in diuinitatem conuersa fuerit, sed quòd in huiusmodi cōpositione, naturæ nomen & rationem retinere nō potuerit, vtpote diuinitate longè inferior. Nec magis quisquam moueatur videns eosdē Patres sæpe contra illum disputantes hoc absurdum inferre, nimirū si in Christo vnica tantùm post vnionem mansit natura, humanam desiisse, & esse conuersam in

D VIII.

diuinam: hoc enim rectè intulerunt, licet ipse non assereret: intulerunt autem rectè, eo quòd ex humana diuináque naturis suum esse retinentibus, vt pote naturis integris & totalibus, vna conflari natura non potuit: vnde si vnica mansit in Christo natura, dicendum necessariò est alteram duarum illarum desiisse, & conuersam esse in alteram, non diuinam, cùm hæc desinere non possit, igitur humanam. I. A

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contraria.

AT iam pro Eutychete obiicitur primò, Ioan. cap. 1. dici Verbum factum carnem, sicut cap. 4. dicitur in nuptiis aqua vinum facta: sicut etiam panis in Eucharistia dicitur fieri corpus Christi: aquam autem vinum factam per conuersionem in ipsum, & panem fieri Christi corpus, per suam item in ipsum conuersionem. Verùm hinc si quid colligi potest, est, Verbum carnem factum, in carnem fuisse conuersum, quod nunquam asseruit Eutyches. Deinde dico, cùm à Scriptura dicitur vnum fieri aliud, non semper significari conuersionem vnius in alterum, sed aliquando solam vnius ad alterum accessionem absque prioris desitione vel interitu: vt cùm Christus ad Galat. 4. dicitur esse factus pro nobis maledictum, & ad Hebr. 7. factus Pontifex. Atque hoc modo intelligendum est, quod ex cap. 1. Ioannis relatum est, vt constat ex certissima fidei doctrina, quæ est Christum esse simul verum Deum, & hominem, qualis non esset, nisi vera diuinitate simul & humanitate constaret. II. B

Obiiciuntur secundo hæc Athanasij verba in Symbolo: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Ex quibus licet colligere vnam in Christo post vnionem mansisse naturam: anima enim & corpus vnam hominis naturam efficiunt: ergo similiter Deus & homo, seu diuinitas & humanitas vnam Christi naturam constituent. Vera responsio est, sanctum Athanasium, aliósque Patres prædicto exemplo vtentes, non comparare compositionem humanæ naturæ ex anima & corpore, cum compositione suppositi Christi ex diuinitate & humanitate, sed comparare compositionem suppositi humani ex anima & corpore, cum compositione suppositi Christi ex diuinitate & humanitate: sensúmque proinde esse, quòd sicut humanum supppositum licet numero vnicum coalescit tamen & componitur ex duabus rebus tam inter se differentibus, corpore scilicet & anima rationali, ita vnicum Christi suppositum ex diuina simul & humana natura: nec incredibile videri debere, quòd per absolutam Dei potentiam ex his duabus naturis tam inter se distantibus componi dicatur vnica Christi persona, cùm naturaliter ex anima rationali & corpore, quæ sunt duæ res tam natura dissimiles, vnica hominis persona componatur. III. C

Obiiciuntur tertiò duo sancti Cyrilli Alexand. testimonia. Primum epistola secunda, ad Successum, in qua ait, non oportere duas intelligere naturas, sed vnam naturam Verbi Dei incarnatam. Secundum libro primo de fide ad Reginas, columna circiter quinta, in qua refert ex S. Athanasio verba hæc: *Confitemur etiam Christum esse Filium Dei, & Deum, secundùm spiritum, & filium hominis secundùm carnem, non duas naturas, vnum filium.* Ad primum respondeo, S. illum Patrem non negare absolutè duas in Christo naturas, sed negare duas incarnatas: nec simpliciter vnam admittere in eo naturam, sed vnam tantùm incarnatam admittere: quod verissimè admittit, solum enim diuinitas incarnata est, seu carni vnita. Cæterum cùm diuinitatem in eo fatetur vnitam carni, duas in ipso confitetur naturas, diuinitatis vnam, carnis seu humanitatis alteram. Nam vt optimè Martinus Papa in supracitato Concilio Lateran. & huius Concilij Patres consult. 5. can. 5. *per hoc quod vna Verbi Dei natura incarnata dicitur, nostra substantia perfectè in Christo esse & indiminutè significatur.* V. VI.

Ad secundum dico, cùm idem sanctus Pater verbis ex ipso relatis quæ nobis obiiciuntur, hæc immediatè subiungat, *Vnam quæ adoratur, & alteram quæ non adoratur, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorabilem cum carne sua vna adoratione*: euidens esse, ab ipso non negari simpliciter & absolutè duas in Christo naturas, sed hoc tantùm modo negari duas, vt vna sit quæ cultu latriæ coli & adorari debeat, altera quæ hac adoratione non debeat adorari: admittit ergo simpliciter duas in Christo naturas, diuinam scilicet, & humanam, cùm admittat expressè vnam Verbi Dei naturam incarnatam, ac proinde diuinitatem, & carnem, seu humanitatem: sed hanc etiam vult esse adoratione latriæ adorabilem, non quidem per se solitariè, ac seorsim à diuinitate cui vnita est spectatam, sed prout cum illa coniunctam, & consideratam: quod verissimum est, vt ex dicendis ad quæst. 25. certiùs constabit. VII.

Obiicitur quartò D. Damascenus, suæ Dialecticæ caput 65. & vltimum sic inchoans: *Illud scire attinet, hypostaticam vnionem vnam rerum coniunctarum compositam naturam efficere.* Verùm in Græco pro natura ponit Damascenus ὑπόστασιν: hæc autem Græca vox, licet aliquando naturam significet, hìc tamen personam significat, vt manifestè indicant verba hæc immediatè sequentia, *Naturas eas quæ ad vnionem conuenerunt, earúmque differentiam, ac naturales proprietates confusionis omnis ac mutationis expertes in se retinentem*: quæ verba de hypostasi seu persona naturas illas in se retinente optimè verissimèque dicuntur, malè autem & falsò de vna natura dicerentur: quæ si vna esset, duas in se naturas non retineret, alioqui non vna, sed multiplex natura esset. Vnde Faber hunc Damasceni locum transferens non posuit naturam, sed hypostasim: malè autem Billius naturam posuit. Quare sensus est, Christi personam seu hypostasim compositam esse, quod verissimum esse ex disput. 12. constabit. IV. D VIII.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm vnio Verbi facta sit in persona?

I. A QVÆSTIONEM hanc proponit D. Thom. artic. 2. citatæ secundæ quæstionis, ad quam affirmatiuè respondet, id est, ex Verbi cum humana natura vnione non prodiisse nisi vnicam numero personam. Quæ Catholica doctrina multis in Conciliis definita est, vt in Ephesino primo, in Chalcedon. act. 5. in qua recipiuntur canones illius Ephesini Concilij: in quinta Synodo generali, & in Concil. Lateran. sub Martino primo, can. 2. Constat item ex illis omnibus Scripturæ locis, quibus, sicut & in Symbolo tam Apostolico quàm Nicæno, de illo ipso homine, cui Iesus Christus nomen est, dicitur illum esse Deum: & viciſsim de hoc ipso Deo asseritur ipsum esse hominem: quæ prædicationes vt veræ sint, necessarium est, vnam eandémque esse Dei & hominis personam. Etenim nomina substantialia, id est, significantia per modum subsistentis, qualia sunt, Deus, & homo, non possunt de se inuicem verè enuntiari, dicendo Deus est homo, homo est Deus, nisi inter eorum significata sit identitas aliqua substantialis, quæ cùm non sit naturæ, nec esse possit, quia nec diuinitas eadem natura esse potest cum humanitate, nec humanitas eadem natura esse cum diuinitate, restat vt personæ sit.

II. B Contra hanc Catholicam doctrinam errauit Nestorius, ita duas agnoscens in Christo naturas, vt simul duas poneret personas, vnam Dei, alteram hominis, dicénsque consequenter, in Incarnatione nullam interuenire substantialẽ vnionem Verbi cum humanitate, sed tantum accidentalem: quam aiebat consistere in concordia voluntatum hominis & Dei: in communicatione quoque operationum, quòd nimirum persona Dei vteretur persona hominis, tanquam instrumento: denique in eo quòd persona Christi hominis esset veluti templum personæ Verbi: ex quo colligebat Christum hominem non esse propriè Deum, sed Deiferum, nec B. Virginem dicendam esse matrem Dei, sed Christi hominis Deiferi: quamquam quia Christi nomine significari dicebat vtramque hominis & Dei Verbi personam, concedebat Christum esse propriè Deum, negans autem semper illam ipsam personam quæ erat homo, Deum esse, aut illam quæ erat Deus, esse hominem: qui hæreticus hac sua doctrina faciebat consequenter non modo

III. C

IV. Filium, sed etiam Patrem, ac Spiritum sanctum Incarnatos, nec minus immediatè, quàm Filium, D quandoquidem huius vnionem cum carne seu humanitate faciebat tantùm accidentalem consistentem in donis gratiæ, similibúsque antea relatis, hæc autem non magis à Filio in humanitatem deriuentur, quàm à Patre, & Spiritu sancto, nec minùs immediatè ab his, quàm ab illo.

At pro Nestorio obiiciuntur in primis duo Scripturæ testimonia. Primum Ioan. cap. 2. vbi sic Iudæis Christus, *Soluite templum hoc*: quibus verbis Theodoretus initio Nestorianæ fautor hæresis, sed eiusdem postea desertor, & aduersarius, significari dicebat Christum hominem esse templum Verbi diuini, quasi persona Verbi in Christo de persona hominis diceret, *Soluite templum hoc*. Secundum ad Philipp. cap. 2. in quo sic Apostolus de Filio Dei loquitur, *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: quibus item verbis idem Theodoretus dicebat significari Verbum non esse factum hominem, sed induisse hominem, tanquam extrinsecùs adiacens vestimentum, ac proinde sicut est aliud suppositũ hominis, aliud vestimenti quod ab homine induitur, ita in Christo distinctum esse suppositum Verbi, & suppositum hominis. V.

Sed ad primum respondeo, templi nomine significari solam humanitatem, quæ cùm à diuinitate, personaque Verbi re differat, recte dici potest templum diuinitatis, Verbique diuini, eo modo quo sancti Petrus & Paulus secundæ Petri, 1. & 2. Corint. 5. corpora sua vocant *tabernacula*, & *domos* animarum suarũm. Ad secundum, nego illum esse sensum loci illius, sed Apostolum illo loquendi modo vel significare solũ voluisse, Verbum diuinum absque vlla sui mutatione assumpsisse humanitatẽ in vnitatem personæ, perinde atque nos immutati nouas vestes induimus: vel simpliciter factum esse hominem nobis in natura prorsus similem: vel certè Christum fuisse quoad speciem & figuram externam nobis omnino similem, hoc est, purum hominem, sicut & nos sumus, cùm reipsa tamen Deus simul & homo esset. VI.

Obiiciuntur secundò Patres aliqui dicentes Verbum per Incarnationem assumpsisse hominem, seu vnitum fuisse homini: homo autem non puram humanam naturam, sed personam significat. Vnde concludi tur, personam Verbi assumpsisse personam hominis, sicque Christum constantem persona assumente, & persona assumpta, duplicem illam includere in se personam, vnam Dei, alteram hominis. Sed respondeo Patres illos vsurpasse nomen concretum pro abstracto, hominem pro humanitate, quę humanitas solam naturam significat, quã & solam Verbum assumpsit. VII.

Obiicitur tertiò, si ille ipse qui homo est, Deus est, consequens necessariò futurum, vt B. Virgo, quæ mater illius hominis est, mater quoque Dei sit: rectè enim concluditur, Mater est illius hominis: ille homo Deus est: ergo Mater Dei est: atqui hoc consequens non esse admittendũ: quia cùm non modo Verbum, sed etiam Pater, & Spiritus sanctus sit Deus, si Mater Dei esset, tam verè diceretur Mater Patris, & Spiritus sancti, quàm Verbi. Respondeo negando Minorem, cuius ad probationem dico, B. Virginem non dici Matrem Dei, nisi ratione vnius personæ diuinæ cuius Mater est, & quæ persona Deus est: vnde similiter cùm Deus dicatur natus de Virgine, hoc autem de Deo non affirmetur nisi ratione vnius diuinæ personæ quæ nata de Virgine est, & quæ persona Deus est, fit vt natus de Virgine, de Patre, & Spiritu sancto prædicari verè non possit, etiamsi vterque Deus sit. Quando enim aliqua de Deo dicuntur ratione vnius personæ diuinæ, dici de tota Trinitate nequeunt: vt quia generare de Deo dicitur, non dicitur autem nisi ratione Patris qui generat, propterea generare de Filio, & Spiritu sancto dici non potest, licet VIII.

hic & ille tam Deus sit, quàm Pater. Sic Apostolus Actorum 20. monens Episcopos *regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, dixit Deum Ecclesiam suo sanguine acquisiuisse: sed quia hoc de Deo non dicitur, nisi ratione personæ Filij, propterea nec Pater, nec Spiritus sanctus Ecclesiam acquisiuisse sanguine suo verè dici potest.

I. A

Ex dictis patet veritas doctrinæ quam tradit D. Thomas art. 3. citatæ quæst. 2. nempe vnionem Verbi factam esse in hypostasi seu supposito, eodem prorsus sensu quo factam esse in persona diximus, & probauimus. Et sanè cùm hypostasis seu suppositum in natura intellectuali, qualis est tam humana quã diuina, idem omnino sit quòd persona, solúmque hæc inter se differant, in eo quod suppositum & hypostasis dicuntur de omnibus per se subsistentibus, persona de solis intelligentibus, profecto quibus Scripturarum testimoniis, Conciliorum definitionibns, & argumentis constat vnicam esse in Christo personam, iisdem quoque constat, vnicam in eo esse hypostasim, vnicum suppositum.

II. B

Neque vero hinc cuiquam videri debet S. Doctorem superflue probasse hoc artic. 3. vnionem Verbi factam esse in hypostasi, seu supposito, id est, ex vnione vnicum prodiisse Christi suppositum, seu hypostasim, cùm superiore probasset factam esse in persona, seu vnicam ex vnione prodiisse Christi personam: id enim fecit vt refelleret quosdam hæreticos, qui reuera idem cum Nestorio sentiebant, sed vt errorem suum tegerent, aiebant in Christo esse quidem vnicam personã, quia personæ nomen volebant esse nomen dignitatis, quam sicut vnam in Christo saltem infinitam, nempe diuinitatis, agnoscebant, sic personam vnicam, sed hypostases duas, seu duo suppositа, vnum hominis, alterum Dei: quod reipsa erat admittere duas in eo personas, vnam Dei, alteram hominis, cùm, vt dixi, suppositum & hypostasis in natura intellectuali idem omnino reipsa quod persona sit.

III. C

DISPVTATIO XII.

Vtrùm hypostasis seu persona Christi composita sit?

QVÆRIT hoc ipsum D. Thom. art. 4. secundæ quæstionis: respondet autem duplici conclusione., quarum prior est, si persona Christi spectetur secundùm se, eam non esse compositam, sed simplicissimam: quod verum est, cùm persona Christi eadem numero persona sit cum persona Verbi, Verbi autem persona, vt persona sit, nihil aliud in se habeat, aut habere postulet, quàm diuinitatem, & personalitatem, siue subsistentiam, & inter hanc & illam nulla sit à parte rei distinctio, sed summa identitas, nec vlla proinde à parte rei compositio, quæ esse non potest nisi inter ea quorum vnum non est à parte rei aliud.

IV. D

Posterior est, si eadem Christi persona spectetur secundùm rationem hypostasis, id est, secundùm rationem subsistendi in aliqua natura, seu terminandi naturam aliquam, illam esse compositam: quod verissimum quoque est, vt mox patebit, siue consideretur persona Christi vt subsistens in humana natura, non considerata etiam diuina in qua pariter subsistit: siue consideretur vt tam in hac, quàm in illa pariter subsistens.

Et sane licet multi veteres Theologi personam Christi spectatam etiam secundum rationem hypostasis, eo sensu quo iam explicatum est, cõpositam dicere recusarint, perperam tamen, cum & ex Conciliis, & Patribus, & ratione constet esse sentiendum, dicendumq. eam esse compositam. Et quidem quod ad Concilia attinet, quintum generale Concilium Constantinopoli celebratum can. 4. *Ecclesia*, inquit, *vnitionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, id est, secundum subsistentiam*: pro eodémque proinde reputat fieri vnionem in hypostasi, & secundùm compositionem, præmiserãtque verbis his anathema illis, *qui non confitentur vnitatem Verbi Dei ad carnem animatam anima rationabili & intellectuali, secundùm compositionem, siue secundùm subsistentiam factam esse, sicut Sancti Patres docuerunt: & ideo eius vnam subsistentiam compositam, qui est dominus noster Iesus Christus, vna de Trinitate persona.* Et can. 7. eiusdem Concilij, Christus dicitur compositus ex duabus naturis. Sextum autẽ generale Concilium passim, actione autem 11. præsertim dicit personam Christi compositam, quod & definit act. 13. can. 6. multóque antea fuisse definitum testatur Petrus Diaconus lib. de gratia, & Incarnat. Christi cap. 3. referens Paulum Samosatenum in Antiocheno Concilio fuisse damnatum, quòd nollet in persona Christi compositionem de qua hîc loquimur admittere. Quod verò spectat ad Patres, Christi personam compositam dixerunt. Dion. Areop. cap. 1. diu. Nom. ante medium, & de Eccles. Hierar. cap. 3. parte 3. non procul à fine, Damasc. lib. 3 de fide cap. 14. & 17. Greg. Magnus hom. 38. in Euang. Petrus Diaconus lib. de Incarnat. & gratia cap. 3. præterea quotquot dixêre Christum ex duabus naturis subsistere, particula *ex*, locis quibus ita loquuti sunt, tam compositionem denotante, quàm in Symbolo Athan. sic de Christo dicentis, *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*, eadem particula *ex* denotat compositionem humanitatis ex anima & corpore.

V.

Quoad rationem denique, ea cuinci facile potest Christi personam esse compositam. Etenim Christus proprie vnus est, vt de fide est, & prædicto Symbolo sæpius expresse asseritur, & nihilominus habet in se plura actu distincta quibus constat: ergo est proprie compositus: ad essentiã enim cõpositi vniuersim nihil ampliùs exigi potest, quàm vt sit vnum resultans ex vnione pluriũ à parte rei diuersorum. Et sanè cùm quidquid vnum est, aut sit simplex, aut compositum, persona autem Christi vna sit, nec sit simplex, vtpote constans multis à parte rei distinctis, restat, vt composita sit.

VI.

Porro componitur in primis ex humanitate & personalitate: inter hæc enim reipsa distincta intercedit vnio, ac proinde compositio, qua quid vnum resultat, & componitur. Deinde componitur ex humanitate & diuinitate, inter quas item reipsa distinctas intercedit vnio: vnitæ sunt enim eo ipso quo eadem personalitate Verbi subsistunt, & terminantur, & veluti

VII.

VIII.

communi termino copulantur. Sed inter hanc & illam compositionem hoc est discrimen, quod prior illa immediata est, posterior ista est mediata: humanitas enim vnitur immediatè personalitati Verbi, ac proinde immediatè cum ea compositionem facit, hac autem mediante vnione, & compositione fit, vt diuinæ naturæ vniatur, cum eaque proinde compositionem faciat.

I. A

Aduerte autem, cùm ex vnione humanitatis vel cum personalitate, vel cum diuinitate, resultare ac fieri vnicam Christi personam compositam dicimus, nos non dicere, fieri aut resultare aliam personam ab ea quæ ante Incarnationem erat, sed solùm dicere, illam ipsam numero personam quæ ante Incarnationem erat simplex, & non composita, per Incarnationem fieri compositam: qualis vt fiat, satis est vt subsistat in humana natura, cùm in ea antea non subsisteret.

V.

At obiicies, si Christus esset aliquod compositum, esset totum quoddam, constaretque proinde aliquibus partibus: at Christus non est huiusmodi: quamuis enim eius humanitati non repugnet ratio partis, repugnat tamen tum personalitati Verbi, tum ipsius diuinitati: quia partem esse, aliquid imperfectum est, cùm pars vt pars natura sua ordinetur ad totum perficiendum, quod proinde qualibet sua parte perfectius est. Responderi posset concedendo Christum compositum esse ex humanitate & diuinitate: ex illa item & personalitate, tanquam ex partibus, negaríque proinde de ratione partis in genere esse, ordinari natura sua ad constituendum aliquod totum ipsa parte intensiuè perfectius, seu quamlibet in genere partem esse toto quod constituit intensiuè minùs perfectam: multi enim antiquitus Christum ex his rebus compositum tanquam ex partibus dixerunt: & quidem Nicetas in secundam Nazianzeni orationem in Pascha, quæ est 42. diuinitatem partem appellat, num. 26. ad hæc illius verba, *Proinde agnus quidem*, sic loquens: *quin etiam humanitas diuinitate peruncta, id facta est, quod ea pars à qua peruncta est: hoc est, diuinitatis socia.* Iustinianus quoque Imperator in Confessione rectæ fidei, cuius initium est, *scientes quod nihil aliud*, quæ extat Græcè & Latinè post V. Synodum generalem tomo 2. Concil. parte 2. columna 2. dum sic scribit. *Cùm enim compositionem dicamus in Christo, necesse est confiteri, & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci: neque enim diuina natura in humanam transmutata est, nec humana in diuinã conuersa est.* Verbis his manifestè significans diuinitatem & humanitatem esse partes ex quibus Christus componitur, cùm ideo dicat esse compositum ex partibus, quòd neutra naturarum istarum in alteram versa sit, sed vtraque in illo, in proprio suo esse permaneat.

II. B

III. C

IV.

Licet autem sic responderi possit, meliùs tamen negatur Christum esse totum aliquod, componique ex partibus, licet sit aliquod compositum: neque enim necesse est omne compositum esse compositum ex partibus, sed ex componentibus: pars autem & componens non sunt omnino idem: & quamuis omnis pars sit componens, sicut omne totum est compositum, non tamen vice versa omne componens est pars, vt nec omne compositum est totum. Ad compositum enim sufficit vt sit quid vnum constans pluribus, & ad componens, vt sit ens cum alio ente componente constituens aliquid vnum: ad totum autem propriè loquendo requiritur, vt sit quid vnum ex partibus, id est, ex pluribus non quibuscũque, sed talibus, vt eorũ quodlibet sit natura sua ordinatum ad totum aliquod constituendum, tanquam ens imperfectum ad perfectum aliquid efficiendum, & quod proinde singulis iis quibus constituitur sit perfectius. Quare cùm diuinitas Verbi eiúsque personalitas essentia sua non ordinetur ad Christum componendum, licet illum apta sit componere, & quamuis ordinaretur, minimè tamen ordinari posset ad eum componendum, tanquam ens imperfectum ad perfectum, & perfectius aliquid constituendum, non est dicenda Christi pars, sed tantùm componens.

Instabis primò, omne compositũ debere etiam esse componentibus perfectius: atqui Christum non esse perfectiorem diuinitate, quæ vnum ex componentibus esse dicitur. Sed vniuersim falsa est Maior, quandoquidem ad componens nihil aliud vniuersim exigitur, quàm id quod proximè antè dixi, aliquod autem eiusmodi ens possit esse infinitè perfectum, imò omnem omnino possibilem continere in se vel formaliter vel eminenter perfectionem, ac proinde esse æquè perfectum, atque compositum quod constituit.

VI.

Instabis secundò, compositionem fieri solùm posse ex pluribus entibus habentibus inuicem naturalem inclinationem ad aliquid vnum constituendum: inter humanitatem autem & diuinitatem, aut etiam Verbi personalitatem, non esse hanc naturalem inuicem inclinationem ad Christum constituendum. Sed rursum Maior falsa est, quæ vera vt summum est in iis solis quæ naturaliter ad alicuius entis naturalem constitutionem conueniunt: quando autem compositio constitutióque supernaturalis est, vt haud dubiè Christi est, necesse non est vt in quolibet componentium sit ad eam inclinatio, aut etiam aptitudo naturalis, sed sufficit vt plura simul conueniant, conuentúque suo vnum aliquid tertium constituant: quod faciunt humanitas & diuinitas, respectu Christi, vt constat.

VII.

DISPVTATIO XIII.

De vnione hypostatica, quid, & qualis sit?

SECTIO PRIMA.

Vtrum hæc vnio sit aliquid ab extremis per eam vnitis reipsa distinctum?

VIII. D

PRIMA sententia negat, asserens extrema quæ per eam vniuntur, suntque humanitas & Verbi personalitas, atque adeo ipsa Verbi persona, vniri seipsis immediatè. Duplex autem est huius sententiæ defendendæ modus. Primus ita nouus & à tam paucis annis in Scholis auditus, vt ne recentissimi quidem Scriptores Suarez, Vasquez & alij vllam

eius mentionem faciant. Eius autem defensores, qui paucissimi sunt, aiunt vnionem hypostaticā qua humanitas Christi personæ Verbi vnitur, esse ipsam humanitatis huius differentiam numericam, humanitatémque hanc per differentiam suam indiuiduantem esse determinatam ad sub-
I. sistendum per subsistentiam seu personalitatem A Verbi diuini, nec minus determinatam, quàm determinetur ad hoc ipsum per vnionem hypostaticam ipsi superadditam, in sententia eorum qui superadditam volunt.

Refellitur, eo quod quamplurima ex ea sequuntur, quæ omnia communi Theologorum sensui & doctrinæ repugnant: imo etiam Patrum, si non omnia, saltem multa. Ac in primis sequitur humanitatem Christi nō potuisse etiam per absolutam Dei potentiam in rerum natura existere, quin existeret hypostaticè vnita Verbo: non enim potuit existere, quin existeret cum numerica sua differentia, hanc autem differentiam habere non potuit, quin per Verbum subsisteret, cùm per eam determinetur ad subsistendum per illud, vt dictum est.

II. Sequitur secundò, humanitatem assumptam à Verbo dimitti non potuisse, per absolutam etiam potentiam, quin illa substantialiter in rerum natura esse desineret: vt enim à Verbo dimitteretur, seu quod idem est, vt per Verbum non ampliùs subsisteret, necessariùm prorsus esset, vt eius numerica differentia in rerum natura desineret esse, & per consequens ipsa indiuidua & singularis humanitas: quandiu enim illa eius differentia existeret, tandiu per Verbum subsisteret, cùm per eam determinetur ad subsistendum per illud, eo modo quo explicatum est.

III. Sequitur tertiò, propriam ac connaturalem alicuius creaturæ subsistentiam esse ipsam diuinam Verbi subsistentiam, hancque non soli isti personæ, sed etiam alicui creaturæ propriam & connaturalem esse: quid enim magis proprium nobis ac connaturale, quàm id quod ex indiuiduæ naturæ nostræ principiis intrinsecis conuenit nobis, & ad quod habēdum ex iisdem principiis determinati sumus? At natura illa singularis quæ à Verbo, aut alia diuina persona assumetur ad vnionem hypostaticam, erit ex differentia sua numerica, atque adeo ex intrinsecis indiuiduæ suæ naturæ principiis, ad habendam diuinam subsistentiam per quam subsistat determinata, hæcque ei ex iisdem principiis necessariò conueniet, nec minùs quàm nostra nobis ex naturæ nostræ principiis conueniat, aut quam ad eam habendam ex iisdem principiis determinati simus.

IV. Sequitur quartò, humanitatem Christi, & quamcunque aliam naturam substantialem, quæ ad hypostaticam vnionem à persona aliqua diuina assumeretur, nulla propterea careret sua propria sibique connaturali subsistentia: nullam enim aliam sibi propriam & connaturalem habere posset, præter diuinam qua non careret, quandoquidem ex numerica sua differentia determinata esset ad subsistendum per eam, nec vllam proinde aliam tanquam sibi propriam & connaturalem habere posset, aut postularet. Quàm autem sit Conciliis, Patribus, Theologisque repugnans dicere, humanitatem Christi assumptam à Verbo, similitérque quamcunque aliam ab aliqua diuina persona assumptam, non carere propterea aliqua propria connaturalique sibi subsistentia, constabit ex iis quæ dicemus ad artic. 2. quæstionis quartæ, vbi videbimus eos, ex eo quod Christi humanitas per Verbum subsistat, inferentes ipsam carere creata, sibíque propria subsistentia, disputantésque num eadem ipsa potuerit subsistere simul per vtramque subsistentiam, per increatam scilicet Verbi diuini, & per creatam sibi propriam ac connaturalem, qua reipsa destituitur. V.

Sequitur quintò, nullam ex naturis vel humanis, vel Angelicis, vel aliis hactenus productis assumi per absolutam Dei potentiam potuisse ad vnionem hypostaticam cum persona diuina: si quæ enim potuisset, illa fuisset ex differentia sua numerica ad subsistendum per propriam alicuius diuinæ personæ subsistentiam determinata, nulla autem determinata per eam ad hoc fuit: nam si aliqua fuisset, dum reipsa existebat, reipsa quoque per diuinam subsistentiam substitisset, vt nunc reipsa subsistit existens
B Christi humanitas, eo quod ad hoc ex differentia VI. sua numerica determinata est, iuxta opinionem quam impugnamus.

Sequitur sextò, Christi humanitatem assumi non potuisse à Patre, & Spiritu sancto: si enim potuisset, ab iis de facto nunc assumpta esset, per eorúmque subsistentias subsisteret: non enim potuit assumi, nisi ex differentia sua numerica determinata esset ad subsistendum per proprias eorum subsistentias: ad hoc autem determinata ex illa sua differentia non est, alioqui nunc per eas subsisteret.

Sequitur septimò, ex omnibus possibilibus naturis humanis & Angelicis, aliísque specificis quæ assumi ad vnionem hypostaticam possunt, esse possibiles aliquas indiuiduas, quæ assumi ad hanc vnionem ab vlla persona diuina nequeunt,
C sicut & eæ quæ hactenus productæ sunt, nec as- VII. sumptæ sunt, eo quod illæ, sicut & istæ talem differentiam numericam non habent, vt per eam determinentur ad subsistendum per alicuius diuinæ personæ subsistentiam: esse autem aliquas alias eiusdem speciei quæ assumi a solo Patre possunt: quasdam alias quæ à solo Spiritu sancto: quasdam quæ a tribus diuinis personis simul: quasdam quæ non nisi à duabus: quæ omnia gratis finguntur, necessariò tamen sententiam quam impugnamus sequuntur: si enim possibilis est aliqua singularis humanitas, Christi videlicet, quæ ex numerica sua differentia determinata sit ad subsistendum per subsistētiam Verbi solius, cur pari iure non erit possibilis singularis aliqua natura, vel humana, vel Angelica, vel ex aliis speciebus quæ assumi à Deo hypostaticè possunt, quæ ex differentia sua numerica sit de-
D terminata ad subsistendum per solius Patris sub- VIII. sistentiam? alia quæ per solius Spiritus sancti? alia quæ per vtriusque simul? alia quæ per Patris ac Filij solùm? alia quæ per Filij ac Spiritus sancti tantummodo? alia denique quæ per trium diuinarum personarum simul?

Sequitur octauò, dari multas naturas intellectuales ex se suáque natura impeccabiles, nimirum eas omnes quæ assumi hypostaticè possunt ab aliqua persona diuina: quæ enim naturæ sunt ex differentia sua indiuiduante impeccabiles,

profectò sunt impeccabiles ex se suáque natura, cum differentia indiuiduans de earum singulari natura sit: omnes autem illæ creaturæ erunt ex differentia sua indiuiduante impeccabiles, quia erunt ex hac sua differentia determinatæ ad subsistendum in Deo, itavt in rerum natura existere nequeant, quin in ipso subsistant, ac per consequens determinatæ ad non peccandum, itavt peccare nullo modo valeant, cùm creatura subsistens in Deo, seu vnita ipsi hypostaticè, quandiu sic vnita est, sit prorsus impeccabilis, vt de humanitate Christi subsistente in Verbo, infrà ad quæst. 15. probabimus: quàm autem falsum sit dari posse creaturam aliquam intellectualem ex se, suáque natura impeccabilem, in Tractatu de Angelis disputat. 42. tum ratione, tum Patrum authoritate ostendimus.

I.

Respondent aduersarij, Patres solùm asseruisse, nullam esse possibilem speciem creaturæ intellectualis, quæ sit ex se suáque natura specifica impeccabilis, cuiusmodi si daretur aliqua, nullum dari posset eius indiuiduum, quod ex se non esset impeccabile: non negare autem, dari posse naturam aliquam, quæ licet ex specie sua non habeat impeccabilitatem, ex differentia tamen numerica sit impeccabilis. Verùm hæc responsio eorundem Patrum verbis & doctrinæ manifestè repugnat, vt patebit ipsorum verba legenti, quæ citato loco retulimus. Vbi tres in classes ipsos distribuimus, quorum in prima reposuimus eos qui expresè affirmant, solius Dei proprium esse, non posse peccare. In secunda illos qui dicunt, nulli creaturæ, nisi per diuinam gratiam conuenire, vt peccare non possit, & quod est manifestè consequens, nullam ex se posse esse impeccabilem. In tertia denique eos qui asserunt, & homines, & Angelos peccare potuisse, quòd creaturæ sint, & de nihilo prodierint: ex quibus tam certum clarumque est ipsos existimasse, nullam dari posse creatam naturam intellectualem ex se, seu ex differentia sua indiuiduante impeccabilem, quàm indubitatum perspicuúmque est, quamlibet indiuiduam creatam naturam non esse Deum, esse creaturam aliquam, & quæ de nihilo prodierit.

II.

III.

Sequitur nonò, Incarnationem non esse aliam actionem, quam illam ipsam, qua producitur in rerum natura Christi humanitas, aut quæuis alia quæ à Deo hypostaticè assumetur. Cùm enim natura quæ sic assumitur sit ex indiuiduante sua differentia determinata ad subsistendum in Deo, itavt existere in rerum natura nequeat, quin vi illius suæ differentiæ sit formaliter ipsi vnita hypostaticè, per ipsúmque subsistens, nulla alia actio ad mysterium hypostaticæ cum Deo vnionis perficiendum necessaria est, quàm ea ipsa, quæ est productio substantialis illius naturæ quæ assumi dicitur: eo enim ipso quo intelligetur hæc actio, & alia omnis excludetur, intelliget actu existens substantialis illa natura, & in Deo subsistens, sícque perfectum mysterium hypostaticæ vnionis. Consequens autem illud falsum esse constabit ex sectione sequenti, in qua impugnabimus eos, qui dicunt humanitatem Christi per illam ipsam actionem vnitam fuisse hypostatice Verbo diuino, per quam substantialiter in rerum natura producta est.

IV.

Atque cùm primi illius modi defensores contra quos hactenus egimus, idem de Christi anima rationali sentiant, quod de eius humanitate composita ex anima & corpore, nimirum animam illam (quæ haud dubiè fuit à Verbo assumpta non secus ac humanitas, & in triduo mortis Christi separata à corpore, manfit vnita eidem Verbo hypostaticè) fuisse ex numerica sua differentia determinatam ad subsistendum in Verbo, itavt in rerum natura existere non potuerit, quin per ipsum subsisteret, aduerte, nouem illa quæ intulimus contra doctrinam ab illis traditam de humanitate determinata ex differentia sua numerica ad subsistendum in Verbo, inferri pariter posse contra doctrinam quam tradunt de illa anima rationali, ad idem determinata ex differentia sua indiuiduante, dicendo de anima quæ de humanitate antè diximus.

A

V.

Venio iam ad secundum primæ sententiæ defendendæ modum, qui est Gregor. Arimin. in 1. dist. 28. quæst. 2. in respons. ad 17. & 18. argumentum, & quorundam aliorum, nihil minùs supponentium, quàm Christi animam, aut humanitatem ex se suáque differentia esse determinatam vt subsistat in Verbo, sed è contrario potiùs præsupponentium eam ex se tam ad hoc quàm ad oppositum indeterminatam esse, & indifferentem, potuisséque antequam assumeretur, & nunc adhuc posse existere in rerum natura nõ vnitam Verbo hypostaticè, asserentium nihilominus eam esse seipsa ei vnitam, vnionémque hypostaticam per quam ei vnita formaliter est, nihil esse ipsi superadditum ab ipsa distinctum reipsa, sed solum per eam conflari vnicum ex duabus naturis compositum, ex diuina scilicet, & humana. Refellitur hoc vnico argumento, quo conuictus Ochamus docuit in 1. dist. 30. q. 4. vnionem hypostaticam esse aliquid vnitæ humanitati superadditum, ab ipsa reipsa distinctũ, quæ est secunda sententia, quam amplectimur post Gab. Vasq. & Suarem ad artic. 7. quæstionis supra citatæ, post S. Thomam illo artic. 7. Scotum, & Gabrielem in 3. dist. 1. quæst. 1. Durandum quæst. quinta, & permultos alios: cuius sententiæ veritas illo ipso argumento efficaciter probabitur, est autem huiusmodi.

B

VI.

Impossibile est contradictoria successiuè enuntiari vere de vna eadémque re, nisi fiat aliqua in rebus mutatio: atqui de vna eadémque Christi humanitate contradictoria successiuè enuntiari vere possunt: ergo vt verè enuntientur aliqua in rebus mutatio necessaria est: atqui non alia, quàm intrinseca humanitati, qua ei superaddatur vnio ab ipsa distincta reipsa: ergo hæc vnio admittenda est tanquam quid ei superadditum, & ab ea reipsa distinctum. Vtraque consequentia euidens est. Maioris veritas hinc patet, quòd quandiu in rebus nulla fiet mutatio, omnia se semper eodem modo habebunt: quandiu autem omnia eodem se semper habebunt modo, eodem quoque semper modo denominabuntur, ac proinde nunc vno, nunc opposito denominari non poterunt.

C

VII.

Et sanè si rebus omnibus eodem prorsus modo se habentibus, res aliqua nunc hanc, postea contradictoriam denominationem verè posset accipere, possent duo contradictoria non solùm successiuè, sed etiam simul de eadem re enuntiari.

D

VIII.

Exempli causa, posset humanitas Christi verè simul denominari vnita Verbo, & non vnita: cùm enim nunc verè denominetur vnita, si rebus omnibus eodem postea modo se habentibus, verè denominari posset non vnita, poterit eo ipso tempore quo verè denominabitur non vnita, denominari simul vnita: quia cùm tunc omnia se habeant eodem prorsus modo quo prius, tunc denominari eodem poterit modo quo priùs: atqui priùs denominabatur vnita, ergo tunc vnita denominari poterit. Minor constat ex eo quod cùm ex rei veritate, & eorum mente quos impugnamus, humanitas Christi non sit ex se determinata ad subsistendum in Verbo, sed è contrario ex se indeterminata & indifferens, vt per ipsum subsistat, vel non subsistat, seu vt ei sit vnita hypostaticè, vel non sit, potueritque, & adhuc per absolutam Dei potentiam possit existere in rerum natura non vnita ipsi, sequitur manifestè, de illa ipsa humanitate Christi posse successiuè duo hæc contradictoria verè enuntiari, vnitam esse Verbo, & non vnitam, seu terminari eius subsistentia, & non terminari. I.

Supereſt probandum assumptum: probatur autem inductione per alias mutationes quæ afferri possent, quarum nulla sufficiens reperietur, vt humanitas quæ antea erat ex se, & verè denominabatur non vnita Verbo, nec ab eo terminata, postea incipiat esse, ac verè denominari vnita, & terminata. Ac in primis non sufficit mutatio temporis, quia vnio hypostatica non pendet ab hoc tempore potiùs quàm ab illo, potuítque eadem humanitas hodie, cras, & quouis tempore esse vnita Verbo, potuit esse non vnita: vnde si hodie non est vnita, cras ob mutationem præcisè temporis non fiet vnita: & contra, si hodie vnita est, cras ob temporis variationem non fiet non vnita: sed vt talis fiat, aliqua præterea mutatio necessaria est. II.

Deinde nec sufficiet loci mutatio, seu motus aliquis localis, vel ipsius humanitatis, vel alterius rei: nam humanitas per motum mutationémque localem, vel sui, vel alterius rei, non potest acquirere proportionem cum Verbo, vt ab eo terminetur, si eam antea non habebat: aut amittere, si habebat: quia sicut vnio hypostatica non pendet ab hoc potiùs tempore, quàm ab illo, ita nec ab vno potiùs loco, quàm altero: & sicut potuit eadem humanitas hodie, & cras, & quouis tempore esse vnita Verbo, & non esse: ita hîc, & alibi, & quouis in loco eidem vnita, & non vnita esse potuit. III.

Nec præterea sufficiet mutatio in alicuius rei seu modi destructione consistens: si quæ enim eiusmodi destructio sufficeret, maximè personalitatis propriæ humanitatis à Verbo assumptæ: at hæc non sufficit: etsi enim humanitas Christi concipiatur carere propria personalitate seu subsistentia, cùm ex se non sit determinata, vt in Verbo subsistat, ex hac præcisè carentia, non intelligitur vnita hypostaticè Verbo, nisi quid aliud fiat. Adde quòd cùm ipsa existens sine propria subsistentia non magis ex se postulet à Verbo terminari, quàm à Patre, aut Spiritu sancto, nec tamen ab iis terminetur, sed ab illo solo, sanè præter mutationem in carentia propriæ subsistentiæ consistentem, assignanda necessariò est aliqua alia, ratione cuius fiat, vt à Verbo potiùs quàm ab alia diuina persona terminetur: quandiu enim nulla alia interueniet, humanitas carens propria subsistentia sua eodem semper modo ad quamlibet diuinam personam comparabitur, sicque non potiùs vni quàm alteri hypostaticè vnietur. IV.

A Denique cùm nulla mutatio in ipso Verbo assignari possit, vtpote ex se prorsus immutabili, neque in vlla alia re diuersa ab assumpta humanitate, quæ sufficiens sit, vt hæc humanitas prædictas denominationes contradictorias susciperе successiuè verè possit: sequitur, mutationem aliquam ipsi humanitati intrinsecam admittendam esse, & quidem eam quam assignauimus, cùm nulla alia mutatio ad hoc quod dixi sufficiens assignari possit. V.

At Gregorius hanc aliam assignat, quòd nimirum dum humanitas Verbo est vnita, ac denominatur, quæ antea non erat, nec denominabatur, tùc est Christus, seu compositum ex duab. naturis, humana scilicet & diuina, quod antea non erat. Verum hæc mutatio non est ad illud quod dixi sufficiens. Nam cùm ex vnione humanitatis cum Verbo resultet hoc compositum, proindéq. priùs concipi debeat illa vnio, quàm compositum istud, hocque reipsa sit ea signo rationis posterius, in illo autem priori quo concipitur vnio humanitatis cum Verbo, humanitas verè sit & denominetur vnita, cùm antea non esset, nec denominaretur, neque possit has contradictorias denominationes verè susciperе, nisi sit aliqua mutatio in rebus aut prior, aut saltem non posterior eo signo rationis, quo denominationes istas susciput: patet esse consequens, aliquam aliam mutationem in rebus esse assignandam, diuersam ab ea, quam Gregorius assignat, quandoquidem hæc posterior est eo signo rationis quo humanitas est vnita Verbo, cùm antea non esset, & quo proinde contradictorias denominationes verè susciput. B VI.

C VII.

SECTIO II.

Quid sit illud reipsa distinctum quod vnio hypostatica extremis per eam vnitis superaddit?

SENSVS quæstionis est, vtrùm sit formaliter aliqua actio, an terminus alicuius actionis: & si terminus est, quis ille sit, vtrùm aliquid substantiale, an accidentale: vtrùm aliquid absolutum, an relatiuum? Nonnulli recentiores, actionem à termino qui per eam efficitur reipsa distinguentes, sentiunt humanitatem Christi vniri Verbo hypostaticè per illam ipsam actionem, per quam substantialiter in rerum natura producitur, itavt illa ipsa actio, quæ est eius productio, sit eiusdem formalis cum Verbo vnitio seu vnio: sicut ex opinione quorundam Philosophorum eadem actio quæ est formæ ex materia eductio seu productio, eiusdem quoque cum materia vnitio ac vnio est. Ex quo sequitur illos recentiores velle, vnionem hypostaticam vnitæ humanitati nihil aliud reipsa distinctum ab ea superaddere, quàm actionem, per quam substantialiter in rerum natura producitur, & simul Verbo vnitur. D VIII.

Refutantur in primis authoritate S. Doctoris, cuius hac in re sententiam tuentur Scotus, Durandus, Gabriel, Ochamus, aliíque à Suarez citati disputatione 8. sect. 3. ipse quoque Suarez cæteríque communiter Theologi. Docet enim S. Doctor in 3. distinct. 5. quæst. 3. artic. primo ad
I. 2. id quod hypostaticè assumitur præexistere assumptioni, non tempore, sed natura: & hac tertia parte quæst. 4. artic. 2. similiter ait, *illud quod assumitur oportere præintelligi assumptioni, sicut quod localiter mouetur præintelligitur motui:* quod sanè sicut præintelligi non oporteret, nec posset, si per ipsum formaliter motum localem substantialiter in rerum natura poneretur, & ipse localis motus esset formaliter eius in rerum natura productio: ita non debebit, nec poterit præintelligi assumptioni id quod assumitur, si eius assumptio sit ipsa formaliter eiusdem in rerum natura productio.

Refutantur secundò, eo quòd sequitur ex illa eorum opinione, creationem animæ rationalis Christi, & generationem eius humanum non
II. esse eiusdem rationis & essentiæ cum humana nostra generatione, ac creatione animæ nostræ rationalis. Creatio enim, quæ ex se suaque essentia ita creatio est, seu productio entis ex nihilo, vt simul sit eiusdem entis vnio hypostatica cum Verbo: similitérque generatio humanitatis quæ ita generatio eius est, vt simul ex se suaque essentia sit eiusdem cum Verbo hypostatica vnio, non est eiusdem rationis & essentiæ cum creatione, & generatione, quæ ita creatio, ac generatio est, vt ex se suaque essentia non sit simul entis creati vel generati hypostatica cum Verbo vnio: nostræ autem animæ creatio, & humanitatis nostræ generatio posterioris huius generis est: generatio autem humanitatis Christi, & creatio animæ eius fuit prioris illius, ex eorum mente quos impugnamus.

Cùm enim anima ipsius rationalis assumpta
III. fuerit à Verbo, etiam à corpore separata, vt in triduo mortis, & non sola humanitas, sicut dicunt assumptionem humanitatis, seu hypostaticam eius vnionem esse illam ipsam actionem qua substantialiter in rerum natura est producta: ita & animæ rationalis assumptionem, seu hypostaticam vnionem dicunt esse illam ipsam actionem qua substantialiter in rerum natura producta est, quæ productio, cùm sit ex nihilo, creatio est: falsum autem esse, creationem animæ Christi, & humanum eius generationem alterius esse rationis à nostra generatione, & animæ nostræ creatione, constat ex S. Thoma quæst. 6. art. 3. in quo non obscurè docet animam Christi eodem modo, & eodem genere actionis creatam esse, quo cæteræ animæ rationales: ex D. etiam
IV. Leone Papa idem apertè docente non longè à fine epistolæ 11. verbis istis: *Natiuitas Domini secundum carnem, quamuis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendit, non alterius tamen naturæ erat caro eius, quam nostra, nec alio ei quam cæteris hominibus anima est inspirata principio.* Denique ex D. Augustino epistola 99. ad Euodium non procul à fine scribente: *Ita sibi creauit animam Dei filius, vt cæteris creat.* Qui quidem Patres haud dubiè non minus volunt humanam Christi generationem seu substantialem humanitatis eius productionem eiusdem esse rationis cum humana nostra generatione, quàm velint creationem animæ eiusdem Christi esse eiusdem rationis cum animæ nostræ creatione, cùm hoc sentiendi de creatione potiùs quàm de generatione nulla ratio sit.

Refutantur tertiò, quia sequitur ex eorundem sententia, si anima Christi à Verbo dimitteretur, eam in rerum natura desituram esse, nisi Deus nouam creationem exerceret, qua substantialiter eam produceret: Verbo enim eam dimittente, periret necessariò eius cum ipso vnio, ergo & eiusdem substantialis productio, quandoquidem ex sententia quam impugnamus, illa vnio ista productio est. Sequitur deinde, cùm materia corporis Christi ad hypostaticam vnionem assumpta est, desiisse antiquam illam actionem qua in rerum natura ex nihilo producebatur, nec simul hypostaticè Verbo vniebatur: aut si non desiit, eam extitisse in rerum natura per duplicem simul actionem, & productionem substantialem, per illam scilicet antiquam, & per nouam, quæ erat substantialis
V. eius productio, paritérque hypostatica eiusdem cum Verbo vnitio, seu vnio: quandoquidem ex prædicta sententia res quæ hypostaticè vnitur, per eandem formaliter actionem & vnitur, & substantialiter producitur.

Sequitur præterea, cùm partes aliquæ corporis Christi ita resoluebantur, vt à Verbo dimitterentur, materiam partium illarum aut annihilatam fuisse, pereunte scilicet eius substantiali productione, & conseruatione: aut si annihilata non est, noua quadam actione & creatione
VI. fuisse à Deo productam & conseruatam, elicita eo momento quo à Verbo dimittebatur. Denique sequitur Christi resurrectionem fuisse alterius generis actionem ab ea per quam resurgemus: hæc enim ita erit nostræ humanitatis reproductio, vt non sit eiusdem cum diuina persona vnio: actio autem per quam Christus re-
VII. surrexit, ita fuit reproductio humanitatis eius, vt simul ex se suaque natura fuerit eiusdem cum Verbo vnio: quæ omnia consequentia, & nullo fundamento nituntur, & à communi Theologorum Patrúmque sensu abhorrent.

Postremò refutantur, quia coguntur admittere vnam eandémque actionem esse in entitate supernaturalem, & non esse. Esse quidem, quia actio quæ est ipsa formaliter hypostatica vnio est in entitate supernaturalis, aut hæc vnio supernaturalis non est, nec proinde mysterium Incarnationis. Non esse verò, quia cùm actio quæ est alicuius termini immediata effectio, sit, vt inductione constat, eiusdem semper ordinis cùm termino immediato cuius effectio est, illa autem actio, quæ ab aduersariis dicitur hypostatica vnio, sit, vt iidem volunt, productio & effec-
VIII. tio rei quæ hypostaticè assumitur, vt animæ, & humanitatis, hæc autem res sit, vt constat, in entitate merè naturalis: consequens manifestè est, hanc eandem actionem, de qua loquimur, esse in entitate merè naturalem: quam si iidem aduersarij naturalem negent, & supernaturalem in entitate affirment, hinc facilius intelliget, quàm rectè contra eos suprà concluserimus, creationem animæ rationalis Christi, & productionem humanitatis ipsius non fore eiusdem

rationis & essentiæ cum productione nostræ humanitatis, & animæ nostræ creatione: illa enim creatio & productio erit in entitate supernaturalis, hæc autem merè naturalis: constat autem res illas non esse rationis eiusdem, & essentiæ, quarum vna in entitate supernaturalis est, altera merè naturalis. I.

Hac sententia refutata, nouum iam suppetit nobis argumentum, quo probare possumus efficaciter, vnionem hypostaticam esse aliquid extremis per eam vnitis superadditum, ab iisdémque ex natura rei distinctum: quod argumentum superiori sectione proferre nolui, quia vis eius refutationem opinionis, quam hîc refutauimus, præsupponebat. Iam autem sic à me proponitur: Incarnatio est vera aliqua actio: ergo per eam terminus aliquis immediatus efficitur: atqui terminus hic alius esse non potest, quàm vnio hypostatica ab extremis per eam vnitis reipsa distincta: ergo hæc vnio est aliquid extremis ipsis superadditum, ab iisdémque reipsa distinctum. Hæc posterior consequentia euidens est. Prioris autem bonitas constat ex eo quòd cùm omnis vera actio sit essentialiter aliqua effectio, nec possit intelligi effectio sine re aliqua quæ efficiatur, necessarium est cuiuslibet actionis esse terminum aliquem immediatum, qui per eam efficiatur. Antecedentis quoque veritas certa est, tum quia eo ipso quo Deus est incarnans Verbum, tam propriè est agens, quàm ignis est eo ipso agens quo calefaciens: ergo Incarnatio tam est propriè actio, quàm calefactio: tum quia impossibile est aliquid incipere esse quod ante non erat, sine vera aliqua actione, vi cuius esse incipiat: per Incarnationem autem Verbum incipit esse homo, quod ante non erat, & Christus incipit esse in rerum natura, cùm antea non esset: ergo in Incarnatione interuenit vera aliqua actio, ví cuius Verbum incipiat esse homo, & Christus in rerum natura esse, quæ actio vocatur Incarnatio. II. III.

Restat probandum assumptum, quod sic probo. Terminus immediatus per hanc actionem effectus nec est Verbi diuinitas, nec personalitas, nec ipsa persona Verbi, nec humanitas Christi, nec materia, nec forma, ex quibus hæc humanitas componitur, nec ipse Christus, seu compositum ex humana diuinâque natura quod homo Deus dicitur: ergo est vnio hypostatica ab extremis per eam vnitis ab humanitate scilicet & Verbo reipsa distincta. Consequentiæ huius bonitas hinc cõstat, quòd nihil aliud supereſt, quod prædictæ actionis terminus dici possit. Antecedens illud quoad Verbi diuinitatem, personalitatem, personam, probatione non eget, cùm certissimum sit nihil istorum effici posse per actionem Dei transeuntem, cuiusmodi Incarnatio est: quoad humanitatem verò Christi, materiam, ac formam ex quibus hæc humanitas componitur, probatum iam est hac sectione, qua relatam sententiam refutantes ostendimus istas res non effici per Incarnationem, sed huic præsupponi, tanquam iam natura priùs existentes, ac proinde productas per aliquam priorem actionem. Quoad ipsum autem compositum quod Christus dicitur, illud probo ex eo quòd actio termino suo immediato debet identificari realiter, nec magis ab eo distingui potest, communi IV.

A

omnium & Philosophorum, & Theologorum iudicio, quàm vt modus rei à re: actio autem de qua loquimur identificari Christo non potest: cùm enim Christus nihil sit aliud quàm compositum ex diuinitate & humanitate vnitis, nec sit tertia entitas ab his extremis vnitis re diuersa, sed sit realiter ipsa extrema vnita, seu simul sumpta cum vnione, profectò vt aliqua actio ipsi identificaretur, deberet necessariò identificari rebus realiter inter se distinctis, cuiusmodi sunt Verbum & humanitas: quod prorsus impossibile est. V.

Atque cùm ex his habeamus vnionem hypostaticam esse alicuius actionis terminum ab extremis per eam vnitis reipsa diuersum & distinctum, restat explicandum quid sit, vtrùm aliquid substantiale, an accidentale: vtrùm absolutum, an relatiuum. Dicendum autem primò, non esse quidpiam accidentale, seu non esse vllum accidens. Ratio est, quòd nullum accidens possit esse de interno & essentiali conceptu substantiæ: Christus autem est prima substantia, deque interno & essentiali eius conceptu est vnio hypostatica, prout ipse Christus spectatur vt prima substantia completa, & vnum integrum suppositum. Sicut enim vnio materiæ cum forma est de essentiali conceptu substantiæ ex hac & illa compositæ, quia ex illis partibus vnitis essentialiter componitur: ita de essentia suppositi est vnio subsistentiæ cum natura, illiúsque præsertim subsistentiæ quæ à natura quam terminat differt realiter, vt est Verbi subsistentia comparata cum natura humana quam terminat, quia suppositum ex natura & subsistentia vnitis essentialiter componitur. Hinc refellitur Gabriel in 1. dist. 30. quæst. 4. art. 2. & in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 1. asserens vnionem hypostaticam esse qualitatem: hinc refelluntur alij asserentes esse relationem categoricam: qui præterea refutantur ex eo quòd nunquam categorica relatio est immediatus terminus alicuius actionis, nisi fortè à proximo suo fundamento reipsa distinguatur: quo modo licet ab eo distingui concedatur, quia tamen hæc primò & per se nunquam producitur, sed alterius entis, in quo proximè fundetur, productionem præsupponit, & necessariò subsequitur, ideo non potest intelligi producta in Christi humanitate categorica relatio qua ad Verbum referatur, quin priùs in eadem aliquid aliud fiat, quod proximum istius relationis fundamentum sit: quod quidem aliud esse, & assignari non potest, quàm ipsa hypostatica vnio, quæ proinde categorica relatio non est. VI.

Dicendum secundò, esse quidpiam substantiale: est enim modus quidam substantialis: quod sic probo. Quidquid est de intrinseco & essentiali conceptu alicuius substantiæ, est aut substantia aliqua, aut modus aliquis substantialis, cùm nec accidens, nec modus accidentalis de conceptu illo esse possit: atqui vnio de qua loquimur, est de conceptu intrinseco & essentiali substantiæ alicuius, nempe Christi, vt est prima substantia, seu suppositum in diuina humanâque natura subsistens: ergo est aut substantia aliqua, aut modus aliquis substantialis: certum autem est non esse substantiam aliquam: tum quia vniones quibus duæ substãtiæ vniuntur ad vnam aliam substantiam constituendam non sunt sub- VII. VIII.

B C D

ſtantiæ, ſed modi ſubſtantiales : tum quia quod aduenit naturæ ſubſtantiali completæ in ratione naturæ, ad complendam illam vltimis in alio genere entis, vt in genere entis actu exiſtentis, aut in genere ſuppoſiti, non eſt ſubſtantia, ſed modus ſubſtantialis : vt de exiſtentia conſtat, & ſubſiſtentia : vnio autem hypoſtatica aduenit naturæ ſubſtantiali completæ in ratione naturæ, nimirum humanitati, vt eam in ratione ſuppoſiti compleat.

I.

Dicendum tertiò, modum hunc ſubſtantialem eſſe eſſentialiter relatiuum, non tamen reſpectu categorico, vt ex paulò antè dictis conſtat, ſed tranſcendentali : præter enim eſſentialem reſpectum quem dicit ad humanitatem, tanquam ad ſubiectum quod modificat, & tanquam terminum quem vnit cum alio ac connectit, dicit præterea eſſentialem peculiaremque reſpectum ad Verbum tanquam ad terminum quem vnit connectitque : quem reſpectum non dicit ad Patrē, & Spiritum ſanctum, licet ad eos, paritérque ad Verbum habeat eum reſpectum, quem habet quælibet res creata ad Deum, tanquam effectus

II. ad cauſam : niſi enim in vnione illa iſtum eſſentialem & peculiarem reſpectum admittamus, explicare non poſſumus, cur per eam formaliter humanitati ſolum Verbum vniatur, ac non etiam Pater & Spiritus ſanctus : cùm præſertim hi tam ex ſe poſſint vniri illi quàm perſona Verbi : quia æquè ac Verbum potuerunt incarnari: ſintque eidem humanitati tam intimè loco præſentes, quàm ipſum Verbum eſt. Et quoniam modus iſte ſubſtantialis eo quo diximus ſenſu relatiuus eſſentialiter eſt, ideo à S. Thoma citato artic. 7. & alibi, à Scoto item, Ochamo, & Durando in tertio diſtinct. 1. quæſtione prima & quinta, nunc relatio appellatur, nunc importare relationem dicitur.

SECTIO III.

III. *Ex doctrina tradita nonnulla colliguntur.*

EX dictis multa facilè intelliguntur. Primum eſt, quàm verè S. Doctor docuerit hac queſt. 2. artic. 6. humanam Chriſti naturam non fuiſſe vnitam Verbo accidentaliter, cùm & nullo intermedio accidente vnita fuerit, ſed modo ſubſtantiali : & natura illa non vniatur accidentaliter, quæ vnitur vnione ex qua conſtituitur vna per ſe ſubſtantia, cuiuſmodi eſt ſuppoſitum : vnde Martinus primus in Concil. Later. Conſult. 5. can. 6. damnat eum qui negauerit Chriſtum eſſe ex duabus, & in duabus naturis ſubſtantialiter vnitis : & can. 8. eum qui non confitetur propriè & ſecundùm veritatem in eodem Chriſto naturarum ſubſtantialem vnionem indiuisè, & inconfusè.

IV. Nec dicas, quod aduenit enti completo in ratione ſuppoſiti, eſſe accidens, & aduenire accidentaliter : vnionem autem hypoſtaticam aduenire Verbo, quod eſt ens completum in ratione ſuppoſiti, alioqui Verbum ante Incarnationem non fuiſſet integrum completúmq. ſuppoſitum. Ne, inquam, id dicas : etſi enim Verbum fuerit ab æterno integrum completúmque ſuppoſitum diuinum, ſeu in ratione Dei ſubſiſtentis in diuina natura, nō fuit tamen completum ſuppoſitum diuinum ſimul & humanū, ſeu in ratione Dei ſimul & hominis, ſubſiſtentis in natura diuina ſimul & humana : quare cùm vnio hypoſtatica ei adueniat vt enti incompleto in ratione huius ſuppoſiti, ipsúque in huius ſuppoſiti ratione compleat, & hoc ſuppoſitum ſit vnum ens per ſe, & vna per ſe ſubſtantia, vnio

A prædicta non aduenit ei accidentaliter, ſed ſeubſtantialiter. V.

Secundum eſt, quàm verè idem S. Doctor art. 7. docuerit, vnionem hypoſtaticam eſſe ens creatum, cùm ſit immediatus terminus qui per Incarnationem efficitur. Quòd ſi quæras, an etiam Incarnationis terminus vltimus, integer actotalis qui eſt Chriſtus, ſeu compoſitum in humana ſimul diuináque natura ſubſiſtens, ens creatum, ſeu creatura dici debeat? Reſpondeo cum Suare diſputat. 7. ſect. 5. & Gab. Vaſq. diſp. 18. cap. 5. & permultis aliis, dici debere. Omne enim ens quod per actionem Dei ad extra incipit in rerum natura eſſe, cùm ante non eſſet, quódque deſinere poteſt, cùm antea exiſteret, ens creatum, ſeu creatura eſt, Chriſtus autem pro prædicto compoſito ſumptus huiuſmodi eſt. Nam per

B Incarnationem, quæ eſt Dei ad extra operatio, VI.
cœpit in rerum natura eſſe, cùm antè non eſſet, & in triduo mortis eſſe deſiit, cùm antea exiſteret. Vnde D. Hilarius lib. 12. de Trinit. ſub finem ait Chriſtum eſſe *facturam*, eſſe *creaturam*. & Hieron. in Magnis Comm. in epiſt. ad Epheſios, & ad hæc capitis 2. verba : *Ipſius enim ſumus factura*, poſtquam dixit multos veritos eſſe, Chriſtum vocare creaturam, addit: *Nos liberè proclamamus non eſſe periculum illum dicere creaturam*: vt enim paulò pòſt ait, *creatur ille qui non erat, antequam fieret*.

Nec refert, quòd perſona Verbi ſubſiſtentis in diuina natura æterna ſit : etſi enim idem de humanitate dici poſſet, hoc tamen impedire minimè poſſet, quominus Chriſtus ob rationem allatam dici ens creatum, ſeu creatura verè poſſet:

C quemadmodum, etſi nec anima rationalis ho- VII.
minis, nec eius materia per generationem producatur, hoc non impedit quo minus homo ſit genitus : qui etiam creatura verè eſſet eo ipſo quo per generationem incepit eſſe, cùm antè non eſſet, & deſinere poteſt, cùm antea exiſteret, licet eius anima & materia æternæ eſſent, nec per creationem, aut vllam aliam actionem productæ à Deo, ſed per ſe, & à ſeipſis exiſterent.

Tertium, quàm verè quoque docuerit artic. 8. vnionem Verbi incarnati, & aſſumptionem non eſſe idem, cùm vnio illa ſit modus quidam ſubſtantialis : aſſumptio autem ſit aliqua actio, non tamen qualiſcunque actio, ſed habens duplicem habitudinem, vnam ad principium effectiuum à quo egreditur : alteram ad terminum

D naturæ quæ aſſumitur, ſeu ad ſubſiſtentiam per VIII.
quam aſſumpta natura ſubſiſtit & terminatur. Vnde quia actio qua hoc Incarnationis myſterium peractum eſt, priorem tantùm habitudinem habet ad Patrem, & Spiritum ſanctum : nam ſic ab iis egreditur, vt per ſuam tamen ſubſiſtentiam humanitatem aſſumptam non terminent, ideo non dicuntur aſſumere, ſed hoc de ſolo filio dicitur, ad quem vnum actio illa duplicem illam habitudinem habet. Ex quo etiam ſit, vt ſi Deus per abſolutam ſuam potentiam humanam

aliquam

aliquam naturam Angelo alicui hypostaticè vniret,nò diceretur Angelus eam assumere, quia actio qua id fieret posteriorem tantùm habitudinem ad illum haberet: nam priorem haberet ad solum Deum, vtpote à quo solo tanquam à principio actiuo egrederetur.

I. Quartum, quomodo per Incarnationem Verbum non mutetur, licet per eam factum sit homo, cùm antè non esset: sit item vnitum humanitati, eámque terminans, cùm antea nec vnitum esset,nec terminaret: cùm enim per Incarnationem nihil reale in se recipiat,quo antè careret,aut nihil amittat, quod antea in se haberet,non mutatur. Nec refert, quod ad verè recipiendas successiuè contradictorias denominationes aliqua in rebus mutatio necessaria sit: non est enim necesse propterea mutationem hanc in illa ipsa re fieri, quæ contradictorias illas denominationes suscipit, sufficit fieri in aliqua alia re, dummodo ex eius mutatione illi alteri rei denominationes illæ conuenire verè possint,vt reipsa conueniunt Verbo, ex mutatione humanitatis,modum vnionis hypostaticæ in se recipientis. II.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta sex contra doctrinam suprà traditam.

His argumentis probatur Christi humanitatem & Verbum vniri seipsis, absque modo vnionis humanitati superaddito. Primum: subsistentia Verbi terminans humanitatem supplet vices subsistentiæ creatæ: ergo illa ei eodem vnitur modo quo hæc vniretur: atqui hæc vniretur immediatè seipsa, sine modo vnionis superaddito: igitur etiam illa sic vnitur. Respondeo concesso antecedente hoc sensu, quòd sicut subsistentia creata naturam terminat formaliter, facitque subsistere, sic Verbi subsistentia humanitatem terminat, & subsistere facit: negando consequentiam. Ratio disparitatis euidens est, quòd subsistentia creata ex essentia sua modus humanitatis est, non item subsistentia Verbi diuini: modus autem eo ipso quo modus alicuius rei est, eam seipso afficere, atque modificare absque alio superaddito potest: alioquin infinitus progressus in modis esset admittendus, si vnus non nisi per alium intermedium cum natura cuius est modus connecti, eámque modificare posset. III.

Secundum: Si prædictus modus admittatur, consequens erit Verbi personalitatem non terminare immediatè humanitatem. Respondeo,si vox,immediatè,excludat omne vinculum ab extremis connexis distinctum, quo intermedio inter sese connectantur, verum esse consequens: si verò excludat solùm formam intermediam qua terminetur humanitas,falsum esse: nam inter humanitatem & Verbi personalitatem nulla datur intermedia forma per quam humanitas terminetur, quia nulla datur forma intermedia quæ sit formaliter subsistentia: vnio enim hypostatica quam intermediam admittimus, subsistentia formaliter non est. Vt autem simpliciter & absolutè concedatur Verbi personalitatem terminare immediatè humanitatem, sufficit quod inter hanc & illam nulla detur forma quæ sit formaliter subsistentialis terminus, siue subsistentia: sicut ad hoc vt forma substantialis dicatur immediatè informare materiam, sufficit inter hanc & illam nullam dari substantiam informantem, licet ex multorum sententia non vniantur seipsis,sed intermedio substantiali modo vnionis,ab extremis vnitis reipsa distincto. A V.

Tertium est, admisso prædicto vnionis modo consequens quoque futurum, Verbum non terminare intrinsecè humanitatem, sed tantùm extrinsecè, quia forma per quam terminat, nimirum Verbi subsistentia, intrinseca quidem Verbo est,sed extrinseca humanitati in qua non est. Respondeo primò hoc argumentum tam aduersariis quàm nobis esse soluendum: licet enim ipsis concedamus Verbum & humanitatem vniri seipsis absque vlla vnione superaddita, non propterea tamen illud hanc magis intrinsecè terminabit: non enim per aliud terminabit, quam per suam subsistentiam, quæ perinde intrinseca Verbo,& extrinseca humanitati est, siue modus aliquis vnionis intermedius admittatur, siue nullus. Quare respondeo secundo, concedi posse consequens, posse negari. Concedi quidem, quia nimirum forma per quam Verbum terminat extrinseca humanitati est, cùm nec sit idem reipsa cum illa, nec eam informet, nec in ea tanquam in subiecto recipiatur. Negari autem, quia dici potest terminare intrinsecè, tum eo ipso quo non terminat nisi intermedia vnione subsistentiam per quam terminat connectente cum natura terminata,quæ vnio isti naturæ intrinseca est: tum eo ipso quo ex ista natura, & illa subsistentia constituitur vnum suppositum, ad cuius intrinsecum & essentialem conceptum vtraque pertinet: quamquam fateor concedi melius quàm negari,ob rationem qua concedi posse dictum est. B VI. VII.

Quartum est, consequens etiam futurum,vt Verbum non intrinsecè,sed extrinsecè solùm sit vnitum humanitati,quia vnio hypostatica in sola humanitate recipitur. Respondeo primò, hoc argumentum soluendum quoque aduersariis, si quemadmodum nos dicimus Verbum vniri humanitati per vnionem ab ea distinctam, in eadémque receptam, ita velint idem Verbum vniri eidem humanitati per hanc ipsam humanitatem, ex indiuiduante sua differentia determinatam, vt per Verbi subsistentiam subsistat: sic enim tam in illorum quàm in nostra sententia Verbum extrinsecè vnietur, quia id quo vnietur,nempe humanitas, tam est aliquid ipsi extrinsecum,quam modus vnionis quem in humanitate admittimus. C

Quòd si dicant humanitatem Christi seipsa vniri subsistentiæ Verbi, ita tamen vt hæc illi per illam non sit vnita formaliter: hanc verò subsistentiam vnitam seipsa illi esse, sicque vtramque vnitam alteri esse intrinsecè, quia vnita est per aliquid sibi intrinsecum, nempe per seipsam: Respondeo secundò,nos simili omnino ratione posse defendere Verbum esse intrinsecè humanitati vnitum, quia pari iure dicere poterimus, Verbum humanitati vnitum formaliter non esse per receptam in humanitate vnionẽ,sed per hanc formaliter illam solam esse vnitam D IV. VIII.

Verbo: Verbum autem ſeipſo formaliter vniri humanitati abſque modo vnionis ipſi ſuperaddito: tum quia nihil ex natura rei diſtinctum ab ipſo ipſi intrinſecè ineſſe, & de nouo aduenire poteſt: tum quia cùm eius entitas ſit in omni genere infinitè perfecta, totam vnionis perfectionem continet, ſeipsáque proinde poteſt idem
I. efficere formaliter, quod efficeret formaliter hypoſtatica vnio, ſi aliqua intrinſecè ipſi aduenirет, efficietque reipſa, & neceſſariò efficiet, dummodo exiſtat humanitas, & in ſe prædictum vnionis modum habeat.

Reſpondeo poſtremò, rectè dici poſſe Verbum vnitum eſſe humanitati non per ſeipſum, ſed per vnionem in humanitate receptam: ſicut hi qui vnicum modum vnionis materiam inter & formam admittunt, vel in hac, vel in illa ſola receptum, rectè nihilominus aſſerunt per illum vtramque formaliter vniri. Et ratio eſt, quòd quæ res eſt eſſentialiter nexus & vnio, eſt neceſſariò & eſſentialiter nexus vnioque duorum: cùm nexus & vnio, duarum vt minimum rerum eſſe debeat: quo fit, vt nulla res
II. eſſe poſſit nexus, ſeu vnio, quin per eam duo formaliter inter ſe vniantur. Hoc autem præſuppoſito, quòd nimirum per vnionem hypoſtaticam in humanitate receptam, & hæc Verbo, & Verbum huic formaliter vniatur, concedi poteſt illud iſti eſſe vnitum extrinſecè eatenus, quatenus vnio illi extrinſeca eſt, cùm in ſola humanitate intrinſecè ſit: negari etiam rectè poteſt, & è contrario aſſeri, eſſe vnitum intrinſecè, eo quòd vt aliqua duo extrema intrinſecè vnita dicantur, ſufficere videtur, vt vnio vni extremorum intrinſeca ſit, & ad alterum habeat ordinem intrinſecum & eſſentialem, tanquam ad terminum quem connectit: tumque præſertim ſufficere, cùm ea duo extrema vniuntur eo genere vnionis, ex quo prodit vnum ens per ſe, compoſitum ex duobus illis extremis vnitis, de cuius in-
III. trinſeco conceptu ſunt duo illa extrema vnita: cuiuſmodi ens prodit, vt conſtat, ex vnione hypoſtatica, qua Verbum & humanitas vniuntur.

Quintum eſt, humanitatem Chriſti non carituram propria ſubſiſtentia creata, ſi non immediatè ſeipſa vnitur Verbo, ſed per modum ſuperadditum, quia nihil erit quo propria ſubſiſtentia formaliter ab illa excludatur: non quidem vnio hypoſtatica, cùm non ſit formaliter ſubſiſtentia, propria autem ſubſiſtentia naturæ alicuius excludi ab ea non poſſit formaliter, niſi per aliam ſubſiſtentiam: neque etiam ſubſiſtentia Verbi, eo quòd in humanitate intrinſecè non recipitur. Reſpondeo negando non carituram: ad rationem in contrarium dico, propriam humanitatis ſubſiſtentiam creatam excludi ab ea, tum per modum vnio-
IV. nis hypoſtaticæ, licet non ſit formaliter ſubſiſtentia: tum per Verbi ſubſiſtentiam, licet in ea intrinſecè non recipiatur: per illum quidem modum, quia ſubſiſtentia propriam naturam afficiens reddit eam formaliter alteri ſuppoſito incommunicabilem, modus autem ille, cùm ſit naturæ quam afficit, & modificat vnio cum ſuppoſito altero, eam formaliter alteri ſuppoſito communicat: vnde cùm inter duos iſtos effectus formales manifeſta ſit repugnantia, & proinde inter formas à quibus deriuantur, non mirum ſi vnam altera ab eodem ſubiecto formaliter & neceſſariò excludat: per hanc verò Verbi ſubſiſtentiam, quia cùm, vt iam dixi, natura per propriam ſubſiſtentiam reddatur incommunicabilis alteri ſuppoſito, & proinde non terminabilis aliena ſubſiſtentia, neceſſarium eſt, vt quæ natura terminatur aliena ſubſiſtentia, ſiue intrinſecè in ea recepta, ſiue non, careat propria, ſitque proinde formalis inter propriam & alienam ſubſiſtentiam, reſpectu eiuſdem naturæ, repugnantia, quandoquidem propria facit eam formaliter aliena non terminabilem, aliena autem dum ei vnitur, eam actu terminat, & propria non terminabilem efficit. V.

Sextum: ſi modus aliquis vnionis humanitati ſuperadditus dari poteſt, qui formaliter ſubſiſtentiam Verbi cum ea vniat, eámque faciat per illam ſubſiſtere, cur pari iure non erit poſſibilis modus alius vnionis, qui propriam naturæ alicuius creatæ ſubſiſtentiam cum diuina natura formaliter vniat, eámque per illam ſubſiſtere faciat? Reſpondeo modum hunc ideo non eſſe VI. poſſibilem, quia natura diuina propria ſua increata ſubſiſtentia non poteſt non terminari: quæ autem natura ſua propria ſubſiſtentia terminatur, quandiu terminatur, aliena terminari non poteſt: quia propria naturam ſuam afficiens & terminans eam alieno ſuppoſito reddit incommunicabilem, ac proinde eius ſubſiſtentia non terminabilem: quo fit, vt quandiu propria ſua ſubſiſtentia terminatur, ſit impoſſibilis modus vnionis, quo aliena ei ſubſiſtentia vniatur: nam ſi poſſibilis eſſet, poſſet per alienam ſubſiſtentiam terminari, ſicut ſi reipſa vniretur, reipſa quoque per illam terminaretur.

SECTIO V.

Soluuntur alia quatuor contra eandem doctrinam argumenta. VII.

HIS argumentis probatur eadem actione humanitatem vniri Verbo, & produci ſubſtantialiter. Primum nititur D. Leonis authoritate, Diuique Fulgentij, quorum ille epiſtola 11. ad Iulianum ſic ait: *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt priùs creata, poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur.* Hic verò lib. de Incarn. & gratia, cap. 3. ſimili prorſus modo loquitur. Reſpondeo ſanctos illos Patres locis illis contra hæreticos hoc ſolum contendere, Chriſti animam non fuiſſe priùs tempore creatam, aut carni vnitam, quam à Verbo aſſumptam: nec eiuſdem humanitatem priùs tempore fuiſſe conceptam, ſeu genitam, quàm eidem Verbo vnitam, ſed ſimul: vt patet in primis ex his eiuſdem D. Leonis ibidem verbis: *Arbitror talia loquentem hoc habere perſuaſum; quod anima quam Saluator aſſumpſit priùs in cœlis ſit commorata, quam de Virgine naſceretur, eámque ſibi Verbum in vtero copularet: ſed hoc Catholicæ mentes auréſque non tolerant.* Deinde ex his aliis eiuſdem D. Fulgentij eodem loco: *Non eſt igitur aliquod interuallum temporis, inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ maieſtatis aduentum.* VIII.

Secundum eſt, niſi eadem actione generaretur humanitas, & Verbo vniretur, conſequens fore, beatam Virginem non genuiſſe Deum, nec

proinde verè dici posse matrem Dei : nam si generatio humanitatis & eiusdem cum Verbo vnitio sunt duæ distinctæ actiones , illa prior erit saltem naturâ , hæc posterior : in illo autem priori actio illa ad solam humanitatem terminabitur, non ad Deum, quia in illo priori nondum intelligetur posterior actio, quæ ad
I. vnionem hypostaticam terminatur, per quam humanitas cum Verbo vnitur : in illo ergo priori beata Virgo non aliud concepisse seu genuisse quàm humanitatem dici poterit : neque postea genuisse Deum verè dicetur, quia solam illam generationis actionem exercet , productióque vnionis hypostaticæ per quam Verbum humanitati genitæ vnitur, à solo Deo tanquam à principio effectiuo egreditur.

Respondeo negando illud fore consequens: & ad eius probationem dico , etsi in illo priori B. Virgo non aliud genuisse dici possit quàm humanitatem, quia in illo priori nondum aliud intelligitur productum quàm humanitas, vt tamen postea, illóque ipso instanti reali quo humanitatem concipit & generat, verè dici possit genuisse
II. Deum, ac proinde mater Dei, sufficere, vt humanitas genita sit illo ipso instanti vnita hypostaticè Verbo , constituátque cum eo compositum ac suppositum vnum , quod est homo Deus: nec requiri , vt hæc vnio hypostatica ab ipsa B. Virgine tâquam ab effectiuo principio egrediatur : tum quia alioqui ne hominem quidem genuisse dici deberet , sed solam humanitatem , eo quòd in illo priori solam illam produxisset, postea autem nullam aliam actionem exercuisset : tum quia nulla alia mater dicenda esset generare hominem , sed tantum humanitatem , eo quòd in productione hominis qui ex humanitate & subsistentia componitur , duæ etiam distinctæ actiones interueniunt: vna quæ ad humanitatem terminatur, & generatio dicitur , altera
III. quæ ad subsistentiam, quarum illa natura prior, est, hæc posterior : sola autem illa à matre tanquam à principio effectiuo egreditur, iuxta sententiam saltem eorum, qui posteriorem hanc emanare dicunt à natura ipsa producta, suam sibi ex sè subsistentiam producente : quam sententiam hîc Suarez disputat. 8. sect. 3. probabilissimam esse dicit: tum denique quia Deus creare Angelum dici non deberet , sed solam naturam Angelicam, eo quòd in Angeli compositi ex natura & subsistentia productione duæ item distinctæ actiones interueniunt , vna quæ ad naturam illam terminatur, & creatio dicitur, altera quæ ad istam subsistentiam: quæ iuxta prædictam sententiam ab ipsa natura Angelica emanat, estque naturæ ordine illâ altera posterior. Quare sicut ad hoc vt dicatur Deus creasse Angelum, mater genuisse hominem, sufficit vt eodem in-
IV. stanti reali quo naturam Angelicam creat, aut humanam generat, hæc natura sit subsistens , cõpositúmque quod cum subsistentia constituit sit homo vel Angelus, à quocunque tandem agente subsistentiam acceperit: & ratio est, quia creatio & generatio sunt actiones quæ passiuè denominant terminum suum non solùm immediatum, sed etiam remotum , & totalem , qui est homo, aut Angelus: ita ob eandem causam vt B. Virgo genuisse Deum & mater Dei verè dicatur, sufficit illud quod iam diximus.

Tertium : Humanitas Christi quoad existentiam pendet à Verbo , tanquam à termino per quem subsistit : ergo per eandem actionem vnitur hypostaticè Verbo, per quam existentiam suâ accipit. Probatur consequentia : si enim per aliquam natura priorem actionem existentiam suâ acciperet , & per aliam natura posteriorem cum V.
A Verbo vniretur , non penderet quoad existentiam à Verbo tanquam à termino : in illo enim priori iam ab eo independenter existeret. Probatur antecedens , tum quia si à Verbo dimitteretur, nullamque de nouo Deus actionem exerceret qua eius esse conseruaret, annihilaretur: tum quia cum Verbi subsistentia vices creatæ subsistentiæ suppleat , tam pendet humanitas Christi à Verbi subsistẽtia, quàm à propria creata penderet, si eam haberet : atqui à propria penderet quoad existentiam, quia sine ea non posset naturaliter in rerum natura existere.

Respõdeo ad antecedens, humanitatem Christi quoad existentiam non magis à Verbo , tanquam à termino per quem subsistit pendere, quàm penderet à propria subsistentia, si eam haVI.
B beret : quocunque autem modo ab ea penderet, sicut non propterea concludi' deberet, vnica eademque actione produci humanitatem , & propriam eius subsistentiam, sed duplici, quarum ea qua subsistentia efficeretur præsupponeret ex natura rei eam qua humanitas fieret : ita quocunque modo dicatur Christi humanitas à Verbo pendere , tanquam à termino per quem subsistit, non est propterea concludendum , per eandem actionem vniri Verbo , per quam existentiam suam accipit, sed duplici , per quarum vnam fiat humanitas, per alteram naturâ posteriorem hypostatica vnio.

Quonam autem modo natura quoad existentiam à propria sua subsistentia pendeat, & per consequens humanitas Christi à subsistentia Verbi , quia quæstio magis est philosophica, VII.
C quàm Theologica , breuiter dico , aut nullo modo pendere, proindéque naturaliter sine illa esse posse, sícque Christi humanitatem , si à Verbo dimitteretur , non propterea annihilandam esse : aut si aliquo modo pendet, non pendere tanquam à vera causa per causalitatem suam influente in ipsam , eíque existentiam tribuente, sed eo tantum modo , quo materia à quantitate, & quælibet substantia à suis proprietatibus pendere à multis dicitur: qui modus in hoc consistit , quod licet nec quantitas in vllo genere causæ tribuat materiæ existentiam , nec proprietates illi substantiæ cuius sunt proprietates , hæc tamen sine illis , & materia sine quantitate non potest naturaliter existere , quia substantiæ suis proprietatibus spoliatæ, & materiæ denudatæ omni quantitate non
D debetur ex natura rerum ipsarum existentia, VIII.
aut existentiæ , influxúsque vi cuius antea existebant , conseruatio : quanquam vt existerent, aut existentiam hanc suam retinerent , nullus requireretur influxus Dei vberior illo , per quem existunt , dum prædictis rebus minimè spoliantur.

Admittendo autem quòd natura pẽdeat à subsistentia sua modo isto, & per consequens Christi humanitas ab vnione hypostatica, & subsistentia Verbi , dicẽdum primo consequenter est,

quòd si illa à Verbo dimitteretur, non statim annihilaretur, sed profunderet ex se necessitate naturæ propriam suam subsistentiam, aut à Deo acciperet, tanquam sibi connaturaliter debitam: quia naturæ existenti, & aptæ subsistere connaturaliter sua propria debetur subsistentia: vnde etiam ordinariè reipsa tribuitur. Dicendum secundo, quod si dimissa à Verbo humanitate Deus aliam subsistentiam ei tribuere nollet, impediretque ne propriam ex se funderet, futurum hinc esset, vt ex rei natura annihilaretur, quia tunc illi conseruatio existentiæ non deberetur.

I.

Quartum. Modus vnionis hypostaticæ, si distincta actione ab ea qua producitur humanitas efficeretur, vel creari deberet ex nihilo, vel fieri dependenter ab ipsa humanitate, tanquam à subiecto: neutrum autem dici potest. Respondeo hoc secundum dicendum esse. Neque opponas, nihil ex eo subiecto effici posse quod nondum est subsistens, humanitatem autem nondum esse subsistentem, dum ex ea tanquam ex subiecto fit modus vnionis hypostaticæ, quandoquidem per hunc modum vnitur subsistentiæ Verbi, vt per eam subsistat. Ne, inquam, id opponas: quia effici aliquid potest ex subiecto existente, licet nondum subsistente, vt patet exemplo ipsius subsistentiæ creatæ, quæ fit ex natura cuius propria subsistentia est tanquam ex subiecto, siue fiat ab agente producente hanc ipsam naturam, siue ab hac ipsa natura.

II.

SECTIO VI.

Qualis sit vnio hypostatica?

QVATVOR hîc explicanda sunt. Primum, an hæc vnio sit in entitate supernaturalis. Secundum, an sit Christo connaturalis. Tertium, an facta fuerit per gratiam. Quartum, an sit vnionum maxima. Quoad primum, nulli dubia est affirmatiuæ partis veritas, & meritò sanè: cui enim naturæ creatæ naturale esse potest subsistere per diuinam subsistentiam, ac in vnam cum Deo conuenire personam? quæ tamen essent naturalia illi creatæ naturæ, cui connaturalis esset hypostatica vnio, propter necessariam inter hanc & illa quæ dixi connexionem. Nec opponas à Conciliis multis, & Patribus citatis à Gabriele Vasquez disputat. 17. cap. 3. hypostaticam humanitatis Christi cum Verbo vnionem vocari naturalem, essentialem, ac secundùm essentiam: sic enim vocatur, non quòd hæc vnio sit in entitate naturalis, neque quòd ex ea vnica tantùm in Christo natura aut essentia prodierit, sed quia est verè & reipsa duarum distinctarum naturarum & essentiarum vnio, diuinæ scilicet & humanæ.

III.

IV.

Quoad secundum dicendum primò, non posse dici connaturalem Christo ratione humanitatis, cùm hæc sit creata aliqua substantia, vnio autem hypostatica nulli creatæ substantiæ connaturalis esse possit, vt proximè ante diximus.

Dicendum secundò, eam nihilominus dici posse Christo connaturalem duobus illis modis, quos assignat D. Thomas hîc quæst. 2. art. 12. prior est, ratione diuinæ naturæ, quæ est vna ex Christi naturis, cui naturæ connaturalis est illa vnio, eo quòd omnis effectus rectè connaturalis illi causæ dicitur, qui per eius vim actiuam naturalem effici potest: vnio autem illa potest à diuina natura produci, & reipsa producta est per vim actiuam ipsi diuinitati naturalem. Posterior est ratione generationis, seu natiuitatis. Cùm enim naturæ vox ex Philosopho lib. 5. Metap. tex. 5. & Diuo Thoma hîc significet aliquando generationem seu natiuitatem, id quod habetur ab ipso generationis seu natiuitatis exordio naturale dici potest: Christus autem à primo suæ generationis seu natiuitatis in vtero Virginis instanti vnionem hypostaticam habuit. A V.

Sed hîc aduerte circa priorem ex duobus illis modis, dum dicitur hæc vnio Christo connaturalis ratione diuinitatis, quæ est vna Christi natura, ex qua tanquam ex causa in naturam eius alteram, nempe in humanam deriuatur, hoc non esse sic intelligendum, quasi diuinitas sit natura Christi pro illo signo naturæ seu rationis quo per vim actiuam sibi naturalem causa est prædictæ vnionis: reuera enim non est: nam diuinitas non est natura Christi, nisi pro illo signo rationis quo Christus est: Christus autem signo rationis prædicta vnione posterior est, cùm ex ea producta, & necessariò præsuppositа resultet, & exurgat: hæc autem vnio posterior est diuinitate à qua producitur, sicut & omnis effectus causa à qua efficitur. Aduerte præterea circa vtrumque modum, neutrum sufficere, vt res aliqua in entitate supernaturalis dicatur simpliciter & absolutè naturalis: quia cùm nulla res tam supernaturalis esse possit, quæ non possit effici per vim actiuam naturalem diuinitatis, nulla item quam non possit Deus communicare creaturæ à primo momento creationis, nulla res esset, quæ simpliciter & absolutè dici non posset naturalis. B VI.

Quoad tertium, sanctus Doctor citata quæstione secunda, articulo decimo, partim affirmat, partim negat factam fuisse per gratiam. Affirmat quidem, si gratiæ nomine intelligatur vel libera Dei volitio, qua vult aliquid alicui creaturæ tribuere quo perficitur supra id quod ex se suæque naturæ principiis postulat: vel hæc ipsa res, quæ volitionis huius obiectum est, quæ rectè gratia dicitur, quando gratis ab ipso confertur. Negat verò, si nomine gratiæ intelligatur habitualis qualitas, qua mediante talis vnio fiat. Quod autem affirmat, verum est: quia libera volitio Dei, qua voluit humanitati Christi tribuere vnionem hypostaticam, fuit volitio qua voluit ei tribuere aliquid quo perficitur supra id quod ex se suæque naturæ principiis postulat: quod enim creatura ex iis principiis postulat, ipsi connaturale est, nulli autem creatæ naturæ vnio hypostatica connaturalis esse potest, vt paulò antè docuimus: hanc quoque vnionem prædictæ humanitati contulit Deus gratis, & nullis omninò præcedentibus meritis, vt articulo sequenti docet, nósque proxima disputatione docebimus. Quod item negat, verum est: quia etsi Christi humanitas à primo suæ conceptionis instanti gratiæ sanctificantis habitu prædita fuerit, ea tamen mediante tanquam dispositione signo naturæ prævia non est facta vnio hypostatica, quin potiùs hæc C VII. D VIII.

illum habitum signo naturæ antecessit : quia habitualis gratia sanctificans fuit humanitati Christi data vt ornamentum consequens, non vt dispositio antecedens : vnde non dicitur assumpta a Verbo, quia grata fuit, sed potiùs tanta gratia habituali fuisse ornata, quia à Verbo fuit assumpta : qua de re infrà iterum dicemus.

I. A

Aduerte autem circa primam gratiæ acceptionem, apud D. Augustinum nullam Dei volitionem dandi donum aliquod gratis appellari gratiam, sed gratiæ præparationem : solum ipsum donum gratis collatum gratiam ab ipso vocari : vnde lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 10. inter prædestinationem (quæ est Dei volitio dandi donum aliquod gratis,) & inter gratiam hoc discrimen ponit, quòd *prædestinatio est gratiæ præparatio : gratia vero, ipsa donatio*, seu res quæ donatur.

Quod spectat ad quartum. Notandum primò, dum hîc à nobis & à S. Doctore art. 9. quæritur, an vnio hypostatica vnionum maxima sit, sensum quæstionis esse, an maxima sit in ratione vnionis. Notandum secundò, vnionem hanc esse conferendam cum solis illis vnionibus, ex quibus vnum quod resultat, non est vnum per vnitatem, seu identitatem, sed per compositionem ex multis inter se reipsa distinctis & vnitis : ex vnione enim hypostatica vnum quod resultat, nimirum Christus, est compositum ex multis reipsa distinctis & vnitis, vt ex ante dictis constat.

II. B

Notandum tertiò, magnitudinem vnionis, seu maiorem eius perfectionem in ratione vnionis esse simpliciter & absolutè petendam ex ratione magis propria & perfecta vnius in quod concurrunt extrema quæ vniuntur, seu quod ex eorum vnione resultat : cùm enim vnio per se & essentialiter tendat ad vnum, magnitudo vnionis seu maior eius perfectio in ratione vnionis desumenda est ex maiori perfectione vnius, quod prodit ex vnitis extremis : cùm autem ens quod est vnum per se, sit perfectiùs vnum, quàm quod est vnum per accidens : & rursum cùm essentialis ratio vnius in indiuisione consistat, fatendum necessariò est, vnionem illam ex qua prodit vnum ens per se, maiorem esse in ratione vnionis ea vnione, ex qua prodit vnum ens per accidens : & rursum ex vnionibus ex quibus consurgit vnum ens per se, illam esse maiorem seu perfectiorem in ratione vnionis, ex qua ens per se vnum quod consurgit magis indiuisum & simplex est.

III. C

Hinc sequitur non semper vnionem quæ magis indissolubilis est, esse in ratione vnionis perfectiorem : plerunque enim vnio ex qua oritur vnum ens per accidens, magis est indissolubilis eâ ex qua vnum ens per se consurgit : vt constat ex vnione inter animam rationalem & intellectum, quæ dissolui nulla vi naturali potest, cùm tamen vnio inter materiam & formam substantialem naturaliter dissoluatur.

IV. D

Notandum postremò, in mysterio Incarnationis intercedere vnionem primo & immediatè inter humanitatem, & Verbi subsistentiam : secundò & mediatè inter eandem humanitatem & diuinitatem, vt ex suprà dictis certum est.

Quibus prænotatis, comparare iam possumus, & comparabimus hanc vtramque vnionem cum aliis vnionibus : quamquam S. Doctor solam humanitatis cum diuinitate vnionem cum vnionibus aliis art. illo 9. comparauit. Dico ergo primò, vtramque illam vnionem esse maiorem seu perfectiorem quibuslibet aliis vnionibus, ex quibus vnum ens per accidens oritur : ex vtraque enim illa vnione seorsim considerata vnum ens per se consurgit, quod est perfectius vnum, quàm quod est vnum tantum per accidens, vt paulò ante monuimus : ex posteriori quidem vnione prodit Christus, qui est vnicũ numero suppositum subsistens in duabus naturis, humana scilicet & diuina : ex priore verò prodit homo, qui et iam vnum ens per se est : nam humanitas terminata subsistentia, siue propria, siue aliena, homo est.

V.

Dico secundò, neutram ex his vnionibus esse maximam omnium, si perfectio vnionis penes indissolubilitatem attendatur : neutra enim quoad hoc est perfectior vnione substantiæ spiritalis cum intellectu, & naturæ creatæ cum propria sua subsistentia : nam hæ, & huiusmodi vniones sunt naturaliter indissolubiles, & per solam absolutam Dei potentiam dissolui possunt : quo etiam saltem modo vnio hypostatica est haud dubie dissolubilis.

VI.

Dico tertiò, vnionem humanitatis Christi cum subsistentia Verbi non esse maximam, etsi perfectio vnionis attendatur penes id quod prænotatione tertia monuimus : tanta est enim secundum considerationem hanc humanæ naturæ vnio cum subsistentia propria, cùm quilibet purus homo ex hac & illa compositus non minùs sit vnus homo, quàm Christus : imò hæc vnio illa alia vnione maior est, si hanc & illam spectemus penes extrema componentia quæ per illas vniuntur : extrema enim quæ per vnionem hypostaticam vniuntur, magis ab inuicem distant, quàm extrema, quæ per hanc alteram vnionem : quoniam illa sic à se inuicem distant, vt differant inter se realiter realitate maxima, vt vocant : hæc verò solùm modaliter : quo fit, vt hæc sint magis indiuisa, magisque proinde vnum, quandoquidem, vt suprà dixi, formalis ratio vnius in indiuisione posita est : quamuis fatendum sit hominem qui ex istis extremis magis indiuisis consurgit, non esse magis vnum hominem, quàm Christus vnus homo sit : cuius rei ratio est, quod ad vnitatem hominis non requiritur maior aut minor extremorum distinctio, sed exigitur solùm vt humanitas terminata sit aliqua subsistentia, siue propria, siue aliena, & proinde siue distincta realiter, siue modaliter tantùm.

VII.

Dico quartò, vnionem humanitatis cum diuinitate non esse maximam, si spectetur penes extrema, quæ per eam vniuntur : esse autem maximam, si spectetur penes id in quo extrema illa vniuntur. Vtraque pars huius assertionis est expresse Diui Thomæ citat. art. tum in Corp. tum in responsione ad 2. Prioris autem ratio iam allata est : quo enim extrema quæ vniuntur ad vnius entis per se compositionem magis inter se distant, eò minor est vnio ex parte extremorum : nam quò magis distant, eò minus sunt indiuisa, ac per consequens minus vnum : humanitas autem & diuinitas, quæ sunt extrema vnita per vnionem de qua loquimur, maximè inter se distant : differunt enim & distant inter se non solùm realitate maxima, sed etiam tanquam ens creatum & finitum,

VIII.

ab ente increato & infinito, qualis distantia repetiri non potest inter entia componentia vnum ens per se, quorum quodlibet creatum est.

Posterioris autem partis ratio est, quia siue dicantur vniri in ipsa personalitate diuina, tanquam in aliquo tertio, siue in ipsa Verbi perso-
I. na, maior est illorum vnio quacunque alia vnione qua duo extrema in aliquo tertio vniuntur: propterea quòd eo maior est vnio extremorum ex parte eius in quo vniuntur, quo istud in se seu secundùm se magis vnum seu indiuisum est: quo autem aliquid simplicius est, eo magis indiuisum ac vnum est: nulla autem res creata tam simplex est quàm increata, & proinde quàm Verbi personalitas, aut persona. Cùm ergo alia omnia extrema quæ in aliquo tertio vniuntur, vniantur in aliquo tertio quod ens creatum est, sequitur manifestè, vnionem rerum omnium aliarum, ex parte eius in quo vniuntur, minorem esse ea qua diuinitas & humanitas in Verbi persona aut personalitate vniuntur.

Adde quòd ista duo extrema sic inter se vniuntur, vt ex vna saltem parte minùs quàm vl-
II. la alia extrema distent ab eo in quo vniuntur, ratione nimirum diuinitatis, quæ est vnum istorum extremorum, quæque a personalitate aut persona Verbi in qua vnitur cum humanitate, non differt vllo modo reipsa, cùm cætera extrema quæ in aliquo tertio vniuntur, seorsim sumpta differant reipsa ab eo in quo vniuntur, quidquid demum illud sit, siue subiectum, vt cùm multa accidentia in eodem subiecto recepta vniri dicuntur in aliquo tertio, nempe in subiecto in quo recipiuntur: siue compositum, vt cùm partes illud componentes vniri dicuntur in composito; siue suppositum, vt cùm natura & subsistentia vniri dicuntur in suppositum.

III. Neque hinc quisquam obiiciat, fore tantam vnionem duarum Christi naturarum ex parte eius in quo vniuntur, quanta est trium diuinarum personarum in essentia diuina, quia id in quo vnientur illæ duæ naturæ, scilicet Verbi personalitas, aut persona, tam erit reipsa simplex, quàm sit simplex diuina essentia in qua tres illæ personæ vniuntur: falsum enim est tantam fore: quia quamuis personalitas aut persona Verbi secundùm se spectata sit aliquid reipsa æquè vnum & simplex atque diuina essentia, quia tamen hæc essentia magis intime coniungitur singulis diuinis personis quæ in illa vniuntur, quàm illa personalitas aut persona Verbi singulis naturis quæ in ipsa vniuntur, nam hæc essentia
IV. singulis illis personis identificatur, illa verò personalitas seu persona, etsi diuinæ naturæ identificetur, non tamen humanæ, à qua realiter distinguitur, propterea maior est vnio trium diuinarum personarum in essentia diuina, quàm vnio humanitatis & diuinitatis in Verbi personalitate, aut persona.

DISPVTATIO XIV.

Vtrùm humanitas Christi, aut ipse Christus meruerit, aut mereri potuerit suam hypostaticam vnionem?

A V.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm humanitas eam meruerit, aut mereri potuerit?

OTANDVM quòd cùm Christi humanitas nulla reali duratione extiterit, qua non fuerit vnita Verbo hypostaticè, non meruit, nec mereri potuit suam hanc hypostaticam vnionem, per opera quæ reali duratione ipsam antecederent: vnde si meruit, aut
B mereri potuit, profectò fuit per opera ipsam reali duratione aut comitantia, aut subsequentia: VI.
quæ quidem opera siue comitantia, siue subsequentia, necessariò debuerunt esse ipsa vel naturæ ordine priora, vel posteriora, vel neque priora, neque posteriora: quo prænotato, sit

Prima assertio. Humanitas Christi si duratione reali suam hypostaticam vnionem præcessisset, eam mereri de congruo potuisset, non potuisset de condigno. Prioris partis veritas constat ex eo quòd tam multa tamque insignia veræ virtutis opera exercere potuisset ex auxilio diuinæ gratiæ, vt eorum intuitu, ac propter illa Deus eam ipsi conferret: ergo ex merito saltem congruo: Deum enim aliquid intuitu alicuius boni operis, & propter eius bonitatem retribuere, est propter meritum dare, seu in
C meriti compensationem. Posterioris ex eo con- VII.
stat veritas, quòd nulla pura creatura, qualis esset humanitas de qua loquimur, de condigno mereri potest vnionem hypostaticam, quia nihil à Deo potest mereri condignè per opera bona in statu gratiæ sanctificantis elicita, maius augmento gratiæ & gloriæ: alioqui cùm Deus nunc nullum aliud iis operibus præmium retribuat, ea non æquiualenti præmio compensaret: imò nihil aliud mereri potest, quàm prædictum gratiæ & gloriæ augmentum, vt ex disp. 4. notum est.

Secunda assertio. Humanitas Christi vnionem suam hypostaticam reipsa non meruit. Ita Theologi omnes. Probatur in primis hoc illustri D. Augustini testimonio in Enchirid. cap. 36. cuius initio sic loquitur: *Quid humana natura in homine Christo meruit, vt in vnitatem personæ vnici Filij Dei esset singulariter assumpta? quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, vt vna fieret persona cum Deo?* quod paulò inferiùs prosequens fusiùs, ait, quòd sicut hominibus datur prima gratia sine vllis eorum meritis, ita humanitati Christi sine vllis meritis data est gratia hypostaticæ vnionis.

Probo deinde hac ratione. Nulla humanitatis Christi actio meritoria naturæ ordine præcessit hypostaticã eius vnionem: ergo hanc humanitas

illa non meruit. Consequentiæ bonitas clara est, cùm meritum respectu præmij cuius meritum dicitur, sit eius causa efficiens saltem moralis, omnis autem causa efficiens naturæ ordine effectum suú antecedere debeat. Antecedens probo, eo quòd ad meritum necessaria est gratia aliqua, I. quæ sit principium & causa meriti illius, quæque proinde naturæ ordine illud antecedat: omnis autem gratia quæ Christi humanitati data fuit, aut est vnio hypostatica, aut ortum habet ex illa, eámque sequitur, vt iam supra diximus, & infra rursum dicemus. Ex quo consequens euidenter est, gratiam vnionis hypostaticæ præcessisse naturæ ordine quodlibet humanitatis Christi meritum, ac proinde nullam eius actionem meritoriam priorem ordine naturæ gratia ista fuisse. Ex qua assertione non minùs euidenter etiam sequitur, humanitatem Christi vnionem suam hypostaticam mereri non potuisse per opera ipsam duratione reali siue concomitantia, siue subsequentia, quæ naturæ ordine vel essent ipsâ posteriora, cuiusmodi forent ea quæ totum suum valorem ex illa acciperent: vel neque priora essent, neque posteriora: quandoquidem omnis actio meritoria rei alicuius prior necessario II. B debet ordine naturæ esse re illa cuius meritoria est, vtpote eius efficiens causa saltem moralis.

Tertia assertio, Christi humanitas primo instanti quo creata & assumpta simul à Verbo est, suam cum eo vnionem mereri potuit de congruo, non potuit de condigno. In priori parte assertionis habemus aduersarios Suarē, & Vasq. hîc, illum disput. 10. sect. 3. hunc disput. 21. cap. 6. sed consentientes nobis multos alios recentiores, nominatimque Caietanum, vt ipse Vasquez citatæ disput. cap. 2. vltro concedit. Eam autem sic probo. Potuit humanitas Christi primo momento quo fuit exercere bonam aliquam operationem, per quam congruè se disponeret ad vnionem illam accipiendam, spectata saltem absoluta Dei potentia: ergo absolutè illo momento mereri eam de congruo potuit. Consequentiam hanc omnes etiam aduersarij admittunt, eo quòd congrua illa bonæ operationis dispositio meritum congruum est. Antecedentis veritatem hinc ostendo, quòd non magis repugnare videatur, vt humanitas per aliquam operationem suam disponat se primo momento suæ creationis ad gratiam hypostaticæ vnionis accipiendam, quàm vt purus homo, vel Angelus se primo suæ creationis instanti disponat per bonam aliquam operationem, ad accipiendam gratiam habitualem, cùm præsertim gratia illa vnionis sit quædam gratia habitualis, seu habens se per modum habitus: nihil autem repugnat hoc posterius fieri, imo reipsa factum esse ab Angelis, primisque nostris parentibus primo momento quo creati sunt, & gratiæ sanctificantis habitum acceperunt, valde communis est inter Theologos sententia: quòd autem illud prius fieri non magis repugnet quàm istud posterius, constabit certiùs solutione argumentorum, quibus aduersarij probare conantur esse aliquam in illo priori repugnantiam, quæ in isto posteriori locum similiter non habet.

Posteriorem assertionis partem ex eo probo, quòd illa bona operatio naturæ ordine præcedens vnionem hypostaticam, pro illo priori quo præcederet, nullum aliud habere condignum meritum posset, quàm quòd habent opera bona quæ nunc à iustis hominibus exercentur: quia pro prædicto priori nulla alia ex gratia eliceretur, aut elici posset, quàm ex auxilio gratiæ actualis, & habitu gratiæ sanctificantis, iustorum autem hominum opera bona ex eiusmodi gratia elicita condignè mereri non possunt vnionem hypostaticam, sed solùm gratiæ & gloriæ augmentum, vt constat ex iis quæ prima assertione diximus. V.

Colliges ex dictis humanitatem Christi potuisse mereri de congruo suam electionem ad vnionem hypostaticam: qui enim præmium aliquod mereri potest vel à Deo, vel ab homine, potest quoque mereri suam vel a Deo vel ab homine ad illud præmium electionem, cùm hæc electio nihil sit aliud, quàm decretum efficax diuinæ vel humanæ voluntatis compensandi meritum præmio illo: naturæ autem lumine clarum sit, cum qui meretur ab aliquo præmium, quod non nisi libera eius à quo meretur voluntate conferendum est, mereri quoque vt conferre ipsi velit efficaciter. VI.

Quod si quæras, vtrùm humanitas Christi pro illo priori de quo loquimur, prædestinationem suam ad hypostaticam vnionem mereri de congruo potuerit? Respondeo potuisse, si prædestinationis nomine nihil aliud intelligitur, quàm efficax Dei volitio dandi hanc vnionem: quo modo prædestinatio idē est quod electio. Quòd si illius nomine intelligatur volitio tam dandi finem, nimirum ipsam vnionem hypostaticam, quàm media omnia ad eius consequutionem necessaria, dicendum est non potuisse: propterea quòd vnum ex iis mediis est prima gratia quæ datur, quæ cùm sit principium meriti, ac proinde naturæ ordine prior omni merito, sub meritum cadere non potest, multóque minus huius gratiæ dandæ volitio, cùm hæc illam gratiam naturæ ordine præcedat. VII.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contraria.

AT contra priorem proximè præcedentis assertionis nostræ partem obicies primò, D. Aug. in Enchirid. cap. 36. & D. Thomam citato art. 11. ex eo probasse Christi humanitatem non meruisse suam hypostaticam cum Verbo vnionem, quia tempore hanc non præcessit: vnde concluditur existimasse, vt hanc mereri posset, esse necessarium vt eam tempore præcederet. Respondeo eos id ex eo rectè probasse, supponentes id quod verum est, humanitati Christi, cùm assumpta fuerit primo momento quo creata est, primam gratiam quæ collata est, fuisse ipsam gratiam hypostaticæ vnionis: quo præsupposito, concedo rectè concludi quod in obiectione dicitur. At cùm nos asserentes prædictam humanitatem primo momento quo creata simul & assumpta fuit, mereri potuisse suam assumptionem, minimè illud præsupponamus, nec ex eorum doctrina illud necessariò præsupponere debeamus, quasi fieri per absolutam Dei potentiam non possit, quin illi naturæ quæ primo instanti quo producitur, assumitur, prima gratia VIII.

quæ communicatur sit gratia prædictæ vnionis, propterea nihil illis hac in parte aduersamur, neque illi nobis.

I. Obiicies secundò. Omnis operatio naturæ substantialis præsupponit ipsam subsistentem, ac proinde per aliquam subsistentiam, siue propriam, siue alienam: ergo ab humanitate Christi primo momento quo producta fuit & assumpta, nulla prodire potuit actio meritoria, qua hypostaticam vnionem mereretur. Probatur consequentia, eo quòd hæc actio prior ordine naturæ illa vnione esse deberet, eo ipso quo meritoria eius esset, & proinde causa efficiens: & per consequens eodem naturæ ordine prior ipsa humanitate subsistente, cùm non nisi hac mediante vnione terminetur subsistentia Verbi, per eamque subsistat; sicque non omnis naturæ substantialis operatio eam iam subsistentem præsupponeret. Probatur antecedens primò ex vulgari axiomate, Actiones sunt suppositorũ, quod est Aristotelis lib. 1. Metap. cap. 1. D. Damasceni lib. 3. de fide cap. 15. & Ioannis Theologi in Concil. Florent. sess. 18. communitérque omnium & Philosophorum & Theologorum.

II. Secundò, quia prius natura est compositum substantiale quàm accidentale: nisi autem quælibet operatio naturæ substantialis hanc vt subsistentem præsupponeret, non esset prius: quia compositum accidentale quod ex natura & eius operatione saltem immanente consurgeret, substantiali composito posterius non esset, imò prius esset, si per hanc operationem natura mereri posset vniri hypostaticè Verbo, eiusque proinde per subsistentiam subsistere.

Tertiò, quia natura substantialis existere non potest, quin subsistat per subsistentiam aut propriam aut alienam: ergo nec agere: ergo eius actio sicut ordine naturæ præsupponit ipsam vt existentem, sic & subsistentem.

III. Respondeo negando antecedens, cuius falsitas est euidens, supposita eorum sententia, qui naturam substantialem suæ propriæ subsistentiæ efficientem causam esse dicunt. Ad primam autem eius probationem dico vulgaris illius axiomatis hunc sensum non esse, quamlibet operationem præsupponere suppositum, tanquã quid naturæ ordine præcedens: alioquin omnes qui hoc axioma recipiunt, negare ex consequenti deberent substantialem naturam posse esse subsistentiæ suæ principium effectiuum, quod tamen minime faciunt.

Neque vero Theologi Philosophique illud axioma recipientes illum eius esse sensum volunt, sed hunc potiùs, operationes omnes quæ oriuntur à natura subsistente eo tempore quo operatur, nec sunt eius subsistentia naturæ ordine priores, quales pauciſſimæ sunt, si quæ sunt,

IV. tribuere denominationem agentis non soli illi naturæ à qua oriuntur, licet ab ea sola tanquam ab actiuo principio egrediantur, vtpote cui soli vis agendi ineſt, sed etiam suppositó, tanquam enti vltimatè completo, quod per naturam actiuam & agentem qua constat, tanquam per aliquid sui agere censetur. Nam quæ operationes erunt illa subsistentia naturæ ordine priores, eademque nulla duratione reali posteriores, denominationem agentis tribuere suppositó non poterunt: alioquin actio qua natura suam propriam subsistentiam produceret, tribui posset & deberet non soli naturæ, sed etiam ipsi supposito tanquam agenti, & proinde producenti seipsum, quod aperte falsum & absurdum est. Neque verò Aristoteles citato ex Metaph. loco, aut alibi illud axioma habet, sed hoc vt summum ait, actiones esse singularium, id est, non ab vniuersali aliquo principio effectiuo egredi, sed à singulari, neque circa vniuersale aliquod subiectum exerceri, sed singulare, vt ex his eius verbis patet: *Actiones autem ac generationes omnes circa singulare sunt: non enim hominem nisi per accidens sanat qui medetur.*

Quod spectat ad D. Damascenum, distinguentem solùm loco citato quatuor hæc, virtutem operandi, naturam in qua virtus ista residet, operationem, & operantem, quem dicit esse suppositum: Dico eum tribuere suppositó denominationem operantis, quoad eas operationes quæ oriuntur à natura subsistente eo tempore vel instanti temporis quo operatur, nec sunt eius subsistentia naturæ ordine priores, ob eámque tantùm causam tribuere, ob quam paulò ante dixi huiusmodi operationes tribuere denominationem agentis non soli naturæ, sed suppositó quod hac natura constat. Quod denique ad Ioannem Theologum attinet, fateor eum illo in Concilio prædictum axioma eo sensu vsurpasse, quẽ obiectio intendit: sed eo sensu vsurpauit, quia ex eo concludere commodè poterat quod volebat, nimirum in diuinis, diuinitatem non eam esse quæ generat, aut spirat, sed personam diuinitate constantem, sícque Filium à Patre generari, Spiritum sanctum à Patre & Filio spirari: quam eius conclusionem licet illius Concilij Patres vt Catholicam doctrinam approbarint, confirmarintque, non tamen illud axioma ab eo assumptum eo in sensu quo assumpsit.

VII. Iam ad secundam antecedentis probationem respondeo, si per compositum substantiale intelligatur compositum ex essentia & existentia substantialibus, verum esse, substantiale compositum naturæ ordine præcedere accidentale: accidens enim præsupponit substantiam existentem cui ineſt, & ex qua educitur, & cum qua proinde compositum accidentale constituit: sin autem intelligatur compositum ex natura & subsistentia, dico falsum vniuersim esse: naturæ enim substantialis propria subsistentia, eiusdemque operatio, nullum, saltem vt plurimùm, habent inter se ordinem prioris aut posterioris naturâ seu causalitate, sed quoad hunc ordinem habent se merè concomitanter, & per accidens: quia subsistentia nec principium actiuum est, nec ex parte actiui principij requiritur, nec ad ipsum, ipsiúsve actionem quid quam confert: alioqui variata subsistentia non maneret eadem operatio,

VIII. cùm tamen maneat, dummodo intelligatur eadem natura existens, siue præterea concipiatur terminari subsistentia, siue non concipiatur, siue etiam terminetur propria, siue aliena: vnde eædem etiam numero operationes egressæ fuissent à Christi humanitate, si per propriam subsistentiam substitisset, quæ nunc egrediuntur, aut olim egressæ sunt subsistente per diuinam. Quod si naturæ subsistentia, eiusdémque operatio nullum inter se vt plurimùm seruant ordinem prioris & posterioris naturâ seu causalitate, nullũ quoque

seruant compositum substantiale conflatum ex natura & subsistentia, & accidentale compositum ex natura & operatione conflatum.

Ad tertiam denique responderi primò posset, per absolutam saltem Dei potentiam posse naturam substantialem existere absque omni subsistentia, sicut & accidens absque omni inhæsione: neque enim maiori necessitate illi naturæ existenti affixus est modus subsistendi, quàm accidenti existenti modus inhærendi. Sed vt liberaliter concedamus naturam substantialem nulla virtute posse existere sine subsistentia aliqua, vel propria, vel aliena: Respõdeo concesso antecedẽte tertię illius probationis, primáque consequentia, negando secundam: si enim natura substantialis existere non potest, & proinde agere, nisi hoc aut illo modo existat, id est, nisi subsistat aut in proprio aut in alieno supposito, non ideo est, quòd subsistentia propria vel aliena requiratur ex parte naturæ, vel vt existat, cùm in eius existentiam nullum influxum habeat, eaque vt iam producta sit ordine naturæ posterior, vel vt agat, cùm, vt suprà ostendi, ex parte actiui principij non requiratur: sed quia inter illos duos modos nullus alius est possibilis medius, & ita necessarium est, vt alter eorum naturæ existentiam & operationem reipsa semper comitetur: vnde concludi non potest, hunc aut illum existendi modum quem natura habet, esse signo rationis priorem operatione: alioqui cùm homo ambulare non possit nisi capite tecto, aut nudato, priùs natura aut tectum caput haberet, aut nudatum, quàm ambulet, quod falsum & ridiculum est: quia nimirum neque tegmen capitis, neque nuditas ex parte principij actiui requiritur, aut quidquam confert ad ambulationem, licet hæc aut illud necessariò comitetur actionem, quia inter duos illos ambulandi modos nullus alius est possibilis medius.

I. A

II. B

III. C

Obiicies tertiò. Nulla bona operatio elici potest ab humanitate Christi primo momento quo creatur, & simul hypostaticè assumitur, quæ non sit infiniti valoris: ergo nulla potest ordine naturæ non subsequi eius vnionem hypostaticam: ergo & nulla potest eam mereri. Primæ consequentiæ bonitas hinc constat, quòd infinitus ille valor non aliunde quàm ab vnita hypostaticè diuinitate cum humanitate, tanquam à principio valorem influente deriuetur, illámque proinde vnionem, vt natura priorem necessariò præsupponat. Secundæ autem hinc est euidens, quòd operatio meritoria rei alicuius illam naturæ ordine præcedere debet, vt eius causa efficiens.

IV. D

Respondeo negando antecedens: illa enim operatio quæ ordine naturæ tunc vnionem hypostaticam antecederet, & eius meritoria esset, nullum ab ea valorem tunc acciperet, aut accipere posset, eo ipso quo meritoria eius esset, & quo proinde illam naturæ ordine præcederet, nec per consequens haberet, aut habere posset infinitum: quemadmodum si perfecta contritio non sanctificat formaliter animam, priorque sit in genere causæ efficientis gratia habituali sanctificante quæ eodem momento infunditur, quo ille contritionis actus exercetur, nullum hic actus ab illa gratia illo momento valorem accipit, nec proinde tunc fit æternæ vitæ de condigno meritorius, cuius tamen sic meritorius fieret, si in genere efficientis causæ hunc illa præcederet: quemadmodum etiam dum quis aliquo instanti per actum aliquem suum condigne meretur augmentum gratiæ, quod statim illo ipso instanti à Deo tribuitur, actus iste illius augmenti de condigno meritorius nullum tunc valorem ab augmento isto accipit, licet esset aliquem accepturus, si istud augmentum illo actu in genere causæ efficientis prius extitisset. Nam si aliquem tunc acciperet, fieret tunc quoque noui augmenti gratiæ meritorius: quòd si nouũ istud augmentum acciperet, vt supponimus, (quia supponimus augmentum gratię quod condigne per actum suum homo meretur ipsi à Deo tribui illo ipso instãti quo illud meretur) nouum rursus ab illo nouo augmento valorem acciperet, sicque fieret rursum noui augmenti meritorius, & ita in infinitum.

V.

Quod si cui magis placet concedere antecedens, neget consequentiam, distinguatque in illo primo momento temporis tria naturæ signa seu instantia, quorum in primo eliciatur bona operatio ex habituali gratia sanctificante, meritoria de congruo vnionis hypostaticæ: in secundo donetur hæc vnio, tanquam præmium meriti illius: in tertio deriuetur nouus valor & quidem infinitus ex hac vnione, in illam actionem, primo iam instanti naturæ elicitam. Quæ tria similiter naturæ instantia distinguere poterit in illo temporis momento quo perfectæ contritionis actus exercetur, & habitualis gratia infunditur: & dicere in primo illum actum vi sua formaliter non sanctificantem, vt modò supponitur, elici, disponeréque ad hanc habitualem gratiam recipiendam: in secundo, eam infundi: in tertio nouum ex ea valorem in illum ipsum actum deriuari quo fit æternæ vitæ de condigno meritorius. Sed idem eadem ratione cogetur dicere, (ex hypothesi quòd nobiscum sentiat actum bonum cæteris paribus eo meliorem esse, magisque meritorium, quò fit ab homine plus habente gratiæ habitualis sanctificatis) prędictum actum de condigno meritorium augmenti gratiæ quod daretur illo ipso temporis instanti quo exercetur, tunc ab hoc augmento nouum valorem accepturum quo fieret maioris gratiæ de condigno meritorius, atque ita non posse Deum actui bono tantum gratię quantum condignè meretur reddere eo ipso tempore vel instanti temporis quo exercetur, & meretur: quod tamen per se incredibile videtur: aut si id potest, cuilibet actui bono de condigno meritorio augmenti gratiæ, reddi debere pro præmio, huius gratiæ augmentum actu infinitum, quia finitum gratiæ augmentum quod reddetur actui nouum ei noui augmenti condignum meritum afferet: quod meritum dum nouo augmento compensabitur, fiet, vt ex hoc augmento nouo nouum noui augmenti condignum meritum in eundem illum actum deriuetur, & ita in infinitum.

VI.

VII.

VIII.

Obiicies postremò, si humanitas Christi primo momento quo creata est, potuit mereri de congruo suam hypostaticam cum Verbo vnionem, maxime per operationem aliquam bonam profectam ex auxilio gratiæ actualis, & accipientem valorem suum ac dignitatem ex infuso habitu gratiæ sanctificantis: at nullam potuit eiusmodi operationem elicere: quia quæ operatio

ex sola illa gratia proficiscitur, & valorem dignitatémque accipit, ortum habet ex gratia adoptionis, hæc autem gratia in Christi humanitate non fuit, quia Christus non modò secundùm diuinitatem, sed etiam humanitatem, est Dei filius, non adoptiuus, sed naturalis.

I. Respondeo concessa Maiore negando Minorem: ad cuius probationem dico, operationem quæ ex illa sola gratia proficiscitur tanquam ex principio actiuo, aut influente valorem ac dignitatem, tum solùm esse dicendam ortum habere ex gratia adoptionis, cùm eo temporis instanti quo operatio illa exercetur, gratiæ habituali sanctificanti non coniungitur gratia hypostaticæ cum Deo vnionis: quia tum solùm gratia creata sanctificans, siue habitualis, siue actualis, est, & dicenda est gratia adoptionis, cùm ei in eodem subiecto coniuncta simul reperitur priuatio prædictæ vnionis, vt infra suo loco fusiùs declarabitur. Quare cùm humanitas Christi nulla reali duratione gratiam creatam sanctificantem siue habitualem, siue actualem habuerit, in
II. qua non simul habuerit gratiam hypostaticæ cum Deo vnionis, illa eius gratia sanctificans dici non debet gratia adoptionis, licet signo rationis hanc vnionem anteceſſisse supponatur: pro quo proinde signo rationis gratia illa sanctificans necdum affirmari vel negari debet esse gratia adoptionis, sed negari debebit, si in eadem duratione reali, licet rationis seu naturæ signo posteriùs prædicta vnio ei in eodem subiecto coniungatur, affirmari vero, si e contrario non coniungatur.

Omitto hîc alia quæ proferri possent argumenta, quia qui ad eorum vim attendet, facile aduertet iis pari efficacitate concludi, non potuisse Angelos, primósque nostros parentes disponere se per operationem aliquam bonam primo suæ creationis instanti elicitam, ad accipiendum gratiæ sanctificantis habitum, quem tunc
III. acceperunt, cùm tamen id reipsa fecerint ex permultorum Theologorum sententia, si Christi humanitas primo suæ productionis & assumptionis momento se similiter disponere non potuit ad accipiendam gratiam hypostaticæ vnionis, quam tunc accepit: aut eosdem nostros parentes, & Angelos non potuisse prædictum gratiæ sanctificantis habitum primo illo instanti à Deo aliter accipere, quàm per præuiam bonæ operationis signo naturæ prioris dispositionem, cùm tamen dubitare nemo iure possit, quin tunc Deus tam gratis illis hunc habitum conferre potuerit, quàm gratis humanitati Christi reipsa contulit gratiam hypostaticæ cum Verbo vnionis.

IV. ## SECTIO III.

Vtrum ipse Christus hanc vnionem suam meruerit, aut mereri potuerit?

PRIMA assertio. Christus eam reipsa non meruit, sed neque mereri potuit per opera ipsam duratione reali siue comitantia, siue subsequentia, quæ naturæ ordine vel essent ipsâ posteriora, vel neque posteriora essent, neque priora. Huius posterioris partis ratio est, quòd, vt supra idem de Christi humanitate probantes diximus, omnis actio meritoria rei alicuius prior necessariò sit naturæ ordine re illa cuius meritoria est, vtpote eius efficiens causa moralis. Prioris veritas hinc constat, quòd si meruit, certè per aliquam bonam suæ humanitatis operationem, at nullam eiusmodi operationem meritoriam eius humanitas habuit, vt superiori sectione probauimus. V.

At oppones contra hanc priorem nostræ assertionis partem duo Scripturæ testimonia. Primum habetur Apocal. 5. in quo sic dicitur, *Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem*, &c. Hæc enim verba, qui occisus est, accipienda sunt causaliter, vt sit sensus, quia occisus est, seu merito suæ passionis dignus est qui diuinitatem accipiat. Secundum Psalmo 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quæ verba de Christo intelligenda esse, manifestum est ex Apostolo cap. 2. Epistolæ ad Hebræos: qui dicitur vnctus oleo lætitiæ, id est, ex multorum Patrum interpretatione, ipsa diuinitate tanquam vnguento exultationem lætitiamque pariente, præ cæteris consortibus seu VI. participibus, id est, præ cæteris iustis, quibus ipsa diuinitas non est concessa, sed aliqua tantùm participatio diuinitatis, per gratiam scilicet, aliaque dona supernaturalia: vnde cùm propterea dicatur vnctus diuinitate, seu diuinitatem accepisse, quia dilexit iustitiam, & odio habuit iniquitatem, sequitur ex aliquo suo merito accepisse.

Ad primum vera S. Thomę & Ruperti ad eum locum responsio, quam Theologi communiter sequuntur, est, per diuinitatem ibi intelligi diuinitatis manifestationem, laudem, & adorationem diuinitati debitam, quam Christus reuera sua passione promeruit.

Ad secundum duplex est responsio, vna eorum, qui per particulam, *propterea*, eo loco po-
C sitam significari causam meritoriam concedunt: VII.
altera illorum, qui eadem particula significari non meritoriam, sed finalem asserunt, vt sit sensus, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea, seu ad hoc, & in hunc finem vnxit te Deus, nimirum vt iustitiam diligeres, & iniquitatem odio haberes. Qui primam particulæ illius explicationem amplectuntur, nomine olei, neque diuinitatem, neque gratiam habitualem creatam, neque quidquam aliud quod gratis humanitati Christi datum à Deo sit, intelligunt, sed vel lætitiam quam in sua resurrectione percepit, vel nominis exaltationem, vel aliquod aliud donum, quod eius sub meritum reipsa cecidit: qui autem sequuntur posteriorem, de quorum numero est D. Thomas in citatum caput 2.
D epist. ad Heb. nomine quidem olei, vel intelligunt VIII.
gratiam creatam, vt D. Athanas. serm. 2. contra Arianos, vel ipsam diuinitatem, vt plerique Patres suo loco citandi: sed cum iidem per particulam, *propterea*, non intelligant causam meritoriam, vt dixi, non potest ex eorum mente, vi relati ex Scriptura testimonij, concludi, Christum suam cum diuinitate vnionem meruisse, multóque minùs ex aliorum mente, qui prædicta particula causam meritoriam significari dicentes, per oleum diuinitatem non intelligunt. Addi potest tertia expositio, quę est, particulam

illam ibi redundare, nec vllam causam, siue finalem, siue meritoriam significare, sed poni solum ad continuandam orationem : quod iuxta phrasim Hebraicam fieri sepius in Scriptura docet Ribera ad citatum prædictæ epistolæ caput, num. 83. qui antea idem obseruauerat de particulis, quia, & quoniam, in caput 2. Oseæ, num. 41. & in cap. 10. num. 17.

I.

Secunda assertio. Christus primo suæ productionis instanti non potuit, spectata etiam absoluta Dei potentia, mereri suam hypostaticam vnionem. Ratio euidens est, quòd vt non sola Christi humanitas, sed ipsum etiam Christi suppositum verè dicatur aliquid mereri, necessarium sit, vt vel duratione reali præcedat operationem suam meritoriam, vel si sic non præcedit, præcedat signo rationis seu naturæ, vel saltem eâ non sit hoc naturæ seu rationis signo posterius: sicut enim causa meritoria, causa efficiens est, ita qui mereri denominatur, causa efficiens denominatur: vt quispiam autem causa efficiens rei alicuius verè denominetur, necessarium prorsus est, vt hanc rem vel præcedat eo quo dixi modo,

II.

vel saltem non subsequatur eo item modo quo dictum est. Primo autem illo instanti de quo loquimur, Christus neutro modo præcedere posset operationem illam, quæ esset meritoria vnionis hypostaticæ : non quidem duratione reali, vt patet : neque signo rationis seu naturæ, quia tantum abesset, vt sic posset præcedere, vt è contrario non posset non subsequi : quia actio vnionis istius meritoria non potest non esse ea signo rationis seu naturæ prior : ergo & Christo, qui est eadem vnione rationis signo posterior, cùm persona Christi non consurgat nisi ex præuia facta diuinam inter humanamque naturam hypostatica vnione. Quocirca si aliqua primo illo instanti exerceretur actio meritoria huius vnionis, illa soli humanitati tanquam agenti quod, & non quo tantùm, tribui deberet.

III.

Tertia assertio. Christus per actiones duratione reali suam hypostaticam vnionem consequentes, quarum totus valor ex hac vnione desumeretur, mereri hanc vnionem nulla vi potuit, per quasdam tamen alias potuit, quas per absolutam saltem Dei potentiam exercere potuisset. Prioris partis veritas hinc constat, quòd gratia hypostaticæ vnionis fuisset principium totius meriti quod habuissent illæ actiones, sicut & totius valoris : principium autem meriti cadere sub meritum non potest : tum quia quid alioqui prohiberet, quominus nunc per opera nostra bona subsequentia primam gratiam, & dependenter ab ea totum suum valorem ac meritum habentia, mereri possemus, & reipsa mererемur ipsam primam gratiam? tum quia principium meriti eo ipso quo tale principium est, in

IV.

genere causæ efficientis saltem moralis meritum antecedit: omne autem meritum rei alicuius eo ipso quo illius meritum est, illam in genere causæ efficientis saltem moralis præcedit: vnde si principium meriti cadere sub meritum posset, tam hoc quàm illud esset altero prius simul ac posterius in eodem genere causæ efficientis, & per consequens se ipso, quod impossibile est.

Nec opponas Ducem aliquem posse dare militi arma, ea conditione, vt si strenuè iis in bello vtatur, ea vt sua retineat : fierique proinde posse, vt arma quæ sunt illi militi principium strenuè pugnandi, atque adeo merendi, sint simul huiusce meriti præmium. Ne, inquam, id dicas : nam in hoc ipso exemplo manifestum est, non esse idem principium meriti, & præmium: principium enim meriti quod habet miles vtendo strenuè concessis armis, est armorum prima donatio, seu commodatio facta militi gratis à Duce, præmium autem, est continuata retentio eorundem armorum, seu dominium ac possessio. Vnde à simili vltro concedimus, Deum Christo dare potuisse hypostaticam vnionem, ea conditione, vt si ex ea certum bonum opus exerceret, eam retineret in perpetuum : sin secus, amitteret : quo casu principium meriti fuisset vnio hypostatica vt primo donata, seu prima eius ac gratuita donatio : præmium autem meriti quod haberet Christus, ex ea prædictum opus exercendo, continuata eiusdem vnionis retentio, ac possessio.

A V.

Iam posterior pars assertionis probatur ex eo quòd potuit Deus humanitatem Christi prædestinare priùs ad gratiam nostræ similem, quàm ad hypostaticam vnionem, & decernere, vt si duabus tribusve primis vicibus, quibus præueniretur auxiliis gratiæ excitantis ad bonum aliquod opus exercendum, accepta gratia bene vteretur, ex eáque bonum illud opus exerceret, acciperet in præmium vnionem hypostaticam: sin secus faceret, ea careret, solâque creata ac sibi propria subsistētia subsisteret : qua gratia, quoniã illis omnibus vicibus bene vti potuisset, ex eáque bene agere, potuisset per consequens bonis illis operibus mereri vnionem hypostaticam, & in præmium accipere, & quidem accipere primo instanti suæ creationis, cum præmium possit aliquando duratione reali antecedere meritum, cuius in compensationem datur, vt patet ex gratia data antiquis Patribus, ob Christi longo

B VI.

pòst tempore futuri futura merita. Iam verò quoniam hæc opera bona meritoria hypostaticæ vnionis tempore posteriora essent hac vnione, ac proinde Christo, qui eodem instanti temporis existit necessariò, quo ista vnio est, ideo non sola humanitas, sed ipse quoque Christus denominaretur principium quod opera illa bona prædictæ vnionis meritoria efficeret, ac proinde quod eam per illa mereretur : vt enim non sola suppositi alicuius natura, sed ipsum quoque suppositum dicatur esse principium quod operatur, sufficit vt duratione reali præcedat operationes, quæ per vim actiuam in natura qua constat residentem eliciuntur.

C VII.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta contraria.

D VIII.

AT contra posteriorem proximè præcedētis assertionis nostræ partem sic obiicies primò : In illis signis rationis quibus Deus opera illa bona hypostaticæ vnionis meritoria præuidisset, vidisset solam humanitatem esse eorum causam efficientem : ergo in tempore illam solam haberent pro causa efficiente, non item simul Christum. Respondeo Deum in illis signis rationis non visurum aut humanitatem so-

lam, aut subsistentem per propriam subsistentiam, futuram causam operum illorum, cum reipsa sola non esset eorum causa futura, nec esset habitura propriam subsistentiam: neque visurum etiam eorumdem causam futuram, vt determinatè subsistentem per propriam Verbi subsistentiam, cùm necdum intelligatur huic vnita subsistentiæ: sed tantùm visurum humanitatem futuram eorum causam efficientem: vtrùm autem præter ipsam futurum esset aliquid aliud, quod principium effectiuum eorum operum denominari iure posset, pro signis illis rationis, non visurum, sed postea, quando nimirum videret humanitati illi dandam primo momento suæ creationis vnionem hypostaticam, eodémque momento Christum existentiam habiturum, qui exercitium operum illorum reali durationè præcederet, quique proinde effectiuum eorum principium denominari iure posset.

I. A

Obiicies secundò, opera illa, si Christi essent, valorem aliquem, & quidem infinitum ab eo habitura. Respondeo ita rem habere, sed secundùm hunc valorem quem ab eo acciperent non futura vnionis hypostaticæ meritoria, sed solum secundùm illum valorem, quem in priori naturæ quo vnionem hanc mererentur, & præcederent, haberent ex sola gratia creata nostræ simili, ex qua tunc procederent: quæ gratia sicut independenter ab Incarnatione data fuisset, ita valor operum ex illa promanans ab eadem esset independens. Quemadmodum si præuidisset nos per aliquem actum nostrum non formaliter sanctificantem merituros de congruo gratiæ sanctificantis habitum, & ipse decerneret in compensationem huius meriti, dare nobis habitum illum aliquo ante tempore, quàm actum illum exerceremus, dum hic actus exerceretur, valorem aliquem ab illo habitu haberet, & quidem tantum, vt fieret æternæ vitæ de condigno meritorius: nam esset actus bonus elicitus ab homine grato Deo, cuius proinde principium effectiuum non esset solus homo, sed gratia simul, seu homo Deo gratus: secundùm tamen hunc valorem non esset de congruo meritorius illius habitus, sed secundùm eum solum, quem ex se suaque natura haberet in priori illo naturæ quo habitum illum præcederet.

II. B

III. C

Obiicies tertiò, bona Christi opera nunc reipsa valorem habere, non solùm ab vnione hypostatica, qui valor est infinitus, sed etiam ab habituali gratia sanctificante quæ in eo fuit, qui valor secundùm se finitus est, vt & hæc gratia. Ergo nunc opera illa bona secundùm hunc posteriorem valorem esse meritoria de congruo vnionis hypostaticæ, vel nunquam esse potuisse. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam: nunc enim non sunt eius vllo modo meritoria, nec esse possunt, quia totus eorum valor etiam ex habituali gratia procedens, deriuatur mediatè saltem ex vnione hypostatica, tanquam ex principio meriti, quod in meritum cadere non potest, vt antea probauimus. Nam prima gratia humanitati Christi collata, fuit gratia hypostaticæ vnionis, ab eâque dependenter data postea est habitualis gratia sanctificans, ac quæcunque alia, vt etiam supra docuimus: quo fit vt omnis valor omneque meritum bonorum Christi operum sit posterius illa vnionis gratia, ab eaque vel immediatè, vel mediatè dependeat.

IV. D

DISPVTATIO XV.

V.

De eorum qui Christum præcesserunt, merito erga Incarnationis vel substantiam, vel circumstantias.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm sancti Patres Christo priores has aut illam meruerint, aut mereri potuerint?

VI.

PRIMA assertio. Possibilè absolutè fuit Patres illos mereri de congruo substantiam Incarnationis, mereri autem de condigno possibile non fuit. Prima pars assertionis probatur, eo quòd possibile absolutè fuit illos à Deo accipere gratiam, tum habitualem sanctificantem, tum actualem excitantem & adiuuantem, independenter à Christi Incarnatione & meritis, sicut acceperunt primi nostri parentes in statu innocentiæ, ex eáque exercere aliqua opera bona, quibus inesset congruum prædictæ substantiæ meritum, vt constat ex iis quæ superiori disput. sect. 1. diximus, probantes priorem partem primæ nostræ assertionis. Secundæ autem partis veritas constat iisdem argumentis, quibus ibidem posteriorem eiusdem primæ assertionis partem probauimus. Ex quo concluditur, illos ipsos Patres potuisse mereri de congruo Dei præordinationem substantiæ Incarnationis, non potuisse de condigno: vt enim ex dictis eadem sectione constat, quando aliquod Dei donum cadere sub nostrum aliquod meritum potest, diuina præordinatio doni illius, seu decretum Dei efficax de eo conferendo sub idem nostrum meritum cadere potest, & reipsa cadit toties, quoties donum illud cadit: at quando cadere non potest, multò minus illa præordinatio potest.

VII.

Secunda assertio. Nullus prædictorum Patrum reipsa de congruo meruit substantiam Incarnationis. Probatur ex eo quòd totum meritum siue congruum, siue condignum quod antiqui illi Patres vnquam habuerunt, ortum habuit ex gratia, quæ non nisi propter Christi venturi futura merita ipsis collata est: omnis enim gratia quæ à peccato primi parentis hominibus data à Deo est, propter Christi merita data est, vt ex quæstione 19. infra explicanda modò supponimus: ergo futura Christi merita priora fuerunt ordine naturæ & causalitatis quibuscunque Patrum illorum meritis: substantia autem Incarnationis, seu ipsum incarnati Verbi mysterium, naturæ ordine & causalitatis futura Christi merita haud dubiè præcedit: vtpote quorum Christus est vera causa efficiens: ergo multò magis ipsa Incarnationis substantia merita omnia Patrum illorum naturæ & causalitatis

VIII.

ordine

ordine anteceſſit : ergo hæc ſub illorum congruum meritum non cecidit: alioqui poſterior iis naturæ ordine & cauſalitatis fuiſſet, ac proinde ſimul prior & poſterior, & quidem in eodem cauſæ genere, nempe efficientis, quod impoſſibile eſt.

I. In hoc recidit argumentum quo probari ſic ſolet veritas noſtræ aſſertionis. Principium meriti in meritum non cadit, vt à nobis anteà probatum eſt : atqui ſubſtantia Incarnationis fuit principium omnis illius meriti, quod reipſa extitit in antiquis illis Patribus : fuit enim principium omnium meritorum Chriſti, huius autem merita fuerunt principium omnis meriti quod in illis fuit, quia fuerunt principium totius gratiæ illis aliquando collatæ, ex ea autem immediatè ortum habuit totum meritum quod aliquando reipſa in illis extitit.

At obiicies primò ſanctos illos Patres de quibus agimus, tam frequentibus orationibus à Deo petiiſſe Incarnationem, nec dubitandum, quin illis obtinere congruè meruerint quod petebant. Reſpondeo non petiiſſe ſubſtantiam Incarnationis præcisè, ſeu vt hoc myſterium fieret : ex fide enim ſciebant certiſſimè futurum vt

II. aliquando fieret : ſed modò petiiſſe, vt eo fieret tempore quo viuebant, Chriſtum vt viderent: modò vt celeriùs fieret, nec poſt tam multa ſæcula differretur : quod poſtremum per ſua merita conſequuti ſunt, vt paulò poſt dicemus. Nec refert, quòd verba quibus Chriſtum à Deo petebant, videantur ſignificare petitionem ipſius ſubſtantiæ Incarnationis : nam qua illi forma verborum petebant à Deo primum Chriſti aduentum, nos petere poſſumus ſecundum, & reipſa aliquando petimus, neque tamen eius ſubſtantiam præcise petimus, quia certiſſimi diuina fide ſumus futurum vt Chriſtus ad iudicandum aliquando veniat, ſed circumſtantiam aliquam huius ſecundi aduentus, vt temporis ac-

III. celerationem poſtulamus.

Obiicies ſecundò authoritatem S. Doctoris citato art. 11. in corpore expreſsè dicentis, ſanctos Patres de quibus agimus meruiſſe de congruo Incarnationem. Reſpondeo meruiſſe, non quoad ſubſtantiam Incarnationis, ſed quoad aliquas eius circunſtantias. Dices ſanctum Thomam aliquid ampliùs velle, eo quod illis Patribus ibi concedit meritum de congruo circa rem illam, circa quam paulò ante negauerat eiſdem meritum de condigno : negauerat autem circa Incarnationem, id eſt, circa ſubſtantiam myſterij Incarnationis. Sed reſpondeo, ipſum quidem circa Incarnationem negaſſe meritum condignum, conceſſiſſe congruum, at non circa Incarnationem eodem modo ſpectatam : negaſſe quidem circa eam ſpectatam

IV. quoad ſubſtantiam, conceſſiſſe autem circa eandem ſpectatam quoad circumſtantias.

Circa quam, hoc ſcilicet modo conſideratam, conceſſiſſe ſanctis illis Patribus meritum congruum, tribus certiſſimis ſignis innoteſcit. Primum eſt, argumentum quo probauit illos Incarnationem, ſeu Incarnationis ſubſtantiam non meruiſſe condignè : quia nimirum hæc eſt principium omnis illorum meriti, principium autem meriti in meritum non cadit : quod cùm ob eandem rationem verum ſit de merito congruo, ob quam de condigno verum eſt, ſit, vt agnoſcere non potuerit meritum congruum circa ſubſtantiam Incarnationis. Secundum eſt, argumentum quo probat illos Patres meruiſſe de congruo Incarnationem, quia nimirum illam deſiderabant, & petebant : tribuit ergo meritum congruum circa id quod petebant : at non A ipſius Incarnationis ſubſtantiam præcisè, ſed vt affectam aliquibus circumſtantiis petebant, ſicut paulò antè dixi. Tertium eſt, quòd in reſponſione ad tertium neget B. Virgini omne meritum, ac proinde tam congruum, quàm condignum circa ſubſtantiam myſterij Incarnationis : agnoſcat autem vt ſummum in ea meritum aliquod congruum circa maternitatem Dei, quæ myſterij illius circumſtantia ſolùm eſt : nunquam autem negaret B. Virgini circa ſubſtantiam Incarnationis meritum congruum, ſi hoc in illis Patribus agnoſceret.

V.

Tertia aſſertio. Nullus eorum mereri potuit de condigno circumſtantiam vllam myſterij Incarnationis : quia opera puræ creaturæ quantacunque ſanctitate præditæ ſolius gratiæ & B gloriæ de condigno meritoria eſſe poſſunt : vt conſtat ex antedictis ſæpiùs.

VI.

Quarta aſſertio. Meruerunt illi de congruo circumſtantias aliquas Incarnationis. Probatur in primis, eo quòd meruit de congruo Abrahamus, vt ex eius ſemine Chriſtus originem traheret, quæ vna eſt ex præcipuis huius myſterij circumſtantiis : quod quidem meritum aperte declarant hæc Scripturæ verba Geneſ. 22. *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Quo loco particula, *quia*, cauſam ſignificat, nec aliam quàm meritoriam, ob quam promiſit ei Deus futurum, vt in eius ſemine, id eſt, in Chriſto ex eius ſemine naſcituro, prout exponit Apoſtolus ad Galat. cap. 3. C benedicerentur omnes gentes.

VII.

Nec opponas D. Thomam prima ſecundæ quæſtione 98. articulo quarto docentem, electionem, ſeu præordinationem qua Deus elegit & præordinauit vt Chriſtus ex ſemine Abrahæ naſceretur, non fuiſſe ex ipſius Abrahæ meritis, ſed ex Dei gratuita vocatione, & voluntate. Vt enim rectè Vaſquez explicat hîc diſputatione 23. cap. 5. loquitur ſanctus Doctor de ſolis Abrahæ meritis ex ſolo eius libero arbitrio, non autem ex gratia profectis : quod ideo facit, vt electionem illam ſeminis Abrahæ ad gratiam Dei tanquam ad originem ſuam reuocet, qui ſic gratia ſua præuenire eum voluit, ex eáque talem illum reddere, qui mereri congruè poſſet, & reipſa mereretur, vt ex eo Chriſtus ortum duceret.

VIII.

Probatur deinde ex circumſtantia temporis, cuius accelerationem meruerunt ſancti illi Patres, vt communis Theologorum conſenſus eſt : & meritò ſanè, cùm tam ſæpe, tamque enixè à Deo petierint, vt Chriſtum citò mitteret, nec in tam longa tempora differret : cuius rei meritum congruum preces illæ procul dubio habuerunt : ob quod etiam meritum ſuum conſequuti reipſa ſunt, vt Incarnationis myſterium fieret eo tempore quo factum eſt, nec vlteriùs differretur, vt communis item Theo-

logorum consensus est, & probatur à Gabriele Vasquez citato cap. 5. à Suare disp. 10. sect. 6. à Valentia disp. 1. quæst. 2. punc. 8. ex diuersis Scripturæ testimonijs. Nec opponas Deum simul prædefiniuisse substantiam Incarnationis & tempus illius, cæteràsque similes eius circumstantias: prædefiniuit enim simul, id est, in eadem duratione æternitatis: at non simul, id est, in eodem signo rationis. Cùm enim substantia Incarnationis, & tempus eius, aliæque similes ipsius circumstantiæ, sint res inter se diuersæ, nihil vetat vnam ex iis decerni signo rationis priùs quàm alteram, & vnam ex præuisis meritis prædefiniri, & in tempore ex iisdem reipsa fieri, alteram verò minimè.

I.

At hîc quæret forte quispiam, vtrùm antiqui Patres de congruo saltem mereri potuerint, vt Christus pateretur pro nobis, & moreretur? Affirmandum videtur, eo quòd si passio eius & mors non fuit principium meriti ipsorum, imò signo rationis posterior fuit gratiâ quæ ipsis data est, sanè nihil prohibuit quo minùs illa caderet in eorum meritum aliquod congruum, ortum habens ex illa anteriore gratia: atqui non fuit principium meriti ipsorum, imò fuit illâ gratiâ posterior: nam Christi mors & passio signo rationis ac in præuisione Dei posterior fuit peccato Iudæorum, per quod illata est, & per consequens Iudæis huius peccati authoribus: hi verò signo rationis ac in præuisione Dei posteriores fuerunt gratiâ data in statu legis naturæ, cùm Abraham ex gratia sibi data meruerit vt vxor sua Sara sterilis conciperet Isaac, & per hunc pater fieret totius generis Iudæorum.

II.

At eo non obstante negandum est, simulque neganda Minor propositi in contrarium argumenti. Nulla enim homini vlli concessa est gratia post peccatum primi parentis, quæ non duceret ortum ex merito passionis & mortis Christi, & qua proinde hæc prior signo rationis, & in præuisione Dei non esset, principiumque per consequens omnis meriti quod ex illa gratia ortum habuit. Ad probationem autem illius Minoris dico, peccata Iudæorum per quæ Christo mortem intulerunt, fuisse posteriora ordine rationis ac in Dei præscientia, passione Christi ac morte: hæc enim peccata nec sunt, nec intelligi possunt, nisi intelligatur Deus ea permittere volens, & negare proinde auxilium gratiæ illius efficacis per quod ea impedire poterat, & reipsa impediuisset, si contulisset: quod cùm ex merito passionis & mortis Christi conferre posset, sequitur manifestè, meritum passionis & mortis Christi fuisse prius ordine rationis & in præuisione Dei, peccatis Iudæorum, passionem Christo & mortem inferentium. Quo circa dicendum est, Deum quo primùm signo rationis iuxta nostrum intelligendi modum vidit Christum pro humano genere passurum & moriturum, non vidisse modum quo passio & mors in eum inferretur, vtrum scilicet absque inferentium peccato: quod accidisset, si aut inuincibili ignorantia laborassent, aut si ipse supremus vitæ necisque dominus facere id eos iussisset: an è contrario per eorum peccatum, se permittente: & primum quidem ex his duobus modis non vidit, cùm ille modus nunquam futurus fuerit: secundum autem vidit quidem, cùm reipsa fuerit futurus, sed non vidit, nisi postquam vidit Abrahamum ex gratia sibi data susceptorum ex Sara Isaac, & per hunc liberos illos, quibus si permitteret vt Christo passionem & mortem, per summam licet impietatem, inferrent, erant illaturi, & hoc ipsis se permissurum.

III.

IV.

A

B

C

D

V.

VI.

VII.

VIII.

SECTIO II.

Vtrùm B. Virgo Dei maternitatem mereri potuerit, & reipsa meruerit?

TRIA hac de re affirmanda arbitror. Primum est, B. Virginem meruisse reipsa, vt esset mater Dei. Secundum est, id non meruisse, nec mereri potuisse de condigno. Tertium mereri potuisse de congruo duntaxat, & reipsa meruisse. Primum probatur ex communi consensu Theologorum, & authoritate sanctorum Patrum, Gregorij Papæ, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Basilij, Cypriani, Fulgentij, Bernardi, Eusebij Emisseni, Petri Damiani, Petri Chrysologi, Prudentij, Venantij Fortunati, Ioannis Maxentij, & aliorum qui citantur hîc a Suare, à Valentia, Gabriele Vasq. & aliis recentioribus: quibus adde canentem Ecclesiam, *Regina cœli lætare, quia quem meruisti portare.* Vbi aduerte, quòd quamuis meriti nomen, & ab Ecclesia, & à Patribus nonnunquam impropriè sumatur, tribuaturque rebus iis in quibus nullum prorsus esse meritum potest: vt cùm canit Ecclesia in benedictione cerei Paschalis, *O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Et cùm D. Cypri. epistola 59. seu lib. 3. epistol. epist. 8. extrema dicit, *Infantiũ ploratus & fletus mereri diuinam misericordiam*: tamen cum quispiam vitæ sanctitate bonisque operibus mereri quidpiam à Deo dicitur, meriti nomen in propria significatione accipiendum est: citati autem authores meritum maternitatis beatæ Virgini tribuentes, propter vitæ bonorumque operum sanctitatem tribuunt. Ex quibus proinde, quando nonnulli docere videntur, eam obtinuisse matris dignitatem, non ex suis meritis, sed ex sola Dei gratia, loquuntur de solis meritis profectis ex solo libero arbitrio, cuiusmodi merita reuera nulla habuit, non autem de iis quæ ex præuia Dei gratia ipsi collata ortum habuerunt.

Quòd si beata Virgo meruit Dei maternitatem, meruit quoque suam ad eam electionem, vt constat ex suprà dictis. Quod & Sanctorum Patrum authoritate confirmare licet, vt Basilij homilia de humana Christi generatione, quæ est 25. ante medium dicentis *Virginitatem vt aptam proximamque sanctitati electam esse*, ad maternitatem scilicet: & paulo post, *Quoniam nulla puritate par Mariæ virginitas inter homines ad effectum sancti Spiritus excipiendum est reperta electa est beata Virgo.* & Ambrosij epistola 28. columna 6. sic loquentis: *Quid loquar, quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset corporale Dei templum*, &c. Secundum autem constat ex eo quod antè diximus, nullius puræ creaturæ actiones quantumuis bonas & sanctas esse posse de condigno meritorias alterius præmij, quàm gratiæ & gloriæ. Ex quibus tertij veritas euidens est: cùm enim, vt probauimus, dignitatem Matris Dei meruerit, nec condigno merito, restat vt congruo.

At contra secundum oppones, multos Patres dicere B. Virginem fuisse dignam quæ Mater Dei esset. Verùm non propterea significare volunt, eam hoc condigno merito promeruisse: nam cùm hunc loquendi modum vsurpamus de aliquo, & dicimus, vt sæpè solemus, dignus fuit
I. hoc beneficio, dignitatis nomine non semper significamus condignum meritum, vt cùm dicimus Petrum fuisse dignum Apostolatu, Stephanum Martyrij gloria: imò plerumque non significamus congruum: vt cùm Regis filium infantem dicimus dignum regno, & alicuius egregiam formam dignam imperio: sed eum omnem qui beneficium aliquod a Deo consequitur ex præuia aliqua bona in ipso inuenta dispositione, dicimus dignum inuentum tali beneficio, siue dispositio hæc sit purè habitualis, nullúmque proinde includat meritum, siue congruum, siue condignum: siue etiam sit actualis, seu includens aliquem actum bonum, & per consequens aliquod meritum, saltem congruum: quæ dispositio siue habitualis siue actualis quo melior est, eo persona sic disposita dignior dicitur beneficio quod
II. accipit. Vnde cùm B. Virgo ex omnibus creaturis fuerit optimè disposita ad beneficium maternitatis Dei consequendum, ideo omnium dignissima dicitur quæ consequeretur, & si condignè non meruerit.

Oppones præterea contra tertium impossibile fuisse, vt B. Virgo mereretur etiam de congruo Dei maternitatem, nisi velimus, aut principium meriti cadere sub meritum, aut Christum incarnatum non esse principium omnium meritorum quæ ipsa habuit: quorum tamen neutrum concedendum est. Etenim signo rationis, & in præuisione Dei prius fuit B. Virginem futuram Matrem Dei, quàm Christum fore illum numero hominem qui reipsa fuit: vnde vel ille singularis homo non fuit principium meritorum omnium quæ Virgo habuit, si meruit, vt Mater Dei
III. esset: vel certè principium suorum meritorum meruit. Quod autem fuerit illud prius quod dixi, hinc probatur, quòd Christus non potuerit esse, vel à Deo præuideri singularis ille homo qui actu est, nisi constaret hac ipsa humanitate qua reipsa constat: non potuit autem esse hæc numero humanitas, nisi constaret hac numero materia, hanc autem materiam non habuit nisi desumptam ex corpore Virginis, in eoque formatam in corpus humanum.

Respondeo negando esse impossibile, quod in obiectione dicitur. Ad probationem dico falsum esse, prius ordine rationis ac in præuisione Dei fuisse, B. Virginem fore Matrem Dei, quã Christum futurũ hunc numero hominem: licet enim esse hic singularis homo non potuerit, quin hac
IV. singulari humanitate constaret, neque hac constare potuerit, quin haberet hanc numero & animam & materiam: tamen vt hanc numero materiam haberet, Deusque habiturum præuideret, necessarium primò non fuit, vt B. Virgo in corpore suo sub forma sui sanguinis hanc ipsam materiam prius haberet, quàm ex ea Christi corpus formaretur: aut haberet eo ipso tempore, quo formandum erat: potuisset enim Deus per prouidentiam suam ita disponere omnia, vt nunquam habuisset, & saltem non habuisset eo tempore quo prædictum corpus erat formandum: sicut & per eandem prouidentiam factum est, vt multæ aliæ mulieres prædictam illam materiam eo tempore sub forma sui sanguinis non habuerint, imò nunquam habuerint, quæ tamen habere æquè potuissent, si Deus ita voluisset, ac B. Virgo habuit, cùm non minùs illæ quàm hæc in Christi Matrem eligi à Deo potuerint. Deinde necesse item non fuit, etiam ex hypothesi quod B. Virgo sub forma sui sanguinis prædictam materiam haberet eo tempore, quo Christi corpus erat ex ea formandum, vt hoc ex illa formaretur eo modo, qui simpliciter & absolutè necessarius est, vt mulier humani corporis ex eius sanguine formati Mater verè sit, & dicatur: Deus enim illud ex illa formare eo simílve modo potuisset, quo ex Adami costa corpus Euæ formauit, ipsamque produxit: quo modo si ex B. Virginis sanguine corpus Christi formasset, non magis hæc Christi Mater dici verè posset, quàm Adamus Euæ pater. V.

Quocirca sicut in re simili sub finem superioris sectionis diximus, ita nunc in ista dicendum est, Deum pro primo illo signo rationis, quo Christum hunc singularem hominem, hacque singulari humanitate & materia constantem vidit futurum, & merita habiturum, non vidisse modum, quo corpus eius ex ista materia formandum erat, vtrùm scilicet concurrente ad formationem eius muliere, eo concursu qui ad maternitatem necessarius est, an secus: & hoc quidem secundum nunquam vidisse, cùm nunquam ita futurum fuerit: illud autem primum non vidisse pro illo signo rationis, sed postea, postquam nimirum præuidit B. Virginem, ob prędicti singularis hominis merita iam ante præuisa, habituram eam gratiam, ex qua congruè mereretur, vt esset eiusdem singularis hominis Mater, seu ad VI. VII. corporis eius formationem concurreret eo concursu, qui ad maternitatem necessarius est. Ex quo intelligitur, quid illa meruerit, dum meruisse dicitur vt Mater Dei esset: nam meruit, vt ex materia existente sub forma sanguinis quem in corpore suo habebat, Christi corpus & humanitas formaretur, ipsa concurrente ad formationem hanc eo concursu, qui necessarius est, vt mulier hominis producti Mater vere sit, & dicatur.

Addi potest, eam præterea meruisse, vt sub forma sui sanguinis haberet materiam illam, qua constare debebat hæc singularis Christi humanitas, eoque tempore haberet, quo ex ea formandum eius corpus erat. Illam enim sub forma sui sanguinis in corpore suo tunc habere prædictam materiam, erat prorsus necessarium, vt Mater hominis ex ea formati dici posset: quamquam hoc VIII. illam meruisse, simpliciter non fuit necessarium: vnde si concedamus Deum, absque vllis Virginis meritis, prouidentia sua res ita disposuisse, vt de facto tunc temporis illam haberet, meruerit nihilominus vt Dei Mater eligeretur, & esset, dummodo meruerit vt ad formationem corporis eius eo quem dixi concursu concurreret.

DISPVTATIO XVI.

Vtrùm persona Verbi terminet naturam humanam ratione alicuius absoluti, an relatiui?

I. INSTITVIMVS hanc & sequentem disputationem, occasione doctrinæ quam tradit S. Thom. art. 1. & 2. quæstionis 3. in illo priore asserens, conuenire diuinæ personę naturam creatam assumere: cuius assertionis veritas hinc constat, quòd cùm assumere sit quasi ad se sumere, vocabuloque proinde assumptionis duo importentur, principium scilicet actiuum actionis quæ assumptio dicitur, & terminus rei quæ assumitur, illi propriè conuenit assumere, cui conuenit esse principium actiuum actionis illius, & esse terminum rei quæ assumpta dicitur: vtrumque autem diuinæ personæ propriè conuenit. Nam hæc per omnipotentiam suam actiuum illius actionis principium est: & eam præterea per II. se, seu per subsistentiam suam terminat, aut terminare potest.

In hoc autem posteriore duo docens: vnũ est, esse principium actiuum prædictæ actionis conuenire diuinæ naturæ secundùm se, quia omnis virtus agendi ad extra diuinæ naturæ secundùm se conuenit, ab eaque tanquam à principio actiuo immediatè est omnis actio Dei quæ ad extra exercetur. Alterum est, esse terminum assumptionis, seu rei quæ assumi dicitur, non conuenire naturæ diuinæ secundùm se, sed solùm ratione personæ in qua est, quia non natura, sed persona terminat, sicque primariò quidem soli personę conuenire assumere, secundariò verò dici posse conuenire naturæ rem assumere, non quidem ad se formaliter, vt natura est, sed ad personam in qua III. est, & per consequens ad se quidem, sed materialiter & identicè, quia cum illa persona idem à parte rei est.

Circa quam D. Thomæ doctrinam duo hîc obiter obseruanda sunt. Primum est, illam eius conclusionem priore articulo positam, quòd nimirum diuinæ personæ conueniat naturam creatam assumere, indefinitam esse, nec proinde intelligendam determinatè de persona Verbi, sed indefinitè de persona diuina: cùm præsertim quælibet possit naturam aliquam creatã hypostaticè assumere: vt apertè constat ex ratione qua illam eius conclusionem probauimus. Secundum est, licet nũc verè dici possit diuina natura assumpsisse reipsa naturam humanam, non tamen idem dici verè posse de Patre, aut Spiritu sancto: ideo enim hoc de illa dici verè potest, quia & fuit IV. principium actionis quæ assumptio dicitur, & per eam, prædictam naturam ad personam cum qua idem à parte rei est, assumpsit: at quamuis Pater & Spiritus sanctus fuerit eiusdem actionis actiuum principium, neuter tamen per eam verè dici potest assumpsisse naturam illam ad personam, cum qua idem à parte rei est, cùm ad solam Verbi personam assumpta fuerit, ab ea autem Pater & Spiritus sanctus realiter differant.

Iam verò ad propositam hîc à nobis quæstionem veniamus, cùm in persona Verbi, sicut & in Patris, ac Spiritus sancti, quædam per rationem prędicata distinguamus, quorum alia absoluta sunt, vt omnipotentia, misericordia, iustitia, similiáque A tribus diuinis personis communia: alia relatiua, quæ singulis personis propria sunt, vt paternitas Patri, filiatio filio, spiratio passiua Spiritui sancto: sensus quæstionis est, vtrùm id quo Verbum directè & immediatè humanam naturam terminat, sit prioris generis, an posterioris? V.

Prima assertio. Id quo Verbum terminat humanam naturam relatiuum est. Probatur, id quo terminat, subsistentia Verbi est, atqui subsistentia Verbi relatiua est. Maior certa est, tum quia eo terminat in quo vnio humanitatis facta cũ Verbo est: facta est autem nõ in natura Verbi, sed in eius subsistentia, vt ex supradictis certum est: tum quia ea re sua terminat, qua facit humanitatem formaliter subsistere, seu qua complet eam in ratione suppositi: at nulla re alia facere id potest, quam subsistentia. Minoris veritas constat ex iis quæ prima parte de Deo tractantes diximus disp. 54. in qua probauimus, diuinam naturam nullam habere subsistentiam absolutam, quæ sit communis tribus diuinis personis, sed habere tantũ tres B relatiuas, quarum vna constituitur persona Patris, altera Filij, tertia Spiritus sancti: ex quo sequitur euidenter, & in persona Verbi nullam aliam esse subsistentiam nisi vnicam, eamque relatiuam, & impossibile esse assumi hypostaticè ab aliqua persona diuina naturam creatam, quin natura hæc ab assumente persona ratione alicuius relatiui, nimirum propriæ ipsius subsistentiæ relatiuæ, terminetur. VI.

Secunda assertio. Etsi concederemus in diuinitate, præter tres prædictas subsistentias relatiuas, aliquam absolutam, tribus diuinis personis communem, non esset tamen dicendum, Verbum terminare naturam humanam per solam hanc suam subsistentiam absolutam: si enim per hanc solam terminaret, aut ipsum Verbum dici non deberet C Incarnatum, quod contra fidem est: aut non potius dici deberet incarnatum, quàm Pater, & Spiritus sanctus, quod item est contra fidem: quia cùm hæc subsistentia absoluta æquè in Patre, & Spiritu sancto ac in Verbo sit, si hæc sola subsistentia terminat humanitatem, & eius ratione vna persona diuina dicitur incarnata, pari iure & aliæ duæ dici debebunt: quemadmodum si vnio humanitatis assumptæ facta fuisset directè & immediatè in sola diuina natura, quæ tribus diuinis personis ex æquo communis est, aut nulla persona dici deberet incarnata, aut si vna diceretur, aliæ quoque duæ dici deberent. VII.

Tertia assertio. Etsi concederemus illud ipsum quod superiore assertione dixi, non esset tamen admittenda in humanitate à Verbo assumpta duplex vnio hypostatica, vna facta in subsistentia D absoluta, altera in relatiua Verbi diuini. Ita Theologi communiter contra Durandum in 3. dist. 5. quæst. 1. & Capreolum dist. 1. quæst. vnica artic. 1. conclus. 4. qui vtramque illam hypostaticã vnionem admittunt: hoc tamen discrimine, quòd Durandus vnionem factam in subsistentia absoluta velit esse primariam, alteram secundariam: è contrario autem Capreol. factam in propria Verbi personalitate, quę relatiua est, dicat esse primariã, alteram verò secundariam, neque hanc secundariã fieri potuisse, nisi ratione primariæ illius. Im- VIII.

pugnatur vterq. primò authoritate Concilij. Toletani sexti, cuius hæc verba sunt cap. 1. *Et cùm Trinitas cooperata sit formationem susceptihominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen Filius susceptit humanitatem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id quod est proprium Filij, non quod est commune Trinitati.* Quæ doctrina verbis iisdem repetitur & confirmatur in Concilio Tolet. XI. in confessione fidei: susceptisset autem in aliquo communi toti Trinitati, si susceptisset in absoluta subsistentia, quæ ei communis est, non minus quàm natura diuina.

I. A

Secundò, authoritate sextæ Synodi actione 8. cuius in 3. ante finem columna refertur sancti Dionysij testimonium quo dicitur solum Verbum esse incarnatum, & in hoc Incarnationis mysterio Patrem & Spiritum sanctum nihil habere commune nisi *benignissimam voluntatem*, qua scilicet hoc Incarnationis mysterium efficere voluerunt, & reipsa effecerunt: quæ volitio & effectio toti Trinitati communis est: haberent autem Pater & Spiritus sanctus præter hanc benignissimam voluntatem aliquid commune in isto mysterio, si hypostatica vnio facta fuisset, non in sola personalitate Verbi, sed præterea in subsistentia absoluta, quæ ipsis cum Verbo communis est. Et sanè quis neget ipsos plus aliquid in mysterio isto habituros, quàm haberent in illo alio, quo naturam humanam cum Angelo hypostaticè vnirent, in quo tamen haberent benignissimam voluntatem, qua illud efficere voluissent, & reipsa effecissent?

II. B

Impugnatur tertiò ex duobus consectariis quæ falsa sunt: quorum primum est, humanitatem Christi vnitam esse substantialiter tribus diuinis personis, & harum proinde quamlibet ei substantialiter vnitam esse: vnio enim illa substantialis est, quæ fit in subsistentia, ac præsertim diuina: quia subsistentia, ac diuina præsertim, quidpiam substantiale est: ex quo compositum quod exurgit,

III. C

necessariò substantiale est: per hanc ergo vnionẽ cum absoluta subsistentia vniretur humanitas substantialiter, & quidem tribus diuinis personis, quia hæc absoluta subsistentia in qua vnio fieret, trium diuinarum personarum communis subsistentia est. Et sanè quemadmodum nunc eadem humanitas vnita diuinitati substantialiter est, quia & hæc & illa nunc vno communi termino ac vinculo substantiali connectuntur, qui terminus, & quod vinculum est ipsa Verbi personalitas: ita nunc humanitas tribus illis personis vniretur substantialiter, quia vnio fieret in aliquo substantiali tribus illis communi, nempe in subsistentia absoluta, hæcq. subsistentia esset communis terminus, ac commune vinculum in quo conuenirent, & quo connecterentur tres illæ personæ, & prædicta humanitas.

IV. D

Secundum est, Patrem & Spiritum sanctum esse incarnatos, quod contra fidem est: si enim aliqua vnio facta fuisset directè & immediate in absoluta subsistentia, is qui directè & immediatè incarnatus fuisset, seu factus homo, esset hic Deus absolutus: qui quoniam communis esset tribus diuinis personis, de qualibet enim verè diceretur, est hic Deus absolutus, sequeretur Patrem & Spiritum S. esse incarnatos. Nã quidquid verè prædicari posset de hoc Deo absoluto, verè de iisdẽ posset prædicari: quandoquidem eorum quis. esset hic Deus absolutus: de hoc autem Deo absoluto verè diceretur, quòd esset factus homo seu incarnatus. Ex quo sequeretur vlteriùs, Verbum duplici titulo dici debere incarnatum. Primùm eodẽ quo Pater & Spiritus S. ratione scilicet absolutæ subsistentiæ in qua vnio facta directè fuisset: deinde altero speciali, nempe ratione personalitatis ipsi propriæ, ad quam altera hypostatica vnio facta esset.

Respondet Durandus, non posse simpliciter & sine addito Patrẽ & Spiritum S. dici incarnatos, quoniam vt de solo Filio id verum sit, sufficit specialis illa vnio quam cum eius personalitate admittit: rectè tamen posse concedi cum addito esse incarnatos, nimirum in quantum sunt Deus: vnde propositionem hanc non recipit, Pater, aut Spiritus S. est homo: at istam recipit, Pater, aut Spiritus sanctus in quantum Deus, est homo: quo Dei nomine, Deum hunc absolutum, ex indiuidua natura diuina, & subsistentia absoluta nostro concipiendi modo compositum intelligit.

Sed refellitur hæc Durandi responsio quoad vtramque partem: quoad priorem quidem, quia cùm Pater ac Spiritus S. sine addito sit hic Deus, necessariũ est, vt quidquid simpliciter & absolutè de hoc Deo verè prædicatur, verè de hoc, & illo possit absolutè simpliciterque prædicari: de hoc autem Deo verè prædicaretur simpliciter & absolutè, quòd esset factus homo, seu incarnatus. Neque id impedire posset specialis vnio quam cũ Verbi personalitate intercessisse concedit, quoniam hæc efficeret quidem, vt Verbum speciali quodam titulo diceretur incarnatũ, quo non possent Pater & Spiritus S. dici incarnati: at sicut nõ impediret quo minus vterque esset hic Deus absolutus, & hic Deus esset incarnatus, ita nõ posset impedire quo minus vterque verè incarnatus esset. Quod confirmatur exemplo creationis, quæ propriè, absolutè, ac sine addito singulis personis attribuitur, quamuis eis conueniat solùm ratione omniporentiæ, quæ est eis communis. Adde quòd facta humanitatis vnione cum subsistentia absoluta, hic homo, & hic Deus absolutus idẽ essent: sicut facta eiusdem humanitatis vnione cum personalitate Verbi, hic homo & Verbum idem sunt: vnde quàm absolutè & sine addito de Patre & Spiritu sancto enuntiari posset hic Deus absolutus, tam posset hic homo.

VI.

Iam verò quoad posteriorem partem refellitur illa responsio: primò quia nullo modo concedendum est Patrem & Spiritum S. esse incarnatos, seu hunc aut illum factum esse hominem: humanitatem enim de hoc, aut illo prædicare áliquo modo eóque nominatim quo Durandus prædicat, hunc-que aut illum quouis modo dicere incarnatum, à doctrina Patrum, Conciliorũ, & totius Ecclesiæ alienum prorsus est. Secundò, quia propositio illa relata superius quam idem Durandus recipit falsa est, sicut & ista, Verbum in quantum Deus, homo est: dicere enim Patrem, aut etiam Verbum in quantum Deus est, esse hominẽ, est dicere Patri, aut etiam Verbo secundum diuinitatẽ, seu ratione diuinæ naturæ conuenire hominẽ esse, quod falsum est, cùm conueniat tantũ ratione humanitatis, quam oporteret esse vnam eandemq. cũ diuinitate naturam, vt illa propositio vera esset.

VII.

Quarta assertio. Supposita in diuinitate sub-

VIII.

I. ...ntia absoluta communi tribus personis, ...æter tres relatiuas singulis proprias, qui diceret hypostaticam humanitatis vnionem factam esse in absoluta subsistentia, & in relatiua Verbi simul, itavt vnica esset in humanitate vnio, & hæc ad vtramque illam Verbi subsistentiam ordinem essentialem haberet tanquam ad vnicum simplicem & indiuisibilem terminum, & quod consequens est, Verbum terminare naturam humanam ratione tam absoluti, quàm relatiui, nihil diceret repugnans iis quæ vel ex Scriptura, vel ex Patrum Conciliorúmve doctrina de mysterio Incarnationis sentire debemus. Rectè enim defendere posset primò, Verbum incarnatum esse. Secundò, solum esse, non item Patrem, aut Spiritum sanctum. Tertiò, vnionem factam fuisse non in natura, sed in subsistentia Verbique persona: hæc enim omnia vera essent, etsi vnio illa facta illo modo fuisset, neque quidquam ex iis reuocari in dubium posset, nisi forte secundum, propter subsistentiam absolutam in qua vnio facta fuisset: quæ quia esset tribus diuinis personis communis, viderentur illæ omnes incarnatæ, vt paulo antè contra Durandum concludebamus.

II. Verùm id recte contra eum faciebamus, quia ponebat vnam cum absoluta subsistentia vnionem, qua nihil aliud directè & immediate cum humanitate connectebatur, quàm absoluta illa subsistentia, volebátque proinde vnionem hanc terminari ad absolutam illam subsistentiam precisè secundùm se consideratam, quo modo tribus diuinis personis communis est. At idem non rectè concluderetur in eum qui quod in assertione diximus, diceret: quia non poneret vnionem cum illa subsistentia absoluta secundùm se præcisè considerata, sed vt contracta veluti & modificata per relatiuam Verbi subsistentiam: quo modo spectata sicut soli Verbo inest, ita vnio facta fuisset non in aliquo tribus diuinis personis communi, sed soli personæ Verbi proprio: vnde non Pater, aut Spiritus sanctus, sed sola Verbi persona incarnata esset. Quemadmodum contra eum qui diceret diuinæ naturæ præcisè secundùm se spectatæ, ac proinde vt communis est tribus personis, conuenire potentiam generandi, rectè concluderetur, non solùm Patrem, sed etiam Filium & Spiritum sanctum generare posse: quod tamen concludi non potest contra eos, qui dicunt eidem diuinæ naturæ non quidem secundùm se præcisè spectatæ, sed vt contractæ veluti ac modificatæ per relationem paternitatis, generandi potentiam conuenire. Imo cum natura diuina sic spectata in solo Patre sit, recte hinc inferretur, generandi potentiam ei soli inesse.

III. Quinta assertio. Qui vnicam tantùm in diuinitate subsistentiam admittunt, eamque absolutam, proprias autem singularum personarũ personalitates negant esse formaliter subsistentias, aiúntque esse solùm modos quosdam incommunicabilitatis, dicere debent vnionem humanitatis factam fuisse in subsistentia illa absoluta, non præcisè tamen, sed vt contracta veluti & determinata per propriam Verbi personalitatem: quod reipsa faciunt Franciscus à Victoria, & Domin. Sotus, vt Medina refert ad articulum 2. huius tertiæ quæstionis. Et quidem dicere debent vnionem factam fuisse in absoluta illa subsistentia, quia vnio quæ in humanitate Christi facta est, non fuit in natura, sed in subsistentia: ergo in absoluta, si nulla alia in Deo subsistentia est. Quòd autem dicere debeant factam fuisse in ea non præcisè secundùm se spectata, sed eo quo dixi modo contracta & determinata, patet in primis ex eo quòd nisi hoc dicitur, inciditur in refutatam antea Durandi sententiam. Deinde quia de fide est vnionem humanitatis fuisse hypostaticam, seu non in natura, sed in Verbi persona, & quidem solius: non potest autem intelligi facta vnio in ipsius solius persona, nisi facta fuerit in aliquo quod ipsi soli conueniat: ergo si in absoluta subsistentia facta est, facta fuerit, vt hæc solius Verbi propria est: non est autem eius solius propria, nisi spectetur prout per propriam eius personalitatem contracta veluti ac determinata est.

IV. Aduerte autem primò authores id quod in hac quinta assertione dixi concedentes, consequenter dicere debere, vnicam tantùm factam fuisse in humanitate Christi vnionem. Nam si duas admitterent, per quarum vnam esset vnita subsistentiæ absolutæ, per alteram Verbi personalitati, prior illa vnio facta fuisset in subsistentia illa secundùm se spectata, ac proinde prout tribus diuinis personis communis est: quæ est Durandi antè refutata sententia. Nam eatenus tantùm dici potest vnio facta in subsistentia absoluta prout in Verbo est, seu quod eodem recidit, prout est contracta veluti & modificata per Verbi personalitatem, quatenus hæc personalitas simul cum illa subsistentia vnitur alicui naturæ creatæ per vnam eandémque vnionem.

V. Aduerte secundò, vt vna eadémque vnione tam hæc personalitas, quàm illa subsistentia naturæ creatæ vniantur, esse necessarium, vnionem hanc essentialem ordinem & respectum immediatè dicere, tam ad hanc personalitatem, quàm ad illam subsistentiam, tanquam ad vnicum simplicem & indiuisibilem terminum: sine hoc enim illius vnionis immediato ad ipsam personalitatem respectu, intelligi non potest, quomodo dicat ordinem ad subsistentiam absolutam non præcisè secundùm se spectatam, sed vt in Verbi persona est, seu prout eius personalitate contracta quodammodo & modificata est.

DISPVTATIO XVII.

Vtrùm absoluta Dei potestate possit persona creata terminare alienam naturam creatam?

SECTIO PRIMA.

Tres hac de re sententiæ referuntur, & tertia refellitur.

VI. QVÆSTIONIS istius duplex sensus esse potest: prior, an persona creata possit sic alienam naturam terminare, vt eam simul assumat: posterior, an possit saltem terminare, licet non assumat: plus enim est assumere,

VII.

VIII.

quàm terminare: num qui assumit, & naturam quam assumit subsistentia sua terminat, & præterea est principium effectiuum vnionis hypostaticæ, per quam vnit subsistentiæ suæ, ac personæ naturam quam assumit: vnde omnis qui assumit, terminat: at non omnis qui terminat, assumit. Solo autem posteriori sensu quæstio à nobis proposita accipienda est: cuius qui partem negantem amplectetur, negantem consequenter amplecti debebit partem eiusdem quæstionis, sed priori sensu acceptæ: nam si non potest persona creata naturam alienam terminare subsistentia sua, certè nec eam potest assumere, cùm omnis qui assumit terminet: at qui eiusdem posteriori illo sensu sumptæ partem affirmantem amplecti maluerit, de ea priori sensu accepta dicere debebit, nullam personam creatam posse naturam alienam assumere instar causæ vel principalis, vel naturali sua virtute agentis, & assumentis: nulla enim persona creata vim habere potest naturalem excludendi ab aliena natura propriam huius naturæ subsistentiam, ipsamque sibi vniendi hypostaticè, cùm hic effectus sit haud dubiè supernaturalis: vnde si quam efficientiam physicam circa hunc effectum habere potest, sanè non aliam, quam causæ instrumentalis, per potentiam suam actiuam obedientialem agentis, Deoque vt causæ principali inseruientis ad huius effectus productionem.

I.

II.

Iam de proposita quæstione posteriore sensu accepta tres reperio sententias. Prima est affirmans, quam defendunt Ochamus in 3. quæst. 1. dubio vltimo. Maior dist. 1. q. 5. Alma. & Marsil. quæst. 2. in eámque magis propendent Scotus distinct. 1. quæst. 4. & Gabriel ibidem quæst. 2. dub. 4. Secunda est negans, quam tuentur Durandus in 3. distinct. 1. quæst. 5. Palud. quæst. 1. artic. 2. Henricus quodlib. 11. quæst. 10. Sotus in 4. distinct. 9. quæst. 2. artic. 2. Caiet. & Med. ad. art. 1. citatæ quæstionis 3. Suarez disputat. 13. sect. 4. & Gabriel Vasquez disputat. 25. Tertia inter vtramque media est Gregorij à Valentia hîc punct. vltimo, distinguentis inter personalitates siue subsistentias iam creatas, & creabiles per absolutam Dei potentiam, & dicentis, nullam ex iam creatis posse terminare naturam alienam, id autem posse aliquam ex iis quæ per absolutam Dei potentiam sunt creabiles, eo quòd necesse non sit subsistentias omnes rerum creabilium esse perinde propriis earum naturis adæquatas, atque iam sunt eæ quæ de facto creatæ sunt. Ego de hac controuersia quatuor dicenda habeo.

III.

Primum est, tertiam hanc opinionem meo iudicio minus habere probabilitatis, quàm duæ præcedentes habeant. Ratio est, quòd sicut subsistentiæ iam creatæ, sunt naturales iis naturis quarum nunc subsistentiæ sunt: ita quæcunque aliæ creabiles, sunt perinde naturales aliquibus naturis creabilibus: sicut & omnes intellectus possibiles sunt naturales aliquibus naturis intellectualibus possibilibus: quo fit, vt cùm quælibet siue creata, siue creabilis, sit æquè naturalis propriæ suæ naturæ, ac proinde æquè proportionata & adæquata ipsi, atque quæcunque alia suæ, fatendum sit, aut nulli etiam creabili conuenire terminare naturam alienam, aut id conuenire quoque iam creatis.

IV.

SECTIO II.

Quid de secunda sententia sentiendum sit declaratur.

A SECVNDVM est, me pro secunda sententia nullum videre fortius argumentum authoritate S. Doctoris citato artic. 1. in resp. ad 2. sic loquentis: *Hoc autem est proprium diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundùm subsistentiam.* Qui tamen sic explicari posset ab iis qui primam sententiam defenderet, vt solùm velit, esse proprium personæ diuinæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum secundùm subsistentiam, non quomodocunque, seu quocunque concursu, sed ipsi naturali, seu connaturali: concurrunt enim duæ naturæ in vnam personam eo ipso quo per vnionem hypostaticam inter sese copulantur: vnde cui personæ hæc vnio naturalis, seu connaturalis est, eidem quoque est connaturalis duarum in ea naturarum concursus: vnio autem ista, respectu cuiuscunque personæ creatæ, aut creabilis, in entitate supernaturalis est, soli autem personæ diuinæ ob eius infinitam perfectionem naturalis seu connaturalis est, vt disp. 13. sect. 4. probauimus.

V.

VI.

B

Quæ verborum D. Thomæ explicatio confirmari posset, ex eo quòd vere etiam dici potest, proprium esse diuinæ personæ ob eius infinitatem naturam alienam assumere, non ea solùm parte, qua assumptio significat actum terminandi naturam assumptam, sed etiam ea præcise parte, qua significat actionem, quæ est productio vnionis hypostaticæ. Imò S. Doctor cùm in eiusdem artic. primi corpore dicit diuinæ personæ *propriissimè competere* naturam alienam assumere, videtur velle propriissimè competere illi personæ assumere, tam ea parte qua assumptio dicit actum terminandi, quàm qua prædictam actionem, itavt hoc, & illud etiam diuisiuè sumptum ei propriissimè competat: quod tamen postremum dum ei dicitur propriissimè competere, sic est intelligendum, vt ei soli proprium sit ac competat naturaliter, quia ei soli inest vis actiua naturalis, per quam prædictæ actionis principium esse potest. Quod sicut non impedit, quo minus per absolutam Dei potentiam possit aliqua creatura supernaturaliter, & per vim suam actiuam obedientialem esse principium effectiuum hypostaticæ vnionis, ex eorum sententia qui sacramenta gratiam physicè producere existimant, & potentiam istam obedientialem vniuersim in creaturis admittunt, de quorum numero est D. Thomas, vt tractantes de sacramentis in genere probabimus: ita quòd proprium diuinæ personæ sit ob eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, impedire non potest, quo minus supernaturaliter, & per absolutam Dei potentiam in persona creata similis naturarum concursus fieri possit, si nihil aliud impedimento sit.

C

VII.

D

VIII.

Tertium est, nullam afferri posse rationem, quæ efficaciter ostendat repugnare vt persona creata alienam naturam creatam terminet: quod ostendemus refutatione præcipuarum quæ affe-

runtur, vt hoc repugnare probetur. Prima est: nulla natura terminari simul potest subsistentia propria, & aliena creata: ergo nulla creata subsistentia potest simul terminare propriam suam naturam & alienam. Negatur consequentia, tum quia alioquin ex hoc antecedente, nulla natura creata terminari potest sua propria subsistentia & diuina simul, recte concluderetur, diuinam subsistentiam non posse terminare simul suam propriam naturam, & alienam: tum quia quæ ratio efficit, vt nulla virtute possit natura terminari propria subsistentia simul & aliena, nullam vim habet efficiendi, vt vna subsistentia, siue diuina, siue creata, non possit terminare simul naturam suam propriam, & alienam: quænam autem sit illa ratio quæ illud efficit, ad sequentem D. Thomæ quæstionem dicemus.

I. A

Secunda: quælibet creata subsistentia suæ propriæ naturæ adæquatè respondet: ergo nullam aliam terminare potest: nam si posset, vltra naturam suam se extenderet, nec ei adæquatè responderet. Respondeo ad antecedens, eo sensu ei adæquatè respondere, quo subsistentia diuina

II. B

diuinæ naturæ: quo etiam forma vna vni subiecto, & vnum corpus vni loco, aut locus vnus vni corpori: quæ adæquatio sicut non impedit, quo minus & diuina subsistentia terminare possit plures naturas, & per absolutam Dei potentiam vna forma poni in pluribus subiectis, & corpus vnum in pluribus locis, ita nec illa subsistentiæ cum propria sua natura adæquatio, quin per absolutam Dei potentiam terminare possit plures naturas.

Tertia: qua ratione creata subsistentia terminare simul posset aliquam naturam, præter suam, eâdem quoque posset plures in infinitum: atqui hoc impossibile est: ad hoc enim infinita subsistentiæ perfectio, & terminandi vis requireretur: cuiuslibet autem naturæ creatæ subsistentia finitam tantùm perfectionem, & terminandi vim

III. C

habere potest. Concessa Maiore, negatur Minor, & ad eius probationem respondetur, in subsistentia quidem requiri vim aliquam virtutémque terminandi, vt naturam suam terminet, & eò maiorem quò perfectior illa natura est: quia sicut quælibet essentia quò est perfectior, eò perfectiorem habet existentiam, nobiliorésque proprietates, ita quò natura aliqua substantialis secundùm essentiam præstantior est, eò præstantiorem subsistentiam sibi vendicat: at vt naturam alienam vnam aut plures cum propria sua simul terminet, non requiri in ea maiorem perfectionem ac terminandi vim, ea quæ requiritur, vt propriam suam naturam etiam solam terminare possit.

Ratio est, quia potest terminare naturam alienam, eámque facere formaliter subsistentem,

IV. D

dummodo possit essentialem ordinem terminare quem habebit vnio hypostatica ponenda in aliena natura: eo enim ipso quo hunc eius ordinem terminare poterit, poterit per hanc vnionem cum natura illa connecti, ac proinde terminare illam substantialiter, faceréque formaliter subsistentem: vt autem possit terminare ordinem essentialem vnionis hypostaticæ ponendæ in aliena natura, vna vel pluribus, non requiritur in ea plus perfectionis & virtutis ad terminandum illa perfectione & virtute quæ requiritur vt propriam suam naturam terminare valeat: per illam enim ipsam entitatem & perfectionem suam qua sibi propriam naturam terminat substantialiter, potest terminare ordinem cuiuslibet vnionis hypostaticæ, in qualibet aliena natura vna vel multiplici ponendæ: quia possunt illæ omnes vniones hypostaticæ ad illam

V. A

ipsam eius entitatem perfectionémque dicere essentialem ordinem & respectum: quemadmodum idem obiectum secundùm eam entitatem ac perfectionem suam qua terminat cognitionem infimi Angeli, ordinémque essentialem quem ad ipsum habet hæc cognitio, potest terminare cognitiones perfectiores in infinitum perfectiorum in infinitum Angelorum, essentialemque ordinem, quem ad illud ipsum hæ cognitiones habebunt: sicut & materia prima secundum eandem entitatem & perfectionem qua terminat ordinem infimæ formæ substantialis, qua informari potest, terminat & ordinem omnium aliarum licet perfectiorum in infinitum.

Quarta est Suaris sic argumentantis: Subsistentia creata cùm sit modus naturæ, cuius propria subsistentia est, alienam naturam modificare

VI. B

non potest: ergo nec terminare. Probat antecedens exemplis multorum modorum qui aliud subiectum modificare non possunt quam proprium suum: hac præterea ratione, quòd cùm modus non distinguatur realiter ab eo cuius est modus, non potest ab eo separatus existere, nec existens in alio simul poni, quia positus illud modificaret, & sic identificaretur duobus inter se re distinctis, quod nulli enti creato conuenire potest. Consequentiam autem non probat, hæc autem sic probari posset. Non potest terminare propriam suam naturam, nisi eam modificet, ergo nec alienam, nisi eam quoque modificet. At concesso antecedente, eiusque probatione, negatur consequentia, quæ certè bo-

VII. C

na non est, quia non difficulter intelligi potest, subsistentiam quæ modus est, modificando & terminando naturam suam propriam, terminare simul alienam absque eo quòd eam modificet: sicut subsistentia Verbi naturæ diuinæ identificata magis quàm modus rei cum re, eandémque terminans, humanam simul naturam terminat, nec tamen eam modificat, éive identificatur.

Et sanè cùm terminare, prout huc spectat, nihil sit aliud quàm esse vltimum quod exigitur ad constituendum suppositum, si possit aliena subsistentia esse vltimum quod ad suppositum constituendum exigitur, absque eo quòd naturam cum qua illud constituit modificet, poterit alienam naturam terminare absque eo quòd eam

VIII. D

modificet: potest autem, quia possibilis est modus vnionis in ipsa natura, qui dicat essentialem ordinem ad subsistentiam illam, sicut est possibilis aliquis in humanitate Christi dicens ordinem essentialem ad subsistentiam Verbi: qui sicut eo ipso quo est terminus in quem ordo ille desinit, est vltimum constituens cum prædicta humanitate suppositum, nec eam tamen propterea modificat, éive realiter identificatur: ita & creata illa subsistentia de qua loquimur, eo ipso quo erit terminus in quem ordo ille hypostaticæ vnionis desinet, erit vltimum constituens

cum aliena natura ſuppoſitum, nec eam tamen propterea modificabit.

Ad probationem autem conſequentiæ reſpondeo, ideo ſubſiſtentiã creatam non poſſe terminare naturam propriam niſi eã modificet, quia ex eſſentia ſua modus eius eſt: modus autem
I. exiſtere non poteſt, quin modificet rem cuius A V.
eſt modus, cùm ab ea realiter non diſtinguatur: at è contrario poſſe terminare naturam alienam, abſque eo quòd eam modificet, quia modus eius non eſt, & cùm non ſit, poteſt nihilominus eſſe id in quo deſinat eſſentialis ordo alicuius vnionis hypoſtaticæ, quod ſufficit vt illius naturæ terminus eſſe poſſit cum ea ſuppoſitum conſtituens, vt ex dictis patet. Atque cùm hæc ad iſtam quartam rationem reſponſio nitatur, poſſibilitate modi vnionis hypoſtaticæ in aliena natura ponendæ, eámque formaliter cum alieno ſuppoſito eiúſque ſubſiſtentia connectentis, propterea huic quartæ rationi immediate ſubiungitur ea, quæ modi iſtius poſſibilitatem impugnat.

Quinta igitur ordine ratio hæc eſt. Poſſibile
II. non eſt naturam creatam terminari ſubſiſtentia B VI.
aliena perſonæ creatæ, niſi ſit poſſibilis inter hanc ſubſiſtentiam & illam naturam modus vnionis hypoſtaticæ: atqui modus ille poſſibilis non eſt: tum quia duplex dari deberet, vnus in natura illa, alter in iſta ſubſiſtentia: nullus autem in hac poſſibilis eſt: nam hæc modus quidam eſt, modus autem modificari per modum alterum non poteſt: tum quia ſi quis huiuſmodi modus eſſet poſſibilis, deberet eſſe neceſſariò in entitate vel naturalis, vel ſupernaturalis: neutrum autem eſſe poſſet: non primum, quia nulli naturæ creatæ connaturale eſſe poteſt vniri alienæ ſubſiſtentiæ, propriáque proinde deſtitui: nec ſecundum, tum quia per hunc modum ſubſiſtentia merè naturalis in entitate, vt Michaelis Archangeli propria, vniretur naturæ in
III. entitate merè naturali, vt humanæ: tum quia ſi C VII.
ſupernaturalis eſſet, naturam in qua poneretur perficeret magis quàm ſubſiſtentia ſua propria merè naturalis ordinis perficeretur: at plerunque non magis, imò minus perficeret, quia eſſet plerunque imperfectior propria naturæ ſubſiſtentia quam excluderet: non enim eſſet perfectior aliena ſubſiſtentia quàm cum natura illa connecteret, hæc autem aliena ſubſiſtentia eſſet plerunque imperfectior propria illa naturæ quam excluderet, tories ſcilicet, quoties natura ſubſtantialis ex ſpecie ſua perfectior vniretur ſubſiſtentiæ naturæ ex ſua ſpecie ignobilioris.

Reſpondeo negando Minorem, cuius ad primam probationem dico in primis, non eſſe neceſſarium dari duplicem modum vnionis, vnum
IV. in natura, alterum in ſubſiſtentia: vt conſtat ex D VIII.
eo quòd nullus reipſa datur in ſubſiſtentia Verbi terminantis humanitatem Chriſti: ſed ſufficere dari vnum in natura, qui dicat eſſentialem ordinem ad alienam ſubſiſtentiam, tanquam ad terminum, & extremum cum natura tanquam cum extremo altero connectendum. Quòd ſi quis diceret, vnionem illius ſolius rei vnionem eſſe poſſe, quam modificat, & in qua recipitur, Dico ſecundò, hoc etiam gratis conceſſo, non eſſe neceſſarium vnionis modum in aliena ſubſiſtentia ponere: ſed ſicut de ſubſiſtentia Verbi diximus diſput. 13. ſect. 3. in ſolutione quartæ obiectionis, ita de qualibet perſonæ creatæ ſubſiſtentia dici poſſe, eam aptam eſſe ſeipſa vniri naturæ alienæ, dummodo poſſit in ea eſſe modus vnionis hypoſtaticæ: & vniri de facto ſeipſa illi naturæ ſtatim atque in ea ponitur hic modus hypoſtaticæ vnionis. Dico tertiò, concedi meritò poſſe, modum aliquem vnionis iſtius in ſubſiſtẽtia quæ modus eſt, poni poſſe, ſi nihil aliud impediat, quàm quòd modus per modum modificari nequeat, vt in obiectione dicitur: gratis enim hoc tanquam certum aſſumitur, cùm tamen nulla in eo poſſit oſtendi repugnantia: imò falſum ex eo apparet, quòd exiſtentia naturæ ſubſtantialis modus eius eſt: vnde & à Philoſophis omnibus inter modos entis numeratur, hæc autem rurſum modificatur per ſubſiſtentiam: nam hæc iſtius exiſtentiæ verus ac realis modus eſt, ex eorum omnium ſententia, qui eam quid poſitiuum eſſe dicunt, & ab illa ex natura rei diſtinctum.

Ad ſecundam Minoris illius probationem reſpondeo, vnionem illam hypoſtaticam fore in entitate ſupernaturalem: ad priorem autem in contrarium probationem dico, vt res aliqua ſit in entitate ſupernaturalis, ſufficere vt naturam quam afficit perficiat ſupra exigentiam eius, & cuiuſcunque alterius naturæ creabilis: ſiue eo genere perfectionis, quod ei naturaliter ineſſe, aut conuenire non poteſt, talis autem eſſe poteſt res etiam illa quæ ordinem eſſentialem habet ad aliquid in entitate merè naturale: & reipſa talis eſt modus præſentiæ quo Chriſti corpus in Euchariſtia eſt, qui eſſentialem ordinem dicit & ad ipſum Chriſti corpus in entitate merè naturale, & ad ſpatium reale merè item naturale in quo illud ponit: tales quoque ſunt multæ aliæ res eſſentialem ordinem dicentes ad quidpiam quod in entitate merè naturale eſt, vt prima parte de Deo tractantes diſput. 15. oſtendimus. Etſi autem modus vnionis hypoſtaticæ qui naturam aliquam creatam ſubſiſtentiæ alienæ creatæ connecteret, ordinem eſſentialem ad nullum aliud ens quàm in entitate merè naturale haberet, eam tamen ſupra exigentiam eius, & cuiuſcunque alterius naturæ creatæ perficeret, cùm nulli huiuſmodi naturæ connaturale eſſe poſſit propria deſtitui ſubſiſtentia, vnirique alienæ, ſiue creatæ, ſiue increatæ.

Ad poſteriorem reſpondeo primò, non eſſe neceſſarium vt modus vnionis creatam ſubſiſtentiam cum aliena natura connectens ſit imperfectior iſta ſubſiſtentia, aut æqualis ſolùm cum ea perfectionis: etſi autem eſſe concedatur aliquando, tùmque præſertim, cùm natura materialis vniretur perſonæ creatæ ſpiritali, huiuſque proinde ſubſiſtentia eſſet ſpiritalis, vnio autem hypoſtatica in illa materiali natura poſita, purè, ſicut & ipſa, materialis. Reſpondeo ſecundo, eam nihilominus fore ſupernaturalem: ad ens enim ſupernaturale non requiritur neceſſariò vt naturam quam afficit perficiat magis, quàm perficeretur ab ea re ſibi connaturali, quam ab illa excludit, ſufficit vt perficiat eo genere perfectionis, quod nec illi, nec vlli naturæ creatæ connaturale eſſe poſſit: quod haberet modus ille vnionis de quo loquimur: vnde etſi ille præſen-

tiæ sacramentalis modus materialis quem Christi corpus habet in Eucharistia, esset imperfectior modo existendi in spatio circumscriptiuè, quem idem corpus habet in cœlo, eumque ab illo excluderet, non delineret esse in entitate supernaturalis, ob id præcisè quòd corpus in quo est perficit eo perfectionis genere, quod nec illi corpori, nec vlli alteri enti naturali connaturale est. I. A

Sexta est Gabr. Vasq. cuius tota vis hoc breuiter discursu comprehenditur: si subsistentia personæ creatæ alienam naturam terminare posset, aut id posset & faceret naturaliter, aut tantùm obedientialiter: neutro autem modo potest: non quidem secundo, quia terminare est formalis actus subsistentiæ tanquam formæ, & posse terminare est posse hunc actum formalem in genere veluti causæ formalis exercere: absurdum autem & inauditum hactenus est, admittere potentiam obedientialem in forma ad actū aliquem in genere causæ formalis exercendum: vnde & nullus hactenus in rebus creatis aliam admisit potentiam obedientialem, quàm aut passiuam ad recipiendum, aut actiuam ad agendum. II. B Neque etiam primo, quia sequeretur ab agente aliquo naturali naturaliter operante posse vniri personæ creatæ subsistentiam alienæ naturæ, cùm omnis virtus naturalis postulet agens aliquod naturale, à quo ad actum illum reduci possit, aut etiam reducatur.

Respondeo negando Minorem, & dico posse primo modo, non sic quidem vt hoc possit naturaliter, nullo præsuppositio miraculo in natura per eam terminanda facto, nimirum exclusione propriæ eius subsistentiæ per productionem receptionémque supernaturalis cuiusdam modi, per se & essentialiter ad illam personæ creatæ subsistentiam ordinati: sed quia hoc miraculo facto, naturaliter terminabit, & præsuppositia eiusdem miraculi possibilitate potest naturaliter terminare: vnde negatur sequuturum id quod in Minoris probatione sequuturum dicitur. III. C Ad rationem autem qua sequuturum probatur, dico eam vniuersim falsam esse, & vt summum veritatem habere, cùm virtus naturalis ad actum aliquem intelligitur esse virtus naturalis ad illum actum, nullo præsuppositio miraculoso effectu, vel actuali, vel possibili, cuiusmodi non est virtus illa naturalis terminandi, quam subsistentiæ creatæ tribuimus respectu alienæ naturæ, vt constat.

Atque vt illius rationis inefficacitas, & nostræ responsionis bonitas clarior sit, vtar hic vno tantum aut altero exemplo, nimirum loci externi, qui erga corpus locatum exercet in genere veluti causæ formalis actum locandi ipsum & cōtinendi. Formæ item siue substantialis siue accidentalis, quæ subiectum in quo recipitur informat in vero genere causæ formalis, quæque potest per absolutam Dei potentiam in duobus simul poni subiectis, eaque proinde simul informare: posset enim totus ille discursus fieri ad probandum, nec vnam formam posse simul informare duo subiecta: nec locum vnum externum posse simul locare & continere duo corpora. IV. D Vel enim id posset & faceret naturaliter, vel tantum obedientialiter: non secundum obrationem superiùs allatam: nec primum, quia sequeretur dari posse agens naturale, quod naturaliter vel duorum corporum penetrationem efficeret, vel vnionem formæ cum duobus subiectis: quia virtus omnis naturalis ad actum aliquem, siue locandi, siue informandi, siue quemcunque alium, postulat agens naturale, à quo naturaliter ad actum illum reducatur, aut reduci possit. V. Cui hac in materia discursui, sicut respondendum est, & locum, & formam id posse naturaliter quod dictum est, sed suppositia miraculosa vel penetratione duorum corporum, vel eductione formæ vnius è duobus subiectis, aut alia cum illis eiusdem vnione, ex quo tamen non erit consequens istam vim naturalem ad actum hunc informandi aut locandi postulare aliquod agens naturale, à quo ad actum istum reducatur: ita eidem in materia illa altera discursui simili modo respondendum est, eóque ipso quo antè respondimus.

SECTIO III.

Quid de prima sententia sit sentiendum declaratur. VI.

QVARTVM quod dicendum habeo, est, videri mihi primam sententiam secunda probabiliorem, propter argumenta duo, quibus etsi responderi vicunque possit, non ea tamen probabilitate, qua relatis pro secunda sententia rationibus responsum est. Primum est, tam videri possibilem modum aliquem vnionis hypostaticæ, quo natura humana Petri, exempli causa, vniatur subsistetiæ Michaelis Archangeli, quàm possibilis est modus vnionis hypostaticæ, quo humana Christi natura subsistentiæ Verbi vnitur. Aduersarij quidem quam facile, & quam ob causam negant posse illi personæ creatæ competere naturam alienam terminare, ob eandem & æquè facile negabunt modum illum vnionis hypostaticæ esse possibilem, cùm inter hoc & illud tam necessaria, tamque euidens connexio sit, vt vnum esse non possit, quin sit & alterum, nec vnum possibile, aut impossibile sit, quin clarè constet & alterum esse pariter possibile aut impossibile. VII. At si modus ille vnionis dicitur impossibilis, cùm huius impossibilitatis causa petenda sit vel ex parte vnionis istius, vel ex parte subsistentiæ creatæ quam cum aliena natura vniret, respondentes autem paulò antè ad præcipuas pro secunda sententia rationes, probabilissimè ostenderimus nullam ex parte vel huius, vel illius esse impossibilitatis seu repugnantiæ causam, sequitur tam possibilem videri debere prædictum in humana Petri natura modum vnionis cum subsistentia Michaelis Archangeli, quàm possibilis est in humana Christi cum subsistentia Verbi diuini.

Secundum est, posse subsistentiam creatam terminare alienam naturam creatam, sicut & propria Verbi subsistentia potest: quia quàm proportionata est & adæquata suæ naturæ creata subsistentia, tam naturæ diuinæ proportionata & adæquata est propria Verbi subsistentia. VIII. Imo hæc minùs adæquata est illi, quàm creata subsistentia suæ propriæ naturæ: diuina enim natura Verbi personalitatem, & qualibet cuiussuis personæ diuinæ diuisiuè sumptæ propriam

subsistentiam excedit, eo ipso quo non ea vnica subsistere & terminari ex se postulat, sed duabus aliis præterea diuinarum aliarum personarum subsistentiis: natura autem creata propriam suam subsistentiam non excedit, cùm eam vnicam habere ex se postuler: quo fit, vt si hoc non
I. obstante Verbi personalitas siue subsistentia possit alienam naturam terminare, æquè profectò idem posse subsistentia creata videatur, non obstante eius cum propria natura adæquatione.

Respondebitur posse nihilominùs Verbi subsistentiam terminare naturam alienam, propterea quòd Verbi persona sicut infinita secundùm essentiam est, ita & infinitam habet personalitatem, ratione cuius solius infinitatis illud ei conuenit: at personam creatam illud ipsum minimè posse, cùm finitam tantum habeat essentiam, finitámque personalitatem. Verùm cùm diuinæ subsistentiæ vis terminandi quantumuis infinita tam videatur exhauriri per diuinam naturam quam terminat, quæ infinita est, & infinitam habet terminabilitatem, quàm vis finita terminan-
II. di quæ in creata subsistentia est, exhauritur per naturam propriam quam terminat, eamq. quam habet hæc natura terminabilitatem: sicut illud non impedit quo minùs diuina subsistentia possit cum natura diuina quam terminat creatam simul aliquam terminare, ita istud impedire non poterit quo minùs creata subsistentia terminans propriam naturam, alienam simul terminare valeat.

Nec dicas, quòd sicut natura diuina & creata simul non est aliquid in ratione entis aut naturæ perfectius intensiuè, quàm sola diuina natura, ita diuinæ naturæ terminabilitas, & cuiusuis creatæ naturæ simul non est aliquid intensiuè perfectius, quàm sola naturæ diuinæ terminabilitas: hincque fieri, vt non plus perfectionis & virtutis terminatiuæ requiratur in subsi-
III. stentia diuina, ad terminandam naturam creatam & diuinam simul, quàm ad hanc solam, & proinde cùm hanc terminet, vt & illam terminare pariter possit: at cùm è contrario duæ naturæ simul sumptæ sint aliquid intensiue perfectius quàm vna, duarumque proinde simul sumptarum terminabilitas collectiuè sumpta sit aliquid intensiuè perfectius vnius solius terminabilitate, plus requiri perfectionis & virtutis terminatiuæ in creata subsistentia ad terminandas duas naturas simul, quàm vnicam, hincque fieri, vt etsi terminare vnam possit, non propterea possit duas.

Ne, inquam, id dicas: falsum enim est duas naturas creatas simul sumptas esse quid intensiuè perfectius vnica ex iis, ea nimirum quæ est altera intensiuè perfectior: nam sicut simul sumptæ coalescere non possunt in vnicam naturam,
IV. nec proinde in ens intensiuè vnum, ita nec possunt simul sumptę esse quid vnica ex iis intensiuè perfectius: quo fit vt vtriusque simul sumptæ terminabilitas collectiuè accepta non sit quid intensiuè perfectius solius illius terminabilitate quæ intensiuè perfectior est: nec proinde plus terminatiuæ virtutis requiratur in subsistentia ad terminandam vtramque simul naturam, quàm ad eam solam quæ intensiuè perfectior est: possitque per consequens illa quæ hanc terminat, & illam quoque simul terminare. Imo verò cùm superiori sectione ad tertiam pro secunda sententia rationem respondens ostenderim vniuersè, vt subsistentia naturam alienam vnam aut plures simul cum propria sua terminet, non requiri in illa maiorem perfectionem terminandíque vim ea, quæ requiritur vt
A propriam naturam terminet, sequitur, vt quemadmodum naturæ intensiuè perfectioris propria subsistentia potest & hanc, & aliam intensiuè imperfectiorem terminare simul, ita & imperfectioris propria possit & hanc, & aliam simul intensiuè perfectiorem terminare. V.

At hîc quæret aliquis, an præsuppositio, quòd personæ creatæ subsistentia propria alienam terminare naturam valeat, defendi possit subsistentiam propriam rei materialis terminare posse alienam naturam spiritalem? Respondeo posse: non enim est difficilius hoc intelligere, quàm Christi corpus materiale Verbi subsistentia spiritali terminari potuisse: cùm præsertim minor
B distantia sit inter subsistentiam rei materialis creatæ, & creatam rei spiritalis naturam, quàm inter quamcunque rem creatam, siue materialem, siue spiritalem à Verbo terminabilem, & eiusdem Verbi subsistentiam: inter hanc enim & illam infinita distantia est, vt pote entis increati à creato: inter alia verò duo, finita dumtaxat est. VI.

DISPVTATIO XVIII.

De modo assumendi naturam creatam ex parte personæ diuinæ assumentis.

DISPVTATIO hæc à nobis instituitur, vt explicetur doctrina quam ab art. 3. quæstionis 3. ad 8. tradit S. Doctor. eius autem clariùs explicandæ gratia proponemus hîc aliquot quæstiunculas: quarum prima est, vtrùm abstracta à Deo per intellectum personalitate, natura possit assumere? Cuius duplex esse sensus potest: prior conditionalis, & ex hypothesi impossibili, an videlicet si Deus non esset trinus in personis, sed vnus tantummodo, posset hypostaticè assumere naturam aliquam creatam? Posterior absolutus, quo nimirum de Deo sermo est, prout reipsa iam est vnus in natura, & trinus in personis, & quo quæritur, vtrùm mente præcisis trium diuinarum personarum subsistentiis relatiuis seu personalitatibus, habeat in se natura diuina aliquid aliud, quo creatam aliquam naturam possit terminare? Solo priori sensu de
C proposita quæstione egit S. Thomas prædicto art. 3. vt ex argumentorum solutione constat. VII.

Cui respondit affirmatiuè, & rectè, quia Deus tunc esset adhuc vt supponitur verus Deus, & vna persona, sicut nunc Petrus verus homo est, & persona vna, haberétque proinde tunc subsistentiam qua in ratione personæ constitueretur, per quam non minùs terminare posset naturam aliquam creatam, quàm modo possit per
D proprias diuinarum personarum personalitates: haberétque præterea veram naturam diuinam, ac proinde omnipotentiam, per quam nō minùs VIII.

posset, quàm modo possit, esse principium effectiuum vnionis hypostaticæ, in ea natura ponendæ quam assumeret.

Quòd si posteriori sensu de ea agatur, dicendum est, naturam diuinam præcisis personalitatibus trium diuinarum personarum nõ posse naturam vllam creatam assumere, quia nullam potest terminare: ideo autem non potest, quia nihil habet in se quo terminare possit: nulla enim se potest quàm subsistentiâ aliquâ, nullam autem habet in se subsistentiam præter tres relatiuas, seu tres personarum personalitates, vt prima parte de Deo tractantes disp. 54. probauimus.

I. A

Supposita autem eorum sententia, qui subsistentiam absolutam in Deo concedunt, præter tres relatiuas, dicendum est, iis mente præcisis, naturam diuinam posse naturam aliquam creatam assumere ad subsistendum per illam subsistentiam absolutam. Cur enim hæc solitariè sumpta non tam posset cum diuina natura quam terminat, terminare simul alienam, quàm propria Verbi personalitas, aut alterius personæ diuinæ, quæ id etiam seorsim sumpta potest? Nec refert,

II. B

quòd non distinguatur reipsa à tribus subsistentiis relatiuis, sed ipsis identificetur: sufficit enim quòd ab iis virtute distinguatur, vt dari possit vnio aliqua hypostatica quæ ad ipsam dicat essentialem ordinem, non ad illas, quæque proinde eam non illas directè & immediatè connectat cum natura aliqua creata: sufficitque per cõsequens illa distinctio vt naturam aliquam prædicta subsistentia terminet, non item illæ relatiuæ: quemadmodum virtualis inter diuinam naturam & Verbi personalitatem distinctio sufficit, vt humanitas Christi non ab illa natura, sed ab hac sola personalitate terminetur.

III. C

Huic autem doctrinæ cõhærenter dicendum primò esset, naturam creatam tunc sola subsistentia absoluta subsistentem non fore suppositum ac personam, vi præcisè subsistentiæ istius absolutæ, quia vi eius non haberet vt subsisteret incommunicabiliter, sed communicari alteri supposito posset, & per propriam eius subsistentiam vlteriùs terminari: sicut ob hanc ipsam causam ij qui diuinitatem subsistentem faciunt per subsistentiam absolutam, dicunt consequenter, eam cum hac præcisè subsistentia consideratam non esse suppositum ac personam: singulis enim personis diuinitas sic subsistens communicatur, & per propriam singularum personarum subsistentiam vlteriùs terminatur.

IV. D

Dixi, vi præcisè subsistentiæ istius, quia etsi natura terminata per hanc subsistentiam, ratione eius dici persona non posset, aliâ tamen ratione verè diceretur esse persona Patris, Filij, & Spiritus sancti, & proinde triplex persona: facta enim vnione humanitatis, verbi gratia, cum subsistentia illa diuinitatis absoluta, compositum quod ex ea consurgeret, esset hic Deus homo, idemq. proinde essent hic Deus, & hic homo, & vnum de altero verè prædicaretur: quo fieret, vt quod de hoc Deo verè prædicari posset, posset verè & de hoc homine prædicari: verè autem de hoc Deo prædicaretur Pater, Filius, & Spiritus sanctus: ergo & hic homo verè Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & proinde persona triplex diceretur. Dicendum secundò esset, non omnem substantialem naturæ creatæ vnionem cum Deo, esse vnionem aut in natura, aut in persona, sed in natura, aut subsistentia: tunc autem solùm fore in persona, cùm vnio fieret in personalitate, siue subsistentia relatiua.

Secunda est, num persona vna diuina sine alia possit creatam naturam assumere? Affirmatiuæ partis veritas certa ex fide est, cùm ex ea constet solam filij personam esse incarnatam, seu naturam humanam hypostatice assumpsisse. Affert autem D. Thomas art. 8. varias congruentias ob quas ait conuenientissimum fuisse, vt eam persona Filij potiùs quàm Patris, aut Spiritus sancti assumeret: afferunt & sancti Patres, nominatim D. Aug. libro quæstionum veteris & noui Testamenti, quæst. 113. Anselm. lib. de Incarn. Verbi cap. 4. & Damasc. lib. 4. de fide c. 4. Nec dicas primò diuinitatem esse incarnatam, vt & D. Thom. superiore art. 2. docet, & probat ex D. Damasc. lib. 3. de fide cap. 6. sic loquente: *Dicimus naturam Dei incarnatam esse, secundum beatos Cyrillum, & Athanasium.* Diuinitatem autem esse communem Patri ac Spiritui sancto: hos ergo etiam cum Filio simul esse incarnatos. Diuinitas enim secundùm se absolutè sumpta, & proinde vt tribus diuinis personis cõmunis est, non est incarnata, sed solùm prout in Filio est, seu prout eius personalitati in qua directè & immediatè vnio facta est identificatur: superiùs autem alia occasione iam diximus, & probauimus, quod naturæ diuinæ conuenit non absolutè, sed tantum prout est in aliqua persona diuina, personis aliis non cõuenire. Ex quo facilè intelligitur, quomodo inter se conciliandi sint illi Patres, quorum aliqui affirmant diuinitatem incarnatam esse, alij negant: qui enim affirmant, de diuinitate loquuntur non absolutè sumpta, sed prout est in Filio: qui autem negant, de eadem loquuntur vt absolutè spectata, ac proinde vt communis est tribus diuinis personis.

V.

Nec dicas secundò Patrem & Spiritum sanctũ speciali quodam modo esse in humanitate Christi, quo non sunt in aliis rebus creatis: ergo ei vnitos esse hypostaticè: negatur enim hæc cõsequentia, quia specialis iste modus in eo solùm consistit, quòd etsi per immensitatem suam non haberent, vt humanitati Christi præsentes essent intimè, per quam tamen habent, vt sint intimè præsentes rebus omnibus, essent nihilominus eidẽ intimè præsentes ratione identitatis suæ cum diuinitate, & huius cum Verbi personalitate, quę humanitati illi vnita directè & immediatè est. Impossibile enim est ea quæ idem reipsa sunt cum aliquo, vi istius identitatis non esse, vbicunque vnum illorum est.

VI.

Tertia est, vtrùm plures personæ diuinæ possint simul assumere vnam eandémq. numero naturã creatam? Affirmandum est posse: quo minùs enim id possint, nulla repugnantia est vel ex parte diuinarum personarum, vel ex parte naturæ assumptæ: non illarũ, quia sese mutuò non excludunt ab eadem natura, cùm eandem diuinam naturam terminent: neque istius, quia cùm hæc assumi possit ab vna diuina persona, vt de fide est, nulla est ratio dubitandi quin simul possit à pluribus, dummodo illę plures sese mutuò ab eadem natura non excludant, vt non excludere ostendimus. Vnicam autem naturam humanam a tribus simul diuinis personis assumptam non fore nisi

VII.

VIII.

vnu m'

vnum numero hominem, propter numericā formæ vnitatem, nempe humanitatis directè & primario nomine hominis significatæ, quemadmodum diuinitas terminata tribus earundem personarum subsistentiis non est nisi vnus numero Deus, ob vnitatem numericam formæ, nimirum diuinitatis, nomine Dei directè primarióque significatæ, rectè docet D. Thomas art. 6. in respos. ad 1. sicut tamen Deus ita est vnus Deus, vt simul sit trinus in personis, propter triplicem personalitatem, personæ nomine primario ac directè significatam: ita homo ille de quo loquimur, ob hanc ipsam causam sic esset vnus homo, vt tamen esset in personis trinus: esset enim eadem persona cum persona Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

I. A

At obiicies primò D. Anselmum lib. 2. Cur Deus homo, sæpiùs apertè dicentē, fieri non posse, vt plures personæ diuinæ assumant vnam eandemque numero humanitatem. Obiicies secundò naturæ diuinæ conuenire ob infinitam eius perfectionem, vt possit terminari tribus simul diuinarum personarum subsistentiis.

II. B

Ad primum vera responsio est, S. Anselm. loqui de mysterio Incarnationis quod factum est, & quidem præsuppositā fide, quæ docet ex eo vnicam numero personam prodiisse: quo posito rectè ait fieri non potuisse, vt plures diuinæ personæ eandem humanitatem assumerent, manente scilicet in Christo vnica numero persona: nam multiplex numero persona fuisset, si plures personæ eius humanitatem assumpsissent.

Ad secundum respondeo, ei etiam cōuenire, vt earum qualibet diuisiuè sumpta terminari possit: quod sicut non impedit quo minùs humana natura terminari possit ab vna earundem, ita nec impediet quo minùs possit ab aliis etiam simul sumptis. Et ratio est, quòd naturæ diuinæ conuenit quidem ob eius infinitatem terminari tribus illis subsistentiis & earum qualibet, at non quomodocunque conuenit, sed conuenit naturaliter,

III. C

ac necessariò, & itavt illis ipsis subsistentiis identificetur: quo modo non conuenit vlli naturæ creatæ terminari aliqua earum, aut illis omnibus simul, sed non impedit quo minùs conueniat supernaturaliter, & per absolutam Dei potentiam.

Quarta est, vtrùm persona vna diuina possit assumere duas naturas humanas, non modò successiuè, sed etiam simul. Ad hāc quæstionem respondet affirmatiuè S. Doctor art. 7. & meritò sanè: quælibet enim diuina persona habet omnipotentiam per quam potest producere hypostaticam vnionem in duabus illis naturis simul, ac etiam in pluribus: habet item subsistentiam, quæ est ex se terminatiua & diuinæ naturæ, & alterius creatæ simul, nec vnius tantum, sed & duarum & plurium: cùm si naturæ diuinæ terminabilitas non ita exhaurit vim terminandi illius

IV. D

subsistentiæ, vt impediat quo minùs aliquam creatam terminare simul valeat, multò minùs exhaurire possit vnius naturæ creatæ terminabilitas, & impedire per consequens, ne aliam creatam terminare simul valeat.

Monet autem S. Doctor in respons. ad 2. suppositā assumptione duplicis numero humanitatis ab vna persona diuina, non futuros propterea duos homines, sed vnicum, propter suppositiuni-

tatem. Ex qua eius doctrina, colligitur primò, vt nomen concretum significans naturam subsistantialem assumptam multiplicetur, seu in plurali numero verè vsurpetur, requiri multiplicationē tum formæ per illud nomen significatæ, vt humanitatis, si humana natura assumpta sit, tum

V. suppositi seu personæ: nam si sola persona multiplicetur, non verò natura concreto illo nomine primariò significata, non multiplicabitur nomen illud, seu in plurali verè non vsurpabitur, vt constat ex paulò antè dictis ad quæstiunculam proximè præcedentem.

Colligitur secundò, si Verbum nunc dimitteret humanitatem quam assumpsit, & eam assumeret Pater aut Spiritus sanctus, fore tunc eundem numero hominem qui nunc est. Item si Verbum illa humanitate dimissa aliam numero assumeret, fore adhuc eundem numero hominem: quia quemadmodum vt vnus homo censeatur, sufficit vnitas vel naturæ vel subsistentiæ, seu suppositi aut personæ: ita vt idem homo censeatur, suffi-

VI. cit identitas vel naturæ vel subsistentiæ, siue suppositi aut personæ.

Colligitur tertiò, omnes homines qui vnquam fuerunt, fore vnum numero hominem: omnia animalia, vnū numero animal: omnes substantias vnam numero substantiam, si persona vna assumpsisset omnes naturas substantiales quæ vnquam extiterunt: ex quo alia quoque sequerentur, non minùs mirabilia, verissima tamen, ex suppositā illa quam dixi D. Thomæ doctrina, vt quòd vnus & idem homo posset simul mori, & viuere: nasci, & senescere: esse senior seipso centum annis, & pluribus: quæ ideo vera essent, quia licet de eodem homine dicerentur, non tamen secundùm eandem numero naturam humanam: sicut ob eandem causam de eodem homine Christo verè dicitur, quòd sit æternus, & temporalis: passibilis, & impassibilis: mortuus, & immortalis.

Fatendum autem simul est, non obstante illa

VII. D. Thomæ doctrina, valde probabilem esse contrariam aliorum sententiam, asserentiū fore plures numero homines, si persona vna diuina plures numero assumpsisset humanitates: quorum ratio est, quòd ad veram vocis huius, *homo*, in pluralivsurpationem sufficiat formæ per hanc vocem primariò ac directè significatæ pluralitas, quæ forma est humanitas. Videmus enim vniuersè ex vel vnitate, vel pluralitate formæ solius per nomen aliquod primario directéq. significatæ, nomen istud verè vel in singulari numero, vel in plurali vsurpari. Hinc est quòd vnum numero Deum dicimus esse, quia forma per hoc nomen, *Deus*, directè ac primariò significata, nempe diuinitas, vnica numero est, licet altera forma eodem Dei nomine significata, sed secundariò tantum, ac velut in obliquo, nempe subsistentia seu

VIII. personalitas, sit numero multiplex. E contrario autem verè item dicimus eundem Deum in personis trinum esse, non obstante illa diuinitatis numerica vnitate, quia forma primariò ac directè personæ vocabulo significata, nempe personalitas seu subsistentia, triplex numero est, licet forma altera eodem nomine significata, sed secundariò duntaxat, sit vnica numero, nempe natura, seu diuinitas.

DISPVTATIO XIX.

Vtrùm aliqua natura præter humanam posſit à Deo assumi hypostaticè?

SECTIO PRIMA.

Pars affirmans defenditur, & probatur.

I. QVÆSTIO hæc de sola natura proponitur, non item de supposito, seu persona: nam persona siue suppositum, vt formaliter persona & suppositum est, non est quid assumptibile: tum quia suppositum vt sic, est substantialiter vltimò terminatum: assumi autem est rei assumptæ addi aliquem vlteriorem terminum substantialem: tum quia quod assumitur debet esse aliquid incompletum in ratione suppositi, cùm assumatur ad constituendum completum vnum suppositum cum eo à quo assumitur: suppositum autem ita est completum in ratione suppositi, vt assumi non possit ad constituendum vnum suppositum cum eo à quo assumeretur: quia quod ex illa assumptione resultaret, non esset vnum, sed duplex numero suppositum: tum denique quia suppositum vt sic dicit incommunicabilitatem alteri vt suppositо, communi omnium Philosophorum, Theologorumque consensu, assumi autem hypostaticè est alteri vt suppositо communicari.

II. Quæstio ergo hæc cùm de sola natura sit, de natura tam accidentali quàm substantiali proponi potest: substantialis autem aut completa est, vt natura leonis, hominis, Angeli: aut incompleta, vt materia, & forma: omnis autem completa natura ab humanitate distincta aut intellectualis est, vt Angelica, aut non intellectualis, vt cæteræ omnes.

III. Prima assertio. Non potest natura accidentalis, seu accidens ab omni etiam subiecto separatum assumi à Deo hypostaticè. Ita Suarez disp. 14. sect. 4. Vasq. disp. 30. cap. 5. aliique multi præsertim recentiores, contra Marsil. in 3. qu. 3. art. 1. & Almai. item in 3. dist. 2. qu. 2. non procul ab initio. Probatur autem hinc primò, quòd illa sola natura possit assumi à Deo hypostaticè, quæ potest terminari, & subsistere subsistentiâ diuinâ: natura autem accidentalis id non potest: quia sola illa natura potest terminari & subsistere subsistentiâ aliena, quæ ex se capax est propriæ subsistentiæ: tum quia subsistentia aliena in locum propriæ subrogatur, & supplet vices ipsius: tum quia si per absolutam

IV. Dei potentiam res aliqua non potest modificari per aliquem modum, qui sit vera & propria eius subsistentia, quo modo per eandem Dei potentiam poterit modificari per modum vnionis hypostaticæ, per quem connectatur cum alienâ subsistentiâ, fiátque sic tam verè subsistens, quàm propriè subsisteret, si proprium subsistentiæ modum haberet? Natura autem accidentalis non est ex se per absolutam etiam Dei potentiam capax propriæ subsistentiæ, in primis quia eo ipso quo quidpiam ex se capax est propriæ subsistentiæ, substantia est: sicut eo ipso quo quidpiam ex se capax est propriæ existentiæ, ens reale est: non enim magis ex rei natura existentia propria modus est entis realis, quàm subsistentia substantiæ. Deinde quia cùm tam naturaliter accidenti conueniat inhærere, quàm substantiæ subsistere, accidens non magis ex se capax esse potest per absolutam Dei potentiam modi subsistentiæ, quàm substantia modi inhærentiæ: certum autem est substantiam inhærere alteri nulla virtute posse, quantumcunque in alio poni possit, eique vniri. Ex quo intelligitur, quòd si accidenti separato à subiecto, vt quantitati panis ac vini in sacramento, superadditur aliquis positiuus modus, quo per se sit & existat, modus ille vera subsistentia non est.

V. Probatur secundo, eo quòd quidquid assumi potest hypostaticè à persona aliqua, potest cum ea concurrere ad suppositum vnum constituendum: ex qualibet enim vnione hypostatica exurgit necessariò compositum, quod

VI. est aliquod suppositum: accidens autem non potest cum vlla persona concurrere ad constituendum vnum suppositum: tum quia repugnat naturæ suppositi, receptæque ab omnibus eius definitioni, includere in se accidens tanquam aliquid sui quo constituatur: tum quia suppositum est vnum ens per se, ex accidenti autem & substantia, cuiusmodi est omnis persona, vnum ens per se fieri non potest.

VII. Secunda assertio. Quælibet natura substantialis completa & intellectualis assumi potest hypostaticè à Deo. Probatur. Omnis eiusmodi natura est aut humana, aut Angelica: de humana constat ex mysterio Incarnationis: de Angelica communis est Theologorum consensus contra Albertum in 3. distinct. 2. articulo secundo contrarium sentientem, cuius fundamentum est, quòd in Angelis inter naturam & suppositum, nulla distinctio sit: quòd si verum esset, rectè concluderet Angelicam naturam non posse assumi hypostaticè, cùm assumi nequeat suppositum. Sed refellitur in primis ex Apost. cap. 2. epist. ad Hebræos, sic de Deo loquente, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Quo sanè modo non loqueretur, nisi præsupponeret Angelicam naturam assumi à Deo absolutè potuisse. Secundo ex

VIII. Patribus, qui idem haud dubiè præsupponunt, disputantes cur Verbum humanam naturam potiùs quàm Angelicam assumpserit? huius enim diuini consilij causam nunquam esse dicunt impossibilitatem assumptionis Angelicæ naturæ: quam rationem, vtpote efficacissimam ad solutionem istius quæstionis, non omitterent, si veram putarent, sed congruentias tantùm aliquas afferunt, quibus ostendunt ita fieri fuisse conuenientius. Tertiò ex fundamento illi contrario quod Albertus posuit: nulla siquidem ratio est non admittendi in Angelis eandem distinctionem naturam inter & suppositum, quæ ab omnibus admittitur, & ab ipso etiam Alberto, in quibusuis aliis substantiis completis: vnde si harum natura potest assumi ob hanc suam à suppositо distinctionem, poterit & Angelica.

Tertia assertio. Quælibet natura substantialis completa etiam non intellectualis assumi potest hypostaticè à Deo. Est contra Bonau. in 3. distinct. 2. artic. 1. quæst. 1. Alexand. tertia parte quæst. 2. memb. 7. Henricum quodlib. 13. quæst. 5. & quosdam alios docentes nullam naturam rationis expertem posse assumi à Deo hypostaticè, præter eam quæ habet ordinem aliquem ad rationalem, cuiusmodi est sanguis humani corporis, corpus item humanum mortuum. At nostram assertionem tuentur communiter Theologi tam Thomistæ, quàm alij, nominatímque Caiet. Capreol. Palud. Scotus, Durandus, Marsilius, Ochamus, Almainus locis à Suarez sect. 2. disputat. 14. & à Gabr. Vasquez disputat. 30. cap. 2. citatis, cum quibus idem quoque sentiunt. Probatur autem primò authoritate S. Doctoris in 3. distinct. 2. quæst. 1. artic. 1. cuius in corpore hæc habet inter cætera: *Loquendo autem de potentia Dei absoluta Deus potest assumere quamcunque creaturam vult: vnde secundùm hoc vna non est magis assumptibilis, quàm altera.* Et paulò pòst: *Ad primam ergo quæstionem dicendum quod Deus de potentia absoluta creaturam irrationalem assumere poterat.* Vbi nomine irrationalis creaturæ naturam equi, aut leonis, aut similem, nullum dicentem ordinem ad rationalem haud dubiè intelligit.

I. II.

Neque verò quæst. 4. artic. 1. suam hanc doctrinam retractauit, dum corpus articuli sic concluſit: *Vnde relinquitur quod sola natura humana sit assumptibilis.* Tum quia negaret alioquin Angelicam esse assumptibilem, cuius tamen contrarium satis apertè concedit in respons. ad 3. tum quia satis constat & ex corpore articuli, & ex responsionibus ad argumenta, ipsum non accipere nomen assumptibilis pro eo cui non repugnat assumi, sed pro eo quod ex se suáque natura qualitatem aliquam & conditionem habet, ratione cuius speciali quadam congruentia congruum est, vt a Deo hypostaticè assumatur. Cuiusmodi qualitatem seu conditionem duplicem commemorat: dignitatem nimirum, & necessitatem: dignitatem quidem in eo consistentem, quòd natura assumptibilis apta sit attingere Deum per aliquam operationem suam, per cognitionem videlicet, & amorem: necessitatem verò, qua ad sui reparationem, per condignam scilicet satisfactionem, mysterio hypostaticæ cum Deo vnionis indigeat: quam primam dignitatis conditionem quia sola natura rationalis habet, vt constat, hinc est, quòd negat creaturam irrationalem fuisse assumptibilem: quoniam autem posteriorem non habet Angelica natura, licet priorem habeat, sola autem humana coniunctim habet vtramque, ideo hanc solam fuisse assumptibilem concluſit. Ideo autem hanc posteriorem necessitatis conditionem negat inesse Angelis, licet in peccatum lapsis, quòd eorum peccatum sit irremediabile, vt loquitur, id est, tale cui iuxta modum prouidentiæ naturæ Angelicæ magis consentaneum, nullum debeat aut possit afferri à Deo remedium.

III. IV.

Probatur deinde authoritate D. August. & Greg. Nyss. quorum ille lib. de vera religione cap. 16. postquam dixit Deum nullo modo beneficentiùs consuluisse humano generi, quàm cùm vnicus Dei Filius Patri consubstantialis & coæternus naturam nostram suscepit, hæc subiungit: *Ita enim declarauit quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non solùm visibiliter, nam & id poterat in aliquo corpore æthereo ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit: ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda.* Quibus verbis dicit apertè Dei Filium assumere hypostaticè potuisse corpus æthereum, atque adeo inanime rationis expers, nullum dicens ordinem ad naturam rationalem: vnius autem huiusce modi naturæ, & cæterarum omnium rationis expertium, eadem quoad hypostaticam cum Deo vnionem ratio est. Hic verò cap. 27. orationis Catecheticæ quæ Magna dicitur, non procul à fine, cùm dicat omnes creaturas ab infinita Dei natura, & hypostatica cum eo vnione ex æquo distare, *Neque terram remotiorem esse ab illa suprema dignitate, neque cœlum propinquius, neque quæ vitam degunt in vtroque elemento hac in re quidquam à se inuicem differre, omnia item ex æquo subiecta esse diuinæ potestati.* Manifestè declarat existimare se nullum esse substantiæ genus, quod à Deo non possit assumi hypostaticè: nam si vna substantia creata id posset, altera non posset, vna magis ab eo quod dixi distaret, & altera propiùs ad illud accederet.

A V. B V I.

Probatur tertiò hac ratione. Quælibet natura completa substantialis terminari propriâ subsistentiâ potest: igitur & alienâ. Antecedens certum est. Probatur consequentia: si enim mala esset, vel id oriretur ex parte ipsius subsistentiæ creatæ quæ destrui aut impediri deberet per hypostaticam cum Deo vnionem, vel ex parte subsistentiæ diuinæ quæ creatam substantiam terminare deberet, vel ex parte denique huius creatæ substantiæ: at ex nullo capitum istorum id oriri potest. Non quidem ex primo: cùm enim cuiuslibet irrationalis creaturæ propria subsistentia tam ab ea distinguatur, quàm propria hominis ab humanitate, tam quoque separabilis ab illa est, quàm hæc ab ista. Neque ex secundo, subsistentiæ enim diuinæ non potest deesse vis terminandi quidquid est propriâ subsistentiâ terminabile, cùm præsertim, vt ex antè dictis constat, plus perfectionis & virtutis terminatiuæ non requiratur in ea, vt naturam aliquam creatam aut plures terminet cum diuina simul, quàm vt hanc solam. Neque ex tertio: nulla enim natura creata magis ex se postulat subsistere per subsistentiam aliquam sibi realiter identificatam, quàm id ex se postulet humana: ergo cùm hæc id non ita necessariò postulet, quin possit per aliam subsistere sibi non identificatam realiter, cùm de facto subsistat per diuinam, nulla quoque alia natura creata id ita postulabit.

C V I I. D V I I I.

Quarta assertio. Partes essentiales physicæ, materia scilicet & forma substantialis assumi à Deo hypostaticè possunt, & coniunctim, & diuisim: coniunctim quidem, materiam vnitam formæ assumendo per specialem modum hypostaticæ vnionis in materia positum, vi cuius hæc sola ei hypostaticè vniretur: assumen-

do item ſimul formam per alium ſpecialem vnionis modum in ea poſitum : diuiſim verò duobus. Primo, ſi per abſolutam Dei potentiam ſeorſim exiſterent. Secundo, ſi eſſent inter ſe vnitæ : nam etiam tunc poſſet aſſumi hypoſtaticè forma non aſſumptâ materiâ, & hæc, non aſſumptâ illâ. Ratio aſſertionis eſt, I. quòd diuina ſubſiſtentia terminare poſſit A quamcunque naturam ſubſtantialem terminabilem creata aliqua propriáque ſibi ſubſiſtentia, vt ſatis conſtat ex ante dictis : materia autem prima, quælibet item ſubſtantialis forma ſuam propriam habet ſubſiſtentiam, licet incompletam, vt ſuppono ex philoſophia, ſicut & illæ res ex eſſentia ſua ſunt incompletæ.

Quòd ſi quis cum Suare ſupponeret formam ſubſtantialem materialem in materia exiſtentem nullam habere etiam partialem & incompletam ſubſiſtentiam, ſed alium exiſtendi modum qui formaliter ſubſiſtentia non eſt, non propterea negare deberet eam aſſumi poſſe hypoſtaticè à Deo : poſſet enim nihilominus, II. extra materiam ſeparatim exiſtens, quo B pacto exiſtere poteſt per abſolutam Dei potentiam : in hoc enim ſtatu tam capax eſt proprij modi ſubſtantialis quo per ſe exiſtat, quique proinde vera ſubſiſtentia ſit, quàm anima rationalis, hoc ſolùm diſcrimine, quòd huic ille modus naturaliter debitus eſt, cùm naturaliter extra corpus poſſit exiſtere, illi verò non debetur naturaliter, ob contrariam cauſam. Vnde cùm Deus per ſubſiſtentiam ſuam terminare poſſit id quod propria ſubſiſtentia terminabile eſt, ſequitur formam illam materialem ſeparatam à materia poſſe aſſumi à Deo hypoſtaticè.

Ex quo infèro, poſſe etiam ſic aſſumi, cùm vnita materiæ eſt : licet enim modus vnionis ſeu informationis quo forma illa materiam informat, III. in eáque eſt tanquam in ſubiecto C eam ſuſtentante, & cauſante in genere cauſæ materialis, eſſet cum illo ſubſiſtentiæ modo prorſus incompoſſibilis, non eſſet tamen cum modo hypoſtaticæ vnionis. Et ratio eſt, quòd ſi ille ſubſiſtentiæ modus eſſet cum prædicto informationis modo incompoſſibilis, ideo eſſet, quia forma illum ſubſiſtentiæ modum habens exiſtit per ſe, habens verò illum alium informationis modum, exiſtit in alio tanquam in ſuſtentante, & illi duo exiſtendi modi, quorum vnus eſt in alio, alter per ſe, videntur habere repugnantiam : hæc autem ratio nullam habere vim poteſt ad excludendum modum hypoſtaticæ vnionis à prædicta forma materiam informante, habentéque proinde præfatum IV. modum informationis : vi enim modi illius D hypoſtaticæ vnionis forma non haberet vt exiſteret per ſe, ſed in alio, nimirum in Deo, duo autem modi exiſtendi in alio, quorum vnus eſt in alio vt in ſubiecto ſuſtentante, alter in alio vt in ſuppoſito terminante, nihil habent repugnantiæ.

Quinta aſſertio. Partes quoque integrantes alicuius totius, & illud actu componentes poſſunt aſſumi hypoſtaticè à Deo, partibus aliis non aſſumptis, vt caput, aut cor hominis. Ratio eſt, quòd quælibet huiuſmodi pars ſuam partialem habeat ſubſiſtentiam, quæ ſua continuatione cum partialibus aliarum partium ſubſiſtentiis, vnam integram componit totius ſubſiſtentiam, ſicut & quælibet pars integrans ſua cum aliis partibus continuatione vnum totum integrum conſtituit : V. diuina autem ſubſiſtentia terminare poteſt quidquid creata propriáque ſiue totali ſiue partiali ſubſiſtentia terminabile eſt, vt conſtat ex ſuprà dictis.

Aduerte autem hîc duo. Primum eſt, diuinam ſubſiſtentiam non futuram propterea partem alicuius integræ ſubſiſtentiæ, vt erat ſubſiſtentia illa partialis, cuius in locum ſuccederet, quia deeſſet illi continuitas cum partialibus aliis ſubſiſtentiis propriis aliarum partium, quibus etiam continuari non poſſet, eo quòd eſt ab illis diuerſi prorſus generis & ordinis. Secundum eſt, quòd ſi quis cum Gabriele Vaſquez hîc diſputat. 32. ſentiret modum ſubſiſtentiæ ita eſſe proprium naturæ completæ ſubſtantialis, vt partibus ſiue phyſicis, ſiue integrantibus vnum per ſe totum actu com- VI. ponentibus non conueniat, nec vlla proinde iſtiuſmodi pars ſubſiſtentiam etiam partialem habeat, aut habere poſſit, dicere ex conſequenti deberet, nullam huiuſmodi partem actu componentem aſſumi poſſe hypoſtaticè à Deo, cùm ſic aſſumi non poſſit niſi id quod creata aliqua propriáque ſubſiſtentia terminabile eſt.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta ſex contra doctrinam ſuperiori ſectione traditam.

MILITANT omnia directè contra tertiam ſectionis illius aſſertionem. Primum VII. eſt : quidquid eſt Deo indecens, eſt Deo impoſſibile, vt alias ex Diuo Anſelmo probauimus : atqui foret Deo indecens aſſumere naturam leonis, lapidis, & alias huiuſcemodi irrationales : ab iis enim rebus hypoſtaticè aſſumptis denominaretur leo, lapis, & ſimiles alias ſuſciperet denominationes eius maieſtate indignas, eámque dedecentes. Reſpondeo non futurum dedecens illas aſſumere naturas, & ab iis aſſumptis prædictas ſuſcipere denominationes : quæ reuera non eſſent Deo indecentes, & eius maieſtate indignæ, licet prima fronte tales eſſe videantur, ſicut nec ſunt indignæ nec indecentes denominationes paſſi, crucifixi, mortui, aliæque ſimiles quas ex humanitate noſtra ſemel aſſumpta neceſſariò ſuſcipit, licet primo etiam aſpectu tales eſſe videantur. VIII.

Ratio autem eſt, quia dum naturas illas irrationales aſſumeret, & proinde ſuſciperet neceſſariò conſequentes ex his aſſumptis denominationes, non deeſſet illi ratio propter quam id ſapienter, ac proinde decenter faceret, vt ad oſtendendam potentiam ſuam, vel ad humanam ſapientiam confundendam. Vnde Tertullianus libro de carne Chriſti, capite quarto, contra Marcionem agens, qui Deo aſſerebat indi-

gnum ex muliere terrenum & carneum corpus assumere, dixit, *Si de lupa ipse prodire voluisset, & feræ aut pecoris corpore indutus regnum cælorum prædicaret*, fore vt hoc ipsi indecens, & eius maiestate indignum, videretur ei qui res diuinas ponderat sensu suo, non diuino, nec aduertit ad id quod scriptum est, *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes*. Adde quod res viles & sordidæ ipsi hypostaticè vnitæ non magis eum inquinarent, quàm ab iis inquinetur, dum intimè ipsis secundùm substantiam suam præsens est: quibus sic præsentem esse, etsi eius indignum maiestate primo intuitu videatur, non est tamen, sed e contrario dignum eiusdem immensitate, eique conuenientissimum. Rectè autem monet hîc Caietanus, esse quasdam denominationes, quæ verè Deo conuenirent, si hanc aut illam irrationalem naturam assumpsisset, quas non oportet vsurpare, aut in exemplum adducere, dum disputamus, vtrùm hanc illamve naturam possit assumere hypostaticè: quia vsurpari absque aliqua indecentia vix possunt. I. A II. B

Secundum est. Natura irrationalis non est capax visionis beatificæ: ergo nec vnionis hypostaticæ. Probatur consequentia: quod enim non est capax minoris, non est maioris: maius autem quiddam est vniri Deo hypostaticè, quàm ipsum clarè videre: sed negatur consequentia, sanguis enim & Christi corpus mortuum assumpta fuerunt à Deo hypostaticè, nec tamen sunt res capaces visionis beatificæ. Ad probationem autem eius dico, quando maius & minus sunt eiusdem rationis, eum qui non potest minus, nec posse maius: at quando sunt diuersæ, fieri posse, vt qui non potest minus, possit maius: vnde licet minus sit volare quàm ratiocinari, generare leonem, quàm hominem, homo tamen licet minora illa non possit, maiora tamen ista potest. Vnio autem hypostatica & visio beatifica sunt res diuersi ordinis. Causa autem ob quam fit vt natura aliqua irrationalis capax non sit visionis beatificæ, sit nihilominùs hypostaticæ vnionis, est quòd careat intellectu qui necessarius est ad videndum Deum, nec tamen ad vnionem hypostaticam necessariò requiritur: habeat verò aut habere possit sibi connaturalem subsistentiam, quod sufficit, vt hæc per subsistentiam diuinam suppleri possit. III. C

Tertium. Subsistentia diuina cùm sit aliqua personalitas, non potest constituere nisi personam: ergo nec persona diuina potest assumere naturam irrationalem. Probatur consequentia: si enim aliquam eiusmodi naturam assumeret, cum ea personam non constitueret, quia irrationalis natura subsistens non est persona, sed suppositum. Respondeo negando antecedens: non potest quidem non constituere personam, cùm non possit non terminare diuinam naturam quæ intellectualis est, compositum autem ex natura intellectuali & subsistentia persona sit, eóque ipso subsistentia aliqua, quæcunque demum illa sit, personalitas sit, quo naturam aliquam intellectualem siue propriam, siue alienam terminat: at potest etiam aliquid constituere quod persona non erit, sed suppositum tantùm, quia cùm sit vera reipsa subsistentia, potest erga naturam aliquam irrationalem supplere vices propriæ eius subsistentiæ, sicque cum natura illa constituere compositum, quod persona non erit, sed suppositum tantùm: persona enim non est quodcunque compositum ex natura & subsistentia, sed compositum ex natura intellectuali completa & subsistentia, cùm tamen omne compositum ex quacunque natura substantiali completa, & subsistentia, suppositum sit. IV. D V.

Quartum. Natura irrationalis non est capax sanctificationis, ergo nec hypostaticæ vnionis. Probatur consequentia, tum quia hæc vnio est vera quædam formalisque sanctitas, quæ cùm effectum suum formalem primarium non possit non communicare subiecto in quo est, hic autem effectus sit ipsum facere formaliter sanctum, seu iustum coram Deo, sicut primarius candoris effectus formalis est facere subiectum in quo est candidum, tam repugnat eam poni in eo subiecto, quod non potest fieri sanctum & iustum coram Deo, cuiusmodi est haud dubiè quælibet natura irrationalis, quàm poni candorem in ea re quæ fieri candida non potest: tum quia diuinitas cùm sit infinita quædam & increata sanctitas, eam naturam cui vnita hypostaticè est, formaliter & necessariò infinitè sanctificat. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, alioqui Christi corpus mortuum non fuisset capax vnionis hypostaticæ, cùm capax non sit sanctificationis illius de qua in antecedente sermo est. VI.

Ad primam autem eius probationem, nego vnionem hypostaticam, etiam eam quæ in natura rationali assumpta à Deo ponitur, esse formam formaliter sanctificantem, qua de re infrà fusiùs ad quæstionem D. Thomæ decimam quintam. VII.

Ad secundam respondeo, diuinitatem esse quidem veram formalémque sanctitatem, sed assumptæ hypostaticè à Deo naturæ extrinsecam: etsi autem sanctitas in aliquo subiecto intrinsecè existens non possit illud non efficere formaliter sanctum, & iustum coram Deo, nec proinde poni possit in eo subiecto, quod istius formalis effectus incapax est, sanctitas tamen vnita alicui rei, ita vt ei sit extrinseca, non facit eam, nec denominat formaliter sanctam & iustam coram Deo, nisi priùs ea res intelligatur esse natura sua capax veræ coram Deo iustitiæ & sanctitatis, cuiusmodi est sola natura rationalis. Vnde est quòd in quædam humanitatis Christi opera deriuabatur à diuinitate infinitus valor ac meritum, vt in libera ac bona moraliter, quia hæc ex se capacia sunt valoris ac meriti: in alia nullum meritum, nullus valor, vt in naturalia ac necessaria, quia hæc meriti valorisque capacia ex se non sunt, cùm tamen hæc & illa procederent æqualiter à natura vnita hypostaticè diuinitati. Vnde etiam est, quòd cùm in triduo mortis Christi diuinitas tam esset vnita hypostaticè corpori mortuo, quàm animæ rationali, hanc tamen, non illud, sanctificabat eo genere sanctificationis de VIII.

quo in præsenti sermo est: quod addo, quia & corpus illud sanctum fuit, & quæcunque natura rationis ac vita expers assumpta hypostaticè à Deo sancta esset, non illo genere sanctitatis, quæ est vera coram Deo iustitia, in qua fundatur æternæ vitæ dignitas, sed ea sanctitate, qua res etiam inanimatæ, quæ peculiari quodam modo sunt Dei sancti, vt quòd in eius cultum sint consecratæ, sanctæ dicuntur. Quia ergo Christi corpus mortuum, (idémque est de quacunque alia natura irrationali, quæ à Deo assumeretur) manens vnitum hypostaticè diuinitati Verbi, mansit verè corpus Dei sancti, & eo ipso deificatum, quò ei hypostaticè vnitum, propterea sanctum fuit. I.

DISPVTATIO XX.

Vtrùm natura creata propriam subsistentiam retinens assumi possit hypostaticè à Deo? II.

SECTIO PRIMA.

Referuntur refelluntúrque variæ rationes quibus negatiuæ partis veritas à multis non bene probatur.

VÆSTIO est de natura creata propriam subsistentiam retinente: nam nulla dubitatio est, quin natura existens in proprio supposito assumi possit, dummodo eo temporis momento quo assumitur, propria sua subsistentia priuetur: id enim magis repugnare non potest, quàm assumi III. naturam primo momento quo est, impediendo ne ex ea sequatur propria eius subsistentia, sicut in Christi humanitate factum est. Propositæ autem quæstionis negatiua pars tam communis est inter Theologos, vt nullus reperiatur ex iis qui scripta sua in lucem ediderunt, qui affirmatiuam defendat: esset autem facillimum eius veritatem ostendere, suppositâ Scoti sententia dicentis, subsistentiam naturæ substantiali addere tantummodò duplicem negationem, vnam actualis communicationis, alteram aptitudinalis. Nam clarissimum est naturam retinentem duplicem illam negationem assumi non posse à persona diuina: eo enim ipso quo ab illa posset assumi, seu quo apta esset illi communicari, non haberet negationem aptitudinalis communi- IV. cationis: & rursum eo ipso quo actu assumeretur, eidem actu communicaretur, sícque negationem actualis communicationis non haberet, imò nec haberet aptitudinalis: non enim communicaretur actu, nisi apta esset sic communicari. Verùm hæc Scoti sententia falsa est, vt efficaci ratione probat Vasquez hîc disputatione 32. cap. 2. numero 11. parúmque cohærens principiis authoris sui, vt ibidem ostendit num. 11. præsupponendúmque ex oppositio propriam naturæ creatæ subsistentiam esse modum realem ei superadditum, ab ipsa ex rei natura distinctum, quod eadem ratione rectè idem Vasquez euincit, & nos in Philosophia ex professo probauimus: quo præsupposito, non est facile partis illius negatiuæ veritatem ostendere: quod tamen faciemus efficaciter sequenti sectione, quantum A V. fieri potest, duobus argumentis, postquàm in ista varias diuersorum authorum rationes ad idem probandum inefficaces retulerimus, & refutauerimus, non superflue, quia non inutiliter.

Prima est, Caietani, & Medinæ, non posse creatam naturam sua subsistentia terminatam assumi, quin assumatur ipsa eius subsistentia, & proinde suppositum, quod tamen inassumptibile est. Reiicitur eo quòd tam facilè intelligi potest naturam illam assumi posse, non assumpta propria eius subsistentia, quæ reuera non est assumptibilis, quàm facilè intelligitur, naturam diuinam terminatam Patris subsistentia, terminari rursus per propriam Filij, sic vt Filij subsistentia naturam B VI. ipsam terminet, non verò simul ipsam Patris subsistentiam: quàm item facilè intelligitur, humanitatem Christi assumptam à Verbo, posse simul a Patre assumi, absque eo quòd modus hypostaticæ vnionis per quem vnitur Verbo à Patre assumatur, qui reipsa non est à quoquam assumptibilis.

Secunda est Durandi, vnam naturam posse subsistere vna tantùm subsistentia. At hoc principium probari ab ipso non potest: refellitur autem à nobis, tum ex natura diuina quæ vnica numero est, tribus tamen simul diuinarum personarum personalitatibus terminata: quas esse veras subsistentias, & non modos tantùm aliquos communicabilitatis, contra eundem Durandum, prima parte de Deo tractantes disput. 54. probauimus: C VII. tum ex eo quòd sequeretur alioqui non posse eandem naturam creatam assumi à pluribus personis diuinis: quod falsum esse constat ex suprà dictis.

Tertia est Paludani, personalitates diuinas esse relatiuas, ideóque vnam ferre alterius consortium in eadem natura, siue diuina, siue creata: at subsistentiam creatæ naturæ propriam esse absolutam, ideóque non posse ferre in eadem natura consortium vllius alterius, siue relatiuæ, siue absolutæ. Reiicitur primò, eo quòd nullam afferre potest causam, ob quam vna absoluta, eo quòd absoluta sit, ferre nequeat consortium alicuius alterius saltem absolutæ, cuiusmodi est propria cuiuslibet naturæ creatæ subsistentia, D sicut vna relatiua fert secum in eadem natura consortium alterius relatiuæ. Deinde, VIII. quia si conciperemus humanam aliquam naturam carentem propria sua subsistentia subsistere per Angelicam, quis negaret eam assumi præterea posse ab aliqua diuina persona, dummodo concedat vnam eandémque naturam posse simul esse in pluribus suppositis alienis, vt reuera potest, cùm possit assumi à pluribus diuinis personis simul, vt suprà probatum est, & tamen Angelica subsistentia est absoluta, cum qua proinde staret in ea-

dem natura subsistentia relatiua personæ diuinæ eam assumentis?

Quarta est Henrici, naturam diuinam terminari simul posse tribus diuinarum personarum subsistentiis, quia hæ licet inter sese realiter differant, cum illa tamen identificantur. At cum
I. natura creata terminata sua propria subsistentia A nulla alia terminari possit quæ realiter ipsi identificetur, hinc esse, vt suam propriam subsistentiam retinens nulla alia terminari possit. Refellitur ex eo quòd euinceret quoque eandem naturam creatam carentem sua propria subsistentia assumi non posse ab vna persona diuina, multóque minùs à pluribus simul: quia carens etiam illa sua subsistentia, per nullam aliam terminari posset ipsi realiter identificatam: omnis enim aliena subsistentia ab ea natura, respectu cuius dicitur aliena, differt realiter.

Quinta est, quorumdam recentiorum, propriam cuiusque naturæ subsistentiam, vna quidem ex parte, esse essentialiter quandam incommunicabilitatem alteri vt supposito, cùm nulli communicari possit: ex altera verò esse essentialiter
II. modum naturæ illius, qui proinde non po- B test existere nisi naturam illam modificet, & modificando suum illi primarium formalem effectum tribuat, qui est eam alteri vt supposito incommunicabilem reddere, cùm ille ipse modus, vt diximus, sit essentialiter quædam eiusmodi incommunicabilitas. Refellitur primùm ex eo quòd quælibet diuina personalitas tam est essentialiter quædam incommunicabilitas, quàm propria naturæ creatæ subsistentia: tam enim illi quàm huic repugnat alteri vt supposito communicari, nec minùs intimè personalitas illa diuinam naturam afficit, quàm hæc subsistentia suam, imò multò magis, cùm sic afficiat, vt etiam ei prorsus identificetur: secus autem ista, quia à natura sua modaliter & à parte rei distinguitur, nec tamen ex eo quòd diuinam naturam
III. sic afficiat, eam alteri vt supposito incommu- C nicabilem reddit, nam reipsa simul aliis diuinis personis communicatur, eamque propriis subsistentiis terminatur.

Refellitur deinde, quia eadem propria creatæ naturæ subsistentia non est magis essentialiter quædam incommunicabilitas alteri vt supposito, quàm vnio hypostatica: tam enim hæc quàm illa alteri vt supposito est incommunicabilis: nec magis intimè illam suam naturam afficit, quàm hæc vnio, cùm vtraque sit modus eidem naturæ superadditus: & nihilominus vnio hæc naturam in qua ponitur modificans, non facit eam formaliter alteri vt supposito incommunicabilem, alioquin humana Christi natura Verbo vnita hypostaticè, non posset simul vniri vlli
IV. alij personæ diuinæ, contra doctrinam anteà tra- D ditam à nobis, & probatam. Denique eo quòd Vbi intrinsecum est tam essentialiter quædam intransferibilitas de loco ad locum, quàm propria creaturæ naturæ subsistentia est quædam incommunicabilitas alteri vt supposito: tam enim illi repugnat transferri de loco ad locum, quàm hanc alteri vt supposito communicari: támque illud Vbi corpus in quo recipitur afficit, quàm subsistentia hæc propriam suam naturam: & tamen illud non ita reddit corpus in quo est intransferibile de loco ad locum, quin absoluta Dei potestate fieri possit, vt idem corpus illud ipsum Vbi retinens de loco ad locum transferatur, duobúsque proinde simul in locis sit.

SECTIO II.

Eiusdem negatiuæ partis veritas efficaciter probatur. V.

His ita refutatis rationibus, venio iam ad primum efficax pro eadem negatiua parte argumentum, quod ducitur ex authoritate Conciliorum & Patrum, inferentium humanitatem Christi sua propria carere subsistentia, ex eo quòd à Verbo assumpta hypostaticè est: quæ consequutio bona non esset, si natura creata suam propriam subsistentiam retinens, assumi posset à diuina persona: quæ autem Concilia sic inferunt, sunt Ephesinum tomo 1. cap. 4. & 14. Chalced. actione 1. in epistola Cyrilli ad Nestorium, & V. Synodus Collat. 8. can. 4. in quo quia vnio humanitatis Christi facta est secun-
VI. dùm subsistentiam, vna in eo esse dicitur subsistentia: & can. 5. in quo sic dicitur. *Si quis non confitetur Dei Verbum carni secundùm subsistentiam vnitum esse, & propter hoc vnam eius subsistentiam seu vnam personam, anathema sit.* Patres verò qui cæteris clariùs illud ipsum intulerunt, sunt Agatho Papa in epistola quæ habetur in VI. Synodo act. 4. Sophronius in epistola quæ ibidem habetur actione 11. Cassianus lib. 1. de Incarnatione Verbi cap. 5. & lib. 5. cap. 4. & 7. & Cyrillus in explicatione anathematismi 2. 3. 4. & 10. & in defensione 3. 4. & 9. in libro ad Euoptium antithesi prima. In expositione Symboli Nicæni: ac in libro de Incarnat. Verbi cap. 12.

Respondeti potest his Patrum Conciliorúmque testimoniis solùm euinci, non posse connaturaliter, & absque nouo miraculo assumi natu-
VII. ram retinentem propriam suam subsistentiam, eo quòd introducta supernaturaliter à Deo hypostatica vnio in naturam aliquam, naturaliter secum pari non potest propriam eiusdem naturæ subsistentiam: at hoc impedire non posse, quo minus hæc in ea conseruari simul cum illa possit per absolutam Dei potentiam: quòd autem hæc vnio ferre secum non possit naturaliter illam subsistentiam, ac non nisi per nouum miraculum, sufficientem occasionem fuisse Conciliis, & Patribus, inferendi in Christi humanitate non esse propriam eius subsistentiam, eo quòd assumpta à Verbo hypostatice fuerit: siquidem quando aliquid non potest absque miraculo fieri, non nisi temerè iudicare possumus ita
VIII. factum esse, nisi nobis id aliunde constet: in Christi autem humanitate id ita factum fuisse non constat. Verùm hæc responsio in præsenti materia non satisfacit: agebant enim Concilia & Patres contra hæreticos duplicem in Christo personam agnoscentes: quæ reuera fuit, si eius humanitas propriam suam, & Verbi subsistentiam simul habuit: contra quos parum efficaces essent eorum ratiocinationes, quibus ex eo quòd illa Verbi subsistentiæ vnita fuerit, inferunt illam propria sua carere subsistentia, Christúmque proinde vnicam tantùm esse personam, nisi

vellent nulla fieri vi posse, vt natura suam propriam subsistentiam retinens assumatur. Nam hæretici contra quos agebant facilè respondissent, Deum supernaturaliter quidem, nouoque cum miraculo suam propriam subsistentiam humanitati Christi simul cum Verbi subsistentia reliquisse, sed id conuenienter fecisse, nimirum I. vt nihil perfectionis naturalis eius humanitati deesset, & alias ob causas non improbabiles, quæ ab ipsis excogitari potuissent. Adde quòd nulla potest afferri oppositio inter propriam naturæ subsistentiam, & modum vnionis hypostaticæ cum alieno supposito, ratione cuius natura non possit naturaliter, & absque miraculo suam propriam retinere subsistentiam, quæ non etiam euincat inuoluere contradictionem vt id fiat. Nam si quæ afferri eiusmodi oppositio potest, maximè illa quam mox afferemus in secundo nostro argumento, ex ratione petito, illa autem, implicare contradictionem vt id quod dixi fiat, ostendit.

II. Secundum argumentum ex hac ratione ducitur, qua vnica vtuntur Vasq. disput. 33. cap. 2. & Suarez disput. 14. sect. 1. Cùm subsistentia naturæ propria sit essentialiter quidam existendi modus ipsi intrinsecus, qui dicitur per se, nec possit natura hunc habere in se modum, quin vi eius per se existat, fieri non potest, vt hunc existendi per se modum retinens, accipiat modum vnionis hypostaticæ cum alieno supposito, eiusque subsistentia terminetur: nam eo ipso quo acciperet, & terminaretur, esset in alio: ergo non per se, aut certè simul in alio, & per se: quod tamen fieri non potest: quia hi duo existendi modi sunt ita repugnantes, vt vnus secum afferat necessariò negationem alterius: quèadmodum accidenti extra subiectum posito, & habenti retinentique superadditum accidentalem modum per se existendi, non potest simul tribui modus inhæsionis in aliquo subiecto: III. propterea quòd sic esse per se, & simul in alio, sunt modi repugnantes, quorum vnus alterius negationem secum affert necessariò.

Nec dicas, naturam terminatam subsistentia, siue propria, siue aliena, semper esse per se, & simul in alio, diuersa consideratione: per se quidem, quatenus subsistit, subsistere autem est per se existere: in alio verò, quia est in supposito in quo subsistit. Ne, inquam, id dicas: nam in primis, etsi dum terminatur aliena subsistentia per se sit, id est, non inhæreat, nec sit in subiecto, per se tamen non est ita vt in se sit, ac sibi ipsi quodammodo innitens, quo tamen modo per se est, dum per propriam subsistentiam subsistit: qui existendi per se, seu subsistendi modus habet repugnantiam cum modo existendi siue subsistendi non in se sed in alio, & non IV. sibi, sed ipsi alij quodammodo innitendo. Deinde quamuis dum per propriam subsistentiam terminatur, in alio sit, id est, in supposito, ita tamen est in alio, vt non sit in alieno, sed proprio supposito: at dum aliena subsistentiâ terminatur, ita est in alio, id est, in supposito, vt simul in alieno sit: ergo non in proprio: propter allatam inter hos duos existendi & subsistendi modos repugnantiam. Cuius rationis vis eo maior cuilibet videbitur, quò magis aduerret ad prædictam Conciliorum, Patrumque doctrinam rectè contra prædictos hæreticos defendendam, fatendum esse, contradictionem inuoluere, naturam creatam propria simul & aliena subsistentia terminari, nulla autem ratione ostendi posse melius contradictionem hanc, quàm ea qua vsi sumus.

A Ex qua facilè tria intelliguntur. Primum, cur non repugnet vnam eandémque naturam creatam terminari simul pluribus subsistentiis alienis, etsi repugnet eam terminari sua simul & aliena: dum enim illud fit, vt vna eadémque natura plures simul habeat modos existendi in alio, inter quos nulla repugnantia est: cum tamen sit inter eum quo existit per se, & illum, quo existit in alio; quemadmodum vni accidenti dari simul possunt plures modi inhæsionis in pluribus subiectis, propterea quòd inter hos existendi modos nulla repugnantia est, licet repugnet dari positiuum existendi modum per se, & modum inhæsionis in aliquo subiecto, ob intercedentem inter hunc & illum existendi modum repugnantiam. Secundum est, cur item nihil repugnet naB turam diuinam subsistere tribus simul diuinarum personarum subsistentiis: triplex enim illa subsistentia & earum quælibet tam ipsi propria ac naturalis est, quàm ea vnica quæ naturæ creatæ propria est, & connaturalis: quo fit vt qualibet earum per se sit, & in proprio suo supposito, non verò in alieno. Tertium est, si dari possint successiuè plures vnius eiusdémque naturæ creatæ subsistentiæ propriæ, ac connaturales, nihil repugnaturum eam illis simul omnibus terminari: hinc enim tantum fieret, vt quemadmodum diuina natura, sic ipsa plures simul haberet modos, quorum quolibet per se esset, ac in proprio supposito inter quos existendi modos nulla esset repugnantia.

V. VI. VII. VIII.

DISPVTATIO XXI.

C

De partibus humanæ naturæ à Verbo assumptis.

AGIT hac de re D. Thomas quæstione 5. quatuor articulis docens quatuor: quorum Primum est, Verbum assumpsisse verum corpus, non phantasticum. Secundum, assumpsisse corpus terrenum & carneum, eiusdem cum nostro materiæ ac naturæ. Tertium & quartum, assumpsisse animam no quamcunque, nec vegetantem, aut sentientem tantùm, sed etiam rationalem: quæ omnia ex fide certissima sunt, cùm ex ea constet Verbum esse verum hominem, & assumpsisse veram humaD nitatem: ad quam necessariò requiritur verum corpus, terrenum, carneum, nostro simile, anima præterea rationalis vnita illi corpori. Ex quo concluditur, ipsum assumpsisse non modò animam rationalem, sed etiam corpori vnitam: quod expresè docuit sexta Synodus act. 11. cùm in ea definiuit, Verbum assumpsisse carnem animatam anima rationali: caro enim non animatur hac anima, nisi hæc illi vniatur. Sed cùm illa quatuor quæ dixi certissima sint, de quatuor aliis quæ in Christi corpore fuerunt, dubitatio

est, num ab eo hypostaticè assumpta fuerint. Primum est sanguis: secundum tres alij humores: tertium vngues, & dentes: quartum pili, & capilli.

De sanguine tres sunt sententiæ. Prima Durandi in 4. dist. 10. quæst. 1. num. 19. & Gabrielis in Canonem lect. 53. absolutè negantium. Secunda est Caietani partim hîc ad art. 2. citatæ 5. quæst. partim infra quæst. 54. art. 2. duplicem in humano corpore sanguinem distinguentis, vnum quem nutrimentalem appellat, & negat viuere, seu informari anima rationali: alterum puriorem & decoctum, quem ad veritatem & integritatem humanæ naturæ pertinere dicit, animâque rationali informari: hac autem præmissa distinctione negantis priorem illum à Verbo assumptum hypostaticè fuisse, contrarium verò de hoc posteriore affirmantis. Tertia absolutè affirmat omnem omnino sanguinem qui nunc est, & aliquando extitit in Christi corpore, & ex eo fluxit aliquando, assumptum fuisse à Verbo hypostaticè, tandiuque mansisse ei sic vnitum etiam extra corpus eius existentē, quandiu veri & humani sanguinis substantialem formam retinuit, siue sanguis humanus informetur anima hominis, siue non: quod secundum ex Philosophia verum suppono, siue duplex ille cum Caietano distinguendus sit, siue non: quod item secundum verum esse suppono ex eadem Philosophia. Ita paucis exceptis communiter sentiunt Theologi quos citant & sequuntur à Valent. Suarez & Vasquez ad citatum artic. 2. quintæ quæstionis.

I.

II.

Probatur autem à nonnullis, ex illis omnibus Scripturæ locis, quibus nostra redemptio, peccatorumque nostrorum remissio sanguini Christi ascribitur. Verùm hinc efficaciter probari non potest: quoniam etsi Verbo vnitus non esset, adhuc tamen meritò ascriberetur: non enim ascribitur, nisi quia fuit in eius effusione vis redimendi nos, & emundandi à peccatis nostris, vis autem illa non fuit nisi per modum condigni meriti, hoc autem meritum in eius effusione æquè fuisset, etsi ipse ei vnitus hypostaticè non fuisset, cùm hoc non ex re oblata seu effusa, sed ex offerentis & effundentis dignitate in actum quo offertur & effunditur deriuetur, vt ex 6. disput. constat. Vnde si Christus non sanguinis sui, sed lachrymarum tantummodo, aut sudoris effusione redimere nos voluisset, vt condignissimè poterat, nostra redemptio, & à peccatis nostris emundatio non minùs eius lachrymis & sudori tribueretur, quàm nunc sanguini tribuatur, cùm tamen certum sit eius sudores & lachrymas non fuisse Verbo hypostaticè vnitas.

III.

His ergo Scripturæ locis omissis probatur efficaciùs ex illis aliis eiusdem Scripturæ, Conciliorum, Patrúmque testimoniis, quibus cùm de hypostatica à Verbo assumptione sermo est, indifferenter dicitur assumpsisse carnem & sanguinem, nec minùs aut aliter fit mentio carnis, quàm sanguinis. Vnde cùm hinc Catholicis omnibus certum sit, carnem sola Verbi subsistentia subsistere, idem quoque de sanguine certum iisdem esse debet: testimonia autem quibus ita dicitur sunt hæc. Ad Hebræos 2. sic Apostolus de Filio Dei loquitur. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem*: certum autem est ipsum non participasse carni aliter, quàm per vnionem hypostaticam, per quam proinde sanguini participauerit, cùm similiter huic atque illi participasse dicatur. In 6. Synodo, act. 8. dicitur idem *Dei Filius factus in assumptione carnis & sanguinis*: quæ verba licet habeantur in confessione fidei facta per Macarium Antiochenum Archiepiscopum, qui fuit ob hæresim in ea Synodo depositus, tamen ob hanc suæ confessionis partem, qua dixit Filium Dei factum esse in assumptione carnis & sanguinis, non fuit condemnatus, sed ob aliam, in qua vnam tantùm in Christo confitebatur voluntatem: imò prior illa confessionis eius pars eo ipso quo reiecta non fuit à Concilio, tacite saltem fuit approbata, cùm eo solo nomine reiecta non fuerit, quòd in ea obseruaretur idem loquendi modus qui Scripturis continetur, & quem Catholica retinet Ecclesia. In epistola quoque Concilij Alexandrini, quæ est decima apud Cyrillum, recitata & approbata in Concil. Ephesino, & Chalced. dicitur ante medium idem Dei Filius *assumpsisse carnem & sanguinem*: & anathematismo quinto, *factus fuisse particeps carnis & sanguinis*. Cyrillus denique lib. de Incarnatione vnigeniti cap. 11. circa finem, ait, *idem Dei Verbum participasse vt & nos carni & sanguini*: & in epistola ad Nestorium recitata & approbata in Concilio Ephesino, tomo 1. cap. 12. & in Chalced. act. 1. post medium sic scribit, *Verbum vero carnem factum esse, nihil aliud est, quam quod perinde ac nos carni & sanguini communicauit*: vel vt habetur in altera editione citato loco ex Chalcedonensi Concilio, *participatum est carni & sanguini*, seu *participatum habuit carnis & sanguinis*: vt habet altera editio ibidem addita. Et in Apologetico pro 12. anathematismis in decimi defensione sic inquit, *Confitemur quod Deus est in carne & sanguine*: quo loco loquitur haud dubiè de existentia Dei, non ea qua per immensitatem suam præsens est rebus omnibus, sed de peculiari per vnionem hypostaticam.

IV.

Probatur secundò authoritate sedis Apostolicæ, à qua definitam fuisse tertiæ illius sententiæ veritatem, docet, & rectè probat Vasq. disput. 36. cap. 4. In primis enim Clemens VI. in Extrauag. *Vnigenitus*, de Pœnit. & remiss. de Christi sanguine pro nobis effuso loquens ait, *guttam sanguinis modicam propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficere potuisse*: vbi quod dicit, propter vnionem ad Verbum, debet intelligi de vnione ipsius sanguinis de quo loquebatur, non totius humanitatis de qua non fuerat anteà loquutus. Neque inde concludendum est Pontificem existimasse infinitum valorem qui fuit in satisfactione Christi, suum pro nobis effundentis sanguinem, deriuatum fuisse ex ipsa re pro nobis oblata, & effusa, contra doctrinam disput. 6. traditam. Id enim reuera non existimauit, nec relatis verbis significauit, meritóque nihilominùs dixit id quod eum dixisse retulimus, quia hoc ipso quo dicebat sanguinem fuisse Verbo vnitum hypostaticè, dicebat consequenter sic vnitam eidem fuisse ipsam humanitatem, quæ ob suam cum eo vnionem merebatur infinitè in sui sanguinis effusione, prout illa disputatione declarauimus.

V.

VI.

VII.

VIII.

Deinde idem Clemens VI. vt refert Syluester in rosa, aurea tract. 3. quæst. 30. & sequenti, & ex Syluestro Vasq. citato cap. 4. quendam in Hispania concionatorem, qui Barcinone publicè pro concione dixerat, sanguinem Christi in passione effusum dimissum à Verbo fuisse, cùm tamen & corpus & anima mansissent ei vnita hypostaticè, condemnauit, iussitque doctrinam hanc de dimisso à Verbo sanguine in Ecclesia Cathedrali Barcinonensi retractare, quam condemnationem & retractationem Pius secundus approbauit.

I.

Probatur tertiò, eo quòd Verbum assumpsit verum corpus humanum integrum & completum: assumpsit enim integram humanitatem: ergo & copus humanum integrum, cùm sine eo integra humanitas esse non possit: ad corporis autem humani complementum & integritatem pertinet sanguis: hic enim verè pars eius est, vt constat ex D. Thoma infrà quæst. 54. art. 2. ad 3. in quo ait sanguinem pertinere ad integritatem humanæ naturæ, ratione nimirum corporis pertinentis haud dubiè ad humanam naturam, ad cuius corporis integritatem sanguis pertinet. Ex Philosopho item lib. 2. de partibus animalium cap. 2. & sæpe alibi numerante sanguinem inter partes animalis. Ex Tridentino præterea sess. 13. cap. 3. in quo dicitur Christi sanguinem esse sub speciebus panis, ex vi connexionis qua partes corporis inter se copulantur. Ex Damasceno denique lib 2. de fide cap. 12. circa medium, in quo sic ait: *Corpus autem omne ex quatuor elementis conflatur: animantium autem corpora ex quatuor humoribus*, quos dicit esse *sanguinem, flauam bilem, atram bilem, & pituitam.* Quod confirmatur efficaciter ex iis Scripturæ locis in quibus nomine carnis & sanguinis non solùm totum corpus hominis, sed ipse etiam totus homo per synechdochem intelligitur, vt Matth. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, id est homo, quia non homine, sed Deo docente didicisti. & ad Ephesios 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.*

II.

III.

Nec refert in primis quòd sanguis animatus non sit: potest enim nihilominùs ad integritatem corporis humani, & humanitatis pertinere, eiusque proinde pars esse. Nec refert deinde, quòd eius pars non sit, si de homine metaphysicè loquamur, quia sic spectatus homo complectitur tantùm gradum animalis, & rationalitatis, ac proinde solam animam cum materia quam informat, & animat: quamuis enim ita sit, hæc tamen hominis acceptio nō est in communi vsu, hicque vt communiter sumitur, physicè accipitur, prout scilicet comprehendit quidquid ad humanæ naturæ integritatem pertinet, cuiusmodi est sanguis, vt antè probauimus. Vnde cùm Verbum humanitatem assumpsisse dicatur absque vlla restrictione, ac proinde secundùm vulgarem & communiter vsurpatam vocis illius significationem: hinc est, quòd ipsum quoque sanguinem assumpsisse putandum est. Ex quo facilè intelligitur quo sensu D. Thom. infrà quæst. 31. art. 5. ad primum dixerit, sanguinem non esse actu partem corporis, ideóque licet Christi corpus ex B. Virgine sanguine formatum fuerit, nihil tamen de eius corpore detractum fuisse: loquitur enim de humano corpore metaphysicè sumpto, cuius sic sumpti partes aliæ actu non sunt, quàm ex quæ actu ab anima informantur: cuiusmodi non est sanguis, cùm non viuat, qui proinde non est actu pars eius ita sumpti, sed potentia tantùm, quia in carnem conuerti potest, & sic ab anima informari.

IV.

A

B

C

D

Atobiicies primò, consequens ex nostra doctrina futurum, falsum illud esse à Theologis communiter receptum D. Damasceni pronuntiatum, Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit: dimiserit enim multas effusi in passione sanguinis partes, aut etiam ipsum totum, cùm ante Christi resurrectionem corruptus fuerit, nec corruptus manserit hypostaticè Deo vnitus. Respondeo primò D. Damascenum nusquam illud vsurpasse pronuntiatum, tantumque dixisse lib. 3. de fide cap. 27. per mortem Christi fuisse separatam eius animam à corpore, vtrumque tamen separatim existens vnitum Verbo mansisse, & vt eius verbis vtar, *corpus & animam ab initio in Verbi persona eodem momento extitisse: ac licet in morte diuulsa fuerint, vtrumque tamen eorum vnam Verbi hypostasin perpetuo habuisse.* Respondeo secundò cuiuscunque demum sit illud pronuntiatum, non fore ex nostra doctrina consequens, illud falsum esse: etsi concedatur, vt reipsa concedendum est, eum omnem Christi sanguinem qui de eius corpore fluxit, & substantialiter ita corruptus est, vt substantialem humani sanguinis formam non retineret, fuisse à Verbo dimissum, pro eo tempore quo sic erat corruptus: ex communi enim Theologorum expositione prædictū axioma intelligendum est de præcipuis humanitatis assumptæ partibus, & quidem integris ac totalibus, vt de anima, corpore, carne, ossibus, capite, brachiis, & similibus, non verò etiam de quibuslibet harum partium particulis, cùm nulli dubium sit, quin carnis partes aliquæ actione caloris naturalis consumptæ fuerint in Christo, sicut & in nobis, & sic à Verbo dimissæ. Aduerte autem me non asserere, sanguinem quem in passione effudit, & in resurrectione resumpsit, fuisse corruptum substantialiter antequam resurgeret: pium enim est credere, ipsum diuinitus à corruptione seruatum immunem, sicut & sanctissimum eius corpus.

V.

VI.

VII.

Obiicies secundò, nunc in aliquibus Ecclesiis asseruari guttas aliquas sanguinis Christi, relictas scilicet ab ipso fidelibus in eorum solatium, quæ non videntur nunc hypostaticè Verbo vnitæ, nec vnquam proinde fuisse, cùm nunc eandem substantialem sanguinis formam retineant, quam olim habuerunt. Respondet D. Thom. infrà quæst. 54. art. 2. ad 3. sanguinem illum in Ecclesiis illis asseruatum non esse sanguinem, qui vnquam in Christi corpore fuerit, sed alium quemdam miraculosum, qui de certa quadam eius imagine à Iudæis transfixa fluxit copiosissimè. Quam eius responsionem & doctrinam maximè probabilem reddit historia ab Athanasio recitata libro de passione imaginis Domini nostri à cap. 1. vsque ad 6. in septima Synodo lecta, & approbata act. 4. à Gab. autem Vasq. relata disput. 36. cap. 8. in quo etiam ostendit Pium secundum in quadam Bulla sua ad Abbatem Monasterij sanctæ Mariæ Xantonensis diœcesis non definiuisse contrarium, sed tantùm

VIII.

dixisse, fidei non repugnare, afferere aliquid sanguinis Christi in terris mansisse. Leonem quoque tertium profectum Mantuam, vt Platina in eius vita refert, ad visendum quendam sanguinem qui Christi ferebatur, quique tunc ob assidua miracula magna in veneratione erat, non definiuisse fuisse verum Christi sanguinem, sed solùm, cùm miraculis clarus esset, eum vt veneratione dignum approbasse. Adde quòd si constaret asseruatum in Ecclesiis illis sanguinem verè Christi sanguinem esse, dicendum consequenter esset, ipsum nunc vnitum esse Verbo hypostaticè, & tandiu vnitum fore, quandiu substantialem humani sanguinis formam retinebit: quod similiter de Christi præputio dicendum est, si verum est, quod multi dicunt, ipsum nunc Romæ in Lateranensi Basilica extare.

I.

Ex iis quæ de sanguine hactenus dicta sunt, facilè potest colligi, quid sentiendum sit de spiritibus vitalibus, de glutine, rore, cambio, aliisque substantiis, si quæ sunt, quas Medici secundas humiditates vocant, & in quas mutari debet sanguis, priusquam in substantiam viuentis conuertatur. Nam quod attinet ad illos spiritus, affirmandum est eos vnitos esse Verbo hypostaticè, tum quia pertinent ad integritatem & conseruationem animalis, sicut sanguis: tum quia non differunt ab eo essentialiter, sed sunt eius partes puriores & tenuiores. Quoad has autem secundas humiditates, si non differunt essentialiter à sanguine, idem quoque de iis affirmandum: sin è contrario differunt, negandum. Prioris partis ratio est, quòd cùm vnio Verbi cum sanguine sit cum ipsa substantia sanguinis, quandiu manebit eadem substantia, manebit quoque eadem vnio: manet autem eius eadem substantia dum in prædictas humiditates conuertitur, si hæ ab illo non differunt essentialiter. Posterioris autem ratio est, quòd si ab eo essentialiter differant, non sint humanæ naturæ partes, nec ad eius integritatem pertineant, sed rationem tantùm nutrimenti habeant, vnde nec erunt in corporibus beatorum: quo fit vt si essentialiter ab illo differunt, nulla sit ratio existimandi eas fuisse hypostaticè à Verbo assumptas, vt nec vlla est id existimandi de sudore, saliua, lachrymis, & similibus, quæ assumpta minime fuisse ab illo omnes consentiunt.

II.

III.

Iam de secundo, nempe de tribus aliis humoribus, dico probabilius idem de ipsis affirmari, quo de sanguine: quia verè sunt partes humani corporis, ad eius integritatem pertinentes: vnde D. Damascenus loco citato eos in partibus corporis humani numerauit: & Innocentius tertius cap. *In quadam*. Extra. de celeb. Missarum definit hos humores in Christi corpore fuisse, quia sunt de ratione & compositione veri corporis humani: quale, inquit, Christus assumpsit: vnde & in Beatorum corporibus mansuri sunt.

IV.

De dentibus & vnguibus idem affirmandum haud dubiè est, si verum est, quod multi Philosophi docent, ipsos viuere. Etsi autem falsum esset, idem nihilominus esset sentiendum, quia reuera sunt partes corporis integrantes æque ac pili, capillique, de quibus pariter affirmandum à Verbo assumptos fuisse, non modo quia magis pium est ita sentire, propterea quod eos assumptos hypostaticè fuisse, facit ad maiorem quandam humanitatis Christi commendationē, dignitatémque, sed etiam quia sunt verè partes humani corporis ad eius ornamentum & perfectionem pertinentes: vnde sicut prædictos quatuor humores, vngues, & dentes, sic & pilos capillósque in resurrectione habebimus: quod non foret, si purè essent excrementa humani corporis, ac non veræ eius partes: quos & in numero partium reposuerunt, D. Ambros. lib. de Incarn. Dominicæ sacramento cap. 6. & Athanas. epist. ad Epictetum, quam refert Epiph. hæresi 77. dum dixerunt, eos hæreticos qui aiebant ex Verbo & humanitate per Incarnationem factam vnam esse naturam, per conuersionem scilicet illius in istam, fuisse etiam ex consequenti dicturos, *Verbum in capillos, pilos, ossa, & sanguinem fuisse conuersum.* Vbi aduertendum S. Athanasium citatæ epistolæ pagina 2. & 4. Græcum vsurpare vocabulum, τρίχας: illa autem pagina 2. nescio quo errore in Latino textu pro pilis seu capillis, quos illa Græca vox significat, poni costas, & neruos: in quarta autem haberi pilos: vt & citata apud Epiphanium hæresi num. 6. numero autem 4. capillos.

A

V.

B

VI.

DISPVTATIO XXII.

De ordine quo Verbum humanitatem eiusque partes assumpsit.

SECTIO PRIMA.

Vtrum inter ea quæ assumpta sunt fuerit aliquis ordo temporis, seu realis durationis?

C

VII.

DICENDVM primò est, humanitatem Christi non prius vlla reali duratione extitisse, quam assumpta fuerit, & sic inter eius existentiam actualem, & assumptionem, nullum fuisse ordinem temporis, seu realis durationis. Hæc assertio de fide est, rectèque ac fusè probatur à Suare disput. 16. sect. 1. constatque breuiter ex Concilio Ephesino 1. can. 13. ex Chalced. act. prima: ex V. Synodo collat. 8. cap. 6. & ex VI. Synodo act. 11. confirmaturque tum ex relatis disp. 13. quintæ sectionis initio, S. Leonis & Fulgentij verbis, quibus huius nostræ assertionis veritas disertè exprimitur. Deinde ex eo quòd alioqui B. Virgo non concepisset Deum, sed tantùm hominem, qui postea futurus erat Deus, quod contra Apostolum est, dicentem *Deum misisse filium suum factum ex muliere*: contra etiam communem totius Ecclesiæ sensum, & Concilia illa omnia quibus aduersus Nestorium B. Virginem verè esse Matrem Dei definitum est: volunt enim proculdubio filium quem genuit & concepit, fuisse Deum, Deíque filium, dum concepit, & genuit.

D

VIII.

Dicendum secundò est, vnionem animæ Christi cum corpore non fuisse reali duratione assumptione humanitatis eiusdem Christi priorem. Quæ assertio non minus certa est, quam præce-

dens : vnde enim constat veritas prioris illius, inde quoque constat veritas huius posterioris: cùm nulla duratione reali possit existere vnio cum corpore, quin existat humanitas, vtpote ex hac vnione necessariò resultans: quo fit vt si prius reali duratione extitisset illa vnio, quàm humanitatis assumptio, prius quoque reali duratione hæc humanitas extitisset, quàm assumpta fuisset. Hinc concluditur, vnionem animæ Christi cum corpore non fuisse duratione reali priorem assumptione siue animæ, siue corporis, cùm non fuerit prior assumptione humanitatis: hæc autem assumi non potuerit, nisi assumptis partibus, ex quibus essentialiter componitur. I.

Dicendum tertiò, animam Christi duratione reali non fuisse ptius assumptam, quàm corpori vnitam. Est item de fide, clarissimum enim est non fuisse priùs assumptam, quàm existeret: de fide autem est non prius extitisse, quàm corpori vniretur: hanc enim doctrinam tanquam dogma fidei tradunt Leo Papa epist. 11. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 18. & Damasc. lib. 3. de fide cap. 2. Idipsum quoque definitum est II. can. 2. quintæ Synodi, cuius canones refert Nicephorus lib. 17. historiæ cap. 27. & hunc inter cæteros canonem 2. *Si quis dicit, aut sentit animam Domini præextitisse, vnitámque esse Deo Verbo ante Incarnationem, & natiuitatem ex Virgine, anathema sit.* Vbi per natiuitatem intelligitur ipsa conceptio, non autem partus editio: sicut & Matthæi 1. cùm dixit Angelus Iosepho de B. Virgine, *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, natum, id est, conceptum. Nam quo tempore dixit hoc Angelus, nondum Virginis partus erat in lucem editus: quòd si anima Christi non priùs extitit quam Christus in vtero Virginis nasceretur, seu conciperetur, sanè non priùs extiterit, quàm corpori vniretur. Omitto damnatum vniuersim Origenis errorem de præexistentia animarum ante generationem hominum, ac proinde ante earumdem cum corporibus vnionem. III.

Dicendum quartò, non fuisse duratione reali priùs assumptum corpus à Verbo, quàm ab anima rationali informaretur. Est etiam de fide: nam actione 11. VI. Synodi approbatur epistola Sophronij in qua hæc disertè doctrina asseritur, quæ & probatur præterea aliis testimoniis à Suare disput. 16. sect. 3. & à Gabr. Vasq. disput. 37. cap. 4. & 5. relatis: quibus vt Catholica doctrina definitur, Verbum non assumpsisse carnem nisi animatam anima rationali. Et certè si priùs carnem seu corpus assumpsisset, quàm anima rationali informaretur, priùs assumpsisset vel ex toto vel ex parte compositum aliud physicum, quàm humanitatem, contra communem Ecclesiæ sensum. Nam in illa reali duratione antecedente, corpus illud formam aliquam substantialem habuisset, cum qua compositum aliquod physicum constituisset: quod compositum vel secundùm se totum assumptum fuisset, vel saltem secundùm aliquam sui partem, nempe secundùm carnem, seu corpus, quod assumptum priùs fuisset, quàm anima rationali informaretur. IV.

Dicendum quintò, non priùs duratione reali fuisse assumptam a Verbo animam, quàm carnem seu corpus. Sequitur euidenter ex antè dictis: si enim non priùs assumpta fuit anima quàm corpori vniretur, nec priùs assumptum corpus quàm ab anima informaretur, simulac autem fuit anima vnita corpori, & corpus ab anima informatum, fuerit humanitas, hæc autem simul atque fuit, assumpta fuerit, nec totius physici assumptio sine partium physicarum quibus essentialiter constat, assumptione possit esse, necessarium est dicere partes humanitatis physicas corpus & animam eo primùm momento temporis fuisse assumptas quo extitit humanitas: ac proinde nec animam ante corpus, nec istud ante hanc assumptum fuisse. Ex quo etiam manifestè concluditur, neque has partes ante humanitatem assumptas fuisse, neque hanc ante illas fuisse assumptam. A V.

Dicendum sextò, Christi carnem seu corpus non fuisse duratione reali priùs conceptum, quàm à Verbo assumptum. Id constat ex iam citata Sophronij epistola, in qua sic expressè colum. 6. dicitur. *Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei caro animata rationalis*: quod falsum esset, si fuisset priùs concepta caro, quàm assumpta: non enim simul fuisset caro & Verbi Dei caro: cùm eius caro non sit nisi ratione hypostaticæ assumptionis. Idem constat ex sanctis Damasceno & Fulgentio, quorum ille lib. 3. de fide cap. 2. sic loquitur. *Simul vt caro extitit, simul quoque Dei Verbi caro extitit, simul caro animata rationalis atque intelligentiæ particeps.* Hic verò lib. de Incarn. & gratia cap. 3. circa finem sic ait: *Non est aliquod interuallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, & concipiendæ maiestatis aduentum*: vnde & libro de fide ad Petrum cap. 15. firmissimè tenendum esse dicit, carnem non fuisse priùs conceptam, quàm à Verbo assumeretur: sic enim loquitur, *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis priusquam susciperetur à Verbo, sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi Incarnatione conceptam.* Cui doctrinę consentaneè S. Doctor infra quæst. 33. art. 3. docet, *contra fidem esse dicere, quòd caro Christi priùs concepta fuerit, & postmodum à Verbo assumpta.* B VI. C VII.

Dicendum septimò, Verbum eo temporis momento quo corpus assumpsit, assumpsisse quoque partes eius tam homogeneas, quàm heterogeneas integrantes, vnamque proinde istarum duratione reali non priùs assumptam fuisse, quàm alteram: quo enim primùm momento corpus illud assumpsit, fuit perfectum, constans membris omnibus & partibus, quibus constare debet, vt perfectum sit eo tempore quo in matris vtero concipitur. Cùm ergo perfectum corpus assumpserit, omnes quoque eius partes haud dubiè simul assumpserit: sicut humanitatem assumens simul quoque eius partes, animam scilicet & corpus, assumpsit. Addidi, quibus constare debet, &c. vt significarem esse aliquas humani corporis partes, vt dentes, quæ postea acquiruntur, nec ad humani corporis integritatem requiruntur, eo tempore quo concipitur, aut in vtero matris adhuc existit, quas sicut Christus nunc temporis non habuit, ita nec Verbum assumpsit, sed tum primùm cùm habere cœpit. D VIII.

SECTIO

SECTIO II.

Vtrùm ordine naturæ prior fuerit anim.e cum carne seu corpore vnio, quàm corporis cum Verbo hypostatica vnio?

PARS affirmatiua vera est, quam sic probo. Id quod est alicui alteri rei ratio & causa tali aut tali modo se habendi, prius est naturæ ordine re illa vt tali aut tali modo se habente: atqui animæ cum carne vnio est carni ratio & causa vt se habeat tali modo, nimirum vt à Verbo assumatur: nam illud quo mediante aliqua alia res tali aut tali modo se habet, & ita mediante, vt eam aliquo modo præparet, ad habendum se tali vel tali modo, est ei aliqua ratio & causa vt tali aut tali modo se habeat: animæ autem cum carne vnio est id quo mediante caro tali modo se habet, nimirum sic vt assumpta à Verbo sit, & ita mediante, vt eam aliquo modo præparet, vt à Verbo assumatur. Quod probo primùm authoritate sextæ Synodi act. 18. in edicto fidei Constantini Pogonati Imperatoris, in quo columna 2. disertè dicitur, Verbum sibi carnem & animam vniuisse, carnem autem *mediante anima rationali & intellectuali*. Quod edictum tanquam forma fidei in eadem sexta Synodo approbatum fuit.

Probatur deinde authoritate D. Aug. epist. 3. & libro de Agone Christiano cap. 18. Damasceni quoque lib. 3. de fide, cap. 6. Nazianzeni præterea orat. 3. de Theologia, quæ est 35. ordine, orat. in Natiuitatem quæ est ordine 38. orat. 2. in Pascha quæ est 42. ordine, & epistola prima ad Cledonium quæ est ordine 51. Nicetæ denique in primam eiusdem orationem Apologeticam, verba hæc, *Assumpta caro*, explicantis: qui expresse dicunt carnem mediante anima rationali fuisse assumptam à Verbo, eíque vnitam. Quo modo dum Concilia Patrésque loquuntur, non aliter volunt carnem assumptam fuisse mediante anima, quàm mediante ipsa illam informante, & sic præparante ad assumptionem, seu idoneam reddẽte quæ à Verbo assumeretur. Nullo enim alio sensu rectè dici potest illam ea mediante fuisse assumptam. Nam si quo alio, sane præsertim isto, quòd anima priùs ordine naturæ fuerit assumpta, quàm caro, & hæc per illam iam priùs naturæ ordine assumptam, postea assumpta fuerit: hoc autem & à veritate alienum esse, & à prædictorum Conciliorum Patrúmque mente, ex sectione 4. constabit.

Probatur postremò, eo quòd caro non fuit natura priùs assumpta actu, quam actu rationem haberet humanæ carnis, & viuentis: Verbum enim cùm carnem primò assumere voluit, non aliam voluit, quàm humanam & viuentem: vnde vt caro assumeretur, necessaria fuit hæc in ea dispositio, vt actu humana esset & viuens: priùs ergo naturæ ordine fuit esse carnem humanam & viuentem, quàm à Verbo assumptam: ergo & eodem naturæ ordine prius fuit ipsam esse vnitam animæ rationali, seu ab hac anima informatam, quia non habet actu rationem carnis humanæ ac viuentis aliunde, quàm ab anima actu informãte.

Atque vt certò constet, doctrinam hic à nobis, priùs à S. Doctore fuisse traditam, eius aliquot testimonia profero. Primum ex articulo 1. quæstionis sextæ, circa quam præsentem disputationem in qua versamur instituimus: cuius in titulo cũ quæsiuisset, vtrùm Dei Filius carnem assumpserit mediante anima, in corpore postea animato: respondens, dixit illam mediante ista fuisse assumptam, non solùm *secundum ordinem dignitatis, sed etiam causalitatis*, quia nimirum *anima fuit aliqualiter causa carnis vniendæ Filio Dei, nec caro fuisset assumptibilis nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quòd sit caro humana*: quibus verbis non tantùm dicit ordine causalitatis, atque adeo naturæ fuisse priorem animam, seu eius cum carne vnionem, quàm hæc à Verbo assumeretur, sed etiam ideo priorem fuisse, quòd hæc per illam effecta fuerit humana caro: quæ quidem dispositio in ea carne quam Verbum assumere volebat, vt dixi, prærequirebatur. Ac ne quis dicat carnem, ex verbis S. Doctoris, habere quòd humana sit, non per animam rationalem actu informantem, sed per ordinem quem ad hanc animam dicit, profero alterum eiusdem testimonium ex art. 4. cuius corpus his verbis inchoat. *Respondeo dicendum quod caro humana est assumptibilis à Verbo secundum ordinem quem habet ad animam rationalem, tanquam ad propriam formam: hunc autem ordinem non habet antequam anima rationalis ei adueniat*: & paucis interiectis sic prosequitur, *& inde est, quod caro non debuit ante assumi, quàm esset caro humana, quod factum est anima rationali adueniente*: quibus verbis manifestè significat carnem humanam non habere actu rationem carnis humanæ per aliquid siue tempore, siue natura prius ipsa anima adueniente, seu informante, sed solummodo per ipsam aduenientem, seu informantem.

Tertium testimonium peto ex eodem articulo in resp. ad 3. in qua sic loquitur, *Sed vnione personali prius secundum intellectum oportet quod caro vniatur animæ, quam Verbo, quia ex vnione ad animam habet quod sit vnibilis Verbo in persona.* Quibus verbis nihil est clarius: ideo autem vult carnem habuisse ex vnione ad animam, quòd fuerit Verbo hypostaticè vnibilis, quia per hanc vnitam illa habuit, vt esset actu caro humana, & viuens vita hominis, hæc autem conditio in carne à Verbo assumenda prærequireretur, vt antè dictum est. Postremum desumo ex art. 3. in resp. ad 1. vbi sic ait. *Dicendum, quod sicut suprà dictum est*, (nempe art. 1.) *anima Christi dicitur esse medium in vnione carnis ad Verbum secundum ordinem naturæ.*

Obseruanda autem hic duo sunt. Primum est, animam, seu eius cum carne vnionem, ita fuisse medium assumendæ carnis à Verbo, vt fuerit quidem in fieri, at non in facto esse, vt loquuntur: seu fuisse medium vt fieret carnis à Verbo assumptio, at non vt facta permaneret: alioqui dissoluta animæ cum ea vnione, hæc non manifestet vnita Verbo hypostaticè, cùm tamen manserit. Secundum est, animam fuisse carnis assumendæ medium, non necessitatis, sed congruentiæ: medium enim necessitatis dicitur illud sine quo fieri non posset vnio hypostatica, & quo remoto hæc vnio dissoluitur: anima autem tale medium non fuit, cùm caro vnita Verbo manserit existens sub forma cadaueris, & materia prima assumi à Deo potuerit existens sub quacunque alia forma substantiali, cùm Deus quamcunque

I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

naturam ſubſtantialem poſſit hypoſtaticè aſſumere, vt ſuprà docuimus: at medium congruentiæ illud dicitur, ſine quo quidem abſolutè poſſet aſſumi res, quo tamen intercedente congruetiùs aſſumitur: cuiuſmodi medium fuiſſe animam reſpectu carnis aſſumptæ nulli dubium eſt, I. & conſtat ex dictis diſput. 19. ſect. 1. 3. aſſertione: quamquam ſi habeatur ratio finis ob quem decreta fuit Incarnatio, & carnis à Verbo aſſumptio, qui fuit humani generis redemptio per cõdignam pro peccatis noſtris ſatisfactionem, anima fuit aſſumendæ carnis medium neceſſitatis, non enim potuit in aſſumpta carne pro iis ſatisfieri à Chriſto, niſi per animam rationalem.

SECTIO III.

Vtrùm ordine naturæ prior fuerit anima rationalis cum carne vnio, quàm eiuſdem animæ à Verbo aſſumptio?

SVAREZ diſput. 17. ſect. 1. poſteriorem fuiſſe docet, ſimilitérque ſectione ſequenti carnis vnionem cum anima fuiſſe naturâ poſteriorẽ II. eiuſdem carnis à Verbo aſſumptione defendit: ſed cùm hoc de carne refutatum à nobis præcedente ſectione fuerit, nunc illud quod de anima aſſerit refutabimus. Dicendum igitur eſt, animæ cum carne vnionem eiuſdem animæ à Verbo aſſumptione nec priorem, nec poſteriorem, nec ſimul natura fuiſſe. Non quidem priorem, quia animæ à Verbo aſſumptio non præſupponit eam iam carni vnitam: cur enim præſupponeret? an quòd aſſumptio hypoſtatica præſupponat exiſtẽtiam animæ quæ aſſumitur? at quamuis ita ſit, quia tamen exiſtentia animæ, vtpote formæ in exiſtendo & ſubſiſtendo à materia independentis, eiuſdem animæ cum carne vnionem non præſupponit, neceſſe non eſt, vt ſi prædicta aſſumptio exiſtentiam animæ præſupponit, eiuſdem quoque cum carne vnionem præſupponat. III. An quòd ſicut materia, licet in exiſtendo ſit à forma independens, priùs tamen natura debuit informari per animam rationalem, quàm à Verbo aſſumeretur, vt ſuperiori ſect. docuimus, ita ſimiliter & anima, licet à materia in exiſtendo independens, priùs eam informare, ſeu ei vniri debuerit, quàm à Verbo aſſumi? At hoc dici non debet, tum quia dicendum alioquin eſſet, quod tamen hactenus nemo dixit, animam mediante carne fuiſſe aſſumptam, ſicut dicitur carnem mediante anima aſſumptam fuiſſe: tum quia oporteret animam per vnionem cum carne fuiſſe aliquo modo diſpoſitam & præparatam ad vnionem hypoſtaticam, ſeu idoneam redditam quæ à Verbo aſſumeretur, ſicut caro ex vnione cum anima per hanc præparata eſt ad hypoſtaticam vnionem, ſeu idonea reddita eſt ad ſui à IV. Verbo aſſumptionem: nulla autem proferri poteſt deriuata à carne in animam eiuſmodi diſpoſitio, quæ non hactenus inaudita fuerit, & commentitia ſit.

Neque etiam poſteriorem, quia animæ rationalis cum carne vnio eius à Verbo aſſumptionem non præſupponit. Nã hæc illius cum carne vnio ad conſtituendam vnam totalem naturam, nempe humanitatem, nec pendet à ſubſiſtentia eiuſdem animæ, ſiue propria, ſiue aliena, nec eam præ-

requirit: nulla enim ob quam pendeat aut prærequirat cauſa afferri poteſt, vt ex ſequentium obiectionum ſolutione conſtabit. Nec denique ſimul, eo quòd ea ſola ſimul natura dicuntur eſſe, quæ duas iſtas conditiones habent, vt quolibet eorum poſito, & ſublato, ponatur, & tollatur neceſſariò alterum, & neutrum in alterum cauſalitatem exerceat: nam eo ipſo quo vnum in alterũ cauſalitatem exerceret, vnum altero natura prius eſſet: at quamuis animæ rationalis cum Verbo vnio nullam erga hypoſtaticam cum Verbo vnionem cauſalitatem exerceat, & vice verſa nullam hæc erga illam, hæ tamen duæ vniones non ita ſe habent, vt qualibet poſita ac ſublata, poni ac tolli neceſſariò debeat altera, vt patet.

At vt probes vnionem animæ cum carne fuiſſe natura poſteriorem eiuſdem animæ cum Verbo hypoſtatica vnione, obiicies ſic primò. Eodem ordine fuit vnio hypoſtatica in anima Chriſti, quo fuiſſet propria ſubſiſtentia, ſi hanc habuiſſet: atqui anima Chriſti ſuam propriam ſubſiſtentiam priùs ordine naturæ habuiſſet, quàm carni vniretur: ergo & vnionem hypoſtaticam priùs naturæ ordine habuit, quàm vnita carni fuerit. Minor probatur ex eo quòd anima rationalis per creationem producitur, creatio autem ad rem exiſtentem & ſubſiſtentem terminatur: ſicut ergo prius natura eſt animam creari, & exiſtere, quàm vniri corpori, ita prius erit eam ſubſiſtere, quàm eidem vniatur, cùm per creationem fiat ſicut exiſtens, ſic & ſubſiſtens, alioqui creatio non ad ſubſiſtentiam, ſeu ad rem ſubſiſtentem terminaretur. Reſpondeo, negando Minorem, ad cuius probationem dico creationem non ita terminari ad rem ſubſiſtentem, vt per illam ipſam actionem quæ creatio animæ eſt, & qua producitur ipſius exiſtentia, eiuſdem quoque ſubſiſtentia producatur: huius enim ſubſiſtentiæ productio, non creatio, ſed eductio potiùs eſt, cùm ſubſiſtentia dependenter à natura exiſtente tanquam à ſubiecto producatur. Vnde creatio non dicitur terminari ad rem ſubſiſtentem, quaſi per illam ipſam producatur propria naturæ ſubſtantialis ſubſiſtentia, ſicut & exiſtentia: ſed quia eadem res quæ eſt terminus creationis, per eamque productus, eſt quoque ſubſiſtens, ſubſiſtentiámque tanquam vltimum exiſtentiæ ſuæ complementum ex ſe poſtulat.

Quare cùm vna quidem ex parte duæ actiones in creatione animæ rationalis propriam ſubſiſtentiam habentis interueniant, vna terminata ad eius exiſtentiam, altera ad eiuſdem ſubſiſtentiam, & hæc ſit illâ naturæ ordine poſterior, ſicut & modus exiſtendi exiſtentia quam modificat ordine naturæ poſterior eſt, ex alia verò animæ cum carne vnio ab eiuſdem animæ ſubſiſtẽtia per ſe non pendeat, cámve prærequirat, nihil eſt neceſſe intelligere poſteriorem ex duabus prędictis V. actionem quę ad ſubſiſtentiam terminatur, priuſquàm eiuſdem animæ cum carne vnio intelligatur: imò hæc intelligi poteſt, ſimul atque anima iã exiſtens per creationẽ intelligitur, non præintellecto priùs ſubſiſtendi modo, quandoquidẽ vnio hæc ab illo modo per ſe non pendet, nec eũ vt dixi, prę requirat. Adde quòd etſi per eandẽ actionẽ crearetur anima, fierétque non tantùm exiſtens, ſed etiam ſubſiſtens, quia tamen illa licet vnica numero actio priùs natura terminaretur ad ani-

mæ existentiam, quàm ad eiusdem subsistentiam, nam prius natura est anima existens, quàm subsistens, nihil esset necesse ob rationem allatam
I. prius intelligere creationem terminatam ad subsistentiam, quàm animæ existentis cum carne vnionem: imò vnio hæc intelligi posset simul atque intellecta fuisset anima per creationem existens, non præintellecta prius eiusdem subsistentia, seu creatione vt ad subsistentiam terminata. A

Obiicies secundò, ex doctrina D. Thomæ art. 5. priorem esse assumptionem animæ à Verbo, quàm totius humanitatis: atqui hoc verum esse non posse, nisi prius anima assumpta fuerit, quàm carni vnita, eo quòd simul atque est hęc vnio, est etiam humanitas, hæc autem illico ac extitit, assumpta fuit. Sed nego Minorem, ad cuius probationem dico, existere quidem humanitatem simul atque est animæ cum carne vnio seu eadem duratione reali, eádémque humanitatem, simul atque fuit, id est, ea ipsa duratione reali qua primùm extitit, assumptam fuisse à Verbo: sed sicut hoc non impedit, quo minùs natura prius extiterit, quàm assumpta fuerit, ita illud impedire non
II. potest, quo minùs animæ cum carne vnio sit natura prior ipsa humanitate, quæ ex ista vnione consurgit, & resultat. Quòd si illa eius vnio hac humanitate prior natura est, facilè intelligi potest animam naturæ ordine prius assumptam fuisse, quàm assumeretur humanitas, etsi non prius assumpta fuerit, quàm carni vnita. B

Et sanè si hoc secundum Suaris argumentum vim haberet, concluderet quoque, si Deus naturam irrationalem assumpsisset, futurum, vt prius substantialem illius naturæ formam assumeret, quàm hæc forma materiæ vniretur, cùm tamen ab hac cum ea vnione, & in existendo, & in subsistendo dependeat: prior enim fuisset ordine naturæ, formæ illius, sicut & animæ rationalis, quàm totius naturæ irrationalis, sicut & humanitatis assumptio: vnde sicut à Suare dicitur, hoc
III. verum esse de humanitate non posse, nisi prius anima rationalis assumpta fuerit quàm carni vnita, ita dici pari iure deberet, hoc ipsum de natura illa irrationali non posse verum esse, nisi prius forma naturæ illius assumpta fuisset, quàm materiæ vniretur. C

SECTIO IV.

Vtrùm anima Christi fuerit à Verbo prius assumpta, quam caro, an contra hæc prius quàm illa?

DICENDVM est vnam altera nec prius, nec posteriùs, nec simul etiam natura fuisse assumptam. Ratio est, quòd vnius assumptio, & hypostatica vnio non præsupponit assumptionem, & hypostaticam vnionem alterius, quo fit vt vna
IV. non fuerit prius aut posteriùs assumpta, vnitaque quàm altera: & quamuis vnius assumptio, & hypostatica vnio nullam erga alterius assumptionẽ, & hypostaticam vnionem causalitatem exerceat, quoniam tamen hoc non sufficit vt aliqua duo sint simul natura, sed præterea requiritur, vt hanc inter se connexionem habeant, vt vno posito, aut sublato, ponatur, aut tollatur alterum, posita autem aut sublata vnius partis ex duabus prædictis assumptione, aut hypostatica vnione, necesse non est poni, aut tolli alterius assumptionem, aut hypostaticam vnionem, ideo duæ illæ partes dici vere non possunt natura simul assumptæ, & vnitæ hypostaticè. D

Et sanè si vna dici debet assumpta & vnita Verbo prius natura quàm altera, maximè ob aliquã sequentium rationum. Prima est, quòd eo ordine dici debeant assumptæ, quo propriam suam subsistentiam habuissent, si assumptæ non fuissent: anima autem prius naturæ ordine suam subsistẽtiam habuisset, quàm caro, seu materia propriam suam, quia huius subsistentia pendet in genere causæ formalis ab illius subsistentia, sicut & eiusdem entitas, & existentia ab illius ipsius entitate, & existentia pendet in genere causæ formalis. Verùm cùm probabilius putem, quod in Philosophia docui, materiam à forma non pendere in existendo, & per consequens in subsistendo, tanquam à vera causa per veram causalitatem illi esse tribuente, ob hanc præsertim causam, quòd creatio ex se suáque natura tã efficax actio est, vt quæ res huiusmodi actione producitur, vt haud dubiè materia prima producitur, nullius alterius causæ concursum influxúmque, vt existat, quàm illius à qua ista actio est, possit requirere: de anima autem rationali certum sit, eam in existendo, & subsistendo à materia non pendere, fit, vt neutrius subsistentia sit dependens a subsistentia alterius, istáque proinde prima ratione concludi non possit, vnam natura prius quàm alteram, suam propriam subsistentiam habituram fuisse, nisi à Verbo assumpta fuisset. V.

VI.

Secunda est, quòd caro fuerit assumpta mediante anima, vt suprà ex Conciliorum, Patrúmque doctrina vidimus: at hinc tantùm colligitur, vnionem animæ cum carne fuisse naturã priorẽ eiusdem carnis à Verbo assumptione, cùm hæc ab eo, non nisi mediante illa vnione, assumpta fuerit. Etsi autem animæ cum carne vnio, carnis assumptione prior natura fuerit, non propterea necesse est, vt eiusdem animæ assumptio prior fuerit, cùm ne necesse quidem propterea fuerit, vt anima assumeretur. Nam vt ex sexta sectione constabit, sicut & ex rei veritate, & ex prædictorum Conciliorum Patrúmque doctrina, caro nõ nisi mediante anima assumpta fuit: ita ex eadem & doctrina, & veritate, anima non nisi mediante mente seu intellectu fuit assumpta, nec tamen ex eo quòd huius cum illa vnio fuit natura prior illius à Verbo assumptione, propterea necesse fuit vt hic, nempe intellectus, prius ab eodem Verbo assumeretur, quàm illa, nimirum anima, cùm nec assumptus fuerit, nec assumi potuerit, seu Verbi, aut alterius subsistentia terminari. VII.

Et sanè quòd caro non ita fuerit assumpta mediante anima, vt hæc naturæ ordine prius fuerit assumpta, quàm illa, hinc ostendo, quòd duobus tantùm modis intelligi possit caro assumpta mediante anima, seu animæ à Verbo assumptione. Primo, sic vt caro remotè tantùm assumpta fuerit, sola autem anima proximè, & per hanc illa, eo modo quo aqua existens in vrna remotè assumitur, sola autem vrna proximè, dum per ansam accipitur, per quam sic acceptam aqua accipi dicitur: at hoc dici non potest, tum quia caro non aliter assumpta fuisset, quàm accidentia carnis, aut humanitatis Christi, quæ hoc sensu mediante anima seu humanitate assumpta cui inhærent, rectè dicuntur assumpta à Verbo fuisse: tum quia caro suam propriam subsi- VIII.

ſtentiam retinuiſſet, ſicque Chriſti humanitas ſecundùm vnam ſui tantùm partem vnita Verbo hypoſtaticè eſſet: tum denique quia caro nullo modo manſiſſet in triduo mortis Chriſti vnita Verbo hypoſtaticè, diſſoluta ſcilicet eius cum anima vnione, quod tamen erroneum eſt: remotè enim per hanc proximè aſſumptam I. A aſſumpta dici non poteſt, niſi ei vnita ſit, ſicut & per vnam proximè aſſumptam aſſumi remotè aqua illa non poteſt, quæ non eſt ei vnita, ſeu quæ eâ non continetur. Secundò ſic, vt caro proximè etiam à Verbo aſſumpta fuerit, ſicut & anima, ſed ita tamen vt huius aſſumptio prior naturâ illius aſſumptione fuerit: ſed cum illius prioritatis, aut poſterioritatis fundamentum afferri nullum poſſit, non poteſt inter hanc, & illam aſſumptionem iſta prioritas, aut poſterioritas intercedere.

SECTIO V.

Vtrùm partes humanitatis priùs naturâ fuerint aſſumptæ, quàm ipſa humanitas, an è contrario priùs hæc quàm illæ?

II. B

GABRIEL Vaſq. diſput. 32. docens, vt ſuprà monuimus, ſubſiſtentiam ita propriam eſſe totius, vt partibus non conueniat, huic ſuæ doctrinæ conſentaneè docet diſput. 39. cap. præſertim 3. humanitatem priùs natura fuiſſe aſſumptam à Verbo, quàm corpus, & animam, quæ ſunt partes ex quibus illa componitur. Nam ii partes totum componentes nullam habent etiam partialem ſubſiſtentiam, ſicut dici non poſſunt ſubſiſtere, niſi quia ſubſiſtit totum cuius ſunt partes, ideóque prius naturæ ordine eſt, totum hoc ſubſiſtere, quàm illas: ita non poſſunt dici aſſumi hypoſtaticè à Verbo, niſi quia totum, cuius partes ſunt, ab eo ſic aſſumitur, III. C ideóque prius natura eſt ipſum ab eo aſſumi, quam illas. Qua etiam ex eius doctrina intelligitur, quòd ſicut vna eſt in toto phyſico ſubſiſtentia, nimirum illa quæ propria totius eſt, nulla autem multiplex partialis, quarum vna ſit materiæ, altera formæ propria: ita eſt vnica totius humanitatis à Verbo aſſumptio, non autem multiplex partialis, per quarum vnam ſit aſſumpta materia, anima per alteram.

At Caietanus ad artic. 5. ſextæ quæſt. Suarez diſput. 17. ſect. 5. cæterique omnes, qui præter propriam totius humanitatis ſubſiſtentiam, duas alias partiales admittunt, materiæ vnam, animæ alteram, docent partes has fuiſſe natura priùs aſſumptas, quàm totam humanitatem, & aſſumptas fuiſſe duplici aſſumptione: vna, qua materia aſſumpta eſt, & ab ea fuit excluſa propria eius ſubſiſtentia: altera, qua anima, & ab IV. D ea item excluſa fuit propria ipſius ſubſiſtentia. Quæ poſterior ſententia probatur in primis authoritate S. Doctoris prædicto art. 5. cuius in corpore poſtquam dixit, ordine quidem intentionis priùs natura fuiſſe humanitatem aſſumptam quam partes, quod verum eſt, quia quod directè intendit Deus in myſterio Incarnationis, fuit, vt Verbum homo fieret, ac proinde vt humanitatem aſſumeret, cùm fiat homo per aſſumptionem humanitatis: indirectè autem & conſequenter vt corpus & animam aſſumeret, cùm ſine iis aſſumptis aſſumi humanitas non poſſit: poſtquam, inquam, hoc dixit, docet aperte in reſponſione ad 1. ordine tamen operationis ſeu exequutionis (de quo ſolo, quæſtione hic à me propoſita, ſicut & tribus ſuperioribus propoſitis, tribus proximè præcedentibus ſectionibus ſermo eſt) partes naturâ priùs aſſumptas fuiſſe, V. quàm totam humanitatem.

Reſpondet Vaſquez S. Doctorem tantùm velle, corpus, & animam, iſtarúmque partium inter ſe vnionem priora eſſe naturæ ordine humanitatis à Verbo aſſumptione: ſed verbis S. Doctoris hæc eorum explicatio non obſcurè repugnat, cùm expreſsè dicat, *Verbum aſſumendo partes humanæ naturæ, aſſumpſiſſe totam humanam naturam: & ſic aſſumptionem partium eſſe priorem in via*, ſeu ordine *operationis*, ſeu exequutionis, *intellectu*, ſeu natura, aſſumptione humanitatis, *huius verò aſſumptionem eſſe priorem in via*, ſeu ordine *intentionis*: quæ verba non ſolùm ſignificant animam, & corpus, aut etiam partium iſtarum inter ſeſe vnionem eſſe quid naturâ prius humanitatis aſſumptione, quod veriſſimum eſt, ſed etiam earundem partium VI. aſſumptionem à Verbo eſſe priorem totius ab eo humanitatis aſſumptione: quemadmodum qui diceret carnem non tantùm mediante anima, ſed etiam mediante animæ aſſumptione fuiſſe aſſumptam, & Verbum aſſumendo animam aſſumpſiſſe carnem, & ſic animæ aſſumptionem priorem eſſe ordine operationis, ſeu exequutionis, aſſumptione carnis, non tantùm ſignificaret animæ cum carne vnionem priorem eſſe natura eiuſdem carnis aſſumptione, ſed etiam aſſumptionem animæ carnis aſſumptionem natura præcedere.

Probatur ſecundò, eo quòd eodem ordine ſunt aſſumptæ phyſicæ partes humanitatis, & ipſa tota humanitas, quo ſubſtitiſſent per propriam ſubſiſtentiam, ſi eam habuiſſent, cùm ſubſiſtentia Verbi, ad quam hæ res aſſumptæ ſunt, VII. in locum propriæ illius ſubſiſtentiæ ſubſtituta ſit, nec vlla ſit ratio negandi eam ſucceſſiſſe eodem ordine, quo propriam ſuam habuiſſent, imò ſit legitima ratio id affirmandi, vt conſtabit ex ſolutione proponendæ mox difficultatis: atqui partes illæ naturâ priùs ſubſtitiſſent, quàm ipſa tota humanitas, ob eandem cauſam, ob quam priùs natura exiſtunt illæ ipſæ partes, quàm exiſtat tota humanitas: quia nimirum ſicut hæc eius exiſtentia componitur ex partiali corporis exiſtentia, & partiali exiſtentia animæ ſimul ſumptis & vnitis: ſic eiuſdem quoque ſubſiſtentia ex partiali ſubſiſtentia corporis & partiali animæ ſubſiſtentia ſimul ſumptis vnitiſque componitur.

Cuius poſterioris ſententiæ quam hîc defendimus, veritas clariùs eluceſcet ex ſolutione ſequentis difficultatis: quæ eſt, quid aſſumptio totius humanitatis aſſumptioni partium ſuperaddat? Certum enim eſt aliquid ſuperaddere, VIII. cùm in triduo mortis Chriſti fuerint aſſumptæ partes, anima ſcilicet, & corpus, nec tamen aſſumpta fuerit humanitas, vtpote quæ tunc non erat. Nonnulli exiſtimant aſſumptionem totius humanitatis nihil aliud ſuperaddere partium aſſumptioni, quàm earumdem partium inter ſe vnionem: eoque ipſo totam naturam

humanam assumi, quo partes eius assumuntur, & inter se vniuntur, sicque totam illam constituunt ac componunt. Sed communiter hic modus reiicitur, & meritò, quia si hoc solùm modo assumpta fuisset à Verbo humanitas, non proximè fuisset assumpta, sed remotè tantummodò, ratione scilicet partium quibus constat, proximè assumptarum: non est autem concedendum humanitatem remotè solùm à Verbo fuisse assumptam, quia cùm toti humanitati proximè conueniat subsistentia propria totalis ac completa, sicut & totalis, & completa essentia, & existentia, vnio autem hypostatica humanitatis cum Verbo facta fuerit, ex eo quòd propria Verbi subsistentia in locum totalis illius & completæ subsistentiæ substituta sit, fatendum est, humanitatem tam proximè assumptam à Verbo fuisse, per eiusque subsistentiam subsistere, quàm proximè suam propriam habuisset, si assumpta non fuisset.

I. A

Quare dicendum est, præter assumptionem qua corpus à Verbo assumptum est, & præter illam aliam assumptionem qua anima ab eodem assumpta est, dari quandam tertiam assumptionem, qua proximè, & immediatè ipsa tota humanitas assumpta fuit: quemadmodum præter actionem qua producitur materia, & præter illam aliam qua creatur anima, datur quædam tertia, quæ totius productio, seu hominis generatio est: similiterque præter modum hypostaticæ cum Verbo vnionis per quem corpus vnitur, & præter illum alterum per quem vnitur anima, dari tertium quendam, per quem immediatè & proximè ipsa tota eidem Verbo vnitur humanitas: quemadmodum præter existentiam, aut subsistentiam qua existit, aut subsistit materia, & præter illam alteram qua existit, aut subsistit anima, datur tertia quædam existentia, aut subsistentia, qua existit, aut subsistit humanitas.

II. B

III. C

Verùm sicut existentia totius humanitatis alia non est quàm existentia materiæ, & existentia animæ simul sumptæ & vnitæ, seu quarum existentiarum hæc illam informat, seu actuat: sicut item subsistentia totius eiusdem humanitatis alia non est quàm subsistentia materiæ, & subsistentia animæ simul sumptæ & vnitæ, seu quarum subsistentiarum hæc illam actuat & informat: ita modus vnionis hypostaticæ, quo humanitas Verbo vnitur, alius non est quàm modus hypostaticæ vnionis, qui est in corpore, & per quem corpus vnitur Verbo, & modus vnionis hypostaticæ qui est in anima & per quem hæc eidē Verbo vnitur, simul sumpti, & vniti, seu quorum hic illum informat & actuat: & sicut hominis generatio non est alia formaliter actio quàm materiæ, & animæ vnitio, ita totius humanitatis à Verbo assumptio non est alia formaliter actio,

IV. D

quàm ea qua illi duo modi vnionis hypostaticæ, quorum vnus est in corpore, alter in anima, inter se se vniuntur. Sicut enim his duobus modis inter se vnitis tam intelligitur totalis & completa hypostatica humanitatis cum Verbo vnio, quâ intellectis partialibus essentiis, aut existentiis, aut subsistentiis corporis & animæ inter se vnitis intelligitur totalis & completa essentia, aut existentia, aut subsistentia totius humanitatis: ita intellecta duorum illorum modorum vnitione, tam intelligitur productio completæ illius, ac totalis vnionis hypostaticæ per quam Verbo vnitur humanitas, quàm intellecta vnitione qua partiales entitates, aut existentiæ, aut subsistentiæ materiæ & animæ inter se vniuntur, intelligitur productio totius humanitatis, totalisque existentiæ, aut subsistentiæ, qua tota ipsa existit, aut subsistit humanitas.

V.

Quòd si quis ex philosophia supponat totum physicum esse tertiam quandam entitatem à partibus simul sumptis, & vnitis distinctam, propriamque proinde ipsius existentiam aut subsistentiam esse tertiam quandam existentiam, aut subsistentiam, ab existentiis partium, aut subsistentiis inter se vnitis diuersam: ex consequenti dicere debebit, modum vnionis hypostaticæ qua ipsa tota humanitas à partibus simul sumptis vnitisque re distincta Verbo vnitur, esse tertium quendam modum hypostaticæ vnionis, huic tertiæ totius entitati realiter identificatum, ac resultantem ex partialibus modis vnionis hypostaticæ in corpore & anima existentibus inter se vnitis, ab iisdémque re diuersum: assumptionémque totius humanitatis esse illam ipsam actionem, qua tertius hic modus toti realiter identificatus producitur. Ex quibus clarè constat suprà dictæ posterioris sententiæ veritas, nimirum priùs natura fuisse partes assumptas, & vnitas hypostaticè Verbo, quàm ipsam totam humanitatem, cùm ex dictis manifestum sit, ordine operationis seu exequutionis, de quo solo hîc loquimur, vnionem hypostaticam & assumptionem totius humanitatis tam præsupponere, tanquâ quid naturâ priùs, ipsam partium assumptionem, hypostaticámque cum Verbo vnionem, quàm eiusdem totius humanitatis entitas, aut existentia, aut subsistentia, ipsam partium entitatem, aut existentiam, aut subsistentiam tanquam quid natura priùs præsupponit.

VI.

At hîc multa obseruatione digna sunt. Primum est, supposita priore sententia, quam Gabrielis Vasq. esse diximus, consequenter dicendum primo, Christo moriente, eiusque proinde humanitate esse desinente, partes eius, animam scilicet, & corpus, quæ in triduo mortis manserūt assumptæ, & vnitæ Verbo hypostaticè, noua assumptione & vnione fuisse assumptas, & vnitas: quia nimirum desinente humanitate desinit eius assumptio & vnio cum Verbo, ac proinde prædictarum partium assumptio, & vnio, cùm hæ ex prædicta sententia, sicut in toto non subsistunt nisi subsistentia propria ipsius totius, seu nisi quia ipsum totum cuius sunt partes subsistit, ita in toto non sint assumptę & vnitæ, nisi assumptione, & vnione propria totius, seu nisi quia totum, cuius sunt partes, assumptum & vnitum est.

VII.

Dicendum secundò, animam in triduo mortis Christi fuisse assumptam & vnitam hypostaticè Verbo proximè seu immediatè, corpus autem remotè duntaxat: illam quidem proximè, quia manens à corpore separata, aut assumpta, & vnita Verbo non fuit, aut fuit immediatè & proximè, cùm nihil aliud esse potuerit quo immediatiùs assumpto, & vnito diceretur assumpta & vnita remotè, seu mediatè. At corpus remotè duntaxat, quia corpus hoc informatum fuit forma cadaueris, & cum eo composuit vnum totum physicum,

VIII.

quod cadauer dicitur, partes autem totius physici, ex illa sententia, sicut non subsistunt in toto, nisi remote, nempe ratione totius quod componunt proximè subsistentis, ita nec assumuntur, & vniuntur hypostaticè Verbo nisi remotè, ratione nimirum eiusdem totius, quod actu componunt, quódque proximè assumitur, & vnitur. I. A Ex quo colligitur formam cadaueris tam assumptam, & vnitam fuisse Verbo, quàm corpus, & remotè illam, sicut & istud.

Dicendum tertiò, in resurrectione Christi noua rursum assumptione, & vnione hypostatica fuisse assumptas, & vnitas Verbo partes humanitatis rediuiuæ, corpus scilicet, & animam, desiisséque assumptiones, & vniones illas, quibus in triduo mortis erant assumptæ, & vnitæ: cœperunt enim esse vnitæ assumptæque illa numero assumptione, & vnione noua, qua resurgens humanitas assumpta, & vnità Verbo est, cùm partes, ex prædicta sententia, totum aliquod componentes non subsistant, nisi ratione totius subsistentis, nec proinde assumantur, aut vniantur hypostaticè, nisi ratione totius quod II. assumitur, & vnitur: vnde cùm anima in prædicto triduo immediatè, & proximè esset assumpta, & vnita Verbo, vt paulo ante diximus, B à primo momento resurrectionis cœpit esse assumpta & vnita remotè tantùm, sicut & corpus: & hoc quod in eodem triduo fuerat remotè assumptum, vnitúmque Verbo, ratione cadaueris ab eo proximè assumpti, eique vniti, fuit ab illo primo resurrectionis momento assumptum rursus, & vnitum Verbo remotè, ratione proximè assumptæ & vnitæ humanitatis.

Secundum est, præsupposita posteriore sententia quam amplexi sumus, præsuppositaque simul indistinctione totius à partibus simul sumptis vnitisque, duo dicenda sunt. Vnum est, in triduo mortis Christi corpus & animam mansisse assumpta, & vnita Verbo, eadem numero III. assumptione, & vnione, qua ante mortem, desiisséque solam vnionem humanitatis cum Verbo, ipsâ humanitate desinente: hanc autem vnionem desiisse eo ipso quo desiit vnio inter modum vnionis hypostaticæ existentis in materia, & inter modum alterum hypostaticæ vnionis existentis in anima, cùm hi duo modi simul sumpti, & vniti facerent totalem illum, completúmque modum vnionis hypostaticæ, quo humanitas Verbo vnita erat: sicut anima, & materia simul sumptæ, & vnitæ faciunt totalem, & completam naturam humanitatis, quæ vt desinat in rerum natura esse, necesse non est vllam ex eius partibus desinere, sed tantùm illarum vnionem. Alterum est, in resurrectione Christi solam humanitatem fuisse de nouo assumptam, & vnitam Verbo: hanc autem assumptionem IV. nouam, & illius cum eo vnionem, factam esse D eo ipso quo de nouo duo præfati modi in materia, & anima existentes, vniti sunt inter se, & sic constituerunt modum illum cõpletum vnionis hypostaticæ, per quem humanitas vnita Verbo fuit: sicut humanitatis resurrectio facta est eo ipso quo inter eius partes, animam scilicet, & corpus, reproducta vnio est.

Tertium est, præsuppositâ eadem posteriore sententia, suppositaque simul distinctione totius physici à partibus simul sumptis & vnitis, duo pariter dici debere. Vnum est, humanitate Christi moriente, desiisse, præter vnionem, duos illos modos hypostaticæ vnionis connectentem, modum illum tertium, à duobus illis simul sumptis, vnitisque distinctum, quo humanitas Verbo vniebatur hypostaticè. Alterum est, in resurrectione Christi non fuisse reproductam solam duorum illorum modorum vnionem, sed ex iis V. inter se rursus vnitis resultasse de nouo tertium illum modum, quo fuit de nouo vnita hypostatice Verbo rediuiua humanitas.

Quartum est, præsuppositâ eadem posteriore sententia, siue simul supponatur totius physici à partibus simul sumptis, & vnitis indistinctio, siue distinctio, necessariò dicendum, aut formam cadaueris in triduo mortis Christi fuisse assumptam hypostaticè à Verbo: aut si non fuit, sed propriam suam subsistentiam partialem habuit, fuisse tunc in rerum natura compositum aliquod physicum, nempe cadauer ipsum, quod nullam subsistentiam habuit: non enim propriâ Verbi habuerit, cùm vt totum aliquod physicum in Verbo subsistat, eique hypostatice vniatur, requiratur necessariò, vt materia, & forma quibus constat sint eidem vnitæ hypostaticè, per ipsúmque subsistant, vt ex ante dictis clarum est: neque etiam habuerit proprtam suam, cùm propria totius physici subsistentia, vt ex ante dictis etiam constat, componatur essentialiter ex partiali subsistentia formæ, & partiali altera materiæ inter se vnitis: cuiusmodi compositio hic erit impossibilis, cùm pars altera cadaueris, nimirum materia propriâ subsistentiâ caruerit, vtpote quæ vnita Verbo hypostaticè fuit. Adde quod propria formæ cadaueris subsistentia informare modum illum vnionis hypostaticæ in materia existentem non potest, nec proinde quid vnum cum illo componere, ratione cuius cadauer dici possit subsistere: non potest, inquam, tum quia modus ille subsistentia non est: tum quia diuersi prorsus generis & ordinis est ab illa VII. propria formæ cadaueris subsistentia.

SECTIO VI.

Vtrùm aliquid a Verbo assumptum fuerit, quod priùs natura fuerit aliquo accidente informatum, quàm a Verbo assumptum?

PARTIS affirmantis veritas probatur primò, quia materia prima fuit assumpta à Verbo mediante anima, seu animæ cum ea vnione, vt suprà probatum est: ergo posteriùs natura fuit assumpta, quàm illa ei vniretur, vt etiam suprà concluſimus: at priùs natura quàm huic illa vniretur, fuit hæc aliquibus informata accidentibus, nimirum præuiis dispositionibus ad VIII. animæ susceptionem necessariò prærequisitis: ergo multò magis fuit naturâ priùs informata aliquibus accidentibus, quàm a Verbo assumeretur.

Nec dicas, eo momento temporis quo anima in materiam introducitur, non posse censeri hanc informari aliquo accidente, illúdve sustinere, nisi naturâ priùs censeatur existens, non cẽseri autem natura priùs existentem pro illo temporis momento, quàm ab anima informetur, cùm illa

quoad existentiam à forma substantiali informate pendeat. Ne, inquam, id dicas: falsum enim esse & ex philosophia præsuppono, & hac disp. sect. 4. iam clarè significaui, materiam in existendo pendere à forma substantiali informante tanquam a vera causa dante illi esse, seu existere, verissimúmque esse, illam semper naturâ priùs existere, quàm in se formam vllam siue substantialem, siue accidentalem recipiat.

I.

Probatur secundò, eo quòd anima fuit etiam assumpta à Verbo: atqui priùs naturâ fuit informata aliquo accidente, nempe intellectu, quàm à Verbo assumeretur: fuit enim ex D. Thoma hic art. 2. sextæ quæstionis, & ex communi Patrum doctrina, assumpta mediante spiritu seu mente, sicut caro mediante anima: ergo sicut caro priùs natura quàm assumeretur, animam in se habuit, sic anima priùs natura mentem in se, seu spiritum habuit, quàm assumeretur: spiritus autem nomine intelligendi potentia quæ est accidens, à Patribus intelligitur, vt rectè Gab. Vasq. disput. 38. cap. 2. hinc probat, quòd ideo dixerint carnem fuisse assumptam mediante anima, & animam

II. mediante mente, seu spiritu (quæ duo vocabula ad vnam eandemque rem significandam fuisse ab iis vsurpata, ibidem probat efficaciter) vt errorem Apollinaris refutarent, qui cùm primò sensisset, & docuisset carnem assumptam à Verbo fuisse sine anima, illámque hac caruisse, sed loco animæ Verbum ipsum habuisse, conuictus postea aliquibus Scripturæ testimoniis, in Christi carne veram animam rationalem admisit, & à Verbo assumptam fuisse concessit, sed negauit mente humana, seu intellectu fuisse præditam: Verbum autem loco mentis seu intellectus humani in ea dixit fuisse, ne, si humanum in ea intellectum admitteret, cogeretur in ipsa, ac proinde in ipso Christo, humanam cogitationem admittere, & per cõsequens peccati causam, & peccatum, quam, & quod admitti debere putabat in

III. eo omni qui humanam cogitationem haberet, aut qui eius capax est, cuiusmodi sanè est homo ille omnis qui humanum in anima sua habet intellectum. Quos duos errores fuisse reipsa Apollinaris, & posteriorem illa, quam retuli, ratione fuisse nixum, idem Vasq. cap. 1. & 2. disp. 37. egregiè ostendit: quorum vt priorem Patres refutarent, sicut dixerunt carnem assumptâ fuisse mediante anima, per hanc intelligentes eam quam in Christi carne primò negarat Apollinaris, eratque rationalis, ita posteriorem refutantes, dixerunt animam, quam hic hæreticus in Christi carne postea concessit, & erat eadem rationalis, fuisse assumptam mediante mente, seu spiritu, mentis & spiritus vocabulis idem haud dubiè intelligentes, quod hæreticus ille intelligebat. Nam si prædictis animæ, mentis, spiritus nominib. aliud

IV. intellexissent, quàm quod ille, illius errores non refutassent.

Est & aliud accidens, quo Alensis, & Bonau. dicunt animam Christi naturâ priùs informatam fuisse, quàm à Verbo assumeretur, gratia nimirũ habitualis, quam dicunt in ea præcessisse assumptionem, & hypostaticam vnionem, instar præ-

A uiæ ad eam dispositionis: qui tamen id hoc discrimine dicunt, quòd prior parte tertia quæst. 7. memb. 2. artic. 1. velit illam habitualem gratiam tanquam dispositionem præuiã ex rei natura, ac necessariò presupponi à gratia hypostaticæ vnionis. Posterior verò in 3. dist. 2. art. 3. quæst. 2. velit illam eandem gratiam non quidem ex rei natura ac necessariò, sed moraliter tantùm præsupponi ab hac ipsa vnionis gratia: quòd nimirum, illa habituali gratia non præsupposita, possit nihilominùs absolutè fieri vnio hypostatica, fiat autem conuenientiùs illâ præsuppositâ. Verùm contrà sentiendum est, animam scilicet & humanitatem Christi fuisse naturâ priùs assumptam, quàm gratia illa habituali donaretur: quod expresse docuit D. Thomas hac 3. parte, art. 10. quæst. 2. art. 6. quæst. 6. & art. 13. quæst. 7. ibidemque probauit partim Scripturæ authoritate, partim ratione: quod & sentiunt iam communiter Theologi, agnoscentes primum gratiæ donum quod animæ, & humanitati Christi collatum à Deo est, fuisse donum hypostaticæ vnionis, cæteraque gratiæ & gloriæ dona quæ eodem momẽto eidem col-

B lata sunt, fuisse collata, non vt antecedentes naturæ ordine dispositiones, sed vt consequentia animæ, & humanitatis iam in priori naturæ deificatæ ornamenta, vt suprà etiam sæpiùs alia occasione diximus. V. VI.

Nec verò vlla ratione nititur suprà relata Alensis opinio. Nam quæ ratio esse posset, ob quã vnio hypostatica prærequireret ex natura rei & necessariò habitualem gratiam, tanquam dispositionem, cùm illa vnio non sit forma quæ requirat ex natura rei ac necessariò præuiam vllam in subiecto suo dispositionem? Vnde enim aliquam requireret? vtrùm ex eo quòd sit forma in entitate supernaturalis? an ex eo quòd sit talis in specie, nempe gratia hypostaticæ vnionis? Primum sanè dici non potest, alioqui quælibet forma supernaturalis aliquam in subiecto suo dispo-

C sitionem prærequireret: quæ quoniam naturalis esse non posset, quia nõ potest subiectum disponi per formam merè naturalem ad formam supernaturalem recipiendam, supernaturalis esse deberet, & ita dari progressus in formis supernaturalib. infinitus. Neque secundum, tum quia tam facilè intelligi potest modum vnionis hypostaticæ, qui in re quæ assumitur ponitur loco modi propriæ subsistentiæ, posse poni in illa absque vlla dispositione præuia, quàm ipse modus propriæ subsistentiæ poneretur: tum quia nulla assignari potest forma, quam illa vnio requirat potiùs vt dispositionem, quàm ab hac ipsa forma illa ipsa vnio tanquam dispositio requiratur. VII.

Ad Bonauent. autem dicendum, satis conuenienter fuisse factam hypostaticam vnionem eo

D modo quo factam diximus: imo conuenientiùs eo, quo ipse factam dicit, vt euincunt rationes à D. Thoma citatis locis allatæ. His de habituali gratia breuiter ex occasione prælibatis, de ea iam, aliaque quæ fuit in Christi humanitate gratia, ad septimam, & octauam D. Thomæ quæstionem ex instituto disputemus. VIII.

DISPVTATIO XXIII.

De habituali Christi gratia.

SECTIO PRIMA.

I. *An hæc gratia humanitati Christi, vt sancta esset, necessaria fuerit?*

PROPONITVR hæc de Christi humanitate quæstio, nullo intellecto eius actu bono. Prima autem de ea sententia est affirmans, quam tuentur Palud. in 3. dist. 13. quæst. 2. & Marsil. in 3. quæst. 10. art. 1. conclusione 1. Secunda est negans, quam defendunt iam communiter Theologi, cuius veritas certò constabit, si certò constet Christi humanitatem ipsa formaliter diuinitate cui vnita hypostaticè est, sanctificatam fuisse, non secus atque
II. nos habituali gratia nobis inhærente formaliter sanctificamur. Rem autem sic habere probo duobus argumentis.

Primum ex authoritate Patrum ducitur, quos in quatuor classes distribuemus, propter quatuor diuersos loquendi modos ab iis vsurpatos, quibus id diserte significarunt. In prima reponimus eos qui vt humanitatis Christi sanctificationem, per diuinitatem nobis explicarent, vsi sunt similitudine carbonis, aut ferri ardentis, quod vndequaque igne penetratur, dixerúntque, quòd quemadmodum huiusmodi carbo, & ferrum igne vndique penetratum igneſcit, & ita vt ignis esse videatur, sic Christi humanitas per vnitam hypostaticè diuinitatem intimè penetrata ipsa diuinitate sanctificatur, & deificatur: qua similitudine manifestè volunt ipsam diuinitatis
III. substantiam esse formam, à qua humanitas illa formaliter sanctificatur, sicut substantia ignis carbonem aut ferrum vndique penetrantis est forma, à qua ferrum formaliter ignitum denominatur. Qui autem hac sunt vsi similitudine sunt Origenes libri 2. Periarchon cap. 6. non procul à fine comparans animam Christi *semper in Verbo, semper in Deo positam, & ex Dei Verbi vnitate ignitam, massæ ferri semper in igne positæ, omnibus suis poris, omnibúsque venis ignem recipienti, sic vt tota ignis effecta videatur.* Cyrillus lib. 1. in Isaiam oratione 4. in hæc verba capitis 6. *Et missus est ad me vnus ex Seraphim.* Et in Scholiis de Incarnat. Vnigeniti, cap. 8. vtroque loco vna eadémque comparatione vtens carbonis omni ex parte igniti, quem dicit, *Figuram & imaginem nobis exhibere Verbi hominis facti: & familiare esse Scripturæ diuinitus inspiratæ diuinam naturam igni comparare.* Elias
IV. Cretensis in 51. Gregorij Nazianzeni orat. num. 17. cuius hæc verba sunt: *Quemadmodum si totus aer igneus esset, vel potius ignis, granum autem quoddam ferreum in eum coniiceretur, necesse profectò esse hoc quoque eadem qualitate affici, qua id quod excellit, & superius est, & quidem ita vt nihil aliud quam ignis esse videremur, tametsi essentia ratio integra ipsa & incolumis esset: eodem modo humana natura diuinæ copulata vsque adeo superata est, vt hominis natura ne manere quidem videretur, tametsi proprietates suas retineret: ac propterea sancti quoque Patres deificatam ipsam dixerunt.* Nicetas denique, cuius verba paulò post opportunius referam.

In secunda sunt ij qui hoc ipso loquendi mo-
A do vsi sunt, qui nimirum Christi humanitatem V. diuinitate deificatam seu sanctificatam fuisse dixerunt: nominatimque Gregorius Nazianzenus orat. illa 51. num. 18. & orat. 4. de Theologia, quæ est ordine 36. num. 46. vbi non humanam modò Christi naturam, sed etiam voluntatem deificatam totam dicit esse, proptereáque non posse Deo aduersari: deificatione hac videlicet, seu sanctificatione, omnem ab ea peccati maculam, ac proinde cum diuina voluntate contrarietatem, excludente. Patres quoque sextæ Synodi generalis actione 17. in definitione orthodoxæ fidei, vbi sic de Christo loquuntur: *Quemadmodum enim sanctissima, atque immaculata animata eius caro deificata est, ita & humana eius voluntas deificata est. Nam illius velle non est contrarium Deo: deificatum est totum.*

B In tertia sunt ij qui de Christo secundùm hu- VI. manitatem loquentes dicunt eum, non sicut cæteros homines etiam sanctissimos, fuisse sanctum, sed alio longè excellentiore modo, nimirum naturâ, & essentialiter: quod nulla alia ratione dicunt, quàm quia vna ex Christi naturis, & essentiis est diuinitas, qua formaliter eius humanitas sanctificatur. Ita autem loquuntur Ildephonsus libro de parturitione, & purificatione B. Mariæ colum. 2. tomo 9. Bibliot. sacræ, sic de Christo vt homine, vt clarum est ex iis quæ ibidem habet, inquiens, *Iste est solus essentialiter sanctus.* Basilius in Psal. 44. hæc huius psalmi verba, *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus*, de Christi humanitate explicans, & sic scribens: *Reliqui quidem homines labore, & exercitatione, & attentione*
C *sæpenumero assequuntur amorem honesti, ac probi-* VII. *tatis, & malitiæ totius detestationem: tibi autem naturalis est ad boni prosecutionem proprietas, & ad iniquitatis fugam per quam familiaris alienatio.* Quam sanè prosecutionem, & alienationem non aliam ob causam dicit ei vt homini esse naturalem, quam quia eius humanitas erat vnita naturæ diuinæ à qua sanctificabatur ea sanctitate quæ ab ea omne peccatum excluderet. Dionysius Alexandrinus in Epistola contra Paulum Samosatenum colum. 1. de Christo cum Apostolis conuersante, & conuescente, ac proinde spectato secundùm humanitatem, quem cum Ioanne Baptista componit, ita loquens: *Magna puritate, & iustitia incomparabili Ioanni antecellebat: quia in Ioanne quidem opus & labor iustitiæ: in Iesu verò natura.* Et columna 4.
D *Christus iustus natura, vt Deus, non exercita-* VIII. *tione, & laboribus, sicut omnis homo ex numero piorum.* Quæ dicit de Christo petente à Deo patre claritatem, & gloriam quam habebat, antequam mundus apud eum fieret, vt refertur Ioan. 17. ac proinde de Christo vt homine. Patres denique Concilij Francofordiensis in Epistola ad Episcopos Hispaniæ ante medium, sic de eodem scribentes, *Christus naturâ vnctus*, id est, sanctus, vt ex mox dicendis constabit, *nos per gratiam, quia in illo pleniter fuit diuinitas.*

In quarta denique sunt illi qui Christum secundùm humanitatem consideratum dicũt fuisse ipsa diuinitate vnctum, id est, sanctificatum: vnctio enim spiritalis ac metaphorica sanctificationem, & in Scripturis, & apud Patres significat: oleum autem, seu vnguentum quo spiritaliter vngimur, est forma qua formaliter sanctificamur: vt communis est Theologorum consensus, notauerúntque Fulgentius libro 3. ad Thrasimundum cap. 13. & 14. & Cyrillus in epistola ad solitariam vitam agentes, quæ est ordine prima, colum. 5. Vnde hæc Scripturæ testimonia Lucæ 4. & Isaiæ 6. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me.* Danielis 9. *Donec vngatur Sanctus Sanctorum:* Actorum 10. *Quomodo vnxerit eum Deus Spiritu sancto*, communiter omnes de sanctificatione per formam quæ sit vera sanctitas interpretantur.

I.

Qui autem Christum secundùm humanitatem vnctum diuinitate vt oleo, seu vnguento dicunt, sunt ex Latinis Patribus Augustinus, & Anselmus. Ille lib. 15. de Trinitate cap. 26. hæc habens de Christo verba: *De illo scriptum est in Actibus Apostolorum, Vnxit eum Deus Spiritu sancto. Nec sanè tunc vnctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit: tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum sanctum: sed ista mystica & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando Verbum Dei caro factum est: id est, quando humana natura sine vllis præcedentibus bonorum operum meritis Dei Verbo est in vtero Virginis copulata, ita vt cum illo fieret vna persona: ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto.* Hic vero in caput 1. epist. ad Hebræos, hæc verba Psalmi 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus*, sic exponens: *Ipse autem, qui existens Deus ante sæcula, per Spiritum sanctum in vtero Virginis conceptus est in fine sæculorum, ibi ab eodem Spiritu sancto vnctus est, vbi conceptus. Nec ante conceptus, & postmodum vnctus est: sed hoc ipsum de Spiritu sancto & carne Virginis concipi, à Spiritu sancto vngi fuit.*

II.

III.

Ex Græcis autem Nazianzenus oratione 36. num. 7. his de Christo vt homine verbis: *Opera ipsius veritas, & iudicium: quorum causa diuinitate delibutus est: hæc enim humanitatis vnctio est.* & num. 93. & 94. *Christus vero, propter diuinitatem: ea enim humanitatis vnctio est, non operatione, vt in aliis christis sanctificans, sed totius vngentis* (diuinitatis scilicet vt vnguenti) *præsentia.* Elias Cretensis in hæc Nazianzeni verba num. 94. ita scribens: *Tametsi Reges & Sacerdotes eiusdem nominis participes erant: nam & illi christi, id est, vncti dicebantur, tamen per gratiam tantum illi sanctificabantur: at in Christo ipsissima diuinitatis præsentia vnctionis locum tenebat.* Rursus idem Nazianz. orat. 42. num. 26. his aliis de Christo verbis, *Perfectus autem non modo propter diuinitatem qua nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idémque effectam quod id à quo vncta est: atque vt audacter loquar, θεὸν ὅλον, id est, simul Deum.* Nicetas in hæc Nazianzeni verba, num. item 26. sic habens, *Quin etiam humanitas diuinitate peruncta id facta est quod ea pars à qua peruncta est, hoc est, diuinitatis socia: non quidem natura, sed diuinitatis consecutione: quemadmodum & ferrum ignitum ignis dicitur, non natura, sed inflammatione: neque enim à propria natura migrauit.*

IV.

Præterea Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 29. qui de incarnato Verbo sic ait: *Christus præcipuo quodam est modo: nemo enim est Christus vt ipse. Christus autem similitudine nostra nuncupatur. Nam cùm proprie ac singulariter tam nomine quam re vere Dei filius sit, commune sibi nobiscum Christi nomen est. Vnctus enim est in quantum homo est, & idcirco Christus est.* Quia diuinitati substantialiter, & personaliter vnitus, vt antecedentia & consequentia aperte indicant. Damascenus libro 3. de fide, cap. 3. cuius hæc verba sunt: *Christi porro vocabulum personæ esse dicimus, quòd duplicem naturam significet. Ipse et enim seipsum vnxit, corpus videlicet diuinitate sua vngens, vt Deus: vnctus autem, vt homo. Vnctio porro humanitatis, est diuinitas.* Dionysius denique Alexandrinus in. suprà citata contra Paulum Samos. epistola, colum. 1. in qua hoc singulare habet, quòd non tantùm dicit Dominum Iesum fuisse Christum, non solo nomine, sed veritate, ac eo ipso quo diuinitate vnctus est, & sic Christus effectus, cùm Christus Græcè sit idem quod Latinè vnctus: sed etiam addit, quemlibet iustum esse christum: quia quilibet eo ipso quo iustus est, sanctus est, seu sanctificatus, ac proinde gratia sanctificante tanquam oleo vnctus: sed inter hanc eorum & illam Christi vnctionem discrimen esse, quòd hæc eorum vnctio sit externa, seu ab extrinseco in ipsorum personam proueniens, secus verò illa humanitatis Christi, vtpote quæ per naturam diuinitatis quam in sua ipse persona Christus includit, vngitur, seu sanctificatur. Quod quilibet iustus, sit eo ipso Christus, & re, & nomine, dixerunt antè relati Nazianz. & Elias, & Cyrillus: hic rursus in citata ad solitariam vitam agentes epistola colum. 5. clarissimè verbis his: *Qui fide in Christum iustificantur, & per Spiritum sanctificantur, hac sunt appellatione* (Christi scilicet) *honorati. Itaque cognomen hoc Christus Emmanueli soli non competit, sed & aliis omnibus, quotquot Spiritus sancti gratia sunt inuncti.*

V.

VI.

VII.

Neque verò respondèri potest humanitatem Christi dici à Patribus vnctam diuinitate, non formaliter, sed causaliter, id est, non tanquam forma formaliter sanctificante, sed vt ab agente, per veram actionem producente dona gratiæ in illa humanitate, quibus formaliter sanctificatur: nam hoc dicere, est manifestè illis repugnare: tum quia non dubium, quin tanquam singulare priuilegium soli illi humanitati concessum prædicent, quòd sit vncta diuinitate: quod tamen nullum foret, si eà causaliter tantùm vncta esset, cùm quilibet Angelus ac homo iustus eâdem sic vngatur: tum quia diuinitatem oleo comparant, sanctificationem autem à diuinitate prouenientem in humanitatem, vnctioni ab oleo prouenienti: certum autem est vnctionem ab oleo in eum qui illo vngitur prouenientem, esse ab illo non causaliter, sed formaliter, seu tanquam à forma à qua formaliter vngi denominatur: tum quia repugnat manifestè respõsio hæc verbis Gregor. Nazianz. citata orat. 36. num. 93. disertè dicentis Christum dici vnctum propter

VIII.

diuinitatem sanctificantem non operatione, sicut in aliis Christis, id est, iustis hominib. euenit, sed totius vnguenti seu diuinitatis præsentiâ: tum denique quia repugnat illis omnibus Patribus suprà citatis, qui dicunt Christi humanitatem esse deificatam seu sanctificatam diuinitate, sicut
I. carbo, aut ferrum igne vndique penetratum, est A
ignitum igne: ignitum enim dicitur à substantia ignis, tanquam à forma quæ formaliter, non causaliter hanc tribuit denominationem: illis quoque aliis, qui Christum esse naturâ, & essentialiter sanctum dicunt: quo modo sanctus non esset, si à diuinitate solum causaliter sanctificaretur, cùm ab ea nos ita sanctificemur, nec tamen naturâ aut essentialiter sancti dicamur, aut simus.

SECTIO II.

Idem altero argumento probatur, obiectionibus respondetur.

II. SECVNDVM argumentum ex communi B
Patrum doctrina ducitur, quæ est, vt disput. 6. vidimus, Christi satisfactionem fuisse sufficientem ex se, condignámque pro peccatis humani generis, & habuisse valorem pro eo redimendo infinitum: cuius tanti valoris cùm necessarium fundamentum fuerit humanitatis satisfacientis sanctitas, vt ex eadem disput. liquet, oportet nos in ea sanctitatem aliquam admittere, quæ illius valoris fundamentum esse potuerit: sanctitas autem sola quæ puræ creaturæ possibilis est, eius fundamentum esse non potuit, vt ex 4. disputat. constat: ergo præter hanc sanctitatem alia quædam nulli puræ creaturæ possibilis in eadem humanitate admittenda est: nulla autem alia quæ admitti possit, est, præter aut ipsam hypostaticam vnionem, aut diuinitatem vnitam hypostaticè: atqui illa vnio non potuit
III. esse prædicti valoris fundamentum: ergo diuinitas. C

Quòd autem illa vnio non potuerit, probo hinc in primis, quòd nulla alia humanitatis satisfacientis sanctitas potuit esse prædicti valoris fundamentum, quàm infinita: siquidem in finita sanctitate dignitas satisfactionis, & valor alius fundari non potest, quàm finitus, & ex se insufficiens ad condignè merendum aliis gratiæ dona, ac gloriæ, & proinde ad condignè pro eorum peccatis satisfaciendum: alioquì cur in finita puræ alicuius creaturæ sanctitate fundari non posset valor satisfactionis, aut aliorum bonorum operum infinitus, ac ex se sufficiens ad promerenda condignè alteri gratiæ dona, & gloriæ? Vnio autem hypostatica, etsi formalis
IV. esse sanctitas concedatur, simpliciter tamen tam D
finita sanctitas est, quàm ens secundùm essentiam, & quamcunque suam perfectionem simpliciter & absolutè finitum.

Probo deinde ex eo quòd probabilius videtur illam vnionem non esse formalem sanctitatem, sicut & vnio substantialis materiam inter & formam sanctitas non est: si enim esset, sequeretur naturam irrationalem non posse vniri Deo hypostaticè contra doctrinam à nobis disput. 19. traditam, & probatam: vt enim posset, deberet in ea intrinsecè, ac vt in subiecto poni modus vnionis hypostaticæ: poni autem non posset, quia cùm nulla forma poni possit vllo in subiecto, quin ei necessariò primarium suum formalem effectum communicet, nulla forma poni potest eo in subiecto, quod primarij eius effectus incapax est: primarius autem formalis effectus sanctitatis in subiecto positæ, est illud
V. facere, & denominare sanctum, sicut candoris, & caloris in subiecto positi primarius formalis effectus, est facere, & denominare candidum, & calidum: illius autem formalis effectus sola natura rationalis capax est.

Respondebis hoc argumento euinci quidem, non quamcunque vnionem hypostaticam esse formaliter sanctitatem, at non concludi aliquam, eámque saltem qua natura rationalis vniretur Deo non esse formalem sanctitatem. Verùm hæc responsio non satisfacit: si enim aliqua hypostatica cum Deo vnio non est formalis sanctitas, nulla quoque est: quia si aliqua est, ideo sanè est, quia est hypostatica vnio cum Deo qui infinitè sanctus est, imò etiam ipsa infinita, & increata sanctitas, non quia præcisè talis aut talis
VI. in specie hypostatica vnio est. Nam si hypostatica vnio cum Deo, spectata secundùm communem illum conceptum & gradum, non est sanctitas, non video cur aliqua talis dici debeat spectata secundùm specificum suum atque vltimũ gradum. Vtrùm fortè talis dicetur ratione ordinis essentialis, quem in specifico suo conceptu & gradu includit ad Deum infinitè sanctum, quem vt terminum & extremum connectendum respicit? At hunc essentialem ordinem etiam includit in suo illo communi & generico gradu vnio hypostatica cũ Deo. An ob essentialem ordinem quem in suo specifico conceptu & gradu includit ad naturam rationalem per se capacem sanctitatis, tanquam item ad terminum & extremum connectendum? At caret omni probabilitate, ex humana natura terminante hunc ordinem petere hanc vnionis de qua loquimur
VII. sanctitatem: tum quia omnis res essentialem dicens ordinem ad naturam humanam aut Angelicam per se capacem sanctitatis, sanctitas pari iure dici deberet: tum quia sequeretur à fortiori hypostaticam cum Deo vnionem vt sic in genere spectatam esse sanctitatem, cùm vt sic dicat essentialem ordinem ad Deum, qui est ipsa increata sanctitas.

Neque huic doctrinæ repugnant Patres passim asserentes humanitatem Christi ipsa vnione cum Verbo fuisse sanctificatam, quia non propterea volunt fuisse sanctificatam ipso præcisè modo vnionis in humanitate recepto, de quo nihil vnquam fortè multi ex iis cogitarunt, sed tantùm volunt, eo ipso fuisse sanctificatam, quo vnita fuit Verbo: quod verum est, etsi forma
VIII. sanctificans alia non fuerit quàm Verbi diuinitas. Et sanè sicut asserunt ipsa vnione cum eo fuisse illam sanctificatam, ita similiter asserunt sanctificatam fuisse ipsa assumptione: ex quo tamen concludi non potest, ipsos velle, fuisse formaliter sanctificatam per ipsam formaliter assumptionem quæ actio est, & ipsius modi vnionis productio.

At iam obiicies primò, nullam naturam posse formaliter sanctificari per sanctitatem ipsi extrinsecam: diuinitatem autem, licet sit vera san-

ctitas, Christi humanitati extrinsecam esse, cùm in ea non sit tanquam in subiecto. Respondeo duplicem esse sanctitatem, vnam substantialem, & increatam, alteram creatam, & accidentalem: & hanc quidem sanctificare formaliter non posse naturam cui extrinseca est: quia nulla natura
I. sanctificari formaliter potest per sanctitatem quæ ei vnita perfectè physicè non est: creata autem sanctitas, vtpote accidentalis, nulli naturæ potest vniri perfectè physicè, nisi intrinsecè, seu per intrinsecam in ea tanquam in subiecto inhæsionem: illam verò è contrario illud posse, dummodo inter eam & naturam quam sanctificare dicitur intercedat perfectè physica, & substantialis vnio, qualis haud dubiè hypostatica est.

Obiicies secundò, si natura humana vniretur hypostaticè suppositò alicui Angelico, gratiam habitualem sanctificantem habenti, non propterea formaliter sanctificaretur: ergo neque humanitas Christi ex eo formaliter sanctificabitur, quòd vnita sit hypostaticè Verbo diuino, quod sanctum est. Respondeo negando
II consequentiam: ideo enim natura illa humana B vnita illi suppositò Angelico non sanctificaretur ratione huius vnionis, quia nec subsistentia, nec natura Angelica, cui per eam vnionem vniretur, formalis quædam sanctitas est: at è contrario Verbum cui per vnionem hypostaticam humanitas Christi vnitur, est formaliter sanctitas. Nec refert quòd suppositum illud Angelicum in se sanctificantem gratiam haberet: cùm enim sanctitas hæc accidentalis sit, non potest aliam naturam efficere formaliter sanctam, quàm eam cui inhæret, soli autem naturæ suppositi illius Angelici inhæreret, cui humana natura hypostaticè vniretur.

Ex quo colligitur, quòd si conciperemus humanæ Christi naturæ vniri physicè, & substantialiter aliquam aliam naturam, siue Angelicam, siue humanam, hæc ab illa licet infinitè
III. sancta non propterea formaliter sanctificaretur: quia licet infinitè sancta sit per diuinitatem, non est tamen ipsa formalis quædam sanctitas: nec diuinitas, quæ formalis sanctitas est, sanctificare formaliter aliam naturam potest, quàm eam cui vnitur hypostaticè: non vniretur autem hypostaticè illi alteri naturæ siue humanæ, siue Angelicæ, etsi inter humanitatem Christi, cui vnita hypostaticè est, & inter illam naturam siue Angelicam siue humanam intercederet illa physica, & substantialis vnio, quam diximus.

Obiicies tertiò, si humanitas Christi sanctificari formaliter posset per diuinitatem, consequens fore, vt per omnipotentiam diuinam
IV. fieri formaliter, & denominari posset omnipotens, cùm diuina hæc omnipotentia illi humanitati non minùs vnita physicè sit, quàm diuina illa sanctitas. Ad hanc obiectionem commodiùs respondebimus explicantes quæstionem Diui Thomæ decimam tertiam, in qua disputat expresè S. Doctor, vtrùm anima Christi omnipotentiam habuerit.

SECTIO III.

Vtrùm Christi humanitas habitualem gratiam sanctificantem habuerit, & quo tempore habere cœperit?

A V.

QVOD ad primum attinet, pars affirmatiua tam certa est, vt propter vnanimem Theologorum consensum sine temeritatis nota negari non possit: & meritò sanè conspirant in eam omnes Theologi, tum quia cùm sicut illa gratia statum iustorum & beatorum decet, ita statum humanitatis à Deo assumptæ deceat, vtpote magna eius ex rei natura perfectio, & ornamentum, non est dubitandum, quin sicut in omnibus iustis, ac beatis est, ita in Christi quoque humanitate sit: tum quia fuit in ea haud dubiè actus Theologicæ charitatis, ergo & habitus: alioquin actum hunc connaturaliter non exercuisset, cùm principium eius tam connaturale sit ille habitus, quàm intellectus intellectionis, & voluntas volitionis: ergo & gratia habitualis: quia vel hæc ab illo charitatis habi- B VI. tu reipsa non distinguitur: vel si distinguitur, hæc tamen sine illo, & ille sine hac non potest de lege Dei ordinaria in aliquo reperiri, cùm ex eorum sententia, qui hanc ab illo distinguunt, habeat se hæc per modum radicis, ex qua charitatis habitus instar cuiusdam effectus & proprietatis profluit.

Vtrùm autem sicut temerarium esset illam humanitati Christi negare gratiam, ita foret erroneum contra fidem, dubitatio aliqua est. Suarez, & à Valentia hic affirmant: meliùs negat Vasq. cap. 1. dispur. 42. fusè proferens illustriora tam ex Scripturis quàm Patribus testimonia, quibus probari posset illam habitualem gratiam in humanitate Christi fuisse, & rectè ostendens id ex iis certò colligi non posse: imò tantum ab- C esse, vt hic fuerit vnanimis Patrum consensus, vt VII. hi scriptis suis omnibus ne minimum quidem indicium dederint illius habitualis gratiæ in Christi humanitate existentis, sed solùm eximiæ cuiusdam ipsius sanctitatis, quam sine gratia habituali de qua loquimur agnoscere in ea, & defendere omnes debent. Adde quòd etsi certò constaret, sicut Theologos, ita & Patres vnanimi consensu habitualem illam gratiam in ea admisisse, non propterea tamen id ad fidem pertineret, quia Patrum vnanimis in re aliqua consensus non arguit rem in qua consentiunt esse de fide, nisi in ea consentiant tanquam in aliquo fidei dogmate, seu quod ad fidem pertinere sentiunt.

Nec dicas, esse de fide, gratiam habitualem iustis hominibus inexistere: ergo de fide esse illam humanitati Christi inesse, cùm de fide sit D VIII. eum secundùm humanitatem iustum & sanctum esse. Respondeo enim ad antecedens, de fide quidem esse dari gratiam illam habitualem in infantibus, & in adultis, qui non proprio actu, sed per sacramentum solum iustificantur: de fide autem non esse, dari in illis adultis, qui aliter quàm per sacramentum iustificantur, vt constat ex dictis in Tract. de Gratia disput. 12. sect. 26. vnde cùm Christus secundùm humanitatem non sit illo infantium, & adultorum modo, seu per

sacramentum iustificatus, patet non esse consequens, de fide esse, gratiam de qua loquimur, in eo existere, etsi de fide sit hanc infantibus illis & adultis inesse. Deinde etsi de fide id esset respectu quorumcunque iustorum hominum qui puri homines sunt, non sequeretur tamen respectu Christi de fide esse: nam si respectu illorum id de fide esset, ideo certè esset, quia de fide esset neminem eorum iustificari per solum Dei fauorem extrinsecum, aut per imputationem alienæ iustitiæ, sed per solam iustitiam seu sanctitatem in se receptam: alia autem quam eorumdem quilibet reciperet, & qua recepta primò iustificaretur, non esset, præter illam gratiam habitualem: at hæc ratio locum in Christo non haberet, cùm etsi iustificari seu sanctificari eius humanitas non possit per solum illum fauorem, aut illam imputationem, possit tamen absque vllo creatæ & inhærentis gratiæ dono, per ipsam formaliter vnitam hypostaticè diuinitatem.

I. A

Quod spectat ad secundum, communis item & vera Theologorum doctrina est, habere cœpisse primo suæ conceptionis momento: nam omnes volunt habuisse, aut tanquam dispositionem præuiam ad accipiendam hypostaticæ vnionis gratiam, & sic primo illo momento habuisse, cùm hanc vnionem tunc acceperit: aut tanquam ornamentum eam solo naturæ ordine consequens, collatum eius intuitu independenter abvllis meritis. Quam eorum doctrinam hinc confirmo, quòd humanitas Christi primo suæ conceptionis instanti beatificam visionem habuit, vt infrà videbimus: ergo & eodem instanti charitatis actum erga Deum clarè visum exercuit, cùm hic actus ex illa visione sequatur necessariò, ergo & charitatis habitum tunc habuit, ergo & habitualem gratiam de qua loquimur; quæ vtraque consequentia patet ex iis quæ hac ipsa sectione proximè antè circa primum ex duobus in ea propositis diximus.

II. B

III. C

SECTIO IV.

Qualem, & quantam gratiam illam habitualem habuerit?

Circa primum ex his duobus quæstio est, vtrùm hæc habitualis gratia Christo connaturalis sit? Dicendum autem primò, non posse censeri ei connaturalem ratione humanitatis, cùm hæc humanitas sit creata aliqua substantia, nulli autem creatæ substantiæ gratia illa connaturalis esse possit, vtpote quæ est in entitate supernaturalis.

IV. D

Dicendum secundò, connaturalem dici posse duobus illis modis, quibus disput. 13. sect. 4. diximus vnionem hypostaticam esse Christo connaturalem: quem vtrumque modum non sufficere vt res in entitate supernaturalis dicatur simpliciter & absolutè naturalis ei cui datur, ibidem ostendimus. Et cùm prior illorum duorum modorum sit ratione diuinæ naturæ, quæ est vna ex Christi naturis, cui connaturalis est tam illa vnio hypostatica, quàm hæc gratia habitualis, ob rationem ibi allatam, aduerte gratiam hanc deriuari à diuina natura in humanam, tanquam ab vna Christi natura in alteram, propterea quòd signo rationis priùs quàm ab illa in hanc deriuetur, illa iam censetur esse, & reuera est vna ex Christi naturis, cùm in hanc ab illa deriuetur, vt suprà docuimus, signo rationis posteriùs vnione hypostatica diuinæ naturæ cum humana, in eo autem signo rationis anteriore quo hæc vnio intelligitur, diuina natura sit vna ex Christi naturis: cùm tamen vnio hypostaticæ ita deriuetur à diuina natura in humanam, vt in hanc ab illa non deriuetur tanquam ab vna ex Christi naturis, vt illo loco probauimus.

V.

Dicendum tertiò, gratiam habitualem de qua loquimur dici posse connaturalem humanitati deificatæ, seu sanctificatæ formaliter per diuinitatem: tum quia id alicui meritò connaturale dicitur, quo est ex se dignissimus: humanitas autem per diuinitatem sic sanctificata, dignissima est illa habituali gratia, sicut & æterna gloria: qua quisquis dignus est per aliam formâ quàm per ipsam habitualem gratiâ, vt per aliquem actum suum, dignus quoque simul est habituali illa gratia: vnde est quod quisquis actu suo bono condignè meretur incrementum gloriæ, simul quoque cõdignè meretur habitualis gratiæ: Christi autem humanitatem deitate sanctificatam, ratione sanctificationis huius dignissimam esse æterna gloria, certissimum est, cùm infantes per habitualem gratiam in baptismo susceptam, quæ est sanctitas longè inferioris illâ alterâ ordinis, ea digni sint: tum quia sicut beatifica visio connaturalis est intellectui illustrato lumine gloriæ, propterea quòd illa visio non est superioris ordinis isto lumine, & proinde intellectu vt hoc lumen habente, ita gratia illa humanitati deitate sanctificatæ connaturalis est, cùm illa non sit sanctitate diuinitatis, & proinde humanitate vt sanctitatem hanc habente, superioris ordinis. Ex quibus facilè intelligitur, quid de lumine gloriæ, quid de visione beatifica, aliisque similibus donis in entitate supernaturalibus respondendum sit, si quæritur, an sint Christo connaturalia.

VI.

VII.

Circa secundum quæstio est, an habitualis Christi gratia sit infinitè intensa? Negant omnes cum D. Thoma hîc quæst. 7. artic. 11. qui cum eo existimant dari non posse infinitum actu secundùm intensionem: negat & Vasq. disp. 46. c. 2. ob hanc peculiarem rationem, id de hac gratia vt existimat euincentem, etsi aliunde constaret calorem, frigus, aliásq. similes qualitates habere posse infinitam actu intensionem. Si dari posset in humanitate Christi gratia habitualis infinitè actu intensa, posset & dari in pura creatura, cùm eiusdẽ speciei sit siue in hac, siue in illa, & ex vtriusque passiua potentia obedientiali educatur; quæ in vtraque eadem est, eiusdémque naturæ ac rationis: atqui non potest in pura creatura: quod sic probatur. Nulla pura creatura potest ita reddi sancta, & iusta coram Deo per gratiam adoptionis, per quam vnitur ipsi solo affectu, non natura, quin possit in dies ampliùs eidem ipsi placere, & coram eo iustificari magis ac magis, nouis bonis operibus: hoc autem fieri non posset, si gratia illa habitualis esset actu infinita, quia infinito maius esse nihil potest.

VIII.

Iidem autem authores negatiuam illâ partem amplectentes dicunt nihilominùs habitualem illam, de qua loquimur, gratiam esse actu infinitam, tum ratione Dei actu infiniti, cum quo

tanquam

tanquam cum fine, aut obiecto coniũgit cum in quò eſt : quo proinde modo infinita in nobis ſecundum quid eſt: tum ratione bonorum operum humanitatis Chriſti, quorum illa gratia erat principium, ſicut & noſtra noſtrorum eſt : quæ opera erant actu infinita, non quidem in eſſentia aut
I. in entitate, ſed in valore quem habebant actu A infinitum, vt diſput. 6. probauimus, licet non ab illa gratia, ſed à diuinitate vnita hypoſtaticè deriuatum, vt ibidem oſtendimus.

Iam verò qui exiſtimant infinitum actu ſecundùm intenſionem dari poſſe per abſolutam Dei potentiam, & id æquè de gratia habituali ſentiunt, atque de quacunque alia qualitate capaci intenſionis & remiſſionis, dicere meritò poſſunt habitualem Chriſti gratiam infinitam actu eſſe, quod & reipſa docuit Maior in 3. diſt. 13. quæſt. 3. & ſe in Scholis docuiſſe teſtatur: quam etiam fuiſſe communem ſuo tempore Scholæ Pariſienſis doctrinam ait Almainus eadem diſt. quæſt. 1. §. *Iſtis ſuppoſitis* : quæ ſanè ſententia ſuppoſita illa infinitæ actu habitualis gratiæ poſſibilitate probabilior videtur, quia quacun-
II. que gratia habituali poſſibili digniſſima eſt B Chriſti humanitas : ergo & infinita actu, ſi infinita actu poſſibilis eſt : cui ſi Deus dedit gratiam habitualem ob illam eius dignitatem, cur non dederit actu infinitam? cùm, vt ſupponimus, dare potuerit, & ratione vnionis digna fuerit cui daretur illa actu infinita. An forte parcior exiſtimabitur Deus in illa creata & accidentali gratia, ac ſanctitate ei tribuenda, quàm in ſubſtantiali, & increata diuinitatis ipſius? quam tamen tam liberaliter & merè gratis ei conceſſit, vt ſuprà vidimus. An exiſtimabit quiſpiam, aut dicet, Deum fruſtra aut ſuperfluè infinitam actu daturum, cùm hac infinita data non poſſet fieri intenſiuè ſanctior, quàm per ſolam diuinitatem eſſet? At eâdem ratione Deum nullam dediſſe concludat neceſſe eſt, cùm aliqua data fieri non
III. poſſet intenſiuè ſanctior: quòd ſi aliquam dedit, C quia hæc nouum, & magnum humanitatis vnitæ Verbo hypoſtatice ornamentum eſt, quo ratione vnionis huius digna eſt, nec remiſſam dedit, ſed intenſiſſimam, quia quo intenſior eſt, eo maius ornamentum eſt, dederit ergo actu infinitam, ſi dari poteſt, cùm actu infinita ſit nouum & infinitum eiuſdem humanitatis ornamentum, quo non minùs quam minore digna eſt.

Ex quo ſequitur, eſſe probabilius, lumen gloriæ, & beatificam animæ Chriſti viſionem eſſe infinitæ actu intenſionis, ſi eſſe poſſunt : actum quoque beatifici erga Deum amoris, cùm hic neceſſariò ſequatur illam viſionem, & eo maiori intenſione, quo illius intenſio maior eſt, ac proinde actu infinita, dum illius infinita actu erit: habitum denique charitatis, qui niſi infinitus a-
IV. ctu, ſecundùm intenſionem eſſet, illo amoris actu D infinitam actu intenſionem habente, ſequeretur, actum hunc non elici ſecundùm ſe totum, imò ſecundùm infinitos ſuos gradus, connaturaliter, cùm finitus ſecundùm intenſionem charitatis habitus non niſi finiti ſecundùm intenſionem actus amoris principium connaturale eſſe poſſit. Imò etiam inde ſequetur, eſſe probabilius, humanitatem Chriſti nunc habere omnem omnino gratiam habitualem poſſibilem, ſi quemadmodum ſupponitur infinita actu eſſe poſſibilis, ita ſupponatur totam gratiam quæ diuiſiuè ſumpta poſſibilis eſt, ſimul quoque & collectiuè in vno eodẽque ſubiecto eſſe poſſibilem. Ex quo conſequenter dicendum erit, aliquos nunc habitualis gratiæ gradus eſſe in pluribus ſubiectis & locis, productóſque proinde fuiſſe per multiplicem actionem ſeu eductionem ex multis ſubiectis, eos
V. nimirum qui ſunt in puris creaturis, qui iidem numero in Chriſti humanitate ſunt, ſuppoſita iſta quam dixi ſententia.

Ad relatam autem Gabr. Vaſquez rationem, reſpondendum ab eo qui tueri volet eſſe poſſibilem habitualem gratiam actu infinitam, vnum ex his duobus: nimirum aut infinitum vnum poſſe alio maius eſſe ac intenſius : aut ſi non poteſt, ideo creaturam, quæ infinitam actu habitualem gratiam haberet, non poſſe creſcere nouis operibus in iuſtitia & ſanctitate, ſeu illis fieri coram Deo iuſtiorem, & ſanctiorem intenſiuè, quantumuis concedatur eam ſingulis illis nouos quotidie mereri de condigno, gratiæ gradus, & gloriæ. Nam ſi per hos nouos gradus præcedentibus infinitis additos à
VI. Deo, ſiue propter condignum præcedentis operis boni meritum, ſiue independenter ab vllo merito, ac merè gratis, non fieret illa creatura Deo gratior, & coram eo ſanctior, quia infinito nihil poteſt fieri maius : certè nec talis fieret per ipſa formaliter opera bona quæ quotidie exerceret, & quibus illos nouos gratiæ gradus mereretur, cùm in illis gratiæ gradibus non minor ſit ſanctificandi vis, quàm in his ipſis bonis operibus.

SECTIO V.

An humanitatis Chriſti habitualis gratia augeri potuerit, & reipſa aliquando aucta ſit?

VII.

QVOAD primum, ſupponit hæc quæſtio illam finitam actu eſſe ſecundùm gradus intenſionis : proponitur autem ſpectata abſoluta Dei potentia : cui cum D. Thoma art. 12. qu. 7. in reſp. ad 2. & qu. 10. art. 4. ad 3. & 2. 2. qu. 24. art. 7. & cum cæteris iam communiter Theologis, tam Thomiſtis, quàm aliis, affirmatiuè reſpõdendum eſt. Probatur autem ex eo quòd habitualis charitas per abſolutam Dei potentiam fieri poteſt intenſior in infinitum : ergo & habitualis gratia. Conſequentiæ bonitas hinc conſtat, quòd hæc gratia vel eſt ipſa habitualis charitas, vel ſi ab ea diſtinguitur, vtriuſque tamen quoad hoc eadem ratio eſt, nec vlla diſparitatis afferri ratio poteſt, cùm præſertim ex communi Theologorum doctrina, vniùs augmentum ſemper alterius augmentum comitetur, & quantum
VIII. augetur vna, tantum ſemper augeatur & altera. Antecedens autem ſusè ſecunda ſecundæ ad quæſt. illam 24. diſputat. 41. ſect. 2. in Tractatu de charitate tribus rationibus probatum eſt : quarum ſecunda & tertia æquè de ipſo gratiæ habitu, atque de charitatis confici poſſet : quarum etiam tertia idem concludit, non de ſolis his gratiæ & charitatis, ſimilibúſque ſupernaturalibus habitibus, ſed etiam de calore, frigore, & huiuſmodi aliis merè na-

turalibus in entitate qualitatibus: secunda autem id efficaciter adhuc concluderet de prædictis supernaturalibus habitibus, etsi certò constaret, calorem, frigus, aliásque similes naturalis ordinis qualitates nulla vi fieri posse in infinitum intensiores. At præter ea quæ ibi obiecta, & soluta sunt,

I. A

Obiicies primò, vt habitualis alicuius creaturæ gratia fieri posset intensior in infinitum, necessarium fore, vt hæc illius recipiendæ capacitatem haberet infinitam, & quæ nunquam posset expleri: nullam autem creaturam posse talem habere capacitatem, vt ex tribus Diui Thomæ locis constat: ex art. scilicet 12. quæst. 7. in quo docet expresse habitualem Christi gratiam non potuisse augeri ex parte subiecti recipientis, defectu videlicet capacitatis in eo ad maiorem recipiendam: præterea ex articuli superioris corpore, in quo disertis verbis dixit, animam Christi esse creaturam quandam, quæ finitam habet capacitatem. Denique ex quæstione 29. de veritate, articulo tertio ad 6. in quo ait capacitatem animæ Christi ad habitum gratiæ esse finitam, & posse à Deo fieri creaturam meliorem,

II. B

& maioris capacitatis: quæ certè maioris capacitatis fieri non posset, si animæ illius tanta esset capacitas, vt capax esset gratiæ maioris, & maioris in infinitum recipiendæ.

Respondeo negando Minorem, & ad authoritates Diui Thomæ dico in primis, eum manifestè sibi repugnaturum, si locis illis negaret infinitam, seu quæ nunquam expleri posset creaturæ rationalis capacitatem, ad recipiendam gratiam: cùm eadem quæstione 29. de Veritate artic. 3. ad 3. illam manifestè admittat, dicens duplicem esse in creatura rationali capacitatem: vnam, ad naturalem perfectionem: & hanc finitam esse, & expleri posse: alteram, quam vocant obedientialem, secundùm quam potest creatura aliquid à Deo recipere, & hanc expleri non posse, quia quantumuis creatura à Deo

III. C

recipiat, manet tamen semper potens ad plus recipiendum. Cùm item eandem non minùs aperte admittat citatæ quæst. 24. artic. 7. dicens expresse habitum gratiæ non habere limitem ac terminum vltra quem non possit crescere seu intendi, vel ex parte efficientis, qui est Deus omnipotens, vel ex parte subiecti recipientis, quia capax est recipere maiorem & maiorem in infinitum.

Dico deinde ad singula obiecta nobis loca, in primo quidem ipsum docuisse Christi habitualem gratiam non potuisse crescere ex parte subiecti, at non defectu capacitatis per potentiam passiuam obedientialem susciptendi maiorem &

IV. D

maiorem in infinitum, sed ratione subiecti, nimirum Christi iam existentis in termino viæ quoad animam, seu in statu beatitudinis ac gloriæ: quo in statu creatura existens crescere de lege Dei ordinaria non potest in habituali gratia, sicut nec potest in gloria. Secundi autem loci sensum hunc ait esse Suarez in commentario illius articuli, Vasquez item disput. 47. cap. 4. animæ Christi capacitatem ad recipiendam gratiam dicit finitam, quia ipsa tam anima, quàm capacitas eius est res aliqua creata, & proinde secundùm essentiam seu entitatem finita: quo fit vt infinitam actu gratiam habere nequeat: cum qua finita hoc sensu eius capacitate stat simul actualis capacitas recipiendæ maioris ac maioris in infinitum.

Atque hoc ipso sensu dicit Diuus Thomas tertio illo loco quinobis obiicitur, capacitatem animæ Christi ad recipiendam habitualem gratiam esse finitam, vt ibidem Vasquez interpretatur: & cùm hinc concludit, posse à Deo fieri meliorem creaturam & maioris capacitatis, loquitur expresse de anima Christi non vt vnita Deo hypostaticè, sed ab eo separata, qua sanè sic spectata, nihil repugnaret dari animam aliam meliorem, seu sanctiorem, & per consequens maioris ad recipiendam gratiam capacitatis, per hanc capacitatem intelligendo non eam remotam quæ est propria passiuæ potentiæ obedientialis, quæ reipsa est in omnibus animabus æqualis, & ratione cuius quælibet ex iis capax est recipiendæ gratiæ maioris ac maioris in infinitum, sed illam proximam, qua dicitur subiectum aliquod esse melius dispositum ad formam aliquam recipiendam: quo etiam similiter sensu dixit articulo 7. quæstionis illius 24. vt rectè Caietanus exposuit §. *Ad tertiam autem.* crescente charitate, crescere habilitatem ad maius augmentum charitatis, non quòd crescente charitate crescat capacitas prædictæ potentiæ obedientialis, sed quia crescit proxima habilitas, seu dispositio ad augmentum illud recipiendum, eo quòd ipsum augmentum charitatis & sanctitatis per bona subinde opera, & ipsius habitus accretionem, optima dispositio est ad maius adhuc charitatis & gratiæ, seu sanctitatis, tam actualis, quàm habitualis incrementum suscipiendum.

V. VI.

Obiicies secundò, si posset habitualis Christi gratia ac sanctitas crescere, fore consequens, vt posset etiam Christus ipse fieri Deo gratior & sanctior quàm modo sit. Respondeo negando hoc consequens fore, tantùm enim eius humanitas per gratiam hypostaticæ cum diuinitate vnionis sancta fuit, & ipsi grata, vt nulla creata

VII. C

gratia, & sanctitate, siue habituali, siue actuali, siue finita actu, siue infinita, possit fieri gratior, & sanctior, cùm ab ipsa diuinitate formaliter accipiat, & longè eminentiori modo, quidquid sanctitatis accipere creatura aliqua potest à quacunque creata gratia, & sanctitate, & infinitè plus. Certum autem indicium quo dignoscimus plures formas sanctificantes in eodem simul existentes, sanctificare magis non intensiuè, sed extensiuè tantummodo, istud est, cùm ille, in quo sunt, non est ratione earum intensiore gloria, seu beatifica visione dignus, quàm si vnicam ex iis solùm haberet: nam si per illas simul sumptas fieret intensiuè sanctior, quàm per vnicam duntaxat, intensiore quoque gloria dignus fieret,

VIII. D

cùm intensiori sanctitati debeatur, & respondeat intensior gloria: vnde cùm Christi humanitas per quamcunque gratiam creatam non potuerit effici digna vlla gloria, qua non esset iam dignissima per deriuatam ex vnita sibi diuinitate sanctitatem, certum argumentum est, ipsam non potuisse reddi intensiuè sanctiorem per quamcunque ipsi superadditam gratiam creatam, siue actualem, siue habitualem.

Obiicies tertiò, si Christi gratia habitualis augeri potuit, fore consequens, Christum secun-

dùm humanitatem non fuisse plenum gratia, cõtra expressam D. Thomæ doctrinam citatæ quęstionis art. 9. & 10. in quibus asserit plenitudinem gratiæ in eo fuisse, imò plenitudinem hanc ei sõli propriam extitisse: contra item expressa Scripturæ testimonia, quibus plenus gratia sæpè dicitur. Respondeo negando consequens illud: nã
I. B. Virgo, cùm ab Angelo salutaretur, gratia plena vocata est, cuius tamen gratiæ postea per singulos dies maximum incrementum accepit. Et quidem quod ad Scripturam attinet, dum in ea quispiam plenus re aliqua, siue bona, siue mala dicitur, significatur tantùm magna rei illius siue bonæ siue malæ in eo abundantia, etsi non sit tanta, quin eius adhuc incrementum possit accipere: sic B. Virgo Lucæ 1. gratia plena dicta est: Actor. 4. Petrus *repletus Spiritù sancto*. Act. 5. principes sacerdotum & alij *repleti Zelo*, Lucæ 4. Iudæi verba Christi audientes *repleti ira*. Act. 6. Stephanus *plenus gratia & fortitudine*: vnde cùm habitualis gratia in Christo tam abundans fuerit, vt cuiusuis puræ creaturæ, imò potiùs omnium simul sumptarum gratiam plurimùm excesserit, meritò ea plenus fuisse dicitur, & hæc
II. plenitudo ipsi esse propria, cùm ad eam nulla vnquam pura creatura peruentura, aut etiam propiùs accessura sit.

Est & alia triplex ratio, ob quam plenus gratia meritò dici potest, & gratiæ plenitudo ipsi soli esse propria. Prima est, quia ipse solus omne genus gratiæ tam actualis quàm habitualis, tam creatæ, quàm increatæ habuit. Secũda, quia ipse solus per diuinitatem ita sanctificatus est, vt intensiuè sanctior nulla vi esse potuerit, cùm tamen nulla pura creatura tam sancta esse possit, quin absolutè possit fieri intensiuè sanctior. Tertia, quia in ipso solo per gratiam vnionis hypostaticæ habitat tota diuinitas corporaliter, vt loquitur Apostolus, tota autẽ diuinitas plenitudo diuinitatis ab eodem Apostolo ad Colosſ. 2. & à
III. D. Aug. epist. 59. semel procul à fine, bis autem epistola 57. circa finem nuncupatur.

Quod denique spectat ad secundum, negant communiter Theologi habitualem Christi gratiam aliquãdo auctam fuisse: & meritò sanè, quia cùm tota habitualis gratia quam vnquam habuit, data ei fuerit ratione hypostaticæ vnionis, hanc autem vnionem à primo suæ conceptionis momento habuerit, totam quoque habitualem gratiam quam vnquam habuit, ab eodem primo momento accepit: tum etiam quia creatura existens in termino gratiæ habitualis, qui est clara Dei visio, capax non est de lege Dei ordinaria gratiæ habitualis incrementi: sicut nec incrementi illius visionis, cuius profectò capax esset, si incrementi gratiæ illius esset capax, cùm maiori
IV. gratiæ & sanctitati habituali respondeat & reddatur à Deo maior gloria, seu visio beatifica: Christus autem à primo momento suæ conceptionis fuit in illo termino, cùm sanctissima eius anima tunc & postea deinceps clarè Deum viderit, & plenissimè beata fuerit.

Obiicies illud Lucæ 2. de Christo dictum: *Proficiebat ætate & gratia apud Deum, & homines*. Responsio D. Thomæ est quæst. 7. artic. 12. ad 3. Christum profeciſſe gratia apud Deum, & homines, non quòd eius gratia seu sanctitas incrementum aliquod acceperit, sed quòd exercebat in dies gratiæ & sanctitatis opera excellentiora, tam iudicio Dei quàm hominum, quibus operibus quotidie magis ac magis interioris ipsius gratiæ ac sanctitatis excellentia manifestabatur: quam huius loci expositionem tradiderunt nobis sancti Patres communiter, Nazianz. Athanas. Damas. Cyrill. Alex. Hieron. Bern. Cæ- V.
sarius, Vigilius, Euthymius, & Beda locis a Suare citatis in Comment. duodecimi illius articuli, & à Gab. Vasq. disput. 47. cap. 1.

DISPVTATIO XXIV.

De aliis gratiæ donis Christo collatis.

SECTIO PRIMA.

De virtutibus, & donis Spiritus sancti.

QVOAD virtutes, eæ sunt aut naturales, aut supernaturales: atque vt de his priore loco dicamus, sciendum est eas à Theologis diuidi in Theologicas, & eas quæ Theologicæ non sunt, sed purè morales, cuiusmodi sunt misericordia, iustitia, temperantia, fortitudo, & similes ex genere suo infusæ, eiusdem nominis cum aliis ex genere suo acquisitis: quas virtutes infusas dari, etsi non sit omnino certum, sicut certum est dari Theologicas, præsuppono tamen probabiliorem esse D. Thomæ, multorũmque aliorum Theologorum sententiam eas dari affirmantem. Iam quod attinet ad Theologicas, negat D. Thomas art. 3. & 4. q. 7. fidem & spem in Christo fuisse: negat enim tum hic tum alibi sæpè, nominatimque 1. 2. qu. 67. art. 3. & 4. & 2. 2. quæst. 18. art. 2. fidem ac spem VII.
esse in beatis, Christus autem à primo suæ conceptionis instanti fuit; & ex eius sententia, & ex rei veritate, quoad animam plenè beatus. qua de re nihil hîc dicam, cùm reuera Christi, & aliorum beatorum, quoad has virtutes, eadem ratio sit: vtrùm autem hæ sint in beatis admittendæ, 2. 2. tractans de fide & spe disput. 24. & 34. sect. 2. fusè dixerim. Quod spectat ad charitatem, constat ex dictis superiore disp. sect. 2. eam in Christo esse admittendam.

Nunc quod spectat ad virtutes supernaturales non Theologicas, sed purè morales, dubitandum non est, quin si aliquæ dantur eiusmodi virtutes, eæ omnes in Christo fuerint, & à primo conceptionis eius momento, iis exceptis quæ statui vel beatitudinis, vel vnionis hypostaticæ repugnant, aut non satis conueniunt, si quæ tamen huiusmodi sunt. Nam cùm illæ virtutes infusæ, ex omnium, qui eas admittunt, sententia, habitualẽ VIII.
gratiam sanctificantem perpetuò comitentur, in eoque omni reperiantur qui hac gratia prædituis est, eodémque puncto temporis quo hæc, illæ quoque ei simul infundantur, Christus autem a primo suæ conceptionis instanti habitualem illam gratiam habuerit, vt suprà ostensum est, sequitur eum & has ipsas habuisse illo ipso instanti virtutes, & quidem intensissimas, ac in summo gradu perfectionis, sicut & gratiam

habitualem, itavt illæ ſicut & hæc nullum vnquam in eo augmentum acceperint. Dixi, iis exceptis, &c. propter Pœnitentiæ virtutem, de qua inter Theologos controuerſia eſt, an in Chriſto admittenda ſit, quæ à me ſuo loco definietur, nempe hac 3. parte, Tractatu de pœnitentia ad

I. quæſtionem S. Doctoris 85.

Poſtremò quod attinet ad virtutes naturales, ſeu ex genere ſuo acquiſitas, ſentiendum eſt Chriſtum eas à primo momento ſuæ conceptionis ſibi diuinitus infuſas habuiſſe: ſunt enim ex tantæ perfectiones humanæ naturæ, nullam includentes imperfectionem, ratione cuius repugnent ſtatui beatitudinis, aut hypoſtaticæ vnionis, eúmve non deceant, vt D. Thomas quæſt. vnica de virtutibus art. 9. ad 7. eas eſſe maximum in genere humanorum bonorum bonum aſſerat: quas cùm prima parte quæſt. 95. art. 3. doceat datas fuiſſe primo noſtro parenti ſimul atque creatus eſt cùm virtutibus aliis ſupernaturalibus, facile eſt coniicere, an exiſtimarit Chriſto fuiſſe datas, ſimul atque conceptus eſt: cùm præſertim huic eæ debitæ eſſent ratione vnionis hy-

II. poſtaticæ, per quam fiebat iis omnibus digniſſimus: nec ad finem redẽptionis humanæ, propter quem Incarnatio facta fuit, neceſſaria eſſet earum tunc, aut conſequẽte tempore carentia, ſicut erat neceſſaria carentia gloriæ corporis, quã propterea gloriam tunc non accepit, cùm nihilominùs, ob eandem vnionem, ea digniſſimus eſſet.

Eſt & alia duplex ratio, propter quam ſentire debemus virtutes de quibus loquimur ei infuſas fuiſſe. Prima eſt, ne cogamur alioquin admittere in eius voluntate difficultatem circa bonum proprium virtutum illarum: imò vt contrariam ei facilitatem tribuamus, quam afferre, oppoſitámque difficultatem tollere proprium eſt illis virtutibus.

Secunda eſt, quòd ſicut humanitas Chriſti ſemper habuit omnes affectus & motus bene compoſitos, rectæque rationi ſubiectos, ita & prædictarum virtutum habitus, cùm per eos formaliter illi motus & affectus rite componantur, rectæque rationi ſubiiciantur. Et quamuis hanc

III. ſubiectionem facilitatémque habere aliter potuiſſet, nempe per Deum negatione ſui concurſus, aut aliter impedientem omnem iſtorum motuum inordinationem, tribuentémque efficaciſſima gratiæ ſuæ auxilia ad bene agendum: quia tamen vtraque tribuenda Chriſto eſt perfectiſſimo, quo haberi ab homine poteſt, modo, perfectius autẽ multò eſt eã habere ab intrinſeco phyſicè & permanenter, quod fit per prædictos habitus, quàm ſolùm ab extrinſeco, per Deum ſcilicet, eo quo dictum eſt pacto ſe gerentem: ideo habitus illi in eo admittendi ſunt, & quidem

IV. intenſiſſimi, ſummóque in gradu perfectionis, itavt nullum vnquam incrementum acceperint: quia non quælibet admittenda eſt in Chriſti humanitate circa bonum virtutis agendi facilitas, ſed ſumma & perfectiſſima: nec quælibet prædictorum motuum bona compoſitio, ſed optima & maxima: qualem conferre non poſſunt præfati habitus, niſi ſummè perfecti & intenſi.

Item quod ſpectat ad dona Spiritus ſancti, ea in Chriſto fuiſſe certum eſt ex his Iſaiæ cap. 11. verbis: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Quem locum de Chriſto communiter intelligũt præter Theologos & Scripturæ interpretes, plurimi quoque Patres, Origenes, Cyrillus, Athanaſius, Baſilius, Irenæus, Hilarius, Auguſtinus, Ambroſius, &

A Hieronymus locis à Gab. Vaſq. diſput. 44. cap. 1. & à Suare diſp. 20. ſect. 1. citatis: quorum ſeptem donorum quatuor ad intellectum pertinent, donum ſcilicet intellectus, ſapientiæ, ſcientiæ, & conſilij: tria alia ad voluntatem. Quoniam autem de iis ſiue quoad actum, ſiue quoad habitum ſpectatis, definire quid ſint, & quid tum inter ſeſe, tum ab actibus & habitibus virtutum tam intellectualium, quàm moralium differant, non eſt huius loci, ſed ad quæſt. 68. primæ ſecundæ, duo tantùm de iis dicam hîc breuiter, ad eorum in Chriſto exiſtentiam pertinentia. V.

Primum eſt, dona hæc omnia tam quoad actus, quàm quoad habitus in Chriſto fuiſſe, eo ſaltem tẽpore quo viator erat, & mortalem cum hominibus vitam agebat. Ita Theologi communiter, colligitúrque manifeſtè ex citatis Iſaiæ ver-

B bis, quæ de Chriſto vt dixi intelliguntur, & haud VI. dubiè pro eo ſaltem tempore quo viator erat. Cùm enim Propheta velit omnia hæc dona in eo tunc temporis fuiſſe, neceſſarium eſt vt velit fuiſſe, vel quoad habitus, vel quoad actus, vel quoad vtroſque ſimul: ſi tertium, habemus intentum: ſi ſecundum, fuerint etiam quoad habitus: tum quia non magis hi quàm illi vllam habebunt cum ſtatu beatitudinis aut vnionis hypoſtaticæ diſconuenientiam: tum quia ſi actus illi ſint in entitate ſupernaturales, neceſſarij ſunt proprij eorum habitus vt connaturaliter producantur: ſin autem naturales, etſi non neceſſariò requirant habitus, vt connaturaliter efficiãtur, potentia ſola ad id ſufficiente, requirunt tamen vt perfectiſſimo modo producantur, nimirum cum facilitate, qui modus agendi Chriſto

C tribuendus eſt, vt ex paulò antè dictis conſtat. VII.

Denique quia vel habitus illi ſunt diſtincti à virtutum tam intellectualium, quàm moralium habitibus, quod affirmat D. Thom. citata quæſt. 68. art. 1. vel diſtincti nõ ſunt: quod aſſerunt Scotus, Gabriel, Almainus, quos citat, & ſequitur Vaſq. tomo 1. in primam 2. diſp. 89. cap. 2. Si diſtincti ſunt, erunt vt & ibidem D. Thomas docet, habitus ſupernaturales, habitũ charitatis, & gratiæ perpetuò comitantes: qui proinde cùm in omnibus etiam puris creaturis hac gratia & charitate præditis exiſtant, exiſtent haud dubiè in Chriſto, qui ſemper illa fuit præditus: ſi diſtincti non ſunt, cùm Chriſtus habuerit à principio

D ſuæ cõceptionis omnium earum virtutum habitus, quarum proprios actus exercuit, aut exercere potuit, habuerit per conſequens dona illa quoad habitus, quia quoad actus habuit, quãdoquidem VIII. ſecundum ex trib. antè propoſitis dicitur. Quòd ſi primum ex iiſdem tribus dicatur, nulla eſt cauſa exiſtimandi non habuiſſe quoad actus, niſi defectum materiæ, ſeu obiecti circa quod proprij illorum habituum actus exercerentur, exerceri non potuerint: at tempore quo viator erat, materia illa, ſeu obiectum non defuit, vt ex iis quæ mox dicam, certiùs conſtabit.

Secundum eſt, eadem dona omnia in Chriſto permanſiſſe, & quoad habitus, & quoad actus,

eo etiam tempore quo viator amplius non fuit. Est contra Durandum in 3. dist. 34. qu. 3. concedentem quidem in cœlo dona illa omnia manere in beatis quoad habitus, negantem verò quatuor ex illis donis manere in iis posse quoad actus, defectu scilicet obiecti circa quod hi actus exerceantur: quatuor autem dona de quibus hoc negat, sunt, consilium, pietas, fortitudo, & timor. Probat autem ex eo quòd donum consilij est ad consultandum de dubiis: pietatis ad compatiendum proximo: fortitudinis ad pericula, & aduersa superanda: timoris, ad fugiendum malum imminens seu futurum: beatis autem in cœlo nihil imminet mali, nihil aduersi, aut periculi superandum, nullum obiicitur malum proximi cui compati possint, nullum denique est dubium de quo consultare opus habeant.

I.

Verùm his non obstantibus existimandum est quatuor illa dona in Christo mansisse etiam quoad actus, nec obiecta defuisse, circa quæ exercerentur. Nam in primis ad consilium, quod est donum Spiritus sancti, nec requiritur dubitatio de re, vtrùm agenda sit, an non, vtrùm hoc potiùs quàm illo modo sit agenda, nec ad hoc definiendum aliqua cum inquisitione deliberatio, sed sufficit verum iudicium de rebus agendis: qui actus tam perfectus in Christo esse nunc potest, quàm vnquam fuerit. Deinde etsi donum pietatis circa proximorum miseriam versaretur, vt supponit Durandus, sicut nunc non desunt hominibus hanc vitam agentibus miseriæ, ob quas Christus in cœlo beatus ipsorum misereri potest, ita nec obiectum deest, circa quod proprius doni illius actus exerceatur.

II.

Nec refert, quòd Christus motum illum compassionis, seu doloris nunc sentire non possit, quem frequenter sentimus, dum proximi miseremur: sicut enim ad verum misericordiæ actum circa proximi malum non est necessarius ille compassionis, seu doloris motus, vt constat ex Deo, qui proprie est miserator, & misericors, nec tamen hunc doloris motum habere potest: ita nec ad miserendum proximis per donum pietatis, non est actus ille compassionis in Christo, aut aliis beatis necessarius. At cùm vt Suarez, & Vasquez locis citatis, & alij docent, hoc pietatis donum non spectet compassionem, miseriamve proximi, sed cultum religionis erga Deum, hic autem cultus perfectissimè semper in Christo manserit, mansit per consequens donum illud non modò quoad habitum, sed etiam quoad actum.

III.

Præterea quod attinet ad donum fortitudinis, licet nunc non possit Christus illum istius doni actum exercere, quem dum viator erat poterat, illum videlicet quo volebat efficaciter obiicere se periculis, & aduersis, eaque sustinere strenuè: quoniam tamen etiam nunc ita est affectus, vt paratus sit iterum subire pericula & mortem, si ita necesse esset, aut Dei voluntas ferret, hic autem voluntatis affectus est actus ad donum fortitudinis pertinens, propterea donum hoc quoad actum etiam in eo manere nunc existimandum est.

IV.

Quod denique sentiendum similiter est de dono timoris Dei, quia doni istius plures actus sunt, & hic inter cæteros ex D. Thoma quæst. 7. artic. 6. & secunda secundæ quæst. 19. art. 11. Caietano, & aliis recentioribus in illum art. 6. Magistro in 3. dist. 34. cap. vltimo, Bonau. ibidem art. 2. quæst. 3. & Alexandro 2. part. quæst. 118. memb. 3. art. 6. Hic, inquam, inter cæteros, qui est affectus reuerentiæ erga Dei maiestatem vt summè potentem infligere malum, qui affectus timor reuerentialis vocari solet, & rectè timor vocatur, licet nullius mali futuri fuga sit, cùm affectus reuerentiæ de Dei, aut alicuius alterius eminente potestate conceptus, etsi nullius mali fuga sit, timor, tremor, horror vocetur à Scripturis, & Patribus, vt videre est apud Suarem, & Vasquem suprà citatis disputationibus: quem etiam reuerentiæ affectum erga Dei maiestatem potentem infligere malum, D. Thomas articulo illo sexto, partim in corpore, partim in respons. ad 1. docet esse præcipuum ac primarium doni timoris actum: vnde cùm hic actus semper in Christo fuerit, nuncque sit, & quidem perfectissimus, ac multò perfectior quàm in aliis beatis, sicut & iis multò perfectiùs diuinam maiestatem cognoscit, hinc est, quòd Diuus Thomas non solùm in eo donum timoris admittit quoad actum, sed etiam ait, ideo dictum ab Isaia fuisse, futurum vt spiritu timoris Domini repleretur.

V.

SECTIO II.

De gratiis gratis datis.

VI.

HÆ nouem sunt: tres ad intellectum pertinentes, nempe prophetia, discretio spirituum, ac fides: quatuor ad sermonem, nimirum sermo sapientiæ, sermo scientiæ, genera linguarum, interpretatio sermonum: duæ ad operationem, gratia scilicet sanitatum, & operatio virtutum: quas omnes in Christo fuisse, & ex Diuo Augustino facile intelligitur epistola 57. dicente sub finem, sicut in capite omnes sensus, ita in Christo omnem gratiam vigere, & facta per singulas inductione satis constabit, prophetiæ gratia in locum vltimum reiecta, quia de ea paulò maior, quàm de cæteris videtur esse difficultas.

VII.

Quòd ergo ad discretionem spirituum attinet, hæc Christo non defuit, cùm sit posita in vi discernendi, ac diiudicandi inter motiones boni, ac mali spiritus, & in cognitione motionum istarum: quam vim, & cognitionem Christus procul dubio habuit, cùm thesauros omnes sapientiæ, & scientiæ Dei in se reconditos habuerit. Fides quoque in eo fuit, non quidem illa quæ virtus Theologica est, & essentialiter obscura, sed ea quæ vel significat eminentem mysteriorum nostræ fidei notitiam, per quam homo redditur idoneus ad alios de rebus ad fidem pertinentibus instruendos: vel indubitatum assensum quo quis certo existimat sibi diuinum auxilium ad patranda miracula non defuturum: quem assensum, quámque notitiam in Christo fuisse, sed euidentem, nulli dubium esse potest. Nec magis dubitari debet, quin sermo sapientiæ, & scientiæ in eo fuerit, cùm hæ gratiæ consistant in certa quadam

VIII.

facilitate, ac perfectione explicandi, persuadentiq; res fidei: prior quidem per rationes diuinas, & causas superiores: posterior verò per inferiores ex creaturis desumptas: tantam autem huius rei perficiendæ facilitatem, perfectionemque habuerit, vt propterea D. Petrus Ioan. 6. dixerit ei: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Et Lucas cap. 4. scripserit: *Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant ex ore ipsius.* Aduersarij quoque eius præ stupore dicerent Ioan. 7. *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.*

I. A

De gratia linguarum, quæ comprehendit notitiam variorum, aut omnium idiomatum, & præterea facultatem quandam iis vtendi, consistentem in certa quadam motione oris, guttu-
ris, & aliarum corporis partium ad formationem vocis necessariarum, non est dubitandum, quin in eo fuerit, cùm & mentem omnibus sapientiæ, & scientiæ Dei thesauris ornatam habuerit, & omnia membra corporis, ac organa formata perfectissimè. Qua gratia etsi non sit
II. vsus in concionibus, sed ea sola lingua qua Iudæi tunc temporis vtebantur: vnde donum linguarum visum est nouum, dum communicatum Apostolis fuisse die Pentecostes innotuit, videtur tamen aliquando vsus priuatim, vt dum priuata cum quibusdam Gentilibus colloquia habuit: vt eo etiam tempore, quo in Ægypto commoratus est. Quod non aduersatur D. Thomæ hîc quæst. 7. art. 7. ad 3. neganti Christum pluribus linguis vsum fuisse: vult enim tantùm non fuisse vsum, dum publicè ad populum verba faceret.

Iam verò de interpretatione sermonum, complectente, & veram intelligentiam Scripturarū, & facultatem eas interpretandi, seu veros ac reconditos earum sensus patefaciendi, aut etiam ipsas de vno idiomate in alterum transferendi seruato vero ipsarum sensu, tam certum est gra-
III. tiam illam in Christo fuisse, quàm clarum ex antè dictis est ipsum illam Scripturarum intelligentiam habuisse, & hanc cum cognitione linguarum omnium facultatem. De gratia autem sanitatum, & operatione virtutum, quæ vtraq. ad potestatem patrandi miracula pertinet, nihil opus est dicere, cùm pleni sint Euangeliorum libri restitutis toties ab illo sanitatibus, & tot aliis patratis ab ipso miraculis.

Restat prophetia, quam Abulensis quæst. 64. in cap. 11. Numer. negauit in Christo fuisse. Primò, quia prophetica futurorum cognitio obscura est, vt colligitur ex Apostolo primæ ad Corint. 13. obscura autem cognitio in Christo, qui semper Deum clarè vidit, non est admittenda. Secundò, quia si prophetica cognitio stare simul cum beatifica visione potest, beati omnes habentes futurorum cognitionem, Prophetæ dici debebunt, quod falsum est. Tertiò, quia Christus in cœlo nunc Propheta non est, & tamen retinet eam omnem futurorum cognitionem, quam in terris habuit: ergo nec tunc ratione cognitionis istius Propheta fuit. Verùm his non obstantibus affirmandum indubitanter est Christum fuisse vere Prophetam, sumpto Prophetæ nomine eo sensu quo sumit Abulensis, dum fuisse negat, pro eo scilicet qui res futuras, & absconditas, & naturaliter homini non cognoscibiles cognoscit, & prædicit, aut prædicere potest.

IV. D

Probatur autem primò ex Scriptura, in qua Christus Propheta appellatur, vt Deut. 18. *Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus.* Quem locum de Christo interpretantur D. Petrus, & Stephanus Actor. 3. & 7. Patres quoque communiter, inter cæteros D. Aug. Ambr. Cyril. Chrysost. Iustinus, Irenæus, Cyprianus, Clemens Alex. locis à Suare citatis disput. 21. sect. 1. Lucæ præterea 24. in quo sic discipuli Christi de ipso: *Fuit vir Propheta.* Imò ipse de seipso Matt. 13. *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Quibus locis Prophetæ nomen in alia quàm in prædicta sumi significatione, quæ vulgaris, & ordinaria est, nulla est ratio existimandi. Probatur secundò ex D. Aug. tract. 15. in Ioan. Ambr. serm. 8. in Psal. 118. & hæc huius Psalmi verba, *Particeps ego sum omnium.* Isidoro denique, vt alios omittam, lib. 7. originum, cap. de Filio Dei: qui Christum in prædicta significatione Prophetam appellant, vt clarissimum est ex eorū verbis, quæ
V. B referuntur partim à Suare disput. & sect. citatis, partim à Gabriele Vasquez ad artic. 8. septimæ quæstionis, in quo S. ipse Doctor idem sentit, & docet.

VI.

Probatur denique hac ratione, quòd nimirum si quid obstaret quo minùs Christus Propheta fuisset, maximè claritas cognitionis, qua futura, aliáque naturaliter homini viatori non cognoscibilia cognouit: at hæc obstare non potest: propterea quòd prophetica cognitio ex se propriaque sua ratione obscuritatem non postulat, aut includit, sed ab euidentia, & obscuritate abstrahit, potéstque nunc esse clara, nunc obscura: vt constat primùm ex S. Thoma citato articulo 8. ad 1. negante ænigmaticam cognitionem esse de ratione prophetiæ: & in corpore articuli docente ad propheticam cognitionem nihil aliud requiri, quàm supernaturalem cognitionem futurorum, aliarúmve rerum semotarum à cognitione hominum eo in statu, in
VII. C quo est ipse cognoscens. Præterea ex ipsa nominis etymologia, quam refert S. Doctor initio corporis, art. citati: dicitur enim Propheta quasi procul fans, aut videns, in quantum scilicet, vt addit, cognoscit, & loquitur ea quæ procul sunt ab hominum sensibus: quod, vt per se patet, ab euidēti & obscura cognitione abstrahit.

Denique ex eo quòd nemo negaret eum verè Prophetam esse, qui nunc mortalis inter mortales viuens verè annuntiaret absentia, & loco maximè diffita, aut longo pòst tempore futura: vel præsentes, sed latentes alienas in corde cogitationes, etsi eas res euidenter intueretur: & meritò sanè, cùm intueri res istas clarè, eásque ideo prædicere, nihil imminuat
VIII. D dignitatem prædictionis, quæ de ratione prophetiæ est, adeóque ipsam prophetiam, imò potiùs augeat. Omitto huius doctrinæ confirmationem petitam ex sancto Augustino lib. 5. de Ciuitate, cap. 9. vocante prophetiam luce clariorem: videtur enim nihil aliud velle, quàm dari prophetiam esse luce clarius, cùm præsertim omnem prophetiam luce clariorem appellet, si appellat aliquam, certum autem sit non omnem claram esse: aliquam obscuram esse, & ænigmaticam.

Hinc patet falsum esse quod in primo, pro sententia Abulensis, argumento dicitur, propheticam futurorum cognitionem, obscuritatem includere: & ad Apostoli locum in illius argumenti confirmationem citatum dico, ex eo solùm posse colligi, prophetiam quæ in puris hominibus est, esse ordinarie obscuram, ex eáque parte esse destruendam in cœlo, qua obscura est: de ea enim sola quæ in iis est loquitur, vt facilè colligitur ex his eius verbis, *Ex parte prophetamus*, non autem de ea quæ fuit in Christo Domino. I.

Ad secundum respondeo propheticam futurorum cognitionem stare posse cum beatifica Dei visione, dummodo, qui visionem hanc habet, simul viator sit, saltem quoad corpus, qualis erat Christus, dum hîc mortalis inter homines viueret, & quales non sunt in cœlo beati.

Ad tertium dico Christum retinentem nunc in cœlo eam omnem futurorum cognitionem, quam in terris habuit, non esse nunc Prophetam, cùm in terris esset, quia nunc nullo modo viator est, tunc autem erat: ad prophetiam autem non sufficit quæcunque supernaturalis, & infusa futurorum cognitio, sed præterea ex parte subiecti requiritur, vt is in quo est, viator sit: vt expresè docet D. Thom. ad finem corporis, art. 8. suprà citati: & ratio est, quòd prophetia, vt paulo ante dixi, sit cognitio rerum semotarum à cognitione hominum in eo statu existentium in quo est ipse cognoscens, cuiusmodi est status viæ, non item patriæ: nam à statu viæ semota est futurorum, & aliarum similium rerum certa cognitio, à statu patriæ non item. II.

Superest hîc vnum de his gratiis gratis datis obseruandum, nimirum eas in Christo fuisse, non tantùm per modum actus, & transeunter, quo solùm modo sunt frequenter in hominibus, sed etiam per modum habitus, seu permanenter, itavt illis vti posset quandocunque, & vbicunque vellet: dum autem dico fuisse per modum habitus, nolo significare, singulis gratiis respondere singulos, & peculiares habitus: hoc enim falsum est: imò falsum est aliquas ex iis habere vllos sibi respondentes habitus, nam gratia sanitatum, & operatio virtutum nullum postulant habitum in operante virtutes, & sanitates, sed solam eius potentiam obedientialem actiuam, adiutam speciali Dei influxu: at genera linguarum, verbi causa, & interpretatio sermonum ad eundem habitum spectant, nempe ad scientiam, quæ, & qualis in Christo fuerit, ex proximè instituendis circa sequentes quatuor D. Thomæ quæstiones disputationibus constabit. III.

SECTIO III. IV.

De gratia capitis.

DE hac gratia quinque quæri possunt. Primum est, an hæc in Christo fuerit? Sed affirmatiua pars extra controuersiam est, constatque ex eo quod admittendum in eo est donum aliquod gratiæ, per quod obtinet rationem dignitatémque capitis respectu aliorum saltem hominum: per gratiam autem capitis aliud nihil quam donum istud intelligitur. Et sanè cùm vna quidem ex parte de fide sit, vt ex infrà dicendis manifestè constabit, Christum non tantùm vt Deum, sed etiam vt hominem obtinere capitis rationem illam & dignitatem, idemque certò constet ex omnibus mox referendis conditionibus ad eam requisitis: ex altera verò clarum sit eius humanitati non potuisse conuenire illam capitis dignitatem, ratione præcisè ipsius humanitatis, cùm sic spectata eiusdem prorsus esset cum nostra, naturæ, & aliunde non potuisse, quàm ex gratuito Dei dono, hoc autem donum sit ipsa gratia capitis, sequitur hanc ei etiam vt homini gratiam esse concedendam. A V.

Conditiones autem ad rationem, dignitatémque capitis de quo loquimur necessariò requisitæ, sunt vt summùm hæ tres, art. 1. quæstionis 8. à S. Thoma recensitæ. Prima, vt quemadmodùm physicum & naturale caput hominis pars totius corporis suprema est, ita qui mysticum & morale caput aliorum est, ipsis dignitate aliqua superemineat: quod humanitati Christi euectæ ad hypostaticam vsque cum Deo vnionem, cæterisque omnibus gratiæ, & gloriæ donis super omnes creaturas tantopere eminenti conuenire clarissimum est. Secunda, vt quemadmodùm vigent in capite omnes sensus tam interni, quàm externi, cùm in cæteris membris vnus tantùm vigeat tactus, ita in eo qui caput aliorum dicitur, omnia gratiæ dona vigeant, & plenius quàm in iis quorum caput est: quod humanitati Christi conuenire, ex dictis certissimum est. Tertia, vt quemadmodùm caput virtutem habet influendi in cætera membra corporis cuius caput est, ita similiter ille, qui caput aliquorum dicitur, vim aliquam in eos tanquam in membra influendi habeat: quam vim obtinere Christum vt hominem tam certum est ex doctrina suprà tradita, quàm ipsum, vt hominem, satisfacere, & mereri gratiæ dona pro aliis, hæcque reipsa in eos per opera sua satisfactoria & meritoria influere. B VI. C VII.

Requirit præterea Durandus in 3. dist. 13. quæst. 2. duas alias ad rationem capitis conditiones: quarum prima est, vt caput sit consubstantiale membris: secunda, vt membra sint vnita capiti, vt hoc in illa possit influere. Sed prima ad rationem capitis moralis, ac metaphorici non requiritur: tum quia *Deus* primæ ad Corinth. 11. dicitur *caput Christi*, non vt Dei, cùm caput, vt sic, eminentiam super eum importet cuius caput dicitur, sed vt hominis: cui tamen vt homini non est consubstantialis: tum quia Christus est caput Angelorum, vt postea ostendemus, nec tantùm vt Deus, sed etiam vt homo: quibus tamen non est consubstantialis, vel vt homo, vel vt Deus. Secunda verò etsi requiratur ad certos illius capitis influxus, vt ad influendam gloriam, qui influxus præsupponit eum in quem illam influit, vnitum ei esse per gratiam sanctificantem, minimè tamen ad omnes requiritur. Nam ad primum primæ gratiæ influxum requiri non potest, cùm omnis hominum tanquam membrorum cum Christo vt capite vnio fiat formaliter per aliquod gratiæ donum, quod in ipsos influxit: primum autem primæ gratiæ influxum nulla prior possit antecedere. D VIII.

SECTIO IV.

Secundum proponitur, & explicatur.

I. SECVNDVM est, quorum sit caput? Dicendum primò esse caput Ecclesiæ militantis. Assertio de fide est: ad Ephesios enim cap. 1. dicitur, *ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam:* quod & habetur cap. 5. eiusdem epistolæ, & ad Colossenses 1. quibus locis vel de omni hominum Ecclesia tam militante, quàm triumphante sermo est, vel de illa saltem priore, vt omnes tam Patres quàm locorum illorum interpretes consentiunt: sermo item est de Christo vt homine, ex eorumdem consensu: quem etiam vt hominem habere omnes necessarias ad rationem capitis, respectu militantis Ecclesiæ, conditiones, ex iis paulò antè recensitis est euidens, nominatimque de tertia omnium præcipua clarissimum ex eo est, quòd in eam influendi non solùm virtutem habet, sed etiam exercet assiduè, in eam in-

II. fluendo continuè dona omnia gratiæ quibus abundat.

Oppones D. Augustinum lib. primi de Trinit. cap. 12. dicentem Christum, secundùm quod est homo, non dare nobis Spiritum sanctum: quem sanè secundùm quod homo est, daret, si secundùm humanitatem suam gratiam in nos, ac præsertim sanctificantem influeret, quæ cùm datur, dari dicitur Spiritus sanctus. Ad id à se sibi obiectum rectè respondet S. Doctor quæst. 8. art. 1. ad 1. non dare authoritate proprtia causæ principalis, sed deriuata duntaxat ab hac causa, quæ est diuinitas. Aliter etiam respondet Vasq. in comment. huius articuli, aitque S. Augustinum videri solùm velle Christum vt hominem non dare nobis Spiritum sanctum ea donatione, quæ eiusdem Spiritus sancti missio est: quem sanè mittere Christus vt homo non potest,

III. cùm ab eo vt homine non procedat æterna illa processione, quæ personæ Spiritus sancti propria est: quod genus donationis ipsius sancti Spiritus ad rationem capitis necessariũ non est.

Cuius responsionis occasionem, vt opinor, sumpsit ex verbis quibus ibidem idem S. Pater de missione Spiritus sancti per Patrem & Filium disertè loquitur. Melior tamen est S. Thomæ responsio, quia S. Augustinus illo capite non habet verba quibus obiectio nititur, eatenúsque solùm eorum sensum indicat, quatenus ait Christum secundùm formam Dei iustificare quos iustificat; quos etiam haud dubiè secundùm formam serui iustificat, cùm iustificet ex meritis suæ passionis, & mortis, sed vt instrumentum Dei, qui iustificat authoritate propria, & vt

IV. causa principalis. Quare meliùs obiici potuisset quod ait idem S. August. lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Propter hoc, & ipse Dominus Iesus Spiritum sanctum non solùm dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo.* & infrà. *In eo etiam quod de illo scriptum est, quod acceperit à Patre promissionem Spiritus sancti, & effuderit, vtraque natura monstrata est, humana scilicet & diuina: accepit quippe vt homo: effudit vt Deus.* Sed obiicienti id fuisset respondendum quod ex sancto Thoma diximus.

Dicendum secundò ipsum quoque vt hominem esse caput Ecclesiæ triumphantis ex hominibus conflatæ: ipsi enim sic spectato nulla respectu Ecclesiæ huius deest conditio requisita ad rationem capitis: vt inductione per omnes patet. Et sanè etsi quinque relatæ omnes necessariæ dicantur, nulla est de qua dubitari possit, nisi forte tertia: at de hac dubitandum non est. Vt enim in beatos homines, Ecclesiam illam triumphantem conflantes habere capitis influxum dicatur, satis est, quòd in eos omnes & singulos influxerit dona gratiæ, & gloriæ, hæcque dona nunc retineant, & in æternum retenturi sint vi meritorum eius, ac proinde influxus quo ea semel in ipsos influxit. Ex quo patet esse etiam caput animarum quæ Purgatorio detinentur.

Quòd si quæras, vtrùm sicut Christus quà homo dicitur caput Ecclesiæ tam triumphantis quàm militantis, ita possit dici membrum eiusdem, quæstio de nomine est, & parui momenti. Cuius affirmantem partem amplectuntur Altisiod. lib. 3. tract. 1. cap. 4. & nonnulli alij, dicentes duobus modis accipi Ecclesiam posse. Primo, pro tota congregatione fidelium sine capite, sícque Christum eius caput esse, non membrum. Secundo pro tota eorundem congregatione cum capite, & sic ipsum eius membrum esse: sicut caput naturale hominis membrum est humani corporis, sumpto corpore pro tota collectione membrorum cum capite. Negantem autem sequuntur Vasquez, Suarez, & alij recentiores ad art. 1. quæstionis 8. imò ipse D. Thom. in tertio distinct. 13. quæst. 2. artic. 1. ad vltimum, licet alibi priorem illam affirmantem sit amplexus, eo quòd nomine membri absolutè, & sine addito positi significari dicunt imperfectionem quandam Christo repugnantem, nempe dependentiam eius aliquam à reliquo corpore, seu virtutis alicuius ab ipso participationem: quam ob causam naturale caput animalis rectè membrum dicitur: quæ dependentia, seu participatio Christo etiam vt homini non conuenit, cùm nihil gratiæ ac virtutis in eum ab Ecclesia deriuetur, sed è contrario quidquid hæc habet gratiæ, habeat ab eo deriuatum.

Quam dependentiam seu participationem membri nomine significari negare debent prioris sententiæ authores, & dicere, vt reipsa dicunt, membrum, vt membrum, significare tantummodo vnum ex componentibus, & integrantibus corpus, siue quidpiam ab ipso participet, siue nihil. Cæterùm prior illa sententia non potest validè probari illis Apostoli verbis 1. ad Corinth. 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*: per quod membrum quidam Christum ipsum intelligunt, sed malè, vt rectè ostendit Vasquez disputat. 48. cap. 1. fusè & pulchrè locum hunc explicans, malè inquam, etiamsi iuxta quosdam codices Græcos legamus ἓν μέλος, id est, de membro, non autem prout alij codices Græci habent, ἐκ μέρους, id est, ex parte: qua ex lectione nihil pro illa sententia concludi posse certum est, & ex prædicta loci illius explicatione perspicuum.

Dicendum tertiò, Christum vt hominem esse caput omnium hominum viatorum. Ratio eadẽ

V. VI. VII. VIII.

est, quòd nulla scilicet ei vt homini desit conditio necessaria ad iustionem capitis respectu eorum obtinendam. Nam si quæ deest respectu saltem aliquorum, maximè tertia, at non deest: omnes enim illi sunt aut adulti, aut infantes: in adultos autem tam infideles quàm fideles, non
I. modò virtutem habet influendi dona gratiæ, A V.
sed etiam reipsa influit: in fideles quidem, fidem saltem: in infideles autem, gratias actuales ad peccata vitanda, & benè moraliter operandum: in infantes verò qui à peccato originali purgantur, gratiam qua purgantur influit: at in illos qui in peccato isto moriuntur, siue sacramentum, aliúdve remedium applicari iis potuerit, per quod applicatum ab eo purgarentur, siue non potuerit, quamuis actu nihil influat gratiæ, de se tamen virtutem influendi habet, & reipsa quantum ex se est, influit, cùm quantum ex se est sufficienter eos redemerit, & in omnium hominum, ac proinde etiam ipsorum salutem, sacramenta aliave remedia instituerit,
II. per quæ ipsis applicata, gratiam consequi potuerunt, quæque si ipsis applicata non sunt, non oritur ex aliquo eius defectu, sed causarum secundarum, vel naturalium, vel moralium, nempe hominum, qui cùm ea possent illis applicare, non applicant. B VI.

Aduerte autem quòd etsi Christus sit caput omnium hominum viatorum, non tamen pro quocunque statu quo viatores extiterunt. Nam primi nostri parentes viatores erant etiam in statu innocentiæ, pro quo tamen statu caput eorum Christus non est, nec fuit, cùm ex dictis ad art. 3. primæ quæstionis huius tertiæ partis, disp. 9. sectione præsertim vltima nihil gratiæ in eo statu in ipsos influxerit.

Dicendum quartò, Christum vt hominem non esse caput hominum damnatorum, siue infantium, siue adultorum, prout in statu damnationis sunt: nullum enim in eos prout existentes in
III. hoc statu influxum gratiæ habet, aut habere potest, cùm eos, vt in hoc statu existentes non redemerit, nec pro iisdem vt in hoc ipso statu existentibus satisfactiones suas & merita obtulerit. Quod non impedit quin eatenus dici possit eorum caput, quatenus ipsis dignitate etiam vt homo supereminet: & potestate, qua iisdem vt legitimus eorum Princeps imperare potest: quo etiam modo caput dæmonum est, & esse à D. Hieronymo in caput 1. epist. ad Ephes. magnis in commentariis non procul à fine, significatur.

Dicendum quintò, Christum eorum hominum quorum caput est, caput esse, & quantum ad animas, & quantum ad corpora. Ita D. Thom. quæst. 8. art. 2. Caietanus, Suarez, Vasq. & alij in hunc articulum. Et quidem quoad animas,
IV. nulla difficultas est, cùm in eas influat quidquid habent gratiæ, & hanc in eas influendi virtutem habeat, imò quantum ex se est in singulas & omnes eam influat, vt constat ex antè dictis. Quantum autem ad corpora, probat D. Thomas duplici ratione. Prima, quòd homo propter eius merita accipiat influxum gratiæ, per quem bene exteriùs operatur, aut operari potest: seu, vt loquitur Apostolus, exhibet, aut exhibere potest membra sua arma iustitiæ in sanctificationem: quæ ratio in solis adultis locum habet, vtpote qui soli capaces sunt huius influxus, sicut & bonorum operum. Secunda, quæ in omnibus tam infantibus quàm adultis locum habet, est, quòd propter eiusdem merita hi gratiam accipiunt, qua salutem consequuntur, aut consequi possunt, ac per consequens dotes glorioſi corporis: quas proinde tam secundariò saltem in illorum corpora influit, quàm primariò gratiam in eorundem animas: quam si actu in aliquas non influit, virtutem tamen influendi habet, & quantum ex se est, influit, vt ex paulò antè dictis notum est.

Dicendum sextò, eundem, vt hominem, esse caput beatorum Angelorum. Ita D. Thomas citatæ quæst. artic. 4. Theologique communiter, paucis exceptis, non quidem negantibus Christum vt hominem posse dici caput eorum ratione excellentiæ, qua ipsis supereminet; & potestatis imperandi, ac regendi quam in eosdem obtinet, sed ratione interioris influxus, quem ipsum in eos habere nullum dicunt. At quamuis in eos nullum habeat influxum gratiæ & gloriæ essentialis, vt pote quam ex eius meritis non habuerunt, nec habere potuerunt, cùm tota hac gratia & gloria fuerit posteriùs à Deo prædefinitus, vt constat ex dictis ad citatũ primæ quæst. art. 3. disput. nona, & ex dicendis disput. 47. ad quæst. 19. certiùs constabit: tamen habet alium influxum, & quidem interiorem, nempe illuminationum de multis occultis mysteriis quas ab ipso recipiunt: deinde gaudij accidentalis quo de reparatis, per ipsum, sociorum ruinis gaudent: qui in eos influxus adiunctus præsertim illi excellentiæ qua ipsis supereminet, & potestati quam in eos habet, sufficit vt verè ac propriè caput eorum dicatur esse, licet non tam perfectè quàm hominum, in quos gratiam & gloriam, & essentialem, & accidentalem influit.

Quam nostram doctrinam aliqui vt diuina
C etiam fide certam defendunt, nixi duobus Scripturæ testimoniis. Vno ad Coloss. 2. in quo dicitur Christus *Caput omnis Principatus, & Potestatis*, qui sunt duo Angelorum ordines. Sed rectè Vasq. ostendit disput. 48. cap. 3. Patres hoc de Christo vt homine nusquam intellexisse, sed vt Deo. Altero ex epist. ad Ephesios cap. 1. in quo sic Apostolus de Christo, vt homine, *Suscitans illum à mortuis, & constituens eum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, Potestatem, & Virtutem*. At cùm his verbis rectè concludatur Christum secundùm etiam humanitatem eminere dignitate, & gloria super omnes Angelos, non tamen in illos vllum influxum habere, ac proinde eorum caput esse, prout hîc de capite loquimur. Et dum
D verbis relatis addit de Christo idem Apostolus, *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, significat quidem ipsum vt hominem esse caput omnis Ecclesiæ, sed omnis Ecclesiæ nomine certum non est comprehendi ab ipso Ecclesiam conflatam ex beatis Angelis, imò triumphantem compositã ex beatis hominibus: & reipsa Theodoretus per omnem Ecclesiam intelligit Ecclesiam tam Iudæorum, quàm Gentilium, Ecclesiam Corinthiorum, Ephesiorum, & quascunque speciales hominum Ecclesias: quarum omnium collectiuè Christus caput est: quo modo

VII.

VIII.

loquutus est Apostolus ad Rom. vltimo, cùm dixit, *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.*

SECTIO V.

Tria reliqua proponuntur & explicantur.

I. TERTIVM est, an sicut Christus vt homo caput hominum est, tam quoad eorum corpora, quàm quoad animas, ita sit eorum caput tam quoad corpus suum, quàm quoad animam? Affirmat D. Thom. art. 2. quæst. 8. Caiet. Vasq. Suar. & alij recentiores in hunc articulum, & meritò sanè, cùm in eos, & quoad animam, & quoad corpus suum gratiæ dona influat: sicut enim ideo per animam suam hæc in eos dona influit, quia per eam opera exercuit quibus hæc eis dona meruit, & impetrauit: ita dici ideo debet eadem in eosdem dona per corpus suum influere, quòd hæc ipsis meruerit impetrarit-
II. que per opera quibus corpus eius cooperatum est. Christi enim meritum pro hominibus non in sola eius anima, sed in corpore pro salute nostra operante, & patiente, consummatum fuit: quam ob causam dicitur Apoc. cap. 1. ipse Chri-
B stus *lauisse nos à peccatis nostris in sanguine suo.* & primæ Petri 2. *peccata nostra in corpore suo pertulisse.* Verùm quoniam sicut hoc meritum, & istum proinde, de quo loquimur, influxum non habet Christi corpus, nisi minus principaliter, & secundariò, ac dependenter ab anima, cùm in eo præciso ab anima operante nullum intelligi meritum possit, è contrario autem possit in anima ab ipso operante præcisa, ideo Christus influit in homines dona gratiæ magis propriè, & primariò per animam, per corpus autem minùs proprie, & secundariò.

Adde quòd præter hunc modum quo Christi corpus influit gratiam in homines, est & alius quo eandem in eosdem influit, ille nimirum quo sub speciebus panis sacramentaliter existens
III. C ipsam in iis efficit: qui quidem influendi modus ab illo priore longè diuersus est, cum ille sit per modum meriti, ac proinde essentialiter ab anima dependens: iste non per modum meriti, sed instrumenti diuinitatis, quoad hoc ab anima independentis: vnde illum priorem non habuit, nec habere potuit in triduo mortis Christi, posteriorem istum potuit, & reipsa habuisset, si tunc consecratio panis facta fuisset, & susceptum sacramentum.

Quartum est, quænam sit illa gratia per quam Christus obtinet rationem illam & dignitatem capitis de qua loquimur? Respondeo esse gratiam hypostaticæ cum Deo vnionis: per illam enim gratiam obtinet hanc dignitatem capitis,
IV. per quam habet conditiones ad eam requisitas: talis autem est gratia prædictæ vnionis: per illam enim aliis dignitate & sanctitate supereminet infinitè: ratione eiusdem vigent in eo omnium dona gratiarum: potestque illis dona gratiæ sicut mereri de condigno, sic in eos meritoriè ea influere.
D

Quintum, an sit ita proprium Christi esse caput aliorum, vt alteri conuenire non possit? Respondeo, cùm ad proprie dictum caput non sufficiat eminentia dignitatis, sed præterea requiratur virtus influendi in eos, quorum quis caput dicitur, vt ex dictis constat, si de quacunque virtute influendi sermo sit, non est ita proprium Christo in alios influere, vt id aliis non conueniat: nam quantum ad influxum exterioris gubernationis, quisque suorum subditorum caput est: quantum item attinet ad interiorem influxum donorum etiam gratiæ per modum congrui meriti, pura creatura tam potest aliorum caput esse, quàm aliis hoc modo dona illa mereri: at si sermo sit de virtute influendi dona hæc in alios per modum condigni meriti, dicendum est Christo ita proprie conuenire aliorum caput esse, vt nulli alteri conueniat: nulli enim puræ creaturæ, sed soli vnitæ Deo hypostaticè genus hoc meriti conuenire posse, constat ex dictis quarta præsertim & sexta disputationibus. A V.

DISPVTATIO XXV.

De Christi beata scientia.

VI. AGIT de scientia Christi S. Doctor quatuor quæstionibus, nona scilicet, 10. 11. & 12. in nona quidem de ea in communi: in sequentibus verò de aliqua in particulari. Illius autem nonæ quæstionis art. 1. concludit in Christo præter diuinam increatamque scientiam, quæ ei secundùm diuinitatem conuenit, esse aliquam creatam & humanam, conuenientem eidem secundùm humanitatem. Quæ conclusio, nomine scientiæ fusè sumpto pro quacunque cognitione creata intellectuali, quo pacto se sumere declarat ipse expresse ad finem corporis articuli, de fide est: vt pote definita in 6. Synodo generali, quam idem ibidem citat, in Concilio item 5. Constantinop. collat. 8. can. 7. in Chalced. act. 5. Denique in Conciliis illis in quibus contra Monothelitas definitum est duplicem esse in Christo operationem, & affectum voluntatis, vnum
VII. diuinæ, alterum humanæ: non enim dubium, quin iidem Patres tam voluerint in eodem esse duplicem actum intellectionis, vnum diuini, alterum humani intellectus, quàm duplicem illum affectum voluntatis: ex quo etiam affectu humanæ voluntatis in Christo rectè & necessariò colligitur actus humanæ intellectionis, cùm hunc actum affectus ille naturaliter, & essentialiter præsupponat. Tribus aliis eiusdem nonæ quæstionis articulis concludit in Christo fuisse triplicem aliam scientiam creatam: beatam scilicet, infusam, & acquisitam: de beata tractat quæst. 10. de infusa, 11. 12. autem de acquisita.

Circa beatam tria solùm hîc dicenda habeo, nam cætera omnia ad eam pertinentia prima parte ad quæstionem 12. in Tract. de Deo multis disputationibus fusè explicata sunt. Primum
VIII. est, certissimum esse claram Dei visionem quam habet anima Christi esse quacunque alia cuiusuis alterius beati multò intensiorem: sicut eius sanctitas non modo increata, seu quam à diuinitate formaliter participat, sed etiam creata, seu quam habet ab habitu gratiæ creatæ sanctificantis, multò maior est sanctitate cuiusuis puræ creaturæ, vt constat ex supradictis. Imò sicut probabilissimum est hanc eius creatam sancti-

tatem, etiam si finita tantùm sit, esse maiorem sanctitate beatorum omnium qui sunt, & aliquando futuri sunt, non modò diuisiuè sumptorum, sed etiam collectiuè: ita consequenter probabilissimum est beatificam eiusdem visionem esse intensiorem visione eorundem omnium,
I. cùm hæc visio illi sanctitati adæquatè respondeat.

Secundum est, quoad creaturas quæ videntur, aut videri possunt in Verbo formaliter, & non tantùm causaliter, prout ad citatam primæ partis quæstionem disp. 18. explicatum est, existimandum primò esse eas omnes à Christo videri in Verbo formaliter quoad earum actualem existentiam, quæ reipsa existunt in aliqua differentia temporis præteriti, præsentis, aut futuri, iis solis exceptis, quæ ab ipso sic in Verbo videri non possunt, cuiusmodi sunt eæ, quæ aut ipsam Christi beatificam visionem pro obiecto habent, aut eam aliunde, vt natura priorem præsupponunt. Si quæ enim creaturæ quoad existentiam in Verbo videri formaliter possunt, vt
II. posse, ad citatam quæstionem disput. 19. probauimus, dubitandum non est quin Christus aliquas videat, cùm alij quoque beati aliquas videant: & si aliquas videt, nec dubitandum, quin omnes quas videre potest, videat, cùm in earum omnium licet infinitarum visione nulla repugnantia sit, vt ex ibidem dictis sequenti disput. intelligitur, & earum omnium visio Christi infinitæ sanctitati, & dignitati connaturaliter debita sit, vnde etiam D. Thomas hîc artic. 2. quæst. 10. dixit Christum in Verbo videre omnia quæ Deus scit, & videt scientia visionis quòd vt ad eandem primæ part. quæst. disput. 21. ex Caietano explicatum est, sic debet intelligi, vt videat ea omnia in Verbo, partim causaliter, partim formaliter: causaliter quidem ea, quæ videre formaliter in eo non potest, formaliter verò cætera omnia.

III. Existimandum secundò esse, omnes creaturas possibiles quæ ex essentia sua nec beatifica Christi visionem pro obiecto habent, nec eam aliunde tanquã natura priorem præsupponunt, à Christo videri in Verbo formaliter, quoad earum quidditatem seu essentiam possibilem, si earum omnium visio naturæ creatæ possibilis est, cũ si possibilis est, ipsi debita sit, ipsiúsque infinita sanctitas & maiestas à nobis exigat, vt eã omnem illi perfectionem tribuamus, quam commodè tribuere possumus, cuiusmodi est omnium illarum creaturarum visio in Verbo formaliter. Quòd si possibilis non est, sed tantùm est possibilis visio plurium ac plurium in infinitum, quòd has potiùs quàm illas videat, quòd tot non plures, aut pauciores in Dei determinantis voluntatem erit refundendum, sicut & quòd tantam habeat habitualem gratiam sanctificantem, gloriam animæ, & corporis potiùs quàm maiorem, aut minorem, suppositò quòd finitam tantùm habeat, in eiusdem voluntatem referendum est. Vtrùm autem illarum omnium creaturarum visio censenda sit possibilis, an impossibilis, ad præfatam primæ part. quæst. 12. disput. 20. definitum est.

IV. Tertium est, Christum beatificam Dei visionem habuisse à primo momento suæ conceptionis. Ita D. Thom. infrà quæst. 34. art. 4. omnésque Theologi communiter. Probatur autem primò ex D. Damasceno lib. 3. de fide cap. 22. in quo ait eos qui dicunt Christum accepisse verum in sapientia incrementum, consequenter negare vnionem hypostaticam factam fuisse à primo carnis ortu, seu conceptionis momento: *Nam si tunc*, inquit, *caro Deo Verbo vnita est, ac personalem cum eo identitatem habuit, quid tandem afferri potest, quin omnibus prorsùs sapientiæ gratiæque opibus affluxerit?* Qui sanè tunc non omnibus affluxisset, si præcipuo sapientiæ, & gratiæ creatæ dono, nempe beatifica Dei visione caruisset. Præterea authoritate Richardi de S. Victore lib. 2. de Emmanuele cap. 22. in quo sic loquitur: *Quod igitur accepturi sumus in vita futura, ille accepit in vita ista: quod nobis dabitur in consummatione, illi datum est ab hora conceptionis suæ: summæ itaque suauitatis butyrum, cuius participationem expectamus in nostra glorificatione, ipse accepit in ipso ingressu huius mortalis vitæ, nec nostro more ex parte, sed in omni plenitudine.*

V. Probatur etiam hac ratione. Christus ante mortem suam Deum clarè vidit: ergo & à primo conceptionis instanti. Consequentiæ bonitas patet ex eo quòd aut tunc vidit, aut postea: non potest autem dici postea, cùm nulla sit potior ratio temporis vnius quàm alterius; cùm præsertim visio beatifica non magis impediri potuerit infantili corpore, quàm passibili, vtpote quæ supra vtrumque corporis statum est, & à neutro statu dependet. Antecedens Suarez disputat. 25. sect. 1. probat efficaciter multis Scripturæ testimoniis, quæ apud ipsum videri poterunt, & inter cætera his Christi verbis Ioan. 12. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit:* id est, in beatitudine & gloria: hanc enim promittit sibi seruientibus: quo sensu cap. 14. idem ait Apostolis suis: *Vt vbi sum ego, & vos sitis.*

VI. Probat item ex gloria transfigurationis, quæ fuit signum latentis in anima gloriæ, ac beatificæ visionis, ex communi Patrum doctrina mysterium illud exponentium. Probat denique ex D. August. libro quarto de consensu Euangel. cap. vltimo, cuius ad finem cùm diceret, nullum mortalem hominem posse in hac vita videre Deum, addidit: *Qua maximè proprietate distat à cæteris homo, cuius susceptione Verbum caro factum est.* Monet autem ibidem rectè, doctrinam hanc licet certissimam, non ita tamen certam esse, vt de fide sit, quòd Scripturæ, quibus probatur, testimonia non ita clara sint, quin explicari absolutè alio modo possint, nec id ab Ecclesia sit perspicuè definitum, Patresque ac Theologi in ea doctrina consentientes, sic in ea consentiant, vt tamen dogma fidei esse non asserant.

VII. Probatur tertio ac postremò, eo quòd tota ratio ob quam humanitati Christi visionem beatificam contulit Deus, fuit gratia hypostaticæ vnionis eidem humanitati collata: quæ cùm collata sit primo momento conceptionis, tunc quoque collata fuerit illa visio: cùm præsertim eam differre in aliud tempus, nec necessarium esset, nec vtile ad finem Incarnationis, redemptionem scilicet humani generis: quomodo enim, non obstante illa visione, redemptionem hanc nostram mereri potuerit, ex infrà dicendis perspicuum erit. Quòd autem tota illam con-

ferendi ratio fuerit gratia hypostaticæ vnionis, ex eo constat, quòd nulla alia afferri ratio possit, nisi meritum Christi: vnde nullus reperitur, qui neget Christum habuisse illo momento gloriam animæ, seu visionem beatificam, qui non etiam dicat illi ob merita fuisse comparandam, & ob eadem fuisse ipsi à Deo collatam: at pro I. ratione non potest afferri Christi meritum: gloria enim siue animæ, siue corporis, quæ titulo meritorum datur, non nisi post hanc mortalem vitam redditur: Christo autem ante mortem, dum adhuc viator esset, data est animæ gloria, seu beatifica Dei visio, vt superiore argumento ostendimus.

Neque contra opponas primò grauissimam illam tristitiam quam in anima paulò ante mortem pertulit: hæc enim si argumentum est ipsum non habuisse à primo conceptionis momento visionem illam, argumentum quoque erit, non habuisse illo tempore, & ante tempus illud quo eam patiebatur: quod tamen ex dictis falsum est.

Neque opponas secundò hæc Scripturæ loca II. Lucæ 24. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Ioannis 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Et Isaiæ 53. in quo sic Pater æternus de Christo loquitur. *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur.* His enim similibúsque locis non agitur de gloria animæ, seu clara Dei visione, & de saturitate, seu gaudio gloriam hanc & visionem consequente: vnde colligi ex iis non potest, Christum ante mortem passionéque suam his bonis caruisse: sed duobus prioribus agitur de gloria corporis, quam reuera Christus non prius habuit, quàm a mortuis resurgeret. Postremo autem sermo est de exultatione, quam extra Verbum percepit de fructu suæ passionis, ac credentium multitudine, vnde & paulò ante habetur, *Si posuerit pro peccato animam suam,* III. *videbit semen longæuum.* Quibus sic breuiter circa quæstionem 9. & 10. expeditis, iam circa 11. & 12. de Christi infusa, & acquisita scientia copiosè dicendum.

DISPVTATIO XXVI.

De obiecto infusæ scientiæ Christi, seu de rebus per eam cognoscibilibus, & à Christo reipsa cognitis.

SECTIO PRIMA.

Vtrum eius obiecto res creatæ omnes tam supernaturales quam naturales diuisiuè saltem spectatæ comprehendantur? IV.

PRÆNOTANDVM primò, scientiam aliquam duobus modis dici infusam: primo per se, secundo per accidens: illa est quæ proprio eam habentis labore, & exercitatione acquiri non potest, sed ex se suáque natura postulat, vt à Deo infundatur: hæc verò, quæ cùm proprio eam habentis labore & exercitatione posset acquiri, ante hunc tamen eius laborem potest à Deo ipsi infundi, aut reipsa etiam infunditur: de sola illa priore hac disputatione agimus. Prænotandum secundò, priorem illam vniuersalissimè sumptam duas in A species diuidi posse: nempe in scientiam beatam, & in aliam per se infusam non beatam: illa est qua videtur intuitiuè Deus prout in se est: hæc verò qua sic non videtur: de hac sola quæ beata non est agimus: quam etiam solam intelligunt Theologi omnes, dum scientiæ per se infusæ nomen absolutè & sine addito vsurpant: hanc enim sic vsurpatam semper à beata distinguunt. His prænotatis, V.

Dicendum primò, sub obiecto scientiæ infusæ, de qua loquimur, comprehendi res omnes in entitate supernaturales, diuisiuè saltem acceptas. Probatur, eo quòd quælibet huiusmodi res seorsim sumpta cognosci quidditatiuè, prout in se est, potest, nec potest proprio labore, & exercitatione habentis cognitionem hanc, sed ex sola Dei infusione. Et quidem quamlibet huiusmodi rem posse cognosci quidditatiuè pro- B VI. vt in se est, certum est, cùm quælibet huiusmodi res tam habeat propriam suam entitatem, & essentiam ex se cognoscibilem, prout in se est, quàm quælibet res naturalis propriam suam habeat: nec ex eo quòd illa in entitate supernaturalis sit, fit vt ex se non sit, prout est in se, quidditatiuè cognoscibilis: tum quia Deus, qui est infinite superioris ordinis illis omnibus rebus in entitate supernaturalibus, nihilominus in se quidditatiuè ab intellectu creato cognoscibilis est, & reipsa sic à Beatis cognoscitur: tum quia inde tantùm fit, vt non sit quidditatiuè cognoscibilis quacunque cognitione quidditatiua, sed solùm ea quæ supernaturalis in entitate sit, sicut & res quæ cognoscitur: quod vltro concedimus, & verum est.

Quòd autem res illa cognosci, prout in se est, C VII. non possit nisi per infusionem Dei, certum est: tum quia quidditatiua cognitio rei in entitate supernaturalis, cùm sit eiusdem cum ista re ordinis, superat omnem vim naturalem cuiusuis naturæ creatæ cognoscentis, nec proinde proprio eius labore, seu naturalibus viribus acquiri potest: tum quia haberi illa cognitio non potest nisi Deo infundente supernaturale lumen, eleuans intellectum ad illam cognitionem supernaturalem efficiendam, & tribuéte propriam rei cognitæ supernaturalem impressam speciem, nisi fortè ipsa res quæ cognoscitur, concurrat ad sui cognitionem instar speciei.

Quòd autem diximus quamlibet rem in entitate supernaturalem cognosci quidditatiuè posse, & hanc cognitionem non nisi Deo infun- D VIII. dente posse haberi, intelligendum est, & de cognitione quidditatiua abstractiua, & de quidditatiua intuitiua: hanc enim, & illam rei illius cognitionem quidditatiuam haberi posse, constat ex eo quòd tam potest vtraque illa cognitione cognosci, quàm quælibet alia res naturalis, cùm tam illa res, quàm hæc in essentia sua, & entitate actualem existentiam non includat, possitque manere perpetuò in statu entitatis purè possibilis, & proinde cognosci quidditatiuè abstractiuè: & rursus tam illa quàm hæc possit

habere

habere existentiam actualem in aliqua differetia temporis, & proinde cognosci quidditatiuè intuitiuè: quòd autem hæc, & illa illius supernaturalis rei cognitió, non nisi Deo infundente, haberi possit, constat eadem ratione, qua id de cognitione quidditatiua vniuersim ostendimus.

I. At obiicies esse quasdam res in entitate supernaturales, quæ nequeunt quidditatiuè cognosci, nisi simul Deus intuitiuè cognoscatur, vt sunt clara Dei visio, species impressa eiusdem, lumen gloriæ, modus vnionis hypostaticæ cum Deo, fidei diuinæ assensus, quo creditur vel diuinarum personarum trinitas, vel Deum à beatis clarè videri: hunc autem per scientiam infusam cognosci intuitiuè non posse, sed per solam beatam: ergo nec illas res supernaturales posse per scientiam infusam quidditatiuè cognosci. Respondeo, si Maioris sensus sit, non posse sic cognosci prædictas res, nisi eadem numero cognitione qua sic cognoscuntur, simul quoque Deus intuitiuè videatur, falsam esse Maiorem: sicut enim sunt res prorsus à Deo diuersæ, sic diuersa prorsus ab eo cognitione cognosci quidditatiuè possunt: sin autem sensus sit, non posse sic cognosci, nisi simul intuitiuè Deus cognoscatur, diuersa licet numero & specie cognitione, Dico in primis, quòd etsi ita esset, prædictæ tamen res supernaturales per scientiam infusam cognoscerentur, licet simul per beatam clarè videretur Deus: non enim per hanc illæ cognoscerentur, quandoquidem non eadem numero cognitione qua Deus, sed diuersa cognoscerentur.

II. Dico secundò, falsam esse, etiam hoc posteriore sensu, Maiorem, quia necesse non est, vt quando quidditatiuè abstractiuè, aut etiam intuitiuè cernitur aliquid, quod ad aliud tanquam ad obiectum, aut terminum, aut causam habet essentialem, & transcendentalem ordinem, istud quoque aliud quidditatiuè abstractiuè, aut etiã intuitiuè cognoscatur, sed sufficit vt purè abstractiuè: alioqui nec vlla res creata posset ab Angelis naturaliter cognosci quidditatiuè, quin simul Deum similiter viderent, cùm quælibet res creata essentialem eiusmodi ordinem ad Deum, tanquam ad causam à qua pendet, habeat: nec accidens cognosci quidditatiuè posset, nisi simul cognita quidditatiuè substantia, ad quam dicit essentialem, & transcendentalem ordinem, quod certissimè falsum est.

III. Et quidem quod ad claram Dei visionem attinet, necesse non est, vt dum clarè ipsa videtur ab alio, simul quoque ab ipso clarè videatur Deus, qui est obiectum illius: tum quia non posset alioqui videri clarè clara vllius obiecti visio, quin simul & res visa per hanc claram visionem clarè videretur: tum quia clara Dei visio repræsentat Deum per modum speciei expressæ, sicut impressa per modum impressæ: necesse autem non est, clarè visa alicuius obiecti specie, siue impressa, siue expressa, videri clarè rem cuius species est: alioqui non posset Angelus clarè videre suas species, quin simul omnia suarum specierum obiecta clarè videret: sed sufficit clarè cognoscere speciem illam, aut esse claram ac formalem, & in actu secundo Dei, vel alterius obiecti sui repræsentationem, si de

IV. A expressa sermo sit, aut esse natura sua effectiuam claræ istius, ac formalis repræsentationis, si sermo sit de impressa: vnde patet quid in particulari dicendum sit de specie impressa Dei, quid item de lumine gloriæ, cuius, & illius speciei eadem quoad hoc ratio est: vtpote quod ex se suaque essentia nihil aliud est quam principium effectiuum claræ visionis Dei, ex parte intellectus videntis se tenens, cùm illa impressa species ex parte obiecti se teneat, illum eleuans, & corroborans ad claram illam Dei visionem eliciendam. V.

Quod autem spectat ad vnionem hypostaticam cum aliqua persona diuina, & illum fidei assensum, quo vel clarè Deum videri à beatis, vel diuinarum personarum trinitas creditur, vt hic actus, & illa vnio clarè videantur, sufficit clarè videre, & illam vnionem esse vinculum formaliter connectens naturam in qua est, cum persona aliqua diuina, tanquam extremum vnum cum altero: & hunc actum esse assensum, quo propter authoritatem Dei reuelantis tanquam obiectum formale clara Dei visio in beatis, vel personarum

VI. B trinitas in Deo, tanquam obiectum materiale, existere iudicatur: sufficit inquã hoc videre clarè, cùm hoc viso tota illius, & actus & vnionis essentia clarè videatur, vtpote quæ tota in eo quod dixi consistit. Vt autem clarè videatur vinculum formaliter connectẽs extrema duo, necesse non est extrema hæc simul clarè videri, alioqui clarè videri non posset modus vnionis inter animam rationalem, & materiam existens, non clarè visis his duobus extremis. Atque vt etiam clarè videatur assensus alicui propositioni, siue per fidem diuinam, siue aliter datus, necesse nõn est clarè videri obiectum eius, siue materiale, siue formale, alioqui non posset cognosci clarè, seu quidditatiuè alicuius hominis scientia siue actualis, siue habitualis, quin simul res scita, seu materiale eius obiectum, ac etiam formale quid-

VII. C ditatiuè cognosceretur.

Dicendum secundò, sub obiecto scientiæ infusæ comprehendi res omnes creatas in entitate naturales, diuisiuè saltem sumptas. Probatur, eo quod sicut nulla est eiusmodi res quæ non habeat suam propriam essentiam seu quidditatem, quæque non possit existere actu in rerum natura: ita nulla est quæ non possit tum quidditatiuè abstractiuè, tum quidditatiuè intuitiuè cognosci per certam quandam impressam sui speciem, quam nec cognoscentis intellectus fabricare sibi potest, nec ab obiectis accipere, sed à solo Deo infundente: cuiusmodi sunt species Angelicæ, & eæ, quæ animæ separatæ à Deo tribuuntur, per quas quidditatiuè cognoscunt ipsas substantias separatas, & immateriales, aliasque materia constantes ad hoc vniuersum pertinentes: quarum rerum scientia meritò per se infusa eo ipso dicitur, quo habetur per speciem, quam nec intellectus producere, nec ab obiectis accipere, sed à solo Deo infundente potest. Et certè si quæ res sunt merè naturales in entitate, quarum dari non possunt propriæ impressæ species, maximè cordium liberæ cogitationes, & futura contingentia: at futurorum, istorum, & illarum cogitationum dari posse proprias impressas species fusè probauimus tractantes de Angelis ad artic. 3. & 4.

VIII. D

quæst 57. primæ partis disp. 30. sect. 1. & 2. & disput. 34. quæ de Angelorum mutua loquutione est, quæque loquutio non nisi mediante propria cogitationum illarum impressâ specie fieri potest.

Ex qua doctrina ibi probata, hîc concludes, quòd cùm illæ cordium cogitationes antequam actu existant, sint de numero futurorum contingentium, cognosci possunt quidditatiuè intuitiuè non modò per illam impressam speciem reipsa iam in Angelis existentem per quam reipsa iam cognoscuntur, dum sibi mutuò colloquuntur, sed etiam per aliam ab ea longè diuersam: per illam nimirum, per quam cognoscitur quidditatiuè intuitiuè futurum contingens: quam quidem ab illa altera longè diuersam esse, ex duobus præsertim intelligitur.

I. A

Vnum est, quòd illa prior liberam alieni cordis cogitationem repræsentare intuitiuè non potest, nisi pro eo tempore quo actu præsens est, & quo præterea, vt citata proximè disputatione probaui, ab eo in quo est ad eum dirigitur per quem cognoscitur: at ista posterior illam eandem cordis cogitationem repræsentat intuitiuè, non modo cùm præsens actu est, sed etiam cùm futura, & præterita: imò vnâ & inuariatam efficit eius cognitionem, siue sit præsens, siue præterita, siue futura, vt illa altera, quam citaui, disputatione ostensum est: & vt efficiat, nullam prærequirit eius cuius propria cogitatio est directionem illius ad eum in quo istiusmodi species est: cùm hic vi eius possit eam cognoscere dum adhuc post multos annos futura est, ad eum autem non dirigatur ab eo in quo est, nisi eo tempore quo illa præsens est.

II. B

Alterum est, quòd illa prior impressa species tam naturalis in entitate est, quàm naturalis Angelis mutua ad inuicem colloqnutio est: at ista posterior supernaturalis in entitate est, sicut & prædicta quam efficit futuri contingentis cognitio, licet hoc futurum sit plerunque res in entitate merè naturalis, quæque producetur per agẽtis naturalis vim actiuam merè naturalem: quia nimirum ista cognitio, & impressa illa species nulli naturæ creatæ naturaliter debita esse potest, rámque supra ipsam est, & omnẽ eius naturalem cognoscendi vim, quàm soli Deo proprium est, posse naturaliter certa, & euidenti cognitione futura contingentia cognoscere: quod quidem illi soli proprium esse ad citatos primæ partis, in Tractatu de Angelis articulos disp. 19. probatum à nobis est.

III. C

Atque cùm ita de futuri contingentis ista cognitione, & specie sentiendum sit, secus omninò sentiendum est de cognitione & impressa specie repræsentante quidditatiuè quamcunque substãtiam creatam, siue completam, siue incompletam, siue materialem, siue spiritalem, etiam purè possibilem, seu quæ nec habet, nec habuit, nec vnquam habitura est actualem in rerum natura existentiam: omnis enim huiuscemodi rerum cognitio & species merè naturalis in entitate est. Nam sunt illæ res eiusdem prorsus ordinis cum substantiis tam materialibus, quàm spiritalibus actu existentibus in aliqua differentia temporis, & ad hoc vniuersum aliquo modo pertinentibus, vnde cùm harum quidditatiua cognitio, & species sit merè naturalis, & illarum erit.

IV. D

Nec refert, quòd istæ res non sint purè possibiles, sed actu aliquando existentes, & ad hoc vniuersum pertinentes, secus autem illæ aliæ: quoniam respectu rerum ipsarum merè per accidens est, quòd vel sint tantum purè possibiles, vel non sint, sed è contrario aliquando actu existentes: cùm id ex sola libera Dei voluntate pendeat, qui res quas existere fecit, & ad hoc vniuersum pertinere, potuit in perpetuum relinquere in statu entis purè possibilis, & contra, quas in hoc statu reliquit, potuit existentes facere, & ad hoc vniuersum pertinentes: quarum proinde actu existentium, & ad hoc vniuersum pertinentium, si propria species, & quidditatiua cognitio merè naturalis est, vtpote connaturaliter Angelis debita, nulla est creata substantia, cuius species, & cognitio quidditatiua non sit merè naturalis, cùm nulla sit quæ non possit esse connaturaliter ipsis debita, sicut nulla est quæ non possit fieri actu existens, & ad hoc vniuersum aliquo modo pertines: quòd autem aliquarum modo non sit eis debita connaturaliter, tam per accidens sit, quàm per accidens est, quòd eæ nunquam actualem existentiam in rerum natura habituræ sunt. V. VI.

Ex quo concluditur, falsum esse, quod nonnulli docent, prædictas substantias duplici specie, & cognitione repræsentari quidditatiuè posse: vna naturali, altera supernaturali: licet eadem cognitione nihil aliud præter ipsas repręsentetur, & he immediatè in seipsis, non autem in aliquo alio tanquam in medio cognito cognoscantur. Nam explicari non potest, vnde propria leonis, aut hominis, verbi causa, impressa species, & per hanc speciem producta cognitio, supernaturalis in entitate esse possit, & ex quo capite differre queat à naturali eiusdem impressa specie, & cognitione, cùm vtraq. idem omninò obiectum à quo specificatur, habeat: quo fit, vt vtraque, aut naturalis, aut supernaturalis esse debeat: sicut & dari non potest duplex virtus, vna naturalis, altera supernaturalis, circa idem obiectum materiale, ex eodem formali motiuo, cùm vtraque, si detur, idẽ obiectum à quo speciem sumit habeat, hincque fiat necessariò, vt vtraque sit in entitate aut naturalis, aut supernaturalis, vt in Tract. de fide disp. 11. fusè probatum est. VII.

Dixi, licet eadem cognitione &c. Nam si eadem numero cognitione qua cognosceretur homo, vel leo, vel alia creata substantia, cognosceretur simul aliqua res in entitate supernaturalis, ita vt hæc cognitio esset expressa, & immediata rerum istarum in seipsis repræsentatio, per vnicam eandemque propriam earum impressam speciem, species hæc, & illa per eam effecta cognitio esset in entitate supernaturalis: cùm res in entitate supernaturalis nullam aliam propriam sui speciem habere possit, quàm supernaturalem: nec alia quàm eiusdem ordinis, ac proinde supernaturalis, cognitione repræsentari quidditatiuè prout in se est. VIII.

Nec refert, quòd per cognitionem eandem, & speciem repræsentaretur quidditatiuè substantia aliqua creata, quæ ordinis merè naturalis est: hinc enim nõ fit, vt eius quidditatiua cognitio, & species non sit in entitate supernaturalis, sed vt sua ex ea tanquam ex causa supernaturalitatẽ non habeat, sed solùm ex altero partiali obiecto per eandem cognitionem & speciẽ repræsentato, quod in entitate supernaturale est: quemadmodum dũ

creaturæ meré naturales videntur in Verbo formaliter, eademque proinde numero visione qua Verbum ipsum, non fit quidditatiua earum cognitio naturalis, cùm sit eadem numero cum clara visione Verbi, quæ non potest non esse in entitate supernaturalis, sed solùm fit, vt suam ex
I. illis tanquam ex causa supernaturalitatem non habeat, sed ex solo Verbo, quod illius cognitionis obiectum partiale, & primarium est.

SECTIO II.

Vtrùm eiusdem obiecto res creatæ omnes tam supernaturales, quàm naturales, ac proinde omnes creaturæ possibiles, etiam collectiuè sumptæ comprehendantur?

COMPREHENDI, nemo probare melius, & efficacius meo iudicio potest, quàm ostendendo nihil esse repugnantiæ, quo minus res illæ omnes collectiuè sumptæ per scientiam infusam simul cognoscantur: id autem ostendi melius non posse arbitror, quàm refutatione præcipuarum rationum, quibus id ipsum repugnare nonII. nulli conantur euincere.

Prima petitur ex Scripturis & Patribus, qui Deum incomprehensibilem dicunt, qui tamen posset comprehendi, si omnes creaturę per ipsum possibiles collectim sumptæ possent per scientiã infusam simul cognosci: & reipsa comprehenderetur, si simul cognoscerentur: eius enim omnipotentia, quæ cum ipso idem à parte rei est, comprehenderetur: quia tunc aliqua potentia cõprehenditur, quando omnes eius effectus possibiles simul cognoscuntur. At in primis cùm ad alicuius potentiæ comprehensionem requiratur, vt vna eademque numero cognitione omnes eius effectus possibiles cognoscantur, quia alicuius potentiæ, seu obiecti comprehensio, vna numero cognitio est: non comprehendetur omnipotẽtia Dei, si creaturæ omnes possibiles, non eadem numIII. mero cognitione, sed diuersis numero finitis simul eodemque tempore per scientiam infusam elicitis cognoscantur: nihil autem videtur repugnare quo minùs sic per eam cognoscantur: cùm etsi omnium creaturarum possibilium collectiuè sumptarum species, & indiuidua nullo finito numero contineantur, genera tamen finita numero sint, nihilque repugnet, vna impressa specie & cognitione repræsentari species omnes sub vno genere contentas, omniaque specierum istarum indiuidua, alia alias omnes alterius generis, & sic finitis numero speciebus, & cognitionibus cognosci simul omnes creaturas possibiles.

Deinde ad alicuius potentiæ comprehensionem non sufficit omnes eius effectus possibiles vna eademque numero cognitione cognosci, sed
IV. præterea requiritur, vt illa ipsa cognitione cognoscatur quidditatiuè illa potentia: at licet vna eademque numero cognitione cognoscerentur per infusam scientiã omnes creaturæ possibiles, non tamen illa ipsa numero cognitione cognosceretur quidditatiuè omnipotentia diuina: per solam enim scientiam beatã sic cognosci potest.

Postremò, etsi creaturarum omnium possibilium per scientiam infusam vnico actu cognitio esset aliqua omnipotentiæ Dei comprehensio, hæc non repugnaret illi eius incomprehensibilitati, qua à Scripturis, & Patribus incomprehensibilis dicitur: si enim isti eius incomprehensibilitati non repugnat illa diuinæ omnipotentiæ comprehensio, qua omnes creaturæ possibiles in ea clarè visa, & tanquam in medio cognito, vno eodemque numero actu cognoscerentur, vt ostẽdi prima parte ad quæst. 12. in Tractatu de Deo, A disput. 20, multò minus ista, quæ longè inferior V. & imperfectior est, repugnabit.

Secunda petitur ex parte intellectus creati essentialiter finiti, qui proinde non videtur posse simul versari, siue vnico tantum actu, siue multis, circa res tam infinitas, quàm sunt omnes creaturæ possibiles collectiuè sumptæ. At cur id non posset intellectus creatus? Vtrùm quia res illæ infinitæ sunt, infinitate hac obstante ne simul cognosci possint, sicut & obstat ne simul possint existere? At in primis obstaret multò magis infinitas Dei, vt pote longè superioris ordinis, ne posset ipse ab intellectu creato clarè videri. Deinde obstaret quoque ne vlla multitudo rerum infinita posset ab intellectu creato simul cognosci: cùm tamen communis Theologorum doctrina sit Christum infinita per totam æternitatem futura, siue in Verbo, siue extra Verbum simul B VI. cognoscere: Angelum item vnica specie, & vnico actu posse cognoscere omnia simul vnius speciei indiuidua, nullo finito numero contenta. Obstaret denique quo minùs ipse Deus omnes creaturas possibiles posset simul cognoscere: cùm tamen certissimè cognoscat, & ita, vt cognoscendo videat ipsis omnibus simul sumptis repugnare, vt simul existant.

An potiùs quòd creatus intellectus, vt essentialiter finitus est, ita cognitione versari simul circa infinitum non potest, & præsertim tantum, quantum est omnium illarum creaturarum multitudo? At hinc fieret, vt Angelorum, & Christi finitus essentialiter intellectus non posset infinitam vllam simul multitudinem cognoscere, con-
C VII. tra ea quæ paulò ante diximus. Deinde fieret, vt multò minùs Deum clarè videre posset, cùm sit infinitus infinitate comprehendente in se eminenter omnem omnium creaturarum collectiuè sumptarum perfectionem, & infinitè maiorem, cùm tota earum perfectio sit quidpiam creatum, diuina autem & increata perfectio superet infinitè quamcunque creatam perfectionem. Et sanè si vt creatus intellectus simul cognosceret infinitum, præsertimque tantum, quantum est illud quod consurgit ex omnibus creaturis possibilibus simul acceptis, deberet esse infinitus, rectè sequeretur eum id minimè posse: at cùm id non sit necessarium, vt constat ex Deo infinito, & quidem dicta paulò ante infinitate, quem clarè, prout in se est, videt manens essentialiter finitus, nulla peti potest ex creati intellectus finitate repugnatia, quo minùs possit id de quo loquimur.

D VIII. Tertia ducitur ex parte habitus, seu luminis scientiæ infusæ, & impressæ speciei efficientis cognitionem omnium simul creaturarum possibilium, quorum quodlibet deberet esse actu, secundùm essentiam infinitum, vt earum omnium simul cognitionem vno præsertim actu posset efficere. At multò magis esse sic infinita deberent lumen gloriæ, & impressa Dei species, si daretur, cùm efficiant Dei actu infiniti, & quidem prædicta infinitate claram cognitionem, quæ tamen finita simpliciter sunt. Quare

sicut ad hoc vt impressa Dei species, & lumen
glòriæ possint efficere claram Dei cognitionem,
sufficit, vt hoc, & illa sint superioris ordinis quo-
cunque alio lumine, & impressa specie ad solam
creaturarum cognitionem concurrente: ita, vt
habitus seu lumen scientiæ infusæ, & impressa
I. aliqua species efficere possit omnium creatura- A V.
rum possibilium cognitionem, sufficit hanc, &
illud esse superioris ordinis quacunque alia im-
pressa specie, & lumine, quæ ex se non possent
earum omnium, sed tantum aliquarum ex iis, si-
ue finitarum, siue infinitarum, cognitionem ef-
ficere. Quod si quis plenius intelligere cupiat,
quomodo fieri possit, vt finita simpliciter non
modò secundùm essentiam, sed etiam graduum
intensionem species, finitumque similiter infusæ
scientiæ lumen efficere possit quidditatiuam il-
larum omnium creaturarum cognitionem, vi-
deat quæ diximus 4. parte tractantes de Deo, dis-
put. 20. sect. 4. in qua fusè ostendimus, quomo-
do fieri possit, vt lumen aliquod gloriæ finitum
tam secundùm essentiam, quàm graduum inten-
II. sionem earum omnium creaturarum quid- B VI.
ditatiuam in Verbo cognitionem efficiat, ni-
si aliunde hæc ipsarum cognitio sit impossi-
bilis.

Quarta petitur ex ipsa cognitione quæ debe-
ret esse infinitæ actu perfectionis secundùm es-
sentiam, ac saltem secundùm graduum intensio-
nem, vt esset omnium simul creaturarum pos-
sibilium quidditatiua cognitio: tum quia ad
cognoscendas quidditatiuè creaturas aliquas re-
quiritur aliqua cognitionis specifica perfectio,
aliqua etiam graduum intensio, & intellectus
attentio, & ad plures maior: ergo & ad omnes
possibiles, quæ sunt infinitæ, infinita: tum quia
cognitio creaturarum illarum omnium deberet
esse earum comprehensio: adæquare ergo debe-
ret actiua sua perfectione passiuam obiecti sui
III. cognoscibilitatem: non potest autem adæqua- C VII.
re, nisi infinita sit, cùm ista cognoscibilitas tam
sit infinita, quàm omnes creaturæ possibiles col-
lectiuè sumptæ sunt infinitæ, non modò secun-
dùm multitudinem, sed etiam secundùm specifi-
cam perfectionem, cùm nulla sit inter illas
tam perfecta essentialiter, qua non detur alia se-
cundùm essentiam perfectior in infinitum: tum
quia quæ non habent certum ac determinatum
gradum perfectionis essentialis cognosci ne-
queunt cognitione finitam & determinatam per-
fectionem habente, cùm cognitio speciem su-
mat ab obiecto, obiectum autem non certæ, ac
determinatæ perfectionis essentialis, cognitio-
ni, quæ circa illud versatur, dare non possit cer-
tam, ac determinatam perfectionem: cur enim
hanc daret potius quàm aliam maiorem? Crea-
turas autem omnes possibiles simul sumptas nul-
IV. lum habere certum ac determinatum gradum D VIII.
perfectionis essentialis, ex proximè ante dictis
clarum est: tum denique quia cùm possibilia om-
nia in nullo vniuoco gradu conueniant, non vi-
dentur posse vnica cognitione finita repræsen-
tari.

At falsum esse cognitionem omnium illarum
creaturarum debere esse infinitam, patet ex vi-
sione Dei, quæ tantò magis deberet esse infini-
ta, siue secundùm essentiam, siue gradus inten-
sionis, quanto Deus est omnibus illis creaturis
collectiuè sumptis perfectior. Patet etiam ex ante
dictis: si enim lumen infusæ scientiæ, & im-
pressa illarum omnium species infinita vel secun-
dùm essentiam, vel secundùm gradus intensio-
nis non debet esse, vt paulò antè diximus, certè
nec debet esse species expressa seu cognitio, cùm
finitum scientiæ lumen, & impressa species fi-
nita, non nisi finitam cognitionem possit effi-
cere.

Prima autem in contrarium allata probatio si
quid valeret, euinceret quoque claram Dei vi-
sionem debere esse actu infinitam, tam secundùm
essentiam, quàm graduum intensionem: quia
pari iure dici posset, & deberet, ad videndum
aliquod obiectum alicuius specificæ perfectio-
nis requiri cognitionis specificam aliquam per-
fectionem, aliquam quoque graduum intensio-
nem, & intellectus attentionem, & maiorem
ad videndum aliud obiectum secundùm speciem
perfectius, ergo infinitam ad Deum claræ viden-
dum, cùm sit hoc obiectum infinitæ actu secun-
dùm essentiam perfectionis. Quam ad primam
probationem qui vberiorem responsionem de-
siderabit, vt intelligat, quomodo fieri possit,
vt finita cognitio tam secùndùm essentiam, quàm
graduum intensionem repræsentare formaliter
possit omnes creaturas possibiles collectiuè sum-
ptas, videat quæ dixi prima parte, disputatione,
& sectione paulò antè citatis, vbi ostendi, quòd
etsi omnes creaturæ possibiles simul in Verbo
viderentur, finita tamen esset etiam secundùm
intensionem hæc earum omnium visio, & intel-
lectus ad eas omnes attentio.

Ad secundam dico in primis, negari meritò
posse, necessarium esse, vt quidditatiua omnium
possibilium creaturarum cognitio, earum quo-
que comprehensio sit: sicut necesse non est vt
quidditatiua, & clara Dei visio, sit eiusdem quo-
que comprehensio: vt item quidditatiua superi-
oris secundùm speciem Angeli per inferiorem
cognitio eiusdem sit comprehensio: cùm reue-
ra non sit, nec esse possit, vt Tractatu de Ange-
lis disput. 25. sect. 2. probatum est.

Deinde dico quidditatiuam illam creatura-
rum illarum omnium cognitionem fore com-
prehensiuam earundem omnium: vt enim sit,
satis est nullam ex iis esse cuius illa non sit com-
prehensiua: nam si cuiuslibet comprehensio est,
eadémque quæ vnius comprehensio est, est &
cuiusuis alterius comprehensio, profectò totius
illius multitudinis comprehensio est: sicut si est
cognitio cuiuslibet, eadémque quæ vnius cog-
nitio est, est & cuiusuis alterius cognitio, sa-
nè totius eiusdem multitudinis cognitio est: nul-
la autem esset in particulari creatura ex illis om-
nibus possibilibus, cuius illa earum omnium
quidditatiua cognitio non esset comprehensio:
quia nulla esset, cuius totam cognoscibilitatem
passiuam actiua sua perfectione non adæquaret,
imò superaret: nulla siquidem esset, quæ ex se
suæque naturæ dignitate postularet cognosci co-
gnitione tam perfecta secundùm essentiam, qua
perfecta esset cognitio illa de qua loquimur: quo-
niam nulla esset cuius passiua cognoscibilitatem
totam non posset non adæquare cognitio aliqua,
quæ nullius alterius rei quàm eius vnius cognitio
esset: illa autem omnium creaturarum possibi-
lium quidditatiua cognitio ista cognitione longè

esset secundùm speciem perfectior.

Postremò dico, quòd etsi ad comprehensiuam earum omnium collectiuè sumptarum cognitionem non sufficeret eam esse comprehensiuam cuiuslibet in particulari, sed oporteret etiam esse comprehensiuam omnium per modum vnius, I. quo modo sumptæ illæ omnes nullam certam ac determinatam perfectionem essentialem dicunt, cùm tamen dicat quælibet sumpta in particulari: posset nihilominus facilè defendi, illam earum omnium quidditatiuam cognitionem esse earundem comprehensiuam: quia facilè dici posset, cognitionem hanc esse non modò supernaturalis ordinis, sed tam alti, vt actiua sua perfectione totam earum cognoscibilitatem passiuam adæquet: eo quòd omnes eæ per modum vnius acceptæ non postulant ex se suæque naturæ merito ac dignitate cognosci cognitione perfectiore, quàm ista: sicut si viderentur omnes creaturæ possibiles in Verbo formaliter, visio hæc earum esset plusquàm comprehensiua ipsarum omnium collectiuè sumptarum per modum etiam vnius, II. quia earum sic sumptarum passiuam cognoscibilitatem totam non adæquaret modò, sed etiam excederet: eo quòd eæ omnes sic sumptæ non postulant ex se, suæque naturæ dignitate cognosci cognitione qua simul Verbum clarè videatur, nec proinde cognosci cognitione tam perfecta, quàm est ea qua clarè Verbum ipsum cernitur.

Non est enim existimandum, ad comprehensiuam alicuius obiecti cognitionem, requiri tantum perfectionis essentialis, & entitatiuæ in cognitione qua comprehendi dicitur, quantum est in obiecto, quod dicitur comprehendi, & per consequens quantum in passiua eius cognoscibilitate, cùm hæc sicut à parte rei non differt ab illo, sic non aliam habeat entitatiuam, & essentialem perfectionem, quàm ipsum habet: alioqui nullus Angelus seipsum comprehenderet: nullus item superior inferiorem: cùm haud III. dubiè substantia inferioris Angeli se cognoscentis, & à superiore cogniti, sit essentialiter, & entitatiuè multò perfectior cognitione qua se cognoscit, & qua à superiore cognoscitur.

Ad tertiam probationem respondeo primò, si vim aliquam haberet, habituram quoque ad concludendum in primis, non posse videri Deũ clarè lumine gloriæ, & visione finitis. Deinde actum charitatis, & quemcunque alium circa Deum vt obiectum, esse simpliciter infinitum, cùm Deus sit non certæ, & non determinatæ perfectionis, hique actus ab eo, sicut speciem suam, sic essentialem perfectionem accipiant. Denique nec posse cognosci omnes sub vno genere contentas species, nisi cognitione simpliciter infinita: quia eæ omnes collectiuè sumptæ nullam determinatam perfectionem specificam habent, IV. cùm qualibet data dari possit perfectior, & perfectior in infinitum.

Respondeo secundò, fore difficultatem aliquam in reddenda causa propter quam cognitio circa indeterminatæ perfectionis obiectum sumeret ab eo determinatam perfectionem potiùs quàm aliquam aliam maiorem, si cognitionis perfectio præexistere deberet in obiecto, vel formaliter, vel eminenter, & hoc illam ei tribuere in vero, ac proprio causæ præsertim efficientis genere: nunc verò nullam in eo difficultatem esse, eo quòd non ita res habeat, vt & inductione, & experientia, & omnium consensu certum est: & quilibet habitus, actus, potentia certam, ac determinatam perfectionem habens, illam talem habeat ex se, & natura sua, V. ideóque solùm ab obiecto speciem & perfectionem suam dicatur accipere, quòd ad illud ordinem habeat, soleatque pro eius diuersitate specifica, esse huius aut illius speciei, cæterisque paribus eò præstantior, quò illud est præstantius: quod impedire non potest, quo minùs certæ & determinatę perfectionis esse possit, etsi circa obiectum in perfectione indeterminatum versetur: vt constat exemplis luminis gloriæ, visionis beatificæ, aliorúmque habituum & actuum qui à Deo vt obiecto specificantur.

Ad postremam dico in primis, ex illa ratione fore consequens, non posse vna finita cognitione repræsentari omnes vnius generis species, & omnia vnius speciei indiuidua: hæc enim secundùm differentiam indiuiduantem con- VI. siderata, secundùm quam cognosci possunt, alioqui non cognoscerentur vt indiuidua: & illæ secundùm specificam spectatæ, secundùm quam nisi cognoscerentur, non cognoscerentur vt species, nullum gradum vniuocum communem habent: cùm à differentiis, siue specificis, siue indiuiduantibus, vt differentiæ sunt, nihil abstrahi possit vniuocum. Deinde dico, si quæ ratio esset, ob quam multa, quæ vnica cognitione cognoscuntur, conuenire deberent inter se se in gradu aliquo vniuoco, sanè quia sicut vna cognitione cognoscuntur, ita secundùm vnam rationem, in qua conueniant cognosci debent: at hæc ratio nulla est: alioqui non multa cognoscerentur, sed vnum tantùm, nempe illa vna ratio quæ est multis vniuocè communis: multa autem vt multa, id est, se- VII. cundùm id quo multa sunt, & inter se non conueniunt, sed differunt, posse vnico cognitionis actu cognosci, nulli Theologo dubium est, & ex communi Theologorum doctrina de speciebus Angelicis, quarum aliæ aliis sunt vniuersaliores, quam in Tractatu de Angelis, disputatione vigesima tertia defendimus, clarum est.

Restat hîc vnum aduertendum, nimirum quod hîc dixi, nihil videri repugnare per infusam scientiam cognosci simul omnes creaturas possibiles, vel vnica numero cognitione, vel pluribus, sed numero finitis, intelligendum esse de omnibus creaturis nulla excepta, supposito quòd alicuius obiecti cognitio possit etiam sui ipsius esse cognitio, & per consequens earum quoque cognitionum, quæ in eam tanquam in obiectum ferri possunt. At VIII. supposita contraria sententia, intelligendum esse de iisdem omnibus, iis exceptis, quæ vel sunt ipsa cognitio, vel eam vt obiectum, & tanquam quid natura priùs præsupponunt: quo pariter modo dixi illo primæ partis loco intelligendum esse quod ibidem defendi, nimirum nihil videri repugnare, quo minus omnes creaturæ possibiles simul in Verbo formaliter videri valeant.

SECTIO III.

Vtrùm eiusdem scientiæ infusæ obiecto Deus contineatur?

CONTINERI certa quadam consideratione, non contineri alia, censeo, & asse-
I. ro: non contineri quidem, quatenus per illam scientiam cognosci quidditatiuè non potest: contineri verò, quatenus per eandem euidenter purè abstractiuè cognosci potest quòd existat, non modo vnus in natura, sed etiam trinus in personis. Et quidem quòd per scientiam hanc non possit quidditatiuè cognosci, constat ex eo quod nulla Dei cognitio quidditatiua esse potest, quæ non simul intuitiua sit, vt prima parte ad quæst. 12. disput. 6. probatum est: omnis autem intuitiua Dei visio sicut beatifica est, ita per solam scientiam beatam haberi potest. Quod autem per eam possit euidenter cognosci existentia ipsius, vt vnius in natura, hinc patet, quòd per scientiam infusam quidditatiuè videntur creaturæ: ex iis autem
II. sic visis non potest non cognosci euidenter esse aliquod vnum primum ens à quo pendent, à nullo dependens, sed à se, & proinde vnum Deum existere, vt probaui in Tractatu de Angelis ad art. 3. quæst. 56. disput. 26.

Quòd denique per eandem cognosci possit euidenter purè abstractiuè existentia mysterij Trinitatis, defendit Suarez disput. 17. sect. 5. Caiet. aliique multi quos citat. Probatur autem, eo quòd quædam sunt res in entitate supernaturales quæ per scientiam infusam cognosci quidditatiuè intuitiuè possunt, ex quibus sic
III. cognitis non potest non haberi simul euidens purè abstractiua cognitio mysterij Trinitatis: cuiusmodi sunt duæ saltem, nempe visio beatifica, & assensus fidei diuinæ quo mysterium istud creditur: qui enim hunc assensum quidditatiuè intuitiuè cernit, non potest non simul purè abstractiuè cognoscere materiale obiectum circa quod versatur, quod est ipsa in Deo personarum Trinitas: non potest etiam non cognoscere euidenter necessariam, & infallibilem quam habet veritatem, seu cum obiecto credito conformitatem ex motiuo formali, nimirum authoritate diuina reuelante, qua essentialiter nititur: alioqui contra hypothesim assensum illum quidditatiuè intuitiuè, seu prout in se est, non cerneret, si hanc eius infallibilem veritatem non videret. Vnde si obiectum creditum sit actualis existentia triũ in Deo personarum, non potest ex illo assensu euidenter, vt dixi, cognito non haberi simul euidens purè abstractiua cognitio existentiæ mysterij Trinitatis.

IV. Nec dicas hinc solùm euidenter cognosci tres esse in diuinitate personas: at non cognosci sic esse tres, vt plures esse non possint, quod tamen ad plenè cognoscendum Trinitatis mysterium cognosci deberet. Ne, inquam, id dicas, tum quia hinc saltem habemus posse per scientiam infusam cognosci euidenter abstractiuè trium in Deo personarum existentiam, quod negat Vasquez cum nonnullis aliis, disput. 53. cap. 1. tum quia, sicut ex prædicto fidei assensu per infusam scientiam quidditatiuè intuitiuè cognito, cognoscitur euidenter abstractiuè existere tres in diuinitate personas: ita cognoscetur non existere plures tribus, ex quidditatiuè intuitiuè per eandem scientiam cognito illo diuinæ fidei assensu, quo creditur in Deo non esse personas plures tribus.

Præterea qui claram Dei visionem videt per
A scientiam infusam quidditatiuè intuitiuè, videt necessariò ipsam esse formalem trium in Deo subsistentiarum realiter distinctarum repræsentationem: cùm enim de eius quidditate sit, vt sit eiusmodi repræsentatio, nisi hoc videret, non videret eam quidditatiuè, contra hypothesim: eo autem ipso quo quis quidditatiuè intuitiuè hoc videt, simul necessariò videt purè abstractiuè tres in Deo esse subsistentias realiter distinctas: ergo & tres personas: cùm sicut natura intelligens, qualis diuina est, cum subsistentia personam constituit, ita eadem natura cum tribus subsistentiis re distinctis tres constituat distinctas personas. Et quoniam clara Dei visio est ex essentia sua Dei, prout in se est, repræsentatio, qui eam clarè videt, ex ea clarè visa statim necessariò intelligit, non esse in Deo sub-
B sistentias distinctas plures tribus, pluréſque proinde personas. Nam si plures essent, plures necessariò repręsentaret, alioqui Deũ prout in se est nõ repręsentaret, & sic eius clara visio non esset.

V.

VI.

Hanc eandem assertionis nostræ partem probare nolo ex lumine gloriæ, ex impressa Dei specie, & modo vnionis hypostaticæ: propterea quòd existimo ex iis per scientiam infusam quidditatiuè ac intuitiuè cognitis non posse cognosci euidenter abstractiuè mysterium Trinitatis: ex lumine quidem illo, & illa specie, quia ex iis sic cognitis nihil aliud euidenter abstractiuè cognoscitur, quàm possibilem esse claram Dei visionem, qua ipse repræsentetur prout in se est, vtrùm autem sit vnus in natura, & trinus in personis, & per eam talis repræsentari possit, potest
C quidem euidenter cognosci ex intuitiua & quidditatiua cognitione ipsius claræ Dei visionis, at non ex quidditatiua & intuitiua cognitione ipsius præcisè luminis gloriæ, & impressæ illius speciei: cùm ex iis sic cognitis, illa visio non cognoscatur quidditatiuè prout in se est, sed tantùm abstractiuè.

VII.

Ex modo verò hypostaticæ vnionis, tum quia etsi ex eo quidditatiuè, & intuitiuè cognito non possit non cognosci euidenter abstractiuè, esse aliquam diuinam subsistentiam & personam, ad quam essentialiter ordinem habet, quamque formaliter cum natura, in qua est, ille modus connectit: ex tribus tamen his modis quidditatiuè, ac intuitiuè cognitis, habentibus essentialem ordinem ad tres distinctas à parte rei personas sanctissimæ Trinitatis, vno ad vnam, aliis ad alias,
D. non videtur posse euidenter abstractiuè cognosci tres illos modos dicere ordinem ad tres potiùs distinctas subsistentias, & personas, quàm ad vnam eandémque numero: cùm præsertim tres, pluresque dari possint, qui ad vnam & eandem numero essentialem ordinem habeant.

VIII.

Et quamuis concederetur tres illos modos ad tres diuinas personas ordinem habentes ita differre specie, aut numero, vt ex eorum differentia specifica, aut numerica quidditatiuè & intuitiuè cognita constare certò, & euidenter abstractiuè posset, habere ordinem

ad diuersas subsistentias, non constaret tamen satis, vtrùm ad diuersas à parte rei, an virtute tantùm: quod patet supposita in Deo subsistentia absoluta præter tres relatiuas, quam plerique Theologi admittunt: ad hanc enim quartus quidam vnionis hypostaticæ modus dari posset, vt
I. cõstat ex suprà dictis: ex quo quidditatiuè intuitiue cognito, etsi cognosceretur euidẽter abstractiuè esse quandam in Deo subsistentiam distinctam, præter tres illas alias, ad quas illi alij tres modi dicerent essentialem ordinem, non tamen cognosceretur euidenter abstractiuè illam ab iis plusquam virtute seu ratione esse distinctam, cùm reipsa non plus differat.

Neque verò hæc nostra doctrina repugnat D. Thomæ prima parte quæst. 32. art. 1. docenti, non posse ex rebus creatis cognitis cognosci mysterium Trinitatis. Nam ibi solùm docet non posse ex naturali cognitione rerum creatarum tanquam effectuum essentialiter à Deo dependentium deueniri naturaliter in prædicti mysterij cognitionem: quòd res creatæ vt effectus Dei non pendeant ab ipso vt in personis trinus est,
II. sed vt vnus est: quod non impedit, quominus in eam ex supernaturali quarundam rerum supernaturalium cognitione deueniri possit eo modo quo explicuimus: quamuis etiam verum sit, in eandem non posse deueniri ex illa supernaturali cognitione earum rerum tanquam effectuum à Deo essentialiter dependentium, cùm nulli creati effectus, siue naturales in entitate, siue supernaturales, à Deo pendeant vt in personis trinus est, sed vt vnus est.

SECTIO IV.

Quas res Christus per scientiam infusam reipsa cognouerit?

III. DICENDVM primò, non cognouisse Deum quidditatiuè, cùm per solam beatam sic cognosci possit, vt paulò antè ostendimus: cognouisse tamen euidenter purè abstractiuè eum existere, & vnum in natura, & trinum in personis, cùm ex rebus creatis quidditatiuè cognitis non possit non cognosci ipsum existere vnum in natura: ex cognitis item eodem modo prædictis diuinæ fidei assensibus, ac beatifica visione non possit non cognosci pariter ipsum esse trinum in personis, vt paulò antè probauimus: per scientiam autem infusam procul dubio & illos assensus, & illam visionem, & creaturas alias quidditatiuè cognouerit.

Probat hoc ipsum de Christo, quod attinet ad mysterium Trinitatis, Suarez sect. citata hoc argumento, quòd nimirum cùm ipse per fidem innixam reuelationi Dei non cognouerit mysterium Trinitatis,
IV. si non cognouisset per scientiam infusam, consequens esset ipsum vt viatorem nõ potuisse orare Patrem suum, eum amare, aut alias personas sanctissimæ Trinitatis, nec de iisdem cum hominibus colloqui, quia nullam mysterij illius cognitionem habuisset nisi beatam, quæ ipsi vt viatori non inerat. At hoc argumentum efficax non est: quia supposita in ipso sola illa beata, de prædicto Trinitatis mysterio, scientia, per quam reuera non erat viator, sed comprehensor, nihilominùs ex ea potuisset etiam vt viator, seu vt adhuc existens in statu viæ, ea omnia facere quæ dicta sunt: quæ sanè perinde facere potuisset, ac reipsa fecit, etiamsi Deus nullam illi scientiam intusam dedisset, quod absolutè potuit, sed solam beatam.

A Neque traditæ hîc à nobis doctrinæ repugnat D. Thom. quæst. 11. art. 1. expresè negans, Christum per infusam scientiam cognouisse Deum: loquitur enim certissimè de quidditatiua diuinæ essentiæ cognitione, quam per solam beatam scientiam haberi posse verissimum est, & suprà docuimus. V.

Dicendum secundò, per scientiam infusam cognouisse quidditatiuè omnes naturalium rerum species quæ vnquam fuerunt, erúntve, earúmque omnia indiuidua. Si enim hæc cognitio conceditur Angelis tanquam ipsis connaturalis, vt de iis tractantes disputat. 23. sect. 5. docuimus, certè Christo neganda non est: quæ etiam esset concedenda, etsi illa ipsis non concederetur: cùm tanto potiori iure sit illi debita, quanto homo Deus supra quamcunque puram creaturam
B est. Deinde cognouisse similiter per eandem quidditatiuè omnes rerum supernaturalium species, quæ vnquam erunt, fuerúntve, earúmque omnia item indiuidua: harum enim omnium rerum quidditatiua per infusam scientiam cognitio tam connaturaliter erat ipsi debita, ratione hypostaticæ cum Deo vnionis, quàm prædictarum specierum, & indiuiduorum rerum naturalium cognitio per scientiam confusam connaturaliter Angelis debita est ratione naturæ qua constant: imò tanto potiori, quanto iam iam diximus: vnde si hæc illis conceditur, & illa illi concedi debet, imo deberet, etsi hæc alia eis non esset concedenda. VI.

Dicendum tertiò per eandem cognouisse pariter omnia quæ Deus scit scientia visionis, ac proinde omnes alieni cordis cogitationes, &
C quoscuis alios actus liberos, omnia quoque præterita, præsentia, & futura, non modo necessaria, sed etiam contingentia, & libera. *Ita sentit*, & docet D. Thomas quæst. 11. artic. 1. dicens Christum per scientiam infusam cognouisse omnia quæ cognosci possunt ab homine per virtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt quæcunque pertinent ad scientias humanas: & præterea quæcunque per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcunque aliud donum Spiritus sancti. Certum autem est, occultas cordium cogitationes, & quascuis alias actiones liberas, omnia quoque & necessaria, & contingentia, siue prærerita, siue præsentia, siue futura, omniáque proinde ex rebus creatis quæ Deus videt scientia visionis, hominibus innotescere posse per reuelationem diuinam, eorúmque cognitionem posse ad ali-
D quod Spiritus sancti donum pertinere. VII. VIII.

Ita sentiunt etiam communiter iam Theologi, licet inter aliquos controuersia sit de modo quo futura contingentia cognouit, vtrùm scilicet intuitiuè, ac quidditatiuè per propriam eorum speciem, an aliter: sed illo modo cognouisse, si cognosci possunt, nemini dubium est, cùm ille sit perfectissimus ea per scientiam infusam cognoscendi modus, ac proinde Christo concedendus, cui ratione vnionis hypostaticæ, sicut

omnis eiusmodi cognitionis & sapientiæ perfectio connaturaliter debita est, ita est concedenda, cùm nulla sit probabilis negandi ratio: posse autem illo modo cognosci, probaui in Tractatu de Angelis duobus argumentis disp. 30. quorum secundum euincit Christum reipsa sic ea
I. cognouisse, supposito quòd ipse ea successiuè A
non cognouerit, sed simul: quod pro certo tenendum est, cùm futurorum cognitio concessa à Deo ei sit intuitu hypostaticæ vnionis, sicut & gratia, & gloria, & proinde simul omnium data sit, & quidem à principio huius ipsius vnionis, sicut ab eodem principio tota illa simul gratia, & gloria data est. Adde quòd ad vim secundi illius argumenti satis esset, duorum futurorum contingentium cognitionem datam ei simul fuisse: fatendum autem necessariò est plurium huiusmodi futurorum datam ei simul fuisse cognitionem, aut negandum, contra expressam D. Thomæ, communémque iam Theologorum doctrinam, eum futura contingentia infinita cognouisse: cùm finito tempore futurorum infinitorum cognitio successiuè dari non possit.

II. Ad hoc autem confirmandum nolo vti omnibus illis Patrum testimoniis, quibus disp. 51. Vasq. vtitur: valent enim hæc ad probandum, quod ibi probare voluit, nempe Christum habuisse futurorum omnium cognitionem: sed non valent ad probandum habuisse per scientiam infusam à beata distinctam: multóque minùs valent ad probandum per eam habuisse non qualemcunque illorum cognitionem, sed quidditatiuam: quod tamen hîc asserimus: illi enim Patres locis illis hoc tantummodò voluerunt, in Christo fuisse futurorum omnium scientiam: vtrùm infusam tantùm, an beatam, an vtramque: vtrùm euidentem & quidditatiuam, an aliam, non significarunt.

III. At oppones Matth. 24. Christum sic de extremo iudicij die loquutum fuisse, *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* & Marci 13. sic, *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Sed ne circa hæc loca repetam omnia quæ alia occasione dixi 1. parte tractans de Deo disp. 21. Dico in primis quòd si valent ad negandam Christo futuri illius diei cognitionem per scientiam infusam, valent pariter ad negandam per beatam: cùm si per hanc sciat, dici non possit absolutè nescius, sed è contrario sciens dici absolutè debeat.

IV. Deinde ex communi Patrum doctrina, eorumque nominatim quos illa disput. retuli, locis illis Christum minimè significasse, se diem illum absolutè nescisse per humanitatem suam, cùm certissimè sciret. Quo autem sensu dixerit nescire se, varias esse Patrum interpretationes, quas habent Vasq. cap. 3. disp. 51. Suarez hîc in comment. art. 2. qu. 10. & à Valent. punc. 2. quásque vitandæ prolixitatis gratia non refero, duas breuiter referre contentus: quarum prima est, nescire vt hominem, seu secundùm humanitatè ex se spectatam, vt reuera nesciebat, cùm ex ea, seu per vim naturalem eius, & intellectus humani scire non posset, sed solùm per communicatam diuinitus à Patre scientiam: quo sensu Gregor. Magnus, Cyril. Chrys. illa disp. 21. à nobis relati vtrumque illum Euangelistam interpretantur, & plerique alij: quo item sensu intelligendi sunt illi Patres, qui dixerunt Christum illum diem nescisse, vt hominem, sciisse, vt Deum. Secunda est, nescire, quia nesciebat, vt diceret, quòd sub secreto hanc à Patre scientiam accepisset, nec proinde magis dicere posset, quam si prorsus nesciuisset. Neque contra dicas Patrem etiam nesciisse vt diceret, cùm tamen locis illis quibus dicitur nesciisse filius, sciisse ipse dicatur: in primis enim sciebat vt diceret saltem filio, cùm ei reipsa dixerit. Deinde etsi decreuerat nulli alteri reuelare, tamen dici poterat absolutè scire: quia in eius potestate erat id multis, imò omnibus euulgare, cùm id ab alio non didicisset, aut sub secreto accepisset, nec vllo præcepto ad non euulgandum teneretur. V.

Dicendum quartò, Christum ex creaturis purè possibilibus eas saltem per scientiam infusam quidditatiuè cognouisse, quæ eminenter continentur in creaturis existentiam in hoc vniuerso habentibus in aliqua differentia temporis: exempli causa, varias brutorum animalium species, quæ prodirent ex animalibus, in diuersis mundi plagis existentibus, si hæc inter se copularentur: supposita tamen satis communi inter Theologos doctrina, quòd nimirum in creaturis aliquæ aliæ tanquam in medio cognito, & vt obiecta secundaria in primario cognosci quidditatiuè possint. Nam ea supposita, fatendum est ad quidditatiuam, & comprehensiuam alicuius creaturæ cognitionem requiri, vt cognoscantur quidditatiuè, non modo ea quæ formaliter in ipsa continentur, sed etiam quæ eminenter, & quidem cognoscantur vi cognitionis, qua ipsa res in qua sic continentur, comprehensiuè cognoscitur: Christo autem totius huius vniuersi creaturarumque omnium in eo existentium in
C aliqua differentia temporis tribuenda est non quæcunque cognitio quidditatiua, sed quæ comprehensiua simul sit: si enim hæc totius huius
VII. vniuersi, istarumque omnium creaturarum cognitio tribuitur Angelis, multò magis tribuenda Christo est: imò esset, etsi illis tribui non deberet, ob eam rationem qua in re simili idem paulò antè dictum est. VI.

Dixi, supposita tamen satis communi, &c. Nam si contraria doctrina supponatur, sicut erit dicendum consequenter, ad comprehensiuam creaturæ vllius cognitionem, non requiri, vt in ea tanquam in medio cognito aliqua alia creatura quidditatiuè videatur, cùm sic vnam in altera videri sit impossibile: ita & fatendum erit consequenter, ex comprehensiua quam Christo tribuimus huius vniuersi omniumque in eo creaturatum aliquando existentium cognitione, nullum nos habere argumentum, quo vllius creaturæ purè possibilis quidditatiuam eidem cognitionem tribuamus.
D VIII.

Dicendum quintò, supposita possibilitate cognitionis quidditatiuæ omnium simul creaturarum possibilium per infusam scientiam, hanc Christo concedendam esse, quam & reipsa concedunt Magist. in 3. dist. 14. id probans ex his Apostoli verbis ad Colos. 2. de Christo dictis, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*, Alber. ead. dist. art. 1. Bonau. art. 2. quæst. 3. Marsil. quæst. 10. art. 2. Alens. 3. part. quæst. 13. memb. 7. vbi expressè docet animam

Christi scire omnia quæ Deus scit, non tamen eodem modo, quia Deus clarius. Altisiod. lib. 3. Tract. 1. cap. 5. & Gregorius in 1. dist. 44. quæst. 4. art. 2. ad 9. & alij: quorum aliqui si dicantur Christo quidem concedere hanc simul omnium creaturarum possibilium cognitionem,
I. at in Verbo formaliter, seu per scientiam beatam, hinc efficaciter concludetur, multò magis concessuros per infusam, cùm illa omnium illarum creaturarum per scientiam beatam cognitio sit multò perfectior, quàm per infusam: nec vlla quemquā difficultas reuocare possit ab illa cognitione per hanc scientiam concedenda, quæ non pariter aut etiam multò magis ipsum reuocatura sit ab eadem cognitione eidem concedenda per illam, nempe per beatam: cùm tamen è contrario possit quispiam aliqua peculiari difficultate reuocari à concedenda ei cognitione illa per scientiam beatam, qua non reuocabitur à concedenda per infusam: quia in ea nullum locū habebit: quod reipsa D. Thom. contigit, multisq. Theologis negantibus illam ei cognitionem per scientiam beatam, ob hanc causam quòd illa cognitione comprehenderetur omnipotentia diuina, ac proinde ipse Deus, qui tamen est incomprehensibilis: qua certè causa moueri non possunt ad negandam eidem prædictam cognitionem per scientiam infusam, cùm ex ea nullum
II. sit periculum, ne diuina omnipotentia comprehendatur, vt ex dictis hac disputat. sect. 2. clarum est.

Ideo autem ex hypothesi possibilitatis cognitionis de qua nostra hac quinta assertione loquimur, hæc ei cognitio concedenda est, tum quia conformius id est citatis ex Apostolo verbis ad Coloss. 2. quis enim neget cognitionem omnium creaturarum possibilium per scientiam infusam, esse vnam ex præcipuis sapientiæ, & scientiæ Dei thesauris? tum quia omnis perfe-
III. ctio concedenda Christo est, quæ non est aliena à statu & dignitate ipsius, & ipsi sine incommodo tribui potest, si præsertim ea perfectio sit secundùm se non mediocriter excellens: hanc enim ob causam Theologi communiter tale vel tale genus perfectionis ei tribuunt: & meritò sanè, cùm omne genus gratiæ, & perfectionis sit connaturaliter debitum eius humanitati vnitæ Verbo hypostaticè, sanctissimaque Trinitas in ea exornanda totam se veluti effuderit: nec credibile proinde sit, ei denegasse perfectionem illam, quæ conditiones habeat quas enumerauimus: habet autem illa cognitio quam diximus: est enim in primis secundùm se plurimùm excellens humani intellectus perfectio: deinde non est aliena à statu, & dignitate Christi. Cur enim esset? vtrùm quia haud satis excellens est, an quia
IV. nimis? Sed primum dici non potest, cùm haud dubiè sicut est perfectius habere scientiam infusam, quàm non habere, ita sit perfectius per eam plura cognoscere, quàm pauciora: vnde qui reipsa eam Christo negant, ideo negant, quòd putent esse impossibilem, & ea de causa impossibilem, quòd tantæ perfectionis esse deberet, vt esset infinitæ. Neque etiam secundum, quia respectu Christi nulla perfectio nimia esse potest: cùm nulla sit quæ non sit inferior dono vnionis hypostaticæ cum Deo, eius humanitati collato. Denique sine incommodo tribui ipsi potest:
A B C D
V. VI. VII. VIII.
nullum enim incommodum sequitur, si tribuatur.

Nam quod ait Suarez sect. 4. disputat. 27. consequens fore, Christum per scientiam infusam plura cognouisse, quàm per beatam, verissimum est, si per hanc non cognouit omnia possibilia: sed nihil cōtinet absurdi. Non enim desinet beata esse simpliciter perfectior, quàm infusa sit, eo quòd visio Dei, siue solius Dei visio sit, siue aliquarum simul creaturarum in ipso, longè perfectior est, melior, & delectabilior habenti, visione omnium creaturarum simul. Quòd autem ait hoc consequens D. Augustino repugnare, scientiam matutinam, id est, beatam, & vespertinam, id est, infusam, circa easdem res creatas versari passim asserenti, falsum est: non enim repugnat. Nam licet docuerit matutinam, & vespertinam cognitionem Angelorum circa easdem res creatas versatam esse, quatenus quod ex rebus à Deo iam productis cognitum iam erat ab Angelis per scientiam beatam, postea cognoscebatur ab eadem per infusam, nunquam tamen id de Christo docuit, aut de beatis hominibus, sed de solis Angelis: de quibus etiam non dixit eos per scientiam beatam cognoscere ea tantummodò quæ per infusam cognoscunt, aut contrà, per hanc ea solùm quæ per illam, tantum abest, vt vniuersim asseruerit vspiam, vtramque hanc scientiam circa easdem res creatas versari semper, nec per vnam cognosci alias, aut plures creaturas, quàm per alteram.

DISPVTATIO XXVII.

De speciebus infusæ scientiæ Christi.



RIA de iis quæri possunt. Primum est, vtrùm ad hanc scientiam species aliqua necessariò pertineat? Pars affirmans certa est, cùm ad eam pertineat quidditatiua cognitio multorum entium tam naturalium, quam supernaturalium, extra Christum existentium, quæ ab eius humano intellectu cognosci quidditatiuè nequeunt, nisi vel per propriam eorum impressam speciem, vel per ipsasmet res vnitas illi eius intellectui instar speciei: cui sic vniri nequeunt, cùm extra ipsum Christum sint. Ex quo tamen concludendum non est vniuersaliter, ipsum non indiguisse vlla impressa specie, ad cognoscenda quidditatiuè omnia entia tam naturalia, quàm supernaturalia, quæ ipse intra se habuit: licet enim non indiguerit ad ea quæ per se apta fuerunt vniri eius intellectui instar speciei, cuiusmodi videntur ea esse quæ spiritalia sunt: indiguit tamen ad alia non habentia aptitudinem hanc: cuiusmodi fuit modus vnionis hypostaticæ in eius carne existens, qui materialis fuit, sicut & ipsa caro, cæteraque entia materialia in ipso existentia: res enim materiales propter suam cum intellectu improportionem non sunt aptæ quæ ei instar speciei vniantur.

Secundum est, vtrùm Christus vnicam tantùm speciem impressam habuerit per quam cognouerit omnia quorum infusam scientiam ha-

buit, an plures? Marsilius in tertio, quæst. 10. art. 2. quarta parte, conclusione secunda vnicam dicit: D. Thomas art. 6. quæst. 11. plures. Nihil hac de re haberi certi potest in vnam partem potiùs quàm in oppositam: sanè si in conferenda Christo infusa scientia Deus rationem habuit solius

I. humanitatis, vt euectæ ad vnionem hypostaticam, cum Marsilio sentiendum est, dummodò, A vt cum ipso supponimus, sit possibilis vnica species ex se repræsentatiua omnium simul creaturarum possibilium: illi enim humanitati ratione istius vnionis connaturaliter debita est, non modo cognitio omnium illarum per scientiam infusam, si possibilis est, sed etiam perfectissima, & per modum cognoscendi perfectissimum, atque adeo per vniuersalissimam speciem, qualis est ea quæ omnes simul creaturas possibiles repræsentat.

Quòd si Deus in illa scientia humanitati Christi tribuenda, rationem habuit, non illius solius vnionis, sed etiam ipsius animæ Christi secundùm se spectatæ, attenderítque, vt vult eodem articulo S. Doctor, quid connaturaliter ipsa po-

II. stulet, eo saltem in statu, quo separata à corpore B est, Dicendum cum eodem S. Doctore est, plures ei species infusas fuisse: quia sicut Angeli, etiam præcisè secundùm naturam spectati, connaturaliter postulant aliquas species, per quas quidditatiuè res creatas cognoscant: sic & anima in prædicto statu existens: & sicut hi singuli non postulant ex se speciem vnicam qua eas omnes intelligant, sed quo sunt in natura perfectiores aut imperfectiores aliis, eo magis aut minus vniuersales postulant, ac proinde eo plures, aut pauciores: ita multò magis anima Christi secundùm se suámque naturam præcisè considerata postulabit connaturaliter non vnicam tantùm speciem ad easdem res creatas intelligendas, sed plures, cùm sit quolibet Angelo secundùm speciem imperfectior.

III. Tertium est, vtrùm species inditæ animæ C Christi sint Angelicis magis, aut minus vniuersales? D. Thomas citato artic. 6. clarissimè tum in corpore, tum in respons. ad 1. docet esse minus vniuersales: imò in eodem corpore & ad 3. ait expresse, tam parum vniuersales esse, vt singulæ vnicam tantùm naturam specificam repræsentent. Quam eius doctrinam, quoad minorem illam vniuersalitatem sequuntur Caiet. in illum art. 6. aliíque Thomistæ, & meritò: verissima enim est, loquendo de speciebus impressis animæ rationali, in statu separationis à corpore, cõnaturalibus, per quas connaturaliter res creatas intelligere potest: de quibus etiam solis ipse loquitur, vt constat ex corp. articul. 6. citati, cuius initio dicit, inditam animæ Christi scientiam habuisse modum connaturalem animæ humanæ,

IV. huic autem connaturale esse, recipere species D minus vniuersales Angelicis: quarum etiam specierum mentionem facit quæst. 9. art. 3. dum corpus articuli terminat, dicens esse in Christo sciẽtiam inditam seu infusam, per quam res cognoscit in propria natura, per species intelligibiles humanæ menti proportionatas: idémque repetens extremis verbis responsionis ad tertium: nõ enim aliæ species naturæ intelligenti, humanæ vel Angelicæ proportionantur, seu ea perfectionis proportione dantur, qua ipsa secundùm essentiam, & intelligendi virtutem perfecta est, quàm eæ, quæ sunt illi connaturales, & per quas naturaliter intelligere potest ea quæ per eas ipsi repræsentantur. Nam quæ sunt supernaturales, non dantur magis, aut minùs perfectæ prædicta proportione, sed eædem in essentia dantur tam humanæ, quàm Angelicæ naturæ: cùm vtriusque V. naturæ vis vtendi speciebus illis, seu per eas intelligendi, quæ est vis actiua obedientialis, sit æqualis, & ad eosdem in specie actus se possit extendere.

Quòd ergo de speciebus illis humanæ menti, & naturæ connaturalibus intellecta illa D. Thomæ doctrina verissima sit, hinc constat, quòd sicut quælibet natura intellectualis proportionatum sibi intellectum postulat, eóque magis aut minùs essentialiter perfectum, quò magis, aut minùs, ipsa secundùm essentiam perfecta est: ita postulat connaturaliter aliquas species sibi, suóque intellectui proportionatas, eóque magis, aut minùs essentialiter perfectas, quo magis, aut minùs ipsa secundùm essentiam perfecta est, & perfectum habet intellectum: species autem quò sunt vniuersaliores, eò cæteris paribus sunt essentialiter perfectiores: quò VI. ergo quælibet intellectualis natura secundùm essentiam perfectior est, eo postulat connaturaliter speciem vniuersaliorem: anima autem rationalis Angelicâ naturâ secundùm essentiam imperfectior est: si quas ergo postulat connaturaliter infundi sibi à Deo species, postulat Angelicis minùs vniuersales.

Quæ ratio euincit, quòd etsi daretur aliquis Angelus, qui naturaliter non postularet alias impressas species, quàm eas, quæ singulæ singulas specificas naturas repræsentare solùm possent, quíque proinde non postularet vniuersaliores iis quæ sunt animæ rationali in statu separationis à corpore connaturales, quæque reipsa iam existunt in anima Christi, ex doctrina VII. S. Thomæ, vt suprà vidimus, eam illis singulis singulas specificas naturas cognoscere docentis, eæ tamen essent illis aliis illius Angeli secundùm essentiam imperfectiores, vtpote secundùm specificam perfectionem proportionatæ animæ illi, & humano eius intellectui, secundùm essentiam imperfectiori, quàm sit ille Angelus, & Angelicus eius intellectus. Ex quo sequitur, cognitionem naturalem actualem, quam de rebus creatis habet anima Christi per impressas illas species, esse essentialiter imperfectiorem actuali cognitione, quam de iisdem rebus habent Angeli per impressas sibi species: cognitio enim naturalis quæ per intellectum, & impressam speciem essentialiter imperfectiorem elicitur, est essentialiter imperfectior ea quæ elicitur per intellectum, & impressam speciem essentialiter perfectiorem. VIII.

Nec opponas, cognitionem actualem, quæ ex se suaque natura clarior, & certior est, esse essentialiter perfectiorem: talem autem esse cognitionem quam per infusam scientiam habet anima Christi, ex S. Doctore quæst. 11. art. 4. concessa enim Maiore, nego Minorem: & ad S. Doctorem respondeo, dum Christum præfert Angelis, in eo quòd per scientiam infusam cognoscat non modò plura quàm illi, sed etiam clariori, certioríque cognitione, ipsum loqui, non

de quacunque cognitione per scientiam infusam comparata, sed de ea sola ad quam ipsum infusæ scientiæ lumen in entitate supernaturale concurrere debet, vt illa cognitio connaturaliter eliciatur, cuiusmodi est sola cognitio in entitate supernaturalis, non autem naturalis de qua loquimur, cuius principium effectiuum adæquatum est intellectus, & impressa species ei connaturalis.

I.

Cæterùm præter species animæ Christi connaturaliter debitas minùs vniuersales Angelicis, admittendæ sunt in anima Christi aliquæ aliæ species in entitate supernaturales, ad cognoscenda quidditatiuè entia in entitate supernaturalia, & futura contingentia: quas meritò sentire possumus fuisse Angelicis vniuersaliores, cùm collatæ Christo fuerint ratione vnionis hypostaticæ: ob quam sicut excedit in immensum dignitate omnes Angelos, ita connaturaliter ob eandem postulat habere rerum illarum species vniuersaliores quibusvis Angelicæ naturæ connaturaliter debitis.

II.

Præter has quoque supernaturales in entitate species, & illas alias naturales animæ rationali connaturaliter debitas, admittenda est in anima Christi aliqua vna species infinitas naturas specificas possibiles repræsentans (nisi fortè malumus infinitas actu species impressas ei concedere) aut neganda ipsi est omnium specificarum naturarum possibilium quidditatiua per infusam scientiam cognitio. Nam si has omnes naturas per scientiam hanc cognoscit, & singulas singulis speciebus, cùm illæ naturæ nullo finito numero contineantur, patet esse necessarium, multitudinem specierum esse actu infinitam. Quòd si finitas tantùm habet species, & cognoscit nihilominus omnes illas naturas possibiles, necesse est vna specierum illarum repræsentari infinitas. Nam si qualibet finitæ duntaxat repræsentantur, & finitus sit illarum specierum impressarum numerus, per illas omnes collectiuè sumptas non

III.

repræsentabuntur naturæ possibiles nisi finitæ, ergo non omnes, cùm infinitæ sint.

A

B

C

cunque supernaturalem cuiusuis obiecti, prout in se est, cognitionem ab intellectu creato producendam, requiri in hoc ipso intellectu, præter impressam huius ipsius obiecti speciem, aut obiectum ipsum vnitum instar speciei, lumen aliquod supernaturale, ex parte intellectus se tenes, eum eleuans ad illam cognitionem efficiendam: ex eadem ratione necessariò consequens est, ad scientiam infusam, de qua hic loquimur, pertinere lumen aliquod supernaturale, seu supernaturalem habitum distinctum à speciebus impressis ad scientiam hanc pertinentibus: cùm per hanc multa in entitate supernaturalia cognoscantur prout in se sunt, ac proinde cognitione supernaturali.

V.

Quod haud dubiè sentiunt de hoc habitu infusæ scientiæ illi omnes qui per hunc elici posse cognitionem in entitate supernaturalem existimant, simúlque sentiunt ad producendam claram Dei visionem requiri in intellectu beatorum supernaturalem habitum luminis gloriæ, præter essentiam diuinam ipsi speciei instar vnitam, cùm vtrobique idem sentiendi eadem prorsus, ipso etiam Gab. Vasq. consentiente, ratio sit. Quare cùm prima parte ostenderimus D. Thomam istud sensisse de lumine gloriæ, non dubium, quin & illud de lumine seu habitu scientiæ infusæ senserit.

VI.

Quod & se sentire satis apertè declarauit in primis hac 3. parte, quæst. 11. art. 6. ad 3. in quo cùm sibi obiecisset, Christum omnia sciuisse secundùm vnam rationem, nimirum secundùm lumen diuinitus infusum, respondens ad illud ait, *Lumen ei diuinitus infusum fuisse ipsi communem rationem intelligendi ea quæ diuinitus reuelantur, sicut naturale lumen intellectus est communis ratio intelligendi ea quæ naturaliter cognoscuntur: ideóque oportuisse in anima Christi proprias existere præterea singularum rerum species*: Sicut oportet intellectui nostro ad res singulas cognoscendas addi insuper proprias earum species: quæ verba prorsus omnia licet non habeat S. Thomas, habet tamen eorum sensum, vt legenti patebit: & pauciſſima quæ addidi, addita sunt, vt clarior esset oratio. Ex quo constat, ipsum tam distinguere lumen infusum diuinitus, seu scientiæ infusæ à propriis rerum per hanc scientiam cognitarum speciebus, quàm noster intellectus, seu naturale lumen ipsius à propriis rerum, quas naturaliter cognoscit, speciebus distinguitur.

VII.

Deinde in 3. dist. 14. quæst. 1. artic. 3. ad 4. quæst. vbi disertis verbis ait animam Christi *vno habitu cognouisse omnia quæ ad scientiam infusam pertinent, quamuis diuersis speciebus.* Nec satisfacit Vasquez respondens collectionem omnium specierum ad infusam scientiam pertinentium vocari à D. Thoma habitum vnum infusæ scientię, propter vnum repræsentandi res modum, in quo omnes illæ species conueniunt, nimirum repræsentandi sine discursu, compositione, diuisione, & conuersione ad phantasmata: sicut collectio multorum partialium habituum circa res physicas, verbi causa, vna scientia physica appellatur, siue vnus physicæ scientiæ habitus, propter obiectum certa quadam ratione vnum, in quod feruntur omnes illi partiales habitus, aut propter vnam in obiectum suum tendend rationem in qua conueniunt. Non satisfacit,

D

VIII.

DISPVTATIO XXVIII.

De habitu eiusdem infusæ scientiæ.

IV.

TRIA item de hoc habitu quæri possunt. Primum est, an ad hanc scientiam pertineat aliquis habitus infusus distinctus à speciebus impressis ad eandem scientiam pertinentibus. Negat Gab. Vasq. disput. 54. cap. 2. eadem ratione ductus, qua prima parte negauit disput. 43. ad scientiam beatam, & claram Dei visionem eliciendam, requiri lumen gloriæ, distinctum ab impressa Dei specie: imò docuit lumen illud esse impressam Dei speciem, futurúmque illud superfluum, si diuina essentia vnita esset instar speciei intellectui beatorum ad visionem illam producendam. Atcùm eadē prima parte de Deo tractantes disp. 13. fuse rationis illius ineffacitatem ostēderimus, contrà autem efficaci ratione probauerimus, ad claram illam visionem eliciendam, & in genere, ad quā-

inquam, quia S. Doctor ibi docet expresse scientiam infusam Christi esse scientia infusa Angelorum magis vnitam, & simplicem, ideóque perfectiorem: non erit autem magis simplex & vnita, si scientiæ illius habitus non sit vnus nisi per aggregationē multarum specierum in vno repræsentandi modo conuenientium: imò erit eo minùs simplex & vnita, quò plures erunt species ex quibus conflabitur: Christi autem infusa scientia plures includit in se species quàm Angelica, ex mente S. Doctoris, cùm, vt superiori disput. vidimus, velit Angelis inditas fuisse vniuersaliores, ac proinde pauciores.

I.

Secundum est, vtrùm habitus infusæ scientiæ distinctus à speciebus ad hanc scientiam pertinentibus, fuerit vnus in Christo, an multiplex? Vnicum admittit D. Thomas iisdem locis, vt patet, & rectè: tum quia etsi dari secundùm essentiam multiplex posset, imo tam multiplex, quàm multiplices sunt, aut esse possunt impressæ species ad scientiam infusam pertinentes, potius tamen vnicus deberet admitti in Christo, quam plures, cùm per vnicum multa intelligere sit perfectius, quàm per multos, eóque sit perfectior

II.

scientia, quo magis vna simpléxque est: sit autem eo magis vna & simplex, quo scientiæ habitus magis vnus & simplex est: tum quia nulla ratio cogit concedere, multos secundùm essentiam diuersos in puris etiam creaturis, vt in beatis, quibus inest infusa scientia de qua loquimur. Quamuis enim ab iis in quibus est eliciantur cognitiones secundùm essentiam differentes, pro multitudine, ac essentiali differentia specierum quas habent, ad illam scientiam pertinentium, necesse tamen propterea non est, plures huius ipsius scientiæ supernaturales habitus in iisdem admittere, sed vnicus sufficere potest: sicut & vnicus intellectus sufficit ad eorum omnium cognitionem efficiendam, quæ quibuslibet impressis speciebus possunt illi repræsentari.

III.

Adde præterea quòd cùm infusæ scientiæ habitus de quo loquimur, sit in entitate supernaturalis, nec produci proinde possit à prædictis illis essentialiter diuersis cognitionibus, vt constat ex dictis 2.2. Tractatu de fide, spe & charitate, disp. 42. nulla ratio est ex hac earum essentiali diuersitate inducendi essentialem habituum scientiæ infusæ diuersitatem, licet aliqua sit admittendi multos naturales habitus specie diuersos, ex specifica naturalium cognitionum diuersitate, cùm ab his actibus illi habitus producantur. Neque opponas S. Doctorem quæst. 11. art. 6. in corp. ad

IV.

3. docentem Christi scientiam infusam esse distinctam per diuersos habitus: constat enim ex verbis eiusdem ibidem, & ad primum, & ex Suaris, & Vasq. & aliorum interpretum expositione, ipsum per hos habitus intelligere species impressas, quas numero & essentia diuersas infusas animæ Christi voluit, vt suprà vidimus.

Tertium est, vtrùm habitus seu lumen infusæ scientiæ distinguatur à lumine gloriæ? Suarez disput. 29. sect. 4. dicit esse verisimile non distingui, fatetur quoque contrarium nihilominùs esse probabile, imo communiter ab iis Theologis supponi, qui lumen scientiæ vel beatæ, vel infusæ distinguunt ab impressis speciebus ad hanc aut illam scientia pertinentibus, aut ab obiectis ipsis vnitis intellectui instar speciei. Sanè fateor & ego dici posse nō improbabiliter eundē specie, & numero habitum appellari lumen gloriæ, & scientiæ infusæ: gloriæ quidem, quatenus aptum est eleuare intellectum ad eliciēdam claram Dei visionem, & ad eam cum ipso effectiuè concurrere: scientiæ autem infusæ, quatenus aptum

A

etiam est eleuare eundem intellectum ad quidditatiuam eorum rerum cognitionem, quarum habet proprias impressas, & supernaturales species, & in eam cum illo efficienter influere.

V.

Quod confirmari hinc in primis potest, quòd lumen gloriæ non ita respicit Deū, prout in se est, vt obiectum, quin creaturas aliquo modo respiciat, cùm sit aptum representare quidditatiuè eas in Deo tanquam in medio cognito, seu obiecta secundaria in primario. Confirmatur deinde ampliùs ex eo quòd videtur admittendum, idē lumen gloriæ posse efficere quidditatiuam creaturarum cognitionem etiā immediatè in ipsismet creaturis, ac non in Deo solum tanquam in medio cognito: præsuppositio enim quòd sit possibilis aliqua impressa Dei species, nō videtur impossibilis alia, quæ sit Dei simul, & alicuius creaturæ propria impressa species, & proinde effectiua cognitionis alicuius, qua tā immediatè repræsentabitur illa creatura, quàm Deus: ad quam cognitionem, vtpote in entitate supernaturalem, cùm sit clara Dei visio, præter impressam speciem concurrere debebit lumen aliquod supernaturale, quod erit ipsum gloriæ lumen, quod iam admittitur: aut si dicitur istud habere tantùmodo vim repræsentandi Deum prout in se est, ac creaturas in Deo tanquam in medio cognito, non autem immediatè in seipsis, erit admittendum necessariò possibile quoddam lumen gloriæ diuersum ab eo quod iam est.

B

VI.

Quibus tamen non obstantibus, Dico videri probabilius, habitum seu lumen infusæ scientiæ distingui à lumine gloriæ, & illud ex essentia sua eleuare intellectum posse ad solam creaturarum cognitionem supernaturalem, cùm istud possit ad clariorem Dei visionem, ac creaturarum in ipso, vel etiam cum ipso. Ratio est, quòd alioqui nulli viatori communicari poterit quidditatiua cognitio rei vllius in entitate supernaturalis, & cōnaturaliter elicita, quin simul communicetur eidem clara Dei visio: aut quin hæc per miraculum impediatur: cùm tamen non videantur habere necessariam inter se ex natura rei connexionem hæc visio, & illa cognitio, vt nec habere videntur infusa scientia, & beata. Ad illam enim supernaturalem cognitionem connaturaliter eliciendam requiritur, præter propriam rei cognitæ impressam supernaturalem speciem, habitus scientiæ infusæ, ergo & lumen gloriæ, si ab hoc lumine ille habitus non distinguitur: nulli autem communicari lumen gloriæ potest, quin

C

VII.

simul communicetur ei clara Dei visio, nisi hæc

D

VIII.

per miraculum impediatur: cùm vna quidem ex parte semper & necessariò cuilibet intellectui sit essentia diuina vnita instar speciei, ex altera verò ad visionem illam eliciendam, præter intellectum, & essentiam hanc sic vnitam, nullum aliud effectiuum principium requiratur præter lumen gloriæ: quod statim atque est, necessitate rapit intellectum ad eam eliciendam, nec ab hoc effectu impediri, nisi per miraculum potest.

DISPVTATIO XXIX.

De actu eiusdem infusæ scientiæ.

SECTIO PRIMA.

Duarum de hoc actu quæstionum explicationem continens.

I. PRIMA est, vtrùm Christus actuali cognitione cognouerit omnia, quorum habuit impressas species ad hanc scientiam pertinentes ? Pars affirmans certa esse debet, tum quia species illæ ei impressæ sunt eo fine, vt per eas actuali cognitione cognosceret ea omnia, quorum sunt propriæ species : tum quia vel vnicam tantùm habuit impressam speciem, vel multas : si primum, omnia vnico etiam actu cognouerit quorum est propria species : quælibet enim species impressa

II. est ex se repræsentatiua vnico actu eorum omnium, quorum vt vnius obiecti totalis, & adæquati est propria species : si secundum, cùm aliqua ex istis multis speciebus fuerit in entitate supernaturalis, ea nimirum quæ futura contingentia, réque in entitate supernaturales quidditatiuè repræsentat, Dicendum necessariò est, multas illas species aut fuisse omnes in entitate supernaturales, aut partim supernaturales, partim naturales : quòd si omnes supernaturales

III. fuerint, nihil prohibuerit quo minùs omnibus simul ac eodem temporis instanti actu cognouerit omnia, quorum erant propriæ species : licet enim totidem actibus in entitate supernaturalibus specie & numero diuersis ea cognoscere debuerit, quot erat numero & essentia diuersæ illæ impressæ species, vim tamen sufficientem ad hos omnes simul actus exercendos humanus eius intellectus habuerit, cùm non nisi per potentiam obedientialem actiuam eos exercere potuerit, hæc autem potentia extendat se ad ea omnia producenda, quæ contradictionem non implicant.

Quòd si fuerint partim supernaturales, partim naturales, nullum in primis impedimentum fuerit, quo minùs actu cognouerit simul omnia quæ per supernaturales repræsentantur, vt constat ex iis quæ modò diximus : nullum deinde fuerit impedimentum, quo minùs etiam actu cognouerit omnia simul quæ repræsentantur per naturales. Licet enim ea omnia cognitione naturali per vim actiuam intellectus naturalem cognoscere debuerit, nec possit intellectus humanus, vt & Angelicus, vti per vim

IV. suam actiuam naturalem suis simul omnibus speciebus impressis sibi connaturalibus, si singulis vtatur adæquatè tam intensiuè, quàm extensiuè, imò non nisi vna possit vti eodem tempore vel instanti temporis, dum ea sic adæquatè vtitur : potest tamen etiam naturaliter vti illis omnibus simul, dummodo singulis vtatur inadæquatè intensiuè, licet singulis vtatur adæquatè extensiuè : quod de intellectu Angelico probauimus in tractatu de Angelis 38. disput. quo etiam loco declarauimus, quid sit intellectum naturaliter seu per vim suam actiuam naturalem, vti aliqua sua impressa specie inadæquatè, vel adæquatè, tam intensiuè, quàm extensiuè. Intellectus autem humani, quoad vsum specierum impressarum per se infusarum, eíque connaturalium, eadem omnino ratio est, quæ Angelici, quoad vsum earum quæ per se infusæ sunt, eíque connaturales. V.

Nullum denique impedimentum fuerit, quo minus simul eodémque tempore cognouerit actu per vtrasque species tam supernaturales, quàm naturales, omnia quorum erant propriæ species : si enim potuit simul omnia repræsentata per supernaturales, si item simul omnia repræsentata per naturales, vt potuisse ostendimus, potuerit quoque simul omnia repræsentata per vtrasque. Nam cognitio naturalis, elicita per vim actiuam intellectus naturalem, relinquit intellectum tam potentem ad intelligenda per vim actiuam obedientialem ea obiecta quæ sic ab eo cognosci possunt, quàm si nulla tunc temporis ab

VI. ipso eliceretur, cùm in ea elicienda nullam ipse suæ virtutis actiuæ obedientialis particulam consumat : & vice versa, cognitio supernaturalis, elicita per vim eius actiuam obedientialem, relinquit pariter eum tam potentem ad intelligenda per vim actiuam naturalem ea obiecta, quæ sic cognoscere potest, quàm si nullam tunc eliceret, cùm in ea elicienda solam suam vim actiuam obedientialem impendat, nullam autem particulam suæ virtutis actiuæ naturalis.

Et quamuis ex vna cognitionum istarum elicita redderetur intellectus eo minùs potens ad alteram simul eliciendam, quo plus in illius exercitio suæ actiuæ virtutis collocaret : posset nihilominùs per vtrasque prædictas species actu cognoscere simul omnia quæ per eas repræsentantur, vtendo singulis inadæquatè intensi-

VII. uè, ob eandem causam, ob quam potest Angelus vti suis simul omnibus speciebus impressis sibi connaturalibus, ad ea simul omnia cognoscenda, quæ per eas repræsentantur, vtendo singulis inadæquatè intensiuè : quæ causa prædicta disputat. 38. explicata est. Sicut enim vsus specierum illarum est Angelo liber, & tantum impendit actiuæ suæ virtutis in vsu vnius, quantum vult : ita specierum tam naturalium, quàm supernaturalium intellectui Christi infusarum, vsus ipsi Christo liber est, & in vsu specierum illarum tantum simul suæ virtutis actiuæ, quantum vult insumit.

Adde, quòd etsi non potuisset Christus simul vti suis omnibus speciebus, simúlque proinde cognoscere omnia quorum sunt propriæ species, nisi per potentiam sui intellectus obedientialem, dubitandum non esset, quin id fecerit, si voluit,

VIII. cùm paratum semper habuerit auxilium Dei necessarium ad quoscunque effectus per potentiam actiuam, siue naturalem, siue obedientialem producendos, quos producere voluerit. Postremò dubitari non debet, quin successiuè cognouerit omnia, quorum proprias impressas tam supernaturales quàm naturales species habuit, cùm numero finitas habuerit, totidémque actibus sibi succedentibus omnia illa cognoscere potuerit : quoniam, vt antè dixi, quælibet impressa species

apta est vnico cognitionis actu repræsentare omnia quorum propria species est.

Secunda est, vtrùm anima Christi semper & assiduè in aliquo vsu scientiæ infusæ fuerit? Pars affirmatiua valde probabilis est, cum vna quidem ex parte sit perfectior sciendi modus, scire in actu secundo, quàm in primo tantùm: ex altera verò, in eius potestate esset, versari semper in actu aliquo secundo scientiæ illius, nec quidquam esset, quod illum ab eo reuocare posset, cùm præsertim actualis vsus huius ipsius scientiæ sit à corpore, & phantasmate, natura sua independens, vt paulo pòst dicemus. I.

Et quidem si vnicam duntaxat impressam speciem Christus habuit, dicendum, fuisse semper in actu secundo adæquato scientiæ infusæ, vel aliquando fuisse sine vllo actu secundo scientiæ illius: vnicum enim actum cognitionis illi impressæ speciei adæquatum, aut nunquam interruperit, & sic semper in actu secundo adæquato prædictæ scientiæ fuerit, aut aliquando prorsus interruperit, & sic in nullo eius actu secundo extiterit: nulla enim probabilitate diceretur, cum aliquo tempore, aut momento temporis desiisse exercere actum illum illi impressæ speciei adæquatum, vt tunc aliquem inadæquatum exerceret. II.

Quòd si plures habuit, & quidem aliquas naturalis ordinis, suæque humanæ menti connaturales, vt habuisse vult Diuus Thomas, sicut antè vidimus: ex eiusdem doctrina articulo quinto quæstionis 11. dicendum est, ipsum quoad has saltem species, non fuisse semper in vsu illis omnibus adæquato: docet enim id expresse in corpore, & in responsione ad 1. rationémque hanc reddit, quòd Christus scientiam infusam modo rationali animæ, & humanæ menti connaturali habuerit, connaturale autem ei sit, non esse semper in actu secundo, seu actuali vsu specierum omnium impressarum quas habet, sed quandoque in actu secundo aliquarum, quandoque in actu primo tantùm, prout hoc, aut illud voluntati magis placet, cuius libertati subest vti vel non vti infusa scientia, de qua loquimur, & cùm vti vult, adæquatè vti, vel inadæquatè. III.

Video contra hanc Diui Thomæ doctrinam opponi posse rationem, qua probabile esse diximus, Christum semper in aliquo vsu scientiæ suæ infusæ fuisse: valet enim etiam ad probandum fuisse semper in adæquato: sed responderet ipse sanctus Doctor, absolutè quidem & secundùm se perfectiorem esse cognoscendi modum, cognoscere in actu secundo, quàm in primo tantùm, & in actu secundo adæquato, quàm in inadæquato solùm, liberumque Christo fuisse hoc aut illo modo semper cognoscere, nec quidquam eum ab actu secundo adæquato impedire potuisse: satius tamen esse connaturalem ei cognoscendi modum, licet absolutè minùs perfectum tribuere, quàm perfectiorem, sed minimè connaturalem. Ex quo non sequetur satius etiam esse, sentire animam Christi aliquando nullo in vsu actuali scientiæ infusę fuisse: videtur enim potiùs ei connaturale esse semper in aliquo eius actu secundo versari, quam in nullo: sicut & Angelis, quorum, vt dixi, eadem est quoad hanc scientiam quæ rationalis animæ ratio: qui quidem nunquam cessant prorsus ab omni vsu scientiæ suæ infusæ, vt nec ab omni actuali cognitione, sed vt aliquam semper habent, sic in aliquo semper eius vsu versantur. IV. A V.

SECTIO II.

Tribus aliis de eodem actu quæstionibus respondetur.

PRIMA est, vtrùm anima Christi in vsu scientiæ infusæ à phantasmate penderet? Negat Diuus Thomas articulo secundo quæst. 11. Caietanus, & alij Thomistæ in hunc articulum, sequuntúrque iam Theologi communiter contra Durandum, qui in 3. distinct. 14. quæst. 3. numero 7. contrarium docuit, ob hanc causam, quòd nimirum proprium sit hominis viatoris, vt viator est, intelligere solùm dependenter à phantasmate, infusámque scientiam Christus viator habuerit, & quatenus viator erat habuerit. Sed hac ratione non obstante vera est illa Diui Thomæ sententia, cuius potissima ratio est, quòd illius solùm scientiæ vsus pendet à phantasmate, seu indiget intellectus ad phantasmata conuersione, cuius species sunt acceptæ per sensus, & ab obiectis sensibilibus abstractæ, aut per se tales sunt, vt ab iis abstrahi, & per illos accipi possint: hæc est enim adæquata causa, ob quam nos in hac vita nihil intelligere naturaliter sine eiusmodi intellectus nostri ad phantasmata conuersione possumus, quòd nullas species intelligibiles habeamus nisi sic abstractas: hæc item causa, ob quam clara Dei visio elici potest etiam ab anima coniuncta corpori independenter à phantasmate, quòd nimirum principium effectiuum illius, vt lumen gloriæ, & impressa Dei species, aut ipsa diuina essentia instar speciei, non est aliquid abstractum ab obiectis sensibilibus, aut per sensus acceptum, sed ab iis prorsus natura sua independens: at scientiæ per se infusæ species non sunt acquisitæ per sensus, & abstractæ ab obiectis sensibilibus, aut per se tales, vt ab iis abstrahi, aut per illos acquiri possint. B VI. C VII.

Qua ex ratione concluditur primo, quemlibet rectè vti posse scientia infusa tempore somni, aut amentiæ, cùm eius vsus à sensibus non pendeat, somnus autem aut amentia ligent tantùm, aut lædant sensus, eámque solam intellectus cognitionem impedire possint, quæ dependet à sensibus.

Concluditur secundò, tantum abesse, vt vsus scientiæ infusæ Christi, vel cuiusuis alterius hominis, indigeat humani intellectus ad phantasmata conuersione, vt proprie loquendo nullus intellectus humanus vti cum conuersione ad phantasmata scientia illa possit, ad cuiuscunque obiecti cognitionem etiam sensibilis: siquidem proprie loquendo intelligere per conuersionem ad phantasmata, nihil aliud est quà per phantasiam imaginari, & concipere idem quod intellectus cognoscit, & considerat: & quidem ita, vt cognitio sensus interni non purè per accidens, & mere concomitanter cognitioni D VIII.

per intellectum coniuncta sit, sed per se, & ex natura rei sit aliquo modo connexa: ratione cuius connexionis nequeat intellectus intelligere naturaliter absque sensu imaginante idem obiectum, quod ille intelligit : vnde cùm species scientiæ per se infusę tales sint quales diximus,
I. earumque operatio nullam per se, & ex natura A
rei connexionem cùm sensus circa idem obiectum operatione habeat, sequitur, neminem hac vti scientia posse, circa quodcunque obiectum etiam sensibile, cùm conuersione ad phantasmata, proprie loquendo.

Dico, proprie loquendo : nam si improprie loqui velimus, & intellectionem quamlibet etiam purè per accidens coniunctam cum aliqua sensus circa idem obiectum consideratione placeat appellare cognitionem cum conuersione ad phantasmata, sic fatendum est, posse Christum, ac quemlibet alium vti scientia illa infusa per conuersionem ad ea: dum enim illa vtitur in alicuius obiecti præsertim sensibilis cognitione, potest pro arbitrio per sensum idem obiectum imaginari, ac considerare, quod intelli-
II. git per intellectum. Et hoc sensu D. Thomas in- B
telligendus est citato art. 2. dum in resp. ad 3. ait animam Christi potuisse intelligere conuertendo se ad phantasmata: si tamen dum hoc dicit, de vsu scientię per se infusæ loquitur. Nam dici rectè potest, ipsum hoc dicentem de vsu scientiæ istius non loqui, sed alterius per se acquisitæ, cuius species per sensus comparatæ sunt, aut comparari potuerunt: ipsúmque proinde in prædicta responsione duplicem in Christo admittere scientiam: vnam per se infusam, alteram per se acquisitam: eúmque per illam priorem potuisse intelligere sine conuersione ad phantasmata: per hanc verò posteriorem potuisse cum conuersione illa : neque sensus in eo frustra non fuisse: quos frustra fore tertium ad quod respondebat argumentum contendebat, si sine ministe-
III. rio sensuum, & ad phantasmata conuersione C
posset intelligere.

Supereſt, vt ad allatam initiò Durandi rationem respondeamus. Vera autem responsio est, homini viatori, vt sic, proprium esse intelligere solùm per conuersionem ad phantasmata, si ipsi etiam vt in statu viæ adhuc existenti nulæ communicentur species nisi abstractæ ab obiectis sensibilibus, & per sensus acquisitæ, aut natura sua tales, vt ab iis abstrahi, & per hos acquiri possint : tales autem non esse species infusæ per se scientiæ : quæ etiam scientia per se non postulat infundi homini vt viator est, aut vt comprehensor, cùm ei aut in hoc, aut in illo statu infundi perinde possit, & hic, aut ille status purè concomitanter ad
IV. illam scientiam se habeat. Vnde falsum est, D
eam fuisse infusam Christo quatenus viator erat, nisi fortè hoc sensu, quòd per eam non fuerit factus comprehensor, quod verum quidem est, sed non sufficit, vt ipsi quatenus viator erat infusa fuisse dicatur : alioquin infusa beatis in statu beatitudinis extra statum viæ iam existentibus dici deberet infusa quatenus sunt viatores, cùm per eam comprehensores non efficiantur.

Secunda est, vtrùm anima Christi infusa scientia vti potuerit discurrendo ? Tertia, vtrum componendo, aut diuidendo ? At cùm infusæ Christo scientiæ sit eadem ratio quæ infusæ Angelis ; ad illam vtramque quæstionem respondendum eodem modo est, quo responderi deberet, si de Angelis, vsúque scientiæ ipsis inditæ proponerentur : quid autem responderi deberet, declarauimus prima parte tractantes de Angelis, ad artic. 3. & 4. quæst. 58. disputat. 39. & sequenti. Solùm hîc tria obseruanda sunt. Primum est, Christum vtentem infusa sua scientia absque discursu circa quædam obiecta, potuisse simul circa eadem discurrere, sed per aliam scientiam, nimirum per eam quæ per se acquisita est : res enim easdem quas per hanc cognouit, nouit quoque per illam : quemadmodum vtens illa sua scientia circa quædam obiecta sensibilia independenter à phantasmate, potuit simul circa eandem versari dependenter ab illo, sed per hanc scientiam per se acquisitam. V.

Secundum est, locum à Diuo Thoma articulo tertio quæstionis 11. citatum ex Matthæi 17. in quo Christus vnum ex alio collegisse, ac proinde discurrisse visus est, dum Petrum interrogauit, à quibusnam Reges terræ tributum acciperent, à filiis, an ab alienis, & illo respondente, ab alienis, sic concluserit, ergo filij liberi sunt, non euincere discursum hunc, (si tamen verus non in ore tantùm, sed etiam in mente Christi discursus fuit) per scientiam eius infusam factum fuisse, aut ad eam pertinuisse : ad acquisitam enim pertinere potuit, ex eáque fieri. Dixi, si tamen verus, &c. Nam ex illo loquendi modo concludi non potest efficaciter, Christum mente discurrisse : hoc enim ipso modo Deus loqui nobis posset, si humana in forma apparere, & loqui vellet, cùm tamen nullo modo discurrat. VI.

Tertium est, quod ait idem sanctus Doctor in corpore artic. 4. infusam Christo scientiam esse inferiorem indita Angelis scientia, ex parte subiecti recipientis, seu quoad modum cognoscendi connaturalem animæ rationali eam recipienti, qui est per conuersionem ad phantasmata, per discursum, adde similiter, per compositionem, & diuisionem : non esse sic intelligendum, quasi infusa Christo scientia sit ex se suáque natura talis, vt eius vsus sit necessariò dependens à phantasmate, per discursum, compositionem, ac diuisionem : talis enim reuera non est, vt constat ex antè dictis, locísque ex prima parte citatis, sed sic intelligendum esse, quòd scientia Christo infusa sit imperfectior Angelica, ex parte subiecti recipientis, nimirum animæ rationalis, cuius in corpore existentis connaturalis cognoscendi res modus est imperfectior modo connaturali Angelis : cùm illi connaturale sit intelligere solùm per species abstractas ab obiectis sensibilibus, & acquisitas per sensus, sempérque proinde dependenter à sensibus, & phantasmate, per compositionem item ac diuisionem, perque discursum : cùm è contrario connaturalis Angelis cognoscendi modus sit per species infusas à Deo, sine dependentia à sen- VII. VIII.

sibus, & phantasmate, sine compositione, diuisione, discursu, quoad eas saltem res, quas per illas infusas species, sibique connaturaliter debitas intelligunt.

I. A V.

DISPVTATIO XXX.

De acquisita Christi scientia.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Christus hanc scientiam per infusionem à Deo acceperit, an potiùs per propriam operationem ministerio sensuum, sicut nos solemus, comparauerit?

II. B VI.

VNICAM hanc, quæ præcipua est, circa acquisitam Christi scientiam, quæstionem proponemus, ex cuius explicatione multa quæ circa eandem quæri possent, intelligentur. Duæ sunt autem de ea sententiæ. Prima per infusionem accepisse statim à principio suæ conceptionis affirmat, éstque Richardi in 3. distinct. 14. articulo tertio quæstionis secundæ in corpore, Paludani quæst. 2. circa finem, & multorum recentiorum. Secunda negat, sed ministerio sensuum per propriam operationem acquisiuisse asserit, éstque Caietani, aliorúmque recentiorum Thomistarum in articulum quartum quæstionis nonæ præcedentis, Capreoli quoque in 3. dist. 14. quæst. vnica artic. 1. concluſ. 2. Maioris eadem distinct. quæst. 5. Marsilij quæst. 10. art. 2. parte 4. quæst. 5. quos sequitur Gabr. Vasquez disputat. 55. cap. 2. Ego posteriorem hanc sententiam illi priori præferendam puto propter solam S. Doctoris, & duorum sanctorum Patrum authoritatem, ita manifestè sentientium, cùm neutrius partis rationes meo iudicio satis efficaces sint, vt postea videbimus.

III. C VII.

Et quidem quod ad S. Doctorem attinet, luce clarius est eum in ista esse sententia, citato art. 4. quæst. 9. in corpore in resp. item ad 1. & 2. præterea quæst. 12. artic. 2. in corp. & resp. ad 1. quibus locis disertis etiam verbis ait, se contrarium aliquando scripsisse: nempe in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 3. sed re meliùs inspecta veram sibi videri prædictam posteriorem sententiam. Neque responderi debet ipsum acquisitæ scientiæ nomine intelligere solam experimentalem qua singularia ab intellectu cognoscuntur, intuitiuè quidem, dum sensus ea actu cognoscit, abstractiuè verò, dum ampliùs illa non percipit: at non etiam discursiuam, circa naturas specificas, vt obiecta versantem, comprehendentem species intelligibiles, & habitus deseruientes ad vsum ipsius. Reuera enim hanc etiam discursiuam intelligit, vt eius verba legenti, tam locis à me citatis, quàm quæst. 12. artic. 1. in corp. in responsionibus item ad 1. 2. & 3. perspicuum erit: quod & Suarez vltro fatetur disput. 30. sect. 2. licet in ea ipse solam il-

IV. D VIII.

lam experimentalem à Christo per propriam operationem fuisse acquisitam asserat, hanc autem discursiuam ipsi à Deo infusam fuisse defendat.

Quod & his obiter indiciis innotescit: Primo ex eo quòd hac 3. parte quæst. 9. & 12. vt paulò ante monui, retractat vniuersim, & absolutè quod in 3. sententiarum de infusa animæ Christi scientia ex genere suo acquisita docuerat: ibi autem docuerat prædictam scientiam discursiuam infusam illi à Deo fuisse. Secundo, quia dum quæritur, vtrùm scientiam per se, seu ex genere suo acquisitam Christus per infusionem à Deo acceperit, an per sensus, & per propriam operationem comparauerit, scientiæ acquisitæ nomine intelligitur, si non solùm, saltem præcipuè, prædicta illa discursiua, vtpote quæ longè præcipua est, multóque potior experimentali, qua singularia tantùm ab intellectu, eo quo antea dictum est modo, cognoscuntur. Quare cùm S. Doctor locis ex hac 3. parte citatis quæstionis illius eam partem sit amplexus, quæ negat accepisse per infusionem, sensit haud dubiè ipsum scientiam illam discursiuam per sensus, & propriam operationem comparasse.

Iam verò quod spectat ad duos prædictos Patres, hi sunt Cyrillus, & Ambrosius, quorum ille libro nono Thesauri cap. 4. *Verbum*, ait, per Incarnationem *ad tantam humilitatem descendisse, vt omnia nostra, etiam ignorantiam humanam susceperit*, id est, carentiam humanæ scientiæ quæ naturaliter acquiritur, & per discursus generatur. Hic verò libro de Incarnation. Dominicæ sacramento cap. 7. disertis verbis humanam item ignorantiam humanitati Christi tribuit, verumque profectum secundùm sapientiam humanam illi ignorantiæ oppositam. Vnde quod Lucas cap. 2. de Christo dixit: *Proficiebat ætate, & sapientia*, intelligi rectè potest de vero, internóque in hac humana sapientia profectu, non de sola externa latentis interiùs sapientiæ clariori in dies manifestatione: de quo etiam intellexerunt sanctus Ambros. loco citato, & Diuus Thomas citata item quæst. 12. artic. 2. ad 1. suam ex illis Lucæ verbis sententiam confirmantes: S. quidem Doctor ita clarè loquens, vt nemo possit clariùs. Sanctus autem Ambrosius his inter cætera verbis, IESVS *proficiebat ætate & sapientia apud Deum & homines. Quomodo proficiebat sapientia Dei? Doceat te ordo verborum: profectus ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem antè præmisit, vt secundum hominem crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis: sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia.*

Neque verò huic doctrinæ repugnant Patres, simpliciter & absolutè negantes Christum secundùm humanitatem quidquam ignorasse, aut in scientia, sapientiáve profecisse: etsi enim scientias omnes humanas ex suo genere acquisitas sibi ministerio sensuum per propriam operationem comparauerit, in iisque processu temporis progressum fecerit, non tamen propterea quidquam ignorauit, aut in sapientia simpliciter, & absolutè profecit: quoniam vt quis simpliciter dicatur,

aut aliquid ignorare, aut in sapientia proficere, nullam rei, cuius de nouo scientiam sibi comparat, debet antea cognitionem habuisse: anima autem Christi iam à principio suæ creationis earum omnium rerum scientiam infusam habebat, quarum sibi de nouo cognitionem, & scientiam ex genere suo acquisitam comparabat. I. A

SECTIO II.

Duæ pro posteriori ista sententia rationes expenduntur.

PRIMA est sancti Doctoris citato articulo 4. quæstionis nonæ, & primo quæstionis 12. cuius tota vis in eo posita est, quòd si Christus acquisitam ex genere suo scientiam per infusionem à Deo accepisset, frustra in eo fuisset intellectus agens, eo quòd frustra est illa potentia operatiua, cuius nulla est operatio: eius autem intellectus agentis nulla operatio fuisset, quia nullam aliam hic intellectus habet operationem, II. quàm abstractionem specierum intelligibilium ex phantasmatibus, earúmque in intellectu possibili productionem: nullam autem huiusmodi operationem habuisset, quia species illas omnes Christus à principio infusas accepisset. B

Verùm ad hanc rationem responderi in primis potest, ea supponi intellectum agentem re distingui ab intellectu possibili: quod plurimi negant, & nullo satis efficaci argumento probari potest. Quòd autem id supponatur, hinc constat, quod si hic, & ille intellectus sit vna eadémque secundùm rem potentia operatiua, non sequetur eam fore frustra, etsi nullus extrahat & producat intelligibiles species: aliam enim habebit operationem, nempe actualem intellectionem.

III. Deinde, etsi certò constaret hunc & illum intellectum esse potentias duas re diuersas: responderi secundò posset, non futurum frustra intellectum illum agentem: quia frustra non est illa potentia, cuius aliqua operatio est: illa autem scientiæ infusione non obstante, posset illi intellectui concedi operatio aliqua, nempe abstractio specierum intelligibilium, per quas singularia cognoscuntur intuitiuè, dum sensus externus ea percipit, abstractiuè vero, dum non percipit ampliùs: sicut & ob hanc causam idem intellectus frustra non fuit in Adamo, licet ipsi secundùm communem sententiam fuerint à principio infusæ scientiæ omnes ex genere suo acquisitæ: non obstante enim earum infusione, dum externo sensu singularia percipiebat, eorundem species intelligibiles abstrahebat, per IV. quas illa eo, quo dictum est, modo cognoscebat. C D

Quòd si supponerentur hæ quoque species omnes singularium externo sensu perceptorum aut perceptibilium repræsentatiuæ, fuisse Christo infusæ, statim à principio creationis, responderi tertiò posset, frustra nihilominùs in eo non fore intellectum agentem: propterea quòd illa potentia operatiua, cuius nulla est operatio, frustra non est, quando vna quidem ex parte est ex se connaturalis alicui naturæ, & ad eius naturalem integritatem perfectionémque requisita: ex altera verò, ideo nulli eius operatio est, quia nulla esse potest: ec quòd eo tempore quo posset, & deberet agere, inuenit aliunde productum totum id quod producere potuisset. Quòd nisi ita esset, dici consequenter deberet, aut virturum moralium habitus voluntati Christi non fuisse statim infusos à principio creationis, aut earundem virtutum actus in eo frustra fuisse: quia cùm hi producere possent illos habitus, eos minimè produxerunt, eo quòd iam productos inuenerunt, nec vllam proinde operationem habuerunt, cùm nullam aliam habere possint, quam illorum habituum productionem. V.

Secunda ratio est Gabrielis Vasquez, capite tertio, disputat. 55. cuius item tota vis in eo consistit, quòd nimirum frustra dicitur infusa Christo illa scientia ex genere suo acquisita, speciesque intelligibiles ad eam pertinentes, cum vna quidem ex parte, sicut istarum specierum, & illius proinde scientiæ nullum VI. actum exercere potuit, nisi per conuersionem ad phantasmata, eo quòd illæ species per accidens infusæ sunt eiusdem naturæ, ac rationis cum iis quæ ab intellectu agente ex phantasmatibus abstrahuntur, per has autem hic intelligere nihil naturaliter potest, nisi per prædictam ad phantasmata conuersionem: ita nec potuerit earundem specierum, eiusdémque proinde scientiæ vllum perfectum actum exercere, nisi dependenter à perfecta ad phantasmata conuersione, seu ab interno sensu perfectè operante: ex altera verò, sensus istius operatio non potuerit statim esse perfecta, sed perfectior paulatim progressu temporis euaserit, sicut in aliis pueris contingit: ob eandemque causam, ob quam id in iis euenit. Ex quo sequitur, Christum, etsi prædictas speVII. cies, præfatámque scientiam à principio infusam accepisset, non potuisse tamen aliquo tempore multa intelligere, circa illa discurrere, sicut & alij pueri non possunt, sed progressu tantùm temporis id potuisse: quorsum ergo à principio species illarum rerum, earundémque scientiam ex genere suo acquisitam ei infundere?

At responderi potest, verissimum quidem esse, specierum ad prædictam scientiam per accidens infusam pertinentium, & istius scientiæ nullum esse vsum naturaliter posse, nisi dependenter à phantasmate, seu interni sensus operatione, & illum eò esse perfectiorem, quò hæc operatio perfectior est, hancque statim perfectam esse non posse: his tamen non obstantibus merito scientiam illam fuisse infusam Christo, omnésque species tam intelligibiles, quam sensibiles ad perfectum illius scientiæ VIII. vsum tam intellectui, quàm interno sensui necessarias: primò, quia etsi non nisi progressu temporis illarum omnium specierum & illius proinde scientiæ perfectum vsum habere naturaliter posset, maioris tamen erat dignitatis, & ornamenti, his omnibus bonis statim à principio abundare, quibus suo tempore vti posset, & reipsa veteretur, quàm aliquo tempore carere, hocque ornamentum & dignitas ei ratione vnionis connaturaliter debebatur: si-

cut in rebus humanis, maioris est alicui puero dignitatis, etiam dum puer est, esse actu dominum ingentium bonorum, quàm eorum dominio tunc carere, licet tunc vti ipsis, seu de iis disponere validè non magis possit, quàm si nullum eorum dominium obtineret.

I. Deinde, quia cùm ad eã ætatem Christus peruenit, in qua corroboratis sufficienter sensibus, eorúmque organis poterat iam naturaliter per intellectum circa hæc, & illa obiecta discurrere, nisi prædictarum specierum, præfatæque scientiæ infusionem accepisset, non potuisset tunc tam multa intelligere, & circa tam multa discurrere, quàm potuit, suppositâ illa infusione: quia tunc non potuisset ex obiectis externo sensu cognitis species omnes tam intellectui, quàm externo sensui necessarias ad multarum illarum rerum cognitionem actualem exercendam accipere, ac in se producere: quam sanè potuit exercere tunc, suppositâ illa infusione, cùm nihil impedimenti afferri possit, & præterea cùm per scientiam infusam cognosceret omnes illas suas species, omnémque modum quo

II. iis vti posset, ac vtendum esset, ad multarum illarum rerum, aut etiam omnium quæ sciri naturaliter possunt, scientiam actualem comparandam: hæc autem ei perfectio, vtpote ratione vnionis hypostaticæ connaturaliter debita, concedenda est, vt tunc temporis naturaliter istarum rerum omnium scientiam hanc actualem comparare seu exercere potuerit, & per consequens concedenda eidem prædictarum specierum & scientiæ infusio, cùm absque ea id naturaliter non potuerit.

SECTIO III.

Rationes pro priori illa sententia expenduntur.

III. PRIMA est, Christo fuisse à principio creationis infusas virtutes omnes morales, ex genere suo acquisitas: ergo & omnes scientias humanas ex genere item suo acquisitas. Sed negari facilè cõsequentia potest: tum quia rationes quib. disp. 24. ita de virtutib. illis sentiendum esse probauimus, non valent ad probandum, idem de scientiis istis esse sentiendum: tum quia hæc afferri dispar ratio potest, quòd Christus à principio suæ conceptionis, totóque infantiæ suæ tempore nõ potuerit vti scientiis istis à Deo per infusionem acceptis, eo quòd earum vsus est ex natura rei dependens à conuersione ad phantasmata, seu ab interno sensu simul operante, non qualicunq. operatione, sed perfecta: tunc autem temporis talis

IV. operatio sensus interni esse in illo nõ potuit, sed eo solùm tempore, quoad ætatem illam peruenit, quæ ad scientias acquirendas idonea est: at è contrario ab ipso statim initio creationis, vti virtutibus illis moralibus infusis potuerit, eo quòd earum vsus non pendet necessariò ab aliqua cognitione vel sensus, vel intellectus intelligentis dependenter à sensu, & phantasmate, sed solùm ab aliqua in vniuersum cognitione intellectus, qua voluntati repræsententur obiecta virtutum illarum, in quæ per actus earum proprios tendere possit: cuiusmodi cognitio Christo à principio non defuit: cùm scientiam ex genere suo infusam tunc habuerit, per eamque obiecta illa cognouerit.

Secunda est, Adamo prædictas scientias infusas fuisse statim à principio creationis, vt cum Magistro in 2. distinct. 23. docent communiter Theologi, nominatímque S. Doctor prima A parte quæst. 94. art. 3. Ergo multò magis Christo. Verùm negari etiam hæc consequentia potest: tum quia ratio qua D. Thom. ibi ad probationem antecedentis vtitur, nullum in Christo locum habet: tum quia dispar est manifestè quoad hoc huius & illius ratio. Cùm enim Adamus productus à Deo fuerit in ætate virili & perfecta, vt totius humanæ naturæ caput, & rerum creatarum dominus, congruum fuit, vt tunc haberet scientiam, qua rebus creatis sciret vti, & dominari, illi eius ætati ac statui conuenientem: quam cùm tunc habere non posset ministerio sensuum, oportuit eam ipsi à Deo infundi. At Christus quamuis Ecclesiæ & omnis creaturæ caput, & dominus factus sit, B quia tamen in ætate infantili fuit genitus, nec debuit in hoc mundo statim vt perfectus vir VI. versari, sed more cæterorum puerorum, necesse non fuit vt scientiam ex genere suo acquisitam per infusionem à Deo acciperet, decuit potiùs vt eam sicut cæteri progressu temporis per sensus compararet.

Tertia est, non magis esse concedendum, Christum ex obiectis sensibilibus sensu perceptis sibi comparasse scientiam de qua loquimur, quàm aliquid ab hominibus aut Angelis didicisse: istud autem concedi non debere, ob eam causam, ob quam non concedit sanctus Doctor hîc quæst. 12. artic. 3. & 4. Sed meritò negatur Maior: licet enim non sit concedenda Minor, quia concedendum non est, Christum aliquid ab vlla creatura didicisse: meritò tamen concedi potest, Christum ex ob- C iectis sensibilibus sensu perceptis sibi comparasse eam de qua loquimur scientiam, quia scientiam hanc sic ex iis sibi comparare, non est ab iisdem discere, sicut nec est ab ipsis doceri de rebus illis, quarum scientia dependenter ab ipsis comparatur. VII.

Adde quòd etsi nos dum dependenter ab iis scientiam rerum aliquarum nobis comparamus, verè aliquando diceremur ab iisdem discere, & doceri, tum certè solùm, cùm nullam antea habuissemus aliunde cognitionem rerum illarum: nam discere proprie præsupponit ignorantiam præexistentem rei quæ discitur: at Christus cùm nullius rei cognitionem ab obiectis sensu perceptis sibi comparauerit, cuius antea ignorationem habuerit, imò cuius non habuerit infusam sibi scientiam, fit vt ab obiectis il- D lis nihil discere potuerit, nihil quoque ab Angelis, aut hominibus. Vnde cùm Apostolus ad VIII. Hebræos cap. 5. de ipso dixit: *Didicit ex iis quæ passus est obedientiam*, discendi vocabulum in propria significatione non vsurpauit, sed pro eo sumpsit, quod est experimento cognoscere, quod antea illo cognitionis genere non cognoscebatur.

Neque refert, quòd Lucæ 22. refertur Angelus apparuisse ei confortans eum. Duplex enim exposítio est. Prima, confortationẽ ibi idem

esse quod fortitudinis prædicationem : Angelumque confortare Christum , nihil aliud esse quàm eius prædicare fortitudinem , quòd se tam promptè ad mortem tam horrendam offerat : hanc tradiderunt Chrysost. tomo 3. serm. de Trinitate post medium verbis his, *Apparuit Angelus confortans eum qui ab Angelis adoratur. Et cui flectitur omne genu cœlestium, & terrestrium, & subterraneorum, quo pacto ab Angelo robur accipiebat? Non robur accepit, sed glorificationem Angeli dicentis: Tuũ est regnum & imperium Domine.* Theophylactus in illum Lucæ locum sic scribens : *Nonnulli sic dictum explicarunt curiosius, quia apparuit ei Angelus glorificans eum, & dicens, Tua est Domine fortitudo. Et hæc quidem sic se habent.* Epiphanius lib. 2. aduersus hæreses, hæresi 69. num. 60. sic iuxta nostri Petauij versionem loquens. *Quod autem ab Angelis confirmatus visus est, hoc modo illud ex magno Moysis cantico completum videmus: Adorent, inquit, ipsum omnes filij Dei, & confortent ipsum omnes Angeli Dei. Non vt fortitudinem illi ac robur adiiciant: neque enim illorum confirmatione opus habebat: sed confortent, inquit, ipsum, hoc est, reddant ei vim suam, ac fortitudinem acceptam illi referant. Nam & nos infirmi & imbecilles Deo sæpenumero robur tribuimus. Hinc ita prædicamus, Tua est virtus, tua potentia, tua est fortitudo, tua est vis. Num igitur Deo fortitudinem tribuimus, cùm ita dicimus? Num virtutem nos illi conferimus? Sed nimirum commemorando illa, diuinam vim prædicando confitemur, ac Deo fortitudinem ascribimus. Eodem igitur modo Angelus per illud tempus excellentem Domini sui aduersus homines benignitatem admirans, & obstupescens, quod cùm Deus esset, & cum Patre adoraretur in cœlo, eo vsque abiicere se voluisset, vt opificij sui causa, id est, hominis, cruciatus perpeti, & in cruce suffigi non dubitaret. Quare Angelus ille admiratione ac stupore perculsus, & Dominum suum collaudans ac prædicans qui in tali scammate, & ad tam inusitatum opus, velut in procinctu steterat, sic illum compellat, Tua est adoratio, tuum imperium, tua virtus, tua fortitudo: vt quod à Moyse scriptum est impleret, Confortent ipsum omnes Angeli Dei.* Denique S. Thomas in 2. dist. 11. quæst. 1. art. 3. ad 7. dicens Angelum confortasse Christum, *non aliquid in ipsum imprimendo, sed per modum ministerij, in quantum congratulabatur fortitudini eius.* Quam expositionem Vasq. amplectitur hac 3. parte disp. 56. cap. 2. confirmatque multis aliis ex Scripturæ locis, quibus idem aut similis loquendi modus in eadem aut simili significatione vsurpatur.

I.

II.

III.

IV.

Secunda est, Angelum confortasse Christum, id est, dixisse ea quæ apta erant ad aliquam ei consolationem afferendam, tristitiamque eius minuendam. Hæc communis est non modò Theologorum, sed etiam multorum Patrum quos citant Vasq. præfatæ disput. cap. 1. & Suarez in commentario artic. 4. quæstionis 12. nominatimque S. Thomæ, & Bedæ, cuius ille verba refert hoc ipso art. 4. in sua ad primum responsione. Sed clariùs in 3. dist. 14. art. 3. quæstiuncula 6. in resp. ad 2. in qua sic de Christo loquitur: *Non confortabatur instruendo, sed eo modo quo ex colloquio & præsentia amicorum & familiarium homo naturaliter confortatur in tristitiis, vt in hoc quoque veritas assumptæ naturæ appareret.* Quibus verbis hæc eiusdem S. Doctoris verba lectione 2. in caput 2. epistolæ ad Hebræos satis consentanea sunt : *Apparuit illi Angelus Domini confortans eum, non quòd indigeret ipso, sed vt ostenderet se minoratum ab ipsis per passionem.*

A

Quòd si priorem illam expositionem sequamur, luce clarius est, ex ea nullum posse peti argumentum, quo probatur Christum ab illo Angelo aliquid didicisse : sin autem posteriorem, non propterea id consequens erit : non enim fuerit hæc Angeli confortatio per modum institutionis, vt idem S. Thom. citata ad primum responsione expressè docet, sed purè factæ extrinsecus ab ipso propositionis earum rerum, quarum consideratione Christus aliquam voluptatem capere, & tristitiam ex parte mitigare poterat : factæ autem non ad aliquam ei reipsa tristitiæ partem auferendam, sed ad humanæ in ipso naturæ veritatem ostendendam. Qua extrinsecus facta ab Angelo rerum illarum propositione, nihil ab eo discebat Christus, cùm & illas res non ignoraret, eámque omnem consolandi se, ac minuendæ tristitiæ suæ rationem probè teneret, quam poterat Angelus proponere, longeque melius ac penitius eam ipse per se consideraret, quàm consideranda ipsi ab illo proponi posset. Vnde si quam ex earum rerum consideratione consolationem accepisset, non tam ab Angelo res illas proponente, quàm à se easdem considerante eam habuisset : reuera autem nullam accepit, Euangelista testante, quòd statim vt ab eo discessit Angelus, factus in agonia est, in qua ante aduentum eius non fuerat, cœpitque copiosum sudare sanguinem, quem antè non sudarat.

B

V.

VI.

Ex quo intelligimus post Angeli colloquium & confortationem creuisse potius dolorem illius, quàm aliqua ex parte fuisse mitigatum. Nec mirum quòd ex Angeli colloquio nullum tristitiæ leuamen accipere voluerit, qui amore patiendi pro nobis, ne ex beatifica quidem Dei visione vllum voluit accipere, cùm tamen hanc visionem si naturæ suæ reliquisset, & nisi per ingens miraculum impediuisset, hæc vi sua tristitiam illam non modò minuisset, sed totam etiam penitus abstersisset.

C

VII.

Quarta est, Christi scientiam ex genere suo acquisitam fuisse necessariò perexiguam, si eam per proprios actus comparauit. Cùm enim hæc quando sic comparatur, comparetur ex præsentia obiectorum sensu perceptorum, pauca autem obiecta sensibilia toto vitæ suæ tempore Christus perceperit, non potuit ex iis nisi modicam haurire scientiam, cum præsertim illam nullo magistro docente hauserit, sed per propriam inuentionem acceperit : ad quam hoc modo comparandam copiosam & excellentem, longissimum tempus, multiplex diuersarum rerum experientia, & assidua animi meditatio contentióque requiritur.

D

VIII.

Responderi rectè potest, Christum sciuisse omnia hoc acquisitæ scientiæ genere de quo loquimur, quæ scire potuit per species illas quas per intellectum suum agentem abstraxit à phantasmatibus, ac proinde produxit dependenter

ab obiectis sensibilibus externo sensu perceptis: quæ autem per illas species scire potuit, fuisse quamplurima, tum propter excellentissimam vim ingenij iudiciique qua pollebat: tum propter infusam quam de iisdem rebus ac infinitis aliis habebat scientiam, ratione cuius liberabatur in primis omni periculo erroris circa res, de quibus per prædictarum specierum vsum discurrebat: cùm intellectus vno actu vnius rei veritatem videns non possit alio simul actu iudicare, eam non sic, sed aliter se habere. Deinde iuuabatur plurimùm ad acquirendam breui tempore per earundem vsum quamplurimarum rerum certam euidentémque cognitionem: quia per scientiam illam infusam cognoscebat non modò species omnes quas à phantasmatibus abstraxerat, sed etiam omnes modos vtendi speciebus illis ad ita formandas, & aptè ordinandas rerum apprehensiones, vt ex iis assensus diuersorum principiorum generarentur: omnes quoque modos connectendi varia principia vtiles ad inferendas ex iis omnes illas conclusiones, quæ ex varia eorum connexione naturaliter & verè inferri possunt.

Quòd si per eas quas à phantasmatibus & obiectis sensibilibus abstraxit species, per earúmque vsum, non potuit naturaliter deuenire in certam euidentémque notitiam specificarum omnium naturarum, quæ hoc vniuerso continentur, earúmque quas habent proprietatum, vt reuera non potuit in multorum piscium marinorum, verbi causa, ac lapillorum in terræ visceribus latentium, similiúmque rerum quæ naturaliter in eius sensus incurrere non potuerunt, nec illam habent affinitatem cum rebus per sensum ab ipso perceptis, vt ex iis in illarum cognitionem deueniri naturaliter possit: Dicendum consequenter est, ipsum aut non habuisse ita perfectam scientiam ex genere suo acquisitam de qua agimus, vt omnia omnino per eam sciuerit, quæ sciri possunt de rebus ad hoc vniuersum pertinentibus: quod etiam dicunt Marsilius in 3. quæst. 10. art. 3. & Gabr. Vasq. disput. 55. cap. 4. aut si ita perfectam habuit, fuisse illi infusam à Deo, quoad res in quarum cognitionem deuenire naturaliter non poterat ex obiectis illis sensibilibus, quorum erat notitiam per sensum habiturus.

Etenim ita sentire satius est, quàm cum Caietano ad art. 4. quæstionis 3. dicere, ipsum ministerio Angelorum habuisse præsentes, suisque sensibus obiectas naturas omnes sensibiles, vt ex iis earúmque phantasmatibus abstraheret per intellectum agentem species intelligibiles, necessarias ad plenam perfectámque illarum omnium scientiam comparandam: satius inquam est ita sentire, tum quia magis est illud quam istud credibile, maioriſque multò istud quam illud miraculi: tum quia incredibile videtur ad Christum adducta fuisse Angelorum ministerio innumera rerum specie diuersarum, vt lapidum, volucrum, ferarum, piscium, aliarúmque indiuidua, quæ eo quo viuebat orbis loco nunquam erant in eius sensus naturaliter incursura: tum quia ex iis semel sensu perceptis non potuisset naturaliter in omnium quas habent proprietatum deuenire scientiam, sicut & nullus quantumuis acri & acuto ingenio præditus, ex magnete semel viso potest certò scire vim attrahendi ferri quam habet.

Quòd si dicat Caietanus, nolle se, fuisse ministerio Angelorum ad Christum adducta innumera illa indiuidua, sed solùm eorum opera fuisse impressa eius imaginationi omnium rerum phantasmata, non est audiendus: tum quia vim nullam naturalem habent Angeli hæc humano intellectui phantasmata imprimendi, vt suppono ex tractatu de Angelis, in quo docui, iuxta communem Theologorum sententiam, ipsos in hæc inferiora nihil posse præter motum, & ea quæ ad ipsum ordinantur: tum quia etsi id possent, credibilius esset Deum hanc illi infudisse prædictarum rerum scientiam de qua loquimur, quàm impressa fuisse ab Angelis earum in sensum eius internum phantasmata.

DISPVTATIO XXXI.

De potentia animæ Christi.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter?

QVÆSTIONEM hanc iis ipsis terminis proponit S. Doctor art. 1. quæst. 13. Respondet autem impossibile fuisse vt haberet: quod tã de eius humanitate quàm de anima intelligendum est, cùm vtriusque quoad hoc eadem ratio sit. Intelligendum quoque est non de sola illa numero omnipotentia increata, quæ diuinitatis propria est, sed etiam de quacunque alia creata illi increatæ simili, eiusdémque cum ea nominis, & analogicè cum illa in ratione omnipotentiæ conueniente. Verè enim impossibile est animam ac humanitatem Christi aut aliquam aliam naturam creatam, siue completam, siue incompletam, esse vel fieri omnipotentem per vllam formam, siue increatam, quæ sit omnipotentia, id est, potentia producendi physicè quidquid non implicat contradictionem physicè produci.

Ratio qua D. Thomas hoc efficaciter probat in hanc recidit, quòd omnipotentia sit essentialiter actiua potentia: nulla autem natura denominari vere possit ab vlla potentia actiua potens agere, nisi ab ea quæ ipsi naturæ intrinseca est, siue sic intrinseca sit, vt ei penitus identificetur, vt cum illa per se immediatè actiua est: siue sic tantùm intrinseca sit, vt in illa tanquam in subiecto, à quo reipsa distinguitur, recipiatur. Quid enim est aliud rem potentem esse formaliter ad agendum, quàm eam aut per se, suámque immediatè entitatem posse agere, aut id posse per aliquam formam, & virtutem actiuam in ea intrinsecè receptam? Vnde & nulla res reperietur in rerum natura, quæ vnquam denominetur à nobis potens agere, quin eidem intrinseca sit alterutro modorum illorum illa virtus & potentia actiua a qua potens agere formaliter denominatur. Iam verò licet animæ ac humanitati Christi

possit vniri hypostaticè Verbum, eiúsque diuinitas, ac per consequens omnipotentia, sicut tamen per hanc vnionem illa anima ac humanitas non fit diuinitas, ita non fit omnipotentia: sicut item per eandem non fit vt diuinitas in illa anima aut humanitate recipiatur intrinsecè tanquam in subiecto, ita nec fit, vt omnipotentia.

I. Ex quo sequitur, vt humanitas ac anima illa verè non possit esse ac denominari formaliter omnipotens ab hac omnipotentia, cùm hæc illi neutro illorum modorum intrinseca sit, aut esse possit. A

Quòd autem illi animæ, aut vlli alteri naturæ creatæ, siue completæ, siue incompletæ, nulla vis actiua creata possit esse intrinseca, quæ omnipotentia sit, hinc patet, quòd ad omnipotentiam requiritur vis actiua producendi physicè quidlibet non implicans contradictionem physicè produci: nulla autem res habere vim actiuam potest primò producendi physicè seipsam, cùm tamen sit primò physicè producibilis.

II. Ex quo colliges, omnipotentiæ, aliorúmque omnium diuinorum attributorum non esse eandem prorsus rationem: multa enim ex illis licet naturæ creatæ communicari secundùm se nequeant, siue sic, vt eadem numero ei communicentur, & ab iis illa formaliter denominetur, possunt tamen communicari secundùm aliquod donum ipsis simile, eiusdem cum iis nominis, cum iisdémque conueniens in vna saltem analoga ratione: cuiusmodi sunt diuina scientia, & æternitas: quamuis enim nulla natura creata fieri possit æterna, aut sciens, per illam ipsam numero æternitatem, ac scientiam qua Deus æternus & sciens est, potest tamen talis fieri per durationem aliquam creatam principio ac fine carentem, quæ propterea rectè vocabitur æternitas: per scientiam item creatam aliquam circa eadem obiecta versantem, circa quæ diuina scientia versatur: at omnipotentia neque secundùm B

III. se, neque secundùm aliquod donum creatum ipsi simile communicari potest, ob rationem allatam. C

Cui videtur quoad hoc esse similis immensitas: nulla enim natura creata fieri immensa potest per illam ipsam numero immensitatem qua Deus immensus est: sed neque per aliquam creatam illi increatæ similem: quia ad rationem formæ quæ immensitas est, pertinet, vt per se suáque vi rem eam in qua est possit constituere præsentem omni spatio producibili, maiori ac maiori in infinitum, nulla est autem forma creata possibilis quæ id possit: quælibet enim forma qua res aliqua creata fit formaliter præsens spatio, Vbi quoddam est: quodlibet autem Vbi subiectum in quo est, ita certo ac determinato in loco spatióque constituit, vt in maiori constituere

IV. non possit. D

Si quis tamen existimaret esse possibile spatium actu infinitum, & ita infinitum, vt nullum præterea spatium dari posset, quod cum illo infinito posset efficere spatium maius, dicere ex consequenti meritò posset, posse diuinam immensitatem alicui creaturæ communicari, non quidem eandem numero, sed secundùm aliquam formam creatam illi increatæ similem: quia dicere meritò posset, Deum absoluta sua virtute posse vt producere istud infinitum, sic creaturam aliquam, Angelum, exempli causa, constituere toti illi spatio præsentem: quod non faceret nisi per communicatam ei formam aliquam creatam, vi cuius formaliter esset in toto illo spatio: quæ forma eo ipso rectè vocaretur immensitas, quo constitueret illum præsentem tanto spatio, quanto Deus per immensitatem suam coexistere potest. V.

SECTIO II.

Obiectiones soluuntur.

AT obiicies primò glossam ordinariam in hæc verba Lucæ capite 1. *Hic erit magnus*, ex S. Ambrosio hæc referentem, *Potentiam quam Dei filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus*. Damascenum quoque lib. 3. de fide, cap. 18. sic de humanitate Christi scribentem. *Per naturam quidem haud quaquam omnipotens erat, vt autem Dei Verbi vere ac naturaliter effecta, nihil non quoque ipsa poterat*. Nicetam præterea libro 3. Thesauri cap. 38. num. 5. disertè

VI. dicentem, *Christi humanitatem ex vnione cum diuinitate fuisse effectam diuinam, & magnificas diuinitatis dotes accepisse, vt vitam tribueret, & esset omnipotens, & omnia cerneret.*

Ad illud ex S. Ambrosio desumptum respondet D. Thom. hoc art. 1. ad 1. hominem ex tempore accepisse omnipotentiam quam Dei filius naturaliter habet, sed accepisse per communicationem idiomatum, qua quæ Dei propria sunt, de homine verè prædicantur, sicut & quæ propria sunt hominis, de Deo. Quod S. Ambrosium solùm voluisse, satis constat ex his eius verbis, ea quæ relata ex ipso sunt immediatè consequentibus, *Vt vna sit persona homo & Deus*: quasi dicat, ideo hominem accepturum omnipotentiam quam naturaliter habet Dei filius, quia homo erit eadem persona quæ Deus

VII. Dei filius, fiétque proinde, vt omnipotentia, cæteráque omnia quæ de persona filij Dei verè dicuntur, verè quoque de homine affirmentur. At sicut quamuis Deus dicatur mortalis, passibilis, imò passus, mortuus, ipsa tamen natura diuina abstracto nomine significata dici verè non potest passa, mortua, mortalis, passibilis: ita quamuis homo verè dicatur immortalis, impassibilis, omnipotens, ipsa tamen humana natura abstracto nomine significata denominationes istas verè suscipere non potest: hîc autem non quærimus, vtrùm homo in concreto, sed an humanitas in abstracto sit omnipotens.

Ad Damascenum & Nicetam videtur aliter respondendum, cùm humanitati abstractè significatæ tribuant omnipotentiam, sicut & omnium rerum scientiam, hæc autem habeat scientiam rerum omnium de quibus loquuntur, nempe existentium in aliqua differentia temporis,

VIII. non solùm per communicationem idiomatum, qua concreto hominis nomine significata denominatur omniscius, ab illa ipsa numero scientia, qua diuinitas omnia scit, sed etiam per creatam aliquam formam sibi in abstracto sumptæ inexistentem, & intrinsecam. Dicendum autem eos illi sic sumptæ tribuere omnipotentiam, non quòd velint illam ex vnione hypostatica cum Verbo redditam fuisse simpliciter omni-

potentem, ea omnipotentia, quæ propriè sumpta definitur actiua potentia producendi physicè quidquid non implicat contradictionem physicè produci, sed quòd eiusdem vnionis ratione fuerit assumpta tanquam instrumentum diuinitatis ad effectus quosdam producendos, vt ad
I. cæcos illuminandos, mortuos suscitandos, & A
alios similes, qui proprij sunt omnipotentiæ diuinæ tanquam causæ primariæ, eique soli connaturales.

Obiicies secundò, humanitatem Christi abstractè significatam sanctificari formaliter ab ipsa numero sanctitate, quæ propria diuinitatis est, vt suprà docuimus: ergo & fieri omnipotentem formaliter ab illa ipsa omnipotentia, quæ est eiusdem diuinitatis propria. Consequentiæ autem bonitatem hinc constare, quòd omnipotentia diuinitati tam identificatur, quàm sanctitas, tamque proinde illa quàm hæc est vnita hypostaticè humanitati, eo ipso quo huic est sic vnita diuinitas: vnde si vt ab increata diuinitatis sanctitate sanctificetur formaliter, sufficit hypostatica cum ea vnio, ita vt ab eiusdem increa-
II. ta omnipotentia sit formaliter omnipotens, suffi- B
ciet quoque eadem cum illa vnio. Concesso antecedente negatur consequentia, cuius ad probationem dico primò, eadem probari posse humanitatem Christi in abstracto sumptam denominari posse formaliter intelligentem, volentem, beatam, æternam, immensam, immortalem, & ita de cæteris attributis diuinitati propriis, ab illa ipsa numero intellectione, volitione, beatitudine, æternitate, immensitate, & immortalitate, qua diuinitas est intelligens, volens, beata, æterna, immensa, immortalis: omnia enim hæc attributa, cæteraque tam identificantur à parte rei diuinitati, quàm sanctitas, tamque proinde quàm hæc sunt hypostaticè vnita humanitati, eo ipso quo diuinitas cui identificantur ei sic vnita est.

III. Dico secundò, disparem esse rationem omnipotentiæ & sanctitatis: ex formali enim ratione & conceptu omnipotentiæ in genere est, vt ea sola natura abstractè significata possit ab ea fieri & denominari formaliter omnipotens, cui intrinseca est, vel per suam cum illa identitatem, vel per suam in illa tanquam in subiecto inexistentiam, vt suprà ostendimus: sicut & ex formali ratione, conceptúque intelligentis, volentis, cæterorúmque attributorum antè relatorum est, vt ea sola natura possit eorum formalem suscipere denominationem, cui similiter intrinseca sunt: at sanctitas, vt sanctitas in genere est, nõ postulat ex proprio suo formalique cõceptu, vt sit intrinseca naturæ, ad hoc vt formalem ei suum effectum tribuat, seu vt eam formaliter
IV. sanctificet: sed si creata sit, & accidentalis, id D
ex se suáque propria ratione talis sanctitatis necessariò postulabit, vt proprium suum formalem effectum ei communicet: sin autem diuina sit & substantialis, id non exiget vt eidem suum peculiarem effectum formalem tribuat, sed substantialem tantùm cum ea vnionem requiret, qualis hypostatica est. Qua vnione non obstante, cùm sicut ipsa diuinitas, sic eius omnipotentia, æternitas, immensitas, cæteráque similia attributa sint extrinseca humanitati assumptæ, vtpote quæ nec huic identificantur, nec in ea tanquam in subiecto recipiuntur, hinc est, quòd ab illis hæc denominari formaliter omnipotens, æterna, immensa verè non potest, licet verè possit denominari sancta, seu sanctificata ab ipsa increata diuinitatis sanctitate, quantumcunque sanctitas hæc sit ei tam extrinseca, quàm diuinitas. V.

Quòd si quæras, vnde fiat, vt sanctitas prout sanctitas in genere est, non id necessariò requirat quod diximus, cùm tamen requirant omnipotentia, cæteráque attributa quæ recensuimus: Respondeo hinc fieri, quòd sanctitas sit morale quidpiam, ac non purè physicum, sicut & regia dignitas, ac quælibet alia similis, vt dignitas est in genere, aut etiam vt talis in specie dignitas: licet autem formæ purè physicæ proprium suum formalem effectum tribuere non possint, nisi ei naturæ cui intrinsecè insunt, nec eam proinde denominare nisi per intrinsecam denominationem, secus tamen aliquæ aliæ formæ non purè physicæ, sed simul morales, vt constat exemplo regiæ dignitatis, quæ multas res, vt
VI. vestes regias, & alias quibus intrinseca non est, B
significat, vt ita loquar, dummodo Rex aliquam cum iis habeat vnionem: vt constat item exemplo diuinitatis, quæ etsi non esset formalis sanctitas, vt reuera non est regia maiestas, nec sanctificare proinde formalitér posset humanitatem assumptam, eam tamen adhuc formaliter significaret, & quidem infinitè, sicut & ipsa infinita dignitas est: quod & similiter facit omnipotentia, spectata non sub formali conceptu potentiæ, sed dignitatis.

Atque vt certiùs constet, omnipotentiæ, sapientiæ, immensitatis, similiúmque Dei attributorum, & sanctitatis diuinæ non esse eandem rationem, quoad denominationem humanitati Christi tribuendam, solùm hoc præterea aduerto, quòd etsi humanitas hæc non magis denominari posset sanctificata & dignificata formaliter
VII. ab illa ipsa numero sanctitate & dignitate in- C
creata quæ propria diuinitatis est, quàm denominari possit omnipotens, sapiens, immensa, ab illa ipsa numero omnipotentia, sapientia, immensitate, quæ diuinitatis eiusdem est propria: nihilominus fatentur omnes, ab huius ipsius diuinitatis vnitæ hypostaticè illi humanitati sanctitate & dignitate increata resultare & deriuari necessariò in illam humanitatem, sanctitatem & dignitatem infinitam, siue hæc dignitas & sanctitas dicenda esset ens aliquod morale, siue formaliter ens rationis: cùm tamen dici non posset ab omnipotentia, sapientia, & immensitate diuinitatis vnitæ hypostaticè eidem illi humanitati, resultare necessariò & deriuari in illam,
VIII. quandam omnipotentiam, sapientiam, & im- D
mensitatem, quæ sit formaliter vel ens aliquod morale, vel rationis.

SECTIO II.

Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam respectu, & immutationis creaturarum, & exequutionis suæ voluntatis?

QVOAD omnipotentiam respectu immutationis creaturarum, quærit hoc ipsum

D. Thomas art. 2. citatæ quæſt. 13. quæ quæſtio non eſt eadem cum illa quæ ſuperiore articulo propoſita eſt: in illa enim agebatur de omnipotentia ſimpliciter ſeu adæquatè ſumpta: in hac autem agitur de omnipotentia ſecundùm quid, ſiue ſumpta inadæquatè: non enim agitur de
I. omnipotentia prout extendit ſe ad omnes effectus poſſibiles, ac proinde ad creaturas iam productas immutandas, & etiam producendas, quæ eſt omnipotentia ſimpliciter, & adæquatè ſumpta, ſed tantùm prout extendit ſeſe ad creaturas iam productas immutandas, quæ eſt omnipotentia ſecundùm quid, & ſumpta inadæquatè.

Quæſtioni autem propoſitæ negatiuè reſpondet: quemadmodum enim vt anima Chriſti haberet omnipotentiam ſimpliciter, neceſſarium eſſet eam efficere phyſicè poſſe, vel per propriam naturam, & virtutem, vel vt inſtrumentum diuinitatis, quidquid non implicat contradictionem phyſicè effici: ita vt habeat omnipotentiam reſpectu immutationis creaturarum, neceſſarium foret, eandem poſſe ſimiliter vel per propriam
II. naturam virtutemque, vel vt inſtrumentum Dei facere quamcunque productarum creaturarum poſſibilem mutationem: non poſſet autem, licet enim multas poſſet per propriam ſuam naturam ac virtutem, & quidem omnes tam naturales in entitate, quàm ſupernaturales, quæ ſunt eius actiuæ virtuti, ſiue naturali in entitate, ſiue ſupernaturali, connaturales, cuiuſmodi ſunt omnes actus naturales potentiarum quibus naturaliter inſtructa eſt, omnes item ſupernaturales, vt viſio beatifica, & actualis erga Deum charitas, quarum principium connaturale eſt per infuſos ſibi ſupernaturales luminis gloriæ, & charitatis habitus: licet etiam plures poſſet, vt inſtrumentum Dei, & quidem omnes miraculoſas, quæ ordinari poſſunt in finem Incarnationis, vt reſtitutio viſus cæcis, auditus ſurdis, vitæ mortuis, eſt tamen aliqua creaturæ iam
III. productæ mutatio, quam nec ſecundùm propriam virtutem, ſiue naturalem in entitate, ſiue ſupernaturalem, nec vt inſtrumentum Dei facere poteſt, éſtque eiuſdem creaturæ annihilatio, quam ſolus ille annihilare poteſt, qui creare poteſt. Vnde cùm nulla creatura, ex doctrina S. Thomæ, vllius rei creationem poſſit attingere, etiam vt inſtrumentum Dei, nulla quoque poterit eius annihilationem.

Et ſanè cùm res antè creata non annihiletur niſi per deſitionem influxus creatiui quo in rerum natura ponebatur & conſeruabatur, ſi nulla creatura poteſt etiam vt inſtrumentum Dei habere creatiuum influxum erga aliam, non poteſt vllus eius creatiuus influxus aliquando deſinere, nulláque proinde per huius influxus deſitionem annihilari. Quòd ſi quis cum multis
IV. & Philoſophis, & Theologis ſentiret, poſſe creaturam vnam, vt inſtrumentum diuinitatis, attingere creationem alterius, ſentire ex conſequenti deberet, poſſe vnam ab altera tanquam ab inſtrumento Dei annihilari: vera tamen adhuc eſſet D. Thomæ concluſio hoc art. 2. poſita, quia etſi Chriſti anima & humanitas aſſumi poſſet vt inſtrumentum Dei ad creandum, & per conſequens annihilandum, ſicut tamen aſſumi non poteſt ad creandam primò ſeipſam, ita nec poſſet ad ſeipſam annihilandam, nec proinde facere poſſet omnes creaturæ iam productæ tranſmutationes poſſibiles, cùm poſſibilis ex rei natura ſit ipſius animæ ac humanitatis iam creatæ tranſmutatio in nihil, ſeu annihilario.

Ex quo intelligitur, quàm rectè idem S. Doctor ſequenti art. 3. negarit animam Chriſti habuiſſe omnipotentiam circa tranſmutationem proprij corporis. Nam ſaltem non potuit, etiam vt inſtrumentum Dei, facere eam illius tranſmutationem, qua tranſmutaretur in nihilum, ſi non potuit etiam vt inſtrumentum Dei aſſumi ad illud producendum ex nihilo, ſeu creandum. Etſi autem alias omnes ſui corporis tranſmutationes efficere potuerit, ſaltem vt inſtrumentum Dei, non tamen omnes potuit per vim ſibi intrinſecam, ſiue naturalem in entitate, ſiue ſupernaturalem: multæ enim haud dubiè fuere poſſibiles, quarum ſpectatis omnibus agendi virtutibus, tam ſupernaturalibus in entitate, quàm naturalibus quibus prædita erat, connaturale principium eſſe non poterat. V.

Iam quoad alteram quæſtionem, vtrùm ſcilicet anima Chriſti omnipotentiam habuerit reſpectu executionis ſuæ voluntatis, quam idem S. Thom. proponit art. 4. ſenſus quæſtionis eſt, vtrùm quæcunque voluit facere, potuerit: reſpondétque duplici concluſione: quarum prior eſt, eam facere potuiſſe, quæcunque voluit per ſe facere: poſterior eſt, eandem etiam potuiſſe facere vt inſtrumentum diuinitatis quidquid voluit, quod diuina virtute erat faciendum. Vtraque concluſio intelligenda eſt de voluntate efficaci, quantum erat ex parte ipſius animæ volentis: conſtat autem vtriuſque veritas ex eo quòd ſi quid fuit, quod vel per ſe, vel vt inſtrumentum Dei facere non potuit, eius faciendi voluntatem efficacem non habuit: non enim eius ſapientiæ conueniens fuiſſet id velle efficaciter: vnde quidquid efficaciter voluit aut per ſe facere, aut vt inſtrumentum diuinitatis, id haud dubiè potuit eo modo quo voluit. VI.

Circa priorem autem concluſionem aduerte, S. Doctorem nomine eorum quæ per ſe anima Chriſti mãdare executioni voluit, aut potuit, intelligere in primis ea ſiue in entitate naturalia, ſiue ſupernaturalia, quorum connaturale principium effectiuum eſſe poterat per intrinſecam ſibi virtutem, ſiue naturalem in entitate, ſiue ſupernaturalem à Deo infuſam, vt rectè notauit Caietanus in hunc art. 4. colligiturque non obſcurè ex eo quòd diſtinguit S. Thomas ea quæ per ſe potuit anima Chriſti, ab iis quæ potuit vt inſtrumentum Dei: ſicut ſuprà art. 2. ea quæ potuit per propriam naturam & virtutem, vel naturalem, vel gratuitam, ſeu ſupernaturalem à Deo infuſam, diſtinxit ab iis quæ vt inſtrumentum Dei potuit. Vnde non videtur dubitandum, quin hoc art. 4. per ea quæ per ſe potuit anima VIII. Chriſti, intelligat ea quæ artic. 2. dixit illam potuiſſe per propriam naturam & virtutem vel naturalem vel gratuitam ſiue ſupernaturalem: per hæc autem proculdubio intellexit ea quorum principium effectiuum connaturale eſſe potuit, vt paulò antè diximus. Deinde intelligere ea, quorum executio à ſola animæ Chriſti voluntate pendebat, non item ab alterius hominis: cuiuſmodi erant ea quæ per alium hominem erant liberè facienda, & quæ ab ipſo fieri, velle pote-

rat anima Christi, vt rectè obseruat Vasquez in comment. huius art. 4. & benè colligit ex iis quæ idem S. Doctor habet in resp. ad 1. hoc eodem articulo 4. sed de humana Christi voluntate, & eius actibus plura ad quæst. 18. & 19.

DISPVTATIO XXXII.

De defectibus corporis ab incarnato Verbo assumptis.

SECTIO PRIMA.

Vera de iis doctrina traditur, & probatur.

QVæ ad hanc materiam pertinent explicabimus percurrendo singulos articulos quæstionis 14. quam totam in hac materia pertractanda S. Doctor impendit. Articulo primo concludit fuisse conueniens, vt Dei filius humanam naturam assumens, humani quoque corporis defectus & infirmitates assumeret, id est, humanum corpus quod his infirmitatibus subiaceret, quod rectè probat tribus rationibus ductis ex fine Incarnationis, quæ ex textu claræ sunt.

II. Articulo 2. concludit Christum assumpsisse necessitatem subiacendi his corporis defectibus, id est, assumpsisse corpus humanum, quod tale fuit, & ita dispositum, vt habita ratione totius illius dispositionis constitutionisque quã habuit, prædictis defectibus ex necessitate subiectum fuerit: quemadmodum corpora nostra habita ratione constitutionis & dispositionis in qua nunc sunt, subiacent ex necessitate fami, siti, frigori, similibusque naturalibus humani corporis defectibus.

III. Quæ D. Thomæ conclusio certa ex fide est, vt pote definita in Concilio Ephesino, anathematismo 12. in Lateran. sub Martino primo, consult. 5. can. 4. in Tolet. 1. in confess. fidei, & in 6. Synodo, actione 11. & 13. constat enim ex illis locis Christi corpus fuisse subiectum passionibus, & eas reipsa sensisse & sustinuisse, sicut nunc corpora nostra subiecta iis sunt, eásque sentiunt ac sustinent: nostra autem nunc ex ea naturali quam habent constitutione ac dispositione iis ex necessitate subiacent.

IV. Ex qua Catholica doctrina redarguuntur erroris in primis hæretici illi, qui dixerunt Dei filium non assumpsisse verum corpus, sed imaginarium, ac phantasticum: deinde ij qui voluerunt assumpsisse quidem verum corpus, at non eiusdem cum nostro substantiæ, sed cœlestis: vtrique enim corpus eius non fuisse subditum naturalibus humani nostri corporis defectibus & passionibus consequenter senserunt. Illi denique qui licet admitterent corpus eius fuisse verum corpus humanum, terrestre, carneum, eiusdem cum nostro substantiæ, simul tamen asserebant ipsum semper impassibile fuisse, nec vllum vnquam vllius doloris ac passionis sensum habuisse. Quorum etiam error refellitur euidenter multis Scripturæ testimoniis, quæ referuntur à Gabr. Vasq. Suare, & alijs, in suis ad hunc artic. 2. commentarijs, & disputationibus.

Cæterùm vt pleniùs intelligatur qua necessitate Christus subiectus fuerit prædictis corporis passionibus ac defectibus, distinguit S. Doctor duplicem necessitatem, vnam, quam naturalem appellat, estque ea quæ sequitur naturam, aut naturæ principium aliquod, siue materiam, siue formam: cuiusmodi est necessitas qua igni, ratione suæ formæ, necessarium est calefacere, & composito physico sublunari pati varias alterationes, ratione materiæ qua constat. Alteram, quam coactionis appellat, estque ea qua necessarium est pati id quod ab agente extrinseco fit contra naturam & voluntatem eius qui patitur.

V. Qua distinctione præmissa, tria docet. Primum est, Christum fuisse priori necessitate subiectum naturalibus humani corporis defectibus: habuit enim corpus, quod ratione materiæ qua constabat, dispositionúmque quibus affectum erat, tam necessariò famẽ, sitimq. patiebatur post longam à cibo potúque abstinentiam, defatigationem, post longum iter ambulando confectum, & similia, quàm nos ob easdem causas necessariò patimur. Vnde quod 40. continuos dies sine cibo potúque transegerit, iisque durantibus famem non senserit, magno miraculo Patres omnes attribuunt.

VI. Secundum est, Christum necessitate coactionis fuisse subiectum præfatis defectibus, dummodo spectetur hæc necessitas prout repugnat naturæ corporali, ac naturali eius inclinationi. Corpus enim eius necessariò patiebatur ab externis & contrarijs agentibus, vt à frigore, clauis, spinis, istæque passiones naturę corporali repugnabant, erántque contra naturalem ipsius inclinationem.

VII. Tertium est, Christum necessitate coactionis non fuisse subiectum prędictis passionibus ac defectibus, dummodo spectetur hæc necessitas prout repugnat voluntati patientis id quod ab extrinseco in ipsum infertur. Christus enim per humanam etiam voluntatem sustinuit perlubenter omnes quas in corpore sensit passiones. Nec refert quòd imminentia sibi tormenta, mortémque refugerit: fuit enim hic actus simplex tãtùm & inefficax mortis ac tormentorum displicentia, cum qua simul stabat in humana eiusdem voluntate efficax volitio ea patiendi: vt quis autem coactè aliquid patiatur coactione repugnante voluntati, debet illud pati voluntate efficaciter quantum ex se est volente non pati quod patitur. Nam quod quis simpliciter voluntariè patitur, pati coactè, dici non potest: quod autem quis patitur efficaci voluntate patiendi, simpliciter voluntariè proculdubio patitur.

VIII. Ex his definiri facilè potest quęstio hîc à Theologis proponi solita, vtrùm passiones corporis à Christo susceptæ vocari debeant naturales, an supernaturales, & assumptæ: vtrùm voluntariæ, an violentæ? Dicendum enim in primis est eas vocari debere assumptas, quòd eas Verbum verè assumpserit, eo ipso quo assumpsit corpus humanum iis obnoxiũ, & quòd eas in se verè pertulit.

Dicendum secundò, vocari quoque debere naturales, tum quia corpori humano suæ naturali conditioni relicto connaturales sunt: tum quia corpus hoc naturæ necessitate iis subiacet.

Dicendum tertiò vocari posse supernaturales, eo sensu quo à D. Damasc. lib. 3. de fide cap. 20. sic vocatæ sunt: quòd nimirũ cùm passiones

quæ

quæ ſecundùm naturæ curſum nobis contingũt, aut in nos ab extrinſeco inferuntur, frequenter præueniant noſtram voluntatem & rationem, & ita præueniant, vt non rarò eam vincant, ac poſt ſe trahant, aut ſaltem moueant & alliciant ad eas volitione etiam efficaci quantum in nobis eſt declinandas: è contrario quæ Chriſto contingebant, nunquam eius rationem aut voluntatem anteuertebant, ſed ſequebantur ſemper, aut comitabantur, aut etiamſi aliquando anteuertiſſent, non tamen ſic vt eam poſt ſe traherent, allicerentve ad eas efficaci volitione declinandas, cùm ipſe Chriſtus eas ſemper deliberata & efficaci voluntate voluerit ſuſtinere, aut antequam contingerent & inferrentur, ac proinde antecedenti voluntate, aut ſaltem tum dum contingebant, & inferebantur, & proinde concomitanti. Quod autem hæc fuerit cauſa ob quam à Damaſceno ſupernaturales dictæ ſunt, patet ex his citato loco verbis: *Supra naturam autem erant, quoniam ea quæ naturalia erant, in Domino voluntatem haud quaquam anteuertebant.*

I.

II. Dicendum quartò, debere vocari violentas, habita ratione ſolius naturæ corporalis, & naturalis eius inclinationis: quia huic eius inclinationi erant contrariæ. Dicendum quintò, debere vocari ſimpliciter voluntarias, ſecũdùm quid autem violentas, habita ratione ſolius voluntatis Chriſti qui eas patiebatur: ſimpliciter quidem voluntarias, quia libera & efficaci voluntate, vel antecedente, vel concomitante, eas pati volebat, & patiebatur: quod autem eiuſmodi voluntate fit, ſimpliciter voluntarium eſt: ſecundùm quid autem violentas, quia paſſio quæ in nos infertur ab extrinſeco agente, & nobis ſecundùm quid inuoluntaria poſitiuè eſt, ſecundùm quid etiam violenta eo ipſo eſt, habita ratione voluntatis eius qui patitur: tales autem fuerunt aliquæ Chriſti paſſiones. Nam aliquæ fuerunt ab extrinſeco in ipſum illatæ, eædemque fuerunt ipſi ſecundùm quid inuoluntariæ, quia eas vel imminentes, vel præſentes refugiebat per ſupradictum poſitiuum actum ſimplicis diſplicentiæ, ratione cuius non poterant dici ſimpliciter ipſi inuoluntariæ, cùm ſimul haberet efficacem eas patiendi voluntatem: ſicut quæ ex metu fiunt, ſimpliciter voluntaria ſunt, quia fiunt efficaci faciendi voluntate: ſecundùm quid autem inuoluntaria ſeu violenta, quia fiunt contra ſimplicem & inefficacem non faciendi voluntatem.

III.

Et quoniam ab eo quod ſimpliciter tale eſt, res denominari abſolutè debet, potiùs quàm ab eo quod eſt tale tantummodo ſecũdùm quid, Chriſti paſſiones denominandæ ſunt abſolutè ipſi voluntariæ, cùm ſimpliciter voluntariæ fuerint, ſecundùm quid autem ſolùm inuoluntariæ ſeu violentæ. Vnde D. Damaſc. loco citato ſic abſolutè pronuntiauit de Chriſto loquens: *Neque in eo quidquam coactum conſideratur, ſed voluntaria omnia: volens fame, volens ſiti, volens metu, volens morte affectus eſt.*

IV.

Articulo tertio negat S. Doctor Chriſtum contraxiſſe defectus corporis quos aſſumpſit. Vult enim contrahere defectus, ſiue animæ, ſiue corporis, eſſe illos neceſſariò incurrere, & quidem ea ex cauſa, ex qua nunc in nobis illi defectus reperiuntur: quæ quidem non eſt propria humanæ noſtræ naturæ conditio, ſed peccatum illud primum quo in primo parente omnes peccauimus: per quod ſicut excidimus à iuſtitia originali, per quam, non obſtante propria humanæ noſtræ naturæ conditione, ex qua præciſè conſiderata prędictis defectibus obnoxij ſumus, factum fuiſſet, vt eos reipſa non haberemus: ita per ipſum, tanquam per cauſam per accidens, ſeu remouentem prohibens, factum eſt, vt nunc ipſos reipſa & neceſſariò incurramus. Quia in ſignificatione ſumpto contrahendi vocabulo, de fide eſt, Chriſtum defectus de quibus loquimur non contraxiſſe. Nam de fide eſt illum in primo noſtro parente non peccaſſe, cùm ij ſoli in illo peccarint, qui ab ipſo per naturalem generationem deſcendunt: de fide autem ſit, Chriſtum ex Virgine, & Spiritu ſancto eſſe conceptum.

A V.

Articulo quarto explicat quos corporis defectus Chriſtus aſſumpſerit, quos non aſſumpſerit: ac in primis ait non aſſumpſiſſe defectus illos corporis qui proueniunt ex ignorantia aliqua, aut culpa voluntatis tanquam ex cauſa, eámque præuiam ſupponunt: cuiuſmodi ſunt morbi aliqui, qui non generantur niſi ex præſuppoſita vel intemperantia in victu, vel ignorantia noxiæ virtutis inexiſtentis huic aut illi cibo, ad hunc aut illum morbum in ſumente cauſandum: cùm enim plenitudo ſcientiæ & gratiæ in eo ſemper fuerit, non potuit corpus eius ſubiacere defectibus ex ignorantia aliqua aut culpa prouenientibus.

B VI.

Deinde dicit, non aſſumpſiſſe quoque defectus omnes corporis, licet aliunde quàm ex ignorantia aut culpa prouenientes. Multi enim oriuntur, exempli cauſa, ex defectu ſeminis, virtutiſque formatricis: qua ex cauſa nulli in Chriſti corpus defectus redundare potuerunt, cùm & de puriſſimo ſanguine Virginis, & virtute ſancti Spiritus omnipotentis formatum ſit.

C VII.

Tertiò vniuerſim ait, aſſumpſiſſe omnes defectus corporis, qui ex peccato primi noſtri parentis in vniuerſos communiter homines proueniunt: vt ſunt fames, ſitis, defatigatio, mors, & ſimiles, quos D. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 14. & lib. 3. cap. 20. vocat naturales, & irreprehenſibiles, dum hoc caput 20. ab his exordiritur verbis, *Chriſtum porro naturales omnes miniméq. reprehendendas hominis affectiones aſſumpſiſſe confitemur*: illud autem 14. his de Verbo Deo concludit, *totum hominem ſalutis noſtræ cauſa ſuſcepit, atque humanæ naturæ proprietates, ac naturales, miniméque reprehendendos affectus.* Nam qui ab illo prouenium defectus communiter quidem in vniuerſos homines, ſunt tamen ex ſe reprehenſibiles, ſeu ad aliquid reprehenſione dignum allicientes, & ex ſe ruborem homini ac verecundiam afferentes, illi à Chriſto non ſunt aſſumpti, vt pote qui nec ad finem noſtræ redemptionis, propter quem Incarnatio, & defectuum corporis aſſumptio facta eſt, conducunt, nec Chriſti ſanctitatem ac maieſtatem decent.

D VIII.

SECTIO II.

Ex dictis nonnulla colliguntur.

EX his hæc inter cætera colligi possunt. Primum, Christum assumpsisse necessitatem senescendi, & moriendi, reipsáque futurum fuisse vt senesceret, & moreretur aliquando, etiamsi à nullo occideretur: senescendi enim ac moriendi necessitas sequitur humani nostri corporis suæ naturæ relicti naturalem conditionem, in qua nunc omnes relinquimur, occasione peccati, quo in primo parente peccauimus. Quænam autem sit vera causa necessitatis istius quam habemus senescendi, moriendique, etsi nec violenta morte, nec immatura, subducamur ex hac vita, non est Theologorum definire, sed medicorum. Solùm hoc addam, quòd si verum esset, quod citatus à Gabriele Vasq. disput. 60. cap 2. Galenus docuit, senectutis & mortis nullam in homine esse causam intrinsecam, sed extrinsecam tantùm, vt inclementiam aeris, pestiferum alicuius halitum, sumptionem cibi potúsque noxij, aut noxiam ratione nimiæ quantitatis, Christus potuisset naturaliter in æternum viuere: cùm ratione optimi temperamenti corporis, vtpote formati à Spiritu sancto, perfectissimæ item scietiæ rerum omnium ad sanitatem conducentium, aut ei aduersantium, facile potuerit aut illis aduersantibus causis extrinsecis resistere, aut ab iis se subducere.

I.

II.

Secundum est, assumpsisse item necessitatem incidendi in morbum aliquem, si verum est quod Valesius ait lib. 6. controu. medicarum, cap. 1. non posse mortem naturalem ex sola senectute contingere sine febri, aut putrefactione aliqua quæ morbus sit. Cùm enim assumpserit necessitatem senescendi, & ex senectute moriendi, vt diximus, ex consequenti assumpserit necessitatem in morbum illum incidendi, qui decrepitæ senectuti non potest naturaliter non esse coniunctus. Quòd si verum sit posse mortem ex sola senectute absque febri, alióve morbo contingere, dicendum Christum non assumpsisse necessitatem in morbum vllum incidendi: omnis enim procreatur in nobis, aut ex aliquo vitio materiæ ex qua corpora nostra formantur, aut ex defectu virtutis formatricis, aut ex debili maláve constitutione temperiéque corporis, aut ex cibo potúque noxio quem sumimus, aut ex immoderato victu, aut ab extrinsecis agentibus, vt ab inclementia aeris, & similibus, ex nullo autem istorum capitum necessitatem habuit Christus incidendi in morbum aliquem, vt facile ex ante dictis intelligitur: vnde & in nullum vnquam reipsa incidit. Nec obstat quòd assumpserit necessitatem senescendi, vt antè docuimus, senectus autem ipsa morbus quidam est: hoc enim de senectute falsum est, licet eius tempore non sit ea humorum partiúmque corporis constitutio ac temperies, quæ in iuuentute fuit. Nam sicut homini connaturalis est alia rerum istarum constitutio in iuuentute, quàm in infantia, ita alia in senectute quàm in iuuentute connaturalis est.

III.

IV.

Tertium est, Christum non assumpsisse naturalem & innatam aliquam corporis deformitatem, sed oppositam pulchritudinem. Nam vt omittam nihil causæ fuisse, cur illam deformitatem assumeret, cùm nec illa conduceret ad nostram redemptionem, ob quam vt finem Verbi Incarnatio decreta & facta est, nec sit defectus toti humanæ naturæ communis, cùm tam multi pulchri homines reperiantur, dubitandum non est, quin excellentem pulchritudinem habuerit, cùm tria ex quibus oritur perfecta in ipso fuerint, omnium videlicet membrorum integritas, eorundem debita proportio, & venustus color: duo quidem priora, quia defectus in iis contingens nascitur ex imperfectione seminis, aut virtutis formatricis, quod in Christo locum non habuit, vt constat ex antè dictis. Tertium verò, quia cùm color ex temperamento corporis oriatur, corpus autem Christi fuerit optimi temperamenti, vt diximus, necesse est, vt quoad colorem, qui humanum & virile corpus maximè decet, fuerit formosissimus.

A

V.

Quod etiam senserunt & docuerunt Patres, Augustinus nominatim hæc Psalmi verba, *Speciosus forma præ filiis hominum* de corporali Christi pulchritudine intelligens. Chrysóstomus quoque homilia 28. in caput 8. Matthæi, & in hæc huius capitis verba, *Videns autem Iesus turbas multas circum seipsum*, sic de eo scribens, *Vt in faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse: idque ipse Propheta significans multò ante clamauerat, Speciosus pulchritudine super filios hominum.* Hieronymus præterea epistola 140. ad Principiam, hæc Psalmi verba sic de Christo exponens: *In Hebraico, decore pulchrior es filiis hominum. Quæritur autem quomodo pulchrior sit cunctis filiis hominum, de quo legimus in Isaia, Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem. Nec statim Scriptura dissonare videtur, quia ibi ignobilitas corporis propter flagella, & sputa, & alapas, & clauos, & iniurias patibuli commemoratur: sed absque passionibus crucis, vniuersis pulchrior est virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.*

B

VI.

Adde Chaldæum Paraphrasten sic, vt Eugubinus refert in illum Psalmi 44. locum, relata ex eo verba transferentem. *Pulchritudo tua, Rex Messias, maior & excellentior est filiorum hominis: præstantior est forma tua omni humana forma.* Adde & Nicephorum lib. 1. historiæ caput 40. ab his verbis inchoantem. *Porrò effigies formæ domini nostri Iesu Christi, sicuti à veteribus accepimus, talis propemodum fuit. Egregio is viuidoque vultu fuit*, &c. Quare immeritò Michael Medina libro 2. de recta in Deum fide, cap. 7. corporis pulchritudinem Christo negauit.

C

VII.

Nec illi fauet, quod de hoc Isaiæ 53. dicitur, *Non erat ei species, neque decor:* quid sit enim id obiicienti respondendum, ex relatis Hieronymi verbis clarum est. Respondet quoque sic Chrysóstomus citata homilia 28. *Quod autem dicit Isaias, Non habebat speciem, neque pulchritudinem, aut quoniam ad deitatis suæ ineffabilem gloriam, aut quoniam passionis cruentam deformationem, & liuidos tumores respexit, id ita dixit, vel etiam quia tenui eum & victu & vestitu vsurum significare voluit.* Neque dicas tantam pulchritudinem Euangelij

D

VIII.

prædicatori haud fuisse satis conuenientem, id enim verum est de pulchritudine muliebri & affectata, non item de virili & natiua, cum honestate morum & grauitate coniuncta, qualis in Christo fuit.

Atque hæc de defectibus corporis à Christo assumptis, vel non assumptis: nunc ad animæ defectus ab eo assumptos, vel non assumptos, circa quæstionem S. Thomæ 15. cum ipso S. Doctore transeamus: ac primùm de peccato, peccandique potentia, tum de peccati fomite: denique de animæ passionibus agamus.

I.

A

V.

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrùm aliquod aliquando in Christo peccatum fuerit?

PARTIS negantis veritas nulli Catholico dubia est: probatur autem sic. Omne peccatum aut originale est, aut actuale: neutrum in Christo fuit: non originale, eius enim anima & humanitas primo suæ creationis & cõceptionis momento sancta fuit: vt colligitur ex his Lucæ 1. verbis, *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, vbi, nascetur, idem est, ac concipietur: sicut & cùm Matth. 1. dicitur, *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, natum significat conceptum, cùm tunc temporis Christus adhuc in vtero matris esset. Fuit autem primo illo momento eius humanitas & anima sancta, tum per gratiam habitualem creatam, tum per increatam ipsius diuinitatis, vt constat ex supradictis: tantùmque abest vt originale peccatum in conceptione sua contraxerit, vt ne contrahendi quidem debitum habuerit: cùm hoc debitum sicut & illud peccatum illi soli contrahant, qui ab Adamo descendunt per naturalem ex viro generationem: ipse autem ex Virgine & Spiritu sancto conceptus sit.

II.

B

III.

C

Neque etiam actuale, vt constat ex his Script. locis. Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Primæ Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Ad Hebr. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Et cap. 7. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Et sanè cùm Christus semper beatus fuerit, vt suprà probauimus, nullus autem beatus vnquam peccet, statu beatitudine excludente omne actuale peccatum, sequitur ipsum nunquam peccasse. Deinde etsi beatus non fuisset, cùm tamen in hunc mundum venerit, vt peccata nostra destrueret, vt etiam nobis ad omnem virtutem & sanctitatem exemplo esset, peccare non debuit. Nec dicas debuisse, vt postea de peccato suo pœnitentiam ageret, sicque nobis huius virtutis exemplum daret, nam vt rectè D. Thom. art. 1. ad 5. dedit maximum nobis agendæ pœnitentiæ exẽplum, dum pœnas peccatis nostris debitas lubens sustinuit, vt pro iis Deo satisfaceret.

IV.

D

At oppones nihilominus hæc Apostoli verba 2. ad Corinth. 5. *Eum*, nempe Christum, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, scilicet Deus. Verùm ex iis potius colligitur antè tradita doctrina Catholica: dicit enim Apostolus Christum nunquã peccasse, dum ait eum nõ nosse peccatum, vt omnes huius loci interpretes exponũt: non significat autem contrarium, cùm addit, eundem fuisse factum à Deo pro nobis peccatum, peccati enim nomine intelligitur hostia seu *sacrificium pro peccatis*, vt exponit S. Augustinus in Enchiridio cap. 41. & S. Thomas, art. 1. ad 4. communiterque illius loci interpretes, iuxta illud Oseæ 4. de sacerdotibus *peccata populi mei comedent*, id est, oblatas pro peccatis hostias.

Oppones 2. hæc verba Psal. 21. *Deus Deus meus quare me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum*: Quæ de Christo intelligenda esse communis Patrum & interpretum sententia est: sed triplex eorum expositio est, ex quarum nulla colligi potest ipsum aliquãdo peccasse. Prima est, illa quidem verba Christi esse, sed loquentis non in sua, sed in nostra, suorúmve membrorum persona: ex quo solùm colligitur membra Christi, seu nos habere propria delicta. Ita exponunt ex Græcis Patribus Nazianz. orat. 36. quę est 4. de Theologia num. 20. & Damascenus lib. 4. de fide cap. 19. ex Latinis autem Leo Papa sermone 16. & 17. de Passione. Ambros. in Psal. 39. August. epist. 120. & D. Thom. hoc art. 1. ad primum. Secunda est verba illa Christi esse, & loquentis in persona sua: sed delicta appellasse sua, quæ nostra erant, à nobisque commissa, quòd ea quodammodo sua fecisset, dum se obtulit Patri, vt pro iis satisfaceret perferendo pœnas quas merebantur, iuxta quem sensum Isaiæ 53. Deus *in eo omnium nostrum iniquitatem posuisse* dicitur, quòd ei pro peccatis nostris satisfaciendi obligationem imposuerit. Ita explicant S. Ambros. serm. 3. & in libro de Incarnat. Dominicæ sacramento cap. 5. August. in secunda expositione præfat. Psalmi 21. Hieron. & Theodor. in illum psalmum, & alij.

VI.

VII.

Tertia est Euthymij & Iansenij in illum psalmi locum, Christum in persona sua loqui, & de delictis non nostris quæ sua fecerit sensu iam dicto, sed de propriis suis loqui, non ita tamen vt ipse aliquod suum, aut à se commissum peccatum agnoscat, ratione cuius longè à salute sit, seu Patris ira, ac tormenta quæ sustinebat promeuerit. Dicunt enim verba hæc, *longè à salute mea verba delictorum meorum*, esse per interrogationnem legenda: confirmatque Iansenius ex lectione Chaldaica, quæ cum interrogatione hæc ipsa verba habet, quasi dicat Christus Patri: Pater quare me dereliquisti? an delicta mea, cùm nulla sint, & nulla esse scias, longè me faciunt à salute mei corporis, & tantam pœnarum quas patior acerbitatem mihi procreant? an propter delictum aliquod meum me relinquis, & in his tormentis deseris, cùm delictum meum nullum sit? Cuius expositionis sue hanc maximè probabilem idem Iansenius affert rationem, qua simul secundam improbat expositionem, quòd nimirum minimè conueniat homini grauissime afflicto, & querenti, & in querimonia diu perseueranti, vt psalmo illo facit Christus, statim initio querimoniæ causam afferre, propter quam ab ea merito, desistere debeat: quam tamen afferret, si prædictorum verborum is sensus esset, qui secunda illa expositione dicitur.

VIII.

DISPVTATIO XXXIV.

Verùm in Christo peccatum aliquod esse potuerit?

SECTIO PRIMA.

Referuntur & refutantur aliquot argumenta quibus negantis partis veritas non benè ab aliquibus probatur.

I. DE proposita quæstione sentiendum indubitanter est, Christum nulla vi peccare posse, aut potuisse, aut vllum in se habere peccatum, etiamsi careret clara Dei visione, omníque dono alio gratiæ, dempto vnionis hypostaticæ: quod prorsus necessarium est vt in rerum natura Christus sit. Ita Magist. in 3. dist. 12. cap. 2. S. Thom. ead. dist. quæst. 2. art. 1. & 2. Bonau. Rich. Palud. Capreol. ibidem, quæstione partim prima, II. partim secunda, articulis partim 1. partim 2. partim 3. Almainus quoque & Dionysius Cistercienſis in 3. dist. 1. ille quæst. 2. hic 3. quos sequuntur Vasq. disput. 61. cap. 3. Suar. disput. 33. sect. 2. cæterique iam communiter recentiores. Contra quos senserunt Durandus in tertio distinct. 12. quæst. 2. Gab. quæst. vnica art. 2. Scotus quæst. 1. & Marsil. quæst. 9. artic. 3. docentes humanitatem Christi remanente, & non obstante vnione hypostatica, ac proinde Christum per humanitatem suam peccare potuisse, si nullum aliud gratiæ donum habuisset, quam vnionis hypostaticæ.

Quam Durandi sententiam refellunt, oppositámque probant Mag. Bonau. Capreol. hoc argumento, quòd nimirum si Christi humanitas III. retinens suam cum Verbo vnionem peccare posset, aut reipsa peccaret, non modò Christus, sed etiam Verbum ac Deus denominaretur peccare posse, aut reipsa etiam peccare, quod asserere, blasphemum videtur & hæreticum. Sed rectè respondet Durandus, Verbum verè ac Deum sic denominatum iri, sed per puram idiomatũ communicationem, qua quæ Christo conueniunt, eíve insunt ratione humanitatis, de ipsoque vt homine prædicantur, de Verbo quoque ac Deo verè affirmantur: vnde quia de Christo homine ratione humanitatis eius verè diceretur ex illa sententia quòd peccare posset, aut reipsa peccaret, idem quoque de Verbo ac Deo verè affirmaretur, cùm ille ipse homo de quo hæc dicerentur Verbum & Deus sit. Non est autem hæreticum blasphemúmve dicere de Deo quòd peccaret, aut IV. peccare posset, nisi peccatum & peccandi potentia ipsi secundùm diuinitatem tribuatur: quemadmodum supposita vnione hypostatica humanitatis Christi cum Verbo, non est hæreticum aut blasphemum affirmare, Verbum ac Deum esse passum, mortuum, passibilémque proinde ac mortalem, nisi hæc secundùm diuinitatem ipsi conuenire affirmentur.

Eandem Durandi sententiam refellunt hoc argumẽto Palud. Capreol. & Suar. antè citati, quòd videlicet ex illa sententia esset consequẽs, Deum peccare posse, aut reipsa etiam peccaturum, non per purã idiomatum communicationem, ratione humanitatis cui peccandi potentia, aut etiã peccatum ineſſet, sed secundùm ipsam quoque diuinitatem, cui peccandi potentia, ac peccatum non secus ac humanitati conueniret. Probant autem A istud consequens ex eo quòd supposita vnione V. hypostatica humanitatis cum Verbo, incumbit necessario obligatio ipsi Verbo, eiúsque diuinitati, humanitatem assumptam sic dirigendi in suis operibus, vt nunquam peccet, seu omne eius peccatũ impediendi, si impedire potest, non dubium autem quin possit. Quòd si hac obligatione existente in Verbo, eiúsque diuinitate, posset nihilominus humanitas assumpta peccare, aut reipsa peccaret, posset per consequens Verbum eiúsque diuinitas illi obligationi deesse, aut reipsa deesset, & proindè peccare posset, aut reipsa peccaret. Probant autem hanc fore in Verbo eiúsque diuinitate obligationem, ex eo quòd quo in suppositio sunt duæ naturæ & voluntates, quæ superior est obligatur inferiorẽ dirigere suis in operationibus, & omne eius si potest peccatum im- B pedire: sicut pars superior hominis obligatur impedire motus inordinatos partis inferioris, Maritus peccatum vxoris: Pater liberorum, Prælatus subditorum. Ex quo concludunt, si Deus Angelum humanitati alicui hypostaticè vniuisset, hunc obligatum iri ad impediendum eius omne peccatum quantùm posset, & ni faceret, admissum ab illa peccatum, huic huiusque naturæ Angelicæ imputatum iri, sicut peccatum inferioris imputatur ad culpam personæ naturæque superioris, si cùm impedire deberet, non impediuit.

Respondet ad hoc argumentum Durandus, & post eum Gabr. Vasq. cap. 5. citatæ disput. 61. negando prædictum consequens, eo quòd alioqui futurum esset, vt non solùm Verbum, sed etiam Pater ac Spiritus sanctus secundùm diuinitatem peccare possent, aut reipsa peccarent, cùm vni C perſonæ diuinæ peccandi potentia peccatúmque VII. conuenire secundùm diuinam naturam non possit, quin ex æquo tribus illis conueniat, eo quòd peccandi potentia si in aliquo est, in eius libera voluntate resideat, & peccati actio sit libera liberæ voluntatis actio, trium autem diuinarum personarum vnica eademque est libera voluntas, omnis quoque huius voluntatis actio libera ex æquo trium earum volitio est. Ad probationem autem prædicti consequentis respondet vterque, negando Verbum ad id quod in ea dicitur obligatum iri, eo quòd alioqui Pater & Spiritus sanctus eandem pariter ex necessitate incurrerent obligationem, quàm Verbum ipsum, & æquè primò ac immediatè: quoniam obligatio præcepti cadit immediatè in naturam libera voluntate præditam, & in hanc eius voluntatem, trium D autem diuinarum personarum vnica est & natura, & voluntas. VIII.

Verùm hæc responsio vim propositi argumenti non satis eneruat. Concedent enim vltro ij qui illud proponunt, si humanitas hypostatice vnita Verbo peccare posset, aut reipsa peccaret, consequens fore, non solùm Verbum, sed etiam Patrem ac Spiritum sanctum peccare posse, aut reipsa peccaturos, eo quòd non illi soli, sed iis quoque incumberet obligatio impediendi omne peccatum humanitatis vnitæ hypostati-

cè Verbo, cui obligationi deesse possent, ac proinde peccare, si hæc peccare posset, & reipsa deessent, ac proinde peccarent, si hæc peccaret: hoc autem consequens ex eo reuera fore probabunt, quòd vna quidem ex parte non possit peccare Verbum, aut peccati capax esse, obligarique ad prædictæ humanitatis omne peccatum impediendum, quin simul & ex æquo Pater ac Spiritus sanctus peccent, peccatique capaces sint, & ad id quod dictum est obligentur, vt Durandi, & Gab. Vasq. ad propositum argumentum respõsione probatur: ex altera verò hoc ipso argumento probetur, supposita vnione hypostatica humanitatis cum Verbo, ipsum habere prædictam obligationem, futurúmque peccati capax, aut etiam peccaturum, si hæc humanitas peccare posset, aut reipsa peccaret.

I. A

Nec vim in contrarium habebit, si dicas, ex vnione naturæ creatæ cum sola Verbi persona, non posse deriuari obligationem tribus diuinis personis ex æquo communem: nam licet causa obligationis sit soli Verbo propria, nempe vnio hypostatica humanitatis cum sola ipsius subsistentia ac persona, obligatio tamen, si quæ est, erit ex æquo tribus diuinis personis communis: cùm hæc immediatè cadat in naturam & voluntatem diuinam, sicut & in eandem cadit immediatè potestas impediendi omne peccatum naturæ creatæ, assumptæ ab vna persona diuina, hæc autem natura voluntásque tribus illis ex æquo communis sit.

II. B

Nec maiorẽ etiam vim habebit, si dixeris, humanitate Christi peccante solam Verbi personã per communicationem idiomatum denominatum iri peccare: licet enim hoc verum sit, quia peccatum, aut quæuis alia humanæ naturæ proprietas non potest tribui per idiomatum communicationem alteri diuinæ personæ, quàm ei cui illa vnita hypostaticè est, quia tamen hoc non obstãte, præter peccatum quod humanitatem inquinaret, solique Verbo per communicationem idiomatum tribueretur, esset aliud numero peccatum ipsius Verbi, diuinam eius naturam & voluntatẽ inquinans, qua illud humanitatis assumptæ peccatum impedire debuisset, & non impediuisset, istúdque Verbi peccatum non posset non esse cõmune Patri ac Spiritui sancto, vt probatum est, hinc est, quòd ratione peccati istius, hi quoque peccare communiter & æqualiter dicerentur.

III. C

Ad vim igitur prędicti argumenti efficaciùs retundendam aliquid aliud dicendum est. Dico autem in primis, eo vt summum euinci, humanitatem Christi nullum actuale peccatum posse cõmittere post suam à Verbo assumptionem: at non euinci, in ea etiam assumpta nullum posse esse peccatum habituale, siue originis, si per naturalẽ generationem ab Adamo ortum duxisset, vt ducere potuit, siue actionis, quod ipsa commisisset existens in proprio suppositо, antequam in suppositi vnitatem à Verbo susciperetur. At non est solummodò defendendum humanitatem Christi vnitam Verbo non posse peccare peccato vllo actuali, sed etiam ostendendum, si fieri potest, nullum in ea esse posse peccatum habituale, siue originis, siue actionis: quod illo argumento non ostenditur, ostendi autem aliquo potest, nempe eo quod postea afferemus.

IV. D

Deinde dico prędicto illo argumento non probari efficaciter, Verbum secundùm diuinitatem peccaturũ, si assumpta ab eo humanitas peccaret. Nam quod dicitur ex hac assumptione incumbere ipsi obligationẽ impediendi omne peccatum assumptæ naturę, meritò negari potest, & dici, ipsum non aliam habere peccata eius impediendi obligationem, quam haberet, si eam non assumpsisset, aut quam habeat impediendi peccata naturarum illarum quas non assumpsit, cùm præsertim Deus vniens sibi naturam aliquã creatam, se solum loco subsistentiæ creatæ substituat, vt illius vice fungatur: quod autem alicui substituitur in aliquo officij genere, eo præcisè nomine quo illi substituitur, nullam aliam incurrit obligationem, quàm eam quæ incumbebat ei, aut incumberet, cuius loco substituitur: subsistentiæ autem creatæ nulla incumbere potest obligatio impediendi peccata naturæ quam terminat. V.

Neque verò probatur efficaciter illa in Verbo obligatio ex isto principio, quòd nimirùm quo in suppositо duæ naturæ voluntatésque concurrunt, superior obligatur impedire peccata inferioris quantum potest: istud enim principium tam facilè negari potest, quàm asseritur, dicique ex hypostatica humanæ naturæ cum Deo vel Angelo vnione, nullam in hunc aut in illum deriuari posse obligationem impediendi peccata humanæ naturæ vnitæ, præter eam quæ secluſa hac vnione incumberet. Neque exempla partis superioris in homine, patris, mariti, prælati, qui obligantur impedire quantùm possunt inordinationem partis inferioris, & peccata liberorum, vxoris, subditorum, vim habent ad illud principium confirmandum: nam eorum alia prorsus ratio est, quoad hanc obligationem, & Dei seu Angeli vniti hypostaticè alicui humanæ naturæ. VI.

In primis enim pars hominis superior obligatur cohibere motus inordinatos partis inferioris, quia hæc cum illa vnicam naturam integram totalémque constituit, cuius est vnica libertas, & rationis aduertentia in sola superiori parte residens, qua libertate & aduertentia tota illa natura & quælibet eius pars dirigi ac gubernari debet: at verò humana natura in Deo aut in Angelo subsistens propriam suam rationem habet, & libertatem, qua regi potest, & debet, à propria naturæ diuinæ vel Angelicæ distinctam: neque hæc aut illa natura vnita hypostaticè alicui naturæ humanæ vnam cum ea naturam integram completamque constituit, sed quælibet est per se seorsim sumpta vna integra completaque natura, tamque sui iuris, quàm si in vnum cum altera suppositum non concurreret. VII.

Deinde pater liberorum, maritus vxoris, & Prælatus subditorum tenentur impedire peccata, dum commodè possunt, ratione subiectionis, vel naturalis, qualis ea est qua filius patri subiicitur, vel moralis, ortæ ex contractu matrimonij, aliáve de causa, qualis est ea qua marito vxor, & Prælato subditus subiicitur: dictat autem ratio naturalis ex creaturis superiorem sibi subditæ curam habere debere, eiúsque peccata impedire, quando commodè potest. At Deus vnitus hypostaticè alicui naturæ creatæ non habet aliam respectu eius superioritatem, quàm Dei & creatoris, quam haberet, etsi ei vnitus hypostaticè non esset: ex qua superioritate nullam habet obligationem VIII.

impediendi peccata naturæ assumptæ, alioquin haberet pariter respectu aliarum omnium creaturarum. Angelus quoque respectu humanæ naturæ sibi vnitæ hypostaticè non aliam habet superioritatem, quam eam, qua Angelica natura dignitate præstat humanæ: quam sicut pariter
I. adhuc haberet, si ei vnitus hypostaticè non esset, A
ita si quam habet ex hac superioritate obligationem eius impediendi peccata, perinde habet, siue sit ei vnitus hypostaticè, siue non sit.

At opponit nobis Suarez loco citato S. Thomam, & multos alios sanctos Patres illo argumento quod refutauimus vsos fuisse, ad probandam Christi impeccabilitatem: at reuera vsi non sunt: solum enim dixerunt, Christum haud peccare potuisse, quòd eius humanitas in omnibus operationibus suis à diuinitate gubernaretur. Ex quo colligi non potest, supposita hypostatica vnione humanitatis cum Verbo, extitisse in eo obligationem sic eam gubernandi, vt nunquam peccaret, futurumque, vt Verbo, eiusque diuinitati imputaretur ad culpam peccatum
II. illius, si illam peccare permisisset. B

Videretur certè eo vsus argumento D. Epiph. si haberet ea verba, & eo ordine, quæ, & quo, à Suare referuntur, sic ea referente, *Si supernè perfectus est*, Christus scilicet, *etiam infernè: quod si infernè imperfectus esset, etiam supernè.* Verbis enim his posterioribus videretur dicere, quòd si in inferiori Christi natura, nempe in humanitate, esset imperfectio peccati commissi, hæc eadem in superiorem naturam, nempe in diuinitatem redundaret. Verùm sancti illius Patris hæc verba sunt in Ancorato num. 80. εἰ ἐστὶν ἄνω ἄπλυς, καὶ κάτω ἄπλυς: εἰ δὲ ἄνω ὃν τέλειος, ἦ κάτω ὃν τέλειος: seu vt vertit noster Petauius, *Si sursum imperfectus est, infra quoque imperfectus erit: si sursum perfectus, etiam infra perfectus erit.* Quorum verborum hic sensus est,
III. si secundùm diuinitatem imperfectus est, erit C
etiam secundùm humanitatem: at si secundùm diuinitatem perfectus est, erit etiam secundùm humanitatem. Ex quo non sequitur inuerso ordine, vt si secundùm hanc naturam imperfectionem peccati contraheret, secundùm illam quoque contraheret.

SECTIO II.

Eiusdem partis negantis veritas efficaciter probatur.

EFFICAX ad eam probandam ratio hæc est, quòd diuinitas sit infinita simpliciter in omni genere sanctitas, humanitatem Christi seipsâ tanquam formâ formaliter sanctificans, vt
IV. constat ex disput. 23. sect. 1. ac proinde sanctifi- D
cans infinitè simpliciter in omni genere, atque ita, vt quemadmodum diuinitate nulla maior, aut magis infinita, aut altioris ordinis & generis sanctitas esse, aut cogitari vel à Deo ipso potest: ita humanitatis Christi sanctificatione nulla maior, aut magis infinita, altiorisve generis & ordinis esse aut cogitari queat, cum qua sic infinita sanctitate nulla vi stare simul potest aliquod peccatum, vel actuale, vel habituale, vel originis, vel actionis, cùm sicut sanctitati nihil magis opponatur quàm peccatum, ita tam infinitæ sanctitati non possit non opponi prorsus omne ac quodlibet peccatum.

Cuius rationis efficacitas confirmari ex eo in primis potest, quòd cùm eadem numero sanctitate tanquã formâ sanctificetur humanitas Christi, qua eiusdem diuinitas, & illa proinde tam
sit sancta quàm hæc, hoc solùm discrimine, quod V.
hæc per se, & ratione sui, illa verò per hanc sancta sit, sicut hæc sanctitas diuinitatem sanctificans vi sua formaliter excludit ab ea omnem peccandi potentiam, ac peccati maculam, ita eadem humanitatem illam sanctificans vi sua formaliter idem ab ea necessariò excludet.

Potest deinde & ex eo quòd cùm humanitas vnita Deo hypostaticè, & per diuinitatem formaliter sanctificata, non possit non esse digna gloria æterna, sequitur vi sanctificationis istius excludi ab ea necessariò omne peccatum mortale, siue originis siue actionis: nam alioqui simul stare possent æternæ gloriæ dignitas, & dignitas luendæ mortis æternæ, ac proinde dignitas carendi æterna gloria, nam quodlibet mortale peccatum comitatur necessariò mortis æter-
næ dignitas. Imò cùm humanitas sic vnita diui- VI.
nitati, per eamque sanctificata sit ob hanc rem digna omni gloria & honore possibili, fieri non potest vt simul digna sit aliqua inhonoratione & contemptu, aut alicuius honoris & gloriæ carentia: ergo nec fieri potest, vt vllum in se peccatum habeat, vel originale, vel actuale, vel mortale, vel veniale: nam quodlibet actuale reddit necessariò eum in quo est dignum aliqua inhonoratione & contemptu, originale verò reddit saltem dignum carentia alicuius honoris & gloriæ, nempe æternæ.

Neque vim huius nostræ rationis infirmabit, qui dicet, quòd etsi quis gratiam habitualem sanctificantem etiam infinitam haberet, simul tamen cum ea peccatum aliquod veniale saltem habere posset. Id enim verum est, quia gratia
hæc infinita in gradibus intensionis esset eiusdem VII.
naturæ ac rationis cum finita secũdum gradus intensionis: hæc autem ex se suaq. natura habet quidem vim excludendi omne mortale peccatum ab eo in quo est, at nõ omne pariter veniale: propterea quòd siue finita sit secundùm intẽsionem graduum, siue infinita, non est infinita simpliciter in omni genere sanctitatis, sed vt summum in genere gratiæ habitualis, & adoptionis, cum qua ex rei natura stare simul potest veniale peccatum. At sanctitas humanitatis Christi per diuinitatem formaliter sanctificatæ est sanctitas infinita simpliciter in omni genere sanctitatis, & tanta, vt nec illa maior, aut magis infinita, nec altioris generis aut ordinis esse possit aut cogitari. Imo ab illius habitualis gratiæ exemplo confirmari potiùs nostræ rationis vis quàm
infirmari potest, cùm illa simpliciter infinita in VIII.
omni genere sanctitas infinitè præstet isti sanctitati gratiæ habitualis, nec proinde illa minorem ex se vim habere possit, aut debeat ad excludendum à natura quam formaliter sanctificat omne omnino peccatum, quàm ista ex se habeat ad excludendum omne mortale peccatum ab ea natura quam formaliter sanctificat.

Ex hac nostra ratione vnum obseruatione dignum colliges, nimirum si Deus hypostaticè assumeret naturam aliquam, antequam assume-

retur inquinatam aliquo peccato, vel originali, vel actuali: aut habentem reatum aliquem pœnæ temporalis in Purgatorio luendæ pro peccatis olim admissis, deletis quidem secundùm maculam, at non plenè secundùm pœnæ reatum expiatis, futurum necessariò, vt ipso statim primo momento quo assumeretur, non solùm emundaretur ab omni macula peccati antè contracti, sed etiam liberaretur omni reatu prædictæ pœnæ temporalis: hic enim reatus consistit in dignitate carẽdi ad tempus clara visione Dei, & luendi pœnam aliquam sensus: impossibile autem est dignitatem hanc in natura per diuinitatem vnitam hypostaticè sanctificata consistere, cum hæc natura ratione istius vnionis & sanctificationis digna sit, cui statim conferantur omnia gratiæ & gloriæ dona, cum qua dignitate stare nequit, vt patet, prædicta dignitas.

I.

Adde, quòd pœna sensus quæ propter peccatum infligitur, aliquam habet rationem exprobrationis & vituperij, vt in Tractatu de peccatis disputantes de pœna peccati originalis diximus, hinc concludentes, pueros cum hoc solo peccato decedentes ex hac vita non plecti propter illud vlla pœna sensus, quòd hæc increpationis & vituperationis rationem habeat, illi autem increpatione & vituperatione digni esse non possint propter peccatum, quod non sua, sed aliena tantùm voluntate contraxerunt. Quòd si pœna sensus propter peccatum inflicta hanc exprobrationis & vituperij rationem obtinet, necessarium est vt ex peccato contracta dignitas luendæ pœnæ sensus, sit dignitas alicuius exprobrationis & vituperij: fieri autem non potest, vt natura per diuinitatem sibi vnitam sanctificata vlla exprobratione & vituperatione digna sit, cùm è contrario ratione istius vnionis & sanctificationis dignissima sit, vt dixi, omni gloria & honore possibili: cum qua dignitate stare non potest vllius vel minimæ vituperationis & exprobrationis dignitas.

II.

Huic nostræ rationi adiungo Patrum authoritatem, qua secundò probatur nostra sententia, & opposita refellitur. Suarez citata sect. 2. ex illis enumerat viginti, qui docent nullum in Christo potuisse esse peccatum. Sed cùm aliqui ex iis hoc docentes non declarent ex quo capite factum id sit, non sunt illi omnes pro nobis contra Durandum referendi. Concedit enim ipse nobiscum, Christum reipsa fuisse prorsus impeccabilem, sed ratione status beatitudinis animæ, peccatum omne vi sua excludentis, non autem ratione præcisè status vnionis hypostaticæ, cùm tamen nos velimus ipsum etiam ratione status huius impeccabilem fuisse, & futurum, etiam si beatitudine illa, & quouis alio gratiæ dono careret.

III.

Quare hi soli contra eum pro nobis proferendi sunt Patres, qui sic impeccabilitatem Christo tribuunt, vt huius impeccabilitatis causam assignent ipsam præcisè vnionem hypostaticam: qui autem id diserte faciunt, sunt ex Græcis Origenes, Dionysius Alexand. Cyrill. item Alexan. Athanas. Epiphan. & Nazianz. Ex Latinis autem Ambros. Augusti. Anselm. & Fulgentius locis à Suare citatis prædicta sect. 2. & à Gabr. Vasquez cap. 3. citatæ sæpius 61. disputat. vbi ad verbum eorum, dempto Fulgentio, cuius verba proxima

IV.

disput. referemus, testimonia referuntur, & sic expenduntur, cùm necesse est, vt nulli dubium esse possit, quin Durandi sententiæ aduersentur, & nostræ suffragentur.

Duo autem circa hæc eorum testimonia obseruanda sunt. Primum est, pleraque ex iis significare solùm ratione vnionis hypostaticæ humanitatem Christi non potuisse peccare: at non significare pariter, ratione eiusdem vnionis nullum esse in ea potuisse peccatum, vel originis, vel actionis, per modum habitus perseuerans. Vnus est ex omnibus D. Aug. qui hoc etiam significauit, inquiens lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 11. in Christi *non tantùm diuinitate sed etiam anima & carne peccatum nullum esse potuisse.* & in Enchirid. rursùs cap. 40. dicens, humanæ naturæ à Verbo susceptione communicatam illi naturæ fuisse sanctitatem, *vt nullum peccatum posset admittere*, quæ sanctitas alia non fuit, quàm ea qua per diuinitatem formaliter sanctificabatur, vt ex antecedentibus eodem loco verbis perspicuum est. A

V.

Secundum est, pleroſque ex citatis Patribus ita significare Christum impeccabilem fuisse ratione hypostaticæ vnionis, vt simul significent causam impeccabilitatis istius fuisse sanctitatem, qua, præsupposita hac vnione, eius humanitas per diuinitatem sanctificabatur, quæ fuit ratio à priori antè allata, qua nostram sententiam probauimus, & oppositam Durandi refutauimus. Et in primis D. August. citato cap. Enchiridij hoc expresè significat, vt patet ex iis quæ modò diximus. Deinde Nazianz. orat. 36. quæst. 4. de Theologia num. 46. expresè dicens Christi voluntatem non potuisse Deo aduersari, quòd tota deificata esset, seu, quod idem est, diuinitate tanquam oleo vncta & sanctificata. Dionysius præterea Alexand. in epist. contra Paulum Samosat. inter cætera asserens, colum. 4. ideo Christum non fuisse peccabilem, sicut sunt cæteri omnes iusti & sancti, quòd idem esset, qui Deus Verbum, cuiusque esset naturalis iustitia, & diuina virtus, id est, quòd ipsa natura diuinitatis tanquam oleo delibutus esset, & sanctificatus. Origen. quoque lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 6. post medium, comparans animam Christi diuinitate vndique perfusam & penetratam ferro quod igne vndique penetratur, & totum igneſcit, addensque, ideo impeccabilem fuisse, & in peccati frigus labi non potuisse, quòd ipsa diuinitate tanquam igne vndique penetraretur & arderet, sicut & ferrum igne penetratum vndique, & totum igneſcens, pro eo statu frigoris incapax est. Patres denique sextæ Synodi generalis act. 17. in definitione Orthodoxæ fidei: quorum verba retulimus disput. 23. sect. 1. sicut & aliorum Patrum quos proximè antè citauimus. B

VI.

Restat vt ad præcipuam, qua Durandi sententia nititur, rationem respondeamus: est autem hæc, quòd nimirum assumpta à Deo humanitas sit eiusdem naturæ cum ea quæ assumpta non est, easdémque facultates operandi habeat, nec maiorem virtutem ad agendum aut recipiendum habeat ex eo quòd assumpta est, quàm si assumpta non esset, cùm vnio hypostatica diuináque subsistentia non possit augere vim actiuam aut passiuam, siue naturalem, siue obedientialem, naturæ vnitæ, sicut nec potest subsistentia propria

VII.

VIII.

naturam ſuam terminans & modificans, eo quòd nec iſta nec illa eſt agendi patiendíve ratio, aut formale principium actionis, paſſioníſve: ex quo concluditur, creaturam vnitam hypoſtaticè Verbo tàm poſſe peccare retenta hac vnione, quàm poſſet ſi ea careret. Verùm ex illo antecedente
I. hæc concluſio non rectè deducitur, quia retenta vnione retinetur neceſſariò infinita naturæ vnitæ ſanctificatio per' diuinitatem, cum qua nullum peccatum conſiſtere ſimul poteſt, ac per conſequens eadem vnione retenta retinetur neceſſariò impedimentum, quo facultates, quæ omni impedimento ſublato moueri ex ſe poſſent in peccatum, impediuntur omnino, ne in illud vlla vi moueri valeant.

DISPVTATIO XXXV.

Vtrùm humanitas Chriſti, nullo alio ei conceſſo dono quàm vnionis hy.
II. *poſtaticæ, potuerit abſolutè loquendo peccare peccato, quo hæc eius vnio deſtrueretur?*

SECTIO PRIMA.

Referuntur & refelluntur aliquot argumenta, quibus negatiuæ partis veritas non ſatis efficaciter probatur.

QVÆSTIO hæc ab antiquis omnibus prætermiſſa proponi tractaríque cœpit à recentioribus Theologis: meritò autem ab his propoſita eſt, cùm grauem peculiarémque contineat difficultatem. Neque enim putandum eſt, ſi Chriſtus, ſeu eius humanitas manens vnita Verbo eſt impeccabilis, eſſe propterea conſequens, eam abſolutè non poſſe peccare peccato quo hæc eius vnio diſſoluatur: quemadmodum etſi homo iuſtus, manente in ipſo iuſtitia ſeu gratia ſanctificante, peccare mortaliter non poſſit, propter oppoſitionem iſtius gratiæ cum illo peccato, non eſt propterea conſequens, eundem hominem abſolutè non poſſe peccare peccato mortali, quo ſuam illam iuſtitiam & gratiam deſtruat. Quæſtionis autem propoſitæ Suarez & Vaſquez negatiuam partem citatis ſuprà diſputat. defendunt, dicúntque naturam ſemel vnitam Deo hypoſtaticè fieri ratione vnionis iſtius antecedenter impeccabilem, ſicut & beatus ratione beatitudinis fit antecedenter impeccabilis, itavt quemadmodum hic peccare non
IV. poteſt peccato quo eius beatitudo deſtruatur, ſic nec illa natura poſſit peccare peccato quo ipſius hypoſtatica cum Deo vnio diſſoluatur.

Probat autem hanc ſententiam ſuam Vaſquez hoc argumento, quòd nimirum ſanctitas ex vnione reſultans in naturam vnitam, non eſt ſicut ſanctitas in nobis exiſtens, quæ ſuapte natura pendet ab operibus noſtris, & per illa incrementum accipit, cùm illa è contrario ſuapte natura talis ſit, vt per opera nullum accipere incrementum poſſit. Ex quo inter veramque ſanctitatem diſcrimine, concludit priorem talem eſſe, vt non poſſit deſtrui vllo peccato, faciátque naturam quam ſanctificat antecedenter impeccabilem: poſteriorem è contrario talem natura ſua eſſe, vt poſſit, relinquátque proinde naturam quam ſanctificat abſolutè peccabilem.

A Verùm hoc argumentum eſt iudicio meo ineffi- V.
cax, ex illo enim antecedente quod verum eſt, non bene infertur hæc concluſio: etſi enim ſanctitas illa prior nullum poſſit per opera bona incrementum accipere, quòd ex ſe ſit infinita in omni genere ſimpliciter, & ita infinita, vt nulla magis infinita, aut maior, aut altioris ordinis eſſe poſſit, eſtne propterea conſequens, vt nullo opere malo ſeu peccato poſſit deſtrui? cùm nihilominus non minorem habeat cum illo repugnantiam, quàm haberet ſi per opera bona incrementum accipere poſſet. Sanè multæ ſunt res naturales, quæ vt exiſtant in rerum natura, aut conſeruentur, ex ſe non pendent ab aliquo opere noſtro, tanquam à cauſa tribuente eis exiſtentiam, aut conſeruante, per veram cauſalitatem
B & influxum, quæ tamen per aliquod opus noſtrum deſtrui poſſunt: & ex ſupernaturalibus VI.
prima gratia non pendet ab vllo opere noſtro bono vt ſit, nobiſque donetur, poteſt tamen per aliquod malum noſtrum opus deſtrui: nam poſteaquam eam Deo gratis dante recepimus, ei reſiſtere, eámque deſtruere poſſumus.

Probat eandem ſententiam Suarez duobus aliis argumentis. Primum ducit ex obligatione, qua dicit Deum teneri ad præſeruandam ab omni peccato naturam quam ſemel aſſumpſit: ſed huius argumenti ineffeacitas ſuperiori diſput. oſtenſa eſt. Secundum ex eo petit, quòd actio naturæ præſertim libera, qualis eſt actio peccati, naturam à qua egreditur præſupponit vt rationis ordine priùs ſubſiſtentem per ſubſiſtentiam, ſiue propriam, ſiue alienam: ex quo prin-
C cipio concludit, non poſſe humanitatem Chriſti VII.
peccare peccato quo ſuam cum Verbo diſſoluat vnionem. In illo enim reali temporis inſtanti quo ſubſiſteret & peccaret, priùs naturæ ordine deberet eſſe ſubſiſtens, quàm peccati actionem exerceret. In iſto autem priori quo ſubſiſtens eſſet, vel ſubſiſteret adhuc per increatam Verbi ſubſiſtentiam, vel non ampliùs per eam, ſed per propriam ſuam creatam: ſi primum, per actionem peccati naturæ ordine poſteriorem non diſſolueretur illo ipſo inſtanti reali vnio hypoſtatica cum Verbo, alioquin hæc eodem inſtanti ſimul eſſet, & non eſſet, quod repugnat: non eſſet quidem, quia per actionem peccati deſtrueretur: eſſet autem, quia natura hanc actionem exercens ſubſiſteret adhuc, & quidem natura priùs per increatam Verbi ſubſiſtentiam, per
D quam ſubſiſtere nequit, niſi mediante modo VIII.
vnionis hypoſtaticæ per quem cum ea coniungitur. Si ſecundum, nec diſſolueretur vnio hæc per actionem peccati naturæ poſteriorem: diſſoluta enim ante iam eſſet, quandoquidem priùs natura quã hæc actio exerceretur, humanitas per propriã ſuam ſubſiſtentiam ſubſiſteret, amiſiſſetque proinde hypoſtaticam cum Verbo vnionem, cùm vna alteri repugnet, vt ex ſupradictis conſtat. Verùm etſi hæc concluſio ex illo principio tanquam ex antecedente rectè colligatur, quia tamen illius principij falſitas conſtat ex dictis

disput. 14. sect. 2. ideo secundi huius argumenti vis maior non est, quàm præcedentis.

Probari potest eadem sententia duplici præterea ratione, quæ affinis est secundæ Suaris, quoniam vtraque ex subsistentiæ natura petitur. Vna est, naturam creatam non posse in rerum natura

I. existere quin subsistat per subsistentiam aliquam: ergo nec humanitatē Christi existere posse, quin subsistat vel per increatam Verbi subsistentiam, vel per aliam: ergo nec posse peccare peccato quo suam hypostaticam cum Verbo vnionem dissoluat, eiusque per consequens subsistentiam amittat. Verùm concesso gratis antecedente, primáque consequentia, quæ eo supposito bona est, mala est secunda: poterit enim humanitas peccare peccato quo suam cum Verbo dissoluet vnionem, eiusque amittet subsistentiam, necessarium tantùm erit, vt quo temporis momento hoc continget, alia eodem ei subsistentia tribuatur, quandoquidem in rerum natura supponitur esse non posse nisi subsistat: sicut etsi aliquod corpus non possit existere, quin in aliquo loco sit, & aliquod Vbi internum habeat, potest tamen exercere actionem aliquam, motum scilicet localem, vi cuius Vbi locúsque præcedens

II. amittetur: sufficit vt quo tempore amittitur, alius acquiratur.

Altera est, Verbum per subsistentiam suam terminans Christi humanitatem supplere vices subsistentiæ creatæ, & propriæ ipsius humanitatis. Oportere igitur, vt tam indissolubiliter eam terminet, & tam proinde cum ea indissolubiliter vniatur, quàm terminaret & vniretur propria, si eam haberet: atqui hæc sic terminaret, & vniretur, vt nullo eius peccato destrui posset: ergo nec illa vllo eius peccato amitti poterit: ergo nec peccare vllo modo poterit: nam si peccaret, amitteret, & peccare si posset, posset amittere. Sed negari prima consequentia meritò potest. Etsi enim Verbi subsistentia vices creatæ suppleat, in eo quòd sicut hæc humanitatem

III. terminaret, subsistere faceret, complerétque in ratione suppositi, ita illa nunc terminat, facit, complet: non est tamen consequens, vt si vna non potest amitti per vllum naturæ peccatum, nec altera possit. Ideo enim vna nempe propria non potest, quia cùm non sit sanctitas reipsa, nec naturam quam terminat, & cui vnitur sanctificet, nulli peccato repugnat, nec vllum illi: secus autem altera, nempe increata Verbi, quæ cùm sit idem à parte rei cum diuinitate, est vera à parte rei sanctitas humanitatem quam terminat sanctificans: cui sanctificationi peccatum quodlibet huius humanitatis opponitur, vt antè docuimus: vnde quolibet commisso ex imperfecta etiam rationis aduertentia periret funditus tota

IV. hæc sanctificatio, ac proinde illa hypostatica vnio: at non creata gratia formaliter sanctificans, vtpote quæ solo mortali destrui potest, ad quod perfecta rationis aduertentia necessaria est.

Adiungi tertia potest ducta ex duobus absurdis, quæ sequi videntur, si semel concedatur Christi humanitatem peccare posse peccato quo suam cum Verbo vnionem dissoluat. Primum est, Christum fore peccabilem, & reipsa peccaturum, contra doctrinam superiori disput. traditam: humanitas enim Christi peccare posset, imò reipsa peccaret: ergo & Christus, sicut si humanitas Petri peccare potest, aut peccat, ergo & Petrus.

Secundum est, eandem Christi humanitatem

A V. semota ab ea visione beatifica, per vnionem hypostaticam non fuisse factam aliter impeccabilem, quàm B. Virgo fuerit, aliíque sancti, qui durante mortali vita confirmati in gratia fuerunt: sicut enim hi non sunt facti impeccabiles antecedenter per vllum gratiæ donum ipsis inexistens, vi cuius fieret vt peccare non possent, sed solùm consequenter, per auxilia gratiæ actualis, quibus præuiderat Deus eos, etsi peccare antecedenter possent, non tamen peccaturos, futúrósque proinde impeccabiles impeccabilitate consequente ex hypothesi quòd reipsa peccaturi nō essent, Deúsque eos non peccaturos præuidisset: ita & Christi humanitas non fuerit facta antecedenter impeccabilis per donum vnionis hypostaticæ, vllumve aliud gratiæ ipsi physicè & permanenter inexistens, sed solùm consequenter per prædicta gratiæ actualis auxilia. Imò non magis fuerit reddita impeccabilis per illam vnionem, quàm nos per habitualem gratiam sanB VI. ctificantem: quia sicut hæc relinquit in humanitate nostra liberam peccandi potestatem peccato quo destruetur, ita illa relinquet in ea liberam peccandi potentiam peccato quo dissoluetur. Vnde sequetur vlterius, quòd sicut nos non obstante gratia habituali sanctificante qua sumus prædíti, peccare possumus, non solùm spectata absoluta Dei potentia, sed etiam ordinaria: ita & Christi humanitas poterit, non obstante gratia hypostaticæ vnionis qua prædita est.

Verùm neutrum istorum duorum sequitur. Non primum: Christus enim denominari verè non potest agere eo instanti quo non est: eo autem instanti quo peccaret humanitas, Christus non esset, quia eodem instanti desineret humanitatis vnio cum Verbo, ergo & Christus. Nec

C VII. verò eadem ratio est humanitatis Petri, quæ dum peccat, Petrus peccare dicitur: dum enim illa peccat, est Petrus, & per eius subsistentiam illa ipsa actu subsistit. Solùm dici posset per ampliationem humanitas Christi peccare, id est, quæ Christi fuisset humanitas antequam peccaret. Ex quo pariter intelligitur, quòd ab hoc humanitatis huius peccato Verbum siue Deus peccare denominari non posset etiam per idiomatum communicationem: ad hanc enim hypostatica cum Deo vnio necessaria prorsus est, eo autem momento quo peccaret, hæc eius cum illo vnio periret.

Neque etiam secundum: etsi enim, supposito quòd humanitas Christi peccare posset peccato quo suam cum Verbo dissolueret vnionem, rectè sequatur ipsam non fieri vi præcisè vnionis istius

D VIII. antecedenter impeccabilem, imò nec fore reipsa talem antecedenter, si beatifica visione careret, sed tantùm consequenter, sicut & B. Virgo, & alij sancti fuerunt, qui in gratia confirmati sunt dum viuerent: tamen alio simpliciter modo & longè nobiliori fuit impeccabilis, quàm vel hi, vel illa, quia neque hi, neque illa quidquam habebant in se, quo digni essent habere dum viuerent donum aliquod gratiæ quo fierent vel antecedenter vel consequenter impeccabiles; at humanitas Christi, ratione suæ cum Verbo vnio-

nis, digna formaliter erat, cui daretur visio beatifica etiam dum mortalis viueret, & digna proinde quæ fieret per eam antecedenter impeccabilis, digna quoque ratione eiusdem vnionis, cui darentur omnia gratiæ actualis auxilia, per quæ fiebat impeccabilis consequenter.

I. Ex quo patet in primis, falsum absolutè esse, A eam non fuisse per vnionem hypostaticam redditam impeccabilem magis, quàm nos reddamur impeccabiles per habitualem gratiam sanctificantem, cùm hæc nec vi sua præcisè nos reddat tales, nec reddat dignos, vt eo tempore quo mortales viuimus, accipiamus aut visionem beatificam per quam simus antecedenter impeccabiles, aut auxilia gratiæ actualis, per quæ consequenter. Patet deinde falsum esse, humanitatem hanc fore, non obstante ista eius vnione, de potentia etiam ordinaria peccabilem, sicut nos sumus non obstante nostra gratia sanctificante. Cùm enim illi ratione prædictæ vnionis connaturalis sit visio beatifica, & quæcunque alia gratia tam habitualis quàm actualis, & connaturaliter debita, nec possit proinde Deus, nisi vtens

II. absoluta sua potentia, ei negare tam visionem B illam, quàm hæc alia gratiæ dona, non potest ex consequenti, nisi vtens eadem potentia sua absoluta, illi negare impeccabilitatem antecedentem, quam secum affert necessariò visio beatifica, & consequentem, quam secum afferunt efficacia gratiæ actualis auxilia. At nobis cùm ratione nostræ gratiæ sanctificantis non sit connaturaliter pro tempore vitæ præsentis debita visio beatifica, aut illa gratiæ auxilia, possitque proinde Deus de potentia ordinaria non conferre illa nobis, fit, non obstante nostra sanctificante gratia, vt peccabiles simus de potentia etiam ordinaria.

SECTIO II.

III. *Eiusdem negatiuæ partis veritas duobus argumentis efficaciter probatur.* C

PRIMVM ducitur ex authoritate illorum omnium Patrum, quos superiori disput. citauimus, & docere diximus Christi humanitatem fuisse redditam impeccabilem ex ipso præcisè dono hypostaticæ vnionis. Nam qui ad illorum verba attendet, non dubitabit, quin eorum mens fuerit, illi eius humanitati tribuere tantam saltem impeccabilitatem, deriuatam ex prædicto dono vnionis, quantam affert beatis status beatitudinis: atqui status hic non hanc solam eis affert impeccabilitatem, vt peccare non possint quandiu stabit in eis hæc beatitudo, possint tamen absolute peccare peccato quo

IV. hæc formaliter destruatur, sed tam perfectam D affert, vt nullo peccato suo destruere eam valeant, quia vi eius semel in iis positæ, fit vt ampliùs in nullum peccati actum possint prorumpere.

Et sanè si tantùm voluissent, eam fuisse redditam ex illa vnione impeccabilem, quòd ea stante nullum posset peccatum admittere, pari iure dicere debuissent, aut potuissent, nos ex gratia sanctificante reddi impeccabiles lethaliter, cùm etiam illa gratia stante lethale peccatum nullum possimus committere. Vnde sicut nemo dicere absolutè & simpliciter nisi falsò potest, nos ex gratia sanctificante reddi impeccabiles lethaliter, quandoquidem ea non obstante in lethale peccatum labi possumus quo formaliter destruetur: ita prædicti Patres vere dicere non potuissent, Christi humanitatem ex collata semel A V. ipsi vnione hypostatica fuisse redditam impeccabilem, si ea non obstante labi in peccatum aliquod potuisset, quo ipsa dissolueretur. Cumque tam simpliciter absolutéque pronuntient de hac humanitate quod dixi, quàm Theologi beatos ex clara Dei visione reddi impeccabiles absolutè & simpliciter affirmant, sicut hi non sic intelligi debent, vt nec ab vllo intelliguntur, vt solùm velint, beatos sic ex illa visione reddi impeccabiles, vt ea stante & permanente peccare non possint, possint tamen ea non obstante peccare peccato quo eam funditus destruant: ita nec prædicti Patres illud quod dixi absolutè pronuntiantes sic intelligendi sunt, vt aliud nihil voluerint, quàm Christi humanitatem perseuerante in ea vnione cum Verbo esse impeccabilem: at peccare nihilominùs potuisse peccato B VI. quo suam hanc dissolueret vnionem: imò quemadmodum illi Theologi de beatorum antecedente impeccabilitate loquuntur haud dubiè, & ab omnibus intelliguntur: ita & de simili humanitatis Christi impeccabilitate hi Patres intelligendi sunt.

Quod vt certiùs constet, proferam aliquot ex iis testimonia. Primum sit D. Augustini lib. 2. de peccat. meritis & remissione cap. 11. vbi de iustitia & sanctitate illa loquens, quam habebat Christi humanitas ex sua cum Verbo hypostatica vnione, significat aperte, ex hac iustitia tanquam ex causa factum fuisse, vt nec eius in anima, nec in carne vllum posset esse peccatum: ergo nec vllum quo destrueretur illa vnio, & ex ea necessariò consequens humanitatis iustitia, & sanctiC VII. ficatio. Secundum sit eiusdem libro de corrept. & gratia cap. 11. vbi sic disertis verbis ait: *Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitatem personæ à Verbo Deo humana natura susceptæ, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipsa susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ita susceptæ nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Quòd si hæc natura peccare posset, aut etiam peccaret peccato quo suam à Verbo susceptionem dissolueret, profectò non esset susceptio talis, vt natura ita susceptæ nullum malæ voluntatis motum admitteret, aut posset admittere: metuendumque meritò, ea non obstante susceptione, fuisset, ne per liberum voluntatis peccaret arbitrium, peccato, quo suam à Deo susceptionem in personæ vnitatem destrueret.

Tertium sit D. Fulgentij lib. de veritate prædest. & gratiæ non procul ab initio, vbi de Christi humanitate sic loquitur: *Nihil in se terrenæ cupiditatis forma serui habere potuit, quam in vnitate personæ Dominus creator cœli terræque susceperit.* Potuit autem certè non obstante hac vnitate semel facta, si potuit peccare peccato quo hanc vnitatem amitteret. VIII.

Quartum sit Diui Gregorij Nazianz. 36. illa oratione num. 46. dicentis, *humanam Christi voluntatem Deo non posse aduersari, eo quòd tota*

deificata est: cui nónne potest aduersari, si non obstante hac eius deificatione peccare potest peccato quo perdat hanc totam deificationem, sicut & hypostaticam vnionem? Quod Nazianzeni testimonium eo pluris faciendum est, quo non ex solo suo authore vim habet & authoritatem, sed etiam ex 6. Synodo, cuius in actione 17. recitatum & approbatum est. & ex Concil. Florent. post sess. vltimam in Decreto Eugenij Papæ §. 3. in quo etiam recitatum fuit, & approbatum.

I.

Quintum sit Origenis libro περὶ ἀρχῶν 2. cap. 6. dicentis animam Christi ex vnione cum Verbo habuisse *inconuertibilitatem ad peccatum*. Quam quomodo ex ea habuit, si ea non obstante potuit ad illud conuerti peccatum, quo suam illam cum illo vnionem dissolueret?

Sextum sit Cyrilli Alexandrini lib. aduersus Anthropomorphitas cap. 23. in quo aperte significat humanam naturam ob hypostaticam cum diuinitate coniunctionem fuisse *validam effectam, ac peccato superiorem*: quæ profectò mansit infirma, nec peccato superior, si non obstante illa coniunctione committere potuit peccatum, quo illam amitteret. Septimum eiusdem libro de recta fide ad Theodosium ante medium, in quo de anima Christi dicit expresse, quòd postquam Verbum illam sibi propriam reddidit, (per hypostaticam scilicet cum ea vnionem) *suæ naturæ firmitate ac immutabilitate perinde ac vellus colore imbuit peccatóque superiorem effecit*. & paucis interiectis de Christi carne adiunxit, quòd *posteaquam Verbi viuificantis caro effecta est, è vestigio statum firmum ac omnibus modis stabilem, peccatóque, quod olim tyrannidem in nos exercebat, multo potentiorem nacta est*: quæ profectò omnia falsa esse euidens est, si non obstante vnione per quam caro Verbi propria facta est, potuit hæc peccare peccato per quod suam cum eo vnionem solueret.

II.

III.

His Patrum testimoniis sic à me expensis, cæterisque quæ hac sectione continentur, primum vsus sum in Regio Henrici Magni Collegio anno sæculi huius 17. ad confirmandam eam quam tunc publicè sempérque deinceps Parisiis docui, & hîc modo defendo sententiam, de antecedente humanitatis Christi impeccabilitate ex vi præcisè hypostaticæ cum Verbo vnionis: quibus persuasus optimus præceptor meus P. Moncæus paulò antequam e viuis excederet, recessit ab ea quam antea docuerat, posse scilicet humanitatem hanc peccare peccato quo suam illam vnionem destrueret, in hanc inductus opinionem argumento Durandi quod ad finem præcedentis disputationis retuli, & cuius vim iterum attingam ad finem sequentis sectionis, opponamque traditæ hac secunda sectione doctrinæ, soluam autem iisdem verbis quibus solui prædicto huius sæculi anno. Quam huius argumenti solutionem, cæteraque omnia hac sectione hactenus à me comprehensa inserere me voluit disputationi suæ nonæ ex duodecim in lucem editis, cùm id laboris suscipere ipse per se ampliùs haud posset. Inserui autem capite quarto ab extrema pagina 241. ad finem vsque capitis, & quidem vt potui aptè, quo minùs hæc pauca mea à cæteris eius scriptis eorumque ornatu ac splendore deficerent.

IV.

A

B

C

D

Secundum argumentum à me tunc etiam temporis excogitatum ex hac ratione ducitur: quòd nimirum quando duo formales effectus respectu vnius eiusdémque rei sunt simul incompossibiles, & in illa vna eadémque re iam est aliqua forma, qua posita non potest non suscipere vnum ex his formalibus effectibus, sanè ex hypothesi quod hæc forma semel in illa re posita sit, fieri non potest vt illa res per aliquam actionem suam oppositum formalem effectum & cum illo præexistente incompossibilem suscipiat, nisi per eandem actionem suam destruere possit formam illam aliam, qua semel posita & retenta non potest non suscipere illum alterum formalem effectum: si enim per nullam actionem suam destruere potest formā illam, certè nulla sua actione impedire potest, quominùs ille alter formalis effectus ex illa forma semel posita necessariò cōsequens deriuetur, nec proinde potest vllā actionem elicere, qua semel posita oppositus illi formali effectui formalis effectus necessariò sequeretur, quandoquidem iste cum illo est prorsus incompossibilis.

V.

VI.

Iam verò respectu humanitatis Christi sunt simul incompossibiles isti duo formales effectus, esse nimirum infinitè sanctificatam diuinitate tanquam forma, & esse infectam aliquo peccato: vnio autem hypostatica forma est, qua semel in illa humanitate posita, non potest non esse humanitas infinitè sanctificata per diuinitatem, vt constat ex antè dictis, nec proinde potest non suscipere priorem illum formalem effectum. Eadem ergo humanitas ex hypothesi illius vnionis semel in ea positæ non potest per aliquam actionem suam suscipere posteriorem formalem effectum priori repugnantem, nisi possit eadem actione sua destruere vnionem hypostaticam: at non potest, si enim inter illam & eius actionem nulla à parte rei repugnantia est, non potest illa per hanc formaliter destrui, nulla autem est: si quæ enim esset, ideo esset, quia hæc actio peccatum esse supponitur: at non ideo est: vt enim actio quæ peccatum est, eo ipso quo peccatum est, repugnantiam cum illa vnione ex natura rei haberet, oporteret hanc ex natura rei esse sanctitatem formaliter: at non est, vt præsuppono ex dictis disputatione 19. in qua probaui naturas irrationales capaces esse hypostaticæ cum Deo vnionis, cuius sanè capaces non essent, si vnio hypostatica esset formalis aliqua sanctitas, alioqui capaces essent sanctificationis, cùm omnis sanctitas in subiecto posita ipsum formaliter sanctificet, sicut albedo posita in subiecto ipsum album efficit. Vnde etiam cùm ad 7. D. Thomæ, quæst. de sanctificatione humanitatis Christi ageremus, non diximus eam sanctificari ipso modo vnionis formaliter, sed diuinitate tanquam forma, quam & communem esse Patrum doctrinam ibidem disput. 23. vidimus.

VII.

VIII.

Quòd si humanitas vnita hypostaticè Deo non potest actione peccati destruere suam cum eo vnionem, nec per consequens impedire, quominùs à diuinitate sibi vnita sanctificetur formaliter, priorémque formalem effectum suscipiat, quandoquidem illa vnione posita & retenta necessariò prorsus hunc effectum formalem suscipit, sequitur manifestè, vt nec vllo modo

possit vllam peccati actionem exercere, quandoquidem etiam, hac actione semel posita, susciperet necessariò posteriorem formalem effectum, cum illo priori penitus incompossibilem, sicque susciperet simul duos formales effectus simul incompossibiles: quod repugnat.

I. Confirmatur eius rationis vis, in primis ex eo quòd si conciperemus materiam primam esse formalem quandam sanctitatem omne vi sua peccatum excludentem, sicut est diuinitas, & à materia vnita substantialiter animæ rationali hanc sanctificari formaliter tam necessariò, quàm Christi humanitas à diuinitate sibi vnita hypostaticè sanctificatur, vnionem autem substantialem qua eadem materia animæ rationali vniretur, aut esse eandem prorsus cum ea quæ nunc est, aut ex se non esse magis formalem sanctitatem, quàm ea sit, qua nunc vniuntur: profectò rectè sequeretur, animam hanc semel vnitam illi materiæ, vi vnionis reddi prorsus impeccabilem:

II. quandoquidem vna ex parte, hæc vnio cùm non sit sanctitas, nullam cum actione peccati repugnantiam haberet, nec proinde per eam destrui posset: ex altera verò, non posset ex ea semel posita & retenta non sanctificari anima rationalis à materia sibi vnita tanquam à forma omne vi sua peccatum excludente: ergo nec susscipere formalem effectum illi formali sanctificationis effectui repugnantem: ergo nec peccare: nam si peccare posset, posset & hunc formalem effectum simul cum illo alio susscipere, & reipsa susciperet, si reipsa peccaret.

III. Deinde & ex eo confirmatur, quòd si quæ in nobis à Deo produceretur qualitas, quæ non esset sanctitas, & qua semel posita, non posset non poni simul, in nobis gratia habitualis sanctificans, rectè quoque sequeretur, nos vi qualitatis illius semel acceptæ non posse ampliùs peccare mortaliter: quia vna quidem ex parte nostrum mortale peccatum non posset destruere formaliter illam qualitatem, quia nullam cum ea, cùm non sit sanctitas, repugnantiam haberet: ex altera verò, non posset ea semel posita non esse in nobis gratia sanctificans, cum qua nullum mortale peccatum stare potest.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contraria.

IV. AT contra nostram hanc rationem opposuit nuper quidam Recentior, peccatum quod admitteret humanitas vnita Verbo hypostaticè, impediturum tantummodo, ne à diuinitate vnita sanctificaretur ampliùs formaliter: quia diuinitas est substantialis sanctitas, nec proinde humanitati inhærens, eamve informans, alióve simili modo intrinsecè afficiens, eandémque proinde tum solùm formaliter sanctificans, cùm istius sanctificationis nullum in ea impedimentum est: fore autem aliquod, nempe peccatum ab eadem admissum, quod necessariò ei tribueret formalem effectum cum illa sanctificatione penitus incompossibilem. Respondeo hac ratione probari refutatam antea Duiandi sententiam, Christi nimirum humanitatem, permanente etiam hypostatica vnione, peccare reipsa potuisse, non concessa ei clara Dei visione, vllóve alio gratiæ dono quàm hypostaticæ vnionis. De

A cuius sententiæ falsitate, vtpote communi Patrum doctrinæ repugnantis, non dubitabit, qui attendet ad ea quæ ex iis retulimus & expendimus testimonia, quæ hoc saltem clarissimè euincunt, prædictam humanitatem retenta cum Verbo hypostatica vnione nullius committendi peccati capacem esse. V.

Neque verò Recentioris illius allata ratio vim habet. Licet enim diuinitas sit substantialis sanctitas, & proinde non intrinsecè inexistens humanitati Christi, sicut habitualis gratia sanctificans animæ nostræ intrinsecè inest: quoniam tamen vna quidem ex parte seipsa formaliter, seu in genere causæ formalis, tam sanctificare potest quamcunque naturam sibi substantialiter vnitam capacem

B sanctificationis, cuiusmodi est haud dubie humanitas, quàm hæc gratia potest animam nostram sanctificare seipsa formaliter: ex altera verò, substantiali sui cum huiuscemodi natura vnione tam aptè sufficienterque coniuncta ei est, vt eam reipsa & in actu secundo formaliter sanctificet, quàm eadem habitualis gratia sui in anima nostra inhæsione est ei aptè & sufficienter vnita, vt eam sanctificet formaliter: sanè quemadmodum anima nostra habere non potest sic vnitam sibi gratiam hanc, quin per eam formaliter sanctificetur, ita nec poterit illa natura manere sic coniuncta diuinitati, quin ab ea formaliter quoque sanctificetur: aut certè si peccatum adueniens impedire tantùm dicitur hunc formalem effectum sanctificationis, permanente hypostatica vnione, dicetur pari iure VI.

C nostrum mortale peccatum superueniens habituali nostræ gratiæ, non destruere gratiam hanc eiusque in nobis inhæsionem, sed impedire solummodo ne ab ea ampliùs sanctificemur. VII.

Quod qui diceret, dicere pariter posset, aut deberet, creatam naturam, siue diuinitate, siue creata gratia iam formaliter sanctificatam, superueniente postea peccato non perdere sanctificationem hanc suam, nec proinde ab eo accipere formalem effectum huic sanctificationi oppositum, sed tum tantùm, cùm nullum in ea huius formalis effectus impedimentum est. Quàm enim potens est peccatum tribuere suum hunc formalem effectum subiecto suo, tam est potens siue increata siue creata illa sanctitas tribuere suum ei na-

D turæ, cui sufficienter ad hunc tribuendum vnita est. Quare si potest hic sanctificationis effectus formalis impediri per peccatum superueniens, remanente tamen forma quæ est sanctitas, poterit quoque peccati effectus formalis impediri per increatam ac creatam sanctitatem, adueniente & permanente peccato in ratione peccati formaliter. VIII.

Contra eandem nostram rationem oppones secundò, peccatum quod humanitas hypostaticè vnita Verbo committeret, destructurum pri-

mò & immediatè sanctificationem humanitatis à diuinitate, tanquam forma formaliter prouenientem, ob formalem & immediatam quam cum illa sanctificatione habet repugnantiam, & consequenter vnionem hypostaticam, ob necessariam quam hæc vnio cum eadem sanctificatione habet connexionem. Respondeo impossibile esse, vt peccatum hanc sanctificationem destruat, nisi priùs & immediatiùs illam vnionem destruxerit, & ratio est, quod nulla forma alteri in eodem subiecto repugnans possit eius formalem effectum formaliter destruere, nisi priùs & immediatiùs destruxerit formam à qua hic formalis effectus deriuatur: sicut enim formæ cuiuslibet formalis effectus nunquam primò per se & immediatè subiecto communicatur, sed tantùm primò per se & immediatè communicata forma, cuius formalis effectus est: ita nunquam primò & immediatè destruitur, sed solùm forma ista primò & immediatè destructa. At sanctificatio humanitatis per diuinitatem tanquam formam, est formalis effectus diuinitatis vnitæ hypostaticè, qui proinde destrui formaliter per peccatum primò & immediatè non potest, sed tantùm destructa priùs & immediatiùs hac hypostatica diuinitatis cum humanitate vnione: quemadmodum in exemplis prima & secunda confirmatione relatis, vt peccatum quod admitteret anima rationalis sanctificata formaliter per materiam primam sibi vnitam substantialiter, aut per habitualem gratiam sibi intrinsecè inhærentem, destrueret aut hanc gratiam, aut illam sanctificationem, destruere priùs & immediatiùs deberet aut qualitatem illam, ex qua non posse non sequi gratiam hanc suppossuimus, aut substantialem materiæ primæ cum illa anima vnionem, quandoquidem ex ea materia sanctificatio illa tanquam formalis effectus sequeretur.

I.

II.

III.

Oppones tertiò, illâ nostra ratione pari efficacitate concludi, puram creaturam habituali gratia sanctificante semel à Deo donatam, reddi vi gratiæ istius antecedenter impeccabilem mortaliter: siquidem nulla peccati actione destruere posset vnionem gratiæ illius sibi inexistentis, cùm hæc vnio non sit formalis aliqua sanctitas, aliunde verò permanente hac gratiæ vnione non posset non esse formaliter sanctificata per gratiam hanc, nec proinde posset formalem peccati mortalis effectum illi priori formali effectui repugnantem susscipere, ergo nec peccare mortaliter: nam si peccare posset, posset & susscipere, vt reipsa susciperet, si reipsa peccaret. Verùm respondeo hac obiectione supponi, vnionem gratiæ sanctificantis cum anima esse entitatem aliquam distinctam à parte rei, vel ab eductione gratiæ ipsius ex anima, vel ab hac ipsa gratia per eductionem producta, quod falsum est. Vniuersim enim vnio accidentis cum subiecto per quam ipsi formaliter inhæret, vel est ipsa formaliter actio qua ex subiecto producitur ipsum accidens, seu educitur, vel est ipsissima huius ipsius accidentis educti entitas, quæ seipsa formaliter vnitur subiecto, eique inhæret. Frustra enim & superfluè prorsus absque vlla ratione distinctum quidpiam quo vniatur admittitur.

IV.

Quod si gratia producta per eductionem ex anima ipsi vnitur immediatè seipsa, non mirum si peccatum mortale tam facilè, tamque necessariò gratiæ cum anima vnionem destruat, quàm gratiam, tantámque cum illa quàm cum hac habeat repugnantiam, cùm hæc & illa sit vna eadémque à parte rei entitas. Sin autem vniatur formaliter per actionem quæ productio ipsius ex anima, seu eductio est, nec mirum si peccati mortalis actio hanc quoque destruat vnionem, etiam si hæc non sit ipsa formaliter sanctitas, sed sanctitatis productio: quotiescunque enim forma aliqua alteri formæ respectu eiusdem subiecti est opposita, opponitur quoque istius alterius formæ productioni siue eductioni ex illo subiecto, & eo modo huic actioni quo illi formæ opponitur: id est, si spectata soli Dei ordinaria, & subiecti naturali potentia inter illas formas oppositio est, ea quoque sola spectata inter vnam ex iis formis, eiúsque in subiecto positionem, & inter alterius formæ ex eodem eductionem est oppositio: sin autem etiam spectata absoluta Dei, & subiecti obedientiali potentia, inter eas repugnantia sit, eadem quoque spectata inter vnam ex eis eiúsque in subiecto positionem, & inter alterius ex eodem subiecto eductionem repugnantia est: vt certissima per omnes huiuscemodi formas inductione clarum est. Quare cùm mortale peccatum, eo ipso quo mortale peccatum est, respectu eiusdem subiecti repugnet sanctificanti gratiæ, spectata etiam absoluta Dei, & subiecti obedientiali potentia, repugnabit consequenter & hoc ipso modo actioni qua hæc gratia ex subiecto producitur, seu educitur.

A

V.

B

VI.

C

VII.

Instabis, eo saltem casu, quo gratia per creationem à Deo produceretur, & sic producta animæ postea vniretur per modum tam ab ea quàm ab eius creatione à parte rei distinctum, fore animam hanc vi gratiæ illius sic vnitæ antecedenter impeccabilem mortaliter, si valida est ratio, qua Christi humanitatem vi vnionis hypostaticæ esse antecedenter impeccabilem probauimus. Respondeo primò concedendo totum, dummodo gratia sic vnita animæ tam formaliter ipsam in actu secundo, támque necessariò sanctificet, quàm quæ nunc nobis inhæret, nos in actu secundo formaliter sanctificat.

Respondeo secundò negando absolutè illud fore, quia gratia eo solùm pacto vnita animæ eam formaliter non sanctificaret, nec proinde sanctam formaliter denominaret: vt enim sic sanctificet, & denominet, inhærere ipsi necessariò debet, seu vniri vnione quæ sit formaliter inhæsio: vnio autem accidentis cum subiecto quæ est inhæsio, vel est ipsa formaliter huius ipsius accidentis ex illo subiecto eductio, vel ipsum accidens per eductionem ex illo productum, quod seipso immediatè ei vnitur. Quare prædicta illa gratiæ

D

VIII.

sanctificantis per creationem productæ cum anima vnio, similis esset ei qua nunc accidentia panis post consecrationem vniuntur Christi corpori, quæ quoniam non est formalis illorum in ipso inhæsio, licet tit vera physicaque tam ab hoc quàm ab illis à parte rei distincta vnio, vt
I. in Tractatu de Eucharistia disputantes de transubstantiatione probabimus, fit vt ipsum facere formaliter & denominare quantum, aut album aut simili modo nequeant, nec impedire proinde valeant, quo minùs tam facile támque naturaliter contrarias in se recipiat, habeatve formas, & earum proprios formales effectus., quàm si prædicta inter ipsum & illa panis accidentia vnio non intercederet.

Denique contra doctrinam superiori sectione traditam obiicies, vnionem hypostaticam, diuinámque Verbi subsistentiam humanitati vnitæ nullam tribuere actiuitatem, vt nec nostra subsistentia naturæ nostræ vnita vllam ei tribuit: ergo illam humanitatem non magis posse resistere tentationibus, quam posset, si hypostatica vnione careret, aut quàm nos possimus.
II. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam: quia etsi vim agendi nullam tribuat, infert tamen necessariò in eam impedimentum, ne ipsa in actionem peccati erumpere valeat, quatenus infert in eam necessariò infinitam simpliciter sanctitatem, cum qua peccatum stare nullum potest. Vnde consequenter dicendum, non posse Deum humanitati quam semel assumpsit, aut permittere vllas peccandi occasiones, tentationésque, aut si permittit, negare gratias efficaces necessarias ad illas tentationes superandas, quin priùs intelligatur volens soluere vnionem, & independenter à peccato postea committendo. Quam certè si sic antecedenti decreto solueret, posset humanitas
III. eo ipso momento peccare, quo illa vnio in priori naturæ solueretur: quia nihil repugnat Deum assumptam antea naturam in instanti aliquo dimittere, sicque ad peccandum expeditam relinquere, eidémque permittere tunc temporis vehementem aliquam cogitationem allicientem ad peccatum, cui ex libertate sua tunc quoque consentiat: sicut & nihil repugnat ipsum aliquo momento temporis eripere beato visionem beatificam, sicque eum ad peccandum expeditum relinquere, túncque eidem vehementissimam aliquam tentationem permittere, cui ex libertate statim consentiret.

Quòd si quis supponeret, siue per possibile, siue per impossibile, Deum antecedenti decreto nec velle soluere vnionem, nec velle in tentationibus, & peccandi occasionibus vllam con-
IV. ferre gratiam assumptæ naturæ, sed eam pure sibi relinquere: Dicendum ex hac suppositione nihilominus esset, eam non posse vllum peccati actum elicere, quia per vnionem illam redditur antecedenter impeccabilis, vt probauimus. Vnde tunc ex necessitate naturæ non posset non omittere actus veritos, & exercere imperatos, quorum omissio, vel commissio libera peccatum foret: sicut & hoc similiter dicendum quoad actus veritos, & imperatos sub mortali peccato, de illo homine esset, qui supra memoratam qualitatem haberet, ex qua non posset non sequi habitualis gratia sanctificans, ex hypothesi quòd Deus nec illam qualitatem antecedenti decreto destruere vellet, nec illi homini in peccandi occasionibus constituto vllum dare gratiæ auxilium. V.

DISPVTATIO XXXVI.

Vtrùm in Christo, eiúsve humanitate fomes peccati fuerit, aut esse potuerit?

SCIENDVM est nomine fomitis non intelligi ipsam facultatem naturalem appetitus, dicentem essentialem ordinem ad motus inordinatos, & rectæ rationi repugnantes, tanquam ad effectus quos efficere natura sua potest: alioqui peccati fomes & in primis parentibus in statu innocentiæ extitisset, & in beatis hominibus foret, & in Christo certissimè fuisset: in eo enim fuit haud dubiè integra humana natura, & in iis post resurrectionem futura est, & in illis in prædicto statu extitit: ergo & facultas illa naturalis appetitus, cùm ad humanæ naturæ integritatem spectet, sicut & potentiæ aliæ animæ rationalis: sed intelligi vel motus ipsos inordinatos, & ad aliquid ex se rectæ rationi repugnans inclinantes, vel ipsam facultatem naturalem appetitus consideratam non præcisè secundùm se, suámque essentiam, sed vt proximè potentem & expeditam ad hos motus eliciendos: quo modo nunc est in nobis, non fuit autem in primis parentibus tempore status innocentiæ, in quibus tunc temporis illa facultas originali iustitia tanquam iniecto fræno coercebatur, ne in eos posset prorumpere.

Dixi, nomine fomitis intelligi vel motus inordinatos, &c. Nam si intelligeretur quicunque motus appetitus circa id cui si voluntas efficaciter consentiret, peccaret, aut facultas appetitiua proximè expedita ad eiusmodi motus exercendos, fomes in Christo fuisset, cùm tamen non fuerit, vt paulò pòst dicemus: fuit enim in illo motus appetitiuæ facultatis auersantis mortem, cuius tamen subeundæ præceptum habebat, cui proinde motui si voluntas eius efficaciter consensisset, volendo efficaciter declinare mortem, peccasset: licet autem hic motus in eo fuerit, non propterea fuit fomes, quia motus ille non ferebatur in aliquid ex se rationi repugnans, sed potiùs ex se bonum & licitum, & ex solo Dei positiuo præcepto malum & illicitum: ad fomitem autem peccati pertinent illi soli motus qui feruntur in aliquid ex se malum & rationi repugnans.

Hoc præsuppositio, dicendum primò est non fuisse in Christo fomitem. Ita Theologi omnes & Patres, quorum testimoniis referendis supersedeo, quòd hæc à Suare, Vasq. & aliis ad verbum referantur circa hanc Diui Thomæ quæstionem

A B C D

VI. VII. VIII.

15. Ratio quæ tã illos quàm hos omnes, vt ita de Christo sentirent, permouit, fuit, quod peccati fomes magna imperfectio est, cùm inuoluat quidpiam inordinatum ad aliquid ex se rationi dissentaneum voluntatem alliciens, quam vt ab ipso excludamus, exigit meritò à nobis infinita
I. ipsius dignitas, & sanctitas, ob quam contraria perfectio ei connaturalitet debebatur, cùm præsertim illius imperfectionis assumptio non fuerit vtilis ad nostram redemptionem, satisfactionémque pro peccatis, imò tantum ei aduersetur, quantum ad peccatum inclinat. Et sanè si in puris hominibus in statu Innocentiæ non fuit, nec fuisset peccati fomes, vt communis Doctorum & Patrum sententia est, multò magis eum in Christo non fuisse sentire debemus.

Excluſus autem ab eo fuit, non præcisè per inditos eius appetitui sensitiuo moralium virtutum habitus, aut respondentes his virtutibus in voluntate sedem habentibus: nulli enim huiusmodi habitus quantumuis intensi impedire vi sua possunt, ne proposito sibi per internum sensum obiecto boni vel mali sensibilis, feratur in
II. illud etiam ante aduertentiam rationis aliquo motu suo, nunc inordinato, nunc inordinationem nullam habente, prout obiectum circa quod fertur, est aut rectæ rationi repugnans, aut non est: quamuis quo sunt intensiores, eo maiorem ei facilitatem tribuant ad hoc aut illud obiectum fugiendum, prosequendúmve, prout voluntas ratióque præscripserit: sed excluſus fuit vel per claram Dei visionem, eiusque fruitionem, quam probabile est esse ex se tantæ efficacitatis, vt in beatis absque alio dono comprimat omnem inordinatum motum prædicti appetitus, impediátque ne hic in vllum possit erumpere, cùm certa constet experientia, imperfectam etiam & ænigmaticam huius vitæ contemplationem Dei, & consequentem ex ea
III. amorem eius, ac fruitionem, compescere, eo saltem tempore quo durat, motus illos, magis aut minùs, prout magis minúsve perfecta est: vel per rationem perpetuò vigilantem, & ob excellentem rerum cognitionem actualem qua semper fuit prædita, potentem præuenire obiecta omnia quæ appetitum illum mouere & excitare in quidpiam inordinatum possent: vel denique per extrinsecam peculiarémque Dei prouidentiam, ab interno sensu auertentis eas omnes obiectorum sensibilium cogitationes, ex quibus appetitus ille motus aliquos inordinatos posset elicere.

Dicendum secundò, peccati fomitem de potentia absoluta in Christo esse potuisse. Ita Gab. Vasquez disput. 61. cap. 8. Ratio est, quòd ille
IV. fomes nihil includat in se, aut vnioni hypostaticæ, aut infinitæ sanctitati ex ea in humanitatem vnitam dimananti repugnans. Neque enim ipse peccatum formaliter est: neque motus inordinati ad ipsum pertinentes sunt peccata formaliter, licet ad peccandum alliciant. Vnde nihil causæ potest esse, cur Deus de absoluta potestate non possit illi humanitati, supposita ac permanente eius vnione, negare donum illud quo prædicta facultas naturalis ita coercetur, vt prædictos motus non possit exercere. Nec contrarium persuadet ratio Suaris oppositum
A sentientis, ducta ex obligatione qua Verbum teneri dicit ad seruandam immunem non solùm á peccato, sed etiam ab omnibus inordinatis motibus naturam quam semel assumpsit: huius enim rationis ex disputat. 34. satis constat inefficacitas. V.

Ex his constare facilè potest, quid de ignorantia dicendum sit: idem enim de ea quod de peccati fomite sentiendum est, nimirum non fuisse quidem in Christo, esse tamen de absoluta potentia potuisse. Non fuit quidem, quia plenitudinem scientiæ habuit, cum qua non potest esse ignorantia. quod ita certum est, vt Vasquez disputat. 51. cap. 2. probet id de fide esse, licétque in nullo vel generali vel prouinciali Concilio Ecclesia hactenus definierit Christum nullam ignorantiam habuisse, Patres tamen id vno ore ita pronunciasse, vt oppositum tanquam errorem fidei contrarium damnauerint.
B VI.

Nec dicas, ipsum nec per scientiam beatam, nec per infusam cognouisse omnes omnino creaturas possibiles: quamuis enim ita esse concedatur, non propterea tamen ignorantiam vllam habuerit: quia carentia cognitionis alicuius creaturæ pure possibilis dici quidem potest nescientia, at non ignorantia, quæ propriè est carentia cognitionis rerum ad proprium statum & officium pertinentium, præteritarum item, præsentium, ac futurarum, quarum omnium rerum plenissimam cognitionem Christus habuit: alioqui si ad ignorantiam sufficeret carentia cognitionis cuiusuis indifferenter creaturæ, certissimum esse deberet omni-
C bus, Christum habuisse omnium creaturarum etiam purè possibilium scientiam, cùm ex illa Patrum doctrina nulli sit fas dubitare, ipsum nulla ignorantia laborasse. VII.

Etsi autem nulla in eo fuerit, esse tamen potuit. Supposita enim vnione hypostatica nihil necesse fuit ipsi communicari à Deo rerum omnium præteritarum, aut præsentium, aut futurarum cognitionem: imo positiuus error in eo esse absolutè potuisset, quia hic nihil habet aut prædictæ vnioni, aut sanctitati ex ea in humanitatem resultanti repugnans: nec vllam obligationem habet Deus naturam quam semel assumpsit ab omni errore positiuo seruandi immunem, vt nec à peccato, aut inordinatis motibus appetitus: ad quam tamen ab his, & ab illo si aliquam præseruandi obligationem haberet, non esset propterea consequens, vt haberet præseruandi ab errore illo, cùm ille nec peccatum sit, nec ad peccatum incliner, sed purè speculatiuus sit, vt supponimus.
D VIII.

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrùm in anima Christi fuerint passiones?

I. AGIT hac de materia D. Thomas quæstionis 15. art. 4. & sequentibus: cuius ad doctrinam iis contentam, & per se facilem, intelligendam, satis erit textum ipsius legere, & quæ sequuntur notare. Primum est, de fide esse animam Christi fuisse passibilem, id est, eos habuisse motus qui passiones vocantur, eo quòd aut semper, aut tum saltem cùm sunt vehementes, commotionem aliquam & passionem in carne efficiunt, vt sanguinis circa cor ebullitionem, aut similem. Constat enim clarissimis Scripturæ testimoniis eius in anima fuisse tristitiam, timorem, & similes affectus, qui sunt motus, quos passiones dicimus. Idipsum definiuit sexta Synodus Act. 4. in ep. Agathonis

II. Papæ ad Imperatores, & Act. 8. columna ante finem tertia. Leo quoque primus epist. 11. quæ est ad Iulian. circa finem: communitérque Patres passim hos motus in anima Christi agnouerunt. Neque verò putandum est eos in ipsius anima fuisse, eo solùm nomine quòd essent in ipsius appetitu sentiente, qui quædam animæ pars seu potentia est: fuerunt enim etiam simul in eiusdem voluntate, tum quia nulla est causa negandi in hac pariter fuisse, cùm nihil inordinatum haberent, alioqui ne quidem in illo eius appetitu fuissent: tum quia quæ passiones in Christo fuerunt, cùm in ipso vt homine, & secundùm humanitatem fuerint, eo haud dubiè more fuerunt, quo solent esse in hominibus, tum saltem cùm sunt ipsis voluntariæ, simúlque rationi conformes, quales reipsa

III. fuerunt omnes in Christo passiones: tunc autem sunt in eorum appetitu sentiente & voluntate simul.

Denique quia ita docent Patres, quorum multi citati à Gabriele Vasquez disputat. 73. cap. 1. ex tristitia quam Christus passus est, dum dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, colligunt humanam in eo voluntatem: ex qua immeritò colligerent, nisi præsupponerent eam fuisse etiam humanæ voluntatis. Multi quoque ab eodem citati cap. 3. tum illius disputat. tum 62. idem colligunt ex timore mortis quem illa imminente passus item est, vt constat ex Marci cap. 14. quod similiter malè colligerent, nisi timorem hunc motum humanæ etiam voluntatis fuisse existimassent. Qui

IV. quidem cùm has tristitiæ timorísque passiones in Christi non solùm appetitu, sed etiam voluntate reposuerint, non dubium quin de cæteris passionibus idem senserint, cùm nulla sit de his quàm de illis aliter sentiendi ratio.

Cæterùm etsi passiones sicut in nostro simul appetitu voluntatéque sunt, sic in Christi simul fuerint, non eodem tamen prorsus modo in eo fuerunt, quo in nobis sunt. In primis enim in nobis frequenter inordinatæ sunt, & tendentes in aliquid ex se illicitum, tales in Christo nunquam fuerunt, vt ex superiori disput. constat. Nec contrarium significat Cyrillus

A lib. 10. Thesf. cap. 3. dum ait, *passiones carnis in Christo fuisse commotas, non vt ab ipsis ille superaretur, sicut nos, sed vt commotæ vincerentur virtute inhabitantis Verbi.* Loquitur enim de quibusdam affectibus ex se non inordinatis, V. qualis erat simplex complacentia erga vitam, & mortis instantis timor, eo tempore quo ex præcepto illam profundere, & hanc subire debebat. Quos motus dicit Christum in se excitasse, vt in eorum victoria salutem nostram mereretur, victoriam autem de illis reportasse, quatenus eis non consentiebat efficaci voluntate volens conseruare vitam, & mortem fugere, sed potiùs efficaciter resistebat, volens efficaci voluntate hanc oppetere, & illam amittere.

Secundò, quia passiones in nobis aliquando & rationem perturbant, & voluntatem ad peccandum inflectunt, in Christo autem nihil istorum. Tertiò, quia in nobis sæpè rationem præueniunt, in eo autem nunquam, sed omnes ex im-

B perio rationis & voluntatis ipsius oriebantur, quam ob causam fuisse dictas à S. Damasceno VI. supernaturales, disp. 32. vidimus: quod etiam ex multis Scholasticis Doctoribus, & Patribus ritè probat Vasquez cap. 1. citatæ 62. disput. vbi etiam rectè obseruat, hos quidem motus exortos & cohibitos fuisse semper ad nutum humanæ Christi voluntatis, eíque obedriisse despotice sine mora ac contradictione, sed hanc eius humanam voluntatem in his motibus sic excitandis & cohibendis operatam fuisse vt instrumentum diuinitatis. Tantam enim non esse vim naturalem & propriam humanæ voluntatis, vt eo modo motus illos excitet & cohibeat: quam vim ex sola etiam præcisè vnione cum Verbo non potuit habere, cùm ex ea præcisè nulla humanæ naturæ facultas possit reddi potentior ad agendum, aut patiendum,

C quàm si illa careret, vt satis constat ex supra VII. dictis.

Secundum est, cùm passiones oriantur partim ex cognitione obiecti alicuius conuenientis, vt amor, gaudium, & similes, partim ex alicuius disconuenientis, vt tristitia, timor, & alij huiusmodi motus, D. Thomam agere prædictis articulis de solis illis animæ Christi passionibus, quæ nascuntur ex cognitione alicuius obiecti disconuenientis: quod fecisse videtur, tum quia eæ sunt quæ passionis nomen præcipuè merentur, cùm eæ præsertim passionem & commotionem in corpore efficiant: tum quia de passionibus hic agit tanquam de aliquibus animæ defectibus à Christo assumptis: eæ autem quæ ex huiusmodi cognitione nascuntur,

D habent potissimùm rationem alicuius defectus, VIII. tum propter passionem & commotionem quam, vt dixi, potissimùm efficiunt: tum quòd ex quodam naturæ defectu oriri videntur, eo ipso quo oriuntur ex cognitione obiecti disconuenientis & contrarij: naturam enim habere contrarium à quo pati possit, manifestus in ea defectus est.

Verum nihilominùs est, eundem D. Thomam artic. 8. agere de affectu admirationis, qui alia ex causa nasci potest, & solet, quàm ex disconuenientis obiecti cognitione: ideo autem

de eo egisse videtur, quia superiore articulo de timore egerat, qui ex huiusmodi cognitione oritur: ille autem admirationis affectus plerunque pauor aut terror aut timor dicitur, vt Matthæi 9. cap. in quo turbæ viso miraculo sanati repentè paralytici *timuisse* dicuntur, id est, admiratæ, & Lucę 7. in quo similiter turbas visa suscitatione adolescentis mortui accepisse *timor* dicitur, id est, admiratio. I. A V.

Tertium est, dum hîc idem sanctus Doctor articulo quinto docet in Christo fuisse dolorem sensibilem, ipsum nomine doloris non intelligere eum qui in corpore est, & est operatio sensûs tactus percipientis obiectum corpori disconueniens: hic enim dolor non est animi defectus, sed corporis, cùm in hoc solo sit: de defectibus autem corporis egit superiori quæstione, in ista verò agit de solis animæ defectibus: sed intelligere displicentiam animæ & appetitus ortam ex dolore existente in carne, habentémque pro obiecto hunc ipsum dolorem corporis quem refugit: in quo dolor animæ ac appetitus ab eiusdem tristitia differt, quæ est II. B VI. displicentia de obiecto disconueniente, non quidem sensu tactus percepto, sed vel sola interiori cogitatione cognito, vel etiam percepto per sensum à tactu diuersum. Etsi autem nullus tristitiæ motus in Christo stare simul naturaliter posset cum ingenti illo gaudio, quod ipsius anima capiebat ex ipso Deo clarè viso, gaudio beatifico omnem vi sua ita excludente tristitiam ab eo in quo est, vt nullam naturaliter sentire possit, supernaturaliter tamen, seu per absolutam Dei potentiam potuit, & ita factum est: alioqui cùm Christus passioni proximus tristis ad mortem vsque fuerit, & aliàs sæpè in vita tristitiam habuerit, dicendum esset, eum caruisse tunc temporis beatifico gaudio: quod, supposita clara Dei visione, quam semper habuit, non minus miraculum fuisset, quàm habere aliquam aliquando in anima sua simul cum illo gaudio tristitiam. III. C VII.

Quartum est, ad rationem timoris non pertinere dubitationem & incertitudinem de euentu futuri mali quod timetur, aut spem illud euadendi, licet hæc spes, & illa dubitatio ac incertitudo frequenter cum timore coniuncta sit: malum enim futurum timere possumus quod certissimè scimus futurum, & cuius proinde euadendi nullam spem habemus, aut habere possumus: nam de malo euadendo quod certissimè futurum nouimus, nullam concipere spem possumus. Et certè dum secari nos aut vri volumus efficaciter ad sanitatem recuperandam, certi sumus de hoc malo futuro, nec vllam euadendi spem habemus: quandiu tamen hoc malum futurum est, illud timemus, vt experientia certum est. Nihil ergo impedit quo minùs Christus mortem sibi imminentem, quandiu futura fuit, verè & propriè timuerit, licet de ea futura certissimus esset, nec vllam proinde eius euadendæ spem haberet. IV. D VIII.

Nec opponas Philosophum libro secundo Rhetor. capite quinto docentem, metum & timorem esse cum spe aliqua euadendi periculum ac malum imminens: ex quo sequitur, esse cum prædicta incertitudine coniunctum, eo quod, vt dixi, de malo euadendo quod certissimè scitur futurum, nulla spes concipi potest: agit enim ibi Philosophus non de omni timoris affectu, sed de eo quem oratores in suis auditoribus excitare debent: quî non contingit, nisi quando mali incertus est euentus, & adhuc locus est consultationi de mediis quibus euitari potest. Nam quando malum certissimè scitur futurum, non est opus oratorum arte aut eloquentia, vt eius timor ab iis concipiatur.

Nec opponas secundò Diuum Augustinum in 2. enarrat. Psal. 21. satis apertè negantem, Christum timuisse mortem: quod non alia de causa negare potuit, quàm quia timor est de malo futuro cum incertitudine euentus futuri, & spe euadendi, Christus autem de morte sua futura fuit certissimus: solùm enim ibi negat Christum ita timuisse mortem, vt præ timore declinare eam vellet efficaciter.

Quintum est, admirationis duplex esse obiectum, ex Diui Augustini doctrina, epistola 101. Vnum, rem seu effectum cuius causa ignoratur: quæ admiratio in Christo esse non potuit, cùm cuiuslibet effectus causas omnes perfectè cognosceret. Alterum, raram rem & insuetam, etiamsi & ipsa res, & eius causa plenè sciatur. Et de hoc admirationis genere intelligendi sunt Euangelistæ, Matthæus, & Lucas, dum aiunt Christum admiratum esse fidem Centurionis. Vtrumque autem genus admirationis admittendum esse constat etiam experienta. Nam si quis, exempli causa, videat aquam ex humilî loco in altum ascendere, & causam motus ignoret, videndo delectatur, & miratur, cupitque causam istius effectus cognoscere: vbi autem egregiam quandam artem & industriam artificis causam esse viderit, eámque perfectè comprehenderit, magis adhuc mirabitur & delectabitur, visa huius industriæ cum tali effectu proportione: quæ admiratio motus quidam delectationis est de re tam rara & insolente, excitans ad laudem illius, cùm prior illa admiratio inclinet in desiderium cognoscendi causam effectus illius quem miramur.

Et quidem posterioris huius generis fuisse admirationem Christi mirantis fidem Centurionis, expressè docuit Diuus Augustinus epistola citata, in qua postquam duas istas admirationis causas attulit, nempe cùm vel ratio alicuius rei latet, vel eadem res vsitata non est, quòd aut singularis, aut rara sit, sic subiungit: *Ex alia verò admirationis causa, quæ ideo est, quia insolitum aliquid occurrit, scriptum est de Domino, quòd miratus sit fidem Centurionis: neque enim eum vllius rei ratio latere potuit: sed admiratio pro laude posita est eius, cuius par in populo Hebræorum non apparuerat.* Et paucis interiectis, cùm dixit, nos quædam excellentiam laudando mirari, subdit, *quo genere admirationis Centurio ille laudatus est.*

Neque ex hac D. Augustini, nostráque doctrina concludat quispiam, Deum fore etiam secundùm diuinitatem capacem admirationis, quia rara quædam & insueta eius scientiæ obiici poterunt, sicut humanæ obiiciuntur: vt enim rectè Vasq. disp. 62. cap. 4. ideo Deus res etiam raras & insuetas quæ contingunt mirari secundùm diuinitatem non potest, Christus, & quilibet

alius hominum ſecundùm humanitatem poteſt, quia motus admirationis qui circa rem raram & inſolentem verſatur, defectum quendam in eo qui miratur, præſupponit neceſſariò, cuius incapax eſt diuinitas, non humanitas. Vt enim res inſueta & rara delectationem illam mouear quæ admiratio eſt, & in laudem eius inclinat, debet eſſe aliquo modo ſupra vires naturales eiùs qui miratur. Vnde artifex qui facit opus aliquod inſuetum & rarum, non miratur illud, etiamſi laudet, quia non excedit vires eius: niſi fortè talis naturæ opus illud eſſet, vt quid ſimile efficere ampliùs non poſſet. Vnde etiam qui videt aliquid ab alio factum quod efficere ipſe per naturales ſuas vires poteſt eodem modo, eadem facilitate & perfectione, non miratur, etſi laudet: niſi fortè videat id ab alio factum ea in ætate, vt in puerili, in qua hoc rarum & inſuetum eſt, & in qua dum erat facere non potuiſſet, etiamſi poſſit idem facere in ætate virili conſtitutus. Quoniam ergo fides Centurionis rara & inſueta Chriſto erat, ſimúlque ſupra vires eius naturales, rectè illam mirari potuit: at è contrario nec illam fidem Deus, nec quidquam aliud, licet per ſe rarum & inſuetum mirari poteſt, quia nulla res poteſt excedere naturales eius vires, cùm ipſe omnium author & cauſa propria ſua ac naturali virtute ſit.

Sextum eſt, iram in Chriſto fuiſſe, vt expreſsè teſtatur Marcus cap. 3. dicens ipſum *cum ira circumſpexiſſe* quoſdam qui obſeruabant, an ſabbato curaret hominem cuius manus erat arida: vt colligitur etiam ex cap. 2. Ioannis, in quo refertur flagello facto ex funiculis eieciſſe de templo vendentes, idque zelo feciſſe: zelus enim iræ quædam ſpecies eſt. At obſeruatione dignum eſt, cùm locis illis legamus Chriſtum iratum propter violatum debitum Deo ac templo eius honorem, aut debitam proximo charitatem, nos nuſquam legere ipſum iratum aliquando fuiſſe propter iniurias humanitati ſuæ factas, cùm tamen tot & tantæ factæ ſint.

Septimum eſt, quod articulo 10. S. Doctor aſſerit, Chriſtum fuiſſe comprehenſorem ſimul & viatorem, non hoc ſenſu aſſeri ab ipſo, quaſi velit illum fuiſſe comprehẽſorem quoad animam, quia per eam videbat clarè Deum, eóque fruebatur, viatorem autem quoad corpus tantummodo, quod erat paſſibile, & mortale, carebátque dotibus glorioſi corporis: vult enim reuera illum fuiſſe comprehenſorem & viatorem ſimul quoad animam: comprehenſorem quidem, ratione claræ viſionis Dei, & fruitionis eiuſdem: viatorem verò, quatenus ratione coniunctionis cum corpore mortali, & paſſibili ſubiecta fuit memoratis ſupra paſſionibus, quibus obnoxiæ non ſunt animæ beatæ ſolutæ corpore, nec erunt poſt reſurrectionem corporum, eo quod tunc obtinebunt ſtatum prorſus impaſſibilem, quem Chriſti anima non obtinuit in ſuo corpore exiſtens, antequam corpus hoc à mortuis reſurgeret.

DISPVTATIO XXXVIII.

De communicatione idiomatum.

SECTIO PRIMA.

Quatuor priorum quæſtionis 16. articulorum explicationem continens.

TOTAM in hac pertractanda materia quæſtionem decimam ſextam duodecim articulos comprehendentem S. Doctor impendit, quorum ſingulorum per ordinem explicatione complectemur omnia, aut præcipua ſaltem quæ ad hanc ipſam materiam pertinent. Declarat autem in iis idem S. Doctor modũ quo ſuppoſito Incarnationis myſterio loqui in hac materia poſſumus, aut debemus, ne aut in errorem, aut erroris ſuſpicionem incidamus, ideóq. varias propoſitiones profert, de quib. vtrùm verę an falſæ ſint diſputat. Articulo igitur primo concludit propoſitionem hanc, Deus eſt homo, veram eſſe. Articulo ſecundo idẽ de hac altera cõcludit, Homo eſt Deus, quod ſatis conſtat ex dictis ad art. 2. quæſtionis 2. támque certum ex fide eſt, quàm Chriſtum vnicam eſſe perſonam, & hanc eſſe Deum ſimul, & hominem.

Articulo 3. negat Chriſtum dici debere hominem Dominicũ, & meritò ſanè. Hic enim loquẽdi modus diuiſionem diſtinctionémque ſuppoſitorum in Chriſto ſignificat, quod Neſtorianum eſt: ſignificat enim eum qui homo eſt, non eſſe ipſum Dominum, ſed alium eſſe qui homo eſt, alium qui Dominus: eúmque qui homo eſt, habere quandam accidentalem cum eo qui Dominus eſt coniunctionem, ratione cuius ab eo denominari poteſt, non ſubſtantiuè Dominus, ſed adiectiuè, ſeu accidentaliter, Dominicus. Nam ſi idem qui homo eſt, Dominus eſt, homo non Dominicus, ſed Dominus denominari debet.

Eandem ob cauſam Chriſtum dicere hominẽ Deiferum, ſeu quod Græcis idem eſt θεοφόρον, nõ licet: vnde etiam hic loquendi modus vt Neſtorianorum proprius in eodem Epheſino Concilio damnatus eſt, in quo ipſe Neſtorius. Nec refert quod Chriſtum hominem Dominicum appellarint aliquando D. Athanaſ. Epiph. & Aug. variis locis: non fuit enim hic loquẽdi modus ab illis vſurpandus, eo quòd ſuſpicionem Neſtorianæ hæreſis ingenerat, etſi ab ea procul abeſſent: vnde & illum idẽ Aug. expreſsè retractauit lib. 1. retract. c. 19. verbis iſtis: *Sed non video vtrùm rectè dicatur homo Dominicus, qui eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, cùm ſit vtique Dominus: Dominicus autem homo, quis in eius ſancta familia, dici poteſt? Et hoc quidem vt dicerem apud quoſdam legi tractatores Catholicos diuinorum eloquiorum, ſed vbicunque hoc dixi, dixiſſe me nollem, poſtea quippe vidi non eſſe dicendum.*

Ob eandem cauſam arbitror Chriſtum non debere dici, propriiſſimè loquendo, hominem diuinum: diuinus enim, cùm de homine dicitur, eundem habet ſignificandi modum quem

Dominicus, dum de homine prædicatur: tam enim diuinus à Deo denominatiuè seu adiectiuè dicitur, quàm Dominicus à Domino: vnde sicut non licet de eo de quo verè possumus prædicare substantiuè Dominum, prædicare Dominicum, quia hic prædicationis modus propriè significat
I. eum hominem de quo prędicatur non esse ipsum A Dominum: ita nec licet de eo de quo verè possumus prædicare Deum substantiuè, prædicare diuinum, quia hic quoque prædicationis modus propriè significat eum hominem de quo prædicatur non esse ipsum Deum. Vnde etiam Billius transferens verba D. Damasceni lib. 3. de fide, cap. 12. negantis Christum debere dici Deiferum, Græcè θεοφόρον, pro hac Græca voce posuit diuinum, quod ab ipso rectè factum defendit Vasq. disput. 63. cap. 2. eo quòd, vt ibidem quoque ait, perinde est vocare Christum, siue Deiferum, siue diuinum, cùm tam vno quàm altero vocabulo distinctio suppositorum in Christo propriè significetur.

Nec opponas cum S. Thoma hic art. 3. S. Dionys. lib. de Eccles. Hier. cap. 4. tertia ante finem colum. dicentem *Iesum diuinissimum*: nam
II. etsi pro voce Græca ibi ab eo posita Perionius & B Lansselius nostet diuinum dixerint, melius tamen Ambros. Camald. non diuinum, aut diuinissimum, sed Deum summum reddidit. Iesum enim θεοφόρητον vocauit S. Dionysius, θεοφόρητος autem ex Stephano in Thesauro linguæ Græcæ is est qui *supremæ diuinitatis est*: esse autem supremæ diuinitatis, vel supremum Deum, idem est. Addi potest responsio D. Thomæ art. 3. ad 3. vocem quidem diuini ex vi significandi non magis de Christo dici debere, quàm Dominici: spectata tamen communi iam loquendi consuetudine, qua non solet de eo qui Dominus est dici Dominicus, solet autem è contrario de eo qui Deus est dici diuinus, nam & Verbum diuinum dicitur cùm sit Deus, & tres personæ diuinæ,
III. cùm item quælibet sit Deus, Christum dici pos- C se diuinum. Quanquam qui hoc loquendi modo vti volet, ne suspicionem Nestorianæ hæresis ingeneret, significare debebit, se Christum ita diuinum appellare, vt simul verum esse Deum fateatur.

Articulo 4. docet ea quæ conueniunt filio Dei posse de filio hominis seu homine: & vice versa, quæ conueniunt filio hominis posse de filio Dei prædicari prædicatione mutua per concreta nomina. Cuius rei ratio à priori petitur ex
IV. vnione substantiali duarum naturarum, humanæ scilicet & diuinæ in vno eodemque supposito, cuius vnitas & identitas facit, vt idem qui est homo sit filius Dei, & qui est Dei filius homo sit, Deique proinde filius de homine, & homo de Dei filio prædicari in concreto verè pos- D sit, & per consequens verè de filio Dei prædicari in concreto possint quæ de homine in concreto verè prædicantur, vt esse animal, esse risibilem, passibilem, mortalem: & vice versa, verè possint in concreto prædicari de homine quæcunque de Dei filio in concreto prędicantur, vt esse æternum immortalem, impassibilem. Ex quo sequitur euidenter, opposita de eodem simul affirmari verè posse, sed non mirum, cùm non secundùm idem affirmentur: nam vnum ex illis prædicatis ei tribuitur secundùm diuinitatem, alterum secundùm humanitatem.

At oppones, hominē quidem verè dici Deum, at quæcunque de Deo verè dicuntur non posse de homine verè affirmari. Verè enim Deus dicitur generare Verbum, de hoc autem homine, ostendendo Christum, dici verè non potest, Hic homo generat Verbum. Sed respondeo, me non V. dixisse, quæcunque de Deo verè dicuntur, posse verè dici de homine, sed quæcunque verè dicuntur de filio Dei. Vnde cùm de filio Dei sic affirmetur Deus, vt non possit affirmari quod Verbum generet, non mirum, si de homine de quo Dei filius & Deus affirmatur, verè affirmari non potest, quòd generet Verbum. Ex quo similiter aduerte, me non dixisse, posse affirmari de filio Dei, quæcunque affirmari possunt de quolibet homine, sed quęcunque possunt affirmari de illo singulari homine qui Christus est. Vnde cùm de ipso verè dici non possit, quòd purus homo sit, licet hoc verissimè de quocunque alio singulari homine affirmetur, hinc est quod de filio Dei dicere non licet, ipsum esse purum hominem. VI.

SECTIO II.

Articuli quinti explicationem continens.

ARTICVLO 5. docet, nec vnam Christi naturam abstracto nomine significatam posse prædicari de altera nomine item abstracto significata: nec ea quæ vni naturæ conueniunt posse de altera abstractè significata prædicari. Cuius doctrinæ veritas certa ex eo est, quòd cùm vna natura non sit altera, vna de altera verè prædicari non potest: qui enim vnam de altera prędicat, vnam affirmat esse alteram, seu eandem cum altera, quod falsum est. Ex quo consequenter fit, vt quæ etiam in concreto de vna abstracto nomine significata prædicantur, non possint de altera abstractè item significata prædicari. Verbi causa, cùm de humanitate verè dicatur, quòd VII. sit mortalis, passibilis, passa, mortua, nihil istorum de diuinitate potest affirmari: & vice versa, cùm de diuinitate verè dicatur, quòd sit immortalis, impassibilis, neutrum horum de humanitate verè affirmari potest. Nam cùm vna non sit altera, non potest quod vni conuenit, alteri per communicationem idiomatum tribui. Ex quo colliges, quòd si quidpiam humanitati conueniens verè tribuitur diuinitati, aut si quid isti, verè tribuitur humanitati, vt cùm hæc & illa dicitur esse substantia, dicitur esse natura rationis & libertatis particeps, per idiomatum communicationem non tribuitur: non enim hoc vni tribuimus quòd conueniat alteri, sed quia per se huic ipsi conuenit. Atque hac ipsa ratione quā ostendimus humanitatem non posse dici diuinitatem, concluditur nec posse dici Deum, quia VIII. reuera Deus non est.

At obiicies primo Nazianz. orat. 42. num. 26. vbi postquam dixit Christum perfectum esse, non modò propter diuinitatem, addit, *sed etiam propter humanitatem deitate delibutam, idemque effectam quod id à quo vncta est, atque vt audacter loquar* θεόν, *id est, simul Deum*: quibus posterioribus verbis eam aperte Deum appellat, prioribus autem vocat diuinitatem, cùm velit eam esse id à quo peruncta est: id autem à quo

perunctа est, sit & ex eius mente, & rei veritate, diuinitas. Sed respondeo humanitatem ab illo nec vocari diuinitatem, nec Deum, sed de illa solùm dici quòd sit effecta idem quod diuinitas & Deus: vult autem fuisse effectam idem quod diuinitas, & Deus, quia facta est in eodem supposito in quo est ipsa diuinitas, & quod est ipse Deus, non quòd effecta sit aut ipsa diuinitas, aut ipse Deus, ita vt & hic in concreto, & hæc in abstracto de illa abstracto item nomine significata prędicari possit.

I.

Oppones secundò Damasc. orat. 1. de imaginibus ante medium ita loquentem, *sic filij Dei naturam humanam induti carnem aio naturæ diuinæ ver personam participem facta euasisse Deum.* Libro autem 4. de fide cap. 19. sic scribentem. *Etenim ob personalem vnionem & caro deificata, ac Deus facta esse, diuinitatisque cum Verbo socia dicitur.* Quo vtroque loco carnem Deum factam fuisse dicit, nomine carnis aut totam humanam naturam intelligens, aut partem huius totius naturæ, quam partem si Deum dicit, multò magis idem de tota ipsa humanitate esset dicturus. Verùm si carnis nomine, vel hanc totam, vel eius partem intelligit, exponendus est eodem modo quo Nazianzenus, ita vt velit eam effectam fuisse Deum, quia per vnionem hypostaticam facta est in eodem supposito in quo est diuinitas, & quod est ipse Deus. Quòd si carnis nomine, nec carnem partem humanitatis, nec totam hanc naturam intelligit, sed ipsum totum hominem, vt cùm Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum* dicitur, ex eo solum concludi potest, hominem esse Deum, quod verissimum est.

II.

Fatendum tamen, ipsum posteriori saltem loco nomine carnis intelligere potiùs carnem partem humanitatis, aut hanc totam humanitatem, quàm hominem, cùm carnem deificatam appellet, quod adiectiuum de Christo homine dici non debet, sicut nec Dominicus, vt art. 3. docet D. Thomas in resp. ad 2. Et quamuis dici absolutè possit, vt probat Vasquez disput. 64. cap. vltimo, dummodo deificatus idem significet quod Deitate sanctificatus, multò tamen melius, & sine vlla controuersia de humanitate, aut carne parte humanitatis verè affirmatur. Porro hanc aut illam deificari non est propriè loquendo Deum effici, siue dum hæc aut illa deificari dicitur sensus sit, ipsam diuinitate tanquam forma sanctificari, siue vniri hypostaticè diuinitati, & per hanc vnionem, Dei carnem ac naturam effici.

III.

Oppones tertiò S. Fulgentium lib. 3. ad Thrasim. cap. 11. concedentem propositionem hanc, Diuinitas in carne passa est. Imò ex instituto defendentem hanc alteram propositionem lib. ad Ferrandum quæst. 2. diuinitas nata, passa, & mortua est. Sed ei Damascenum in primis oppono, qui sic lib. 3. de fide cap. 26. loquitur. *Illud porro sciendum, quod Deum quidem carne passum dicimus, diuinitatem autem carne passam, aut Deum per carnem passum, non item.* Vbi obserua obiter, dum non vult dici Deum per carnem passum, ideo nolle, quia præpositio, Per, denotare videtur per ipsam carnem penetrasse dolorem in diuinitatem, aut in Deum secundùm se, sicut in nobis per carnem dolor in animam nostram derivatur.

IV.

A

Deinde respondeo, ipsum aut diuinitatem pro Deo posuisse, abstractum pro concreto: qui loquendi modus satis est familiaris Patribus, modò concretum pro abstracto vsurpantibus, vt cùm dicunt hominem à Verbo fuisse assumptum, id est, humanitatem, modò abstractum pro concreto: aut si de ipsa diuinitate abstractè significata loquutus est, dum passam & mortuam affirmauit, in eo loquendi modo non esse sequendum, cùm hic loquendi modus Eutychianæ hæresi manifestè suffragetur, licet ille ita loquens ab ea fuerit alienissimus; vtpote qui solùm voluit diuinitatem natam, passam, mortuam, quia Deus natus, passus, & mortuus est, Deus autem est diuinitas, identicè tamen, non formaliter. Verùm propter hanc identitatem non licere affirmare simpliciter & absolutè de diuinitate quodcunque prædicatum, quod de Deo verè affirmatur, ex paulò pòst dicendis intelligetur.

V.

B

Prioris expositionis veritatem aperte indicant hæc quæ priore loco habet verba: *Restat igitur, vt diuinitatem Christi sic passam fateamur in carne, vt eam tamen credamus compassam non fuisse cum carne. Ideo enim Deus in carne passus est, quia passibilem carnem Deus accepit. Ideo autem carni compassus non est, quia in carne patiens, impassibilis natura diuina permansit, communemque passionem diuinitatis & carnis vnitas personæ fecit in Christo, non diuinæ humanæque naturæ confusio.* Posterioris autem ea quæ habet posteriori loco non procul ab initio, vbi verbis his, *Vera itaque fides quæ Christum Deum fortem veraciter credit, ac prædicat, & Christum crucifixum Dei virtutem, Deique sapientiam nouit ab Apostolo prædicari, sicut secundùm carnem crucifixam virtutem fiducialiter nouit & dicit, ita secundum carnem crucifixam diuinitatem confiteri non abnuit.* ista immediatè præmittit: *Deus autem fortis Christus. Ideo autem veraciter Deus, quia diuinitas: sicut ideo veraciter fortis, quia virtus.* Et hæc proximè subiungit: *Christus enim Deus, fortis, sic est Deus, vt ipse sit diuinitas sua: quemadmodum sic est fortis, vt ipse sit virtus sua.* Et paulò inferius: *Sic est vtique Deus, vt ipse sit diuinitas ipsa: sic est magnus, vt ipse sit magnitudo sua: sic est sapiens, vt ipse sit sapientia sua: sic est fortis, vt ipse sit virtus sua, sic etiam bonus, vt ipse sit bonitas sua.*

VI.

C

Cæterùm etsi prædicatio inter abstractum humanitatis & concretum diuinitatis falsa sit, vt ostendimus, vera tamen est inter abstractum huius, & concretum illius, in sensu identico, licet non in formali: vnde verè dicimus, diuinitas est hic homo, (ostendendo Christum) & vice versa, hic homo est diuinitas, quod qui Patres ac Theologi negant, in sensu formali negant, in quo etiam falsum est, cùm sit alius formalis noster conceptus diuinitatis abstracto nomine significatæ, & hominis ac Dei concreto isto nomine significati. Ideo autem in sensu identico verè dicimus diuinitatem esse hunc hominem, & vice versa, hunc hominem esse diuinitatem, quia in hoc sensu verum est diuinitatem esse Deum, & Deum esse diuinitatem: Deus autem hic homo est, & hic homo, Deus: ergo diuinitas hic homo, & hic homo, diuinitas.

VII.

D

Ex quo colliges, quod si aliqua humana natu-

VIII.

ra esset vnita hypostaticè alicui Angelo, aut alteri suppositò creato, sicut non valeret prædicatio inter abstractum humanæ naturæ, , & concretum illius cui hypostaticè vniretur, quia humana natura non esset à parte rei vel Angelus , vel quodcúque aliud suppositum creatum per quod subsisteret, ita nec valeret inter abstractum huius , & concretum illius, quia similiter huius abstractum & illius concretum idem à parte rei non essent : vnde falsa esset hæc propositio , Angelica natura est homo : vt enim vera esset, oporteret hanc naturam idem esse cum Angelo, vt postea rectè concluderetur idem esse cum homine, cum Angelus & homo supposita hypostatica vnione idem sint: at natura illa non est idem cum Angelo, sicut nec humanitas idem est cum homine, quia suppositum creatum distinguitur reipsa à natura propria quam facit subsistere, eo quòd includit in se subsistentiam à parte rei distinctam ab illa natura, vt ex Philosophia præsuppono.

I. A

At opponès primò, consequens ex illa doctrina fore, diuinitatem dici posse passam, & mortuam, quod hæreticum est. Nam si diuinitas est hic homo, cum hic homo sit passus, & mortuus, concludetur diuinitatem passam esse, & mortuam. Sed negatur illud fore consequens: ad eius autem probationem dicendum, male istud concludi : sensus enim conclusionis est, diuinitatem secundum se passionem sustinuisse, & esse desiisse, quod rectè concludi non potest ex eo quod identificetur illi supposito, quod est homo qui passus & mortuus est. Hinc enim solùm concludi potest, diuinitatem esse idem cum passo & mortuo, quod verum est : siue vt magis clarè, licet minùs Latinè loquamur , diuinitatem esse passum , & mortuum , substantiuè voces istas vsurpando, non adiectiuè, id est, esse illum qui secundum humanitatem suam passus & mortuus est : quemadmodum ex eo quòd essentia diuina sit identicè Pater, hic autem generet, concludi rectè non potest essentiam illam generare, sed hoc solum concludendum est, illam esse idem cum generante, siue esse generantem, non sumendo vocem hanc, generantis, adiectiuè, sed substantiuè, vt sit sensus, esse illum qui est generans.

II. B

III. C

Oppones secundò, quod si diuinitas esset hic homo, cùm hic homo sit Christus, consequens foret, diuinitatem esse Christum, hoc autem consequens non esse admittendum, tum quia sequeretur diuinitatè esse personam compositam, Christus enim persona composita est: tum quia sequeretur etiam eandem diuinitatem esse diuinitatem & humanitatem simul, quia Christus est humanitas & diuinitas simul : sicut enim totum physicum, cùm non sit distinctum à partibus simul sumptis & vnitis, rectè dicitur esse partes simul sumptæ & vnitæ : ita & Christus, cùm non sit quid distinctum ab humanitate & diuinitate simul sumptis & vnitis, rectè dicetur esse diuinitas & humanitas simul sumptæ & vnitæ : quo etiam modo de Christo loquuti sunt permulti Patres, citati à Gabr. Vasq. disput. 16. cap. 5. in quo præterea hunc loquendi de eo modum pulchrè hic author vt legitimum defendit.

IV. D

Vt huic obiectioni satisfiat, præmittenda est acceptio nominis Christi, quæ duplex frequentius est : vna qua accipitur pro solo supposito Verbi diuini quod erat ante Incarnationem, siue pro persona subsistente in natura diuina præcisè: altera quâ sumitur pro composito ex humanitate & diuinitate simul sumptis & vnitis : siue pro persona subsistente tam in hac quàm in illa natura simul. Quo præmisso , dico in primis ad obiectionem, diuinitatem esse idem cum Christo in priori acceptione, quia à parte rei identificatur Verbi supposito quod erat ante Incarnationem : at non esse idem cum illo, in posteriori, quia non identificatur omnibus naturis in quibus Christus hac posteriori acceptione sumptus subsistit , & ex quibus componitur : non enim identificatur humanæ naturæ, in qua tamen subsistit , & ex qua componitur : vnde non sequitur diuinitatem esse personam compositam, ex eo quòd identificetur Christo sumpto iuxta priorem acceptionem , cùm secundùm hanc, non sit nisi Verbum prout erat ante Incarnationem, quod sic spectatum persona simplicissima est. Nec magis sequetur, diuinitatem, esse diuinitatem & humanitatem simul, cùm non identificetur Christo iuxta posteriorem acceptionem, iuxta quam solam Christus diuinitas & humanitas simul est.

V.

VI.

Dico secundò, etsi diuinitas sit hic homo, & hic homo sit Christus, quia est idem suppositum quod Christus, hinc solùm concludi posse, diuinitatem esse Christum, seu idem esse à parte rei cum supposito Verbi, quod suppositum idem est cum supposito quod appellatur Christus : ex quo non sequitur, vt si Christus dici possit persona composita, aut diuinitas & humanitas simul, idem de diuinitate dici possit : quemadmodum etsi dicatur hæc idem esse cum hoc homine, & hic homo passus & mortuus sit, non debet tamen dici passa, & mortua, sed solùm esse idem cum supposito quod passum & mortuum vere denominatur. Vnde à simili dico, ex eo quòd sit idem cum Verbo, & Verbum dicatur hic homo, & hic homo, Christus, Christus autem persona composita, & humanitas ac diuinitas simul, posse tantùm concludi, diuinitatem esse idem cum supposito Verbi, quod omnes istas denominationes verè suscipit.

VII.

SECTIO III.

Articuli sexti explicationem continens.

ARTICVLO sexto docet veram esse propositionem hanc, Deus factus est homo, quod de fide est. Nam & Ioan. 1. dicitur *Verbum caro factum est*, id est, factum est homo, carnis nomine sumpto pro toto homine, vt sæpiùs suprà monuimus, & in Nicæno Symbolo de Filio Dei qui Deus est, dicitur, *Et homo factus est*. Quomodo autem Deus homo fieri potuerit absque vlla sui seu in se receptâ mutatione, constat ex dictis disput. 13. sect. 3.

VIII.

Quòd si quæras, an saltem per communicationem idiomatum mutatus fuerit illò momento quo Incarnatio facta est : Respondeo, si propriissimè loqui velimus, non fuisse mutatum: per hanc enim communicationem non potest dici Deus mutari, nisi mutatio aliqua contingat humanitati, quæ de ipsa concreto nomine signifi-

cata prædicari possit, & per consequens de Deo per idiomatum communicationem: at illo momento nulla huiusmodi mutatio humanitati contigit, si propriissimè loqui volumus. Nam propriissimè loquendo nulla res primo momento quo est mutari potest, quia res quæ mutatur debet existere sub vtroque termino, seu habere se
I. aliter quàm ante haberet: nulla autem res primo momento quo est sub vtroque existere potest, seu habere se aliter quam antea haberet, cùm antea nullo se modò haberet, eo quòd antea non existeret.

Nec dicas, primo momento Incarnationis humanitatem fuisse genitam per veram generationem, & ab hac eius generatione hominem genitum denominatum fuisse, generationem autem esse mutationem: est enim reuera mutatio at non rei quæ genita denominatur, sed materiæ, quæ cùm ante momentum generationis existeret sub priuatione formæ substantialis rei genitæ, illo momento, sub altero termino præcedenti opposito existit, nempe sub ipsa forma substantiali. Ex quo concludes, quòd sicut gene-
II. ratione humanitatis & hominis Christi Deus non fuit etiam per idiomatum communicationem mutatus, ita nec eiusdem morte mutatus est: humanitas enim & homo moriens non manet sub vtroque termino, nec se aliter habet quàm antè, cùm moriendo manere desinat & existere.

Nec refert, quòd dicatur homo mortuus, cùm antè non diceretur: dicitur enim etiam generatus primo momento quo gignitur, cùm antea non diceretur. Quare sicut generari non est mutari respectu rei quæ generatur, sed materiæ solius, quæ per generationem aliter se habet quàm antea haberet: ita mori non est mutari respectu
III. rei quæ moritur, sed eiusdem materiæ, quæ per mortem aliter se habet quàm antè, cùm antè esset sub forma rei viuentis, postea autem sub eiusdem priuatione sit. Licet autem materia per generationem & mortem humanitatis & hominis Christi mutetur, non potest tamen Deus per communicationem idiomatum dici mutari: quia ea sola prædicata per idiomatum communicationem tribuuntur vel Deo, vel homini, quę naturis completis conueniunt, de iisdémque concreto nomine significatis affirmari verè possunt: non autem quæ singulis naturæ completæ partibus: materia autem prima pars solùm est humanæ naturæ. Dixi semper antea, si propriissimè loqui velimus: nam si rem illam mutari dicimus, quæ cùm antea non esset, modò est: aut cùm antea esset, modò non est, humanitas Christi primo momento quo fuit, & quo esse desiit, mutata fuerit, hæcque mutatio de ipsa concreto
IV. nomine significata prædicari verè poterit, & per consequens de Deo per idiomatum communicationem.

At contra doctrinam articulo isto sexto à S. Doctore traditam, obiicies, quòd si verum est, Verbum factum esse hominem, verum quoque erit, Verbum factum esse Deum, hoc enim ista argumentatione rectè concludetur: Hic homo, ostendendo Christum, est Deus, Verbum factum est hic homo: ergo Verbum factum est Deus. Sed negatur verum illud futurum. ad probationem autem neganda istius argumentationis conclusio est. In ea enim committitur fallacia accidentis, qua de duobus quæ contingenter solum idem sunt, quod vni conuenit & tribuitur, alteri quoque similiter attribuitur, cùm tamen ei non conueniat. Deus enim & homo idem quidem sunt, præsuppositio mysterio Incarnationis,
A sed merè contingenter: non enim per se est ne- V.
cessarium hominem esse Deum, aut Deum esse hominem, sed hoc tam contingens est, spectata natura, siue Dei, siue hominis, quàm ipsum mysterium Incarnationis: homini autem conuenit fieri secundùm naturam humanitatis, itavt hæc humanitas verè fiat: Deo autè non conuenit fieri secundùm naturam diuinitatis, itavt natura hæc verè fiat: at cùm illud homini conueniat, & in minori propositione prædictæ argumentationis ei conuenire significetur, istud similiter Deo conuenire in conclusione significatur, cùm tamen reuera non conueniat, imò prorsus repugnet. Et sanè sicut Verbum fieri homo non potuit, nisi humanitas in rerum natura fieret, ita Verbum fieri non potest Deus, nisi fiat in rerum natura diuinitas, quam tamen fieri impos-
B sibile est. Ex eo autem quòd in rerum natura fieri VI.
possit humanitas, non est consequens, vt diuinitas fieri possit, etiamsi idem qui homo est, Deus sit. Vnde in prædicta argumentatione vt bona esset conclusio, non debuit sic inferri, ergo Verbum factum est Deus, sed sic, ergo Verbum factum est ille qui est Deus, quia nimirum factum est homo qui Deus est.

SECTIO IV.

Articuli 7. & 8. explicationem continens.

ARTICVLO septimo negat S. Doctor propositionem hanc veram esse, homo factus est Deus, & meritò, falsa enim est: nam id quod efficitur tale vel tale, præsupponitur tempore, vel natura priùs existens effectione qua fit tale vel tale: vt cùm quis fit calidus, aut frigidus, præsupponitur actioni qua fit calidus, aut
C frigidus. Vnde etiam cùm Deus factus sit VII.
homo, præsupponitur vt existens priùs quàm fit actio qua fit homo. Vt ergo homo fieret Deus, præsupponi deberet homo existens priùs quàm esset actio, qua fieret Deus: ergo & existens priùs quàm esset humanitatis assumptio hypostatica, per hanc enim assumptionem homo fieret Deus, si per aliquam actionem talis effici posset: at non est priùs homo quàm fit ista assumptio: nam homo dicit humanitatem subsistentem: per hanc autem assumptionem humanitas fit subsistens, quia per hanc assumitur ad subsistendum in Verbo. Imò si hæc fuisset antè subsistens in proprio suppositio, quàm à Deo hypostaticè assumeretur, dum tamen ab eo sic as-
D sumeretur, homo non fieret Deus: vt enim talis VIII.
fieret, oporteret illud remanere suppositū quod erat antea, & ipsum vniri Deo hypostaticè, non remaneret autem, quia quo momento tribueretur humanitati vnio hypostatica, & quo proinde assumeretur ad subsistendum diuina subsistentia, desineret propria per quā antea subsistebat, & sic non maneret suppositum quod antea erat.

Addo ampliùs, quòd etiamsi maneret idem numero suppositum, naturáque retinens suam propriam subsistentiam vniri Deo hypostaticè

posset, nec sic tamen homo fieret Deus: quia si fieret, aliqua actione fieret: si qua autem actione, certè hypostatica assumptione, hæc autem assumptio non potest esse hominis, sed humanitatis: nec suppositum assumi potest ad subsistendum in alieno supposito, vt suprà probauimus,
I. siue natura iam existens in proprio supposito, in eodémque remanens possit in alieno simul poni, siue non. Exquo concludes, quòd si nunc humanitas Christi vniretur hypostaticè Patri, aut Spiritui sancto, homo non fieret Deus, nec Pater, nec Spiritus sanctus: non enim homo, sed humanitas sola ad subsistentiam Patris aut Spiritus sancti assumeretur.

At oppones in primis S. August. lib. 1. de Trinit. capitis 13. principio, sic loquentem, *Talis erat illa susceptio quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.* Nazianz. verò sic orat. 1. de filio Dei, quæ est ordine 35. num. 86. *Hic homo Deus effectus est.* Damascenum autem lib. 3. de fide cap. 11. verbis istis. *Verbum caro factum est, & caro Verbum, Deus homo, & homo Deus.* Sed
II. dicendum est illos his loquendi modis, quibus reuera non exactè seruatur propria vocum significatio, vel nihil aliud significare voluisse, quàm per Incarnationem factum esse, vt homo esset, & diceretur Deus, & vice versa, Deus esset & diceretur homo: quo modo ipsos explicat Suarez in commentario huius art. 7. post S. Doctorem in resp. ad 2. & 3. vel nomen concretum hominis pro abstracto humanitatis vsurpasse, quod crebrò faciunt, vt cùm hominem à Deo assumptum dicunt: quo modo Vasq. disput. 64. cap. 5. ipsos exponit. Quo autem sensu sit intelligendum, humanitatem esse effectam Deum, sect. 2. disputationis huius dictum est.

Oppones secundò, veram esse hanc propositionem, Deus factus est homo: ergo & istam quoque per conuersionem veram esse, Homo factus est Deus. Sed negatur hæc consequentia: il-
III. la enim propositio non in hanc conuerti debet, sed in istam, Is qui factus est homo, est Deus.

Oppones tertiò, veram esse propositionem hanc, Homo deificatus est. Respondeo, si deificatus idem est ac Deus factus, falsam esse: sin autem idem sit, ac deitate tanquam forma sanctificatus, concedi posse. Vt enim non sola humanitas dicatur deificata, id est, deitate sanctificata, sed etiam homo deificatus seu deitate sanctificatus, sufficit vt priùs signo rationis sit homo, quàm deitate sanctificetur, priùs autem est. Nam priùs signo rationis est humanitas vnita personalitati Verbi, per eámque subsistens, quàm deitate tanquam forma sanctificetur: ex eo enim quòd illa personalitate terminatur, oritur, vt diuinitate tanquam forma sanctificetur: in illo autem priori quo est humanitas vnita Verbi personalitati, per eam que subsistens, homo est, cùm
IV. hic nihil sit aliud quàm humanitas subsistens.

Quòd si sic instes, vt dicamus hominem deificari, id est, deitate sanctificari, sufficit vt humanitas sit vnita priùs personalitati Verbi, quàm eius diuinitate tanquam forma sanctificetur: ergo id ipsum sufficiet, vt dicamus hominem deificari, id est, Deum fieri. Respondeo negando consequentiam: rem enim aliquam creatam, qualis haud dubiè homo est, talem aut talem fieri, denotat diuersas actiones, per quarum vnam simpliciter fit, & in rerum natura producitur, per alteram non simpliciter fit, sed fit talis, aut talis, & hunc præterea denotat inter has duas actiones ordinem, vt prior illa actio, terminúsque ipsius vi eius existens, posteriori illi actioni præsupponatur: homo autem non est factus homo per aliquam actionem vi cuius esset homo, & V.
A postea per aliam actionem factus Deus: nam ea primùm actione posita per quam accepit vt homo esset, seu humanitas subsistens, nulla noua actione factum est vt esset Deus, sed independenter ab omni alia actione, id statim factum est. Vt autem homo dicatur deificari, id est, Deitate sanctificari, non est necessaria vna actio per quã fiat homo, & altera distincta per quam diuinitate sanctificetur. Nam hac sanctificari non est noua aliqua actione fieri tale, sed est ipsa Deitate tanquam forma formaliter reddi tale: sufficitque ad hoc, vt & homo sit, & Deitate sanctificetur, vnica actio qua humanitas vniatur personalitati Verbi, vi cuius actionis in primis sit vt
B hæc per subsistentiam Verbi subsistat, sitque proinde homo: deinde & signo rationis posteriùs, vt eadem humanitas diuinitate tanquam VI.
forma sanctificetur, & per consequens homo sit Deificatus, id est, Deitate sanctificatus.

Ex quo facilè soluitur quod obiici postremò potest, nimirum hominem nunc esse Deum, & hoc per aliquam Dei actionem factum esse: ergo & per actionem Dei hominem factum fuisse Deum. Nam mala ista consequentia est: aliud enim est per aliquam actionem Dei perfectum fuisse, vt homo esset Deus, quod reuera perfectum est: aliud verò, per aliquam actionem Dei hominem factum esse Deum, quod reuera factum non est: ad illud enim primum sufficit vnica actio qua fiat humanitas & vnita Verbo, per eiúsque subsistentiam subsistens: ad istud verò secundum requireretur præterea, vt humanitas illa sic subsistens, quæ est homo, noua a-
C ctione fieret Deus, cùm id quod tale aut tale fit, VII.
præsupponatur, vt dixi, illi actioni per quam tale fit aut tale.

Articulo octauo negat esse simpliciter & sine addito concedendam hanc propositionem, Christus est creatura, ideoque negat, ne cum hæreticis communia verba habentes communem quoque errorem habere videamur. Non ergo negat concedendam, quasi simpliciter & sine addito prolata falsa sit: vera enim est secundùm proprietatem sermonis, & veram esse etiam iuxta mentem S. Doctoris rectè colligit Caietanus ex doctrina quam tradit hoc artic. 8. Nam cùm in eius corpore concedendam eo solum nomine neget, ne suspicionem ingeneremus hæresis Arianæ, quæ dicebat Christum esse creaturam secundùm etiam naturam quam ante mundum VIII.
accepit à Patre, satis significat eam simpliciter & sine addito veram esse. Nam si simpliciter falsa esset, concedenda non esset, etiamsi nulla ex ea prædictæ hæresis suspicio posset generari. Deinde cùm in respons. ad 2. ait non esse absolutè
D dicendum Christum creaturam, ne detur occasio istius hæresis, sicut neque dicendus est absolutè incorporeus, ne detur occasio erroris Manichæorum: satis indicat propositionem hanc, Christus est creatura, tam secundùm se veram esse, quàm hæc vera est, Christus est incorporeus: hanc au-

tem veram esse, æquè ac istam, Christus est immortalis, nulli Catholico dubium est.

Illius autem propositionis, Christus est creatura, veritatem satis probauimus tam ratione quàm Patrum authoritate, disput. 13. sectione 3. cuius fusiorem probationẽ tam ex ratione, quàm eorundem authoritate petitam, qui volet, consulat Gabr. Vasq. disput. 65. cap. 2. & 3. quorum in priore tredecim Patrum testimonia recenset, quibus aperte Christus creatura simpliciter dicitur, imò in plerisque ipse Dei filius & Verbum: quod sanè simpliciter tam verè dici potest per idiomatum communicationem creatura, eo quòd de humanitate concreto nomine significata, seu de homine hoc prædicatum verè affirmetur, & per consequens de filio Dei & Deo, cùm ipse homo sit, quàm de homine verè prædicantur per eandem idiomatum communicationem attributa propria diuinitatis, vt increatus, immensus, æternus. Quare qui Patres hanc propositionem negant, Christus, aut Verbum est creatura, non alio sensu negant, quàm quo veram Ariani affirmabant: veram autem hi
II. affirmabant hoc etiam sensu, vt creatura esset secundùm naturam, quam à Patre per generationem accepit, quo sensu hæretica est.

SECTIO V.

Quatuor reliquorum articulorum explicationem continens.

ARTICVLO nono negat idem S. Doctor hanc propositionem veram esse, Christus, seu hic homo, demonstrato Christo, incœpit esse: quod verè negat, sumendo nomen Christi seu huius hominis prout sumit, nempe directè & primariè pro suppositò quod vnicum in Christo est, nec aliud quàm Verbi diuini, quod æternum est, & de quo simpliciter ac sine addito affirmare quòd incœperit esse, falsum est, & Arianum. Quod non repugnat traditæ à nobis doctrinæ disput. 13. sect. 3. dum enim ibi Christum incœpisse esse diximus, ipsum pro supposito illo
III. præcisè non sumpsimus, sed pro composito resultante ex vnione humanæ diuinæque naturæ, quod sanè compositum incœpit esse, sicut & ipsa vnio quæ ab æterno non fuit. Ex eo autem quòd hoc compositum incœperit esse, non sequitur, Christum seu hunc hominem sumptum pro prædicto supposito incœpisse esse, sicut nec sequitur, ipsum Verbi suppositum esse incœpisse, cùm hoc non obstante sit æternum: sed hoc tantùm sequitur, videlicet Christi seu Verbi suppositum incœpisse esse compositum: quod verissimum est, cùm ab æterno tale non fuerit, sed omni compositione caruerit.

IV. At cùm Christi nomen, siue huius hominis, demonstrato Christo, possit aliter sumi, nimirum ita vt directè & primariè hanc singularem humanitatem significet, connotet autem indirectè & vagè subsistentiam qua in ratione suppositi completur, vt rectè docet Vasq. disput. 67. cap. 2. confirmatúrque ex eo quòd vocabulum, homo, si non semper, at plerunque saltem ita sumitur, vt directè primariéque significet humanam naturam, connotet autem indirectè ac vagè prædictam subsistentiam: cùm inquam ita sit, dicendum est, veram esse simpliciter & sine addito propositionem, qua Christus, siue hic homo, demonstrato Christo, dicitur incœpisse esse, dummodo Christi, & huius hominis vocabula in ista posteriori significatione accipiantur. Ratio autem est, quòd vt de subiecto aliquo simpliciter & sine addito affirmetur verè, quòd esse A incœperit, satis est, vt de directo ac primario subiecti significato simpliciter & sine addito verum sit, quòd esse incœperit: quemadmodum vt de subiecto aliquo verè affirmetur, quòd esse vel per generationem, vel per creationem acceperit, sufficit quòd de directo ac primario subiecti istius significato id verum sit: vnde dicimus Angelum creatum, hominem generatum, quia natura Angelica, & humana, quæ est directum & primarium, vocabulorum hominis & Angeli significatum, per generationem & creationem producta est, & esse accepit: de directo autem & primario significato subiecti prædictæ propositionis, quam veram esse defendimus, verum simpliciter & sine addito est, quòd esse incœperit. Hoc enim significatum est hæc singu- VI.
B laris humanitas, quam incœpisse esse certum est.

At hinc inferes posse de Deo, Deique filio per communicationem idiomatum dici, quòd esse incœperit, sicut & de eodem per eandem communicationem dicitur, quòd sit mortalis, passibilis, passus, mortuus, & similia: sicut enim hæc rectè de eo sic concludimus, hic homo est passibilis, hic homo est Deus, ac Dei filius, ergo Deus, ac Dei filius est passibilis: ita eadem argumentandi forma sic rectè colligimus, Hic homo incœpit esse, hic homo est Deus, Deique filius, ergo Deus Deique filius incœpit esse.

Sed negandum est, hinc illud rectè inferri posse: ideo autem non potest, quia per communicationem idiomatum ea sola prædicata humanæ naturæ concreto nomine significatæ con-
C uenientia de Deo Deique filio prædicari verè VII.
possunt, quæ cùm de eo prædicantur, non significatur ex vi prædicationis hæc ipsi conuenire secundùm naturam diuinam. Nam si ex vi prædicationis significetur hæc ei conuenire secundùm naturam hanc, non prædicantur de eo per communicationem idiomatum, seu tanquã propriæ affectiones humanæ naturæ quam sibi hypostaticè vniuit, sed potiùs tanquam propriæ diuinæ: at prædicatum hoc, incœpit esse, dum in aliqua conclusione ponitur, & de Deo, Deive filio simpliciter & sine addito prædicatur, significatur ex vi prædicationis hoc ipsi conuenire secundùm naturam diuinam: quia dum de subiecto aliquo simpliciter & sine addito prædicatur, quòd esse incœperit, significatur ex vi præ-
D dicationis, quòd subiectum illud secũdùm suum VIII.
esse primarium, ac primariò directéque subiecti nomine significatum esse incœperit, vt inductione constat per omnia de quibus simpliciter & absolute prædicatur, quòd esse incœperint: primarium autem esse Dei, hominis, ac Angeli, primariò ac directè vocabulis his significatum, est natura diuina, humana, Angelica: vnde cùm simpliciter de Deo, vel homine, vel Angelo in aliqua propositione enunciatur, quòd esse incœperit, significatur ex vi prædicationis, quòd secundùm diuinam, aut humanã, aut Angelicam

naturam

naturam incœperit esse, quod de Deo falsum est.

Hinc ostendi facile potest, vitiosum esse syllogismum, in quo concluditur Deum, Deíque Filium incœpisse esse, cùm tamen bonus sit ille alius, cuius in conclusione idem passibilis dicitur: ille enim vitiosus est, quia quatuor terminis constat: iste alius bonus, quia tantùm tribus. Ideo autem iste constat tantùm tribus, quia passibilis, mortalis, passus, mortuus, quod maius extremum est, dum in maiori propositione ponitur, & in conclusione repetitur, eandem vtrobique retinet suppositionem, & significationem: nec in conclusione positum significat Deum, Deíve filium de quo prædicatur esse passibilem, mortalem, passum, mortuum, secundùm diuinam naturam, sed solùm secundùm aliquam naturam suam, quod verum est: cùm secundùm humanam talis sit. At ille ideo constat quatuor, quòd, incœpit esse, quod est maius extremum, dum in conclusione repetitur, & de Deo prædicatur, aliam habet suppositionem & signincationem, quàm cùm in Maiori ponitur, & de hoc homine enunciatur. Dum enim de eo enunciatur, significat hunc hominem incœpisse esse secundùm humanam naturam, quæ est primarium esse hominis, primarióque ac directè nomine hominis significatum: at dum in conclusione repetitur, & de Deo affirmatur, significat hunc incœpisse esse non secundùm humanam naturam, sed diuinam, quæ est esse primarium Dei, primarióque ac directè Dei vocabulo significatum. Quapropter vt ille syllogismus bonus esset, tribúsque duntaxat constaret terminis, sic concludendum esset: hic homo incœpit esse, hic homo est Deus, Deique Filius: ergo ille qui est Deus Deique Filius incœpit esse.

I. A

II. B

Etsi autem hæc propositio falsa sit, Deus incœpit esse, vera tamen ista est, Deus incœpit esse homo: hac enim non significatur quod simpliciter esse incœperit, sed quòd incœperit esse talis, nempe homo, sicut de pariete qui ab æterno fuisset niger, & hodie dealbaretur, falsum esset dicere, hic paries incœpit esse, verum autem, incœpit esse albus.

III. C

Cæterum hîc obserua duo diligenter. Primum est, quòd etsi hæc propositio, Deus incœpit esse, falsa sit, non sunt tamen falsæ existimandæ multæ propositiones quæ ei videntur persimiles, cuiusmodi sunt hæ, Deus est recens, est temporalis, initium sumpsit, temporalitatem subiuit, & aliæ id genus: hæ siquidem verissimæ sunt, ideóque sunt, quia per prædicata earum ex vi significationis ipsorum non tribuitur Deo durationis initium, secundùm esse primarium Dei, quod est diuina natura, sed secundùm aliquam eius naturam: quod verè ipsi tribuitur secundùm humanam, quæ reipsa durationis initium habuit.

IV. D

Alterum est, cum ille qui simul Deus & homo est, variis nominibus vocetur, vt Deus, Dei Filius, Verbum, Christus, Iesus, Mediator Dei & hominum, Redemptor, & similibus, discernenda esse nomina quæ directè ac primariò vel ipsum suppositum diuinum, vel diuinam naturam significant, ab iis quæ directè & primariò significant humanam, siue in specie, siue hanc singularem & individuam: cuiusmodi videntur esse quatuor posteriora, cùm Christus idem sit quod homo vnctus, Iesus, idem quod homo Saluator, sitque Mediator ac Redemptor secundùm solam humanitatem, vt disp. 6. sect. 5. ostendi. Nam propositiones omnes quibus de Christo prioribus nominibus appellato prædicabitur simpliciter & sine addito quòd incœperit esse, falsæ erunt: quia sensus erit, incœpisse esse secundùm primarium illius nominis significatum, quod erit vel suppositum diuinum, vel diuina natura. Veræ autem erunt eæ quibus idem de ipso prædicabitur, sed appellato posterioribus nominibus, quia sensus erit, incœpisse esse secundùm humanam naturam, quæ est primarium ac directum illorum nominum significatum, quod verum est.

V.

Et ob hanc causam docet S. Thomas articulo decimo hanc propositionem, Christus secundùm quod homo creatura est, ac incœpit esse, concedendam simpliciter potiùs quàm negandam, quòd hæ voces, in quantum homo, & aliæ æquiualentes, naturam potiùs humanam, quæ verè creatura est, & incœpit esse, tanquam primarium directumque significatum designent, quàm suppositum, quod in Christo increatum & æternum est.

VI.

Ob eandem etiam causam docet articulo vndecimo, propositionem hanc, Christus in quantum homo est Deus, negandam potiùs absolutè, quàm concedendam, quòd vox, homo, & quæcunque alia huiusmodi particulis istis, in quantum, secundum quod, & aliis æquiualentibus adiuncta, ponatur pro natura potiùs, quàm pro supposito, seu nota sit specificans & determinans potiùs naturam quàm suppositum: vnde sensus illius propositionis hic potiùs est, Christo secundùm naturam humanam conuenit esse Deum, quod æquè falsum est, ac eidem secundùm diuinam conuenire esse hominem, quàm iste, Christo in quantum est suppositum conuenit esse Deum, qui sensus verus est: quia Christus aliud suppositum non est, quàm ipsissimum Verbi diuini: de ratione autē huius suppositi tam est esse Deum, quàm de ratione suppositi humani esse hominem. Quod autem dixi de propositionibus, in quibus, homo, prędictis particulis additur, intelligendum est pariter de illis in quibus iisdem particulis, hic homo, adiungitur. Nam pronomen demonstratiuum, hic, homini præpositum eundē significandi modum habet, quem homo: hoc solùm discrimine, quòd significat illud singulare, quod homo denotat vniuersè ac specificè. Vnde cùm ista vox, homo, specificam naturam humanam designet potiùs quàm suppositum, vt dixi, hic homo quoque hanc singularem naturam humanam potiùs quàm suppositum designabit.

VII.

Articulo denique 12. docet hanc propositionem veram esse, Christus secundùm quod homo est hypostasis, seu persona. Et sanè si Christus secundùm quod homo, persona est, erit & hypostasis, seu suppositum, cùm persona omnis sit hypostasis & suppositum, licet non omnis hypostasis, aut omne suppositum persona sit. Ideo autem vera est, siue nomen, homo, particulæ, secundùm quod, aut alteri æquiualenti additū, sumatur directè & primariò pro supposito, seu pro habente naturam humanam, siue directè & primario

VIII.

pro humana natura connotando subsistentiam qua subsistit : quia nomine hominis in priore significatione vsurpato sensus illius est, Christum secundùm quod est suppositum habens humanam naturam esse personam, quod verissimum est: nam suppositum in natura intellectuali, qualis est humana, subsistens, persona est. I. Vsurpato autem in posteriori significatione, sensus eiusdem est, Christum secundùm humanam naturam affectam subsistentia esse personam. Nam homo non solam humanam naturam significat, sed præterea subsistentiam, licet illam naturam directè & primatiò, hanc autem subsistentiam secundariò tantùm & indirectè significet: vnde dicere Christum secundum quod homo est, esse personam, est dicere, ipsum, secundùm quod humana eius natura subsistit, personam esse, quod verum est, cùm humana natura subsistens persona sit.

Quòd si quæras, an possimus verè dicere, Christum esse personam humanam? Respondeo cum Suare in commentario huius articuli 12. & Gab. Vasq. disput. 69. cap. 2. & disputat. 16. II. cap. 3. aliisque multis quos citant, posse, quia per humanam personam non intelligimus personam subsistentem creata & humana subsistentia, sed subsistentem in humana natura, seu habentem naturam humanam subsistentem, siue propria & creata subsistentia, siue aliena & increata.

DISPVTATIO XXXIX.

Vtrùm Christus sit vnum, vel duo?

III. VÆRIT hoc ipsum S. Thomas articulo primo quæstionis 17. respondet autem Christum esse vnum tam masculinè, quàm neutraliter, ipsumque proinde non posse simpliciter & sine addito verè dici vel plures seu duos, vel plura seu duo. Et quidem quòd vnus masculinè sit, nec plures proinde seu duo simpliciter dici possit, de fide est: definitum quippe fuit in Concilio Ephesino in confessione fidei, & can. 2. ac 3. in Chalcedon. act. 4. in Constantinopolitano quinto collat. 8. can. 1. & 3. in Lateran. sub Martino primo, consult. 5. can. 1. & in sexta Synodo act. 4. Adde Symbolum Athanasij, in quo Christus sæpiùs vnus dicitur. Adde & communem consensum Patrum ita docentium, Leonis Papæ, Cyrilli, Athanasij, Damasceni, Hilarij, Ambrosij, Augustini, Fulgentij, Anselmi, & aliorum, quos IV. citatos reperies apud Gab. Vasq. disputat. 70. cap. 2. Suarem in commentario citati articuli primi, & alios ad hunc ipsum articulum.

Ratio autem ob quam dici debet vnus, non plures, seu duo masculinè, est, quòd vnus dum simpliciter & sine addito dicitur, & de supposito aliquo affirmatur, vnitatem suppositi denotat: è contrario autem plures siue duo masculinè dum simpliciter & sine addito affirmantur de supposito, pluralitatem diuisionémque suppositorum significant. Vnde cùm in diuinis vnum masculinè dicimus, Deum addimus, vt significemus vnam esse naturam diuinam, ac ne vnam esse personam significare videamur: è contrario autem plures in diuinis, ac tres simpliciter & sine addito esse dicimus, quia reuera plures ac tres personæ sunt. Quare cùm Christus sit suppositum, & vnum numero suppositum, A V. vt fide certum est: & disp. 11. contra Nestorium probauimus, vt hæc eius vnitas significetur, vnus simpliciter & sine addito dici debet, non debet sine addito dici plures & duo masculinè, quia sic multiplex esse suppositum significaretur, quod hæreticum est.

Quod autem idem Christus sit quoque vnum neutraliter, nec proinde plura, seu duo neutraliter dici debeat, constat ex eo quòd quidquid est & dicitur vnum ens simpliciter & absolutè, non potest esse vel dici simpliciter & absolutè plura, seu duo neutraliter: Christus autem est, & dicitur simpliciter & absolutè vnum ens: nam ens quod per se vnum est, simpliciter est & dicitur vnum ens, Christus verò est vnum per se ens: vnum scilicet suppositum & individuum, & tam B VI. per se vnum, quàm Petrus, aut Paulus: quare sicut hic aut ille dicitur simpliciter & absolutè vnum neutraliter, non verò plura, seu duo, sic & Christus.

Nec dicas hanc propositionem veram esse, Christus est duæ naturæ simul, cùm ista illi æquivalens vera sit, Christus est diuinitas & humanitas simul: vera enim vtraque est, sed in neutra duo simpliciter & absolutè de Christo prædicantur, sed cum duplici addito, naturæ scilicet, & simul, vt significetur Christum esse duas illas naturas non seorsim aut diuisiuè sumptas, sed coniunctim acceptas & vnitas. Adde quòd illæ duæ naturæ sic acceptæ ita remanent duæ naturæ, vt tamen non sint simpliciter & absolutè duo, siue masculinè, siue neutraliter, quia sunt simpliciter vnus masculinè, & vnum neutraliter: masculinè quidem, quia sunt vnus Christus: neutraliter verò, quia sunt simpliciter vnum ens per se, vnum C VII. scilicet individuum & suppositum, quod Christus est.

Ex quibus inferes, hunc verè dici non posse alium & alium: alius enim simpliciter & sine addito, dum de supposito dicitur, distinctionem suppositi significat. Vnde dicimus in diuinis esse alium & alium, quia in diuinis distinctio suppositorum seu personarum est. Quod non impedit, quin de eodem Christo dicamus, non modò in eo esse aliam & aliam naturam, sed ipsum quoque esse aliam & aliam naturam simul, nempe diuinam & humanam simul acceptas & vnitas.

Quòd si quæras, vtrùm dici possit ipse esse aliud & aliud, negandum est, si per has voces suppositum directè significetur, cùm sit vnum individémque numero suppositum: quo sensu eas accipit S. Doctor hoc articulo 1. dum negat. Affirmandum autem si pro natura directè accipiatur: D VIII. quo modo sumuntur, dum in diuinis negatur esse aliud & aliud, quia nimirum est vna eadémque numero diuinitas. Cū enim in Christo sit humanitas & diuinitas, & vna ab altera quiddam diuersum sit, sicut vere dicimus Christū esse Deum & hominem, ita verè dicimus ipsum esse aliud & aliud: nam aliud erit Deus, aliud homo, dummodo, vt dixi vox, *aliud*, ad naturam referatur, pro eáque accipiatur. Ex quo sequitur, Christum

esse vtrumque, Deum scilicet & hominem: nec tamen est consequens, esse duos, aut duo simpliciter & sine addito, quia idem Deus est qui homo, idemque homo qui Deus, ac vtrumque vnus est Christus, & vnum ens per se, vnum scilicet individuum & suppositum.

I.

DISPVTATIO XL.

Vtrùm humanitas Christi existat formaliter per increatam Verbi existentiam?

SECTIO PRIMA.

Partis negantis veritas duobus argumentis ex authoritate petitis probatur.

II. PARTEM affirmantem tuentur Caiet. & Med. ad art. 2. quæst. 17. Capreol. in 3. dist. 6. quæst. vnica art. 1. Ferrar. 4. contra Gent. cap. 35. & 41. & Henricus quodlib. 3. quæst. 2. Negantem amplectuntur ex Thomistis Heruæus eadem dist. 6. quæst. 1. art. 3. & Paludanus quæst. 3. ex aliis verò Albertus citata dist. art. 5. Scotus quæst. 1. Durandus quæst. 2. Gabriel quæst. item 2. artic. 2. concluſ. 1. Alma. quæst. 2. Rich. art. 2. quæst. 2. Maior quæst. 1. Bonau. dist. 5. art. 2. quæst. 1. quos Suarez, Vasquez, & alij recentiores sequuntur ad hunc quęstionis huius 17. art. 2. quam amplecti necessariò debent ij omnes, qui sentiunt existentiam ab essentia extra causas producta non distingui à parte rei: nam ex ea sententia manifestè sequitur, nullam naturam creatam posse esse actu, & extra causas, quin existat propria sua & creata existentia, cùm ipsa actu extra causas, sit à parte rei ipsa creata & propria sui ipsius existentia. Quare cùm huius sententiæ veritatem firmis argumentis in Metaphysica probauerimus, probaueritque Suarez in sua, & probet hîc Vasquez disp. 72. consequens est, humanitatem Christi existere necessariò per creatam & propriam suam existentiam, quàndiu in rerum natura est, & existit. Etsi autem vera esset opposita sententia, asserens creatam & propriam essentiæ creatæ extra causas productæ existentiam ab ea distingui reipsa, amplectenda nihilominus esset illa negatiua pars propositæ quęstionis propter argumenta sequentia.

III. Primum continet authoritatem S. Thomæ, qui quodlibeto 9. art. 3. & in quæstione disputata de vnione Verbi, art. 4. tam clarè penit

IV. duas in Christo existentias, vnam increatam, qua existit increata Verbi diuinitas & persona, alteram creatam qua existit eius humanitas, vt cùm Aduersarij negare non possint, dicant ipsum hoc art. 2. retractasse doctrinam ibi à se traditam: sed immeritò dicunt. Nam si retractat, ideò sanè, quia hoc articulo diserte admittit in Christo vnicum esse, vnicum autem non foret, si esset duplex existentia, creata vna, increata altera, nam ab vna vnum esse, seu existere haberet, alterum ab altera: at non propterea retractat. Nam & illis aliis duobus locis idem est illorum articulorum titulus, qui istius secundi, vtrùm scilicet in Christo sit vnum tantùm esse? Et sicut istius, sic illorum conclusio affirmatiua est, eòque non obstante quòd in illis expressè vnicum tantùm admittat esse in Christo, docet nihilominus, vt dixi, duas esse in ipso existentias, sicut & duas naturas, & quamlibet per suam propriam existere: ergo quòd in isto articulo secundo vnum tantùm esse in eo agnoscat, non est propterea consequens, vt in illo neget duas illas existentias. Tantùm autem abest, vt traditam illis articulis doctrinam retractet hoc articulo, vt si hic cum illis conferatur, non obscurum futurum sit, ipsum idem in illis omnibus & sentire, & docere, cùm iisdem ferè verbis vtatur, & exemplis, in hac conclusione probanda, quòd nimirum in Christo vnicum tantum esse sit. A V.

Quomodo autem non obstante duplici illa existentia quæ in Christo est, sit vnicum in eo tantùm esse, tam ex mente S. Doctoris, quàm ex rei veritate, non omnes eodem modo explicant. Aliqui asserunt ipsum non loqui de esse existentiæ, sed de solo esse personali, solumque proinde admittere in Christo vnicum esse personale: sed reuera de esse existentiæ loquitur: tum quia cur hîc de esse personali loqueretur, doceretque vnicam in Christo esse subsistentiam seu personalitatem, eúmque proinde esse vnicam numero personam, cùm id supra quæstione 2. artic. 2. & 6. ex professo docuerit, & articulo primo quæstionis huius 17. obiter repetierit, & tanquam satis illa quæstione probatum supposuerit? Tum quia cùm de Christo quærit, vtrùm vnicum sit in eo esse, de eodem esse loquitur haud dubiè, de quo in corpore articuli sic initio ait. *Esse autem pertinet & ad naturam, & ad hypostasim:* B V I.

C Atqui ad naturam non pertinet esse personale, sed ad solam hypostasim, cùm tamen esse existentiæ ad vtramque pertineat: nam non soli hypostasi, sed naturæ quoque conuenit existere: tum denique quia in tertio quod sibi obiicit argumento, & in sua ad illud responsione clarissimè de esse existentiæ loquitur: in argumento quidem, concludens ex vnico esse in personis diuinis ob vnitatem naturæ duplex in Christo esse ob duas in eo naturas: in responsione autem concedens vltro in tribus illis personis vnicum esse, quod falsò concederet, si de esse non existentiæ, sed personali loqueretur: cùm sicut non obstante vnitate naturæ, vnicaque eius existentia, sunt tres distinctæ personæ, sic sit earum triplex personalitas, triplexque proinde esse personale. Loquitur ergo de esse existentiæ: quod vnicum in Christo, non obstante illa duplici præfata existentia, merito admittit, & ex rei veritate admittendum est, duas ob causas, quarum priorem habet illo articulo quarto, citatæ quæstionis disputatæ de vnione Verbi, posteriorem autem tum articulo secundo, quæstionis huius 17. tum articulo tertio noni illius antecitati quodlibeti. VI I.

D VIII.

Prior est, esse quidem in Christo duplex esse, sed vnum primarium & simpliciter: alterum secundarium & secundùm quid: entis autem quod

est ens simpliciter ac non tantùm secundùm quid, quale est quodcunque suppositum, non aliud simpliciter & absolutè dici debere esse, quàm quod est esse simpliciter ac non tantùm secundùm quid. Quare cùm in Christo sit vnicum tantùm esse simpliciter, licet aliquod aliud præterea sit secundùm quid, simpliciter & absolutè vnicum in ipso esse dici & admitti debebit. I. A

Esse autem simpliciter quod tam ex mente S. Doctoris quàm rei veritate vnicum est in Christo, est proprium esse suppositi seu personæ Christi, quod cùm sit idem numero suppositum, eadémque numero persona cum supposito & persona Verbi, proprium per consequens eius esse est esse proprium ipsius Verbi, quod esse increatum est, & æternum, & per se, non per aliud, aut in alio: secundarium autem esse ac secundùm quid quod in eodem Christo est, est esse proprium humanitatis, quod secundarium dicitur, quia illi increato & æterno in tempore aduenit: secundùm quid autem, tum quia esse humanitatis non est esse simpliciter, cùm humanitas non sit ens simpliciter, sed solum ens completum subsistens habeat vt sit ens simpliciter, esse autem simpliciter soli conueniat enti simpliciter: tum quia humanitatis esse non est esse per se, sed in alio, nimirum in supposito Christi, quam ob causam nec partium, nec accidentium esse, dicitur esse simpliciter, illæ enim non per se sunt, sed in alio, nempe in toto: hæc autem sunt in subiecto. Vnde tam illarum, quàm horum proprium esse, non tam est, & vocatur esse, quàm inesse. II. B

Posterior est, sicut enti conuenit esse existétiæ, ita vni enti vnicum esse existentiæ, eáque ratione vnicum esse existentiæ, qua est vnum ens, itavt si sit vnum ens per identitatem & simplicitatem expertem compositionis, vnum quoque habeat esse simplex & compositionis expers: sin autem sit vnum ens per vnionem & compositionem ex multis entibus, vnum similiter habeat esse integrum & totale conflatum ex multis esse partialibus multorum illorum entium partialiú, ex quibus illud vnum ens integrum & totale conflatur. Quare cùm Christus sit vnum ens integrum & totale conflatum per vnionem & compositionem ex multis entibus, vnicum habebit esse existentiæ, sed integrum & totale conflatum ex multis veluti partialibus. Quapropter sicut ex humanitate & diuinitate vnitis conflatur non vna natura, sed vnum ens per se, nempe suppositum, quod est Christus: ita ex increata diuinitatis existentia, & ex creata humanitatis conflatur vnica totalis existentia, non vnius naturæ, sed vnius entis per se, nimirum prædicti suppositi. III. C

Secundum argumentum ducitur ex doctrina Patrum à nobis tradita disp. 22. sect. 6. vbi ostendimus animam Christi fuisse assumptam à Deo mediante mente seu intellectu, fuisseque naturaliter prius huic illi inhærentem, quàm illa à Deo assumeretur. Cùm autem fieri non potuerit, vt intellectus illi inhæreret, nisi illa existeret in eodem saltem naturæ signo quo ille huic inhærebat, imò natura prius, quia subiectum causa materialis est accidẽtis sibi inhærentis, necessarium fuit vt anima Christi prius existeret, quàm à Deo assumeretur: ergo vt existeret per creatam & propriam existentiam: diuinam enim & increatam habere non potuit nisi per suam à Deo assumptionẽ, hæc autem assumptio posterior fuit, sicut intellectus inhęsione in ipsa, sic ipsius actuali existẽtia. Quòd si anima Christi per propriam existentiam existit, existet & eius humanitas, cùm huius & illius eadem quoad hoc ratio sit, tam ex mente aduersariorum, qui & hanc & illam similiter volunt existere per increatam Dei existentiam, quàm ex rei veritate, cùm tam hæc quàm illa à Deo assumpta fuerit. IV. D V.

SECTIO II.

Eiusdem partis veritas aliis duobus argumentis ex ratione depromptis probatur.

PRIMVM ducitur ex duobus consequentibus ex contraria sententia, quæ falsa videntur. Primum est, humanitatem Christi vnitam esse substantialiter tribus diuinis personis, quia si existit per increatam Verbi existentiam, vnita substantialiter est existentiæ absolutæ Dei, quæ tribus illis personis ex æquo communis est, sicut & diuinitas: quemadmodum si vnio humanitatis facta fuisset cum hac diuinitate, humanitas esset vnita substantialiter tribus diuinis personis, quia vnio facta fuisset cum aliquo communi illis tribus. VI.

Nec dici in primis potest vnionem hanc non fore substantialem: vnio enim naturæ substantialis cum substantiali existentia, siue propria, siue aliena, per quam fit formaliter existens, substantialis est, sicut & eiusdem naturæ vnio cum substantiali subsistentia, siue propria, siue aliena, per quam fit formaliter subsistens.

Nec dici secundò potest, vnionem humanitatis existentis per increatam Verbi existentiam, non fore in existentia absoluta, sed in propria & relatiua Verbi: probaui enim in Tractatu de Deo disput. 54. tres diuinas personas existere vnica numero existentia absoluta, nullis vero relatiuis. VII.

Nec dici postremò potest, fore quidem humanitatem vnitam tribus diuinis personis substantialiter, si daretur in ea duplex vnio, vna immediatè ad solam existentiam Verbi communem aliis duabus personis diuinis: alteram ad eiusdem relatiuam subsistentiam: at hoc minimè fore, concessa vnica vnione, quæ directè & immediatè respiciat illam existentiam, & hanc subsistentiam, tanquam vnicum simplicem & indiuisibilem terminum, hoc inquam dici non potest, quia si humanitas Christi existit per increatam Verbi existentiam, dicendum necessariò est, dari duplicem illam eius vnionem, vnam ad hanc solam existentiam, & quidem naturæ ordine priorem altera quæ est ad eiusdem Verbi subsistentiam. VIII.

Vt enim disput. 13. probaui, fieri non potest vt humanitas subsistat per subsistentiam Verbi, nisi productione modi substantialis in humanitate recepti, ex eáque educti, per quem hæc illi subsistentiæ vniatur: hæc autem productio seu eductio præsupponit essentialiter hanc vt naturam priùs existentem: in quo priori hæc aut non existit per increatam Verbi existentiam, & sic ruit tota aduersariorum sententia: aut si per

eam existit, datur aliqua vnio per quam isti existentiæ vnitur, vt per eam fiat formaliter existens, & quidem prior, vt patet, productione prædictæ vnionis, præsupponente eam iam actu existentem, & sic datur duplex vnio subsistentialis, vna ad solam Verbi subsistentiam, altera, & I. quidem naturæ ordine præcedens, ad solam eiusdem existentiam, quæ, vt dixi, communis ipsi cum duabus aliis personis est.

Iam verò quod falsum sit dicere humanitatem Christi esse substantialiter vnitam tribus diuinis personis, constat ex Concilio Toletano VI. & XI. quorum in quolibet definitur, vt disputat. 16. retuli, vnionem factam fuisse in eo solo quod est proprium Verbi, non quod est commune Trinitati. Constat item ex sexta Synodo cuius in actione octaua, vt citato etiam loco dixi, definitur Patrem ac Spiritum sanctum nihil habere commune in Incarnatione, præter benignissimam voluntatem: qui sanè præter eam haberent aliquid in ea commune, si vnio facta fuisset in absoluta existentia, quæ eis cum filio communis est.

II. Secundum est, Angelos tam bonos quàm malos humanitatem Christi existentem non cognouisse naturaliter, nec potuisse cognoscere quidditatiuo intuitiuo conceptu: ad hunc enim conceptum necessaria est cognitio existentiæ actualis prout in se est: existentia autem actualis humanitatis Christi prout in se est non potuit ab illis cognosci naturaliter, si non alia fuit quàm increata Verbi: hæc enim cùm sit ipsa à parte rei diuinitatis essentia per solam visionem beatificam cognosci prout in se est, potest. Quare Angeli de substantia humanitatis Christi licet existentis non aliam cognitionem naturalem quidditatiuam habuerint, quàm vt entis purè possibilis, perinde atque si non existeret actu, cùm tamen mali qui nullam aliam

III. illius cognitionem habuerunt, quàm meré naturalem, cognouerint eam haud dubiè non tantùm vt possibilem, sed etiam vt actu existentem, cognouerintque proinde actualem eius existentiam, nec improprio tantùm & purè abstractiuo conceptu, quo modo nos ex accidentibus intuitiuè per sensum cognitis latentem sub iis substantiæ existentiam intelligimus, sed proprio ac quidditatiuo, sicut aliorum hominum cognoscebant.

Secundum argumentum istud est. Non potuit humanitas Christi existere per increatam existentiam Verbi, nisi aut seipsa, suâve differentia indiuiduante determinata esset ad existendum per illam, aut substantialis eius productio esset formaliter eiusdem à Verbo assumptio, & cum ipsius existentia vnio, aut denique huic existentiæ vniretur per modum vnio-

IV. nis superadditum, & in ipsa humanitate receptum: atqui nullo trium istorum modorum potuit: ergo nullo modo potuit. Maioris veritas hinc certa est, quòd nullus alius assignari modus potest, quo id fieri potuerit. Minor probatur: non enim primo, in primis quia non magis dari potest aliqua natura creata ex se suâve differentia indiuiduante determinata ad existendum per existentiam increatam Dei quàm ad subsistendum per eiusdem subsistentiam, ob easdem causas omnes, aut fermè omnes, ob quas nullam dari posse ad hoc posterius ita determinatam probaui sect. 3. 13. disputationis.

Deinde quia si quæ natura substantialis determinata ex se esset ad existendum per illam existentiam, necessariò quoque determinata ex se simul esset ad subsistendum per hanc subsistentiam, aut certè nullam habere posset propriam ac connaturalem subsistentiam, quod secundum naturæ substantiali repugnat, quæ eo ipso quo substantialis est, aliquam eiusmodi subsistentiam postulat: propria enim ac connaturalis subsistentia naturæ creatæ, quæ determinata ex se non est, vt subsistat in Deo, est modus aliquis substantialis quo eius existentia modificatur, vnde & modus existentiæ dicitur: at natura illa quæ determinata ex se esset ad existendum per existentiam Dei modi istius incapax esset: propria enim eius existentia esset increata ipsa Dei existentia: hæc autem nullo creato modo modificari potest: tum quia nihil creatum Deo aduenire de nouo intrinsecè potest: tum quia nulla res V. VI. creata identificari ipsi potest realiter, modus autem identificatur rei quam realiter modificat.

Neque etiam secundo, propter argumenta quibus sectione secunda eiusdem decimæ tertiæ disputationis ostendimus, non posse naturam creatam eadem actione assumi à Deo, seu vniri ipsi substantialiter, qua substantialiter in rerum natura producitur: hîc enim pariter atque illic locum habent. Nec denique tertio, quia modus vnionis cum existentia Dei in humanitate receptus ipsam essentialiter præsupponit, vt natura iam priùs existentem: nihil enim ex ipsa educi tanquam ex subiecto, & in ipsa recipi tanquam in subiecto potest, nisi præexistat: in illo autem priori quo existeret, profectò non existeret per increatam Dei existentiam, cùm per eam non VII. existat nisi mediante modo vnionis per quem cum ea vnitur: ergo per propriam.

SECTIO III.

Vni quæstioni, vni item argumento respondetur.

ATQVE hinc facilè constare potest, quid respondendum esset quærenti, an per absolutam Dei potentiam fieri posset, vt natura substantialis per duplicem simul existentiam existeret, creatam vnam, & increatam alteram, sicut fieri posse suprà docuimus, vt subsistat simul per multiplicem subsistentiam alienam: negari enim deberet fieri posse, quia postremum argumentum quo vsi sumus, euincit non posse rem vllam primò existere, quin VIII. per creatam & sibi propriam existentiam existat. Nam euincit non posse primò existere per alienam, siue creatam, siue increatam: sicut autem natura substantialis subsistens per propriam subsistentiam subsistere simul per alienam non potest, vt suprà disputat. 20. probatum est, ita eadem natura per propriam existentiam existens existere simul per alienam, siue creatam, siue increatam nequit: non enim minus substantialis naturæ propria existentia ipsam afficiens excludit ab ea quamcunque

aliam exiſtentiam qua exiſtat, quàm propria eiuſdem ſubſiſtentia quamcunque aliam qua ſubſiſtat.

Adde quòd omnis actio qua naturæ ſubſtantiali, & cuicunque alteri rei datur exiſtentia, vi cuius formaliter fit exiſtens, eſt eo ipſo ſubſtantialis huiuſce rei in rerum natura productio: quid enim eſt aliud rem produci ſubſtantialiter, quàm vi actionis alicuius dari ipſi in rebus formaliter exiſtentiam? Vnde etiam ſublata quacunque alia actione, & hac ſolùm intellecta, intelligeretur res in rerum natura exiſtens, cùm tamen talis intelligi nequeat, niſi beneficio alicuius productionis. Vnde ſequitur, quòd ſi aliqua actione fieri poſſet natura aliqua ſubſtantialis exiſtens per alienam exiſtentiam, ſiue creatam, ſiue increatam, eadem actio, quæ eſſet huius naturæ vera formaliſque cum illa exiſtentia vnio, eſſet quoque eiuſdem vera ac ſubſtantialis in rerum natura productio: eadem autem actione non poſſe rem vllam produci ſubſtantialiter, & alienæ ſimul vel exiſtentiæ, vel ſubſiſtentiæ ſiue creatæ, ſiue increatæ, vniri ſubſtantialiter, probant argumenta, quibus citata ſectione 2. diſput. 13. oſtendimus non potuiſſe Chriſti humanitatem vnica eademque actione vniri hypoſtaticè Verbo, & ſimul in rerum natura ſubſtantialiter produci.

Contra doctrinam à nobis hactenus traditam nullum video ductum ex ratione argumentum, quod vel tantum roboris præ ſe ferat, vt hîc referri debeat, vel iam non ſit ſuprà alia occaſione ſolutum, vel non facilè ſolui ex antedictis poſſit. Vnum eſt non omittendum ex triplici authoritate deſumptum, nempe Sophronij, Damaſceni, & S. Thomæ, quorum primus in epiſtola quæ recitata fuit in 6. Synodo act. 11. & approbata in 13. rurſumque in Chalcedonenſi Concilio ſic de humanitate Chriſti loquitur, vt referunt aduerſarij, *In Verbo Dei, ac non in ſeipſa, vnam habet exiſtentiam cum Verbo.* Secundus autem lib. 3. de fide cap. 22. & multis aliis eiuſdem libri capitibus de eadem humanitate ait ipſam habuiſſe exiſtentiam in Verbo.

Tertius denique quæſtionis huius 17. art. 2. dicit eſſe accidentium quæ ſunt in Socrate, diſtingui ab eſſe Socratis, propterea quòd eius accidentia ad eiuſdem eſſe perſonale non pertinent: at eſſe rerum earum quæ pertinent ad ipſius eſſe perſonale, non eſſe diuerſum ab eſſe quod eſt proprium eſſe ipſius Socratis. Ex quo ſequitur, quòd cùm Chriſtus vna perſona ſit, ſicut & Socrates, & ad eius eſſe perſonale ſeu perſonam pertineant naturæ duæ, diuina ſcilicet & humana, huius vtriuſque naturæ eſſe idem erit cum eſſe quod eſt proprium eſſe perſonæ Chriſti: quod eſſe cùm ſit vnicum, erit quoque vnicum duarum illarum naturarum: ergo humanitatis aliud eſſe non erit quàm diuinitatis, & ſic per huius exiſtentiam illa exiſtet.

Ad Sophronium reſpondeo primò, non fideliter eius verba referri. Nam poſtrema vocabula hæc (cum Verbo) quæ prioribus adiunguntur, apud ipſum non habentur, ſed ſola illa priora: ex quibus concludi aliud non poteſt, quàm humanitatem Chriſti vnicam habere exiſtentiam, nempe propriam ſuam, at non in ſeipſa, ſed in Verbo, id eſt, non per ſe ſubſiſtentem, ſed per Verbi ſubſiſtentiam: quod ſolùm concludi quoque poteſt ex D. Damaſceni verbis, eſtque veriſſimum, ſed nobis non repugnat.

Reſpondeo ſecundò apud vtrumque haberi, vnam eandèque vocem Græcam, pro qua interpretes exiſtentiâ poſuerunt, cùm tamen illa vox Græca nempe ὑπόστασις, ſubſtantiam etiam ſignificet: ſubſtantiæ autem nomen pro ſubſiſtentia & ſuppoſito ſit antiquitus ſæpe vſurpatum, & probabile ſit tam hunc quàm illum nihil aliud locis illis dicere voluiſſe, quàm vnicam humanitatis eſſe ſubſiſtentiam, eámque in vnum & idem cum Verbo conueniſſe ſuppoſitum.

Ad authoritatem S. Doctoris dico ipſum hoc tantùm conſtituere diſcrimen inter eſſe accidentium inexiſtentium alicui perſonæ, & ad eius eſſe perſonale non pertinentium, ſeu perſonam eius non componentium, ea compoſitione, ex qua prodeat vnum numero ens per ſe, ſeu vna numero perſona, & inter eſſe rerum aliarum pertinentium ad eius eſſe perſonale, ſeu componentium perſonam eius compoſitione prædicta, quòd cùm ex illis accidentibus non componatur illa perſona in qua ſunt, ex illorum accidentium proprio eſſe componi non poteſt vnum integrum ac totale eſſe, quod ſit eſſe perſonæ illius in qua ſunt. Ex quo rectè concludit, in illa perſona debere admitti duplex eſſe, duplex inquam abſolutè, ſeu quorum vnum non referatur, nec pertineat ad aliud, vnum perſonæ, alterum accidentis ei inexiſtentis.

At è contrario cùm ex iſtis aliis rebus componatur vna numero perſona, ex earundem rerum propriis eſſe tanquam ex multis partialibus conflatur vnum integrum & totale eſſe, quod eſt eſſe perſonæ illius quæ vna numero eſt. Ex quo rectè item concludit eſſe vnicum tantùm eius eſſe, vnicum inquam abſolutè: quia reuera vnicum tantùm eſt integrum & totale, conflatum ex propriis eſſe rerum illam componentium tanquam ex multis partialibus, & iſta partialia ad illud vnum totale ac integrum pertinent, quandoquidem illud integrant & componunt. Ex quo non ſequitur, vt idem ſit eſſe rei vnius componentis quod alterius, vnaque per exiſtentiam alterius exiſtat, ac proinde vt ſit idem eſſe humanitatis Chriſti, quod diuinitatis, & illa per huius propriam exiſtentiam exiſtat, licet ex propriis huius & illius exiſtentiis tanquam ex multis partialibus confletur vnica totalis ac integra perſonæ Chriſti exiſtentia, ſitque proinde vnicum tantum integrum ac totale eſſe ipſius.

DISPVTATIO XLI.

Vtrùm ſint in Chriſto duæ voluntates, ſeu volendi potentiæ?

DARTIS affirmantis veritas, quam docet S. Thom. quæſtionis 18. art. 1. certa ex fide eſt, vt pote definita ſæpius in ſexta Synodo, ac ferè ſingulis eius actionibus, potiſſimùm autem in 17. qua Catholicæ fidei profeſſio

continetur: in ſeptima quoque Synodo act.7.in confeſſione item fidei Catholicæ. Præterea in Lateran. Concilio ſub Mart.1. conſult.5. can.12. 13.& 14. Denique in Florentino poſt ſeſſ. vlt. in Decreto Eugenij 4. §. 3. quæ etiam veritas clara eſt ex his Scripturæ teſtimoniis Matth.26.*Pater*

I. *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, verùntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Lucæ 22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Ioannis cap. 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.*

Quibus locis apertè mentio fit quarundam volitionum Chriſti, procedentium ab aliqua eius voluntate, diuerſa à diuina, quæ alia non fuit quàm humana: cui diuina deeſſe non potuit, cùm Deus fuerit: quam proinde vtramque voluntatem in eo admittendam eſſe colligitur euidenter ex principio fidei, quòd ipſe Deus & homo ſit, conſtétque proinde duplici intellectuali natura, diuina ſcilicet, & humana: quælibet enim intellectualis natura ſuam propriam ſibíque connaturalem habet naturaliter voluntatem. Adde quòd ex alio fidei principio, quòd

II. nimirum pro nobis Chriſtus ſatisfecerit, colligitur euidenter humana in eo voluntas: cùm ſine proprio ac interno huius voluntatis actu nulla illius ſatisfactio eſſe potuerit, vt & per ſe ſatis, & ex ſuprà dictis liquet.

Ex hac autem Catholica doctrina redarguuntur erroris in primis Euthychiani, qui vnam in Chriſto naturam eámque diuinam admittentes, vnam conſequenter in ipſo voluntatem, eámque diuinam admittebant. Quanquam ſi vnicam in eo admittebant naturam, non per conuerſionem humanitatis in diuinitatem, ſed per compoſitionem tantùm, vt diſput. 10. diximus, non videntur humanam in eo negaſſe voluntatem, ſed admiſiſſe potiùs, ſicut veram in eodem carnem & humanitatem etiam poſt vnionem admiſerunt: negarunt tamen, aut negare debue-

III. runt, ſi conſequenter loqui volebant, duas in eo voluntates, cùm negarent duas naturas: vnius enim naturæ vnica voluntas eſt. At quem admodum humanitas per vnionem non potuit in vnam cum diuinitate coaleſcere naturam: ita nec propria humanitatis voluntas in vnam cum propria diuinitatis coaleſcere voluntatem.

Deinde Neſtoriani, qui Chriſtum purum hominem facientes, ſolam ex conſequenti humanam in eo voluntatem agnoſcebant. Præterea Apollinariſtæ, qui aſſumptam dicebant à Verbo carnem ſine anima, aut cum anima quidem, ſed deſtituta humano intellectu, conſequentéque humana voluntate. Denique hæretici, Monothelitæ dicti ab vna quam in Chriſto admittebant voluntate, eadémque diuina, licet ipſum eſſe verum Deum & hominem faterentur, ac vnam in & ex duabus naturis perſonam, aſſumpſiſſéque carnem animatam anima rationali, &

IV. hanc animam humano intellectu prædítam, at humana voluntate deſtitutam.

Cuius hæreſis authores fautoréſque præcipui fuerunt quatuor Patriarchæ, Cyrus Alexandrinus, Macarius Antiochenus, Sergius Pyrrhúſque Conſtantinopolitani: quos, ſicut & alios eiuſdem hæreſis fautores, negantes humanam in Chriſto voluntatem, ait Gabr. Vaſquez diſputat. 73. cap. 1. non negaſſe ipſam volendi potentiam, ſed propriam huius potentiæ operationem, quæ voluntas etiam dicitur. Imò non negaſſe quamcunque eius operationem, ſed ſolam volitionem efficacem, à qua pendent membrorum noſtrorum motus, aliarúmque facultatum actiones, & vi cuius exercentur. Totum proinde eorum errorem in eo fuiſſe, quòd exiſtimarent in Chriſto non alium eſſe affectum efficacem voluntatis, vi ſua membra eius externa aliáſque facultates à voluntate diuerſas ad agendum mouentem, quàm diuinæ, huiúſque ſolius nutu ac imperio facultates iſtas proprias ſuas operationes exercuiſſe, quemadmodum in nobis eas exercent nutu atque imperio noſtræ humanæ voluntatis, ſeu vi volitionis efficacis qua illa vult eas ab iis exerceri. A V.

Verùm cùm certiſſimum ſit eos prædictum ſaltem humanæ voluntatis efficacem affectum in Chriſto negaſſe, ídque probet recte idem Vaſquez loco citato, & conſtet aperte ex actis ſextæ Synodi, probabilius videtur negaſſe quoque omnem alium humanæ voluntatis actum liberum, etiam inefficacem. Ideo enim humanam

B in eo voluntatem negabant, conſentiente quoque ipſo Gabr. Vaſquez loco citato, ne ſi hanc admittetent, cogerentur fateri conſequenter ipſum fuiſſe peccabilem, & habuiſſe, aut habere potuiſſe volitionem aliquam humanam diuinæ contrariam: hac autem ex cauſa negare pariter debuerunt omnem humanæ voluntatis actum liberum etiam inefficacem, cùm aliquis eiuſmodi actus poſſit eſſe peccatum, & proinde diuinæ voluntati contrarius. VI.

Imò probabilius videtur, negaſſe quoque ipſam volendi facultatem. Primò, quia ſicut admiſſis aliis humanæ naturæ potentiis & facultatibus, ipſarum quoque naturales & proprias operationes admiſerunt: ita ſi facultatem humanæ voluntatis admiſiſſent, propriam eius & naturalem operationem non fuiſſent negaturi:

C qua enim ſpecie probabilitatis negarent? VII.

Secundò, quia cùm peccandi potentia *inſit* ipſi facultati volendi, imò ſit hæc ipſa facultas, quò faciliùs Chriſti impeccabilitatem aſtruerent, illam ab eo facultatem excludere debuerunt, & non ſolùm affectum, quo ſolo excluſo ſolum peccatum excluditur: at non peccandi potentia in illa facultate reſidens?

Tertiò, quia qua illi ratione moti negarunt humanam in Chriſto voluntatem, eadem motus Apollinaris, vt ſupra vidimus, negauit in eius anima rationali humanam mentem: mentis autem nomine nemo dicit eum ſolum actum mentis ſeu ſolam intellectionem negaſſe, ſed ipſam præterea intelligendi potentiam, quod fatetur vltro Vaſq. citato capite 1. & ſæpe alibi.

Quartò, quia actione 8. ſextæ Synodi contra

D eos definitur, confitendas in Chriſto eſſe duas voluntates, vnam diuinæ naturæ propriam, alteram humanæ: quo loco, voluntatis nomine, non actus, ſed volendi potentia intelligitur, cùm ibidem dicatur Chriſtus, ſicut Adamus, *in humana natura naturalem accepiſſe voluntatem*. Hic autem loquendi modus, & hæc voluntatis Chriſti cum Adami voluntate comparatio, multò melius indicet volendi facultatem quàm actum tantùm: cùm etiam humana illa voluntas quæ confitenda in Chriſto dicitur, vocetur ibi- VIII.

dem impeccabilis, actus autem voluntatis non dicatur peccabilis, aut impeccabilis, sed sola volendi facultas. Cur autem contra eos definiretur duas in Christo admittendas esse voluntates seu volendi potentias, si duas admisissent?

I. Denique, quia & sanctus Thomas, & quotquot hactenus Theologi Monothelitarum hæresim refutarunt, sic intellexerunt, vt ab illis negatam in Christo voluntatis humanæ facultatem dixerint: quod fatetur vltro Vasquez citato cap. 1. asserens expresse à nullo hactenus Scholastico Doctore fuisse probè intellectam eorum hæresim: satius autem est cum illis omnibus id quod diximus de negata ab iis volendi potentia sentire, quàm contrarium cum ipso solo, cùm præsertim rationes quibus id probat infirmæ sint.

Prima continet authoritatem Agathonis Papæ in epistola ad Heraclium, quæ habetur in 6. Synodo actione 4. vbi definit voluntatem quam Monothelitæ in Christo negabant ea definitione, quæ soli voluntatis actui conuenit. At facilè

II. responderi potest, cùm illi tam voluntatis actum quàm potentiam negarent, Pontificem ibi agentem de actu quem negabant, eum solum definiuisse, non tamen significando se id totum definiuisse quod ab iis negabatur. Addi potest, eundem Pontificem id definire solùm voluisse, quod præcipuè ipsi negabant, nempe actum: eo enim fine negabant volendi potentiam, vt eius actum negarent, & ne illa concessa cogerentur hunc concedere: quemadmodum Apollinaris præcipuè negauit actum humani intellectus, eóque fine negauit intellectum, vt hunc eius actum negaret, & ne ipsum illo admisso cogeretur admittere.

Secunda ducitur ex eo quòd tota Synodus sexta, actione 8. Macarium Monothelitam vocauit nouum Apollinarem, eo quòd sicut iste negauit in Christo mentem, sic ille voluntatis ope-

III. rationem. Sed facilè dici potest, ibi mentis nomine significari proprios actus mentis humanæ, quos solemus vocare mentem, cùm hanc in amentibus negemus esse, ipsósque propterea amentes nominemus, in quibus tamen esse intellectum humanum, sicut & animam rationalem non dubitamus. Quemadmodum autem ex eo quòd dicat Synodus humani intellectus actum negatum in Christo ab Apollinari, consequens non est, vt dicat ipsum non negasse simul intelligendi potentiam, cùm hanc quoque reipsa negauerit. Ita ex eo quòd dicit à Macario negatam in eodem Christo propriam voluntatis humanæ operationem, consequens non est, vt dicat eum non negasse pariter volendi facultatem.

Tertia petitur ex confessione ipsius Macarij

IV. eadem act. 8. concedentis vltro Verbum assumpsisse carnem animatam anima rationali & intellectuali, ibidémque vocantis carnem Christi animatam intellectualiter: ergo concedentis eius animam fuisse intellectu præditam: ergo & facultate volendi: cùm hæc facultas sequatur naturaliter illam alteram, vnámque frustra sine altera concederet. At responderi in primis potest negando primam consequentiam: anima enim rationalis dici ab ipso potuit intellectualis, eo quod est primum intelligendi principium, etsi non esset actu prædita facultate proxima intelligendi, quæ est intellectus, sicut rectè rationalis diceretur, eo quòd est primũ ratiocinandi principium, etsi non esset prædita proxima ratiocinandi facultate quæ intellectus est. Deinde concessa illa prima consequentia negari facilè secunda potest, alioqui concessa semel ab illo humana in Christo volendi facultate, proprius eius actus concedi pari iure debuerit, cùm hic actus illam facultatem naturaliter sequatur, & vnum sine altero frustra quoque ille concederet. V.

DISPVTATIO XLII.

Quotuplex, & qualis fuerit humana Christi voluntas?

AD primam quæstionum istarum respondet S. Doctor supradictæ quæst. 18. art. 3. vnicam fuisse in Christo voluntatem humanam, si voluntas pro volendi potentia accipiatur: quia vnius humanæ naturæ vnica tantùm est volendi potentia, sicut & vnicus intellectus. Quòd si voluntas pro volendi actu sumatur, duplicem in eo fuisse humanam voluntatem: vnam circa finem, alteram circa media: duplicem enim actum volendi habuit sicut & nos: vnum circa finem, circa media alterum: quorum priorem vocat naturalem, non item posteriorem, eo quòd ille prior exercetur à volendi facultate operante aliquo modo instar naturæ, seu naturalis agentis non liberi, hic verò posterior ab eadem operante instar agentis liberi. Prior enim ille ab ea exercetur cum aliqua determinatione ad vnum, seu cum necessitate quoad specificationem, licet cum libertate quoad exercitium, secus autem iste posterior qui circa media exercetur libere libertate tam specificationis quàm exercitij, eo saltem casu, quo se offerunt plura media fini consequendo idonea, quæ singula seorsim sumpta ad illius finis consequutionem sufficiunt: tunc enim nullum in particulari mediorum istorum est, quod voluntati non possit non displicere positiuè, sicut & placere. VI. VII.

Dum autem dicitur eadem voluntas necessitatem habere specificationis circa finem, de fine abstracto à materia, & vt habet rationem boni propter se appetibilis intelligendum est: circa hunc enim sic spectatum displicentiæ actum exercere non potest, sed solius complacentiæ & prosequutionis: cùm circa eundem contractum ad materiam aliquam possit illum quoque displicentiæ actum exercere, ratione laboris ac difficultatis, alteriúsve mali, quod ei sic spectato coniunctum esse potest. VIII.

Ad secundam hic propositam quæstionem respondet idem S. Doctor art. 4. citatæ quæstionis, concludens humanam Christi voluntatem fuisse liberam: art. item 5. & 6. docens eam diuinæ voluntati nunquam fuisse contrariam in rebus volendis, aut nolendis, sed semper maximè conformem. Quoad illam autem illius articuli quarti conclusionem, sciendum est ipsum loqui de libero, non solùm quod opponitur coactioni, sed etiam quod necessitati: duplex enim

est libertas ex Philosopho lib. 3. Ethicorum cap. 4. & 5. vna quæ opponitur soli coactioni: quomodo dum sumitur, quidquid sponte fit dicitur esse liberum, & liberè fieri, licet necessariò fiat: & sic Pater & Filius liberè spirare Spiritum sanctum dicuntur, quia per voluntatem spirant, licet necessario spirent, nec possint non spirare. Altera quæ necessitati opponitur, éstque nihil aliud quàm indifferentia voluntatis vt faciat, vel non faciat, vel etiam oppositum faciat: quod postremum genus liberi, nec solum illud prius, in Christo etiam vt homine, seu secundùm humanā naturam spectato admittendum, constat ex iisdem Scripturarum Conciliorúmque testimoniis, ex quibus liquet humanam in eo esse voluntatem: hæc enim ex se suáque natura libera est libertate opposita non soli coactioni, sed etiam necessitati.

I.

Et sanè si priorem tantùm libertate coactioni oppositam habuisset, vera & propria libertate caruisset: libertas enim solam coactionem excludens, ac non etiam agendi necessitatem, vera ac proprie dicta libertas non est, vt Pius V. & Gregorius XIII. definierunt in Bulla contra Michaëlem Baium, qua condemnant aliquot eius propositiones, quarum vna hæc erat: *Quod voluntariè fit, libere fit, quamuis necessario fiat.* Deinde mereri nobis aut sibi nihil potuisset, cùm ad meritum requiratur libertas, qua non sola coactio, sed etiam agendi necessitas excluditur: alioquin amentes meriti capaces essent, cùm iis insit libertas opposita coactioni, ex Philosopho lib. 3. Ethic. cap. 2.

II.

Etsi autem fuerit libertas in Christo opposita necessitati, non fuit tamen in eo libera peccandi potestas; vnione hypostatica, visione quoque beatifica omnimodam impeccabilitatem, & quidē antecedenter ipsi conferente, vt suprà docuimus, & per consequens excludente ab ipso liberam ad peccandum potestatem. Nec fuit etiam libertas circa eos actus, quorum necessitatem affert secum ista visio. Quo loco nonnulli disputant vtrùm liber fuerit in obseruatione præceptorum quibus obligabatur: verùm hæc quæstio non ad hanc sed ad sequentem quæstionem pertinet, in qua ex professo disputandum est, per quos Christus meruerit, & vtrùm per præceptos, cùm in hac solùm quæratur, vtrùm in eo fuerit liberum arbitrium. Hoc autem nihilominùs fuerit, siue liber in illorum obseruatione fuerit, siue non fuerit: propterea quòd circa multos alios actus non præceptos liberam agendi, & non agendi, aut etiam contrarium agendi potestatem habuit.

III.

Iam verò quoad traditam à S. Doctore articulo illo 5. & 6. doctrinam, certum in primis est, humanam Christi voluntatem diuinæ nunquam sic fuisse, aut potuisse esse contrariam, vt hæc contrarietas haberet aliquid rectæ rationi repugnans. Id enim ex eius impeccabilitate supra probata certissimè & clarissimè consequens est. Deinde nec dubium videtur, quin de potentia absoluta potuerit aliqua eiusdem voluntas diuinæ esse contraria, licet inculpabiliter: quia de potentia absoluta fieri potuit, vt suprà etiam docuimus, vt ignorantiam alicuius rei à Deo volitæ aut nolitæ haberet, quo sanè casu contrarium etiam honestè velle potuisset, seu ex formali bono honestóque motiuo. Denique quod reipsa nullam vnquam illi contrariam voluntatem habuerit, ex eo constat, quòd si quam aliquando contrariam habuit, certè tum temporis cùm passioni proximus affectum vitæ retinendæ, mortísque declinandæ habuit, Deo volente vt vitam amitteret. At inter hanc voluntatem & illum affectum nulla fuit contrarietas: ille enim Christi affectus fuit inefficax circa vitam complacentia, & circa mortem displicentia: hæc autem siue complacentia siue displicentia nullam habuit cum Dei voluntate contrarietatem.

A

V.

Primùm quidem non cum aliqua inefficaci: vt enim inter affectus inefficaces siue complacentiæ siue displicentiæ personæ vnius, & inefficaces personæ alterius, sit contrarietas, non solùm oportet, vt vnus complacentia sit, alter displicentia: nec solùm debet vterque affectus esse de eadē re sub eadem ratione, itavt vni placeat vna ratione seu consideratione, alteri verò sub eadem ratione displiceat. Nam vnus & idem eodem tempore de eadem re, vt de morte sui parentis, potest naturaliter simul elicere actum cōplacentiæ vna consideratione, vt propter hæreditatem, & displicentiæ alia consideratione, vt quòd sit malum parentis quem diligit: quos sanè actus simul exercere non posset, si inter eos esset aliqua ex natura rei contrarietas: at Deo sub eadem ratione displicebat Christi mors, & placebat vita, sub qua ipsi Christo displicebat illa, & hæc placebat.

B

VI.

Deinde nec cum efficaci voluntate qua Deus decreuerat vt moreretur, aut cum illa qua moriendi præceptum ei imposuerat: huic enim aut illi voluntati Dei sola illa Christi voluntas opposita esse poterat, qua vellet, quantùm ex se efficaciter, retinere vitam, & declinare mortem: talem autem voluntatem nunquam habuit, imo habuit efficacem implendi illius præcepti, moriendíque voluntatem: quam aperte multis Scripturæ locis significauit: vt dum Lucæ 12. dixit, *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur?* Baptismi nomine passionem & mortem suam intelligens, ex communi interpretum consensu, & secundùm illud Marci 10. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismo quo ego baptizor baptizari?* Vt dum etiam Ioannis 14. sic discipulos suos alloquutus est, *sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc.* Vt nimirum offerret se inimicis ad comprehendendum eum venientibus, quibus & reipsa paulo pòst se obtulit.

C

VII.

Quòd si simplex illa complacentia vitæ retinendæ, mortísque displicentia, simul in eo esse naturaliter potuit cum efficaci ista moriendi voluntate, nihilque proinde contrarietatis habuit, nihil profectò contrarietatis habuerit cum prædicta Dei efficaci voluntate, qua & moriturum ipsum decreuerat, & moriendi præceptum imposuerat.

IV.

D

VIII.

DISPVTATIO XLIII.

Vtrùm in Christo admittendæ sint plures operationes?

I. HÆRETICI Monothelitæ dicti, de quibus disputat. 41. diximus, vnicam admittentes in Christo voluntatem, & volitionem, eámque diuinam, cõsequenter vnicam in ipso operationem admittebant: hanc enim solam volitionem appellabant operationem, actus verò proprios membrorum externorum, cæterarúmque humanitatis facultatum, quos ex vi volitionis illius elici dicebãt, negabant esse, aut dici debere operationes, sed opera, seu operata, propterea quòd erant quidam effectus vi prædictæ volitionis producti ab aliis humanæ naturæ facultatibus, ad nutum & despoticè in eorum effectione illi volitioni obtemperantibus. Quam etiam ob causam nostræ voluntatis propriam volitionem

II. operationem nuncupabant, quoslibet autem alios actus ab aliis nostris facultatibus nostræ voluntatis & volitionis imperio elicitos, opera seu operata dici debere, non operationes, contendebant. Vnde sicut vnicam in nobis humanam voluntatem & volitionem admittentes, vnicam tantùm operãtionem admittebant: ita cùm vnicam in Christo voluntatem & volitionem, nempe diuinam, agnoscerent, vnicam tantùm in eo operationem agnoscebant, quam Theandricam vocabant, vtentes vocabulo, quo primus vsus est Dionysius epist. 4. ad Caium, & quod postea Græci Patres frequenter vsurpatunt.

Quam Theandricam seu Deiuirilem operationem non ita simplicem faciebant, vt compositam negarent: sed ita quidem simplicem, vt

III. negarent esse compositam ex duabus operationibus, ex duabus scilicet volitionibus duarum voluntatum, cùm vnicam tantùm in Christo agnoscerent, solique volitioni nomen operationis tribuerent. Ita autem simplicem esse negabant, vt compositam dicerent ex pluribus, quorum vnum esset operatio, nempe volitio diuinæ voluntatis: alterum actus alicuius externi membri, aut facultatis humanæ naturæ, qui non operatio, sed opus factum seu operatum ab iis dicebatur. Quo similiter modo vnicam quam in nobis dicebant esse operationem simplicem ac compositam faciebant.

Contra hanc eorum doctrinam docet articulo primo quæstionis 19. sanctus Thomas, duas in

IV. Christo admitti debere naturales operationes, siue duas volitiones, vnam diuinæ naturæ & voluntatis, alteram humanæ: quod de fide est, vtpote definitum expresè iisdem in Conciliis in quibus Monothelitarum hæresis condemnata est: quod & constat præterea ex iisdem Scripturæ testimoniis, & argumentis quibus duplex in Christo voluntas arguitur, quæ superiùs citata disput. retulimus.

Neque verò fauet errori hæreticorum illorum doctrina communis Patrum Græcorum, Christi operationem appellantium Theandricam, seu Deiuirilem: hanc enim illi compositam esse vo-

luerunt ex duplici operatione, vna propria diuinitatis & voluntatis diuinæ, altera propria humanæ naturæ & voluntatis, vt aperte Vasquez ostendit ex eorundem Patrum verbis, quæ refert, & expendit cap. 5. disput. 5. ex quibus vnum tantùm aut alterum proferam S. Damasceni testimonium, ex libri 3. de fide cap. 19. quod totum

A de Theandrica operatione est, quam nobis hac similitudine explicat, & qua caput illud concludit: *Quemadmodum igniti gladij acutam vnam vstionem atque ignitam aciem dicimus, & tamen sectionem diuersam ab vstione actionem esse, diuersaque naturæ asserimus, ignis nempe vstionem, ac ferri sectionem, ad eundem modum Theandricam vnam Christi actionem dicentes, duas duarum ipsius naturarum intelligimus, diuinitatis videlicet ipsius, diuinam: humanæ autem naturæ humanam actionem.* De qua rursus actione Theandrica sic paulo ante loquitur: *Nihil igitur aliud Theandrica actio significat, quam quod Deo viro effecto, hoc est, incarnato, humana quoque ipsius actio diuina erat, id est,*

B *Deitate perfusa, nec diuinæ ipsius actionis expers: rursúsque diuina ipsius actio humana ipsius actionis haud expers, verum vtraque cum altera considerabatur.*

V. VI.

Adde Concilium Lateran. sub Mart. I. consult. 5. can. 15. actionem Theandricam non vnam simplicem operationem esse, sed compositam ex duabus, vnitis tamen in vnico Christi supposito, quarum vna sit diuinæ naturæ propria, altera humanæ, definiens his verbis: *Si quis secundùm sceleroſos hæreticos* (nempe Monothelitas) *Deiuirilem operationem, quam Græci dicunt Θεανδρικὴν, vnam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, aut ipsam Deiuirilis, quæ posita est, nouam vocabuli dictionem, vnius esse designatiuam, sed non vtriusque mirificæ vnionis demonstratiuam, condemnatus sit.*

VII. C Ex quo colliges, decipi Theologos illos, qui nomine Theandricæ operationis designari putant quamlibet seorsim operationem, vel diuinæ, vel humanæ naturæ Christi, quæ Deiuirilis dicatur, eo quòd est à supposito quod Deus & homo est, pérque communicationem idiomatum quidquid agit humanitas Deo tribuitur, & quidquid diuinitas, homini: designatur enim reuera duplex illa coniunctim operatio quam diximus.

Aduerte autem, dum iidem Patres asserunt passiones & operationes Christi fuisse humano generi salutares, quòd Theandricæ essent, id est, cum increata & diuina Dei operatione coniunctæ in vno eodémque Verbi supposito, eos aliud nihil velle, quàm illas habuisse valorem illum infinitum, ratione cuius de condigno satisfactoriæ pro peccatis nostris fuerunt, nobísque meritoriæ, habuisse, inquam, ab increata Dei operatione, seu volitione, non vt secundùm nostrum intelligendi modum à natura diuina vt natura est distinguitur, sed vt a parte rei in Deo est, quæ sic in eo est, vt sit ipse Deus, ipsaque diuinitas: à qua vnita hypostaticè humanitati profluxisse tanquam à prima radice prædictum illum valorem sexta nostra disputatione probauimus. Confirmatúrque ex eo quòd, vt ibidem ostendimus, ille ipse valor dependens fuit ab infinita humanita-

D VIII.

tis ſanctificatione: ſanctificabatur autem hæc infinitè per diuinitatem, non vt formaliter volitio eſt, ſed vt natura & diuinitas.

Quòd ſi loquamur de miraculoſis operibus, quæ Chriſtus loquutione, tactu, aliáve ſimili ſuæ humanitatis operatione perficiebat, dicamúſque actiones has fuiſſe cæcis, ſurdis, ægris, mortuis, quibus per eas viſus, auditus, ſanitas, vita reſtituebatur, ſalutares, quòd Theandricæ eſſent, id eſt, cum increata Dei volitione, qua volebat per ipſas illa edi miracula, coniunctæ, id verum erit, ſpectata illa volitione increata vt formaliter volitio eſt, non vt natura, ſeu diuinitas. Illæ enim humanitatis Chriſti actiones, loquutio, tactus, & ſimiles, reſtitutionem viſus cæcis, & huiuſmodi miraculoſos effectus non attingebant ex vi naturali volitionis voluntatis humanæ, aut naturæ, ſed diuinitatis, cui tanquam cauſæ principali coniungebantur in his miraculoſis effectibus patrandis vt inſtrumenta, ſiue phyſica, ſiue moralia: diuinitas autem miraculoſos effectus alióſve ad extra non producit vt natura eſt, ſed vt volitio, quia agit ad extra per omnipotentiam ſuam Deus, non prout eſt, alioquin ageret neceſſariò, ſed prout vult, cùm quidquid ad extra facit, faciat libere.

I.

II.

Atque cùm hactenus probauerimus traditam citato artic. 1. à ſancto Doctore, Catholicámque doctrinam, de duplici in Chriſto operatione, vna diuinæ naturæ voluntatíſque propria, altera humanæ: nunc cum eodem ſequenti articulo concludimus, vnicam in Chriſto eſſe operationem humanam, ſeu quæ proprie humana dicatur, ſicut & in quolibet noſtrum vnica huiuſmodi operatio eſt. Cuius concluſionis veritas certa eſt, ſiue ſenſus ſit, in eo ſecundùm humanam naturam ſpectato eſſe vnicum tantùm principium operationis humanæ, vt humana eſt, ſeu cum libertate facta, quod principium eſt humana voluntas libera formaliter: quam in ipſo ſecundùm humanam naturam conſiderato vnicam eſſe, ſicut in alijs ſingulis hominibus certum eſt: ſiue ſenſus ſit, in eodem ſecundùm eandem naturam conſiderato eſſe vnam tantùm operationem humanam, operationis nomine intelligendo ſolum humanæ voluntatis affectum liberum, vi ſua mouentem facultates alias humanitatis ad proprios actus exercendos, hos autem non operationes vocando, ſed opera facta, ſeu operata: ſicut enim in Chriſto homine, vt homo eſt, vnica eſt humana voluntas, ita & vna humana volitio: non quidem vna, vel in indiuiduo, vel in ſpecie, ſed in genere. De qua humana Chriſti actione docet idem S. Doctor ſequentibus articulis eam & ipſi Chriſto, & aliis meritoriam eſſe potuiſſe: quam eius doctrinam aliáque multa ad Chriſti meritum pertinentia ſequentes de ipſius merito diſputationes explicabunt.

III.

IV.

DISPVTATIO XLIV.

Per quos actus Chriſtus mereri potuerit?

SECTIO PRIMA.

Vtrùm per actus præceptos?

PRÆSVPPONITVR per aliquos mereri potuiſſe: potuit enim ſaltem per eos moraliter bonos, qui nec erant charitatis erga Deum, nec in præcepto: nulla enim illis actibus defuit conditio ad meritum neceſſaria, ex certiſſima omnium Theologorum doctrina, etſi non ſit eadem omnium de conditionibus ad meritum neceſſariis ſententia. Hoc autem præſuppoſito, grauis in primis difficultas eſt, vtrùm per actus præceptos mereri potuerit. Ratio difficultatis petitur ex abſoluta & antecedente impeccabilitate quam habuit ex clara ſaltem Dei viſione, ſicut & cæteri beati, cum qua impeccabilitate non videtur potuiſſe conſiſtere libertas in exercendis præceptis actibus, ſine qua tamen nullum in iis meritum eſſe potuit. Et ſanè cùm illa impeccabilitas ab eo in quo eſt, excludat omnem peccandi potentiam, excluſit per conſequens à Chriſto omnem omittendi actus imperati poteſtatem, alioquin ab eo peccandi potentiam non excluſiſſet: quia ſicut omiſſio actus imperati peccatum eſt, ita potentia omittendi eſt potentia peccandi. Quod ſi potentiam omittendi actum imperatum excluſit à Chriſto, hic illum non potuit omittere: ergo non potuit non exercere: ergo liber in exercendo non fuit.

A

V.

B

VI.

Præſupponit autem hæc difficultas Chriſtum habuiſſe obligationē ex præcepto actus aliquos exercendi: de quo dubitandum non eſt, cùm ex communi conſenſu Theologorum poſitiuum à Patre præceptum acceperit de morte ſubeunda pro genere humano, quod ſignificauit apertè ipſe Chriſtus Ioannis cap. 10. illud nominans Patris ſui *mandatum*: colligitúrque non obſcurè ex multis aliis Scripturæ teſtimoniis, iiſque nominatim quibus eius ad mortem vſque obedientia commendatur. Qua de re etſi nullum à Patre præceptum accepiſſet, nec vllo alio poſitiuo fuiſſet aſtrictus, fuiſſet tamen illis affirmatiuis, quæ legis naturalis propria ſunt, cùm omnem & quamlibet humanam naturam neceſſariò obligent.

C

VII.

In hac autem difficultate ſoluenda, tuendáque Chriſti impeccabilitate ſimul & libertate in his præceptis actibus exercendis neceſſaria ad merendum in eorum exercitio, non omnes Theologi conſentiunt: licet omnes in eo conſentiant, ipſum in iis exercendis meruiſſe, habuiſſéque proinde ſufficientem in eorum exercitio libertatem.

Primus autem iſtius difficultatis ſoluendæ modus eſt eorum, qui dicunt Chriſtum fuiſſe ſimpliciter liberum in exercitio actus præcepti, quia ſimpliciter & abſolutè fuit indifferens vt actum illum exerceret, ex ſoláque hypotheſi præcepti neceſſitatem habuit eius exercendi, ſeu fuit ita determinatus ad exercendum, vt non poſſet non exercere: neceſſitatem autem ex hypotheſi non obſtare libertati. At refellitur, eo quòd, vt oſtendimus in Tractatu de gratia, diſput. 6. ſect. octaua, omnis hypotheſis quæ ponitur independenter à noſtra libera poteſtate,

D

VIII.

posita autem ita determinat voluntatem nostram ad operandum, vt non possit non operari, eripit ipsi in operando libertatem, & infert necessitatem oppositam libertati: talis autem fuerit hypothesis præcepti à Deo Patre impositi Christo de obeunda morte pro genere humano: ex hac enim hypothesi ita fuerit determinatus ad volendum mori, vt non potuerit non velle: aliunde verò hæc hypothesis independenter ab eius libera voluntate posita fuerit, quia dependenter à sola Patris voluntate fuit hoc illi moriendi præceptum impositum, sicut sola eiusdem voluntate præcepta nobis ab eo imponuntur.

I. A

Secundus est illorum qui admittentes hanc hypothesim inferre agendi necessitatem oppositam libertati, dicunt hypothesim præfati de subeunda morte præcepti fuisse positam dependenter à libera Christi voluntate, quòd per hanc ille à Patre petierit, vt sibi illud præceptum imponeret. At refellitur in primis, quia etsi saluari sic eius libertas possit in exercitio actus per positiuum Dei præceptum imperati,

II. B

non tamen in exercitio actuum præceptorum per legem naturalem: cùm illa lex & eius obligatio ponatur independenter à libera Dei vel illius quem obligat voluntate, sed ex rei natura, & necessariò, præsuppositа eius qui ea obligatur existentia.

Deinde, quia ne sic quidem satis saluatur Christi libertas in exercitio actus per præceptum positiuum imperati: si enim non alio modo quàm isto saluatur, fuerit quidem liber in desiderio præceptum à Patre accipiendi, in petitione quoque præcepti, meruerítque illud tum desiderando, tum petendo: at vbi semel præceptum acceperit, nullam de reliquo libertatem ad illud implendum habuerit, nec eo proinde tempore quo impleuit, libere impleuerit: quia suppositа semel impositione præcepti,

III. C

& ab eo tempore quo impositum fuerit, ita iuxta huius secundi modi authores determinatus fuerit ad imperatum actum exercendum, vt non potuerit non exercere: quoties autem aliquod opus in nostra libera potestate fuit initio, postea autem sub ea nullo modo manet, si fiat eo tempore quo non manet, non est pro eo tempore capax bonitatis, aut malitiæ moralis, meritíque ac demeriti, vt constat ex iis quæ fiunt ab ebriis, aut dormientibus, tempore somni, aut ebrietatis: quæ quidem eo tempore non sunt capacia prædictæ bonitatis, aut malitiæ, meriti, aut demeriti, quia tunc temporis non manent in eorum libera potestate, licet in hac eorum potestate fuerint antequam se somno darent, aut ebrietati, cùm liberum eis esset dare se illi, vel

IV. D

non dare.

At inde capiet fortè quispiam occasionem saluandi Christi libertatem in exercitio actus imperati, dicendo hypothesim prædicti præcepti non solùm initio fuisse in eius libera potestate, cùm imponi sibi præceptum petierit, sed etiam semper & continuè, cùm quolibet tempore huius præcepti dispensationem à Deo Patre postulare, & obtinere potuerit. Verùm in primis hoc modo saluatur vt summum eius libertas in exercendo actu qui antea præceptus fuerat, at non qui sit maneátque præceptus dum exercetur: cùm tamen defendenda sit eiusdem libertas in exercendis actibus præceptis, retinentibus conditionem denominationemque hanc, dum exercentur, vt defendi possit aliquod in eius obedientia meritum, quæ non est nisi circa actus qui præcepti sunt eo tempore quo fiunt: & quod in illa meritum apertè Apostolus agnoscit, dum ad Philippenses 2. postquam de illo dixit: *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, subiungit: *Propter quod & Deus exaltauit illum*, particula, propter quod, tantæ obedientiæ meritum procul dubio designante.

V.

Deinde etsi valeret ad tuendam Christi libertatem in exercitio actuum præceptorum per præcepta positiua, non tamen ad tuendam in exercitio præceptorum per præcepta iuris naturalis, cùm in hæc dispensatio cadere nequeat, vt Tractatu de iustitia & iure disputat. 2. sect. 2. probatum est.

Tertius est quorundam recentiorum, docentium de ratione præcepti in genere esse quidem, vt afferat obligationem ei cui imponitur faciendi id quod præcipitur, itavt si id non fecerit, sit huic obligationi defuturus, at non esse, vt afferat faciendi quod imperatum est obligationem sub culpa, vel pœna: hincque consequenter dicentium, Christum ex præceptis sibi à Patre impositis nullam habere potuisse sub peccato obligationem faciendi quod præcipiebatur, cùm impeccabilis esset, ipsúmque proinde non obstantibus illis præceptis, non obstante quoque antecedente quam habebat impeccabilitate, fuisse simpliciter liberum, vt actus præceptos exerceret, quia poterat adhuc eos non exercere, nec tamen poterat propterea peccare: sicut etsi non exercuisset, non propterea peccasset, cùm ad exercendum nullam sub peccato haberet obligationem.

VI.

VII.

In hac ego doctrina refutanda hîc non immorabor, cùm prædicto de iustitia & iure Tractatu sect. 1. citatæ 2. disputat. fusè ostenderim, nullum esse posse præceptum, siue positiuum, siue iuris naturalis, quod non obliget sub reatu vel culpæ, vel pœnæ: posse præterea creaturam prorsus impeccabilem præcepto aliquo obligari sub culpa, imo reipsa Christum Dominum quibusdam præceptis, ac saltem negatiuis vetantibus id quod intrinsecè malum est, fuisse sub culpa obligatum. Quod si ita est, dubitandum non est, quin & affirmatiuis aliquibus, non solùm iuris naturalis imperantibus id quod intrinsecè bonum est, & omitti sine peccato non potest, sed etiam merè positiuis obligari similiter sub culpa potuerit, reipsáque ita fuerit obligatus præcepto positiuo moriendi pro genere humano, cùm vna quidem ex parte quodlibet, vt dixi, præceptum sub reatu vel pœnæ vel culpæ obliget: ex altera verò, sit absurdum existimare, præceptum illud moriendi positiuum fuisse purè pœnale, seu obligasse sub pœna duntaxat.

VIII.

SECTIO II.

Optimus propositæ difficultatis soluendæ modus declaratur.

I. QVARTVS. & optimus modus est is quem Gregorius à Valentia ad quæst. hanc D. Thom. 19. punc. 2. §. *Magis igitur approbo*, Gab. Vasq. disput. 74. cap. 5. multique alij recentiores iam amplectuntur, & quem olim videntur amplexi D. Thom. variis locis, vt quæst. 18. artic. 4. ad 3. in 3. sent. distinct. 18. quæst. 1. art. 2. in prima solutione quinti argumenti, & quæst. 9. de veritate artic. 6. ad 1. & Alexander 3. parte quæst. 16. memb. 2. artic. 2. Consistit autem iste modus in eo quòd etsi ratione impeccabilitatis suæ Christus caruerit libertate obseruandi & non obseruandi præceptum affirmatiuum, quo ad aliquem actum exercendum obligabatur, quia non potuit illud absolutè omittere, liber tamen fuit, eo non obstante, vt ex pluribus modis quib. illud obseruari poterat, hoc determinatè modo, vel illo alio determinatè obseruaret. Verbi II. causa, cùm posset impositum sibi moriendi pro genere humano præceptum implere variis ex motiuis, vt ex proprio charitatis erga Deum, aut ex proprio charitatis erga homines, alteriúsve virtutis, liber erat vt imperatam mortem acceptaret & sustineret ex quolibet istorum motiuorum, vel non ex illo acceptaret, sed ex alio. Præterea ex vno potiùs quàm alio acceptans liber erat, vt actu voluntatis tam intenso acceptaret, vel alio remissiore: quia præcepto illo affirmatiuo non præcipiebatur ipsi nisi vagè seu in genere mortis acceptatio, non autem acceptatio ex hoc vel illo determinate motiuo, cum tanta vel tanta determinatè actus intensione, sicut & nobis per præcepta affirmatiua non imperatur nisi vagè & indeterminatè substantia III. actus.

Ex quo intelligitur, nos libertatem Christo tribuere non tantùm circa circunstantiam aut modum actus quo impositum sibi præceptum obseruaret, sed etiam circa eiusdem actus substantiam, non numericam solùm, sed specificam quoque: non est enim idem numero secundùm substantiam voluntatis actus intensus & remissus: multóque minùs est idem numero elicitus ex proprio motiuo virtutis vnius, & ex proprio alterius diuersæ speciei: cùm vtriusque actus entitas seu substantia non modò numericè, sed etiam specificè diuersa sit.

Et quamuis externus actus, verbi causa, eleemosynæ, aut externa tormentorum mortisque perpessio, sit idem in entitate physica actus, quocunque ex formali motiuo, quocunque item ex IV. actu voluntatis, siue intenso, siue remisso exerceatur: quia tamen in genere actus virtutis aut vitij, boni aut mali moraliter diuersus est, pro diuersitate interni actus voluntatis per quem imperatur, cùm ad genus istud non pertineat, nec quidquam bonitatis aut malitiæ moralis meritúque proinde aut demeriti habeat, nisi dependenter ab interno illo actu, sanè sicut liberum fuit Christo, vt ex hoc aut illo diuerso secundùm substantiam etiam specificam actu interno mortem pateretur, aut aliud affirmatiuum præceptum impleret: ita liberum fuit, vt hoc aut diuerso externo actu impleret: diuerso, inquam, si non in entitate physica, at saltem in genere actus virtutis honestique formaliter, ac meritorij.

Ex dictis colligitur primò, quod etiamsi fuisset imperatum Christo motiuum ex quo mortem acceptare, aut quiddam aliud facere debebat, liber tamen fuisset in obseruatione præcepti, dummodo non præciperetur certa ac determinata actus intensio: imo liber extitisset, etsi tam motiuum, quàm intensio, cæteræque omnes actus circunstantiæ imperatæ fuissent, dempta vnica circunstantia temporis. Quoniam enim liber fuisset vt hoc determinatè præsenti, verbi causa, tempore substantiam actus imperati produceret, vel non produceret, si produxisset, liberè haud dubiè produxisset, præceptumque proinde impleuisset. At si pro libertate sua totum tempus quo præceptum implere poterat elabi permisisset, excepto momento vltimo quod ad illud implendum supereresset, liber illo momento non esset in exercendo actu, quo præceptum obseruasset, quia eo casu ipsa quoque circunstantia temporis præciperetur: vnde cùm supponamus alias omnes actus circunstantias esse præceptas, omnes omnino præceptæ essent: qui autem est prorsus impeccabilis, vt fuit Christus, si præceptum accipit actum aliquem imperans, & omnes illius actus conditiones ac circunstantias, nullam habere potest libertatem in eo exercendo, cùm impeccabilitas eripiat ei libertatem non faciendi quod imperatum est. V. VI.

Neque hinc concludas, Christum ergo non fuisse vllo modo liberum in obseruatione mandati quod à Patre acceperat, cùm mandato illo præceptæ fuerint omnes actus conditiones & circunstantiæ, vt colligitur ex his ipsius Christi verbis, Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Nam nullus hominum est VII. qui præceptum affirmatiuum implens, quod à superiore, siue Deo, siue homine accepit, non possit vere dicere, Sicut mandatum dedit mihi superior, sic facio: quod dum dicit, non propterea significat omnis actus quem exercet, & quo præceptum implet, conditiones ac circunstantias fuisse sibi præceptas: sed significat tantùm, se nihil eorum omittere quæ superior imperauit. Quod tantùm etiam significauit Christus, dum illud dixit: qui si dixisset, Sicut facio, sic mãdatum dedit mihi Pater vt faciam, visus fuisset significare, se de iis omnibus & singulis in particulari faciendis quæ faciebat accepisse mandatum à Patre, at non ita dixit, sed eo modo quo retulimus.

Colligitur secundò, Christum in negatiuis præceptis obseruandis liberum non fuisse, nec VIII. in eorum proinde obseruatione meruisse: nec mirum quòd nihil meruerit, cùm nullus in iis obseruandis, etsi liber sit, mereri quidquam possit: sicut enim hæc vetant tantummodo actum aliquem malum, ita pura negatione seu omissione actus, atque adeo merè negatiuè sic habendo, obseruantur: meritum autem in pura negatione actus esse non potest, quia ex essentia sua inuoluit actum positiuum, non qualemcunque, sed liberum, bonúmque

moraliter. Ideo autem in illis obseruandis liber non fuit, quia nec libertatem habuit vt ea violaret, & proinde male ageret, sicut nos habemus, qui propterea liberi in eorum obseruatione dicimur, & sumus: nec potuit non omittere omnia, quorum omissio per illa præcepta præcipitur: pura autem omissione rerum illarum præcepta illa seruantur. I.

Nec dicas, Christum ea seruasse exercendo positiuè bonos voluntatis actus, quibus illa violare nolebat, & his positiuis actibus, vtpote bonis, & liberis meruisse: meruit enim reuera, sed per hos actus, si propriissimè loqui volumus, præcepta illa non seruauit, cùm, propriissimè loquendo, eo actu non seruetur præceptum, qui non est in præcepto: actus autem illi positiui non sint in præcepto, seu non præcipiantur per præcepta illa negatiua; vtpote quæ purè prohibent actum aliquem malum, & proinde nihil aliud quàm puram omissionem alicuius actus mali præcipiunt.

SECTIO III. II.

Vtrùm meruerit per actum amoris erga Deum?

PRIMA sententia negat, secunda affirmat. Primam amplectitur Vasq. disp. 74. cap. 3. ob hanc rationem, quòd vnicus in Christo fuerit actus amoris erga Deum, idémque ex clara Dei visione ortus, hic autem sit summè etiam quoad exercitium necessarius. Secundam defendit Suar. disp. 39. sect. 2. defendunt & alij multi, præsertim recentiores, præter veteres quos ibidem ipse citat, & Gab. Vasq. citatæ disp. cap. 2. Defenditur autem hæc secunda sententia duobus modis. Primus est Suaris ibi: Caietani hac 3. parte quæst. 11. art. 1. Barthol. Medinæ quæst. 19. artic. 4. ad finem secundæ quæstionis de tribus quas in illum articulum proponit: Ferrar. lib. 3. contra Gentes cap. 62. & Soti libro 3. de Nat. & Gratia, cap. 7. duos amoris erga Deum actus in Christo admittentium: vnum qui quoad exercitium fuit necessarius, nec proinde meritorius: alterum qui liber, & consequenter meritorius. Secundus est aliorum qui postea citabuntur, vnicum in eo amoris actum agnoscentium, eundémque sufficienter liberum vt esset meritorius. III.

In hac ego controuersia dico primò, iuxta secundam sententiam, Christum per actum amoris erga Deum meruisse. Quod hoc argumento probo efficaciter. Fuit in eo liber aliquis actus amoris erga Deum: ergo per hunc actum meruit. Consequentiæ bonitas certa est: tota enim ratio propter quam negari potest per illum meruisse, est, quòd ille liber non fuerit. Antecedens ex eo probo, quòd dubitandum non est, quin Christus aliqua bona creata, vt hominum salutem, aliáque huiusmodi, Deo propter ipsummet Deū velle potuerit, & reipsa voluerit: hic autem actus est amoris erga Deum, vt constat, idémque liber est: ad amanda enim Deo bona creata nullam habet creata voluntas necessitatem, etiam ex hypothesi claræ visionis Dei: nam hæc affert vt summum necessitatem amandi ipsi bona IV.

increata, seu perfectiones ei intrinsecas, vtpote continentes omnem omninò boni rationem. Nec sanè mirum, quòd creata voluntas ab illa visione ad creata bona Deo volenda non necessitetur, cùm nec ipse Deus ad hæc eadem sibi volenda necessitatem ab increata & comprehensiua sui cognitione habeat. A V.

Quod quidem argumentum nostrum suam semper vim obtinebit, siue dicatur vnicus amoris in Christo actus erga Deum, siue multiplex: actus enim ille quo amauit Deo propter ipsum Deum bonum aliquod creatum, siue fuerit idem numero cum eo quo eidem Deo amauit intrinsecas & increatas ipsius Dei perfectiones, siue diuersus, fuit liber, cùm, vt probaui, nulla sit hæc amandi Deo bona in voluntate necessitas.

Dico secundò, non esse ponendos in Christo duos amoris erga Deum actus, eo modo quo ponit loco citato Suarez, quorum scilicet vnus sequatur scientiam beatam, & hic sit beatificus, ac necessarius, nec proinde meritorius: alter scientiam infusam, & sit liber, ac proinde meritorius. In primis enim supposito quòd per vtramque scientiam idem obiectum & bonum cognoscatur: supposito item quòd per vtrumque amoris actum idem omnino bonum Deo ametur, aut neuter istorum actuum est amor beatificus, aut vterque est: aut neuter item est liber & meritorius, aut vterque est. Ratio est, quia vterque scientiam beatam & infusam simul sequitur. Vnde si primus ideo beatificus & necessarius dicitur, quia sequitur scientiam beatam, secundus quoque dici debebit, cùm eandem sequatur: aut si secundus iste non debet dici beatificus ac necessarius, eo quòd infusam scientiam sequitur, nec primus dicendus est, cùm hanc eandem sequatur. B VI.

Ideo autem quilibet duorum istorum actuum sequitur vtramque scientiam, nec vnus illorum vnam potiùs quàm alteram, quia voluntatis actum circa aliquod obiectum sequi ad scientiam aliquam, seu actum aliquem intellectus, non est actum illum ab hoc actu effectiue produci: nam nec intellectus, nec intellectio in voluntatis actus efficienter influit, vt ex Philosophia præsuppono, sed est, eum ab illo dirigi: dirigi verò nihil est aliud, quàm per illum conuenienter & debitè voluntati repræsentari obiectum, & inexistentem ei bonitatem, à qua mouetur, vt in illud per actum suum feratur: vtraque autem scientia de qua loquimur, beata scilicet & infusa, támque vna quàm altera sic repræsentat voluntati obiectum ac bonum in quod fertur per quemlibet actum amoris erga Deum ex his duobus quos exercere dicitur, quandoquidem, vt expresè supponimus, per vtramque scientiam idem obiectum & bonum voluntati repræsentatur, Deoque amandum proponitur, & per vtrumque amoris actum idem quoque bonum ei amatur. C VII.

Deinde etti supponamus per scientiam infusam non cognosci illam omnem perfectionem, quæ per priorem amoris actum Deo diligitur, & hic proinde actus scientiam illam non sequatur: licet etiam supponamus per posteriorem actum amoris Deo diligi bonum aliquod creatum, D VIII.

quod per priorem ipsi non diligitur, fatendum nihilominus est, iut per scientiam beatam non cognosci bonum quod diligitur Deo per posteriorem amoris actum, aut hunc actum æquè ac priorem illum sequi scientiam istam. Nam si per eam cognoscitur, æquè repræsentabit & proponet voluntati obiectum in quod ipsa fertur per posteriorem actum amoris, atque repræsentat & proponit eidem obiectum in quod fertur per priorem : ac proinde posterior æquè ac prior scientiam illam sequetur. Vnde si prior est beatificus, ac necessarius, quia illam sequitur, posterior quoque ob eandem causam erit.

I.

Denique non sunt simul ponendi duo amoris actus in humana Christi volũtate circa idem obiectum materiale ex eodem motiuo formali, propter duplicem eius scientiam, vnam beatam, alteram infusam: quia non multiplicatur solo numero voluntatis actus circa idem obiectũ materiale ex eodem formali motiuo ob solam multiplicem cognitionem intellectus: propterea quod cognitio repræsentans volũtati obiectũ in quod fertur, & motiuum ex quo in illud fertur, habet tantùm rationem cõditionis sine qua non, & regulæ dirigentis: multiplicatis autem conditionibus his aut regulis facultatem aliquam circa vnũ & idem obiectum dirigentibus, non propterea multiplicantur actus huiusce facultatis solo numero differentes: vnde multiplicata numero visione alicuius obiecti per vtrumque oculum, non propterea sensus internus duplicem numero sensationem circa illud obiectum visum simul exercet, licet visio per oculum sit conditio sine qua non ista sensatio exerceretur. Nec cùm multa præcepta simul nobis aliquid aut prosequendũ, aut fugiendum proponunt, in eiusq. proinde vel prosecutione vel fuga nos dirigunt, tot simul circa illud actus aut prosecutionis, aut fugæ elicimus, quot præceptis in eo prosequendo fugiendó ve tanquam regulis simul dirigimur.

II.

III. Dico tertio, si visio beatifica voluntatem ad amandum Deum ita necessitat, vt ab illo numero charitatis actu quem primo momento beatitudinis elicit, cessare nunquam possit, duos in Christo simul fuisse amoris erga Deum actus: præter hunc enim ita necessarium alius liber admittendus est, quo bona aliqua creata Deo dilexit, vt suprà probauimus.

Nec dicas, Christum vnico eodémque numero actu dilexisse Deo bona creata & increata simul, húncque actum fuisse necessarium, quatenus erat amor bonorum istorum, liberum, quatenus illorum. Etsi enim verissimum putem, vnico actu tam illa bona quàm hæc posse Deo diligi, fieri tamen non potest, quin actus ille vel totus sit liber, vel totus sit necessarius, & quin proinde vel sit liber, quatenus etiam est amor bonorũ

IV. increatorum, vel necessarius, quatenus est amor bonorum creatorum: non enim secũdùm vnam sui partem est amor bonorum illorum, & secundùm alteram istorum, seu secundùm se totum, & quamlibet sui partem est amor vtrorumque simul: sicut visio qua duo colores videntur, aut vnus diuisibilis & extensus per subiectum, est secundùm se totam, & quamlibet sui partem, visio coloris vtriusque, vel omnium partium vnius illius qui videtur.

Neque instes totum esse liberum, & totum necessarium simul, sed diuersa ratione : liberum quidem, respectu bonorum creatorum : necessarium vero, respectu increatorum. Nam id contradictionem implicat : fieri enim non potest, vt eadem numero entitas respectu quorumcunque obiectorum sit libera simul & necessaria : quia libera dicitur, cùm oritur à potentia indeterminata & indifferente ad eam producendam, vel non producendam : necessaria verò, cùm oritur ab ea determinata ad producendam, itavt non possit non producere : inuoluit autem manifestam contradictionem, vnam eandémque potentiam, respectu vnius numero actus, esse sic determinatam simul & indeterminatam.

A V.

Dico quarto, nihil esse necesse duos erga Deum amoris actus in Christo ponere, vt defendatur ipsum meruisse per actum amoris Dei. Ratio est, quòd defendi rectè possit ipsum meruisse per eum amorem qui beatificus dicitur, atque vi visionis beatificæ à beatis elicitur. Et sanè si defendi rectè potest actum illum non fuisse simpliciter & absolutè necessarium, sed è contrario liberum, ritè defendi potest fuisse quoque

B VI. meritorium, cùm solius libertatis defectu videri possit ac debeat non meritorius. Atqui defendi illud rectè potest : non eo tamen modo quo defendunt Nominales, asserentes amoris actum in beatis esse quidem necessarium quoad specificationem, at quoad exercitium esse ita liberum, vt in eorum libera potestate sit eum elicere, vel non elicere, & postquam elicuerunt intermittere, atque ab omni amoris erga Deum actu aliquandiu abstinere. Suppono enim iuxta communem Theologorum doctrinam traditam à S. Thoma primæ secundæ quæst. 4. visionem beatificam afferre voluntati necessitatem amandi Deũ etiam quoad exercitium, itavt beato nulla suppetat potestas nullum huiusmodi actum exercendi, aut postquam exercuit aliquem, eum interrumpendi, & ab omni cessandi.

C VII.

Neque eo etiam modo quo quis defendere posset, dicendo Christum per potestatem miraculorum qua præditus fuit, potuisse pro voluntate sua ab vno singulari actu amoris beatifici ad alium numero transire : tum quia pari iure dici posset, per eandem potestatem potuisse ipsum pro arbitrio actum amoris semel elicitum sic interrumpere, vt ab omni aliquandiu cessaret : tum quia facilè negari posset eum habuisse potestatem hanc actus amoris semel eliciti vllo modo interrumpendi, vt neque habuit intermittendi actum visionis beatificæ, siue sic intermittendo, vt ab omni visionis actu cessaret aliquandiu, siue sic, vt nunquam quidem ab omni cessaret, sed ab hoc numero ad alium numero transiret.

SECTIO IV.

D VIII.

Verus id defendendi modus explicatur.

VERVS ergo id defendendi modus est, dicendo beatificum amorem cõsiderari posse dupliciter : primo vage, vt nimirum est hic aut ille numero : secundò determinatè, nempe vt hic numero est : & priori quidem modo esse necessarium, posteriori verò liberum : quia necessarium quidem est, vt qui Deum clarè videt,

illum amet aliquo amoris actum hoc vel illo, nec in eius potestate est nullum elicere, aut semel elicitum sic interrumpere, vt ab omni cesset aliquandiu: at eidem liberum est, vt amet hoc determinate amoris actu, vel illo alio determinatè, itavt nullus sit determinatus amoris actus quem non possit vel elicere, vel non elicere, & quem posteaquam elicuit non possit non interrumpere, transeundo ad alium numero eodem instanti temporis quo prior ille desinit. I.

Quod quidem cuilibet creaturæ Deum clarè videnti liberum esse, colligitur valde probabiliter ex his principiis præsuppositis, quorum nullum est quod magnam saltem non habeat probabilitatem. Primum est, beatos eodem numero actu posse amare Deo bona tam increata eíque intrinseca, quàm creata aliqua & extrinseca: tum quia dicendum alioquin esset, aut beatos non amare Deo per charitatem bonum vllum creatum, quod incredibile est, aut si amãt, duos saltem amoris actus habere, quorum vno amant ipsi bona increata & intrinseca, altero, quo creata & intrinseca: quod alienum à communi Theologorum sensu est: tum quia possumus vni homini diligere vno actu bona multa simul: alioqui si neque ipsi, neque Deo multa simul bona diligere per eundem numero actum possemus, tot simul erga eum amoris actus exercere deberemus, quot numero bona ei propter ipsum diligimus: quod & per se improbabile est, & communi omnium iudicio repugnat. II.

Secundum est, non posse esse eundem numero actum amoris, quo amentur Deo vno tempore vel instanti bona aliqua tantùm, & quo postea tam hæc quàm aliqua alia simul: sicut non potest esse eadem numero visio, qua videatur Deus solus vno tempore vel instanti, & qua postea ipse & creatura aliqua simul cum ipso: cuius rei ratio à nobis allata est prima parte, Tractatu de Deo, disput. 22. III.

Tertium est, beatos nullam habere necessitatem, etiam ex hypothesi claræ Dei visionis, diligendi Deo bona omnia creata quæ ipsi diligunt, aut diligere possunt: cuius principij veritas ex paulò antè dictis constat.

Quartum est, dum alicui personæ, cui iam per verum amorem beneuolentiæ bonum aliquod amabatur, nouum quoddam bonum amari incipit, illúdque simul quod eidem antea iam amabatur, non exerceri duos simul amoris erga personam illam actus: vnum qui sit amor solius istius noui boni, alterum qui sit amor continuatus solius illius alterius boni, sed priorem illum amoris actum desinere, & nouum incipere quo vtrumque simul bonum illi personæ amatur: alioqui dicendum in primis esset, tot exerceri simul amoris actus numero diuersos erga personam aliquam, quot illi diuersa numero bona diligimus. Deinde beatos aut à principio beatitudinis amare Deo vnico amoris actu tam increata bona quàm creata omnia, quæ vnquam ipsi amaturi sunt: & sic nunquam amaturos bona illa, quorum subinde speciales extra Verbum reuelationes accipiunt: aut si amant aliquando, exercere simul multos erga ipsum amoris actus, & quidem tot simul, quot ipsi subinde bona diligere incipiunt, dummodo IV.

A

B

C

D

vnum post aliud ipsi diligere incipiant, & dum secundum diligere incipiunt, primum adhuc quod antea diligebant, diligant.

Quibus ex principiis colligitur euidenter, in primis beatos initio suæ beatitudinis esse liberos, vt illum determinatè singularem amoris actum exerceant, vel non exerceant, quem de facto exercent. Vel enim actus iste est amor, quo Deo bona tantùm increata diligunt, vel quo creata etiam aliqua simul. Si primum, cùm in illorum libera potestate sit amare Deo bona creata, ex tertio principio, vnicóque numero actu tam hæc bona quàm increata ipsi diligere possint, ex primo principio, nec idem numero actus esse possit quo sola increata bona Deo diligunt, & quo bona aliqua creata simul, ex secundo: manifestè sequitur, potuisse non exercere illum numero determinate actum amoris erga Deum, quem de facto exercuisse supponuntur, & quo ipsi bona solùm increata dilexisse dicuntur: quandoquidem sicut ex libertate sua potuerunt ipsi diligere tam bona creata quàm increata simul, ita per consequens potuerunt non illum, sed alium numero exercere actum quo vtraque simul bona ipsi diligerent. Quòd si secundum dicatur, patet hunc amorem esse liberum, cùm bona creata beati Deo libere diligant, possintque proinde illum actum non elicere quo illa ei diligunt, sed eum alium quo eidem sola increata bona diligerent. V.

VI.

Colligitur deinde ex iisdem principiis æquè euidenter, beatis liberum quoque esse, interrumpere amorem beatificum initio beatitudinis elicitum, & ad alium numero transire, sicque progressu beatitudinis actus amoris beatifici variare. Ex tertio enim principio liberum ipsis est bona creata Deo diligere, ac proinde diligere ipsi subinde quædam bona creata quæ antea non diligebant, diligendo simul ea quæ antea iam illi diligebant: idque non solùm facere vnico numero actu possunt, ex primo principio, sed etiam reipsa vnico facient, dum actu omnia illa simul ei bona diligent, ex quarto: neque hic actus idem numero erit cum eo qui antea exercebatur, & quo non diligebatur ei bonum aliquod ex iis quæ iam ipsi diliguntur, ex secundo: ergo liberum illis est amoris actum quem priùs exercebant intermittere, & ad alium numero transire: qui de nouo elicitus amoris actus si est amor quo sola bona increata Deo diligantur, poterit pro eorum libertate ab iis commutari in eum quo tam hæc bona quàm creata simul ipsi diligentur: sin autem est amor, quo tam hæc quàm illa bona simul amantur, poterit ab iisdem pro eorum arbitrio commutari, vel in eum quo noua simul ipsi quædam creata bona amentur, quæ antea non amabantur, vel in eum quo sola increata amentur. Ex quibus patet, quid ad argumentum Gabr. Vasq. initio præcedentis sectionis relatum respondendum sit. VII.

VIII.

Nec dicas primò, non esse liberum beatis actum beatificæ visionis interrumpere, & ad alium numero transire: ergo nec amoris beatifici. Non enim valet consequentia, propter disparem huius & illius actus rationem. Nam ideo illius visionis actum variare non possunt, quia necessitate rapitur intellectus eorum à lumine

gloriæ, non solùm ad hunc numero actum visionis eliciendum, qui primo momento beatitudinis elicitur, sed etiam perpetuò continuandum, cùm subinde ac progressu temporis plura aut pauciora non videant, nec videre possint de Deo vel in Deo, quàm videant reipsa primo illo momento: at è contrario hunc amoris actum variare possunt, quia ex bonis creatis modò nulla, modò aliqua, modò plura, modò pauciora diligere ei pro arbitrio possunt, vt probauimus.

I.

Neque secundò dicas, nostram hanc de libertate amoris beatifici doctrinam repugnare communi Theologorum doctrinæ, quæ est, amorem hunc necessarium esse: plerique enim illorum solùm docent contra Nominales eum necessarium esse non tantùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, quia beati non possunt quin semper aliquem amoris actum exerceant: quod nos quoque docemus: simul tamen asserentes, illis esse liberum, aut hunc determinatè, aut determinatè illum alium singularem exercere, ab vnoque transire ad alterum: quod pauci hactenus Theologi negarunt,

II.

aut falsum esse supposuerunt: imò verum esse sensit, & præsuppositit Diuus Thomas, Capreolus item, Paludanus, Scotus, & Altisiodorensis locis mox citandis. Cùm enim sanctus ille Doctor hac quæstione 19. articulo tertio ad 1. non obscurè indicarit Christum per amorem beatificum dum viator esset meruisse: id ipsum autem clarè docuerit in 3. sent. distinct. 18. quæstione 1. artic. 2. ad 2. & quæstione 29. de Veritate, articulo 6. ad 6. idem quoque senserint Capreolus citata distinctione in fine, Paludanus ibidem quæstione secunda, artic. 2. Scotus quæstione vnica §. *inista quæstione.* & Altisiodorensis libro 3. Summæ, Tract. 1. cap. 7. nec id de amore illo sentire potuerint, nisi senserint eum fuisse liberum, non senserint autem

III.

eo fuisse modo liberum quo Nominales esse voluerunt, cùm expressè contrariam iis hac in parte sententiam teneant, restat vt eo modo liberum esse voluerint, quo nos liberum esse defendimus.

A

B

C

D

noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio, vt facerem voluntatem tuam Deus: in qua voluntate sanctificati sumus, ait Apostolus. Sed vt rectè Vasquez citato capite 2. locus iste non est ad illud probandum satis efficax, quia præter sanctum Thomam vix vllus aut ex Patribus, aut Scripturæ Interpretibus reperitur, qui particulam, *tunc*, ibi positam referat ad primum instans conceptionis Christi, velitque hunc ipso primo momento sui in istum mundum per Incarnationem ingressus dixisse verba quæ ex Apostolo retulimus: sed referunt communiter omnes ad totum tempus Incarnationis, & per ingressum eius in hunc mundum intelligunt totum tempus quo vixit inter homines mortalis, solumque volunt, eum illa dixisse verba quæ relata sunt eo tempore quo mortalis in hoc mundo degebat: siue dixerit ipso primo momento suæ conceptionis, siue non: de quo Apostolus non videtur fuisse sollicitus.

V.

Adde quòd per voluntatem in qua sanctificati fuisse dicimur, non est intelligenda Christi voluntas offerentis vltro se ad mortem pro nobis subeundam, sed ex Chrysostomo, Theodor. Theophylact. Anselmo, & sancto Thoma in illum Apostoli locum, intelligenda est voluntas Dei Patris, quam vt faceret Christus, venit in mundum: cuius voluntatis mentionem paulò antè fecerat verbis istis: *Vt facerem voluntatem tuam Deus.* Per hanc autem Dei voluntatem dicit Apostolus nos fuisse sanctificatos, quia per eam voluit Christum pati & mori pro nobis, vt per meritum passionis eius & mortis sanctificaremur, hócque reipsa factum est.

VI.

Probatur ergo assertio efficaciùs ex eo quòd si potuit Christus primo illo momento mereri, negandum non est meruisse, cùm id ad maiorem eius dignitatem pertineat, magisque commendandam eiusdem erga nos charitatem, quòd nostram salutem iam intrinsecè ab ipso primo vitæ suæ momento procurare cœperit. Vnde etiam cùm multi citati ab eodem Gabriele Vasquez capite 1. prædictæ disputationis meruisse tunc negent, nullus tamen eorum negat, nisi quia existimat fieri non potuisse vt tunc mereretur: at tunc potuit mereri: tunc enim habuit actum tam scientiæ beatæ, quàm per se infusæ, independentem natura sua à sensibus & phantasmatis, ex quo voluntas eius operari potuit liberè circa obiectum aliquod ei repræsentatum per hanc aut illam, aut vtramque scientiam. Et sanè si non obstante illa scientia nullum liberum voluntatis actum exercere tunc potuit, maxime quia voluntas primo momento quo est, liberè velle nihil potest, at posse ostendi 1. parte ad art. 5. quæst. 63. in Tractatu de Angelis, disputat. 50.

VII.

Secunda assertio. Christus infantiæ suæ tempore meruit: tum quia hoc etiam tempore actum amoris beatifici exercuit, sicut & visionis beatificæ: hic autem amor fuit meritorius, vt superiori disputatione probatum est: tum quia si mereri eo tempore potuit, negari non debet meruisse, ob allatam paulò antè rationem: potuit autem, quia tunc temporis actum scientiæ beatæ & infusæ habuit, ex quo liberè voluntas eius operari potuit.

VIII.

DISPVTATIO XLV.

Quo tempore Christi meritum cœperit, durauerit, desierit?

SECTIO PRIMA.

Quid sit sentiendum declaratur, & probatur.

IV.

PRIMA assertio. Christus mereri cœpit à primo momento suæ conceptionis intrinsecè, ita vt illo ipso momento meruerit. Ita D. Thomas infra quæst. 34. artic. 3. Caietanus, & recentiores Thomistæ ibidem, quos citant & sequuntur Vasquez, & Suarez: ille disputat. 75. cap. 2. hic verò disputat. 39. sect. 3. Probant non pauci ex his ad Hebræos 10. verbis: *Ideo ingrediens* (nempe Christus) *in hunc mundum dicit, Hostiam & oblationem*

Vnde facilè soluitur ratio Durandi, qui vnus ex Theologis omnibus eum meruisse tunc negat in 3. distinct. 18. quæst. 2. quòd existimet tunc mereri non potuisse, quia infans ob imperfectionem organorum, imperfectúmque vsum sensuum non potest habere perfectum illum vsum intellectus & rationis qui ad meritum prærequiritur: hæc enim ratio solùm euincit, non potuisse in Christo infante, organa imperfecta & sensus more cæterorum habente, esse vsum rationis dependentem à sensibus & phantasmate, & proinde meritum ab iisdem aliquo modo dependens. I.

Adiungo Patres duos, S. Ambrosium scilicet, & Bernardum, huic Durandi sententiæ apertè repugnantes, nostræ autem assertioni suffragantes: quorum prior lib. 2. in Lucam, & in hæc verba capitis 2. *Factum autem est cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret*, sic loquitur: *Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea illæ lachrymæ delicta lauerunt.* Præmiserat autem illum fuisse pannis inuolutum, vt mortis laqueis solueremur: illum in diuersorio locum non habuisse, & iacuisse in præsepio, vt in cœlo sedem haberemus: nostra autem peccata Christi lachrymæ non abluunt, nisi per modum meriti, vt constat: nec aliter item quàm per modum meriti carentia commodi diuersorij, & præsepis humilitas ac angustia quam elegit, nobis à mortis laqueis solutionem, aut in cœlis habitationem procurauit. II.

Posterior verò serm. 1. de Circuncis. Domini sic ait: *Quis hominum tantæ sibi non dicam gloriæ, sed vel innocentiæ conscius æquanimiter circuncidentis manum admitteret? Christus vero quæ non rapuit patienter exoluit.* Quibus verbis apertè significat, Christum infantem toleraſſe Circuncisionem voluntariè & patienter, & per hoc patientiæ suæ meritum exoluisse quæ non rapuerat, seu pretium pro delictis nostris soluisse: totum autem quod pro iis soluit pretium, fuit per modum meriti, vt ex suprà dictis constat. III.

Tertia assertio. Christus toto vitæ suæ tempore continuè & sine vlla intermissione meruit, à primo momento inclusiuè, vsque ad instans suæ mortis exclusiuè. Ita Suarez & Vasq. citati, communitérque cæteri, qui primo conceptionis instanti eum mereri potuisse, atque adeo meruisse concedunt. Probatur autem primò, eo quòd continuè & sine vlla intermissione fuit in actu aliquo amoris erga Deum, sicut & beatificæ visionis: hic autem amor fuit in illo meritorius, vt superiori disputatione probauimus.

Secundò, quia si continuè mereri toto illo tempore potuit, negandum non est meruisse, ob rationem prima assertione allatam: atqui potuit ob eandem causam quæ ibidem allata est, quia nimirum tempore tam somni quàm vigiliæ continuè fuit in actu aliquo scientiæ tam beatæ, quàm infusæ, ex quo continuè bonum aliquem volũtatis actum liberè exercere potuit. Imò nullus toto illo tempore videtur elicitus ab humana Christi voluntate actus, qui non fuerit liber, & bonus, & proinde meritorius: liber quidem, quia nullus fuit necessarius ex iis causis, ex quibus multi sunt in nobis necessarij, videlicet ex defectu aduertentiæ rationis, & ex eo quòd rationem aliquando libertátemque præueniant: fuit enim semper in Christo, siue per scientiam beatam, siue per infusam, siue per acquisitam, perfecta rationis aduertentia: nullúsque vnquam in eius appetitu etiam sensitiuo motus exortus est, qui rationem & libertatem præuenerit, sed omnis ex eius imperio elicitus est, vt ex suprà dictis notum est: bonus verò, quia cùm quæcunque liberè faciebat, facere ex honesto motiuo facillimè posset, non dubium quin fecerit. A V.

Quare cùm permultos voluntatis actus & numero & specie differentes toto illo de quo loquimur tempore exercuerit, dicendum consequenter est, illius tot numero diuersa merita fuisse, quot numero distinctos actus bonos liberè exercuit: quibus singulis actibus cùm de condigno redemptionem nostram mereri potuerit, ac reipsa meruerit illis omnibus diuisiuè sumptis, quos in eum finem ordinauit, passioni tamen eius & morti speciatim nostra redemptio tribuitur, non quòd ea sola illam condignè meruerit, sed tum quia omnia eius præcedentia merita quibus eandem meruit, passione eius & morte tanquam vltimo merito terminata & consummata sint: tum quia non nisi dependenter ab illa effectum & præmium redemptionis humanæ sunt consequuta: cùm nullis antecedentibus Christi meritis statuisset Deus Pater retribuere præmium istud, nisi passione & morte terminarentur, & consummarentur, statuisset autem, imò promisisset reddere in præmium passionis & mortis, vt & communis ac certa Theologorum doctrina est, & constat multis Scripturæ testimoniis, quorum aliqua & à Gabr. Vasquez citatæ disput. 75. cap. vltimo referuntur, & à nobis suprà relata sunt. B VI.

Quarta assertio. Christus à momento suæ mortis inclusiuè mereri desiit, itavt neque momento illo, neque deinceps quidquam meruerit. Ita sanctus Thomas huius 19. quæstionis artic. 3. ad 1. & infrà quæst. 50. artic. 6. ad 2. communitérque tam antiquiores quàm recentiores Theologi, quotquot hactenus de tempore quo Christus mereri desiit egerunt. Probant autem non pauci ex eo quòd conditio viatoris ad meritum requiritur: Christus autem eo momento viator esse desiit. Verùm hæc conditio in primis necessaria non est ad merendum aliis, vt cònstat ex Beatis qui suis orationibus multa nobis gratiæ dona à Deo impetrant, & proinde merentur: vis enim impetrandi quæ in oratione est, aut aliquo alio opere bono, meritum eius est, vt in Tractatu de gratia disput. vltima sect. 1. probatum est, nominatímque ex S. Augustino epistola 105. disertis verbis docente remissionem peccatorum non esse sine aliquo merito, si fides eam impetrat. Deinde nec necessaria est ad merendum sibi cultum ab aliis, celebritatémque ac venerationem sui nominis: quis enim neget Angelos nostros custodes, verbi causa, curam quam gerũt nostræ salutis mereri aliquem eiusmodi cultum ac venerationem à nobis? C VII.

IV. D VIII.

Vera ergo ratio propter quam Christus nihil sibi à tempore de quo loquimur, meruit eorum ad quæ sibi merenda conditio viatoris necessaria est, vt suppono ex dictis disput. 14. prædicto in Tractatu de Gratia, est, quòd ab eo tempore viator absolutè esse desierit. Ratio autem ob quam ne celebritatem quidem sibi nominis ac I. A V.
veneration em à nobis meruit, intelligetur ex ratione ob quam nihil à prædicto tempore nobis meruit. Ratio autem huius rei est, quòd ad merendum aliis requiratur, vt disput. 6. probauimus, operis boni pro illis directio seu oblatio: Christus autem neque illo mortis suæ momento, neque deinceps vllum bonum suum opus pro nobis obtulit aut direxit: ideo autem nullum obtulit, offeretve in futurum, quia negotium humanæ redemptionis ac salutis perfecit omnino, dum mortalis inter mortales ageret, vt apertè significant hæc Apostoli verba de ipso Christo ad Hebr. 10. *Hic autem vnam pro nobis offerens hostiam in sempiternum sedet in dexterâ Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius: vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* II. B VI.
Et ista capitis 9. *Christus autem assistens Pontifex, &c. per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.*

Quod si nunc in cœlo nobis aliquid mereretur, aut à tempore suæ mortis esset meritus, nostram redemptionem & salutem non omnino peregisset, dum mortalis inter homines viueret: tandiu enim illam perageret, quandiu nobis aliquid mereretur. Nam redemptionem nostram aliter non peragit, aut peregit, quàm eam nobis condignè merendo, aut donum aliquod ad eandem pertinens. Quòd si nostram adhuc salutem & redemptionem à morte sua perageret, merendo nobis illam, aut aliquid illius, falsò diceret Apostolus, illum vnica sui corporis in cruce oblatione consummasse sanctificatos, falsò item eundem inuenisse redemptionem humanam per effusum proprium in passione sanguinem. Nam eo ipso quæreret adhuc iustificationem sanctificatorum, ac hominum redemptionem, quo adhuc illam mereretur. III. C VII.

Et hinc patet ratio, ob quam Christus ab instanti suæ mortis non est meritus venerationem sui nominis, & exaltationem: ideo enim meritus non est, quia non nisi opere redemptionis illam promeretur: vnde cùm hoc opus passione sua ac morte perfecerit consummaritque, nec vllo iam opere suo bono nobis illam redemptionem, aut aliquid ad eam pertinens mereatur, nullo quoque iam opere venerationem illam & exaltationem meretur.

SECTIO II.

IV. D VIII.

Soluuntur argumenta contraria.

POSTREMAM hæc petunt nostræ doctrinæ partem vltima assertione traditam. Primum est. Christus pro nobis nunc orat in cœlo, non quomodocunque, sed petendo formaliter à Patre, vt nobis gratiæ suæ dona conferat, sicut ante mortem suam petebat: ergo etiam nunc aliquid nobis meretur: cùm vna quidem ex parte, eo ipso quo quis pro alio orat, hoc orationis suæ bonum opus pro ipso dirigat: ex altera verò, in qualibet Christi oratione pro nobis facta non possit non esse vis impetrandi condigne quod pro nobis petit, ac proinde condignum huiusce rei meritum. Probatur autem antecedens primo ex illis omnibus Scripturæ locis, quibus dicitur ipse Christus interpellare pro nobis, & esse noster apud Patrem aduocatus: deinde ex Patribus, ac nominatim ex Iustino Martyre libro quæstionum à Gentibus propositarum quæst. 105. ex Gregorio Magno in Psal. 5. pœnitentialem non procul ab initio, & ex Bern. serm. de Natiu. Virginis, ante medium. Tertiò authoritate S. Doctoris, secunda secundæ quæst. 83. art. 11. non solùm docentis sanctos in cœlo orare pro nobis, sed etiam id confirmantis exemplo Christi, qui vt ad Hebræos cap. 7. dicitur, accedit per semetipsum ad Deum, interpellando scilicet & orando pro nobis.

Respondeo negando antecedens, cuius falsitas constat in primis authoritate multorum antiquorum Patrum, quos citat & sequitur Vasq. disput. 82. capite præsertim 2. in quo perspicua eorum, ac nominatim Nazianzeni, Chrysostomi, Augustini, & Gregorij Magni refert ad verbum testimonia. Constat deinde hac ratione, quòd nimirum si Christus in cœlo pro nobis oraret eo genere orationis de quo in antecedente mentio est, mereretur haud dubiè nobis de condigno donum illud quod peteret, vt ex consequentiæ probatione intelligitur: non est autem dicendum ipsum nunc mereri nobis aliquid à Deo, vt paulò antè probauimus.

Ex quo falsitatis arguitur eorum responsio, qui dicunt Christum orare quidem in cœlo pro nobis, nihil tamen nobis de nouo mereri, quia non orat ad aliquid nouum nobis impetrandum, sed ad impetrandum id quod ante mortem condignè promeruit. Nam si virtute orationis suæ id impetrat, rursum nobis illud ipsum meretur: vis enim impetratoria rei alicuius existens in oratione meritum eius est, vt paulò ante diximus.

Neque verò dici potest ipsum in cœlo orare pro nobis, sed nihil oratione sua mereri & impetrare. Nam superflue pro nobis orabit, si oratione sua nihil nobis impetrat, aut meretur, oratque sciens se nobis nihil per eam merituram, aut impetraturum: quod profectò scit, cùm futura omnia certò nouerit. Nec valet quod dici posset, inter homines eum qui ab alio quidpiam meritus est, non superflue orare illum vt accipiat quod promeruit: sanè enim superflua est hæc oratio, si is à quo præmium meruit, reddere decreuit, & promisit, nec magis illa oratione noua permouendus est ad reddendum, quàm si non oraretur, ille autem qui orat sciat non permouendum, nec de voluntate eius ac promissione diffidat, aut vllam in eo promissionis factæ, aut meriti sui obliuionem pertimescat.

Quibus omnibus, in confirmationem doctrinæ quam hîc tradimus, quòd nimirum Christus in cœlo non oret pro nobis, eo genere orationis de quo in prædicto antecedente sermo est, hoc vnum breuiter adiungo: quòd nusquam hactenus Ecclesia orauerit Christum, vt deprecetur Deum pro nobis, cùm id petere soleat à sanctis, sed ipsum rogare cõsueuerit, vt nostri misereatur:

hac sua tam constanti perpetuáque consuetudine satis indicans, se non existimare, eum orare nunc in cœlo pro nobis, quemadmodum alij sancti orant.

Nec dicas Christi dignitatem obstare quo minus deprecemur ipsum, vt pro nobis oret in cœlo, cùm si verè orat, nec id eius dignitati derogat, recte possimus nihil eiusdem dignitati derogantes deprecari vt pro nobis oret, sicut idipsum poteramus cùm in terris degeret, eo quòd verè tunc temporis oraret: quod etiam Martha fecit Ioan. 11. sic ipsum alloquens, *Scio quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*: Quam tamen ob rem à nemine reprehenditur, aut reprehendi meritò potest.

I. Iam ad primam illius antecedentis probationem respondeo, cùm Christus in Scripturis dicitur noster apud Patrem aduocatus nunc esse, nunc interpellare ipsum, seu intercedere pro nobis, aduocationis, interpellationis, & intercessionis nomine non esse intelligendam nouam orationem factam verbo mentis aut oris, qua petat aliquid à Patre pro nobis: sed aut ipsam

II. suæ humanitatis repræsentationem coram oculis eius in cœlo, iuxta illud Apostoli ad Hebræos 9. dicentis Christum introisse in cœlum, *vt appareat vultui Dei pro nobis*: aut antiqua Christi merita, & orationes quas pro nobis fudit, dum esset mortalis: quæ cùm adhuc in cœlis coram Deo permaneant, totámque eam efficacitatem & dignitatem obtineant, quam obtinebant dum funderentur in terris, dicitur adhuc per eas ipse & intercedere, & interpellare, & aduocationis munere fungi pro nobis, tandiúque dicetur, quandiu supererit aliquid propter eas, aliáque eius merita dandum hominibus: aut denique tam has orationes & merita, quàm illam humanitatis simul repræsentationem. Quo sensu intellecta fuisse à citatis suprà Patribus illa Scripturæ loca quibus dicitur Christus interpellare

III. pro nobis, aut esse noster in cœlo aduocatus, clarum est ex eorum verbis quæ refert Vasq. citata disput. 82. cap. 2. & duobus sequentibus. Vnius Francofordiensis Concilij instar omnium erunt nobis verba clarissima, quæ in eo legeram antequam vllo alio in authore reperissem: sunt autem deprompta ex libello sacrosyllabo circa medium, eiusdem Concilij authoritate edito, & misso ad Hispaniæ Episcopos, nominatimque ad Elipandum Toletanæ sedis Episcopum: quibus verbis illius Concilij Patres explicates quomodo Christus nunc sit in cœlo noster apud Patrem aduocatus, sic de ipso Christo inquiunt: *Cum enim naturam nostram quam in se assumpsit, in dextera Patris collocatam ostendendo patri incessabiliter manifestat, propitium eum nobis aduocatus noster quasi interpellando efficit, & benignum.*

IV. Ad secundam fateor D. Iustinum videri in contraria nobis esse sententia: sed ei tam multos alios antè citatos Patres opponimus. Quod ad SS. Gregorium & Bernardum attinet, aliósque, qui propter similem loquendi modum quo illi vsi sunt, nobis æquè obiici possent, dico exponendos eo modo esse quo Scripturam paulò ante exponendam diximus.

Nec dicas, Bernardum, saltem sic exponi rectè non posse, cùm postquam dixit, si veremur ad Deum Patrem orando accedere, accedendum nobis esse ad Christum, qui noster est apud ipsum mediator, & qui pro sua reuerentia exaudietur, subiungat, si veremur vel ad ipsum Christum accedere, nobis esse ad Mariam Christi Matrem accedendum, quam pro sua etiam reuerentia exaudiet Filius. Etsi enim hæc subiungat, non propterea tamen significat Virginem Matrem ita fore nostram apud Filium mediatricem, vt ab eo petat, vt ipse pro nobis Patrem suum noua oratione interpellet. Neque etiam significat, petendum nobis à Filio esse, vt sic pro nobis intercedat apud Patrem suum, si ad Patrem ipsum veremur accedere, quemadmodum verentes ad Filium accedere, ad Matrem accedimus, eámque rogamus, vt apud illum noua pro nobis oratione intercedat: sed tantùm significat, Matrem fore mediatricem nostram apud Filium, quia eum pro nobis orabit, & impetrabit id quod petet, quod verum est: Filium autem esse nostrum mediatorem apud Patrem pro nobis ipsum interpellantem, & ab ipso exaudiendum: quod item verum est, etsi non interpellet noua oratione, sed antiqua, ac etiam repræsentatione suæ humanitatis, aut vtraque simul, vt ante explicatum est, sitque propter hoc genus interpellationis exaudiendus.

V. VI.

Ad tertiam dico, non obscurum esse ex verbis S. Thomæ in corpore articuli 11. ipsum non afferre Christi per semetipsum accedentis ad Deum exemplum, vt doceat, ipsum nunc noua oratione Patrem orare pro nobis, ex eóque confirmet Sanctos in cœlis orare sic pro nobis Deum, sed tantum eo fine illud afferre, vt doceat, conuenire beatis, orare Deum pro nobis, eóque magis conuenire, quò sanctiores sunt, Deóque proinde propinquiores. Quod confirmat exemplo Christi, qui cùm sanctitate & charitate Deo proximus esset, orauit pro nobis toties dum viueret inter homines, & nunc etiam orat: at non noua oratione, sed eo modo quo antea dictum est.

VII.

Secundum argumentũ est, meruisse Christum per inflictum corpori suo iam mortuo lanceæ vulnus, cùm multi Patres, qui videri possunt apud Suarem disput. 39. sect. 3. §. *Contra secundo*, docere videantur ex hoc vulnere manasse Ecclesiæ sacramenta, eorúmque efficacitatem ad abluenda peccata, & gratiam producendam: quæ profecto efficacitas cùm non aliunde quàm ex Christi meritis fluxerit, si fluxit ex hoc vulnere, oportet hoc meritorium fuisse, Christumque per illud meruisse.

Respondeo primò, potuisse quidem Christum ante mortem mereri per vulnus illud sibi mortuo infligendum, & per effusionem sanguinis ex eo fluxuri, quod futurum præuidit, & libentissimè acceptauit: qua in acceptatione fuit formaliter meritum, quo nostram redemptionem, & sacramentorum efficacitatem meruit, aut mereri potuit: quod meritum ipsi vulneri tanquam obiecto postea tribuitur, licet nullum in eo formaliter meritum fuerit: sicut & meritum quod fuit in voluntaria mortis acceptatione, qua dum viueret futuram mortem acceptauit, morti tribuitur tanquam obiecto, licet in ea, seu in animæ à corpore separatione nullum meritum extiterit. At non potuisse mereri per illud vulnus

VIII.

eo tempore quo inflictum fuit, itavt tunc temporis externa illa vulneris receptio esset in se meritoria, eo modo quo aliæ ipsius viuentis actiones & passiones externæ erant in se meritoriæ, & in nobis viuentibus meritoriæ esse possunt: & hoc quidem ob eandem causam, ob quam nos mortui per ea quæ circa mortua corpora nostra ab aliis fiunt, nihil meremur eo tempore quo hæc fiunt, hæcque secundùm se meritoria non sunt. I. A

Respondeo secundò, Patres dicentes sacramenta manasse de latere Christi lancea vulnerato, velle manasse, non secundùm prædictam efficacitatem quam habent, sed secundùm significationem: quia nimirum ex illo manarunt sanguis & aqua: quibus significata esse volunt duo Ecclesiæ sacramenta, Baptismum scilicet, & Eucharistiam.

Quòd si quis dicat, hinc solùm haberi, duo sacramenta manasse de Christi latere secundùm significationem, quia duo solùm per aquam & sanguinem ex eo profluentem significata sunt. Responderi poterit in primis, ad illa duo, quorum vnum ianua, alterum consummatio cæterorum omnium sacramentorum est, cætera omnia reuocari. II. B Secundò non sola duo, sed septem Ecclesiæ sacramenta secundùm significationem ex Christi latere manasse, quia latus illud apertum instar fontis fundens ex se aquam & sanguinem, significauit Christum in cruce passum & mortuum, esse fontem merito suæ passionis & mortis fundentem remedia nostræ salutis: de quorum numero sunt præcipuè septem Ecclesiæ sacramenta.

Respondeo tertiò, plerosque Patres dicentes ex Christi latere fluxisse sacramenta, non loqui de sacramentis Ecclesiæ per quæ gratiam consequimur, sed de ipsa aqua & sanguine quæ ex illo fluxerunt, quæ sacramenta vocant, quòd fuerint sacra mysteria, seu sacra signa significantia vel duo baptismata, vnum aquæ, alterum sanguinis, vt aliqui ex iis interpretantur: vel duo sacramenta, baptismi scilicet, & Eucharistiæ, vt aliqui alij: vel denique baptismum, & pretium nostræ redemptionis: quorum illud prius aqua, istud posterius sanguine fuisse significatum non pauci ex iis malunt. III. C

dens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. Et Apocalyp. 5. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, diuinitatem, sapientiam, fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Quo loco per virtutem, diuinitatem, sapientiam, fortitudinem, intelligitur virtutis, diuinitatis, sapientiæ, fortitudinis manifestatio, confessio, & laudatio: & his verbis, *qui occisus est*, idem significatur quod istis, quia occisus est: vt satis ex verbis paulò ante præcedentibus intelligitur, quibus de eodem Christo Domino Ioannes dixerat, *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo.* Atque vt his locis Apocal. particulæ *quia* & *quoniam* causam meritoriam significant, sic eandem significat particula, *propter*, posita locis illis aliis ex Apostolo citatis, iuxta communem Interpretum expositionem, Patrumque doctrinam. V. Ex quibus Chrysost. in prædictum ex epistola ad Philipp. locum initio moralis expositionis sic ait. *Extremam Christus præstitit obedientiam, propterea accepit & supremum honorem.* Ambrosius verò in eundem ex eadem epist. locum sic scribit, *quid, & quantum humilitas mereatur ostendit.* August. denique, vt cæteros omittam, tract. 104. in Ioannem, explicans verba loci illius sic loquitur, *Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* VI.

Nec contra vim habent illa Scripturæ loca quibus Caluinus existimans Christum nihil sibi meruisse, sed tantùm nobis, ad id probandum vtitur, sùntque ea quibus ipse Christus pro nobis in hunc mundum venisse, laborasse, passionem ac mortem sustinuisse dicitur: his enim sicut ita significatur primarius finis ob quem incarnatio Verbi decreta a Deo & facta est, qui fuit salus humani generis & redemptio, vt non excludatur secundarius: sic quoque ita significatur Christi pro nobis laborantis & patientis meritum quo nobis meretur, vt non excludatur meritum quo sibi meretur, cùm eodem opere & sibi, & nobis mereri potuerit. VII.

Nec maiorem vim habebit id quod fortè quispiam dicet, gloriam corporis, & nominis exaltationem Christo fuisse iam aliunde debitam, nempe ratione hypostaticæ vnionis. Nam quod alio iam titulo debitum est, sub meritum cadere potest, cùm præsertim debitum quo aliunde iam debitum est, non est strictæ iustitiæ debitum, cuius reuera non fuit illud quo Christo gloria corporis, & exaltatio nominis titulo vnionis hypostaticæ debebatur: qui profectò mereri nihil potuisset, si quod ei titulo illo debitum est sub nullum eius meritum cadere posset: cùm nulla res sub eius meritum cadere potuerit, qua non fuerit dignissimus ratione prædictæ vnionis, & quæ proinde illi eiusdem vnionis titulo non deberetur, debito non strictæ iustitiæ, sed decentiæ & dignitatis. VIII.

Porrò sub gloria corporis, quæ beatitudo accidentalis est, quam Christus meruit, comprehenditur animæ impassibilitas opposita illi pas-

DISPVTATIO XLVI.

Quid sibi Christus meruerit?

SECTIO PRIMA.

An sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem meruerit? IV.

CONSENTIVNT aduersus vnum Theologi omnes Christum hæc duo sibi meruisse: quod & iis Scripturæ testimoniis probatur. Lucæ 24. *Nonne sic oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Ad Hebræos 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Ad Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum factus obe-*

sibilitati, quam habuit mortale Christi corpus informans: quod quandiu informauit, obnoxia fuit, sicut & nostræ, tristitiis, aliisque similibus internis humanæ voluntati passionibus, à quibus clara Dei visio, ex eáque consequens eiusdem Dei fruitio naturaliter illam exemisset, nisi
I. dispensatione diuina ac miraculo impedita fuisset, vt Christus pro nobis non solo corpore, sed etiam animâ pateretur, & vtriusque passionibus nos redimeret: à quibus haud dubiè impassibilitatem consequuta est anima eius, statim ac soluta corpore est, cùm tunc nihil restaret ipsi patiendum ad perficiendum opus nostræ redemptionis, vt pote quod perfectum fuit eo momento quo soluta eius cum corpore vnio est: quam impassibilitatem etiam eo ipso consequuta est, quo Deus beatificam sui visionem fruitionémque naturæ suæ reliquit, abstuliteque miraculum, quo tristitiam, similesque passiones naturaliter cum ea incompossibiles, simul tamen cum ea in ea cooperante ipsa producebat & conseruabat. Quam denique impassibilitatem eo ipso meruit, quo meruit, vt Deus istud
II. auferret miraculum, & illam visionem fruitionémque suæ naturæ relinqueret.

Quo non tantùm modo dici potest meruisse dotes glorioſi corporis quas in resurrectione sua primùm habuit: non enim illæ sequuntur ex animæ Deum clarè videntis gloria ac beatitudine, naturali quadam necessitate, & efficacitate physica gloriæ ipsius animæ, sicut sequitur prædicta eiusdem animæ impassibilitas: sed solùm per modum congruitatis cuiusdam & dignitatis, qua qui Deum clarè videt, dignus est ob illam beatitudinem, vt consequenter gloriam corpo-
III. ris accipiat: & qua ob eandem Deo congruum est, vt illam conferat. Vnde meruit Christus illam gloriam, non purè merendo, vt auferret Deus impedimentum obstans ne illa ex animæ beatitudine deriuaretur in corpus, sed directè merendo, vt Deus efficaci voluntate per physicam & positiuam actionem illam conferre vellet, & conferret.

Sub eadem quoque gloria corporis, quam Christus passione sua promeruit, comprehendenda est resurrectio eiusdem corporis, quam item meruit, vt expresse docet S. Thomas infrà quæst. 53. art. 4. ad 2. docentque alij cum ipso Theologi, docuerátque antea D. August. in illud Psalmi 109. *De torrente in via bibet*, sic inquiens, *quia humiliatus est, propterea eum Deus exaltauit à mortuis.* Comprehendenda præterea est ascensio in cœlum, & triumphus cum quo illa perfecta est. Iudiciaria denique potestas, ac de cœlo reditus in fine sæculorum cum
IV. gloria & maiestate ad iudicandum: tam enim ob passionem suam dignus his rebus procul dubio fuit, quàm resurrectione, gloriáque corporis resurgentis: nec minùs certum esse debet Deum has illi res decreuisse in præmium meritorum, quàm resurrectionem istam, ac gloriam rediuiui corporis. Quod quidem de iudiciaria illa potestate docet expresè D. Thomas infra quæst. 59. art. 3. & Vigilius Episcopus & Martyr lib. 5. contra Eutychetem, qui est in Tomo 5. Bibliot. sacræ, inter ea quæ Christus meruit potestatem illam enumerans, dum sic post medium scribit, *De potestate quoque & gloria regni, & iudicij authoritate, quam ex tempore, ob meritum passionis, secundùm naturam carnis accepit, aliqua dicamus.*

Sicut autem hæc quæ recensuimus hactenus gloriâ corporis comprehenduntur, ad eámve pertinent: ita pertinent ad exaltationem nominis præclara omnia de Christo testimonia, vel hominum, vel Angelorum, vel etiam ipsius Dei Patris: cuius testimonia præclarissima fuerunt duo illa quæ contigerunt in baptismo, & Transfiguratione, dum dixit, *Hic est filius meus dilectus.* Inter Angelorum verò testimonia reponi debet ipsorum in eius Natiuitate cantus & laudatio: confortatio quoque facta tempore passionis ab eo qui illi apparuisse refertur, Lucæ 22. supposita illa sententia, quæ asserit confortationem illam fuisse fortitudinis eius prædicationem & laudem, qua de re disput. 30. sect. tertia, supra diximus. Inter hominum denique testimonia recensenda sunt Pastorum, & Magorum adoratio, & Prophetarum oracula, quæ licet tempore Christum præcesserint, eius tamen in meritum cadere potuerunt, sicut & gratia Patribus antiquis data, imò ipse prophetiæ spiritus datus Prophetis, quem haud dubiè ex eius meritis acceperunt.

Pertinent quoque ad eandem nominis exaltationem multæ Incarnationis circũstantiæ tempore ipsum aut comitantes, aut antecedentes: cuiusmodi fuerunt hæ, quòd annunciatus ab Angelo fuerit: quòd ex Matre quæ Virgo esset, conceptus sit: quòd ex Regum sanguine ortum duxerit: illæque similiter omnes quæ ita fuerunt Christo honorificæ, vt simul essent aliquod peculiare gratiæ beneficium collatum hominibus: quale fuit illud antiquorum Patrum, ac Regum, qui meruerunt, vt ex suâ ipsorum stirpe Christus carnem sumeret: illud quoque B. Virginis, quod virginitatis dõnum habuerit, eaque illæsa genuerit. Nam licet hæ circunstantiæ Christum tempore antecesserint, cùm tamen ipsi non fuerint merendi principium, nec ex parte principij istius prærequisitæ fuerint, sub eius merita cadere potuerunt: & quòd reipsa ceciderint iudicandum est, sicut & alia antè memorata ad nominis eius exaltationem pertinentia, cùm omnium eadem ratio sit, earúmque præsertim rerum, quæ sic ad exaltationem nominis eius pertinuerunt, vt simul essent aliqua gratiæ beneficia collata hominibus: cùm à peccato primi parentis nullum eiusmodi sit collatum ipsis beneficium, nisi ex illius meritis.

SECTIO II.

An visionem beatificam, habitualem item gratiam sanctificantem sibi meruerit?

QVOD ad illam visionem attinet, Altisiodorensis lib. 3. Tract. 1. cap. 7. Maior in 3. dist. 18. quæst. 2. & nonnulli alij affirmant meruisse. At negant D. Thomas, Albert. Caiet. Palud. aliique permulti, quos citant & sequuntur Vasquez, & Suarez, ille disput. 78. cap. 2. hic verò disput. 40. sect. 2. Qua de controuersia dicendum in primis puto, quòd si Christus aliquo tempore vel instanti temporis clara Dei

V. VI. VII. VIII.

visione caruisset, illam mereri de condigno potuisset, cùm nos possimus: & reipsa metuisset bonis suis operibus, cùm nos nostris elicitis in statu gratiæ sanctificantis reipsa mereamur: futurúmque esset, vt omnia eius opera bona elicerentur ab ipso existente in statu sanctitatis, cùm
I. eius humanitas diuinitate tanquam forma infinite sanctificaretur, vt supra disput. 23. probauimus. A

Dicendum secundò, supposito quod claram Dei visionem semper habuerit, vt semper habuisse disput. 25. probatum est, eum illam nec esse promeritum, nec promereri potuisse de potentia etiam absoluta. Cuius rei ratio repetenda est ex tradita à nobis doctrina prima secundæ ad quæst. 114. Tractatu de gratia, disputatione 14. de conditionibus ad meritum requisitis: cuius in sectione prima ostendimus vnam ex conditionibus necessarius ad meritum essentialis beatitudinis, quæ in illa clara Dei visione consistit, esse statum viatoris carentis illa beatitudine, extra quem est qui illam habet, éstque
II. proinde comprehensor: qualis semper fuit Christus, cùm semper Deum clare viderit, vt hîc supponimus, & citato iam loco probauimus. B

Ex quo colligitur, quòd si ipse à principio gloriam seu beatitudinem corporis habuisset, sicut habuit animæ, illam mereri non potuisset, vt neque hanc potuit, & ob eandem causam: quòd videlicet sicut ad hanc animæ gloriam promerendam requiritur status viatoris ea carentis, ita ad illam corporis promerendam status item viatoris ea carentis requiritur. Quæ causa est, ob quam animæ iam beatæ essentiali beatitudine, nec illam, nec illius augmentum merentur, aut
III. mereri possunt: & post resurrectionem corporum homines tam secundùm corpus quàm animam beati, gloriam corporis, aut eius incrementum mereri similiter non poterunt: sicut & Christus nunc secundùm corpus etiam beatus corporis beatitudinem aut huius augmentum beatitudinis nec meretur, nec mererr potest. C

Iam quod spectat ad habitualem gratiam sanctificantem, negat S. Thom. quæst. 19. art. 5. in Corp. Christum eam sibi meruisse, supponens quod verum est, illum ea nunquam caruisse: quo supposito, sentiendum est, nec meruisse, nec mereri potuisse. Qui enim est in statu gratiæ habitualis sanctificantis, ac simul in statu beatitudinis essentialis suæ illi gratiæ adæquatè respondentis, gratiam illam, aut illius incrementum mereri non potest, id impediente statu illo beatitudinis: alioqui possent nunc Angeli beati, animæ item beatæ mereri gratiam illam, aut incrementum illius, & reipsa iam & in futurum tota æternitate mererentur per opera bona quæ libere exercent in statu beati-
IV. tudinis: quia si mereri possent, nulla esset ratio negandi quin de facto mererentur. D

Adde quòd qui existens in prædicto statu gratiæ habitualis, simúlque beatitudinis mereri posset illam gratiam, aut reipsa mereretur, simul posset mereri, ac reipsa mereretur essentialem beatitudinem illi gratiæ respondentem: quia cùm gratia illa sit natura sua semen istius gloriæ seu beatitudinis, & hac dignum formaliter efficiat eum in quo illa est, tantóque maiore dignum, quanto maior ipsa est, fieri non potest, vt qui condignè gratiam illam meretur, non hanc etiam gloriam ei respondentem condignè mereatur. Vnde nunc quoque quisquis hominum meretur illam de condigno gratiam, meretur quoque istam gloriam, tantóque maiorem, quanto plus illius gratiæ meretur. Quare cùm nemo mereri sibi possit essentialem beatitudinem, aut
V. illius incrementum, in statu beatitudinis istius existens, vt iam diximus, sequitur, vt nullus existens in statu gratiæ habitualis sanctificantis illi beatitudini adæquate respondentis gratiam hâc aut eius augmentum possit mereri. Quòd si supponeremus Christum aliquando caruisse animæ gloria, & habituali de qua loquimur gratia, non dubium, quin sicut illam gloriam, sic & istam gratiam mereri potuisset, cùm nos etiam possimus, & reipsa mereamur.

At si quis supponeret illum quidem à principio conceptionis habuisse gloriam illam, caruisse autem ista gratia, hócque supposito quæreret, vtrùm eam mereri potuisset, respondendum putarem potuisse, sicut potuit gloriam corporis, cùm ea careret. Quod similiter locum ha-
VI. beret in puro homine, qui comprehensor esset quoad animam, viator autem quoad corpus, & careret habituali illa sanctificante gratia: posset enim vt videtur eam mereri, sicut & gloriam corporis.

Verùm hoc ista cum limitatione tam de Christo, quàm de puro homine intelligendum, vt posset quidem hic & ille mereri tantam habitualem gratiam, quanta esset essentialis animæ gloria qua frueretur, & illam ipsam quæ huic gloriæ adæquatè, & vicissim cui hæc gloria respondere adæquatè deberet: at maiorem minimè posset: quia qui gratiæ beatitudini suæ adæquatè respondentis incrementum meretur, simul necessariò meretur incrementum suæ beatitudinis, ob rationem proximè allatam: hoc autem beatus mereri nullus potest, vt iamiam etiã
VII. diximus. Adde quòd sicut beatus tantam habens sanctitatem, quantam animæ gloriam, non potest crescere in sanctitate, fieríque sanctior, alioqui possent nunc beati in dies fieri sanctiores, quàm modò sint, reipsáque proinde fierent, quia si fieri possent, nulla esset iusta negandi ratio quin fierent: ita non potest mereri augmentum illius suæ gratiæ habitualis sanctificantis. Cùm enim per eius augmentum futurus esset sanctior quàm antea, si posset illud mereri, posset quoque sanctior fieri.

Dices: Ergo nec beatus secundùm animam, siue Christus, siue purus homo, viator autem quoad corpus posset maiorem mereri gloriam corporis ea quæ animæ gloriæ essentiali adæquatè responderet. Sed negatur consequentia:
VIII. vnde etiam suprà docuimus, supposito quòd gloria corporis possit esse maior & maior in infinitum, Christum meruisse non tantam quin maiorem, licet essentialis eius animæ gloria determinata finitáque fuerit. Disparitatis autem vna ratio est, quòd gloria corporis accidentalis beatitudo est, gratia verò sanctificans ad essentialem refertur, & pertinet, cùm hæc illam præsupponat vt fructus semen, & hæc in tanta vel tanta quantitate à Deo donetur, prout illius quantitas tanta aut tanta est: accidentalis autem beatitudo crescere ritè potest, & proinde

meritum incrementi ipsius, licet neque crescat, neque crescere possit essentialis, aut id quod ad illam refertur aut pertinet, cuiusmodi est gratia sanctificans: vnde reipsa beati quotidie crescunt in accidentali beatitudine, nouas, exempli causa, subinde capiendo delectationes, modo ex peccatorum conuersione, modo ex illorum felicitate qui in eorum societatem recipiuntur à
I. Deo in cœlo, modò aliis ex similibus obiectis: A
neque tamen aut illorum sanctitas, aut essentialis gloria incrementum capit, aut capere potest.

Altera disparitatis ratio est, quòd gloria corporis non est formalis aliqua sanctitas: vnde posset ex natura rei in eo esse qui grauissimis esset inquinatus peccatis: nec proinde per se formaliter facit eum in quo est dignum animæ gloria: at è contrario habitualis de qua loquimur gratia est vera formalisque sanctitas, eum in quo est faciens dignum illa gloria, tantóque maiore, quantò maior ipsa est. Ex quo fit, vt quantumcunque beatus aliquis secundùm animam, viator autem quoad corpus, nouis quotidie bonis operibus mereatur gloriam corporis, &
II. eius incrementum, si placet etiam in infinitum, non B
propterea tamen vllum vel minimum essentialis gloriæ, aut sanctitatis ei adæquatè respondentis gradum mereatur, aut mereri possit: cùm è contrario necessarium foret, vt si mereretur incrementum gratiæ habitualis sanctificantis adæquate respondentis essentiali beatitudini quam habet, mereretur quoque incrementum huiusce suæ beatitudinis, & quidem tantum, quantum illius gratiæ incrementum mereretur, vt etiam antè docuimus.

SECTIO III.

Vtrum continuationem perpetuitatemque suæ hypostaticæ vnionis sibi meruerit?

III. C

QVÆSTIONEM hanc meritò proponimus, etsi suprà docuerimus & probauerimus ipsum vnionem suam hypostaticam non meruisse: ideo enim eam non meruit, quia hæc fuit illi merendi principium, quod sub meritum cadere non potest: quo ex capite nulla repugnantia est quo minùs huius vnionis continuationem perpetuitatémque meruerit, cùm hæc continuatio & perpetuitas merendi principium ipsi non fuerit.

Dicendum nihilominus est, eum illam mereri non potuisse, suppositò quòd cum vnione hypostatica gloriam animæ coniunctam semper habuerit, vt reipsa habuit. Cuius assertionis hæc prima ratio est. Nullus beatus seu comprehensor mereri potest incrementum sanctitatis adæ-
IV. quate suæ beatitudini respondentis, vt ex paulo ante dictis constat: ergo nec Christus com- D
prehensor continuationem perpetuitatéque suæ hypostaticæ vnionis. Consequentiæ bonitas hinc probatur, quòd cùm vnio hæc sit forma per diuinitatem necessariò & formaliter sanctificans animam infinitè magis quàm sancta sit, aut beata, per quamcunque finitam ac creatam sanctitatem & beatitudinem, sicut si Christus mereri posset vnionem illam, & consequenter infinitam istam sanctificationem, sanè mereri posset incrementum sanctitatis adæquate suæ beatitudini respondentis, ita si mereri posset illius vnionis continuationem perpetuitatémque, profectò posset quoque mereri continuationem & perpetuitatem increscenti prædictæ sanctitatis: hanc autem posse mereri, nihil est aliud quàm mereri posse ipsum incrementum pro eo tempore quo continuatur & perseuerat. At sanctitatis suæ beatitudini adæquatè respondentis incrementum pro nullo tempore mereri beatus potest: alioqui nunc beati mereri possent accipere aliquod aliquo in futurum tempore suæ præsentis sanctitatis incrementum, quod fieri non potest. V.

Et sanè sicut si Christus fuisset prius beatus & comprehensor quàm hypostaticam cum Deo vnionem haberet, mereri hanc vnionem nullo modo potuisset, quia alioqui mereri potuisset accipere aliquo tempore incrementum suæ sanctitatis, illud scilicet infinitum quod secum affert necessariò illa vnio: ita etsi simul illam cum beatitudine semper habuerit, impedimento tamen fuit status beatitudinis, quo minus illius VI. vnionis continuationem mereri potuerit: quia similiter potuisset alioqui mereri idem incrementum eiusdem suæ sanctitatis accipere aliquo tempore, eo scilicet quo illa vnio continuata fuisset.

Secunda ratio ista est. Beatus mereri non potest continuationem & perpetuitatem suæ sanctitatis & beatitudinis: ergo nec Christus continuationem perpetuitatémque suæ hypostaticæ vnionis. Antecedens certum esse debet in primis à pari, tum ex beatis gloriam corporis habentibus, tum ex damnatis pœnam damnationis sustinentibus: qui eius continuationem perpetuitatemque non merentur, nec mereri possunt, sed dum viatores erant condignè meriti sunt. Nam si mereri possent, reipsa mererentur, cùm si possint, nulla sit ratio negandi quòd reipsa VII. mereantur per opera bona & mala quæ liberè exercent in illo statu beatitudinis, & damnationis. Deinde ex eo quòd beatus, eo ipso quo est in statu beatitudinis, est extra statum merendi sanctitatem & beatitudinē in qua est, siue illa sit essentialis, siue accidentalis: ergo & merendi continuationem eius. Nam mereri continuationem sanctitatis & beatitudinis, aliud nihil est, quàm mereri sanctitatem & beatitudinem accipere aliquo tempore, eo scilicet quo continuabitur.

Consequentiæ bonitas ex eo probatur, quòd continuatio & perpetuitas vnionis hypostaticæ est continuatio & perpetuitas sanctitatis illius infinitæ quam necessariò secum affert hæc vnio. Vnde si Christus huius vnionis continuationem perpetuitatémque mereri posset existens in sta- VIII.
tu beatitudinis, posset mereri continuationem ac perpetuitatem suæ sanctitatis: cùm tamen in nullum beati meritum cadere possit, vt ex antecedentis probatione constat: tum ex eo etiam quòd sicut si beatus mereri posset, aut reipsa mereretur continuationē perpetuitatémque suæ gratiæ sanctificantis, necessariò mereri simul posset, aut reipsa mereretur continuationem ac perpetuitatem suæ beatitudinis ei respondentis, vt & merendo incrementum illius, huius quoque

incrementum

incrementum meretur: ita si Christus existens in statu beatitudinis mereri posset continuationem ac perpetuitatem suæ hypostaticæ vnionis, & proinde suæ infinitæ per eam sanctificationis, posset suæ beatitudinis continuationem perpetuitatémque mereri: cùm tamen hoc nullus I. beatus possit, vt ex eiusdem antecedentis probatione clarum est.

Atque hinc intelligitur, Christum mereri sibi non potuisse quidquam eorum quæ beati mereri sibi non possunt ratione præcisè status beatitudinis in quo sunt: at è contrario mereri sibi potuisse omnia, quæ nec ei fuerunt merendi principium, nec ex parte principij istius prærequisita fuerunt, & quorum merito nullum afferre potest impedimentum status beatitudinis, eo quod ad illa promerenda status viatoris ea carentis non est conditio necessaria. De quorum numero sunt carnis partiales hypostaticæ cum Verbo vniones, quæ fiebant, dum Christus aliquid alimenti suam in substantiam conuertebat: iterata quoque humanitatis à morte resurgentis hypostatica cum eodem Verbo II. vnio.

Et hanc quidem reipsa meruit, cùm, vt antè docuimus, humanitatis suæ resurrectionem meruerit, ac proinde illius ipsius quæ erat antequam morereretur, erat autem humanitas non quæcunque, sed vnita Verbo hypostaticè: iteratam ergo illius cum eo vnionē meruerit: cùm præsertim vna quidem ex parte hæc ad gloriam corporis aliquo modo pertineat quam meruit, vt constat ex supradictis: ex altera verò, non sit propterea consequens, ipsum meruisse aut continuationem, aut incrementum suæ à Verbo deriuatæ infinitæ sanctificationis, eo quòd humanitas non est capax sanctificationis istius, nisi quia rationalis anima qua constat, eius capax est: Christi verò anima rationalis, cùm semper vnita Verbo manserit, etiam in triduo III. mortis, suam quoque semper ab hac vnione deriuatam sanctificationem retinuit, nec nouam, aut eandem iteratò in resurrectione corporis accepit. A qua etiam infinita animæ sanctitate denominata perinde fuisset humanitas post resurrectionem sancta, atque modò denominatur, etiamsi in resurrectione esset solùm facta iterata animæ cum corpore vnio, non autem iterata totius humanitatis vnio cum Verbo: sicut etiam si Verbum non assumpsisset hypostatice humanitatem, sed solas eius partes, corpus scilicet, & animam vnitam corpori, humanitas ab animæ infinita deriuata à Verbo sanctitate denominata fuisset sancta, sicut nunc denominatur.

Vtrùm autem prædictas illas carnis partiales cum Verbo vniones reipsa meruerit, constabit ex mox dicendis ad quæstionem, qua quæri potest, vtrùm si beatitudine animæ aliquo IV. tempore caruisset, continuationem & perpetuitatem suæ hypostaticæ vnionis mereri potuisset? Ad quam dicendum in primis puto, quòd etsi non meruisset, habuisset tamen: quia quo Deus decreto decreuit eius humanitati hypostaticam vnionem, decreuit non ad vnum instans, aut aliquod breue tempus, sed ad totum saltem mortalis vitæ tempus, cùm præsertim illam decreuerit loco propriæ substistentiæ, quæ dum nostræ humanitati à Deo decernitur, in totum vitæ nostræ tempus decernitur: atqui decretum quæ hypostaticam cum Verbo vnionem illi eius humanitati decreuit, fuit independens à meritis, & ante ea præuisa, vt ex supradictis ad art. 11. secundæ quæst. disp. 14. satis constat: ergo & decretum quo continuationem illius vnionis decreuit: quod proinde, cùm fuerit absolutum & A efficax, effectum suum habuisset, etsi nullum postea humanitatis quo eam mereretur meritum extitisset. Quod similiter sentiendum est de partialibus illis carnis vnionibus, cùm eodem decreto quo decreuit humanitati vnionem hypostaticam cum Verbo in prædictum saltem tempus, decreuerit ipsi toti & singulis eius partibus, tam physicis, quam integrantibus, quæ capaces sunt partialis substistentiæ creatæ, cuius in locum partiales illæ cum Verbi substistentia vniones succedebant. V.

Dicendum secundò, cùm decretum absolutum & efficax, quo Deus ante præuisa merita nobis aliquod donum decernit, non impediat ne illud postea nostris bonis operibus mereri possimus, vt ex eo constat, quòd potest Deus absoluto antecedenti efficacique decreto decernere alicui B homini gloriam post certum tempus conferendam, siue aliqua eius merita habiturus sit, siue non, hócque decreto supposito, potest homo ille tempore vitæ suæ mortalis ex auxiliis gratiæ eadem opera bona exercere quæ nunc exercet, & hæc proinde eiusdem gloriæ meritoria esse, cuius nunc sunt: Dicēdum, inquam, Christum non obstante illo decreto independente à meritis, potuisse mereri suæ hypostaticæ vnionis cum Verbo continuationem, ac perpetuitatem, reipsaque meriturum, si aliquo tempore animæ beatitudine caruisset. Cùm enim quodlibet eius bonum opus fuerit infinitæ sanctitatis & dignitatis, & tantæ, quantam disput. 6. diximus, quodlibet fuit necessariò dignum quocunque possibili præmio, vt ibidem etiam diximus, & proinde perpetua C continuatione prædictæ vnionis, dummodo nulla conditionum necessariarum ad alicuius præmij dignitatem seu meritum defuerit: nulla autem defuerit ex hypothesi, quòd animæ beatitudine aliquo tempore caruerit: quæ enim deesset afferri nulla potest. VI. VII.

Ex quo consequens est, meruisse de facto partiales illas vniones quas antè diximus, licet vnionis suæ continuationem non meruerit: ne hanc enim mereretur, status beatitudinis animæ obstitit, vt antea ostendimus. Idem autem obesse non potuit, quominus partiales illas vniones mereretur, sufficirque ad hoc vt viator esset secundùm corpus, sicut & hoc ipsum satis fuit vt iteratam in resurrectione vnionem cum Verbo mereretur: cùm præsertim ex eo quòd dicatur meruisse partiales illas carnis vniones existens in statu D beatitudinis animæ, non magis colligi possit, meruisse continuationem aut incrementum suæ sanctitatis, quam id colligi possit ex eo quòd iteratam illam vnionem meruit: & quidem ob eandem causam paulo antè allatam, ob quam istud ex merito iteratæ illius vnionis colligi nō potest. VIII.

At obiicies. Res quam Deus efficaci & absoluto decreto merita antecedente alicui decreuisset, si posset sub eius meritum cadere, cùm ille eam ipsi daret, vel daret in compensationem meriti, vel non. Primum dici non potest,

alioqui daret eam gratis, & non gratis: gratis quidem, quia daret vi prioris decreti absoluti & efficacis merita antecedentis: non gratis autem, quia daret in compensationem meriti. Neque secundum: sequeretur enim esse posse in Deo nouum aliquod decretum liberum, absque eo quòd
I. res volitæ aliter se haberent quàm antè, quod disp. 32. ad quæst. 19. primæ partis, in Tractatu de Deo, impossibile esse probatum est: sequeretur autem, quia etsi non daret rem de qua loquimur in compensationem meritorum, dare tamen posset, cùm meritum rei alicuius eiusdem rei donatione compensare possit: ob hoc autem decretum nouum quod habere posset Deus de re illa danda in compensationem meritorum, non propterea res ista habere se posset aliter quàm antè, nec aliter se haberet reipsa, si reipsa decretum illud nouum haberet, eámque in compensationem meritorum de facto daret: eandem enim tantummodo existentiam in rebus suam, & in se penitus inuariatam haberet, quam iam habebat vi alterius decreti absoluti, efficacis, & merita antecedentis.

II. Respondeo Deum rem illam daturum in compensationem meritorum, ac proinde non gratis: dabit quidem vi prioris decreti absoluti, & efficacis; sed non propterea dabit gratis: quia decretum illud non est decretum dandi gratis, etsi sit ante præuisa merita, & ab iis independens, quandoquidem non excludit consequentia merita, & decretum aliud dandi rem eandem ex his meritis præuisis, & in eorum compensationem. Imò supposito illo antecedenti decreto absoluto & efficaci, suppositóque præterea consequente merito ad rem illam habendam, quam Deus illo decreto iam dare statuisset, dicendum esset, ipsũ non posse non velle eã dare in compensationem meriti istius. Nam si liber esset vt dare vellet, vel
III. non vellet, posset in eo esse decretum liberum nouum, cui nulla in rebus mutatio responderet, vt rectè in obiectione probatur. Etsi autem absurdum sit nouum aliquod decretum liberum in Deo concipere cui nulla in rebus mutatio respõdeat: non est tamen absurdum concipere eiusmodi nouum decretum dummodo sit necessarium: quia ratio loco illo primæ partis allata quæ id de decreto libero absurdum esse demonstrat, nullum certissimè in necessario locum habet.

Quemadmodum suppositio decreto quo Deus ex præuisa finali alicuius hominis perseuerantia in mortali peccato furti, verbi causa, decreuisset ei efficaciter pœnam damni æternam: supposito item nouo decreto de peccato alio mortali eiusdem hominis permittendo, consequente signo rationis illud prius decretum, exempli gratia, de permittendo peccato blasphemiæ,
IV. quod committeret homo ille accepta reuelatione suæ futuræ damnationis ob peccatum furti, in quo ad mortem vsque perseueraturus esset: illis, inquam, suppositis, esset necessarium, vt eandem pœnam damni (quæ cùm sit in indiuisibili posita, eadem singulis mortalibus peccatis debetur, vt probaui disput. 17. sect. 3. in Tractatu de peccatis) quam iam in pœnam furti istius decreuisset, rursus in pœnam blasphemiæ illius decerneret. Nam si liber esset vt decerneret, vel non decerneret, posset dari liberum aliquod eius decretum, cui nulla in rebus mutatio responderet: siue enim decerneret, siue non, eandem semper pœnam damni penitus in se inuariatam homo ille sustineret.

DISPVTATIO XLVII.

Quid Christus aliis meruerit?

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Angelis gratiam quam habuerunt in via, & essentialem gloriam quam habent in patria, meruerit?

AFFIRMANTEM partem tuentur Catharinus lib. 1. de eximia Christi prædestinatione, Viguerius in institut. Theologicis cap. 20. Iacobus de Valentia in illud Psalmi 102. *Benedicite Domino omnia opera eius,* & Suarez disputatione 42. sectione 1. Negantem defendunt Alexand. 3. parte, quæstione 12. memb. 2. artic. 3. Bonauentura in 3. distinct. 13. articulo secundo quæstione tertia in Corpore, & ad 3. & 4. Paludanus, & Durandus ibidem: ille quæstione prima, articulo tertio, hic quæstione secunda, Maior quoque & Almainus in 3. dist. 19. vterque quæstione prima, Vasq. hîc disputatione 49. & alij. Cuius veritas hic à me fuse non probabitur: satis enim clara est ex dictis ad articulum tertium quæstionis primæ, disputat. 9. in qua probaui Christum non venturum Adamo non peccante, illúmque in decreto ac præscientia Dei, posteriorem esse huius peccato, eiúsque præuisione, & per consequens gratia & gloria data Angelis, quemadmodum ex ibidem dictis patet.

Adiungam hîc breuiter hoc ad eiusdem veritatis confirmationem argumentum, quòd nimirum cùm ex communi doctrina Theologorum, à nobis quoque suprà tradita, omne Christi meritum passione & morte ipsius consummatum fuerit, si Angeli prædictam gratiam & gloriam ex eius meritis accepissent, consequens esset, illos merito passionis & mortis ipsius fuisse sanctificatos, & glorificatos. Nam dicere Christi merita pro hominibus quidem fuisse passione, & morte ipsius consummata, non autem pro Angelis, nullum habet fundamentum. Consequens autem istud multorum sanctorum Patrum doctrinæ apertè repugnat.

Ac in primis D. Aug. in Enchir. cap. 61. constituentis hoc discrimen inter Ecclesiam conflatam ex hominibus, & eam quæ ex Angelis, quòd illa sanguine mediatoris redempta sit, non ista: quia *pro Angelis*, inquit, *mortuus non est Christus:* pro quibus sanè passus esset, & mortuus, sicut & pro hominibus, si passionis & mortis suæ merito gratiam illis & gloriam obtinuisset, sicut & his obtinuit. Quo in capite idem sanctus Pater ostendere volens fructum quem Angeli ex eius passione perceperunt, subdit: *Ideo etiam pro Angelis fuisse factum quidquid hominum per Christi mortem redimitur, & liberatur à malo, quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines & Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur.*

Deinde Greg. Magni lib. 28. Moral. cap. 7. in quo non aliam reddit causam, cur Angeli gaudent de mysterio Incarnationis, quàm quia gaudent de nostra salute, déque suarum sedium reparatione, & vt loquitur, *quia redemptioni nostræ voces suæ exultationis aecommodant : quia dum nos conspiciunt recipi, suum gaudent numerum repleri.*

I.

Præterea Anselmi in hæc Apostoli ad Ephesios cap. 1. verba *instaurare omnia in Christo quæ in cœlis sunt*, sic scribẽtis. *In eo quippe instauratur quæ in cœlis sunt, cùm id quod inde ex Angelis lapsum est, ex hominibus redditur: dum illuc humiliati homines redeunt, vnde apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt. Vel ea quæ sunt in cœlis sunt instaurata, id est, in melius commutata in Christo, id est, in Christi operatione, quia in reuelatione mysterij Incarnationis Dominicæ receperunt Angeli quandam in melius promotionem. Sed & gaudium eorum creuit, cùm homines in suum consortium cœpissent recipere. Non enim pro Angelis mortuus est Christus. Sed ideo pro Angelis fit quidquid hominum*, & cætera omnia quæ ex Augustino paulò antè retulimus.

II.

Denique Bernardi in sermone feriæ 4. hebd. sanctæ sic post medium loquentis de passione Christi. *Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Nunquid Angelo ? Sed ille non eguit. Nunquid diabolo ? Sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem Angelorum, sed in similitudinem hominum factus*, &c.

Eadem doctrina confirmari posset efficaciter ex duobus Scripturæ locis, ex parabola scilicet quæ habetur Matth. 18. & Lucæ 15. Pastoris qui reliquit in deserto nonaginta nouem oues, vt quæreret centesimam quæ errauerat: & ex his Apostoli verbis ad Hebræos 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.* Sed quoniam id optimè & fusissimè facit Vasq. citatæ disp. 49. cap. 1. in illis nihil morabor: at solùm in soluendis aduersariorum argumentis, quæ potissimùm ex scripturarũ Patrumque authoritate petuntur.

III.

Quibus præmittimus petitum ex S. Doctore in caput 1. Ioannis lectione 10. verba hæc, *De plenitudine eius omnes accepimus*, sic explicante, *scilicet omnes Apostoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt, & omnes etiam Angeli.* Verùm etsi loco illo eorum sententiæ fauerit, contrarium tamen docuit tum in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 2. & de Veritate quæst. 29. art. 7. ad 5. & art. 4. item ad 5. tum hac 3. parte quæst. in primis 59. artic. 6. in quo docet Christum supremi iudicij die non iudicaturum Angelos quoad præmium essentiale, sed tantùm quoad accidentale, eo quòd de præmio essentiali iam iudicati sunt ab ipso, quatenus Deus est: à quo sanè, vt homo est, iudicandi essent illo die de essentiali præmio, si per humanitatis ipsius merita sanctificantem gratiam, & essentialem gloriam accepissent: sicut & antiqui Patres qui eum præcesserunt de illo præmio, illaque gratia ab eo iudicabuntur, eo quòd hanc & illud ex eius meritis consequuti sunt: licet priuato iudicio fuerint pridem de iis rebus iam iudicati ab eodem, quatenus Deus est. Deinde quæst. 1. art. 3. in quo vt suprà vidimus, docuit Christum non venturum Adamo non peccante: ex qua doctrina sequitur gratiam & gloriam essentialẽ Angelis non meruisse, vt ex dictis ad articulum illum disput. 9. notum est.

IV.

SECTIO II.

Partis affirmantis argumenta soluuntur.

V.

PRIMVM ducitur ex duobus Scripturæ locis: ex cap. 1. epist. ad Ephesios, in quo sic Apostolus de Deo loquitur. *Proposuit instaurare omnia in Christo quæ in cœlis sunt, & quæ in terris.* Ex capite item primo epist. ad Coloss. vbi sic idem Apostolus. *Pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cœlis.* Verùm his locis nullus hactenus interpretum dixit significari Christum meruisse gratiam & gloriam essentialem Angelis, neque reuera significatur, sed hoc tantùm, iuxta D. Thomæ & Anselmi expositionem ibidem, & D. August. cap. 61. & 62. Enchiridij, Christum merito suæ passionis & mortis instauràsse omnia in cœlis, quòd Angelorum ruinas ex hominibus repararuerit: pacificàsse item omnia in cœlis & in terris, quòd eodem merito suo reconciliauerit nos Deo & Angelis, iustificans nos à peccato, ratione cuius illis eramus infensi, & illi nobis, cum iisdemque inimicitias veluti exercebamus.

VI.

Secundum petitur ex his Apostoli verbis ad Hebr. 2. *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.* Quibus apertè significatur Christus consummatus seu mortem passus propter eos quos iam in gloriam adduxerat: qui alij esse non possunt quàm Angeli, cùm ante passionem eius & mortem nullus hominum sit gloriam consequutus. Verùm per filios in gloriam adductos nullus antiquorum Patrum Angelos intellexit: nec verò intelligi alij possunt quàm homines, vt ex verbis antecedentibus & consequentibus satis constat, & rectè Vasq. ostendit disput. 49. citata, cap. partim 2. partim 4. Nec refert, quòd eorum nullus esset gloriam ante Christi mortem consequutus. Nam vel vocabulum, adduxerat, idem valet atque adducere decreuerat: quo modo illud S. Anselmus & D. Thom. & alij interpretantur: vel tempus pro tempore positum est, præteritum pro futuro, quod in Scriptura sæpissimè fit, cùm præsertim de iis futuris agitur, quæ absolutè & efficaciter à Deo decreta sunt, cuiusmodi est futura in hominibus prædestinatis gloria. Nam ad certitudinem & infallibilitatem huiusmodi futuri euentus denotandam, Scriptura factum plerunque dicit quod adhuc futurum est.

VII.

Tertium ex cap. 12. Apocal. sumitur, in quo describitur prælium Michaëlis & bonorum Angelorum cum dracone, statimque additur, *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Quibus verbis significatur bonos Angelos ex merito passionis & mortis Christi habuisse sicut victoriam contra draconem, sic gratiam perseuerantiæ in bono, ac proinde cætera gratiæ & gloriæ dona, cùm omnium eadem ratio sit. Respondeo iuxta doctrinam Patrum, nominatimque D. Augustini tomo 9. homilia 9. in Apocal. Anselmi, Oecumenij, Bedæ, Glossæ, & S. Thomæ in citatum ex Apocal. locum, ibi non describi

VIII.

prælium Michaelis & bonorũ Angelorum cum malis, quod initio mundi gestum est, sed illud quod commune illi cum his gerunt pro hominibus, potissimúmque illud præillustre quod Antichristi tempore geretur ab illis pro iisdem, quos hi suis tentationibus & insidiis secum in æternum interitum trahere, illi contrà in salutem perducere omni ope conantur.

I. A

Nec refert, quòd illud prælium gestum dicatur in cœlo, nam passim in Scriptura Ecclesia cœli nomine appellatur. Vnde & cùm additur, *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni*, de nominibus sermo est, qui merito passionis & sanguinis Christi gratiam accipiunt, qua draconem, seu dæmonem superant, vt clarum est ex verbis immediatè præcedentibus, quibus Angeli boni obtenta victoria in has lætitiæ voces erũpunt. *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei die ac nocte:* Per quos sanè intelligi alij non possunt quàm homines. Clariùs quoque ex his verbis immediatè consequentibus, *Et non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.*

II. B

Quæ haud dubiè verba dicuntur de iisdem, de quibus proximè antè dictum erat, *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinẽ Agni.* Per eos autem qui non dilexerunt animas suas vsque ad mortẽ, intelligi alij non possunt quàm homines, cùm non Angeli, sed soli homines possint pro Christo sanguinẽ & vitam profundere, quod est non diligere animam suam vsque ad mortem, vt D. Thomas, Anselmus & Beda ibidem explicant. Atque hæc de argumentis ex Scriptura depromptis.

Primum ex authoritate Patrum sumitur ex D. Hieronymo magnis in comm. in caput primum epistolæ ad Ephesios, & in hæc capitis illius verba, *Et omnia subiecit sub pedibus eius*, sic scribente, *Crux saluatoris non solùm ea quæ in terra, sed etiam quæ in cœlis erant purgasse perhibetur.*

III. C

Sed vt rectè Vasq. cap. 5. citatæ sæpius disput. aliique respondent, id ex propria sententia non dixit, sed Origenis, qui non modò existimauit Angelos ex Christi meritis fuisse consequutos gratiam, sed etiam ab aliqua quam commiserant culpa purgatos: quod erroneum est.

Secundum petitur ex D. Bernardo serm. 22. in Cantica, ante medium, in quo inter cætera ait, eundem *qui erexit hominem lapsum, dedisse stanti Angelo ne laberetur, eundémque fuisse hominibus & Angelis redemptionem.*

IV. D

Respondeo eundem quidem, sed non secundùm eandem naturam: Angelis secundùm diuinam, seu quatenus Deus erat, hominibus verò secundùm humanam ac merita humanitatis: quod solùm voluisse sanctum Bernardum ita clarum est ex aliis eius ibidem verbis, ex quibusdam item aliis serm. 1. de Circunciſione, vt Suarez in contraria licet nobis sententia existens disput. 42. sectione prima, id vltrò fateatur. Cuius etiam confessione ibidem explicandus est eodem modo D. Cyrillus lib. 5. in Isaiam, in illud capitis 54. *Lætare sterilis*, cùm ait per Christum *omnem fructificationem spiritualem tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insitam esse*: Et lib. 9. de Adoratione longè post medium, cùm dicit *Christi participem esse vniuersam non modo visibilem, sed etiam inuisibilem creaturam. Angelos namque & Archangelos, & illas quoque quæ supra hos sunt naturas, ipsa denique Cherubim, non aliter quam per Christum solum in sancto Spiritu sancta esse.*

V. A

Eodem item explicandi modo sunt sancti Gregorius & Fulgentius: ille lib. 1. expositionis libri primi Regum, exponens verba illa capitis 2. *Nec enim est alius extra te.* Et Homilia 14. in Ezech. exponens verba hæc, *Ecce murus forinsecus.* Iste verò lib. 2. ad Thrasim. capite 3.

VI. B

Et quidem quod ad illum attinet, satis constat ex eius verbis, eum exponendum esse eo quo diximus modo. Cùm enim priore loco dixit neminem Angelorum sanctum esse nisi per Christum, id probat ex his Psalmi 28. verbis, *Verbo Domini cœli firmati sunt*, quæ de Verbo secundum solam diuinam naturam intelligi possunt, intelligitque reipsa S. Gregorius, cùm id confirmet ex his aliis Ioannis 1. *In principio erat Verbum*: quæ haud dubiè de Verbo secundùm solam naturam diuinam intelliguntur.

VII. C

Cùm autem dicit posteriore loco Christum murum esse & hominum, & Angelorum: hominum quidem, præbendo adiutorium vt resurgant: Angelorum autem, dando robur ne cadant: manifestè significat se de Christo vt Deo loqui respectu Angelorum, vt homine autem respectu hominum: sic enim ait, *Et murus iste vndique in circuitu domus est, quia vnigenitus Patris qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum, illis fortitudo ne cadant, nobis adiutorium, vt surgamus post casum.* Vbi per, *sursum* diuinam naturam, per *deorsum* humanam diuina longè inferiorem intelligit: sequutus illos antiquiores Patres, qui Christum perfectum volentes dicere secundùm vtramque naturam, diuinam scilicet, & humanam, illum tum supernè, tum infernè perfectum esse dixerunt.

VIII. D

Et quamuis per *sursum* cœlos intelligeret, per *deorsum* terram, cùm tamen dicat vnigenitum Dei esse sursum firmitatem Angelorum, eundem autem deorsum redemptionem hominum factum esse, nempe per incarnationem: satis aperte indicat esse firmitatem illorum per naturam diuinam, horum autem redemptionem per humanam: si enim per hanc quoque illorum firmitas esset, tam illis quàm hominibus factus esset murus deorsum: quia tam pro illis quàm pro his ad terras descendisset, & humanam carnem assumpsisset: quod aduersatur S. Gregorio expresè dicenti, ipsum non Angelis, sed hominibus murum factum fuisse deorsum, per incarnationem scilicet.

Quòd verò spectat ad S. Fulgentium, verba quæ citato loco habet, clarè significant ipsum loqui de filio Dei secundum naturam diuinam, cùm ait, *Non potuisse per alium custodiri à ruina stantem Angelum, quàm per eum per quem homo lapsus post ruinam reparatus est.* loquitur enim de eo quem postremis capitis 2. verbis, & ista immediatè præcedentibus, vocauit *Virtutem, quæ sola naturaliter mutari deprauarique non potest.* Cùm autem sic subiungit:

in vtroque gratiâ operata: in hoc, vt resurgeret: in illo, ne caderet: in illo, ne vulneraretur: in isto, vt sanaretur: loquitur de gratia Dei, quam vnam eandémque vult concessam Angelis, & hominibus: illis, ne laberentur, his vt lapsi resurgerent: quia vnius eiusdémque rationis in iis & in illis est, cùm in vtrisque sit gratia distincta à dono creationis, & gratia actualis ad benè viuendum: licet illa quæ data fuit Angelis, non fuerit ex Christi meritis: è contrario autem ea, quæ data fuit hominibus. Quod discrimen extrinsecum prorsus est gratiæ, nec diuersitatem in ea constituit: cùm certum sit eandem etiam numero gratiam quæ nunc dátur hominibus ex Christi meritis, potuisse à Deo dari absque illis, & ex sola ipsius misericordia.

I. A

Restant argumenta ex ratione petita, sed pauca, támque debilia, vt vel indicare ferme pigeat. Nam quod dicitur ad maiorem Christi dignitatem pertinere vt non solum hominibus, sed etiam Angelis fuerit author gratiæ & gloriæ per merita humanitatis suæ, nullam vim habet: tum quia ita hoc eius dignitatem amplificat vna ex

II. B

parte, vt ex altera multùm extenuet ejusdem charitatem & misericordiam erga homines: quæ multò insignior est, si pro iis solis redimendis incarnatus, passus, & mortuus sit: tum quia nihil dignitatis Christo tribuendum est contra doctrinam Scripturarum; & Patrum, contráque rationem: constat autem ex dictis disputatione 9. hanc ei dignitatem tribuere, esse doctrinæ Patrum, ac Scripturarum rationiq. repugnare.

Quod autem obiicitur, Angelos in via reuelationem Verbi incarnandi accepisse, aut etiam fidei actum circa ipsum exercuisse, eandem habet solutionem, quam obiectio 4. citatæ nonæ disput. sectione vltima, in qua nobis hoc ipsum de Adamo adhuc existente in statu innocentiæ obiecimus. Quod denique opponitur, Christum

III. C

etiam secundùm humanitatem esse Angelorum caput, habereque proinde influxum in illos, nullius momenti est, habet enim illum quem disput. 24. sect. 3. declarauimus.

SECTIO III.

Quid Christus hominibus meruerit?

HABENDVM pro certo est, illum iis meruisse non solùm æternam gloriam, & gratiam à peccatis formaliter iustificantem, sed etiam fidem, & omne præterea gratiæ donum, quo aliquo modo disponuntur ad gratiam illam iustificantem consequendam, ad finalem in ea perseuerantiam, ad eius denique paritérque æternæ gloriæ incrementum. Quod colligitur in primis apertè ex dictis prima parte, Tractatu de Deo,

IV. D

disp. 38. sect. 4. in qua ex doctrina Patrum probauimus, nos per peccatum primi nostri parentis excidisse non solùm ab æterna gloria, & gratia iustificante, sed etiam à cæteris omnibus gratiæ donis, atque ab ipsa quoque facultate bonæ cogitationis habendæ, hancque facultatem esse nobis per Christi merita restitutam. Ex qua doctrina tam certè euidentérque colligitur, nos sine Christi meritis nihil operari boni posse, quo aliquo modo disponamur ad vitam æternam, ad fidem, spem, charitatem, ad harum rerum augmentum, ad finalem denique in bono perseuerantiam, quàm certum est, & euidens, nos sine prætia bona cogitatione non posse boni quidpiam operari.

Colligitur deinde ex dictis prima secundæ Tractatus de Gratia, disp. 1. de necessitate gratiæ, vbi fuse probauimus nobis esse necessariam Dei per Christum gratiam, non modo ad credendum, sperandum, diligendum, similésque bonos ac in charitate supernaturales actus exercendos, sed etiam ad seruanda præcepta naturalia per actus mere naturales, ad vincendam quamlibet etiam leuissimam tentationem, ad quodlibet etiam virtutis licet pure naturalis & acquisitæ opus exercendum nos aliquo modo disponens ad æternam gloriam in futura vita, & sanctificantem gratiam in præsenti consequendam: quolibet autem ad id nos aliquo modo disponi: & per consequens omnem quam habemus ad illa omnia, & singula gratiam, esse gratiam Dei per Christum, seu ex Christi meritis.

V.

Quod confirmo breuiter aliquot Scripturæ testimoniis: ad Ephesios 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo,* id est, per Christum, seu per eius merita: omnis autem bonus motus quo disponimur aliquo modo ad sanctitatem, & æternam gloriam, aut huius & illius incrementum, spiritualis haud dubiè benedictio est. Quibus Apostoli verbis inhærens S. Ambrosius in eum locum sic scripsit: *Omne donum gratiæ in Christo est: vt si quis spreto Christo benedici se à Deo putet, errare se sciat.*

VI.

Deinde cap. 2. eiusdem epistolæ, in quo dicimur *creati in operibus bonis in Christo* id est, per Christum: quorum verborum sensus est, nos ex nullo nostro opere, nullaue nostra dispositione, sed ex sola Dei per Christum gratia, vim habere exercendi opera bona, conducentia aliquo modo ad nostram iustificationem & salutem: sicut ideo creari dicimur à Deo secundùm nostram substantiam, quia secundùm hanc ab eo de nihilo producimur.

VII.

Denique secundæ ad Timot. 1. vbi sic Apostolus de Deo, *Vocauit nos vocatione sua sancta, quæ data est nobis in Christo Iesu:* vbi cum particula, *in*, eundem habeat sensum, quem locis præcedentibus, dicatque Apostolus vocationis gratiam conferri nobis ob Christi merita, dubium esse non debet, quin cætera similiter omnia gratiæ dona nobis ex eiusdem meritis conferantur.

Quod præterea confirmo vno Mileuitani Concilij testimonio, vno Tridentini: illius quidem, canone 3. definientis *gratiam in qua iustificamur, esse per Christum:* per quam gratiam Patres Concilij illius, aliique antiqui non intellexerunt solam formam formaliter sanctificantem, sed tam hanc, quàm aliam omnem gratiam & dispositionem aliquid ad eam conducentem, vt citatis ex prima parte, & ex prima secundæ disputat. diximus: nec obscurè citato canone indicant, eo dicentes anathema ei qui dixerit, illam *in qua iustificamur gratiam ad solam remissionem peccatorum valere quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur.*

VIII.

Huius verò, sessione 6. cap. 5. pronuntiantis *iustificationis exordium in adultis a Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse,*

hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. Quibus verbis non modò formam ipsam formaliter iustificantem ex Christi meritis agnoscit esse, sed etiam conducentes ad eam dispositiones, & quidem remotissimè: quandoquidem primam omnium ad I. eam dispositionem ob eadem merita conferri expresse definit. A V.

Neque verò dũ Christus Ioan. 6. dicit, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, aliud significat, quàm neminem ad se venire per fidem, aut dilectionem, aut vitæ imitationem posse ex solis naturæ suæ viribus, ac nisi ad hoc diuinæ gratiæ auxilium accipiat: ex quo inferri non potest, auxilium istud non conferri ex Christi meritis: ex quibus etsi conferatur, non propterea desinet iustificatio nostra fieri gratis: licet enim gratis non fiat respectu Christi, qui eam meritus est, & ob cuius merita fit, at respectu nostri gratis fit, quia ex nullo nostro præcedente meritò fit.

Neque etiam dum D. August. lib. 1. de Prædest. Sanct. cap. 15. ait quemlibet hominem eadem gratia fieri Christianum, qua ille homo II. (nempe Iesus) factus est Christus, vult, quòd B VI.
sicut ille homo factus est Christus, id est, diuinitatis oleo delibutus & sanctificatus sine vllis meritis ex sola Dei benignitate, ita quilibet nostrûm fit Christianus, id est, fidei donum accipit ex sola item Dei misericordia, absque vllis Christi meritis: sed hoc tantùm vult, quòd sicut humanitas Christi illam hypostaticæ cum Verbo vnionis & sanctificationis gratiam accepit absque vllo suo merito ex sola Dei voluntate, ita quilibet nostrûm gratiam qua fit Christianus accipit absque vllo suo merito ex sola Dei misericordia, respectu ipsius hominis accipientis, licet non respectu Christi, in cuius meritorum compensationem gratia hæc & donum à Deo confertur.

III. Ex dictis colligitur, Christum meruisse hominibus efficacem dilectionem qua à Deo diliguntur: prædestinationem item & electionem eorum omnium qui ad gratiam & gloriam electi & prædestinati sunt. Dilectionis autem istius nomine intelligo quamcunque efficacem voluntatem, qua vult Deus homini conferre donum aliquod gratiæ: hæc enim voluntas dilectio rectè nominatur, cùm omnis volitio qua bonum alicui volumus præsertim efficaciter, eius aliqua dilectio sit. Nam cùm quisquis ab aliquo sibi vel alteri meretur quidpiam, quod haberi non potest nisi per voluntatem eius à quo meretur, mereri illud non possit, quin simul mereatur necessariò, vt is à quo meretur, illud conferat, habeâtque efficacem conferendi voluntatem, sequitur, Christum meruisse prædictam dilectionem, prædestinationem, electionem, cùm effectus istius dilectionis, prædestinationis, electionis meruerit, hi autem haberi non possint à Deo à quo meritus est, nisi per liberam illam eius voluntatem, quæ est vel dilectio, vel prædestinatio, vel electio.

Et quidem si de hominum electione ad gloriam sermo sit, cùm hæc sit posterior hominum electorum sanctificante gratia, & meritis, iisdémque nitatur, vt disp. 41. de Deo tractantes fusè probauimus, eorum autem tota sanctitas, & merita omnia sint Christi meritis posteriora, iisdémque innixa, sequitur electionem quoque illam niti eiusdem meritis, & iis esse posteriorem.

Quòd si sermo sit de electione ad gratiam, habemus expressa Apostoli verba ad Ephesios cap. 1. sic scribentis, *Elegit nos in ipso* (nempe in Christo) *ante mundi constitutionem vt essemus sancti:* Quo loco sermonem esse de electione non ad gloriam, sed ad gratiam, & ipse Pauli contextus satis indicat, & communis omnium Interpretum consensus est, vt prima parte disput. 89. cap. 12. Valquez ostendit. Quòd si de prædestinatione loquamur, constat ex eodem cap. ad Ephesios Christum eam meruisse prædestinatis, Apostolo sic de Deo clarissimè loquente, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*: & paucis interiectis, *in quo* (nimirum Christo) *& nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

SECTIO IV.

An Christus hominum à Deo electionem vt electio est meruerit?

EX occasione traditæ proximè ante doctrinæ proponitur hæc quæstio, cuius sensus est, an Christus hominum à Deo electorum, siue ad gratiam, siue ad gloriam, ita meruerit electionem, vt eam meruerit, non tantùm quatenus efficax dilectio est, sed etiam quatenus electio, id est, vnius præ alio, cui idem aut æquale bonum non appetitur, dilectio? Respondendum autem affirmatiuè est: quia eo ipso quo decernitur alicui à Deo peculiare aliquod gratiæ donum, quod alteri ab eo non decernitur, ille præ isto diligitur, seu eligitur: illi autem non decernit Deus illud peculiare donum C VII.
nisi propter Christi merita: ergo non nisi propter eiusdem merita ipsum præ alio diligit, seu eligit: non quòd Christus meruerit, vt isti alij non decerneretur illud peculiare gratiæ donum quod reipsa non decernitur, sed quod meruerit, vt ei cui decernitur, decerneretur. Ex quo intelligitur, ipsum meruisse electionem & ad gratiam, & ad gloriam, electorum ad eam omnium hominum, tam eorum qui illum tempore præcesserunt, quàm qui subsequuti sunt.

Quòd si queras, vtrùm pro electis merita sua peculiariter applicarit, ex eiúsque proinde voluntate fuerit, vt ex omnibus hominibus hi potiùs quàm illi alij à Deo eligerentur? Respondeo negandum esse, si de electis sermo sit qui tempore eum præcesserunt: è contrario affirmandum, IV. D si de iis qui subsequuti sunt. De illis qui præcesserunt, nulla est inter Theologos dissensio, quia priusquam veniret Christus, tota gratiæ distributio facta iis iam fuerat, & vni maior quàm alteri, prout Deo placuerat: nec proinde postquam venit, potuit vel orare Patrem suum ad impetrandam vni potiùs quàm alteri tantam aut tantam gratiam, vel meritum suæ passionis alteriusve meritoriæ actionis dirigere in eum finem, vt huic potiùs quàm illi tanta aut tanta gratia conferretur. Nec potuit Deus præuidere eum hoc facturum, cùm reipsa non VIII.

fuerit facturus : nec facere potuerit, suppositio decreto quod habuit Deus de gratia illis danda priusquam veniret, decernerétque singulare illud ac determinatum tempus quo venturus erat : vt reuerà Deus habuit, priùs quàm tempus hoc decerneret, cùm non nisi ob antiquorum Patrum merita gratiam iis datam consequentia hoc tempus prædefinierit, vt disp. 15. probauimus.

I. At de illis qui subsecuti sunt, aliqua inter eos dissensio est. Negat enim Suarez disputat. 41. sect. 2. at affirmat Vasq. prima parte disputat. 94. cap. 3. & alij, præsertim ij qui efficacem electionem ad gloriam post præuisa merita factam esse sentiunt : pars autem ista affirmans priore illa negante probabilior est. Et quidem si de prædestinatis aliquibus & electis sermo sit, non videtur dubitandum, quin Christus iis peculiariter merita sua applicauerit, hácque peculiari applicatione prædestinationem iisdem & electionem ad gloriam meruerit. Nam Ioannis 17. singulariter pro Apostolis suis orauit his verbis: *Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Qua oratione quis neget eum meruisse illis ac impetrasse gratiam efficacem, qua in finem vsque perseuerarent, quam expresè petebat ipsis à Patre? à quo haud dubiè pro sua reuerentia exauditus est.

II. Nec dici potest hanc orationem fudisse communiter pro omnibus hominibus, cùm antea expressis verbis dixisset, *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Nec dici etiam potest Iudam tunc temporis adhuc de numero Apostolorum fuisse, Christúmque proinde pro illo sicut & pro aliis orasse, nec tamen orationc sua finalem ei in gratia perseuerantiam meruisse, aut saltem impetrasse : pro illo enim reuera tunc non orauit : antequam enim orationem quam retulimus funderet, iam illum tanquam perditum excluserat verbis his ibidem,

III. *quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis.*

Quòd si opponas, eum sic eodem capite orasse : *Non pro eis autem rogo tantùm,* (nempe pro Apostolis) *sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*: quod de fidelib. omnibus videtur intelligẽdum : Respondeo hinc solùm haberi, orationem hanc non æquè efficacem fuisse pro fidelib. omnibus, quib. omnib. finalem in fide & gratia perseuerantiam non obtinuit, ac fuit illa quam pro Apostolis factam fuisse diximus : neque hanc pro fidelibus omnibus orationem fuisse profectam ex Christi orantis efficaci voluntate impetrandi ipsis à Deo Patre perseuerantiæ finalis

IV. gratiam, sicut profecta fuit illa pro Apostolis oratio. Nam si sicut pro his, sic pro illis ex efficaci impetrandi voluntate orasset, pro illis æquè ac pro his exauditus pro sua reuerentia fuisset. Deinde pro D. Petro singulariter orauit, vt nunquam deficeret fides eius, vt constat ex Lucæ cap. 22. cuius orationis merito perseuerantiam in fide ipsi proculdubio impetrauit.

Quòd si, vt ex iis constat, quibusdam peculiariter applicauit merita sua, & hac applicatione singulari singulares gratias obtinuit, cur non idem existimabimus fecisse respectu prædestinatorum omnium, & electorum tempore eum subsequentium? cùm pro iis orare peculiariter æquè potuerit, aut passionem suam, aliámve meritoriam actionem dirigere, vt prædestinationem eorum & electionem impetraret, atque pro Apostolis nominatímque sancto Petro orauit, & quod petiit impetrauit: cùm id etiam plurimùm valeat ad inflammandum electorum & prædestinatorum erga Christum amorem : cùm denique longè perfectioris in eo circa homines prouidentiæ fuerit, salutis eorum negotium, propter quod cum Deo tractandum conficiendumque venerat, ita transigere, vt minutim de singulis gratiæ donis cuilibet hominum in posterum conferendis ob merita sua cum ipso conueniret, quàm vniuersim solùm hæc pro eorum salute offerre, relicta Deo quodammodo cura illa gratiæ dona propter hæc merita dispensandi, distribuendíque pro arbitrio, quibus, & quantum placeret.

V. Adde quòd cùm multi sancti homines pro quibusdam aliis orantes merito suarum orationum efficacem illis gratiam & perseuerantiam

VI. impetrarint, eorúmque proinde prædestinationem ac electionem à Deo meruerint, ac obtinuerint: æquum profectò est, idem sentire de Christo, respectu non vnius aut alterius prædestinati, sed omnium qui tempore eum subsequuti sunt, cùm id facilè potuerit, vtpote qui eos omnes distinctè nouit, & præsentes semper habuit.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM est, Scripturam referre prædestinationem & electionem hominum à Deo in propositum & consilium diuinæ voluntatis, vt ad Ephesios 1. vbi dicitur Deus *elegisse nos, & prædestinasse, secundùm propositum voluntatis*

VII. *suæ.* At cùm ibidem dicatur *operari omnia secundùm consilium suæ voluntatis*, certissimúmque sit ipsum operari multa ex Christi meritis, sanè sicut quòd dicitur operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ, non excludit Christi merita, propter quæ aliqua saltem ex iis operetur: ita quòd dicatur eligere & prædestinare nos secundùm propositum voluntatis suæ, non excludit Christi merita peculiariter nobis ab ipso applicata, propter quæ nos eligat, & prædestinet.

Secundum est, iustificatos dici datos Christo à Deo, vt Ioan. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi: tui erant, & mihi eos dedisti.* Ad Hebræos item 2. vbi Apostolus ex Isaiæ cap. 8. sic inducit Christum de prædestinatis loquentem : *Ecce ego & pueri mei quos de-*

VIII. *dit mihi Deus.* Quos deberet dicere Christus potiùs à se suóque merito tanquam iusto pretio comparatos, quàm sibi datos à Deo, si eorum ab eo prædestinationem electionémque meruisset. Respondeo Christum vtroque modo loqui reuera potuisse : neque quòd illo quem retulimus modo locutus sit, valet ad concludendum, ipsum eorum prædestinationem electionémque non meruisse : sicut enim quod Deus iustificatis det iustitiam qua formaliter iustificantur, non impedit quo minùs hanc ipsis det ex Christi meritis,

& in eorum compensationem : ita quod dicatur electos & prædestinatos dare Christo, non potest impedire quo minùs det propter eius merita applicata iis potiùs quàm aliis, qui similiter prædestinati & electi non sunt, impeditque tantummodo ne donatio sit purè gratuita, cùm remuneratoria sit.

I. Tertium sumitur ex his Christi verbis Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram meam, & sinistrã, non est meum dare vobis.* Verùm his verbis significare absolutè noluit Christus, nõ esse suum dare regnum cœlorum prædestinatis & electis, cùm ipse de se Lucæ 22. dicat: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo:* quo loco de se secundùm humanitatem suam loquitur, vt hæc verba, *Sicut disposuit mihi Pater meus*, certissimè indicant: sed hoc tantùm voluit significare, suum non esse dare illis titulo cognationis carnalis, quo freti Iacobus & Ioannes illud petebant: significauit autem manifestè suum esse dare illud prædestinatis & electis, cùm adiunxit: *Sed quibus paratum est à*

II. *Patre meo.*

Hanc huius loci expositionem tradunt communiter tam recentiores eius Interpretes, quàm antiqui & Græci & Latini Patres. Ex recentioribus vnum profero Maldonatum, cuius hæc verba sunt: *Hæc est vis eius pronominis, vobis, quasi dicat, non est meum dare vobis, propterea quod petitis, aut propterea quod cognati mei estis: non est meum dare vobis qui nondum meruistis, sed quibus paratum est a Patre meo, id est, qui meruerint.*

Ex Græcis Patribus duos, Chrysostomum & Theophylactum in citatum Matthæi locum. Prior homilia 66. circa medium sic loquitur: *Quonam modo, non est meum, inquit, sed quibus paratum est? Verùm vt clarius fiat quod dicimus, exemplo id ante oculos ponamus. Ad*

III. *editorem igitur munerum atque certaminis quo multi atque præclari athletæ confluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritate coniunctos accessisse fingamus, qui amicitia Principis freti postulare audeant, vt victores ipsi præconio declarati coronentur, quibus ille respondeat, non est meum id dare, sed quibus labore atque sudore præparatum est. Num igitur quasi non potentem illum id facere condemnabimus? Nequaquam, sed iustitiam eius admirabimur. Et quoniam non personam, sed rem respicit, laudabimus. Sic vtique Christum id dixisse affirmamus.*

Posterior sic de regno cœlorum ait: *Illi præparatum est qui laborauerit, sicut & certantibus coronæ sunt præparatæ. Quemadmodum cursus certamine proposito, ac rege certaminis præside,*

IV. *si quispiam qui non certasset prodeat, & dicat, Da mihi stadium non ingresso coronam, ô certaminis præses, huic respondere vtique ille poterit, non est meum dare ad gratiam coronam, sed quibus præparatum est, hoc est, qui cucurrerint, & vicerint. Sic & hoc loco dicit Christus, Ego non possum ea gratiam dare vobis sedem à dextris: aliorum enim est qui laborauerint, & illis præparata est.*

Ex Latinis item duos, Hieronymum & Anselmum in eundem Matthæi locum: quorum ille sic scribit. *Quod autem dicit, sedere ad dexteram, ... intelligendum est. Regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim acceptio personarum apud Deum, sed quicunque talem se præbuerit, vt regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet: quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis qui consequamini regnum cœlorum, quod pater meus victoribus præparauit, vos quoque illud accipietis.* Hic verò relatis fideliter his Hieronymi verbis, ista subiungit: *Vel aliter, non est meum dare vobis, id est, superbis, quod adhuc estis, sed aliis paratum est. Ergo & vos nolite esse superbi, sed estote aly, id est, humiliamini, qui iam vultis exaltari: & tunc paratum est vobis.*

Quibus Patribus adiungo S. Doctorem, cuius in illum Matthæi locum hæc verba sunt. *Credebant quod deberet eis dare, quia coniuncti ei erant secundùm carnem*: sed vt paulò ante dixit, *eminentia dignitatis non datur personæ, sed merito*, seu *personis ex merito acquirentibus*, vt ibidem loquitur.

Adde quòd si ex illis Christi verbis, *sedere ad dexteram meam & sinistram non est meum dare vobis*, ritè colligeretur, non esse ipsius Christi mereri electionem prædestinationemque electorum & prædestinatorum, rectè quoque concluderetur, eiusdem non esse mereri ipsis effectum prædestinationis, & electionis, nempe regnum cœlorum, seu vitam æternam: cùm dicat Christus, non esse suum dare regnum illud: quod tamen illis meruit, & meruisse se significat, cùm ait, suum esse dare illud iis quibus à patre paratum est. Eius autem esse non potest illud mereri, seu dare per merita suæ humanitatis, quin eiusdem sit mereri diuinam efficacem ad illud electionem: cùm, vt antè diximus, & per se clarum est, nemo vel sibi vel aliis mereri quidquam possit dandum per solam liberam eius à quo meretur voluntatem, quin eo ipso quo illud meretur, mereatur etiam vt is à quo meretur efficacem habeat illud dandi voluntatem.

Non hæsissem tandiu in hoc Scripturæ loco explicando, nisi existimassem ostendendum nonnullis recentioribus, ex eo nullum duci posse argumentum efficax ad probandum efficacem electorum ad gloriam electionem anteriorem esse præuisis à Deo Christi meritis, ac proinde priorem propriis ipsorum electorum meritis, vt poterortum habentibus ex gratia quæ propter Christi merita ipsis tribuitur: cùm tamen hunc Scripturæ locum illi recentiores ad hoc & illud concludendum, non parum habere roboris arbitrentur.

Quartum est, quòd si Christus per peculiarem meritorum suorum pro quibusdam applicationem, eorum electionem & prædestinationem à

V. VI. VII. VIII.

Deo meruisset, obtinuisset que, priùs oporteret intelligere humanam Christi voluntatem determinatè ad eos fuisse peculiariter bene affectam, quàm diuinam: quod tamen non videtur concedendum: tum quia sic diuina voluntas conformata fuisset humanæ, non autem humana diuinæ: tum quia non esset à Deo inscrutabilis altitudo diuini consilij erga prædestinatos, de qua sic exclamat Apostolus ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Sed respõdeo

indubitanter esse concedendum, priùs Christum humana sua voluntate desiderasse, petiisse, meruisséque prædestinatis & electis tempore se posterioribus gratiam prædestinationis, electionisque, ipsámque pariter eorum prædestinationem & electionem, quàm diuina voluntas peculiarem illum circa eos affectum habuerit, quo efficaciter eos elegit & prædestinauit.

I.

Ad primam autem in contrarium probationem, dico diuinam quidem voluntatem se humanæ conformasse prædestinando eligendóque prædestinatos & electos, quia toties diuina voluntas humanæ se conformat, quoties illa huius merita spectat, aut quod donat, decernítve donare, non nisi intuitu meritorum eius donat, aut donare decernit: at Christi pro prædestinatis & electis peculiariter orantis, & merita sua applicantis, humanam voluntatem priori cuidam diuinæ voluntati se conformasse, illi scilicet qua Deo placere sciebat, vt pro iis peculiariter oraret, suáque merita applicaret.

Ex quo patet responsio ad secundam probationem: hinc enim liquet semper in Deum primò referendum esse, quod hi potiùs quàm illi

II.

prædestinentur, & eligantur: æqualiter proinde manere inscrutabilem diuini consilij circa prædestinatos & electos altitudinem: cùm hi potiùs quàm illi prædestinentur & eligantur, quia Christus pro his potiùs quàm illis orauit, alitérve sua merita applicauit: hic autem pro iisdem potiùs quàm aliis applicarit, & orarit, quia Deo placebat vt pro his potiùs oraret applicarétque quàm pro aliis: cur autem placeret, vt pro his potiùs quàm pro aliis oraret, & applicaret, sit inscrutabile iudicium Dei, propter quod meritò prorumpit Apostolus in eam quam diximus exclamationem.

III.

DISPVTATIO XLVIII.

De Christi subiectione sub Deo.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Christus secundùm humanitatem sit proprie Dei seruus?

HOc vnum in hac materia, de qua sanctus Thomas agit quæst. 20. dubitationem habet, cùm tria alia certa sint. Primum est, Christum secundum humanitatem, vtpote creaturam, fuisse subiectum Deo, ac proinde sibi ipsi spectato secundùm diuinitatem. Secundum est,

IV.

eundem habuisse multiplicem sub Deo subiectionem: triplicem enumerat S. Doctor citatæ quæst. artic. 1. de quarum nulla dubium vllum esse potest. Circa tertiam, quæ est subiectio qua quis obligatur parere præceptis diuinis, hoc vnum breuiter aduerto, Christum obligatum fuisse præceptis aliquibus, & quidem sub peccato, itavt si secus faceret, peccaret: quod cùm satis constet ex dictis sect. 1. 44. disputationis, confirmatur obiter ex his ipsius Christi verbis, Ioan. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Quo loco manifestè sermo est de præceptis, quorum obseruatio necessaria est ad conseruandam dilectionem diuinam, quæ alia esse non possunt, quàm quæ sub peccato etiam mortali obligant, cùm hoc solùm peccatum diuinæ dilectioni repugnet.

A

V.

Nec opponat quisquam S. Damascenum lib. 4. de fide cap. 19. asserentem Christum *non habuisse necesse Patri subiici*: cùm enim adiungat hanc causam, quia *nunquam Patri contumax fuit, vt ei subiectione opus fuerit*, solum vult, non fuisse necessarium vt per vim cogeretur à Deo Patre subiici, & parere diuinis imperiis, sicut necesse est subditos Regi suo rebelles per vim & potestatem cogi ad parendum.

Tertium est, quoad loquendi modum, Christum non debere absolutè dici sibiipsi, aut Verbo subiectum, sed solùm addita hac determinatione, secundùm humanitatem: at absolute sine ista determinatione dici posse subiectum Patri,

B

VI.

aut Deo, qui est terminus communis singulis personis diuinis, & pro persona Patris accipi potest. Hoc quidem posterius dici posse constat ex Ioan. 14. vbi se ipse Christus absolutè sine prædicta determinatione, minorem Patre dixit. Illud autem priùs dici non debere, constat ex eo quòd, vt rectè Concilium Alexandrinum epistola ad Nestorium, quæ decima est inter Cyrilli epistolas, & in Ephesino Concilio approbata est, hoc diceretur aut impiè, aut ineptè: ineptè quidem, si diceretur, admissa vnica Christi, diuiníq. Verbi persona: nullus enim nisi ineptè sibi dominus, aut seruus, subditus, aut superior absolutè dicitur. Impiè autem, si non ineptè, quia ne ineptè dicatur, suppositorum in Christo diuisio distinctióque admittenda est: quam admittere impium est, quia hæreticum.

C

VII.

Hæc tria cùm certa sint, istud vnum dubium est, vtrùm Christus secundùm humanitatem sit proprie Dei seruus? sumpto serui nomine strictè, non pro eo tantùm qui paret imperanti, & parere tenetur, quod habet in humanis quilibet filius etiam Regis respectu Patris, cuius tamen proprie seruus non est. Sed pro eo qui Dominum habet, estque in eius potestate, sicut aliæ res in quas habere dominium dicitur. Negat Gabr. Vasquez disputat. 80. nullam pro sua sententia Theologum citans: affirmat Suarez disputat. 44. sect. 1. §. *Secunda opinio est*, citans pro se Paludanum, Durandum, Bassolim, Caietanú, omnésque Thomistas, ipsúmque nominatim S. Thomam, qui sanè hac tota quæst. 20. variis locis apertè in ista posteriore sententia est: quem Vasquez cap. 10. citatæ disput. perperam interpretatur, inquiens, Christum ab ipso dici seruum

D

VIII.

seruitute quæ alia non est quàm subiectio obedientiæ, qua filius etiam Regis, patris sui seruus dici potest. Manifestè enim admittit præter hanc subiectionem in Christo aliam, quam seruitutem appellat, & ab illa obedientiæ subiectione distinguit.

Hæc autem secunda sententia quæ præcedente probabilior videtur, quámque præter citatos tuentur Medina hac quæst. 20. Ioan. Vincentius de gratia Christi, quæst. 1. artic. 1. & Bellarm lib. 1. de Christo cap. 6. probatur in primis

authoritate Scripturæ, cuius variis in locis Christus Dei seruus appellatur, vt Isaiæ 42. *Ecce seruus meus, susciperam eum.* & 52. *Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.* Ezechiel.34. *Suscitabo super eas pastorem vnum, seruum meum Dauid.* & Zach.3. I. *Adducam seruum meum Orientem.* Quæ loca de Christo intelligenda communis omnium etiá aduersariorum consensus est : in quibus serui nomen in propria significatione vsurpari, Patres Incarnationis mysterium explicantes docent.

Cyrillus lib.12.Thesauri cap. 15. non procul à fine, sic scribens : *Serui Deus sumus secundùm naturam, Christus verò, dominus quidem secundùm naturam, quia Deus, sed seruus factus est, quia vere homo.* Et libro ad Euoptium, Anathematismo 6. in oppositione ipsius Cyrilli, sic de Christo inquiens : *Nullo modo offendi decet, si quis dicat seruum eum appellari, propter vocem sanctorum Prophetarum. Cognouerunt enim per reuelantem eis Spiritum sanctum quod Verbum* II. *ex Deo patre fieret homo.*

Athanasius orat.3.contra Arianos columna 11. agens de Christo sic ait : *Quatenus in confesso est eum hominem esse factum, nihil est discriminis, siue genitus, siue factus, siue item seruus, aut filius ancillæ appelletur : omnes enim huiusmodi voces in rationem humanitatis benè & propriè competunt.*

Chrysost.homil.7.in istud ad Philipp.2. *Formam serui accipiens*, sic de Christo: *In forma Dei perfectus est Deus, in forma serui perfectus est seruus.* Homilia autem de verbis Dauid, *quis sum ego*, &c. tomo 1. sic loquitur: *Quid humilius seruo? tamen hoc Dominus esse dignatus est, vt ex seruis liberos faceret, vt seruitus ipsius nobis ingenuitatem donaret.*

Hilarius lib.11.de Trinitate columna 8. agens de dominio Dei in Christum, & huius seruitute III. sub illo : *Non alia*, inquit, *dominatus causa intelligenda est, quàm quæ extitit seruitutis : tunc habuit ex naturæ dispensatione Dominum, cùm præbuit ex hominis assumptione se seruum.*

Augustinus epist. 178.circa finem sic de Christo scribit : *In infirmitate carnis suscepta non solùm subditum, sed etiam seruum euidentissimè confitemur, ipso dicente, ego seruus tuus sum.*

Ambrosius lib.5.de fide cap.7.circa medium, de Christo item loquens ait : *Non præiudicat quòd subditus dicitur, cui non præiudicat, quòd seruus legitur.* & epistolæ 47. principio quendam reprehendit, quòd Christum *pro nobis seruitutem suscepisse* negaret.

Hieronymus similiter de eodem in supra relata ex Isaiæ 42.verba, *Nec mirum si seruus vocetur factus ex muliere, factúsque sub lege, qui* IV. *cùm in forma Dei esset, humiliauit se, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Gregorius Magnus lib.2. Moralium cap.16. exponens de Christo ista Dei verba, *Nunquid considerasti seruum meum Iob*, de eóque sic inquiens, *qui bene etiam seruus dictus est, quia formam serui suscipere dignatus est.*

Fulgentius libro de fide ad Petrum cap. seu §.2. non ita procul à fine, sic de eodem Christo, *Deus est in forma Dei æqualis Deo : seruus in forma serui: quia in similitudinem hominum factus habitu inuentus est vt homo. Exinaniens ergo semetipsum formam serui accepit, vt fieret seruus, factus secundum formam serui homo verus eiusdem naturæ cuius est ancilla mater : & manens in forma Dei Deus verus, eiusdem naturæ cuius est etiam Dominus pater.*

A Petrus Diaconus libro de Incarnatione cap. V. 6.de filio Dei, *qui cùm esset Dominus, vtpote Deus, vt nos à seruitute perpetua & potestate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus est seruus, accipiens formam serui.* Isidorus denique lib. 1. sentent. capitis 16. principio, *Christus in forma serui seruus, & hominum Dominus.*

Probatur deinde hac ratione. Deus tam est absolutus Dominus Christi secundùm humanam naturâ spectati, quàm cuiusuis alterius puræ creaturæ intellectualis humanæ vel Angelicæ: ergo Christus secundùm eam spectatus tam propriè Dei seruus est, quàm quiuis purus homo, vel Angelus. Consequentiæ bonitas patet : Dominus enim relatiuè dicitur, & alicuius, nempe B serui, Dominus est, sicut & seruus Domini seruus est. Probo antecedens à definitione dominij, quæ est potestas disponendi de re aliqua, per propriam authoritatem, in omnem vsum, sine cuiusquam iniuria: quam potestatem æquè Deus habet circa Christi humanitatem, atque circa quamcunque aliam naturam creatam humanam aut Angelicam : sicut enim hanc naturam immutare, destruere, similibúsque modis de ea disponere pro arbitrio potest : ita & illam, ac de illa pariter potest. Vnde si propter hanc absolutam Dei in quemcunque purum hominem & Angelum potestatem, verè est huius & illius absolutissimus Dominus, & hic atque ille propriè & strictè seruus eius: profectò propter eandem erit Christi secundùm humanitatem spectati absolutissimus Dominus, & hic ita spectatus propriè ac strictè seruus illius. VI.

C Nec refert, quòd humanitas Christi eandem cum Deo diuinitatem, sanctitatem, sedem, eundem honorem & latriæ cultum participet, secus autem quælibet pura creatura : hoc enim non obstante discrimine, Deus habet tam absolutam potestatem de illa humanitate disponendi pro arbitrio ad omnem vsum, sine cuiusquam iniuria, quàm de qualibet alia creatura: propter quam absolutam potestatem sicut cuiusuis puræ creaturæ Dominus est, ita propter eandem erit & illius humanitatis. VII.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contraria.

D PRIMVM ducitur ex authoritate Concilij Francofordiensis, & Adriani primi Pontificis Maximi in epistola ad Episcopos Hispaniæ, condemnantium Elipandum Archiepiscopum Toletanum, quòd Christum secundùm humanitatem Dei seruum esse diceret, vt & filium adoptiuum. Respondent aliqui Elipandum Nestorianum fuisse, & admisisse in Christo duplex suppositum, vnum hominis, alterum Dei: voluisséque Christum non secundùm solam humanitatem, sed etiam secundùm suppositum illud humanum fuisse seruum Dei, & hoc tantùm à Cõ- VIII.

cilio & Pontifice fuisse damnatum. At hæc responsio non est satis probabilis, quoniam Elipandus Nestorianus non fuit, imò confessus est vnicam in Christo personam, & naturas duas, humanam ac diuinam: voluítque tantùm, ipsum secùndùm humanitatem esse Dei seruum, & filium

I. adoptiuum, vt rectè monet Vasq. disput. 80. cap. 4. & probat efficaciter disput. 89. cap. 8.

Respondeo ergo Cõcilium & Pontificem eam negasse de Christo seruitutem, quam Elipandus ponebat: non ponebat autem eam præcise, quæ nihil est aliud quam subiectio sub prædicta Dei potestate, qua potest pro arbitrio disponere in omnem vsum de creatura sua, sine cuiusquam iniuria: quæ seruitus cuilibet creaturæ naturaliter inest, & necessariò: sed & hanc seruitutem ponebat, & ei conditiones illas seruitutis adiungebat, quæ in puris creaturis locum habent: habere autem non possunt in natura creata vnita Deo hypostaticè: admittebat enim in humanitate Christi, licet vnita hypostaticè Verbo, seruitutem similem illi quæ in puris aliis hominibus

II. est, id est, seruitutem vilem, pauperem, egentem beneficio adoptionis, imò & obnoxiam peccato, qualis est puri hominis seruitus: vnde etiam Christum non modò seruum, sed seruulum appellabat, sicut & quemlibet alium purum hominem, nimísque abiectè de ipso sentiens, de eo vt homine non magnificentiùs quàm de aliis puris hominibus loquebatur, vt ex his confessionis eius verbis intelligitur: *Quia si conformes sunt omnes huic filio secundùm gratiam, & cum adoptiuo adoptiui, & cum aduocato aduocati, & cum Christo christi, & cum paruulo paruuli, & cum seruulo seruuli, & cum leproso leprosi*, &c.

Et quoniam seruitus his affecta seruilibus conditionibus in solis puris creaturis esse potest, rectè Concilium & Pontifex contra Elipandum in humanitate Christi seruitutem his

III. affectam conditionibus admittentem concluſit ex hac eius doctrina, Christum hominem puram creaturam esse, aliúdque proinde esse in Christo suppositum hominis, aliud Verbi, quod Nestorianum est. Vnde etiam verissimè adiunxit, illam eius doctrinam pridem cum Nestorio fuisse damnatàm: damnata enim hæresi aliqua, damnatur consequenter omnis propositio ac doctrina quæ necessariam habet cum illa connexionem.

Quoniam item serui nomen à Prophetis de Christo vsurpatum perinde videbatur vsurpati, atque dum de puris creaturis vsurpatur, de quibus vsurpatum significat seruitutem non præcisè, sed prædictis affectam conditionibus, propterea idem Pontifex dixit seruum de Christo dici non propriè, sed metaphoricè: quod non im-

IV. pedit quin propriè dicatur, quando serui nomine ipsa præcisè seruitus, siue prædicta sub Dei dominio subiectio significatur.

Et certè si hoc solo sensu Christum secundùm humanitatem seruum Elipandus dixisset, nunquam & Concilium illud, & ille ipse Pontifex tam asperis in eum verbis vteretur, qualia sunt ista Pontificis in prædicta epistola circa medium: *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt adoptiuum eum filium, quasi purum hominem calamitati humanæ subiectum, & quod pudet dicere, seruum eum impij, & ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescatis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum seruum nuncupare?* Qualia item sunt ista Concilij illius in epistola item ad Episcopos Hispaniæ, non procul à fine. *Intelligite in hac professione vestra duplices diabolicæ frandis latuisse dolos: hoc est, vt vos, qui gratia baptismatis redempti estis, ab vnitate Catholicæ disiungeret Ecclesiæ, & schismatici erroris laqueo à via salutis æternæ retraheret: & gentibus inter quas habitatis* (Mahumetanos intelligit) *Christianæ fidei initia intercluderet, dum Dominum Iesum Christum quem Deum colimus, & adoramus, seruum prædicatis, & adoptiuum.* Credibile enim non est Concilium & Pontificem voluisse tam seuerè reprehendere, támque rigide condemnare tot sanctos Patres, quos suprà vidimus Christum seruum simpliciter & absolutè dicere: nec ita definitionem Pontificis & Concilij illius celebrati ante annos octingentos D. Thomas, aliíque suprà citati Theologi intellexerunt, qui nihilominus Christum seruum Dei esse docuerunt: quod nunquam fecissent haud dubiè, si à Concilio & Pontifice fuisse damnatum existimassent.

Secundum argumentum ex hac ratione sumitur. Seruitus incompossibilis est cum vnione hypostatica cum Deo: ergo cum in Christi humanitate sit ista vnio, impossibile est in ea esse illam seruitutem. Probatur antecedens primò authoritate S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 19. in quo sic de Christi carne, seu humanitate loquitur. *Nisi Deo Verbo copulata fuisset, serua procul dubio & ignorans extitisset. Verùm ob personalem vnionem cum Verbo Deo hoc habuit, vt nec serua esset, nec in ignoratione versaretur.* Et lib. 3. cap. 21. *Sanè seruilis ordinis esset caro, nisi Verbo Deo copulata esset: at cum semel ei personaliter vnita sit, quonam iam pacto in seruilem classem redigetur?*

V.

VI.

VII.

Secundò hac ratione, quòd nimirum seruitus sit incompossibilis cum filiatione naturali: si enim inter homines cum adoptiua incompossibilis est, vt esse constat ex Instit. Titulo de adoptione, multò magis erit cum naturali: Christus autem secundùm humanitatè ratione vnionis hypostaticæ est Dei filius naturalis.

Probatur idem antecedens tertio hac altera ratione, quòd videlicet seruitus strictè sumpta præsupponat necessariò in eo qui seruus dicitur priuationem communicationis in bonis, & in honore cum eo cuius seruus dicitur. Vnde si quæ mulier est alicuius viri serua, & hæc ab illo ducatur in matrimonium, desinit esse serua eo ipso quo fit illius vxor, quia eo ipso quo fit vxor, communicat in honore similibúsque bonis cum ipso: vnde etiam filius non modò naturalis, sed & adoptiuus patris adoptantis non est ampliùs seruus, si antea erat, quia eo ipso quo fit filius, licet tantùm adoptiuus, communicat cum patre in honore, in bonis quoque fortunæ, propter ius quod ad hæreditatem habet, & in similibus: humanitas autem Christi ratione vnionis hypostaticæ perfectissimè communicat in bonis diuinis cum Deo, in sanctitate scilicet: nam diuinitate tanquam forma sancta

VIII.

est: in maiestate quoque, & appellatione: nam concretè sumpta vere Deus est, & nominatur: in honore denique, quia sicut Deus, sic & illa cultu latriæ colitur, & adoratur.

Respondeo negando antecedens, cuius ad primam probationem dico S. Damascenum esse intelligendum de seruitute affecta conditionibus illis quas habet adiunctas cuiuslibet puræ creaturæ seruitus, à quibus humanitas Christi per vnionem hypostaticam eximitur, sicut & à statu puræ creaturæ. I.

Ad secundam, nego seruitutem esse ex natura rei incompossibilem cum filiatione vel naturali, vel adoptiua: fieri enim absolutè posset, vt filius tam naturalis quàm adoptiuus ratione grauis alicuius delicti fieret per sententiam iudicis seruus sui Patris, itavt hic haberet in illum eam omnem potestatem, quam habet in alia mancipia sua, & ratione cuius eorum Dominus dicitur. Etsi autem ex citato Iuris titulo de Adoptione colligatur authoritate humana introductum esse, vt filius adoptiuus seruus esse desinat, si antea erat: hoc tamen non impedit, quin ex natura rei seruus patris adoptantis fieri possit, postquam fuit adoptatus. II.

Adde, quòd etsi in rebus humanis seruitus cùm filiatione naturali vel adoptiua stare non posset, stare tamen posset creaturæ sub Deo seruitus cum filiatione Dei vel naturali, vel adoptiua. Ideo enim prior illa seruitus stare cum illa filiatione non posset, quia in homine patre respectu filij, vel adoptiui, vel naturalis, non posset esse illa potestas quæ ad dominium requiritur: at contrà posterior seruitus cum illa Dei filiatione staret, quia Deus respectu creaturæ filiationem hanc habentis habet omnem quæ ad absolutum dominium requiritur potestatem.

Ad tertiam dico, quod in ea dicitur verum esse de seruitute humana sub humano dominio: falsum autem de seruitute creaturæ sub dominio diuino. Ratio disparitatis est, quòd illa seruitus naturalis non est, seu ex natura rei, sed hominum libera voluntate introducta: hæc autem merè naturalis est, & omnino necessaria, nullam aliam in creatura conditionem requirens, quàm vt creatura sit, ac proinde pendens in fieri & conseruari à Deo: sicut in ipso ratio supremi dominij nullam aliam requirit conditionem, quàm vt sit Deus, ac proinde creaturæ author & conseruator: qui hoc posito non potest non habere prædictam absolutissimam de ea disponendi potestatem. At illa altera seruitus sicut hominum libera voluntate introducta est, ita & est introducta cum iis conditionibus quæ illis placuerunt. Et quoniam fuit introducta in grauissimam pœnam violatæ iustitiæ, alteriusve grauis peccati, ideo placuit illis excludi per eam ab eo qui seruus sit communicationem in bonis & in honore cum Domino, per eandémque fieri statum hominis serui vilem & abiectum, comparatione præsertim Domini habentis in illum eam potestatem, ratione cuius Dominus illius dicitur: quam potestatem cum non retineat quando ille cum eo communicare in prædictis bonis incipit, non mirum, si per hanc communicationem fiat, vt iste Dominus, ille seruus esse desinat. III. IV.

A

At quemadmodum si non obstante ista illius cum eo in bonis communicatione retineret in illum eandem quam ante potestatem, posset que de illo disponere in suum vsum pro arbitrio siue cuiusquam iniuria, sicut antea poterat, impedire non posset illa communicatio, quo minus ratione potestatis istius vere Dominus illius esset, & ille seruus: ita cùm non obstante humanitatis Christi communicatione prædicta in bonis diuinis, Deus absolutissimam retineat potestatem disponendi de ea in omnem vsum ad arbitrium, sine cuiusquam iniuria, sicut & de quacunque alia creatura, impedire non potest prædicta illa communicatio, quo minus Deus tam sit absolutus eius Dominus, quàm cuiusuis alterius creaturæ: quam etiam ob causam est absolutissimus Dominus cuiuslibet puri hominis, & Angeli, qui per gratiam sanctificantem filius eius adoptiuus est, licet inter homines adoptiuus filius patris sui seruus non sit. V.

B

DISPVTATIO XLIX. VI.

De Christi oratione.

DVÆ tantùm sunt de ea difficultates. Vna, vtrùm Christus in cœlo pro nobis oret? Sed fusè pertractata à nobis alia occasione fuit ad quæstionem 19. disputatione 45. sectione 2. Altera est, vtrùm omnis eius oratio exaudita fuerit? Affirmandum est fuisse, sumpto propriissimè orationis nomine. Non enim quælibet nostra cum Deo loquutio, & manifestatio ipsi à nobis facta nostri imperfecti seu simplicis & inefficacis affectus, quo aliquid cupimus, oratio dici debet, propriissimè loquendo, sed illa sola quæ est manifestatio perfectæ seu efficacis nostræ voluntatis, qua aliquid obtinere ab ipso cupimus, quod & petimus ex efficaci illa obtinendi voluntate: certum autem est, Christum quidquid efficaciter desiderauit, & efficaci desiderio obtinendi à Patre petiit, obtinuisse.

C

VII.

Quòd autem oratio alia non sit quàm quæ à me dicta est manifestatio, colligitur euidenter ex doctrina sancti Thomæ quæstionis 21. quæ tota de Christi oratione est, articulo quarto, in quo postquam distinxit duplicem eiusdem Christi voluntatem, vnam imperfectam, siue simplicem & inefficacem, alteram perfectam seu efficacem, non distinguit duplicem orationem, vnam imperfectam, seu quæ sit manifestatio imperfectæ illius voluntatis, alteram perfectam, seu quæ sit manifestatio istius perfectæ, sed subiungit, perfectam semper impletam fuisse: hinc statim concludens his verbis, *Et per consequens omnis eius oratio exaudita fuit.* Quæ conclusio mala esset, nisi præsupponeret orationem aliam non esse, præter eam, qua aliquid petitur ex efficaci obtinendi voluntate.

D

VIII.

Colligitur deinde ex eo quòd orationem quæ propriissimè oratio dicitur, comitari po

test,

te ſt, aut etiam debet ſpes & fiducia obtinendi à Deo, quod ab eo orantes petimus: at ſi quælibet Chriſti cum Patre loquutio, & manifeſtatio ſimplicis & inefficacis alicuius affectus ſui, oratio dici deberet, fatendum conſequenter eſſet, Chriſtum oraſſe aliquando Patrem ſine vlla ſpe & fiducia obtinendi quod petebat, imò potiùs cum diffidentia & deſperatione obtinendi. Cùm enim certiſſimè ſciret Patrem ſuum non habere voluntatem efficacem faciendi id cuius aliquando ſimplex deſiderium habebat quod ipſi exponebat, imò habere efficacem in contrarium voluntatem, hac præſuppoſita ſcientia, impoſſibile prorſus erat, vt huius rei ab eo obtinendæ ſpem ac fiduciam vllam conciperet.

I. Ex eo denique colligitur, quòd poſſemus alioqui ſimul eodémque tempore contradictoria orando petere: cùm enim vna ex parte ſimul habere poſſimus affectum inefficacem alicuius rei, vt Chriſtus habuit paſſioni proximus vitæ retinendæ, & affectum efficacem rei oppoſitæ, vt idem habuit vitæ profundendæ: ex altera vero poſſimus vtrumque ſimul affectum Deo manifeſtare, peteréque ab ipſo vt fiat id quod efficaciter volumus: ſanè ſi affectus inefficacis manifeſtatio facta Deo eſſet oratio, qua rem inefficaciter deſideratam peteremus, manifeſtè ſequeretur, nos ſimul contradictoria orando petere: vnius enim affectus manifeſtatione vnum peteremus, ſimul autem alterius affectus manifeſtatione contradictoriè oppoſitum.

II. Nec opponas hæc verba Pſalmi 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies:* quibus Chriſtus in propria ſua perſona loquitur, iuxta meliorem eorum interpretationem. His enim non ſignificatur Chriſtum aliquam propriè fudiſſe orationem quam Deus non exaudierit, ſed tantummodo ipſum expoſuiſſe Deo ſimplex aliquod & inefficax deſiderium ſuum, mortis ſcilicet tam acerbæ deuitandæ, cui ipſe

III. non reſpondit efficiendo vt reipſa non moreretur, & cui ipſum non reſpondere, Propheta regius vocat non exaudire.

DISPVTATIO L.

De Chriſti ſacerdotio.

AGIT de eo ſanctus Thomas quæſtione 22. ſex articulis conſtante, quibus contentam doctrinam ſequentibus ſectionibus explicabimus, iis duntaxat omiſſis quæ ſuperiùs ſatis explicata ſunt.

IV. ## SECTIO PRIMA.

Vtrùm Chriſtus ſit vere & propriè ſacerdos?

CATHOLICA doctrina quæ affirmat eſſe, patet ex his Scripturæ locis: Pſalmo 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech:* quæ Pſalmi verba de Chriſto expoſuit Apoſtolus epiſtolæ ad Hebræos cap. 5. & 7. imò ipſe Chriſtus de ſeipſo Matth. 22. dum priores eiuſdem Pſalmi verſus de ſe interpretatus eſt: conſtat enim ex ſerie orationis poſteriores, eíſque nominatim quem retulimus, de eadem perſona debere intelligi, de qua priores intelligendi ſunt. Ad Hebr. cap. 4. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit cœlos Ieſum filium Dei,* &c. de quo rurſus cap. 7. ſic

A ait idem Apoſtolus: *Hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.* V.

Hîc autem aduertendum, quòd cùm ſacerdotium ad ſacrificium ordinetur, vt ad actum ſibi maximè proprium, vnde Iuſtinus ait dialogo cum Tryphone procul à medio & fine pag. 269. *Deum a nemine accipere hoſtias niſi à ſacerdotibus ſuis.* Et S. Auguſt. epiſtola 49. quæſt. 3. tria hæc: *Templum, ſacrificium, ſacerdotem,* ponit vt ſeſe concomitantia, quot modis ſacrificium dicitur, totidem ſacerdos & ſacerdotium dicitur. Illud autem duobus vniuerſim modis dici ſolet, ſiue ſumatur pro actione offerendi, ſeu ſacrificandi, ſiue pro re oblata ſeu ſacrificata: impropriè ſcilicet ſeu metaphoricè, & propriè.

B Sacrificium improprie dictum, & pro ſacrificandi actione vſurpatum, nihil eſt aliud quàm VI. boni operis exercitium, quodcunque demum ſit illud bonum opus, & cuiuſcunque virtutis, hoc autem opus quod eſt illius exercitij ſeu actionis immediatus terminus eſt idem ipſum ſacrificium improprie dictum, ſed pro re ſacrificata vſurpatum. Cui ſacrificio ſic impropriè dicto reſpõdens ſacerdotium improprie item dictum aliud nihil eſt quàm poteſtas bonum illud opus exercendi: vnde cùm cuilibet inſit hæc poteſtas, ineſt quoque hoc ſacerdotium: éſtque proinde quilibet hoc ipſo ſacerdotij genere ſacerdos.

Hinc frequenter in Scriptura bona opera vocantur hoſtiæ, ſacrificia: operum iſtorum exercitium, oblatio, ſacrificatio: ea exercentes, ſacerdotes. Primi exemplum habemus Pſalmo 50. verbis iſtis: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.*

C Secundi, Eccleſiaſtici 35. vbi ſic dicitur: *Qui facit* VII. *miſericordiam, offert ſacrificium.* Tertij, 1. Petri 2. in quo omnes Dei cultores his compellat verbis S. Petrus: *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.* Et paulò poſt: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis,* &c. Apocal. item 1. & 5. vbi Chriſtus dicitur nos omnes à ſe pretio ſui ſanguinis redemptos *feciſſe Deo & patri ſuo regnum, & ſacerdotes.*

Iam verò ſacrificium proprie dictum & pro ſacrificandi actione vſurpatum eſt actio aliqua exterior ad religionis virtutem pertinens, elicita circa rem aliquam ad ſignificandum proteſtandúmque ſingularem illam Dei excellentiam, qua

D eſt author vitæ & mortis: vſurpatum verò pro re VIII. ſacrificata eſt hæc ipſa res circa quam illa actio exercetur: vt in ſacrificio agni ſacrificium pro actione ſumptum eſt ipſius agni iugulatio: ſumptum pro re ſacrificata eſt ipſe agnus iugulatus. Cui ſacrificio proprie dicto quod reſpondet ſacerdotium propriè pariter dictum eſt poteſtas publica authoritate alicui collata ad iſtud ſacrificij genus Deo offerendum. De quo ſacerdotij genere intelligenda ſunt relata Scripturæ loca, quibus Chriſtus ſacerdos

dicitur, vt communis omnium Patrum, & Interpretum consensus & expositio est, nominatimque Concilij Tridentini sessione 22. cap. 1. cuius etiam ex verbis & doctrina eodem capite, & sequenti, primisque quatuor eiusdem sessionis canonibus tradita clarissimè intelligi-
I. tur Christum fuisse hoc ipso sensu sacerdotem.

Quod & hac ratione probatur. Vt quis sit verè & proprie sacerdos, nihil aliud absolutè requiritur, quàm vt sit mediator hominum apud Deum publica authoritate constitutus ad offerendum ei proprie dictum sacrificium: atqui Christo totum id conuenit. Id quidem totum requiri vt quis sit proprie sacerdos, docent Theologi omnes, probantque clarè ex his Apostoli verbis ad Hebræos, capite quinto. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*: sufficere verò, & ex eorundem omnium consensu certum est, & ex eo quòd quisquis hoc habet, eo ipso quo habet, verè propriéque sacerdos
II. ab omnibus dicitur: ita vt vel nihil aliud necessarium sit ad hoc proprij sacerdotij genus, vel si quid aliud est necessarium, non possit non inesse ei cui illud quod diximus inest, & eo ipso quo inest: Christum autem totum illud habuisse certissimum ex fide est.

Fuit enim in primis mediator hominum apud Deum, teste Apostolo, cuius hæc verba sunt primæ ad Timotheum secundo: *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. Deinde seipsum obtulit Deo in sacrificium cruentum, dum passus & mortuus est, teste eodem Apostolo epistolæ ad Hebræos capite septimo, versu 27. & cap. 9. à versu 11. ad 16. & à 25. ad 28. Epistolæ quoque ad Ephesios capite quinto, his de Christo verbis, *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*: quibus certissimè, iuxta communem omnium Interpretum expositionem, de cruento illo sacrificio sermo
III. est. Teste denique Tridentino Concilio sessionis 22. cap. 1. & 2. sæpiùs id clarissimis verbis repetente. Obtulit præterea seipsum in vltima cœna in sacrificium incruentum panem & vinum consecrans, & conuertens in suum corpus & sanguinem, vt idem Concilium testatur ibidem, probabiturque ex instituto, dum in Tractatu de Eucharistia, de Missæ sacrificio disputabitur. Denique hanc sacrificandi sui potestatem non vsurpauit sibi, sed à Deo Patre accepit, vt clarè significant hæc Apostoli verba ad Hebræos, capite quinto: *Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed*
IV. *qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te: quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

SECTIO II.

Vtrum Christus sit sacerdos vt Deus, an vt homo?

VERA sententia est, Christum in quantum homo est, seu secundùm solam naturam humanam esse sacerdotem. Ita communiter Theologi. Cuius ad veritatis intelligentiam reuocandum in memoriam est quod disp. 6. sect. 5. obiectione 2. diximus de particulis his, in quantum, quatenus, secundùm, secundùm quod, & similibus, dum iis vtimur in aliqua propo- A V.
sitione designantes naturam vnam ex duabus, quibus Christus constat, siue diuinam, siue humanam, eique genus aliquod operationis tribuentes: nempe quamlibet ex huiusmodi particulis esse notam specificationis quæ designat naturam cui talis operatio tanquam propria conuenit, vt principio elicienti, & ratione cuius de toto supposito prædicatur: quod ibi fusè declaratum est.

Quo præsuppositio, probo nostram assertionem hoc in primis argumento. Christus secundùm eandem naturam sacerdos est, secundùm quam Dei & hominum mediator est: atqui secundùm solam naturam humanam mediator est: ergo & sacerdos. Maioris veritas hinc clara est, quod licet non omnis mediator sit sacerdos, omnis tamen sacerdos, & eo ipso quo sacerdos, mediator est, eoque ipso quo proprio B VI.
sacerdotis officio fungitur, mediatoris personam agit, & munus exercet. Minorem rectè probat Vasquez hic disp. 83. cap. 3. ex suprà relatis Apostoli verbis 1. ad Timot. 2. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, obseruans & probans ex multis Patribus, quos citat, Apostolum in primis eo loco vocabulum istud, *homo*, addidisse, non ob aliam causam, quàm vt indicaret naturam, secundùm quam Christus mediator extitit.

Deinde verbis his, *Vnus Deus*, non intelligi personam solius Patris, sed totam Trinitatem, quæ est vnus numero Deus: quo fit vt cùm verbis hæc immediatè consequentibus dicitur, *Vnus & mediator Dei & hominum*, Dei vocabulum eandem haud dubiè significationem habens, quam in proximè præcedentibus, pro to- C VII.
ta Trinitate accipiendum sit: inter quam etiam & homines Christum mediatoris officio fungi oportuit, cùm hæc hominum peccatis esset offensa, essétque cum iis Christi ipsius interuentu reconcilianda. Quare cùm mediator vt sic sit necessariò distinctus ab eo apud quem mediator est, quia medius est inter eum apud quem, & inter illum pro quo interuenit, Christus autem, secundùm diuinam naturâ spectatus, non sit distinctus ab vno Deo, qui trinus in personis est, & ab ipsa tota Trinitate, sequitur euidenter, vt mediator secundùm illam naturam esse non possit, & proinde sit secundùm solam humanam.

Quæ veritas ex eo præterea confirmatur, quòd mediator est secundùm eam solam naturam, se- D VIII.
cundùm quam solam pro peccatis hominum Deo satisfacit: non enim aliter quàm satisfaciendo mediatoris officio fungitur: satisfacit autem secundùm solam naturam humanam: quia omnia eius satisfactoria opera soli eiusdem humanitati tanquam principio elicienti conueniunt, vt ex dictis loco citato, traditaque superiùs de satisfactione Christi doctrina clarum est.

Probo deinde eandem assertionem hoc altero argumento. Christus est sacerdos secundùm

eam solam naturam, secundùm quam est principium elicitiuum actionis quæ propria sacerdotij est: sicut secundùm eam solam naturam cœli & terræ creator est, aut hominum redemptor, secundùm quam est principium elicitiuum actionis, quæ aut hominum redemptio, aut cœli terræque creatio est: atqui secundùm solam humanam est principium elicitiuum actionis quæ propria sacerdotij est: tum quia nulla proferri potest huiusmodi actio cuius elicitiuum principium sit diuinitas: tum quia si quæ propria sacerdotij actio est, maximè oratio, & sacrificatio: at huius & illius actionis principium elicitiuum potest esse sola natura inferior superiorem habens, cui orationem & sacrificium offerat. Quamobrem rectè sanctus Ambrosius libro tertio de fide, capite 5. sub finem de Christo, sic ait: *Sacerdos idem & hostia, sacerdotium tamen & sacrificium humanæ conditionis officium est.* Sanctus autem Augustinus libro primo de consensu Euangel. cap. 3. sic: *Secundùm hominem Christus sacerdos effectus est, vt esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Fulgentius quoque libro de fide ad Petrum cap. 2. ad finem sic de eodem Christo: *Solus sacerdos, sacrificium, & templum, & hæc omnia Deus secundùm rationem serui.* Præterea Cyrillus Alexandrinus libro primo de fide ad Reginas procul à fine explicans Apostoli verba ex epistola ad Hebræos postquam hæc verba præmisit: *Vnus igitur est Christus & Filius*, nonnullis interpositis hæc subiungit: *Appellatus autem Pontifex propter humanitatem.* Theodoretus denique de selectis quæstionibus in 1. Regum quæst. 10. siue 7. iuxta editionem Græcolatinam verbis his: *Hæc autem nulli quidem homini conueniunt, sed soli Domino nostro Iesu Christo*, addit hæc immediatè: *Qui, quod attinet ad humanitatem, nominatus fuit Pontifex noster.*

I. A II. B III. C

Aduerte autem diligenter, quòd dum hîc dicimus Christum secundùm solam humanam naturam sacerdotem esse, & sacerdotis officio functum, non excludimus naturam diuinam, nisi tanquam principium elicitiuum actionis quæ propria sacerdotij est: non enim excludimus tanquam principium & radicem infinitæ simpliciter dignitatis quam Christi sacerdotium habuit, & valoris simpliciter infiniti quem habuit propria huius sacerdotij actio: quæ radix non significatur quidem illa similive propositione, qua Christus secundùm solam humanam naturam sacerdos esse, aut sacerdotis officio functus dicitur, at etiam non negatur: quæque non significaretur his propositionibus, & similibus, Christus est sacerdos, & sacerdotio functus est in quantum homo & Deus, aut secundùm humanitatem, & diuinitatem: sed significabitur his adiectis ad præcedentia verba particulis, in quantum homo Deus, aut istis, secundùm humanitatem deificatam: quarum rerum ratio patet ex dictis disputatione sexta, sectione 5. in solutione secundæ obiectionis.

IV. D

At obiicies Cyrillum Hierosol. Catec. 10. longè post medium, & 11. Catechesis initio dicentem Christum *sacerdotij dignitatem semper habuisse; imo habere sacerdotium immutabile quod nec tempore cœpit, nec successorem alium habebit sacerdotij.* Quæ verba significare videntur Christum ab æterno sacerdotij dignitatem obtinere, ac proinde secundùm diuinitatem sacerdotem esse. V. Vera responsio est, particulam, *semper*, quam vsurpat, non denotare æternitatem, sed totum tempus hypostaticæ cum humanitate vnionis: quod opponit euidenter electioni ex hominibus, dum sic ait de Christo: *Non ex hominibus promotione aliqua in sacerdotium ascendit, sed semper sacerdotij dignitatem habuit.* Quorum proinde verborum sensus est, eum qui ex hominibus in sacerdotem eligitur, non semper, neque à sua natiuitate sacerdotem esse, sed elapso post eam aliquo tempore eligi: Christum autem ab ipso primo conceptionis & incarnationis instanti obtinuisse sacerdotij dignitatem: quod verum esse ex infrà dicendis constabit.

Dum autem idem S. Pater eius sacerdotium negat cœpisse tempore, vel de solo tempore loquitur natiuitatem consequente, quo solo alij homines sacerdotes esse incipiunt: vel si vult æternum fuisse, intelligendum est cum Suare hic disputat. 46. sect. 2. aut secundùm diuinam præordinationem: quam expositionem confirmant verba hæc quæ statim subiicit, *Sed ante sæcula à Patre*: aut sic, vt solùm velit Christum non fuisse vnctum in sacerdotem oleo temporali, sed æterno, nempe diuinitate ipsa, quæ æterna est: quod & verum esse constabit ex iis quæ infrà dicemus. VI.

SECTIO III.

An idem Christus qui sacerdos est, etiam hostia sit? VII.

COMMVNIS & vera Theologorum doctrina est, eundem Christum qui sacerdos est, hostiam etiam esse, & secundùm eandem naturam esse & sacerdotem & hostiam. Et quidem quòd idem Christus qui sacerdos est, hostia sit, de fide est: passim enim Scripturæ clarè asserunt, vt ad Hebr. cap. 7. versu 27. cap. 9. versu 14. & 28. ad Ephesios cap. 5. vbi de Christo loquens Apostolus sic ait: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Idem docet expresse Tridentin. Concilium sess. 22. cap. 1. dum ait, Christum sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech *semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo patri oblaturum qua nocte tradebatur visibile instituisse sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur.* Et cap. 2. dum sic loquitur: *In diuino sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.* Vnde & verissime sanctus Ambrosius suprà citato cap. 5. libro 3. de fide, sic de Christo, *Sacerdos idem & hostia.* VIII.

Iam verò quòd secundùm eandem natu-

ram hostia sit, secundùm quam est sacerdos, ac proinde secundùm solam humanam, constat in primis ex supra relatis sancti Fulgentij verbis his de ipso Christo, *Solus sacerdos, sacrificium, & templum, & hæc omnia Deus secundùm rationem servi.* Constat deinde ex eo quòd secundùm eam solam naturam I. hostia esse potest, secundùm quam solam potest in sacrificium offerri: potest autem secundùm solam humanam, vtpote secundùm quam solam potest realiter immutari, imò destrui: quæ realis immutatio atque destructio possibilis esse debet in hostia sacrificanda, vt per eam apte repræsentari possit Deus tanquam author vitæ & necis, quod ad essentiam sacrificij necessarium est.

Vbi etiam aduerte, nos asserentes Christum secundùm solam humanam naturam esse hostiam, non excludere diuinam, tanquam radicem pretij simpliciter infiniti, quod hæc hostia ex hypostatica sui cum diuinitate vnione habuit, sed solùm tanquam subiectum receptiuum actionis quæ est realis hostiæ immutatio, II. siue sacrificatio: vt nec eandem excludimus nisi tanquam principium elicitiuum huius actionis, dum dicimus Christum secundùm solam humanam naturam fuisse sacerdotem, & sacerdotis officio functum esse.

Quòd si quæras, quodnam fuerit templum, quodnam altare, in quo Christus seipsum hostiam Deo obtulit? Respondeo duplex assignari templum posse, duplex item altare. Primum est ipse Christus: qui quidem templum vocatur à Fulgentio, verbis quæ ex ipso paulò antè retulimus: ab Hieronymo quoque in illud Michææ cap. 1. *Audite populi omnes*, eum nuncupante *templum patris, de cuius ore loquitur pater.* Altare verò ab Epiphanio hæresi 55. num. 4. verbis his: *Ipse victima* III. *fuit, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Pontifex, adeóque omnia in omnibus.* Istis autem à Cyrillo Alexandrino libro 9. de Adorat. post medium, *Ipse igitur est altare, ipse thymiama, summúsque sacerdos*, &c.

Et meritò quidem templum dicitur, nec ea tantùm generali & metaphorica ratione qua primæ ad Corinth. 3. & 6. & alibi nunc iusti homines, nunc eorum corpora templa Dei dicuntur, quòd scilicet in iis exerceantur bona virtutum opera, quæ sunt metaphoricè sacrificia, quibus Deus aliquo modo colitur: sed singulari etiam illa & propria, qua templi nomine significatur locus in quo verum propriéque dictum sacrificium Deo offertur. Nam ipse Christus in se, seu intra se exercuit & recepit illam actionem quæ propriè dicta sacrificatio fuit, & per quam se in sacrificium IV. Deo obtulit.

Altare quoque meritò appellatur, quia altaris nomine mensa intelligitur supra quam immolatæ victimæ sanguis funditur, quæque eo respergitur: Christus autem cruentè immolatus suo ipsius sanguine respersus est. Ex quo facilè colligitur solius humanæ naturæ ratione conuenire Christo vt templum & altare sit, cùm ipse suo respersus sanguine dicatur, quia ipsius humanitas eo respersa est: quæ & solo eo respergi potuit, non autem ipsa quoque diuinitas: dicatúrque in se seu intra se exercuisse & recepisse prædictam sacrificationis actionem, quia in ipsa humanitate seu intra ipsam exercita & recepta est.

Alterum templum quod assignari potest, est Caluariæ mons, in quo Christus passus & mortuus est. Hæc enim mors & passio verum A propriéque dictum sacrificium fuit: templi autem nomine locum intelligimus, in quo huiusmodi sacrificium perficitur. Alterum verò altare fuit ipsa crux, quæ Christi in ea fixi & pro nobis immolati cruore respersa est. Vnde & Tridentinum Concilium suprà citato cap. 1. & 2. sessionis 22. crucem hanc *aram* appellauit, in qua Christus sacerdos seipsum cruentè immolauit. V.

At vt probes eum vt hominem in sacrificio cruento suiipsius sacerdotem fuisse, obiicies officium sacerdotis in sacrificio victimæ quæ immolatur, esse occidere ipsam victimam, Christum autem vt hominem seipsum non occidisse. Communis & vera responsio est, ad B officium sacerdotis in sacrificio victimæ quæ VI. immolatur, non requiri necessariò actionem realem & physicam, qua realiter & physicè ipse per se victimam occidat, sufficere eum ad occisionem hanc, dum fit ab alio physicè & realiter, instar causæ moralis aliquo modo concurrere: licet ex hoc concurrendi modo is qui sic concurrit, non possit verè denominari simpliciter & absolutè occidens: Christus autem ad occisionem sui factam à tortoribus realiter & physicè, concurrit aliquo modo instar causæ moralis, quatenus & ad illam se voluntariè obtulit, & illatam lubens volensque suscepit, & cùm posset non obstantibus tormentis, & plagis etiam lethalibus, animam in corpore retinere, noluit tamen per humanam suam voluntatem, imò eius ab illo separationem voluit, sic- C que se pro nobis Deo in sacrificium cruen- VII. tum obtulit. Quam ob causam dixit de eo Isaias cap. 53. *Oblatus est quia ipse voluit:* & ipse Christus de se Ioann. 10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Quo tamen ex modo ponendæ animæ suæ, seu sacrificandi se, & ad occisionem sui concurrendi, Christus denominari verè non potest absolutè & simpliciter seipsum occidisse.

Oppones, Martyres ergo sacerdotis officio functos fuisse, dum à Tyrannis occidebantur, & seipsos in sacrificium Deo obtulisse, cùm illatam sibi ab iis necem voluntariè susceperint, imò plerique se ad eam vltro obtulerint. Respondeo negando istud consequens. In primis enim, vt omittam hoc inter eos Christúmque discrimen, quòd vbi D VIII. in tortorum manus venerant, impedire non poterant quo minùs ab iis & torquerentur, & lethales plagas acciperent, & ex iis acceptis animæ à corpore separatio reipsa sequeretur: Christus autem hæc omnia per ipsam etiam humanitatem dono miraculorum præditam poterat: eorum morì & occisio sacrificium propriè non fuit: quia ab iis oblata Deo non fuit ex affectu profitendi per eam ipsum Deum auctorem vitæ & mor-

tis, qui affectus ad virtutem religionis pertinet, sed tantùm ex virtute fortitudinis, aut charitatis, alteriusve à religione distinctæ: Christi autem mors & occisio propriè sacrificium extitit: quia ex prædicto affectu Deo oblata ab illo fuit.

I. Deinde etsi martyrum mors & occisio propriè sacrificium fuisset, ipsi tamen martyres non propterea vere dici possent sacerdotes: eo quòd vt quis propriè sacerdos sit, non sufficit vt propriè dictum sacrificium offerat, sed præterea requiritur vt ad offerendum publica aliqua authoritate sit constitutus. Cuius conditionis defectu cùm in naturæ lege Cain, Abel, aliique plerique priuata voluntate propriè dicta sacrificia Deo obtulerint, non fuerunt tamen omnes propriè sacerdotes. At martyres ad offerendum Deo propriè dictum sacrificium non fuerunt publica authoritate constituti: aut si ex iis aliqui fuerunt, sanè non ad aliud offerendum in Euangelica lege quàm incruentum altaris: in antiqua verò, non ad alia, quàm quæ illa lex præscribebat:

II. quorum ex numero nunquam fuit propria humanitas & vita ipsius martyris: Christus autem etiam seipsum in sacrificium offerendi à Patre potestatem accepit, vt ex suprà dictis constat.

Quanquam concedendum puto, quòd si in naturæ lege, eo tempore quo cuique licebat sacrificio propriè dicto Deum colere, nondum determinatis per legitimam potestatem rebus Deo sacrificandis (nam ab eo tempore alias quàm præscriptas sacrificare non licuit) impius aliquis alteri necem pro fide & religione intulisset, huic licuisset eam acceptare ex affectu profitendi Deum authorem vitæ & mortis, ac proinde in sacrificium Deo offerre: quod si fecisset, non propterea tamen

III. sacerdos fuisset, ob eam causam quam diximus.

SECTIO IV.

Qua ratione Christo prædicta conueniant?

SENSVS huius quæstionis est, cùm Christus sit secundùm humanam naturam sacerdos, sacerdotis officio functus, hostia, templum quoque, & altare, hæc autem natura duabus constet partibus, corpore scilicet & anima, vtrùm prædicta huic naturæ conueniant ratione ipsius totius naturæ ex duabus illis partibus compositæ, an ratione partis alterius?

IV. Respondet Vasquez citatæ disputationis 83. capite quinto, si de ipsa potestate sacerdotali sermo sit, conuenire primariò animæ Christi, & ratione illius toti humanitati. Cuius ratio est, quòd ipsa Christi potestas sacerdotalis nihil aliud est, quàm humanitatis per diuinitatem vnitam tanquam per oleum formalis & spiritalis vnctio seu sanctificatio, hæc autem primariò conuenit animæ, quæ sola sanctitatis apud Deum capax est, & ratione illius toti humanitati, quæ non nisi per animæ sanctitatem formaliter sancta dici potest.

A

B

C

D

At respondendum puto conuenire primariò toti humanitati: quia si primariò animæ conueniret, retinuisset hæc à corpore separata in triduo mortis sacerdotalem illam potestatem, fuissetque verè ac propriè sacerdos, cùm tamen non fuerit, vt nec sunt ob eandem causam aliorum hominum, qui sacerdotes erant dum viuerent, animæ à corpore separatæ, consentiente ipso Gabriele Vasquez disputatione 85. capite tertio, idque confirmante ex eo quod omnis sacerdos & Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, vt ad Hebræos capite quinto dicitur, ac proinde corpore & anima constare debet, vt expressè loquitur. Ex quo Apostoli loco, non minus de Christo quàm de cæteris hominibus concluditur, ad habendam & retinendam sacerdotij dignitatem seu potestatem, requiri vt corpore constet & anima, cùm in eo sermo sit vniuersalissimè de omni sacerdote ex hominibus assumpto, cuiusmodi etiam Christus est. Quare similis est hac in parte sacerdotij dignitas regiæ aut doctoratus dignitati, quæ primariè soli composito ex corpore & anima conuenit: vnde & non nisi compositum hoc regem aut doctorem denominat. V. VI.

Neque allata prædicti authoris ratio vim habet: primò, quia falsum est sacerdotalem Christi potestatem nihil aliud esse quàm formalem humanitatis per diuinitatem tanquam per oleum sanctificationem, tum quia si ita esset, tam retinuisset anima Christi à corpore separata potestatem illam, quàm retinuit hanc suam sanctificationem: tum quia sicut dum alij homines vnguntur, aut simili externa ceremonia consecrantur in sacerdotes, vnctio hæc, similisve ceremonia non est ipsa formaliter sacerdotalis potestas quæ per eam confertur, sed aut nudum eius signum, aut vt summum aliqua etiam eiusdem causa: ita dum Christi humanitas diuinitate tanquam oleo vncta & sanctificata est, vnctio ista & sanctificatio non potuit esse ipsa formaliter sacerdotalis potestas, sed hæc ex illa vt summum tanquam effectus ex causa necessariò consequuta est. VII.

Secundo, quia etsi ipsa formaliter humanitatis per diuinitatem vnctio esset ipsissima sacerdotalis dignitas seu potestas, non tamen id haberet solùm ista vnctio, prout formaliter sanctificatio est coram Deo, seu ea in qua fundatur ad æternam vitam dignitas, sed haberet etiam prout deificatio est, & vt ita dicam infinita eiusdem humanitatis per increatam & infinitam diuinitatis dignitatem dignificatio: tum quia quemadmodum vt puris hominibus insit verè propriéque dicta sacerdotalis dignitas, non requiritur in iis vnctio quæ sit formaliter eorum sanctificatio coram Deo, seu ea in qua fundetur dignitas ad æternam gloriam: ita nec in humanitate Christi requiritur, vt huic insit illa ipsa infinita sacerdotij dignitas seu potestas quæ reipsa nunc inest: tum quia quis negauerit Christum vt hominem futurum Pontificem ea Pontificia dignitate qua nunc est, si aut diuinitas eius humanitati vnita hypostaticè non esset formaliter sanctitas, aut etiamsi sit, non posset tamen seipsa formaliter VIII.

sanctificare naturam cui sic vnita est, sed tantùm deificare formaliter, &, vt ita dicam, dignificare infinitè per seipsam formaliter, cùm sit ipsa per se infinita simpliciter dignitas.

I. Quòd si illa vnctio, prout formaliter deificatio est, esset ipsa formaliter sacerdotalis dignitas ac potestas, hæc toti Christi humanitati non conueniret ratione animæ potiùs quàm corporis, cùm tam corpus quàm anima sit per se proximè diuinitati vnitum, per eâmque proinde formaliter deificatum, vt ex triduo mortis Christi clarum est: imò conueniret humanitati illi per se proximè, & ratione sui, sicut & conuenit hypostaticè assumi à Deo, & proinde per diuinitatem formaliter deificari: maximè iuxta sententiam Gabrielis Vasquez quæ est, partes in composito non assumi hypostaticè à Deo, & per eius subsistentiam subsistere, proindéque deificari, nisi quia compositum ipsum per se immediatè assumitur ac subsistit, ac proinde deificatur.

II. Quòd si dicat Vasquez nolle se sacerdotalem Christi potestatem esse formaliter ipsam humanitatis per diuinitatem vnctionem seu sanctificationem, sed tantùm materialiter, seu fundamentaliter: Respondeo in primis hinc fore solùm consequens, fundamentum illius potestatis conuenire ptiùs animæ quàm toti composito ex corpore & anima. Deinde vnctionem illam non esse fundamentum prædictæ potestatis, vt est formaliter humanitatis præfata sanctificatio, sed vt deificatio, quæ non immediatiùs animæ quàm corpori, vel alterutri parti quàm toti humanitati conuenit: imò conuenit immediatiùs huic quàm illi, iuxta præfati authoris sententiam, vt diximus.

III. Iam verò si de actuali functione muneris sacerdotalis, seu de actione quæ propria est sacerdotis, quæstio sit, cùm hæc duplex sit, vna voluntati intrinseca, consistens in affectu religioso colendi Deum vt authorem vitæ & mortis: altera exterior consistens in occisione victimæ quam sacerdos aliquo modo siue physicè siue moraliter efficit dum sacrificat: dicendum est, habita ratione prioris actionis, conuenire priùs animæ quàm toti humanitati fungi sacerdotali munere quod est sacrificare, quia clarum est priorem illam actionem conuenire primariò voluntati, seu animæ, & per illam deinde composito ex anima & corpore, ipsúmque denominare: habita autem ratione posterioris actionis conuenire immediatè eidem toti composito, quia occisio non est

IV. corporis nisi vt viuificati per animam, ipsáque mors quam inuoluit occisio non est nisi separatio partis vnius ab altera, quæ proinde ipsas partes vnitas, atque adeo totum compositum immediatè aggreditur, atque destruit.

Vnde facilè intelligitur humanitati Christi conuenire esse hostiam seu victimam ratione ipsius totius humanitatis primariò, cùm victima in sacrificio occidatur, occisio autem & mors toti composito immediatè conueniat, vt ostendimus. Qua etiam ex causa constat eidem humanitati conuenire, ratione huius ipsius humanitatis immediatè, vt sit templum, cùm templi nomine intelligatur locus in quo victimæ occisio perficitur, in ipsa autem immediatè Christi humanitate huius ipsius humanitatis occisio perfecta & recepta quodammodo sit: quandoquidem occisio & mors, vt diximus, non est partis vnius, sed vtriusque vnitæ, & proinde totius ex vtraque compositi immediatè. A V.

Quanquam si præcisè habeatur ratio prioris actionis ex prædictis duabus quæ voluntati intrinseca est, & ad essentiam sacrificij pro actione sumpti pertinet, fatendum est conuenire priùs animæ seu voluntati Christi templum esse, quàm toti humanitati, sicut & illam actionem priùs in illa quàm in hac perfici & recipi: cùm non nisi per illam in illa perfectam & receptam perficiatur in hac, & recipiatur, aut perfici recipíque denominetur.

Quòd si denique de altari sermo sit, dicendum est humanitatem Christi ratione corporis altare fuisse: fuit enim, quia Christi immolati sanguine respersa est: non est autem respersa, nisi quia corpus respersum fuit. B VI.

SECTIO V.

Quo Christus modo factus sit sacerdos.

QVAESTIO hæc omnium in hac materia & præcipua & pulcherrima est, quam à plerisque Doctoribus scholasticis non modò non pertractari, sed nec attingi quidem, satis mirum mihi videtur. De ea autem post Gabrielem Vasquez citatæ disput. 85. cap. 2. sentiendum existimo, Christum factum esse sacerdotem, non externa aliqua Dei voluntate, seu electione, & deputatione ad proprium sacerdotis officium, sed humanitatis hypostatica vnione cum diuinitate, & per hanc tanquam per oleum spiritali formalíque vnctione, seu deificatione & sanctificatione. C VII.

Primum quo probatur hæc nostra sententia argumentum ab authoritate Patrum ducitur: Cyrilli in primis duobus locis, nempe libro secundo de recta fide ad Reginas, capite *De eo quod Christus sanctificatus est, & de sacerdotio ipsius:* & libro 22. in Leuiticum procul à principio. Quo posteriore loco dicit Christum Dominum vnctum fuisse in sacerdotem oleo lætitiæ quod non reperitur in terris: quod oleum non aliud existimauit esse quàm ipsam diuinitatem, vt expressè declarauit lib. 4. in Ioannem cap. 29. idem sentiens quod multi alij Patres, nempe Christi humanitatem vnctam fuisse formaliter ipsa diuinitate tanquam oleo, quos simul cum ipso disputat. 23. sect. 1. citauimus nec obscure indicauit citato lib. 12. dum procul à fine sic de Christo concludit: *Hic ergo est magnus sacerdos, qui solus oleo Domini vnctus est, & in quo semper sanctum permanet diuini chrismatis oleum.* D VIII.

Priore autem loco in hæc Apostoli verba, *& nullus accipit sibihonorem*, &c. ait assumptum quidem Christum à Deo in Sacerdotem, sicut & Aaronem fuisse, *sed non æquali modo*: modi huius inæqualitatem seu diuersitatem constituens in eo quòd *hic inunctus est ad sacerdotij ministerium tanquam seruus*, externa scilicet ac sensibili & accidentarie superaddita ipsi vnctione, qua peculiariter in Dei seruum consecratus est: *at ille tanquam filius*, nec secundùm ritum & ceremonias legis veteris, *sed secundùm virtutem vitæ indissolubilis*: id est, non externa, visibili, & accidentaria, sed interna, inuisibili, & substantiali humanitatis (secundùm quam sacerdos est, vt 1. sectione ex eiusdem Cyrilli authoritate probauimus) vnctione, per quam etiam naturalis Dei filius constituitur: quæ vnctio alia esse non potest quàm per diuinitatem formaliter. I. A

Secundò Gregorij Nazianz. oratione 40. in sacrum baptisma, num. 4. sacramentum hoc vnctionis nomine appellantis, eo quòd donum est Christi Dei & hominis vncti in sacerdotem & regem. Constat autem ex iis quæ citata sect. 1. disput. 23. diximus, sanctum hunc Patrem docuisse, Christi humanitatem diuinitate tanquam oleo formaliter vnctam fuisse: ex quo sequitur, vt velit, Christum, non electione, externave aliqua, sed interna illa per diuinitatem vnctione sacerdotem & regem esse. II. B

Tertiò Eliæ Cretensis in orationem primam eiusdem Nazianzeni illud ex ea explicantis, *Ac dæmones quidem*, num. 144. & expresse asserentis Christum regem & sacerdotem esse, sicut & Christi nomine nuncupari, *propterea quòd Deus eius humanitatem deitate inunxerit*.

Quartò Germani Patriarchæ Constant. tom. 6. Bibliot. sacræ in Theoria rerum Ecclesiasticarum non procul ab initio, cuius expressa verba sunt, *Christum vnctum esse tanquam regem & sacerdotem vnctione incarnationis*. III. C

Quintò Damasceni oratione 2. de B. Mariæ Natiuit. non ita procul à principio diserte asserentis, *Dei filium mundo per carnem apparentem, nouo atque inusitato modo, ac non iuxta carnalis mandati legem*, id est, iuxta ritum ac ceremonias Mosaicæ legis, *vtramque sacerdotis & regis dignitatem nactum esse: imo vtramque suapte natura habere:* qui nouus & inusitatus modus alius esse non potest quàm vnctio per diuinitatem, quæ in solo Christo locum habet: ob quam etiam solam hic dici potest non electione, vel externa aliqua ac sensibili consecratione, sed suapte natura vtrâmque illam dignitatem habere: rectè autem dicitur, eo quòd diuinitas, quæ mediante sui vnione humanitatem vngens seu deificans & sanctificans formaliter illam vtramque dignitatem consequenter & necessariò tribuit, vna est de duabus Christi naturis. IV. D

Sextò Clementis Romani qui libro 8. Constit. cap. 46. non procul à fine dixit Christum esse *natura Pontificem*: nec aliam ob causam, quàm ob proximè assignatam dicere potuit. Qua etiam sola de causa multi Patres relati sectione illa 1. disputationis 23. de Christo secundùm humanitatem loquentes, eum natura & essentialiter sanctum esse dixerunt: quòd nimirum per diuinitatem, quæ eius altera natura est, & ex qua essentialiter ipse componitur, formaliter sanctificetur.

SECTIO VI.

Eadem sententia argumento à posteriori probatur. V.

SECVNDVM quo probatur eadem sententia argumentum à posteriori istud est. Christus est sacerdos in æternum sine fine: ergo est sacerdos non externa aliqua etiam Dei voluntate seu electione, sed prædicta humanitatis per diuinitatem vnitam vnctione seu deificatione & sanctificatione. Consequentiæ bonitas hinc constat, quòd cùm alterutro modorum istorum sacerdotij dignitatem obtineat, tum omnium consensu, tum spectata rerum natura, quia nullo alio eam obtinere modo potuit, si solo priore eam obtineret, non obtineret in æternum sine fine, sed pro eo solo tempore quo proprio sacerdotis officio fungi posset: quod officium sacrificare est: quisquis enim per extrinsecam alterius siue Dei siue creaturæ voluntatem sacerdos instituitur, pro solo tempore quo prædicto illo sacerdotis officio fungi potest instituitur, seu sacerdotali potestate donatur. VI.

Vnde ex certa & communi omnium Patrum Theologorumque doctrina, Aaron electus à Deo in sacerdotem, sacerdotij dignitatem potestatémque pro solo tempore vitæ suæ mortalis accepit, moriendo amisit, nec, dum resurget immortalis, recuperabit: similitérque tum Leuitici legis antiquæ, tum nouæ sacerdotes, non nisi extrinseca aliqua Dei vel hominis voluntate ad sacerdotij dignitatem electi & consecrati. Vnde etiam qui Christum non ipsa præcisè per diuinitatem humanitati vnitam vnctione seu sanctificatione factum esse sacerdotem asserunt, aut supponunt, sed ex noua superaddita isti vnctioni libera Dei voluntate, consequenter aiunt omnes ad vnum, sacerdotium eius non mansurum in æternum, æternitate omnem durationis finem excludente, sed æternitate duntaxat longissimam durationem licet finitam significate, qualis ea est quæ à Christi conceptione ad supremi vsque iudicij diem intercurret: quo toto quidem sed solo tempore Christi sacerdotium manere dicunt: quia & dum mortalis erat per se proximè sacrificare potuit, & reipsa seipsum incruentè in nouissima cœna, & cruentè paulò pòst sacrificauit: & nunc immortalis in cœlo priori modo se quotidie per sacerdotes missæ sacrificium offerentes tanquam per ministros suos ipse principalis offerens sacrificat, nullo post illum diem modo ampliùs sacrificaturus. VII.

Iam probo antecedens ex tribus Apostoli testimoniis quæ habentur epistolæ ad Hebr. cap. 7. primùm his verbis, *Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem* (nempe Christus) *eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Vbi vox, *sempiternum*, idem significat quod æternum & fine carens: quod probo, primò, quia sic exponunt sancti Patres, Damascenus in primis citato de Natiuit. B. Mariæ oratione loco illa Apostoli verba referens, ob eáque Christo tam sempiternum sacerdotium VIII.

quàm ſpiritale regnum tribuens, & ex vna eadémque cauſa, quam ait eſſe indelebilis ſeu inſolubilis vitæ potentiam, ſeu virtutem, vt poſt Apoſtolum citato cap. 7. loquitur: regnum autem ſic æternum eſſe vt fine careat, & Gabriel Angelus Lucæ 1. diſertè pronuntiat, & Nicænum Symbolum aperte profitetur, & certiſſimè vult ipſe S. Damaſcenus: vt & conſtat tum ex aliis quæ ibidem habet: tum ex iis verbis, quibus ait Chriſtum *ſpiritaliter in domo Jacob in æternum regnare, eiuſque regnum finem nunquam accipere:* Alludens procul dubio ad hæc Gabrielis Virginem ſalutantis de Chriſto verba citato Lucæ capite, *Et regnabit in domo Jacob in æternum, & regni eius non erit finis:* Quæ ſanctus Auguſtinus perpendens libro contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas ad Oroſium circa medium ſic ſcribit, *Quod ait in æternum, propter ipſam ambiguitatem expoſuit, addendo, regni eius non erit finis: ne quiſquam æternum hic ſic acciperet, quemadmodum ſæculum finem quandolibet habiturum.* Cuius regni fine carentis ſi
I. cauſa eſt, ex mente S. Damaſceni, potentia vitæ indelebilis ſeu immortalis, eo quòd immortalis eſt, & ſine fine, erit & cauſa ſacerdotij ſempiterni ac fine carentis: cùm & ex eiuſdem mente, & ex rei veritate, vtriuſque æqualiter & eodem modo cauſa ſit.

Deinde Theophylactus in illum Apoſtoli locum ſempiternum Chriſti ſacerdotium ſic explicans, vt clarè ſignificet ſine fine futurum, cùm ait, illud *nunquam præteriturum, & intercidendum*, tantúmque præſtare Leuitico ſacerdotio, quantum *quod immortale eſt, præſtantius eſt mortali.* Præterea Ambroſius eundem Apoſtoli locum exponens, & ob relata ex eo verba, diſcrimen hoc inter Chriſtum Sacerdotem & Legalem ſeu Leuiticum clarè conſtituens, quòd huius ſacerdotium finem habeat, quia hic mortalis eſt, & finem habet, illius autem ſine fine,
III. quia ille immortalis eſt finem neſciens. Eius hæc inter cætera verba ſunt, poſtquam dixit Aaronis ſacerdotium fuiſſe temporale, & morte finiendum: *Sed non ita ſacerdotium Chriſti, quod ſecundum virtutem vitæ inſolubilis eſt. Quis iſte ſacerdos talis? Non Aaron, nec Melchiſedech, ſed ille cuius Melchiſedech typum gerebat: de quo Deus ipſe pater iureiurando teſtatur: Tu es ſacerdos in æternum, hoc eſt, non temporalis, neque finem habens, ſed ſecundùm potentiam inſolubilis vitæ.*

Probo ſecundò ex eo quòd prædicta vox, *ſempiternum*, illo in loco idem ſignificat, quod vox, *æternum*, immediatè præcedens: hac autem idem ſignificari quod ſine fine, certiſſimum eſt: cùm Chriſtum ſine fine duraturùm ſit certiſſimum.

Quòd autem illa vox, *ſempiternum*, idem
IV. quod hæc, *æternum*, ſignificet, negari ſatis probabiliter non poteſt: tum quia quis meritò neget Apoſtolum perinde loquutum eſſe, atque ſi dixiſſet, Chriſtum eo quòd manet in ſempiternum, ſempiternum habere ſacerdotium, & reipſa ſic loquuturum, ſi ſic loqui in mentem veniſſet? Quo modo ſi loquutus eſſet, vox *ſempiternum*, poſteriore loco poſita eandem haud dubiè ſignificationem haberet cum ſeipſa poſita priore: hoc autem loco poſita æternum fine carens certiſſimè ſignificaret: tum quia quæ

A probabilis ratio per *æternum* quod Apoſtolus vſurpauit, intelligendi durationem ſine carentem, per *ſempiternum* quod proximè ſubiunxit durationem vſque ad finem mundi? quo modo vocem hanc interpretantur ij qui Chriſti ſacerdotium ſecundùm ſe æternum, id eſt, ſine fine futurum negant. Tum denique quia quis non V.
videt ineptè & male concludi ex eo præcisè quod Chriſtus manet in æternum, id eſt, ſine fine, ſacerdotium eius manſurum in ſempiternum, id eſt, vſque ad mundi finem, tùmque finem habiturum? cùm è contrario apriſſimè optiméq. concludatur ex eo præcisè quòd ille in æternum ſine fine maneat, ſacerdotium quoque eius ſine fine manſurum.

Neque verò verba hæc, ea quæ retulimus proximè ſubſequentia: *Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemet ipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*, indicant ſempiterni ſacerdotij nomine, cuius immediatè antè mentio fit, intelligi ſacerdotium
B non fine carens, ſed vſquè ad finem mundi duraturum, eo quòd ſolo finem hunc præcedente VI.
tempore durabit hominum ad Deum per Chriſtum acceſſus, ſeu accedendi actio, & ipſius Chriſti apud Patrem pro hominibus actualis interpellatio. Etſi enim hæc & illa ſolo iſto tempore duratura ſit, non propterea tamen fit, vt dum ipſe Chriſtus ab Apoſtolo ſempiternum habere ſacerdotium dicitur, ſempiterni nomine ſola iſta duratio intelligi debeat, vt neque eadem ſola debet intelligi vocabulo *ſemper*, dum idem ſemper viuens ab eodem dicitur.

Imò quemadmodum ex eo quòd ſemper, id eſt, ſine fine viuat, & proinde toto mundi finem præcedente tempore, rectè conſequens eſt, vt ſit potens interpellare pro nobis toto hoc tempore, licet fieret, vt fieri poſſet, longius ac longius in infinitum, ſitque reipſa tandiu quandiu durabit interpellaturus: ita ex eo quòd ſempiternum,
C id eſt, ſine carens habeat ſacerdotium, rectè ſe- VII.
quitur, vt condigno ſacrificij ſui merito poſſit homines ſalute perpetua nullum vnquam finem habitura ſaluare, toto conceſſo hominibus ad ſalutem ſuam procurandam tempore, etſi fiat longius ac longius in infinitum. Nam ex eo quòd tale ſacerdotium habet, rectè colligitur eum ſacerdotem eſſe non extrinſeca Dei vel hominum electione, ſed humanitatis vnctione & ſanctificatione per diuinitatem vnitam, vt ex dictis in conſequentiæ probatione liquet: ex eo autem quòd illa per hanc ſic vnita & ſanctificata ſit, fit vt potens ſit hominum ſalutem ſacrificio ſuo condignè mereri, & hoc condigno merito cauſare: quod minimè poſſet, ſi hac vnctione, & proinde ſi illa ſacerdotij ſempiterni dignitate careret.

D Secundum teſtimonium continetur his de VIII.
Chriſto verbis, *Qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt* (nimirum ſacerdos, vt verba proximè præcedentia clarè ſignificant) *ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis.* Quorum ſenſus eſt, Chriſtum factum eſſe ſacerdotem, non per externam vnctionem, conſecrationémque iuxta ritum ac ceremonias antiquæ legis, & proinde ad exigui ſpatium temporis, nempe pro ſolo tempore vitæ mortalis, more Leuiticorum ſacerdotum, qui pro eo ſolo iuxta legis illius ce-

remonias consecrabantur, sed per vim virtutemque diuinitatis vnitæ insolubiliter humanitati insolubilem vitam habenti: ex quo quis non intelligit, tam ex Apostoli mente, quàm rei veritate, Christum esse sacerdotem sacerdotio insolubili, sicut & vitâ? hanc autem sic insolubilem & esse, & hoc loco dici, vt fine careat,
I. nemini dubium est.

Quo ex Apostoli testimonio præterea intelligimus, his Psalmi 109. de Christo verbis, *Tu es sacerdos in æternum*, per hoc æterni vocabulum non significari durationem longissimam, nec alium quàm mundi finem habituram, provt interpretantur ij qui eum mansurum sacerdotem post supremi iudicij diem negant, sed significari durationem fine carentem: eo quòd Apostolus ex illis psalmi verbis probat proximè præcedentia quæ retulimus, & quibus, vt vidimus, asserit Christi sacerdotium, sicut & vitam, esse insolubile, & fine carere: quæ probatio nulla esset, nisi illo psalmi loco vox *æternum* durationem fine carentem significaret.

Tertij testimonij verba sunt hæc de Melchisedech, *Deinde autem & rex Salem, quod est rex*
II. *pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens, assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum.* Quibus verbis clarum est Apostolum tribuere Melchisedeci sacerdotium perpetuum, eo quòd finem vitæ non habet, & proinde sic perpetuum vt fine careat: sed eodem sensu perpetuum, & sine fine, quo vitæ ille finem non habet: id est, non reipsa, nam reipsa & sacerdotij & vitæ finem habuit, sed vt videtur: quia nullum vitæ finem, nullúmque proinde sacerdotij habere à Scriptura dicitur. Vnde cùm dicat eum hac in parte assimilatum esse filio Dei, seu similitudinem & figuram gessisse filij Dei, qui & vitæ finem reipsa non habet, simúlque reipsa sacerdos est, necessariò
III. vult, hunc esse reipsa perpetuum, & sine fine sacerdotem, eo quòd immortalis est, & vitæ finem reipsa non habet. Quod eum voluisse pronuntiat apertè S. Cyrill. Alexand. lib. 5. in Genesim, 2. ante finem columna, dum præmissis his de Melchisedece verbis, *Nec de natione eius memoriæ traditum est, nec quo patre, aut qua matre ortus fuerit, nec quot annos vixerit, nec quem successorem sacerdotij sui reliquerit:* proximè subiungit: *Huiusmodi narratio eo a Paulo exprompta est, vt Christum æternum sine que principio esse, in quantum Deus est, nobis ostenderet. Ad hæc sacerdotium quoque eius nullum habiturum finem ostendit.*

Atque cùm eodem capite sæpius, & extremis verbis præcedentis dicat Apostolus Christum esse sacerdotem in æternum secundùm
IV. ordinem, id est, vt ipsemet explicat, secundùm similitudinem Melchisedech, velit autem certissimè, ex omnium capitis illius interpretum consensu, Christum Melchisedeci, cùm in aliis multis, tum in sacerdotij perpetuitate esse similem, huius autem sacerdotium perpetuum, id est, sine fine esse dixerit, vt ostendimus, sed eo sensu quo diximus, necessarium est, vt illius sacerdotium sine fine reipsa futurum esse voluerit.

Neque verò responderi potest his quidem Scripturæ testimoniis Christi sacerdotium æternum, id est, fine carens dici, sed dici, non ratione sui, sed effectus proprij, qui est hominum æterna salus, parta condigno merito cruenti sacrificij quod Christus Sacerdos obtulit. Id, inquam, responderi non potest, tum quia clarum
A est iis agi de sacerdotio illo secundùm se consi- V.
derato, vt sacerdotium est, seu potestas sacrificij offerendi: tum quia nulla in iis de proprio eius effectu mentio fit: tùm quia pari, imò potiori iure, ipsum sacrificium pro sacrificandi actione sumptum deberet æternum & fine carens dici: cùm æterna hominum salus eius proprius effectus sit, magisque proprius quàm sacerdotij: cùm & sit effectus Christi sacerdotis tanquam causæ de condigno meritoriæ, per ipsam autem sacrificandi non potestatem, sed actionem eam condignè meruerit: & effectus sacerdotij non sit, nisi quia est effectus sacrificij pro actione sumpti, quod à sacerdotio tanquam à proprio principio est: tum denique quia vt Christi sacerdotium æternum & fine carere dicatur,
B non sufficit quòd eius effectus aliquis sit æter- VI.
nus, & fine careat, alioqui sacerdotum & antiquæ legis & nouæ sacerdotium dici æternum & fine carens meritò posset, cùm procul dubio huius & illius aliquis effectus, vt aliquis gratiæ & gloriæ gradus partus per illud, & per oblatum ex illo sacrificium, siue ex opere operato, siue operantis, merito siue condigno, siue congruo, in æternum fine fine permaneat.

Neque refert, quòd hic effectus Christo tanquam causæ nobiliori magisque principali tribui debeat: sicut enim hoc minimè impedit, quo minùs huius etiam sacerdotij tanquam causæ verus & proprius effectus sit, eique verè ac proprie ascribatur: ita impedire non potest, quo minùs illud ratione huius effectus æterni fine carentis æternum & fine carens dici debeat: illudque discrimen inter Christum & hos
C sacerdotes, quoad modum causandi hunc effec- VII.
tum magis aut minus principaliter, solùm efficit, vt Christi sacerdotium potiori iure quàm sacerdotum illorum æternum & fine carens dici debeat.

SECTIO VII.

Ratione à priori eadem sententia probatur.

EX his duobus argumentis, quibus hactenus nostram sententiam probauimus, elucet ratio eiusdem à priori, quæ est ipsa natura vnctionis seu deificationis qua Christi humanitas per vnitam sibi diuinitatem formaliter vngitur & deificatur: qua quidem vnctione, continente in se infinitè ementiore modo quidquid est perfectionis in externa hominum vnctione & con-
D secratione qua in sacerdotes consecrantur, natu- VIII.
ra sic vncta & deificata ad tantam tamque simpliciter infinitam dignitatem euehitur, vt non possit non habere ratione huius dignitatis, spectata sola rei natura, plenissimum ius liberrimamque potestatem sacrificandi Deo quidlibet, etiam seipsam, conuenienti modo, rationique consentaneo: quod ius, quæque potestas est ipsissima sacerdotij dignitas & potestas: quam publica authoritate accipit eo ipso quo per Deum

sic vngentem accipit, nec potest non accipere: quemadmodum eiusdem dignitatis ratione eadem natura deificata non posset non esse digna quæ sacerdotalem illam potestatem per externam Dei voluntatem & electionem acciperet, si eam aliter habere non posset: quemadmodum
I. etiam eadem eiusdem ratione non potest & non esse reipsa digna quæ ab omnibus creaturis adoretur, & non habere ius exigendi hanc ab iis omnibus adorationem. Et quemadmodum hanc exigendo, nihil exigere supra debitum aut meritum, ab vllo ritè perpendente naturæ deificatæ excellentiam iudicaretur: ita si huius excellentiæ suæ ratione sacrificandi munus vsurparet, à nemine eandem pariter vt par est æstimante censeretur quidpiam temere & superbè arrogare sibi non debitum, aut supra propriæ naturæ ac personæ conditionem ac sortem: quod argumento certissimo est, omnium hoc esse commune iudicium, spectata rei natura, tantæ excellentiæ sacerdotalem potestatem dignitatémque non posse non esse coniunctam.

Et quoniam hæc ratio locum adhuc haberet,
II. etiamsi diuinitas aut non esset formalis sanctitas, aut etsi sit, non posset tamen seipsa formaliter vnitam sibi naturam sanctificare, ea sanctitate, in qua fundatur ad æternam vitam dignitas: hinc intelligitur, necessariam huius sacerdotalis dignitatis in Christo radicem non esse hanc humanæ eius naturæ sanctificationem per diuinitatem, sed prædictam illam vnctionem & deificationem: quam quoniam adhuc retineret, etsi illa sanctificatione careret, propterea eandem quam nunc habet sacerdotalem potestatem obtineret: hoc discrimine diligenter obseruando, quòd nunc propria huius potestatis actio, nempe sacrificium potest habere condignum redemptionis humanæ meritum, vt reipsa habuit: tunc non posset: quia, vt disput. 6. probauimus, meritum hoc fundatur necessariò in
III. illa humanæ naturæ per diuinitatem formaliter sanctificatione, quæ nunc reipsa est: tunc autem ex hypothesi non esset, nec esse posset.

Atque hinc etiam intelligitur ratio à priori perpetuæ sine fine durationis sacerdotij Christi, quæ ratio est perpetua sine fine duratio prædictæ per diuinitatem vnctionis & deificationis: quę sicut simul atque est, non potest non inferre secum in naturam vnctam & deificatam illam sacerdotij dignitatem, ita quandiu erit, tandiu non inferre non poterit. Ex qua sacerdotij perpetua duratione, cùm suprà concluserimus, eius causam esse hanc humanitatis per vnitam diuinitatem vnctionem & deificationem, dummodò vice versa ex hac illam concludimus, non propterea circulum committimus. Ex illa enim perpetua sacerdotij duratione per scripturarum
IV. authoritatem cognita tanquam ex effectu in illius causæ cognitionem deuenimus: ex hac verò causa aliunde præterea, vt per authoritatem Patrum quos primo nostro argumento retulimus, aut per attentam propriæ eius naturæ considerationem cognita, effectum illum rectè colligimus.

Atque ex hac ipsa ratione à priori, qua probauimus inesse Christo sacerdotalem illam potestatem, eamque perpetuò sine fine mansuram, non minus efficaciter probari potest, eidem vt homini, seu secundùm humanitatem spectato inesse regiam & imperatoriam dignitatem supra omnes Imperatores & Reges totius orbis, in rebus etiam merè temporalibus, & ad purè politicam ac ciuilem gubernationem pertinentibus, eámque nullum vnquam finem habituram: cum vna quidem ex parte, regia seu imperatoria A dignitas nihil aliud sit quàm ius & potestas dominandi Reipublicæ, imperandi ea quę ad merè ciuilem gubernationem pertinent, leges condendi, controuersias omnes per sententiam definiendi, similiáque præstandi, quę communiter reges & imperatores præstare cernimus solius boni temporalis & politici gratia: ex altera verò, vnctio humanitatis per diuinitatem & deificatio, continens in se infinitè eminentiori modo quidquid est perfectionis in externa hominum vnctione, qua in reges aut imperatores vnguntur, sacrantúrque, ad tantam támque simpliciter infinitam dignitatem naturam vnctam & deificatam euehat, vt non possit non habere ratione huius dignitatis plenissimum ius, liberrimámque potestatem ea quæ dixi in vni- V.
II. uerso orbe, & erga omnes homines etiam imperatores regésque præstandi. Quod iisdem omnino mediis & modis confirmatur, quibus idem de sacerdotali potestate, seu plenissimo iure liberrimáque potestate sacrificandi confirmauimus, & confirmari potest.

SECTIO VIII.

Soluuntur obiectiones.

AT vt probes Christum non prædicta humanitatis suæ vnctione & deificatione, sed huic superueniente speciali liberáque Dei voluntate sacerdotalem potestatem accepisse, obiicies hæc verba, Psalmi 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum:* C Hoc enim iuramentum, & hæc nunquam futura pœnitentia arguunt liberum & efficax Dei decretum de danda Christo sacerdotali potestate, cùm posset non dare, & de nunquam tollenda semel data, cùm posset, si vellet, tollere. Respondeo arguere quidem, sed non aliud efficax & liberum Dei decretum quàm de danda Christi humanitati hypostatica cum Verbo vnione, quam poterat non dare: & de ea semel data nunquam in æternum dissoluenda, cùm potuisset dissoluere: quam vnionem necessariò sequitur prædicta naturæ vnitæ vnctio & deificatio, & hanc sacerdotalis dignitas. VII.

De hac autem determinate dignitate Christo in æternum tribuenda iurasse dicitur à Propheta Deus, & reipsa iurauit potius quàm de prædicta regia, aut de vlla alia vnionem hypostaticam necessariò consequente, aut de hac ipsa VIII.
D vnione, licet hæc omnia simul in æternum ei dederit, tum quia sacerdotium, sicut & proprius eius actus, nempe sacrificium, res sacra est ad virtutem religionis pertinens: quam propterea Deus conuenienter re sacra ad hanc virtutem pertinente nempe iuramento confirmatam voluit: tum quia finis Incarnationis, & proinde hypostaticæ vnionis, omnisque per hanc necessariò communicatæ Christo dignitatis, fuit humani generis redemptio per cruentum sacrifi-

cium Christi ipsius, vt suprà fusè probauimus. quod sacrificium proprius fuit actus solius sacerdotalis potestatis: quódque tam honorificum & acceptum fuit Deo ob simpliciter infinitam quam habuit bonitatem, sufficientémque ac condignum valorem ad perfectè placandum eum
I. hominibus infensum, próque peccatis eorum A ipsi pleniſſimè satisfaciendum, vt meritò iurauerit se nunquam vllum alium Christo sacerdotem subrogaturum, à quo sacrificium desideraret, & acciperet: sicut ipsum Christum subrogauit Aaroni, Leuiticisque omnibus sacerdotibus: quod eorum sactinciis ob defectum sufficientis valoris ipse placari humano generi non posset, vt nec ipsi condignè pro eius peccato satisfieri.

Deinde vt probes Christi sacerdotium æternum & sine fine non fore, obiicies primò illud Apostoli ad Hebr. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, vnde necesse est & hunc* (nempe Christum) *habere aliquid quod offerat*. Atqui post supremi iudicij
II. diem nihil habebit ampliùs quod offerat, cùm B tempore vitæ suæ mortalis habuerit seipsum quem offerret, & reipsa cruente obtulerit, nunc quoque se per ministros suos incruentè quotidiè vsque ad mundi finem offerat, postea autem nullo vnquam modo oblaturus: ex quo consequens est, postea sacerdotem ampliùs non futurum. Respondet omnium probabiliſſimè Gabriel Vasq. disput. 85. cap. 3. asserens, iuxta Patrum omnium Græcorum in illum Apostoli locum, ex Latinis autem Ambrosij & Anselmi sententiam, relatis verbis agi non de incruento Missæ, sed de cruento Christi sacrificio quod in cruce oblatum est: neque aliud iis Apostolum velle, quàm ostendere, cùm Christus sit sacerdos, habere etiam ipsum aliquid quod offerat, non aut continuè, aut toto, sed
III. aliquo sui sacerdotij tempore: quod & reipsa C tempore vitæ suæ mortalis obtulit: seipsum videlicet in ara crucis in sacrificium cruentum.

Obiicies secundò hæc Tridentini Concilij verba de Christo sess. 22. cap. 1. *Quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ visibile relinqueret sacrificium, quo cruentum illud repræsentaretur, sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit, & Apostolis, eorúmque in sacerdotio successoribus vt offerrent præcepit.* Quibus ex verbis concluditur, ideo Christum morti proximum istud incruentum Ecclesiæ reliquisse sacrificium, quia post mortem sacerdos adhuc mansurus erat. Vnde cùm post mundi finem nullum ampliùs sit futurum sacrificium, sequitur, vt tunc sacer-
IV. dos ampliùs non sit futurus. Rectè respondet D idem Gabr. Vasq. ibidem, ideo dixisse Concilium Christi sacerdotium per mortem eius extinguendum non fuisse, quia & in ipso suapte natura in æternum, in aliis verò sacerdotibus illud ex eius institutione participantibus permansurum erat: in quos proinde ne illud frustra per participationem deriuaret, necesse fuit vt illis relinqueret sacrificium ipsius nomine offerendum. Qua ex Concilij doctrina clarum est concludi non posse, Christum post mundi finem sacerdotem non futurum, quia tunc nullum ampliùs, vel per se, vel per ministros suos & vicarios, sacrificium offeret.

Obiicies tertiò, sacerdotium sine proprio sacerdotis officio, quod est sacrificare, otiosum & fruſtra esse: cùm sacerdotes eo fine vt sacrificent ordinentur: Christi ergo sacerdotium tota æternitate futurum otiosum & fruſtra, si post mundi finem tota æternitate maneret. Respondeo sacerdotium, quod personæ prorsus accidentariè per extrinsecam Dei vel creaturæ voluntatem aduenit, otiosum & fruſtra fore, eo tempore quo nullus eius vsus esse posset: quia eo tantum fine confertur, vt aliquis eius vsus sit, aut esse possit, qui finis tunc obtineri non posset. At sacerdotium, quod non accidentariè, sed substantialiter, nec extrinseca alterius voluntate, sed ex rei natura, & ex propria naturæ vel personæ cui inest conditione, tanquam connaturalis eius proprietas necessariò oritur, otiosum & fruſtra non est eo tempore quo nullus eius vsus rationabili ex
V. causa est futurus: aut quo etiam nullus satis
VI. conuenienter esse potest: quia tunc non eo tantùm fine est, vt tunc eius aliquis vsus sit, aut esse possit: huiusmodi autem esse sacerdotium Christi, clarum est ex antè dictis.

Cui hac in parte similis est prædicta regia dignitas quam habet pariter ex eadem per diuinitatem sibi vnitam vnctione & deificatione, & habebit in æternum: cuius tamen nullus vnquam vsus fuit, erítque. Vnde etiamsi Verbi incarnatio decreta & facta fuisset, vt decerni ac fieri potuit, alio fine quàm redemptionis humanæ, nec proinde Christi cruentum sacrificium extitisset, consequentérque nec incruentum Missæ, quod illius cruenti vera repræsentatio est, nec vllum aliud, Christus nihilominùs sacerdos in æternum æquè tunc & eodem modo fuisset, quo
VII. nunc est, nec propterea sacerdotium eius otiosum & fruſtra fuisset, ob eam causam quam diximus.

SECTIO IX.

Vtrùm Christus fuerit sacerdos Leuiticus, an secundùm ordinem Melchisedech?

PRIMA assertio. Christus non fuit antiquæ legis seu Leuiticus sacerdos. Est de fide: sic enim expressè pronuntiat Apostolus ad Hebr. 7. de Christo loquens: *Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundùm ordinem Aaron dici?* Et paucis interiectis: *In quo enim hæc dicuntur* (id est, ille de quo hæc dicuntur,
VIII. qui est Christus) *de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit: manifestum enim est quod ex Iuda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses loquutus est.* Et rursus paucis interpositis de eodem Christo: *Qui non secundum legem mandati carnalis factus est* (nempe sacerdos) *sed secundùm virtutem vitæ insolubilis:* quorum verborum sensum superiùs exposuimus.

Ratio autem est, quòd vt Christus fuisset Leuiticus sacerdos, oportuisset eum libera electio-

ne, vel Dei vel Iudaici populi talem constitui: neutrum autem dici potest: non quidem Dei, quia diuinæ istius electionis, & dispensationis in lege, qua solis hominibus de tribu Leui sacerdotium illud committitur, Exodi 29. & Leuitici 8. nullum vspiam vestigium est: nec Iudaici populi, quia nullum hic populus eligere
I. A in huiusmodi sacerdotem poterat, nisi ex illa tribu per virilem lineam procreatum, vt ex iisdem Scripturæ locis constat. Vnde & libri 2. Paralip. 26. cap. refertur Ozias rex à lepra subitò percussus à Deo, quòd præsumpsisset sacerdotis instar adolere incensum, licet esset ex tribu Leui per maternam lineam progenitus: Christum autem per paternam lineam de tribu Iuda fuisse certissimum est.

Nec obiiciatur nobis id quod refert Suidas verbo Iesus ex Rabbino quodam narrante legisse se vetusto in codisse Christum in locum demortui cuiusdam sacerdotis Leuitici fuisse communi aliorum sacerdotum consensu suffectum, præmisso genealogiæ eius examine: istud enim ab omnibus tanquam Rabbini illius aut
II. alterius commentum reiicitur. B

Ex dictis etiam concluditur, Christum nullo in gradu Leuitico templi Salomonis ministrum fuisse: cùm nullus in huiusmodi ministrum posset eligi, nisi prædicta ex tribu Leui, vt ex citatis Scripturæ locis intelligitur. Quamobrem meritò quoque reiicitur ab omnibus quod ait Valdensis tomo de sacramentis cap. 116. num. 6. nempe Christum non quidem in sacerdotum, sed in Lectorum Leuiticorum numerum fuisse cooptatum: quod prorsus inefficaciter probat, ex eo quòd, vt Lucæ 4. refertur, die sabbati in synagoga Isaiæ librum legerit. Nam huiusmodi lectio non solis Leuitis erat licita, sed cuicunque etiam celebri & erudito viro: vnde & Apostolus Paulus Actor. 13. refertur legisse similiter Antiochiæ in synagoga:
III. C qui tamen erat de tribu non Leui sed Beniamin, & in templo Salomonis nullo vnquam in gradu seu ordine ministrauit. Nec magis fauet eidem sententiæ quòd eiecerit ementes & vendentes de templo, Matth. 21. & Ioan. 2. Id enim iure facere potuit tanquam Propheta, Doctor, verúsque Messias, ex zelo diuini honoris, vt reipsa fecit: quod si fecisset vt minister Leuiticus, non quæsissent ab eo Iudæi qui hoc eius factum viderant, signum, quo probaret habere se potestatem hoc faciendi.

Secunda assertio. Christus fuit sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. Est de fide Psalm. 109. ad Hebr. 5. 6. 7. totidem verbis sæpius. Horum autem verborum, *secundùm ordinem*, sensus est, secundùm similitudinem, vt his ipsis vocabulis exponit Apostolus capitis illius se-
IV. ptimi versu 15. vnde & Syrus interpres vbicun- D que nos habemus *ordinem*, similitudinem ponit. Quibus autem in rebus fuerit Christus sacerdos Melchisedeci similis, & illius sacerdotium huius sacerdotio simile, recenset Apostolus magna ex parte citato cap. 7. quæ breuiter singula explicabimus.

Primum ergo fuit inter vtrumque similitudo, quòd sicut Melchisedech sacerdos & rex fuit, ita & Christus: sacerdos quidem, vt constat ex supradictis: rex autem, Psalmo 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius*: quo loco *Sion* nomine Ecclesia intelligitur, vt obseruant ad eum locum S. Augustinus & Hieronymus: quæ etiam verba clarè significant iis agi & de Christo secundùm humanitatem spectato, secundum quam solam verè dici potest à Patre super Ecclesiam rex constitutus: & de regno eius spiritali, propter hæc adiecta vocabula, *prædicans præceptum eius*: tot denique aliis Scripturæ locis, quibus ipsius Christi regis, & regni eius mentio fit, & de ipso vt homine sermo est omnium consensu: siue iis solum eius regnum spiritale significetur, siue etiam illud politicum & ciuile quod ei inesse suprà efficaci ratione probauimus: quòdque satis efficaciter ex iis probari non posse, vt nec ex vllis Patrum testimoniis, docet Gabriel Vasq. disput. 87. cap. 2. & 3. ostendens quomodo singula de spirituali eius regno commodè exponi possint. V.

Secundò idem qui Melchisedech, id est, rex iustitiæ, etiam rex Salem, id est, pacis dictus est: Christus Isaiæ 9. *Princeps pacis*: ad Ephesios 2. *Pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, 1. ad Corinth. cap. 1. *Factus nobis à Deo iustitia & sanctificatio* dicitur. VI.

Tertiò Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia, id est, sine posteritate à Scriptura refertur: ex quo sequitur, vt sacerdotium nec à parentibus successione & hæreditario iure acceperit, nec posteris reliquerit: Christus, vt Deus, sine matre est, vt homo, sine patre, ac sine posteris: ex quo idem infertur de ipsius sacerdotio, quod de Melchisedecis intulimus.

Quartò hic quoque nec initium dierum nec vitæ finem habere perhibetur: ex quo concludit Apostolus, eum esse sacerdotem in perpetuum: Christus, vt Deus, dierum initium non habet, sed *egressus eius* à Deo patre *à diebus æternitatis*, vt Michææ cap. 5. dicitur: etiam vt homo vitæ finem nescit: ex quo fit, vt sit sacerdos in æternum: cui propterea nullus hominum in sacerdotio propriè succedit: cùm propriè successio sit inter eos solos, quorum vno desinente esse quod erat, alter id esse incipit. VII.

Quintò sicut Melchisedecis sacerdotium multò præstantius fuit Leuitico, ita & eodem Christi sacerdotium fuit infinitis partibus nobilius. Colligit autem Apostolus præstantiam sacerdotij Melchisedecis supra Leuiticum multis ex capitibus: primùm ex eo quòd Abrahamo, cuius in lumbis erat tribus Leui, decimas offerente Melchisedeci, ipsa quoque tribus Leui decimas eidem obtulit, omnésque proinde sacerdotes Leuitici. Secundò, quòd hi decimas acciperent à fratribus suis eundem patrem Abrahamum habentibus, quibus illi proinde multò nobiliores esse non poterant: Melchisedech autem rex, cuius nullum genus, nulla cognatio à Scriptura refertur, decimas accepit ab Abrahamo, non vt à fratre, sed vt ab eo quo erat multò præstantior. Tertio Melchisedech benedixit Abrahamo, totique pariter tribui Leui tunc in eius lumbis contentæ, minor autem à maiore benedicitur. VIII.

Ex quo non est consequens, vt Christus Abrahami quoque lumbis contentus, eidem Melchisedeci, sicut & tribus Leui, decimas ob-

tulerit,

tulerit, & ab hoc ſicut & illa benedictionem acceperit. Reſpondet enim præclarè D. Auguſtinus libro decimo de Geneſi ad literam capite vigeſimo, & ex eo ſanctus Thomas infra, quæſtione 31. articulo octauo, hoc diſcrimine Chriſtum & Leui lumbis Abrahami fuiſſe contentos: quòd Leui ſecundùm rationem ſeminalem, & concupiſcentiam carnalem, Chriſtus autem ſecundùm ſolam ſubſtantiam corporalem: quia nimirum virtute virilis concubitus & ſeminis non erat generandus: decimabantur autem à Melchiſedece ij ſoli, vt ibidem ait S. ille Pater, qui curabantur à vulnere peccati originalis, & concupiſcentiæ carnalis, ex quo geniti erant, & quod generatione contraxerant.

I. *Nam cùm ipſa decimatio*, vt loquitur, *ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud vnde curabatur. Eadem namque caro, non Abrahæ tantùm, ſed ipſius primi terrenique hominis, ſimul habebat & vulnus præuaricationis, & medicamentum vulneris: vulnus præuaricationis, in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem ſeminali ratione quaſi tranſcribitur: medicamentum autem vulneris, in eo quod ſine opere concupiſcentiali in ſola materia corporali per diuinam conceptionis formationiſque rationem de Virgine aſſumptum eſt, propter mortis ſine iniquitate conſortium, & ſine falſitate reſurrectionis exemplum.* Et quoniam ij ſoli benedicebantur qui decimabantur, tum quia pro perſolutis decimis benedictio à ſacerdote datur: tum quia benedicebantur qui curabantur, eo quòd erant ipſa benedictione curandi: Chriſtus curatione, & proinde decimatione ac benedictione non indigens, ſicut in Abrahamo non eſt à Melchiſedece decimatus, ita nec benedictus.

II. His omnibus adde & hanc inter Chriſtum & Melchiſedecem, inter huius & illius ſacerdotium ſimilitudinem, quòd ſicut Melchiſedech ſacerdos panem & vinum in ſacrificium obtulit, vt habetur Geneſis 14. & in Tractatu de Euchariſtia, diſput. de Miſſæ ſacrificio probabitur: ita Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini corpus ſuum & ſanguinem, vt de fide eſt, ibidémque oſtendetur. Quæ ſimilitudo tum Eccleſiæ, tum Tridentini Concilij authoritate confirmatur: illius quidem, dum ſic canit in Veſperis feſti corporis Chriſti, *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundum ordinem Melchiſedech panem & vinum obtulit:* Huius verò, dum ſeſſ. 22. cap. 1. ſic de Chriſto loquitur, *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini Deo patri obtulit.* Confirmatur denique communi non modò Theologorum omnium, ſed etiam Patrum conſenſu, quos longo ordine citat Vaſq. diſp. 86. cap. 6.

III. IV.

SECTIO X.

Soluuntur tres obiectiones.

AT ad hanc poſtremam ſimilitudinem negandam, obiicies primò, eam ab Apoſtolo agnitam non fuiſſe, cùm eius citato cap. 7. nullam mentionem fecerit, facturus, ſi agnouiſſet, cùm ex profeſſo recenſeret ea in quibus inter Chriſtum & Melchiſedecem, & inter vtriuſque ſacerdotium ſimilitudo intercedebat. Reſpondeo Apoſtolum eam agnouiſſe, mentionem tamen facere noluiſſe, ne Hebræos quibus ſcribebat, propoſito illo Chriſti myſterio reuocaret potiùs à Chriſtiana fide, quàm ad eam prouocaret, aut in ea confirmaret, propter tanti myſterij ſublimitatem, illorum autem ad capiendum imbecillitatem: quæ multorum capitis illius interpretum ratio eſt: cui fauent hæc Apoſtoli verba de Chriſto cap. 5. *De quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum, & quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.* Vnde ſequentis capitis initio eos hortatur, vt relictis peccatis perfectius vitæ genus amplectentes, idoneos ſe præſtent, quibus altiora myſteria proponantur, & ſolidior cibus præbeatur.

A V.

Verùm præcipua ratio eſt ea quam Vaſquez affert citatæ diſputationis 86. capite 4. quòd nimirum ſimilitudinis illius commemoratio nihil ad inſtitutum ipſius Apoſtoli faceret: vt pote cui eo loco ſolùm aut præcipuè propoſitum erat, oſtendere eminentem ſacerdotij Chriſti ſupra Leuiticum excellentiam, ex comparatione illius, & ſimilitudine cum Melchiſedece, eiuſque ſacerdotio: cuius & perſona, & ſacerdotium, multùm præcellebat Leuitis ſacerdotibus, eorúmque ſacerdotio, vt conſtat ex tot tantiſque relatis hactenus eius perfectionibus. In ſacrificio autem panis & vini quod Melchiſedech obtulit, ſiue ſpectetur oblatio ipſa, & offerendi modus, ſiue res oblata, nihil habuit excellentiæ Melchiſedech ſacerdos ſupra Leuiticos ſacerdotes animalia Deo ſacrificantes: imò potiùs hi, habita præcisè ſacrificiorum oblatorum ratione, tanto illi præſtabant, quanto præſtat pani & vino viuum animal.

B VI.

C VII.

Obiicies ſecundò, Chriſtum ratione ſuæ oblationis ſub ſpeciebus panis & vini non aſſimilari potiùs Melchiſedeci, quàm Leuiticis ſacerdotibus: cùm hi frequenter panem & vinum in ſacrificium offerrent, ſicut ille obtulit. Reſpondet Vaſq. citato cap. 4. legere quidem nos in ſacris literis Leuiticos ſacerdotes obtuliſſe in ſacrificium aliquando panem, ſed abſque vino: aliquando vinum, ſed abſque pane: nuſquam autem legere obtuliſſe panem & vinum ſimul vt vnicum ſacrificium: quod tamen fecit Melchiſedech: cuius propterea oblatio figura fuit oblationis, qua Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſanguinem ſuum & vnicum ſacrificium obtulit.

D VIII.

Addo ego, quòd etſi reperirentur alicubi ſacerdotes illi panem ſimul & vinum in ſacrificium obtuliſſe, nuſquam tamen reperirentur nihil aliud ſimul obtuliſſe, ſed è contrario ſemper aliquid præterea quod erat pars vnius integri ſacrificij: cùm Melchiſedech ſolum panem & vinum ſimul obtulerit vt vnicum integrum ſacrificium: per quod propterea clarè repræſentauit integrum ſacrificiũ, quo Chriſtus ſub ſolis panis & vini ſpeciebus corpus ſuum & ſanguinẽ obtulit.

Obiicies tertiò, ſi ob ſimilitudinem huius incruenti ſacrificij Chriſti cum illo Melchiſedecis,

rectè dicitur ipse Christus sacerdos secundùm ordinem Melchisedec, dicendum pari, imò potiori iure sacerdotem secundùm ordinem Aaronis, seu Leuiticum, ob similitudinem quam præcipuum eius sacrificium, nempe cruentum in cruce oblatum, habuit cum cruentis animalium sacrificiis quæ ab illis sacerdotibus offerebantur, & quibus illud vnicum Christi cruentum sacrificium præfigurabatur. Respondeo concedendo dicendum reuera, si vnica totalisque ratio dicendi eum sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, esset illa incruenti eius sacrificij cum Melchisedecis sacrificio similitudo: at similitudinem hanc non esse nisi partialem illud dicendi causam, quæ coniuncta cum tot aliis rebus antea memoratis, tanquam cum totidem causis partialibus, in quibus Christus sacerdos similis fuit Melchisedeci sacerdoti, dissimilis autem Leuiticis sacerdotibus, vnicam causam totalem & integram efficit: ob quam meritò dicitur Christus sacerdos, & sacerdotium eius secundùm ordinem non Aaronis, sed Melchisedecis.

I.

II. Imò tantum abest, vt prædicta similitudo sit illius rei quam dixi, causa vnica & totalis, vt ne tanquam quidem partialis ab Apostolo, aut Scriptura recenseatur, etsi non negetur: quæ nusquam ita loquitur, vt dicat sacrificium Christi esse secundùm ordinem aut Aaronis, aut Melchisedecis, sed semper dicat ipsum sacerdotem Christum, eiusve sacerdotium esse secundùm ordinem seu similitudinem non illius, sed istius: hoc loquendi modo nobis apertè significans, se in Christo Melchisedeci potiùs quàm Aaroni, seu Leuiticis sacerdotibus assimilando, multò minùs habere, nobisque multò minùs habendam esse rationem similitudinis sacrificiorum, quàm sacerdotiorum, & ipsarum personarum sacerdotum.

III.

SECTIO XI.

Vtrùm effectum aliquem seu fructum sacerdotij sui Christus participauerit?

CERTVM in primis est, Christum participasse fructum aliquem sacerdotij sui per opus eius minùs præcipuum, nec maximè proprium, nempe per orationem: quæ dicitur & minùs præcipuum opus sacerdotis, quia præcipuum est sacrificium: & non maximè proprium, quia etsi omni sacerdoti vt sacerdos est, orare conueniat, non tamen soli conuenit, sed etiam omnibus aliis non sacerdotibus. Ex quo intelligitur, aliquas quidem orationes esse à sacerdote, vt sacerdos est: cuiusmodi sunt eæ quas inter sacrificandum offert: item illæ ad quas ex persona sacerdotis quam sustinet aut obligatur, aut assumitur: at non omnes, cùm multas priuatas fundat, aut possit fundere, eodem prorsus modo quo fundunt alij non sacerdotes.

IV.

Quòd ergo Christus etiam vt sacerdos orauerit aliquando, docet hac quæst. 22. sanctus Thomas articulo 4. ad 1. nec dubitare quisquam merito potest, cùm proprium sit sacerdotis officium eo ipso quo sacerdos est, orare aliquando, etiamsi non sit maximè proprium, nec Christus huic officio suo defuerit. Quod & constat ex his Apostoli de eo verbis ad Hebr. cap. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad eum qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.*

A

V.

Quas preces supplicationésque ab eo, vt sacerdote fuisse fusas, & communis Theologorum sententia est, & his indiciis innotescit. Primo, quòd earum mentionem facit Apostolus immediatè post hæc verba de ipso Christo: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Secundò, quòd antecedentia omnia à principio capitis illius quinti sunt de Pontifice, & proprio eius vt Pontificis officio. Tertiò, quòd ex communiori probabilioriqueInterpretum expositione, preces illæ fuerint à Christo fusæ dum pendebat in cruce, séque ipsum pro salute humani generis in ara crucis sacrificabat, fueruntq. proinde inter sacrificandum fusæ, & in proprio sacrificij loco: cuiusmodi preces sunt à sacerdote vt sacerdos est. Quartò, quòd offerendi vocabulo sit vsus Apostolus, offerre enim sacerdotum est.

B

VI.

Quòd autem huius orationis suæ fructum perceperit Christus, aperte significat idem Apostolus, cùm ait eum pro sua reuerentia exauditum fuisse, & proinde quod petiit impetrasse: petebat autem à Deo quidpiam sibi, nimirum vt à vicina morte, quam subiturus erat, celeriter per acceleratam resurrectionem eriperetur: vt indicant verba hæc, *Ad eum qui posset eum saluum facere à morte*, vt & communis Interpretum expositio est. Adde quòd omnis Christi oratio, siue pro se, siue pro aliis facta, fuit à Deo exaudita, vt suprà docuimus.

Probat præterea Vasq. disp. 84. cap. 2. Christum sacerdotij sui fructum percepisse per orationem ex hac eius oratione, Ioan. 12. *Pater saluifica me ex hac hora: Pater clarifica nomen tuum*: qua cùm petiisset Christus à Patre vt glorificaretur, & ita consequenter Patris ipsius nomen glorioſius redderetur, respondit Pater, *Et clarificaui, & iterum clarificabo*: quam orationem fuisse à Christo vt sacerdote fusam probat ex eo quòd omnis eius oratio erat infinitè grata Deo, nec alia ratione, quàm quia erat ab humanitate sanctificata, & delibuta ipsa diuinitate tanquam oleo & chrismate: qua quidem vnctione sacerdos constituebatur.

C

VII.

Verùm hæc probatio inefficax est: tum quia ex ea manifestè concluditur, nullam esse potuisse orationem, nullam liberam & honestam actionem à Christo nisi vt sacerdote: cùm nulla esse potuerit, quæ non ex eodem capite esset grata Deo infinitè: quod tamen consequens admittendum non videtur, quia non omnis honesta actio est sacerdotis, vt sacerdos est, propria: tum quia eadem ratione concluderetur, omnes eius orationes & actiones meritorias, Deo ex prædicto capite infinitè gratas, fuisse ab eodem vt rege super omnes reges & imperatores, in rebus etiam purè politicis & temporalibus: cùm ex eiusdem authoris sententia disp. 87. cap. 4. eâdem humanitatis suæ per diuinitatem vnctione, qua sacerdos, etiam rex constitueretur.

D

VIII.

Certum deinde est, Christum participasse fructum aliquem sacerdotij sui per maximè proprium opus ipsius, nempe per sacrificium: quod eius maximè proprium dicitur, quoniam ab eo

tempore quo sunt authoritate publica constituti sacerdotes, solis iis sacrificare licitum est, cæteris omnibus est interdictum. Constat enim Christum per cruentum sui ipsius sacrificium, quod in cruce obtulit, meruisse sibi, & obtinuisse à Patre tum exaltationem sui nominis, tum
I. gloriam corporis, vt his Scripturæ locis disertè A
significatur, Lucæ 24. *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Ad Philipp. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Jesu*, &c. Siquidem hæc Christi mors & passio fuit essentialiter sacrificandi actus ex formali motiuo quo eam acceptauit & sustinuit, profitendi scilicet Deum authorem vitæ & mortis, vt reipsa professus est.

Quos fructus, vt sacrificio suo sibi Christus mereretur, & obtineret, necessarium non fuit, vt pro se directa & formali intentione sacrificium offerret: vt neque sacerdotibus antiquæ legis, aut nouæ, Missæ vel aliud sacrificium offerentibus, id necessarium erat, & nunc est, vt
II. oblatis à se sacrificiis sibi gratiam & gloriam B
condignè mercantur: quam & reipsa condignè merentur, nisi quid aliud obstet, dum non pro se, sed pro solis aliis sacrificant: quoniam, vt suprà docuimus, vt bonum opus, cuiuscunque virtutis, & speciei, sit operanti meritorium, non requiritur vt expressa aliqua eius intentione in bonum ipsius referatur, sufficit vt sit veræ virtutis opus ab homine iusto viatore liberè elicitum.

Hæc duo cùm certa sint, hoc vnum dubitationem habet, an Christus fructum aliquem sacrificij sui perceperit ex vi seu per modum sacrificij? Cuius quæstionis sic à Theologis proponi solitæ sensus est, an directa intentione pro se sicut pro aliis sui sacrificium obtulerit? Negat absolutè Vasquez disput. 84. cap. 2. affirmant
III. tamen, vt fatetur vltro, recentiores Thomistæ in C
huius quæstionis 22. art. 4. Placet hæc eorum sententia, cuius intelligendæ & probandæ gratia, præmitto duo quæ certissima sunt.

Vnum est, distingui triplex saltem sacrificium, propitiatorium scilicet, quod offertur Deo ex formali intentione placandi ipsum peccatis offensum, eorumque ab eo remissionem consequendi, vnde & expiatorium seu satisfactorium dicitur. Eucharisticum seu in gratiarum actionem, quod offertur ex directa intentione gratias agendi Deo pro acceptis ab eo beneficiis. Impetratorium, quod offertur ex intentione directa nouum aliquod ab eo beneficium accipiendi: cuiusmodi etiam multa & distincta fuisse sacrificia in antiqua lege certum est.

Alterum est, vnicum illud cruentum sui sa-
IV. crificium quod Christus obtulit, omnium il- D
lorum sacrificiorum totam vim & perfectionem habuisse: quod agnoscit Ecclesia, dum in Missa Dominicæ septimæ post Pentecostem ait in oratione secreta, *Deum legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisse*: Huius sacrificij nomine cruentum illud intelligens vt pote quod vnum tot legalibus hostiis quæ mactabantur repræsentabatur: aut si Missæ incruentum intelligit, eique totam illam vim & perfectionem attribuit, pari saltem iure, imò potiori eandem illi cruento certissimè attribuet. Vnde & id quod de cruento dixi, confirmatur efficacissimè ex incruento isto, quod illius cruenti commemoratiuum solùm est, éstque nihilominus propitiatorium simul, impetratorium, & Eucharisticum: vt expressa Catholicorum omnium doctrina est: quam definit Tridentinum Concilium sessione 22. capite 1. 2. 3. Can. item tertio. V.

His præmissis, Dico Christum non potuisse quidem offerre pro se sacrificium crucis, prout propitiatorium est, at decenter potuisse, prout Eucharisticum est, & impetratorium, ac proinde reipsa fecisse. Non potuit quidem vt propitiatorium est, quia sicut nullo peccato potuit Deum offendere, sic nullo sacrificio eum sibi infensum placare, aut peccati expiationem consequi: potuit autem decenter vt Eucharisticum, & impetratorium est, quia decenter potuit haud dubiè opere aliquo bono & gratias agere Deo pro beneficiis acceptis, & nouum aliquod petere ac impetrare: igitur & sacrificio: cùm sacrificium, vt sacrificium VI.
est, & sit opus bonum ex se ad vtrumque aptissimum, & in vtrumque finem à Christo directa intentione offerri Deo nihil habeat, respectu Christi ipsius, aut repugnantiæ, aut imperfectionis: imò tanto plus habeat laudis & decentiæ, quanto est opus ex se præ multis aliis bonis operibus ad vtrumque aptius, Deoque honorificentius.

Quod si potuit offerre cruentum sui sacrificium, tam ad agendas Deo pro acceptis beneficiis gratias, quam pro nouo aliquo accipiendo, id eum reipsa fecisse existimandum est: tum quia, si de gratiarum actione sermo sit, non dubium quin agere debuerit, & reipsa egerit. Quam probabilis ergo ratio existimandi egisse reipsa oblato sacrificio? cùm probe
VII. intelligeret, hunc modum agendarum gratiarum esse aptissimum, Deo honorificentissimum, sibi proinde tot & tantis diuinis beneficiis cumulato decentissimum: tum quia, si de nouo aliquo beneficio accipiendo agitur, orauit reipsa dum penderet in cruce pro celeriori liberatione à morte per acceleratam resurrectionem consequenda, & orauit vt sacerdos, & inter sacrificandum orauit, vt ex Apostolo paulò antè vidimus. Quam credibile ergo est pro eodem beneficio impetrando obtulisse reipsa sacrificium pro quo fudit orationem comitem sacrificij? cùm præsertim ex citato Lucæ capite 24. notum sit, resurrectionem & gloriam corporis fuisse fructum suæ passionis ac mortis, & proinde sacrificij sui: nec magis dedecere posset ipsum pro accipiendo illo be-
VIII. neficio tunc sacrificium suæ passionis & mor- D
tis offerre, quam orationem fundere.

SECTIO XII.

Soluuntur obiectiones.

AT obiicit nobis Vasq. primò authoritatem S. Doctoris citato artic. 4. partim in corpore, partim in responsione ad secundum,

dicentis Christum nullo modo participasse effectum seu fructum sacrificij sui. Respondeo frustra hunc Authorem magnam vim facere in his D. Thomæ verbis, *Nullo modo*, cùm in nullo exemplarium quæ multa consului habeantur. Addo quòd etsi haberentur, essent intelligenda de sacrificio præcisè, prout propitiatorium seu satisfactorium est: cùm de eo solo expresè loquatur, vt clarum est ex his eius verbis in citata ad 2. responsione. *Christus consequitur est per suam passionem gloriam resurrectionis, non quasi ex vi sacrificij quod offertur per modum satisfactionis.*

I. A

De quo etiam solo eum loqui in articuli corpore, tenendum est ipsi Gabrieli Vasq. disput. 84. cap. 2. num. 24. rationem qua S. Thomas illo in corpore vsus est, vt probaret Christum non fuisse participem fructus sacrificij sui, plurimum commendanti, eiusque vim in eo positam dicenti, quòd Christus sit sacerdos qui potens est per seipsum accedere ad Deum, nec indiget alio vt mediatore, nempe quòd peccatum non fecerit: ex quo concludit, eum non participasse fructum sacrificij sui: quod concludi inde rectè non potest, nisi de fructu sacrificij propitiatorij, prout propitiatorium est: qui fructus est Dei per peccatum offensi propitiatio, & peccati remissio.

II. B

Obiicit secundò Concilium Alexandrinum in epistola ad Nestorium, quæ est decima apud Cyrillum, & approbata fuit in Concilio Ephesino tomo 1. cap. 14. sic de Christo definiens. *Quamobrem si quis dixerit, non pro nobis solùm seipsum obtulisse, sed simul etiam pro seipso, ille impietatis crimen vitare nulla ratione potest.* Verùm his verbis loqui Concilium de sacrificio prout præcisè propitiatorium est, clarissimum est ex istis proximè consequentibus: *Constat enim nihil vnquam deliquisse, nec vllum vnquam peccatum designasse. Qua igitur indigebat oblatione, cùm peccatum, cuius causa hostia iure meritòque offertur, nullum admisisset?* Idem manifestè sensus est horum aliorum eiusdem epistolæ verborum Anathematismo 10. *Si quis Christum pro seipso quoque, & non solum pro nobis sacrificium obtulisse affirmauerit: (neque enim is oblatione opus habebat qui nullum peccatum commiserat) anathema sit.* Sunt apud Cyrillum nonnihil diuersa verba, sed idem omnino sensus.

III. C

Obiicit tertiò, Christum non potuisse offerre sacrificium pro seipso, id est, ad impetrandum sibi diuinum aliquod beneficium: eo quòd, vt inquit, sacrificium quod ad impetrandum offertur Deo, offertur etiam ad eum placandum, ne scilicet peccata offerentis impetrationem impediant. Respondeo, non magis esse necesse ex natura rei, sacrificium quod offertur ad impetrandum à Deo donum aliquod, offerri simul ad eum placandum, ne peccata doni impetrationem impediant; quàm necesse sit orationem quæ funditur ad beneficium consequendum, fundi etiam ad placandum eum qui oratur, ne orantis peccata beneficij consequutioni impedimento sint: hoc autem non esse necesse certissimum est ex ipso Christo, qui Ioan. 12. glorificationem suam, ad Hebræos 5. pendens in cruce celerem suam à morte liberationem orando petiit à Patre, & impetrauit, vt suprà vidimus.

IV. D

Et sanè cùm, si status innocentiæ permansisset, vt permanere poterat, futurum fuisset aliquod in eo statu sacrificium, vt & vera aliqua religio, quæ sine sacrificio esse non potest: sicut sacrificium hoc in gratiarum actionem pro acceptis à Deo beneficiis offerri potuisset, & reipsa oblatum aliquando esset, ita & pro nouis impetrandis: vt eo fine fusæ aliquando fuissent ad Deum orationes: cùm præsertim esse possent multa in eo statu diuina beneficia non aliter conferenda quàm per orationem, aut sacrificium, aut ad quæ saltem obtinenda faciliùs, hoc & illa non parum valerent: cuiusmodi erat ipsa in illo innocentiæ statu perseuerantia. At in hoc statu sacrificium quod offerri Deo potuisset, aut reipsa oblatum esset ad impetrandum, non potuisset offerri ad eum placandum, cùm nullo tunc peccato esset offensus.

V.

Obiicit quartò, potuisse quidem Christum offerre sui ipsius sacrificium in gratiarum actionem pro acceptis à Deo beneficiis, sed id eum minimè fecisse: cùm & Verbum non ad hoc carnem assumpserit, vt morte sua gratias Deo redderet, offerens seipsum in sacrificium: & nullus hominum hactenus se in eum finem Deo sacrificauerit: aut præceptum talis sacrificij offerendi habuerit. Respondeo negando Christum id minimè fecisse. Ad primam in contrarium probationem dico Christum multos virtutis actus ex libera sua voluntate exercuisse, propter quos à Deo decreta non fuit & perfecta Verbi incarnatio: alioqui decreta fuisset & perfecta propter omnes actus quos reipsa exercuit: quod certissimè falsum est: cùm ea præsuppositа potuerit pro libertate sua multa non facere quæ fecit, & multa facere quæ non fecit.

VI.

Ad secundam & tertiam dico, nullum etiam hactenus hominem obtulisse se Deo in sacrificium pro redimendis aliis hominibus, aut huius sacrificij præceptum habuisse: ex quo non est consequens, vt Christus id non fecerit, aut faciendi præceptum non habuerit. Qui etiam cùm multos virtutis actus exercuerit, ad quos nullo præcepto tenebatur, potuit & sacrificij actum in gratiarum actionem, licet sibi non imperatum.

VII.

Obiicit quintò, oblationem sacrificij pro se vel alio pendere ex intentione offerentis: Christum autem non habuisse intentionem offerendi pro se, sed pro aliis, cùm solius intentionis offerendi pro aliis & Scripturæ, & Concilia, & Patres mentionem faciant. Respondeo ideo solius istius intentionis mentionem facere, quia perpetuò loquuntur de sacrificio crucis prout propitiatorium est: quod sic spectatum non nisi pro aliis offerre Christus potuit. Ideo autem de eo sic spectato loquuntur perpetuò, quia de eo loquuntur habita ratione finis propter quem & Christo fuit à Patre imperatum, & Verbi incarnatio decreta & perfecta est: qui finis alius non fuit quàm humani generis à seruitute diaboli & peccati redemptio: quæ si sacrificio perfici debuit, certe non nisi vt propitiatorium est.

VIII.

Addi potest & hæc postrema obiectio,

consequens fore, Christum esse pro se mortuum, si mortis suæ sacrificium pro se obtulit, vel in gratiarum actionem, vel ad nouum aliquod à Deo beneficium impetrandum. Respondeo negando illud consequens; huius enim propositionis, Christus pro se mortuus est, non est idem sensus qui huius, Christus mortis suæ sacrificium pro redimendis hominibus oblatum obtulit etiam in gratiarum actionem, aut ad nouum aliquod beneficium à Deo impetrandum: quo sensu vera esset: sed idem est qui istius, Christus pro hominibus mortuus est. Ex cuius propositionis sensu cùm rectè inferatur, homines pro quibus mortuus est fuisse per peccatum mortuos, sic enim infert Apostolus epistolæ secundæ ad Corinthios capite quinto, verbis his, *Quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:* consequens pariter esset, Christum quoque per peccatum aliquando fuisse mortuum, & pro se redimendo à morte peccati esse mortuum, sicut & pro redimendis ab ea hominibus mortuus est: quod de eò dici sine impietate non potest.

I. II.

DISPVTATIO LI.

De Christi adoptione.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Christus secundùm humanitatem sit Dei filius adoptiuus?

III. VNICA ista est in præsenti materia difficultas, de qua S. Thomas agit quæstionis 23. articulo 4. Negandum autem est esse, similitérque negandum, in eius humanitate esse gratiam adoptionis, aut illam fuisse à Deo adoptatam: quæ profectò si gratiam istam haberet, & à Deo adoptata fuisset, quamuis proprie ab hac adoptionis gratia denominari adoptiua Dei filia non posset, quia nomen filij aut filiæ proprium est suppositi, non naturæ: tamen Christus qui suppositum est, rectè ab eadem gratia adoptionis Dei filius adoptiuus secundùm humanitatem diceretur: non enim propterea significaretur ipsam humanitatem esse Dei filiam adoptiuam: quemadmodum ratione eiusdem humanitatis à B. Virgine genitæ dicitur verè secundùm humanitatem suam filius Virginis, nec tamen ideo significatur hanc eius humanitatem esse Virginis filiam.

IV. Vtrumque autem illud quod dixi negandum de Christo, & eius humanitate, definitum est ab Adriano I. summo Pontifice in epistola ad Episcopos Hispaniæ, & à Concilio Francofordiensi ad eosdem, quorum verba disp. 48. sect. 2. retulimus: in libro quoque sacrosyllabo edito in hoc ipso Concilio: quæ omnia tomo 3. Conciliorum reperiuntur inter Acta Concilij istius. Quod si quis scire volet, quibus ex Scripturæ, Patrúmque testimoniis probari possit hæc de Christo, eiusque humanitate doctrina, eamque contra Elipandum oppositum sentientem probarint tam prætatus Adrianus, quàm prædicti Concilij Patres, consulat & Concilium hoc, & Gab. Vasq. disp. 89. cap. 10. & 11. qui etiam postquam cap. 7. rectè ostendit de authoritate Concilij istius, & prædictæ Adriani Pontificis epistolæ non esse dubitandum, duobus sequentibus refutat egregiè duas pratas doctrinæ tam ab hoc, quàm ab illo definitæ interpretationes. V.

Quarum vna est, Elipandum contra quem tota illa doctrina definita est, fuisse Nestorianum, docuisséque Christum non solùm secundùm humanitatem, sed etiam secundùm suppositum vnũ, nempe humanum, esse purum Dei filium adoptiuum: Pontificémque proinde & Concilium contrarium tantummodo definiuisse: at non negasse ipsum Christum personam vnicam in duabus naturis subsistentem, secundum vnam, nempe humanam, esse filium Dei adoptiuum: sicut secundùm alteram, diuinam scilicet, est filius Dei naturalis. Illum enim Nestorianum non fuisse, quod & suprà citata sect. 2. monuimus, admisisséque vnicam in Christo personam, & naturas duas, diuinam & humanam, secundùm quam solam illum esse Dei filium adoptiuum sentiebat, & docebat, rectè monet, & probat. VI.

Altera est, ab illo Concilio & Pontifice fuisse quidem definitum, non debere Christum simpliciter & absolutè dici filium Dei adoptiuum: at non negatum, quin dici possit adiecta hac determinatione, secundùm humanitatem: quam secundam interpretationem refutans cap. 9. non solùm ostendit id quoque fuisse negatum, sed etiam rectè notat, quòd si cum hac adiecta determinatione Christus dici posset Dei filius adoptiuus, posset quoque simpliciter & absolutè omissa illa determinatione: eo quòd adoptio secundùm vnam naturam non excludit titulum filiationis naturalis ab eadem persona secundùm naturam alteram, sed solùm secundùm eandem, secundùm quam adoptio ei tribuitur. Vnde qui Christum ratione humanitatis habentis in se gratiam adoptionis diceret filium Dei adoptiuum, etiamsi determinationem hanc, secundùm humanitatem, non adderet: non propterea negaret, aut negare videretur, eundem Christum esse filium Dei naturalem secundùm diuinam naturam: & ita nihil causæ esset, cur si cum prædicta determinatione ipsum esse Dei filium adoptiuum verè diceret, non idem posset verè dicere, etsi determinationem istam non adiiceret: támque verè, quàm verè dicimus simpliciter & absolutè omissa eadem ista determinatione, Christum esse Virginis filium, etsi non secundùm diuinam, sed humanam solam sit ex ea genitus, & proinde filius. VII.

Ratio autem, ob quam nec Christus simpliciter, nec secundùm humanitatem verè dici potest Dei filius adoptiuus, ob quam etiam verè dici nequit in eius humanitate esse gratiam adoptionis, aut eam fuisse à Deo adoptatam, hæc breuiter est: quòd nimirum qui adoptatur solo affectu ei coniungitur à quo adoptatur, ac non secundùm naturam, seu per substantialem participationem naturæ ipsius adoptantis: nomen enim adoptionis id significat, cùm adoptare sit optantis, seu desiderantis: vnde adoptare aliquem in filium nihil aliud est, quàm optare, seu velle habere loco filij naturalis eum, VIII.

qui sibi secundùm naturam coniunctus non est, & qui propterea filius naturalis non est: quo fit vt qui adoptatur, sit extraneus adoptanti, seu naturali cum eo vnione non coniunctus, non modò priusquà adoptetur, sed etiam postquam iam est adoptatus. At nec Christus secundùm
I. humanitatem, nec humanitas eius solo affectu A Deo coniungitur, sed realiter & substantialiter, per hypostaticam vnionem participans cum illo eandem numero naturam diuinitatis. Vnde etsi ante assumptionem & vnionem natura quælibet existens non assumpta & vnita sit extranea Deo, postquam tamen assumpta est, non manet extranea: quia est ipsi naturali coniunctione propinqua, eo ipso quo naturæ diuinæ realiter & substantialiter vnitur per assumptionem & vnionem hypostaticam.

Huius rationis vim manifestè attigit prædictus Adrianus Papa: attigerunt & præfati Concilij Francofordienses Patres. Ille quidem dum sua in epistola iam citata eos qui Christum *adoptiuum & non proprium Dei filium confitentur*, his inter cætera refutat verbis: *Quasi alienus aliquando à Patre fuerit, aut per carnis extraneus ab eo factus esset assumptionem.*
II. B

Hi verò, partim in libello sacrosyllabo, partim in Synodica Concilij ad Hispaniæ præsules missa, eundem errorem confutantes. Quo posteriori loco hæc eorum verba sunt: *Quid est adoptio nisi charitatis copulatio, qua pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet?* Illo autem priori ista: *Porrò adoptiuus dici non potest, nisi qui alienus est ab eo à quo dicitur adoptatus.* In Christo autem *est Deus essentialiter per naturam*, vt paulò antè dicitur. Et inferiùs, *Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem. Habet namque ex vtraque parte*, (patris scilicet adoptantis, & filij adoptati) *vtinam, aduerbium, eleganter insitum: vt si dicas, vtinam sis mihi in filium adoptiuum:*
III. *& è contrà, vtinam merear à te in filium adoptari.* C Et infrà, *Adoptiuus dici non potest, nisi is qui prius alienus est ab eo à quo adoptari desiderat.*

Quare errauit Marius Victorinus, dum colum. 6. lib. 1. contra Candidum Arianum, to. 4. Bibliot. sacræ, Christum Dei filium adoptiuum nominauit his verbis, *Etiam quadam adoptione filius & Christus, sed secundum carnem.* At non Irenæus lib. 3. aduersus hæreses, cap. 21. hæc enim eius verba, *Vt adoptionem percipiens fiat filius Dei*, non de Christo sunt intelligenda, sed de quocunque homine propter quem Dei filius incarnatus est, vt ex verbis proximè præcedentibus clarum est. Neque Hilarius libro 2. de Trinitate procul à fine, sic de Christi carne seu humanitate loquens, *Ita potestatis dignitas*
IV. *non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* D Loco enim vocis huius *adoptatur*, legendum est, *adoratur*, vt & antiqui codices habent, & sentiunt Suarez & Vasq. ille disput. 49. sect. 4. sub finem, hic disput. 89. cap. 15. & ratio est, quòd vocabulum, adoptatur, cum verbis immediatè præcedentibus ea quæ retulimus, vix vllum bonum sensum habere possit, optimum autem habeat, vox, adoratur: quæ & proximè ante relata verba posita est.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM. Christus secundùm humanitatem est filius Dei: ergo vel adoptiuus, vel naturalis: atqui non est naturalis: ergo adoptiuus. Probatur antecedens, quilibet enim homo sanctus, ea sanctitate in qua fundatur ius seu dignitas ad æternæ vitæ hæreditatem, filius Dei est: Christus autem homo est sanctus huiusmodi sanctitate. Consequentiæ bonitas hinc patet, quòd nullus alius est possibilis filius. Assumptum probatur: Christus enim secundùm humanitatem filius Dei est per gratiam, ergo non per naturam: ex dono enim gratiæ habet, quòd sit secundùm humanitatem sanctus, dignusque æternæ vitæ hæreditate, & proinde filius. V.

Respondeo concesso antecedente, & eius consequentia, negando assumptum: cuius ad probationem dico Christum secundùm humanitatem esse filium Dei naturalem, tum per gratiam, tum per naturam: per hanc quidem, quia substantialem habet cum eius natura, qua tanquam forma sanctificatur, vnionem: per illam verò, quia sicut hanc vnionem gratis accepit, ita & illam naturalem filiationem: quemadmodum inter homines filius à patre genitus est patris sui filius, tum per gratiam, tum per naturam: per hanc quidem, propter substantialem naturæ patris ac realem participationem: per illam verò, propter liberam & gratuitam patris voluntatem qua generationis opus exercuit, eumque suæ naturæ realiter & substantialiter participè effecit. VI.

Ex quo colligitur, quòd si Deus assumpsisset naturam aliquam incapacem sanctificationis, & dignitatis ad æternam vitam, suppositum hac natura constans, secundùm hanc naturam Dei filius non esset, quantumuis realiter & substantialiter diuinæ naturæ vniretur: quoniam ad naturalem de qua loquimur filiationem non sufficit hæc vnio, sed præterea requiritur naturæ vnitæ sanctificatio per diuinitatem, & in ista sanctificatione fundata dignitas ad æternæ vitæ hæreditatem. Duobus enim modis potest aliquis esse Dei filius naturalis: primo, per naturalem de substantia Patris generationem in similitudinem naturæ ex vi generationis formaliter: quo modo vnus homo est alterius filius naturalis, & Verbum secundùm naturam diuinam est naturalis filius æterni Patris. Secundo, per realem & substantialem diuinæ naturæ participationem, in qua fundetur ius seu dignitas ad hæreditatem Patris, quæ est æterna beatitudo: filius enim alterius libera voluntate & actione genitus titulo filiationis hæres est bonorum patris: sola autem illa diuinæ naturæ participatio fundat ius & dignitatem ad illam Dei hæreditatem, quæ participantem sanctificat. Nam absque illa sanctitate nullus æterna vita dignus est, aut esse potest. VII. VIII.

Secundum. In Christi humanitate licet vnita Verbo hypostaticè est creata gratia habitualis sanctificans: ergo & gratia adoptionis: ergo & Christus secundùm humanitatem est ratione gratiæ istius adoptiuus Dei filius. Respondeo negando primam consequentiam: gratia enim ado-

ptionis, vt adoptionis, superaddit gratiæ creatæ sanctificanti, siue actuali, siue habituali, negationem vnionis substantialis cum diuinitate, vt ex suprà declarata natura adoptionis intelligitur.

Instabis, Christum secundùm humanitatem sanctum esse, & dignum æterna vita per ipsam
I. formaliter creatam gratiam: ergo etiam per ipsam fieri secundùm humanitatem Dei filium: atqui non naturalem: ergo adoptiuum. Respondeo concesso iterum antecedente, negando rursus primam consequentiam: gratia enim sanctificans non facit filium in genere, seu filiatione generica, sed singulari aliqua, si aliqua facit: alia autem singularis non est, quàm aut adoptiua, aut naturalis: naturali facere non potest, cùm non vniat humanitatem realiter aut substantialiter cum natura diuina: neque etiam adoptiua, cùm non habeat supradictam substantialis huius vnionis negationem adiunctam: ex quo sequitur euidenter, vt Christum secundùm humanitatem Dei filium non constituat: quod etiam expresè negant Vasquez citatæ disput. 89. cap.
II. 14. Suarez sect. 1. disputat. 49. & Diuus Thomas artic. 3. quæstionis 32. cùm ait Christum non esse filium Dei *ratione iustificationis*, per gratiam creatam scilicet, de qua sola intelligi potest.

Nec refert, quòd gratia hæc faciat Christum secundùm humanitatem sanctum, & æterna vita dignum: facit enim animam etiam in qua est sanctam, æternáque vita dignam, nec tamen eam Dei filiam constituit: quia filiatio non parti, sed soli naturæ completæ substistenti, siue suppositò conuenit: nec aliud suppositum facere potest Dei filium, nisi illud, cuius natura non est vnita Deo hypostaticè: quia non potest facere filium
III. nisi adoptiuum: filius autem Dei adoptiuus solus ille est, cuius natura caret hypostatica vnione cum Deo. Verum nihilominùs est, ex eo quòd aliquis habeat in se gratiam illam habitualem, statim posse rectè concludi illum esse Dei filium, etsi non possit rectè concludi esse filium per illam gratiam? Illud autem quod dixi ritè concludi potest, quia quisquis habet habitualem gratiam, habet necessariò adiunctam aut gratiam hypostaticæ cum Deo vnionis, aut eius negationem: si primum, est filius Dei naturalis: si secundum, adoptiuus.

Tertium. Si Christus secundùm humanitatem esset Dei filius naturalis, esset necessariò filius vel solius primæ personæ sanctissimæ Trinitatis, vel omnium personarum diuinarum: Neutrum dici posse videtur. Sunt qui primum respondent: sed meliùs Suarez citatæ disputat. 49. sect. 2. Vasquez citato cap. 14. & alij secundum. Ratio est, quia filiatio omnis, ac præsertim naturalis, in aliqua actione fundatur quæ sit generatio, talisque proportione generatio, qualis est consurgens ex ea filiatio. Cùm ergo
IV. Christi secundùm humanitatem filiatio sit filiatio aliqua, & quidem naturalis, qua Deum vt Patrem respicit, oportet eam in aliqua Dei actione fundari quæ sit aliqualis generatio, & à qua denominetur generans, & proinde pater, ille qui est author seu principium actiuum talis actionis: at nulla Dei actio assignari potest, in qua fundetur illa Christi secundùm humanitatem filiatio, cuius non sit author ac principium actiuum tota Trinitas, & à qua proinde denominetur generans ac Pater: non enim alia assignari potest, quàm libera, transiens, & temporalis, cùm illa Christi secundùm humanitatem filiatio potuerit esse, & non esse, reipsa aliquando non fuerit, & esse inceperit: cuiuslibet autem huiusmodi actionis liberæ, transeuntis, & temporalis, tota Trinitas author, & principium actiuum est.

Ex quo colligès, triplicem in Christo esse filiationem: vnam secundùm diuinitatem, quæ solam primam personam Trinitatis vt Patrem respicit: duas secundùm humanitatem: quarum vna fundatur in generatione Virginis, & eam vt Matrem spectat: altera in actione totius Trinitatis vnientis hypostaticè humanitatem cum Verbo, eámque per eius diuinitatem sanctificantis, qua totam Trinitatem vt Patrem respicit: quæ quidem Trinitatis actio non est generatio quæ sit natiuitas, de qua sola generatione loquuntur Scripturæ, Concilia, & Patres, dum Christi duplicem tantùm generationem agnoscunt: vnam æternam ex Deo Patre: alteram temporalem ex Virgine Matre:
V. quarum generationum quælibet est propriè natiuitas.

Cæterùm rectè monent iidem authores, non posse dici simpliciter & absolutè Christum esse filium Verbi, siue suiipsius, aut Verbum esse Patrem Christi: hoc enim aut ineptè diceretur, aut Christus in duo supposita diuideretur: non secus ac si diceretur Christus esse seruus Verbi, siue suiipsius, aut Verbum esse Christi dominus: prout ad quæst. 20. disputat. 48. diximus. At sicut rectè Christus dicitur secundùm humanitatem esse seruus suiipsius secundùm diuinitatem, aut Verbum esse dominus Christi secundùm humanitatem: ita quoque rectè dicetur Christus secundùm humanitatem esse filius naturalis sui secundùm diuinitatem, aut Verbum esse naturalis Pater Christi secundùm humanitatem.
VII.

Ex quo sequitur, nec posse dici simpliciter & absolutè Christum esse filium naturalem Trinitatis: alioquin etiam diceretur Verbi, ac proinde suiipsius, cùm ipse Christus sit Verbum: vel Trinitatem esse Patrem Christi: alioquin etiam Verbum diceretur, cùm Verbum vna de Trinitate persona sit. Quare dum Christus dicetur esse Trinitatis filius, aut Trinitas Christi Pater, erit hæc addenda determinatio, secundùm humanitatem: quæ tamen sicut addenda necessariò non est, dum dicitur Christus esse seruus Dei, vt citata disputat. 48. diximus, ita nec addenda necessariò est, dum dicitur esse naturalis filius Dei, etiam si de filiatione temporali secundùm humanitatem ei conueniente loquamur: cuius rei ratio ea est quam ibi attulimus, quòd nimirum vox ista, Deus, non sig-
VIII. nificet determinatè personam vnam diuinam, nec proinde determinatè personam Verbi, sed vagè aliquam, possitque accipi pro persona Patris: quem simpliciter & sine addito dicere possumus Patrem Christi, & hunc eius filium, etiamsi de temporali illa filiatione sermonem habeamus.

Quòd si de persona Spiritus sancti loquamur, quamuis à persona Christi tam distincta sit, quàm persona Patris æterni, non licet ta-

men dicere simpliciter & absolutè Christum esse Filium Spiritus sancti: ne, vt Concilium Toletanum vndecimum in confessione fidei post medium, quæ præcedit Capitulum primum, dixit, duos Christi patres videamur asserere: id est, ne videamus asserere duos esse
I. Christi secundùm diuinitatem patres ab æterno A ipsum generantes. Nam nomine filiationis Christi simpliciter & absolutè dictæ, præsertimque si addatur nomini filiationis, vocabulum, naturalis, intelligitur æterna filiatio per æternam generationem. Quare dum Spiritus sanctus Christi pater dicetur, aut Christus Spiritus sancti filius, erit addendum, secundùm humanitatem. Imò præterea adiiciendum erit, per gratiam vnionis, aut quid simile, ne videamus asserere Spiritum sanctum, qui Virginem Christi matrem obumbratione sua fœcundauit, generasse Christum secundùm humanitatem eo generationis genere quo Virgo generauit, eiúsque proinde pater eo modo esse, quo ipsa mater eiusdem est.

II. Neque verò repugnant nobis ea quæ proferri possunt ex Conciliis & Patribus loca, quibus negant Christum esse Spiritus sancti filium. In quibusdam enim loquuntur de filiatione Verbi secundùm diuinitatem: in quibusdam de filiatione Christi secundùm humanitatem per generationem humanam similem generationi Virginis: in aliquibus aliis denique solùm significant non posse simpliciter & absolutè Spiritum sanctum dici Patrem Christi, aut Christum eius filium: quod paulò antè expressè docuimus. Quo similiter modo intelligi debent iis locis, quibus negant Christum Verbi, siue suiipsius filium dici debere: quibus item asserunt solam primam Trinitatis personam Christi patrem dici debere: quod verissimum esse, de quacunque Christi filiatione sermo sit, constat ex dictis.

III. Cùm autem S. Doctor infra quæst. 32. corpus articuli tertij concludit, dicens Christum C nullo modo dici debere filium Spiritus sancti, aut etiam Trinitatis, vult nullo modo dici debere simpliciter & absolutè: nullo item modo ex eo quòd sit conceptus ex Virgine opera Spiritus sancti, & totius Trinitatis. Dicens autem neque dicendum esse filium ratione iustificationis, intelligit per gratiam creatam, vt soluentes secundum argumentum iam diximus. Postremò inquiens dici filium ratione solius æternæ generationis, de filiatione simpliciter & absolutè dicta loquitur qua Dei filius dicitur: huius enim filiationis simpliciter & absolutè dictæ nomine sola æterna intelligitur.

IV. Neque verò ratio qua artic. 4. quæstionis huius 23. in qua versamur, probauit Christum secundùm humanitatem non esse filium Dei D adoptiuum, arguit, vt aduersarij contendunt, ipsum existimasse, Christi secundùm humanitatem filiationem respicere solam illam personam Trinitatis, quam Verbi secundùm diuinitatem filiatio respicit. Licet enim ex eo quòd eadem persona non possit esse filius adoptiuus, & naturalis, Christus autem secundùm humanitatem non sit alia persona, quàm ea quæ est filius Dei naturalis, rectè sequatur, Christum secundùm humanitatem non posse esse filium adoptiuum: concludi tamen hinc non potest, esse filium secundùm humanitatem respectu solius illius personæ, respectu cuius secundùm diuinitatem filius est: cùm non obstante quòd secundùm humanitatem, siue inquantum homo, eadem eum Verbo persona est; duplex tamen eius generatio sit, fundans duplicem in eo Dei V. filiationem: vna immanens & æterna à sola prima persona Trinitatis, ratione cuius illius solius secundùm diuinitatem filius est: altera transiens temporalis & libera à tota Trinitate efficienter vnente humanitatem diuinitati, & illam per hanc sanctificante, ratione cuius filius est totius Trinitatis, vt antè probauimus.

Ex quo concludes, quòd si Christi humanitas esset vnita hypostaticè non Verbo, sed Patri, aut Spiritui sancto, Christus secundùm humanitatem tam deberet dici Dei filius, ac totius Trinitatis, quàm modò sit, & dicatur: licet tunc secundùm diuinitatem nullius esset filius: quia Pater aut Spiritus sanctus nullius secundùm diuinitatem filius est.

VI.

DISPVTATIO LII.

De Christi prædestinatione.

AGIT de ea D. Thomas quæst. 24. Vt rem autem totam breuiter & clarè quantum possum complectar, Dico primò, humanitatem Christi fuisse prædestinatam ad gratiam hypostaticæ vnionis, ad claram Dei visionem, ad habitualem gratiam sanctificantem, & ad cætera gratiæ dona quæ habuit: prædestinatio enim est gratiæ præparatio ex definitione D. Augustini lib. de prædest. Sanctorum cap. 10. communiter à Theologis recepta: Deus autem humanitati illi dona hæc omnia efficaci voluntate ab æterno decreuit, seu præparauit: nisi enim ab æterno decreuisset, in tempore non habuisset. VII.

Dico secundò, Christum vt hominem fuisse prædestinatum ad visionem illam, & gratiam habitualem, cæteráque gratiæ dona eam comitantia, aut consequentia. Cùm enim non sola Christi humanitas, sed ipse quoque Christus vt homo, siue vt persona in humanitate subsistens, fuerit signo naturæ prior, quàm illa visio, & gratia, quoniam illa non nisi intuitu decretæ iam & collatæ vnionis hypostaticæ cum personalitate Verbi, per quam humanitas in ratione hominis seu personæ cõstituitur, decreta fuit & collata à Deo, vt supra docuimus: rectè potest Deus dici non solùm humanitati, sed etiam homini contulisse prędicta dona visionis, & gratiæ, VIII. ac proinde eidem præparasse ab æterno seu decreuisse: nisi enim præparasset ab æterno, non contulisset in tempore: quòd si hæc illi præparauit, ergo & ad hæc illum prædestinauit: cùm prædestinatio, vt dixi, gratiæ præparatio sit.

Dico tertiò, Christum vt hominem fuisse prędestinatum ad vnionem hypostaticam cum Deo, ac proinde vt esset Dei filius naturalis: licet enim vt dicatur aliquis ad aliquid prædestinari, prior aliquo modo esse debeat ea re ad quam prædestinatur, necesse tamen non est vt sit prior reipsa,

seu secundùm rem, sufficit vt ratione: quia prædestinatio opus rationis est, & ad hoc aut illud prædestinati, non est reipsa seu secundùm rem fieri hoc aut illud, sed est ad hoc aut illud ratione & voluntate destinari: Christus autem vt homo, etsi non sit prior secundùm rem vnione hypostatica, quia per ipsam habuit reipsa eius humanitas vt esset subsistens sola personalitate Verbi, & proinde habuit ipse reipsa vt esset homo, ratione tamen prior eadem vnione est. I. A V.

Cuius rei ratio repetenda est ex doctrina suprà tradita de significatione nominum substantialium concretorum, cuiusmodi est, homo, siue pronomen demonstratiuum, hic, præponatur ipsi, siue non: diximus enim hunc hominem significare quidem directè hanc humanitatem, indirectè subsistentiam: at non hanc aut illam determinatè, sed vagè aliquam: futurumque proindè hinc eundem numero hominem, dummodo sit eadem humanitas, etsi varietur subsistentia, vnóque tempore sit vna, altero altera.

II. Quòd si hic homo nihil aliud significat quàm hanc humanitatem subsistentem vagè subsistentia aliqua, sanè sicut ratione prius est eam subsistere aliqua, quàm subsistere determinatè ista, aut determinatè illa altera, ita ratione prior est hic homo, quàm subsistat determinatè in supposito creato, aut determinatè in increato: cùm possimus intelligere hunc hominem antequam intelligamus subsistentem in hoc determinatè supposito, quia potest esse hic idem homo, & subsistere in alio. Quòd si prior est, nihil obstat quo minùs hic homo dicatur destinari à Deo, aut ad proprium suppositum, aut ad alienum, & proinde quo minùs dicatur Christus vt hic homo destinari ab ipso ad suppositum Verbi, & quod consequens est, ad vnionem hypostaticam cum eo, cùm non nisi ea mediante habeat, vt in eius supposito sit, seu quod eodem recidit, vt sit idem numero cum eo suppositum. B VI.

III. Ex quo tamen non licet concludere, hominem in specie posse destinari ad hoc numero individuum, etsi homo in specie ratione prior sit quolibet individuo hominis: destinatio enim prouidentiæ actus est: prouidentia autem non est circa vniuersalia, sed singularia: vnde cùm dicimus Christum vt hominem destinari à Deo ad hypostaticam cum Verbo vnionem, de Christo loquimur non vt homo est specificè, sed vt singularis aliquis homo, constans hac numero humanitate. C VII.

IV. Cæterùm quod dicimus Christum vt hominem prædestinatum fuisse ad hoc vt esset Dei filius naturalis, intelligi potest tam de filiatione Verbi æterna, quæ de hoc homine per idiomatum communicationem prædicatur, cùm hic homo dicatur Verbum, & proinde Dei filius naturalis, quàm de filiatione temporali per gratiam vnionis cum diuinitate sanctificante humanitatem, à qua hic idem homo habet vt sit secundùm humanitatem naturalis Dei filius: hic enim homo qui est Christus, prædestinatus reipsa est vt esset naturalis Dei filius vtraque ista filiatione: cuius humanitati si non Verbum, sed aut Pater, aut Spiritus sanctus esset vnitus hypostaticè, cùm diceretur homo Christus prædestinatus vt esset naturalis Dei filius, de sola posteriori filiatione posset hoc intelligi, quia personæ Patris, aut Spiritus sancti non conuenit filiatio prior, imò repugnat. Quòd si quis quærat, vtrùm Christus simpliciter & absolutè sine hac determinatione, vt homo, vel æquiualenti addita, dici possit prædestinatus vt esset naturalis Dei filius? D VIII.

Dico quartò posse, si nomen Christi sumatur pro hoc homine vncto, seu sanctificato diuinitate tanquam oleo: non posse autem, si directè accipiatur pro supposito connotante duas naturas in quibus subsistit. Ratio prioris partis est, quòd negari non possit, quin homo ille vnctus ad hoc prædestinatus sit, vt diuinitate sanctificaretur, & tanquam oleo vngeretur, sicque naturalis Dei filius constitueretur: sicut negari non potest, quin purus homo iustus ad hoc prædestinatus sit, vt sanctificante gratia iustificaretur, & sic adoptiuus Dei filius efficeretur. Posterioris autem ratio est, quòd suppositum illud ita sumptum non habeat per gratiam, sed suaptè natura, quòd sit Dei filius: nec proinde dici verè possit ad hoc prædestinari vt Dei filius sit: cùm prædestinatio sit gratiæ præparatio, vt suprà diximus.

Dico quintò, Verbum seu Dei filium posse simpliciter & absolutè sine additamento, secundùm humanitatem, dici prædestinatum ad visionem beatificam, ad habitualem gratiam, cæteràque gratiæ dona quæ sequuta sunt vnionem hypostaticam, imò & ad hanc ipsam vnionem: quæ enim simpliciter & absolutè de hoc homine qui est Christus dicuntur, de ipso quoque Verbo per communicationem idiomatum dicuntur simpliciter & absolutè: atqui de hoc homine qui est Christus, dicitur simpliciter & absolutè quòd sit ad illa omnia prædestinatus, vt ex dictis constat. Quod quamuis ita sit, vbi tamen hæresis Arianæ vel periculum vel suspicio ingeneraretur, abstinendum esset ab illo loquendi modo, ne videremur significare Dei filium secundùm propriam naturam fuisse tanquam creaturam aliquam à Deo prædestinatum.

Dico sextò, filium Dei vno sensu dici posse à Deo prædestinatum vt fieret homo, altero autem non posse. Posse quidem, si prædestinationis nomine non intelligitur peculiaris Dei prouidentia, quæ sit alicuius gratiæ præparatio, conferendæ ei qui prædestinatus dicitur, sed vniuersim prouidentia qua rem aliquam ad aliud refert & destinat. At non posse, si prædestinationis nomine peculiaris illa Dei prouidentia intelligitur. Prioris partis ratio est, quòd cùm Dei filius fuerit in tempore factus homo, talisque non fuerit factus sine Dei prouidentia prædefiniente vt talis fieret, rectè dicitur ab eo prædefinitus, ac destinatus vt homo fieret. Posterioris autem ratio est, quòd vt nulla fuit collata Dei filio gratia, dum in tempore homo factus est: ita nulla præparata ei ab æterno fuit, dum prædefiniuit ab æterno Deus, vt homo fieret.

Dico septimò, non posse dici de filio Dei simpliciter, & absque communicatione idiomatum, ipsum fuisse prædestinatum vt esset, posse tamen per idiomatum communicationem. Ratio prioris partis est, quod prædestinatio, siue pro peculiari, siue pro generali illa prouidentia quam paulò antè dixi sumatur, I. est liber actus Dei prouidentis ac definientis vt aliquid sit, de quo aliter disponere absolutè poterat, & statuere, vt non esset. At vt esset Dei filius secundum proprium esse quod habet per generationem æternam libero actu prouidere ac definire non potuit, nec item disponere vt non esset, cùm summè necessariò sit.

Posterioris partis ratio est, quia quæ de Christo, seu de hoc homine qui est Christus dicuntur, dici possunt per communicationem idiomatum de filio Dei: atqui simpliciter & absolutè dici potest Christus seu hic homo prædestinatus vt esset, cùm in tempore fuerit productus, potuerítque esse & non esse: neque foret in tempore producendus, nisi Deus ab æterno prædefiniuisset vt produceretur, & proinde ipsum possibilem prædestinasset vt actu esset, seu in rerum natura existeret. II. Quo tamen modo de Dei filio loquendum non esset, vbi suspicio vel periculum Arianæ hæresis crearetur, ne illo loquendi modo significare videremur, Dei filium secundùm propriam naturam fuisse vt creaturam aliquam prædestinatum, vt esset.

Hæc paucis de Christi prædestinatione: cætera quæ addi possent, ex tradita de prædestinatione doctrina Tractatu de Deo ad 23. Diui Thomæ quæstionem petenda, aut supponenda sunt. Restat vt de eiusdem Christi adoratione circa 25. huius tertiæ partis quæstionem cum eodem S. Doctore dicamus. III.

DISPVTATIO LIII.

Quænam adoratio humanitati Christi debeatur?

SECTIO PRIMA.

Nonnulla prænotantur.

DVÆ huc pertinent difficultates: quarum vnam sectione secunda, alteram tertia proponemus: ante quas aliqua prænotanda sunt, tum vt earum explicatio clarior sit, tum vt adorationis natura sit notior. IV.

Primum est, inter laudem, honorem, & adorationem hoc esse discriminis: quòd laus in verbis consistit: honor in aliis etiam signis externis: qui propterea laude latiùs patet, sicut & adoratione. Nam honoramus non tantùm superiores, sed etiam æquales & inferiores, at solos superiores adoramus. Vnde definitur adoratio à sancto Damasceno oratione prima de imaginibus, pag. 4. *submissionis no-*

ta: & oratione 3. cap. 4. cuius titulus est, *quid effingi debeat*, &c. & huius capitis pag. 2. *Animi cedentis, demissi, & humilis significatio*: id est, actus quidam honoris quo fit certa quædam protestatio excellentiæ eius qui honoratur supra honorantem. Ex quo colligitur, S. Doctorem, dum articulo primo quæstionis huius 25. videtur adorationem cum honore confundere, loqui in subiecta materia, quando nimirum superiorem honorat inferior propter eius excellentiam. A V.

Secundum est, ad completum actum adorationis tria interuenire debere: vnum ex parte intellectus se tenens, est apprehensio excellentiæ existentis in eo quem propter illam adoramus. Alterum est, internus seruitutis siue submissionis erga eum in quo excellentiam illam apprehendimus affectus, quo talem illius supra nos eminentiam significare ac protestari volumus certo quodam honoris externo actu, vt capitis detectione, genuflexione, corporis prostratione, osculo, alióve simili significante vel ex rei natura, vel ex hominum instituto, nostram sub illius excellentia quem honoramus submissionem. B VI.

Vltimum est, ipse externus actus qui signum & nota est huius nostræ submissionis, quique est obiectum illius interni voluntatis affectus: sicut externa eleemosyna est obiectum interni voluntatis actus quo misereri volumus. Vnde sicut actus virtutis misericordiæ completus non est, priusquam ad internum externus accedat, ita nec adoratio completa est, priusquam interno illi affectui externus iste honoris ac demissionis actus adiungatur: & sicut ex interno externóque actu misericordiæ vnicus moraliter actus huius virtutis constituitur, ita interna illa & externa ista adoratio vnica moraliter adoratio est.

Tertium est, duplicem in vniuersum esse adorationem, sicut & duplex in vniuersum excellentia est, ratione cuius potest aliquis nobis esse superior. Vna est increata, creata altera: adoratio quæ ratione increatæ excellentiæ debetur, latria communiter iam vocatur: quæ autem debetur ratione creatæ, dulia dicitur. Imò vox ipsa adorationis passim recepta iam est ad significandum illum honorem qui soli Deo debetur, quique λατρεία Græco nomine appellatur. Vnde iam solum Deum dicimus adorandum esse: cùm tamen frequentissimè in Scripturis homines ab hominibus adorati dicantur, Esau à Iacob, Ioseph à fratribus, Holofernes à Iuditha, & alij similiter ab aliis. C VII.

Quartum, non posse discerni ex actu externo, vtrùm adoratio sit latriæ, an duliæ: iisdem enim actibus & signis externis quibus Deum honoramus puram creaturam honorare possumus, & sæpissimè facimus: sicut enim Deo, sic homini caput aperimus, genuflectimus, &c. Id ergo discernendum est ex interno voluntatis affectu, qui dum tendit in externum honoris actum propter excellentiam increatam, seu ad honorem exteriùs ei in quo est ista excellentia exhibendum, tunc adoratio latriæ est: cùm autem propter excellentiam creatam, duliæ. Neque id peculiare est D VIII.

adorationi, vt externo eius actu discerni nequeat illud quod diximus. Nam externa, verbi causa, pecuniæ donatione discerni non potest, vtrùm hæc donatio sit actus eleemosynæ, an iustitiæ, sed ex solo interiori voluntatis affectu ex quo illa fit.

I. Quintum est, illum ipsum externum actum, qui adoratio modò latriæ, modo duliæ dicitur, prout fit ex interno affectu vel ad latriam, vel ad duliam pertinente, posse esse actum proprium virtutis distinctæ ab iis ad quas actus latriæ & duliæ pertinent. Exempli causa, capitis detectio, vel corporis inclinatio, aut genuflexio, potest esse proprius actus virtutis humilitatis: pectoris item percussio proprius pœnitentiæ, aut charitatis: totiesque reipsa est, quoties ex interno voluntatis affectu ad has speciales virtutes pertinente oritur.

SECTIO II.

Vtrùm humanitas Christi eadem adoratione latriæ, qua Verbum simul cum ipso colì possit?

II. NEGANT Alexand. Gabr. & Anton. Corduba, locis à Gabr. Vasquez citatis, disputat. 95. cap. 1. Affirmant Magister, Albertus, sanctus Thomas, Capreol. Caietanus, Henricus, Bonauentura, Scotus, Richardus, Maior, Almainus, aliique quos citat & sequitur cap. sequenti, Suarez item disputat. 53. sect. 2. quorum sententia est haud dubiè expressa Conciliorum Patrumque doctrina. Nam in primis in epistola Cyrilli & Synodi Alexandrinæ ad Nestorium quæ recitata & approbata est in actione prima Synodi Ephesinæ, & habetur prima parte num. 26. definitur expressis verbis, *Christum Dei filium vna adoratione cum propria carne esse colendum*. Deinde in quinta Synodo collat. 8. Anathematismo 9. illi qui vna adoratione Verbum cum ipsius carne adorandum negant, damnantur his verbis: *Si quis non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, anathema sit.* In Tridentino denique sess. 13. cap. 5. & can. 6. decernitur Eucharistiæ sacramentum adorari debere adoratione latriæ propter præsentiam diuinitatis: ex quo idem de humanitate Christi manifestè colligitur, cùm in ea corporaliter habitet omnis plenitudo diuinitatis.

III. Idem ex Latinis Patribus docuerunt Ambrosius libro tertio de Spiritu sancto cap. 12. & Augustinus in illud Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum eius*: per scabellum hoc, Christi humanitatem intelligentes, eámque dicentes propter vnionem cum Verbo eiusque diuinitate simul eádem adoratione esse venerandam. Prior postquam circa medium citati capitis hæc verba præmisit, *Legimus, Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum: sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei*: hæc immediatè subiicit: *Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in*

IV. *mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. Neque enim diuisus Christus, sed vnus.*

Posterior autem relatis illis quæ iam dixi psalmi verbis, ista subiungit. *Exponens mihi Scriptura quid sit scabellum pedum eius dicit: Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum eius. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est: & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit, inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro viuificat? Spiritus est qui viuificat. Ideo & ad terram cùm te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est quod adoras: propter ipsum enim adoras: ideo & hic subiecit, Adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est. Quis sanctus est? In cuius honore adoras scabellum pedum eius.*

Ex Græcis verò Damascenus orat. 1. de imaginibus non procul ab initio, vbi se dicit, vna adoratione carnem Christi simul cum diuinitate colere. Epiphanius idem faciendum dicens in Ancorato cuius verba paulò pòst referentur. Athanasius præterea lib. de Incarnat. Christi contra Apollinarium pagina 6. vbi de corpore Christi loquens ait, illud *Diuina adoratione colì, quia increati corpus factum est.* Cyrillus de-

V. VI. VII. nique in scholiis de Incarnat. cap. 26. & lib. 1. de fide ad Reginas, pagina tertia, in qua refert ex Athanasio, dici non debere esse in Christo *vnam naturam quæ adoratur, alteram quæ non adoratur, sed vnam esse naturam Dei Verbi incarnatam adorabilem cum carne sua vna adoratione.* Quo autem sensu & modo voluerint Concilia & Patres, nósque cum ipsis velimus humanitatem Christi vna eadémque cum Deo latriæ adoratione colì, ex sequentium obiectionum solutione intelligetur.

VIII. Prima est, soli Deo & diuinitati deberi latriæ cultum, vt definitur in 7. Synodo, actione 7. in Confessione fidei, & Deuteron. 6. ac Matth. 4. verbis istis, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, Græcè λατρεύσεις, id est, latriæ cultum deferes: humanitatem autem Christi quantumuis vnitam hypostaticè Deo nec esse Deum, nec diuinitatem. Respondeo latriæ cultum, & quemcunque alium posse deberi deferrique alicui duobus modis: primo per se: secundo per aliud: per se debetur & defertur ei cui per se conuenit & inest excellentia excitans ad cultum illum: per aliud verò, ei cui eadem excellentia aliquo modo conuenit & inest non per se, sed per aliud. Cùm igitur ob increatam excellentiam debeatur & deferatur latriæ cultus, ei soli per se debetur & deferendus est, cui soli

per se conuenit ac inest increata illa excellentia, & per consequens soli Deo, ac diuinitati : quod tantùm ex Scriptura colligi potest, & in illa septima synodo fuit definitum. At cùm eadem excellentia conueniat aliquo modo & insit Christi humanitati, propter hypostaticam cum Verbo vnionem, non quidem per se, sed per aliud, nempe per Verbum, ac multò magis & perfectiùs insit, quàm regiæ purpuræ propter coniunctionem quam habet cum Rege ea induto regia maiestas, non per se, sed per Regem, cui soli per se inest : poterit profectò humanitas Christi multò magis adorari non per se, sed per aliud, eadem adoratione latriæ qua Deus, & diuinitas per se colitur, quàm possit regia vestis non per se, sed per aliud eadem adoratione coli qua Rex : quæ tamen vna eadémque cum ipso adoratione colitur, quando ob excellentiam Regis osculo, alióve honorifico actu contingitur. I.

Doctrinam hanc eo ipso Regis exemplo tradidit nobis sanctus Epiphanius in Ancorato iam citato, iuxta Petauij nostri versionem, num. 51. in quo postquam docuit Saluatorem incorporatum adorandum esse, sic obiicientes aduersarios inducit : *Ergo creaturam adoras, ipsum corpus.* Respondet autem his verbis, *Sed eorum qui ita disputant, admirabilis quædam est vecordia. Etenim cùm purpuratus Imperator ab omnibus adoratur, vtrùm purpura, an Imperator adoratur? Profectò Imperator ipse, qui cum purpura illa quam gestat, adoratur.* Idem docuit & D. August. extremis verbis sermonis 58. de Verbis Domini sic inquiens : *Si quis nostrùm purpuram aut diadema regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum verò Rex ea fuerit indutus, periculum mortis incurrit se ea simul cùm Rege quis adorare contempserit.* II.

Ex his facilè explicari possunt hæc Damasceni verba, orat. 1. de Imagin. pagina 5. de Christi humanitate loquentis : *Non materiam, sed materiæ authorem adoro, qui propter me materia factus est, & in materia voluit habitare, vt per materiam mihi salutem præberet : materiam verò per quam mihi salus parta est, colere non desinam : non tamen vt Deum, absit.* Negat enim, se materiam seu Christi carnem & humanitatem adorare, aut adoraturum vt Deum, id est, primariò ac per se : quo solùm modo Deus adorandus est : non negat autem coadoraturum vna eadémque adoratione, secundariò, & per aliud, seu ratione alterius, nempe diuinitatis : imò hoc faciendum esse docuit pagina secunda eiusdem orationis, vt antea vidimus : libro item 3. de fide, cap. 8. & lib. 4. cap. 3. III.

A cuius, aliorúmque Patrum suprà relata doctrina solis verbis differt Durandus in 3. distinct. 9. quæst. 2. dum ait Christum per se adorari latria, eius autem humanitatem eadem quidem adoratione, sed per accidens, id est, per aliud, siue ratione alterius. Neque hic eius loquendi modus, qui grauiter ab aliquibus Theologis reprehenditur, reprehensione dignus est : non enim ex eo concludi potest, humanitatis Christi hypostaticam cum Verbo vnionem esse tantùm accidentalem. Nam quando persona aliqua, vt summus Pontifex per se adoratur osculo pedis, verbi causa, pes cui osculum datur coadorari dicitur, & reipsa coadoratur vnica eadémque adoratione, sed per accidens, seu ratione alterius, nempe ipsius summi Pontificis, cui primò & per se inest Pontificia dignitas ob quam adoratur : neque tamen hinc concludi potest, pedis cum reliquo corpore vnionem, & cum toto coniunctionem esse accidentalem. IV.

Ex quo duo intelligimus. Primum est, quòd quoties adoratione siue latriæ, siue alia, totum aliquod primò & per se ob excellentiam aliquam primò & per se ei conuenientem adoramus, parti eius alicui externum honoris signum exhibendo, vt pedem, aut manum osculando, toties partem hanc per accidens, seu per aliud coadoramus, vna & eadem numero adoratione, qua ipsum totum : dummodo tamen huic parti non insit etiam aut conueniat primò & per se illa excellentia, ob quam ipsum totum adoramus. Nam si inest, non est dicenda coadorari per aliud, & secundariò, sed per se, atque primariò adorari. Vnde cùm Christi in duabus naturis subsistentis personam adoratione latriæ per se & primariò adoramus, non coadoramus tamen per aliud & secundariò diuinitatem Verbi, licet hæc sit vna de rebus iis quæ componunt Christum, sed primariò & per se adoramus : præterea quòd excellentia increata, ob quam personam Christi per se adoramus, diuinitati per se inest, & primariò. V. VI.

Secundum est, quòd sicut adorari non potest purpura, pes, aut manus, aut alia pars hominis propter excellentiam ipsi homini primò & per se conuenientem, quin simul adoretur primariò & per se ipse homo, propter hanc suam excellentiam : ita non potest adoratione latriæ adorari Christi humanitas, propter increatam excellentiam ipsi diuinitati & Deo primò & per se conuenientem, quin ipse Deus ac diuinitas primò & per se adoratione latriæ adoretur : cùm tamen adorari possit Deus & diuinitas primò & per se, ita vt ne secundariò quidem & per aliud Christi humanitas eadem adoratione adoretur : vt si Pater, aut Spiritus sanctus adoretur : aut si Verbum cogitetur à nobis eodem prorsus modo quo se ante incarnationem habebat, & ei sic cogitato corpus inclinemus, aut aliud externum honoris signum exhibeamus : sicut etiam adorari primò & per se Rex potest, ita vt ne secundariò quidem & per aliud eius purpura adoretur, vt cùm ipsum exutum vestibus adoramus. VII.

Neque verò huic doctrinæ repugnat sanctus Athanasius epistola ad Adelphium fratrem contra Arianos pagina 2. ita loquens de Christi corpore : *Neque istiusmodi corpus seorsum discriminatum à Verbo adoratione prosequimur : neque Verbum adoratur. Verbum à carne longè seponimus.* Et tomo secundo scribens, *Aduersus eos qui naturæ carnis confessores loco Trinitatis quaternitatem dicunt docere*, & hos his verbis refutans : *Trinitatis numerum saluum retinemus, cùm vnum sit caro vnà cum Verbo, tum propter inseparabilem vnionem, tum propter indiuulsam adorationem.* Aut enim solùm vult Christi car- VIII.

nem

nem non esse à coadoratione cum Verbo reiiciendam, quasi impediat ne Verbum ipsum adoretur : aut de Verbo incarnato loquitur spectato non prout erat ante incarnationem, sed vt est post eam peractam : cui sic considerato nunquam latriæ cultum deferimus,
I. quo eius humanitati externum honoris & submissionis actum exhibeamus, & quin eam proinde simul cum ipso adoremus.

Secunda obiectio est, humanitati Christi non posse offerri sacrificium. Ergo nec deferti latriæ adorationem. Sed concesso antecedente negatur consequentia. Ratio disparitatis est, quòd cùm sacrificium sit essentialiter & solùm protestatio dependentiæ creaturæ ab alio tanquam à primo principio, & supremo domino vitæ & mortis, ei soli offerri debet à quo eiusmodi dependentiam creatura habet: non habet autem ab humanitate vnita hypostaticè Verbo, sed à solo Deo. At adoratio latriæ est
II. ex essentia quidem sua protestatio excellentiæ increatæ, at non ita, quin hæc protestatio fieri possit actu aliquo honoris elicito immediatè circa rem quæ per se non habet excellentiam istam, sed quæ aliquo modo cum re excellentiam hanc habente coniuncta est: eo autem ipso quo ille honoris actus circa rem illam immediate elicitur, adoratione latriæ coadorari dicitur, & reipsa coadoratur, licet non per se, sed per aliud.

Nec opponas in primis S. Athanasium citato libro de Incarnat. Christi, citata item pag. 6. expresè dicentem, corpori Christi eo quod Verbo vnitum est sacra offerri: per sacra enim non intelligit sacrificia, sed externa signa adorationis: quæ sacra meritò dicuntur, cùm iis sacer & religiosus cultus Christi corpori tribuatur, vtpote verus latriæ cultus ad virtutem religionis pertinens. Cuius explicationis veritas constat, tum
III. ex his verbis proximè consequentibus ea quibus illa sacra offerri dicuntur : *Adhibetísque vestram adorationem, eáque de causa rite legitimáque causa diuina adoratione colitur* : tum ex Græco textu, in quo nullius alterius sacri quod illi corpori offeratur, quàm προσκυνήσεως, seu adorationis, mentio fit.

Deinde Diuum Augustinum libro 10. de Ciuitate cap. 20. sic de Christo loquentem: *Cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quam sumere : ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ*. Neque enim verbis his significat Christo vt homini sacrificium offerri potuisse, illum autem hoc sibi offerri noluisse, ne præberet aliis occasionem existimandi, licitum esse cuicunque creaturæ sa-
IV. crificare: sed tantùm significat, cùm soli Deo quatenus Deus est offerri sacrificium debeat, & licitè possit, Christum vt hominem, quæ erat eius religio & humilitas, noluisse sibi illud arrogare, (quod reuera velle non poterat, vt nec peccare) & ita hominibus exemplum dedisse, ne vllus vnquam sacrificium sibi arrogaret.

SECTIO III.

Vtrùm humanitas Christi alia adoratione quam latriæ adorari merito possit?

NEGAT Valdensis tomo tertio cap. 119. Claudius de Euchar. repet. 9. cap. 3. & Gabr. Vasquez disputat. 96. cap. 4. & sequentibus. Affirmant D. Thom. quæst. huius 25. art. 2. in Corpore, & ad primum: Caiet. ad hunc artic. Scotus, Gabriel, Almainus in 3. distinct. 9. quæst. 1. Paludanus & Durandus ibidem, ille quæst. 2. hic 3. Corduba libro 1. quæst. 5. dubit. 3. Henricus quodlib. 10. quæst. 6. quos ex nostris sequuntur Canisius lib. 5. de B. Virgine cap. 15. & Suarez hîc disputat. 53. sect. 3. quorum sententia vt multo communior est inter Theologos, ita etiam probabilior. Probatur autem, eo quòd cũ in humanitate Christi sit multiplex excellentia creata, vt sanctitatis habitualis, vt visionis beatificæ, & eiusmodi aliæ, sicut ob eas excellentias, aut earum aliquam in aliis hominibus aut Angelis existentem, eos meritò & honestè colimus adoratione duliæ, ita ob easdem Christi humanitatem eadem adoratione colere possumus. V. VI.

Respondent aduersarij, dum in aliquo sunt multæ excellentiæ, adorationem semper exhibendam esse propter maximam excellentiam quam habet: quod confirmant exemplo Regis, qui simul sit Rex, Dux & Baro, quem non licet eá solùm reuerentia honorare quam postulat Baronis, aut Ducis dignitas, sed ea semper quam regia maiestas. Vnde cùm in Christi humanitate præter excellentiam creatam sit increata diuinitatis, concludunt eam propter hanc excellentiam increatam colendã esse quoties colitur, ac proinde cultu latriæ. Verùm in primis hinc inferri solùm potest, Christi humanitatem nunquam esse
C colendam sola dulia: quod etsi gratis concedamus, poterit nihilominùs simul coli tam latria, quàm dulia: latria quidem, propter excellentiam diuinitatis increatam: dulia verò, propter creatam habitualis sanctitatis, aut beatificæ visionis, aut eiusmodi aliam: cùm tamen expressa aduersariorum doctrina sit, Christi humanitatem sola latria coli debere. VII.

Deinde ex illa eorum responsione colligi solùm potest, tum quidem cùm in aliquo multas excellentias agnoscimus, inter eásque summam quam habet, & ei exterius exhibere notam honoris & submissionis volumus, exhibendam esse propter maximam qua præditus est excellentiam: at non etiam tum, cùm nihil de summa eius excellentia cogitantes, de inferiori tantùm cogitamus: tunc
D enim temporis honestè possumus illam honoris & submissionis notam exhibere ipsi propter hanc inferiorem excellentiam, quam solam in ipsò apprehendimus. Cùm ergo de humanitate Christi cogitantes attendere aliquo tempore possimus ad solam eius creatam excellentiam, tunc saltem licitè honestéque poterimus ei exhibere externam submissionis & honoris notam propter solam hanc excellentiam: quæ adoratio non latriæ, sed duliæ erit, eo ipso quo propter hanc solam excellentiam deferetur VIII.

Præterea falsum est illud quod aduersarios respondere dixi, tum quia sanctitas est maior dignitas quàm nobilitas, aut ciuilis dignitas Senatoris, aut Præsidis, exempli causa: nec tamen Senatorem aut Præsidem quem sanctissimum esse certò sciremus, dum externo honoris actu
I. colere volumus, obligamur colere propter excellentiam sanctitatis, licitéque possumus propter solam ciuilis illius dignitatis excellentiam, perinde atque si nulla sanctitate præditus esset: tum quia & ex rei veritate, & expressa Gabr. Vasq. doctrina disput. 100. cap. 2. sanctitas item maior excellentia est quàm præcisè Dei maternitas: quis autem dicat, nobis mysterium aut Annũtiationis, aut Natiuitatis meditãtibus, non esse licitum exhibere cultum B. Virgini ob dignitatem præcisè diuinæ illius maternitatis, nisi simul eam veneremur ob sanctitatem, quam in ea esse non dubitamus? Vnde à pari dico, licitum esse ex natura rei humanitati Christi exhibere cultum propter excellentiam creatam quam in ea apprehendimus, non simul exhibendo propter increatam quam in ea esse scimus.

II. Neque vim in contrarium habet antè relatum Regis exemplum: obligamur enim solùm ei deferre externum illum honorem qui Regi deferri solet, & non eum tantùm qui puro Duci, aut Baroni, qui multò minor solet esse eo qui Regibus defertur: at non obligamur deferre ex motiuo excellentiæ regiæ maiestatis, sed liberum nobis est ex motiuo alterius quam habet. Vnde cùm idem externus honoris actus qui Christi humanitati propter increatam diuinitatis excellentiam aliquando exhibetur, exhiberi possit propter creatam, vt constat ex eo quòd prima sect. disput. huius quarto loco obseruauimus, liberum nobis est ex natura rei exhibere aliquando propter hanc solam, si præsertim iam alias propter increatam illum ipsum, aut alium exhrbuerimus.

III. At obiicies primò, Patres & Concilia communiter damnare eos qui duas hominis Christi inducunt adorationes. Respondeo eos solos damnare, qui duas ita introducunt, vt aut duo supposita in Christo agnoscant, vnum hominis, alterum Verbi, afferantque vnam vni supposito adorationem exhibendam esse, alteram alteri: aut negent humanitatem Christi eadem numero adoratione adorari posse ratione Dei Verbi, qua ipse Deus Verbum per se adoratur.

Obiicies secundò, consequens fore, ipsam Verbi personam dulia coli posse: quia sicut adorata aliqua naturæ alicuius parte, simul ipsa tota natura honore afficitur, ita adorata alicuius personæ natura, simul ipsa quoque persona adoratur: humanitas autem Christi ado-
IV. ratione duliæ coli poterit. Respondeo concedendo istud consequens, sed hoc discrimine, quòd hæc humanitas cultu duliæ coletur primò & per se, quia primo & per se conuenit ei & inest creata excellentia propter quam hoc cultu colitur; Verbum autem secundariò & per aliud, seu ratione alterius, nimirum humanitatis, quia ratione eius solius illius excellentiæ creatæ particeps est. Quod expressè docuit sanctus Thomas artic. 2. in corpore verbis istis: *Ita scilicet quod vna & eadem persona Christi adoretur adoratione latriæ propter suam diuinitatem, & adoratione duliæ, propter perfectionem humanitatis.*

A At quæres, vtrùm quod hìc cum S. Doctore dicimus, Christum adorari posse cultu duliæ, intelligendum sit de priuata tantùm, an de publica etiam adoratione? Nonnulli de priuata V.
tantùm volunt: nam publica posset ingenerare scandalum, & occasionem dare errori Nestoriano, vt inquiunt. Sed hoc malè ab illis respondetur. Cùm enim ex actu adorationis externo dignosci nequeat vtrùm adoratio duliæ sit, an latriæ, sed ex solo interiori affectu qui hominibus non patet, nullum potest generari scandalum, nec vlla illi errori dari occasio, si Christus publicè adoratione duliæ colatur: fieríque proinde poterit publicè, si priuatim potest. Nec idem est de oratione, quod de adoratione iudicium. Nam si publicè oraremus Christi humanitatem, aut Christum vt hominem, vt pro nobis in cœlo apud Deum intercederet, ex orationis formula innotesceret hominibus hanc ad eum
B dirigi, & sic scandalum generare, & occa- VI.
sio præfato errori dari posset: quamquam hæc causa, saltem præcipua, non est, ob quam Ecclesia sic ipsum orare non solet, sed illa potiùs, quam ad quæst. 19. disputat. 45. declarauimus.

DISPVTATIO LIV.

Quænam adoratio imagini & cruci Christi debeatur?

SECTIO PRIMA.

Quid sit sentiendum declaratur, & probatur.

C VII.

OBSERVANDVM ex sancto Thoma art. 4. in corpore crucem Christi spectari posse duobus modis: primo, prout Christi in ea fixi & extensi personam ac figuram repræsentat: secundo, prout ipsius Christi corpori & sanguini contactu coniuncta fuit. Priori modo crux habet rationem imaginis, & conuenit omni omnino cruci, siue in materia solida sculptæ, siue in pariete depictæ, siue manu in aëre formatæ, & quouis alio modo expressæ. Posteriori verò habet rationem Reliquiæ, quam rationem sola illa crux habet, in qua ipse passus, &
D mortuus est: licet vt hoc habeat, non sit ne- VIII.
cessarium eam esse integram, aut frustum eius quod habetur figuram crucis habere. Quod cùm ita sit, quod in posterum dicemus de adoratione imagini Christi debita, erit intelligendum pariter de ea quæ eiusdem cruci priori saltem modo spectatæ debetur: cùm sic spectata quædam ipsius imago sit, & inanimata, sicut cæteræ. Quænam autem ei spectatæ posteriori modo debeatur ado-

ratio, intelligetur ex disputatione sequenti, in qua de adoratione reliquiis debita dicemus.

Iam verò de quæstione proposita, vera sententia est, imagini in vniuersum eandem deberi adorationem quæ prototypo seu exemplari quod
I. repræsentat debetur: nec aliam deberi præter hanc: ipsámque quoties adoratur, eadem semper numero adoratione coli qua prototypum ipsum colitur: ac per consequens Christi imagini eam, & non aliam deberi, quàm quæ ipsi Christo quem repræsentat debetur, illamque, quoties adoratur, toties vnica numero, eademque cum ipso adoratione adorari. Ita docet sanctus Thomas hac quæstione 25. articulis 3. 4. & 5. & in 3. distinct. 9. quæst. 1. articulo secundo quæstiuncula 2. Albertus eadem distinctione, artic. 4. Bonauentura artic. 1. quæstione 4. Richardus artic. 2. quæst. 2. Paludanus, Maior, Capreolus. Almainus quæst. 1. Alensis 3. parte, quæst. 30. memb. 3. artic. 3. Ferrar. 3. contra gentes, cap. 120. aliique multi quos ex nostris sequuntur à Valentia hic disput. 1. quæstione 24.
II. punc. 2. Franciscus Turrianus libro primo pro Canonibus Apostolorum cap. 25. Vasquez disputat. 108. cap. 3. & Azor tomo 1. institut. moral. libri noni cap. 6. quæst. 5.

Probatur autem primò Conciliorum Patrumque authoritatibus. Quod attinet ad Concilia duo tantùm profero, Nicænum secundum, quod est septima Synodus, & Tridentinum. Illud quidem actione tertia sic pronuntians, *Imagines colimus, non in materia aut coloribus honorem constituentes, sed per hoc, officium nostrum quod ipsis quorum typum imagines gestant debemus, impertientes: cùm sciamus secundùm Basilij Magni sententiam, quod imagini honor exhibitus ad ipsum prototypum referatur:* quæ verba sunt literarum Synodicarum
III. Theodori Patriarchæ Hierosolymitani, quæ ibidem recitantur: & actione septima, in definitione fidei rationem reddens, cur *Imaginibus salutationem & honorariam adorationem exhibeamus*, sic ait, *Imaginis enim honor in prototypum resultat: & qui imaginem adorat, in ea quoque descriptum argumentum.* Istud verò sessione 25. decreto de sacris imaginibus definit, imaginibus *debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur*, inquit, *ineſſe in iis aliqua diuinitas & virtus propter quam sint colendæ, sed quia honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant: vt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt.*

IV. Quod spectat ad Patres, quorum propè infinita referri possent testimonia, hæc pauca accipe. Basilij in primis libro de Spiritu sancto ad Amphilo. cap. 18. citati à Damasceno orat. 3. prima & tertia de imaginibus, & à Ioanne Presbytero tenente locum Orientalium Episcoporum in septima Synodo, actione quarta, in qua cùm retulisset falsam Synodum Constantinopolitanam sub Copronymo Iconoclasta imaginum honorem negasse, & asseruisse, eum diuidere Christum in duo, qui eius imaginem adorat, aut qui eam aspiciens dicit, hic est Christus, statim adiunxit: *Stultum id sanè est.* confirmauitque his Basilij verbis, *Quia rex etiam dicitur regis imago: & non duo reges: neque enim imperium scinditur, neque gloria diuiditur: quemadmodum principatus & potestas quæ nobis dominatur vna est, sic etiam glorificatio à nobis vna est, & non multæ, propterea quod imaginis honor ad exemplar transit.* Quo recitato Diui Basilij testimonio, prædictus Presbyter sic de ipso Basilio subiungit. *Vnde & beatus Pater indicauit non esse duas adorationes, sed vnam ipsius imaginis, & primi exemplaris.* V.

Deinde sancti Damasceni oratione 1. de imaginibus, pagina decima, comparantis cum purpura regis imaginem, in eo quòd quemadmodum illa sine rege, non adoratur, ita neque hæc sine prototypo: & oratione tertia, pagina 12. ita scribentis *sic imagines adoramus, vt non ipsi materiæ, sed iis quos imagines referunt adorationem tribuamus: nam vt Diuus Basilius inquit, honor habitus imagini transit ad ipsum exemplar.* Præterea sancti Athanasij in quæ- VI.
B stionibus ad Antiochum, in quæstione 38. vt refert Diuus Damascenus eadem oratione tertia de imaginibus, pagina 13. apud Athanasium autem in responsione ad quæstionem 39. earundem imaginum adorationem comparantis *cum virga Ioseph, cuius fastigium Iacob moriens adorauit:* quod ait eum fecisse, *non virgam ipsam honorando, sed eum qui virgam tenebat*, statimque adiungens, *nos Christianos non alia ratione imagines colere.* Et libro tertio contra Arianos, vt eadem oratione, quinta ante finem pagina idem Damascenus refert, expressè dicentis, *imaginem regis, & regem vnum esse:* quia nimirum est vna vtriusque excellentia veneratione digna: ea scilicet quæ in rege est: & post pauca adiungentis, *qui enim imaginem adorat, is regem adorat.* VII.

C Insuper Leontij Episcopi Neapolis Cypri dialogo quinto contra Iudæos, cuius quoque meminit Damascenus eadem oratione, pagina vndecima ante finem, & refertur actione quarta septimæ Synodi, adorationem imaginum conferentis cum veste Ioseph sanguine conspersa, quam, inquit, Iacob *cum lacrymis osculatus est, suisque oculis circumposuit, non ipsam vestem diligendo, aut honorando, sed quia per eam arbitratus se osculari Ioseph, & in manibus habere.* Ibidem quoque de prædicta virga Ioseph, à Iacob adorata dicentis, *manifestum esse, quod lignum non adorarit, sed per lignum Ioseph, sicut & nos per crucem, Christum.* Crucis autem, & cuiuscunque imaginis Christi, eadem ratio est, vt initio disputationis huius obseruauimus. VIII.

D Adriani item primi summi Pontificis in epistola ad Constantium, & Irenem, quæ in secunda actione septimæ Synodi refertur, comparantis etiam imaginum adorationem cum eadem virga Ioseph adorata à Iacob, & dicentis, *hunc non virgam, sed ipsum Ioseph eam tenentem in signum dilectionis adorasse:* similitérque nos Christi & Sanctorum imagines venerantes *non in coloribus & tabulis honorem constituere, sed eorum prædicare gloriam quos imagines referunt.* Postremò Nicepn. Patr. Constantino-

politani dialogo de Imaginibus, cui nomen *Orthodoxus*, apud Franc. Turrianum libro primo pro Canonibus Apostolorum cap. 25. dicentis, *inseparabilem esse à prototypo eius effigiem, & habere cum eo communicationem nominis, & adorationis, etsi naturâ aliena sit.*

I. Ex quibus omnibus non solùm elucet veritas nostræ sententiæ, sed etiam facilè redarguitur inanis quorundam responsio: quæ est, cùm à Conciliis & Patribus dicitur honorem imaginibus habitum ad exemplar transire, & eum qui imaginem veneratur, venerari illum cuius imago est, eodem sensu id dici, quo septima Synodus act. 4. in dialogo Leontij circa finem ait, eum qui Martyrem colit, Deum ipsum colere: & qui Matrem eius honorat, ei honorem habere: quod & multi præterea Patres dixerunt: nec proinde ex illis Conciliis Patribusque quorum testimonia retulimus inferri recte posse, vnicam eandémque semper esse imaginis ac prototypi adorationem, sed duplicem aliquando esse posse, quarum vna pro

II. termino totali & adæquato qui adoratur habeat imaginem, altera prototypum: sicut non semper vnus idémque est cultus Martyris, & Dei: aut Dei Matris, & ipsius Dei, sed aliquando duplex, ad diuersas specie virtutes pertinens, religionis scilicet, & duliæ: quorum vnus pro termino adæquato qui colitur habet Martyrem, aut Dei matrem, alter verò Deum.

Etenim clarum satis supérque est ex relatis Conciliorum Patrúmque testimoniis, illud ab iis non eodem omnino sensu dici, quo istud, etsi istud ad illud aliqua ratione declarandum dixerint. Imò dictum illud ab iis fuisse eo sensu quo voluimus, nimirum vt non nisi vnica eademque adoratione imago cum prototypo adoretur, & illa proinde nunquam sit totalis & adæquatus terminus adorationis, sed tantùm

III. partialis, vtpote præter quem datus alius terminus qui eadem numero adoratione colitur, & quidem primariò & per se, nempe prototypum, cùm illa non nisi secundariò, & ratione huius colatur. Et quidem quod ad Tridentinum attinet, cùm suam de imaginum adoratione definitionem declaret loco citato desumpsisse se ex septima synodo, eodem haud dubiè sensu quo synodus hæc intelligi debet. Cùm autem hæc synodus loco etiam citato dicat expresse, se suam de earundem imaginum cultu doctrinam sumere ex sancto Basilio, eodem etiam sensu quo hic intelligi debet: huius autem citata à nobis verba tam clarè continent sensum quem volumus, vt vix possint clariùs.

IV. Quòd autem reliqui citati à nobis Patres, eodem sensu loquuti sint, dubium esse non potest ei qui mediocriter ad eorum verba attendit: nominatímque in primis ad relatas regiæ purpuræ, vestis, & virgæ Ioseph similitudines quibus vtuntur.

Deinde ad illa quibus dicunt, quòd sicut Iacob virgam aut vestem Ioseph osculando ac venerando, non virgæ aut vesti honorem habuit, sed ei cuius erat vestis, & virga: sic nos dum imagines veneramur, non tabulæ, non picturæ, non coloribus, aut imagini honorem habemus, sed ei quem repræsentant. Quo sanè loquendi modo manifestè significant, tantùm abesse, vt existiment imaginem distincta à prototypo adoratione coli, & esse aliquando terminum totalem & adæquatum adorationis, vt potiùs sentiant ipsam non adorari, & coli, nec esse terminum etiam partialem cultus & adoratio-

V. nis, sed solum prototypum: quia nimirum absolutè simplicitérque loquendo, coli censetur, & adorari, éstque terminus adorationis & cultus is qui ratione sui, suæque propriæ per se primò sibi conuenientis excellentiæ colitur, & adoratur: huiusmodi autem est non imago, sed prototypum solum: quod non impedit quo minùs illa eâdem cum prototypo adoratione coadoretur, eo ipso quo osculum, vel inclinatio corporis, aut alia exterior honoris nota, ei propter excellentiam prototypi exhibetur.

Quod non negarunt Patres illo loquendi modo vtentes, cùm & à Iacob virgam Ioseph adoratam fuisse dixerint, & à nobis imagines esse adorandas: sic tamen, vt eas non propter se, sed propter aliud, nempe prototypum, adore-

VI. mus: quo eas modo adorare, dicunt esse non eas sed prototypum adorare, id est, non tam eas quàm prototypum: imò non eas, sed istud, hoc nimirum sensu, quòd istud solum per se, eæ verò non per se, sed istius solius ratione adorentur.

SECTIO II.

Eadem sententia duplici ratione probatur.

PRIMA & à priori quam ducunt ex natura adorationis suprà declarata, S. Thomas, Alensis, Almainus, aliíque suprà citati, hæc est. Nulla res expers rationis & animæ sine rationali capax est secundùm se, reuerentiæ, seu adorationis: atqui imago res est expers rationis & ani-

VII. mæ: ergo secundùm se non est sine rationali capax reuerentiæ seu adorationis. Minoris veritas per se patet: non enim agimus de imagine viua & rationali: cuiusmodi est tam in diuinis quàm in humanis filius respectu patris, & tam homo quàm Angelus respectu Dei: sed de ea sola quæ ex ligno, similíve materia fit. Maior constat ex natura adorationis: quæ cùm sit, vt suprà vidimus, significatio, & protestatio excellentiæ eius qui adoratur supra adorantem, nulli deferri decenter & honestè potest, nisi ei in quo est talis excellentia, aut esse apprehenditur: nullus autem hominum in re inanimata & irrationali secundùm se præcisè considerata, & seorsim à rationali, apprehendere verè potest excellentiam, ob quam sit ea re ipse inferior, & ob quam ei decenter ac honestè interno voluntatis affectu se sub-

VIII. mittere, & externam huius interioris submissionis notam exhibere velit: talis enim excellentia nec est, nec esse potest in re vlla inanimata aut irrationali spectata præcisè secundùm se, ac seorsim à rationali. Imò nec vlla excellentia est, ob quam non dico adoratione, sed honore aliquo ac reuerentia digna sit. Vt enim rectè D. Th. art. 4. q. huius 25. in Corpore: *Honor seu reuerentia non debetur nisi rationali naturæ: creaturæ autem insensibili non debetur honor, vel reuerentia, nisi ratione naturæ rationalis.*

Hanc rationem Tridentinum Concilium indicauit apertè, cùm loco ſuprà citato dixit, *debitum honorem & venerationem imaginibus impertiendam eſſe, non quòd credatur iis ineſſe aliqua diuinitas vel virtus propter quam ſint colendæ*: Quam ſanè iis ineſſe oporteret, vt adorari poſſent adoratione diuerſa ab ea qua prototypa adorantur: ac proinde cuius ipſæ eſſent terminus integer ac totalis. Eandem attigit D. Baſilius dicens loco ſuperiùs citato, imaginis regem repræſentantis, & ipſius regis vnicam eſſe glorificationem, & non multas, ſicut vtriuſque principatus & poteſtas vnica eſt, ea ſcilicet quæ in ipſo rege reſidet: cùm tamen imaginis aliam eſſe oporteret poteſtatem & excellentiam, ſi diuerſa à rege adoratione coli poſſet, eáque, cuius ipſa eſſet terminus adæquatus & totalis.

I. A

Ex quibus patet ratio, propter quam Martyrem ſic colere poſſumus & venerari, vt ipſe Martyr ſit terminus integer venerationis & cultus, non verò ſimul Deus: imaginem autem non poſſumus ſine eo cuius imago eſt. Martyris enim à Deo ſeorſim ſpectati propria aliqua excellentia eſt, diuerſa penitus ab increata & propria Dei excellentia: imaginis autem à prototypo ſeorſim conſideratæ nulla eſt alia excellentia adoratione digna aut honore, niſi ipſa numero quæ prototypo ineſt. Nec dicas imagini ſecundùm ſe, ſeorſimque à prototypo hoc conuenire, vt dignam veneratione perſonam repræſentet: ſicut enim hoc non obſtante imago quidpiam inanimatum & irrationale eſt, ita quiddam eſt expers dignitatis & excellentiæ, cui cultus vllus honorve debeatur, aut decenter honeſtéque deferri poſſit.

II. B

Altera ratio ſumitur à contrario hoc modo. Si imagines ſeorſim à prototypo ſpectatæ capaces non ſunt inhonorationis & iniuriæ, quæ ad ipſas terminetur, ac non etiam ad prototypum ſimul, nec capaces erunt alicuius cultus & honoris qui terminetur ad eas ſolas, & non ſimul ad prototypum: atqui verum eſt prius: igitur & poſterius. Maioris conſequentia bona eſt, eo quòd vnius potior ratio eſſe non poteſt, quàm alterius: cùm præſertim contraria circa idem ſubiectum verſentur, quando vnum eorum non eſt addictum illi ſubiecto: quod hîc euenire certiſſimum eſt: cùm haud dubiè fieri poſſit, vt imagines non adorentur, & reipſa frequenter nullo modo adorentur. Vnde ſi capaces ſunt alicuius cultus & honoris ad eas ſolas terminati propter propriam ipſarum excellentiam, capaces quoque erunt inhonorationis & iniuriæ contrariæ huic cultui & honori ad eas ſolas terminato: aut ſi illius inhonorationis & iniuriæ non ſunt capaces, nec erunt iſtius honoris & cultus.

III. C

IV. D

Minoris veritas conſtat, tum ex Adriano primo ſummo Pontifice in epiſtola ad Imperatores, actione 2. ſeptimæ Synodi hæc ex D. Chryſoſt. referente, parabola de ſemente. *Neſcis, quod quicunque ex ligno & coloribus imagini conuicia dicit: non damnatur velut in rem inanimatam, ſed contra regem ipſum dixerit?* Ex eodem item Adriano ſic in ſcripto de imaginibus verſus finem cap. 8. hæc Seueriani Gabalorum Epiſcopi verba referente, *Veſtem imperialem ſi iniuriaueris, nunquid qui eam induit iniuria afficis? Neſcis, quoniam ſi quis imaginem imperatoris iniuriauerit, primæ formæ dignitati affert iniuriam? Imago enim ſi feriatur, eius iniuria Imperatorem attingit.* Ex his præterea Taraſij verbis act. 4. eiuſdem ſeptimæ Synodi. *Hæc ſanè rerum natura docet, quòd honor imagini exhibitus ad ipſum fontem primum referatur, quomodo etiam contumelia.* Conſtat præterea ex eo quòd nulla in cuiuſquam imaginem inferri contumelia exterior aut iniuria poteſt, qui non ſe ſentiat iniuriosè & contumeliosè tractatum eo ipſo actu, quo exterior illa in ſui imaginem illata contumelia eſt.

V.

Conſtat denique hac ratione: quòd nimirum cùm quælibet iniuria iuris alicuius violatio ſit, illa ſola res iniuriæ capax eſt, quæ iuris eſt capax: ſola autem natura rationalis capax eius eſt. Vnde & ipſa ſola iuſtitiæ & iniuſtitiæ tam ſtrictè quàm latè ſumptæ capax eſt. Ex quo ſequitur euidenter, non poſſe vnquam intelligi iniuriam integrè terminatam ad rem quæ ratione caret, cuiuſmodi ſunt imagines de quibus loquimur.

VI.

Nec dicas iniuriam factam imagini regis eſſe quidem iniuriam regis, at non ita grauem ac ſi ipſi regi in propria perſona fieret. Nam ſiue leuior ſit, vt reuera eſt, ſiue non ſit, non intelligitur tamen habere rationem iniuriæ, prout ad ſolam imaginem terminatur, ſed prout etiam ad eum qui per eam repræſentatur. Deinde ita leuior eſt, vt nihilominus ſit eiuſdem ſpeciei cum iniuria quæ ipſi in propria perſona fieret, eidémque virtuti opponatur.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM eſt, à ſeptima Synodo actione 7. in Confeſſione fidei, & à Patribus communiter negari, latriam exhibendam imaginibus Dei & Chriſti: quod falſum eſſet, ſi imagines vnica eademque numero cum prototypis adoratione colerentur. Nam latria Deo, & Chriſto, vt pote Deo exhibetur. Hæc obiectio, ſi quid valet, euincit imagines Chriſti & Dei, nunquam coli eodem numero cultu, quo Deus, & Chriſtus: ſicque quoties coluntur, toties eſſe terminum cultus integrum & totalem: quod tamen certiſſimè falſum eſt. Nam Deus & Chriſtus vt Deus, quoties colitur, toties cultu latriæ colitur: Synodus autem illa, & Patres imagines vnquam latria colendas eſſe negant: ergo negant vnquam eſſe colendas eodem numero cultu quo Deus, & Chriſtus, vt Deus colitur, cùm hic cultus ſemper latriæ ſit.

VII.

Verùm reſpondeò Synodum & Patres per latriam quam imagini Dei & Chriſti, ſimiliterque per duliam quam imaginibus ſanctorum negant exhibendam, non intelligere externam ſubmiſſionis notam, vt genuflexionem, oſculum, & ſimiles, ſed ſolum interiorem ſubmiſſionis & ſeruitutis affectum, qui erga eum tantùm concipiendus eſt, cuius ob excellentiam exterior nota ſeruitutis & ſubmiſſionis imagini exhibetur. Is autem cuius ob excellentiam nota hæc imagini exhibetur, ſolus ille eſt, qui per eam repræſentatur: ex quo interiori ſeruitutis &

VIII.

submissionis erga ipsum propter ipsius excellentiam affectu, dum exterior nota submissionis eius imagini exhibetur, vnica eademque numero tam imaginis quam exemplaris per eam repræsentati adoratio est: quoniam, vt supra dixi, actus ille interior, & iste exterior, non multiplex, sed vnica adoratio est constans duplici I. actu, interno scilicet & externo: ex quibus externus provt illi interno subiacet, eiusque vi exercetur, adorationis nomine appellatur: internus verò ille, latria, vel dulia vocatur: latria quidem, quando propter increatam Dei excellentiam concipitur: dulia verò, quando propter creatam aliquam alicuius creaturæ rationalis.

Vnde etsi imagines Dei & Christi dici non debeant coli latria, sanctorum verò dulia, quia hoc loquendi modo significaretur internum seruitutis & submissionis affectum erga imaginem concipi, ipsique proinde inesse per se & ratione sui excellentiam illam increatam, vel creatam, propter quam à voluntate seruitutis ille & II. submissionis internus affectus concipitur, dici tamen semper debent adorari eadem numero B adoratione qua prototypa, & adoratione latriæ, vel duliæ, id est, adoratione non quæ sit ipsa latria, vel dulia, cùm hæ duæ voces prædictum solùm interiorem affectum significent, sed quæ oriatur ex interiore isto affectu, tanquam effectus ex causa, vnicam numero cum hac sua causa completam & totalem adorationem constituens, qua tam imago quàm exemplar simul per modum vnius termini adæquati & totalis adoratur. Quòd si quispiam suspicatur nos prædictorum istorum nominum, latriæ, duliæ, adorationis, significationem pro arbitrio excogitasse, ad soluendam faciliùs nobis obiectam Synodi Patrumque doctrinam, consulat Gabriel. Vasq. disput. 108. cap. 13. in quo videbit aperte eam esse germanam illorum nominum acceptionem, ex eiusdem Synodi, & Patrum mente, atque doctrina. III. C

Secundum istud est. Legatus regis potest aliquo proprio honore coli, cuius ipse erit terminus integer ac totalis: ergo & imago. Sed negatur consequentia: nam legatus creatura rationalis est, capax secundùm se propriæ excellentiæ à regia diuersæ, licet ad illam dicentis ordinem, & à rege deriuatæ, propter quam secundùm se & per se honorari, colique dignus est: cuiusmodi excellentia est ipsa legati dignitas, quæ non est eadem cum regia, licet ad eam dicat ordinem, tantóque sit maior, quanto regia maiestas maior est in rege à quo mittitur. At imago cùm sit secundùm se res inanimata, nullius secundùm se excellentiæ capax est, ratione cuius aliquo secundùm se honore digna sit.

IV. Tertium. Potest externus honoris & adorationis actus imagini exhiberi, absque vllo affectu colendi & honorandi prototypum: ergo potest imago diuersa ab ab eo adoratione coli, & proinde esse aliquando totalis & integer terminus adorationis. Probatur antecedens à contrario: potest enim imagini contumelia seu iniuria fieri absque vllo affectu lædendi prototypum. Respondeo negando antecedens, si fermo sit, vt est, de honore & adoratione quæ sit opus non idololatriæ, aut superstitionis alicuius, sed virtutis: non enim potest imago coli seu adorari, quin vel per se, & ob propriam quam habet, aut habere concipitur excellentiam adoretur, vel per aliud, & ob alienam: à qua tamen aliquo modo propter aliquam suam cum eo in A quo est coniunctionem afficitur. Si priore modo colitur, falsò illi per intellectum propria aliqua excellentia veneratione digna tribuitur, & affectus eam colendi propter hanc excellentiam, externúsque cultus quo propter eandem colitur, idololatriæ actus est, si hæc excellentia cuiusdam diuinitatis excellentia esse iudicatur: aut si creata aliqua & inferior, superstitionis alicuius. At si posteriori, colitur quidem rectè, sed sic coli non potest sine affectu colendi prototypum ipsum seu exemplar. Velle enim imagini externum honoris signum exhibere, propter exemplaris quod repræsentat excellentiam, est eo ipso velle exemplar colere, & erga illud concipere affectum seruitutis siue submissionis, cuius nota est & signum exterior adoratio quæ imagini exhibetur. V. VI.

Ad probationem antecedentis, Dico primò, quacunque ex voluntate fiat iniuria imagini, eam habere non posse rationem iniuriæ, quatenus fit præcise imagini, sed quatenus exemplari: à contrario proinde quacunque ex voluntate deferatur honor & cultus imagini, non posse habere completam rationem honoris & cultus, nisi fortè superstitiosi, si non ad prototypum terminetur.

Dico deinde, vt iniuria facta imagini sit peccatum contra virtutem ad quam pertinet prototypi cultus, non esse quidem necesse, vt fiat expressa voluntate lædendi prototypum: requiri tamen vt fiat vel expressa voluntate tractandi malè imaginem, quia imago eius est, vel saltem ex præuia cognitione quòd eius imago sit: hancque malè tractandæ imaginis voluntatem vel eo quòd imago est, vel ex ista præuia cognitione, censeri moraliter, & esse interpretatiuè voluntatem afficiendi iniuria prototypum ipsum, sícque nunquam fieri iniuriam imagini, absque aliqua lædendi prototypi voluntate. VII.

Quamquam vt actus adorationis exhibitæ imagini sit honestus formaliter, & actus veræ virtutis, non sufficit vt fiat ex qualicunque etiam interpretatiua colendi prototypum voluntate, sed requiritur vt fiat ex explicita expressaque: nec ex quocunque formali motiuo, sed proprio virtutis illius ad quam pertinet cultus prototypo debitus: quemadmodum vt quis strictæ iustitiæ actum exerceat, qui sit formaliter honestus, & virtutis, non sufficit vt D rem alienam velit reddere, reddátque, sed requiritur vt id faciat ex affectu æqualitatis debitæ, quæ est proprium iustitiæ formale motiuum: vt autem peccet per iniustitiam satis est, vt non reddat, velítque non reddere, etiam interpretatiua, & minimè expressa voluntate, quocunque tandem ex motiuo id velit, & faciat. VIII.

SECTIO IV.

Corollaria doctrinæ præcedentis.

I. EX his quæ de imaginum adoratione hactenus diximus, facile intelligitur, quæ libris Euangeliorum, aliisque Scripturæ sacræ, quæ vasis Dei cultui consecratis, quæ nomini Iesu, siue scripto, siue prolato, quæ speciebus sacramentalibus, aliisque similibus rebus inanimatis adoratio debeatur: nimirum nulla, cuius hæres sint terminus integer & totalis? & non alia, quàm quæ ipsi Christo, & Deo debetur: cum quo res illæ vna eadémque adoratione coadorantur, quoties adorantur. Quæ tamen adoratio respectu rerum illarum non latria, sed latriæ dici debet, ea de causa, & eodem sensu, quo idem de imaginum adoratione superiori sect. in solutione primi argumenti diximus.

II. Quamquam si non de speciebus sacramentalibus agitur, sed de ipso sacramento, verè dicetur ipsum coli latria, & hanc ipsi deberi: sacramenti enim nomine non tantùm significantur species, sed ipse quoque Christus sub iis contentus, cui latria debetur. Nec refert, quòd sacramentum præter Christum cõtineat species, quib. latria non debetur. Nam & Christus præter Verbum cui debetur latria, & ratione cuius Christo deberi dicitur, continet humanitatem, cui, vtpote creaturæ, latria non debetur.

III. Quæ latria deberetur etiam sacramento, etsi sub speciebus non contineretur totus & integer Christus, sed tantùm Christi corpus, & sanguis vnitus hypostaticè Verbo: quia sic etiam sacramentum Verbum cum corpore & sanguine contineret: Verbo autem latria debetur. Imò si sub speciebus substantia panis & vini contineretur cum Christo simul, aut cum cõpore eius & sanguine vnito hypostaticè Verbo, eadem latria sacramento ob eiusdem Verbi eo contenti præsentiam deberetur, eadémque adoratio substantiæ panis & vini deberetur, exhiberetúrque, quæ debetur & exhibetur ipsis speciebus panis & vini: eandémque ob causam deberetur illi substantiæ, & exhiberetur, ob quam speciebus istis debetur, exhibetúrque.

IV. Vnde concludes, ex adoratione latriæ qua sacramentum hoc veneramur, non posse colligi absentiam panis & vini. Imo quod amplius est, ex eadem latriæ adoratione non potest colligi realis & substantialis corporis & sanguinis Christi præsentia. Nam etiamsi corpus eius & sanguis non esset realiter præsens in sacramento, sed solùm tanquam res significata in signo, sicut exemplar in imagine, posset nihilominus in eo adoratione latriæ coli, sicut ipse Christus in imagine sua hac ipsa adoratione colitur. Nam ad hoc sufficeret, quòd sola cogitatione sacramento coniungeretur. Quam ob causam cùm in Ecclesia Græca ante consecrationem, panis & vinum per templum circumferuntur, & populus adorat, sciens sub eorum accidentibus nondum esse Christum, non peccat, etsi adoratio quam exhibet latriæ sit: eam enim exhibet in illo pane & vino ipsi Christo, quem cogitatione iam cum speciebus huius & illius substantiæ coniunctim apprehendit, eo quòd paulò pòst, consecratione scilicet peracta, sub iisdem realiter & substantialiter præsens sit futurus.

Licet autem ex latriæ cultu non possit, vt dixi, colligi realis præsentia corporis & sanguinis Christi in sacramento, colligitur tamen rectè ex singulari modo quo latriæ cultum ipsi deferimus: ex singulari scilicet interna externáque reuerentia, qua sacramentum hoc, & vasa ac linteamina in quibus peragitur, veneramur: quæ multò maior est ea quam Christi imaginibus rebusque eas contingentibus exhibemus: & ea quam ipsi sacramento exhiberemus, si purè signum esset corporis & sanguinis Christi, nec ipsum realiter contineret. V.

DISPVTATIO LV.

Quænam adoratio B. Virgini, Sanctis, & eorum Reliquiis debeatur?

SECTIO PRIMA.

De Reliquiis, & Sanctis.

VT à Reliquiis ordiamur, quoniam earum eadem omnino ratio est quæ imaginum, de quibus superiore disputatione diximus, Dico de iis duo. Primum est, eas esse venerandas. Ita definitum est in septima Synodo act. 3. & 4. Et sanè si imagines quia prototypa repræsentant, venerandæ sunt, vt constat ex doctrina Conciliorum & Patrum quam præcedente disputatione retulimus, pari saltem iure Reliquiæ ratione contactus cum Christo, vel Sanctis, similisve cum eis coniunctionis veneratione dignæ erunt. Quod si etiam purpuram regis veneramur propter eam quam cum rege habet coniunctionem, cur Sanctorum reliquias propter eam quam habent coniunctionem cum iis quorum reliquiæ sunt, non venerabimur? VI. VII.

Nec dicas aliam esse rationem vestis regiæ, & reliquiarum: eo quòd hæ non sunt ampliùs cum Sanctis coniunctæ, cùm è contrario vestis regia cum rege qui eam induit coniuncta sit. Nam vt eas veneremur, sufficit quòd eas cogitatione cum illis coniungamus, vt exemplar cum imagine, cui reipsa coniunctum non est: quod item sufficit vt vestem regiam quam rex reipsa exuerit honoremus, exemplo Iacob qui filij sui vestem ab eo reipsa separatam exosculabatur, vt suprà ex Leontio retulimus. Neque repugnant Epiph. in Ancor. & Augustin. serm. 58. de Verb. Domini, suprà relati, dicentésque, purpuram à rege separatam non adorari. Vel enim loquuntur de purpura separata penitus non modò re, sed etiam cogitatione: vel de eo tantùm quod fieri solet: non enim solet vesti regiæ qua rex indutus non est haberi honor, sicut solet, cùm ea indutus actu est. VIII.

Secundum est, reliquias vnica eadémque numero adoratione cum iis quorum reliquiæ sunt esse colendas: easque proinde nunquam esse debere totalem & integrum terminum adorationis. Id constat iisdem rationibus, quibus præcedente disputatione idem de imaginibus pro-

bauimus, cùm hæ, ſicut illæ, ſint res animæ & rationis expertes.

Neque opponas S. Doctorem in 3. diſt. 9. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. docentem crucì Chriſti prout habet rationem reliquiæ, deberi cultum hyperduliæ, & proinde alium quàm ipſi Chriſto, cùm huic latriæ debeatur. Vt enim rectè obſeruarunt Durandus, & Capreolus, illa diſtinct. 9. ille quæſt. 2. num. 14. hic verò quæſt. 1. art. 3. S. Doctor hanc doctrinam ſuam in ſumma aperte retractauit, tum hac quæſt. 25. diuerſis in articulis: tum ſecunda ſecundæ quæſt. 103. art. 4. ad 3. reſpondens his verbis. *Dicendum quòd creaturæ irrationali in ſe conſideratæ non debetur ab homine aliqua ſubiectio, vel honor, quin potiùs omnis talis creatura eſt naturaliter homini ſubiecta. Quòd autem crux Chriſti honoretur, hoc fit eodem honore quo Chriſtus honoratur: ſicut purpura regis honoratur eodem honore quo Rex.*

Iam quod ſpectat ad Sanctos, Dico item de iis duo. Primum eſt, iis deberi ſacrum cultum, ac proinde diuerſum à ciuili, eóque maiorem. Ita definitum eſt in ſeptima Synodo, actione 2. & in Tridentino Concilio, ſeſſ. 25. capite de inuocatione, & veneratione Sanctorum: quibus in Conciliis, aliiſque omnibus, quæ ſimiliter definierunt cultum Sanctis eſſe exhibendum, agitur de cultu ſacro, ac maiore quàm ciuili, vtpote de quo cum hæreticis erat controuerſia. Et ſanè ſi hominibus in ciuili dignitate conſtitutis, propter hanc eorum dignitatem exhibemus honorem, eóque maiorem, quò maior eſt illa dignitas, cur Sanctis, ſiue in hac vita adhuc degentibus, ſiue iam Deo fruentibus, non exhibebimus propter eorum ſanctitatem, cùm hæc longè maior & ſuperioris ordinis dignitas ſit quacunque ciuili?

Ex quo ſumitur ratio à priori, qua probatur adorationem ipſis debitam eſſe à ciuili diuerſam, eáque maiorem. *Illa enim adoratio à ciuili diuerſa eſt, eáque maior, quæ ob excellentiam à ciuili diuerſam eáque maiorem defertur: atqui ſanctitas ob quam defertur Sanctis adoratio eſt excellentia prorſus à ciuili diuerſa, eáque maior, & ſuperioris ordinis, vt apud omnes conſtat. Maioris veritas certa eſt, tum ex eo quòd ideo latriæ adoratio qua Deus adoratur diuerſa eſt à quacunque cuiuſuis creaturæ adoratione, eáque maior, quia excellentia diuina ob quam adoratur eſt diuerſæ penitus rationis, & longè ſuperioris ordinis quacunque creata excellentia, ob quam creaturis adoratio exhibetur: tum quia adorationis diuerſitas & magnitudo æſtimari non poteſt ex ſola exteriori nota ſubmiſſionis, nec etiam ex interno affectu præcisè exhibendi notam hanc: ſicut enim tam Deo, quàm cuilibet creaturæ, propter quamlibet excellentiam, exhibere poſſumus eandem externam notam ſubmiſſionis, vt conſtat ex dictis initio diſput. 53. ſic erga tam Deum, quam creaturam quamlibet, concipere internum affectum notam illam exhibendi: æſtimanda igitur eſt ex diuerſitate & magnitudine excellentiæ, ob quam & notam ſubmiſſionis exhibemus exterius, & exhibere volumus, ſeu ſeruitutis affectum concipimus erga eum quem adoramus: qui affectus & adoratio eò cæteris paribus ſemper eſt maior, ſiue in eadem ſpecie, ſiue in diuerſa, quò maior eſt excellentia ob quam concipitur, & exhibetur.*

I. A

Secundum eſt, adorationem duliæ qua coluntur Sancti, & adorationem latriæ qua colitur Deus, non modò eſſe actus ſpecie differentes, ſed etiam ad diuerſas eſſentialiter virtutes pertinere, quarum vna eſt religio, ad quam latriæ adoratio pertinet, altera à ſcholaſticis dulia dicta, ad quam illa Sanctis debita pertinet adoratio: quam quidem virtutem à religione eſſe diuerſam communis Theologorum conſenſus eſt, nominatimque S. Doctoris ſecunda ſecundæ quæſt. 103. artic. 3. in corp. virtutem duliæ ſub obſeruantia conſtituentis, & vtramque à religione diſtinguentis, contra Marſilium in 3. quæſt. 14. art. 1. docentem ad eandem religionis virtutem ſpectare cultum latriæ debitum Deo, & duliæ debitum ſanctis: cuius hæc ſententia nulla firma ratione nititur. V.

Nam quod pro ea afferri à ſimili poteſt ex charitate, qua vna eadémque Deum & proximum diligimus, multò magis contra eam quàm pro ea facit. Sicut enim pertinet quidem ad eundem habitum charitatis Theologicæ, diligere Deum propter ſe, & proximum propter Deum, id eſt, proximo velle bonum aliquod, non vt bonum eius eſt, ſed vt Dei, ſicque amare proximum ſolo amore concupiſcentiæ, Deum autem amicitiæ: at ſpectat ad diuerſos eſſentialiter habitus charitatis, diligere Deum propter ſe, ſeu velle ei bonum, vt bonum eius eſt; & diligere proximum propter ſe, ſeu bonum ipſi velle pro vt bonum ipſius eſt: ita pertinet quidem ad eandem virtutem religionis, adorare Deum propter ſe, id eſt, propter increatam & diuinam eius excellentiam, & Sanctos, propter eandem increatam Dei excellentiam, quæ adoratio latriæ eſt: at ſpectat ad diuerſas eſſentialiter virtutes, adorare Deum propter hanc eius excellentiam: & adorare Sanctos propter creatam & propriam eorum ſanctitatem, quæ adoratio duliæ eſt, & ad virtutem ejuſdem nominis ſpectat, diuerſam ſpecie à virtute religionis, quæ ſoli diuinæ excellentiæ cultum tribuit, ſicut dulia ſoli creatæ. II. B VI.

Cuius virtutis duæ ſunt ex probabiliori Theologorum ſententia ſpecies, ſicut & duæ vniuerſim ſunt excellentiæ creatæ: vna ciuilis, altera ſacra. Prior ciuili honorem defert, & in tres alias ſpecies à D. Thoma ſubdiuiditur citatæ quæſt. 103. art. 4. in pietate qua parentibus, & in eam qua Maioribus in dignitate conſtitutis defertur honor, & obſeruantiæ nomen ſibi peculiariter vendicat: & in alteram qua dominis defertur honor à ſeruis, & duliæ nomen peculiariter item retinet. Poſterior verò ſacræ defert honorem: quam nulla neceſſitas eſt ſubdiuidere in multas ſpecie virtutes pro ſpecifica diuerſitate ſacrarum excellentiarum: & ſaltem nulla neceſſitas eſt ſubdiuidere in tam multas ſpecie virtutes, quàm multæ ſpecie ſunt excellentiæ ſacræ: alioquin eſſent pari iure diſtinguendæ tot ſpecie virtutes ciuili excellentiæ honorem deferentes, quot ſunt diuerſæ ſecundùm ſpeciem excellentiæ ciuiles. III. C VII.

Ex his colligitur, iniuriam quæ fit Sanctis & perſonis ſacris, vt ſacerdotibus, quęque ſacri- IV. D VIII.

legij

legij malitiam habet ex conditione personæ sacræ aut sanctæ cui fit iniuria, non esse sacrilegiũ oppositum virtuti religionis qua Deus colitur, sed duliæ quæ ab hac virtute distinguitur. Nam si sacrilegium illud esset illi religioni oppositum, cultus quoque & honor huic iniuriæ oppositus ad virtutem illam pertineret. I.

Nec refert, quòd Diuus Thomas secunda secundæ quæst. 99. art. 2. videatur sacrilegium illud reponere inter species religioni oppositas: id enim facit propter affinitatem quam habet cum religione cultus Sanctorum & sacerdotum, similiúmque sacrarum personarum: quibus iniuria facta, præter malitiam istius sacrilegij virtuti duliæ oppositam, habere potest aliquando alterius sacrilegij oppositi virtutis religionis malitiam: habétque reipsa, quando quis, exempli causa, sacerdotes iniuria afficit in odium, aut contemptum ministerij sacri quod exercent, eorúmve ordinationis, putans eam esse superstitiosam, quod hæreticis frequenter euenit. A

II. SECTIO II.

De beata Virgine.

EX dictis etiam colligitur quæ adoratio B. Virgini debeatur. Constat enim deberi duliæ, sicut & Sanctis, cùm omnium sanctissima sit. Quam etiam ob causam non qualiscunque dulia debetur, sed eximia & singularis, à Theologis ideo dicta hyperdulia, quæ specie non differt à dulia qua coluntur Sancti: sicut nec eius sanctitas, licet eximia & singularis, ob quam hyperdulia colitur, ab eorum sanctitate specie differt. B

Et quamuis eius sanctitas horum sanctitate maior non esset, hyperdulia tamen meritò conferetur, ob dignitatem maternitatis Dei cum sanctitate coniunctæ: sicut enim in ea sola ex omnibus puris creaturis hæc dignitas reperitur, & ob eam illis omnibus supereminet, ita sola præ iis meretur cultum hyperduliæ, id est, duliæ cuiusdam eximiæ & singularis: quanquam inferioris ea hyperdulia, quæ humanitati Christi debetur, ob dona gratiæ quibus excellit, & ob ipsum nominatim donum hypostaticæ vnionis: quæ vnio cùm sit creatum quidpiam, non potest eius ratione humanitati illi cultus latriæ deberi: cùm hic ob solam increatam & diuinam excellentiam deferri debeat. Dixi, ob dignitatem maternitatis Dei cum sanctitate coniunctæ: nam cùm hæc maternitas seorsim à sanctitate consideratа sit minor dignitas quàm hæc sanctitas, vt suprà iam ex Gabriele Vasquez monuimus, ratione præcisè maternitatis non potest illi deberi dulia maior ea quæ debetur Sanctis, & proinde hyperdulia. III. C IV. D

Superest hic videndum, an aliqua ratione beatæ Virgini adoratio latriæ deferri meritò possit. Aliqui recentiores Theologi existimant deferri posse ratione maternitatis Dei: tum quia maternitas hęc sicut ad Deum, sic ad diuinam eius & increatam excellentiam ordinem habet: tum quia matri regis idem defertur honor qui regi: beata autem Virgo mater est Christi regis qui honore latriæ colitur. At cum Diuo Thoma hac quęstione 25. articulo quinto in corpore contrarium indubitanter sentiendum est, eo quòd dignitas matris Dei est peculiaris quædam dignitas & excellentia creata, propria Virginis, longè inferior increata Dei excellentia, ob quam non nisi inferiori cultu eo qui latriæ est, coli meritò potest.

Nec refert, quòd illa dignitas ordinem ad Deum habeat, non enim propterea desinit esse creata dignitas, diuersa prorsus à dignitate Dei, & ea longè inferioris ordinis. Quòd si propter inferiorem dignitatem personæ alicuius dicentem ordinem ad superiorem, posset illa persona coli eo honore quo ille superiorem dignitatem obtinens potest: posset non modò beata Virgo, sed omnes etiam Sancti honore latriæ coli, cùm eorum sanctitas, & beatitudo per quam fiunt amici, filij, & hæredes Dei, imò diuinę naturæ consortes perfectissimè, quantum puræ creaturæ possibile est, sit dignitas dicens ordinem sicut ad Deum, sic ad increatam eius excellentiam. Posset etiam legatus regis ob hanc dignitatem tanto honore coli, quanto rex, cùm illa dignitas sicut ad regem, sic ad regiam eius maiestatem dicat ordinem. V. VI.

Nec etiam refert, quòd inter homines mater regis eodem honore colatur quo rex: ideo enim hoc rectè fit, quia vtriusque dignitas creata est, & eiusdem ordinis: quamuis differant secundùm magis & minus: at maternitas Dei diuersi prorsus ordinis dignitas est ab increata Dei, eáque longè inferioris ordinis.

Etsi autem ita res habeat, duplici tamen consideratione potest beata Virgo vna eadémque cum Deo adoratione latrię coli: vna cum rebus omnibus creatis ipsi communis est, altera propria & peculiaris. Posterior hæc, est sacer ille contactus quo Christum Deum & in vtero, & extra vterum tetigit, magis speciali, & longè nobilioti modo, quàm vllæ aliæ res tetigerint; qua consideratione Virgo rationem obtinet reliquiæ multò pretiosioris, quàm obtineant aliæ res propter contactum quo ipsum tetigerunt. Vnde sicut has res coadoramus simul cum Deo adoratione latrię, propter increatam ipsius Dei excellentiam, quam cum illis cogitatione coniungimus, ob hanc quam cum eo habuerunt contactus coniunctionem: ita ob eandem causam beatam similiter Virginem coadorare simul cum Deo latriæ adoratione possumus. VII.

Neque hoc negare voluit sanctus Thomas articulis tertio, & quinto ad tertium, sed solùm docere, imaginem, & crucem Christi non nisi adoratione latriæ coli posse, quia nullius secundùm se capax est excellentiæ, ob quam adorari secundùm se debeat: at beatam Virginem adorari posse secundùm se propria & speciali adoratione, quia secundùm se capax est propriæ dignitatis creatæ, ob quam non ex religione, latriæ cultu, sed ex duliæ virtute, dulia coli meritò potest, & debet: quod non impedit, quin sicut crux, & imago Christi, coli præterea adoratione latriæ possit, ea consideratione qua diximus. VIII.

Prior autem, quæ illi cum rebus omnibus creatis communis est, & ob quam hæ res omnes, & singulæ, sicut & illa, ritè possunt adorari ea de qua loquimur adoratione, vt expresè docent inter cæteros, Caietanus secunda secundæ quæst.

103. art. 3. §. *ad 4. igitur dubium*, & Gabr. Vasq. disput. 110. cap. 2. & 3. est consideratio præsentiæ, qua Deus per essentiam suam rebus omnibus & singulis intimè præsens est, iugiter in eas influendo & conseruando totum esse quod habent : ratione cuius præsentiæ sicut meritò possumus vnamquamque rem creatam cogitare tanquam Deo coniunctam, & ipsum in se habentem, ita & meritò possumus vnicuique exhibere externam reuerentiam propter increatam excellentiam diuinæ maiestatis præsentis, & coniunctæ realiter magis quàm exemplar imagini, quàm reliquiis ij quorum reliquiæ sunt, & quàm vesti suæ Ioseph eo tempore coniunctus esset, quo eam Iacob osculabatur, & sic honore prosequebatur. Vnde si nihilominus possumus imagines, aut reliquias, propter personas quas referunt, aut quarum reliquiæ sunt, & quas ipsis mente coniungimus, eadem adoratione venerari qua illas ipsas personas, multò mágis poterimus quamlibet rem creatam eadem adoratione qua Deum, propter ipsius Dei excellentiam, vt diximus.

A

Quod etiam nos posse docuit Leontius suprà citatus in dialogo quinto contra Iudæos, relato actione quarta septimæ Synodi, *Ego*, inquiens, *per cœlum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucem, Angelos, homines, per omnem denique creaturam visibilem & non visibilem, omnium authori Domino, & factori soli adorationem & cultum exhibeo.* Quod licet ita sit, rectè tamen monet Vasq. ibidem, non ideo posse quamlibet rem populo adorandam publicè proponi, propter periculum : cùm non in omnibus indifferenter rebus creatis populus rudis perinde possit apprehendere Deum præsentem, & ab eius increata excellentia ad venerationem allici, atque in imaginibus, reliquiis, similibusque Dei cultui peculiariter consecratis. Atque hæc de mysterio Incarnationis dicta sint ad honorem & gloriam ipsius Verbi incarnati, & sanctissimæ eius Matris.

INDEX DISPVTATIONVM,

QVÆ TRACTATV DE FILII DEI Incarnatione continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

An conueniens fuerit Deum incarnari?

DISPVTATIO II.

An necessarium fuerit Deum incarnari, seu naturam aliquam creatam hypostaticè assumere?

Sectio 1. *Vtrùm id necessarium fuerit simpliciter & absolutè, nulla facta hypothesi vel lapsus humani generis in peccatum, vel creationis huius vniuersi, vel alia?*
Sectio 2. *Vtrùm idem necessarium fuerit ex hypothesi creationis huius vniuersi?*
Sectio 3. *Vtrùm ex hypothesi lapsus humani generis à Deo permissi necessarium fuerit vt illud ipse repararet?*
Sectio 4. *Vtrùm ex hypothesi quod voluerit Deus humanum genus reparare, necessarium fuerit vt per vnionis hypostaticæ mysterium repararet?*
Sectio 5. *Vtrùm vt humanum genus repararetur per condignam pro peccato eius exhibitam Deo satisfactionem, necessarium fuerit mysterium hypostaticæ vnionis?*

DISPVTATIO III.

Vtrum purus homo possit pro suo mortali peccato perfectè Deo satisfacere?

Sectio 1. *Refertur ratio vna qua negatiuæ partis veritas ab aliquibus defenditur.*
Sectio 2. *Relata ratio refellitur.*
Sectio 3. *Respondetur argumentis prima sectione relatis, quibus infinita actu malitia peccati mortalis astruitur.*
Sectio 4. *Refertur altera ratio, qua eiusdem negatiuæ partis veritas à multis hodie defenditur.*
Sectio 5. *Relata ratio duobus argumentis refellitur.*
Sectio 6. *Eadem ratio argumentis quoque aliis refellitur.*
Sectio 7. *Eiusdem negatiuæ partis veritas efficaci ratione probatur.*
Sectio 8. *Soluitur prima contra nostram rationem obiectio.*
Sectio 9. *Soluitur secunda contra eandem rationem obiectio.*
Sectio 10. *Altera eiusdem obiectionis solutio.*
Sectio 11. *Noua obiectionis contra traditam præcedente sectione doctrinam solutio.*
Sectio 12. *Soluitur tertia contra eandem rationem obiectio.*

DISPVTATIO IV.

Vtrum purus homo possit pro mortali alterius peccato condignè Deo satisfacere?

Sectio 1. *Negatiua pars defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Eadem negatiua pars efficaci ratione probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur obiectiones duæ.*

DISPVTATIO V.

Vtrum possit purus homo perfectè Deo satisfacere pro suo, vel alieno peccato veniali?

Sectio 1. *Quid sit sentiendum declaratur, & probatur.*
Sectio 2. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO VI.

An Christi pro peccatis humani generis satisfactio perfecta ex se seu condigna fuerit?

Sectio 1. *Pars affirmans scripturarum authoritate probatur.*
Sectio 2. *Eadem pars affirmans Patrum testimoniis probatur.*
Sectio 3. *Eadem pars affirmans duplici ratione probatur.*
Sectio 4. *Soluuntur primi generis obiectiones.*
Sectio 5. *Soluuntur quatuor secundi generis obiectiones.*
Sectio 6. *Soluitur quinta omniumque præcipua eiusdem secundi generis obiectio.*
Sectio 7. *Soluuntur tertij generis obiectiones.*
Sectio 8. *Hinc exorta quæstioni vni respondetur.*

DISPVTATIO VII.

Ex qua virtute Christus, & cui satisfecerit?

Sectio 1. *An ex stricta iustitia satisfecerit?*
Sectio 2. *An ex aliqua iustitia Christus satisfecerit?*
Sectio 3. *Cui Christus satisfecerit?*

DISPVTATIO VIII.

Vtrum Christi satisfactionem Deus non acceptare potuerit?

Sectio 1. *Quid sit sentiendum declaratur, & probatur.*
Sectio 2. *Soluuntur obiectiones.*

DISPVTATIO IX.

An si primus parens non peccasset, Dei filius humanam naturam hypostaticè assumpsisset?

Sectio 1. *Pars negatiua defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Tres ad hoc argumentum responsiones refelluntur, tria ex dictis colliguntur.*
Sectio 3. *Quinque dubitationum hoc pertinentium explicationem continens.*
Sectio 4. *Qua rationis signo seu ordine decreta Incarnatio fuerit?*
Sectio 5. *Duæ aliæ sententiæ refutantur, quibus vera subiicitur.*
Sectio 6. *Soluuntur argumenta contra doctrinam nostram ex Patrum testimonijs desumpta.*
Sectio 7. *Soluuntur argumenta contra doctrinam nostram ex Scripturarũ authoritate deprompta.*
Sectio 8. *Soluuntur argumenta contra doctrinam nostram ex ratione petita.*

DISPVTATIO X.

Vtrùm vnio Verbi facta sit in natura?

Sectio 1. *Pars negatiua defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XI.

Vtrùm vnio Verbi facta sit in persona?

DISPVTATIO XII.

Vtrùm hypostasis seu persona Christi composita sit?

DISPVTATIO XIII.

De vnione hypostatica, quid & qualis sit?
Sectio 1. *Vtrùm hæc vnio sit aliquid ab extremis per eam vnitis reipsa distinctum?*
Sectio 2. *Quid sit illud reipsa distinctum quod vnio hypostatica extremis per eam vnitis superaddit?*
Sectio 3. *Ex doctrina tradita nonnulla colliguntur.*
Sectio 4. *Soluuntur argumenta sex contra doctrinam suprà traditam.*
Sectio 5. *Soluuntur alia quatuor contra eandem doctrinam argumenta.*
Sectio 6. *Qualis sit vnio hypostatica?*

DISPVTATIO XIV.

Vtrùm humanitas Christi, aut ipse Christus meruerit, aut mereri potuerit suam hypostaticam vnionem?

Sectio 1. *Vtrùm humanitas eam meruerit, aut mereri potuerit?*
Sectio 2. *Soluuntur argumenta contraria.*
Sectio 3. *Vtrùm ipse Christus hanc vnionem suam meruerit, aut mereri potuerit?*
Sectio 4. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XV.

De eorum qui Christum præcesserunt merito erga Incarnationis vel substantiam, vel circumstantias.

Sectio 1. *Vtrùm sancti Patres Christo priores hanc aut illam meruerint, aut mereri potuerint?*
Sectio 2. *Vtrùm B. Virgo Dei maternitatem meruerit, aut reipsa meruerit?*

DISPVTATIO XVI.

Vtrùm persona Verbi terminet naturam humanam ratione alicuius absoluti, an relatiui?

DISPVTATIO XVII.

Vtrùm absoluta Dei potestate possit persona creata terminare alienam naturam creatam?

Sectio 1. *Tres hac de re sententiæ referuntur, & tertia refellitur.*
Sectio 2. *Quid de secunda sententia sentiendum sit, declaratur.*
Sectio 3. *Quid de prima sententia sit sentiendum, declaratur.*

DISPVTATIO XVIII.

De modo assumendi naturam creatam ex parte personæ assumentis.

DISPVTATIO XIX.

Vtrùm aliqua natura præter humanam possit a Deo assumi hypostaticè?

Sectio 1. *Pars affirmans defenditur, & probatur.*
Sectio 2. *Soluuntur argumenta contra doctrinam superiori sectione traditam.*

DISPVTATIO XX.

Vtrùm natura creata propriam subsistentiam retinens assumi possit hypostaticè à Deo?

Sectio 1. *Referuntur, refelluntúrque variæ rationes, quibus negatiuæ partis veritas à multis non benè probatur.*
Sectio 2. *Eiusdem negatiuæ partis veritas efficaciter probatur.*

DISPVTATIO XXI.

De partibus humanæ naturæ à Verbo assumptis.

DISPVTATIO XXII.

De ordine quo Verbum humanitatem eiúsque partes assumpsit.

Sectio 1. *Vtrùm inter ea quæ assumpta sunt, fuerit aliquis ordo temporis, seu realis durationis?*
Sectio 2. *Vtrùm ordine naturæ prior fuerit animæ cum carne, seu corporis vnio, quàm corporis cum Verbo hypostatica vnio?*
Sectio 3. *Vtrùm ordine naturæ prior fuerit anima rationalis cum carne vnio, quàm eiusdem animæ à Verbo assumptio?*
Sectio 4. *Vtrùm anima Christi fuerit à Verbo prius assumpta quam caro, an contrà hæc prius quàm illa?*
Sectio 5. *Vtrùm partes humanitatis prius natura fuerint assumptæ, quàm ipsa humanitas, an è contrario prius hæc quàm illæ?*
Sectio 6. *Vtrùm aliquid à Verbo assumptum fuerit, quod prius natura fuerit aliquo accidente informatum, quàm à Verbo assumptum?*

DISPVTATIO XXIII.

De habituali Christi gratia.

Sectio 1. *An hæc gratia humanitati Christi vt sancta esset, necessaria fuerit?*
Sectio 2. *Idem altero argumento probatur, obiectionibus respondetur.*
Sectio 3. *Vtrùm Christi humanitas habitualem gratiam sanctificantem habuerit, & quo tempore habere cœperit?*
Sectio 4. *Qualem, & quantam gratiam illam habitualem habuerit?*
Sectio 5. *An humanitatis Christi habitualis gratia augeri potuerit, & reipsa aliquando aucta sit?*

DISPVTATIO XXIV.

De aliis gratiæ donis Christo collatis.

Sectio 1. *De virtutibus, & donis Spiritus sancti.*
Sectio 2. *De gratiis gratis datis.*
Sectio 3. *De gratia capitis.*
Sectio 4. *Secundum proponitur, & explicatur.*
Sectio 5. *Tria reliqua proponuntur, & explicantur.*

DISPVTATIO XXV.

De Christi beata scientia.

DISPVTATIO XXVI.

De obiecto infusæ scientiæ Christi, seu de rebus per eam cognoscibilibus, & à Christo reipsa cognitis.

Sectio 1. *Vtrùm eius obiecto res creatæ omnes tam supernaturales, quàm naturales diuisiuè saltem spectatæ comprehendantur?*
Sectio 2. *Vtrùm eiusdem obiecto res creatæ omnes tam supernaturales, quàm naturales, ac proinde omnes creaturæ possibiles etiam collectiuè sumptæ comprehendantur?*
Sectio 3. *Vtrum eiusdem scientiæ infusæ obiecto Deus contineatur?*
Sectio 4. *Quæ res Christus per scientiam infusam reipsa cognouerit?*

DISPVTATIO XXVII.

De speciebus infusæ scientiæ Christi.

DISPVTATIO XXVIII.

De habitu eiusdem infusæ scientiæ.

DISPVTATIO XXIX.

De actu eiusdem infusæ scientiæ.

Sectio 1. *Duarum de hoc actu quæstionum explicationem continens.*
Sectio 2. *Tribus aliis de eodem actu quæstionibus respondetur.*

DISPVTATIO XXX.

De acquisita Christi scientia.

Sectio 1. *Vtrùm Christus hanc scientiam per infusionem à Deo acceperit, an potiùs per propriam operationem ministerio sensuum, sicut nos solemus, comparauit?*
Sectio 2. *Duæ pro posteriori ista sententia rationes expenduntur.*
Sectio 3. *Rationes pro priori illa sententia expenduntur.*

DISPVTATIO XXXI.

De potentia animæ Christi.

Sectio 1. *Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter?*
Sectio 2. *Obiectiones soluuntur.*
Sectio 3. *Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu & immutationis creaturarum, & exequutionis suæ voluntatis?*

DISPVTATIO XXXII.

De defectibus corporis ab incarnato Verbo assumptis.

Sectio 1. *Vera de iis doctrina traditur, & probatur.*
Sectio 2. *Ex dictis nonnulla colliguntur.*

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrùm aliquod aliquando in Christo peccatum fuerit?

DISPVTATIO XXXIV.

Vtrum in Christo peccatum aliquod esse potuerit?

Sectio 1. *Referuntur & refutantur aliquot argumenta, quibus negantis partis veritas non bene ab aliquibus probatur.*
Sectio 2. *Eiusdem partis negantis veritas efficaciter probatur.*

DISPVTATIO XXXV.

Vtrum humanitas Christi, nullo alio ei concesso dono quam vnionis hypostaticæ, potuerit absolute loquendo peccare peccato, quo hæc eius vnio destrueretur?

Sectio 1. *Referuntur & refelluntur aliquot argumenta, quibus negatiuæ partis veritas non satis efficaciter probatur.*
Sectio 2. *Eiusdem negatiuæ partis veritas duobus argumentis efficaciter probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XXXVI.

Vtrùm in Christo, eiusve humanitate fomes peccati fuerit, aut esse potuerit?

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrùm in anima Christi fuerint passiones?

DISPVTATIO XXXVIII.

De communicatione idiomatum.

Sectio 1. *Quatuor priorum quæstionis decimæ sextæ articulorum explicationem continens.*
Sectio 2. *Articuli quinti explicationem continens.*
Sectio 3. *Articuli sexti explicationem continens.*
Sectio 4. *Articuli septimi & octaui explicationem continens.*
Sectio 5. *Quatuor reliquorum articulorum explicationem continens.*

DISPVTATIO XXXIX.

Vtrùm Christus sit vnum, vel duo?

DISPVTATIO XL.

Vtrùm humanitas Christi existat formaliter per increatam Verbi existentiam?

Sectio 1. *Partis negantis veritas duobus argumentis ex authoritate petitis probatur.*
Sectio 2. *Eiusdem partis veritas aliis duobus argumentis ex ratione depromptis probatur.*
Sectio 3. *Vni quæstioni, vni item argumento respondetur.*

DISPVTATIO XLI.

Vtrùm sint in Christo duæ voluntates, seu volendi potentiæ?

DISPVTATIO XLII.

Quotuplex, & qualis fuerit humana Christi voluntas?

DISPVTATIO XLIII.

Vtrùm in Christo admittendæ sint plures operationes?

DISPVTATIO XLIV.

Per quos actus Christus mereri potuerit?

Sectio 1. *Vtrùm per actus præceptos.*
Sectio 2. *Optimus propositæ difficultatis soluendæ modus declaratur.*
Sectio 3. *Vtrùm meruerit per actum amoris erga Deum?*
Sectio 4. *Verus id defendendi modus explicatur.*

DISPVTATIO XLV.

Quo tempore Christi meritum cœperit, durauerit, defierit?

Sectio prima. *Quid sit sentiendum declaratur, & probatur.*
Sectio 2. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XLVI.

Quid sibi Christus meruerit?

Sectio 1. *An sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem meruerit?*
Sectio 2. *An visionem beatificam, habitualem item gratiam sanctificantem sibi meruerit?*
Sectio 3. *Vtrum continuationem, perpetuitatemque suæ hypostaticæ vnionis sibi meruerit?*

DISPVTATIO XLVII.

Quid Christus aliis meruerit?

Sectio 1. *Vtrùm Angelis gratiam quam habuerunt in via, & essentialem gloriam quam habent in patria, meruerit?*
Sectio 2. *Partis affirmantis argumenta soluuntur.*
Sectio 3. *Quid Christus hominibus meruerit?*
Sectio 4. *An Christus hominum à Deo electionem, vt electio est, meruerit?*
Sectio 5. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XLVIII.

De Christi subiectione sub Deo.

Sectio 1. *Vtrùm Christus secundùm humanitatem sit propriè Dei seruus?*
Sectio 2. *Solnuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO XLIX.

De Christi oratione.

DISPVTATIO L.

De Christi sacerdotio.

Sectio 1. *Vtrùm Christus sit verè & propriè sacerdos?*
Sectio 2. *Vtrùm Christus sit sacerdos vt Deus, an vt homo?*
Sectio 3. *An idem Christus qui sacerdos est, etiam hostia sit?*
Sectio 4. *Qua ratione Christo prædicta conueniant?*
Sectio 5. *Quo Christus modo factus sit sacerdos?*
Sectio 6. *Eadem sententia argumento à posteriori probatur.*
Sectio 7. *Ratione à priori eadem sententia probatur.*
Sectio 8. *Soluuntur obiectiones.*
Sectio 9. *Vtrùm Christus fuerit sacerdos Leuiticus, an secundùm ordinem Melchisedech?*
Sectio 10. *Soluuntur tres obiectiones.*
Sectio 11. *Vtrum effectum aliquem seu fructum sacerdotij sui Christus participauerit?*
Sectio 12. *Soluuntur obiectiones.*

DISPVTATIO LI.

De Christi adoptione.

Sectio 1. *Vtrùm Christus secundum humanitatem sit Dei filius adoptiuus?*
Sectio 2. *Soluuntur argumenta contraria.*

DISPVTATIO LII.

De Christi prædestinatione.

DISPVTATIO LIII.

Quænam adoratio humanitati Christi debeatur?

Sectio 1. *Nonnulla prænotantur.*
Sectio 2. *Vtrùm humanitas Christi eadem adoratione latriæ qua Verbum simul cum ipso colí possit?*

Sectio 3. *Vtrùm humanitas Christi alia adoratione quàm latriæ adorari meritò possit?*

DISPVTATIO LIV.

Quænam adoratio imagini & cruci Christi debeatur?

Sectio 1. *Quid sit sentiendum declaratur, & probatur.*
Sectio 2. *Eadem sententia duplici ratione probatur.*
Sectio 3. *Soluuntur argumenta contraria.*
Sectio 4. *Corollaria doctrinæ præcedentis.*

DISPVTATIO LV.

Quænam adoratio B. Virgini, Sanctis, & eorum Reliquiis debeatur?

Sectio 1. *De Reliquiis, & Sanctis.*
Sectio 2. *De beata Virgine.*

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ SECVNDA HAC PARTE CONTINENTVR.

A

AARON electus à Deo in sacerdotem, sine sacerdotij dignitatem dum resurget recuperaturus, pag. 871. num. 6

Abdicatio rerum suarum, ac possessionum perfectionis est, non necessitatis, 545.n.8.546.n.1

Abductoris peccatum,& ad quid teneatur, 582. n.3.583. n.2. & 5

Abrahæ verba ad seruos, *Expectate*, &c. *postquam adorauerimus*, &c. num mendacium præ se ferant, 275. n.3.4.5

Abrahæ iustificatio,iuxta locum illum, *Si ex operibus iustificatus*, &c. variè explicata, 24. n.5.6.7.8

Abrahæ iustificatio vnde probetur, 43. n.6

Abrahæ filium immolandum Deo offerentis,magnum opus, sed ex fide, quo sensu dixerit D. August. 241.n.5

in Abrahæ semine quomodo promissa Gentium fides, 93.n.6.& 7

an Abrahamo voluntaria filij sui oblatio conciliarit iustitiæ & sanctitatis incrementum, 426. n.3.4.5

Abstractum pro concreto,& concretum pro abstracto sæpè à Patribus vsurpantur, 824. n.4. & 5

Accidens præsuponit substantiam cui inest, & ex qua educitur, 728.n.7

Accidens non potest esse de interno & essentiali conceptu substantiæ, 719.n.5.& 8

an Accidens ab omni etiam subiecto separatum possit assumi à Deo hypostaticè, 746. n.3.761.n.7.& 764

an Accidentium esse quæ sunt in Socrate, distinguantur ab esse Socratis, 834.n.3.& 5

an Accipi pro quibusdam virtutum à iustitia diuersarum actibus præceptis, possit licitè quidquam per modum pretij: & si quid fuerit acceptum, sitne eius restituendi obligatio, 614. num. 1

Accepta propter actum virtutis siue positiuum, siue negatiuum,elicitum aut eliciendum,ex iustitia debitum,restituenda sunt, 612. n.3

Accepta pretia pro virtutum à iustitia diuersarum liberis seu non præceptis actibus siue positiuis, siue negatiuis non est restituendum, nisi forte simonia interuenerit, 613.n.7

Accepta siue iustè siue iniustè quo loco & cuius expensis restituenda sint, 636.n.6. & 637.638

Accepta ob turpem causam sintne restituenda? 615.n.4.&c.

Acceptio personarum quale peccatum? 504. n.8.505. n.1.& 508. n.3

Acceptio personarum non cadit in Deum, 530. triplici iustitiæ opponitur, ibidem n.5.& 6

Acquisita ludo ex parte colludentium iusto siue licito,siue illicito restituenda non sunt,617.n.6

non iusto, licet nullâ lege vetito restituenda sunt, 618. n.6

Actio causæ primæ an dependeat à causa secunda? 95. n.6. & 7

Actio intrinsecè mala, prohibita est præcepto aliquo negatiuo, 350.n.6

Actio quando non comparanda cum passione,aut hæc cum illa, 208. n.6.7. & 8

an Actio Dei & actio creaturæ sint eadem re & numero, detúrque aliqua inter illam & hanc prioritas, 89.n.8.90.n.1.2.3

Actio quâ datur existentia, quid sit? 834.n.1

Actio sequitur propriam suæ causæ efficientis conditionem & modum, non verò obiecti sui, 681. n.4

Actio termino suo immediato debet identificari, 719. n.4

Actionem realem conuenire habenti ius in re, quid sit? 532.n.5

an Actiones aliquæ nostræ liberæ prædefiniantur à Deo, 99. n.5. & seq.

Actiones nostræ liberæ quâ ratione præsciantur à Deo futuræ? 103.n.1

Actiones humanæ non dicuntur tanti valere, sed tantum mereri, vel demereri, 211. n. 6. 212.n.3

Actiones sunt suppositorum: quo sensu intelligendum hoc axioma? 728.n.1.&c.

Actus hominis agentis, vt homo est, & vt liber, an idem? 54. n.6

Actus idem numero possitne esse naturalis & supernaturalis, 305.n. 5. & 6. 307.n.4.& 5

Actus hominis liber immanens in homine à quo fit contra præceptum factus peccatum est, 339. n. 1. & 2

omnis Actus humanus liber qui est necessarium ad salutem medium, cadit sub affirmatiuum præceptum, 365.n.6.&7.367.n.2
Actus omnis egreditur quodammodo à potentia per quam producitur, 681.n.4
an Actus omnis externus qui à voluntate potest imperari possit tam in malum, quàm in bonum finem imperari, 338.n.4.&5
Actus quilibet virtutis ab homine iusto elicitus eum coram Deo iustiorem & sanctiorem efficit, 444.n.6.&7
quilibet Actus bonus hominis iusti potest esse meritorius plurium augmenti charitatis graduum quàm in se habeat, 446. n.7.8.
Actus omnis qui à Deo provt in se est, tanquam ab obiecto speciem suam & essentiam accipit, est in substantia supernaturalis, 291.n.8. 292.n.1. &c.
Actus omnis ad finem aliquem consequendum necessarius est, vel necessitate præcepti, 539. n.8. vel necessitate medij, 340.n.1
Actus vitiosus nec desiderari nec fieri honestè potest, 473.n.5
Actus meritorius quâ ratione debeat affici à sanctitate personæ operantis, si non ab ea procedat? 222.n.6
Actus aliquis positiuus potest esse iniuriosus alteri, licet actus oppositus non fuerit ei debitus, 487.n.7
Actus & habitûs discrimen aliquando nullum, 128.n.7
Actus & habitus infundi sitne verum? 198. n.5.200.3
Actus & habitus sunt eiusdem ordinis. 291. n.8
Actus charitatis continuatus moraliter melior est quàm esset primo instanti productus, 428.n.8 etiam circunstantiis fit moraliter melior. 429. n.6
an Actus aliquis in instanti possit existere? 434. n.5.&c.
in Actu per tempus aliquod durante duo considerari possunt, 435.n.1
Actus virtutis in quo exercendo homo suæ virtutis habitu non debitè vtitur, non potest esse gloriæ meritorius, 427.n.4
an Actus virtutum acquisitarum æternæ vitæ meritorij procedant à gratia? 222.n.5.&6
Actus aliarum virtutum quàm charitatis, vt meritorij sint, debere ab ea imperari, & ad eius finem ordinari, quâ ratione dicat S. Thomas, 220.n.8.221.n.1.&2
an Actus alicuius bonitati necessaria sit formalis dilectio Dei, 7.n.1.&7. vel expressa in Deum relatio. 8.n.3
Actus cognitionis quinam simul esse possint in eodem intellectu, 301.n.5
Actus fidei & scientiæ possint ne esse simul? 305.n.2.&306.307.310.n.7.311.n.7
Actus omnis in entitate supernaturalis, est aut intellectus aut voluntatis, 296.n.6. habet pro formali obiecto vel Deum, vel creaturam, n.7
Actus omnis intellectus, necnon voluntatis, qui versatur circa Deum, seu diuinum attributum, provt in se est, tanquam circa obiectum formale, siue totale, siue partiale est in entitate supernaturalis. 296.n.7.&8
non omnis Actus intellectus habens obiectum formale, siue partiale, siue totale in entitate supernaturale, est in entitate supernaturalis, 297.n.5
non omnis Actus intellectus qui habet pro obiecto formali etiam totali aliquod ens in entitate merè naturale, est in entitate naturalis, 297.n.5
omnis Actus intellectus, quo obiectum in entitate supernaturale, siue totale, siue partiale, cognoscitur quidditatiuè, in entitate supernaturalis est, 297.n.6
nullus Actus nostri intellectus in hac vita est in entitate supernaturalis præter actum fidei diuinæ, 297.n.6.&7
omnis Actus voluntatis qui versatur circa obiectum formale in entitate supernaturale, siue totale, siue partiale, est in entitate supernaturalis, 297.n.1. si versetur circa formale totale in entitate naturale, est in entitate naturalis, ibid. & n.2
Actus voluntatis quatenus eam ad alterum inclinet, 88.n.8
Actus indiuiduari rectè potest per ordinem ad hoc aut illud obiectum materiale, specificari autem nequit, nisi ab obiecto formali, 287. n.7.288.n.6
Actus supernaturales spei & charitatis nunquam possunt esse mali moraliter, 338. n.1
ad omnem Actum bonum requiritur auxilium actuale gratiæ interiùs mouentis & excitantis, 17.n.3
Actus merè internos positiuo præcepto præcipere, sitne solius Dei? 367.n.5
Actus intrinsecè malus non potest non esse lege naturali prohibitus, 367.n.8
cur Actus qui aliàs boni per se essent, si ab homine peccatore fiant, non eo ipso fiant mali: sicut è contrario actus qui per se digni æternâ gloriâ non essent, eo ipso quo ab homine iusto fiunt, digniores gloriâ reddantur? 223.n.3.&4
Actuum receptio qui fiat? 198.n.5. 200.n.2
Actuum nostrorum simúsne domini? 544. n.7
Actuum specificatio vnde sumenda? 288.n.1. 291.n.8.294.n.3.&c.
Adæ peccato ad perdendum præfert Apostolus Christi meritum ad saluandum, 675.num.5. &c.
Adamus quando sanctitatem & iustitiam amiserit, 210.n.3. an eandem eodem peccato sibi & nobis amiserit, 210.n.5.&6
Adamo non peccante veniretne Christus? 695. 696. &c.
Adami fides de Christo venturo, 709. n.1.2.&c.
an Adamus & Eua in statu iustitiæ originalis gratiam sanctificantem ex Christi meritis acceperint? 698.n.5.&6.708. n.7.&8.
an Adamus scientias acquisitas per infusionem acceperit, & quando? 798. num.5
Adami & Christi comparatio, 42.n.7

Adami peccatum quomodo dicatur à Concilio attenuasse liberum arbitrium. 36.n.7.& 8.37. n.12. & seqq.
Adami lapsus causa, & an in statu innocentiæ perseuerare potuisset sine diuino suffragio. 38. n. 3. & 4
Adami peccatum originis in posteris actu futurum priúsve Deus præuiderit quàm decreta fuerit ab ipso incarnatio. 699.n.6.& 7
Adamum inter & Christum comparatio. 161. n. 7.& 8
Adhæsio cum Deo quî fiat. 157. num. 2. 3. 158. num.2
Adhæsio cum Deo, item cum meretrice, qua ratione intelligenda. 157. n.2.3.&4.158. n.2.3. 4.159.160
Admirationis obiectum duplex, & quodnam fuisse dicendum in Christo dum fidem Centurionis admiraretur. 821. n.5.6
an Admiratio cadere possit in Deum. 821. n.8
Admonitio pro gratia. 52.n.5.&6
Adoptiua filiatio quando perfecta consummatáque. 186.n.7
Adoptionis nomen quid significet: quid item sit adoptare aliquem in filium. 881.n.8
An conueniat filio Dei. 881.n.1.&c. 882.883
Adoptiuus Dei filius homo formaliter constituitur sola gratia iustificante, seu gratum faciente considerata secundùm suam præcisè entitatem. 148.n.7.& 8. 149. 150.& seqq.
Adoratio quid sit. 888.n.4
Adoratio completa requirit tria. *ibid.*n. 5. & 6
Adoratio in vniuersum duplex, *ibid.* n. 7
Adoratio sit ne latriæ an duliæ, ex actu externo discerni non potest. 886. n. 8.
Hic actus possit esse proprius virtutis distinctæ ab iis ad quas actus latriæ & duliæ pertinent. 887.n.1
quænam Adoratio humanitati Christi debeatur. 887.n.2. 3. & seqq.
Quænam item imagini & cruci eius. 890.n. 7 891.&c.
Adoratio latriæ & sacrificium quo differant. 889. num.1
Adoratio duliæ quotuplex. 896. n. 7
quænam Adoratio vasis Dei cultui consecratis, nomini IESV siue scripto siue prolato, speciebus item sacramentalibus, &c. debeatur. 895.n.1.&c.
Quænam item B. Virgini, Sanctis & eorum reliquiis exhibenda sit. 895.num. 6. 896. 897.
an Adoratione latriæ possint coli res omnes creatæ. 897.6.& 8.898 per tot.
an Adultera teneatur cum periculo famæ suæ ad prodendum adulterium suum. 609. num.5. 610.num.7
Adultus non iustificatur sine libero motu voluntatis. 204.n.8
Adultis in infantia purgatis ab originali peccato per infusionem gratiæ sanctificantis non est actus diuinæ fidei necessarius ad salutem. 340.n.3
Necessarius est illis necessitate medij, si tempore infantiæ non fuerint à peccato originis emundati. 340. n.5
Adultorum iustificatio quî fiat. 198. n.4. &c.& 199. per tot.
Aduocati nomen in cœlo pro nobis quâ ratione Christo conueniat, 847.n.5.848.n.1.&c.
Æquale sibi propriè nihil est, 513.n.2
Æquale est aliquod iustum, 690.n.4
Æqualitas quæ est in rebus quæ commutantur aut distribuuntur, non potest esse obiectum formale iustitiæ, 460.n 5
Æqualitas duplex arithmetica & geometrica, & quid vtraque sit, 501.n.5.&6
Æqualitas geometrica potest dupliciter constitui per actum commutatiuæ iustitiæ, 505. num. 3
an Æqualitas geometrica per actus aliquos commutatiuæ iustitiæ constitui per se possit, 505. n.6.&c.506. n.3. & 4
an Æqualitates illæ distinguantur essentialiter, 508.n.5.6.&7.509.n.1.& 2
Æqualitas gratiæ donorum: *vide* Gratia.
Æquitas: *vide* Epiikia.
vox *Æternum*, quid significet, 873.n.1
Agi à Deo quo sensu dicantur filij Dei, 90.n.6. 91.n.6
Agens creatum quomodo dicatur instrumentum virtutis Dei, 95.n.4.& 5
Alearum ludus quâ lege vetitus. 617.n.8
Altare quid sit & quâ ratione Christo conueniat, 868.n.2.& 4.869.n.3.870.n.6
Alteritas perfecta non est in omnibus personis, 514.n.1.& 2.516.n.8.520.n.1.& 2
an Amentes rerum aliquarum domini esse possint, 539.n.7
Amentes ab obligatione restituendi cur excusentur, 573.n.6
Amici verè qui dicantur, 189.n.1
Amici Dei qui dicantur, 404.num. 1.& 2. 405. num. 6
Amicitiæ vox non quamcunque dilectionem significat, 403.n.7
Amicitia est mutua beneuolentia non latens: quomodo intelligenda sit hæc definitio, 405. n.1.2.&c
Amicitiæ genus duplex, vnum æqualitatis, alterum excellentiæ, vbi habeat locum, 405. n.3.& 4.
Amicitia amicorum suorum duplex, 157. num.7
Amicitiæ duorum se amantium essentia, 188. n.8.189.n.1
Amicitiæ inter nos & Deum constituendæ sitne duplex habitus ponendus, 46. n.5.& 6
Amicitiæ veræ & in proprio sensu strictæque vsurpatæ, quot & quænam sint conditiones, 404.n.3.4.&c.
Amicitiæ diuinæ cum mortali peccato repugnantia, 188.189.per tot.
Amor importat quandam vnionem amantis ad amatum, 394.n.1
an Amor quilibet habet rationem amicitiæ, 157.n.6
Amor actualis prima amicitiæ conditio, 404.n.3 qualis esse debeat, beneuolentiæ, an concupiscentiæ, n.5.& 6
Amor beatificus considerari potest dupliciter, vagè scilicet & determinatè, 843.n.8
Amor beatificus quomodo necessarius, 845. num.1
Amor Dei existens in homine est amicitia hominis erga Deum, amor autem quo Deus

hominem prosequitur, est amicitia Dei erga hominem, 187.n.5
Amor Dei & peccati mortalis macula in vno eodémque homine stare non possunt. 187. n.6.& 188.n. 1. & seqq.
an Amor Dei erga nos præcedat sanctitatem & iustitiam nobis inhærentem, 133. n. 8. 134.n.1. & 2
an Amor beneuolentiæ erga Deum eandem habeat repugnantiam cum voluntate offendendi ipsum grauiter quam habet amor beneuolentiæ erga hominem cum voluntate eum grauiter offendendi, 169.n.5.6.& seqq.
Amor veræ beneuolentiæ seu amicitiæ erga Deum vocatur amor Dei super omnia appretiatiuè, 170.n. 5. & 6
Amor concupiscentiæ, inchoatus seu imperfectus; beneuolentiæ perfectus, 197. num. 2. &c.
Amor Petri Paulum amantis sit ne amicitia, 403. n.7.404.n.3
Amorem Dei tanquam dispositionem præuiam ad formam formaliter sanctificantem, quo sensu dicat Concilium, 197.n.1.& seqq.
Amoris seu dilectionis, & charitatis nomina vnam eandémque rem significant, 163.n.5
Amputator membri ad quam restitutionem obligetur, 594.595.&c.
Angeli colloquium & confortatio respectu Christi dupliciter exponitur, 798. num. 8. 799. n.1.&c.
Angeli cognitio quo ad euidentiam reuelationis diuinæ extrinsecæ, qualis sit, 251. num. 8. 252. per tot.
an Angeli habuerint fidem, 355.n.4.& 5
Angelos inter possitne esse stricta iustitia, 527. num.5
an Angeli aliquod habeant dominium, 538.n.1. 545.n. 3
an Angelorum peccatum priùs à Deo præuisum fuerit quàm Christus in carne venturus, 698. num.3
Angelis data gratia & gloria non fuit data ex Christi meritis, 698.n.4
an Angeli perfectiorem habuerint scientiam infusam quàm Christus, 795. n. 4.& 7.
Angeli tam boni quàm mali quomodo cognouerint humanitatem Christi existentem, 833. num.2
Angeli quomodo iudicabuntur supremi iudicij die, 855.n.3.& 4
an Angeli gratiam quam habuerunt in via, & essentialem gloriam quam habent in patria, ex meritis Christi acceperint, 854. num .5. &c.
Cur gaudent de mysterio Incarnationis, 855. num. 1
Illorum prælium cum dracone quomodo intelligendum, *ibid.*n.8
an Angelis viatoribus eiusdem speciei fuit assensus cum eo qui nunc est in nobis, 287.n.8. 289.n.1
Anima Deum amando pulchra efficitur, 162. n.7.163.n.2. 3. & 4
Anima sancta & viua quæ dicenda, 340.n.8
Animæ vera & formalis sanctitas sit ne posita in perfectæ contritionis actu, lege disp. xii. 156.157.& seqq.
Animæ bona quotuplicia sint, & quomodo horum facienda sit restitutio, 581. n. 5
Animæ vita in quo consistat, 127.n.3.4.& seqq.
Anima corporis vita est, charitas animæ: quomodo id explicandum, 172.n.6.& seqq. 173.174
an Animæ Purgatorio detentæ exercere possint actum spei Theologicæ, 396.n.6
Anselmi locus docentis non potuisse non reparari à Deo humanam naturam lapsam in peccatum, expositus, 646.n.4.&c.
Alius de remissione peccatorum, 647.n.4. & 5.648. n.2
Antichristus sit ne aliquod virtutis etiam acquisitæ opus exerciturus, 23.n.7
Apollinaris errores duo, 763. n.2. & 3
Apollinaris mentem in Christo negauit, 836. num.3
Apostasia à fide quid sit, & an sit peculiaris infidelitatis species, 372.n.4. & 6
an Apostoli peccarint, abrogatæ Mosaicæ legis ceremonias aliquas vsurpando, 378. num.2
Apostolorum & Mosis ministerium comparatum, 10.n. 6
Applicatio causæ secundæ à prima quo modo explicetur. Lege sect xiij. 94.95
Apprehensio simplex per speciem aliquam fieri debet, 59.n.6
an Approbans aliquod damnum obligetur ipsum resarcire, 625.n.3
in Aquæ calefactione duplex mutatio, 132. n. 1. & 2
Ara pro Cruce, 868.n.5
Argumentum à diuisis ad coniuncta, seu à suppositione distributiua ad copulatiuam, an valeat, 14.n.5.& 6
an Ars Architectonica distinguatur specie ab vsuali, 475.n.2.4.5
cur Artifex qui facit aliquod opus insuetum & rarum non miretur illud? 822.n.1
Assensus illatus seu pertinens ad tertiam mentis operationem infertur ex vi prævij assensus, 284. num.2
an Assensus conclusionis Theologicæ distinctus sit ab assensu fidei diuinæ, 282. n.6.7.& 8
Assensus conclusionis Theologicæ, & fidei diuinæ an discrepent, 282.283. &c.
Assensus & dissensus quando sint eiusdem speciei, 288.n.5
Assensus certitudo quando maior aut minor, 299. n. 5.& seqq.300.n.1.& seqq.
Assensus euidens & assensus fidei nunquam eodem medio nituntur, 301.n.7
an Assensus debitus, aut pura dubitatio qua leuibus ex causis malum graue de proximo cogitamus, lædat formaliter ipsius famam, 494. n.2.& 5
Assueri bonum opus erga Reginam Esther an à gratia processerit, 19.n.4.5
Assumere quid sit, & quid nomine Assumptionis importetur, 736. n.1
Assumere plus est quàm terminare, 738.n.8. 739 n.1
Assumendi modus vt se habeat ex parte personæ diuinæ assumentis, 743.n.6.& seqq.
Athanasij locus dicentis absurdum indecorum, indignumque Dei bonitate futurum, genus

humanum reparari, quomodo intelligendus, 646.n.234
Attributa diuina possintne communicari creaturæ, 801. n. 2
Attritio, pœnitentia imperfecta, 191.n.2.192. n.1.202.n.1
Attritiones duplicis generis, quæ de peccatis venialibus ab homine iusto elici possunt, 180. n.2.3. & 4
Auersio à Deo quomodo tollatur, 177.n.6. & 178.per tot.
Auersio à Deo & conuersio ad creaturam : item conuersio ad Deum & auersio à creatura declarantur, 188.n.1.2.&c.
Auersio à peccatis conuersióque ad Deum per solum affectum attritionis, an sit & possit dici ex toto corde, 191.n.4
Augmentum alicuius rei extensiuum tribus modis fieri potest, 409.n.7.& 8
S. Augustinus quonam argumento adductus ad amplectendam Christianam fidem, 327. num.6.& 7
Augustini locus, *Quilibet homo eadem gratia fit Christianus, qua ille homo* (nempe IESVS) *factus est Christus*, quomodo explicandus, 858.n.2
Authoritas diuina quid sit, 251.n.5
Auxilium Dei quomodo pertineat ad obiectum spei, 384.n.3. 390.n.3.&c.
Auxilij actualis nomine quid intelligendum, 2.n.2
Auxilio Dei quotidiano indigemus, 12.n.4.5
Auxilium actuale gratiæ interioris an requiratur ad exercenda bona virtutis moralis opera, 17. num. 1. & seqq. de eodem non pauca, 18. per tot.

B

BAij error, dicentis nullum opus bonum à peccatore exerceri posse, nisi procedat à charitate Theologica, 7.n.1.refutatur, n. 5. Eiusdē propositio, *Omnia opera infidelium sunt peccata*, condemnatur, 8. n.1. aliæ eiusdem propositiones, 27.n.7. & 8
Baptismus & illuminatio pro eodem apud Augustinum, 49.n.2
Baptismus quo sensu dicatur delere peccata, 145.n.5. & 6. 146.n.1.2.& seqq.
Baptismi susceptio, & externa fidei confessio sintne pari necessitate ad salutem necessaria, 349. num.8
Beatitudo æterna, qua ratione dicatur finis vltimus, 389. n.1. & obiectum materiale spei, 393. n.1.2
Beatitudinis supernaturalis obiectum quomodo possit cognosci, 361.n.7
Beatitudinem mereri nemo post hanc vitam, seu extra statum viæ, potest, 216.n.2. quid ad meritum illius requiratur, n.3.4.&c.
Beatus aliquis esse essentialiter integralitérque, & simul habere summam peccati mortalis miseriam non potest, 185.n.1.&c
Beatus nunc sanctior fieri non potest, 851. n.6.& 7.852. n.3
Merer non potest continuationem & perpetuitatem suæ sanctitatis & beatitudinis, 852. num. 6
quid Beati nobis mereri possint, 216. num. 5.& 6
an Beati eodem numero actu possint amare Deo bona tam increata eique intrinseca quàm creata aliqua & extrinseca, 844.n.1
Sunt liberi initio suæ beatitudinis vt illum determinatè singularem amoris actum exerceant, vel non exerceant, quem exercent, 844. num. 5
Liberum est eis interrumpere amorem beatificum initio beatitudinis elicitum, & ad alium numero transire, 844.n.6
Non actum beatificæ visionis interrumpere, ibid.n. 8
in Beatis sitne remansura fides cum clara Dei visione, 304.n.4.305.n.1
Beati exercere possunt aliquos Theologicæ spei actus, 400.n.5.& 401.n.1.&c.
Beati non habent dominium luminis gloriæ. 545. n. 2
Beatorum voluntas an necessitetur ad amandum Deum, 82.n. 2. 83.n.3
Beatorum in patria delectatio sítne immediate de Deo, 395. n.2
an Beatis à Deo fieret iniuria, si gloriam quam dedit ipsis auferret, 519.n.3
in Beatis nunquam erit actus fidei nec habitus, 356.n.3.&seqq.
in Beatis non est admittendus spei Theologicæ habitus, tanquam principium naturâ suâ elicitiuum actus amoris & gaudij, quem circa suam beatitudinem exercent, 397.n.4. &c. 398.n. 1. &c.
si à Beatis elicitur aliquis spei Theologicæ actus, in iisdem quoque admittendus est spei Theologicæ habitus, 399. n. 1. &c.
Benefactor non censetur moraliter vna persona cum eo cui liberaliter benefacit, 598.n.8
Beneficij compensatio gratia nuncupari solet, 2.num.1
Beneficij ratio formalis vnde metienda. 110. n.1
Beneficium indigno conferens, prætermisso digno peccat, obligatúrque ad restitutionem tum ipsi digno prætermisso, tum Ecclesiæ cui indignus ille datus est, 584. num.6
Beneficium digno conferens, digniore prætermisso peccat, & obligatur ad aliquam huic digniori restitutionem faciendam, non tamen obligatur ad vllam faciendam Ecclesiæ cui talem ministrum tribuit, 585.n.5. 587.n.2.588.n.5
Quot & qui casus à tali peccato excusent. 586.n.4
Beneficiarius quilibet triplicis generis bona habere potest, 589.n.8
Ad nullam bonorum patrimonialium partem restituendam obligatur, quoscunque in vsus ea expenderit, 590.n.4
Beneficiarij non tenentur ad restituendam particulam vllam partis illius ex redditibus sui beneficij quam totam expendere in suam congruam sustentationem possunt licitè, etiam si supponantur eam totam in eam rem non expendisse, 590. n. 5.&c.
Beneficiarij ad nullam restitutionem obligantur, etiamsi redundantem suę congruę sustentation.

partem, nec in pauperes, nec in alios pios vſus, ſed in profanos ac etiam in vtiles expenderint: obligantur tamen ipſi ex præcepto miſericordiæ, & quidem ſub mortali peccato ad ipſam erogandam in pauperes, niſi pios alios in vſus expendere maluerint, 591.n.3.592.593
Beſtiæ, quandonam cenſeri debeant nullius, 150.n.4
Bethſaiditæ & Corozaitæ cur non conuerſi, 72.n.1.2.& ſeqq.
Blaſphemia, qualis actus, cui virtuti opponatur, & quotuplex ſit, 380 n.4. An poſſit eſſe ſine peccato hæreſis ſeu infidelitatis tam internæ quàm externæ, 380.n.5.& 6
Bonitatis natura prout conuenit Deo, quo modo intelligenda, 942,n.3.& 4
Bonitas moralis externæ confeſſionis fidei, moralem bonitatem actus interni fidei eſſentialiter præſupponit, 348.n.3
Bonum eſt ſui diffuſiuum, qua ratione id intelligendum, 643.n.3.& 4
Bonum quod ſperatur, an habeat rationem cauſæ finalis, 388.n.8.389.n.1
Bonum inferioris ordinis reſtituendi nulla eſt aliquando obligatio quando reſtitui non poteſt ſine iactura ordinis ſuperioris, 608.n.8
an Bonum inferioris ordinis, quātumcunque magnum in ſuo ordine ſit, reſtituendi nulla vnquam vllo in caſu ſit obligatio, qnando reſtitui non poteſt ſine damno aliquo boni ſuperioris ordinis, etiam ſi in hoc ſuperiori ordine leue ſit, 609.n.2.&c. 610.& 611
Bonum vnius ordinis aliquando reſtituendum eſt cum detrimento boni eiuſdem ordinis, 707. num.4
Bonum vnius ordinis neceſſe non eſt aliquando reſtituere cum detrimento ſui eiuſdem ordinis, 607.n.6
Bonum temporale reſtituendum non eſt cum damno boni ſpiritalis, 609.n.5.610.n.8
Bonorum ordines iuxta Theologos, 607.n.4
Bonorum externorum triplex genus: & an omnia ſub humanum dominium cadant, 540.n.2
Bona omnia quomodo ad Deum referenda, 8.n.4.& 7
Bona quæ à Deo ſperamus, ſunt in duplici genere, 384.n.7.& 8
Bona multa fieri dicuntur in homine quæ non facit homo, 53.n.4.54.n.3
Bona aduentitia quæ vocentur, 539.n.1.& 3.
Bona animæ, vide *Anima*.
Bona Caſtrenſia & quaſi caſtrenſia quæ dicantur, 514.n.6.538.n.8
Bona incerta quæ dicantur, 630 n.7. Quomodo diuidantur, ibid.n.8. Illa in pauperes erogandi vel in alios pios vſus conuertendi, nulla eſt ex natura rei ſeu iure naturali obligatio, 631. num.1
Bona incerta ex delicto comparata iure poſitiuo in pauperes eroganda ſunt, 632.n.1. Quæ non ex delicto parta ſunt, ſed aliunde ſiue ſint inuenta, ſiue non inuenta, retineri licite poſſunt ab eo qui inuenit aut poſſidet, ſi poſt diligentem inquiſitionem eorum dominus ignoretur, 632.n.2
an Bona temporalia cadant ſub vllum bonorum operum meritum, 232.n.1.&c.
Bona interna duplicia ſunt: an ſint in dominio ſeu poteſtate hominis, 541.n.6.&c.
Bona derelicta quæ ſint, ibid.n.6
Bona vacantia quæ dicantur, & ad quos pertinere debeant, 548.n.5. 549,n.1.& ſeqq.
Buceri hæretici de iuſtificationis cauſa opinio excluditur, 124.n.2.130.n.1.& 5

C

CÆCITAS & hebetudo mentis, quæ peccata, 380.n.7
de Caino à Lamech interfecto varia opinio, 274.n.8.175.n.1
Calliditas in quo conſiſtat, 572.n.6
Caluini error ſuper verbis Apoſtoli, *Per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi*, 43. num.1
Caluini error, aſſerentis Deum non tantùm permiſſiuè, ſed etiam propriè malorum operum cauſam, 86.n.1.& 2
Caluini error, dicentis Chriſtum nihil ſibi meruiſſe, ſed tantùm nobis, 849.n.6
Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt: ſenſus horum verborum, 441.n.3.& 4
Caput, quæ conditiones ad rationem dignitatémque eius requirantur, 775.n.5
Caro in ſcripturis ſæpe pro homine vſurpatur, 642.n.1
Carnem Deum factam quo ſenſu dixerit D. Damaſcenus, 824.n.12
Caſſiani error à Proſpero reprehenſus, 12. num.1
Caſtitas nomine continentiæ intellecta, 12.n.1
Catharini de certitudine gratiæ opinio refellitur, 119.n.1.& 4
an Caupones qui aliquid aſſeruandum accipiūt, ſi hoc pereat, obligentur ad reſtitutionem, 578.n.7.& 8
Cauſa prima cur ita vocetur, 96.n.7.& 8
Cauſa multarū rerum à ſcriptura vno ſenſu Deo adſcribitur, alio hominibus, 114.n.8
Cauſæ liberæ à neceſſaria diſcrimen in quo conſiſtat, 97.n.6
Cauſæ ſecundæ actio effectúſque tribus modis Deo tribuitur, 94.n.2.& ſeqq. Quomodo ſubordinetur primæ, 97.num.2.& 3
Cauſæ in eodem genere cauſandi, duo ſibi inuicem eſſe non poſſunt, 702.n.6
Cauſæ poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ in diuerſo cauſæ genere, 208.n.3.& 4.&c.
Cauſarum ordines tot ſunt quot genera, 208. num.5
Cauſarum naturalium actiones dicuntur ſimpliciter neceſſariæ, 81.n.5 Liberarum actiones, ſiue quo ad ſpecificationem ſiue quoad exercitium, liberæ vocantur, n.6
Cauſalitas ibi nulla eſt, vbi nulla eſt in re diſtinctio, 90.n.2. Vbi habeat locum, 96.num.8. 97.n.1
Centurio non operibus venit ad fidem, ſed per hanc venit ad opera, 238.n.3
Certitudo duplex, obiectiua ſcilicet & formalis: & quid ſit vtraque, 298.n.1 Formalis duplex ibidem. Propria quid ſit, & quas conditiones requirat, 298.n.2

Certitudo impropriè seu abusiuè dicta quid sit, 298.n.3
an Certitudo assensus fidei formaliter sumpta sit maior certitudine assensuum naturalium euidentium, 298.n.4
Certitudo duplici sensu dici potest maior, 299. n.5. & 6.
Certitudo non est formaliter exclusio seu negatio dubitationis & formidinis, 299.n.8
Certus sum, quia neque mors, &c. duplex huius loci expositio, 121.n.4. & 5
Charitas, quo sensu dicatur fructus spiritus, 48. n.1.3. & 4
Charitas quâ ratione dicatur forma fidei æterarúmque virtutum, 354.n.5.6.& 7
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. &c. qui sensus horum verborum, 43.n.2. 3.& 7.47.n.2.& 6
an Charitas præsupponat gratiam, aut naturam aliquam, 50.n.2.3.4.& 5
Charitas hominis erga Deum non est quid increatum, 158.n.1
Charitas inchoata, inchoata iustitia est, &c. quo sensu dixit D. Augustinus. 160.n.5.& c. 161.per tot.
Quâ item ratione illam sanitatem appellarit, 162. n. 4. 5. & pulchritudinem animæ, n. 7. & 8. 163.n.1.2.&c.
Charitas perfecta perfecta est sanctitas: sensus huius loci, 165.n.1.& seq.
Charitas erga proximum, & iustitia legalis distinguuntur penes obiectum tam materiale quàm formale. 470.n.2
Charitas Theologica nunquam cum peccato mortali consistit, 7.n.5
Charitatis Theologicæ virtus sitne distincta à gratia gratum faciente, 44.n.8. 45.per tot. & seq. 49. n.3.
an ad Charitatis aut alium voluntatis actum in substantia supernaturalem eliciendum requiratur præuia aliqua in intellectu cognitio in entitate supernaturalis, 291.n.1.& 2
Charitátis à gratia discrimen, 149.n.1
Nullum est iuxta quosdam, 152.n.4.5
Charitatis acceptio pro completa amicitia sitne vera apud D. Thomam, 157.n.5.6.7
Charitatis habitus an ad fidem prærequiratur, 319.n.1.2.& 3
Charitatis nomine quid intelligat sæpissimè D. Augustinus, 8 n.5
Concilium item Mileuitanum, n.7
Charitatis actus moraliter nequit esse malus, 338.n.1.339.n.3
Charitatis & contritionis actus quo sensu dicantur dispositiones priores remissione peccati, 203. n.7. & 8. 204. n.2
Charitatem esse formaliter vitam animæ, sicut est anima corporis, quo sensu dixerit D. Thomas, 172.n.6.173.174
Charitatem operari formaliter; dictum D. Thomæ falsò à nonnullis intellectum, 175. n. 1. & seq.
Charitatem totaliter & effectiuè per peccatum mortale corrumpi, quis huius loci sensus, 175.n.7.176.177
Charitate tollitur auersio à Deo quæ est per peccatum: quæ sit huius loci interpretatio, 177. n.6.7.& 8
Charitatis actus delere potest extra sacramentum veniale peccatum, 178
in Charitate manens, in Deo manet; qua ratione id intelligendum, 157.n.2. 159.n.2.& seq.
Charitas sitne amicitia, 403 n.7
Qualis esse debeat nostra erga Deum, *ibid.* & 404. 405
Charitas tam habitualis quàm actualis est quid creatum in anima, contra sententiam Magistri, 405.n.7.& 8. 406.per tot.
Charitatis duæ laudes, iuxta D. Ioannem, 406. n. 4.5.& 6
Formalis illius effectus, n.7.& 8
Charitas virtus est, 407 n.1
Specialis virtus est, n 2
Vna virtus est, n. 6
Virtutum præstantissima est, n.7.& 408. n. 1.&c.
Quomodo producatur, 408.n.6
Charitas augeri potest, 409.n.6
Actualis augeri potest extensiuè, *ibid.* n.7 & intensiuè, 411.n.1.&c.
Habitualis quoque augeri potest extensiuè, 410.n.3. etiam intensiuè tam moraliter quàm physicè, 411.n.6.& 7
Charitas actualis augeri potest extensiuè in infinitum, 412.
Potest & habitualis, *ibid.*n.3
Charitas tam habitualis quàm actualis augeri potest intensiuè moraliter in infinitum, 412. n.6
Vtraque etiam augeri potest in infinitum intensiuè physicè, 413.n.1.& 6
Charitas habitualis augeri per actus physicè non potest, 415.n.3.4.5.416
Potest per actus charitatis augeri moraliter seu meritoriè. 417.n.1.& 2
Charitas habitualis augeri meritoriè potest per actus hoc habitu intensiores. 417.n.4.&c. & 418. n. 1. &c.
Charitas habitualis augeri potest per quemlibet charitatis actum æqualem habitui præexistenti, itavt cuilibet istiusmodi actui peculiare suum ac proprium charitatis augmentum respondeat, 421.n.7
Charitas habitualis per actus charitatis hoc habitu remissiores augetur, 424.n.6.&c. 425. 426
Charitas habitualis per continuationem actus charitatis augetur, 427. num. 8. 428. 429
Contrariorum huic assertioni argumentorum solutio, 429.430.& seq.
Charitas habitualis eò plus, cæteris paribus, per charitatis actus augetur, quò præstantiora per eos aliarum virtutum opera imperantur & perficiuntur, 437.n.5.&c. 438.439.440
Charitas habitualis per actus virtutum à charitate distinctarum augetur, 441.n.2. 442.443
Quantum augeatur per eos actus qui eius augmentum merentur, 446.447
Charitatis habitualis augmentum, quod iusti bonis suis operibus promerentur, sitne ipsis aliquando à Deo reddendum, & quandonam, 447.n.5 &c. 448.449.450.451

Christianis licitum est etiam nunc aliquarum rerum externarum dominium, 545.n.7
Christus religionis Christianæ author, primumque argumentum seu motiuum fidei nostræ, 325.n.8 326.n.1.& 2
Christus Adamo comparatus, 42.n.1
Christus est vnus, nec potest simpliciter dici, vel plures seu duo, vel plura seu duo, 830.n.3. 4.5
Non potest verè dici alius & alius, *ibid.*n.7
An dici possit aliud & aliud? *ibid.*
Christus in terris viator & comprehensor, 216.n.2
Christus quo sensu dicatur factus nobis redemptio, iustitia, &c. 43.n.6.& 7
Christus habitat per fidem in cordibus nostris, 160.n.1
Christus vt homo quâ ratione Dei filius naturalis, itémque Virginis dicatur, 151. num. 8. 152. num.1
Cur à gratia non constituatur adoptiuus Dei filius, 153.n.7
Christus se non ascensurum ad diem festum, licet posteà ascenderit, quo sensu dixerit, 696.n.3
Christus quomodo dicatur vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, 730.n.5.&c. 765.n.1.&c.
Bona illius opera vnde valorem suum desumant, 732.n.3.& 4
Quo sensu dicatur profecisse gratia apud Deum & homines, 771.n.4
Quomodo secundùm quod homo est dicatur à sancto Augustino non dare nobis Spiritum sanctum, 776.n.2.& 3
cur Christus dicatur primogenitus omnis creaturæ, 706.n.5.&c.
Christus quo sensu dicendus iratus, 822. num.2.
Comprehensor simul & viator fuit, 822.n.3
An dici debeat homo dominicus, 822.n.6
Non dici debet homo Deifer, seu θεοφόρος. *ibid.*n.7
Neo propriè loquendo, homo diuinus, 822. num.8
An quæcunque ei conueniunt quatenus filio Dei, eidem conueniant quatenus filio hominis: & contrà, 823.n.3
An vna Christi natura abstracto nomine significata possit prædicari de altera nomine item abstracto significata. 823.n.6
an Christus satisfecerit vt Deus, an verò solùm vt homo, 681. num. 7. 682. num. 2. 687. num. 7
Christum non potuisse condignè satisfacere, vnde inferant nonnulli, 662.n.7.663.n.1.&c. 664. n.1.&c.
Christus ex stricta iustitia non satisfecit, 687. n.6.&c.688.689
Ipsum ex rigore iustitiæ satisfecisse quo sensu dixerint nonnulli Theologi, 690.n.2
Illius satisfactio fuit ex iustitia, *ibid.* n.3.& 4
& quidem ex huius rigore, n.5
An satisfecerit ad æqualitatem, *ibid.* & n.6
Ex qua speciali virtute satisfecerit, 690.n.7
Cui satisfecerit, num.8
An illius satisfactionem Deus non acceptare potuerit, 691.692.&c.
in Christi satisfactione quatuor reperiuntur, 695.n.4
Christum fuisse præfundatum ante nos & in ipso nos superædificari, &c. quo sensu dixerit sanctus Cyrillus, 705. n.1.& 3
an Christi anima fuerit à Verbo priùs assumpta, quàm caro, an contrà hæc priùs quàm illa, 759.n.3.&c.
An eius humanitatis partes priùs naturâ fuerint assumptæ, quàm ipsa humanitas, an è contrario priùs hæc quàm illæ, 760.n.2.&c.
an Christi anima habuerit omnipotentiam simpliciter, 800.n.6.801
An hanc habuerit respectu & immutationis creaturarum & executionis suæ voluntatis, 802.n.8.803.n.1.& 6
Christi opera habuerunt ex se sufficientem dignitatem & valorem ad perfectam seu condignam pro peccatis humani generis satisfactionem, 674.n.3.&c.675.676.&c.
Christi opera quantũ Deo placeant, 681.n.6.& 7.
Fueritne in vno plus valoris quàm in alio, *ibid.* n.8
in Christi operibus meritũ duplex, 683.n.3.& 4
Christi meritis quid tribuatur, 23.n.1.2
de Christi meritis respectu operum nostrorum, 217.n.4.& 5
ex Christi meritis non est quòd quis sit Philosophus, vel Orator, vel Poeta, 3.n.7
Christi merita nobis applicari quid sit, 125.n.4
Christi meritum ad saluandos homines præfertur Adæ peccato ad perdendos, 675.n.4.&c.
an Christi vlli bono actui possit à Deo reddi præmium adæquatum, 683.n.2.&c.684.n.1.&c.
Christi fides explicita sitne ad salutem necessaria, 342. 343.
Christi per Angelum confortatio quo sensu intelligenda, 799. n.1.&c.
Christi gratiarum actio fueritne condigna pro beneficiis à Deo acceptis, 680.n.4
Christi claritas ex illis Ioannis verbis, *Clarifica me Pater, claritate quam*, &c. quomodo intelligenda, 706. n.3
Christi gloria quo sensu dicatur finis nostræ iustificationis ac redemptionis, 707.n.8.708.n.1
Christi bonitas erga iustos, 35. n.1
Christi sanctitas quanti valoris, 686.n.6
Christi persona sitne composita, 713. n.3.&c.
Christi generatio eiusdem rationis est cum nostra, quamuis habeat quædam propria, 718. n.2.&c.
Humana eius natura non fuit vnita Verbo accidentaliter, 720. n.3
Christi oblatio, & sacrificium Sacerdotum Leuiticorum quo differant, 674.n.7.& 8
in Christo duas esse naturas de fide est, 709. n.7.& 8.710.711
Christo ministrare qui dicantur, & per quæ, 221.n.6.7.& 8
de Christo locus, *Proficiebat ætate & sapientiâ*: quomodo intelligendus, 796.n.6.& 7
Item, *didicit ex his quæ passus est obedientiam*, 798.n.8
an de Christo verba hæc: *Deus Deus meus quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum*, intelligenda sint: & quotuplex eorum expositio, 807.n.5
an Christus humanam naturam hypostaticè as-

sumpsisset, si primus parens non peccasset, 695. 696. &c.
an Christus creatura dici debeat, 720.n.5.&6
Christi humanitatem & Verbum vniri seipsis, absque modò vnionis humanitati superadditò, quibus probetur argumentis, & quomodo his respondendum, 721.n.2.3. & seq.
Quatuor argumentorum solutio quibus probatur eadem actione prædictam humanitatem vniri Verbo & produci substantialiter, 722.n.7.723
an Christi humanitas existat formaliter per increatam Verbi existentiam, 831.832. 833. 834
Christi humanitas si duratione reali suam hypostaticam vnionem præcessisset, eam mereri de congruo potuisset, non potuisset de condigno, 726.n.6
Hypostaticam suam vnio reipsâ non meruit, *ibid.* n.7
Christi humanitas primo instanti quo creata & assumpta simul à Verbo est, suam cum eo vnionem mereri potuit de congruo, non potuit de condigno, 727.n.2
Potuit mereri de congruo suam electionem ad vnionem hypostaticam, *ibid.*n.5
An prædestinationem suam ad hypostaticam vnionem mereri de congruo potuerit, *ibid.* num. 6
Solutio argumentorum contrariorum his assertionibus, 727.n.7.728.729
Christus ipse suam vnionem reipsâ non meruit, sed neque mereri potuit per opera ipsam duratione reali siue comitantia, siue subsequentia, quæ naturæ ordine vel essent ipsâ posteriora, vel neque posteriora essent, neque priora, 730.n.4.&c.
Non potuit primo suæ productionis instanti, spectatâ etiam absolutâ Dei potentiâ, suam illam vnionem mereri, 731.n.1
Nec eam mereri potuit per actiones duratione reali illam consequentes: potuit tamen per quasdam alias, quas per absolutam Dei potentiam exercere potuisset, *ibid.* n.3.4.&5
Christi humanitas non priùs vllâ reali duratione extitit quàm assumpta fuerit, 755.n.7
Vnio eius animæ cum corpore non fuit reali duratione assumptione humanitatis eiusdem Christi prior. 755.n.8
Anima eius duratione reali non fuit priùs assumpta, quàm corpori vnita; 756.n.1
Non fuit duratione reali priùs assumptum corpus, quàm ab anima rationali informaretur, *ibid.*n.3
Nec anima priùs duratione reali assumpta, quàm caro, seu corpus, *ibid.*n.4
Nec caro seu corpus fuit duratione reali priùs conceptum, quàm à Verbo assumptum, 756. num.5
Quid de partibus homogeneis & heterogeneis, *ibid.* n.7.&8
an Christi animæ cum carne seu corpore vnio fuerit ordine naturæ prior, quàm corporis cum Verbo hypostatica vnio, 757
an Christi humanitati vt sancta esset, necessaria fuerit habitualis gratia, 764.765
Eiusdem humanitatem ipsâ vnione cum Verbo sanctificatam, quo sensu asserant Patres, 766.n.7
Christi humanitati negare habitualem gratiam sanctificantem, an sicut temerarium esset, ita foret erroneum contra fidem, 767.n.5.6.&7
Quo tempore illam gratiam habere cœperit, 768.n.1
An fuerit illi connaturalis, 768.n 3
An fuerit infinitè intensa, *ibid.* n.7.769. n.1.&c.
An augeri potuerit, & reipsa aliquando aucta sit, 769.n.7.770.n.1.&c.
Quas virtutes habuerit, 771.n.6.&c.
Dona Spiritus sancti tam quoad actus, quàm quoad habitus in eo fuerunt, 772.n.4.&c. 773.n.1.&c.
In eo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, 773. n.6.774. per tot.
Capitis gratiam habuit, 775.n.4.&c.
Christus est caput militantis Ecclesiæ, 776.n.1
Vt homo, est caput Ecclesiæ triumphantis, 776.n.4
An vtriusque Ecclesiæ sicut vt homo dicitur caput ita possit vtriusque dici membrum, *ibid.* n.5.&6
Vt homo, est caput omnium hominum viatorum, 776.n.8
Christus vt homo non est caput hominum damnatorum, siue infantium, siue adultorum, provt in statu damnationis sunt, 777.n.2.&3
Eorum hominum quorum est caput, caput est & quantum ad animas, & quantum ad corpora, 777.n.3.&4
Idem vt homo, est caput beatorum Angelorum, *ibid.* n.5
an Christus vt homo sicut caput hominum est, tam quoad eorum corpora, quàm quoad animas, ita sit eorum caput tam quoad corpus suum, quàm quoad animam, 778.n.1
Quænam sit illa gratia per quam obtinet rationem illam dignitatémque capitis, 778.n.3
An ita sit caput aliorum, vt alteri conuenire non possit, 778.n.4
Quæ fuerit beata illius scientia, 778.n.6.&c.
Claram Dei visionem habebat, *ibid.*n.8
Quas creaturas in Verbo videbat, 779. n.1.2.&3
Beatificam Dei visionem habuit à primo momento suæ conceptionis, 779.n.4.&c.
Christi scientia infusa: huius obiectum, 780. n.3.&c.781.782.& seq.
Quas res per scientiam hanc reipsâ cognouerit, 787.n.2.&c.
An admittendæ aliquæ huius in illo scientiæ infusæ species, 789.n.6.&790
An habitus infusæ scientiæ distinctus à speciebus ad hanc scientiam pertinentibus fuerit vnus in illo, an multiplex. 792.n.1
An actuali cognitione cognouerit omnia quorum habuit impressas species ad hanc scientiam infusam spectantes, 798.n.1
an Christi anima semper & assiduè in aliquo vsu scientiæ infusæ fuerit? 794.n.1.&c.
An in vsu prædictæ scientiæ à phantasmate penderet, ibid.n.5
An scientia infusa vti potuerit discurrendo? 765.n.4. vel componendo, aut diuidendo. *ibidem.*

Christi scientia acquisita : vtrùm hanc scientiam per infusionem à Deo acceperit ? an potiùs per propriam operationem ministerio sensuum, sicut nos solemus, compararit, 796. 797. & seq.
Christi existentia quotuplex, 831.n.4
Quotuplex esse, ibid.n.8.& 834.n.3
Quotuplex voluntas, 834.n.8
Quotuplex & qualis humana eius voluntas, 836.n.5.&c.
An hæc potuerit esse contraria diuinæ voluntati, 837.n.4.&c.
an in Christo admittendæ sint plures operationes, 838.per tot.
Miraculosa eiusdem opera quomodo intelligenda, 839.n.1
Per quos actus meruerit, vtrùm per præceptos, 839.n.5.&c.840.841.&c.
An meruerit per actum amoris erga Deum ? 842.n.2
Sintne ponendi in eo duo amoris erga Deum actus, 842. n.5.& 6. 843.n.3. & 5. 844.n.1.&c.
Christi satisfactio quomodo intelligenda, 527. n.8.528.n.1.&c.
Christus humani corporis defectibus naturalibus fuit subiectus necessitate naturali, 804. num.5
Nunquid & necessitate coactionis, *ibid.*n.6
An passiones corporis ab eo susceptæ vocari debeant naturales,an supernaturales & assumptæ, 804.n.7.& 8
Vtrùm voluntariæ an violentæ, 805.n.2
Non contraxit defectus corporis quos assumpsit, *ibid.*n.4
Quosnam defectus assumpserit, *ibid.*n.5.&c.
Assumpsit necessitatem senescendi & moriendi, 806.num.1
An assumpserit necessitatem incidendi in morbum, *ibid.*2
Non assumpsit naturalem & innatam aliquam corporis deformitatem, sed oppositam pulchritudinem, *ibid.* n.4
Nullum in eo peccatum fuit, 807.n.1.&c.
An aliquod in eo peccatum esse potuerit, 808.809.810.811.
Causa illius impeccabilitatis, 811.n.6.& 7
an Christi humanitas, nullo alio ei concesso dono,quàm vnionis hypostaticæ, potuerit absolutè loquendo committere peccatum, quo hæc destrueretur, 812.813.&c.
An in Christo eiúsve humanitate fomes peccati fuerit, aut esse potuerit, 818.819
Quid de ignorantia, 819.n.5
Quid de passionibus in anima, 820.821. n.1.&c.
An mortem timuerit, *ibid.*
Christi nomen dupliciter accipi potest, 825.n.4
Christus est creatura : sitne vera hæc propositio, 827. n. 7
Christus, seu, *hic homo*, demonstrato Christo, *incœpit esse* : quid de hac propositione sentiendum, 828.n.2
cùm Christus qui simul Deus & homo est, variis nominibus vocetur, vt *Deus*, *Dei filius*, *Verbum*, *Iesus*, *Redemptor Dei & hominum*, &c. quomodo discernenda sint hæc nomina, 829.n.4
Christus secundùm quod homo creatura est, ac incœpit esse. Item, *Christus in quantum homo Deus est.* Item, *Christus secundùm quod homo est hypostasis seu persona :* quomodo intelligendæ sint hæ propositiones, 829. n. 5. 6. 7. 8
Quid de illa, *Christus est persona humana*, 830. n. 1. & 2
Quid etiam de illa, *Christus est duæ naturæ*, 830.n.6
Christus cœpit mereri à primo momento suæ conceptionis intrinsecè, itavt illo ipso momento meruerit, 845.n.4.
Infantiæ suæ tempore meruit, *ibid.*n.8
Meruit toto vitæ suæ tempore à primo momento incluſiuè, vsque ad instans suæ mortis exclusiuè, continuè & sine vlla intermissione, 846. n. 3.
Desiit mereri incluſiuè à momento suæ mortis, 846.n.847.n.1
Cur ab instanti suæ mortis non est meritus venerationem sui nominis & exaltationem, 847. n. 3
Orare in cœlo pro nobis, interpellare, aduocatus esse apud Patrem quo sensu dicatur, 847. n. 4. &c. 848. n. 1.&c.
An meruerit per inflictum corpori suo iam mortuo vulnus lanceæ, 848.n.7
quo Christus modo factus sit sacerdos, 870. n. 6. 871.872.& seq.
Christi sacerdotium per mortem eius extinguendum non fuisse, quâ ratione dixerit Concilium Tridentinum, 875. n. 3. & 4
an Christus fuerit Leuiticus sacerdos, 875. num.7
an secundùm ordinem Melchisedech, 876. n. 3. &c. 877
Vtrùm effectum aliquem seu fructum sacerdotij sui participauerit, 878.n.3.&c.
Vtrùm fructum aliquem sacrificij sui perceperit ex vi, seu per modum sacrificij, id est, an directâ intentione pro se sicut pro aliis sui sacrificium obtulerit, 879.n.2.3.& seq.
an Christus secundùm humanitatem sit Dei filius adoptiuus, 881.n.2.&c.882.883
Christus secundùm humanitatem est filius Dei naturalis, tum per gratiam, tum per naturam, 882. n.5.& 6
Non potest dici simpliciter & absolutè filius naturalis Trinitatis, 883.n.3.4.7
In eo triplex filiatio, & duplex generatio, *ibid.* n. 5
Non potest dici filius Verbi, *ibidem*, num. 6.
An dici possit filius Spiritus sancti, 883.n.8 884. n.1
Christi humanitas fuit prædestinata ad gratiam hypostaticæ vnionis, ad claram Dei visionem, ad habitualem gratiam sanctificantem, & ad cætera gratiæ dona quæ habuit, 884. num. 6
Christus vt homo fuit prædestinatus ad claram Dei visionem, & gratiam habitualem, cæteraque dona eam comitantia aut consequentia, ibid.n.7
Item ad vnionem hypostaticam cum Deo ac proinde vt esset filius Dei naturalis, ibid. n. 8. & 885. n.1. &c.

INDEX

an Christus simpliciter & absolutè sine hac determinatione, *homo*, vel æquiualenti addita dici possit prædestinatus, vt esset naturalis Dei filius, 885.n.5

Ad quid simpliciter & absolutè sine additamento, secundùm humanitatem, dici possit prædestinatus? ibid.n.6

Vno sensu dici potest à Deo prædestinatus, vt fieret homo, altero non potest, 885. n.7. & 8

Non potest dici de illo simpliciter & absquè communicatione idiomatum, ipsum fuisse prædestinatum vt esset, potest tamen per idiomatum communicationem, 886. n.1. & 2

an Christi humanitas eadem adoratione latriæ quâ Verbum simul cum ipso colì possit, 887. n.2. & 888

An aliâ adoratione quam latriæ adorari meritò possit? 889.n.5.&c.

Christi imagini & cruci quænam adoratio debeatur? 890. n.7. 891. 892. 893

an Christus sibi gloriam corporis & nominis exaltationem meruerit? 849.n.4

An visionem beatificam, habitualem item gratiam sanctificantem sibi meruerit? 850. n.8. 851

An continuationem perpetuitatémque suæ hypostaticæ vnionis sibi meruerit? 852.n.3. &c. 853. per tot.

an Christus meruerit Angelis gratiam quam habuerunt in via, & essentialem gloriam quam habuerunt in patria? 854. num.5. &c. 855. 856.

Quid hominibus meruerit? 857. n.3. &c. 858. n.3.

An hominum à Deo electionem, vt electio est, meruerit? 858 n.6

An pro electis merita sua applicarit? ibid. num.7.

an Christus secundùm humanitatem sit propriè Dei seruus? 861.n.3.&c.862.863

Vtrùm omnis eius oratio exaudita fuerit? 864.n.6

An sit verè & propriè sacerdos? 865.n.4. &c.866.n.1.& 2.

An sit sacerdos vt Deus, an vt homo? 866. num.4. &c.

An idem Christus qui sacerdos est, etiam hostia sit? 867.n.7

Quodnam fuerit templum, quodnam altare in quo seipsum hostiam Deo obtulit? 868. n.2.3.& 4

Quomodo fuit sui ipsius sacerdos, cùm officium sacerdotis sit occidere victimam, ille autem non se occiderit? 868.n.5.6.& 7

Hostia, templum, altare, quâ ratione ei conueniant? 869.n.3

Ciuis quâ pars est, est aliquid Reipublicæ. 514. num. 2.

Ciuium ius in Republica, 503.n.2

Coactio quando dicatur iniusta? 614.n.7

Cogitatio sancta inter Christi gratias reponitur, 5. n.6

Cogitationes sanctæ quo modo immittantur à Deo? 32.n.1

Cognitio rerum futurarum possitne esse mala? 338. n.6.7.

Cognitio alicuius rei in entitate supernaturalis, vel naturalis seorsim spectatæ, an haberi possit ab intellectu creato? 780.n.5.&c. 781.n.7

an Cognitio cuiuscunque veritatis, Dei gratiam requirat? 2.n.7.& 8

Cognitio intuitiua alicuius rei quo modo à nobis habèri possit? 252.n.6.& 7

an Cognitionis quidditatiuæ actus in entitate supernaturalis possit exercèri circa obiectum merè naturale in entitate? 293 n.7. & 8.

Cognitioni purè speculatiuæ opponitur practica, & quid vtraque sit? 3.n.2.& 3

Collatores beneficiorum quando peccent, & obligentur ad restitutionem? 584.n.6 585.&c.589.n.1

an Commodatarius rem commodatam ad dominum remittens per hominem alioquí fidelem qui eam sibi vsurpat, nec comparet amplius, ad restitutionem teneatur? 579. n.2. 580

Commodatum quid sit? 572.n.3

Commodatum vbi & quibus sumptibus restituendum, 637.n.4

Communicare se summè Deo conuenit, 642. num. 3.

Communicatio idiomatum: sitne facta per eam in Deo aliqua mutatio? 822. 823. n.7. 824. n.8. 818. n.6.& 7.

Communicatio sui cuilibet rei conuenit, 642. num. 4

Communitas rerum dominiorúmque de iure naturali permittente, non de præcipiente est, 546.n.6 & 7

Communitatis bonum, bonum est singulorum ciuium, 470. n.6. *vide* Iustitia generalis.

Communitates multæ ad quas possumus pertinere vt pars ad totum, 474.n.4

Commutatio rerum apud antiquos vt se habebat, 212.n.1.& 2

an Compositum substantiale sit priùs natura, quàm accidentale? 728.n.2. & 7

Compositi nomen quomodo cadat in Christum? 714.n.4.

ad Compositi rationem quid requiratur? ibid. & n.5. & 6.

Compulsio diuina, super his verbis: *Compelle eos intrare*, quomodo intelligenda, 90.n.6. 91.num.5

Conceptus vnius eiusdémque rei multiplex esse potest, 209.n.1

Concilium in rebus fidei amplectitur doctrinam maioris partis Theologorum suorum, 166

Concilij Tridentini canon tertius, sessione sextâ: *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione*, &c. explicatus, 193. per tot.

Concilij Mileuitani de gratia definitio, 10.n.7. 37.n.5

Conclusio sequitur debiliorem partem: sensus huius axiomatis, 285.n.1.& seq.

Conclusionis assensus nititur assensu præmissarum, 330.n.5

Concretum pro abstracto, homo scilicèt pro humanitate, apud Patres vsurpatum, 712. num. 7.

Christi scientia acquisita : vtrùm hanc scientiam per infusionem à Deo acceperit ? an potiùs per propriam operationem ministerio sensuum, sicut nos solemus, comparârit, 796 797. & seq.
Christi existentia quotuplex, 831.n.4
Quotuplex esse, ibid.n.8.& 834.n.3
Quotuplex voluntas, 834.n.8
Quotuplex & qualis humana eius voluntas, 836.n.5.&c.
An hæc potuerit esse contraria diuinæ voluntati, 837.n.4.&c.
an in Christo admittendæ sint plures operationes, 838.per tot.
Miraculosa eiusdem opera quomodo intelligenda, 839.n.1
Per quos actus meruerit, vtrùm per præceptos, 839.n.5.&c.840.841.&c.
An meruerit per actum amoris erga Deum ? 842.n.2
Sintne ponendi in eo duo amoris erga Deum actus, 842. n.5.& 6. 843.n.3. & 5. 844.n.1. &c.
Christi satisfactio quomodo intelligenda, 527. n.8.528.n.1.&c.
Christus humani corporis defectibus naturalibus fuit subiectus necessitate naturali, 804. num.5
Nunquid & necessitate coactionis, *ibid.*n.6
An passiones corporis ab eo susceptæ vocari debeant naturales,an supernaturales & assumptæ, 804.n.7.& 8
Vtrùm voluntariæ an violentæ, 805.n.2
Non contraxit defectus corporis quos assumpsit, *ibid.*n.4
Quosnam defectus assumpserit, *ibid.*n.5.&c.
Assumpsit necessitatem senescendi & moriendi, 806.num.1
An assumpserit necessitatem incidendi in morbum, *ibid.*2
Non assumpsit naturalem & innatam aliquam corporis deformitatem, sed oppositam pulchritudinem, *ibid.* n.4
Nullum in eo peccatum fuit, 807.n.1.&c.
An aliquod in eo peccatum esse potuerit, 808.809.810.811.
Causa illius impeccabilitatis, 811.n.6.& 7
an Christi humanitas, nullo alio ei concesso dono,quàm vnionis hypostaticæ, potuerit absolutè loquendo committere peccatum, quo hæc destrueretur, 812.813.&c.
An in Christo eiúsve humanitate fomes peccati fuerit, aut esse potuerit, 818.819
Quid de ignorantia, 819.n.5
Quid de passionibus in anima, 820.821. n.1.&c.
An mortem timuerit, *ibid.*
Christi nomen dupliciter accipi potest, 825.n.4
Christus est creatura : sitne vera hæc propositio, 827. n. 7
Christus, seu, *hic homo*, demonstrato Christo, *incæpit esse* : quid de hac propositione sentiendum, 828.n.2
cùm Christus qui simul Deus & homo est, variis nominibus vocetur, vt *Deus*, *Dei filius*, *Verbum*, *Iesus*, *Mediator Dei & hominum*, &c. quomodo discernenda sint hæc nomina, 829.n.4
Christus secundùm quod homo creatura est, ac incæpit esse. Item, *Christus in quantum homo Deus est.* Item, *Christus secundùm quod homo est hypostasis seu persona* : quomodo intelligendæ sint hæ propositiones, 829. n.5. 6. 7. 8
Quid de illa, *Christus est persona humana*, 830. n.1. & 2
Quid etiam de illa, *Christus est duæ naturæ*, 830.n.6
Christus cœpit mereri à primo momento suæ conceptionis intrinsecè, itavt illo ipso momento meruerit, 845.n.4.
Infantiæ suæ tempore meruit, *ibid.*n.8
Meruit toto vitæ suæ tempore à primo momento inclusinè, vsque ad instans suæ mortis exclusiuè, continuè & sine vlla intermissione, 846. n. 3.
Desiit mereri inclusiuè à momento suæ mortis, 846.n.847.n.1
Cur ab instanti suæ mortis non est meritus venerationem sui nominis & exaltationem, 847. n. 3
Orare in cœlo pro nobis, interpellare, aduocatus esse apud Patrem quo sensu dicatur, 847. n. 4. &c. 848. n. 1. &c.
An meruerit per inflictum corpori suo iam mortuo vulnus lanceæ, 848.n.7
quo Christus modo factus sit sacerdos, 870. n. 6. 871.872.& seq.
Christi sacerdotium per mortem eius extinguendum non fuisse, quâ ratione dixerit Concilium Tridentinum, 875. n. 3. & 4
an Christus fuerit Leuiticus sacerdos, 875. num.7
an secundùm ordinem Melchisedech, 876. n. 3. &c. 877
Vtrùm effectum aliquem seu fructum sacerdotij sui participauerit, 878.n.3.&c.
Vtrùm fructum aliquem sacrificij sui perceperit ex vi, seu per modum sacrificij, id est, an directâ intentione pro se sicut pro aliis sui sacrificium obtulerit, 879.n.2.3.& seq.
an Christus secundùm humanitatem sit Dei filius adoptiuus, 881.n.2.&c.882.883
Christus secundùm humanitatem est filius Dei naturalis, tum per gratiam, tum per naturam, 882. n.5.& 6
Non potest dici simpliciter & absolutè filius naturalis Trinitatis, 883.n.3.4.7
In eo triplex filiatio, & duplex generatio, *ibid.* n. 5
Non potest dici filius Verbi, *ibidem*, num. 6.
An dici possit filius Spiritus sancti, 883.n.8 884.n.1
Christi humanitas fuit prædestinata ad gratiam hypostaticæ vnionis, ad claram Dei visionem, ad habitualem gratiam sanctificantem, & ad cætera gratiæ dona quæ habuit, 884. num. 6
Christus vt homo fuit prædestinatus ad claram Dei visionem, & gratiam habitualem, cæteràque dona eam comitantia aut consequentia, ibid.n.7
Item ad vnionem hypostaticam cum Deo ac proinde vt esset filius Dei naturalis, ibid. n. 8. & 885. n.1. &c.

INDEX

an Christus simpliciter & absolutè sine hac determinatione, *homo*, vel æquivalenti addita dici possit prædestinatus, vt esset naturalis Dei filius, 885.n.5

Ad quid simpliciter & absolutè sine additamento, secundùm humanitatem, dici possit prædestinatus? ibid.n.6

Vno sensu dici potest à Deo prædestinatus, vt fieret homo, altero non potest, 885. n.7. & 8

Non potest dici de illo simpliciter & absque communicatione idiomatum, ipsum fuisse prædestinatum vt esset, potest tamen per idiomatum communicationem, 886. n.1. & 2

an Christi humanitas eadem adoratione latriæ qua Verbum simul cum ipso colì possit, 887. n.2. & 888

An aliâ adoratione quàm latriæ adorari meritò possit? 889.n.5.&c.

Christi imagini & cruci quænam adoratio debeatur? 890. n.7. 891. 892. 893

an Christus sibi gloriam corporis & nominis exaltationem meruerit? 849.n.4

An visionem beatificam, habitualem item gratiam sanctificantem sibi meruerit? 850. n.8. 851

An continuationem perpetuitatémque suæ hypostaticæ vnionis sibi meruerit? 852.n.3. &c. 853. per tot.

an Christus meruerit Angelis gratiam quam habuerunt in via, & essentialem gloriam quam habuerunt in patria? 854. num.5. &c. 855. 856.

Quid hominibus meruerit? 857. n.3. &c. 858. n.3.

An hominum à Deo electionem, vt electio est, meruerit? 858 n.6

An pro electis merita sua applicarit? ibid. num.7.

an Christus secundùm humanitatem sit propriè Dei seruus? 861.n.3.&c.862.863

Vtrùm omnis eius oratio exaudita fuerit? 864.n.6

An sit verè & propriè sacerdos? 865.n.4. &c.866.n.1.&2.

An sit sacerdos vt Deus, an vt homo? 866. num.4. &c.

An idem Christus qui sacerdos est, etiam hostia sit? 867.n.7

Quodnam fuerit templum, quodnam altare in quo seipsum hostiam Deo obtulit? 868. n.2.3.&4

Quomodo fuit sui ipsius sacerdos, cùm omnium sacerdotis sit occidere victimam, ille autem non se occiderit? 868.n.5.6.&7

Hostia, templum, altare, quâ ratione ei conueniant? 869.n.3

Ciuis quâ pars est, est aliquid Reipublicæ. 514. num. 2.

Ciuium ius in Republica, 503.n.2

Coactio quando dicatur iniusta? 614.n.7

Cogitatio sancta inter Christi gratias reponitur, 5. n.6

Cogitationes sanctæ quo modo immittantur à Deo? 32.n.1

Cognitio rerum futurarum possitne esse mala? 338. n.6.7.

Cognitio alicuius rei in entitate supernaturalis, vel naturalis seorsim spectatæ, an haberi possit ab intellectu creato? 780.n.5.&c. 781.n.7

an Cognitio cuiuscunque veritatis, Dei gratiam requirat? 2.n.7.&8

Cognitio intuitiua alicuius rei quo modo à nobis habèri possit? 252.n.6.&7

an Cognitionis quidditatiuæ actus in entitate supernaturalis possit exerceri circa obiectum meè naturale in entitate? 293 n.7. &8.

Cognitioni purè speculatiuæ opponitur practica, & quid vtraque sit? 3.n.2.&3

Collatores beneficiorum quando peccent, & obligentur ad restitutionem? 584.n.6 585.&c.589.n.1

an Commodatarius rem commodatam ad dominum remittens per hominem alioquì fidelem qui eam sibi vsurpat, nec comparet amplius, ad restitutionem teneatur? 579. n.2. 580

Commodatum quid sit? 572.n.3

Commodatum vbi & quibus sumptibus restituendum, 637.n.4

Communicare se summè Deo conuenit, 642. num. 3.

Communicatio idiomatum: sitne facta per eam in Deo aliqua mutatio? 822. 823.n.7.824. n.8.818. .6.&7.

Communicatio sui cuilibet rei conuenit, 642. num.4

Communitas rerum dominiorumque de iure naturali permittente, non de præcipiente est, 546.n.6 &7

Communitatis bonum, bonum est singulorum ciuium, 470. n.6. *vide* Iustitia generalis.

Communitates multæ ad quas possumus pertinere vt pars ad totum, 474.n.4

Commutatio rerum apud antiquos vt se habebat, 212.n.1.&2

an Compositum substantiale sit priùs natura, quàm accidentale? 728.n.2.&7

Compositi nomen quomodo cadat in Christum? 714.n.4

ad Compositi rationem quid requiratur? ibid. & n.5.&6.

Compulsio diuina, super his verbis: *Compelle eos intrare*, quomodo intelligenda, 90.n.6. 91. num.5

Conceptus vnius eiusdémque rei multiplex esse potest, 209.n.1

Concilium in rebus fidei amplectitur doctrinam maioris partis Theologorum suorum, 166

Concilij Tridentini canon tertius, sessione sextâ: *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione*, &c. explicatus, 193. per tot.

Concilij Milevitani de gratia definitio, 10.n.7. 37.n.3

Conclusio sequitur debiliorem partem: sensus huius axiomatis, 285.n.1.& seq.

Conclusionis assensus nititur assensu præmissarum, 330.n.5

Concretum pro abstracto, homo scilicet pro humanitate, apud Patres vsurpatum, 712. num.7.

Concupiſcentia nunquam fertur in formalem actus mali malitiam, 86.n.7. inducit in peccatum, n.8
Concupiſcentia carnis, & corpus pro eodem vſurpari ſolent, 10.n.1
Concurſus Dei cum cauſa ſecunda neceſſitas, 89.n.1
Confeſſio ad ſalutem ſit ore, 349.n.7.350.n.7
Confeſſio externa fidei ſit ne actus à virtute fidei elicitus, 345.n.5.&c. 346.347.348. ſitne ad ſalutem neceſſaria, 349.n.6
Congruitas ſeu contemperatio cum ingenio, affectionibus & diſpoſitionibus hominis conſentientis ſitne admittenda in gratia efficaci? 101.n.5.6.& ſeq.
Conſcientia ſeu notitia conſiliorum & actionum noſtrarum, fidei nomine aliquando ſignificatur, 250.n.6.497.n.3
Conſenſus duobus modis ſumi poteſt, 104.n.2
Conſenſus noſter ſimpliciter neceſſarius eſt ad agendum, 91.n.7
an Conſenſus noſter vt terminus actionis tam noſtræ quàm diuinæ dici propriè poſſit gratia cooperans. 57.n.7.& 8
Conſenſus liberi noſtri cauſa, quæ? 57.n.1
Conſenſûs defectus vnde oriatur? 117.n.1.2.5.6.& 7.
Conſenſus, vt eſt modus cooperationis duplex eſſe poteſt, 624.n.1
Conſilium & mandatum quomodo differant à iuſſione, 623.n.7
Conſilium dare contra propriam ſuam opinionem, ſequendo alienam, an liceat? 499.n.4.& 5
an Conſilij donum in cœlo manſerit in Chriſto & in beatis, quoad actum, 772.n.8.773.n.1.& 2
Conſilio meliore relicto, an imprudentiæ ſit minùs bonum ſequi? 498.n.1
an Conſulens aliquod damnum aut quid ſimile teneatur ad reſtitutionem? 624.n.2.& 625.626
Conſultationis bonæ initium eſſe à bona fortuna, iuxta Ariſtotelem, quomodo explicet D. Thomas, 17.n.8
Contingentia rerum diuinâ voluntate non tollitur, 76.n.6
Continuatio operis ad meritum confert, 427.n.8.428.429.&c. impugnatur grauiſſimo argumento, 431.n.1.&c. 432.433
Contractus quo res aliena accipitur eſt duplex in genere, 572.n.3. poſterior triplex, ibid.
an Contractus per legem poſitiuam humanam vel ciuilem vel canonicam irriti, qui ſtando in lege naturali, vel ſeclusâ illâ humanâ lege validi eſſent, obligarèntque in conſcientia, ſint in externo tantùm foro irriti, an etiam in interno conſcientiæ? 552.n.1
Contractu quo res aliena accipitur cadente vel in ſolius accipientis, vel in ſolius dantis, vel tam in dantis quàm accipientis vtilitatem, an accipiens teneatur ad illius rei reſtitutionem, 578.n.2
ex Contractu obligatus non obligatur propriè ad reſtitutionem, ſed ad ſolutionem, 568.n.6.&c.
ex Contractu inito accepta, quo loco & quibus expenſis reſtituenda? 637.n.4.&c.638
qui ex Contractu res alienas habet, eáſque ſimul & ſuas in naufragio, incendio, &c. ſeruare non poteſt, quas potiùs ſeruare obligetur? 580.n.7.& 8. 581.n.1.&c.
per Contractum inualidum acquiſita reſtituenda ſunt. 618.n.7
Contradictionis dubia vtraque de rebus agendis exiſtente parte, quæ pars ſequenda? 497.n.1.&c.
Contradictoria ſucceſſiuè enunciari verè de vna eadémque re impoſſibile eſt, niſi fiat aliqua in rebus mutatio, 716.n.7
Contrapaſſum quid ſit, & an ſit idem quòd ſimpliciter iuſtum? 512.n.3.& 4
Contrariorum idem eſt ſubiectum, 514.n.7
Contritio ſitne vltima diſpoſitio ad conſequendam gratiam? 208.n.1.2
cur Contritio charitate perfecta dicatur? 168.n.2.& ſeq. 169.n.1 & ſeq.
Contritionis & attritionis ratio, quoad peccatum veniale, 179.n.8.180.n.1.& ſeq.
an Contritionis actus poſſit eſſe ſaltem imperfecta pro macula peccati, debitóque mortis æternæ luendæ ſatisfactio? 664.n.6.&c. 667.n.1.&c. 666.n.2.& 3.
an ſupponat in momento iuſtificationis à peccatore elicitus gratiam habitualem ſanctificantem? 665.n.6
Contritio perfecta, Deiue dilectio poſſitne eſſe condigna pro peccato mortali ſatisfactio? 205.n.6. an mereatur de condigno primum gradum habitualis gratiæ? 206.207.208.209
an perfectæ Contritionis actus ſit ex ſe ſuáque naturâ vera formaliſque animæ ſanctitas, ac proinde cum omni peccato mortali incompoſſibilis? 156.n.3.&c. 157.158.& ſeq.
an Contritionis perfectæ actus poſſit elici abſque præuia vlla fide Chriſti, aut alterius vllius myſterij, præſertim in entitate ſupernaturalis? 345.n.2.& 3.
an in Contritione perfecta includatur votum ſeruandi præcepta omnia ſub mortali obligantia, ac ſuſcipiendi ſacramentum pœnitentiæ, ratione præciſè iſtius actus? an verò ratione habitualis gratiæ ſanctificantis? 170.n.8. 171. 172.
Contritionem perfectam iuſtificare formaliter, ſex rationibus probatur, 178.n.8. 181.n.1. 183.n.2. 184.n.6. 187.n.5. 188.n.6. ſolutio contrariorum argumentorum, 190.191.& ſeq.
Contritionem non delere peccatum mortale reipſâ & in actu ſecundo, quo ſenſu dixerit S. Thomas. 210.& 211.n.1.&c.
Contritionem quouis tempore fuiſſe neceſſariam ad impetrandâ veniam peccatorũ & in homine poſt baptiſmum lapſo præparare ad eorum remiſſionem conſequendam, quo ſenſu aſſerat Concilium, 201.n.5.& 202.n.1.&c.
Conuenientis vocabulum tria ſignificat, 642.n.1.& 2.
Conuerſio in Deum triplex, 202.n.7
Conuerſio viatoris quo tempore fieri poſſit? 69.n.7.70.n.1.& 2
Cooperandi modi quot, & qui? 623.n.7.& 8.
Cooperari ad damnum aliquod ſinguli cooperatores duobus modis poſſunt; & ad quam reſtitutionem obligentur ſinguli, 627.n.2.&c.

Gooperantes alteri ad aliquod damnum, sintne ad restitutionem obligati, 624. n. 2. &c. 625. 626
Cooperantes vni eidémque damno iniustè, quo teneantur ordine ad restitutionem, 632. n. 7. 633. 634
Cooperatio diuina quomodo intelligenda. 53. num. 4
Copronymi Iconoclastæ error, 891. n. 4
Copula carnalis quo sensu dicatur facere viri corpus vnum cum corpore mulieris, 158. n. 4 159. n. 1. & seq.
Cor lapideũ auferre, & dare carneum: ponere spiritum in medio nostri & facere vt in præceptis eius ambulemus, quo sensu dicat Deus, 90. n. 6. 91. n. 4
Cor regis in manu Dei esse, & quocunque voluerit, illud inclinare posse, duobus modis intelligitur, 91. n. 1
Corporis nomine concupiscentiæ carnis significantur, 10. n. 1
an Cornelius habuerit explicitam Christi cognitionem, & quomodo iustificatus fuerit, 344. n. 4
Correctionis viam nemini Deus adimit, 65. n. 7. 8
Creationis & conseruationis beneficium sitne distinctum à gratia quæ datur ad credendum, sperandum, &c. 5. n. 1. & 8
an Creatura propter se amari possit, 8. n. 1. 9. n. 1
Creaturę rationales ab irrationalibus qui differant, 22. n. 4. & 5
Creaturæ quantumlibet perfectæ comparatæ cum Deo, quanta sit vilitas, 655. n. 1. &c. 656. 657
Credere est cum assensu cogitare, 281. n. 6
Credere vel discredere estne liberum homini, 304. n. 1
Credere citò, leuis est cordis, 319. n. 4
Credere explicitè ea omnia quæ Apostolorum symbolo continẽtur singuli obligantur. 366. n. 1
Credere Deum, credere Deo, credere in Deum sintne actus specie diuersi, 288. n. 1. 289. n. 3. &c.
Credo sanctam Ecclesiam, *vel*, in sanctam Ecclesiam, sitne idem sensus, 289. n. 6. & 7
Credendi volitio expressa quid sit, 314. n. 4. cuius sit speciei, n. 5. sitne in entitate supernaturalis, 314. n. 6. An aliquis eidem volitioni respondens in voluntate habitus admittendus sit, & quisnam ille sit, 315. n. 5. & seqq. An requirat obedientiæ virtutem, 318. n. 7
ad Credendum quippiam fide diuina requiritur necessariò præuium iudicium intellectus illud à Deo reuelatum esse iudicantis, quod iudicium certum esse debet, nec est fidei diuinæ, 324. n. 6. 7. & 8. 325. n. 1. & seq.
an Credendum viro graui referenti malum aliquod graue de proximo etiam viro graui notæque probitatis, 496. n. 5
an Credi simul & sciri, seu euidenter cognosci possit vnico, eodémque actu vna eadémque res, 305. n. 2. & seq. 312. n. 1
Credi aliquid explicitè quid sit, 342. n. 2
Credibile euidenter illud est quod est euidenter fidẽ dignum, 328. n. 1
Credibilitatis euidentia duabus quæstionibus explicata, 328. n. 2. & seq.
Credibilitatis euidentia sitne necessariò prærequisita ad internum fidei diuinæ actum, 322. n. 8. 323. n. 1. &c. an hæc euidentia de fidei obiecto tum materiali, tum formali esse debeat, 324. n. 1. & seq.
an Creditores occisi teneatur compensare interfector, 597. n. 4. 5. & 6
Crux Christi duobus modis spectari potest, & quænam ei adoratio sit exhibenda, 890. n. 7. 891. &c.
Culpa in genere duplex, Iuridica scilicet & Theologica, 572. n. 5
Culpa iuridica quintuplex, latissima, latior, lata, leuis, leuissima: quid sint & quomodo inter se aut differant aut conueniant, 572. num. 5. &c.
Culpa iuridica coincidit ex parte cum Theologica, ex parte non coincidit, 572. n. 2
quæ Culpa obliget ad restitutionem, 573. n. 3. &c. 574. & seq. 579. n. 5
Cultus duplex esse potest, 892. n. 2
Custodia rei alienæ quam diligentiã requirat: & si res illa pereat, aut deterior fiat, an custodiens teneatur ad restitutionẽ, 578. n. 2. &c. 79 580. 581
Custos rei alicuius non obstans quo minus hæc res furto surripiatur, priùs tenetur ad restitutionem, quàm magistratus eidem damno non obstans, 635. n. 8
Cyrilli Hierof. locus de sacerdotio Christi secundùm diuinitatem explicatur, 867. n. 4
Cyri Alexandrini hæresis, 835. n. 4

D

in Dæmonibvs sitne fidei habitus, 357. n. 8. Sensus illorum verborum, *Dæmones credunt*, 357. 8. 358. n 3
an Dæmon exerceat actus spei Theologicæ, 391. n. 6. & 7
Damnationis aliquid aut nihil alicui inesse, qua ratione id accipiendum, 145. n. 6. 146. n. 4. 5
an Damnati fidem habeant, 357. n. 3. & seq.
Damnati carent & habitu & actu spei, 396. n. 7. Non possunt amplius sperare beatitudinem, 402. n. 4
Damnum iniustè inferenti nouem modis potest aliquis cooperari, 623. n. 7
Damnatorum tristitia immediata in quo posita, 395. n. 2. & 4
Damnum proximo inferri potest & extra contractum & ex aliquo præsuppositio contractu, 572. n. 2. Idque duobus modis, n. 4
Damnum à multis illatum quo ordine resarciendum, 632. n. 1. 634. 635. 636
Damnum extra contractum proximo inferens inculpabiliter seu absque Theologica culpa ad restitutionem non tenetur, 573. n. 3. 4. &c.
quid de Damno per seruum aut brutum animal absque vlla domini culpa illato sentiendum? 574 n. 1. 2. & 3. Quid item de illato per dormientes, ebrios, ignorantes, *ibid.* n. 4. &c. 576. num. 5
Damnum illatum ex culpa iuridica, vel lata, vel leui, vel leuissima non parit in conscientia restituendi obligationem, 575. n. 3. 4
Damnum illatum extra contractum non est resarciendum nisi sit culpa Theologica iniustitiæ, 575. n. 5. & 6
Damnum cum ignorantia consequente illatum parit restitutionis obligationem, 576. n. 4
si Damnũ ab aliquo iniquè illati imputari innocenti contingat, qui propterea condemnatur ad restituendum, an ille huius omnia damna resar-

cire teneatur, 576.n.7.& 8
ad Damni ex præsuppositio contractu contingentis fortuitò compensationem nulla obligatio ordinariè est, 577.n.3.4.5
Dāni reciproci illatio soluátne restituendi obligationem, 605.n.2.&c.
Damni causæ aliæ primariæ, aliæ secundariæ, 627. n.2.632.n.8.negatiuè concurrentes. 635
an Debitor alteri ex iure simpliciter dicto quis esse possit, 518.n.519.n.1
Debitoris, qui tenetur ex stricta iustitia soluere & soluēdo non est, processus, 687.n.7. 688.n.1.2
Debiti duplex acceptio, 220.n.1
Debitum decentiæ etiam duplex. n.2
quod Debitum excludant à Deo D. Thomas & D. Augustinus, 220.n.5
an Debita tam commutatiuæ quàm distributiuæ iustitia differant essentialiter, 508.n.5.& 6
Debita patris & filij ad inuicem sintne ex iustitia, 514.n.2.& 3.515.n.516.n.2
Debita ratione factæ liberaliter donationis quo loco & cuius expensis reddenda, 638.n.2.3.& 4
Decretum Dei concurrendi cum causa secunda ad propriam eius operationem conditionatum est. 89.n.1. Sit ne extrinsecum an intrinsecū, n.5
cuinam Decreto Dei resistere non possimus, 90.n.5. & 7
Defectus in voluntatis operatione supponit defectum considerationis, 117.n.1.& 3
an Defectibus corporis verbum incarnatum subiacuerit, 804.805
Dentes & vngues corporis humani fuerintne à Verbo assumpti, 755. n.4
an Depositarius qui rem depositam ad dominum remittit per hominem alioqui fidelem, si fortè accidat eum rem illam sibi vsurpare, obligetur ad restitutionem illius rei, 579. n. 2.580,n.4
Depositum quid sit, 571. n.4
Depositum vbi & quibus expensis restituendum, 637.n.4. & 7
Desertio despectúsque hominis sibi ipsi tribuuntur non Deo, 65. n.3. 4.& seq. Non pauca hac de re loca, *Lege sect.* IV. p. 66. 67
Desperatio quale peccatum: & an is qui suæ futuræ damnationis reuelationem à Deo accepisset, posset ab ipso nihilominus vitam æternam sperare, 402.n.2.&c.
Desperationis actus opponitur sperandi actui, 384.n.1
Destructio alicuius rei illicita duobus modis esse potest, 544.n.1
Determinatio ad vnum, duplex, 82.n.1
Detractio duplicè importat malitiā, 521.n.7.& 8
Detractor quando censeatur peccare mortaliter, 494.n.2.6.7. & 8
Deus dupliciter considerari potest, 251.n.1.2.& c
Deus duobus in vniuersum modis aliquod dicit, 251.n.6
Deus & homo quo sensu dicantur multorum causa, 114.n.8.115.n.1.& 2
cur Deus propriè dicatur iustus in retributione præmiorum & suppliciorum, 690.n.4
Deus qua ratione propriè ac formaliter iustus iustéque agere dicatur, 526.n.7
Deus quibus ex causis dicitur causa prima, 96.n.8
Deus omnium actionum & affectuum qui à causis secundis proficiscuntur, quot & quibus modis causa efficiens sit, 94.n.2.& 6.n.1.& seq.
Deus non casu nec fortuito cum causa secunda agit, 97.n.8.99.n.1
Deus habet in potestate suauolutates hominū magis quàm eas ipsi habeat: non tamē ad eas ipsos homines prædeterminat, 98.n.1. & 2. Quotuplex in eo voluntas, 98.n.5. Quomodo certus esse possit de cōsensu nostro futuro, 78.n.7.& 8
Deus nō prius nos diligit speciali illo amore quo diligit iustos & sanctos quàm iustitiam & sanctitatem nobis inhærentem habeamus, 133. num.8
Deus operatur velle & perficere pro bona voluntate: quis huius loci sensus, 163. num. 6. 164. 1.&c.
Deus non potest odio habere eum à quo ex toto corde diligitur. 184. n.6
Deus quomodo excitare dicatur ad bonum liberè prosequendum aut malum fugiendum. 55. n. 2. an aliquo sensu possit dici gratia cooperans. 55.n. 3. & 4
Deus facit quod velimus & consentiamus, non tamen aufert mutabilitatem qua possumus nolle ac dissentire, 75.n.7
Deus qua ratione causa sit vt velimus, 56.n.5
Deus, quomodo moueat voluntatem creatam, 76.n.7.& 8. cur eam non determinet ad vnum, 77. n.2
Deus omnia præscit, sed non omnia prædeterminat, 76.n.5
Deus per seipsum nunquam hactenus falsum dixit, nec dicere lege ordinaria potest, 271. n.5.nec etiam per alium, 272.n.1
Deus non potest per absolutam etiam potentiam falsum vel per seipsum vel per alium dicere, 272.n.7.& 8. Quo sensu dicatur aliquos decipere aut immittere in eos spiritum erroris. 274. n. 6. Locorum interpretatio quibus vel per se vel per prophetas aliquid futurum prædicit, quod tamen postea non impletur, 274.n.8
an Deus habitum erroris in intellectum hominis se solo infundere possit, 277.n.3.& 4
Deus author est meriti qui & voluntatem applicat operi, &c. sensus huius loci, 92.n.5
Deus ad ostium stare & pulsare quo sensu dicatur, 69.n.5.& 6
Deus scit certissimè futura, & quid quibuslibet positis euenturum sit, 22.n.6.8
Deus in hominibus veras & bonas voluntates operatur, 19.n.5
Deus suâ gratia semel iustificatos nō deserit, nisi ab eis priùs deseratur: quis sensus horum verborum, 65. n.3.4
Deus, quodnam sit humanorum actuum principium, 1
Deus, qua ratione, venire ad nos, & manere apud nos dicatur, 44.n.1
Deus vt bonorum, ita etiam malorum operum proprie causa est: damnatur hac propositio. 85.n.7
Deus charitas est, &c. sensus horum verborum, 157.n.234.406. n.4
Deus retribuendo æqualem meritis gloriam, seruat modum iustitiæ commutatiuæ, 529
Deus homo factus est, proposito de fide. 825. num. 7
an Deus saltem per communicationem idiomatum mutatus fuerit illo momento quo Incarnatio facta est, 82. n.8

an Deus omnibus in hac vita det gratiam sufficientem ad salutis consecutionem, 63.n.3.& 4. 64.n.3.68.n. 6.7.8
an Deus, secluſa promiſſione acceptandi, potuerit non acceptare Christi satisfactionem, aut non-obstante ea, nolle dimittere hominibus peccata, sed hos punire ac si nulla pro his satisfactio fuisset exhibita, 691.6.7.& 8.692.693.&c.
an Deus immediatè secundùm se, suámq; substantiam sperari, amari, timeri possit, 394.n.3.4. &c.
an si Deus non esset trinus in personis, sed vnus tantummodo, posset hypostaticè assumere aliquam naturam creatam, 743.n.7.& 8.744. 745
an Deus possit hypostaticè aliam naturam præter humanam assumere, 746.n.1.&c.
an Deus ab intellectu creato sit quidditatiuè cognoscibilis, 780.n.6
Quomodo, etsi sit incomprehensibilis iuxta Scripturas & Patres, posset comprehendi, 783. num.2
an Deus sit admirationis capax, 821.n.8
Deus Deique filius incœpit esse. Item, *Deus incœpit esse.* Item, *Deus incœpit esse homo.* Item, *Deus est recens.* quomodo explicandæ sint hæ propositiones, 828.n.6.829. n.1
an Deus scientiæ per se infusæ non beatæ obiecto contineatur, 786.n.1,&c.
an Deum obligare possit aliqua actio, 694.n.2 694.n.2
an Deo consentaneum decénsque fuerit hominem fieri per assumptionem humanæ naturæ ad hypostaticam vnionem, 642,n.2
Deum incarnari, seu naturam aliquam creatam hypostatice assumere, simpliciter & absolutè non fuit necessarium, 644.n.3. Neque id necessariũ fuit ex hypothesi creationis huius vniuersi, 645. n. 1.&c. Neque ex hypothesi lapsus humani generis, *ibid.*n.5.&c. Neque ex hypothesi quod voluerit illud reparare, 647.n.2.&c. Quo genere necessarij id necessarium fuerit, 648.n.4. & 5.7. & 8
Deum remittere an idem sit quod dicere se remittere, 147.n.4
Deum debitorem esse vitæ æternæ quo sensu adstruat S. Doctor, 220.n.6
Deum obdurare quid sit, 85.n.6
Deum remunerari merita supra condignum, &, Punire peccata reproborum citra condignum, commune Theologorum pronuntiatum, 214.n.6.& 7
Deum in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas quo sensu dicat Apostolus, 65. n. 1.& 2
Deus est formale obiectum fidei, 253.n.2.& 3. Est prima veritas, n.4. & vt est prima veritas est obiectum formale fidei, 254.n.1
Deus vt Deus est, siue sub formali diuinitatis conceptu vt hæc à diuinis attributis ex nostro concipiendi modo distinguitur, ad fidei obiectum formale non pertinet, 254.n 4.& 5. Solutio argumentorum contra hanc assertionem, 255
Deus quatenus est veritas prima non est adæquatum obiectum formale fidei, 256. n. 3. & seq.
Deus solus non est fidei materiale obiectum adæquatum, 265. n. 6. est partiale. *ibidem*, est primarium & quidem sub ratione diuinitatis; *ibid.*
Deus sub ratione Deitatis est fidei materiale obiectum attributionis, 265. n.7
Deus qua ratione sit formale obiectum spei, 381. n. 2.& 3. Qua item materiale, 387.n. 6
Dei bonitas erga homines, 33.n.5
Dei vocatio non est violenta, 76.n.2
Dei erga hominem stricta iustitia esse non potest, 518.n 8.519.520. Argumentorum contrariorum solutio, 526.n.5.&c.
Dei reuelatio, *vide* Reuelatio.
physica Dei præterminatio ad actus malos rationi repugnat, 87.n.1
Deo & homini non competit iustitia commutatiua, 523.n.4.&c.524 Nec etiam distributiua, 525. n. 2. &c. Argumentorum contrariorum solutio, 527.n.8.530.per tot.
in Deo quadruplex veritas distingui potest, 251. n.3. 4
in Deo sitne legalis iustitia, 531.n.1. Sitne vindicatiua, punitiua, ibid.n.2.&c.
Deificati nomine quid possit intelligi, 827. n.3. & 4
Diaboli casus causa, 84.n.8
Diffamatio duobus modis iniusta esse potest, 602. n. 2
Diffamator sui vel alterius ad quid obligetur, 601.n.1. &c.
Diffamator alterius, iniustus, ad cuius rei restitutionem obligetur, 602. n.1
an Diffamator iniustus aliqua pecuniæ summa ablatæ famæ damnum compensare teneatur eo casu quo fama restitui amplius non potest, vel quia diffamati crimen factum est publicum, vel aliam iustam ob causam. 606. n.2.&c.
an Diffamator iniustus debeat quocunque suo cum incommodo famam oblatam restituere, 607.n.3.& seq.
Diffamatoris hæredes qui ante mortem non restituit famam iniuste ereptam, an obligentur dare aliquam pecuniam in eius compensationem, 606.n.8
si Diffamatores duo se inuicem æqualiter infamarint, vnúsque nolit alteri famam restituere, tenetúrne iste alter illi alij famam quam eripuit restituere, 604.n. 5. 6. &c.
Difficultas aliquando maior in malis quàm in bonis, 30. n. 7
Dilectio maritat animam Verbo, 165.n.6.7.8. Est contractus matrimonij cum Deo tanquam sponso, 166.n.1
Dilectio Dei ex toto corde quomodo intelligenda, 191.n.4.5
Dilectio Dei mouet ad odium aliquod & detestationem peccatorum, 197.n.5
Dilectio Dei qua verè propter se amore beneuolentiæ diligitur, non potest esse in entitate naturalis, 204.n.6
Dilectio Dei & proximi qua ratione pertineat ad eundem habitum charitatis Theologicæ, 896. num.6
an Dilectio Dei ac fides requirantur ad exercitium boni alicuius operis, 7.& 8. per tot.
Dilectio interior gratiæ nomine intelligitur, 2. num. 1
Dilectionis, qua Deus nos diligit, & qua nos dili-

gimus Deum, locus ex Apostolo bene explicatus, 43.n.2.& 3
bonitas actus Dilectionis Dei sitne tanta quanta est malitia peccati, 205. n.1.2.&c.
Dilectio proximi duplex, 26.n.4.5
Dilectionem hominibus efficacem qua à Deo diliguntur, Christus promeruit, 858.n.3
Diligendo pulchri efficimur, 162.n.7
Diligitur à Deo quisque tantum, quantum ipse Deum diligit: sitne vera hæc propositio, 424. n.1. & seq.
Discere, pro, experimento cognoscere, 798.n.8
Discretio qua vnus homo ab alio discernitur, duplex, 114.n.6
Discretio spirituum in quo consistat, 773.n.7
Discursus est multitudo iudiciorum, quorum vnum ex vi alterius elicitur, 286.n.3
Distributio spoliorum in milites qualis iustitiæ actus, 512.n.6. *Vide* Iustitia distributiua.
Distributor iniustus ad restitutionem tenetur, 583. n.4. peccat contra iustitiam distributiuã, 589.n.1
Diuinitas dari non potest creaturæ immediatè, 154.n.3
Diuini nomen an conueniat Christo, 822.n.8
Diuinitas sitne radix valoris infiniti satisfactionis Christi, 682.n.2.& 3
Diuinitas est hic homo, veràne hæc propositio, 825.n 3. &c.
Diuinitas non vt natura, sed vt volitio operatur ad extra, 839. n.1.& 2
Diuinitas in carne passa est, recténe dicatur, 824. n.3.4.&c. Mortua dici nequit, 825.n.2
Diuinitatis conceptus essentialis quo modo intelligendus, & quale sit attributum, 251.n.4
Diuisio dominiorum rerũ nec olim fuit, nec nunc est illicita, 545.n.4.&c. quo iure introducta, 547.n.1. &c.
Diuisio rerum sit ne iniurioſa nihil possidentibus, 546.n.7.& 8
Diuitiæ sunt in potestate hominis, 540.n.2.&c.
Ditior ex bonis alienis fieri iuste nemo potest, 569.n.2
Doctrinæ Christianæ integritas ac sanctitas vnde potissimũm eluceſcat, & quale fidei nostræ argumentum, 526.n.4. Constantia eiusdem. n.5. Miracula, n.8
Dolor sensibilis quo sensu fuerit in Christo, 821.n.1
Dolus malus, siue apertus, siue præsumptus, quid sit, 571.n.6
Domini & serui ad inuicem sitne stricta iustitia, 513.n.7.& 8.514.n.3. & 4
Dominorum ius in seruos ad quæ se extendat, 543.n.3
Dominici vox quo modo intelligenda, 822. n.7. 823.n.1.2.3
Dominium Dei in res omnes quale, 519.n.2.& 3
Dominium in genere duplex, & quodnam inter vtrumque discrimen, 527.n.2.&.3.532.n.6
Dominiũ humile seu vulgare multipliciter subdiuiditur, 532. n.7. in naturale & positiuum, ib. in commune & particulare, n. 8. in plenum seu perfectũ & absolutum, & in non plenũ, 533.n.1
Dominium quid essentialiter dicat, 535.n.2
Dominiũ plenum à directo differt tãtùm essentialiter, 535.n.2. Est aggregatum per accidens, *ibid.* Dominij pleni definitio, scilicet, *Est ius perfectè disponendi de re corporali*, quomodo recipiatur à Theologis, 533.n.6.&c. Sitne hæc definitio essentialis, 534.n.3.&c.
an Dominiũ habeat locum in existentibus extra statum gratiæ & charitatis, 538.n.2. &c.
Dominiũ commune ante rerũ diuisionem, quale, 545.n.4.& 5. fuit de iure naturali, ibid.& n.6
Dominium acquirendi modus multiplex, 548. 549.&c.
Dominij subiectum: an creaturæ tam rationales quàm rationis expertes sint capaces illius, 537.n.5.&c. 538.539
Dominij obiectum, seu quæ res in dominium cadere possint, 540
Dominia proprietatis an licita, 541.n.4.&c.
Donum collatum ex pura beneuolentia, gratia vocatur, 2.1
Doni ratio in quo consistat, 108.n.6
Donum Dei maius, quod, 108. n. 8
Dona in iustificatione homini cum remissione peccatorum simul infusa, quæ sint, 167.n.5
an Dona Spiritus sancti in cœlo manserint in beatis, 772.n.4.773. n.1
Donorum Dei æqualitas vel inequalitas vnde metienda, 110. n. 1.& seq.
Donorum intellectus & scientiæ officiũ, 365.n.2
Donatio patris & domini erga filium & seruum dupliciter intelligi potest, 520.n.5.6.&c.
an per Donationem rei alicuius de præsenti factam transferatur huius ipsius rei dominium à donante in donatarium, 561.n.4
an Donationes per legem positiuam humanam irritæ, quæ stando in solo iure naturali, secluſaque illa humana lege validæ essent, obligarénteque in conscientia, sint in externo tantum foro irritæ, an etiam in interno conscientiæ, 552.n.1. 2. & seqq.
Dormientes sintne restitutioni damnorum obnoxij, 574.n.4.576.n.5
Dubitatio duobus modis in intellectu esse potest. 497.n.2
Dubitationem habere quid sit, 497.n.1
Dubitationis & formidinis exclusio an formaliter fiat per certitudinẽ, 299.n.8. 300.n.1.&c.
Dubiorũ nomine quę res intelligantur, 495.n.4
an Dubia proximorum bona factaque meliorem in partem interpretari debeamus, 495.n.7.& 8. 496. n.1. &c.
in Dubiis tutior pars est eligenda: quando verum hoc axioma, 497.n.3.498. n.3
Dulia, vide Adoratio.

E

EBRII damnum inferentes an ad aliquam restitutionem obligentur, 574.n.4.576.n.5
Ecclesia duobus modis accipi potest. 771.n.6
Ecclesiæ catholicæ authoritas ad credendum quomodo moueat, 322.n.3.&c.
num Ecclesia nouis indigeat reuelationibus? 262. n.2. Cur dicitur fidei regula, 262.n.5
Ecclesiæ authoritas est regula res credendas infallibiliter proponens, 330.n.6.331.n.6. quomodo in illam resoluatur fidei assensus, *ibid.*& seqq.
Effectuè non idem esse ac physicè ostenditur, 176.n.2.3. & 4.
Effectus creatus nullus est cuius non detur aliqua causa connaturalis, 315.n.8
Effectus perfectio est à causa. 681.n.4
an Electionem hominum à Deo electorum siue

gratiam, siue ad gloriam, ita meruerit Christus, vt eam meruerit non tantùm quatenus efficax dilectio est, sed etiam quatenus electio, 858.n.6.859.860
Eleemosyna & oratio quomodo sanctificent, 191. n. 3
in Eleemosynæ opere quid requirat Christus, 442.n.6.7
Eleemosynarum vis ad peccata redimenda, 7. n.3. & 6
an Elias & Enoch bonis operibus quæ continuè nunc exercent mereantur augmentum gratiæ & gloriæ, 218.n.7.& 8.219.n.2.& 3
Elipandi Archiepiscopi Toletani de Christi seruitute error, 862.n.8.863
Alter eiusdē error de adoptione Christi, 881.n.5
Emphyteuta quis dicatur, 533.n.2
Emphyteusis quid sit, ibid.n.6
Enoch Deo per fidem placuit, 341.n.3
Ens creatum quod dicatur, 720.n.5
Ens physicum cum morali, naturale cum supernaturali pugnat aliquando formaliter, 135.n.8
Epiikia quæ virtus, 476.n.1. & sitne distincta à iustitia legali, ibidem. Sitne melior iustitiâ legali, 477.n.2
Esse priùs accipitur quàm operari, 49.n.1.2.& 3. 50. n. 1. & 2
Esse duplex in Christo, 831. n.8.832.n.1.834. n.3.& 5
Eucharistiæ sacramentum cur sumatur sub specie cibi nutrientis, 145. n.6. quo sensu vim habeat remittendi peccata, n.7.& 8
Eutychetis error, post vnionem diuinitatis cum humanitate admittentis solum vnicam in Christo naturam nempe diuinam admittentis, refellitur, 710.711
Euthychianorum hæresis naturam vnam, vnámque voluntatem in Christo admittentium, 835. num.2
Exaltatione nominis Christi quæ comprehendantur, & an tam hæc quàm illam ipse Christus sibi meruerit, 850.n.5.6.& 7
Excellentia vniuersim duplex, sicut & adoratio, 886. n.7 896.n.7
Exceptio iuxta iuris ciuilis Doctores quid sit, 561. n.7
Excitationis nomine gratia operans intelligitur, 52. n.5. 55.n.2
Existentia duplex in Christo, 831.n.4
Experientia eorum quæ oculis apparent potior videtur quàm ratio causæ, 298.n.7
Ezechiæ regi mors instans ab Isaia nuntiata, cur non aduenerit, 275. n. 1.& 2

F

FALLACIA in quo sit posita, 572.n.6
Fallere & falsum dicere, idem, 276.n.4
Falsum duplex duplici vero oppositum, 557.n.5
ad Falsum credēdum possitne quis vti habitu fidei diuinæ, 278.n.1
an Falsum Deus per se vel per alium de lege ordinaria vel de potentia absoluta dicere possit, 271.n.2.& seqq.272.273
Fama nostra bona duplex vniuersim est: & an vtriusque Domini sumus, 540.n.2.&c. an possit negligi, n.4.541.n. 1
an Famam restituere obligetur quisquis vel se, vel alium infamauit, 601.n.1. & seqq.
Fama quomodo & apud quos restituenda, 602. n.7.&c.
an Famam sufficienter restituat qui quempiam certa in materia diffamauit conciliando ei bonam famam in altera, 603.n.8
an Fama iniustè ablata debeat cum quocunque diffamatoris incommodo restitui, 607.n.4.&c.
an Fama bona per iniustam diffamationē ablata possit esse aliquando tanta vt iniustus diffamator ad eam cum certo vitæ periculo restituendam obligetur, 611. n.1
si Fama iniustè ablata restitui non potest, quæ compensatio facienda, 606 n.2. &c.
Famę restituendę obligatio quibus in casibus non habeat locum, 611 n.3 &c.
Familiæ cōmunitas seu domestica multitudo tres tantùm cōbinationes comprehendit, 473 n.8.
An sit distinguenda à iustitia legali, 474. n.3
num Fauor aliquis Dei extrinsecus superaddi debeat gratiæ iustificanti ad delenda peccata mortalia, 122.n.7. 123.124.& seqq.129.n.2
an Feræ sint in alicuius dominio, 550.n.5
Fidelibus omnibus insitne spei virtus, 396.n.5
Fidelitas, quâ ad seruanda Deo promissa obligamur, dupliciter spectari potest, 561.n.2
Fidelitas quæ virtus, & vbi habeat locum, 555. n.1.&c.
an Fidelitas sit specialis virtus à cæteris omnibus cōmuniter receptis distincta, 556.n.8.557.558.559
Fides sine spe & charitate non operatur, 46.n.3
Fides sine spe & charitate non vnit perfectè cum Christo, 167.n.3.& 4. per charitatem operatur, 168.n.1
an Fides rectè dicatur humanæ salutis initiū, fundamentum, & radix omnis iustificationis, 236. n.5.237.n.3
Fides per vestibulum intellecta, iuxta illa verba: *Et vestibulum ante eam*, 238.n.2.3.& 4
cur Fides prima ex virtutibus sit à Deo accipienda, 242.n. 1. & 2
cur ab ea vitam nostram incipere dicat Fulgentius, n.4.&c.
Fides in sublimibus dogmatibus potior est ratiocinationum comprehensione, 298.n.7.8
Fides nostra cur catholica & vniuersalis appelletur, 261. n. 6.7. quomodo dicatur fundata in prophetis & Apostolis, ibid. & n.8
Fides explicita, vel implicita Trinitatis vel Incarnationis sit ne ad salutem necessaria, 342.n.2. &c.343 n.1. &c.
Fides & prudentia in duobus distinguuntur, 339. n.5.& 6
Fides sine operibus quo sensu iustificare dicatur, 9.n.6
Fides nititur reuelatione Dei facta Prophetis, Apostolis, primis Ecclesiæ fūdatoribus: nec fidelibus ad credenda Christianæ fidei mysteria est necessaria alia reuelatio qua de iisdem à Deo priuatim edoceantur, 259.n.5.& seqq.260. n.1.& seqq.
Fides ex auditu, auditus autem, &c. sensus huius loci, 259.n.6
Fides duobus modis adhiberi potest Catholicorum consensioni, 322.n.3.& 5
Fides ex naturæ nostræ viribus non est, sed ex dono diuinæ naturæ. Locus D. Aug. ea de re difficilis & sonans prædeterminationem physicam explicatur, 93.n.6.7.& 8

an Fides antiquorum patrum non inclinare potuerit' ad fallum, 280.n.7.& 8.
Fides Christi qualis, 773.n.8
Fides ex Prospero quo sensu initium meriti, 241. n.6.& 7
Fides ex S. Basilio quid sit, 250.n.2
Fidei ab Apostolo tradita definitio, scilicet, *substantia rerum sperandarum*, &c. quomodo accipienda, 286.n.1.&c.
Fidei ex parte voluntatis duo distinguendi actus, 316.n.5
Fides quo sensu dicatur radix & fundamentum iustificationis, 317.n.4
Fides prœuenitur à gratia, 60.num.2.106.num.4. & 6
an sine Fide homo possit bonum aliquod opus præstare, 7.n.2.& 8
Fidei acceptiones variæ, 249.250
Fidei nomen pro conscientia, 8.n.2.& 3. 497. num.3
Fidei virtus duos habitus complectitur, 345. num.5
Fidei nostræ veritates qua fide sint euidenter credibiles, 328.n.2.&c.
Fidei nostræ res quibus argumentis seu motiuis fiant euidenter credibiles, 325.n.7.& 8. 326. 327
Fidei & charitatis actum non esse supernaturalem quoad substantiam, sed quoadmodum, quo sensu dicat S. Thomas, 292.n.7
Fidei forma, Theologicæ charitatis habitus, 319. num.1
Fidei meritum quam vim habeat, 224.n.3
Fidei initium ex nobis non est, 224. num. 4. & 5
Fidei & operis iuxta Isidorum discrimen, 243. num.4
Fidei quodlibet obiectum materiale æquè ad fidem pertiner, seu æquè per fidem diuinam credi potest, 266.n.2
Fidei formale motiuum est reuelantis authoritas, 259.n.8
Fidei assensus ex præueniente gratia Dei, 260. num.3
Fidei obiectum formale quod sit, 253.n.3.254. n.1. 256.n.3.261.n.7.262.n.1
ad Fidei materiale & formale possitne vna eadémque res pertinere, 267.n.15.& seqq.
Fidei obiectum formale quodnam sit, 250.n.7. & 8.251.252
Fidei obiectum materiale quodnam sit, 265. n.6.7.& 8.266.n.1.2.&c.
Fidei humanæ & diuinæ assensus non eodem modo specificantur ab obiectis, 287.num.8.288. num 8
Fidei internus actus quo motiuo nitatur, 288.n.3 Quo sensu dicatur diuidi in tria illa membra, credere Deum, credere Deo, & credere in Deum, 288,n.1.2.289.n.3.4.& seqq.
an Fidei diuinæ actus internus sit certior quolibet assensu naturali euidenti, 298.n.1.& seqq.
Fidei diuinæ internus actus quid sit, 281. num. 5, 6.7. Sitne assensus enuntiatiuus pertinens ad secundam mentis operationem, an verò formaliter & essentialiter discursus, sine assensus illatus pertinens ad tertiam, 281.num.1.& seqq.
Fidei diuinæ actus elici ab intellectu creato non potest nisi per potentiam eius obedientialem 292.n.4
an soli Fdei diuinæ actui insit in primum vlteriotis gratiæ à Deo consequendæ meritum congruum, 233.n.2
an Fidei diuinæ actus internus sit cuiuis & quouis tempore ad salutem necessarius, 339. n.8. 340.& 341
Fidei diuinæ actus internus ita est moraliter bonus vt nunquam moraliter possit esse malus, 335.n.23.&c. 336.337
an Fidei diuinæ aliquis internus actus in substantia naturalis dari queat, 293.n.5.&c.
Fidei actus tam internus quàm externus duplicem habet perfectionem, 346.n.1. &c.
Fidei externa negatio quid sit, 347.n.5
Fidem exterius confitendi volitio sitne proprius virtutis fidei actus, 347. n. 7. ad quem habitum pertineat. 348.n.1.& 2
Fidei actum esse in substantia supernaturalem, sit ne de fide, 245.n.2
Fidei externa confessio duplex, duplex item negatio, 348.n.5
Fidei externa confessio non est ad salutem necessaria necessitate medij, 349. n.6.& 7
de Fidei externa confessione facienda ex præcepto affirmatiuo, duo tempora, 350.n.8
Fidei negationi duplex specie malitia inest. 350.n.6
Fidei veræ negatio, falsæque professio, nullo in casu ferio solis aut verbis aut factis externis licita est, 377.n.6
an Fidei externa omnis & quælibet negatio sit peccatum infidelitatis eiusdem speciei, 379. n.7.& 8
an Fidei diuinæ interni actus sint eiusdem infimæ speciei, 287.n.6.&c.
an Fidei diuinæ actus externus, seu externa fidei confessio sit actus à virtute fidei elicitus, 345. n.5.&c.
an internus Fidei diuinæ actus sit in substantia seu entitate supernaturalis, 290.n.1.&c.
Fidei diuinæ assensus sitne scientifico assensu certior. 303. num. 1. An certitudine superet quemuis assensum euidentem supernaturalem, sicut & quemuis naturalem. *ibid.* n.2
an Fidei diuinæ internus actus cum cognitione euidente de eadem re simul in eodem esse possit, 301.n. 4. 5. &c.
ad internum Fidei diuinæ actum prærequiritur expressus voluntatis actus. 312. n. 7. Quis & qualis debeat esse ille actus, 314. num. 45
Fidei assensus ex se liber est, 319.n.2
ad Fidei assensum quo ad speciem per quem voluntatis actum determinetur intellectus, 319 n.3.4. &c.
ad dandum Fidei diuinæ assensum rei alicui non est necessarium priùs ipsi assensum dari fide humana, 321.n. 6
ante assensum Fidei diuinæ datum alicui rei potest præcedere duplex assensus fidei humanæ, 322.n.1.& 2
ad prudentem Fidei diuinæ assensum necessariò prærequiritur euidentia credibilitatis, 323. n.2. &c. Hæc euidentia de obiecto matrimoniali fidei haberi potest sine obiecto formali, 324.n.1.& 2. Non sufficit ad quidpiam diuinâ fide credendum, sed prærequiritur necessa-

riò præuia cognitio de obiecto formali fidei, 324.n.2.& 3. Requiritur item præuium iudicium intellectus, n.6.&c.325.n.1.& seq.
Fidei diuinæ internus assensus resoluitur vltimò in diuinam authoritatem reuelantem tanquam in formalẽ assentiendi rationem,330.n.2 Nihil est necesse spectata nostri assensus fidei natura eum resoluere in authoritatem Ecclesiæ tanquam in regulam res à Deo reuelatas à non reuelatis discernentẽ & proponẽtem, 330.n.6
Fidei diuinæ assẽsus,qui à Christianis datur, definitis ab Ecclesia quæstionibus,& ad credẽdum propositis, ante hanc eius definitionem controuersis resoluendus ordinariè & communiter est vltimò in Ecclesiæ authoritatem, 332. n.1. Necessariò resoluitur in conditionem tanquam in præuium de facta per Deum reuelatione rei creditæ iudicium, & in alia omnia quæ hoc iudicium præuia requirit: vltimò tanquam in conditionem resoluitur in motiua per quæ generatur euidens iudicium credibilitatis, 332.n.8
an Fidei habitus sit virtus intellectualis, 351. n.4. Sitne virtus Theologica, 352.n.4.353.n.1 Quâ ratione sit virtus moralis, 352.n.7. & 8.353.n.1
Fidem per solum habitum charitatis habere quòd sit virtus moralis, quo sensu dicat S. Thomas, 353.n.2. & seq. Illique conuenire ordinem ad bonum honestum per charitatem, n.6.
Fides infusa non est vna vel numero vel specie, physicè loquendo: est tamen moraliter, 353.n.8
Fidei habitus est obscurus, 354.n.2. Non est discursiuus, n.3. Certior est habitu sapientiæ, scientiæque aliisque similibus habitibus, *ibid.* Est formaliter & speculatiuus & practicus simul, n.4
Fidei forma est charitas, 354.n.5
an Fides possit esse informis, id est, sine gratia & charitate, 354.n.7
an Fides informis possit fieri formata, ac vice versâ, 354.n.8
Fides fuit in Angelis viatoribus, 355. n.4. Fuit in homine in statu innocentiæ, n.6. Non est in beatis, 356.n.3.&c. An sit in damnatis & in animabus Purgatorio detentis, 357.n.3.&c. 358.n.5
Fides in eo non est qui discredit vnum fidei nostræ articulum, credit autem cæteros, 358. n.8.359. per tot.
Fides in vno sitne maior quàm in alio, 360.n.3. 4.&5
Fidei habitus quomodo deinat, 35.7n.7
an Fidei habitus siue is qui in intellectu est, siue ille qui in voluntate est, à solo Deo in nobis extra sacramentum efficiatur, 360.n.7. Andum nobis à Deo infunditur, simul etiam aliquæ species infundantur, *ibid.*n.8
Fides ex se suáque natura non est temporis aut naturæ suæ causalitatis ordine prima omnium virtutum, 361.n.4. Nec est prima virtutum moralium infusarum, siue Theologicarum, siue aliarum, 361.n.5.&8
si Fidei diuinæ actus connaturaliter produceretur, habitus fidei nunc in hoc statu secundùm legem Dei ordinariam semper ordine causalitatis antecederet cæteras virtutes morales infusas, siue Theologicas, siue alias, 362.n.1.&c.
an Fidei habitus infundatur eodem tempore vel instanti temporis quo primus fidei actus ab adulto nondum baptizato exercetur, & proinde aut habitus charitatis aut etiam spei infusionem, 362.n.6.7.& 8.363.364
Fidei effectus duo, timor Dei, & cordis purificatio, 364.n.8.365.n.1
ad Fidei virtutem quot & quæ præcepta pertineant, 365.366.367
Fidem infundi quo sensu dicant Concilia & Patres, 290.n.2.3.&6
Fidem per quam fiunt dicta, includi in veritate quantum ad obseruantiam promissorum, quo sensu dicat sanctus Doctor, 559. n.1.&2. Quo item sensu definiuerit Tullius illam esse pactorum dictorúmque constantiam & veritatem, *ibid.* n.4.&5
per Fidem & dilectionem sine gratia Spiritus S. nemo ad Deum conuertitur, 5.n.6
ad Fidem aliqua magis pertinere quàm alia nonnulla per se, quædam per accidens quo sensu dicat S. Thomas, 266.n.6.7.8
an Fidem præcedant vlla bonarum operum merita, 236.n.1.237.238.239
Fidem esse per se primam omnium virtutem, per accidens autem posse virtutem aliquam esse fide priorem, quâ ratione dixerit S. Thomas, 243.n.5.6.&7
per Fidem item primum mentis motum esse in Deum, quo sensu dixerit sanctus idem Doctor, 244.n.1.&2
Fidem esse primam inter omnes virtutes infusas, tam Theologicas quàm morales, qua ratione intelligat S. Doctor, 318.n.6.&7
Fidem esse rerum non apparentium, seu quæ non cognoscuntur euidenter, quomodo dicant & Scriptura & Patres, 304.n.3.4
an de Fide nihil sit, nisi quod reuelatum est, 270. n.8
Fide dignum quid habeatur, 328.n.1. & seq.
Fide diuina illud omne credi potest & reipsâ est, quod Ecclesia declarare potest esse de fide, 270.n.5
Fiducia sitne idem quod fides, 249.n.2.&c. 250.n.1.&c.
Filiatio diuina adoptiua per quid conferatur, 149.n.8.150
Filiatio triplex in Christo, 883.n.5.884.n.1
Filiationis naturalis & adoptiuæ natura & discrimen, 151.n.4.5.& seq.152.153
Filius Dei, filius hominis: an quæcunque conueniunt illi, conueniant huic, & vice versâ, 823.n.3.& 4
Filius non constituitur formaliter per voluntatem ei dandi hæreditatem, 186.n.8
Filij & filiæ nomen proprium est suppositi, non naturæ, 881.n.3
Filij in patrem peccata, & huius illum occidentis, sintne contra iustitiam ac pietatem, 514.n.8.515.n.1.&c.
an Filij familias nondum emancipati sint capaces dominij aliquarum rerum, 538.n.6.&7
Finis, obiectum formale,& motiuum pro eodem vsurpantur, 388.n.4.389.n.1
Finem inter & media sitne necessaria proportio, 291.n.4.&5

Finiti ad infinitum nulla proportio, multóque minùs æqualitas, 650.n.2
Fomitis nomine quid intelligendum, 818.5
Formam vnam ab altera distinguendi ratio, 45.n.1
Formæ duæ possunt esse in eodem subiecto, 302. n.5
Formæ dantis esse naturale, & formæ dantis esse supernaturale, quàm dispar ratio, 49.n.7.& 8
Formæ se mutuo expellentes & non expellentes, 135.n 1.2.& seq.136.n.2.149.n.5
Formidinem habere quid sit, 497.n.1. Vbi habeat locum, 498.n.6.& 7
Fortitudinis donum quoad actum etiam nunc Christo inest, 773.n.1.& 3
Fortunæ bona quâ ratione restituenda, 612.613. &c.
S. Franciscus quâ consideratione humilitatem retinuerit, 112. n.6
S. Francisci Ordo, rerum externarum dominium abiecit, solúmque vsum facti & ad factum ab alterius voluntate dependentem habet, 537. n. 1.
Fraus quando sit, 572.n.6
Fructus qui ex re aliena quoquo modo percipiuntur, quotuplices sint, & qui restituendi, 570.n.2.& seq.
an Fur obligetur ad restituendum, si res furtiua quæ apud ipsum periit, erat certò apud dominum vel casu vel iusta alterius actione nullam agenti afferente restituendi obligationem, peritura, 620.n.6.&c.
an Fur teneatur rem restituere iuxta summum pretium, quod tempore iniustæ detentionis habuit, 621. n. 5. &c. An obligetur ad restitutionem fructuum quos ex re furtiua, eiusve vsu percepit, 623.n.1.&c.
Furis hæredes ad quid teneantur, 596.n.1
Furtum aut surreptio num aliquando licita, 604.n.7
Furti peccatum duplicem includit malitiam, 521.n.7.& 8
Futurum quod tale à Deo præuidetur, non potest non euenire, 93.n.2
de Futurorum per intellectum cognitione prophetica non est idem iudicium quo de externa eorundem prædictione, 338.n.6

G

GENERATIO Christi duplex, 883.n.5
Gentilis & Paganus concurrunt formaliter in eandem infidelitatis speciem. 372.n.1.& 2
an Gentes cognitione mysteriorum fidei carentes habeant auxilia sufficientia ad salutem consequendam, 68.n.6
Gentes legem non habentes quomodo dicantur, naturaliter ea quæ legis sunt facere, 24. n. 2. & 3. 27.n.5.6.33.n.1.& 2.344.n.6.& 7
An sint aliquæ quibus salus sit impossibilis, n. 8
Genus humanum à Deo reparari ex hypothesi lapsus eius, fuerit ne simpliciter & absolutè necessarium, 645.n.5. & 646. An ex hypothesi quod voluerit Deus illud reparare, necessarium fuerit, vt per vnionis hypostaticæ mysterium repararet, 647.n.2.&c.
Gloria prima: quid illius nomine intelligatur, & an cadat in condignum hominis meritum, 225.n.7.226.227. An distinguatur à vita æterna. 228.n.1.2.&c.
Gloria corporis, quam sibi Christus passione suâ promeruit, quid comprehendatur, 840. n. 4.&c.850.n.1.&c.
Gloriæ augmentum possitne aliquis in statu gratiæ existens mereri absque noua gratia, 34. n. 8
Gloriæ meritum non ex operibus & rebus externis esse ponderandum, sed ex interno affectu, quo sensu asserant sancti Patres, 440.n.5.&c.
Gloriatio in his quæ ad salutem pertinent quomodo intelligenda, 114.n.5.115.n.2
Gratia, humanorum actuum principium intrinsecum, 1. tripliciter accipitur, 2.n.1
Gratiæ nobis ob merita Christi concessæ, quot & quæ membra, 2.n.3
an Gratia sit necessaria ad cognitionem cuiuscunque veritatis, 2.n.7.& 8
an Gratia sit homini necessaria ad salutem, vtque per fidem & dilectionē conuertatur ad Deum, 5.n.1.2. & seq. Possitne sine illa boni aliquid fieri, 7.& 8.per tot.
an Gratia aliqua tribuatur ex præuiis meritis, 5.n.3.& seq.
an Gratia detur, necne, non est diiudicandum præcisè ex rei difficultate vel facilitate, 30.n.8
Gratia increata, seu æterna & creata, seu temporalis, quid sint, 51.n.1. Quid externa & interna, n.2. Internæ diuisio in habitualem & actualem: & quid hæc sint, n.3
Gratia Dei per Christum quàm nobis necessaria, 857.n.5
Gratia Dei est necessaria ad credendum, prout oportet ad salutem, 293.n.5
Gratia Dei in omni iustificatione principaliter præeminet, 63.n.6
Gratiæ nomen qua ratione possit Deo tribui, 55. n.4.& 5
Gratia omnis quæ datur hominibus à peccato primi parentis in Christi merito fundatur, 234.n.1.& 2
Gratia cum peccato mortali ne per absolutam quidem Dei potentiam consistere potest, 132.n.4
an Gratia & peccatum sint propriè opposita, 134.n.7.8.135.136.143.n.7
Gratia ad actus virtutis & acquisitæ & infusæ admittenda est, 31.n.6
an Gratia eo minùs actiua sit, quo maiora sunt agendi impedimenta ei cui datur, 116.n.6
Gratia, dum semen gloriæ dicitur, cur semini comparetur, 669.n.4
Gratiæ plenitudo in Christo, in B. Virgine, in S. Stephano, quomodo intelligenda, 771.
Gratiæ magnitudo vnde spectetur, 108. n.7
Gratiæ superadditæ nomine quid intelligat sanctus Doctor, 18.n.1
Gratia & charitas non sunt duo habitus, 48.n.5
Gratia non potest esse physica sanctitas & iustitia quin sit etiam moralis, 131.n.2. & 3
si Gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia: sensus huius loci, 214.n.2.& 3
Gratia sitne necessaria ad seruanda omnia naturalis legis præcepta, & ad vincendam contra legem hanc tentationem. *lege* sect. v. p. 9.10. item sect. vj. p. 11. 12. & sect. vij. p.15.16.
Gratia ad credendum, sperandum, &c. data, sitne

diuersa à dono creationis & conseruationis, 5.n.1.& 8. An etiam distincta sit à dono externæ doctrinæ legis & Euangelicæ prædicationis, 5.n.1.6.n.5
Gratiæ primæ nomine quid intelligendum, & an homo mereri sibi eam possit, 223.224. & 225.
Gratiæ vox vsurpata à Patribus pro interiori actualique auxilio, 17.n.4.5
Gratiæ causa, 118.n.1.& seq.
an Gratiæ nomine intelligi possit libera Dei volitio, 725.n.7.& 8 726.n.1
Gratiæ necessitas ad benè agendum vnde probetur, 17.18.19.20.21.& seq.
Gratiæ necessitas non præiudiciat libero arbitrio, 88.n.5
Gratiæ congruitas quomodo accipienda, 115. n.7.& 8.116.n.2
an Gratiæ certitudo aliqua ratione sciri possit, *lege* sect. ij. 118.119.& seq.
Gratiæ & charitatis distinctio, 149. n.1. Nulla secundùm aliquos, 152.n.4.5
Gratiæ infusio primum habet in iustificatione locum, 207.n.5. Plura de illa, 209. per tot.
à Gratia ad statum puræ naturæ quo in casu immediatè transiri possit, 144.n.2
Gratia capitis quale donum, & quomodo fuerit in Christo, 775.n.4.776.777
Gratia efficax: primæ de eius natura sententiæ declaratio, 70.n.3.& seq. Refellitur hæc sententia, 71.72.73
an Gratia efficax opponatur gratiæ sufficienti, 61.n.1
an Gratia efficax rectè per congruam describi possit, 102.n.2.3.& 4
an Gratiæ efficaci resistere possimus, 71.72. & seq.
Gratiæ efficacis motio sitne in hominis potestate, 78.n.7. Non est in nobis ad illam dispositio positiua, aut negatiua, n.8.79.n.1.& seq.
Gratiæ efficacitas non consistit in congruitate prout subest scientiæ Dei cognoscentis, si detur hoc vel illo tempore cum his aut illis circunstantiis, hominis sic vel sic disposito, eam reipsa effectum habituram, 102.n.5.6. & seq. 103.n.1.& seq.
Gratia efficax in ratione efficacis non constituitur formaliter per consensum liberum quem simul cum voluntate efficit, ita vt hic consensus, qui est illi gratiæ extrinsecus sit forma à qua per extrinsecam denominationem illa efficax denominatur, 104.n.2.& seq.
Gratia efficax in ratione efficacis constituitur formaliter per ipsammet gratiæ entitatem, prout est id à quo tanquam à causa nostræ voluntatis libera operatio egreditur in aliqua differentia temporis, 104. n.7. 108. n. 4. 105. n.12. &c. Solutio argumentorum huic assertioni oppositorum, 105.106.107
Gratiæ inefficacitatis causa cur humana voluntas dicatur, 107.n.5
Gratiæ efficacis ab inefficaci discrimen duplex, 104.n.8.108.n.5.6.& seq.
Gratiæ efficacis & inefficacis donatio cui adscribenda, 109.n.1
Gratiæ dona tripliciter considerari possunt, 109.n.8
Gratia trahens & efficax, an eadem, 75. n.1
Gratia excitans qui actus, 74.n.4
Gratiæ efficacitas non consistit in aliqua ipsi intrinseca vi voluntatem ad consentum attrahendi infallibiliter, 100. n.1. & 2
Gratiæ efficacitas non posita est in aliqua intrinseca prædeterminandi moraliter voluntatem ad consensum, 100.n.4.& seq.
Gratiæ efficacitas non est posita in contemperatione quadam & congruitate cum ingenio, affectionibus & dispositionibus hominis qui consentit, 101.n.4.5.6.7.& 8
Gratiæ efficaci, vt efficax est, resisti non potest, 101. n.6
Gratia gratum faciens, siue qua formaliter iusti, gratique Deo sumus, est aliquid nobis intrinsecum & inhærens, 42.n.6.& 7. Non solùm est quid intrinsecum & nobis inhærens, sed etiam permanens, 43.n.8. Sitne aliquis habitus, 44.n.1
an Gratia gratum faciens distinguatur ex natura rei à virtute Theologicæ charitatis, 44. n. 8. & 45. per totum. Immediatum illius subiectum, 47.n.8
Gratia gratum faciens quo sensu possit numerari inter gratias cooperantes, 55.n.7
Gratia gratum faciens multo præstantior gratis datis, 51.n.6
Gratiæ gratis datæ quot & quæ sint, & quomodo fuerint in Christo. 773.n.6.774.775
Gratiæ gratis datæ nomine quid intelligatur, 51. num.4
Gratiæ gratis datæ sunt actus; natura earum ac numerus, n.5
Gratia cooperans quo sensu possit dici Deus, 55. n.3. An supernaturalis habitus rationem illius habeat, 55.n.6.& 7. Non est qualitas quæ nec sit habitus, nec noster actus media inter gratiam operantem & consensum nostrum liberum, 56.n.1.2. &c. Influxus supernaturalis est quo Deus physicè nobiscum concurrit ad consensum nostrum liberum, 57.n.6. Possitne dici consensus noster vt est terminus actionis, siue nostræ, siue diuinæ, 56.n.7.& 8
Gratia habitualis quomodo sit in nostra potestate, 78.n.7
Gratia habitualis primum merendi principium, 203. n.1
cur Gratia habitualis non constituat Christum vt hominem filium Dei adoptiuum, 153.n.7
an Gratia habitualis sanctificans requiratur ad seruandam naturæ legem, 32.n.6.7.8
an Gratia habitualis cadat in condignum contritionis aut alterius actus ex auxilio gratiæ eliciti meritum, 206.207.& seq.
Gratia habitualis, licet sit inanimata qualitas, est tamen essentialiter vita animæ, 153.n.3.& 4
Gratiæ habitualis inæqualitas vnde procedat, 118.n.6
an ad Gratiam habitualem requiratur ex parte hominis aliqua præparatio, 118.n.3
an Gratia iustificans per se suáque natura formaliter deleat peccata mortalia absque vllo alio extrinseco fauore ei superaddito, 122.n.7. 123.124.& seq.
Gratia iustificans eadem vi sua physica, qua sine vllo extrinseco Dei fauore delet peccati malitiam & maculam formaliter, delet pariter formalem inobedientiæ, iniuriæ & offensæ ra-

tionem quæ est in peccato, 131.n.6
Gratiæ subsequentis nomine quid intelligendum, 58.n.1
Gratia subsequens nihil in re differt ab operante, vel cooperante, 58.n.2. Rectè tamen ab operante seu præueniente à Theologis distinguitur, 58.n.4.5. In quo item distinguatur ab operante, seu præueniente, & à cooperante, seu adiuuante & comitante, 58.n.6.7.& 8
an Gratia omnis, operans scilicet, cooperans, subsequens, aut saltem aliqua sit in entitate supernaturalis, 59.n.3.4.& seq.
Gratiæ operantis definitio & explicatio, 52.n.3 & seq.
Gratiæ operantis appellationes variæ, 52.n.5
Gratia operans & gratia cooperans quomodo dignoscantur, 54.n.8
Gratia operans habet aliquando veram rationem gratiæ cooperantis, 56.n.8.57.n.1.& seq.
Gratiæ operantis in consensum nostrum influxus moralis est non physicus, 57.n.4.& 5
Gratiæ operantis siue præuenientis diuisio in sufficientem & efficacem sitne adæquata, 62. n.7.& 8
Gratiæ operantis & cooperantis effectus, 207. n.7
Gratia præueniens & operans eadem, 58.n.4
Gratia præuenit fidem, 60.n.2. Hanc tribuit voluntati, 106.n.4
Gratia sanctificans data primis nostris parentibus in statu innocentiæ, non fuit data ex Christi meritis, 698.n.5.& 6
an Gratiâ sanctificante præditus possit esse hæres vitæ æternæ absque extrinseca Dei ordinatione illi gratiæ superaddita, 153.n.1.& 2
an Gratiam sanctificantem sibi Christus meruerit, 851.n.3
Gratia non sufficiens ad operandum, quæ sit, 78. n.2
Gratiæ sufficientis & duplex acceptio, & duplex definitio, 60 n.6.7.& 8.61.&62.per tot.
an Gratia sufficiens ad consequendam salutem detur omnibus, & semper à Deo, 63. n.1. & seq.64.n.3.68.n.60.69.70
Gratia sufficiens quæ dicatur, 100.n.8. Eam omnes homines habent, 101.n.1
Gratiæ donorum æqualitas duplex esse potest, 110.n.1
an ex duobus Gratiæ æquali præueniente donatis contingat aliquando, aut contingere possit vnum consentire, alterum non consentiente, & proinde vnam efficacem esse, alteram inefficacem, 109.110.111.& seq.
Gratiarum actio non minùs efficax testificatio est gratiæ acceptæ, quàm oratio recipiendæ, 21.n.6
Gratiarum actio per Christum Deum pro beneficiis acceptis habita, fueritne condigna, 680.n.4
de Gratia ministerio rerum externarum immissa, 32.n.1.2.& seq.
Gratitudo quæ virtus, 212.n.1.4.& 5
Gregorij Ariminensis opinio de dilectione, seu charitate ac fide, ad faciendum bonum aliquem actum falsitatis conuincitur, 7.n.1. 2.6.& 7

H

HABITVS quid sit, & an forma omnis quâ formaliter iusti & Deo grati sumus, habitus sit, 44.n.3.4.& seq.
Habitus quiuis quid det facultati cui inhæret, 88. n.2
Habitus obiectum formale quod dicatur, 461. n.1.&c.
Habitus & actus dignitas an habeat aliquod discrimen, 128.n.7
Habitus & actus quâ ratione dicantur specificari ab obiectis, 288.n.1.291.n.8.294.n.3.& seq.
an Habitus in ea sola potentia sit admittendus in qua consummatur actus, 317.n.6.& 7
Habitus in voluntate respondens volitioni credendi, an admittendus sit, & quisnam ille sit, 315.n.5. & seq. Argumentorum contra eum actum solutio, 317.n.4.318
Habitus vnus & idem naturalis ad diuersos secundùm speciem actus inclinare potest & concurrere, 512.n.3
Habitus omnis supernaturalis à Deo infunditur, 408.n.7
Habitus supernaturalis habeátne locum in gratiis cooperantibus, 55.n.6.7.& 8
Habitus supernaturalis finitæ intensionis non nisi certæ determinatæque intensionis actum producere potest, 418.n.3
Habitus supernaturales potentiæ cui insunt non tribuunt facilitatem operandi, sicut naturalis, 427.n.3
an Habitus siue naturales, siue supernaturales pleno à nobis dominio possideantur, 544. n.7.& 8.545.n.1.&c.
Habitus naturalis eíque respondens clara Dei visio naturalis non est impossibilis, 294.n.7
Habituum supernaturalium intensio quomodo in nobis efficiatur in hac vita, 423.n.4.& 5
Habitus moralium virtutum in entitate supernaturalium an pugnent cum habitibus vitiosis, & contra, 136.n.1.& 2
Habitus per se infusi, quot sint, 351.n.5
Habitus fidei quid sit, & vtrùm sit virtus intellectualis, 351.n.6. Qualis sit, 354.n.2.&c.
an Habitu fidei diuinæ possit quis vti ad credendum falsum, 278.n.1
Habitibus vtimur quando volumus; 88.n.2
Habitus gratiæ & charitatis in momento quo peccator iustificatur, non ei infunditur quia contritus est, sed vt conteratur, 209.n.2. An priùs natura infundatur, quàm dilectionis & charitatis actus à peccatore eliciantur, n.5. 6.7.& 8
Hæresis quid sit, 370.n.6.8.372.n.3
Hæresis ratio quas requirat conditiones, 373. n.6.374.375.376
Hæreticus quis censendus, 373.n.7.374.n.8
an Hæreticus foret, seu peccaret peccato infidelitatis qui de re sibi à Deo priuatim reuelata dubitaret, 262.n.6
Hæreticum esse censendum qui Ecclesiæ doctrinæ contradicit pertinaciter, quo sensu dixerit S. Doctor, 333.n.3.& 4
Hæreticorum Apostolicorum error quoad proprium aliquarum rerum inter Christianos dominium, 545.n.7

Hæreticorum error quoad gratiam sufficientem, 62.n.1.& 2. 63.n.2. Item quoad definitionem gratiæ gratum facientis, 42.n.6.43.n.1. Item quoad opera meritoria, 212.n.7. Item quoad fidei acceptionem, 249.n.2. Item quoad dominium, 538.n.2.& 3
Hæreticorum error negantium defectus corporis humani non fuisse assumptos à Verbo, 804.n.3
Hæreticorum error varius circa admissionem naturæ & voluntatis in Christo, 835.num.2.3. & 4
Hæreticorum error, asserentium iustos omnes debere certitudine fidei diuinæ credere se iustos esse peccatorum remissionem, ac sanctificantem Dei gratiam esse consecutos, 118.n.8. Damnatur, 119.n.3.& 4
Hæreticis non inest spes, 396.n.3
Hæsitare, siue hæsitationem habere, quid sit, 497.n.1
Hilarij locus de Christi carne emendatus, 882. num. 4
Homicidij malitia duplex, 521.n.7.& 8
Homo est aliquid Dei, 520.n.1
Homo carnis nomine frequenter in Scriptura significatur, 642.n.1
an Homo in statu innocentiæ habuerit fidem, 354.n.5.&c.
Homo in statu naturæ lapsæ qui differat à seipso in statu naturæ integræ. 2.n.5.& 6
Homo peccando quale debitum contrahat, 660. 661.662
Homo certior est de eo quod audit à Deo, quàm de eo quod videt, 298.n.6
Homo factus est Deus, cur falsa propositio, 826. num.6
Homo deificatus est, sitne vera hæc propositio, 827.n.3
Homo sitne bonorum tam externorum quàm internorum dominus, 540.541.&c.544.n.7.& 8
Homo non potest omnia legis naturalis præcepta collectiuè sumpta sine gratiæ auxilio seruare, nec omnes contra legem illam tentationes collectiuè sumptas vincere, itavt contra eam non aliquando peccet, 9.n.3.& seq. Quid de vtriusque diuisiuè sumptis, 11. num. 6.& seq. Quid de leuissima, 15.n.3
vtrùm Homo mereri sibi primam gratiam possit, 223. num.5. &c. 224. Quid de prima gloria, 225.226
an Homo in statu peccati existens possit aliquid boni præstare, *lege sect.* iv. p.7.& 8
an Homo possit bona virtutis moralis acquisitæ opera sine gratia exercere, 17.n.1.& seq.
an Homo certus esse possit se sanctificantem gratiam esse consecutam, 118.n.8.119.120
Homo in statu gratiæ sanctificantis existens non potest absque nouo gratiæ auxilio mereri augmentum sanctitatis & gloriæ, 54.n.8. Neque etiam vllum opus bonum cuiuscumque virtutis exercere, vllamve tentationem vincere, absque peculiari gratiæ auxilio, 35.n 7.8. Neque in eo statu perseuerare, 37.n.7
Homo purus, *vide* Purus.
Hominem non posse operari diuina, nisi priùs esse diuinum acceperit, quomodo id accipiendum, 48.n.2.7.& 8.49.n.1.2.& 3.50.n.1.& 2
Hominis in filium Dei adoptio qui fiat, 148. n. 5. & seq. 149. 150. &c.
Hominis ad seipsum non potest esse stricta iustitia, 513.n.1
Hominis erga Deum strictam iustitiam esse non posse duobus argumentis probatur, 521.n.1. &c.
Hominis salus quomodo à gratia pendeat, 4.5. n.3.4.& seq.
Hominis indifferentia & indeterminatio ex natura sua ad hoc aut ad oppositum, 22.n.4.& 7
Honesta non nisi honestè fieri à nobis possunt, 473. n.5
Honesta nonnulla absque gratia præstare homo potest, 27.n.1.4
Honestates diuersæ prorsus rationis arguunt distinctas virtutes, 558.5.& 6
Honor, laus & adoratio quo differant, 886.n.4
Honor, seu reuerentia non debetur, nisi rationali creaturæ, 892.n.6.7.& 8
Honoris & famæ propriæ sitne dominus homo, 540. n.2. &c.
Hostiæ, sacrificia sæpe in Scripturis pro bonis operibus vsurpantur, 865.n.6
Hostiæ nomen quâ ratione conueniat Christo, 867.n.7.868.n.1.869.n.3.870.n.4
an Humanitas priùs naturâ fuerit à Verbo assumpta quàm partes eius, an contra, 760. n. 2.761. 762
Humanitas Christi quoad existentiam, quomodo pendeat à Verbo, 723.num. 5
Vide Christus, Verbum.
Humilitatis virtutem quâ consideratione retinuerint viri sanctissimi, 112.n.6
Humores corporis humani fuerintne à Verbo assumpti, 755.n.2.& 3
Hyperduliæ cultus quid sit & cui deferendus, 897.n.2.& 3
Hypostasis aliquando naturam, aliquando personam significat, 711.n.7.713.n.1
Hypostasis seu persona Christi sitne composita, 713. n.3.&c.

I

IACOBI locus, *Ego sum primogenitus tuus Esau*: an à mendacio excusari possit, 275. num.3.4.&c.
Iehu: an eius simulatio fuerit peccatum infidelitatis, 378.n.3
Iesus diuinissimus, rectène dicatur, 823.n.2
Ignis quatenus necessitatur ad calefaciendum, 82.n.2
Ignorantia multiplex, & quænam pertinaciæ coniungatur, 378.n.8.375.376.377
Ignorantia inuincibilis excludit omnes operis ignorati cognitionem, 574.n.6
Ignorantia antecedens quo differat à comitante, *ibid.*
Illuminatio pro baptismo accepta, 49.n.2. & pro gratia cooperante, 52.n.4.& 5
Imagini Christi quænam adoratio exhibenda, 891.n.1.&c
Imagini Dei & Christi latriam, & sanctorum imaginibus duliam non esse exhibendam, quo sensu dixerint septima Synodus, & Patres, 893.n.7.& 8.894.n.2
vt Imagini actus adorationis exhibitæ sit honestus formaliter, & actus veræ virtutis quid requiratur, 894.n.7

Imagini Regis *facta* iniuria quam habeat rationem iniuriæ, 893.n.6.894.n.6
Imaginum honor ad exemplar transit, 892.n.1
Imaginum & prototyporum duplex aliquando esse potest adoratio, *ibid.*& n.2
Immensitas diuina possitne secundùm se communicari naturæ creatæ, 801.n.3
Impeccantiæ perpetuitas solo Verbo conuenit, 26
Impediens aut reuocans aliquem à bono proposito ad quid teneatur, 582.n.3.598.n.2.& 3
Imperfectio possitne inesse alicui perfectioni, 518.n. 1.& 2
Impij Augustino dicuntur infideles, 2.n.3. Possintne elicere aliqua bona opera, n.4
Impossibilis rationem habet, respectu Dei, minimum inconueniens, aut indecens, 646.n.2
Impossibilia non iubet Deus, 26.n.2
Imprudentiæ actus sitne in electione sententiæ minus probabilis aut minus tutæ, 498.n.1.& 2
In particula, pro *per* vsitatissima, 221.n.3
In, particula adhibita actui credendi denotat aliquando materiale obiectum fidei, aliquando formale, 289.n.6
Incarnationis nomen vnde ortum, & quid significet, 642.n.1
an Incarnatio fuerit Deo conueniens, 642. num. 2. &c.
Incarnatio sitne vera actio, & quis huius terminus, 719.n 1. Terminus non est quippiam accidentale, *ibid.* n. 5. Est quippiam substantiale, nempe modus substantialis, *ibid.* n. 7. & 8. Qui essentialiter relatiuus respectu transcendentali non categorico, 720.n.1
Incarnationis mysterium possitne aliquâ ratione conuenire Patri & Spiritui sancto, 736. n.6.7.& 8.737.n.1.& seq.
Incarnationis decretæ à Deo & factæ finis, 696. n. 4.& 5. Varij illius fines assignati quâ ratione intelligendi, 697.n.4.& seq.698.n.1.& 2
an Incarnatio fuerit conueniens humanitati assumptæ, 643.n.7
Incarnatio duobus modis consideratur, 644.n.1 Quomodo dicatur bonum actu infinitum, *ibid.* n.3.4. Quomodo necessaria, *ibid.*& seq.
an Incarnationis decretum præcesserit actu futurum in primi parentis posteris peccatum originis, 699.n.6.& 7
an Incarnatio decreta & facta fuisset si solum primi parentis peccatum extitisset, 698. num.7. Quid si alia solùm actualia vel primorum parentum, vel aliorum hominum extitissent, 699.n.1
Incarnatio priùs rationis ordine decreta fuit, quàm vlla posterorum Adæ peccata actualia Deus præuiderit, 700.n.1. Vtrùm principaliùs facta fuerit ad tollendum peccatum originale quàm actuale, *ibid.* n.4.&c. Quo rationis signo seu ordine decreta fuerit, 701.n.2. &c. Vera de hac re sententia, 704.n.5.6.& 7
an Incarnationis terminus vltimus, integer, & totalis, qui est Christus, seu compositum in natura humana simul diuináq; natura subsistens, ens creatum seu creatura dici debeat, 720.n.5
Incarnationis vel substantiam vel circumstantias, an aliqui eorum qui Christum præcesserunt, aut meruerint, aut mereri potuerint, 732. n.733.734
Incendiarij ad quid obligentur, 600.n.3.4
Incredulorum libertas, 313.n.6.7
Indifferentia voluntatis humanæ vnde probetur, 71.n.6.& 7
Indifferentia causæ liberæ discutitur, 97. n.4.5.6.& 7
Indignus electus sitne ad restitutionem obligatus, 585.n.3
Inductores ad peccatum mortale ad quid obligentur, 582.n.1.&c.595.n.5.& 6.620.n.1
Induratio nullam affert necessitatem oppositam libertati, 67.n.8.68.n.3.& 4
Infantes dum occiduntur, quâ ratione dicantur pati iniuriam, peccetúrque contra eos per iniustitiam, 484.n.3.6.& 7
Infantes ab obligatione restarciendi damni excusantur, 573.n.6
Infantibus non est ad salutem necessarius internus diuinæ fidei actus, 340.n.2
an Infidelis possit aliquibus operibus bonis ex auxilio diuinæ gratiæ factis mereri sibi merito congruo vlteriora gratiæ auxilia, quibus tandem ad fidem perueniat, 233.234.235. & seq.
Infideles impiorum nomine intellecti, 27.n.3
Infidelium nomine qui maximè intelligantur, 8. n.1. Quid de illorum operibus sentiendum, *ibid.*
Infidelium opera non ex honestate, sed ex vanitate fiunt, 234.n.5
Infidelium opera sine fide non placere Deo, quo sensu dixerit S. Thomas, 293.n.7.& 8
Infidelium opera omnia peccata esse, quo sensu intelligat S. Augustinus, 239.n.1.2.3.4
Infidelium res & actiones externæ quibus à fidelibus distinguntur, sunt in quintuplici genere, 378.n.8.379.n.1.&c. Harum vsurpatio sitne semper infidelitatis peccatum, 379.n.3.&c.
Infidelitatis quadruplex in genere peccatum, 368.n.1
Infidelitatis peccata duo, quæ duobus affirmatiuis præceptis opponuntur, omissionis sunt, 368.n.2. Quo tempore contrahatur vtrumque, *ibid.* Vtrumque specie distinguitur ab vtroque negatiuo, n.3. Prius omissionis priori præcepto affirmatiuo oppositum distinguitur specie à peccato omissionis, quod posteriori affirmatiuo præcepto opponitur, *ibid.* & n.4.& 5
Infidelitas omnis sitne peccatum, 368.n.7
Infidelitatis peccatum, quod priori negatiuo præcepto opponitur, specie distinguitur ab altero, quod posteriori negatiuo præcepto opponitur, 370. n. 1. 2. &c. Species illius peccati quot & quænam illæ sint, 370. n. 6. 7. & 8. An illæ species differant inter se essentialiter, 371. n.2. & seq. Illarum diuisio in tres species sitne sufficiens, 372. n.1.& seq.
an plures Infidelitatis species in eodem homine esse possint, 373. n.4.5.& 6
vt Infidelitas habeat rationem hæresis, quot & quæ conditiones requirantur, 373.n.6.7.8
Infidelitatis peccatum quod posteriori negatiuo præcepto opponitur, quomodo intelligendum, 377.n.6.378.379.380
Infidelitatis tam internæ quàm externæ actus potest esse absque blasphemiæ peccato, 380.n.6
Infidelitas in promissis cui virtuti opponatur, 557.n.3.& 4 559.n.2.& 6

Infinitas aliqua ſecundùm quid in habitum aut actum creatum deriuari poteſt ab obiecto ſimpliciter infinito, 406.n.7.& 8
Infuſionis nomine plerunque non habitus, ſed actus ſignificatur, 290.n.3.& 4
Inhærendi modus quotuplex, 382.n.4.& 5
Iniuriæ capax ſola eſt natura rationalis, 893.n.5
Iniuria vt iniuria reſpectu eius cui fit, habet rationem puræ paſſionis, 483.n.1
Iniuria illata creſcit ex dignitate perſonæ læſæ, 509.num.1
Iniuria quæ fit ſanctis & ſacris perſonis, vt ſacerdotibus cui virtuti opponatur, 896.num.8 897.num.1
Iniuria non fit ſcienti & conſentienti, quomodo id intelligendum, 482.num.4.483.n.8. 484. num.1.2.& 3
Iniuriam à ſeipſo nemo pati poteſt, 483.n.2
Iniuriam nulli facit qui iure ſuo vtitur, 519.n.1
Iniuriam pati quâ ratione dicantur infantes, pupilli, Chriſtus Dominus, martyres, &c. 484. num.3. 4. &c.
Iniuriam dici, quòd ſine iure fiat & quod non iure fit, dici fieri iniuriâ, quo ſenſu dixerit Vlpianus, 486.n.2.& 4
Iniuriam & iniuſtum pati ſitne idem, 482.num. 6.& 7
Iniuſtitia ex Adami ſemine, iuſtitia à Chriſto, 225.num.3
Iniuſtitiæ vitium ſpeciale duplex, vnum iuſtitiæ legali, alterum particulari oppoſitum, 479. num. 1. &c. Non omnis actus qui ſpecialis iniuſtitiæ peccatum formaliter eſt, proprius actus eſt vel illius ſpecialis habitus vitioſi qui iniuſtitia illegalis dicitur, vel eius qui particulari iuſtitiæ opponitur, 479.n.5
ſpecialis Iniuſtitiæ habitus qui iuſtitiæ legali vel particulari opponitur, non generatur aut intenditur per quemcunque actum qui formaliter eſt iniuſtitiæ peccatum, 481.n.1.2.&c. Non concurrit effectiuè ad omnem illum actum, qui formalem malitiam habet peccati iniuſtitiæ contra huius illiuſve iuſtitiæ virtutem, 482.num.1
ex Iniuſtitia iuſtitiæ commutatiuæ contraria, hominis erga Deum, non ſequitur hanc in Deo eſſe iuſtitiam, 529.n.4.5 & 6
Iniuſtum ſicut & iuſtum dupliciter dicitur, 482. num.3
Iniuſtum formaliter pati poſſitne quis volens, *ibid.* & ſeq.
Inſtrumenti nomen quâ ratione conueniat creaturæ reſpectu virtutis Dei, 95. num. 4. 96. num.2.& 3
Intellectio per conuerſionem ad phantaſmata, quomodo intelligenda, 794.n.5.795.n.1 &c.
Intellectiones & volitiones hominum & angelorum circa eadem obiecta materialia, ſintne diuerſæ ſpecie, 294.n.1.2.3
Intellectus proprium bonum, 351.n.7
Intellectus liber omnis actus prærequirit aliquem liberum voluntatis actum, 312.n.7. *vide* Actus.
Intellectui creato naturale non eſt vlli rei aſſenſum præbere firmum ac certum, niſi tribus modis, 292.n.5.& 6
Intellectûs ad aſſenſum fidei quoad ſpeciem determinatio per quem voluntatis actum eliciatur, 319.n.3.4.& ſeq.
Ioannis Apoſtoli locus, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, de quo peccato intelligendus, 700.n.5
S. Ioannes Baptiſta an peccarit, 41.n.4
Iobi locus, *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui & calamitates*, &c. quo ſenſu intelligendus, 674.n.4.& 5
Ira duplicem includit imperfectionem: & quâ ratione Deo tribuatur, 518.n.3.& 4
Irrationalia quo differant à rationalibus, 22. num.4.5
an Iubens, conſulens, mandans furtum aut homicidium &c. ad reſtitutionem obligetur, 624. num.3.& ſeq.
an pro Iuda rogarit Chriſtus per hæc verba, *Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi*, 859.n.2.& 3
Iudaiſmus quænam infidelitatis ſpecies, 370. num.6.& 8
an Iudices quibus à Principe vel Repub. ſunt conſtituta ſtipendia publica ſufficientia poſſint à particularibus ad ipſos accedentibus aliquid accipere, 613.n.1.&c.
Iudicium diſcurſiuum in entitate ſupernaturale non habetur in hac vita, 59.num.7.& 8
Iudicium erroneum intellectus requiritur ad rationem hæreſis, 374.n.1.& 2
Iudicium ſuſpicioſum ſitne mortale peccatum, 489.num.5.&c.
Iudicium de proximo ſiniſtrum poſſitne eſſe iniuſtum ſi contrarius de ipſo bene iudicandi actus ſit ipſi abſolutè debitus, 487.num.7
vt Iudicium quo de proximo malum iudicamus, peccatum mortale ſit, tres habere debet conditiones, 493.n.1.2.& ſeq.
Iudicium ſiue ſumatur pro ſententia iudicis, ſiue pro ſententia cuiuſlibet alterius perſonæ etiam priuatæ, qua per intellectum aliquid ſtatuit apud ſe de moribus aliorum, aliiſve rebus ad eorum famam pertinentibus, eſt actus iuſtitiæ, 487.num.1.2.& 3 Quodnam ſit diſcrimen inter modũ quo prior actus iudicandi debitus eſt, & quo poſterior, 487.n.4.& 5. 488.n.4
Iudicium omne poſitiuum intellectus quo in caſu ſuſpendendum, 496.num.5.&c.
Iudicij actum illicitum fore niſi procedat ex affectu iuſtitiæ, quo ſenſu dicat D. Th. 488.n.8
Iudicij actus vt ſit licitus tres habere debet conditiones, 486.n.8. Quale peccatum ſit ſi deſit illi vna ex tribus conditionibus, 489.n.2.& 3
Iudicij diem ſe neſcire qua ratione dixerit Chriſtus, 788.n.3.& 4
cur Iudicia ad naturales artes ſcientiáſque pertinentia ſpecie differant quando ſunt de rebus eſſentialiter diuerſis, 287.n.7.288.n.5
Iudith Theologicæ ſpei actum exercuit. 387.n.3
Iuramentum promiſſorium quomodo obliget, 554.num.6.& 7
Iuramentum Dei iuxta illa verba, *Iurauit Dominus*, &c. quomodo exponendum, 874.n.7
Iuris & debiti connexio luculentè explicata, 458.n.1.&c.
Iuris ſignificationes numero ſex, 457.n.4.& 5. 466.n.1
Iuris diuini definitio, 467.n.4
Iuris nomine quatuor potiſſimùm intelliguntur, ſecundum quæ rectè diuiditur in naturale & poſitiuum, 466.num.1.& 2

Quid vtrumque sit, *ibid.* Sitne adæquata diuisio prædicta, num. 6.
Iuris positiui diuisio, subdiuisio, & quid eius nomine proprie intelligatur, 467.n.1.& 2
Ius positiuum à Theologis ordinariè diuiditur in diuinum & humanum, 467.n.4.& 5.468.n.1
Ius Canonicum quod dicatur, 467.n.2.3.& 5. Quod item Ciuile, *ibid.* & n.7
Ius gentium quid sit, 467.n.8
Ius simpliciter inter quos reperiatur, 514. num. 1. & 2
Ius secundùm quid appellatum, quâ ratione intelligendum, 517. n.4
Ius non modò prius est debito, sed est etiam mensura debiti, 458. num.5. &c. Quâ ratione dicatur obiectum materiale iustitiæ, 459. num.1.&c.
Iuris in vniuersum distinctio duplex ex Suare, 501. num.2.& 3
Ius disponendi de re est de essentia dominij pleni, vt plenum est, 534. n.6
Iuris in re & iuris ad rem differentia, 532.num. 1. & 2
an Iura quæ spectat iustitia siue distributiua, siue commutatiua sint essentialiter diuersa, 508.n.5.& 6
Iurisdictionis dominium non requirit in subiecto suo sanctificantem gratiam, 538.n.4
Iurisprudentia quid sit, 457.n.3
Iussionis à consilio & mandato discrimen, 623. num.7
Iustificari gratis quo sensu dicamur, *lege* sect. xxiv. 195.196
Iustificari gratis quo sensu dicant Scripturæ, Concilia & Patres, 225.n.5
Iustificationis variæ appellationes, 48.n.6
Iustificationis nostræ causa formalis, 43.n.4. 45. num. 7. Aliæ causæ, 47.n.5.124.num.5. 125.num.1
Iustificationis signum, 121. n.3.122.n.4
Iustificationis ordo, 133.n.8.207.n.5
Iustificationis vocabulum quid comprehendat, 190.n.3
Iustificationis radix & fundamentum, 317. num.13
Iustificatio nostra & redemptio fuit propter Christum non incarnandum, sed incarnatum glorificandum, 707.num.8
Iustificatio peccatoris duo includit, 134.n.3.& 4
Iustificatio sine timore esse non potest, 162.n.4
Iustificatio tam extra sacramentum, quàm in sacramento quâ ratione intelligenda, 198. n. 4. &c. 199. per tot.
Iustificatio impiorum est ex purè gratuito iustificandi per fidem proposito, 243. n. 3
Iustificatio ex operibus sine gratia per Christum improbatur & refellitur, 24.25.& seq.
Iustificatio omnis vel in sacramento, vel extra fit: & an de ea possit haberi aliqua certitudo, 120. num.1.2
Iustificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, quo sensu dixerit Concilium, 133.n.
Iustificationem non esse ex operibus legis, esse verò per fidem sine operibus legis, qua ratione dictum ab Apostolo, 9.n.4.& seq.
an Iustificationem præcedant aliqua opera quæ peccata non sint, 25.n.7.& 8
ad Iustificationem & salutem non est ex natura rei, sed ex ordinatione Dei necessarius necessitate medij actus diuinæ fidei, 341.n.6
per Iustificationem hominem ex iniusto fieri iustum, & ex inimico amicum, non autem fieri ex inimico amicum & iniusto iustum, cur dixerit Concilium, 187.6.& 7
de Iustificatione, Christique meritorum applicatione Concilij processus, 166. n.7.& 8.167. n.1. & seq.
in Iustificatione peccatoris duplex interuenit mutatio, 132.num.1.& 2
in Iustificatione extra sacramentum quæ concurrant. 210.num.4
Iustificatus indiget nouo gratiæ auxilio ad recte agendum, 36.n.5
Iustificatorum defertio à seipsis non à Deo, 65. n.3.4. & seq.
in Iustificatos Deus iugiter virtutem influit, 35.n.1
Iustitia nostra tota, eiusque incrementum ac complementum in charitate consistit, 45. n.6.7.& 8
Iustitiæ acceptiones variæ, 457.n.1.& seq.
Iustitiæ duplex definitio, vna secundùm Philosophum, altera secundùm Iurisperitos, 460.n.3.
Iustitiæ nomen sortitur omnis ex vera virtute actio, 238.n.7
Iustitiæ vocabulum de quacunque virtute quæ est ad alterum intelligitur, 690.num.3
Iustitiæ nomen in proprio sensu & absque metaphora dicitur vniuersim de quacunque virtute, 526.n.6.& 7
Iustitia dicitur ad alterum suppositio distinctum, tripliciter, 513.n.3.& 4
Iustitiæ obiectum, cum aliarum virtutum obiectis comparatum triplicem habet difficultatem, 462. num.1. & seq. Quomodo soluenda prædicta difficultas, 463. num.1.&c. 464. num.1. &c.
Iustitiæ materiale obiectum quodnam sit, 459. n.1.&c. Quodnam item formale, 461.n.1.&c.
Iustitia originalis sitne animæ vita. 127.n.4
Iustitia qua donamur sitne nobis intrinseca, 123.num.6
Iustitia commutatiua duobus modis dici potest constituere æqualitatem geometricam, 505. num.3. Cur per se dicitur constituere æqualitatem arithmeticam, per accidens geometricam, n.5. An possit per se constituere æqualitatem geometricam, 505.n.6.&c.506.507.
Iustitia commutatiua & distributiua iustitiam strictè sumptam adæquatè diuidunt, 510.511. An sic adæquatè diuidant vt neutra in species aliquas sibi subiectas diuidi vlteriùs possit, 512. n.1.&c.
Iustitiam commutatiuam Deum inter & hominem intercedere non posse probatur, 523. num. 4. 524. Idem de distributiua ostenditur, 525. num. 2. &c. Argumentorum contrariorum solutio, 527.num.1.&c. 528.529.530
ad Iustitiam commutatiuam, quæ illatum damnum reparat, nihil refert, vtrùm qui intulit, aut passus est, probus an improbus fuerit, 503. n. 6. & 7
Iustitiæ distributiuæ & commutatiuæ discrimen, 501.502. & seq. Sitne discrimen illud essentiale, 507.n.5.&c.508.& 509

Iustitia distributiua distinguitur à commutatiua, non solùm secundùm vnum & multa, sed etiam secundùm diuersam debiti rationem, 504.n.1
Iustitia distributiua potest constituere per accidens æqualitatem arithmeticam, 505.n.4
Iustitia distributiua sitne illa virtus per quam quispiam vnumquemque suo in loco ac ordine collocat, 530.n.12
Iustitiam distributiuam attendere ad personæ dignitatem, & secundùm eam vnicuique dare, quo sensu dixerit Philosophus, 503.n.6
Iustitia aliqua generalis seu legalis distincta essentialiter à cæteris omnibus virtutibus admittenda est. 468.n.2.3.&c.469.470.&c.
Iustitiæ generalis & legalis obiectum, 470. num.6. Ratio huius appellationis in quo posita, 471.num.3
Iustitia legalis quo sensu dicatur ab Aristotele continere virtutes omnes, 471.n.5.& 6. Non est pars virtutis, *ibid.* Esse idem re cum virtute, non autem ratione seu essentiali definitione, *ibid.* n. 7. Cur item virtus perfecta, num. 8
Iustitiæ legalis nomine duo possunt intelligi, 472. num.2
Iustitia legalis nullas habet sub se species, 475 num. 1
Iustitia legalis Principis & subditorum specie non distinguitur, 475.n.2.3.& 6
an Iustitia legalis sit præstantior cæteris virtutibus, 477.n.4.&c.478.per tot.
an Iustitia legalis habeat aliquas sub se species, 474.n.6.475.476.
Iustitia legalis sitne species iustitiæ strictè sumptæ, 510.n.6.&c. 511.n.1.&c. Sitne formaliter in Deo, 531.n.1
Iustitia particularis quo sensu cæteris virtutibus moralibus anteponenda, 478.n.4.& 5
Iustitiæ particularis genericè sumptæ, & à commutatiua & distributiua præcisæ, proprium quodnam sit, 501.n.5.&c.
an Iustitia particularis per æqualitatem constituatur, & à cæteris virtutibus distinguatur, 504. n.2.& 3
Iustitia stricta quas inter personas intercedere possit, vel non possit, 513.514.515.516
Iustum, provt est prima & maximè propria iuris significatio quid sit, 458.n.1. In illo considerandæ sunt duo, *ibid.*
Iustum simpliciter est iustitiæ strictæ proprium opus, 513.n.8. Quid illud sit, 514.523.n.8
Iustum simpliciter sumptum in genere sitne idem quod contrapassum, 512.n.3.& 4
Iustum distributiuum in quo consistat, 502.n.1
Iustum commutatiuum quas inter personas esse non possit, 523.n.8
Iustus propriè qui dicatur, 526.n.8.590.n.4
Iustus ex iniusto qui fiat, 125.n.6
Iustum constitui non idem est ac declarari, 43. num.1.
an Iustus reparationem post lapsum in peccatum mortale mereri sibi possit, 228. num. 7 & 8. 229
an Iustus certus esse possit se esse iustum, remissionem peccatorum, & gratiam sanctificantem esse consecutum, 118. num. 8 119.120. & seq.
Iustus nemo, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, 125. num. 1. &2
Iustus condigno merito mereri sibi non potest finalem in gratia perseuerantiam, 230. n. 6. Quid de merito congruo, n. 7. 231. n. 1. &c. An bona temporalia sibi mereri possit, 232. n. 1. & 2. Nullum gratiæ donum alteri potest mereri merito condigno, spectatâ etiam absolutâ Dei potentia, 232. num.4. Congruo merito mereri potest alteri quod sibi potest, & aliquid ampliùs, *ibid.* &n. 5. 6. 7. & 8
Iusti quomodo possint vel non possint vitare omnia peccata venialia, 39.n.6.7. & 8. 40.n. 1.& 2.41.n.5.& 6
Iusti sunt Dei filij adoptiui, 148.n.6
Iusti charitatis habitualis augmentum, quòd bonis suis operibus promerentur, recepturi sunt aliquando reipsa à Deo, 447.n.5.448.449 Quo tempore detur ipsis à Deo illud augmentum, 450.451
Iustorum opera bona saltem aliqua sintne de condigno vitæ æternæ meritoria, 212.n.8. 213.per tot.

K

KEMNITII errores nonnulli, 43.n.1. 124.n.2.130.n.1.& 6.249.n.3

L

LATRIA, *vide* Adoratio.
Laus & gloria respondent meritis, vt proprium præmium, 212.num.3
Laudis ab honore & adoratione discrimen, 886. num.4
Legatus Regis quo honore colendus, 894.n.3
Leuitici sacerdotes quomodo creati, 871.n.6
Lex tam naturalis quàm positiua, siue diuina, siue humana, iuris nomine significatur, 457. num.4. Legum item scientia, *ibid.* & 466. num.1
Lex aliquid permittens non eneruatur per non vsum eius rei quam permittit, 618.n.5
Lex eiusque cognitio non iustificant, 6.num.6 quomodo iram dicatur operari, *ibid.*
an Lex naturalis seruari à quisquam possit, absque habituali gratia sanctificante, 32.n. 6. 8. 32.per tot.
Legis opera non iustificare quomodo id intelligendum. 9.n.4.5
Legis adimpletio, nisi subministrato gratiæ interioris spiritu impossibilis, 10.n. 1
Legis opera sine Dei gratia non iustificare ostenditur per solutionem argumentorum contrariorum, *lege* sect. xij. xiij. xiv. pag. 24. 25. & seq.
Legis auditores non iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur, quis horum verborum sensus, 33.n.1.2.3
Legis positiuæ & promissionis discrimen, 554. num.1
Liberi ius habent in paterna bona. 598.num.5 Quomodo pater obligetur illos sustentare, eorúmque commodis prospicere, 599. num.5.6.& 7

Libera Dei volitio, & nolitio quomodo intelligenda, 139. n. 7. & 8. 140. 141. & 148. num. 1. & 2
Liberatio à malo per liberam alterius voluntatem, duplex est beneficium, 190. n. 4
Liberi arbitrij potestati reliquit Deus vt consentiat vel dissentiat, 77. n. 7
Liberum arbitrium peccato primi parentis imminutum fuisse, quomodo intelligendum, 36. n. 7. & 8. 37. n. 1. 2. &c.
Liberum arbitrium à Deo moueri priùs quàm consentiat, quâ ratione dixerint Concilia, 92. n. 3. 4. 5. An Deo volenti resistere possit, 92. n. 7. 93. n. 3
Liberum voluntatis arbitrium, nisi Dei gratia per Christum adiuuetur, parùm esse ad non peccandum: quomodo id accipiendum, 27. n. 1. & 2
Liberum arbitrium à misericordia præueniri quo sensu dixerit sanctus Fulgentius, 106. num. 4. & 6
Liberum simpliciter est quidquid fit necessitate consequente, 34. n. 5
Libertas in homine sitne sufficiens ad vincendas tentationes, *lege* sect. xv. p. 28. 29
Libertas ad fidem an prærequiratur, 312. n. 6. &c. 313. 314.
Libertatis & necessitatis differentia, 81. n. 7
Libertatis indifferentia vnde petatur, 83. n. 4. 7. & 8. 84. n. 1. & 2
Libertatis actus quoad speciem, & quoad exercitium, 313. n. 1
Libertatis suæ directum plenúmque dominium habet homo, 542. n. 3
Libertatis suæ iacturâ nemo obligatur resarcire damnum pecuniarum quod iniustè intulit quantumlibet graue, 609. n. 4. 610. Quomodo id intelligendum, 610. n. 5. & 6
Libertatis genus duplex, & quodnam admittendum in Christo, 836. num. 8. 837. num. 1. 839. num. 8
Linguarum genera quale donum, 774. num. 1
Littera occidit, quomodo id intelligendum, 10. num. 4
Litigantium ius quodnam sit, 487. n. 2
Ludus: an acquisita per ipsum sint restitutioni obnoxia, 617. n. 6. 618. 619
ad Ludum inductus si vicerit, obligatúrne restituere lucrum, 620. n. 1. 2
Lullij error quoad perfectionem vniuersi, 644. n. 8. 645. n. 4
Lumen gloriæ cuiuslibet beati non potest efficere visionem Dei intensiorem ea quam nunc efficit, 418. num. 2
Lutheri error, ab homine peccatore sine gratia sanctificante nullum bonum opus exerceri posse, 7. n. 1. Damnatur & refellitur, n. 3. & pag. 25. num. 6

M

MAcarii Antiocheni error, 835. n. 4. & 5
Cui nouus Apollinaris à tota Synodo sexta vocatus, 836. n. 3. & 4
Machinatio tam fraudem quàm fallaciam continet: & quid hæ sint, 572. n. 6. & 7
Magdalenæ dilectio super his verbis, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, quo sensu accipienda, 192. n. 5. & seq.
Mala Deus non causat, sed permittit, 85. 7. & 8. 86. & 87
Malè agere aliquando difficilius, quàm benè agere, 30. n. 7
Mali operis incrementum qui fiat, 426. n. 5. 428. n. 7
Malum, quod de proximo suspicamur, quodnam graue, quod leue censeri debeat, 493. n. 3. & 4
Malus homo æquari potest dæmonibus in malitia, 64. n. 1
Maleficis artibus scienter & culpabiliter rationis aliarúmve facultatum vsu quempiam priuans, an obligetur ad damnum resarciendum, 582. num. 5
Malitia venialis & mortalis, 350. n. 6. *vide* Peccatum.
Mandans aliquod damnum tenetúrne illud resarcire, 624. n. 3. 625. 626
Mandatum, consilium, & iussio in quo discrepent, 623. n. 7. & 8
Manichæorum error quoad fidem, 321. n. 1
Mansio diuina apud nos quo sensu intelligenda, 44. num. 1
Mansio in charitate, & in Deo accuratè explicatur, 157. n. 2. 158. 159. & seq.
Maritus & vxor quomodo censeantur vna persona, 568. n. 8
Martyri cultus & veneratio quâ ratione exhiberi possit, 893. n. 1
Martyrum constantia quàm efficax fidei nostræ argumentum, 327. n. 3. 4. & 5
cur Martyrum mors & occisio non fuerit propriè sacrificium, sicut Christi mors & occisio propriè sacrificium extitit, 868. n. 7. & 8. 869. num. 1
Martyrium quo sensu dicatur habere vim peccata delendi, 146. n. 1. & 2
cur Mater Regis eodem honore colatur quo Rex? 897. n. 6
Materia in existendo perdet à forma substantiali informante tanquam à vera causa dante illi esse, 763. n. 1
Matrimonij bona non defutura, etsi peccatum non esset, quo sensu dixerit S. Augustinus, 705. n. 1. & 2
Matthæi locus, *Sedere ad dexteram meam & sinistram non est meum dare vobis*: quomodo exponendus, 860. n. 1. 2. &c.
Mediatoris nomen quomodo conueniat Christo, 866. num. 2. & 6
Medium rationis quid sit, 464. num. 2
Medij nomen propriè sumptum quid significet, 201. num. 1
Medij demonstratiui vis, 302. n. 1
Melancthonis error circa fidei acceptionem, 249. n. 2. & 5
Melchisedecis sacerdotium quo sensu perpetuum & cur huic assimiletur Christi sacerdotium, 873. num. 1. 2. & 3. 875. num. 3. 876. num. 3. &c. 877
Membri amputati compensatio qualis esse debet, 594. 595. 596
Membrorum nostrorum directum plenumque dominium non habemus, 541. n. 6. 542. n. 1
Mendaces qui soleant appellari, 559. num. 7. & 8.

Mendacium : sensus verborum illorum : *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*, 18 num. 4. & 5
Mendacium quid sit, 559.n.8
Mendacium in Deum cadere nullo modo potest, 271.272.273
Mendacium nonnulla sanctorum virorum verba præ se ferentia, quo sensu intelligenda, 275.n.3.4.&c.
Mens & spiritus pro vna eadémque re apud Patres, 763. n.2
Merces ex debito reddenda : quâ ratione id intelligendum, 219.n.7.& 8.220.n.1.2.& 3
Merces & meritum mutuò referuntur, 213. num.2
Merces præsupponit meritum operis, 442.n.6. 7.443.n.1.&c.
Mercedis nomine in Scripturis quid significetur, 443.444
Mercedem bonis iustorum operibus quâ ratione dicat esse retribuendam, 685.n.2.& 8
Mercedem accipiet vnusquisque secundum suum laborem : quis huius loci sensus, 428.n.6. 438.n.3.&c.442.n.3
Merendi primum principium quod, 203. n.1
Meritum propriè quid sit, 212.n.4.5
Meriti nomen propriè & impropriè acceptum, 192.n.3.& 4.734.n.6
Meriti ratio quomodo dicatur spectare mercedem debitam, 219.7.& 8.220.n.1.2.& 3
an Meriti vitæ æternæ condigni ratio conueniat omni operi bono iusti hominis, 220.n.7.& 8
Meritum omne hominis bonum à fide incipere, quo sensu dicat Prosper, 241.n.6.& 7
Meritum operum Christi quotuplex, 683.n.3. &c.
Meritum auget non multitudo operum, non diuturnitas temporum, sed sola charitas & melior voluntas : sensus huius loci, 423.n.1.2.& 3
Meritum cõdignum in operibus iustorum agnoscunt & Scripturæ & Patres, 213.n.3.& 4
Inest operibus malis, n.6.& 7
Meritum congruum, 19.n.8
Meritum congruum bono operi inexistens quid sit, 233.n.2.235.n.7
an Meritum omne etiam congruum à gratia iustificationis excludatur à Concilio, 195.n.2.&c.
Meritum congruum non requirit obligationem Dei, 217.n.8.219.n.8
Meritum siue condignum, siue congruum quas conditiones requirat, 215.216.217.218
Meritum nostris operibus quo sensu explicandum, 214.n.8
Meritum æternæ vitæ condignum possitne affici à sanctitate personæ operantis, si non ab ipsa oriatur, 222.n.6.& 7
ad Meritum sitne necessaria ordinatio diuina, diuináque promissio, 219.n.4
Meritum seu præmij valor quadrupliciter à valore pretij differt, 211.n.5.&c.
Meritorum alia de condigno, alia de congruo dicuntur, 212.n.5. Illorum æqualitas quomodo intelligenda, 212.n.6
Merita nostra esse dona quo sensu dixerit Concilium, 219.n.5
an Merita siue condigna, siue congrua omnia per mortale peccatum subsequens extinguantur, 228.n.7.& 8.229.230
an Merita quædam fidem antecedant, 236.n.1.2
Merita inter homines non requirunt promissionem hominis, 218.n.7
an Meritorum Christi applicatio requiratur ad iustificationem, 198.n.5.200.n.1
Meritis proprium respondens præmium quodnam sit, 212.n.3
Meretrici adhærens, vnum corpus efficitur, 157.n.4
Metu aliquem ad peccatum inducens sitne ad restitutionem obligatus, 582.n.7
Milites iniustum bellum gerentes, vrbem aliquam obsidentes, & captam diripientes, obligantur singuli in solidum ad totius illati damni compensationem aliis deficientibus, seu non restituentibus, 529.n.1.& seq.
Militum ius ad spolia, 503.n.2
an Ministri militiæ, iustitiæ, &c. quibus publica sunt constituta stipendia sufficientia, possint aliquid licitè accipere ab iis qui eorum operâ vtuntur, 613.n.1.& seq.
Miracula non parum ad fidem conferunt, 326. n.8.327.n.1
Misericordia Dei quando nos præueniat & subsequatur, 59.1.106.n.4.& 6
Misericordiæ Dei effectus in hominis potestate non esse quo sensu dixerit S. Augustinus, 92. n.7.93.n.4.& 5
Misericordiæ opera non ex fide procedentia in numero terrenorum operum reponuntur, 237.n.7.& 8
an Misericordiæ actus exerceri possit tam erga diuitem qui se pauperem fingit, & bona fide prudenterque pauper existimatur, quàm erga eum qui pauper à parte rei est, 278.n.2.& 3. 280. n 4
Modi nomine secundùm quem agens agere dicitur & efficere opus rectum, quid intelligendum, 465.n.5
Modus existere non potest, quin modificet rem cuius est modus, 740.n.6.741.n.1
Monothelitæ hæretici cur ita vocati, 835. n.3.8,6.n.1.838.n.1
Mors naturalis non potest contingere ex sola senectute sine febri, aut putrefactione aliqua, quæ morbus sit iuxta Valesium, 806. num.2
Moralis virtus, *vide* Virtus.
Moses & Apostoli quoad ministerium comparati. 10. num.6
Mouere se, & moueri quâ ratione dicatur causa secunda, 95.n.6.7.& 8
Motio causæ primæ diuersa est à determinatione causæ secundæ, 76.n.7
Motio prædeterminans, *vide* Gratia efficax.
Motiui partialis natura, 309.n.5.& 6
an Motiua duo possint coniungi ad vnicum numero actum exercendum, 307.n.1.& 2.312.n.5
Motus primo primus gratiæ operantis, qualis actus, 204.n.8.205.n.1
Motus intellectus & voluntatis respectu gratiæ operantis, quo sensu in nobis sine nobis fieri dicantur, 53.n.8.54. per totum.
Muri nomen quâ ratione Christo tributum, 856.n.5.& 6
Mutatio rei quæ fiat, 816.n.1
Mutatio nulla assignari potest in Verbo, 716. n.7.& 8.717.n.1.& seq.721.n.1

Mutatio nulla purè moralis in creaturis absque præuia physica potest fieri, 154.n.3.4
Mutatio duplex in iustificatione & in calefactione aquæ: sed vtriusque non est par ratio, 132. n. 1. 2. & 5
Mutilator iniustus ad quid teneatur, 594.n.2
Mutuatarius soluens vsuras quomodo dicatur iniuriam pati à fœneratore, 484.n.4.485.n.3
Mutuum quo loco & cuius expensis restituendum, 637.n.4
quæ Mysteria fidei nostrę explicitè credenda sint, 366.n.1.&c.
Mysteria à Deo reuelata credi possunt fide infusa pariter & acquisita, 295.n.4
Mysteriorum diuinorũ duplex fides, 293.n.5.& 6

N

NAAMAN Syrus, an verum sit quod ab Elisæo Propheta petierit licentiam simulandi exteriùs idololatriam, peccatúmque infidelitatis commiserit, 378.n.4.5.& 6
Nabuchodonosoris & Pharaonis comparatio, eorum tamen diuersi fines, 68.n.3.& 4. 110.n.5.& 6
Natura quonam modo quoad existentiam à propria sua subsistentia pendeat, 723.n.6
Natura substantialis possitne existere sine subsistentia, 728.n.2.729.n.1
an Natura substantialis per absolutam Dei potentiam duplici simul existentia existere posset, 833.n.7
Natura rationalis sola & omnis est dominij capax, 537.n.5.&c.
Naturæ duæ integræ, inconfusæ & impermixtæ in Verbo diuino, 709.n.8
Naturæ puræ status dupliciter sumi potest, 244. n. 3.& 4. Plura de eodem statu, *ibid.* num. 5. &c.
puræ naturæ status quid contineat, 144.n.5
Natura diuina nullam habet subsistentiam absolutam communem tribus personis, sed tantùm tres relatiuas, 736. n. 5.& 6
Naturam diuinam triplici simul diuinarum personarum subsistentia subsistere, cur non repugnet, 752.n.6
Naturæ humanæ partes à Verbo assumptæ, quæ sint, 752.n.7.753.754
an natura creata terminari possit subsistentiâ alienâ personæ creatæ, 739.740.741. n. 2. 742. n. 1. 6.7.& 8
Naturæ duæ creatæ simul sumptæ sintne quid intensiue perfectius vnica ex iis, ea scilicet quæ est altera intensiuè perfectior, 743. num.3.& 4
Natura creata quomodo assumi possit à Deo, seu diuina persona, 743.n.6.744.745
an Natura creata propriam subsistentiam retinens assumi possit hypostaticè à Deo, 750. 751.752
an Natura aliqua præter humanam à Deo possit assumi hypostaticè, 746.747
an Nautæ eorum quæ ipsis creduntur in naui ad restitutionem obligentur si pereant res illæ, 578.n.7.& 8. 580. n.7
Necessitari voluntatem à Deo quomodo possit, 82.n.3.& 5.83.n.5
Necessarium quippiã ad aliquem finem duobus modis dici potest, 648. n.4
Necessarium simpliciter quod necessariò sequitur ex aliquo prorsùs necessario 88 n.8
Necessitas quî differat à libertate, 81.n.7
Necessitas duplex, 82. n.1
Necessitas absolutè & simpliciter seu in sensu diuiso, & necessitas ex hypothesi seu in sensu composito, quomodo intelligendæ, 70.n.8 71. n.1.& 2
Necessitas alicuius actus duplex, 339.n.8 349.n.6.350.n.5
Necessitas naturalis,& necessitas coactionis quæ vocentur, 804.n.4.& 5
Necessitas antecedens & consequens, & quænam repugnet libertati, 28.n.8.29.n.1 & seq. 38.n.7.41.n.8
Necessitatis antecedentis & consequentis explicatio, 646.n.6.& 7
Negatio fidei quomodo intelligenda, 377. 378. & seq.
Nemo potest venire ad me, nisi Pater, &c. sensus horum verborum, 858.n.1
Nestorij error, duas agnoscentis in Christo naturas, vt simul duas poneret personas, 712. n.2.3.&c.
Nestorianorum error Christum purum hominem facientium, vnámque voluntatem in eo agnoscentium, 835.n.3
Nolens aliquid duobus modis dicitur, 484. num. 6.

O

OBDVRATIO, *vide* Pharao, *vel* Induratio,
Obedientia generalis sitne virtus specialis, an eadem essentialiter cum qualibet speciali virtute, 472.n.2.3
Obedientiæ ratio in quo consistat, & quomodo distinguatur à iustitia legali, 469. num. 5. & 6.
Obedientiæ virtus sitne necessaria volitioni credendi, 318.n.6.7.& 8
Obiectum formale seu motiuum alicuius actus quid sit, 381.n.5.382.8
Obiectum materiale alicuius virtutis quodnam sit, 459.n.2.& 3. Formale, 461. n. 1.& 2
Obiecti credibilis provt credibilis, & obiecti opinabilis, provt opinabilis, sitne eadem ratio, 303.n.2.& 3
Obiecta motiua quæ dicantur, 312.n.4
Obligatio ex lege seu naturali præcepto quando nascatur, 367.n.6
Obligatio promissionis implendæ vniuersim ad fidelitatem pertinet, 555. num.1. Nonnunquam ad hanc solam virtutem spectat, *ibid.* & num. 2
Obligatio orta ex promissione pura est solius fidelitatis, 555.num.7
Obligatio ex stricta iustitia faciendi quod promissum est, nascitur nonnunquam ex promissione, præter obligationem fidelitatis.
Obligatio mutua ex pacto inito Deum inter & hominem sitne iustitia commutatiua, 528.n.2. & 3. Quid de homine & homine pascisceentibus sentiendum, *ibid.* & n.4
Obligatio tradendi rem donatam, ex iustitia est, 561. num.5

Obligatio de fama proximi conſeruanda quo ex præcepto oriatur, 488.n.1
Obligatio reſtitutionis, *vide* Reſtitutio.
Occiſio alicuius ab alio volẽtis quale peccatum, 483.n.2.3.&c.
Occiſor iniuſtus obligatur ad damna omnia ex nece interfecti ſequuta reſarcienda, compenſatione pecuniæ vel alterius rei æquiualentis, 594.n.2. An obligetur etiam ad faciendas honeſti funeris expenſas, *ibid.* n.3.&c. Quibus perſonis reſtituere teneatur, ratione damnorum quæ ex iniuſta occiſione oriuntur, 595. n.2.&c. 600.n.1.&c.
Odio an amore dignus ſit nemo ſcit: ſenſus horum verborum, 119.n.4.& 5
an Odium & deteſtatio peccatorum ſit perfectæ contritionis actus, 197.n.5.6.7
Offenſa Dei & hominis quid differat, 136. n.7.&c.
Offenſæ ratio in peccato mortali incluſa ſit ne actu infinita, 652.n.5.&c.
Offenſæ grauitas vnde petenda, 655.n.1.&c.656. n.1.2.&3.657.658
an Offenſam aliter Deus quàm homo remittat, 147.n.6.7.8
Offenſæ ſunt vniuerſim in duplici tantùm genere, 657.n.8
Omiſſio infidelitas quædam eſt, 368.n.7. *Vide* peccatum.
Omnipotentia Dei poſſétne comprehendi, 383.n.2
Omnipotentia ſimpliciter fuerítne in anima Chriſti, 800. n. 6. Illius, & aliorum attributorum diuinorum non eſt eadem prorſus ratio, 801.n.2.802.n.3
Operatio Theandrica, ſeu Dei virilis quo ſenſu & à Monothelitis, & à Patribus vſurpata, 838. n.2.& ſeq.
Operationes duæ naturales admittendæ in Chriſto, 838.n.4
Operatio quæ verſatur circa obiectum infinitè præſtans non accipit ex eo infinitam dignitatem, 681.n.3
an Operatio naturæ ſubſtantialis præſupponat ipſam ſubſiſtentem, 728.n.1.& 3
Opus & fides quo differant, 243.n.4
Opus iniuſtum quod dicatur, 458.n.1.& 2
an Opus omne ad quod gratia Chriſti neceſſaria eſt, pertineat ad vitam æternam, 19.n.7.20.n.1. ſeq.
Opus hominis vt ſit æternæ vitæ de condigno meritorium, quot & quas conditiones habere debeat, 215.216.217
Opus omne bonum à peccatore elicitum non habet neceſſariò meritum congruum, 225. num.4
Opus bonum debétne eſſe vel actus charitatis, vel alterius virtutis infuſæ, aut ſi ſit actus virtutis acquiſitæ, imperari ſaltem ab aliqua ſupernaturali & ad eius finem ordinari, 220. n.7.& 8. an debeat eſſe conſilij, non præcepti, 222.n.4
an Operi bono conferat aliquam dignitatem & valorem ſanctitas operantis, 685. n. 2. 686. num.2.
an Opus aliquod bonum exercere poſſit homo ſine gratia ſanctificante, ſine item dilectione Dei ac fide, 7. & 8. per tot
Opus omne bonum cuiuſcunque virtutis acquiſitæ profectum ex auxilio gratiæ, qua de cauſa dicatur à Deo nobis infundi, 290.n.5
Opera bona facta in ſtatu peccati mortalis ſunt mortua priuatiuè, 178.n.6.7
Opera bona in ſcripturis frequenter vocantur hoſtiæ, ſacrificia: operum iſtorum oblatio ſacrificatio: ea exercentes ſacerdotes, 865.n.6
cur Opera bona virtutum à charitate diuerſarum, quæ ex ſe digna non eſſent æternæ vitæ præmio, ſi exerceantur ab homine in ſtatu gratiæ & charitatis exiſtente, eo ipſo euadent digna præmio illo, 223.n.2
an Opera bona ſine fide conducant ad æternam vitam. *Lege ſect.* v. vj. & ſeqq. 233. 236. 237.238
Opera noſtra, quòd Chriſti ſanguine aſpergũtur, quo ſenſu plus valere dicantur, 217.n.3. & 4.
Opera mala ſunt de condigno meritoria ſupplicij independenter ab omni obligatione ea puniendo ſupplicio quod condignè merentur, 218.n.1.& 2
Opera iuſtorum mereri vitam æternam, quo ſenſu intelligendum, 213.1. &c.
quæ Opera non iuſtificent, 190.n.3
an Opera miſericordiæ ſint meritoria vitæ æternæ, 221.n.1. &c. 222. n.1.&c. vis eorum quanta; n.1.&c.
Operibus malis ineſt condignum æterni ſupplicij meritum; 213. n. 6.& 7
Operum iuſtorum quædam æqualitatem habent ex natura rei, quędam ex condicto, ſiue ex communi placito, 466.n.2.3.& 4
Operum humanorum genus duplex ex Proſpero, 234. n.4
Opinio bona de proximo concepta, an poſſit ſine ipſius iniuria deponi, 487.n.8
Opinio probabilior ſítne ſemper præferenda minùs probabili, 498.n.2.& 3
Opinionem in praxi minùs tutam ſequens, an peccandi periculo ſe exponat, 498.n.4
Opinionis actum exerceri non poſſe circa illud obiectum de quo euidens viſio habetur, quo ſenſu dicat S. Thomas, 303.n.5
Opinionem habere quid ſit, 497.n.1
in Opinionum varietate quæ pars eligenda, 498.499.500
Oppoſitio quando non dicatur exceptio, 561. num.7
Oppoſitionis genus an reperiatur inter gratiam & peccatum, 134.n.7.& 8
Oppoſitorum quantum vnum placet, tantum diſplicet alterum: ſítne hoc verum, 650.n.4 653.n.8
Oratio in ſtatu peccati mortalis ad Deum fuſa pro reditu ad diuinam gratiam, reditum hunc de congruo meretur, 229.n.7
Oratio petentis aliquid non efficaciter arguit, petentem non eſſe condignè promeritum id quod petit, 680.n.1
Oratio Chriſti pro Apoſtolis quomodo intelligenda, 859.n.1.2.&c.
Oratio Dominica omnibus etiam iuſtis neceſſaria eſt, 40.n.2
Oratio & gratiarum actio probant neceſſitatem gratiæ, 21.n.6.& 7
Oratio proprie quid ſit: & quàm oratio Chriſti

fuerit efficax, 864.n.6.7.& 8
Orationem quæ propriissimè oratio dicitur, comitari debet spes & fiducia obtinendi à Deo quod orantes petimus, *ibid.*n.8.& 865.n.1
Ordo quid sit, & vt se habeat in causis, 208. n.2. &c.

P

an PACTVM aliquod & promissio Dei requiratur ad opus de condigno æternæ gloriæ meritorium, 216.n.8.217.218.&c.
Pactis suis stare vnusquisque obligatur, 577
Paganismus quid sit, 370.n.6.8. an distinguatur à gentilismo, 372.n.1.2
Palpatio, vt est modus cooperandi, quid sit, 624. n.1. An obliget ad restitutionem, ibidem. n.2. &c.
Parabolæ de operariis in vinea laborantibus, & eundem pro mercede denarium recipientibus, explicatio, 428.n.3.& 4
Parentes cur dicantur diligere filios tanquam seipsos, 514.n.1
Pars in dubiis alia melior aut peior, alia probabilior aut minùs probabilis, alia tutior aut minùs tuta: & quid illæ omnes sint, 495.n.4.& 5
Pars & componens non sunt omnino, idem 714. n.4
Partes essentiales physicæ, assumi possunt hypostaticè à Deo & coniunctim & diuisim, 747.n.8
Partes integrantes alicuius totius & illud actu componentes possunt assumi hypostaticè à Deo, partibus aliis non assumptis, vt caput aut cor hominis, 748.n.4
Partes hominis à Verbo assumptæ, 752.n.7. 753.&c.
Participans duobus modis participare potest damno iniustè illato, 624.n.1
Partus sequitur ventrem: qua ratione id intelligendum, 542.n.8
Parum pro nihil, 27.n.1. & 2
Passio pro Christo susceptа quam vim habeat, 145.n.5.146.n.1
Passiones huius temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam, &c. qua ratione id accipiendum, 214.n.4.5.& 6
Passiones corporis humani omnes fuerintne à Verbo susceptо, & quales sint, 84.n.7.& 8. 805.n.1. &c.
an Passiones in anima Christi fuerint eo modo quo in nobis sunt, & vnde oriantur, 820.821
Pater qua pater nihil debet filio, & vice versa, ex iustitia, 514n.2.& 3
Pater & filius moraliter censentur vna persona, 598.n.8
Patrem inter & filium sitne iustitia stricta, 513. n.7.& 8.514.n.3.&c.515.n.5.& 6
Patrem & Spiritum sanctum non fuisse incarnatos: Filiúque duplici titulo dici debere incarnatum, ex opinione quorundam duplicem vnionem hypostaticam admittentium sequeretur, 736.n.8.737.n.4.5. &c.
an Patres [illegible] Christo priores substantiam Incarnationis meruerint aut mereri potuerint, 732.n.5.&c. Nullus eorum mereri potuit de condigno circunstantiam vllam mysterij Incarnationis: meruerunt de congruo aliquas huius, mysterij circunstantias, 733.n.5.& 6. An de congruo saltem mereri potuerint, vt Christus pateretur pro nobis & moreretur, 734.n.1.&c.
D. Pauli vocatio an coacta, 75.n.8
Paupertatis amor apud religiosos S. Francisci quantus, 537.n.1
Peccare nunquam etiam venialiter, quo modo Deus alicui concedit, 41.n.4
Peccatoris malitia quomodo augeatur, 426.n.5. 428.n.7
Peccatoris iustificationis descriptio, 123.n.4
an Peccatoris fides maior quàm iusti esse possit, 360.n.5
Peccatum permittere qua ratione dicatur Deus, *Lege sect.* IX. 84.85.86.87
Peccatum cur offensa Dei dicitur, 131.n.8
Peccatum ratione continuationis fit quiddam deterius, 429.n.1
Peccatum & gratia in ratione actus & habitus expenduntur, 128.n.7.& 8
Peccatum originale non est actus. 129.n.1. est essentialiter mors animæ, *ibid.*131.n.3.144.n.7
Peccatum omne aut originale aut actuale, 807. n.2. Neutrũ in Christo fuisse probatur, ibid.&c.
Peccatum originale non habet malitiam infinitam, 651.n.3.4.&c.
Peccatum tam originale quàm actuale absolutâ Dei potentia remitti non potest absque vllo physico gratiæ dono, quod in peccatore realiter & intrinsecè recipiatur, 137.n.7.& 8.138. n.1.& seqq. Probatur vniuersim de omni peccato, 139.n.4. 141.n.8
Peccatum nullum est possibile quod non sit remissibile, 127.n.2. originale est essentialiter mors animæ, 127.n.3. non mortale quodlibet, n.4
Peccatum mortale & charitas quomodo se expellant, 204.n.1.& 2
Peccatum mortale totaliter corripit charitatem & effectiuè, qua ratione id accipiendum, 175. n.7. 176. & 177
Peccatum mortale quomodo priuet nos Deo, 650.n.4.654.n.2. Non infert Deo malum infinitum, imo re ipsa nullum, 650.n.5. 654. 4.& 5. An ex eo quod pro nulla re mundi, vel pro omnibus etiam collectiuè sumptis, non sit committendum, possit rectè colligi, ipsum esse supra omne id quod non est Deus, aut habere malitiam actu infinitam, 650.n.5. 654.n.6. & 7
per Peccatum mortale subsequens mortificantur omnia præcedentia condigna gratiæ & gloriæ merita, 228.n.7
Peccatum mortale quibus modis infinitum esse probetur, 650.n.2.&c. Non habere malitiam actu infinitam, ostenditur. ibid.n.7.& 8. & 652.n.3.4. &c.
Peccatum mortale facit hominem dignum æterna damnatione, & filium diaboli formaliter, 149.n.6.& 7
Peccatum mortale formaliter excluditur per gratiam, 132.n.8.133 n.1.& 2. An huic illud opponatur, 134.n.7.8
an per Peccatum mortale contrahatur debitum carendi omnibus gratiæ auxiliis, 660.n.2.& 3. aut redemptore, ibid.n.6.7.& 8
Peccatum mortale actuale per absolutam Dei potentiam potest remitti absque vllo peccato-

ris actu bono circa Deum aut peccatum aut aliud obiectum, 133.n.2. non per ordinariam, *ibidem.* & n. 5
Peccati mortalis malitia sitne maior quàm bonitas actus dilectionis Dei, 205.n.1.&c.
Peccati mortalis maculam & Dei amorem in eodem homine simul stare repugnat, 187.n.6.7. 8.188.n.1.& seq.
Peccato mortali quæ pœna debeatur, 650.n.4. 653.n.5
Peccatum mortale, quantum displiceat Deo, 650.n.4.653.n.6
Peccatum nullum est quod non sit contra præceptum aliquod, 365.n.4
inter Peccatum & gratiam sitne aliquod medium,143.7.& 8.144.n.1.2
Peccatum pro peccati malitia vsurpatum, 241. num.8
Peccatum omissionis duplex, duplici præcepto affirmatiuo opponitur,368.n.1. Quando contrahatur vtrumque,n.2. Vtrumque specie distinguitur ab vtroque illo quod vtrique præcepto negatiuo repugnat, n.3. Quomodo vtrumque inter se distinguatur, ibid.& n.4
an Peccata omnia omissionis contra prius affirmatiuum præceptum facta, sint eiusdem speciei, 368.n.5.6.&c. Sintne item eiusdem speciei illa omnia quæ fiunt contra posterius præceptum affirmatiuum, 369.n.4.&c.
Peccatum non facit omnis qui natus est ex Deo: sensus horum verborum, 40.n.4.43.n.8
Peccatum infidelitatis, *vide* Infidelitas.
Peccatum humano generi remitti à Deo non potuisse nisi præuia pro ipso satisfactione exhibita; solum autem Christum potuisse hanc exhibere,rectène dixerit S.Anselmus, 647.n.4. &c.648.n.1.2. 3
Peccata venialia possintne vitari à iustis. *Lege* xx.p.39.40. 41
Peccatum veniale quo modo deleri possit, 178. n.4.179.180
Peccatum veniale cum gratia nullam habet repugnantiam,133.n.7.De eius remissione, 145. num. 4
Peccatum veniale posset esse infinitæ actu malitiæ,si talem haberet mortale,652.n.3.& 4. Est æquè contra Deum & voluntatem ipsius, ac mortale, 656.n.3.& 4
cur Peccata quæ venialia tantùm essent, & digna pœna temporali,si fiant ab homine in statu peccati mortalis, non eo ipso reddantur digna pœna æterna, atque adeo mortalia sint, 223. n.2
Peccati macula quid sit, 132.num.5
Peccati expulsio gratiæ tribuenda, 124.n.8
Peccati cognitio per legem, quo sensu intelligenda sint hæc verba, 9.n.4.& 5
Peccati actus non potest honestè committi, 473. num.5
Peccati author est qui excitat ad peccatũ. 277.n.5
Peccati remissionem consequi à Deo non potest homo in statu puræ naturæ remanens, 144. num.5
an Peccati & voti quoad remissionem sit eadem ratio, 147.n.3.& seqq.
an Peccati remissio requirat præuium bonum actum, 7.n.3.& 4
an Peccati remissio supponat charitatis & contritionis actus vt dispositiones ipsa priores, 203. n.7.& 8.204.n.2
an Peccata quæ consummantur exteriùs,quæque propriam ac specificam malitiam habent ab obiecto materiali volito, sint semper & necessariò eiusdem speciei, 376.n.1.&c.377
Peccata quæ consummantur exteriùs, vnde malitiam sumant, 479.n.7. &8
Peccata virtuti spei opposita quæ sint,401.n.7.& 8.402.n.1.&c.
Peccata contra diuersas specie virtutes, distincta sunt & numero & specie, 509.n.3. & 4
an Peccata aliqua sine habituali gratia vitari possint, 34 n.4
Peccata auferri sanguine hircorum & taurorum impossibile esse, quo sensu dixerit Apostolus, 675.n.1.2. & 3
Peccatata iustitiæ opposita *vide* Iniustitia.
Peccatorum frequens repetitio adducit in maximam boni volendi agendíque difficultatem, 65.n.7.& 8.66.n.1
de Peccatorum remissionis certitudine variæ sententiæ, 118.n.8.119.120.122.n.4.5.&c.
Pelagiani, cuius gratæ hostes. 1. impugnantur à Patribus, 2.n.4
Pelagij, Pelagianorúmque error circa gratiam interioris auxilij actualis, 4.num.3.4. Item 9. num.4. quatuor propositionibus catholicis refellitur, 5.n.1.2.& seq.
Perditio nostra non ex Deo est, 86.n.4.5
Perfectio simpliciter simplex Deo ob eminentiam diuinitatis tribuenda, 273.n.8.519.n.5
Perfectio quæ reperitur formaliter in creaturis qua ratione Deo quoque formaliter tribuenda, 517.n.6. & 7
Perfectiones multæ Deo formaliter inexistunt, quæ formaliter in creaturis reperiuntur, *ibid.* num.8
Perfectio aliqua duobus modis potest includere imperfectionem, 518.n.1
Perfectum simpliciter & absolutè quid sit dicendum, 645.n.5
Perire casu fortuito quando dicatur res, 579.n.6. 580. n. 2
Perseuerantia nostrarum non est virium, 21.n.6
Perseuerantia in statu gratiæ sanctificantis indiget nouo gratiæ auxilio, 37.n.7.& 8.Sitne donum distinctum à iustificatione, & quot modis tribuatur homini à Deo, 39.n.5
Perseuerantia in gratia vnde pendeat,quot modis sumatur,& an cadat in meritum, 230.n.6.&c. 231.n.1.&c.
de Perseuerantiæ dono Adamo & Sanctis dato; & an inferat physicam prædeterminationem, 92.n.6.93.n.1.& 2
Persona sitne idem quod hypostasis seu suppositum, 711.n.713.n.1
Persona diuina dari nequit creaturæ absque intermedia re aliqua physica quæ in ea producatur, & absque physica eius mutatione, 154.n.3. & 4
Persona diuina qua ratione dicatur assumere naturam creatam, 736.n.1.2. & 3
an Persona vna diuina sine alia possit creatam naturam assumere, 744.n.5
an plures Personæ diuinæ possint simul assumere vnam eandémque numero naturam creatam, 744.n.7.& 8

an Persona vna diuina possit assumere duas naturas humanas, non modò successiuè, sed etiam simul, 745.n.5
Personarum diuinarum prædicata quædam absoluta, quędam relatiua, 736.n.4
an Persona creata, absolutâ Dei potestate terminare possit alienam naturam creatam, 738.n.8. 739.740.&c.
de Petri negatione, nonnulla, 377.n.7.& 8
Pertinacia sitne necessaria ad hæresim conditio, 374.n.4.5. &c. 375.n.1.& seq.
Pertinaciter errare quis dicendus, *ibid.*
Phantasma: quid sit intelligere per conuersionem ad phantasmata, 794.n.8
Pharaonis obduratio discutitur, 66.n.5.67.n.4.5. & seq.68.n.1.2.3.4.110.n.5.6
Pietatis erga patriam, & iustitiæ legalis discrimina, 469. n.7
an Pietatis donum quo ad actum possideatur in cœlo à Christo & beatis, 771.n.8.773.n.1.2
Pignus nullum est, nisi maneat apud ipsum cui datur, 44.n.1
Pili & capilli humani corporis fuerintne à Verbo assumpti, 755
Pluuia, serenitas & id genus cur à nobis postulentur à Deo, 21.n.14
Pœnitentis actus primus, qui, 208.n.2
Pœnitentia filij prodigi & Niniuitarum, 192. num.2.
Pœnitentiæ virtus stricta iustitia non est, 522. num.6
Pœnitentia hominis lapsi post baptismum quid contineat iuxta Concilium, & quo sensu intelligenda, 194.n.4. & seq.
Pœnitentiæ actus proprius qui: & quomodo sumatur ex eo argumentum ad probandum contritionem perfectam delere formaliter maculam peccati, 183.n.2. & seq.
an Pœnitentiæ nostræ peccatorum nostrorum remissio sit adscribenda, 190.n.6.7.8. Promissio Dei de hac conferenda propter illam, quomodo intelligenda, 191.n.1.&c.
Pœnitentiam formalem requiri ad iustificationem quo sensu adstruat Concilium, 200.n.4. &c.201.n.1.&c.
Politicæ virtutis bonum commensuratur humanæ naturæ, 17.n.6
Possessio in genere triplex, 563.n.7
Possessio rei præscribendæ requiritur ad præscriptionem, 563.n.7. Illius tempus, 564. n.2. Debet iusto aliquo titulo esse comparata, ibid. n.3.& 4
Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit, 564.n.6
an Possessor bonæ fidei rem alienam eiúsve fructus apud se sua negligentia perire sinens, aut non efficiens vt fructus aliquos ferat, obligetur ad horum fructuum, illiusque rei restitutionem, domino faciendam, 571.n.6. 576.n.6
an Possessor bonæ fidei rem alienam suis expensis, suóve labore aut industria melioratam restituere debeat, 571.n.7.& 8
Possibile aliquid dicitur dupliciter, 382.n.1
Possibile, vel impossibile in sensu composito, aut diuiso, qua ratione explicent Theologi, 71.n.1
Potentia antecedens & consequens, 42.n.1.99. n.2.& 3
Potentiæ per habitus suos ad actus inclinantur, 318.n.8
Potentiæ à voluntate distinctæ actus prærequirit necessariò liberum actum expressum voluntatis, 313.n.1.& seq.
Præceptum omne positiuum vel diuinum vel humanum est, 367.n.3
Præceptum aliquod affirmatiuum de re aliqua facienda, aut negatiuum de aliqua re non facienda, quomodo intelligendum. 367.n.8
Præceptum affirmatiuum obligat ad actum positiuum, 488.n.1
Præceptum ad fidem pertinens quadruplex, duplex affirmatiuum, duplex negatiuum, 365.n.5. &c.366.367
Præcepti necessitas quo ad externam fidei confessionem, 350.n.5.&c.
Præcepto Dei per opus malum nunquam satisfit, 221.n.4
Præcepta legis naturalis collectiuè sumpta sine gratiæ auxilio seruari non possunt, ita vt contra eam non aliquando peccetur, 9.n.3. Imo nec quodlibet diuisiuè sumptum, 11.n.6.& 7
Prædestinatio non semper incipit à prima gratia actuali, 230.n.5. An homo iustus illam alteri mereri possit, 232.n.7
Prædestinationis Christi explicatio, 884.n.6. &c.
Prædestinatio est gratiæ præparatio, 884.n.6
Prędestinationem & electionem eorum omnium qui ad gratiam & gloriam electi & prædestinati sunt, Christus promeruit, 838.n.3
Prædeterminatio physica rationi aduersatur. 87.n.1
Prædeterminationem Dei physicam non inferri ex scripturis, ostenditur, 90.n.1.&c.91 per tot. Neque ex authoritate Conciliorum & sanctorum Patrum, 92. & 93. Neque etiam ex authoritate S. Thomæ, 94.95. Solutio argumentorum quæ pro illa ratione petuntur, 96. n.7.& 8. 97.per tot.
Prædeterminationis physicæ à morali discrimen, 100.n.4.& 5. plura de vtraque, 101.n.1
Prædeterminatio siue præmotio gratiæ efficacis quomodo intelligenda, 70.n.3.4. & seq.71. 72.& seq.
Prædicatorum accidentalium & essentialium ratio diuersa, 311.n.3
Prælatorum in male conferendis beneficiis peccata, 584.n.6.585.586.&c.
Præparatio hominis ad gratiam quo sensu meritoria, 203.n.4
Præscriptionis & vsucapionis discrimen, 561. n.6.&c.
an Præscriptio in foro conscientiæ locum habeat, 562.n.4. cur instituta, 563. n.3.& 4
Præscriptio, vt in foro conscientiæ locum habeat, sex conditiones habere debet, 563.n.6.&c.
Præscriptio quantum temporis habere debeat, 564.n.2. Quandonam dicatur non procedere, dormire, interrumpi, ibid.n.3.
an Præscriptionem impediat, interrumpátve dubium an res quam quis possidet sua sit, 564. n.7.
Præsumptio, quale peccatum, 402.n.2. Quo sensu dicat S. Thomas, huius peccati actum inniti Deo, 403. n.2. Quodnam sit formale obiectum illius, n.4

Propositionem aliquam esse veram positne quis iudicare ex eo solùm motiuo quod Deus eam talem esse iudicat, 258. n. 2. 3. &c. 259. n.1. &c.
Propositionem aliquam esse reuelatam quid addit propositioni, 258. n.1
ex Propositione certa recténe certum deducatur, 121.n.6
Proprietas rerum, dominiorúmque licita semper fuit & nunc est, etiam inter Christianos, 545. n.7. &c. Iure gentium fuit introducta, 547.n.1 Quandonam cœperit, *ibid.* n.7. Quonam modo introducta, n.8
Prosequutionis actus tendit in bonum, 385.n.5
Prouidentiæ diuinæ secundùm acceptionem & secundum concessionem descriptio & discrimen, 77.n.6
ad Proximi famam conseruandam non tenemur ex præcepto affirmatiuo, 488.n.1
quodlibet Proximi odium non est peccatum mortale, 492.n.8. *Vide* Suspicio. Iudicium.
Prudentiæ à fide in duobus distinctio, 339.n.5. & 6
an Prudentiæ habitui possit subesse falsum, 280. n.1. &c.
an Pueri seu infantes possint habere dominium aliquarum rerum, 519 n.6. & 7
Pulchritudo etiam ex amore, 162 n.7. 164.n.2 & 3
Pulchritudo filij Dei qualis, 806.n.5
Pupillo donanti bona sua fit iniuria ab eo à quo accipiuntur, 484.n.4.7.& 8
Purificatio cordis qua ratione fidei tribuatur, 335. n.5. 364 n.8. 365.n.1
Purus homo non potest Deo condignè satisfacere pro peccato mortali alieno, 666.n.6. Efficax huius assertionis probatio, 667.n.7.& 8. 668. 669. Obiectiones duæ contra hanc assertionem, 669.n.6.7
Purus homo non potest perfectè satisfacere Deo pro alterius peccato veniali, 670.n.5. Nec pro suo veniali condignè satisfacere potest quandiu existit & manet in peccato mortali, *ibid.* n.7
Potest si iustus sit condignè satisfacere, 671.n.1. Quo actu id possit. ibid.n.8. Argumentorum contrariorum solutio, 671.n.2. 675.n.1.&c.
Puri hominis nomine quid intelligendum, 649. n.1.& 2. 666.n.7
an Purus homo possit pro suo mortali peccato satisfacere perfectè Deo, 649.n.6.&c. 659.n.1. 2.&c.
Pyrrhi Constantinopolitani hæresis, 835. n.4

Q

QVALITAS: an detur aliqua media inter consensum nostrum liberum & gratiam vocantem seu excitantem, 56. n.1.2. 74 n.7

R

RATIONALIVM creaturarum à rationis expertibus discrimen, 22.n.4
Reconciliatio hominis cum Deo, an fiat per actum contritionis, 181.n.1.& seqq. An eodem modo fiat, quo fit in rebus humanis, 181. num.6
Reconciliatio post lapsum qua ratione impetrari possit. *Lege sect.* 111. p.228.229.232 n.7
Recti nomine quod ex in operibus externis virtutum quid intelligat D. Thomas, 465.n.1.& 2
Rectitudo in singulis virtutum operibus duplex, 463.n.3.& 4
Recursus nomine quid intelligendum, 624.n.1
Redemptio apud Dominum copiosa: horum verborum sensus, 674.n.6
an Redemptionis humanæ per Christum explicita fides fuerit necessaria, 342.n.3.& 4
Reformationis nostræ spiritalis per fidem, nullum est nostrum meritum, 242.n.6
Regnum cœlorum vt sperandum, 122.n.5
Religionis Christianæ propagatio quale fidei motiuum, 326.n.3. Sanctitas eiusdem, n.7. aduersarij, n.4
Religionis virtus sitne stricta iustitia, 522.n.2. 3.4.5
Religionis actus proprius & essentialis, qui, 316. n.6. Illius actus non sunt veri actus fidei, spei, & charitatis, 317.n.1
an Religiosum ordinem ingredi volentem impediens teneatur ad resarcienda damna quæ per huiusmodi impedimentum Ordo ille passurus est, 582.n.3.& 4. 583.n.2
Reliquiæ Sanctorum cur & quo genere adorationis colendæ sint, 895.n.6.&c. 897.&c.
Remissio peccati quî fiat, *lege disp. x.* 137.138. & seqq.
Remissio peccatorum pœnitentibus à Deo promissa, qua ratione accipienda, 191.n.1.& seq.
an Remissio culpæ possit intelligi sine infusione gratiæ, 203.n.5. & 6. Sitne prior actibus charitatis & contritionis, n.7.& 8
Remissio culpæ & pœnæ æternæ, ac remissio pœnæ temporalis sintne effectus eiusdem gratiæ, 204.n.2.3. & 4
Remissio peccatorum quomodo sit ex satisfactione Christi, 692.n.8. 693. n.1.& 2
Remissione peccatorum quid intelligat Concilium, 46.n.7.& 8. quid Augustinus, 49 n.3
Remissionis peccatorum causa formalis, 123.n.5. & 6. 124.
Remissus negligensque quis dicendus, 427.n.6
Renuntiatio rerum suarum, iuxta illa verba, *Qui non renuntiat*, &c. quomodo intelligenda, 546. num.1
in Renatis nihil est quod Deus oderit, quomodo id intelligendum, 145.n 6. 146.n.3.4
an Reparatio post lapsum cadat in meritum, 228.n.7 229.230.232.n.7
Reparatio generis humani Dei erga nos charitati & misericordiæ tribuenda, 645. n.5
Reprobis etiam non negatur sufficiens gratia ad bene operandum, 78.n.2
Repugnantia formalis sitnè inter peccatum & gratiam, 131.n.1.2.& seq. 143.n.7.& 8. 149 n.5
Res: quando cognosci dicatur euidenter, & assensus ei tanquam veræ datus sit euidens, 265 n.2
Res à nobis supposito distincta, qua ratione nobis bona esse potest, 388.n.1.& 2. 395 n.3
Res quæ extra hominem sunt reuocantur ad tres: & an harum ille sit dominus, 540. n.1.2.&c. Quæ intra sunt, & ad corpus pertinent, sunt in duplici differentia: & an harum ille quoque sit dominus, 541.n.6.&c.
an Res nobis internæ & ad animum pertinentes in dominium nostrum cadant, 544.n.7.& 8

Rerum ordo triplex iuxta Caietanum & Medinam, 701.n.2
Rerum aliæ vnica actione omnino consumuntur, aliæ contrà, 535.n.4
Rerum ratione carentium duplex genus, 548. num.1
Rerum appropriatio fuit olim & nunc est Ilcita, 545.n.4 &c.546.per tot.
Rerum diuisio quo iure introducta, 547.num.1. &c.
Rerum dominium quibus modis comparetur, 548.549. & seq.
Rempublicam inter & ciuem sitne iustitia stricta, 513 n.7.514.n.3
Restitutio bonorum animæ quomodo facienda, 581.582.& seq.
Restitutio pro bonis corporis,vt cùm quis alteri contra iustitiam membrum amputauit aut vitam eripuit,quomodo facienda, 594. n. 1.&c. 595.596. & seq.
Restitutio bonorum quæ spiritalibus annectuntur,quomodo facienda, 584.n.6.&c.
Restitutio à cooperante iniustè alteri quomodo facienda, 625.n.6.624.&c.
à Restitutione bonorum fortunæ facienda quot & quæ causæ excusant, 630.n.2. Circunstantiæ illius restitutionis faciendæ, quæ sint, 630 n.1.631.632
Restitutio famę, 601.n.1.&c. bonorum fortunę, 612.n.1
Restitutio famę, reique furto sublatę cur statim facienda, 523.n.1
Restitutionis bonorum fortunę, & restitutionis honoris sitne eadem ratio, 689.n.6.7.8
an Restitutionis obligatio nasci possit ex violatione virtutum aliarum à particulari iustitia distinctarum, 567.n.6
Restitutionis obligatio nascitur ex violatione iustitię tam commutatiuę quàm distributiuę,567. n 2. & 3
Restitutionis obligatio duobus ex capitibus vniuersim oritur, ex re scilicet aliena, & ex eiusdem rei acceptione, 568.n.2. An ex contractu possit oriri, *ibid.*n. 6 & 7
Restitutio ex capite rei alienę quomodo faciēda, 569.n.1.& seq. Fructus ex ea percepti quot & qui sint,& quorum facienda restitutio, 570. n 2.&c.
Restitutio ob illatum damnum extra contractum quomodo facienda, 573.n.3.&c.574. 575. 576
Restitutio ob damnum ex prę supposito contractu illatum,qua ratione facienda, 577. num. 3. &c.
Restitutio,quando vt certo loco fiat,expensę aliquę faciendę sunt, quo loco & cuius expensis facienda sit, 636.n.6.637.638
Restitutionis faciendæ pro re oblata quę nec eadem numero reddi potest, nec altera ipsi ęqualens,nulla est obligatio, 595.n.3
an Restitutio necessaria sit ad salutem, & cuius virtutis actus ea sit, 565.n.7. & 8.566.n.1. &c.
an Restitutio rei pereuntis absque peccato eius apud quem perit sit huic facienda, 579.n.3.4
an Resurrectionem humanitatis suę Christus meruerit, 850. n.3.853.n.2
Retentio rei alienæ quale peccatum, 566.n.1
Retributio glorię ęternę sitne actus iustitię commutatiuæ, 529.n.7.& 8. sitne distributiuæ, 530.n.7
Rex etiam regis imago dicitur, 891. n.5
Romanorum virtutes cur vitia fuerint, 8.n.2
Reuelantis testimonium & authoritas quale motiuum, 259.n.8.263.n.1.& 4
Reuelatio peccati futuri non tollit obligationem præcepti vetantis peccatum futurum, 402.n.6
Reuelatio quælibet credi fide diuina potest, etsi per nullam aliam reuelationem reuelata sit, 269.n.8
an Reuelatio externa qua Deus vel per voces in aere formatas vel per apprehensiones in intellectum immissas, &c. requiratur ad constitutionem adæquati obiecti formalis fidei, 256. n.3.& seq.257.n.1.& seq.
Reuelatio Dei extrinseca duobus in genere modis fieri potest, 251.n.6. aliquando ineuidens & obscura est, n.7. An possit aliquando esse euidens. *ibid.* & n. 8. Quomodo id ab Angelis & à nobis cognosci possit, 251.n.1.&c.
quid Reuelatio tribuat rei reuelatæ, 258.n.1.& 2
an Reuelatio Dei externa ad formale fidei obiectum pertinens, priuatim singulis fieri debeat, 259.n.5.&c.
an Reuelatio Dei externa, vel Ecclesiæ, vel eius principibus, vt Apostolis,fieri debeat: & quid de reuelationibus priuatis sentiendum, 260. n. 4. & seq. An debeat esse de rebus ad communem totius Ecclesiæ doctrinam vtilitatémque pertinentibus, 261.n.3.&c.
Reuelatio dupliciter obscura dici potest, 262. n. 8.
Reuelatio Dei ad obiectum formale fidei pertinens debet esse obscura ex parte rei reuelatæ, 263. n. 1. & 2. Necessarium non est illam esse obscuram est parte reuelationis & reuelantis, sed potest circa rem reuelatam exerceri actus fidei etiamsi reuelatio euidenter cognosceretur, & ex ea cognita euidens esset Deum esse qui reuelat, 262.n.6. 7. & 8
Reuelatio Dei non pertinet ad obiectum formale fidei nisi pro vt Dei reuelatio est, 264.n.3.& 4
num Reuelatio quæ credi non potest, possit esse obiectum formale fidei, ea autem quæ euidens est,credi non possit? 265.n.4
an Reuelatio vna eadémque numero, quæ est id quo tanquam motiuo seu obiecto formali aliquid, vt Trinitas, creditur possit etiam esse id quod creditur, 267.n.4.& seq.
si Reuelationem suæ damnationis aliquis à Deo acceperit, posítne nihilominus beatitudinem ab ipso sperare, 402.n.2.&c.
Reuelatum aliquid duobus mobis esse potest, 271.n.1

S

Sacerdos verè & propriè quis dicendus, 866.n.1.869.n.1
Sacerdos omnis est mediator non vice versa, 866.n.5
Sacerdos quilibet, non tantum potest sed etiam debet contra propriam suam opinionem absoluere pœnitentem persistentem in opposita opinione probabili,500.n.1. Item & pœnitentem qui morti proximus sola signa contritionis exhibet, ibid.n.2

Sacerdotis officio functus qua ratione dicatur Christus, 870.n.3
Sacerdotium ad sacrificium ordinatur vt ad actum sibi maximè proprium, 865. num.5. Quot modis sumatur, *ibidem.*
Sacerdotium proprie dictum respondet sacrificio proprie dicto, 865. num.8. Tale erat Christi sacerdotium, *ibid.* & 866. num. 1. & 2. quomodo sempiternum, 871.num. 8. 872. 873
Sacramenta Ecclesiæ manasse de latere Christi lancea vulnerato, qua ratione dicatur à Patribus, 848.n.7.849.n.1.2. & 3
Sacramenta viuorum cur sic appellata; & anea conficiens aut suscipiens cum dubitatione peccet mortaliter, 121.n.7.& 8
an Sacramenta sint causæ instrumentales physicæ gratiæ, 123.n.2.& 3
omnis Sacramenti, vt sacramentum est, effectus, est ex opere operato, 172.n.4
Sacrificium tam improprie quàm proprie dictum quid sit, 865.n.6.7.& 8
Sacrificium triplex: propitiatorium, Eucharisticum, impetratorium: quid sint, 879.n.3. Quodnam à Christo oblatum, ibid.115.
Sacrificium Christi quî differat à sacrificio Leuiticorum. 674. num. 7. & 8. 675. num. 1. &c.
Sacrificium Christi cruentum omnium sacrificiorum vim totam & perfectionem habuit, 879.n.4
Sacrificij & adorationis latriæ quàm dispar sit ratio, 889.n.1
Sacrilegium sitne peccatum contra strictam iustitiam, 522.n.1. &c.
Sadducæi cur hæretici habiti, 372.n.3
de Saluandorum numero nonnulla ex D.Anselmo, 646.n.6.&c.
Salus quibusnam impossibilis, 344. n.8
Salus duplex, viæ scilicet & patriæ: & an sit ad vtramque necessaria Christi redemptoris explicita fides, 343.n.2.3
Salutis consecutio, *vide* Gratia sufficiens.
Sancti quo cultu venerandi, 896.n.1.2.&c. Facta ipsis & personis sacris iniuria sitne sacrilegium, 896.n.8.897.n.1
Sanctificationis nostræ causa cui tribuenda, 150.n.2.3.151. n. 2
Sanctificatio nostra in qua voluntate consistat, Christi an Dei patris, 845.n.6
Sanctitas quid sit, 129. n.8
Sanctitas duplex: & quænam possit sanctificare naturam formaliter cui extrinseca est, 767.n. 1
Sanctitas operantis quid conferat operi, 685. n.2.686.n. 2. & seq.
an Sanctitas aliqua creata sit possibilis quæ peccati maculam formaliter excludere posset, 127.n. 1. & 2
Sanctitatis quæ est diuinitatis propria, & omnipotentiæ sitne eadem ratio, 802.n.3.
Sanctitatis incrementum quî fiat, 426. num.1. &c.
Sanctitatis augmentum mereri nemo potest etiam in statu gratiæ sanctificantis existens, absque peculiari gratia, 34.n.8
Sanguis in humano corpore iuxta Caietanum duplex, & an fuerit à Verbo assumptus, 753. n.1. &c.
an Sapientia summa includat formaliter diuinitatem, 255.n.1.2.&c.
Sapientia Dei in mysterio abscondita, quomodo intelligenda, 706. n.1. Eiusdem locus, *Dominus possedit me*, &c. *antequā quid* &c. tripliciter exponitur, 707.n.1.&c.
Sapientia attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: quomodo id intelligatur, 90.n.6.91.n.2
Saræ risus vnde ortus, & an fuerit peccatum, 262.n.7
Satisfacere Deo perfectè pro suo peccato mortali non potest pura creatura, 650. n.1.659. n.1.2.&c. Nec condignè pro alieno mortali, 666.num.6. nec pro veniali alterius, 670. num.5. An possit pro suo veniali, 670. n.7. 671.n.1.672.n.2
Satisfaciendi debitum tollaturne per mutuam damni illationem, 605.n.5.& 6
Satisfactio quæ actio, 183.n.2. & seqq.
Satisfactio Christi pro peccatis humani generis perfecta ex se seu condigna fuit, 674.675. 676.&c.
Satisfactio Christi non fuit actus commutatiuæ erga Deum iustitiæ, 527.n.8
Satisfactio vt sit ex rigore Iustitiæ, quas conditiones requirat, 687. n.6.& 7. 688. n. 5. 689.num. 1
Satisfactio condigna pro peccato mortali quæ sit, 205.n.6.& 7
Satisfactio condigna duo requirit, 662. num. 5. & 6. An præsupponat personæ satisfacientis existentiam productionémque, *ibid.* & num. 7. An requirat præuiam peccatorum remissionem, 663. n.1. & seqq. 664. 665
an Satisfactio bonitatem suam, dignitatem & valorem accipiat ex persona satisfaciente, 650. n.2.657.n. 3. &c.
Satisfactio tanto plus habet valoris, quanto est dignior persona satisfaciens, 678.n.3
Satisfactio procedens ex persona infinitè præstante capit ex ea infinite valorem, 681. num. 2
Satisfactio pro peccato generis humani fuerítne prærequisita ad ipsum reparandum, 647. n.4 5.&c. 648.649
Satisfactio pro peccato duplex esse potest, perfecta & imperfecta: & quid fuit, 649. num.7
an Satisfactio pro vnico peccato mortali sufficiens exhiberi Deo posset à productis reipsa omnibus tam hominibus quàm angelis, singulis charitate præditis, 656. n.5.& 6
Scientia Dei de futuro vt se habeat, 102.n.5.& seq. de eius *obiecto*, 103.n.1. & 2
Scientia Christi quotuplex, 778. num. 6. 779
Scientiæ habitus nunquam feretur in conclusionem falsam tanquam in obiectum materiale licet prudenter vera existimetur, 278. num. 5
sub Scientiæ per se infusæ obiecto comprehenduntur res omnes in entitate supernaturales, diuisiuè saltem acceptè, 780. num.5. &c. Comprehenduntur item sub eodem obiecto res omnes creatæ in entitate naturales diuisiuè saltem sumptæ, 781. n.7. & 8

An eiuſdem obiecto res creatæ omnes tam ſupernaturales quàm naturales, ac proinde omnes creaturæ poſſibiles, etiam collectiuè ſumptæ comprehendantur, 783. 784. 785. Vtrùm eiuſdem obiecto Deus contineatur, 786.n.1.&c.
Scientiæ infuſæ habitus: an ad hanc ſcientiam pertineat aliquis habitus infuſus diſtinctus à ſpeciebus impreſſis ad eandem ſcientiam pertinentibus, 791.num.3.&c.
an Scientiæ infuſæ habitus ſeu lumen diſtinguatur à lumine gloriæ, 792.n.4. an gloriæ lumen, & habitus, ſeu lumen infuſæ ſcientiæ diſtinguantur, 792.n.4
Scientiæ infuſæ actus, qualis in Chriſto fuerit, 793.794
an Scientia infuſa quilibet rectè vti poſſit tempore ſomni aut amentiæ, 794.n.7. Vſus huius ſcientiæ non indiget humani intellectus ad phantaſmata conuerſione, *ibid.* n. 8
Scientificum medium quod dicatur, 307.n.1
Scripturæ verba quando in proprio ſenſu accipienda, 404.n.1
cur quæ Scripturis continentur de fide nunc omnia, 258.n.4
Semipelagiani cur ſic appellati, 4.n.7.& 8. damnantur, 15.n.5
Semipelagianorum errores aliquot, 62.n.3.193. n.1.233.n.4.&c.
Sempiterni vox in illis verbis verbis Apoſtoli, *Sempiternum habet Sacerdotium*, an idem ſit quod æternum, 871.n.8.872.n.1.2.&c.
Senſus compoſitus poſſitne eſſe duplex aut multiplex pro multitudine formarum in eodem ſubiecto exiſtentium, 71.n.1.2
Sergij Conſtantinopolitani error, 835.n.4
Seruitus duplici vniuerſim ex capite oriri poteſt, 542.n.5
Seruitus ex propria voluntate quomodo contrahatur, 542.n.5
Seruitus ex aliena voluntate triplici ex fonte ortum habere poteſt: ex poteſtate parentum in liberos, 542.n.7. ex natiuitate, n.8. Ex delicto duobus modis contrahi poteſt, 543.n.2
Seruus, ſeu mancipium alterius, iure naturæ eſt, 542.n.3. & 4
Serui nomen variis in locis tum ſcripturæ, tum Patrum Chriſto attributum quomodo accipiendum, 861.892.863
an Seruus poſſit peccare contra dominum ſuum per iniuſtitiam ſtrictam, 529.n.5
Seruus acquirit domino quidquid acquirit: qua ratione id intelligendum, 539.n.6
Seruo qui fecit quod debuit, quæ habenda gratia, 222.n.8
Seruum inter & dominum an intercedat iuſtitia ſtricta, 513.n.7. 514.n.3
Seruis ininſtè factis ad ſuos aut quocunque aliò fugere licet, 543.n.4. Quibuſnam ſit illicita fuga, *ibid.*
an Seruis captis in bello iuſto ex parte capientium liceat à dominis fugere, 543. n.5.6.&c.544.n.1. Obiectiones de hac re quomodo ſoluantur, 544.n.2.&c.
an Serui ſint capaces dominij aliquorum bonorum, 539.n.3
Similitudo duplex duorum corporum ſimilium, 157.n.7
Simul particula pro *pariter*, 364.n.3
Soluendi obligatio vnde naſcatur, 568.n.6.&7
Solutio ſummarum cuius virtutis actus, 566. num.8
Sophronij locus de exiſtentia humanitatis Chriſti emendatur, 834.n.3.4.5
Species in entitate ſupernaturalis nulla habetur in hac vita, 59.n.6
Sperare pro credere, 40.n.6
Spei certitudo ex parte promiſſionis diuinæ vt ſe habeat, 122.n.6
Spei actus poſſitne moraliter eſſe malus, 338. n.1.339. n.3
Spes humana tota innititur poteſtati humanæ, 382.n.8
Spes Theologica non ſoli attributo diuinæ fidelitatis innititur, 391. num.8. Quo ſenſu dicatur certa. 392. num. 1. & 2. Cur vna ſit, n.5
Spem eſſe tantùm de bonis propriis, quo ſenſu dicant Theologi, 393.n.5.&6
Spes eſt tantùm de bonis futuris, 394. num. 3
Spei formale obiectum eſt Deus ſeu potentia diuina & pietas, vt principium effectiuum bonorum quæ ſperamus, 381.num.382.n.3. 383. n. 1. & 4. Solutio contrariorum huic aſſertioni argumentorum, 388.num.7.389. & ſeqq.
Spei materiale obiectum eſt id quod eſt bonum, futurum arduum, & poſſibile obtineri, 385. num.4.&c. Ad iſtud obiectum pertinet ex natura rei illud omne quod eſt bonum, futurum, arduum & poſſibile per Deum obtineri, 386. num. 2. Materiale ſpei obiectum, & quidem immediatum, non ſola viſio Dei, ſed etiam ipſe Deus, 387. num.6. Solutio argumentorum contra tres iſtas aſſertiones, 393.394.&c.
cur Spei nomine ſecunda virtus Theologica appelletur potiùs quàm tertia? 390.n.1.
Spei conſectaria nonnulla, ſcilicet eſſe virtutem, hancque Theologicam, & à cæteris diſtinctam. 395. num.6. Eſſe in entitate ſupernaturalem, num. 7. Nullum eiuſdem actum poſſe eſſe in entitate merè naturalem, *ibid.* Nec malum moraliter, num.8. Poſſe concedi omnes illius actus quibus aliquod bonum à Deo ſperatur eſſe vnius infimæ ſpeciei, 395.n.8
Spei ſubiectum quodnam ſit, tam proximum quàm remotum, 396.n.3. Non in eſt hæreticis, ibidem.& n.4. An inſit fidelibus.n.5. An animabus Purgatorio detentis, n.6. Non eſt in damnatis, n.7.& 402.n.4. Sitne in Beatis, 397.398.399.& 400
Spei virtuti quot & quæ peccata opponantur, 401.n.7.402.n.1.&c.
Spiritus pro mente apud Patres, 763.n.2
Spiritus ſanctus quomodo detur, 44.n.1.46.n.7. & 8.47.n.2.3.4.& ſeq.
Spiritus ſanctus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro quod ſumus filij: quis ſenſus horum verborum, 121.n.1.2.& ſeqq.122.n.2
Spiritus ſanctus proprie donum dicitur propter dilectionem, 164.n.7
Spiritus ſanctus qua ratione donabilis, 154.n.2. 6.7.& 8.155.n.1.& ſeq.156.n.2

Spiritus sancti vel persona vel natura nos non sanctificat formaliter, 149.n.8.150.n.3.151.n.2. 4.5.154.n.2

Spiritu Dei quomodo dicamur agi, 90.num. 6. 91.n.6

Spiritus hominis Deo adhærentis quo sensu vnus dicatur cum eo spiritus, 157.n.2.3.158.159. 160

an Stabularij accipientes aliquid custodiendum si hoc pereat, restituere debeant, 578.n.7.& 8

Status viatoris, *vide* Viator.

Status puræ naturæ, *vide*, Natura.

Stipulationes turpes nullius sunt momenti, 616 num. 3. an Accepta per liberalem alicuius donationem ob fictam causam, vt cum quis simulata infirmitate, paupertate, sanctitate, eleemosynam accipit, restituenda sint, 616 n.8

Stoicorum de vltimo fine opinio, 8.n.8

Stola pro gratia sanctificante, 224.n.8

Stola sanctitatis quæ dicatur, 167.n.5

Stricta iustitia sine inter Deum & hominem, 517.n.5.518 519.520

Stuprum virgini consentienti inferre quale peccatum, 483.n 3.&c.

Subditus contra propriam suam opinionem licet tutiorem & probabiliorem potest & debet superiori suo obedire imperanti partem minùs tutam, minúsque probabilem, 499.n.7. *Vide* Princeps, Seruus.

an Subiectum aliquod possit habere duplicem formam accidentalem, 71.n.2

ex Subiecto existente, licet nondum subsistente, potest aliquid effici, 724.n.2

Subordinatio qua causæ secundæ subordinantur primæ, in quo consistat, & an inferat physicam prædeterminationem, 97.n 2 & 3

an Subsistentia propriarei materialis terminare possit alienam naturam spiritalem, præsupposito quòd personæ creatæ subsistentia propria alienam terminare naturam valeat, 733. num. 5

an Subsistentia creata possit terminare naturam alienam creatam, 738.num. 8.739.& 742 num.6

Subsistentia naturæ propria quid sit, 752.n.2

Subsistentiis pluribus alienis simul terminari vnam eandémque naturam creatam cur non repugnet, etsi repugnet hanc terminari sua simul & aliéna, 752.n.5

Subsistentiæ in diuinis personis quot admittendæ, 736.n.6. 7.& 8 737.n.8.738.n.4

Subsistentiis tribus diuinarum personarum subsistere diuinam naturam non repugnat. *ibid.*

Substantiæ nomen pro subsistentia & supposito antiquitus sæpe vsurpatum, 834.n.5

Substantia quælibet completa & intellectualis assumi potest hypostatice à Deo, 746.n.6. Imo etiam non intellectualis, 747. num.1

Superiorem inter vt superiorem & subditum vt subditum non intercedit stricta iustitia: inter eosdem non sic spectatos intercedit, 515.n 5. &c.516.517

Supernaturalitas habituum & actuum vnde petenda, 294.num.4.&c.295.num.1. &c. quomodo discernatur ab eorundem naturalitate, 296.n.5.&c.297.per tot.

ad Supernaturalitatem alicuius rei quid sufficiat, 741. n. 6

Suppositio siue hypothesis duplex, 81. n.2

Suppositum seu hypostasis quæ differant à persona, 713.n.1

Suspicio quot modis sumatur, 489. num. 5. & 6

Suspicio latè sumpta, est toties peccatum mortale quoties est assensus firmus quo leuibus ex causis malum graue non certo inexistens proximo, de ipso cogitatur, 489. num. 7

Suspicio siue latè siue strictè sumpta est tantùm veniale peccatum, quando malum quod de proximo temere seu leuibus ex causis suspicamur, leue est, 489 n.8

Suspicio pro debili assensu sumpta quo graue malum temere de proximo suspicamur, nunquam est peccatum mortale iniustitiæ, 489. num.8.490.n.3.& seq. ratione probatur, 491. 492

Suspicio peccatum esse non potest nisi temeritas suspicionis aliquo modo voluntaria sit, 492. num. 3

Suspicionis causę leues quænam censeri debeant, 493.n.1.2. quæ graues, n.3. & 4

Suspicionem aliquam esse peccatum mortale probantia argumenta soluuntur, 494. n. 2 &c.

Symbolum qua ratione tenendum, 366.n. 1. & seq.

Symboli locus, *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus*; qua ratione intelligendus, 711. num. 3

T

TEMPERANTIA duplex, 474.n.6

Temperantiæ obiectum, sitne bonum commune, 473.1.& 4

Templi nomine, ex illis verbis, *Soluite templum hoc*, quid intelligendum, 712.n 4.5

Templum Christi duplex, & qua ratione illud huic conueniat, 868.1.2.3.& 4.869.n.3

Tempus huius vitæ conuersionis cuiuslibet peccatori à Deo deputatum est, 63.num.6.69. num.7

Tentatio grauis quæ censenda, 15.n.1

Tentatio etiam leuissima contra præceptum vllum legis etiam naturalis sine gratia vinci non potest, 15 n.3

Tentatio quælibet, siue grauis siue leuis ea sit, non nisi quinque modis superatur, 16.n.1.2

Tentatio omnis siue collectiuè siue diuisiuè sumpta contra legem naturæ, an vinci possit. *Lege sect.* v. & vi. pag.9.10.11.12.13

Tentationem aliquam vincere possitne aliquis in statu gratiæ existens, sine peculiari gratia, 35.n 7.&.8.36. per tot.

Tentationi cur è duobus æqualiter tentatis vnus resistat, alter non consentiat, 114. num. 1

Tentationum victoriam non procedere à solis naturæ viribus argumenta probantia soluuntur, 28.29.30.31. per tot.

Terminare naturam alienam quid sit, 740. n.7. 742.n.1

Testamentum pro infecto quando habendum, 552.n.5
Testamentum vetus quando compositum, & quale fidei motiuum, 326.n.6
Testamenti veteris & noui differentia, 27.n.5
pro Testimonio vero dicendo sitne licitum accipere pretium, & si quod acceptum fuerit, sitne restituendum, 614.n.8.615.n.1. *Vide* Spiritus.
Theologiæ scientia Christi meritis tribuenda, 3. n. 7
Theologiæ & fidei vnum & idem esse obiectum quo sensu dicat S. Doctor, 255.n.1
Theologica conclusio quæ dicenda, & an omnis sit de fide, 44.n.5.270.n.1.282
Thesauri nomine quid intelligendum, 548. n.4.& 5
Thesaurorum inuentio ad quos pertineat, 549. n.1.&c.550. n 8. 551.n.1.&c.
Timor Dei, fidei effectus, 364.n.8
Timoris Dei donum sitne modo in Christo quoad actum, 773.n.1.& 4
an Timor sit cum dubitatione & incertitudine futuri mali, aut spe illud euadendi coniunctus, 821.n.3.& 4
Timor medicamentum, charitas sanitas: dictum D. Augustini insipidè ab aliquibus explicatum, 162.n.4.5.& 6
Timor æternæ damnationis, & spes æternæ beatitudinis, qua ratione respiciant Deum, 391. n.1.& 2
Timor seruilis & castus: illum pellit charitas, hunc adsciscit, 163.n.7.& 8. De vtroque locus D. Bernardi explicatus, 164.n.4.& 165. num.1
Totum includit triplicem ordinem, 511. n.4
Tractio diuina, iuxta hæc verba, *Nisi pater meus traxerit eum*, &c. quomodo accipienda, 52. n.7.53.n.1.& 2. Idem est ac illuminatio & inspiratio, 90.n.6.91.n.5
Tractioni diuinæ nostrum est consentire aut dissentire, 77.n.5 & 8
Traditio ad acquirendum in rem donatam dominium ordinariæ requiritur, 561.n.4
Traditio rei donatæ ad quam virtutem spectet, ibid.n.5
Transitus ab vno statu ad alterum quî verè fieri dicatur, 125.n.8
an Trinitatis & humanæ per Christum redemptionis mysterium explicitè credere fuerit, quouis tempore necessarium ad salutem, 242. n.2.&c.366.n.5
Trinitatis mysterium possitne quidditatiuè intuitiuè cognosci, 786.n.2.&c.787.n.1.
Tyrij & Sidonij cur non conuersi, 72.per tot. 110.n.8

V

VALOR satisfactionis in quo consistat, 674.n.3.675.676.677. &c.
Valor præmij, valor pretij. *Vide* Meritum.
Vaticinationes prophetarum quale fidei motiuum, 326.n.6
Velle & perficere qua ratione in nobis dicatur Deus operari, 91.n.7.& 8.92.n.1.93.n.1
Velle Deum aliquid liberè & liberè nolle quid sint, 139.n.7.140.& 141
an Venæ auri, argenti aliorumque metallorum domino careant, nulliúsque sint antequam inueniantur, 551.n.4.5.& 6
an Venator venationi prohibitæ dans operam, ferarum quas ita venando capit, dominium comparet, 550.n.7
Veracitas seu veritas an idem quod fidelitas, 556. n. 8.557.n.1.&c.558.559
Verbum ante incarnationem quo sensu integrum completumque suppositum, 720.n.4
cur Verbum per Incarnationem non mutetur, 721. n.1. Solutio argumentorum ipsum & humanitatem seipsis vniri, probantium, 721. num. 2. &c. Solutio quatuor argumentorum, quibus probatur eadem actione humanitatem illi vniri & produci substantialiter, 722.n.7
an Verbum diuinum, vi decreti quo incarnatio decreta à Deo est, humanam naturam assumpsisset, si solum illud primi parentis peccatum extitisset, ex quo originale deriuatur in posteros, etsi nulla alia actualia extitissent aut futura fuissent? 698.n.7. An vi prædicti decreti incarnatum fuisset, si non extitisset peccatum illud primi parentis, nec vllum proinde originale posterorum, sed alia tantùm actualia, vel primorum parentum vel aliorum hominum, vel tam horum quàm illorum? 699.n.1. &c. An eiusdem incarnatio fuerit ordine rationis priùs quàm actu futurum in Adæ posteris peccatum originis Deus præuideret? 699.n.6. & 7. Prius rationis ordine decreta fuit quàm à Deo præuisa fuerint vlla posterorum Adæ peccata actualia, 700.n.1. An facta fuerit propter delendum originale potiùs quàm actuale, 700.n. 4.6.& 7
Verbum diuinum quas humanæ naturæ partes assumpserit, 752.n.7.753.754. Quo ordine humanitatem eiúsque partes assumpserit, 755. n.6.757.&c.
an Verbum terminet naturam humanam per aliquid absolutum, an relatiuum, 736.n.5.&c.738. n.4
an Verbum aliquid assumpserit quod priùs natura fuerit aliquo accidente informatum, quàm à Verbo assumptum, 762.n.7.763.n.1.&c. Quibusnam defectibus humani corporis subiectum fuerit, 804.805. & 806
cur si, *Verbum factum est homo*, vera sit propositio, falsa sit hæc, *Verbum factum est Deus*, 816. n.4.& 5
Veritas in Deo quadruplex distingui potest, 251. n.3. & 4
Veritas diuina prout est formale obiectum fidei, quomodo accipienda, 254.n.3.255.n.2.& 3.257. n.6.261.n.7.262.n.1
Veritatum naturalium notitia an pendeat a gratia Dei. *Lege sect.* 11. p. 2. & 3
Verum duplex sicut & falsum, 557.n.5
Viæ hominis non sunt, in homine, sensus horum verborum, 90.n.6.91.n.3
Viator qua ratione patiatur iniuriam à latronibus quibus suas volens dat pecunias, ne ab ipsis interficiatur, 484 n.4.485.n.3
Viatoris status requiritur ad meritum beatitudinis ex natura rei. 216.n.2.& 3
Viatorem quandiu est in via per pœnitentiam posse conuerti, quo sensu dixerit Concil. Lateranense, 69.n.7. & 8

M. Victorini error de adoptione Christi, 882.n.3
Videre pro credere, 323.num.1
Vigilate & orate, &c. sensus horum verborum, 21.num.2
Vindicatio seu vindicatiua iustitia sitne species iustitiæ stricte sumptæ, 510.n.1.&c. Sitne formaliter in Deo, 531.n.2
Virum inter & vxorem sitne iustitia stricta, 516 n.6.517.n.1
Viro graui referentem crimen aliquod graue de alio viro graui, sitne credendum, 496. n.5.& 6
B. Virgo ab originali peccato seruata immunis, 699 n.7
B. Virgo sola peccati expers. Egregius hac de re S. Augustini locus, 411.n.1.& 2
B. Virgo qua ratione dicatur Mater Dei, 712. n.7.8.722.n.8.723.n.1.& 2
an B. Virgo Dei maternitatem mereri potuerit,& reipsa meruerit, 714.n.5.&c.715. per tot.
cur B. Virgo rationem obtinet reliquiæ pretiosioris quàm vllæ res aliæ quæ Christum tetigerunt, 897 n.6
B. Virgini quænam adoratio debeatur, 897.n 2. & seq.
Virginitatis ereptæ compensatio qualis esse debet, 596.n.7
Virtus non potest esse principium actus vitiosi, 473.n.5
Virtute malè vti nemo potest, 473.n.1
Virtutis in communi ratio in quo posita, 50.n.4. 351. n.7.353.n.2. proprie stricta vsui pata quid sit, n.8 352.n.3
Virtutis nomen simpliciter & sine addito vsurpatum non intellectualem, sed moralem significat, 353.n.2
Virtutis actus externus duobus modis dici potest ab aliqua virtute elici, 345.n.6
Virtutis actus sunt in duplici differentia, 612.n.2
nullum Virtutis cuiuscunque bonum opus exercere quisquam po est etiam in statu gratiæ existens, absque peculiari gratiæ auxilio, 35. n.7.& 8
Virtus specialis & ab aliis distincta quæ dicatur, 468.n.4
Virtus quælibet specialis quo sensu dici possit iustitia legalis, 472.n.1
an Virtus quælibet specialis in propria sua materia operari possit ex formali motiuo boni communis, 472.n.7.473.n.2.& 6. Quomodo versari possit circa circunstantias obiecti sui, *ibid.* n.3
Virtus naturalis postulat agens naturale à quo naturaliter ad actum illum reducatur, aut reduci possit, 742.n.2.& 4
vt Virtus aliqua, propriúsve eius affectus Deo formaliter tribuatur, quid aduertendum, 517.n.6.7.& 8.518.n.1.&c.
Virtus Theologica cur sic appelletur, 382.n.3. 4. Quotuplex, n.5
Virtutes Theologicas plures esse tribus sequeretur ex opinione dicentium actum fidei & scientiæ esse simul, 308.n.2.& seq.
Virtus moralis quæ dicatur, 352.n.8
Virtutis moralis definitio ex Philosopho, 278. n.4
Virtutis moralis acquisitæ opera possintne sine gratiæ auxilio exerceri, 17.n.1.& seq.
an Virtus moralis particularis sicut circa propriam suam materiam potest exercere actum amoris, desiderij, &c. Ita etiam spei possit, 389.n.2.&c.398.n.2
Virtutum moralium & intellectualium discrimen, 278.n.3
Virtutes quo sensu dicantur inter se connexæ, 353.n.3 363.n.6
Virtutes infusæ qua ratione distinguantur ab acquisitis, 290.n.6.& 7
Virtutes quo sensu superba esse vitia dixerit Augustinus, 8.n.4.& 8
Virtutum habitus quando incipiant esse in anima, 363.n.5.6.& 7
Virtutum aliæ quibus homo perficitur in ordine ad seipsum, aliæ quibus in ordine ad alterum, 463.n 1
Virtutum obiectum materiale quodnam sit, 459 n.2.&c. Formale, 461
Virtutum à iustitia diuersarum actus sunt in duplici genere, *ibid.* & n.3. An pro iis actibus licitè possit aliquid accipi, *ibid.* 613.& 614
Violatio vxoris alienæ, ipsa & marito consentientibus, quale peccatum, 483.n.2.3.&c.
Violatio promissionum quale peccatum, 560 n.2.&c.561.n.1.&c.
Violatio honoris Deo debiti, an pariat obligationem restitutionis ex iustitia commutatiua, 528.n.5 &c.529.&c.
Vi, metu, fraude alium ad peccandum inducens obligatur ad restitutionem, 581.n.7
Vim vi repellens iure suo vtitur, 458. num.1
Visio beatifica dupliciter à Deo dari potest creaturæ, 202.n.8
Visio beatifica supernaturalis in substantia est, 292.n.2.294.n.8
an Visio beatifica necessitet ad amandum Deum, 842.n.4.843.n.3 & 8
Visio beatifica potest esse intensior & intensior in infinitum, 413.n.1.& 2
an clara Dei Visio possit delere formaliter maculam peccati, 185.n. 2.3.4 Est adoptiuorum Dei filiorum hæreditas, non ipsa formaliter adoptiua filiatio, 186.n.5
an Visio beatifica pugnet cum reatu seu dignitate omnis pœnæ temporalis, eámque vi sua formaliter tollat, 187.n.1.& seq.
an Visionem beatificam sibi Christus meruerit, 850.n 8.851.n.1.2.& 3
Vitæ propria ratio, 128.n.1
Vitæ nomine in illis verbis, *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*, quid intelligendum, 705.n.7
Vita nostra & membra non sunt in potestate nostra, 541.n.6
Vita spiritualis ex charitate est, 178.n.6
Vita æterna datur secundùm opera, 213.n.2 Variæ illius appellationes, n.4.8
Vitæ æternæ, & augmenti gloriæ sitne aliqua distinctio, 227.n.1.&c.
Vita æterna habet rationem hæreditatis & mercedis simul. 214.n.1. Quo sensu vocetur gratia, n.2
Vita erepta quomodo compensari possit, 594. 595.&c.
Vnio hypostatica perfectior & arctior cum Deo coniunctio est quàm gratia, 153.n.5.6

Vnio hypostatica sitne simpliciter actu infinita, 644. num. 5
an Vnio Verbi facta sit in natura, 709.n.7.710. 711. An facta sit in persona, 712.713
an Vnio hypostatica sit aliquid ab extremis per eam vnitis reipsâ distinctum, 714.n. 8. 715. Vera hac de re sententia, 716.n.5.&c. Quid sit illud reipsâ distinctum quod extremis per eam vnitis superaddit, 717.n.7.& 8.718.719
Vnio Verbi incarnati & assumptio non sunt idem, 720.n.7
Vnio hypostatica sitne in entitate supernaturalis, 724. n.3. Cur vocetur à Concilijs & Patribus naturalis, essentialis, ac secundùm essentiam, *ibid.* An possit dici connaturalis Christo, *ibid.* n. 4. & 5. An facta fuerit per gratiam, 724. n.7.& 8. An in ratione vnionis sit vnionum maxima, 725.n.1.2.&c.
Vnio duplex hypostatica à nonnullis admissa in humanitate à Verbo assumpta, impugnatur, 736.n.8.737.n.1.2.& 3
Vnio humanitatis hypostatica est non in natura, sed in Verbi solius persona, 738.n.5
Vnionis hypostaticæ mysterium fueritne necessarium, vt repararetur genus humanum ex hypothesi quod voluerit Deus illud reparare, 647.n.2.&c. Fueritne etiam necessarium, vt repararetur per condignam pro peccato eius exhibitam Deo satisfactionem præuiam, 648.n 3.4. &c.
an Vnionis hypostaticæ cum Verbo continuationem perpetuitatémque sibi Christus promeruerit, 852.num.3. Quid de alijs partialibus carnis vnionibus, 853.n.1.&c.
an Vnio animæ cum corpore seu carne fuerit ordine naturæ prior, quàm corporis cum Verbo hypostatica vnio, 757.n.1.&c.
Vnio animæ cum carne eiusdem animæ à Verbo assumptione nec prior nec posterior, nec simul natura fuit, 758.n.2. &c.
Vnionem hypostaticam, vnam rerum coniunctarum compositam efficere naturam, quo sensu dixerit D. Damascenus, 711.n.7.& 8
Vnionis magnitudo seu perfectio maior in ratione vnionis vnde petenda, 725.n.2
Vniones quibus duæ substatię vniuntur ad vnam aliam substantiam constituendam non sunt substantię, sed modi substantiales, 719.n.8
Vniuersum hoc esse perfectum sine mysterio hypostaticæ vnionis naturæ alicuius creatæ cum diuina persona, ostenditur, 644.num.8.645. n.1. &c.
Vocatio quædam electorum propria, 74.n.6
Vocationis nomine gratia sufficiens significatur, 61.n.8. Gratia præueniens, 62. n. 7.
Vocatio diuina nullum cogit nec violentat, 76 n.2. Causa cur quis ei obtemperet, 82.n.5
Vocatio voluntatem præcedit, 56.n.5.& 6. de ea plura, *ibid.* 57. & 66
Vocationi Dei consentire vel ab ea dissentire, nostræ voluntatis est, 75.n.4.& seq.
Vocationi diuinæ qua de causa homines non consentiunt, 117.n.1.2.5.& 6
cur è Vocatis duobus vnus credat, alter non credat, 92.n.8.93.n.4.5.& 6
Volitio Dei libera adens pure morale terminari nequit, 148.n.2
Volitio Dei libera possitne per gratiam intelligi, 725. num. 7.& 8. 726. num. 1
Volitionis ordo non bene intellectus à Scoto, 708. n.4.5.& 6
Volitionis nostræ causa quomodo Deo tribuatur, 56.n.5. 6.& 7.57.n.3.& 4
Voluntariè fieri aliquid duobus modis potest, 485.n.3.& 4.
Voluntarij perfecti & imperfecti ratio in quo posita, 485.n.3.4. &c.
Voluntas in hominibus agendi principium est, 483.n.1
Voluntas pro facto reputatur: sensus huius axiomatis, 330.n.4. &c.
Voluntas secundùm se spectata, præcisa gratia efficaci, sitne ad consentiendum libera, 83. n.2.& 3.
Voluntas hominis gratiæ subiungitur & subsequitur post eam, 75. n. 6. Sola determinat quid teneat, 76.n.1
Voluntas quando dicatur agere necessariò simpliciter, 101.n.7
Voluntas humana non prædeterminata est, sed se determinat, 98.n.3
Voluntas diuina duplex, & cuinam resisti possit, vel non possit à nobis, 98.n.5.99.n.2.& 3
Voluntas libera Dei quâ vult consensum hominis, quid sit, 98.n.4.& 6
Voluntas diuina Christi quando se conformet humanæ, 860.n.8.861.n.1
Voluntas à Deo moueri ad aliquid, quo sensu dixerit S. Thom. 96.n.3.4.5.& 6
Voluntatem nostram non expectari à Deo, quo sensu dixerit Concilium, 92
si Voluntatem physicè prædeterminaret Deus ad actus bonos, an prædeterminaret & ad malos, 84. n.3.& 4
Voluntatis creatæ & increatæ discrimen, 97.n.7
Voluntatis actus circa fidei doctrinam duo, 316 num.6
an Voluntatis actus supernaturalis ex natura rei prærequirat supernaturalem intellectus cognitionem, 341.n.8
an Voluntatis actus expressus prærequiratur ad internum fidei diuinæ actum, 312.n.7
Voluntatis motus ad gratiam operantem pertinentes qui sunt, 52.n.7.53.n.1. & 8
quonam Voluntatis actu determinetur intellectus ad assensum fidei quoad speciem, 319. n.3.4.& seq.
actum Voluntatis naturalem requirere boni in quod fertur naturalem cognitionem, sitne verum, 291.n.3
bonæ Voluntatis explicatio super his verbis, *Deus operatur*, &c. *pro bona voluntate*, 163. n.6.164.n.1.&c.
Voluntatis volitio quâ actum fidei vult, quid sit, cuius sit speciei, & an sit in entitate supernaturalis, 314. n. 4. 5. 6. &c. An habitus eidem volitioni respondens admittendus sit & quisnam ille sit, 315.n.5.&c. 316.n.1. &c.
Voluntatis bonum, 351.n 7
Voluntates seu volendi potentiæ quot sint in Christo, 834. n 8.835
Voluntatum Dei extrinsecarum iustificanti gratiæ necessariarum inuestigatio & refutatio, 129.n.2. & seq.
an Votum virtuale includatur formaliter in habitu, 171.n.1.& 2

Votum seruandi præcepta ac suscipiendi sacramentum pœnitentiæ quo in actu includatur, 170.n.8.& 171.per tot.
Voti obligationem possitne Deus solâ extrinsecâ suâ voluntate soluere, 147.n.3
Vsuarius & vsufructuarius qui sint, 533.n.2
Vsucapio quid sit,& in quo differat à præscriptione, 562.n.1. &c.
an Vsurpatio rerum & actionum quibus infideles ab infidelibus distinguuntur sit semper & in omni casu peccatum infidelitatis contra posterius præceptum negatiuum, 378.n.8.379. n. 3. & seq.
Vsus & vsusfructus quid sint, 533.n.2.3.& 4.
Vsus duplex, vnus facti, alter ad factum, 535. num.4
Vsus ad factum duplex, *ibid.* n. 5. 7. Potest esse circa res vno actu consumptibiles, & non consumptibiles, *ibid.* & n. 6
Vsus facti separari potest à dominio tam in rebus vno actu consumptibilibus, quàm in aliis, 535.n.6
Vsus ad factum separari potest à dominio in rebus quæ vno perfecto actu consumuntur, 535. num.7
Vsus ad factum in rebus vno perfecto actu consumptibilibus, qui est ab alterius voluntate independens,& ad eius arbitrium non reuocabilis, non solet separari ab eorundem rerum dominio, & quicumque habet illum vsum est illarum dominus, 535.n.8. Potest absolutè separari, 536.num.2
Vsus ad factum dependens ab alterius voluntate & ad eius arbitrium reuocabilis,potest esse sine dominio tam circa res vno actu non consumptibiles quàm consumptibiles, 537. num. 1. &c.

Z

ZACHARIÆ dubitatio fueritne peccatum, 262.n.6.& 7
Zelus, iræ quædam species est, 822. num. 2.

ERRATA.

PAGINA 28. col. 2. lin. 38. post, *est*, adde, nisi hæc.
Pag. 32. col. 1. lin. 48. post, *vi*, adde, sua.
Pag. 276. col. 2. lin. 63. *falsus*, lege, falsum.
Pag. 448. col. 1. lin. 13. *similitudinem*, lege, similitudine.
Pag. 610. col. 1. lin. 1. post, *suo*, adde, ac proinde nihilominus.
Pag. 621. col. 1. lin. 52. post, *quo*, adde, non.
Pag. 625. col. 2. lin. 57. post, *faciunt*, adde, cùm eo fine non faciant.
Pag. 841. col. 2. lin. 65. *sic*, lege, se.
Pag. 888. col. 2. lin. 28. *praterea*, lege, propterea.
Pag. 889. col. 1. lin. 7. *quo*, lege, quin.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA